

del collegio de la compania de Jesus de Granada

R. 3927

IN  
SACROSANCTVM  
IESV CHRISTI EVANGE-  
lium secundum Matthæum Commentarij,  
iuxta probatam Ecclesiæ Catholicæ Patrum  
sententiam, & sacre facultatis Theologiæ  
Parisiensis approbationem:

PER

CLAVDIVM GVILLIAVDVM BELLIO-  
censem, Doctorem Theologum, apud insignem He-  
duorum Ecclesiam olim præpositum, & à  
facris concionibus Canonicum.

*His accessit rerum & verborum toto opere memo-  
rabilium copiosissimus Index.*

OMNIA IVDICIO ECCLESIAE  
SVBMISSA SVNTO.

*Abcondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti  
ea paruulis. Matth. II.*

PARISIIS,

Apud Iohannem de Roigny, via Iacobæa, sub  
insigni quatuor Elementorum.


1562.

Cum priuilegio Regis.

2 400 50



MADE IN SPAIN





IN  
SACROSANCTVM  
IESV CHRISTI EVANGE-  
lium secundum Matthæum Commentarij,  
iuxta probatam Ecclesiæ Catholicæ Patrum  
sententiam, & sacre facultatis Theologiæ  
Parisiensis approbationem:

PER

CLAVDIVM GVILLIAVDVM BELLIO-  
censem, Doctorem Theologum, apud insignem He-  
duorum Ecclesiam olim præpositum, & à  
sacris concionibus Canonicum.

*His accessit rerum & verborum toto opere memo-  
rabilium copiosissimus Index.*

OMNIA IVDICIO ECCLESIAE  
SVBMISSA SVNTO.

*Abcondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti  
ea paruulis. Matth. II.*

PARISIIS,


Apud Iohannem de Roigny, via Iacobæa, sub  
insigni quatuor Elementorum.

1562.

Cum priuilegio Regis.



## Priuilege.



Charles par la grace de Dieu Roy de France, à noz amez & feaulx  
 Conseillers tenans noz courts de Parlement de Paris, Rouan, Tholozé,  
 Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble, Bretagne, Baillifz, Preuosts  
 & Seneschaulx desdicts lieux, Lyon, Poictiers, Orleans, Tours,  
 Bourges, Angiers, Champagne, & à tous noz autres iusticiers ou  
 leurs lieutenants, salut & dilection. Comme nostre cher & bien amé  
 Maistre Claude Guillaud, Docteur en la faculté de Theologie en nostre vniuersité de Paris,  
 ait par cy deuant, & des lan mil cinq cens quaréte sept, faitz imprimer & mettre en lumiere  
 par Iehan de Roigny libraire iuré de la dicte vniuersité, & sous le bon plaisir, congé &  
 priuilege de feu nostre treshonorable Seigneur & pere le Roy Henry, les Commentaires par  
 luy faitz sur l'Euangile Sainct Iehan, ayans à ceste fin esté ueus & certifiez Catholi-  
 ques par la dicte faculté. Et depuis ait encores faitz autres Commentaires sur l'Euangile  
 Sainct Matthieu, & iceux faitz ueoir par ladicte faculté, qui nous auoit certifié par cer-  
 tains Docteurs d'icelle, n'y auoir esté rien delaisé qui empeschast qu'ilz ne fussent mis en  
 lumiere, comme appert par leur certification cy attachee sous le contre-seel de nostre Chan-  
 cellerie. Au moyen de quoy les feroit uolontiers imprimer, & mettre en lumiere par ledict  
 de Roigny, mais il doubte que pour frustrer tant luy que ledict de Roigny de leurs iustes la-  
 beurs, frais & impenses, aucuns autres marchands & libraires les uoulsissent semblable-  
 ment imprimer ou faire imprimer & exposer en uente sans leur uoloir & consentement,  
 si par nous ne leur estoit sur ce pourueu de remede conuenable, humblement requerrans ice-  
 luy. Pource est il que nous inclinans liberalement à leur supplication, & uoulans en cest en-  
 droict subuenir audict de Roigny, à ce qu'il se puisse aucunement releuer des frais qu'il luy  
 a ia conuenu & conuendra faire pour mettre en lumiere & impresion les dictz liures. A  
 iceluy de Roigny pour ces causes, & autres à ce nous mouuans, auons de nostre grace especia-  
 le, pleine puissance & autorité royale, par ces presentes donné & donnons priuilege, congé,  
 licence & permission d'imprimer & faire imprimer en telle marge & de tels caractères que  
 bon luy semblera: & mettre en uente & distribuer lesdicts Commentaires dudict Guillaud  
 sur S. Matthieu, iusques au temps & terme de neuf ans, à compter du iour qu'ilz seront  
 paracheuez d'imprimer. Auec expresse inhibitions & defenses à tous, de quelque qualité  
 qu'ilz soient, d'iceux imprimer ne exposer en uente, sans le consentement dudict de Roigny, sur  
 peine aux cōtreuenans, de confiscation des dictz liures, d'amende arbitraire, & de tous despens  
 dommages & interestz enuers les parties. Et oultre uoulés & nous plait, que en mettât ou fai-  
 sant mettre par ledict de Roigny, au cōmencemēt ou à la fin de chacun desdicts liures, un bref  
 extrait ou sommaire de ces presentes, elles soient tenues pour suffisamment signifiees & uenues  
 à la cognoissance de tous, cōme si expressement & particulierement elles auoient esté signifiees.  
 Si nous madons, & à chacun de nous endroit soy, & si cōme à luy appartenra, que de noz  
 presents priuilege, congé, & permission, & de tout le cōtenu en icelles nous faittes & laisiez  
 ledict de Roigny, & ceux qui auront charge de luy, iouir & user pleinement & paisiblement,  
 sans leur faire ou doner empeschement au cōtraire. Lequel si fait, mis, ou doné leur estoit, re-  
 parez & remettez, ou faittes reparer & remettre incontinent & sans delay au premier  
 estat & deu: & à ce faire, souffrir & obeir cōtraignez ou faittes cōtraindre par toutes uoyes  
 deues & raisonnables, tous ceux qui pour ce ferōt à cōtraindre. Car tel est nostre plaisir, non-  
 obstant oppositions ou appellations quelzconques, & sans preiudice d'icelles, pour lesquelles  
 ne uoulons estre differé, & quelzconques lettres à ce cōtraires. Donné à Sainct Germain en  
 Laye le dixneuuieme iour de Iannier, l'an de grace mil cinq cens soixante & vii, & de nostre  
 regne le deuxieme.

Par le Roy, le seigneur de Seluë Conseillier du Conseil priuë present.

Signé Robertet.

## IACOBI FABRI MOLINEN- SIS, PROFESSIONE THEOLOGI, IN Euangelicam Claudij Guillaudi commentationem

Præfatio.



**D**Aulus Iesu Christi Apostolus, idemque Gētium do-  
 ctor clarissimus, summa animi sollicitudine, & uitæ  
 discrimine, cum scriptis, tū uiua uoce in hoc feliciter  
 desudauit, ut doctrina euangelica, mysticum uo-  
 luntatis diuinæ uehiculū, longē latēque per totū or-  
 bem terrarum propagaretur. Quod dum facit, sicut  
 strenuam & perpetuam in hoc munus à Spiritu san-  
 cto demandatum operam nauauit, ita uanus nō fuit  
 propheta, quod scripserit, olim suboriturus, qui sele  
 A&A.20.  
 ctum Christianæ religionis triticum pestilētibus he-  
 reticarum opinionum zizaniis conarētur opprime-  
 re. Ego, inquit, scio quoniam intrabunt post disces-  
 sionem meam lupi rapaces in uos, nō parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exurgēt ui-  
 ri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Et quidem uerē ille uaticina-  
 tus est Apostolus. Cum uarię subinde lites inter eruditos de suarum scientiarū ac  
 ueluti possessioinum finibus exoriantur, dum nemo nō errore, uel etiam ambitio-  
 ne, ueluti in publico orbis incendio, suum regnum latius protendere conatur. Vi-  
 deas enim Theologos forum ac iuris politiam, uideas contra Politicos Ecclesiam,  
 atque religionē suo arbitratu ex piscatoria arte occupare & regere molientes. Ea-  
 dem lites Theologis subinde & Philosophis existūt. Olim quippe fanatici religio-  
 nis prætextu, utrunque gladium sibi rapuerunt: nunc contrā huius seculi potētes,  
 suo gladio, quem de manu Domini uel acceperūt ipsi, uel precario munere extor-  
 serunt, haudquaquam contenti, pro libidine distringere, illum uersare, & dirige-  
 re quanta possunt uolētia præsumunt, & affectāt. Taceo iam quod seditiosi qui-  
 dam, honesti specie, politias occupant, & ex Moysē ius dicere in iudiciis publi-  
 cē non uerentur. Ita sancta Dei Ecclesia uariis quidem ab initio in hodiernum  
 usque diem impetita fuit machinis: quales fuerunt nominis Christiani grauisimę  
 Ex historia  
 Arrian.  
 persecuciones, & acerrimę conflictationes: sed per singularem sponi sui gratiam  
 semper suis innixa primordiis inexpugnabilis, subque quasi librata pondere, ul-  
 que immota permansit. Qui enim de sua dimoueri potuisset firmitate, spōi sui ad-  
 iuta & fota cum spiritu tum uerbis: Verbo siquidem Domini cœli firmati sunt, ita  
 & confirmata est Ecclesia. Porrò uerbum istud hausit ex sacrosanctis Apostolorū  
 & Euangelistarum scriptis, ceterisque sanctorum patrum monumentis, quibus,  
 ceu fortissima acie, stipata hætenus aduersus aduersariorum phalanges decertat.  
 Tantum momenti habent libri qui ad fidem Dei & ad bonos mores conducunt.  
 Atque ideo permagni semper interesse putauerunt ueteres illi sapientes, legūmque  
 consulti, quibus moribus & artibus, quibusue institutis, res cum publicæ tum pri-  
 uatę excolerentur. Nec id ab re penitus. Ut enim disertè scriptum est à Platone in  
 Protagora, multò magis periculum in excipiendis hauriendisque disciplinis, quā  
 in cibis parandis, formidandum est. Cibos enim ubi emeris, in uasis alienis domū  
 deferre, ac sumere licet. Artes uerò ut fuerint, capere nō in alio uase, sed tuo ipsis  
 animo circumferre cogaris. Qua ex re omnium optimè prospexisse (nisi me meus  
 fallit animus) mihi uidentur primi legum latores: cū & aduersus corruptores mo-  
 rum legibus uindicandum censuerunt, & à politia nō prauas modò artes, sed aded  
 rum legibus uindicandum censuerunt, & à politia nō prauas modò artes, sed aded



Plutarchus in uita Lycurgi. inanes & superuacaneas, luxus tãtũm ac libidinis ministras, id quod fecisse quondam Lycurgum ex Plutarcho didicimus, summouerunt. Cũ itaque omnia iana libris præcipiantur, percipiãturque, quibus, siquidem probi sint, non parũ ad uirtutem, cũm quærẽdam, tũm capeßendam, animamur: Sin mali, mala quoque doceant, & uelut cæstro quodam & aculeo sollicitant ad uitia, ut est nosster ad praua, quã bona promptior genius. Enim uero sæpẽ demirari satis tacitus apud me non possũm, qui fiat ut qui reipublice gubernacula moderantur, nouos libellorum fecerit prodire sinant in uulgũs, ex quibus tamen haurire nihil aliud possis, quã nobilem & egregiam impuritatis & impietatis labem. Hæ sunt nimirũ noctis aues, quas interdũ uolitare iam uidemus: hæ noctuæ, hæ striges, quas in meridiana luce conspicimus, quarum tamen nox conscia sola esse deberet, adẽ iam consuetudine factæ familiares, ut quas pro mōstris antehac habuimus abegerimũsque, circũuolitare iam pro sua quaque libidine sinamus: imò uerò uolumus, cõcedimus, iubemus. Verũm enim uero, dicit aliquis, à rebus seriis tantum non est magistratibus otij, ac feriarum, ut rebus minutis excutiendis dent operã: quin etiam nec sic pestilentes sunt libelli, ut nõ plus multò prodesse ac iuuare queant quã incommodare. Verũm hanc hypocraticam personatãque interrogationem hac repulisse ratione satis sit, quòd eorum qui publica gerunt munera, non magis est aedes, uias, aquæ ductus, annonas curare, non nundinarum, litium aut rei nummarie iura urgere, non hostes abigere, non patriæ fines tutari, non pacem sollicitare ac retinere, quã dispicere ut publicè priuatĩmq; mores integri atque honesti sint, & cõperiãtur. Hęc scilicet uel præcipuæ sunt partes magistratuum, quòd illibatis undequaque moribus constituatur, floreãtque ciuitas. Quid enim per Deum immortalem momenti adfert cœtibus hominum, si muro cingantur, si uallo muniantur, si flumine fossis que ambiantur, nisi religione, moribũsque simul & legibus bonis (que retinacula sunt, autore diuo August. rerumpub.) in officio, uirtute, mutuãque charitate continentur? Quid igitur est quod fax quaedam hominum in ciuitates, in aedes, in familiaritates, dicã etiam intimas, recipiantur, quibus id solum studium est, ut disciplinam morẽsque corrumpant incautã iuuentutis: adẽ ut ad id cõducti precioque uenditi & comparati credi queant. Quæ, malũm, nostransuerfos abripit impudens imprudentia, ut monumenta turpitudinis eorum extremis exẽplis uindicanda, in omnes passim urbes, uicos, familias, ætates, ordines, abũdare ac spargi sinamus, atque adẽ elaboremus? Quid, pro pudor, nisi hæc amẽtia est, nisi uecordia est? An non sementem eo pacto in semine uitiamus? An non fontium ostia ueneno inficim⁹, qui cogimus pufiones, & puellas, incestos amores, à tenero (quòd est apud Flaccum) ungui meditari? Vulgatum est adagiũ, Faber ipse fecit compedes, ipse gestet. Nec satis est infœlici nostræ regioni alere colerẽque, qui sibi tã certam perniciem adferant, unde uis accersuntur, aduehuntur, imò uerò inuitãtur irritamenta malorum, quanuis immanibus aucta preciiis. Videlicet illi sumus Galli, quos ante quadringentos & mille annos scripsit Iosephus fontem habere apud se domesticæ fœlicitatis, & omnibus bonis totum penè mundum irrigare. Hinc nos contractum dolorem, si fas est dicere, sed fas est, acerbissimũm, quum neque ulla satis ratione lenire, neque diurna meditatione concoquere possimus, quidni liceat tandem aliquando bonam iustæ nostræ indignationis partem deriuare & effundere in literas? Atque utinam, qui ipse hinc quã minimum possũm, excuscitare saltem alios queam, auxiliij ferendi potentissimos, ceu catulus quispiam grandæis molossos, &

Obiectio.

Ad obiectio- nem respon- sio.

Munus ma- gistratuum.

4. De ciuitate, cap. 4.

Horat. Vide Chil. Erasmi.

Laus Gallie ex Iosepho li. 2. de bello Iuda. cap. 6.

Horatius.

*Fungar uice cotis, acutum  
Reddere quæ ferrum ualet, exors ipsa secandi.*

Omnino hac me cõscientia solabor, tueborque, quòd aliò prorfus (ita me Christus amet) non respiciam, quã ut patefacto magis ac magis errore publico, & ue-

Iut educto è cauo serpente, monerem cauendum omnibus ab incendio, imminenti- que exitio, quod in omneis iam longè latẽque pertinet, & quaqua uersum uagatur, & quod in communi periculo uulgus solet, conclamarem, ad ignẽ ad ignem,

*Hostis habet muros, ruit alto à culmine Roma.*

Verg. 2. Aeneid.

Iam nempe certum indubitãtũmque tenemus, nullam fere exactis tot iam seculis, hæcẽm extitisse, quæ paucorum annorum spatio, tam miserandã tamque luctuosas calamitates, tam terribiles motus, admirandãque, concurrentibus hominũ opinionibus, diuisiones in Ecclesiã inuexerit, quã hæc ipsa, quæ hoc nostro infœlici seculo concitata dignoscitur, & deinde in tam scãuam innumerabilium pene capitum hydrã excreuerit: ut, non dico, ditioni cum ditione, ciuitati cum ciuitate, sed nec domui cum domo, imò nec quidem homini cum homine in religionis articulis conueniat. Quod eò magis cũ mirandum tum & miserandum est, quòd nostri temporis hæretici multas florentissimas respub. plures potentissimos principes, plurima rãgna & imperia per tam palãm impia supraque modum & apertã dogmata, in suum istud pestilentissimarum opinionum baratrũ præcipitauerint, & in eas calamitates immiserint intruẽrũtque, unde nulla adhuc appareat spes emergẽdi. Porrò cũ multis comitiis, magnis que sumptibus summi orbis monarchæ, hoc incendium conati sint & porrò hodiẽ conentur extinguere, tamen singulãrĩ hæreticorum pertinacia, dicam potius fraude, & malitia cacodæmonis, sit, ut concordia profligata, omnia litibus & schismatibus personent. Varia & permulta olim monstra in orbe comperta ueteres cõmemorarunt, ut eos homines, quos probitas ad optimos uirtutis titulos prouehere nõ poterat, ab humana ueluti conditione deiectos, ac infra meritũm mortaliũm detrusos, suis propè in bestias transformatos uitis significarẽt. Hinc in Esaia Onocentauros, sirenas, ululas, onocrotalos legimus: in beato Iob Leuiatham, Behemoth. Cacũ describit Vergilius, Cæberum, stymphalidas aues, aprum erimanthem, leonem nemeãum, chimeram, multorum capitum hydrã, Herculis labores poetarum figmenta nobis tradiderũt. Sicut enim toxica nõ dantur nisi melle circũlita, ita non nisi obnubilatã rectãque ueritatẽ conferendã putauerunt, ut probè belluinos hominũ ferociãm mores cõponerent, & uitæ conciuũ studerẽt, sicuti cõditiones tẽporum locorũque postulabant. Nostri uerò huius seculi luctuosa peruersitas, an non eiulatus continuo, & omnis pariter sexus & ætatis ululatus efflagitat? Tanta siquidẽ sunt istius tempestatis incommoda, tam uariã hominũ clades, ea denique per humanũ genus inuisitata crudelitas regnat (ubi turpi fugata exilio uirtute, ueritas omnibus fermè odiosa cœlũ conscendere compellitur) ut meticulosi homines, sicut ægri oculi, lucem (quod de Heli scriptum est) quanuis sua uisissimã, censurãque illius ferre pertimescant. Hinc hinc fit ut passim pro uirtute uitiũ regnet, iniustitia imperet, fauor etiã regnũ possideat, lentescat disciplinæ neruus, sensim paulatĩmq; obtenebretur rationis splendor: ut homo hominẽ tollat, quod ait Cicero, & brutescat, ueluti consumpta imaginis Dei natura, in nescio quæ perhorrenda monstra degeneret, falsa pro ueris imbibat, quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, appelliter, & internoſcat, Chimeras & Minotauros effingat, efformetque. Ita ut eò amplius obruantur succumbãtque mortalium uires, quò studiosius harum rerum tam infœlicium uim naturãque & conditionem deploratissimã explorare, ac curiosius pertractare contendunt: & quò plus in hoc operã collocent, minus assequantur. Quæ dum cõmemoro, horresco referens, deerrat animus, fontes lachrymarum effundunt oculi, labascit scribendo manus, pes suis non consistit uestigiis, corpus denique ipsũ, quantum quantum est, suum non facit officium. Vident non sine summo dolore omnes uerè pij, quã longè latẽque huius incendij fauillæ sparsæ sint. Hæret rectis templorum Spiritus sancti, exedunt ligna, lapides demoliuntur, maceriam dissoluunt, intritum absumunt: ipsãque adẽ fundamenta ui euertunt. Iam, iam,

Esa. 13. & 34.

Aeneid. 3. 6. 7. 8.

1. Reg. 3.

Offic. lib. 3.

Predicatio Christi. Luc. 19.



I A C O B I F A B R I

nisi sic propitijs Dominus, solo adæquanda domus pedibus cõcutitur, & ab imis radicibus funditus conuellitur. Ex quo efficitur, ut quoties apud me factiones, atque hæreses, quæ longius palmites extenderunt, & mundum ipsum iusto quodam Dei iudicio occupant, premunt, & angustant, animo complector, & admirari soleo. quod ab omnipotente oblatum est sanctissimo Eremitæ Antonio, uisum diuinitus: (ut ipsa re præmonstrante omnium insigniorum sectarum futuros hæreticos, qui Christi Ecclesiam erant discepturi) uidit uir sanctus in somnis ipsos altare impetere, sacrãque mensam, nequid suæ ipsorum impietati deceret, euertere. Atqui non aliunde Helias de suâ legis hæreticis exordiebatur querimoniam, cum diceret, Domine, altaria tua suffoderunt. Hoc est quod de Antichristo approbat scribēs Hypolytus martyr in Daniele de fine mundi paraphrastes, Ecclesiasticorum ædes sacræ tugurij instar erunt, preciosum corpus Christi & sanguis non extabit, liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur. Quid hic necessum est commemorare, nefandissimos apostatas, Lucianum & Iulianum? quorum ille non ob aliud crimen Christum à Iudæis cruci affixum cõminiscitur, quàm quod nouum mundo inuexisset mysterium, *καὶ τὸ πλάττειν*. Quid quod & in huius imperio sacrificium nostrum edicto sublatum est, sacra mæla fœdissimis abominationibus arte conquisitis conspurcata, uasa sacris dicata, quibus Mariæ filio sacrificabatur, indignissimè direpta, quemadmodum in uita martyrii Iuentij & Maximi apud diuum Chrysostomum legimus: aded hæreticorum prauitas ferè semper cum sacrilegio, coniuncta est: ut nec alio signo ostendi debuerit, quatenus, ab unguibus (quod est in prouerbio) leonem internoscere queas. Vide Arrianorum quod progressa sit, quibusdã ueluti gradibus, impietas. Os suum, inquit psalmographus, posuerunt in cœlum, & lingua eorum transiuit in terram: ut scilicet cum Sodomitæ & Gomorrhæis descenderent in infernum uiuentes. Hos deplorat Basilius ille magnus, & Gregorius Nazianzenus: hic planè tragica, quorum à cõmemoratione piæ aures abhorrent, ubi semetipsum cum Arrianis confert, proponit: ille uerò altaria cultu spiritali uacare luget. Ab Eustathio hæretico Basilidis catholici altaria subuerti mutatis improbè mensis hæreticum *λυτῆργῶν* perficere criminantur. Donatistarum opera, generatim sacrilega, Opratus Milenitanus persequitur. Quid referam, ait alio loco Nazianzenus, cædes super cædes, cadauera super cadauera, sacra sancta pedibus inquinatis cõculcata altaria, impudicis & cantionibus & figuris polluta? Et, ut audio, cur hæc lingua audax profert? saltationes super illis & Ecclesie resonantia crepitaculis uiolatas, linguas blasphemias super sacris thronis cõcionantes *μυστήρια κωμῶν ἄπειρα*, mysteria in comœdias cõuersa, Sacerdotes abactos, monachos dilaceratos, impiorum manibus uasa ministerij & populo ad tangendum uoce Dei prohibita, Nabuzardam principi coquorum impurissimo, & Balthasari malè in sanctis agenti exposuerunt. Sic Nouatiani episcoporum odio, quos potuerunt à pœnitentia quondam auocarunt, ut relictis Domini Sacerdotibus contra Euangelicam disciplinã noua traditio sacrilegæ institutionis exurgeret. Denique post Lutherum deteriores secuti, quos ex illius schola certò prodiisse possis agnoscere, superioribus similis farinae pessimis hominibus sibi adhibitis præceptoribus & arbitris, odio, quo corroduntur plusquam uatiniano, uiam contra sacrosanctum corporis & sanguinis Domini sacrificiũ sunt ingressi: ut & hoc etiã modo Iudæos imitarentur. Inter quos & illos id interest duntaxat, quod illi manus iniecerunt Christo in cruce, ab illis autem percutitur in altari. Age igitur, amabo te, cum Ezechiele parietem domus Domini effodito, quas Deum immortalem, abominationes, dicam amplius, & impietates hac tempestate consignatas non intueberis? Omnè reptilium scilicet similitudinem, uniuersa idola domus Israel depicta in conscientia patiete in circuitu per totum, & septuaginta uiros de Senioribus thurificantes, crebris intonantes uocibus, in tenebris & in abscondito buccinatæ cubilis sui. Non

Anton. Eremita.

3. Reg. 19.

Ex libro Hypolyti. qui extat. Hiero. in Daniele.

Euseb. lib. 12.

Psal. 72.

Basil. episto. 70. 72. Nazianzen. de Arrianis.

Ad Heronem. In Parmenia.

4. Reg. 25. Hierem. 29. 36. 52. Daniel. 1. 5.

Ezechiel. 8. & 12.

Psal. 93.

uidebit, inquit, nos Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Has certè ob causas, inquit Ioannes. Audiui uocem unius aquilæ dicentis, Væ, væ, væ habitantibus in terra, & uidi stellam cecidisse in terram cui data est clavis putei abyssi, ex quo ascendit fumus sicut fumus fornacis magne, & obscuratus est sol & aer, & de fumo exierunt locustæ, quibus data est potestas, sicut habent scorpiones. Et rursum, Audiui, inquit, uocem dicentem angelo, Solue quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Eufrate, ut occidant tertiã partem hominũ. Iam uerò dicite, quid his mysticis diuinæ prophetiæ uerbis portenditur? Quid, inquã, præter nocentissimos, perditissimosque mores, clades noxias, pestes cõragiosas, & insignes calamitates, quales nunquã orbis uidit, uidebitque, quibus nostra hæc tam infelix infortunataque ætas, ab infimis ad primos, ut à capite incipiat putrescere piscis, labefactatur, cõcutitur, deaustatur? Quid tã horrendæ uoces, quid tam insolentes uisiones sibi uolunt? quid denique figuræ, mille inuolucris sinuosisque anfractibus ueritatè obuoluentes? In his licet quisque quantum possit ostendere sine uitio queat, effingendis efformandisque sensibus nusquam pœnitendis, mihi tamen væ triplex, super habitatores, supremam consummatamque signat errorum periodum trium ordinum, à prima sua illa felici origine deficientium, ut rerum omnium est uicissitudo. Senescunt quippe omnia sub cœlo contenta, & antiquis semper deteriora succedunt, ut iam pro uirtute uitium, pro religione solus ubiuis superfit luxus, pro paupertate Euangelica, Plutonis affectus, pro ueritate mendacium, pro maturitate leuitas habeatur in pretio. Vis id tibi facilius explicari? Quid aliud tibi uideatur significare domus Domini paries effossus, quàm spiritualem illam nostrorum Ecclesiasticorum autoritatem, omni admiratione, ut quondam propter uenerationem peraugustam, ita ab omnibus suspiciendã, à priore uirtutis excellentia collapsam, posthabitis cœlestis sapientiæ thesauris, diuinisque Christi donis: quibus dum nihil sic mortalibus ad salutem melius, ita neq. ad promerendum antiquius: præsertim dum ea quæ iam cœlestis regni clauæ gaudia populis habebat patefacere, uitiorum abyssum referat: cuius fumo, exemplo nempe peruersissimo, Sol ipse, hoc est maiestas pontificiæ autoritatis: & aer, ut pote reliqua dignitas spiritalis, obscuratur, spernitur, cœnòque dictu indignum, & quod de infatuato sale apud Euangelistam dicit Dominus, conculcatur, inficitur, ut ne doctrina quidem planè luceant, uita fulgeant, aut moribus ædificet. Hinc fit, pro dolor, ut neglectis spiritalibus delitiis, solis terrenis hærendo inhiando, & inhiando hærentes, nec Deum uerentur in profundum malorum prolapsi, nec homines, abrupto pudoris retinaculo, reformident. Agè porrò quid quatuor angelos soluere portendit, narrante Apocalypsi, nisi superbiæ fastum, cui laxatæ sunt habent, quatenus sine legibus per inuia diuagetur, nisi alienarum opum rapiendi libidinem, aded ut nullis iam teneri coerceriue possit habentis astuta dolis & perfida, dissimulato habitu, facieque personata, hæresis: ut non amplius inter arcta presepis vagiens Christus exaudiatur, uel in terris marique obambulans, compareat. O miserandum & nunquam fatis deplorandum nostrorum temporum statum infelicissimum! O astutam mortalium hypocritam! Siccine punis Deus omnipotens, ut nos in hæc secula referuare: ut quæ uix patres nostri olfecerint, auribusque perceperint miseris hisce nostris ocellis cernamus præsentem, manibusque contrectemus? Heu heu prisca fides! Verum enim uero quid primùm querat? Vnde mœroris sumam initium? quod me uertam, in finitis inexplicabilibusque labyrinthis inclusus, præpeditus, irretitus? Iam nullus scripturæ panis integer, ipsis aded cernentibus oculis apparet, quem non propemodum insana labefactarit hæresis. Iam fermè non comperias, qui esurienti panem frangat, refrigerante ubiuis charitate: iam deest qui aquam salientem in uitam æternam, uel petenti porrigat: iam denique nulla exornat Euangelica paupertas, quæ tamè electione Christi Domini sanctificata est. Quid quæ durius nihil in se

Apoc. 8.

Apoc. 9.

Math. 5.

Vergil. 6. Aeneid.



habet autore philosopho, quàm quòd ridiculos homines in mundo faciat? Atria pontificum perpetuo nitent luxu: splendent palatia tapetibus pretiosis: focus lucet perennis: mutatoria uestimenta, odora canum uis, muliercularum grex, & feruorum inutilium turba, quos sacerdotiis onerant, qui templa Dei ubique per incuriam inimicum imbrem recipientia deuastât: egenis debitos thesauros exhauriunt. Et super his silent leges diuinæ & humanæ, iura puluere sitúque obfita fœtido obliuionis sepulchro concluduntur. Altissimum somnum obdormiunt Ecclesiæ præfides Episcopi: securi omnium rerum stertunt & pergræcantur Abbates, cuticulâ curât religiosi, genium defraudat nemo: quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, Curiones quærunt: Principes cæcutiunt: surda aure omnia prætereunt Consules & decuriones, plebs nihil pensi habet. Quid tum prætereâ? spoliant prædones ut spoliâtur, capiunt ut capiantur, decoquunt, abliguriunt, deprædantur, noctes insomnes in lusibus ducunt: & cum plurima possideant, egeni, alieno ære pressi & obstricti, & eiulantibus ubiuis locorum mercatoribus, ululantibus uiduis, insuper pupillis, agricolis, locatoribus, emoriuntur, ut in inferno cum diuite epulone sepeliantur: nimirum nunquam isti animaduertere uoluerunt, quòd qui uerè locupletari desiderant, non diuitiis adicere debent, sed auaritati detrahere. Vsq; uero uerò tandem pigri dormietis? Vsq; uero non auscultabitis sine cura pastores? Vsq; uero teluris (ut ait Homerus) inutile pondus eritis? Quàm diu etiam arbores bis mortuæ solum occupabunt? scilicet hanc uiuendi rationem à maioribus uestris didicistis, & quasi per manus accepistis, sicuti causamini. Sed vos dicite (citra enim contentionem uos interrogo, & si patiamini, rogo) Apostolos ne, quorum uices geritis, uel, si uerum dico, sedes occupatis, eiusmodi genus uitæ duxisse, modumque uestrum sine modo tenuisse creditis? Minus prudens Apostolorum uertex Petrus: imprudens etiam Apostolus Paulus, qui sudorem & ærumnarum gradibus, laboribus plurimis, carceribus abundantius, plagis supra modum, mortibus frequenter, uirgis, lapidibus, naufragiis, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, uigiliis multis, fame, siti, ieiuniis multis, frigidibus, nuditate, cæterisque istiusmodi, ascenderint in cælum, si uestris illis ipsis æternam salutem consequi potuissent. Nunquamne mentibus uestris horrendum Dei iudicium succurret, ne in locis pœnarum, idem quod ex usu uenit insipientibus, ut est apud Sapientem, spe omni semota dicere cogamini, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprij: nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Ergo errauimus à uia ueritatis &c. Vos uos appello pastores, quorum incuria, torpore & infania, domus Domini & ab aliis dilaceratur & à uobis contemnitur, Quid fiet ubi acceptorum, datorum, reddendorum ue districte simè exigentur rationes? Vbi nec patrociniò nec excusationis occasione dabitur locus? Quis sensus erit animorum uestrorum? quid mens cogitabit? quid lingua causabitur? credo errantibus medicina sine curatione fiet confessio. Audite ergo mandatorum Dei conspurcatores, quantam concilia uestra, uitæ factorumque monumentis expressa, dant de uobis iudicandi copiam. Durissimum fiet in his, qui præsent, iudicium: quantò enim gradus altior, tantò casus grauior. Non pudet piget ue post illuminationem uerbi, gustationem etiam doni cœlestis, ubi participes facti estis Spiritus sancti, rursus prolabi, crucifigentes in uobismetipsis filium Dei? Væ, ait Hieremias, qui facit laquearia cedrina, & pingit ea synopide, hoc est sanguine Christi. Audi populus meus, inquit apud psalmographum regium Dominus, & loquar Israël, & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Videntes non uideris, nec auribus percipitis,

Verg. Aen. 4.

Philip. 2.

Luc. 16.  
Prouerb. 6.

In Iliad.

2. Corint. 11.

Sap. 5.

Sap. 6.  
Greg. in Moral.

Hebr. 6.

Hierem. 22.  
Psál. 49.

Psál. 11.

quanta aduersum uos, ad iudicem Deum proferuntur testimonia. Ah, bone Deus, quàm à simulatione nullus uacat mortaliù status! Atque hæ sunt artes, Deus optime, quibus insudat orbis, hæ disciplina quibus inuigilant homines, illa denique studia ad omnes technas & aucupia uersatilia. Sed enim quid tam peruersis artibus execrabilius damnabiliùsue? Quis hæc sicis meditabitur oculis? Quis ergo dabit capiti meo, ut cum propheta loquar, aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & lugebo & plorabo, deperditam morum integritatem, ueterum obliuionis traditam misericordiam, præcorum obsoletam innocentiam, patrum relegatam sanctimoniam, antiquorum proscriptam religionem, maiorum oblitteratam penitentiæque deletam & euersam disciplinam, omnèsque pariter in hoc luctuosissimo orbe fœda uitiorum colluie, tam defecisse uirtutes, quàm renata, aucta, & adinuenta, simulque adoleuisse omnis generis peccata? Exhorret (ita me bene Deus amet) horum temporum portenta, continua oratione singillatim prosequi, mens sibi bene conscia, uires impares sunt: & optimi quique, fat scio, abominantur extremas aded calamitates recensere, quas in Christianum orbem hostes Christi Euangelij, arcano, sed iusto Dei iudicio in dies magis magisque inualecentes, inuicunt. Etenim iam regnant hi, suffragantibus è nostris potentioribus, quibus Dei populus ab allophylis rursus separatur, ut cum præputiatis Philistæis amicitiam contrahant, à perfida gente, iterum capitur, & in miserandam seruitutem adducitur. Quibus deniq; intestina ciuiliæque bella, iusto Dei iudicio, excitatur, exitialis Mars infremat. Suis se septis interim continet lugens sponsa Christi Ecclesia, ostracismo dånata: quid tum? à laicis conculcatur. Gladiù diui Petri consumit rubigo: à nobilibus sine nobilitate deuoratur spirituale patrimoniù, pro temporario reputatum, occupatum, prophanatum. Mystica Christi sacramenta apud omnes uilescunt: quanta, Deum immortalem, mysteria, quàm salutaria, quàm necessaria, ut sine quibus non sit ad cælum aperta semita! Et hæc tamen pro figmentis reputantur, incantationibusque annumerantur. Malchus rursus in Christum: Phasur in Hieremiam: vulpina Herodis fraus, in præcursores insurgit. Sed id forsitan uidetur difficile: Nò uides, oculis à lippitudine, ophthalmiæque liberatis, aut nò audis repurgatis auribus, ut iam paupertatem oppressit insana cupiditas, castitatem fascinoauit inhonesta uoluptas, humilitatem suffocauit uanitas, pietatem plusquam belluina crudelitas subiugauit? Quid plura? Scripturarum ueritatem fraudulenter ementitur, & torquet hæresis, nasi cerei instar illas habent, peruertunt & interpretantur nugiuenduli: regula lesbia domus Dei parietes dimetiuntur hæresium architectores: simulatio ueram religionem euanescere compellit, pietatè obnubilat hypocrisis: zelum fugat & extinguit ambitio, adulatio peccatorum multitudinem operit cum philotimia. Otium omnes cupidinis artes exuscitat & luxus: fartores, coquos, lanios, agalones, bubulcos, muliones, stabularios, omnèsque cupidiarum artifices & ministros uilissimos, uerèque mancipia, iam nostri hodie mouent, promouent ad honores, dignitates, beneficia, sacerdotia, episcopatus, abbatias, prioratus, curionatus, xenodochia, officia, ciuilesque omnis generis functiones, perinde conuenientes & idoneos, ut asinus (quod est in prouerbio) ad lyram: oues lupis scilicet committentes. Quæ dum fiunt & procurantur, quid aliud expectamus, quàm uel extremum contra nos iudicium, quàm rerum spiritualium consumptionem cum abominatione, politia ciuilibus desolationem: uel quàm (quod uehementer reformido) ut mirum in modum sordeat honestas Christianorum, pereat præsulum principumque dignitas, tepescat sacrosanctæ religionis uigor? Quid? Num & etiã aliquid amplius? nihil, si Deo placet, nisi quod audiuit diuus Ioannes, uocem magnã de templo dicentem angelis: Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terrã. Iam uerò quid phialæ effusæ nobis significant præter bella, si rem tecum pensulatus paulò exegeris, quàm pestes, iurgia, schismata, mortes, fames,

Hierem. 9.

Luc. 22.

Ioan. 18.

Math. 13.

Apoc. 16.



ardores, sterilitates, incēdia, falsorum fratrum criminationes, delationes denique, inter quæ pullulat non obscura subditorum inobedientia, intolerabilis pauperum arrogantia, errantium utriusque sexus detestabilis crescit & excrescit inuercundia, præfidentium imperat ubique fastuosa præsumptio, administrandæque iustitia neglectus, nouitas opinionum reipublicæ, cum ciuili nocentissima, tum & ecclesiastica turbatrix. Ist hæc omnia uident hostes, & derident sabbatha nostra. At qui inter hæc uaria dormitant, dormiuntque profundè Israëlita, potestas ut pote ecclesiastica frequentibus uexatur sollicitudinibus, & turbatur circa plurima exhausta summo æstu dignitas pontificia. Hinc iustitiæ impudens conculcatio iura peruerit: deplorata scripturarum atque sapientium peruersa declaratio de gente in gentem transfert imperia. Ad hæc indignissimorum frequens promotio sacra profanat. Ecclesiæ ecclesiasticorumque contemptus Dei furorem concitat: præpositorum oscitantia errorum seminaria germinant, inanis dispensatio singula confundit, indulgentiarum facilis concessio peccandi facultatem subministrat. Et cum tot tantæque monstra toti mūdo imperent, qui talibus uerbo operè se se opponat, tanquã torrenti, occurratque, neminè de tanto grege, toto quamuis peragrato orbe, comperias. Audiunt præfides, audiunt præfules, audiunt & sacerdotēs, imò uerò uident & palpant, tacent tamen & leuiter prætereunt. Vnde ergo salutis antidotus? unde mutuandum suffragium? nisi à Samaritano illo euangelico, qui uidens hominem à latronibus expoliatum, & plagis impositis relictum, misericordia motus est, & approprians alligauit vulnera eius, infundensque oleum & uinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Esto igitur nobis Domine in Deum protectorem, & in domū refugij. Olim quoties Israëliticus populus in conditorem suum deliquerat, & propterea seruire captiuus cogebatur hostibus, aut vulneratus plagis crucibusque opprimeretur, propheta illi Deus præstitit, qui & delinquentes potenter coarguerent, & diuina pietatis uiscera ad miserandum prouocarent: qui errantibus uiam munitent, & spiritualibus uirtutibus concederent incrementū. Sic Israëlī Moysem, sic Sauli Samuelē, Nathan Dauidi, sic Achab Heliam, Ezechia Efsaiam, captiuus Daniele, cæterisque quos longum esset enumerare. Verumenimvero ubi iam salutis refugium? ubi uiget ueritas? Corruet ueritas, ait Isaias: in plateis maledictum, mendacium, furtum, inquit Ofas, homicidium, inuandarunt. Quid enim non peruerit hypocritis? Quid simulatio nō facit? quid à personatis & laruatis lemurebus non tentatur, non terrore concutitur? Vbi pietati locum reperias? An non hodie plurimos offendas similes illi, de quo Dauid ait, Dicit insipiens in corde suo, non est Deus? Vbi quæso qui ecclesiasticorum abusus incuset, qui disceptantes principes ad pacem reducat, lites componat irarum incendia extinguat, populi tumultus sedet & temperet? Vbi in libidinosos zelus Phinees, in Idololatrias vomer Sangar, in incircuncisos & infidos mandibula Samsonis: ubi clauus Iahel in sacrilegos, Ionathæ sagitta in blasphemos? Quapropter cum nihil sit antiquius, nihil præstantius ad præsciendenda huiusmodi renascencia Hydræ capita, armis quæ iuuant, non grauant, quibus dudum orthodoxi patres incircuncisorum errores aut sustulerunt, aut saltem ne serperent ulterius, qua potuerunt uirtute, faterentur & prohibuerunt. Age ad promptuaria eorum properemus: nec à laboribus ante animum suspendamus, quàm inuētum sit, quod planè animo satisfaciat. Ist huc certè disertissimi Guillaudi Heduoꝝ Ecclesiastæ uigilantissimi, quod ex re deprehendere facillimè poteris, mira eruditione simul & pietate temperata in diuum Matthæum Commentaria perquam abundè præstiterint. Sic enim acu (quod est in prouerbio) rem uniuersam dictorum factorumque Christi tetigisse illum dignoscēs (si modò censuræ nostræ non nihil concedendum putaueris) ut diuina potius quàm humana inspiratione adiutum scripsisse dixeris. Si igitur post hac tot tantæque monstra à republica arcere quispiam uolet,

Threnorū. 1.

Luc. 10.

Psal. 30.

Exod. 3.  
1. Reg. 10.  
2. Reg. 12.  
Isa. 37.  
Isa. 59.  
Osee. 4.Num. 17.  
Iud. 3.  
Iud. 15.  
Iud. 4.  
1. Reg. 2.  
2. Reg. 1.

omnes autem uelle debemus: quid ad hoc præstantius, aut conducibilius lapidibus Dauidis, quos exuberantissimus hic Cōmentariorum Jordanis copiosè subministrabit? Si uotis esurientium satisfacere tentas, quid suauius opibus, quas hæc de remotissimis regionum oris ueniens nauis attulit? Si semitam splendorēque ueritatis concupiscas, cuius energiā, errorum tenebræ propellantur cum tenebrosissimis autoribus, quid apertius patrum sententiis quas suggerente Spiritu sancto in hunc acerum cōportauit, certōque ordine digessit noster Guillaudus? Hic siquidem uelut in prato floribus uariis consperso facilè inuenies quæcūque ad rem conferant euāgelicam, quæcūque ad fugandam comprimendāque uitia conducant. Hic quoscuque furiosos, & malè feriatos hereticos lætābundus iugulatos, confossos prostratosque contueberis. Hic orthodoxæ Ecclesiæ rituum & sacramentorum osore plagis impositis semimortuos agnosces. Hic sanctorum conciliorum, pontificumque instituta, quæ summi pontifices plumbo obfirmata publicanda dederunt, omnium ueritate tum ratione suffulta internores. Hic pretiosa margarita, mox si paululum effoderis, occurret. Hic quomodo Christi sponsæ Romanæ Ecclesiæ iura tuearis, & reliqua quæ ad pacificum conuictum mortalium conspirant, tanquam ex armamentario scholastico depromes. Et hic sunt, ad quæ, ueluti ad petram lactentes paruuli, Cherintus & Ebion, Nouatus, Sabellius cum Samosateno eliduntur, & scintilla Arrianæ perfidiæ, ne maius tandem præbeat incendium, extinguitur. Hic uelut in densissima sylua, fertilissimisque segetibus, latent orthodoxi, qui, instar uersorum, Marcionem, Pelagium, Antidicomarianos, Luciferianos, Monothelitas, Cataphrygas, cum filiis Hierico laniant & lacerant. Hic discalceati proteruntur Nestorius, Faustus, Theodorus, Sergius, Pirrus, Iulianus, Porphyrius & Macharius, ac uelut uulpes paruulæ exemplorum historiarumque laqueis irretitæ, ne porro euagentur, retinentur. Hic Hulsitæ perfidi iugulantur, Vuiclenitæ insani deiiciuntur, Bohemi apostatæ turbantur, Lutherani schismatici conficiuntur, Gebennenses spurij rubore suffunduntur, si modò aliquid frontis habeant. Hic delirantes hæretici, quos nunc fert malè feriatos orbis innumeros, liuoris faniem, sed impunitatis & obstinationis testa expurgantes, cum sua tota quanta quanta est crūque posteritate, ut singularis ferus, perpetuo feriuntur anathemate: Hic Regum & Imperatorum tyrannis, uelut chamo & freno reprimuntur. Si dissentiant Principes, hic sincera pax sese prodat. Si de primatu contendant Pontifices: si disceptent præfules: hic magni consilij Angelus, præficiendum cæteris patefaciet. Si steriles auenæ dominantur, si maledicta zizania agrum Dominicū labefactare pergant, mox pater euāgelicus, de cælo cælestis in fasciculos illa flammis ultricibus danda colligi præcipiet. Quorū tamen austeritatem si semel degustauerint autoritates illæ supremæ, pontificum nempe, & principum, ad imponendum scelicem concilio œcumenico exitum excitabuntur, quod superioribus his annis Tridenti inchoatum, nescio quō sinistro augurio defecit, sic ut ex illo nequiuertit consummari. Excita tandem, quæso ô Christe, spiritum tuum in iis, penes quos summam rerum esse finis, ut huius instinctu prospiciant Ecclesiæ tuæ rebus propè accisis, & domus tuæ curent decorem, nec prius ab incepto reuocent manum, quàm olim perditam drachmam, accensa lucerna, euersis omnibus inuenerint reddiderintque (ueritatem autem dico) uitæ, doctrinæ & iustitiæ. Cum itaque ex eiusmodi commentationibus, tam salubre reipub. & uile pharvacum expectetur, uobis omnibus catholicis, qui uerissimam cicatricem Christi animo corporæ speciem circumfertis, quique supremis studiis, sanctam Hierusalem sponsam Christi electam, restituere, illi, strare, sinēsque illius propagare pulsos omnibus errorum fucis, contenditis, hunc laborem Guillaudi nostri, nuper rebus humanis exempti, olim apud Heduos

1. Reg. 16.

Math. 13.

4. Reg. 2.


Math. 20.

Math. 13.

Apocal. 21.

Canonici & symmista nostri : uobis, inquam, hunc laborem, tot malis popula-  
 riter hodie grassantibus, tam necessarium, sacra Theologiae facultas publico edi-  
 tionis honore dignissimum censuit. Neque parum profecisse se existimabit, si ex  
 his uigiliis auxilia, argumentaque defumatis, quibus e Gallorum finibus hare-  
 ses propelli possunt, restorere ueritas, & inanes fabulae, & contentiones exu-  
 lare, quae ad nihil aliud ualent quam ad seditiones. Accipite igitur, Ca-  
 tholici Christiani, tum uerò imprimis o uos Heduoꝝ ciuitatis an-  
 tiquissimae habitatores, has Guillaudi alumni uestri lucubra-  
 tiones, rei Ecclesiasticae, totique aded orbi profuturas. Ibi  
 enim docti pariter & indocti habent quo delectentur,  
 quo se aduersus pestilentem malorum rabiem iu-  
 uent, protegant, tutentur. Luceat ueritatis  
 lumen in Sion, & agnoscatur uerus zeli  
 caminus in Hierusalem. Christus,  
 qui uentis, procellisque im-  
 perat, hoc ut breui con-  
 tingat, faxit,  
 Amen.

EIVSDEM THEOLOGI AD  
 CHRISTIANAE THEOLOGIAE  
 studiosos exhortatio.


 Visquis ades, qui sacra cupis libamina Patri,  
 Donaque caelesti mystica ferre Deo,  
 Siste pedem, sacris Guillaudus neetare multo  
 Ex Saluatoris fontibus haurit aquas.

Haurit aquas dulces, caelesti nobilis ortu,  
 Inque alueo nusquam deficiente fluit.  
 Ex huius qui potat aquis, mox effluit aluo  
 Aureus ad Christum fons salientis aquae.  
 Inspice, quae veterum caelestia carmina uatum,  
 Quidquid apostolica cernitur arce domus,  
 Haec docet hic prudens, felici Claudius arte,  
 Diuinumque poli culmen adire facit.  
 Hic tibi (ne dubites) ueracis Apollinis ora,  
 Ora Palestini crede parata chori.  
 Hic in fonte bibens, sies de stercore gemma,  
 Ex scorto uenies reddita sponsa Dei.

Non

Non alio melius gaudens occurrit Iesus,  
 Non aliis magis est peruius ipse locus.  
 Si quid facis habes, Christi uis ignea purgat:  
 Impurum quid habes? purius igne coquit.  
 Hic Abisag flagrans, Davidis corpus inane  
 A mplexu casto, calcacit ipsa suo.  
 Has dotes Musis, supplex Phæboque requires  
 Ne quicquam, proprias quas Sunamitis habet.  
 Ac uelut hic fons est caelestis originis: ex hoc  
 Sic hunc diuinum qui bibit, ipse facit.  
 Frigida sunt quae quis terra de fontibus haurit,  
 Mixtaque Parnasi plurima facis habent.  
 Oblectant animos, Heliconis flumina gustu,  
 At nil quod mentem suscitet, intus habent.  
 Demulcent tantum fallacis suauia mundi,  
 Sed sacer hic nullus roborat intus amor.  
 Qui bibit ex illis, rursus, siti, & mala fama  
 Precipitat captos, funere cuncta premens.  
 Ergo age, dispicias purgata volumina labe,  
 Praestabunt tutas ad pia sacra uias:  
 Horum praesidio sanctorum sancta parabis,  
 Et referes celso digna trophaea Deo.



MAXIMILIANVS GVILLIAVDVS  
CABILONENSIS CHRISTIANO  
LECTORI S.



VILLIAVDI tui, lector Christiane, alia non pauca magnarum uigiliarum opera, annis superioribus, in tuos usus apparuerunt. Is enim, ut erat publicæ utilitati natus, cum ascitus fuit & inauguratus à sanctissimo Theologorum Parisiensium collegio, cui semper maximum honorem habendum censuit, non gloria tantum, neque desidia existimauit sibi portum hinc esse constitutum: sed otij honesti, in quo esset tamen minimè otiosus. Quæ enim tanta illa est licentia, doctrinæ excellentis gradum in suis titulis ponere, tempus nullum docendo, aut scribendo impendere? Satis quidem à summo illo

1. Cor. 15.

Ephes. 4.

Gentium doctore Paulo (qui se aliis omnibus Apostolis abundantius laborasse testatur) didicerat, doctoris munus, aliæque ecclesiastica officia à Domino non esse ad illum finem constituta: sed ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Itaque assiduis licet concionum, & lectionum laboribus oppressus, à tabula tamen nunquam manum submouebat, nullo alio consilio, quàm ut Reipublicæ Christianæ, iam in peius tum ruenti, dedita opera prodesse posset. Nec euentus expectationi omnino defuit. Nam in hoc studio & opere (in quo nunquam cessauit) mortuus, propter incredibilem in explicandis sacris literis facultatem, atque industriam in effingendis ac formandis ad pietatem hominum moribus, summa cum orationis suauitate uehementiâ, parèmq; uitæ sanctimoniam, triste sui his perditis temporibus, tibi præcipue,

*O quondam nimium felix tua si bona nosti*

*Hedua,* desiderium reliquit. Videre enim mihi uideor

Tob. 5.

honestam illam matronam, quæ Tobia suo ad Gabelum (hoc est, ad eum terminum, in quo concredi nobis à Domino talenti reddenda est ratio) profecto, lachrymans queritur, suæ senectutis sibi, & uiro iam cæcutienti, baculum ademptum. At hinc uidebor fortasse impensius meis fauere. Apparuerunt igitur (ut unde orta est nostra redeat oratio) quæ in D. Pauli Epistolas, quæ in Canonicas, quæ in D. Ioannis Euangelium Commentaria ille scripsisset. Ecce alia nunc in Euangelium D. Matthæi, quæ ab eadem officina quoniam prodeunt, quale id futurum est, quod uel ex vultu, ac fronte promittunt, facile iudicabis. Hoc autem cum in iis fecisset, & successum felicissimum in re diffi-

cillima, ac pulcherrima, illustri omnium commendatione expertus esset, in reliquis adhuc erat facturus, ut opus totum tibi confectum, & ad umbilicum usque deductum daret. Sed rem tantam moriens, ut suam Venerem Apelles, imperfectam reliquit: nec inuētus est qui tam egregio operi uellet succedere, cui non posset accedere. Quare cogitavi interim, qui essem hæres nominis (utinam doctrinæ etiâ & famæ) de iis quæ ad manus meas peruenerant commentariis emittendis, ut lucē intuerentur. Sed quia præclarè hodie cum huiusmodi hominibus agitur, si pro collata in publicum ad cōmunem utilitatē industria, aliquam reprehensionē non ferant: rem totam prius, quæ magni momēti esset, aliis iudicibus uolui probari. Quibus uerò iis iudicibus? Notum est illud summi Philosophi, *ἐπεισος δὲ κείνην κελῶς ἀγνώσκει, ἢ τῶτων ἐστὶν ἀγαθὸς κείτης*. Apelles cum Venerem illam à se pictam laudari à plurimis uellet, considerandam doctis tantum proposuit, quorum iudicia æquo animo ferret, sutoris audaciam ac temeritatem nihil moratus. Hanc ita nos de re sacra commentationem, sacratissimæ facultati Theologorum Parisiensium, eorum scilicet magistrorum, quorum æstimatio & iudicium commune semper totius orbis fuit oraculum, spectandā exhibuimus: ut si isthuc uideretur, ij probatam & approbatam ferrēt. Quamobrem cum ornatissimo, clarissimoque omnium illorum iudicio omne punctum tulisset, paucorum aliorum hominum ineptis, & improbis uocibus, abduci non potuimus à publicæ utilitatis hac procuratione. Sed quemadmodum Aristippus ille, quem teste Horatio,

*Omnis decuit color, & status, & res,*

audiens quendam eiusdem farinae hominem temerè aliis maledicentem, se suarum aurium dominum tacitus esse dicebat: ita & nostris (utinam illi suæ sic possent linguæ) dominari, & manum ad os, ut aiūt, apponere uoluimus. Sepi (ait Ecclesiasticus) aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Rem omnem didicisti, Christiane lector. Accipe nunc, hilari vultu, hanc beneuolentiæ nostræ erga te, & animi testificationem. Tuo autem CLAVDIO GVILLIAVDO gratiam habe. Vale Parisiis, ex Regia Nauarra, Calendis Martij. M. D. L X I I.

Arist. lib. 1.  
Ethic. cap. 3.

Horat. Epist.  
18. lib. 1. ad  
Sæcruam.

Eccles. 28.



CLAVDII ROILLETI  
BELNENSIS  
Ad Lectorem.

**V**i viuens, calamos aquile in sublime volantis  
Excussit, calamo, voce, manu, atque fide:  
Maior ut inuidia, fetus non degener, alti  
Viuac acie sese ferret in astra poli:  
Post fata, angelica referat sub imagine formæ,  
Qui tibi Matthæi voce notatus homo.  
Sic tamen hinc ut bos cornu, leo dentibus, ipso  
Vngue aquila, hoc scripto desinat esse minax.

Euangelium.

**H**anc epigraphen aiunt Græci adscriptam fuisse ab ipso D. Matthæo, apud quos sacrificium & supplicationes pro iucundo & optato nuntio susceptæ, item præmium (quo uerbo Homerus in Odyssæa utitur) quod dari solet latum afferenti nuntium, dicebantur Euangelia, ab eo quod bonum est, & ἀγγέλλω nuntio. Vnde Euangelium bonum nuntium, quale videlicet afferri solet parta victoria, & fuis hostibus. De hac re legitur eruditissimum Budæum, in annotatione Pandectarum, in titulum de officio præfecti prætorio. Tametsi Scriptura in legē & Euangeliū, imo in legē & promissionē (Euangeliū enim pro qualibet promissione gratiæ Dei usurpatur) distinguitur. Nā quicquid in ea legimus, aut requirit aliquid à nobis, & legis nomine ceterum: aut pollicetur aliquid Dei, & promissio recte uocatur. Scriptores tamen, promissiones ἐπαγγελίας ἢ ἀγγελίας uocant. Et nomine Euangelij prædicationē illā Christi, & pacis, gratiæque (quam nobis restituit) publicam & omni creaturæ cōmunicandā, intelligunt, & impletæ promissionis renuntiationē significāt. Quare solidū est dicere, Euangelium significare prædicationem de Christo: qua toti orbi renuntiatur esse saluator ille, & restitutor, qui sui corporis litatione, & morte, omnium in se credentiū peccata expiauit & resurrectione sua credentes conuiuificauit, administrans regnum electorum per spiritum suum: & renouans eos ad pietatem & salutē. Vnde apertissimum est, cur sacri illi quatuor historici Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes, suis historiis nomen Euangelij indiderunt. Quod, quæ memorant, ea nobis manifestant rem omnium lætissimam: nimirum impletas esse in Christo promissiones: ut Iesum Christum agnoscamus, factum à Deo nobis (doctore. D. Paulo. 1. Corinth. 1.) sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem, hoc est unicum illum saluatorem, ac mediatorem omnium hominum: quem promissum sibi, patres, reges, & propheta, tam anhelis votis expectarunt, omnium instauratorem & saluatorem. Nā cum Adamus insigni præuaricatione lapsus, morti cum omnibus suis filiis obnoxius esset, tam corpore quam anima, ei tamen (quanquam obscure) promissum est, & se & suos assertum iri his verbis quæ Deus serpenti dicebat Genes. 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum. Ex his verbis consolationem accepit Adam, Mulierem aliquando futuram, cuius fructu, talis dolus & impostura serpentis, rursus emendaretur, & Adam redimeretur. Hac consolatione sustentabatur Adamus cum suis posteris, vsque ad Noe. Cui renouata est promissio, cum Deus Genes. 9. pactum cum omnibus filiis Noe faceret, & arcum pluuium in signum fœderis poneret, quo generi humano dabatur fiducia, Deum adhuc nobis propitium esse, nec exitium in nos moliri. Atque hoc consolationis genere sustentati sunt homines ad Abrahamum vsque, cui Deus seipsum apertius exeruit, declarans se saluatorem missurum, qui nos rursus liberaret à morte tam corporis, quam animæ, & ipsum Abrahamum habiturum semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Cuius aduentum & tempus ipsi Iacob significauit, qui spiritu afflatus ait, Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, Genes. 49. Deinde aperta facta est Dauidi de Christo promissio, 2. Reg. 7. 1. Paralip. 17. Psal. 89. & 132. Hæc fuerunt nobis miseris sperandi causa. Et saluatorem expectandi, qui nos restitueret. Ab eo tempore omnes prophetae multiphariam prædixerunt, de hoc supramodum exuberanti fonte misericordiæ, nimirum de hoc semine, id est Iesu Christo, quomodo is tandem venturus esset, ut omnes qui in illū crederent, per irreuocabilem illam promissionem, salutem consequerentur: Hoc semen renuntiant sacri historici venisse. Quod nuntiantes iure optimo suis historiis Euangelij titulum indiderunt. Colligamus ex

Euangelium  
quid Græcis

Scriptura legem & promissionē habet.  
Lex.

Promissio.

Euangelium  
quid.

Quare historia de Christo, dicta Euangeliū.

Promissio  
Adamo facta.

Fœdus cum  
Noe factum.

Promissio facta  
Abrahæ.

Dauidi.

Euangelium quid nobis Christianis. his, Euangelium esse expectate diu tandemque exhibitae per Christum salutis re-nuntiationem, publicumque praconium, & bonum nuntium gaudij, & pacis, hoc est sermonem de Christo tollente peccatum seu annuntiante gratiam & con-donationem peccatorum, adeoque serenante & pacante conscientiam, & donan-te spiritum contra carnem & satanam. Ideo Christus venit mitis & mansuetus, Za-cha. 9. Et, ut paucis absoluam, Euangelium est reuelatio secreti, quod multis temporibus fuit ignoratum, & per prophetas praedictum, & per apostolos annuntiatum. Propterea Matthaeus, ut & reliqui, Marcus, Lucas, & Io-annes, suam de Domino nostro, historiam, qua dicta & facta eius (non om-nia quidem, sed quantum satis est ad cognoscendum ipsum Iesum, & Chri-stum, & redemptorem nostrum esse) ordine narrat, Euangelium inscripsit.

Christi offi-cia. Quatuor Euangelistarum historiae, praeter aliis noui testamenti scriptis, peculiari-ter hoc insignita sunt titulo, & solo, quod in his de solo Christo est narratio, quid dixerit, gesserit & passus sit. Et proprie talis historia de Christo dicitur Euangeliu-m. Nam historia dicitur *εὐαγγέλιον*, id est cognoscere seu videre. Historia e-nim (ut autor est Gellius ex Valerio Flacco) earum proprie rerum est, quibus re-bus gerendis interfuit is qui narrat, & ceu hypotyposi quadam omnia quae dicun-tur, veluti oculis contemplanda subiicit. Non enim contenta est rem simpliciter, uti gesta est, narrare, nisi etiam exponat quo loco, quo tempore, & consilio, per quos, & quo modo, gesta sit: denique, & in quem finem. Et haec obseruantur ab ipso Euangelista in narrandis Iesu Christi gestis. Et licet Apostolicae Epistola: iu-rius nomen epistolarum obtinuerint, quod ad certas Ecclesias & fratres scriptae sint, prorsus tamen dicuntur habenturque Euangelice, quia Christi gratia praecipue in ipsis praedicatur. Similiter ut liber gestorum apostolicorum dicatur, Acta Apo-stolorum, quoniam ut per Apostolos regnum Christi fuerit propagatum, narrat, dicitur tamen Euangelium, quod in eo sunt non paucae de Christo Apostolorum praedicationes: & quicquid in eo legitur, id gloriam Christi spirare uidemus. Ro-gabis, quo consilio Euangelista non contenti praedicandi munere, scriptis etiam praedicationem de Christo Iesu, quam ore suis temporibus passim vulgabant, ad posteros transmittere uoluerint? Neminem pium latere crediderim, Euangelistas, cum non contenti praedicandi munere, uoluerunt praedicationem de Iesu ad po-steros transmittere, uos fuisse consilio, & tali, quod instinctu spiritus Christi ad propagationem Euangelij Dei (cuius erant ministri) faceret. Scilicet prouidit Spi-ritus sanctus fore post Apostolorum dormitionem, ut instinctu fatanae, multi ad uitandam Christi doctrinam & fide adulterina dogmata, & inania somnia mor-talibus sub Christi nomine obruderent: ideo ut certa constaret in Ecclesia Dei de Christo doctrina, curauit primum ut historico modo Christi natiuitas, uita, do-ctrina, miracula, mors, sepultura, resurrectio, & in caelos ascensio, adhuc & Euā-gelicae legationis in totum orbem missio, postea & Euangelicae doctrinae Christia-naeque fidei progressus, item declaratio & confirmatio, per eos, scriptis mandarē-tur, ne post ipsorum tempora, occasio esset ministris satanae: conficta & adulteri-na dogmata, fidelibus Christi obrudēdi: ut si quid tale tētaretur, fidelibus prom-ptum esset, ad eorum scripta recurrere, de quorum autoritate & fide certi essent, quod Spiritu sancto doctore & magistro usi, praeterquam quod auriti & oculati testes, actorum & dictorum Christi certissimi fuissent, quae de Christo cognoscē-da & credenda essent, literis mandarint. Obserua. In sacris literis, Euangelium uario nomine nuncupatur. Virga directionis & regni, Psal. 44. apud Esaiam. 9. Lux magna. Item uirga oris domini, & spiritus oris & labiorum, Esa. 11. Et per-cutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Sic & 2. Thessal. 2. Quem dominus interficiet spiritu oris sui. Item uirtus Dei, Rom. 1. Euangelium non erubescit: uirtus enim Dei est, &c. Vocatur clypeus ignitus, Pro-

uerb. 3. Aqua, Ioan. 4. & 7. eod quod in actu persecutionis nos refrigeret. Vinu, eod quod exhilaret, pacificans conscientiam. Lac, eod quod nutrit, cresceretque fa-ciat paruulos usque ad cibum solidum, quo plane intelligitur Christus, Esa. 55. & 1. Pet. 2. cap. Lucerna, Psal. 118. Lumē, Psal. 118. Vox, Ioan. 10. Illas quoque me oportet adducere, & uocem meam audient. Margaritum, quo nihil precio-sius, quod Christus uerat proiciendum ante porcos. Gladius acutus, Ephes. 6. Sermo crucis, quia offendit & mortificat carnem. Stultitia, quia pugnat cu carnis sapientia. Sunt & alia nomina huiusmodi, quae studiosis legentibus sacras literas nota sient. Obserua. Matthaeus historiam Euangelicam nec prophetiam uocauit nec aliud simile, sed rem nouam nouo uocabulo signauit, quemadmodu & Chri-stus Apostolis uocabulum inuouarat.

Secundum Matthaeum.

Matthaeus, qui & Leui a Marco, 2. cap. & Luca. 5. cap. appellatur, Alpei fuit filius. Qui cum *πρωτος* esset, a Domino (qui deploratos homines & peccatores uo-catū uenerat) accitus est ad munus tu praedicandi, tum etiam describendi Euangelij. Cuius cum ipse Spiritus sanctus sit author, est proculdubio Matthaeus, ipsius Spi-ritus organu, ac ceu amanuensis, dicens cum Dauide, Psal. 44. Lingua mea calamus scribae uelociter scribentis, & cum Paulo, Rom. 15. Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non effecit Christus in obedientiam gentium. Accepta condi-tione, uolens ac gaudens dominum studiosissime est sequutus, a quo prima fidei ueraeque religionis elementa didicit, Christi auditor diligens, operumque mirifi-corum eius spectator sedulus & industrius. Passiois denique eiusdem, resurrectio-nis, & ascensionis in caelum, obseruator fuit fidelissimus. Posteaquam uero spi-ritum Christi accepisset in die Pentecostes una cum designatis undecim apostolis, delegatum sibi ministerium exequutus est. Initio quidem uiua uoce, sicut & alij Apostoli Domini, Euangelium Iudaicae genti praedicauit. Deinde uero, quando uisum est Domino aliis nationibus per orbem praedicari Euangelium, primus Matthaeus, quod hactenus uiua uoce annuntiauerat Euangelium, non sine Domi-ni iussu & inspiratione literis commendauit, inque Hebraeorum gratiam, He-braica lingua descripsit, ut author est Papias, referens Pantaeum uenisse ad Indos, & inibi reperisse, quod Bartholomaeus Apostolus prima fidei semina sparferit, & Matthaei Euangelium Hebraicis scriptum literis dereliquerit, quod ille Alexan-driam derulerit. Huic subscribunt Eusebius & Hieronymus. D. Athanasius & Eusebius in Chronicis indicant, Euangelium hoc a Matthaeo editum esse octauo aut nono anno ab ascensione Domini. A Iudaea in Aethiopiam profectus, Euā-gelium praedicauit, & plures ad fidem conuertit. Tantae autoritatis in Ecclesia Domini a temporibus Christi fuit hoc Matthaei Euangelium, ut inter prima, & primo loco, semper sit collocatum. Denique & ab ipsis Domini Apostolis expo-situm. De Iacobo enim fratre Domini refert sanctus Athanasius, quod Euangelium secundum Matthaeum Hierosolymitanae Ecclesiae enarrauerit. Et de Bartholomaeo Apostolo testantur historiae, quod ipsum summa fide exposuerit Indis.

Clypeus ignitus. Aqua. Vinum. Lac. Lucerna. Lumen. Vox. Margaritum. Gladius acutus. Sermo crucis. Stultitia. Euangelium nouum uocabulum, sicut Apostolus. Matthaei cognomen & officium. Christi apostolatus. Euangelij author. Matthaeus organu spiritus. Calamus Spi-ritus sancti. Matthaeus gestorum Christi testis.

Euangelium primus scripsit matthaeus.

Paterius Mat-thaei Euange-lium hebrai-cum Alexan-driam tulit. Matthaei Euā-gelium, quā-do scriptum. Autoritas Euangelij Matthaei.



✠ Sacrosanctum Iesu Christi

† Euangelium secundum Matthæum.

In Caput primum Argumentum.

*Enumerantur à quibus Christus genus duxit. Maria concepit filium de Spiritu sancto. cuius mysterij Ioseph sponsus fit certior.*

*Id est liber continens bonū siue iucundum nuntium aduentus Christi, cuius scriptor fuit Matthæus.*

CAPVT PRIMVM.

Luc. 3. e.  
Genes. 1. c.  
2. d.  
Genes. 2. g.  
38. g.  
1. Paral. 2. a.

56. dist. 2a.  
Dominus.

Ruth. 4. d.  
4. Reg. 2. 4. c.  
2. Paral. 36. a.  
2. Paral. 3. c.

27. q. 2. cap.  
Genuit.

2. Paral. 36. a. b.  
2. Paral. 3. c.

27. q. 2. cap.  
priusquam  
& seq.

Deut. 2. 4. a.  
2. q. c. Si peccauerit.  
Christi generatio secundum carnem.  
17. q. 7. c. qui desponsata.  
Luc. 1. c.



**L**IBER generationis IESU CHRISTI<sup>a</sup> filij Dauid filij Abrahā. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autē genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naafon. Naafon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Afa. Afa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosias. Iosias autem genuit Ieconiam & fratres eius<sup>c</sup> in transmigracione Babylonis. Et post transmigracionem Babylonis Ieconias genuit Salathiel. Salathiel autē genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autē genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autē genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est IESVS qui vocatur<sup>e</sup> CHRISTVS. Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad transmigracionem Babylonis generationes quatuordecim. Et à transmigracione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim. Christi autem generatio sic erat, Cùm esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est<sup>f</sup> in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini appa-

<sup>a</sup> Filius, pro eo qui genus ducit ab aliquo.

<sup>b</sup> Hic o-mittuntur tres Reges Ochosias filius Ioræ, Ioas & Amasias, Hieron. <sup>c</sup> In exilio babylonico: uel, postquam demigrati est babylonem. <sup>d</sup> Alius est: Zorobabel iste filius Salathiel ab eo de quo. 1. Paral. 3. qui fuit filius Phadaie filij Ieconia. <sup>e</sup> Christus Græcum: Mefsia, uel Mefchiah, Hebræum: vnctus Latinum. <sup>f</sup> Id est, prægnans & grauida.

ruit in somnis Ioseph, dicens: Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filiū, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictū est à Domino per prophetam, dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Exurgens autē Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Et vocauit nomen eius Iesum.

Liber generationis.



Iametsi Euangelista Matthæus non tantum de generatione Iesu Christi, sed etiam de ipsius vita, doctrina, miraculis, morte, ac resurrectione, historiam texere instituerit. voluit tamen hunc titulum seu propositionē præmittere: idque more Hebræorum. Ita & Marcus incipit: Initium Euangelij Iesu Christi. Et Genes. 1. c. In principio creauit Deus cælum & terram. In quo excitat animos omnium credentium, præsertim Iudæorum (ex quibus Christus secundum carnem) vt præsentem historiam maiori cum voluptate audiant, legant, excipiant. Huius exordij sensus est, Quem lex & prophete promiserunt, & annuntiauerunt, Iesum, hoc est saluatorem, & Christū, hoc est æternū regem, quod is iuxta diuinā promissionem ex Abrahā & Dauide oriri & descendere deberet, hunc ipsum in hoc libro describo, uidelicet quod iam natus sit, & homo factus, & mundo iam uenerit: hoc ego per totum hunc librum tracto. Quid quæso homini iucundius & suauius auditu contingere potuit? Hic liber non generationem illam æternam & ineffabilem, de qua Esaias 53. cecinit, Generationem eius quis enarrabit? sed incarnationem Iesu Christi prædicat: quomodo carnem Deus, & nos Deum induamus. Ea enim deum absoluta est incarnatio, seu fructus denique eius conspicuus erit, si nos ipsi uerbo incarnemur, hoc est insituij simus. Moles generationes Adæ, qui genuit filios iræ & mortis, deliniauit: at in Euangelio, Iesu Christi generatio (cuius spiritualis proles filij Dei, atque ad eū uitæ sunt) describitur. Proinde paulò attentius ac propius utramque generationem contemplemur. Ab Adamo propagatum est peccatum in omnes homines, & per peccatum mors, doctore D. Paulo, Rom. 7. Vnde facile cognoscimus totum Adam, id est totum hominem, secundum carnem nasci filium iræ, & esse peccatorem. Nam posteaquam in Adamo gratia Dei excidimus, ipsi sapientiæ successit ignorantia, ueritati error, & mendacium: pietati impietas, iustitiæ iniustitia, & amor Dei amor uanissimarum creaturarum. Ad hæc uitæ successit mors, quæ ad eū insanit, & in nos peccati captiuos seuit, ut adspirare ad bona meritoria nullis solis uiribus nostris possimus. Nam sine me (dicit Veritas) nihil potestis facere. Quo fit ut sentiamus in nobis ipsis, hoc est in carne, legem peccati, legem membrorum. Atque ad eū peruagans est peccatum, ut prorsus carnem absorpserit. Exuamus hunc ueterem hominem, & legamus liberū generationis Iesu, id est saluatoris, ut adoptemur in filios Dei. Legamus autem filium Dei carnem induisse, id est factum hominem esse, atque à genere hominum peccatum in se transfuisse, ut nos peccato dominemur, non peccatum nobis: id est ut orientur in nobis boni adfectus quibus peccatum euellemus, consecretantes & contradentes nos Iesu Christo impertienti credentibus spiritu iustitiæ,

Hebræorum mos in inchoandis libris.

Generatio filij dei duplex. Incarnatio absoluta. Generatio carnalis & spiritualis.

Adami generatio.

Ruina & morbi in nos ab Adamo.

Ioan. 15.

Filius Dei caro factus.



Obserua. More prophetarum Matthæus historiam Euangelicam ingreditur: Si- quidem Prophetæ à titulo exordiuntur, Visio Esaie filij Amos. Verba Hieremie filij Helciæ. Ita liber generationis, &c. Estque nominatiuus absolute positus, liber generationis, &c. ne afflicteris quærens uerbum quod subaudiri potest. Intelli- gito, ac si Matthæus diceret, hæc est genealogia siue descriptio generationis Iesu Christi: siue, hæc est series prosapia Iesu Christi. Obserua. Hebræi generationes in plurali dicunt, & propagationem & eius euentum significare: ut in plerisque ue- teris testamenti locis. Et sic in hoc loco, si pluraliter dicatur, liber generationum, & Christi natiuitatem & eius actiones designaret.

Iesu.

Hæc uox Hebræis dicitur Iesuah, Græcis *Ἰησοῦς*, Latinis Iesus. Et teste An- gelo interpretatur Saluator. Iesuah enim apud Hebræos salus dicitur.

Christi.

Hoc uerbo occupat. Ne fortassis obicerent hoc non satis propinquum esse ar- gumentum, quod hic Messias sit, quod uocatur Iesus, cum & alij hoc nominis ha- buerint, addidit Christi: quo nomine non solum maiestatem Iesu Christi, sed & humanitatem indicauit, ut duplicem naturam in una hypostasi, id est in uno sup-posito siue persona, hoc est in filio, diuinam scilicet & humanam esse unitam ostē- deret. Regium planè & pontificale est hoc nomen Christus: Christi que diceban- tur Reges, sacerdotes & prophetæ: quod oleo è cornu in capita ipsorum distillate ungerentur, in munus & officium, uel Regium, ut Saul à Samuele. 1. Reg. 10. & Dauid. 1. Reg. 16. aut sacerdotale, ut Aaron, Leuiti. 3. aut propheticum, ut Heli- seus. 3. Reg. 19. Quia ergo Iesus uerè contra Satanam, & eius assecclas regnauit Rex, & seipsum deo patri uerum sacrificium obtulit, atque Sacerdos & uerè pro- pheta à prophetis prænuntiatus est, iure Rex, sacerdos & propheta dici meruit.

Qui & unctus est præ participibus suis. Et quem (ut ait scriptura) unxit pater Spi- ritu sancto missio de caelis. Alij ut mortales & corruptibiles ungebantur: hic ue- rò Rex & sacerdos in æternum. Quare uerè Messias appellatur, quod totius pro- pheticæ, sacerdotalis & regie dignitatis eminentia diuinitus sit insignitus. He- bræis dicitur Messias, qui Græcis *Χριστός*, & Latinis unctus uocatur. Aduerte. Hæc appellationes Iesu Christi, finalè usum huius generationis ostendunt. Ideo enim natus est Christus ut seruet & regat. Nobis enim natus est homo, nobis datus, ut peccatricem nostram natiuitatem expiaret. Et hoc insinuat Matthæus, dum suam exorditur Euangelium à genealogia Christi, ut nos certos faciat de eius huma- nitate, in qua natus est Christus filius Dauid secundum carnem, quod nobis in car- ne damnatis succurreret.

Filij Dauid filij Abraham.

Dubiam & ambiguam reddit hanc orationem dialectus hebraica, utrum ue- lit Christum filium esse Dauidis & filium Abraham. Vt ut, non mutetur sensus. Puto tamen ita legendum, ut Iesum Dauidis simul & Abraham filium prædicari intelligam. Rogabit quispiam. Quid refert memorare Christum uenisse ex Abra- ham & Dauid, ipsūque esse promissam illam diuine expectatam ac germanam & Abraham & Dauidis sobolem? Respondeo, ut lectorum auditorumue animi mox ab initio imbuerentur cogitatione de ipso, quem authorem uitæ ac salutis a- gnoscere, magna est felicitas. Deinde, ut Iudeorum animos attētiore in patrum catalogo (quem subiicit) expendendo reddat. Tertio, quia alius fuerat Iesus cele- bris, filius Naue, non de tribu Iuda, multis seculis ante Christum, qui post Mo- sem ducatum populi Israël suscepit, & militauit. Dauidis & Abraham meminuit, ut ostenderet hunc Iesum esse Christum, qui Abraham & Dauidi promissus esset, & expectatus ille sanctorum Rex, cuius nomen uocandum, Dominus iustus noster,

Vfus gene- rationis Christi nar- ratæ ex Abra- hamo. Iesus filius Naue. Christus cur Dauidis & Abraham non autē aliorum narratur fi- lius.

Hicre. 23. Proinde non est promissus Nachor aut Haram fratribus Abraham, sed ipsi Abraham. Promissus deinde non tribui sacerdotali aut ulli alteri, sed tantum Dauid & Regiæ tribui: ut doceret Spiritus sanctus, Leuiticum sacerdotium non duraturum esse ultra Christum, sed futurum sacerdotem de tribu alia, scilicet Dauidis, ut eruditè disputat Paulus ad Hebræos. Ostenso itaque quod Christus Rex & sacerdos de tribu Iuda uenit, funditus evertitur sacerdotium Leuiticum. Qua- re prorsus falsum est, quicquid Iudæi de sacerdotio suo Leuitico, quasi æterno, gloriantur, cum Christus Rex & sacerdos, etiam si (qualem falso putabant) uen- turus esset, tamen Leuiticum eorum sacerdotium tolleret, & ei succederet, quia scriptum est, Tu es sacerdos in æternū. Statim ergo à principio uoluit Matthæus docere Iudæos, cessasse eorum cultum, sacerdotium & regnum, dum statim indu- cit illum hominē Iesum à Nazareth (qui haud dubiè uenerat ipsis non solū scien- tibus, sed ipsum quoque crucifigentibus) esse Christum filium Dauid filij Abra- hæ. Matthæus hoc loco securè præposuit Iesum Nazarenum esse ex tribu Dauid filij Abraham tanquam receptum, & ipsis Iudæis ex ipsorum genealogiis cognitū: ad eò, ut si Euangelistæ nullas texuissent generationes, tamen certum fuisset apud Iudæos Iesum esse de tribu Dauid filij Abraham. At hoc ipsum urget, quod hic Ie- sus, sit Christus ille, quem expectabant. Cum Matthæus promissionem Adæ fa- ctam, de semine mulieris, Genes. 3. non urgere nihilque Iudæos mouere intelli- geret, quod hæc promissio est extra hunc populum: maluit hos solos duos patres Abraham & Dauid, quibus in isto Iudaico populo facta est promissio, allegare, ut ipsos urgeret ceu hæredes promissionis, & suauiter moueat ad recipiendum sibi promissum Christum simul & hunc esse Iesum istum ab eis crucifixum. Rogabis: Cur hos Abrahamum & Dauidem Christo patres adscribit? Respondeo. Hebræi pro more habent ex patribus filios nominare, ut Visio Esaie filij Amos: ita Mat- thæus Christi patres adiecit. Responsabis forsitan: variat Matthæus à vulgari cō- suetudine, quod proximum patrē non addit, id quod aliās fieri solet. Respondeo. Quod uariarit, & proximum patrē non addiderit, in causa est, quod Christus non sit ex uiri semine conceptus. Rogabis. Cur Dauidem natu minorem Abra- hamo præponit? Respondeo. Mos gentis fuit iuniores primū recensere. sic in genealogiis *πατρὶα μὲν*. Deinde quod promissio facta Dauidi, ut erat uici- nior tēpore, ita habebatur quoque populo illustrior, ac memorabilior, cum propter dignitatem regiam, tum propter promissiones ipsi factas multiples, ac perspi- cuas: unde Christus cognominari iam vulgò cœperat, filius Dauid, ut infra 15. cap. Mulier illa Cananæ: rursus cæcus ille secus uiam, Luc. 18. deinde infra 21. populus excipiens cum ramis Christum ingredientem Hierusalem: denique & dæmones, quum Iesum uellent confiteri Christum, filium Dauidis appellabant. Iudæi quoque rogati, infra 22. Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Di- cunt ei, Dauid: & Ioan. 7. dicebant, Nonne è semine Dauid, & de Bethlehem castello, ubi erat Dauid, uenturus est Christus? Huic causam dederunt prophetiæ uiciniore Isaie. 11. & 55. Ieremie. 23. & 33. Ezech. 34. & 37. Osee. 3. ac pleræque aliæ, in quibus Christum sub nomine uel Dauidis uel germinis eius promissum legimus. Hos ergo sequuti Israëliti, quem expectabant Christum, Dauidis filium vulgò nominabant. Unde uidetur, ad hunc modum loqui Matthæus, Illum i- psam Dauidis filium, uobis præsentem libro nunc exhibitum, annuntio, o sancta Abraham soboles, gens Iudaica, quem olim Deus Dauidi se daturum promissit, quem uos hæcenus tanto desiderio expectastis, uobisque liberatorem mitti postu- lastis. Proinde hos cognominat, Abrahamum & Dauidem, non tam quod Iudæi hos ut sibi præcipuos haberent, quàm quod de Christo nulla facta sit manifestior promissio quàm Abraham & Dauidi, Genes. 22. In semine tuo benedicentur om- nes gentes: & Psal. 131. Iurauit Dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur

Christus re- gie tribui promissus tantum, nõ Leuiticæ.

Iudæorum error. Leuiticum sacerdotium non est æter- num.

Receptissi- mum Iudæis Messiam esse ex Abraham & Dauidem.

Promissio Adæ de Messia.

Cur Abraham & Dauidem Christo patres adscribit.

Cur proximi- mum patrē Christi non addit Matth. Cur Dauid Abrahamo præpositus. Promissio Dauidi facta celebris.

Christus à vulgò pas- sim audiit, Filius Dauid

Psal. 131.



Christus rex & pater multarum gentium. **Christus, Rex est: & quatenus ex Abrahamo, pater multarum gentium est.** Regnat super nos, quia Satanam, humani generis hostem, uicit, dans se pretium pro toto hominum genere, & vincendo adoptauit nos in filios. Vicit autem cruce: Nec unquam poterit aliquis filius dei fieri, nisi uirgine cruce genitus sit. **Obserua.** Filium uocat nepotem, quemadmodum uocant fratres Hebraei, non solum iisdem prognatos parentibus, sed & aliis ex eadem generis serie propagatos. **Obserua** Euangelistam, in scribenda hac Iesu Christi secundum carnem genealogia, uoluisse morem populi Iudaici utcunque seruare, ne uideretur forte generationes uel negligere, uel omnino falsas reputare, & ita autoritate librorum scripturae, Regum & Moysi contemnere, in quibus generationes huiusmodi studio uidentur describi.

Filius. Fratres.

Abraham genuit Isaac.

**Genealogie Christi partitio. Patriarchae. Reges. Duces.** Matthaeus in hoc catalogo, duos & quadraginta consanguinitatis ramos recenset ab ipso Abrahamo usque ad Christum, quos trifariam partitur: Nempe in Patriarchas ab Abrahamo usque ad Dauidem: Reges à Dauide usque ad transmigracionem Babylonis, & Duces ac in eos, in quibus iam decrefcebat Dauidis familia, à transmigracione usque ad Christum. Hanc itaque describēs genealogiam, quum ad Ioseph peruenit, mutat linguam, nec dicit, Ioseph genuit Christum, sed ita, Iacob genuit Ioseph, maritū siue uirum Mariae, ex qua natus est Iesus qui uocatur Christus. Ab Abrahamo exorditur, quod Abraham pater Hebræorum fuerit, & quod ipse primus promissiones acceperit, quoniam in semine eius benedictio essent omnes gentes. Christus hoc ipsum semen est, in quo omnes benedictionem accipiunt. Virget ergo confiteri, Iesum esse Christum, quod (in Isaac adumbratus) ex Abrahamo descenderit secundum carnem. **Obserua.** Matthaeus non meminit Ismaëlis, aut aliorum ex concubinis natorum, tum quod Iudæi non gloriantur se ab illis genus duxisse, sed ab Isaac: tum quod promissio non in illis, sed in Isaac, Abrahæ facta fuerit, Genes. 21. In Isaac uocabitur tibi semen. Proinde, nihil te moueat, quod hic ab Abrahamo Christi genealogiam commemorare cœperit Matthaeus, quam Lucas deducit usque ad Adamū. Nam Lucas latius uagatus, ueluti gentibus omnibus Christum communem facturum, deducit genus Christi usque ad Adamum, cui est prima de Christo facta promissio pro omnibus gentibus, non tantum pro semine Abrahæ. Sicut igitur Matthaeus probare uult Christum uenisse Iudæis secundum promissionem Abrahæ & Dauidi factam, ita Lucas uult ostendere eundem Christum nō ad solos Iudæos pertinere (ut ipsi odio & inuidia cæci cogitant) sed etiam ad ipsum Adam & semen eius, id est ad omnes gentes totius orbis. Id quod postea omnes prophetae clamant. Et idē testatur illa ipsa promissio Abrahæ facta, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Neminem excludit siue Iudæum, siue Græcum, siue seruum, siue dominum: Nōne & gentium Deus? an Iudæorum tantum? **Obserua.** Abraham filius Thare fuit, & interpretatur pater multitudinis, sic nominatus à Deo, cum prius Abram diceretur, Genes. 17. cap. Isaac uerò interpretatur risus, gaudium.

Genealogie Christi partitio. Patriarchae. Reges. Duces.

Cur ab Abrahamo incipit genealogia Christi

Cur Matthaeus non meminit Ismaëlis in genealogia.

Cur Lucas usque ad Adamū, Matthaeus ad Abrahamū genealogia protendit.

Rom. 9.

Isaac primo genitus.

Iacob primo genitus.

Dilectum à Domino, & ad primogenituram uocatum (ut ut caro ipsum Esau duxerit primogenitum) adducit, subindicās uerbo, genuit, ipsum Iacob esse promissionis filium, à quo descēsurus esset Christus. Quemadmodū enim Isaac non solum suscepit hereditatē paternae fidei, uerum etiā non tam usu naturae, quam dono gratiae prouenit hoc ipsum, quod genitus est: ita etiam in Iacob, cui primogenitura cōtigit, non natura sed dono & gratia dei. De more enim primogenitus erat Esau: sed, ut ait Paulus, Rom. 9. non qui filij carnis, hi filij dei, sed qui filij

sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim uerbum hoc est, Secundum hoc tempus ueniam, & erit Sara filius. Non solum autem illa, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondū nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. **Obserua:** Iacob interpretatur supplantator.

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.

Iudæ & fratrum eius, non autem fratrum Isaac meminit, propter gentis Iudaicæ honorem. Nam ex Iacob duodecim tribuū Israël primores geniti sunt, & unus Israëliticus populus ad duodecim radices referebatur. **Obserua.** uariat Euangelista à cæpto loquendi modo, nō dicit: Iacob genuit Ruben, qui fuit eius primogenitus: sed genuit Iudam, qui fuit quartus post Ruben, taceas primogenituram, & sacerdotium primogeniturae annexum. Quod mos ille antiquus, qui primogenitis sacerdotium dabat, non solum antiquatus est in generatione & filiis ipsius Iacob patriarchae, sed etiā prorsus cessauit, quandiu fuerat Israëlita in Aegypto (ubi uenditus est innocens Ioseph) donec clamantibus illis ad dominum, Exod. 5. Eamus & sacrificemus Domino, surrexit Aaron frater Moyfi de tribu Leui, quā tribum dominus dedit pro cunctis primogenitis filiorum Israël. Et Leuitas uoluit ac ordinauit sacerdotes, & ministros sanctuarij pro cunctis primogenitis, donec aduentaret ille unicus & uerus primogenitus & unigenitus filius hominis, in primogenitis adumbratus, sacerdos magnus, non ex ordine Leuitico, quem ueniens in mundum prorsus antiquauit, sed ipse Melchisedec, de quo scriptum est, Psal. 109. Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec. De quo abundē & copiosē scripsimus in 7. cap. ad Hebræos. Proinde ex his sanctis Dei seruis Abrahamo, Isaac, & aliis, idē Matthaeus prædicat Iesum Christum descendisse, ac genus secundum carnem ducere, ut recipiamus illam nostrae salutis autorem Iesum Christum. Qui illis ut diuinitus promissus, ita ardentissimē fuit expectatus, beatōsque ac felices nos existimemus, quibus data est huius ueri Messiae cognitio, quam multi reges & prophetae percipere oprarunt, & non potuerunt, infra. 13. & Luc. 10. cap.

Iudas autem genuit Phares, & Zaram, de Thamar.

Notissimus est Iudæ cum Thamar congressus, ipsiusque Thamaris partus, ex 38. cap. Genes. His significat Matthaeus Christum etiam ad gentes pertinere. Gemelli ex unico Thamaris partu duos adumbrabant populos, Iudaicum & Gentilem. Zaram prior protendit ex utero manū, quam obstetrix coccino cinxit. Hæc cum ille retraxisset, Phares prior clapsus est. Iudæi priores erant, legem testē promissionis habentes, qui cum manu retrahunt, hoc est Christo excidunt, nos Gentes erumpimus. Roma 11. Diminutio Iudæorum diuitiae Gentium. Et inibi, Cœcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret. **Obserua.** Thamar ad illum cum Iuda congressum libido non animauerat, utpote quæ antè & post illum conceptū uixerit integerrimè, ut abundē testatur scriptura, Genes. 38. cap. sed desiderii prolis suscipiendae, ex qua nasciturus erat Messias, eò illā depulit, ut nihil non fecerit ac posthabuerit pro suscipiendo semine, Iudæ genus & posteritatem conseruante. Ad hæc negligebat Iudas dare promissum Sela in uirum, qui mortuo fratri iuxta legem semen suscitaret. Agnoscebat itaque se delusam, quod Iudas non præstaret, quod receperat, uidelicet, quod nuberet Sela fratri mariti defuncti iuxta legis præscriptum, Thamar, prolis nimium cupida, & uerita, ne prole careret, ex qua Messias nasciturus esset, dolo suffurata est concubitu Iudæi socris sui. Hæc, posteaquam Iudas agnouit, mox respondit, Genes.

Promissionis uerbu Abrahæ facta.

Primores 12. tribuum ex Iacob.

Sacerdotium legis naturae mutatum in Iacob.

Leuiticū sacerdotium.

Christus promissus & expectatus à patribus.

Christus etiā ad Gentes pertinet. Thamaris partus geminus. Zaram.

Gentium diuitiae.

Quid mouit Thamar cum Iuda cōgredi.

Deut. 25. b.



Thamaris & Iudæ cogrefus illicitus. 38. Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. attamen ultra non cognouit eam. Sed res gesta non vacat crimine, ut ut Thamaris scopus bonus fuerit. Tamē latens sub inhonesto testorio mysterium facit ad Euangelij negotium, ut paulò antè diximus, de gentibus quæ eruperunt Iudæis excidentibus. Silentio prætereundum non est, in linea quæ ad Christum pertingit, quatuor mulieres à scriptura reprehensas supputari, videlicet Thamar, Rachab, Ruth, & Bethsabea. Quatuor verò mulieres dextra fama commendabiles, videlicet Saram, Rebeccam, Liam & Rachelem omiffas esse. Quod cur factum sit multi se variis modis torserunt. Puto autem hac ex causa factum esse, quia illæ peccatrices fuerunt, & quòd uoluerit Christus ex magna illa familia nasci, quæ peccatis operata esset, & infamia laboraret, quò testaretur, quid amoris in peccatores haberet. Huc pertinet, quod in hunc locum magnus ille Hieronymus, scribit. Notandum, inquit, nullam sanctarum mulierum assumi in genealogia saluatoris, sed eas, quas scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleat. Hæc indicant, quàm misero peccatori pœnitenti Christus faucat, ad eò ut erigatur & consolationem accipiant miseræ conscientia, dicentes, Ah, Christus eo est ingenio, ut hominum fragilitate peccatorum cum non pudeat, quos etiam genealogia sua inserit. Addit diuus Chrysostomus & ob aliam causam recenteri istas, ne quis ob ignobilitatem generis sui erubescat, cum certum sit omnium rerum dominum infamibus ortum esse maioribus. Annitendum magis, ut quisque suis sese nobiliter uirtutibus. Rursus inter Reges fuerunt, quorum pars probi fuerunt, ut Dauid, Iofias, Ezechias, pars autem maxima improbi & nebulones, ut Saul, Hieroboam, &c. Manasses pœsimus rex erat. Hic prophetas occidebat, & Esaiam ferra in duas partes secari iubebat, ut sacram ciuitatem Hierusalem sanguine ad os usque completeret. Adhuc tamen illud assequitur, ut linea huic admisceatur. Hoc nobis & exemplum & sacramentum est, quòd Christus magno affectu peccatores prosequitur. Obserua. Phares interpretatur diuisio. Zara, interpretatur oriens aut claritas.

Phares autem genuit Efron.

Cœpit hoc loco Matthæus narrare genealogiam patrum, qui nati sunt tum in Aegypto, tum in ipso ex ea exitu, quem in deserto & solitudine habitârunt. Efron genitus natusque est in Aegypto. Interpretatur autē sagitta exultationis. Ab hoc dicti sunt Efronitæ, Numerorum 26.

Efron autem genuit Aram.

Efron in Aegypto genuit Aram. Fuit & alius Aram filius Sem qui Arameos instituit, quos Græci Syros appellant. Inde Syria Hebraicè dicitur Aram. Aram interpretatur excelsus.

Aram autem genuit Aminadab.

Aminadab interpretatur populus spontaneus, siue, populus uouens, filius Aram, in Aegypto: qui in exitu de Aegypto princeps erat tribus Iudæ.

Aminadab autem genuit Nahafon.

Hic quoque natus est in Aegypto, è qua cum patre exiit, & defuncto patre in deserto, fuit princeps tribus Iudæ. Hic Nahafon frater erat Elizabeth uxoris Aaron, Exod. 6.

Nahafon autem genuit Salmon.

Salmon interpretatur pacificus. Dicitur Salma. 1. Paralip. 2. Nahafon quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz.

Salmon autem genuit Booz de Rahab.

Enumeratis patribus, qui in Aegypto & deserto nati sunt, cœpit recensere patres, qui nati sunt post ingressum in terram promissionis. In Bethlehem ciuitate

natus est Booz ex Rahab ipsi Salmon, qui in deserto natus, intrauit cum Iosue in terram promissionis. Hæc Rahab, siue, ut quidam scribunt, Rachab, Cananæa fuit natione, & ciuis Ierichontina, caupona & meretrix. Ea est, quæ hospitio suscepit exploratores missos à Iosue in Iericho, Iosue 2. cap. Responfabit quispiam: Cum lege prohibitum sit, Deutero. 7. ne filij Israël cum alienigenis matrimonium inirent, cuius autoritate factum est, ut hæc alienigena ipsi Booz de tribu Iuda fuerit desponsata? Respondeo. Scopus illius legis erat, ut auerterentur Iudæi ab idololatria, quam alienigenæ exercebant. Quod si alienigena fidelis reperiretur, & aliquid splendidum ac præcipuum in Iudæorum fauorem egisset, facillè eum huiusmodi cõueniebant, & matrimonia ac fœdera inibant. Hæc mulier cum uita & rei familiaris periculo exploratores in Iudæorum fauorem excepit. Quare nobilitatis familiæ principi cõiuncta est. De huius mulieris fide non pauca scripsi in. 4. cap. Iac. Putauerim hæc nominatim memoratâ, ut in ea agnoscamus Christum uenisse, & quod perditum, & iam interneconi destinatum erat, nõ solum à perditione & internecone ereptum, sed summa etiam dignitate exornatum. Feccrat dominus & hanc & ciues omnes Ierichontinos, anathema, præcipiēs filiis Israël, ut eos deleterent funditus, ignique ciuitatē & quicquid in ea erat exurerēt. Hanc tamen non solum anathemate hoc exemit, sed etiam matrē seu auiam suâ fieri uoluit. Meretrix quidē appellatur Iosue 2. & 6. & Heb. 11. sed id nomen accepit, quòd hospita esset, & quippiam mereret ab hospitibus, ut quidam opinantur, ex his quæ illis apponebat, & ex suppellectile diuersorij apposita & communicata. Huic interpretationi suffragari uidetur paraphrastes Chaldæus, uertens Zonah cauponam siue cauponariam. Et translationem sequuti sunt posteriores Hebræi, quòd illa dictio deriuetur à uocabulo, escam siue alimentum significante. Hæc excellenti fide floruit, quæ coniunctam habebant humanitatem ac officiositatem. Lege & obserua historiam Iosue 2. Booz interpretatur in fortitudine filius. Salmon fuit & nomen secundæ columnæ in porticu Salomonis. 3. Reg. 7. 2. Paralip. 3.

Booz autem genuit Obed ex Ruth.

Ruth ethnica mulier erat, Moabitica, uidua & pauper, intacta tamen fama. (nihil enim mali de ipsa legitur) tamen cum ethnica esset, tanquam canis à Iudæis contemnebatur, & coram mundo nausea erat. Tandem quia datum ei fuit patrios deos, paternasque ædes deserere, & in Iudæam uenire, credere fortiter, & diligere cõstanter, meruit ipsi Booz nubere, & inter auias Domini locum habere, nobilitari, & ditari, beneuolentia alioqui, pietatēque erga focrum suam incomparabili, ut in libro eius nomine inscripto legimus. Hæc nobis adumbrat Ecclesiam ex Gentibus alienigenam, & à testamentis ac lege extrariam, oblitam autem populi sui, & cultus simulachrorum, & diaboli, cui adhaerebat, filio dei nupsisse. Obed interpretatur seruus uel operarius. Rabi Salomon, & Chaldæus paraphrastes, putant hunc Booz fuisse Abzan, cuius ætate fames oborta fuit maxima, qua Noëmi cum marito & filiis terram relinquere necessitate compulsæ fuit. Post aliquot annos cum Ruth nuru sua cum rediisset, Booz Ruth uxorem accepit. Mirabitur hinc aliquis, quo modo hoc sibi cõgruat, quòd Rachab & Ruth hinc duabus generationibus coniungantur, quæ tamen secundum historiam fidem propter multos interuenientes annos distinctissimæ sunt. Nam primo anno Iosue putatur capta & uastata Iericho, seruataque Rachab, locata ipsi Salmon. Ac primo anno Iudicis Elon, duxit Booz Ruth Moabitidem, atque inter hos terminos interueniunt anni plus minus 276. Verisimile est, quòd plures fuerint huius nominis Booz patriarchæ, quorum postremus fuit pater Obed. Dominus Lira arbitratr tres huius nominis sibi successisse. Auum Booz ex Salmon, filium Booz, & nepotem Booz, qui genuit Obed ex Ruth. Noluit fortassis Euangelista idem nomen subinde repetere cum fastidio auditorum. Præterea interurbassent

Peccatrices cur in Christi genealogia memorantur.

Christi philanthropia.

Manasses impietas. Esaias à Manasse ex sorore nepote ferra lignea factus.

Aram dux tribus Iudæ in exitu.

Aminadab.

Salmon.

Patres nati in terra promissionis.

Booz in Bethlehem natus. Rahab Cananæa.

Booz circumcui alienigenæ nubere. Lex prohibet dispari eulen copulari, interpretata.

Cur nominatim Rahab genealogia Christi inscribitur.

Rahab unde dicta meretrix.

Ruth ethnica cur vxor Booz. Dotes animæ Ruth.

Ruth ethnica ecclesiam ex gentibus adumbrat.

Fames maxima ætate Booz.

Plures hoc nomine Booz dicti. Booz tres.



institutam tessaradecadem adiuncta plura patrum nomina.

Obed autem genuit Iesse.

Iesse, qui & Isai uocatur, 1. Reg. 16. nominatim meminit Euangelista, ut doceret impletum Esaia. 11. cap. uaticinium, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius. Iesse interpretatur existens, aut oblatio. Hic pater obscurus (vnde & Dauid per contemptum filius Isai uocabatur à Saule) & filij gratia non nihil afflicatus, nominis celebritatem ex filio postea accepit.

Iesse autem genuit Dauid Regem.

Regem uuncupatum Dauidem uocat, quod primus fuerit Rex in genealogia saluatoris. A Samuele unctus est Rex Israël, submoto Saule Rege impio: arcem Hierusalem occupauit, expulso Iebusæo: annis 33. superauit Philisteos: Arcem reduxit in Hierusalem ex domo Aminadab. Omnes finitimas gentes secundum diuinam promissionem subegit, ab Euphrate Mari magno Aegyptum usque. Pace reddita Psalmos composuit. 2. Reg. 5. Ex huius stirpe tota gens Hebraeorum expectabat exoriturum Christum, quemadmodum prädixerunt viri diuino spiritu afflati. De victoriis Dauidis Iosephus lib. 7. cap. 5. cum sequentibus scripsit. Dauid interpretatur dilectus.

Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.

Hæc est secunda tessaradecade, in qua non nisi Reges enumerantur, quemadmodum in prima Patriarchæ & primores populi. Videntur autem hæc transcripta ex primo lib. Paralip. cap. 3. Mortuo filio ex adulterio nato, Salomon Rex pacificus, ac templi domini constructor, genitus est ex Bethsaba quondam adultera: sed vera vxore, quum Dauidi Salomonem peperit. Facebant hinc quidam impietate dicentes Salomonem Mauzet, id est spurium. Non enim conceptus est Vria uiuente: sed post in Regiam vxorem Bethsabe ducta, grandi scelere facta est Dauidi vxor, nimirum Vria marito per dolum occiso. Quod ut notabilius admoneret, & flagitium Dauidis notaret Euangelista, vxorem Vriæ hanc, quam suo nomine Bethsabam, vocare maluit. Simulque & his adumbrare voluit, peccatores à Christo non abiici, nosque non debere erubescere propter progenitores duci, sed eò magis eniti, ut illos nostra virtute clariore reddamus, cum omnes, etiam à sorto nati, sint apud Deum accepti, modò fide & cæteris animi dotibus sint ornati. Tibi studioso apud probos nihil incommodant ignoti parentes. Quod si maiorum stemmata sordidis moribus obscuraueris, volens solo maiorum splendore conspicuus haberi, quò te maiore illorum gloria operueris, eò te indigniorem & ignobiliorem præstiteris. Huc pertinet quod Cicero vitio dedit Salustio, dicens: Ego (inquit) maioribus meis virtute mea præluxi, ut si obscuro fuerint, à me tamen generis & nobilitatis initiū sumant: tu tuis tenebras offudisti, ut etiam si clari extiterint, eorum per te obscuretur nobilitas. Obserua. Dauid viuus Salomonem Regem designauit. 3. Reg. 1. Reliquos Dauidis liberos, præter Salomonem & Nathan, vide. 1. Paralip. 3. nimirum septem annis & sex mensibus in Hebron, triginta autem & tribus annis regnauit in Hierusalem, 1. Para. 3. Vria siue Vrias interpretatur ignis Domini, siue lumen Domini, aut lux Domini.

Salomon autem genuit Roboam.

Salomon tertius Israëlitarum Rex. 40. annis regnauit super omnem Israël, 2. Paral. 9. cap. Templum ædificare cepit Domino, anno 4. mensē 2. 3. Reg. 6. Ioseph. lib. 8. cap. 3. quod absoluit anno sui imperij octauo. Hierusalem muro circumdedit, ædificauit ciuitates Asor, Magedon, Zazarum, Bithchora & Balech, in Syria quoque ciuitatem maximam Thadamur, quam Græci Palmiram vocant: tandem ætate vltima, mulierum alienarum amore deceptus, deos adorauit alienos, quare decem tribuum regnum à posteritate eius ablatum. 3. Reg. 11. cap. hoc est

Palmira.

est à Roboam filio eius qui quartus Rex Iudæ regnauit 17 annis. Roboam interpretatur dilatans populum: Salomon verò pacificus. De Roboam vide 3. Reg. 12. Malus fuit, & cor eius non erat ad Dominum. Matre natus est Naama Amanitide, 2. Para. 12. Sub isto percussa est Iudæa, & ablatum aurum templi à Pharaone Rege Aegypti, 2. Paralip. 12. Facta est etiam sub isto discessio duodecim tribuum, 2. Paralip. 10.

Roboam autem genuit Abiam.

Mortuo Salomone, diuisum est eius Regnum in duo Regna: A Roboam quarto Rege Iudæ (qui duabus tribubus, Iudæ & Benjamin præfectus, annis 17 regnauit) defecerunt decem tribus, quibus præfectus est Hieroboam primus Israëlitarum Rex: qui regnauit 22 annis, & Israël em peccare fecit in vitulis aureis. Ex Roboam satus est Abia, quintus Rex Iudæ, qui regnauit tribus annis, belloque vicit Hieroboam, & periit ex Israël 50000. Vxores 14 accepit Abia, ex quibus sustulit 22 filios, & 16 filias, 2. Paralip. 13. Abia siue Abiam interpretatur pater matris.

Abia autem genuit Asa.

Asa sextus Rex Iudæ regnauit 41 annis. Iustus fuit, Idola confregit, annis decem pacem habuit, & cum Benadab Damascenorum Rege fœdus iniit. Zarach Aethiopiæ Regem maxima manu Iudæam inuadentem vicit, 2. Par. 14. Ioseph. lib. 8. cap. 8. Asa vox Syriaca est, & interpretatur medicus aut sanans.

Asa autem genuit Iosaphat.

Ex Asa prognatus est Iosaphat septimus Rex Iudæ qui regnauit 25 annis. Fuit iustus & pius. In omnibus ciuitatibus Iudæ iudices constituit. Legem seruauit, 2. Paralip. 17. & 18. Ioseph. lib. 8. cap. 11. Hoc regnante, exercitum Moab & Ammon, qui insurrexit aduersus Iudam, Deus in nihilum redegit, 2. Para. 20. cap. Iosaphat interpretatur Dominus Iudex.

Iosaphat autem genuit Ioram.

Ioram filius Iosaphat octauus Rex Iudæ, regnauit octo annis. Qui cum triginta duorum annorum esset regnare cepit, & in regno confirmatus, fratres suos omnes occidit gladio, & quosdam de principibus Israël, 2. Paralip. 21. cap. Nam sectatus est impietatem domus Achab, eò quod habebat filiam eius vxorem (ita solent prosperari impiorum coniugia) fecitque Iudam & Hierusalem fornicari à Domino Deo suo. Sed eius impietatem & crudelitatem Deus non est passus abire inultam, 2. Paral. 21. Ioram interpretatur Domini celsitudo.

Ioram autem genuit Oziam.

Ozias filius quidem fuit Ioram non naturalis, sed lege Ahischarim, abnepos fuit. Hoc loco Euangelista præterit tres Reges, Ahasiam, qui & Ochosis dicitur, patrem Ioas, qui genuit Amasiam, à quo Amasia genitus est Ozias, qui & Azarias dicitur. Ut ita texatur ordo: Ioram genuit Ochosis, Ochosis Ioas, Ioas Amasiam, Amasias demum genuit Oziam, qui aliàs Azarias dicitur est. Ergo tres Reges omisi sunt. Cur hos Euangelista omiserit, putauerim fortè quod tres tessaradecadas quum recensere vellet, videns in secunda tres redundare, tacuit hos, Ahasiam, Ioam, & Amasiam. Ahasia, qui & Ochosis dicitur, fuit naturalis filius Ioram, ex Athalia filia Amri, sorore Achab Regis Israël. Vno anno regnauit, quo mortuo sine liberis, quum nemo esset in domo Salomonis, qui ei succederet, 2. Paralip. 22. cap. Athalia mater Ahasie, inuidens regnum alteri profapiae regiae, interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. Porro Iosabeth soror Ahasie, & vxor Ioiadæ sacerdotis, furtim subduxit Ioas, lege Ahischarim filium Ochosis, absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum. Fuit Ioas absconditus in domo Domini sex annis, quibus interregnum factum est. Regnauitque Athalia

Salomonis peccati vlti. Roboam, 4 Iudæ rex, ma lus.

Roboam.

Hieroboam.

Abia 14. vxores habuit.

Asa iustus.

Benadab rex.

Zarach rex.

Iosaphat, 7. Rex Iudæ, iustus.

Ioram impius.

Coniugia impiorum.

Tres reges omisi à Matthæo in Christi genealogia. Ochosis qui & Ahafias. Ioas. Amasias. Ozias. Ahasia naturalis, Ioram ex Athalia. Ochosis vno anno regnauit. Iosabeth furata Ioas. Cubiculum lectulorum. Ioas absconditus.



Mathan dicitur Sedechias 23. Rex Iuda ultim' & tributari' Captiuitatis annus prim' Captiuitas Iudeorum in Babylone 70. annis. Nabuzardan templum succendit. Godolias prefectus reliquus in Hierusalem. Ifmael interfecit Godoliam. Ioakin a populo cognominatus Ner Mifezebel Salathiel.

num primum agens, coepit regnare tributarius. Et regnauit undecim annis. Anno nono regni sui Sedechias, defecit a Nabuchodonosor, fœdus iniens cum rege ægyptio. Ioseph. lib. 10. cap. 9. Quo anno Nabuchodonosor cum exercitu obsedit Hierusalem, quæ clausa atque uallata usque ad undecimum annum Sedechiæ regis, qui fuit primus annus captiuitatis, quæ durauit septuaginta annis, 2. Paralip. ultimo. Capta est ciuitas sancta, Rex captus, exoculatus, & cum populo Babylonem ductus. Nabuzardan seruus regis Babylonis & militiæ dux, succendit domum Domini, & domos Hierusalem, & muros in circuitu destruxit, & Godoliam præfecit reliquis populi in Hierusalem, quem mense septimo Ismael interfecit. 4. Reg. ultimo. Ex his colligimus Iechoniam hunc, fuisse nepotem Iosifæ anno trigesimo septimo captiuitatis Ioachin, siue Iechoniæ regis Iudæ, qui fuit annus primus Euilmerodach regis Babylonis, mense duodecimo, septimo die mensis, Euilmerodach eduxit Iechoniam siue Ioachin de carcere, & thronum eius super thronos omnium regum, qui secum erant in Babylone, posuit, in summoque pretio habuit. 4. Reg. ultimo. De hoc Ioakin cognominato Ner, ita scribit Philon: Euilmerodach rex Babylonis eductum Ioakin de carcere, in honore habuit, eumque populus Ner cognominauit, quod lucerna (Ner enim lumen significat) Dauidis quæ timebatur extincta, illuxisset: cui liberato, à Deo datus Mifezebel cognomento Salathiel. Obserua. Cum dicitur in transmigratioe Babylonis, significare uoluit, quod horum filiorum Iosifæ tempore durauit transmigratio & captiuitas Regum Iudæ in Babylone. Deinde quod meminert non solum Iechoniæ, sed etiam fratrum eius, commédare uoluit Iosifam à multitudine filiorum, quos regia dignitate insignes habuit.

Et post transmigratioem Babylonis Iechonias genuit Salathiel.

Salathiel. Iechonias nepos Iosifæ, cum instaret tempus, & ageretur de restituendo suis facris ac sedibus populo Dei, genuit Salathielem. Salathiel interpretatur postulatius Dei. Legimus 2. Paralip. 3. Iechoniæ fuisse filios Asir, Salathiel, Melchiram, Phidaiam, Semefer, Iechoniam, Samam, & Nadabiam. hos genuit in ipso exilio. Dicitur autem eos post exilium genuisse, quoniam generationem ac posteritatem illius, quæ subsequuta est exilium, Euangelista recensere intendit. Post demigrationem è Babylone, siue post liberationem è captiuitate Babylonica, præfuerunt populo Israëlito duces ex domo Dauid, & sacerdotes seu pontifices ex Leui seorsum, usque ad tempora Asmonai, hoc est Machabæorum.

Salathiel autem genuit Zorobabel.

Septuagesimo & ultimo captiuitatis anno Zorobabel Salathielis fili' ex domo Dauidis primus Iudæorum dux, & Iesua ex domo Leui summus sacerdos cum 42370. Iudæorum à Cyro libertate donati in terram propriam redierunt. 1. Esdræ 1. & 2. Ioseph. li. 11. cap. 1. Post liberationem floruerunt Malachias, Zacharias & Aggæus propheta. Anni à reditu è captiuitate siue restauratione templi post captiuitatem, usque ad baptismum & prædicationem Christi, 490. Danielis. 9. ca. Zorobabel interpretatur alienus à confusione. Obserua. Legitur. 1. Esdræ. 3. cap. quod Zorobabel fuerit fili' Phadaia fratris Salathiel. Quod si is dicatur filius Salathielis, memineris pro more scripturæ minores, seu posteros alicui' familiæ, filios, maiores uerò, patres uocari. Zorobabel præfuit annis 58. Secundo eius anno iacta sunt tēpli instaurandi fundamenta. xvi. ipsius Zorobabelis anno, Cambyfes tēpli & ciuitatis ædificatioe prohibuit. Ioseph. li. 11. cap. 5. A sueru (qui & Artaxerxes nominatur) à cepto ædificatioe opere Iudæos prohibuisse ait Esdras. 1. Esdr. 4. Sub hoc Cambyse (quod & ipse crediderim) Hebræi historiam Hester factā, asserunt. Sic Rabi Salomon & Aben Esra in li. Hester. Rursus Zorobabelis anno 24.

Darius Iudæis facultatem reedificandi templum concessit. 1. Esdræ 6. Ioseph. li. 11. cap. 4. Quadagesimo quarto Zorobabelis anno, Nehemia fauore regis Hierosolymam rediit, muros ciuitatis reedificare coepit, & duodecimo anno post reditum eius, ciuitas Hierusalem ex integro restaurata est. Ioseph. li. 11. cap. 5. Aduerte. Quæ Iosephus sub Xerxe de Esdra & Nehemia facta scribit, Hebræorum Rabini sub Dario gesta testantur.

Zorobabel autem genuit Abiud.

Tamet si ab hoc Zorobabele usque ad Ioseph virum Mariæ nihil extat in libris canonicis, tamen certum est, sanctum Matthæum genealogiam Christi rectè & verè è Spiritu sancto, & ex ipsis Iudæorum archiuis contexuisse: ut nihil necesse sit aliunde maiora firmamenta petere. Est uerisimile posteritatem Dauidis certis voluminibus diligenter fuisse comprehensam, de quibus ad nos tamen nihil peruenit.

Abiud autem genuit Eliachim, Eliachim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim, Achim autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph.

Animalis homo, qualis fuit Iulianus Augustus, ex hoc loco dissonantiã inter Lucam & Matthæum affirmabit, quod Lucas 3. cap. dicat Ioseph filium Heli, & Heli filium Mathat: Matthæus uerò narrat Ioseph filium Iacob, & Iacob filium Mathan. Verum, qui vel mediocriter scripturam attigit, non ignorat, quàm frequens sit in scriptura multos bina aut trina nomina habere. Rursus per Moysen à Deo præceptum esse, Deuter. 25. Si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Filios item similiter & patres, iuxta scripturæ morem, quosdam secundum naturam, quosdam uerò secundum legem dici. Mathan & Mathat fratres de domo Dauidis per Nathan erant. Mathan ex Hesta uxore filium Iacob habuit. Mortuo Mathan, Mathat Hestam uxorem habuit, ex qua suscepti Heli. Fuerunt itaque Iacob & Heli fratres uerini. Mortuo Heli sine liberis, Iacob accepit uxorem fratris sui Heli, ex qua genuit Ioseph naturâ suum, sed secundum legem, Heli filium. De patre Ioseph uide Augustin. lib. 2. Retractationum. cap. 7. 12. & 16.

Virum Mariæ.

Hæc indicat Mariam uirginem uerè de tribu Iuda, & domo ac stirpe Dauidis fuisse: quandoquidem ad uirginem spectabat hæreditas domus Ioachini patris sui. Unica enim erat proles beatæ Annæ ex Ioachino. At sancitum erat lege, Numeri 36. ne mulier hæres unica, nuberet viro alterius tribus, quod ad ipsam pertineret patris hæreditas. Est igitur sufficiens & propinquum argumentum ad probandum uirginem de semine Dauidis fuisse, quod uirum habuerit, quem iuxta genealogiam docet Euangelista de domo Dauid descendisse, qui, ut scripturæ morem obseruaret, genealogiam per viros, non autem per fœminas deduxit. De uirginis genealogia legito Io. Damascenum lib. de orthodoxa fide. 4. cap. 15. Dixit uirum Mariæ iuxta uulgatum dicendi morem. Nam communis consuetudo hoc habet, ut qui etiam adhuc procum agit, sponsus dicatur & uir. Et ne quis fortassis mariti nomen abhorreat, audiat Augustinum, lib. aduersus Faustum. 23. Primò (inquit) quia maritus eius fuerat, uir & maritus sunt affinitatis nomina, & non coitus.

De qua natus est Iesus.

Explosurus errorem tum eorum qui asseruerant Christum Ioseph filium, tum Valentini, dicentis Christum non assumpsisse corpus de uirgine Maria, sed è cœ-



Christus de Maria. lo deplutum esse, aut allatum ab eo: & per vterum virginis veluti per canale transiisse: Ait, de qua, non de quo Ioseph, quia non ab ipso Ioseph, sed de qua assumpsit corpus in vtero virginali, siue de corpore virginis. Nimirum de purissimo sanguine virginis formatum est corpus Christi. Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Ad Roma. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem. Obserua, non esse tam studiosè seruandam distinctionem, quam quidam obseruant inter has prepositiones, de, & ex: cum catholicè dicamus, natus de, siue ex Maria virgine. Nimirum hic legitur de qua natus est: & in Symbolo, natus ex Maria virgine. Ad hæc facit quod apud Græcos eadem est prepositio, ἡ, quam interpres suo arbitratu, nunc de, vertit, nunc, ex, vtcunq; visum fuerit. Obserua quàm diligenter noster Euangelista distinxerit discreueritque omnia. Nam decima tertia generatione ponitur Ioseph, & decima quarta tandem Christus, cum qua nihil commune habet Ioseph, imò vt hoc disertè exprimeret, ait, de qua natus est Iesus. Fuit autem virgo è stirpe Dauidis. Christus ergo natus est è femine Dauid. Disertè autem exprimit ἡ ἵς ἐκ τῆς ἡ, ex qua natus siue genitus est, significans substantiam carnis Christi, non ex substantia feminis Ioseph prodixisse. vnde non dixit ex quo, sed de qua, nimirum ex substantia virginis Mariæ desumptam esse. Responsabit quispiam. Cum Christus natus sit ex virgine Maria de Spiritu sancto, quomodo dicitur ex femine Dauid secundum carnem esse natus, cum nihil acceperit ex Ioseph, de quo scribitur, quod fuerit de domo & familia Dauid, Luc. 1. Et Maria, ex qua natus est, videatur esse de tribu Leui, nõ Iuda, eò quod dixerit ad eam Angelus: Et ecce Elizabeth cognata tua. Illa verò fuerit ex filiabus Aaron, Luc. 1. Respondet Augustinus, lib. 1. cap. 47. quæst. super Iudicum. Solebant nubere feminae de aliis tribubus in aliis tribubus. Vnde & Saul, cum esset de tribu Benjamin, dedit filiam suam homini de tribu Iuda. Et sacerdos Ioiada, vtique homo de tribu Leui, duxit filiam Ioram Regis, hominis de tribu Iuda. Hinc factum est, vt Elizabeth & Mariam cognatas in Euangelio legamus: cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur de tribu Leui & filiabus Aaron aliquã nupsisse in tribum Iuda, vnde fieret inter ambas illa cognatio, vt Domini caro non solum de regia, verum etiam de sacerdotali stirpe propagaretur Christus, verus Rex & sacerdos. Vide August. de consensu Euang. lib. 2. cap. 2. & lib. vno. de. 83. quæstionibus. cap. 61. Et contra Faustum Manichæum lib. 23. cap. 9. Præterea vero simillimum est, nulli tum non fuisse notum, patrem Mariæ à Iuda & Dauid ortum duxisse, idque considerata Euangelistam: nisi dicas illum secutum fuisse communem tum & tritum in Iudæa morem, quo vterque coniugum ad eandem tribum spectabat.

#### Qui vocatur Christus.

Christus vnctus. Iesu nomine multi donati. Vocari pro esse. Ioan. 1. Christus vnctus. Exegesis est. Interpretatur enim de quo Iesu loquitur. Quoniã apud Hebræos plures fuerunt huius nominis, vt Iesus filius Naue, & Iesus sacerdos, hoc cognomento addito discreuit filium virginis à cæteris. Quanquam video Græcis appositum esse articulum, vt intelligant illum orbis instauratorem, quem expectarent sancti. Ille qui vocatur, id est, qui est, & dicitur Christus. Verbum enim vocari pro esse frequens scriptura vsurpat. Hoc iam vulgò receptum erat, vt orbis instaurator expectatus, non aliter q̄ vnctus, id est Hebræis Mefsias, & Græcis χριστός vocaretur. Hæc nobis persuadebit locus Ioannis, vbi, rogantes Baptistam, aiunt, Es tu ille Christus. & 4. cap. Samaritis illa muliercula, Scio quod Mefsias venit: hoc nominis puto fuisse datum, quod ineffabili ac incomparabili quadam vnctione vngendus expectaretur, ad nouum aliquod & inestimabile munus. Putauerim, Sanctos fortassis motos esse ad imponendum reparatori orbis id cognominis ex prophetia Dauidis Psal. 45. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Aut certè ex va-

Christi munus. Christum esse quid est. Officia Christi regalia. Officia Christi sacerdotalia. Tesseractas quaterdena. Prima tesseractas. Regni Dauidis deliquit. Abraham, Dauid, Babylonicæ captiuitatem, & Christum. Respondeo. Fortassis b iij

ticinio Esa. 61. Spiritus Domini super me, eò quod vnxit me, ad annūtiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis aertionem, &c. Vnctus Itaque est, vt esset Rex, doctor, & sacerdos noster in æternum, qui gubernaret nos, & vt in ipso electi vngerentur, & participes per ipsum æternæ gloriæ redderentur. Vt prædicaret mansuetis & captiuis indulgentiam, & reliqua ageret, quæ eo loco allegato Esaias vaticinatus est. Et vt vno & altero verbo absoluam, in hoc fuit vnctus, vt pauperibus spiritu nuntiaret & exhiberet gratiam patris, atque æternam vitam de eius plenitudine omnes acciperemus. Qui modò summus pōtifex noster est in cælo ad dexteram patris, nostram causam agens, & peccata nostra deglutens, & suo spiritu beatifica ista vnctione electos consummans. Colligamus ex his nomen Christus, dignitatis, & officij esse vocabulum, quod maximè Iesu filio Mariæ virginis, uero Deo & homini, competit. Nam esse Christum, id est esse Regem fidelium, est esse dominum uniuersorū, uindicæ, tutorem, & legislatorem, qui sanè fuit Iesus ille, Dei & virginis Mariæ filius. Nam passus est ille pro nobis, mortuus & sepultus. Resurrexit tamen à mortuis, ascendit in cælum, sedetque iam ad dexteram patris, Dominus factus omnium. Et idem cæu Rex bellicus triumphator, eripuit nos à potestate tenebrarum & diaboli, contriuit caput serpentis: idem fortem illum alligauit, & spolia diripuit. Ipse nos è seruitute liberatos, in libertatem reposuit, ut illi, cæu ipseus peculiaris populus, seruiamus in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ. Ipse iniquas leges scidit, imò ab his nos liberauit: præterea æquis, iustis, ac bonis legibus nos subdidit, atque muniuit. Insuper vigilat super nos, & defendit nos ab omni malo. Hæc videlicet sunt Regis nostri Christi regalia munia. Idem Christus Dominus omnium fidelium, est Christus, id est Sacerdos, summus uidelicet ueritatis doctor, uitæ magister, lux mundi, qui docet omnem ueritatem, qui intercedit in conspectu Dei pro omnibus peccatoribus, imò qui se ipsum patri semel obtulit pro expiatione peccatorum totius mundi. Et hæc sunt Christi nostri sacerdotalia officia, quæ quidem omnia uno uerbo complexus est Matthæus, quum dixit, de qua natus est Iesus, qui uocatur Christus. Qui de hoc nomine Christus, plura & piissima legere cupit, legat enarrationem Augustini in Psal. penultimum, uersu, Et filia Sion exultent in Rege suo.

Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim.

Elegans est hic epilodus, colligens & distinguens genealogiam Christi, hæc enim ueritatem recensitam, & partitam in tres tesseractas, quas August. appellauit Latine quaterdenas. Prima supputat Duces seu Iudices quatuordecim, qui præfuerunt populo Dei à tempore Abrahami, usque ad Dauidem regni Israëlitici florentis autorem. Obserua, ab hac tesseractade Dauidem non excludendum.

Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim.

Secunda tesseractas quæ Reges complectitur, incipit à Salomone, aut, ut quidam supputant, à Dauide. Et in Iechonia (qui dicitur Ioachin) filio Iosia finitur, in quo fuit regni deliquium, id est exilium Babylonicum.

Et à transmigracione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim.

Si à tempore, quo defecerunt reges, quibus suffecti sunt duces, & pontifices, id est, à Iechonia nepote Iosia, vsque ad Christum supputaueris, reperies generationes seu personas quatuordecim. Rogabit quispiam, cur Matthæus triplici hac tesseractade, & hoc ordine uoluit Christi genealogiam texere, & limites ponere Abraham, Dauid, Babylonicæ captiuitatem, & Christum. Respondeo. Fortassis



sis Matthæus memoriam lectorum iuuare uoluit, & rem aliâs suapte natura intricatam, compendiosa breuitate & explicatius demonstrare. Constat enim omnes propè genealogias paulò impeditiores, & uaria cõpositione esse obscuriores. Terminos autem illos posuit, quòd certum sit, promissionem primùm Adæ factam de femine benedictò, renouatam fuisse potissimum Abrahæ, Dauidi, & tempore captiuitatis, ut Ezech. 21. cap. Aut uidit Euangelista, quòd ter cõpletis quatuordecim generationibus, mutari debuerit huius populi status: Ab Abraham ad Dauidem usque, sub Iudicibus: à Dauide usque ad captiuitatem Babylonicam, sub Regibus: à captiuitate Babylonica, sub Pontificibus. Qua completa, exiabat tẽporum dispositio, ut regiminis Iudaici mutatio per aduentum Christi fieret. Vel, ut ostenderet omnibus, ut ut mutati fuerint Iudæorũ magistratus (prima enim tesatradecade Duces, secunda Reges, & tertia Pontifices ac duces perstringit) tamen Iesum Christum hunc ipsum esse, quem olim prophetarum oracula orbi promiserant: atque cùm tot sint argumenta in unum consentiẽtia, non casu aut fortuna ipsum aduentasse. Deinde, ut ostenderet Christum, qui ex notis maioribus genus duceret, uerum fuisse hominem. Obserua. Transmigrationem posuit pro his qui tempore exilij Babylonicæ regnauerunt. Aduerte, in tertia tessaradecade decrefẽs Dauidis genus habitum, post cuius decrementum & usum, Christo ueniendum erat. Hoc habet in usu bonitas Dei, cùm iam omnia conclamata & desperata uidentur, tum demum aduenit. Rursus obserua. Si personas huic genealogiẽ inferptas supputaueris, duo & quadraginta membra inueniemus, quæ quondam adũbrata fuerunt per duas & quadraginta mansiones quas habuerũt filij Israël, priuquam in terram promissam uenissent, ut liber Numerorum docet. Quòd si & nos in terram promissam uenire uoluerimus (quam nobis dominus noster Iesus Christus per suam natiuitatem parauit) operæpretium est, & nos duas & quadraginta mansiones occupare, hoc est in carne manentes carni nõ adharere, sed ab ea deficientes uiritim ac membratim nasci, donec ad Mariam & Christum perueniamus, ubi demum requiem animabus nostris inueniemus.

Christi autem generatio sic erat.

Quoniam operosius describenda erat Christi Domini conceptio, quòd singulare quiddam & nobis salubre habeat, illam natalibus seu genealogiæ pro ratione historica subiũgere uoluit. Atque huius autoris in hoc contextu scopus est, ut declaret Christum Iesum, Non Ioseph filium esse, ut Iudæi communiter tenuerũt, quemadmodum legimus eos dixisse infra. 13. Nõnne hic fabri filius? & Ioan. 6. Nõnne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem, sed conceptum esse de Spiritu sancto, & ex Maria quidem matre illis nota, sed uirgine natum. At quoniam nouum & planè inauditũ hoc uisum est, uidelicet Christum dominum non de femine Ioseph, sed de Spiritu sancto purè & illibatè conceptum esse in Maria uirgine, uoluit exordiolo quodam ac inscriptione præfixa excitare lectores: Christi autem (inquit) generatio sic erat: Atque huic adiungere aliqua testimonia (quasi non contentus rem, ut gesta est, narrasse) quibus ex certis circumstantiis hæc tria credibilia faceret. Vnum, quòd Iesus non sit ex Iosephi femine natus. Alterum, illum esse conceptum de Spiritu sancto. Tertium, non solum ex uirgine conceptum, sed & ex uirgine natum. Proinde hoc exordiolum, exponi potest per modum occupationis. Nam rogantibus quomodo natiuitas eius habebat, qui in staturaturus omnia uenerat de cœlis, qui ad cœlos uocabat omnes, qui nihil nisi cœleste pollicebatur, & conferebat: subinde qui post tot prophetas & doctores legatus erat: quomodo inquam natus esset, an iuxta communem ac vulgatum morem nascentium natus esset: respondet, Ad hunc modum Christi natiuitas habebat. Quasi dicat, nolite expectare consuetum parturientium modum: cauete uiri cum uxore cõgressum (qui nullus fuit) prospicere. Nouo mo-

Transmigra-  
tio.

Dauidis stir-  
pe decrefẽ-  
te, Christo  
ueniendum  
erat.  
Diuina boni-  
tatis usus.  
42. mansiones  
Israëlis figu-  
re personarũ  
genealogiæ  
Christi.

Matthæi sco-  
pus in gene-  
ratione Chri-  
sti describẽ-  
da.

Nouus par-  
turiendi mo-  
dus in Maria

do prodiit, qui noua omnia faciebat: ex pura uirgine uterus prodiit homo in mundum: ita tamen ut hæc natiuitas Deo digna uideretur. Natus est homo uerus, sensibus hominum expositus ac mortalis, sed idem Deus & immortalis: homo ex homine, sed ex uirgine: natus ex progenie primi hominum principis Adæ, sed absque labe, in matrimonio natus. At non ut in cæteris: nimirum conceptus, opificium non fuit uiri, sed Spiritus sancti, qui cõsilio admirabili, fœtus inauditè formationem absoluit de substantia uirginis illibatæ. Atque ita huius rei dispensationem temperauit, ut nulla humana sapientia de hoc tam admirabili cõmercio fidem facere possit, sed solis piis & credentibus persuadeatur. Obserua hoc loco propositionem natiuitatis Christi, cuius finalis causa, est liberatio nostra. Confirmatur in hac narratione articuli Symbolici: quomodo Christus cõceptus sit, & quomodo in hunc mundum natus. Hæc descriptio natiuitatis Christi pertinet ad genus demonstratiuum.

Cùm esset desponsata.

Narrare incipit, sed omnium simplicissimè. Magnificẽtius ordiuntur descripturi Regum mundanorum natiuitates. Sanè cùm è parentum uirginis arbitrio, quorum animum à Spiritu sancto erãt afflati, purissima uirgo Maria, ab aeterno Dei consilio huic tanto mysterio destinata futura mater Iesu, fuisset desponsata probato suæ tribus Iudæ uiro, nomine Ioseph, cum eo domesticè & familiarissimè uiuixit. Non sponsalia quidem de futuro, sed uerum intercessit per uerba de præsentia (ut ita loquar) matrimonium: cuius integritas solo consensu contenta, nõ necessariò uiri postulat complexum. Vterque uirgo, Ioseph & Maria, cõuenerunt & conuixerunt. Obserua, tum temporis omnino eam fuisse castimoniam & custodiam desponsatorum, ut piaculum fuerit illos antè diem legitimum nuptiarum congregari. Cùm igitur desponsata esset legitimè & honestè, nõdum tamen attachta à sponso. Ideo desponsata, hic pollet perinde atque uirgo: quæ desponsatio præcessit salutationem angelicam. Nec mox iuncta est uiro, sed tres menses apud cognatã manet, antequã reuertatur domum. Quæ omnia explicatius scribit Lucas, Missus est Angelus, &c. Rogabit quispiam. Cur de desponsa uirgine nasci uoluit Christus? Respondeo, ut manifestato uiro, cuius genealogia ostenditur è tribu Iudæ, manifestaretur origo & tribus Mariæ. Secundò, ut famæ eius consulere tur. Si enim puellæ uterus indies magis ac magis intumescens uisus fuisset, quæ uirum non habuisset, malè apud suos contribules audisset, & lapidibus obruta, ut adultera, à Iudæis fuisset. Oportebat autem caueri scortationis probrum, & suspiciõnẽ. Si enim (quia uirgo maritum habebat) Iudæi de Christo dixerunt, nõnne hic est filius Ioseph? quantò magis si maritum non habens peperisset, dicturi fuerant, nõnne hic est Iesus filius meretricis? Maluit ergo Deus, ut hæc uirgo maritalis cõceptionis, quàm meretriciæ & illegitimæ, suspiciõnem incurreret. Quo exemplo admonemur satius esse ut ueritas ad tempus lateat, quàm ut occasio offendiculi per speciem mali decur. Melius est in statu esse legitimo, quàm extra hunc probri notam incurrere. Tertio, ut in aduersis curatorem haberet, qualẽ se præstitit Ioseph uir eius, cùm fugeret in Aegyptum. Diuus Hieronymus quartam addit causam ex martyre Ignatio, cur à desponsata conceptus sit, ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putabat non de uirgine, sed de uxore generatum. Rogabis: qua ratione oportuit Christum non ex uirili femine, sed ex Spiritu sancto scilicet, concipi, & non vulgariter, sed ex uirgine nasci? Respondet Angelus, quòd oportebat eum fore saluatorem populi sui, liberarẽque illum à peccatis: Iam hoc non fecisset, si ex femine uirili natus & pollutus fuisset. Omnes enim ex Adamo labè contraxerunt, paucis ex priuilegio seclusis: Et, Ephes. 2. nascimur filij iræ. Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Ut tamen esset uerus homo, & semen mulieris, & benedictum illud semen Abrahæ, & Dauidis, caro de carne nostra, &

Matrimoniu  
Ioseph &  
Mariæ.  
Matrimonij  
integritas.

Desponsato-  
rum mos.  
Desponsata  
& uirgo.  
Desponsata  
uirgo antè  
aduentũ an-  
geli.

Luc. 1.  
Christus cur  
de despon-  
sa uirgine uo-  
luit nasci.  
Adulteræ pœ-  
na.

Veritatẽ ad-  
tempus oc-  
cultari non  
est impium.

Uirginis par-  
tus diabolo  
ignomus.  
Cur oportuit  
Christum nõ  
de uiro con-  
cipi.



os ex ossibus nostris, & esset quod pro peccatrice nostra carne offerretur, oportuit illum nasci ex homine, sed virgine pura.

Mater Iesu.

Virginis encomium, quod sit mater Iesu. Elegans & singulare virginis encomium, quod mater dicatur Iesu, hoc est mater nuncupetur & Dei & hominis. Hæc manifestaturus martyr Ignatius hac similitudine utitur, Quemadmodum generatione vulgata & communi, mulier dicitur mater hominis totius, non quod det animam rationalem (quæ à solo Deo est) sed quod substantiam suppediret, quæ satis est ad corporis formationem, quod de ea sumptum, vnitur animæ rationali: ita cum humanitas Christi subministrata sit à virgine, & de ea sit sumpta, ac diuinitati unita in filio, propter hæc ineffabilem unionem humanitatis ad diuinitatem, dicitur virgo, mater & hominis & Dei: licet à virgine non sit diuinitas, sicut à puerpera matre anima rationalis non sumitur.

Quomodo Maria, mater Iesu simpliciter dicatur.

Maria.

Nomen virginis matris Iesu Christi est Maria, quod interpretatur exaltata.

Antequam conuenirent.

Christus de Spiritu sancto conceptus. Hæc temporis notatio maxime tuetur virginis integritatem, ac ostendit non de Iosephi semine, sed de Spiritu sancto conceptum esse Christum. Nullum enim adhuc intercesserat inter sponsum ac sponfam commercium, nulla interuenerat cohabitatio, nondum Ioseph virginem Mariam eduxerat à paternis aedibus: unde manebat ei intactus pudor virginalis. Facessat hinc Heluidius homo impurus & indoctus, qui ex hoc verbo ansam insaniendi sumpsit, ut dixerit Mariam postea more vulgari foeminarum peperisse filios. Quem abundè refellit D. Hieronymus: & hunc errorem extirpat magnus Chrysostomus, hunc edisserens locum. Constantè dixerim ab Euangelista hoc dictum esse, non ut quod secutum esset, significaret, sed ut inuitatè rei miraculum aperiret. Perinde est, ac si diceretur, Iudices pronuntiasse de causa, priusquam causam cognoscerent: cum iuxta solennem morem prius audiant Iudices, quàm sententiam ferant. Qui hoc modo loquitur, non hoc sentit, Iudices cognouisse causam, posteaquam tulerint sententiam. Quemadmodum igitur hæc clausula, priusquam causam cognoscerent, nihil aliud est, quàm non cognita causa, & citra causæ cognitionem: ita hæc, priusquam conuenirent, nihil aliud est, quàm sine complexu connubiali. Aut dici potest (quandoquidem verbum Conuenire concordiam significat, atque simul & in unum locum uenire ad familiarem conuictum, aut huiusmodi congressum) quod insinuat hoc loco reditum virginis à cognata Elizabeth, ante quem modica, imò nulla intercesserat inter Ioseph & virginem domestica & familiaris consuetudo. Audito enim angelo Gabriele, ad cognatam virgo abiit, apud quam diuersata est, ac post menses aliquot, ad uirum rediit, qui intumescens uidens eius uterum, inuenit illam grauidam. Quæ, quod non esset sibi malè conscia, nec conspectum uiri fugitabat, nec mysterium, quod ab angelo didicerat, aperiebat, seruans hoc Deo auctori, qui suo tempore uiro suo Ioseph patefeceret.

Heluidii error.

Conuenire uerbi significatio.

Simile.

Ioseph admittatur virginem grauidam.

Inuenta est.

Veluti quidpiam admirabile ac nouum præter spem, ac expectationem, Ioseph comperit virginem grauidam. Egerat enim ipsa à concepto filio Dei apud Elizabeth cognatam suam ferè tres menses, quibus peractis, rediit ad uirum, qui nihil tale cogitans, reperit illam grauidam. Obserua. Cum Matthæus dicit, inuenta est, siue reperta aut deprehensa est, non hoc ait quod Ioseph mox ab initio deprehenderit hunc foetum proficisci de Spiritu sancto (istuc nanque demùm Dec per angelum reuelante, multisque argumentis aliis non ipse solus, sed totus quoque mundus intellexit) sed quod ab ipso Ioseph nec opinante, coniugis tamen omnia studiosè rimante, reperta est ferre uterum.

Habens in utero.

Obseruabat Ioseph in spõsa sua corporis habitum, rursus uterum magis ac magis intumescens, unde grauidam esse facile deprehendit. Obserua: habere in utero siue ferre uterum, grauidam ac prægnantem esse significat.

Habere in utero. Ferre uterum.

De Spiritu sancto.

Non iuxta communem naturæ legem de complexu uiri, quemadmodum reliquæ matres, conceperat grauidaque facta erat, sed cœlitus. Siquidem audito Gabriele angelo internuntio, & præstito consensu his uerbis, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum, illapsus est cœlitus in sacratissimum uteri uirginis templum Spiritus sanctus, qui statim uirtute inuisibili, & citra ullum pudoris detrimentum, grauidam reddidit: hoc est reddidit ipsam foecundam, sicut ipsa uirgo Dauidica citra uirilem operam, de sui corporis substantia uirum humanum, naturalem, perfectum, nobisque per omnia similem absque peccato, mundo dederit, & consubstantiali corpore filium Dei induerit. Vnde uerbo, deprehensa est, tantundem significat Euangelista, ac si diceret: irrefragabilibus argumentis repertum & palam deprehensum est, hunc foetum conceptum esse, ac editum de Maria uirgine, foecunda facta uirtute Spiritus sancti. Atque hoc uerbo conuincitur error Cerdonis & Manichæi, negantium ueritatem corporis Christi. Quibus monstris respondens Matthæus, ait, Inuenta siue deprehensa est habens in utero de Spiritu sancto. Si enim ex uirgine nihil assumpsit, si uerus homo ex homine non est editus, quid quæso utero erat opus, & ut uirgo prius in utero haberet, quod iusto tempore ederet, Luca dicente, Completi sunt dies pariendi & peperit Maria? Hic ergo foetus conceptus, in utero formatus, & certis dierum incrementis nutritus, editus est à uirgine. Vnde Elizabeth clamat, Benedictus fructus uentris tui. Iam quomodo erit Christus filius Dauidis, aut quomodo dicitur filius hominis, aut quomodo appellatur à Matthæo Maria, mater Christi, si hic ab illa nihil accepit? ergo Christus carnem ueram de uera carne uirginis traxit. Est igitur hic foetus à Spiritu sancto, non à uirili semine profectus. Huc pertinet, quod in Symbolo dicitur, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine: Rursus quod à Gabriele dictum est, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Obserua. Tamest opera trinitatis sint indiuisa, unde non solum Spiritus sanctus, sed etiam pater & filius hanc conceptionem operati sunt, tamen Euangelistæ propriam esse dicunt, ac tribuunt Spiritui sancto, tum primo ait diuus Thomas, quod Spiritus sanctus est amor. porro maxime amorem suum erga nos prodidit Deus, quando filium suum unigenitum dedit. Deinde Spiritui attribuitur gratia. in hac filij legatione maxima apparuit Dei gratia ac benignitas. Tertiam adducit rationem de Nicena synodo. Duplex (inquit) est uerbum, cordis & uocis. Verbum cordis est ipsa conceptio intellectus, quæ hominibus occulta est, nisi uocis uerbo manifestetur. Atqui uerbo cordis comparatur uerbum æternum ante incarnationem, quando erat apud patrem, & nobis absconditum. Verbo autem uocis comparatur uerbum incarnatum, quod iam nobis apparuit. Cum itaque uerbum cordis non coniugatur uoci, nisi mediante spiritu, rectissime incarnationis uerbi (per quam nobis uisibilis apparuit) operatore & obumbratore Spiritu sancto, facta esse dicitur. Obserua. Hanc appendicem scripsit Apostolus, de Spiritu sancto, ne qua mali suspicio lectori subreperet. Aduerte: si te delectauerit audire quo ordine & in qua ciuitate facta fuerit hæc admirabilis conceptio, legito Lucam. 1. & 2. cap. Rursus aduerte. Inuenta est grauida facta de Spiritu sancto, id est de potestate ipsius Spiritus, non autem ex substantia, ait Glossa: ne Spiritus dicatur incarnatus. Obserua. Si quis rogauerit, quomodo Deus factus sit homo, quomodo in unionem personæ conuenierint duæ naturæ: Responde cum

Spiritus sanctus in uero uirginis illapsus.

Deprehensa uirgo habere in utero.

Cerdonis ac Manichæi error.

Caro Christi de carne uirginis.

Trinitatis opera indiuisa.

Christi conceptio & uirginis obumbratio propria Spiritui sancto.

Verbum duplex, Cordis & uocis.

Verbum cordis uerbo æterni comparatum.

De Spiritu sancto cur hic dictum à Matthæo.

Deus quomodo factus homo.



Chrysoſtomo, Erubescant (inquit) & confundantur omnes, qui Christi generationem illam superiorem temeraria curiositate rimantur: non enim Gabriel archangelus, non Euangelista Matthæus, amplius hic quippiam significare poterunt, nisi tantummodo quod esset ex Spiritu. Qualiter uero ex spiritu, & quomodo, horum certè nullus exposuit, neque enim erat omnino possibile. Neque existimes, cum è Spiritu conceptum audieris, continuo te etiam omnia didicisse: Et enim adhuc multa nescies, etiam si illud perceperis: cuius generis est, in utero qui sit, qui est infinitus, quemadmodum qui cuncta continet, à muliere gestetur, &c. Relicta ergo curiositate, satis nobis est, ut credamus, quod Deus factus est homo, qui est Iesus Christus uerus Deus, & homo, ex Maria uirgine natus, & conceptus de Spiritu sancto.

## Ioseph autem uir eius.

Ne quis putaret discipulum magistro gratificatum, confinxisse, quod Christum factus Deus & homo natus ex Maria uirgine, non ex semine uiri, sed de Spiritu sancto esset conceptus, adhibet sibi Iosephum uirum Mariæ, testem, qui suis consiliis, ipse locupletissimus testis, testatur hunc fetum non ex se, sed aliunde oriri, nimirum à Spiritu sancto. Quasi dicat Euangelista, Si non uis mihi credere, credito uiro uirginis, de quo qualis fuerit, audi.

## Cum esset Iustus.

Iustus erat Ioseph, non ob unam uirtutem, sed ob absolutam omnibus numeris probitatem. Apud omnes erat nota spectataque probitatis, ac prudentiæ. Aduerte, licet particula cum, magis aliquoties sonet aduerfum quiddam, ut cum dicimus, Cum sis pauper, tamen factu turges: hoc loco tamen ceu causam adducit, cur noluerit Ioseph, illam traducere, quod iustus esset.

Et nollet eam traducere, uoluit occultè dimittere eam.

Ioseph innocentissimus, & probissimus, uidebat uxorem grauidam, cum qua sibi nihil rei fuisse certè sciebat, compertisque adeo puellæ sponse mores habebat, ut in eos non caderet adulterij suspicio: ille enim Dei Spiritus totam occuparat uirginem, exrens seipsum in ipsius oculis, ipsoque uultu relucens: ipso denique incesso, gestu & sermone undique se in ipsa prodens. Vnde pius ille Ioseph diuinum quiddam in ea ac homine maius deprehendens, celadum esse duxit, quod admirabatur, & cuius mysterium nesciebat. Interim tamen quibusdam secum æstuabat curis, nolens in hoc negotio iustitiam (qua politus erat) deserere. Fidem conjugalem Ioseph stipulatus fuerat Mariæ uirgini, iccirco iustitia iubebat ipsum fidem non fallere: sed potius desponsatam recipere in fidem, ac domum ducere. Verum offerebat se hic, quod speciem habebat uiolate fidei in sponsa, uterus intumescens: & quod probè sibi conscius erat, nihil sibi commercij intercessisse cum uirgine, eapropter non potuit aliud iudicare, quam ipsam ab alio quopiam grauidam factam esse. Hic itaque rursus iubebat iustitia, diuersa tamen ratione, fidem datam rescindere: partim quidem, ne turpi patientia domi aleret, quam metueret esse adulteram: partim uero, ne uxori in malo suspecto conuiuere uideretur. Clamabat denique illa eadem iustitia, adulteram non patendum, sed rapiendam potius ad supplicium, præsertim cum in hæc uerba præceperit Dominus, Deut. 22. Quod si quis duxerit uxorem, & non inuenta fuerint signa uirginitatis, ducetur puella ad ostium domus patris sui, obruentque illam uiri ciuitatis illius lapidibus, ut moriatur: quia fecit nefas in Israël, fornicando in domo patris sui, &c. Sed eadem illa iustitia, æquitate temperata, denuò suggerebat non festinandum, neque affectibus indulgendum liberius, aut temerè quidquam agendum esse, ubi agitur de uita & fama hominum, eorum maximè quorum uita hætenus inculcata fuit: cuiusmodi Ioseph de uirgine sponsa opinionem hætenus induerat, ut paulò antè docuimus.

Ioseph testis  
Christum factus  
Deo Spiritu  
sancto conce-  
ptum.

Cum particu-  
laris usus.

Virgo gestu  
incesso & uer-  
bo perfecta.

Iosephi ad-  
mirantis gra-  
uidam uirgi-  
nem cogita-  
tiones.

Lex in adul-  
teram.

Festinandum  
lente, cum de  
morte agitur

mus. Quia tamen Ioseph iustus erat, ne in hanc uel illam partem, uel infamando honestissimæ famæ puellam, uel recipiendo puellam grauidam, peccaret grauius, medium quoddam diuortij genus comminiscitur, quo sic ipse à grauidæ contubernio liberaretur: sic tamen ut nihil periculi tali diuortio puellæ conflaret, aut famæ ipsius incommodaret. Vnde ait Euangelista, Et nollet eam traducere, id est, infamare & exemplum aliis ignominie facere: nimirum cum iustus esset, nec in aliquo illam habere suspectam, aut de ea quicquam sinistrè cogitare uolens, statuit apud se, illam occultè dimittere. Cuius quidem consilij in Iosepho, de clanculario recessu ab uxore, scopus erat, ne uxori grauidæ, ex alio quàm à se, coniueretur, & ne uxorem infamaret, & ei periculum aliquod conflaret. Non enim palam potuisset cum ea diuortium fecisse citra periculum simul & infamiam uxoris. Obserua. Apud receptissimos autores legitur uxor dimissa, quæ sit repudiata, aut, ut diuus Hilarius ait, abiecta. Aduerte ergo dictum esse, uoluit eam dimittere, pro amittere à se, siue repudiare, siue diuortium cum ea facere.

Hæc autem eo cogitante.

Familiares est uiris piis ac sanctis, ut dum in afflictionibus ac perturbationibus existentes, nesciunt, quid factu opus sit, interim sese legi charitatis attemperant, & Domini consilium æquanimiter expectant, quo aut moneantur aut consolationem accipiant. Ioseph dubius animi integritate & seueritate quadam uxorem retinere prohibebatur, quæ ex se non esset grauida: id tamen charitatis æstu, ita atreperare uolebat, quo minimo Mariæ periculo ipsam dimitteret. Passus est Dominus Iosephum aliquandiu cum animo suo conflictari, & perplexis consiliis distrahi, sed eatenus ut nihil se indignum, uel Mariæ incommodum facere properaret. Disce ex hoc loco quod maximè uerū sit id quod scribit Paulus. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Diuina enim bonitas non patitur diu discrucari uirum iustissimum, sed maturè occurrit periclitanti.

Ecce angelus Domini.

Qui nouit pios è tentatione eripere. Postquam satis superque dubitatum est, & iam instabat tempus, ut his animi molestus liberaretur iustus Ioseph, uisūque esset idoneus ad tam celeste mysterium audiendum, misit Dominus angelum, haud dubiè Gabrielem, non multis antè diebus missum ad uirginem, & antè sex menses ad Zachariam sacerdotem, qui totum negotium, quod hic gerebatur diuinitus, exponeret. Vnde discimus, cum omnem curam in Deum pius conicit, pij iustitiam non esse otiosam, sed impetrare fauorè à Domino: qui tamen si sinat nos tentari grauius, & diutius, tandem tamen adest inuocantibus nomen eius. Nequit enim sanctum innocentie studium suo carere fructu, tamen si querulæ & sollicitæ carni aliquoties uidearis & operam & impensam perdere. Refertur hæc pars historiarum ad statum consilij Sancti Matthæi. Matthæus enim argumento à pronuntiatu educto, docet Christum de Spiritu sancto non ex semine Ioseph esse conceptum. Atque oraculi singula uerba suum propemodum pondus habent. Declarat oraculum. Ecce rem admirabilem & incogitabilem Iosepho, imò cum Iosephus à sponsa clanculum diuertere cogitaret, tum inquam adest angelus Domini, nuntius scilicet ac legatus æterni Dei: ut uel ex persona legati plurimum autoritatis accedat legationi. Apparet per insomniū Iosepho, adeo seipsum manifestans, ut nihil postea addubitauerit Ioseph, cum de persona Angeli, tum de reuelato mysterio.

In somnis apparuit Ioseph, dicens.

Pronuntiauit Angelus Iosepho in somnis, & mysterium aperuit, & persuasit, ita ut nihil postea dubitaret Ioseph, de tam mirabili conceptione. Sed hic obseruandum est, somnia alia quidem physica, id est naturalia, de quibus scripserunt ex-

Diuortij me-  
dium genus.

Dimittere uxorem.

Iosepho du-  
bio animi co-  
sultur.

Piis discru-  
ciatis maturè  
Deus occur-  
sit.

Piorum in  
Deum, cogi-  
tatio quanta

Innocentie  
studium non  
carere fructu.

Angelus Iosepho  
legatus  
Legationis  
autoritas.

Conceptione  
uirginis aper-  
uit Angelus  
Iosepho.  
Somnia phy-  
sica.



Græcis Aristoteles, & ex Latinis Macrobius, & alij multi. Alia sunt supernaturalia, quæ cœlestis à Deo oriuntur per angelos bonos: per quos Deus, iis, quibus vult, uoluntatem suam reuelat. Et huius quidem frequens est in scripturis mentio. Videt Iacob scalam, & descendentes ascendentesque Dei angelos per eam, & Deum scalam innitentem. Habent sua à Deo somnia Pharaon & Nabuchodonosor, quibus Deus & interpretes somniorum dedit. Vbi non sunt certi interpretes, ibi diligenter examinanda iubentur somnia. Nam diabolus, qui se in angelum lucis transfiguratur, sua quoque somnia immittit, ut irretiat & præcipitet. Expende itaque, in quem finem tendant somnia, an cum potissimis scripturæ capitibus consentiant. Deus enim, Deut. 13. Si surrexerit (inquit) in medio tui somniator somnij, & dederit tibi signum, eueneritque: & dixerit, eamus post deos alienos, ne audias uerba prophetæ illius. Certè examinanda sunt somnia, si quæ nobis proponuntur, fideliter: præsertim cum uideamus hic Gabrielem archangelum Dei, Iosepho non nudum proponere somnium, sed ad Esaiæ uaticinium relegare. Rogat Chryso- stomus, Cur in somnia angelus Iosepho apparuerit, & non potius aperte, sicut uirgini, Zachariæ, & pastoribus apparuit. Respondet. Quia erat uir prorsus fidelis, & manifestiore reuelatione non indigens. Adde illum & diuini moris, quo per somnia suis apparere solet, non fuisse ignarum. Rogabis, Quare uirgo hoc negotium, uti habebat, sponso non exposuerit. Respondet: in Maria obseruandum est egregium innocentis animi, modesti ac patientis exemplum. Sciebat se grauidam, & concepisse de Spiritu sancto, non ex Iosepho: neque tamen inde insolentiam, nec cuiquam id aperit. Videt maritum turbatum, sed quid faceret? Non erat consultum, ut secretum aperiret: erat enim insolens: nullum tale unquam præcesserat exemplum, quod rei insolitæ fidem faceret, ac non potius, animum Iosephi magis examinasset. Suspectam enim eam habuisset, iam non de adulterio solum, sed & de impostura. Quid igitur? Puella innocens & fidelis hanc causam & innocentiam suam Domino committit. Cuius etiam prouidentia factum est, ut Ioseph sponsæ suæ innocentiam ex angelo disceret, & de causa quæ gerebatur, instrueretur. Discant hoc exemplo, qui mali suspitione laborant, cum innocentes sint, & innocentiam suam probare nequeunt, ut Domino illam commendent, & interea uocationi suæ fideliter seruiant, bona spe fulti, futurum aliquando ut manifestetur rei ueritas. tale quid accidit Iosepho in Aegypto, Genes. 39. & Susannæ, Daniel. 13.

Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.

Attentum reddit Iosephum, uocans ipsum filium Dauidis: Quasi diceret Gabriel, Tu Ioseph, qui Dauidis (cui de Messia factæ sunt promissiones) filius es, cur animi anxius es? & quæ humana suspicio animum tuum torquet? Quid fluctuas? aut quid comminisceris de clanculario diuortio? Cur uis cum ea diuortium facere, quæ tibi tanto charitatis uinculo simul & tribus & familiæ iuncta est? Non est alius æterno illi consilio uisus sponsus, hac uirgine dignus, nec alteri, nisi tibi, destinata Dei consilio. Meditare paulisper, & tandem agnosce Dauidem, tui generis splendorem, & autorem: cui olim promissum est, quod nunc præstatur, & exhiberi cœptum est: noli metuere, caue huius rei nouitate concuti. Nihil certè est, quod uerearis, ne quid tibi incommodetur hoc tuo cōiugio, dum uides uxoris uerum citra tuam operam, intumescens. Quid times huic conuiuere? Cur hanc submouendam cogitas à domestico conuiuium? Nonne quod suspiceris eam grauidam? Istuc uerò tu rectè suspicaris. Abiice tamen hunc timorem, & caue hanc à te amittas, quæ magis tibi adiungenda est, quod grauidam uideas. Non enim humano quodam arbitrio aut fortuna, sed diuino consilio in hoc ipsum datus es illi sponsus, ut posthac locupletissimus ac fidelissimus testis esse possis inuiolata & fecundæ uirginitatis compertæ in uxore tua, atque ut hoc tuo coniugio tuta

fit aduersus Iudæorum sæuitiam, quibus ut neque dignis, ita neque capacibus, nondum manifestandum est hoc tam cœlestis & diuinum mysterium. Rogabis. An dictum est, Noli timere accipere Mariam cōiugem tuam, quod ipsam dimiserit? nondum certè illam reliquerat. Respondet. Monet angelus ipsum Ioseph, ut uxorem accipiat, quam cogitatione & mente iam amandauerat. Quasi diceret, Nihil causari potes quod illam repudies. Vxor tua est, à nullo uitiata: quæ cum tua sit sponsa, abiice has suspiciones, & hanc domi, ut ueram sponsam, conserua. Obserua. Sponsa secundum scripturam uxor dicitur adhuc uirgo, ut non mireris Mariam matrem Domini, hoc loco uxorem siue conjugem Ioseph dici, utque uideas matrimonium iam esse inter sponsum & sponsam ante nuptias: quia coniugium fide conciliatur. Nam reperio ex Chryso- stomo, eam apud Iudæos consuetudinem inualuisse, ut sponsæ in domibus sponso- rum haberentur. Quod etiam ciuili postea lege sancitum & obseruatum comperio, ut clarius in. l. mulierem. ff. de ritu nupt. legi potest. Adde quod id ipsum sic in communem omnium consuetudinem aliquando transisse constat, ut nisi sponsa post puberes annos in sponsi domo inueniretur, iure illius uxor non censeretur, quod in. l. 3. de rit. nupt. explicatur. Sed illud nos monet, quod cum simile beatæ uirgini obtigerit, quæ castè pudicèque in Ioseph domo seruabatur, ipsa tamen *ἡ γυνὴ αὐτοῦ*, id est uxor ipsius Ioseph: Ioseph uerò *ὁ υἱὸς αὐτοῦ*, id est uir eius, uocaretur. Verum (si rei ueritas rectè perpendatur) cum matrimonium, ut inquit Chryso- stomus, non faciat coitus, sed uoluntas, mutuusque ille consensus cohabitandi, uitæque indiuiduam consuetudinem retinendi, constat proculdubio, uirum Mariæ uerè dici Iosephum, Mariamque Iosephi uxorem. Non enim (inquit Augustinus) mendax poterit esse coniugis appellatio, etsi non fuerit, nec futura sit carnalis commixtio. Nec obest, quod à nonnullis obicitur, sacram illam uirginem se perpetuæ uirginitatis uoto obstinuisse. Nam illud in hanc sententiam facile diluit Augustinus. Beata (inquit) Maria proposuit se seruaturam uotum uirginitatis in corde, sed ipsum uotum uirginitatis non expressit ore: subiicit enim se diuinæ dispositioni, dum proposuit se seruaturam uirginitatem, nisi Deus ei aliter reuelaret. Committens ergo uirginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in utroque obediendo: postea uerò quàm filium genuit, quod corde conceperat simul cum uiro labijs expressit, & uterque in uirginitate permansit. Hac Augustinus. Ego itaque crediderim conjugem Iosephi uirginem à prima desponsationis fide, dictam, eoque modo dictum fuisse uirum beatæ uirginis Iosephum. Hac enim appellatione sponsæ & sponsi consueuerunt in sacris literis sepius nominari. Quod me profectò adducit, ut credam ea de causa in sponso sponsamque, tanquam in ueros fide & mente coniuges, legem grauius animaduertisse. Ita enim loquitur lex Deuter. 22. Si fuerit alicui uiro desponsata puella uirgo, inueniatuque uir quispiam in ciuitate, & dormierit cum ea: educetis utrumque ad portam ciuitatis, & obructis lapidibus: puellam quidem, ob id, quod non clamauerit in ciuitate: uirum autem ob eam causam, quod humiliauerit uxorem proximi sui. iam uide, quod desponsatam puellam, uxorem proximi uocet. Sed qua (quæso) ratione adulteram sponsus poterat traducere, nisi quod eandem uiolatæ fidei meritò poterat arguere. etenim traducere Græcè, *καταδικάζειν* dicitur, quod aliter catamidiare, id est deridere & ludibrio habere, dicitur. Mithrare id quoque appellant, ipsamque translationem in multis locis chariuarium dici certum est. Sed nec hoc solo conuicio traducta per hominum ora erat adultera, uerum unà cum adultero obruebatur lapidibus: eoque modo iustè in sponsam uirginem (quæ iam pro iusta uxore habebatur) non autem in liberam puellam animaduertebatur. Sed quia eò deuenimus, ut de tam beatæ nullòque encomio fati pro meritis eleuandæ uirginis cōiugio liberius loquamur, non erit

Somnia supernaturalia.

Interpretes somniorum sunt certi.

Diabolus in angelum lucis.

Somniorum scopus obseruandus.

Somnia examinanda.

Cur non aperte, sed in somnis angelus Iosepho uisus ac loquutus.

Cur uirgo ne cogitum conceptionis uero non aperuit.

Maria exemplum integritatis &amp; innocentiam.

Maria secreti custos.

Innocens suspitione mali laboris Deo committat innocentiam.

Ioseph. Susanna.

Ioseph filius Dauidis.

Ioseph æterno consilio destinatus uir Mariæ.

An dimiserat Ioseph Mariam anrequam angelus loqueretur.

Sponsa

Iudæorum mos in sponsalibus.

Matrimonium

Mariæ uotum uirginitatis.

Maria &amp; Ioseph in uirginitate permanserunt.

Lex de adulteris.

Catamidiare Traducere.



à proposito alienum, si Hebræorum malitiam detegamus, qui apud Esaiam, adolescentulam non virginem scribi procaciter contendit. Quorum ut leuem in nos impetum retundamus, non est, quod Theophylacti defensione id factum curemus, qui Hebræos scripturam suapte malitia deprauasse, & pro virgine adolescentulam falsò inseruisse asserit. Nam uerè apud Esaiam Haalma, id est iunècula seu puella pro Bethula, id est virgine, legitur. Sed quid tum? Nūquid eo nomine Rebecca priusquam Jacob ipsi desponsaretur, Haalma, id est adolescentula, uocabatur? Prætercà Mariam Mosi sororem sex plus minus annorum, puellam & adolescentulam dici constat. Vnum est, quod ego ausim dicere, etsi à paucis (quod sciam) animaduersum intelligam, per viam illam viri in adolescentia (de qua Sapiens meminit Prouer. 30. absconditum à multis seculis incarnationis filij Dei mysterium significari, quæ ob eam causam haud immeritò Sapienti mirabilis uidebatur. Sed hac una tandem ratione reuinci poterunt Iudei, quod non adolescentulam quidem, sed virginis partus pro miraculo & inaudito signo habeatur, cum nulla patris fiat mentio, sed pueri tantum, cui nomen Emmanuel, id est nobiscum Deus, à matre uocari iubeatur. sed de his paulò post maiora scribemus. Aduerte. Angelus nominatim dixit Iosephum filium Dauidis, ut Mariam quoque de tribu Dauid monstraret.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Suspicio Iosephi excutitur.

Actiologia est, cur Ioseph omnem ex animo timorem excutere debeat. Quod gerit uxor in utero, ut foetus ille (quo uides uxoris uterum magis ac magis immescentem) ex te non est, ita nec ab alio mortali: concepit illa obumbratore Spiritu sancto. Formatum in ea hominem assumpsit filius Dei, de caelo uenit filius, Deus, homo factus in casto & puro illo tuæ sponsæ utero. Noua proles nascetur, instauratura omnia. Diuus Augustinus libro primo quaestionum in Genesim, similiter & Tertullianus libro de carne Christi, fatentur natum hoc loco pro conceptum dici. Nam infans ille Valentinus ex hoc loco ansam infantiæ suæ accepit, dicens, Christum natum per virginem, non ex uirgine, hoc est Christum accepisse in caelo corpus, & per virginem transisse, ueluti per canalem. Obserua. Non dixit, filius Dei ex ea natus, sed indistinctè loquitur, Quod in ea natum est: Quasi dicat, Quod natum est in ea, ineffabile est; ac incomprehensibile, non solum hominibus, sed etiam ipsis angelis. Aduerte. de Spiritu sancto, &c. Quasi diceret: nihil seminis uirilis in ea fuit, sed preparatore ac disponente Spiritu sancto, illa concepit. Non quod Spiritus dicatur pater illius filij in utero huius sponsæ. In primis, ait Thomas, non secundum naturam diuinam, quia filius secundum hanc naturam nihil accipit à Spiritu sancto. Neque secundum naturam humanam dicitur filius Spiritus sancti, quia pater & filius debet conuenire in substantia. Christus autem quauis sit conceptus uirtute Spiritus sancti, non tamen de substantia Spiritus sancti est. Haecenus ille. Quidam studiose obseruant in uoce natum, conceptionem hanc naturalem fuisse ex parte operis ipsius uirginis, quæ cooperata est. Deinde in uerbo de Spiritu sancto, miraculosam fuisse, quod excludatur semè opusque paternum, & manifestetur ipsius Spiritus opus, & obumbratio. Quod si rogaueris, quomodo à Spiritu est illa humanitas, siue homo ille, ut homo formatus in utero uirginis. Certe est ab eo, tanquam creatura uel plasmatio eius. Obiiciet quispiam. Quid hoc audio, Quod in ea natum est de Spiritu sancto est? An non & alij homines concipiuntur uirtute & operatione Spiritus sancti? Nonne omnes homines à Domino creantur, & nascuntur, non humana, sed diuina potentia? Pater meus (ait Christus) usque modo operatur, & ego operor. Et, per ipsum (ait Paulus) cum ipso & in ipso sunt omnia. Quid igitur hic noui de Christo predicatur? Respondeo, Multum per omnem modum. Tamen si unusquisque homi-

Augustinus Tertullianus. Natus pro conceptus. Valentini error.

Conceptio de Spiritu sancto. Spiritus sanctus non est pater Christi.

Virgo cooperata conceptioni. Conceptio miraculosa. Obumbratio. Quomodo homo in utero uirginis formatus.

num concipiatur uirtute ac potentia Spiritus sancti, non tamen hoc modo, hoc ordine, his conditionibus & circumstantiis, quibus Christus. Alij concipiuntur potentia Dei, sed è semine uiri: Christus autem concipitur potentia Dei, sine semine uiri. Alij concipiuntur in peccatis, Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Alij è carne carnales nascuntur: At hæc conceptio de Spiritu est, ideo nascitur cælestis homo, ut in eo cælestes & spirituales nascamur. Obserua. Quod hic dicitur, Quod in ea natum siue conceptum est, de Spiritu sancto est, nobis significatum est in promissione facta Abraham, In femine tuo benedicentur omnes gentes. His enim uerbis promittitur nobis Christus. Ac primùm insinuat modus, quo concipiendus erat. Deinde explicatur usus conceptionis eius. In primis, Si in Christo benedicendæ erant omnes gentes, proculdubio operæpretium est, Christum perfectè benedictum esse. Hoc autem non esset, si è semine uiri conciperetur. Quod enim ex carne est, caro est, & omnes in Adamo peccauerunt, ait Paulus ad Roma. 5. Quare quum Abrahamo promissum sit semen, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, significatur etiam quod hoc semen concipiendum sit, non de uirili semine, sed de Spiritu sancto, ut perfectam ostendatur habere benedictionem. Huius conceptionis usus & fructus est: Cum omnes sint aut fuerint sub maledicto (exceptis paucis) ab hoc semine, & in hoc semine, benedictionem accipient.

Pariet autem filium.

Occupatio est, qua præuertit, quod fortassis obiecisset Ioseph, dicens, Quo argumento ductus, tibi subscribam, & dictis credam? Futurum (inquit Gabriel) tibi prænuntio, quod paritura sit filium. Quod si uerum dixerò, perspicuum quoque hoc, quod de Spiritu sancto, est. Obserua. Absolutè dixit pariet filium, non autem pariet tibi: quia non soli Ioseph, sed toti orbi: nimirum non illi soli facta est gratia, cum in omnes sit effusa. Pariet quidem. Nam cum sit ex familia Dauidis, & nouo modo, ac ordine inaudito conceperit, nimirum de Spiritu sancto, manifestum est filium in utero eius conceptum, & nasciturum esse de stirpe Dauidis, eumque esse, in quo sunt omnes promissiones, & in quo benedicendæ sunt omnes gentes.

Et uocabis nomen eius Iesum.

Tu interim huius filij pater diceris, credensque, & puellæ custos eris, quam non dimittes adiutorio destitutam, sed ministrabis ei in omnibus. Solenne fuit, ut parentes nomen filijs indant: etsi nihil habeas in hac generatione commune, uirgo quippe permanet intacta, hoc tibi facile concedo, ut nato nomē imponas, non quod tibi tuus suggererit animus, sed quod ex re Deus æterno suo consilio illi destinauit. Uocabis nomen eius Iesum. At non intelligas nomine tantum uocari, re ipsa autem non esse uerè Iesum: sed sentias, ut nomen, ita & rem ipsi conuenire. Nam quæ ipsius Spiritus instinctu hominibus imponuntur nomina, non sunt nuda appellationes uocabulorum, sed sunt perfectæ rerum significationes, sicut solenne est, ut quos Dominus ad aliquod munus deligit, secundum id etiam nomen eis indat: hoc contigit Abræ, quem cum Dominus deligeret, ut multarum Gentium pater esset, nomen dedit Abraham: quo nomine id ipsum expressit. Similiter, quia Ioannes Baptista auspicaturus erat gratiæ prædicationem, & primus debebat illam gratiam orbi ostendere, dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, diuinitus datum fuit illi nomen, ut Ioannes uocaretur, quod gratiosum significat. Quare quum benedictus hic filius Dauidis missus sit, ut sit salus mundi, & ut omnes in ipso & per ipsum saluentur, rectè illi nomen diuinitus inditum est, quo id significaretur, & uerè præstaretur usque ad extremum terræ, Esaiæ 49. Iesus nomen illud est ineffabile & tetragrammatum, quod Græcis Ἰησοῦς, id est Iesus dicitur, significans saluatorem. Ipse enim saluum faciet, &c.

Conceptio omnium hominum est à Spiritu sancto, sed non uiri Christi.

Benedictio Abraham implata.

Ioan. 3.

Conceptio Christi uerus.

Virgo parit filium, non soli Iosepho.

Partus uirginis inauditus, quid adumbrat.

Ioseph pater Christi & custos uirginis. Impositio nomen à parentibus. Christo ex re ipsa nomē inditum.

Appellationes indite à Spiritu sancto.

Abram cur Abraham dicitur.

Baptista cur nomen Ioannes inditum est.

Ioannes à gratia.

Iesus.



Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

**Christus** quis sit, & quid colatur, uenit. Hæc est prima & perspicua de Christo concio, quæ in eo uno est, ut populum suum saluet. Sûntque hæc uerba exegesis, & interpretatio nominis Iesu. Populum suum, id est electos, & quos sibi pater saluandos dedit, saluabit. hæc potestas & ea uis nominis nulli creaturæ ex natura competit, sed soli Iesu filio Dei, qui suapte natura est salus. Saluum facit Iesus, saluator est, & non est in alio quoquam salus. Vsurpat autem scriptura salutem pro quolibet auxilio: præsertim autem pro eo, quod affertur periclitanti: adeoque & pro assertione & defensione ponitur: unde Iudices in libro Iudicum saluatores dicuntur, quia periclitantibus tulerunt opem, & per fortitudinem diuinam liberauerunt oppressos ab hostibus. Sic Apostoli dicuntur saluatores in Abdia, & Act. 16. Christus ergo quia uerè saluauit mundum, id est à potestate diaboli asseruit in libertatem filiorum Dei, adeoque solus hoc fecit, meritò saluatoris nomen solus gerit. Quod si rogaueris quomodo saluauit siue saluum fecit delectum sibi populum. Proculdubio morte sua omnium electorum peccata semel expiauit, ac litatione sui corporis meruit, ut pater illis propitius suum Spiritum donet, quo renouati, in charitate perseuerent, Christi beneficium ex animo cognoscentes, & postulantes, donec ipsos æternum beatos reddat. Huc pertinet, quod Petrus & Ioannes, Act. 4. prædicabant, Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Obserua. Magnam piis affert consolationem huius nominis memoria, & de illo pia ac frequens meditatio, maxime si typum prospexeris. In typo præcesserunt duo maximi uiri, quibus hoc nominis datum est, Iesus siue Iosue, filius Nun, dux magnus populi Dei, qui Israëlem per desertum ex Aegypto in terram promissam conduxit. Et Iesus siue Iehosua, qui & Iesua dicitur, filius Iosedech, sacerdos magnus, qui è Babylonica captiuitate rediens, primus sacerdotio functus est, ac templum Domino extruxit. His uerò per omnia pulchre respõdens Dominus noster, Dux, Rex, & Sacerdos populi Dei, fideles è captiuitate Sathanæ liberatos duxit in sedes beatas, purificatos prius corporis & sanguinis sui uictima. De Iesu filio Iosedech elegans contextitur uaticinium apud Zachariã, cap. 3. quod studiosi legant & huic loco aptent. Aduerte. His uerbis explicat Euangelista Iesu & naturam & officium. Naturam quidem, quod Deus sit, cum dicit, saluum faciet à peccatis, &c. id est peccata remittet, & gratiã cõferet. hoc solius Dei est primò impartiri hominibus. Officium eius est remittere peccata, nos patri reconciliare, & uiam nobis sternere ad patrem, quo cum ipsius gratia æternum uiuamus. Hæc est summa totius Euangelij, hoc Christi præconium, à scriptura frequenter nobis inculcatum, ut in eum nos totos reiiciamus. Obserua uocem, suum. Sunt populus Dei, qui credunt, tam Iudæi quàm Gentes: saluat populum suum à peccatis suis. Nã peccato roboratur diabolus, mors & infernus: dissolutis itaque peccatis, eneruata cecidit mors cum inferno & diabolo. Itaque Christus hostia corporis sui peccatum aufert, & expiat, ut æternum uiuamus in cælis, liberati à morte ac dånatione. Porro cum dicit, à peccatis, nulla exclusit: Omnia enim peccata totius mundi abstulit Christus Dominus. Obserua: cum dicit, saluum faciet, &c. ne uideatur hæc salus esse carnalis, ait, à peccatis eorum, hoc est ab ipsa radice malorum omnium liberabit eos. Rogabis. Quomodo saluauit nos à peccatis, cum adhuc peccatores simus, & nemo Christianorum audeat dicere, se sine peccato esse? Respondeo. Ita sumus saluati, ut licet adhuc peccatores simus, tamen peccati uenenum uires suas amisit. Primùm, in eo quod nos amplius non damnat, Rom. 8. Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu. Deinde in eo, quod nos sibi subiectos amplius non habet, ut obediamus concupiscentiis eius, non existentes

Christus quis sit, & quid colatur, uenit.

Populus Christi saluandus. Saluifica uirus soli Christo competit ex natura. Salus quid. Iudices saluatores dicti. Apostoli saluatores.

Christus quomodo saluat.

Methodus salutis per Christum collatæ.

Nomen salutis sub cælo. Typi Iesu saluatoris. Iosue dictus Iesus.

Iosedech sacerdos dictus Iesus.

Iesu natura & officium. Iesus natura Deus.

Iesu officium.

Populus Dei Peccati uis. Peccati quomodo dissolutum.

Salus nõ carnalis, sed à peccatis, & spiritalis.

Quomodo Christus nos etiam adhuc peccatores saluat.

Peccati uenenum amisit.

sub lege, sed sub gratia, ut scribitur Rom. 6. Vigilanter itaque obseruandum est, ut uirtus ista Christi saluifica in nobis ueritatem suam exerceat. Obserua quomodo angelus hac uoce, saluum faciet populum, &c. deicit opinionem Pharisæorum cum suis traditionibus humanis falsò introductis.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem.

Argumento à pronuntiatu confirmatur angeli institutum similiter & Euangelista. Allegatur enim uaticinium ex Esaia Prophetæ cap. 7. Atque id quidem sic inducitur, ut intelligere possimus illud uel ab angelo adhuc Iosepho esse propositum, uel ab ipso autore lectoribus obiectum. Et prior quidem sententia uidetur simplicior, & magis mihi arridet ac placet, quamuis posterior non sit mala. Ne fortuito putaret Ioseph ista euenisse, angelus docet Esaia eadè multo antè prænuntiasse, ut autoritate scripturæ, ceu oraculi diuini, confirmetur Ioseph. Quod nunc geritur mysterium & tibi annuntio, nimirum quod Iesus Christus saluator ex diua uirgine, de Spiritu sancto fecundata, nascetur homo, iuxta naturam & officium suum uocabitur Iesus, quod saluatorem significat: rectè etiam Emmanuel dicitur, quod per ipsum nobis Deum præsentem ac propitium habemus: hoc olim Dominus per os Esaia Prophetæ se facturum promiserat, paucis depingens huius conceptus & nouitatem inauditam, & fructum optabilem. Obserua. Non dixit, dictum ab Esaia, sed à Domino per prophetam. Nõ enim homo à se loquutus est, sed Deus per os hominis, unde fide dignum oraculum est. Aduerte prophetiam dici prænuntiationem futurorum, quorum aliqua sunt, quæ solus Deus operatur, & hæc uocatur prophetia prædestinationis, qualis est illa, Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Similiter prænuntiatum tempus aduentus Christi à Daniele, iuxta septuaginta hebdomades. Atque hæc prophetia à Deo infunditur, & datur ipsi prophetæ citra ipsius operam. Quædam sunt futura, quæ tametsi à Deo fiant, sunt tamen per causas secundas. Hæc ipsa consideranda ueniunt, cum secundum præscientiam Dei, tum secundum ordinem causarum inferiorum. Si Lazari suscitationem obseruauerimus ex ordine causarum naturalium, concludemus, & uera erit assertio, quod Lazarus nõ excitatur, quantum ad causas naturales attingit. Quod si considerauerimus iuxta ordinem diuine præscientiæ, de Lazari suscitatione, non dubitabimus, quod iuxta Dei præscientiam uentura erat. Quare prophetia cum prænuntiatio est, ut est in præscientia diuina, semper impletur. Si uerò est iuxta ordinem causarum inferiorum, non semper impletur, qualis est illa, qua usus est Esaia 38. cap. ad Ezechiam, Dispone domui tuæ, quia morieris & non uiues. Colligamus ex his triplicem prophetiam, prædestinationis, præscientiæ, & comminationis. Hæc ultima frequenter habet conditionem latentem, nisi resipueris, aut huiusmodi.

Ecce uirgo in utero habebit.

Rei nouitatem, ipsamque inauditam in primis adducit: deinde huius rei fructum desideratissimum uerbo Emmanuel explicabit. Vox, ecce, mutat auditore, ad audiendũ rem inopinatam & inauditã. Nunquam enim auditum est puellam salua uirginitate peperisse. Nisi uirgo manens uirgo peperisset, quomodo admirabile signum prædictum fuisset ab Esaia? Non enim mirabile est, quod puella cõgressu uiri recepto concipiat, & pariat. Nomen Hebræum apud Esaia non est Bethula, quod propriè uirginem significat, & intactam uiro, sed Alma siue Aalma, significans puellam siue adolescentulam: nec simpliciter scribitur: præponitur enim litera, uim articuli habens, ut non de quauis adolescentula accipiat, quod nihil fuisset admirabile: (sic enim de infantula licet loqui, Hæc pariet liberos, at non protinus pariet infantula) sed certa quæpiam, ut insignis uirgo deno-

Argumento à pronuntiatu confirmatur Ioseph. Capita legationis Gabriele. Emmanuel.

Dicuntur à domino quæ ore prophetarum pronuntiantur. Prophetia est prænuntiatio. Prophetia prædestinationis.

Qualis prophetiam necesse est semper impleri, qualem uerò non. Prophetia triplex.

Ecce uocula attentionis.

Bethula, Alma siue Aalma.





Alma.

terur, quæ sit paritura. Similiter Græcis non legitur simpliciter *παρθενος*, sed *ἡ παρθε-  
νός*, id est, virgo illa insignis & nobilis, &c. Proinde uox Alma non in quamuis  
virginem competit, potest enim & anus esse, sed in eam virginem duntaxat, quæ  
puella sit, & iam nubilis, ac non dum nupta, hoc est non cognita uiro. Vnde san-  
ctissimè obseruatur ab Ecclesia hymnus ille, Beata mater & innupta, &c. Mater  
est, & tamen innupta, id est, virgo, & qua non est uiro cognita. Hoc testimonium  
calūniarum Iudæorum de  
virgine.  
Signi dati  
Achaz inter-  
pretatio.

Calūniarum Iudæorum de  
virgine.  
Signi dati  
Achaz inter-  
pretatio.

Cum Iudæis  
non contem-  
dendum.  
Habere in u-  
tero.

terur, quæ sit paritura. Similiter Græcis non legitur simpliciter *παρθενος*, sed *ἡ παρθε-  
νός*, id est, virgo illa insignis & nobilis, &c. Proinde uox Alma non in quamuis  
virginem competit, potest enim & anus esse, sed in eam virginem duntaxat, quæ  
puella sit, & iam nubilis, ac non dum nupta, hoc est non cognita uiro. Vnde san-  
ctissimè obseruatur ab Ecclesia hymnus ille, Beata mater & innupta, &c. Mater  
est, & tamen innupta, id est, virgo, & qua non est uiro cognita. Hoc testimonium  
calūniarum Iudæorum de  
virgine.  
Signi dati  
Achaz inter-  
pretatio.

Cum Iudæis  
non contem-  
dendum.  
Habere in u-  
tero.

Cum Iudæis  
non contem-  
dendum.  
Habere in u-  
tero.

Et pariet filium, & uocabis nomen eius Emmanuel.

Verbum pa-  
riendi & fru-  
ctificandi.  
Emmanuel.  
Dei solius est  
saluare.

Argumento à commodo & fructu excitat animos ad concipiendum uerbum,  
ut pariamus & fructificemus, hoc fructu facti fecundi. Pariet filium, cuius nomē  
Iesus est, quod saluatorem significat: rectè etiam Emmanuel dicitur, quod per ip-  
sum uerè præsentem ac propitium Deum habeamus. Nam ubi salus, ibi Deus, cu-  
ius solius uerè est saluare, cum salus hominum uana sit, quibus, ut filiis hominū,  
non est fidendum, Psal. 60.

Quod est interpretatum, nobiscum Deus.

Emmanu.  
El.  
Emmanuel.

Ardentis charitatis signū est in Mattheo, quod lectori linguæ Hebraicæ impe-  
rito afferat interpretationē uocis Emmanuel. Nam Emmanu, nobiscū: El, Deus:  
Emmanuel, nobiscum Deus. Quandoquidē hic suum populū Deo reconciliabit,  
atque ex infenso reddet propitium, uersansque inter homines copiosissimam ac  
cumulatissimam illis conferet beneficentiam, cuius suauissimam experti doctri-  
nam, experti, inquam, vim miraculorum, rursus præsentem energiam, robur  
ac imperum Spiritus eius, nouo & inaudito more seipsum prodentis, in his qui do-  
ctrinam Euangelij exceperint, & in ipsum crediderint, iure optimo ac merito cla-  
mabunt, nobiscum Deus. Excipe, o fidelis anima, hunc ex utero virginis fructū  
& partum, quo nihil optabilius. Nam hic virginis partus id nobis attulit, ut hu-  
mano se generi Deus coniunxerit in Christo. Nec putandum est otiosam esse &  
infrugiferam istam coniunctionem, quæ primū nos Deo reconciliauit in Chri-  
sto, 2. Corinth. 5. Deinde, carnem nostram ad dexteram patris in cælis colloca-  
uit, & supra omnia exaltauit. Tertio etiam hoc attulit, ut in omnibus aduersis si-

Vnionis hy-  
postaticæ fru-  
ctus.

denter dicere liceat cum Paulo, Roma. 8. Si Deus pro nobis quis contra nos? Af-  
fert & hoc oraculum aliam consolationem, quod non dicit, Et uocabitur nomen  
eius Deus, id quod admodum parum consolationis haberet: nihil enim aut pa-  
rum nobis adhuc applicaretur. Sed, Et uocabitur nomen eius Emmanuel, nobiscum  
Deus. Non solum Deus, sed nobiscum Deus. Nobiscum (inquit) non sine  
nobis, non contra nos, sed nobiscum & pro nobis. Ut sciamus hunc puerum no-  
bis natum, nobis datum esse, ut & alibi Propheta Esaias dicit, Puer natus est no-  
bis, & filius datus est nobis. Verè itaque Christus à credentibus uocatur Emma-  
nuel, qui illum confitentur uerum Deum, & uerum hominem: qui credūt illum  
in nostram carnem uenisse, uerum Deum, ut nobiscum esset, & nos cum illo: ut  
esset caro de carne nostra pro similitudine absque peccato: & os ex osibus nostris:  
ut nos sibi insolubili coniunctione coniungeret, & in sempiternum saluaret: ut ef-  
set caput nostrum, & nos illius membra: ut esset sponsus noster, nos sponsa: ut ef-  
set primogenitus Dei, nos illius fratres, &c. Obserua, Deum multis uariisq; mo-  
dis, nobiscum esse. In primis per assumptam naturam humanam, Ioan. 1. Verbū  
caro factum est. Per naturæ conformitatem, quia in omnibus similis nobis absque  
peccato, Philipp. 2. In similitudinem hominum factus, habitu inuentus ut homo.  
3. Per conuersationem corporalem, 1. Ioan. 1. Quod audiuius, quod uidimus oculo  
nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ,  
&c. Rursus in sacramento altaris hunc nobis habemus. Item per cōuersationem  
spiritualem infra ultimo cap. Ecce ego uobiscum sum usque ad cōsummationem  
seculi. Theophylactus Chrysofostomum sequutus legit, uocabunt non uocabitur.  
Vocabunt (inquit) id est opera eius demonstrabunt eum Deum esse & nobiscum  
uersari. Diuina enim scriptura ex operibus imponit nomina, sicut cum dicit, Esa.  
8. cap. Voca nomē eius Accelera, spolia detrahe, &c. Quia simul ut natus est Do-  
minus, direptus, & captiuus abductus est error. Colligamus ex superioribus,  
quod uera & illibata uirgo fuerit Christi mater, & quod hæc conceptio non com-  
muni aliis hominibus modo per uiri congressum, sed nouo, inaudito, & miraculo-  
so modo, uidelicet, per Spiritum sanctum, manente & intemerata uirginitate ma-  
tris. Sic Daniel, 2. cap. oculis spiritus eam intuens, in uisione de quatuor monar-  
chiis, in terra, ait abscissum esse lapidem de monte sine manibus. Quæ uerba ha-  
ctenus in Ecclesia de Christo & benedicta matre ei<sup>9</sup> uirgine Maria intellecta sunt.  
Christus enim saxum illud est: qui sine manibus, hoc est sine semine & admini-  
culo uiri, è uirginali corpore Mariæ sumptus est. Sic hunc locum accipiunt &  
interpretantur sancti & pij ueteris Ecclesiæ doctores, ut Didymus, Ambrosius  
Roma. 10. Hieronymus in. 2. cap. Danielis. August. in Ioan. tract. 9. cap. 2. Ire-  
næus lib. 3. contra Valentinum cap. 8. sicque haud dubiè consentiens piis istis do-  
ctoribus tota Ecclesia intelligit. Deinde ex superioribus colligamus Iudæis tria  
esse uocabula, quæ puellam significant: Primum est, Naherah, quæ uox significat  
puellam, siue illibata sit, siue uitiata. Alterum uocabulum est, Bethula, significans  
virginem intemeratæ pudicitie. Tertium, Haalma. eaque uoce & hoc loco pro-  
priissimè & appositissimè utitur Esaias de Maria. Significat enim puellam uir-  
ginitatis illibatæ, sed uiro maturam & nubilem, adque pariendum aptam. Et  
dignum obseruatione est, quod hæc uox nunquam in diuinis literis usurpetur  
pro puella quæ uirum cognouerit. Præterea diligenter obseruandum est, quod  
Haalma non simpliciter virginem quamuis significat, (quod diuus Hierony-  
mus adnotauit) sed absconditam & quasi conclusam virginem, quam paren-  
tes diligenti ac sollicita custodia, obseruationeque domi continent & seruant.  
Atque ita Maria, Haalma uocatur, non tantum ob id quod uirgo intemeratæ ac  
illibatæ pudicitie fuit: sed quod uirgo parentum cura atque custodia diligenter  
asseruata, & optimè, piè & sanctè educata & instituta est, Coniunguntur men-

Christus uerè  
Emmanuel.  
Christus cui  
in nostram  
carnem uenit.

Deus nobiscum  
est uariis  
modis.

Vocabunt  
Emmanuel.  
Vocari pro  
demonstrari.  
Nomina ab  
operibus im-  
posita.



daces Iudæi ex scriptura, in qua Haalma nusquam adolescentulam viro usam, sed virginem duntaxat intemeratam significat. Vt Genes. 24. Rebecca cum nōdum Iacob desponsa esset, uocatur Haalma, quæ certè uirum nunquam cognouerat, ut uerba textus conuincunt. Eadem significatione usurpatur hæc uox Exod. 2. de Miriam Moyfi sorore. Item Psal. 66. Item in Canticis cap. 1. & aliis plurimis locis: Sed obcæcati sunt & indurati Iudæi, nec scripturarum intelligentiam aut cognitionem ullam habent. misereatur illorum Deus. Amen. Rursum colligamus, quòd Deus nunc est apud nos & nobiscum, non tantum per gratiam suam, & quemadmodum semper ubique est, quemadmodum etiam olim apud patres erat: sed alio & nouo singularique modo nobiscum est, uidelicet corporali præsentia, uel præsentis corpore. Deus enim homo factus est. Et, ut ait Paulus Coloss. 2. Omnis plenitudo diuinitatis habitat in eo corporaliter. Hoc est Deus non tantum in Christo est uirtute & gratia sua, sicuti in omnibus sanctis & piis est: sed Deus ipse habitat in sanctissima humanitate Christi, ueluti in templo suo. Ita ut Deus & homo in Christo sint unus Christus, ut Athanasius in symbolo ait. Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Hoc est, sicut ait Augustinus lib. de Trinitate 10. cap. 9. In rebus per tempus creatis illa summa gratia est, quòd homo in unitate personæ coniunctus est Deo: In rebus uerò æternis summa ueritas rectè tribuitur Dei uerbo. Quis posset humanæ naturæ nostræ honor maior, quæ dignitas excellentior contingere, quàm quòd se Deus ipse è cœlis, è summa maiestate & gloria sua in has terras demittens, non angelicam naturam assumit, sed humanam, semen Abraham. Hebr. 2. cap. atque ita sit uerus homo ut naturam nostram ea ratione ad gloriam beatæ & æternæ immortalitatis eueheret? Et ut immensos, incomprehensibiles, imperscrutabilisque thesauros ac infinitas diuitias suæ bonitatis ac pietatis opulente & exundanter in nos effunderet? Vnde nunc uerè dicere possumus, Emmanuel, Deus est nobiscum. Cùm non tantum apud nos & nobiscum sit ut creator & gubernator apud creaturas suas cum gratia sua, agitans, uegetans, alens & cōseruans omnia uirtute sua: sed etiam nunc cùm homo sit, nouo & peculiari modo apud nos est. Olim apud creaturas erat duntaxat Deus. Nunc est apud nos homines ut homo Deus: estque diuinus homo, & humanus Deus. Si igitur Deus nobiscum, ait Paulus Rom. 8. quis contra uos? Gaudeamus igitur & gratias agamus Deo pro maximo hoc mysterio sanctissimæ ipsius & saluificæ incarnationis. Nunc enim mortalis natura nostra certam & firmam spem, adeoque pretiosissimum pignus uitæ habet, ut neque metuat neque ambigat, quin unà cum Christo in æternum sit uictura. Siquidem, ut pius ille doctor Athanasius libro de passione Domini ait, Mortale immortali erat conglutinandum, & corruptibile corpus cum incorruptibili uerbo sociandum. Per uerbū igitur immortale, etiam mors mirabiliter abolita est in eo, haud aliter quàm ab igni culmus absumitur. Benedicta igitur in secula hæc Haalma inter mulieres, & benedictus fructus uentris eius uerus Emmanuel.

Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini.

Postea quàm summi Dei nuntius sermonem absoluit, à somno expergefactus est Ioseph, qui multa perfusus lætitia, alacer paruic oraculo, missum faciens traducendæ uxoris consilium. Agnoscebat sanè uaticinium, credidit mysterio subseruiendum, & suscepit secretum celandum. Obserua in Iosepho magnam fidem, & promptam obediētiā, quæ certè opus fuit diuini Spiritus, ita animum eius ad angeli oraculum formantis. Hæc Iosephi obediētia nobis omnibus imitanda uenit, præsertim quum apertum & clarum Domini præceptum nobis proponitur. Huic enim tantam debemus reuerentiā, ut simul atque istud à Domino audierimus nuntiari, protinus uel ardentissimis affectibus nostris ualedicamus, & glo-

Iosephi prompta obediētia.

Reuerentiā præcepto debita.

riam demus Deo. id quod in præsentis causa fecisse legitur Ioseph. Ex his, & superioribus, pius lector cum Iosepho manifestò intelligit, Matrē Domini virginem esse, unde & natiuitatem puram & sacrosanctam esse necessarium est. Certè in Symbolo Apostolorum conceptio refertur ad Spiritum sanctum, natiuitas ad virginem. Immaculata est ergo conceptio, quia est ex Spiritu sancto, apud quem nulla est pollutio. Integra & sacrosancta est & natiuitas, quia uirgo peperit, & peperit filium Dei. Distinctè enim confitemur, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus est ex uirgine Maria. ut conceptionē referamus ad Spiritum sanctum, qui concipiendi uim uirgini dedit, siue ut esset sœcunda & grauida (uirtute enim Spiritus sancti concepit uirgo) natiuitatem autem ad uirginem, quæ peperit, & uirgo permansit. Huc pertinet quod Proclus episcopus in Synodo Ephesina dixit: Sanè nisi uirgo permansisset ista mater, purus homo genitus, & non admirabilis partus fuisset. Quia igitur post partum mansit uirgo, est utique is ineffabiliter natus. Sic de matrice progreditur, ut per aurem fuerat ingressus. Sic nascitur, ut est cōceptus: impassibiliter introiit, ineffabiliter exiuit. Et Sedulius presbyter in suo carmine Paschali cecinit:

*-Tunc maximus infans*

*Intemerata sui conseruans viscera templi,*

*Illesum vacauit iter, pro uirgine testis*

*Partus adest, clausa ingrediens, & clausa relinquens.*

Et mox de eadem uirgine canens, ait:

*-Quæ ventre beato*

*Gaudia matris habes cum uirginitatis honore.*

*Nec primam similem uisa es, nec habere sequentem.*

*Sola sine exemplo placuisti foemina Christo.*

Et accepit coniugem suam.

Quasi diceret, Ne qua disidij suspicio cuiquam oriri posset, arctius sibi coniugem adiunxit, eidem inseruiens: & cùm totam sentiret Deo dicatam, uenerans, & adorans in ea diuinum mysterium: nolens, imò ne cogitans quidem, attingere, quam sibi diuinitas unice uindicasset.

Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.

Sui erroris patrociniū Heluidiani uenantur ex hoc loco, dicentes Ioseph con- gressu maritali uirginem cognouisse, posteaquam Christum peperit. Hi non animaduertunt Hebraei sermonis proprietatem, qua usus est hoc loco Matthæus, sicut & Moses Genesis 8. dixit de coruo emisso, qui egrediebatur & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram: quo sermone Moses significat auem illam nunquam fuisse reuersam. Donec itaque accipitur pro nunquam, & significatur hoc loco Iosephum, neque ante partum, neque post partum congressu maritali cognouisse Mariam coniugem suam. Fastidit Heluidius hæc uocem, primogenitus, propter quam magis obduruit, & suo errori pertinacius adhæsit, non intelligens, quòd in scripturis primogenitus dicitur, ante quem nullus alius ab eisdem parentibus editus est, etiam si nullus post eum unquam editus fuerit. Obiicit impostor ille Græcum articulum sibi fauere, τὸν πρωτόγονον. Certè accipiendus est articulus ille interpretatiuè, ut intelligamus eundem illum filium, de quo prius est loquutus, & quem è Spiritu dixit conceptum. Eadem de causa addidit ἀντὶς, id est suum. Proinde pius animus Heluidianus abiiciet, & de Maria uirgine, uas tam sancto, atque electo ut Christum nobis pareret, non nisi sanctissima cogitabit, nec unquam suspicabitur eam, quæ grauida semel facta fuit è Spiritu sancto, sustinuisse, ut postea grauidaretur ab homine. hoc ut credamus momentum præcipuū

Natiuitas Christi necessaria pura.

Cōceptio ad Spiritum sanctum referenda.

Natiuitas Christi ad uirginem. Proclus Episcopus. Partus uirginis qualis.

Sedulius.

Heluidiani heretici.

Donec particule acceptio

Primogenitus.



Christus uerè primogenitus & unigenitus. affert consensus perpetuus Ecclesiæ, à qua qui recesserit, hæretici cum Heluidianis nomen meretur. Aduerte. Christus uerè primogenitus est, licet post ipsum non fuerit alius, cui uerè debeatur primogenituræ ius. est & unigenitus, ut non habēs alium fratrem. Ad hæc uidetur Matthæus noluisse numerum & ordinem partus, sed magis dignitatem eius, quem primogenitum appellat, indicare.

Et vocauit nomen eius Iesum.

Interim cælestis ille fœtus in sacro virginis matris utero adolefcebat, qui suo tempore, hoc est absoluto & transacto nono mense, ex matre uirgine prodiit, cuius integritatē non abstulit, sed cōsecrauit. Ioseph, ut ab angelo erat iussus, adfuit uirginis obsequio, atque patris hætenus uices gerens, puero nomen Iesu indidit, iuxta legis præscriptum, dum octauo die circuncideretur. Obserua, Euangelistas nomine Iesu usos, ut proprio nomine personæ.

## CONCILIATIO PRIMA.

Matthæus discrepare uidetur à Luca in recensenda genealogia Christi, quòd hic per Nathan stirpis seriem deducat ad Dauid, ille per Salomonem. Respondeo. Inter hos Spiritu Dei afflatus conuenit. Sed pugnantia uidetur his, qui legem successione ignorant, nec intelligunt in hac genealogia nonnullos esse homonymos, id est cognomines, nonnullos binomines aut etiam trinomines, interdum cognomina addita ipsis misceri nominibus. Apud Hebræos filij, iuxta legem, & iuxta naturam dicebantur. Lex erat, Si quis sine liberis deceffisset, ut huius frater instauraret posteritatem defuncti. Itaque qui sic natus erat, duos habebat patres, alterum naturalem ex quo natus erat, alterum legalem, in cuius nomen & progeniem succedebat, nēpe defuncti. Hoc modo cum posteritas Salomonis defecisset in Ochosia, ex Simeon cognominato Ioas, qui prognatus erat è stirpe Nathan filij Dauid, instaurata est posteritas Salomonica. Itaque Nathan filius Dauidis dictus est, Ahiscar, id est frater principis, & institutus est, ut deficiente Salomonis stirpe, familia eius in regno succederet. Qui enim ita succedebat, dicebantur Ahiscarim, id est fratres principis, uel Mathitim, id est donati ad succedendum. de qua re Philon ita scribit: Orta lite inter filios Dauid, quos ex Bethsabea genuerat, quis regno præcederet, Dauid edicto statuit à iunioribus inchoari, & ut alter succederet ubi posteritas naturalis deficeret. Itaque à Salomone minimo cœptū est, & à Nathan illi natu propinquiore filio dicto Ahiscar & Mathat, & posteris eius Ahiscarim atque Mathitim, id est ut omnes dicerentur & essent fratres principis, & donati tempore ad succedendum. Hinc usque ad Iosaphat & Ahasiam, qui unicus solus ex Ioram & Salomone superstes erat, posteritas Nathan semper dicta est Ahiscarim. At perempto Ahasia (qui aliàs dicitur Ochosias) defecit posteritas Salomonis. Hoc ut deprehendit Athalia mater Ahasia (quemadmodū scribitur 4. Reg. 11. & testatur Philon) conata est delere omnem stirpem regiam Ahiscarim: Sed obstitit Iosaba filia regis Ioram soror Ochosia, quæ suffurata est Ioas filium Ochosia de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & abscondit hunc à facie Athaliæ, ut non interficeretur, eratque cum ea sex annis clam in domo Domini. Hic Ioas, quum minimus esset ex Ahiscarim, saluatus est, dictus & Eliakin. Nam Syris & Aegyptiis synonyma sunt Eli, Eliakin, Ioakin. Hic Ioas primus ex domo Dauid & posteritate Nathan, dicitur filius Ahasia, non naturalis, sed iure successione. Erat enim Ioas de Nathan, non ex Salomonis stirpe. Quare reges, qui in utroque Euangelista Matthæo & Luca post Ioas narrantur, ad Nathan non Salomonis posteritatem pertinent: & licet aliis à Luca quàm Matthæo nominibus nominentur, tamen non personarū, sed nominū sunt discrimina tantum. Et à Ioas (ut Philo testatur) & deinceps, in rememoratione reges semper binomij & trinomij fuerunt. Nā hic Ioas Lucæ & Philoni dicitur Simeon. Amasias dictus est

Filius legalis & naturalis. Lex successione. Salomonis proles defecit in Ochosia.

Ahiscarim fratres, Mathitim, donati. Philo Iudæus de lege successione.

Ahasias idē qui Ochosias ultimus Salomonis.

Ioas, ut regnaret, furto sublatu.

Ioas Ahasia filius legalis. Ioas è Nathan. Eadem personæ in genealogiis apud Matthæum & Lucam.

est Leui, Hosias Mattha, Ioathan Ioram, & alij qui sequuntur ascendendo in genealogia, binomij fuerunt. Hæc indicant Lucam cum Matthæo conuenire, nisi quòd totam posteritatem Salomonis Lucas omisit, & pro ipsa posteritatem Nathan recensuit.

## SECUNDA CONCILIATIO.

Variare uidentur Matthæus & Lucas in recensendis regibus à Zorobabele. Nā à Luca similiter & à Philone post Zorobabelem nominatur Rhesa, Ioanna, Iuda: Matthæus uerò illi subiungit Abiud. Respondeo. Coniicere licet à Matthæo non omnes vulgò, sed nobiles tantum recenseri, ipsūque satis indicasse sese generationes non uoluisse Iudaico rigore numerare & scrupulos ferere. Nam facit tres resaradecadas Patrum, Regum, Ducum, prudēter & scienter omittens in secunda tres generationes. Quasi diceret. Sunt generationes nō quidem contemnendæ, sed uis sita est in promisso Christo per generationes Abraham & Dauid. Proinde Philon scribit cognomētum Rhesa fuisse Misicollam, quod opinor, 1. Paralip. 3. Mosollam dici. Illic enim primus inter filios Zorobabelis numeratur, quū dicitur Zorobabel genuit Mosollam. Qui uerò apud Matthæum Abiud dicitur, haud scio num is sit, qui, 1. Paral. 3. dicitur Obadia filius Arnam, filij Raphaia, filij Iesaja. Filius itaque est Zorobabelis non immediatus, sed mediatus. Matthæus ergo per Abiud deducit naturalem genealogiam Ioseph coniugis Mariæ: Lucas uerò per Rhesa, cognomento Misicolla siue Mosolla, deducit naturalem genealogiam Mariæ uirginis: ut uideas Ioseph & Mariam de eadem tribu fuisse, licet à Zorobabele diuersos habuerint proauos.

## SECUNDI CAPITIS

Argumentum.

Stella duce Magi Christum adorant: Christus angelo nuntiante in Aegyptum secessit, à qua in Nazareth rediit post mortem Herodis.

## CAPVT SECUNDVM.

a. Venim⁹, iuxta grecū præteritum est. q. d. ad hoc uenimus, ut adoremus eum. b. Non ubi nat⁹ esset, sed ubi secundū prophetias nati scī debebat. c. Inter tribuū principis. hoc uerò dicitur Hierusalē quoq; pariter comprehendit. d. Accurate perquisiuit, quo tempore stella apparuerat illis.



VM ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriēte uenerunt Hierosolymā, dicētes, Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & a uenimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cū illo. Et cōgregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus b naceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in c Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meū Israël. Tunc Herodes clam uocatis Magis, d diligēter didicit ab eis tempus stelle, quæ apparuit eis, & mittēs eos in Bethlehem,

Anno Domini.

Mich. 5. 2. Ioan. 7. 42.



dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & quum inueneritis, renuntiate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Qui cum audissent Regē, abierunt: & ecce stella, quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum ueniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eū, & apertis thesauris suis obtulerunt ei mūnera, aurum, thus, & myrrham. Et <sup>o</sup> responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem per aliam viā reuersi sunt in regionē suā. Qui cum recessissent, Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerū, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui confurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis (ut adimpleretur, quod dictū est à Domino per Prophetā dicentem, Ex Aegypto uocaui filium meū. Tunc Herodes uidens, quoniā illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erāt in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra, secundum <sup>f</sup> tēpus, quod exquisierat à Magis. Tūc adimpletū est, quod dictū est per Hieremiam prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. <sup>g</sup> Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui <sup>h</sup> confurgens, accepit puerum, & matrem eius, & uenit in terram Israël. Audiēs autem, quod <sup>i</sup> Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et ueniens habitauit in ciuitate, quæ uocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus uocabitur.

Iob. 11. c.

Psal. 71. b. 7. q. 1. c. aduersitas. 13. q. 3. c. 1.

c Oraculo uel reuelatione.

f Anno Christi tertio, iuxta Eusebiū secundo: autem iuxta alios. g Cradeltatem Herodis in Christum, & coarctationem eius statim ultio sequitur est, Euseb. h Confurgens) uel excitatus. i In Herodis locū filius eius Archelaus ab Augusto substituitur, & Terrarchæ sunt fratres, Euseb.

Hier. 31. c.

Dei monitu reuertitur Ioseph cū Maria ex Aegypto.

Cum ergo natus esset IESVS.

Christi natiuitas manifesta.

Christus nobis natus & datus.

Natiuitas Christi nota facta à scriptura & testibus.

Iudæorum dedecus.

**D**Ergit Euangelista post declaratam Iesu genealogiam, ostēdere, quomodo Christi natiuitas non fuerit occulta, ut Iudæis nullus excusationis prætextus relinqueretur: alioqui nihil profuisset eius natiuitas, si nobis obscura mansisset, maximè quando non sibi, sed nobis natus erat Dominus. Quamobrem operæpretium duxit aperire, quomodo orbi innotuit, & quibus ille natus ac salutaris sit. Hoc ut faciat, adducit aliquot scripturæ locos, ex Esaia & Michæa scilicet, ut certos eos faciat, Messiam esse natum, non alium expectandum esse. Deinde testes etiam alienigenas uentitantes, qui Iudæorum regem quærunt. Quod certè in magnum Iudæorum dedecus dicitur. Qui cum sint proprius Messiaë populus, tamen sui Regis natiuitatem dormientibus oculis transmittunt, quum homines exotici & alienigenæ

tam studiosè de ea, procul uenientes, inquirant, & certius quid de natiuitate norint, quàm ipsi. Addit circumstantias cum temporis, tum loci, quæ illos certiores huius natiuitatis faciant. Cum ergo (ait Matthæus) natus esset Iesus, &c. quasi dicat, Cum autem ex his progenitoribus natus esset Iesus ex uirgine Maria, citra uirilem operam. Huius secundi capitis summa in duos perstringitur communes locos, in reuelationem & persequutionem Christi. Reuelatio suas habet partes, quarum prima est stella. 2. confessio Magorum. 3. testimonium sacerdotum. 4. Herodis impij agnita formido. His omnibus prædicatur & reuelatur Christus natus, à stella creatura muta, à gentibus alienis, à populo proprio, ab hoste & persequutore, ut sit inexcusabilis qui Christum nescit esse natum.

In Bethlehem Iudæ.

A circumstantia loci, certitudinem historiarum docet. Natus est Messias in Bethlehem, quæ est metropolis tribus Iudæ, haud procul ab Hierosolymis, dicta ciuitas Dauid, quæ eadem nuncupata est Ephrata, Genes. 35. & 48. id est ubertas siue frugifera. Bethlehem interpretatur domus panis. Est & altera Bethlehem Galilææ in tribu Zabulon, de qua Iosue 19. Dicitur Iudæ, à quo tribus Iuda. Aut Iudæ pro Iudæa dictum est, quod peculiari Hebræorum more uocabulum hominis pro gente seu loco usurpetur. Discernendi gratia solent regionis aut alterius nomen addere, uelut Antiochiam Palæstinæ dicimus, quod altera eiusdem nominis sit in Asia. Iuda, regis nomen, Hebræis confessorē sonat. Iudæus, qui & apella & recutitus appellatur, interpretatur confitens: quo nomine nunc indigni sunt Iudæi, qui Christum pertinacissimè pernegant. Tacet Matthæus, qua occasione uirgo à Nazareth ciuitate Galilææ uenerit Bethlehem, ut ibi Christum pareret, quod tamen in Luc. 2. cap. dilucidè narratur. Oportebat autem ibi Christum nasci, propter prophetiam Micheæ, ut infra dicemus. Erat enim ea ciuitas huic partui diuinitus (propter Dauidis familiam, quæ ibi sedem habuerat) destinata.

In diebus Herodis regis.

Regnum non Cæsaris sed Herodis. Cuius principatus anno 32. ut quidam aiunt, aut, ut alijs placet, 36. natus est Christus. Et hoc ipsum nominatim expressit, ut ex circumstantia temporis (quo ablatum erat sceptrum Iuda, & ad Herodem primum alienigenam trāflatum) uerè agnosceret Iudæi (iuxta sui Patriarchæ Iacob, Genes. 49. uaticinium) tempus natiuitatis Messiaë. Præmonuerat ille, Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Huius sceptri translatio non poterat Iudæos late-re. Multo tempore pugnatum est ab Herode cum ipsis, priusquam Herodis dominium Iudæi agnouissent. Non enim de ipsorum sanguine erat, sed exotici & aduentitii, à Romanis senatusconsulto, ut Iudæorum rex esset, præfectus. At Iudæi ex suo Mose Deuter. 17, didicerant, ne principem, aut regem admitterent, nisi qui de ipsorum sanguine, & fratribus prognatus esset. Hinc Iudæi sese Herodi opponebant. Hinc tumultus & exitiale bellum exoriebatur. Herodes à sua parte Cæsarem habebat, & multos eorum trucidabat, omnes urgebat, & affligebat. Inuiti enim, & pro uirili repugnantes, Herodi ferè totis triginta annis negotium fecerunt, tandem nollent, uellent, sustinere eum sunt coacti. Vbi itaque alienigena hic regnum iam triginta annis obtinuisset, & gentem Iudæorum sibi plenè subiecisset, ac iam cum tranquillitate regno potiretur, Iudæique sese dedidissent, desponsa omni spe libertatis recuperandæ, aut eiiciendi tyranni, atque ita per omnia prophetia Iacob esset impleta, tunc tempus erat ut Christus ueniret. Obserua. Herodes externi generis uir (ait Eusebius lib. primo historia Ecclesiastica cap. 4.) à Romanis Iudæorum suscepit principatum. Qui Herodes secundum ea, quæ Iosephus tradit, ex Idumæorum gente paterni, ex Arabum uerò materni sanguinis

Summa 2. capitis Matthæi. Reuelatio natiuitatis Christi. Inexcusabilis qui Christum nescit natum.

Bethlehem metropolis tribus Iudæ. Ciuitas Dauidis. Ephrata. Bethlehem Galilææ. Hebræi nomine hominis pro gente utuntur. Antiochia duplex. Iuda. Iudæus, apella & recutitus. Dauidis sedes Bethlechæ.

Natiuitatis Messiaë tempus.

Iacob tēpus aduersus Messiaë prædixit

Herodes.

Lex exotici in regem nō recipit.

Herodi. 30. annis repugnant Iudæi.

Herodes Idumæus ex patre, Arabs ex matre.



nis originem deducebat. Aphricanus autem ait, Aiunt, qui de eo diligentius explorarunt, Antipatrum quendam fuisse patrem Herodis Afcalonitæ, qui & ipse fuerit Herodis cuiusdã filius, templi Apollinis aditui. Hic Antipater ab Idumæis latronibus captus, admodum puer permanfit cū prædonibus, pro eo quod pater eius rei familiaris inopia filium redimere non ualeret. Verùm puer larronum uita, & moribus institutus, postmodum Hyrcano cuidam Iudæorum pontifici familiaris efficitur, ex quo nascitur Herodes hic, qui Saluatoris temporibus fuit. Hæc Aphricanus. Sexto capite fequēti, idem Euseb. scribit, Defuncto Hyrcano. Antipater Herodi filio suo à Romanis per ambitionem, regnum Iudææ gentis accepit. Herodis huius exitium libro Antiquitatum 17. describit Iosephus, dicens: Herodẽ portò amarior indies morbus urgebat, supplicia commissi paulò antè sceleris expetens. Lento namque igne extrinsecus in superficie corporis urebatur, intrinsecus uerò uastum condebatur incendium. Auiditas inexplēbilis semper inerat cibi, nec tamen satiari unquam rabidis incitata faucibus ualebat nimia gula ingluuiēs. Intestina intrinsecus ulceribus obsepta, doloribus quoque colli quàm maximis cruciabatur: humor liquidus & luridus erga pedes tumidos oberrabat, & ab inferioribus partibus pubetenus tumore distentus erat. Sed & uerenda ipsa putredine corrupta, scatere uermibus cœperunt. Spiritus quoque incredibilis inflatio, & tentigo obscœna satis & execrãda. His autem omnibus doloribus fetor dirior, uel ex membrorum putredine, uel ex respiratione anhelitus reddebatur. Ita ex omni parte cruciatibus fessò, nullã sufficere uires ad tolerantiam poterant. Dicebant ergo hi, quibus diuinandi potentia est, has diuinitus pœnas ab eo, ob multa eius impiẽ & crudeliter gesta, deposci. hætenus Eusebius ex Iosephi loco citato. Trigesimo septimo suæ tyrãnidis anno horribili exitio interijt. Herodes ille, qui cum Pilato amicitias inijt, huius Herodis regis filius fuit ex Cleopatra Hierosolymitide, à quo Ioannes Baptista decollatus est, Christus irrisus, Iacobus occisus, & Petrus in uincula coniectus, frater Archelai, quem Tyberius Cæsar Lugdunum, quæ Galliarum est ciuitas, relegauit, fratrẽmque eius Herodem successorem regni fecit. Legito Iosephum lib. Antiq. 17. cap. 10.

Ecce.

Admirantis particula ad excitandos animos commodissima. Quasi diceret, Orem maximè admirabilem! Videte grande miraculum, ex Orientis remotissimis regionibus Magi ueniunt, adoraturi Christum regem natum. Longè aliter res habet, quàm opinati sunt Iudæi. Putant hunc Christum sibi & non Gentibus promissum esse. Ecce iam uidemus ipsum uelle se omnibus esse perspicuum, qui uenerit seruandis omnibus: ut & bonis innotescat ad salutem, & impiis adimat omnem excusationem ignorantia. Promissus quidem est Iudæis (ex quibus natus est) & his primùm prædicatus ab angelis canentibus Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Sed non tantum ipsis, uerè etiam cunctis mundi nationibus promissus est. Vnde in ipso statim aduentus exordio, uoluit & his innotescere, ut ostenderet simul & illis oblatam esse salutem, & Iudæos horũ exemplo ad æmulationem credulitatis extimularet.

Magi ab Oriente.

Observanda in primis uenit huius nominis ratio. Qui naturas rerum agnoscunt, Magos dicebant. Siquidem Magia propriè talis scientia est, quæ indolem & naturam creaturarum nouit. Vt si quis (dabimus enim hoc paradigma) sciat calcem eius ingenij esse, quod superfusa aqua accendatur, contra uerò oleo extinguitur, quod alioqui ignis fomentum est. Item mustelam eius naturæ esse, quum antè serpentis cauernam caudam motet, serpentem prouocari, & quum proreperit, rum mustela dentes collo serpentino impingit, ita ut uenenum non attingat, & occidit eum. Qui hæc retrusiores artes callent, Magi sunt. Fit enim, ut quum

aliquando ex hac naturali scientia, quædã edant, quæ vulgo harum rerum ignaro, miracula & stupenda uidentur, nihil tale citra cacodemonis opem patrare posse putentur. Huius naturalis Magiæ Salomon per spiritum Dei multa nouit, neque inscitè ea usus est, 3. Reg. 3. iudicans duas illas mulieres, quæ & deprehendit ueram uiui pueri matrem, ubi oppresso altero infante, utraque suum esse contenderet, eum qui uiuebat. Eadem arte usus Iacob, effecit, ut oues aspicientes decoratitas, & variegatas virgas, variegatas item oues parerent, licet ipsæ unicolores, Genes. 30. Insignis & naturalis est hæc scientia, cuius usus in scripturis inuenitur, dum similitudines subinde mutuatur ab animantibus, lapidibus, arboribus, herbis ac aliis rebus naturæ. In hac arte excelluerunt inter reliquas gentes, Persæ & Arabes ac Orientales reliqui. Honesta & liberalis est hæc ars, quæ reddit homines frugi. Sed inciderunt in hanc pulcherrimam naturæ scientiam porci quidam, & crassa capita, ut ferè omnibus artibus & disciplinis euenit, qui à uia deflectentes, nugis quibusdam uanis ac imposturis ipsam conspurcarunt. Vbi enim hanc præstantissimam scientiam non potuerunt assequi, ea dimissa, euaserunt fatidici, præstigiatores ac fictorum miraculorum patratores, qui opera dæmonum interdum futura atque occulta prædicunt, efficiunt etiam aliqua, quæ delusus vulgus putat esse miracula, nonnunquam per naturam, quod artis huius dæmones multa teneant, & utantur etiam ipsis subinde in Magis. Vnde factum est ut nunc Magorum infame nomen sit, quo intelligimus eos duntaxat, qui per dæmones futura prædicunt, ac mira quædam operantur. Ita tamen ut aliquando prædicant uera, ac re ipsa iuuent, propterea quod naturæ operationes, quæ certæ sunt, applicantur cum nonnullis, quæ dæmones adhibere nõrunt. Subinde dæmonum suasu & ludificatione hæc ars sese cælo & astris immiscuit, inde futura prædicere conata. Sic ferè semper humana ratio supra quàm dici possit temeraria, solita fuit, quicquid boni ac sani datum fuit à Deo hominibus, sua curiositate & temeritate ac præpostera imitatione permiscere, corrumpere, perdere, & se simiam præstare, quæ imitari conatur (etiam quod uires excedit) quicquid audierit, uel uiderit. Vnde hæc curiositas octo confinxit modos, quibus relicto uerbo Dei, de ueritate quærere impij contendunt. Primi sunt Arioli uel diuini illi qui futura prædicunt, ut Astrologi ac falsi Prophetæ qui ex afflatu Satanæ uaticinantur. Secundi sunt Discretiores dierum, aduersus quos inuehitur Paulus ad Galat. Hi discernunt dies, unum facientes ad hæc, alium ad alia fortunatum uel infortunatum: hoc die scilicet ædificari, alio demoliri, alio prosperè indici bella, alio scilicet inire matrimonium, & aliis alia rectè geri. Tertij sunt Pythonici, qui spiritus habent familiaris, ut uocant, uel in speculum, uel in imaginem, uel gladium, uel vitrum, uel crystallum, uel anulum, uel clauum aut huiusmodi, coniuratos: eorumque indicio quærunt uidere absconditos thesauros, aliàsque res & facta quæ latent. Quartij sunt malefici, ut quales subinde deprehendunt mulieres, illas perditas concubinas dæmoniorum, quæ solent furari lac, excitare tempestates, equitare super hædis, scopis, palis, secreto infligere tormenta, reddere claudicantes atque marescentes, cruciare infantes in cunis, adimere usum genitalium, atque similia. Quintij sunt Incantatores, qui iumenta & homines conantur incantationibus suis sanare, uel à periculis seruare, serpentes carminibus suis domare, qui multa uidere se, & pleraque signa pernoscere, atque auguria iactant. Sextij sunt Vates qui dæmonem retro aures habent, atque eo indicant hominibus amiffa, quæ fecerunt aut facturi sunt, sicut solent Tartari, & oberrantes illi, qui Aegyptios se mentiuntur, uulgò uocant, Boëmos. Septimi sunt Magi, qui rebus alias species indunt, ut Vacca uel Taurus appareat, qui homo est: atque inflammant ad amandum, & pleraque alia efficiunt opera diabolica. Octauij & ultimi sunt, qui oberrantes spiritus consulunt. Hætenus longa uis sumus digressione,

d iij

Antipater.

Herodis morbus.

Herodis infanticida mors. Herodis filij infanticida tyrannis.

Ecce admiratis particula.

Nascens christi bonitas etiam Gentibus oblata.

Christus omnibus promissus.

Magi. Magia. Calcis natura. Mustelæ natura.

Salomõ Magiæ gnarus.

Iacob Magia usus.

Magiæ usus in scriptura legitur.

Magia ars liberalis &amp; honesta.

Magiæ conspiratores. Fatidici. Præstigiatores.

Magorũ nomẽ unde infame.

Magi dæmonum opera uerentes.

Rationis humane temeritas.

Magiæ modi octo quibus utuntur impij.

1. Arioli.

2. Diuini. Astrologi.

3. Discretiores dierum.

4. Pythonici.

5. Malefici.

6. Incantatores.

7. Vates.

8. Boëmi.

9. Magi.

10. Consultores.



profecūdo necessaria, ut falsis spiritibus, & superstitionis hominum doctrinis obuiarem, atque uerbum Dei & sinceritatem scripturæ tueremur. Copiosiora de magis qui uolent, legat apud Sabellicum Enneade 2. lib. 2. Iam superest, intelligamus Magos, de quibus noster Euangelista mentionem facit, & quos ab Oriente adducit, quos item scriptura & uetus Magos appellat, & Leo Papa & Venerabilis Beda tres numerant, quorum nomina, ut narrat autor historiae scholasticae, fuerunt, Gaspar, Melchior & Balthasar. Magi Chaldaeis ac Persis illi ipsi fuerunt, quos Graeci Sophos uel Philosophos, Indi Brachmanes, uel Gymnosophistas, Aegyptii & Iudaei Prophetas, Latini Haruspices & Sacerdotes, & Sacerdotes Mathematicos: item Planetarios & Astrologos, Galli Druidas & Bardos, Siculi Galeotas appellarunt. Certè Strabo Magos Sacerdotes uocauit, & Aurelius Prudentius interpretes peritos. Ceterum hi Magi Persis magno in honore & pretio uenerationeque fuerunt, ut nec publica sine eorum consilio administrarentur, nec legitime factum uideretur, quod horum sententia non approbaretur. Nam in ipsa Persiarum Monarchia ex Magis post Cambysen, regnarunt duo fratres Magi. Et his occisis, Darius Histaspis & ipse Magus. Vnde consentaneum est & hos Magos, quorum Matthaeus meminit, Principes & primarios fuisse in Persia uiros, qui nimirum diuina gentilibus suis praecepta & documenta edebant. Sunt, qui putant hos Magos ex felici Arabia uenisse, adducti in hanc sententiam, propter dona, aurum, thus & myrrham, quae illi regioni peculiaria sunt, ac inter preciosissima. Nam mos fuit ueteribus, inter honoraria munera, potissimum, quae quibusque domi peculiaria proueniebant, offerre. Vnde Iacob, Genes. 43. mandauit filiis suis, ut de optimis terrae fructibus modicum balsami, mellis, &c. Praefecto Aegyptio afferrent. At quum illa sit ad Septentrionem ipsi Hierusalem, & Euangelista tam constanter dicat ipsos uenisse ab Oriente, dicendum mihi uidetur cum Chryostomo hos adoratores (quos magnus Ecclesiae consensus tres Reges praedicat) ex Perside, ipsi Hierusalem ad Orientem sita aduenisse. Proinde cum Persae felici Arabiae uicini sint, coque aromatibus abundant, nihil insolens est, quod munerata attulerunt, non in propria sed in uicina tamen regione nata, praesertim tam rara atque in omni orbe eximia.

## Venerunt Hierosolymam.

A Perside regione Orientali tres Reges Magi suis honorariis muneribus ornati, Hierosolymam ciuitatem sanctam prauiam stellam sese contulerunt: siue quod intellexerant Scribas & Phariseos illic degere in lege & prophetis eruditissimos, siue quod illic agebant Reges a prophetis uncti. Et praemoniti erant, cum quae querebant, nouum regem haud procul ab Hierosolymis nasciturum. Vnde Iudaeorum metropolin adeunt, quod facilius de loco, ubi esset natus Rex ille Iudaeorum, & certiores fierent & confirmarentur ab ipso rege, & sapientibus Hierosolymitanis. Miraberis fortasse, quare Dominus Magos in urbem Hierosolymam perduxerit prius quam in Bethlehem. Certè oportuit palam annuntiarum natiuitatem Domini ac reuelari non obscuris argumentis, sed demonstrationibus euidentissimis, & maxime vulgaribus, ne quis ignoraret porro Saluatorem mundi esse natum. Dein de oportuit nobis exhiberi uerae fidei ac confessionis uiuum exemplum. Oportuit praeterea accedere calculum propheticum oraculo gentilitio siue Balahamico, ut euidenter fieret, omnis generis oracula, gentilitia & Iudaica conspirare in exhibitum semen benedictum, cui debebatur regnum sempiternum. Oportuit & Iudeos confundi a Gentibus, propter illam suam supinam negligentiam. Obserua. Hierosolyma nomen urbis apud Graecos fere neutro genere pronuntiatum, Hierosolyma, Hierosolymorum: populus ipse Hierosolymi dicuntur masculino genere numero multitudinis, quemadmodum & Solymi. Dicta est haec ciuitas metropolis Iudaeorum Iebus, unde Iebusaei Hierosolymitani, Iosue 18. & Iudicum 19. a Iebusaeo

Magi tres ab Oriente.

Magi qui &amp; Sophi. Magorum uaria nomina apud diuersas gentes. Galeotae.

Interpretes periti, Magi. Magorum auctoritas apud Persas.

Magi reges ex Perside.

Magi reges ex Hierosolyma diuerterunt.

Magi cur prius Hierosolymam quam Bethlehem uenerunt.

Hierosolyma

Hierosolymi Iebus. Iebusaei.

Chananaei filio, & Hierusalē, id est pacis uisio, à Melchisedeco, teste Iosepho condita: postremò Heliā (ut Volaterranus lib. 11. ait) ab Helio Hadriano dicta. Is enim imperator partem eius extruxit, Montem caluarium, Christi sepulchrum, & Golgotha, loca extra moenia antea sita, muro cinxit. Porro haec olim urbs, bifariam diuisa est, in superiorem scilicet & inferiorem. Superior in uertice Sionis unā cum templo in eiusdem montis latere sita erat: quae à conditore interdum ciuitas Dauidis nominabatur. Templo autem adhærebat inferior ciuitatis pars, i. Paralip. 3. A duerte loci Efaia 60. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deportantes, Et Dauidis Psal. 72. Reges Tharsis & insularum munera offerent, Reges Arabum & Saba afferent, nō peculiariter competunt in hos Magos, qui potius praedicunt de Gentium conuersione ad Christum in genere, tam Orientalium quam Occidentalium. Orientales enim per reges Tharsis & insularum, Occidentales uerò per Aethiopes, Arabas, Sabaeos, & reliquos populos (quos uterque propheta nominatim recenset) significantur. Obserua, statim miraculo hanc Christi natiuitatem fuisse illustratam, quem sui ciues & cognati, & in quorum salutem potissimum natus erat, non modò non quaerere, sed nec ultro se offerentem agnoscere uolebant. Vide ciuium socordiam. Inquirunt alienigenam tam è longinquis regionibus, quem propè constitutum Scribae & Sacerdotes nolebant adire, & illum ad ratum adueniunt emenso tam magno itinere Magi & inspectores astrorum. Hoc profecūdo ingens erat Iudaicae gentis dedecus, quod ab alienigenis edoceantur, qui templum, legem, Scribas, & Sacerdotes habeant, & quos utique nihil tale latere debuisset. At, ut erat illis frons aerea, & ceruix ferrea, ne admoniti quidē per hos Magos Christum uoluerunt agnoscere, non in dedecus tantum, sed etiam in perniciem suam irrecuperabilem. Non est putandū has reuelationes natiuitatis Christi duntaxat propter istos Magos & Iudaeos pastores (ut est apud Lucam) esse factas, quasi nihil hic institutum sit diuinitus, quod ad res in regno Christi futuras prospiceret. Praemonstrandum erat, id quod Christus etiam futurum praedixit, quod ab Oriente & ab Occidente uenturi essent, qui cum Abraham & Isaac recuberent in regno Dei. Et hic aduentus Magorum ab Oriente ad quaerendum Christum nondum patefacto Christi regno, admirabilis reuera fuit. Vnde ab Euangelista non sine admirationis nota ponitur: Ecce Magi ab Oriente. Respexit enim Matthaeus ad uilitatem & indignitatem Gentium. Quasi dicat, Ecce hic populus, qui aliquando praepitium uocabatur, ab alienatus à republica Israelis, extraneus à testamenti promissionis: hic, inquam, populus uenit, & recipitur in gratiam, repudiato Israel. Hoc Magorum aduentu coeperunt Gentes esse populus Dei. Certè huius Regis odor & gloria tanta fuit, ut à remotissimis Persiae limitibus instituerint Reges peregrinationem tam longam ad ipsum inuisendum, ipsique supplicandum. Non ergo te pudeat tantum adorare Regem. Horum typum gesserunt, qui uenerunt audituri sapientiam Salomonis, 3. Reg. 4. Et ecce plusquam Salomon hic.

## Dicentes.

Magi Magistros in Israel, tantum mysterium ob oculos à Prophetis & lege (in qua conuenerant) sibi propositum habentes, docent. Quasi dicerent, Hoc est tempus aduentus Messiae, o Scribae, & Pharisei, cum ipsi principatum Iudae, ab alienigena occupatum, ac ita iam Iacob Patriarchae impletam esse prophetiam certò uideatis.

## Vbi est qui natus est Rex Iudaeorum.

Cum certi essent iam natum esse Christum, tantum sciscitantur, quisnam esset locus ille tam inclyto partu felix. Putabant certè Iudaeos non posse latere adeo celebrem natiuitatem, maxime quod nasciturum illum tot seculis expectarent, quodque non solum apud illos, sed etiam ex illis natus esset.

d iij

Helius Hadrianus.

Hierosolymae urbis partitio.

Efaia &amp; psal. locorum intelligentia.

Hierosolymorum locordia erga Christum natum.

Iudaeorum dedecus.

Natiuitatis aeterna reuelatio facta Magis, quid portendit.

Christi odor etiam a natiuitate, latè longèque sparsus. Magorum typi.

Magi Iudaeos docent.



Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, & apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, & animi constantiam, qui intrepidi Herode audire & Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura & legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, & ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed & Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, & admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

## Vidimus enim stellam eius in Oriente.

Magi astiologiam sui aduentus afferunt, ne putarent Hierosolymitani ipsos superstitione uana ductos. Nos (inquiunt) cum procul hinc ageremus in Oriente, eius stellam uidimus, cuius indicio tantum itineris emensi, uenimus Hierosolymam, regiam ciuitatem, Rege, Scribis, & uiris multa Legis ac Prophetarum lectione pollētibus nobilem, ut locum tam nobili ac præclaro partu felicem, nobis ostendant. Stella eius (tantus enim est Rex ut stellas habeat sibi seruentes) admirabili specie nobis conspicua facta est: hanc in Oriente uidimus, & afflatum sensimus: huc nos illa præuia ducatum præstitit, nobis modò disparuit. Existimamus uos legis & prophetarum gnaros, facilè demonstraturos, & nos ad eum locum deducturos, ubi natus est ille Rex Iudæorum. Omnibus notum est, Orientales astrorum studio deditos fuisse: Et hoc in confesso est, multam rerum siue præsentium siue futurarum cognitionem esse ex stellarum & cælestis cursus obseruatione. Quantum autem attinet ad hunc locum, duplex est astrorum obseruatio. Vna certi illius & perpetui cursus syderum: unde obseruata sunt, nouilunia, plenilunia, eclipses, cum solares, tum lunares, certæ errantiū stellarum coniunctiones, & si quæ huiusmodi sunt alia. Altera est rarior, qua si quid extra comunem ordinē inter sydera cælestia deprehenditur, quid portenti subit expeditur: ut cum cometes, uel tres soles, aut aliud quid huiusmodi inusitatum apparet. Solet enim res Deus magnas, ut regnorum mutationes, ingentes clades, &c. cælestibus indicis præmonstrare, de quibus plenæ sunt etiā Gentium historia. Huc pertinebat stella illa, quæ Magi in Oriente uiderunt, insignem, singularē, inusitatā, & ut credibile est,

omnium illustrissimam: unde facile colligi potuit, ortum magni cuiusdam regis indicari. Quomodo uerò cognouerunt ex hac stella in Iudæa natum esse regem? Fortassis factum est aut ex Balaam propheta, aut quòd illa recto cursu Iudæa uersus directam fuit: aut, quòd uerisimilius est, speciali instinctu diuinitus huius admoniti sint. Posterior hæc obseruatio rarissimos hodie sui studiosos habet. Requirit enim animum rerum diuinarum studiosum, & obseruantem, & singularem numinis adhatum. Prior in abusum à nonnullis rapitur, qui non contenti, quæ certa ars illa habet editis libris spargere, etiam quæ ex illa dici non possunt, quæ singulares clades, siue pestis, siue bellorum, siue famis, item magnorum Regum interitus, Pseudoprophetarum ortus, & sectas, magna temeritate certis annis minantur. Et cum inter se tam sint diuersi, tamque innumeris modis fallant lectorem, tamè impunè sua somnia editis libris spargunt: & inueniunt, qui cupidè legant. Hi libelli, præter quàm quòd vulgi curiositatem alunt, multis sæpenumero malis occasiōe præstāt, iam olim digni, quibus inter Christianos nullus esset locus. Priscillianistæ causam insaniendi ex hoc loco acceperunt, dicentes, omnes operationes hominum à fato, hoc est, dispositione syderum ac uirtute corporum cælestium esse. Nam uidemus (inquiunt) Magos per stellam natum Christum agnouisse, & Dominum huic fatali stellarum dispositioni fauere, qui stellam in hoc oriri fecit, ut per eam Magos hos ad Christum suum perduceret. Respondeo. Rerum humanarum dispositio, & earum contingentia non est ex fato, quod uocant uirtutem corporum cælestium, sed ex diuina prouidentia. Obserua. In anima (ait diuus Thomas) sunt quædam potentia eleuata supra corpus, quædam uerò sunt organice affixæ, scilicet potentia sensitua & nutritua. Et corpora quædam cælestia quauis directè agant supra corpora inferiora, & mutant ea per se, per accidens tamen agunt in potentiis organice affixis. In potentiis autem organice affixis nullo modo agunt necessitando, sed inclinando tantum. Dicimus enim istum hominem iracundum, id est pronum ad iracundiam, & hoc ex causis cælestibus: sed directè electio ut sit, in uoluntate est. Vnde nunquam potest fieri tanta dispositio in corpore humano, quin superabundet iudicium liberi arbitrij: unde quicumque poneret liberum arbitrium sub corporibus cælestibus, de necessitate poneret sensum ab intellectu non differre. Secundò quia per hoc excluderetur diuinus cultus. Omnia enim tunc essent ex necessitate, & regimen reipublicæ euerteretur, nimirum neque consiliari, neque aliquid prouidere oppoteret. Deinde hoc modo attribuerem malitias nostras Deo. Quare dicere omnia fato siue uirtute corporum cælestium regi & disponi, aduersatur fidei catholice. Abhorret à nomine fatum magnus ille Gregorius. Absit (inquit) à fidelium cordibus, ut fatum aliquid esse dicatur. Quòd si quis dixerit fatum prouidentiam diuinam, tunc aliquid est. Sed quia Philosophorum uanitas uocabulo fatum innixa est: ideo ab eo nobis abstinendum est. Ut enim nulla communicatio Christi ad Belial: ita neque fidelium cum infidelibus. Quare cauendum est (ait Augustinus) ne hoc nomen imponamus. Quòd si quis eo fuerit usus, linguam corrigat, sententiam teneat. Non est ergo hæc Regis noui natiuitas à syderum dispositione. Rogabit quispiam. Quis igitur corporum cælestium usus? & quale est hoc magorum exemplum, qui stellam sequuntur, ortum noui regis indicantem? Respondeo. Vnus astrorum discendus ad id, ad quod Deus illa tibi dedit, & quod discere ab eis te uoluit. Sol, luna, & stellæ in eum usum condita sunt, quem scripsit Moses Genes. 1. cap. Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos, & luceant in firmamento. Ita sole oriente, agnoscimus diem aduenire: medium cælum occupante, esse meridiem: occidente ipso, noctem ingredi: sic & reliquas temporis partes, ab ipsius motu discimus, quòd commodius operas nostras partiamur & dispensemus. Nempe hoc modo re-

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum. Hic erat Christus Domini. uocant enim Regem Iudæorum, ignari adhuc eum regem esse ac dominum totius orbis. Credebant fortassis futurum aliquè magnum, sapientem, potentem, ac reliquis illustriorem. Possibile est historiam Balaam (de qua Nume. 24.) Orientalibus fuisse cognitam, aut alia illis fuisse de Christo uaticinia, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neque enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo, sed &amp; Gentibus. Prophetia itaque Balaam, Orietur stella ex Iacob, talia dat Christo, quæ insigni cuiuspiam regi, &amp; admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem plenè tenuerint, cum illam ipsi quoque Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio illius in cælos, ignorarint, dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?

Christus qui studiosè perspexerimus, proculdubiò obseruabimus, Christum nusquam ferius ac difficilius innotescere, quàm in opulentis urbibus, aut holosericatorum aulis, &amp; apud eos qui professione scientiæ turgent. Simpliciter itaque animo, palàm quærunt, ac sciscitantur: vbinam est ille qui nuper natus est Rex Iudæorum? His verbis designat Euangelista feruorem Gentium in cognoscendo verbo, quem parit ingens lætitia susceptionis. Ait nanque Esaias 6. cap. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Obserua Magorum fidem, &amp; animi constantiam, qui intrepidi Herode audire &amp; Iudæorum regnum sibi uendicante, audeant in ciuitate regia sciscitari de Rege Iudæorum nuper nato. Quasi dicerent, non spectat ad Herodè hoc Iudæorum regnum, ut qui alienigena est, nos sciscitatur de Rege nuper nato, qui natura &amp; legali successione est natus Rex ipsis Iudæis, &amp; ex ipsis. Obserua Magorum fidem, qui neque Cæsaris, neque Herodis autoritati prospexerunt, citra quam non licebat quempiam Regem pronuntiare. Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci Regem, cum adhuc in ea gente Regum duraret prosapia: Sed hoc tempore insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit Rex Iudæorum: tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabantur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hinc à Magis annuntiarum eius Regis, qui de tribu Iuda tum uenturus erat, iuxta uaticinium Iacob, Genes. 49. cum esset sceptrum ablatum.



Et utamur sole, in signum & mensuram temporum condito. Eadem ratio est, & de luna, ac stellis aliis. Ad hæc, est solis usus, ut secundum æstum eius, agrum tuū colas, & pecoribus prospicias, aliâque procures. Quod si de aliis curiosus inquisitoris, id certè incertum est, imò maiore in parte error, atque impostura. Cuiusmodi sunt, quæ stulti disputant de magnitudine solis, quantum distet à terra, & quâ uirtutem habeat in aurum: item homines sub solis signo natos, esse prudentes, & similes nugæ, quæstionésque, rerum, de quibus omnibus nihil omninò certi nõrunt. Est tamen, cum lumen solis interdum deficit, aut apparet cometes, stellæ uel caudata, quod expectes calamitatem aliquam, & iram Dei. Ita enim experientia docet, imò Christus ipse his signis, quæ sub finem mundi crebriora uentura prædixit in sole, luna, & stellis, ultimum mundi excidium portendi affirmavit. Similia, signa sunt, magnæ tempestates, fulgura, inundationes aquarum, inflammationes in aëre, & in terra. At, quomodo ista accidunt, quid occultarum naturæ uirium in his uigeat, quid occultè operentur, quæ omnia magi superstitiosius peruestigant, scire, neque utile neque necessarium tibi est: satis tibi fuerit, hinc iram Dei agnouisse, & te emendasse uitam. Colligamus ex his, quod huiusmodi in cælo insolite apparitiones, aliquid semper portendunt, aut iam adesse significant, sicut illas Dominus ad certos euentus designandos edidit: sed quam naturam habeant, & quid certò ac in specie efficiant, in incerto est, & ab astrologis præpostera curiositate uestigatur. Bene itaque hi Magi hac stella usi sunt: nimirum in signum illis edita erat, & ut signo ea sunt usi, nihil præterea circa eam nugati. Quare in hoc Magorum ducatu & aduentu nihil offendi potest, quo Priscillianistæ & astrologi suam falsò iactatam scientiam, confirmare queant. Nam Magi nihil de Christo ex hac stella futurum prædixerunt, aut quid ipsi postea debuerit contingere: neque hæc inquirunt. Sed quum illis in signum deducèdi ipsos ad nouum Regem fuerit data, eaisa ut signo tali usi sunt, & sequètes ducatum eius, Christum, inuenerunt. Ad hæc, Astrologi nihil de hac stella nouerant: quibus ut obturaret os Dominus, non est usus ad deducèdos Magos ad Christum, stella aliqua, quam ipsi suis nugis conspurcassent, & potuissent iactare suæ arti cognitum, sed condidit in hoc nouam, de qua nihil antea garrissent, ut si garruli obicere uoluissent, Christum sub astris natum, potuisset ipsis responderi, hanc stellam tamè Astrologis nunquam uel cognitam uel uisam fuisse, neque ipsorum artem huius stellæ, uel uerbo, meminisse. Quod si (ut ipsi fingunt) sunt in aliis stellis, de quibus somniant ipsi & nugantur, omnium hominum casus: quum tamen uideant suas, quas nõrunt stellas, & de quibus fabulantur, nihil efficaciam habuisse in Christum, propterea quod peculiarem habuerit stellam ipsis incognitam, & cælo non adfixam: profectò facillè conicere possunt, nec in alios homines ipsas habere uim disponendi ac regendi casus ipsorū, cum nihil tale habeant in ipsum Christum factum hominem, similem nobis, tamen absque peccato. Proinde quum hæc noua stella nihil uirtutis supra alios homines habuerit, ut quæ non longo tempore duraret, profectò neque supra Christum efficaciam habuit, habitu enim inuentus est ut homo. Ita ut quicquid aliis, ceu hominibus, iuxta naturam accidat, ipsi quoque acciderit, citra tamen peccati contagium. Legito Augustinum libro confessionū septimo, cap. sexto, de uanitate mathematicarum constellationum. Ex superioribus colligamus, quod Augustinus lib. aduersus Faustum Manichæum secundo, cap. 5. dicit. Et nos quidem (inquit) sub fato stellarum nullius hominis generamus, ut liberum arbitrium uoluntatis (qua uel bene uel malè uiuitur) propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis uinculo uindicemus, quæto minus illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est æternus uniuersorum creator & dominus? Itaque illa stella quam uiderunt Magi, Christo secundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testi-

Vana de sole inquisitor.

Cometa. Stella caudata.

Magi superstitiosi.

Apparitiones in cælo insolite quid portendunt.

Magi stella sunt bene usi.

Astrologis incognita Magorum stella.

Stella noua creata.

Nullius hominis generatio sub fato.

Voluntati nõ præest fatu.

Stella Magorum famula-

monium famulabatur, nec cum subiiciebat imperio, sed indicabat obsequio. hæc tenus ille. Porro de hac stella, an fuerit angelus, an Spiritus sanctus, an aliqua cælestibus, an noua creata fuerit, disputat Augustinus libro de mirabilibus sacræ scripturæ tertio, cap. 4. relinquens hoc libero lectoris docti arbitrio. Noua fuit stella à Deo creata in hoc ministerium, ut Magos Christo adduceret, differens ab aliis cælo aut fixis aut errantibus. Hæc nõ semper mota, interceptus est enim eius ducatus aliquantisper, dum Hierosolymis sciscitarentur Magi de rege nato, illæ uerò semper mouentur. Hæc etiam die lucebat, illæ uerò solùm nocte: hæc in proximo nobis aëre mouebatur, illæ uerò in cælo. Fuit igitur hæc peculiaris & noua condita ad obsequendum Magis, quæ certo tempore domi ipsorum illis apparuerat: cumque Hierosolymis, ubi frustra eum quæsierant, essent egressi, iterum præluxit, præcessitque usque Bethlechem, & stetit supra locum, in quo puer erat, uelut illum indicans, quæ omnia aliena fuerunt à natura & ratione reliquarum stellarum. Obserua, Magos unum quæsisse, & tria affirmasse. In primis sciscitantur de loco ubi natus est Messias: deinde primò constanter asseuerant natum esse Regem Iudæorum. Secundò asserunt methodum, qua affirmant se huius Regis natiuitatem cognouisse dicentes, Vidimus stellam eius, &c. Tertio explicant, quorsum illum uenerint dicentes, Et uenimus adorare eum. Hieronymus dicit Magos nouisse hanc stellam, signum nati Christi, uaticinio Balaam, Numer. 24. cuius successores erant. Ad hæc putauerim ipsos afflatu ipsius Spiritus fuisse monitos, ubi primum stellam obseruauerunt. Certè cum significanter stellam dicunt, stellam eius, diuinum quiddam in Christo & agnoscunt & confitentur. Deinde significat Euangelista, quod non solùm uerbo, sed etiam signis Deus ad se pellicit. Stella illa est illuminatio in cordibus fidelium. Nemo uenit ad Christum, nisi illuminatus spiritu Dei intus.

Et uenimus adorare eum.

En scopus aduentus Magorum, uenimus adorare eum, intelligentes hunc omnium commodo & bono nasci, aiunt: Licet simus alienigenæ, accessimus tamen huc, ut illum adoremus, nouoque Regi debitas honoris primitias exhibeamus. Obserua. Et Cæsaris & Herodis honorem parum aut nihil curant, quando hunc solum quærunt, qui natus est Rex. Primas Iudæis non Romanis deferunt, plures facientes in conspectu Dei Iudæos, quàm Romanos, qui orbis Dominos se esse gloriarentur. Hæc nos monent quomodo Christum nobis natum recipiamus, gratiæque eius fiamus participes, si scilicet uerbo Dei credamus, uocantem Deum sequamur, Christum intrepidè confiteamur, nihilque diffidamus, ipsum in nostram salutem esse natum: si denique nihil timeamus tyrannorum minas & cruentas manus, si nullius nos laboris propter Christum suscepti pigeat, & Christi nos prorsus non pudeat: sed ipsum laudemus & adoremus regnantem in secula. Aduerte, in scripturis adorationem aliquando accipi pro reuerentia illa, quam corpore exhibemus, quum scilicet incuruamus nos, quod obseruantia genus solemus etiam hominibus exhibere. Sic Genes. 18. de Abraham dicitur, Et adorauit in terram. Et Loth angelos adorauit, id est incuruauit se ante illos. Vnde in sacris literis Reges & præstantes uiros adoratos, id est prostratione corporis ueneratos: & honorem summis & nominatis uiris exhibitum sæpè legimus, ut, 1. Reg. 20. & 2. Reg. 9. Sic & Patriarcha Abraham adorauit populum terræ, id est gratias egit, sed cum genucatione & gestu corporis decore, atque honesto, Gen. 23. cap. Inuenitur tamen adorare pro summo cultu, & honore, integræque religione Dei: hoc modo unus Deus adorandus uenit. Ad hunc modum legitur, 1. Reg. 1. Et ascendebat uir ille de ciuitate sua statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo, hoc est, ut solennem Deo cultum exhiberet, pietatemque suam testaretur. Similiter & Samaritis illa, Ioan. 4. dicebat Christo, Patres nostri in

batur Christo.

Stella Magorum an fuerit angelus, an Spiritus sanctus, &c. Stella Magorum à cælestibus dispar. 1. à motu. 2. à luce idic. 3. à loco.

Hieronymus Magi moniti ex uaticinio Balaam. Deus signo & uerbis nos pellicit. Spiritu ducimur ad Christum ut magi stella.

Peregrinatio nis Magorum scopus.

Magi non accipiunt personam. Christus natus quomodo nobis recipiendus. 1. Constantis fides. 2. Christus ante omnia præferendus. 3. Christi nihil nos pudeat. Adorare. Genes. 19.



monte hoc adorauerunt, quo nihil aliud uoluit dicere, quàm, in mōte hoc patres nostri Deum solenniter coluerunt. Cui respondebat Christus, Venit hora, quando ueri adoratores, id est cultores, Patrem in spiritu & ueritate adorabunt, id est colent. **Qui** in spiritu & ueritate Deo summum exhibet honorem, idque ex animo facit, adorare dicitur. Hoc cultu nō adoramus Sanctos, quos honorare, uenerari, & rogare ut pro nobis intercedant, sanctum & pium est. Obserua. uenimus prima acuta pronuntiandū est, utpote præteriti temporis, ἄλλοτε. ut ut minutum hoc uideatur, placuit tamen adnotasse, quod hīc plerisque passim uideam & ambigere & errare. Aduerte. Græcis dicitur uenimus adorare, Latinis uerò, uenimus ut adoremus siue ad adorandum.

Audiens autem Herodes rex turbatus est.

Cū de nato Rege Magi sermonem apud quosuis effudissent, ilico rumor ad Herodem regem perlatus est: qui iam pridem aliquid ex familiari Scribarum, & peritorum Iudæorum colloquio de Mesiā subodoratus fuerat, & nascituri regis famam horruerat, nō parum sibi timens, ne à regno deturbaretur, quod ipse alienigena occupauerat, si tam desideratus & à Iudæis expectatus princeps è stirpe regum Iuda nasceretur. Herodes tantū de terrestri regno somniabat, non intelligens Christum aliud genus regni, inuehere, quod ad Iudæos & Gentes, hoc est ad uniuersos pertineret. Itaque posteaquam Herodi perlatus est de nato Rege (quem metuerat nasciturū) rumor, nec fama uanus (quod emanasset à Magis uiris & eruditione & fortunæ strepitu non aspernandis) animo sanè cōturbatus est: Sed regem sibi male consciū, mirum non est, turbatum fuisse, audito, esse alium Iudæis Regem natum. Causa igitur cur territus fuerit Herodes, in promptu est: Nempe, quod alienigena esset, timebat regno suo, qui tyrannide & uis Iudæis imperaret, ac de ipsis meritis esset pessimè. Adhuc non erat inscius, Iudæos per id temporis expectare Christum, qui ipsos, ut olim Moses, esset liberaturus. Vnde non mirum est, si sibi & regno suo timuerit, ne cōtra se orta seditione à regno deturbaretur: denique metuebat, ne à Cæsare Hierosolymitani deficerent, & offenderetur eius autoritas, ac senatus illius Romani, si Regem permisisset insurgere. Audiens itaque Rex Herodes Christum natum, animo conturbatus est. Ita solēt tyranni, ad quemuis rumorem utcunque leuiter ortum, tyrannidi suæ metuere, male sibi ipsis conscij, de populo quem non regunt, sed spoliant, & opprimūt. Ut enim timeri malunt quàm amari, ita sciunt etiam exosos esse se illis, à quibus timerentur. Quem enim quisque timet, perisse cupit. Sed Herodes hostis impie (ait Sedulius) Christum uenire quid times? non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Hoc exemplo agnoscis, quod magistratus male sibi conscius, semper timet, ne aduentu uerbi aut augmento piorum fugatur. Cuius rei non solū Herodes, sed & Pharao præbuit se exemplum, Exod. 1. qui infantes Israëlitarum occidere iussit, ne amplius excreverent.

Et omnis Hierosolyma cum illo.

Singularis & amplissima est hæc Domini Epiphania, cū tota regia & vrbs uniuersa hoc aduentu Magorum, & confessione tam libera de Rege nato commota est. Vnde nō obscura latuit Domini natiuitas, neque per obscuros in regno Iudææ innouit. Nisi enim spectata autoritatis fuissent Magi, sua præsentia subōque testimonio non aded omnium commouissent animos. Nunc autem cernebat Iudæi adesse Orientis sapientissimos uiros, audiebant de stella noui Regis, imò confessionem liberam, apertam & intrepidam intellgebant, qua ipsi Christum certò & natum & suum regem, imò amplius quiddam, quàm de homine confitebantur, quando se illum adorare uelle dicebant. Non potuerunt ergo Iudæi cogitare rem agi uanam, quæ gerebatur à sapientibus, & tanta constantia nuntiabatur. Ideo

Adorare Deū

Herodis timor.

Christi regnum ad uniuersos pertinet.

Causa quæ turbabat Herodem.

1. à tyrannide.

2. ab expectato Christo.

3. à seditione.

4. à defectio-

ne.

Tyrannorum ingenium.

Tyranni malunt timeri quàm amari.

Timor perpetuus magistratui sibi conscio.

Infanticida Herodes & Pharao.

Epiphania Christi Hierosolymis facta.

Natiuitas Christi ne obscura esset, uiri fecerunt nō obscuro.

Herodes uul-

pus.

Herodes uul-

pus.

Ideo inexcusabiles fiunt, qui de exhibitō Mesiā addubitant. Tota Hierosolymorum ciuitas cum Herode commota est, aliis aliud metuentibus, aut sperantibus. Cur ita? Vnde hic metus? Certè ut fide uacui erant, ita facillè timebant Herodem, atque Romanos fortiter restituros, eoque plurimum sanguinis fundendum, antequam illorum tyrannide possent liberari. Non quod tyrannum amarent, sed antea senserant, quàm magno suo incommodo, & multa clade Romanis & Herodi repugnarāt. Ferre igitur malebant malum iam ferè affluctum, quàm illud repugnando duplicare. Quemadmodum maiores ipsorum in Aegypto, quum Moses uellet eos à seruitute liberare, hæc causa, interim magis grauabantur, aded ut contra Mosem murmurarent, hoc modo suæ fidei imbecillitatem prodentes. Ita & Hierosolymitani sese fide uacuos manifestarunt, quibus humana potentia plus timoris & terroris incussit, quàm diuina & certa Dei promissio afferre potuit consolationis. Si fidem habuissent prophetarum oraculis, hoc timore vacassent, non dubitantes, Deum, quod promiserat suo Mesiæ, regnum, facillè, ac non solūm citra periculum, sed cum certa etiam populi sui salute instituturum, Herode nihil repugnante. Præmonuerat Esaias 9. cap. multiplicandum ac roborandum Christi principatum cum pace sine fine, ipsūque sessurum super solium Dauid, & super regnum eius, ut concinnaret & confirmaret illud in iudicio & iustitia nunc & usque in seculum. Sed uos rogo & obtestor, ô Hierosolymitani, quomodo huic caro resistere potuisset? Furor Herodis scilicet zelo Dei omnipotentis obstitit? Cæterum hos motus ac molitiones ita temperauit diuina sapientia, ut & piorum simplicitas & impiorum uesania, omni ex parte Christi gloriam illustraret, & rerum etiam incredibilium fidem faceret, & pondus euentui adderet. Destituerat enim stella Magos ad tempus, ut dum percontarēt de rege nato, diulgaretur & maior fieret pueri nati rumor. Interim dum turbatur Herodes cum impiis, nihil turbati sunt pij & electi Dei, quales erant Symeon, Anna filia Phanuelis, ac qui expectabant redemptionem in Hierusalem. Qui audientes iam natum Mesiā, nouum & æternum regem Iudæorum apud se inquiri, mirum in modum exhilarati fuerunt. Quod si quis obiecerit, Euangelistam dixisse, totam Hierusalem commotam ac turbatam fuisse. Respondeo, Euangelistam loquutum fuisse per synecdochen, quæ ex toto maiorem partem significat. Tota Hierusalem, id est maior pars ciuium Hierosolymitanorum. Obserua. Altitudo terrena cōfunditur ac turbatur, quum celsitudo cœlestis prædicatur. Sed nos qui fide planè cognoscimus carnem fœnum esse, & gloriam carnis, fœni florem, ac utrumque ilico exarescere, atque concidere, quum uerbum Domini in æternum stabit, dum annuntiat Christus & regnum eius, leuemus capita nostra, appropinquat certè redemptio nostra, quamlibet multi Herodes quantumuis potenter resistent.

Et congregans omnes Principes sacerdotum & Scribas populi.

Declarata Herodis turbatione, pergit Euangelista illius astum & hypocrisim depingere. Poterat turbatus Herodes Magos urbe exturbare tanquam seditionis futuros autores, homines peregrinos, & ignotos. Poterat curare, ut rumor hic tantquam autoribus haud fide dignis ortus, & Romano imperio contrarius, publico edicto cōpesceretur, decreta pœna & multa, si quis eius meminisset. Verum utrum turbatus & liuore ac ira obcæcatus, totus in exitium pueri nati arderet, nihil horum molitur: sed ad vulpina consilia (unde & à Christo proles eius vulpes dicta est) homo astutus conuertitur, & pietatis quandam speciem suæ tyrannidi prætextit, uiam excogitans, per quam non rumorem hunc, sed ipsum natum regem adhuc puerum, antequam adolefceret, & in aliorum manus ueniret, è medio tolleretur, quod putabat causa suæ cōsultius, quàm ut sopito per vim rumore, ipsum natum regem sineret adolefcere, & sensim uires acquirere. Hoc astuto consilio sub-

Cōmori Hierosolymitani

Hierosolymorum clades à Romanis.

Timor ab infidelitate & diffidentia. Verbum de regno Mesiæ.

Christi gloria à piis & impiis illustrata.

Christi nati rumor percōtatione factus maior.

Impij nō autem pij, nato Christo turbati.

Synecdoche.

Terrena confunditur altitudo cœlestis prædicata.

Herodis astutia.

Herodes uul-

pus.



dolè primùm, ut numerus & autoritas ad suadendum quod poscebat, conduceret, non unum aut alium, sed omnes: non plebeios, sed Principes sacerdotum, & Scribas populi Iudaici conuocat. Ad potentissimi regis mandatum coeunt magna cum grauitate, quotquot erant in Iudæa uiri celebres, docti, religiosi, sacrorumque periti, Pontifices uidelicet, Scribæ ac præfides populi. Et hi quidem maturè consultant, quid regi respondeant, ut uerè ac propriè quæstionem explicent. Atque hi demum, quia nondum excæcarat ipsos liuor & odium Christi, non temerè id, quod ipsis uidebatur, respondent: sed quod Dominus olim prædixerat, per prophetam Micheam, cui nemo, ne ipse quidem Herodes, reclamabat. Tanta erat apud ipsos Prophetarum autoritas scripturarum. Collige ex omnibus his quanta cum gloria ac celebritate reuelata sit mundo ipsa benedicti seminis natiuitas, ac aduentus in mundum. Obserua. Pontifices erant religionis antistites, sanctorumque morum, prudentia, rerumque peritia inter sacerdotes primarij, apud quos ore Herodis imperium, à reditu ex captiuitate babilonica, & à pontificatu Iesu filij Ioseph summa fuerat potestas: unde adhuc magnæ erant apud plebem autoritatis. Scribæ Græcis *γραμματισται*, literati in quâ dicuntur, non à scribendo habentes nomen, sed à literis & eruditione. Theologos, aut doctores, uel legisperitos appellare licebit. Ut enim Romani habebant Aruspicum collegia, & sacerdotes, qui rogati responderent ex libris Sibyllinis: Ita Iudæi ex diuina ordinatione, Malachia dicente, 2. cap. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est, suos habuerunt Scribas, Sacerdotes & Theologos, qui consulta & responsa dabant ex Prophetarum libris, quemadmodum & hi nunc respondent ex Michea. Atque hi sunt quos hoc loco Herodes consuluit. Sunt & Hebræis Scribæ, qui scriptis & libris docent, dicti scripturarum & legis periti, hoc est à quibus omnis scriptura in lege ritè intelligenda, populòque explananda infumebatur. Huiusmodi fuerunt Apostoli, præcipuè Euangelistæ, & discipuli eorum cum posterioribus patribus. Vocantur à multis librarij ab euoluendis enarrandisque libris sacris, qualis Esdras fuit. De quo 1. Esdræ 7. Ipse Esdras scriba uelox in lege Moyfi, quam Dominus Deus dedit Israël. Principes sacerdotum uocat Pontifices siue primarios sacerdotes.

Sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur.

Abel semper suum habet Cainum.

Locus nati Christi ab Herode desideratus.

Apostrophe ad Herodè.

Vide & obserua, in hoc impio, quisquis es, Abelem semper suum habere Cainum, & spiritum aduersam & persecutricem carnem: imò meditare, quam insigniter mentiatum pietatem impius Herodes. Hoc ut faciat, non rogat si natus esset Christus, sed de loco, ac si diceret: Ego huc uos ex bono & æquo conuocaui, quòd intelligam, quam sitis periti in explanandis his, quæ præmonuerunt uestri Prophetæ. Bona fide uos rogo. Narrate mihi, ubinam nasciturum Christum oracula promiserunt. Obseruemus impij regis demens ac impium consilium. Accede huc Herodes idololatra, ego te appello, Qui uana putas Prophetarum oracula, & legem, ac prophetas abominaris, & conspurcas, ut tua opera, & uita manifestant: cur Scribas & Pontifices conuocas, ut tibi de hac re & Magorum inquisitione respondeant? imò magis, cur innocentes Bethlehemitanos infantes crudeliter occidis, speras te hoc modo extincturum Christum, quem prophetæ nasciturum Bethlehem prædixerunt, quum uana credas prophetarum oracula? Quòd si tibi uana est scriptura, cur non tibi uaticinium uanum fuerit, quod de Christi regno præmonuit? Quòd si tibi uanum uideretur, cur permittis Magos persequi, quæ tu putas illis esse somnia? hac methodo neque turbaberis, neque tanta infantium cæde turbationem aliis commouebis. Quòd si in illa oracula credis (ut in speciem credere uideris) quomodo non agnoscis te frustra conari, quicquid contra Christum molitus es? Proculdubio cælum & terra transibunt, & tu Herodes cum illis, uerbū au-

tem Domini manet in æternum. Obseruemus ex hoc loco impiorum animos in diuersa raptari, & modis uariis perturbari, dum contendunt & conantur impossibilia, donec se totos dent in præcipitium, ac incidant in foueam, quam aliis foderrunt. Atque hoc tum potissimum experiuntur, quum res suas in portu & tuto collocatas putant. Nò absimile legimus in Saule, qui tamen agnosceret, Dauidem à Deo afflatum, & ab eius spiritu directum, ac ipsum post se regnaturum, tamen ipsum persequeretur. Huiusmodi fuisse Iudæorum aduersus Christum consilia Euangelistæ scriptis reliquerunt, passim non absimilia consilia reperies apud Dauidè, Psalm. 2. 3. 10. 55. 59. 63. ac aliis multis.

At illi dixerunt, in Bethlehem Iudæ.

Scribæ de Christo rogati, simpliciter & incontanter (quod res erat) responderunt. Locus (inquiunt) natiuitatis Regis expectati, est Bethlehè, quæ metropolis est Iudææ. Non differunt responsum, quòd nihil adhuc mali conceperant aduersus Christum, quem non uiderant. At obseruemus hoc loco, quàm uanum, imò nihil sit scripturæ literam sine spiritu tenere. En uidemus Scribas & Pontifices audire Magos prædicantes Christum natum, quem ipsi ad id temporis expectabant adfuturum: imò uaticinium adferunt, Bethlehem locum esse illi natalem: hoc cognoscunt, ac ex scriptura docent: & tamen Magos illuc abeuntes uestigaturos, & adoraturos Christum, non comitantur, qui debuissent properè præcurrere, quòd sibi quàm Magis propinquior esset Messias: nimirum acceperant testamentum, legem, promissa eloquia, & quod præcipuum erat, Salus ex Iudæis esse prædicabatur. Cur quæso hoc ipsis malum? Certè ubi deest fides, ibi non trahit pater, ubi abest charitas & obeditio, ibi, ut Christus prædicetur, si tamen neque cognoscitur neque uestigatur, mortuum est quicquid de ipso legitur, dicitur, auditur.

Sic enim scriptum est per Prophetam.

Ne parum ponderis haberet Iudæorum autoritas, recurrunt ad scripturas, & in promptu ac incontanter uaticinium Micheæ prophetæ afferunt. hoc facto docent nos Scribæ scripturis adhærere, de quibus si qua est controuersia a deo uergens, ut schismata sint, ad Ecclesiam, quæ est os ipsius spiritus Christi, ueluti ad anchoram recurrendum. Et censuræ eius ac interpretationi, imò sanctis eius decretis constanter & indiuisè adhærendum est, quod ex Paulo, 1. ad Timoth. 3. intelligimus, ipsam scribente esse columnam & firmamentum ueritatis. Proinde non frustra nobis scripturam Deus dedit, cum in ea se inueniri patiat, nimirum Christum saluatorem nostrum, & quicquid nobis saluferum est, quam qui contempserit & dimissam fecerit, Christum non inueniet. Lex & Prophetæ nobis Christi cognitionem suppeditant. Christum enim spirant, de ipso uero loquuntur atque testantur, habentque certissima eius signa, quemadmodum de ipsis pronuntiat Ioan. 5. cap. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam habere. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Rom. 3. Iustitia Dei testificata à lege & prophetis. Ad hunc modum Abraham Luc. 16. diuiti epuloni in inferno non annuebat, ut Lazarus mitteretur, admoniturus quinque fratres ipsius, sed mittens illos ad scripturas, dicebat: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos: quos si non audiant, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. Porro hinc obseruamus scripturam & Christum triplices habere discipulos. Primo loco occurrunt Scribæ & Sacerdotes, qui non solum sciunt scripturam, sed etiam alios docent, & tamen docentes, ad Christum non perueniunt, imò ne cupiunt quidem peruenire, & ad illum accedere, tanta est ipsorum tamque pertinax obstinatio & contèptus intolerabilis: audiunt etenim & uident tam insignes uiros è longinquis uenisse adoratum, imò per scripturam testantur ipsi de Christo & loco natiuitatis eius, diriguntque Magos in Bethlehem, & ta-

Impiorum animi in diuersa raptari.

Saulis qualis & Herodis cæcitas.

Bethlehè metropolis Iudææ.

Scriptura sine spiritu uana. Iudæi etiam natum Christum cognoscentes nihil sentiunt.

Fide absente mortua omnia.

Charitate & obeditio absente non trahit pater.

Scripturæ autoritas.

Ecclesia est os spiritus Christi.

Ecclesia columna ueritatis.

Scriptura cur nobis à Deo data.

Christus in scriptura inuenitur.

Lex & Prophetæ spirant unum Christum.

Discipuli diuersi ad Christum.

Scribæ Christum docent, ad quem non perueniunt.



Scribe timore Herodis non adeunt Christum. Hyrcanus ab Herode occisus.

Scribe metu mortis recedunt a veritate.

Luc. 9. Iudaei metuntur Messiam a pompa.

Christi munus occultum usque ad Iohannem.

Herodes eredit Christum regem natum.

Herodes praesumit impedire uerbum Dei.

Christi & scripturae ueri discipuli.

men domi desident, ac si Rex ille ad ipsos nihil pertineret. Sed, ut opinor, Herodem timuerunt, qui indubie eos occidisset, si uel verbo Christum fuissent confessi, ac ut regem uoluissent suscipere: quemadmodum hac causa paulo ante Hyrcanum ac multos alios necauerat, mox ob eandem rem & infantes per Bethlemiticam regionem interfecturus. Itaque metu mortis reliquerunt Christum, unde perferre maluerunt Herodis tyrannidem, quam cum periculo uitae temporariae agnoscere Christum, & aeternum cum ipso uiuere. Audiant hi discipuli pronuntiatum Christi: Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Deinde ubi nihil insigne de Christo audierunt, & nulla externa pompa ille inciperet clarescere, facile oblitum sunt omnium, quae de Christo audierant, rati Magos fuisse delusos. Christus certe inter ipsos infans latuit, & latebat admodum leuit, ut munus ipsius ignotum fuerit, donec uenit praecursor eius Baptista. Secundo loco discipuli, dicuntur Herodes cum suis: hi de scripturae testimonio rogant, & habent illi fidem, credunt Christum in ea praedictum, iamque natum: nisi enim Herodes credidisset, non tantam adhibuisset diligentiam, ut Christum persequeretur: sed contempsisset tam Magorum uisum, quam scripturarum testimonia. Credidit itaque Herodes Verbum Dei esse in scriptura, quod oporteat impleri, nihilominus contra ipsum insurgit, & sciens uolens illud statuit oppugnare, praesumens impedire & uerbum & factum Domini. Sed quid insanius excogitari potest hac stulta & perfida cogitatione? Sunt & alij discipuli qui uere discipuli sunt Christi & scripturae, quales fuerunt Magi, qui relicta patria, domo & rebus omnibus posthabitis, recta ad Christum contendunt, & toti in hoc inuigilant, ut ipsum inueniant: hi palam ac liberè ueritatem & Christum confitentur.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.

Bethlehè parua unde magna.

Sententiam Prophetæ Micheae. 5. cap. adducit Euangelista, cuius sensus est. Praedixerat Propheta Micheas, Bethlehem quidem humilem & contemptam fuisse praeter ceteris Iudae ciuitatibus: tamē ipsam futuram omnium celeberrimam nouo egressu ac partu regis, qui sit dominator in Israël. Iam quod praedictum est à Propheta fore, ut ex omnium minima fieret omnium maxima, id iam contigit. Haec propheta impleta est, anno 42. Imperij Caesaris Romani Augusti Octauiani, decreto edito in publicum, tempore Cyrenij praesidis Syriae, ut censeretur totus orbis. Eo tempore cum census ageretur, quisque se conferebat in suam ciuitatem. Ioseph itaque, cum esset de domo & familia Dauid & Iuda, ascendit à Galilaea de ciuitate Nazareth in Iudaeam in ciuitatem Dauid, quae uocatur Bethlehem, cum Maria desponsa sibi uxore, ut profiteretur, & obedientiam magistratui debitam praestaret. Accidit autem, ex ordinatione & prouidentia diuina, ut eo ipso tempore, quo erant ibi, dies pariendi complerentur, & uirgo Maria peperit filium suum primogenitum, uerum Regem & Dominum Israël. Cuius natiuitatis historiam prosequitur Lucas 2. cap. Huius prophetiae sensum facile tenebis, si prius obseruaueris populum Iudaicum distinctum fuisse in centurias & chiliades. Unde qui centum praerant, Centurio: qui uero mille, Chiliarchus dicebatur. Ait ergo Propheta, Tu Bethlehem olim dicta Euphrata, minor es, quam, ut millenariam possis in Iuda praefecturam implere, sed coram Domino, qui humilia exaltat, & quae non sunt uocat ut sint, nequaquam minima es: ac si diceret, paruula es Bethlehem specie, spiritu magna: perinde, ut Ecclesia in speciem contempta est, spiritu incluta. Atque hoc sensu Propheta paruam dixit, Euangelista uero, reuelato iam mysterio, magnam. Nequaquam (ait) minima es, sed praeter omnibus quamlibet magnis Iudae urbibus, atque admodum ipsa Hierusalem, electa es, ut ex te mihi egrediatur, qui olim Rex & saluator Israël promissus est, qui non super mille tantum,

Iudaici populi distinctio Centurio. Chiliarchus. Bethlehè specie parua, spiritu magna. Ecclesia in speciem contempta, spiritu incluta.

sed super totam domum Iacob, principem agat in aeternum: Ille, inquam, qui homo quidem ex te prodibit, sed qui aeternum patris uerbum est, cuius egressio à diebus seculi, hoc est ab initio. Legito conciliationes infra scriptas.

Ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israël.

His uerbis praedicit propheta non uulgarem aliquem (quales multi antea fuerunt) principem ac dominatorem, sed eximium planè ac omnium celeberrimum, quem certè incomparabilem esse oportet, cum Propheta illum tam magnificis uerbis commender. Nam Micheae uerba ad hunc modum sonare uidentur, ac si antea nullus fuisset in Israël dominator, aut princeps, quum dicit, Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël. Quasi diceret, dabo tandem & Israëlitis populo dominatorem, ut & ipsi proprium principem habeant: qui enim haecenus principatu apud eos functi sunt, serui fuerunt, nec populus ipsorum erat, sed alterius, nempe huius dominatoris. Sed quem modò dabo, uerè futurus est dominator, & huius erit populus peculiaris & propria possessio. Patres ex hoc loco intellexerunt hunc dominatorem non solum hominem, sed & Deum: quod ad ipsum proprie spectaret populus: quum alij reges in populo non sibi proprio, sed qui Dei est dominantur & ministrent. Unde quum Israëlitas rogarent Gedeonem, ut uellet ipsorum dominus esse, respondit, Neque ego, neque filij mei erimus domini uestri, sed Dominus Deus ille sit dominus uester. Huc pertinet quod Samueli dicebat Dominus, 1. Reg. 8. ubi populus petiisset regem, Non te, sed me reiecerunt, ne regnem super illos. Non quòd peccatum fuisset habere regem, quem mox ipse illis dabat, sed quòd magis humanis uiribus & imperio fidebant, quam prouidentia & protectione Dei, id erat ipsorum peccatum grauissimum. Quare quum dicatur dominator super proprium populum, & sibi peculiarem, necesse est ipsum intelligere uerè Dominum hoc est Deum. Et quum auditur egredi à Bethlehè, ut intelligatur homo, necesse est. Cùmque egressus eius sit (ut ait Propheta loco citato) ab initio, necessariò credendus est filius Dei. Colligamus ex his, uerba prophetae conuincere, ut constanter confiteamur hunc dominatorem (cuius egressus ab initio) esse naturalem ac genitum Dei filium. Rursum quòd in tempore eius egressus à Bethlehem sit, credamus ipsum uerum esse hominem. Obserua. Qui regat, Graecis legitur ποιμαίνων, quod significat regere & pascere. Alludit ad rem pastorem, & simulachro quodam menti obiecto adumbravit Christi officium, qui est pastor ille bonus ouium suarum, Ioan. 10. cap. Suprà dictum est, ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hic qui regat, &c. Uterque locus omnino nobis gratiam Dei erga populum suum in Christo commendat, quem illi ducem & saluatorem misit. Ille pollicetur liberationem à peccatis, respiciens ad sacerdotium Christi: Iste gubernationem ac moderamen, respiciens ad regnum Christi. Vtrumque nobis necessarium est, & utrumque in Christo offertur & exhibetur. Porro Bethlehem interpretatur domus panis, neque hoc caret mysterio. Nā in ipsa natus est panis uitae. Dicitur & ciuitas Dauidis, uel quia Dauid in ea natus est, 1. Reg. 16. uel quòd Christus in ea natus est, qui à prophetis appellatur Dauid.

Dominator non uulgaris ex Bethlehè.

Patrum sententia de dominatore Israëlitis.

Christus uerè dominus proprii populi, alij ut ministri Christi. Peccatum Israël perentis regem quòd erat.

Dominator proprii populi Deus. Christi egressus duplex. Natiuitas Christi duplex. Prophetiae de Christo sensus.

Christus rex & sacerdos esse docetur.

Bethlehè interpretatio. Dauidis ciuitas. Christus dictus Dauid.

Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis.

Audito sacerdotum & scribarum responso tam prompto, profusus exanimatus est Herodes, praesertim quum in promptu pronuntiaissent oraculum, quod tam aperte polliceretur dominatorem Bethlemiticum, qui regeret populum, ex quo nasceretur. Ut ergo uidit rem ita habere, animum despondit, se posse sacerdotibus imponere. Ab his itaque sicut à reliquis Iudaeis, de quibus pessimè meritis erat, omnia sibi metuens, ne Iudaei dolum suspicarentur, clanculum Magos ad sese accersit: quibus consilium aperit, & rem communicat, quasi id potissimum in uotis

Herodes metu regio suo.



haberet, quod Magi. Vnde diligenter illos percontatus est, quantum effluxisset tēporis quod exciti fuissent per stellam, ut tantum itineris emerirentur, & ab Oriente uenirent Hierosolymam, adoratum Regem Iudæorum natum. Huius quaestio- nis scopus erat, ut certius in unum caput Herodis crudelitas & inhumanitas sciret. Magi pietate (quæ suspiciosa non est) & liberali animo ornatī, apertis uerbis rem, ut habet, illum docent, & nihil illum celant, nequaquam suspicantes Hero- dem ad eum leoninum ac crudelem esse, ut rugire ac scire uellet in puellum, uix dum natum, neque tantis furiis agitatum ac percitum, ut propriis, hoc est huma- nis uiribus comminisceretur se posse extinguere, quod diuina uirtute, ac omnipo- tente potentia fieret. Posteaquam uerò tempus apparentis stellæ didicit, ille uicif- sim docuit Magos, locum, quem Scribæ ex prophetia indicauerant. Vide quàm hic plena sint omnia insidiis. Clam uocat Herodes Magos ad se, ne quid de nato Rege ad alios per eos emanet, & ne quo pacto cum aliis hac de re communicent, neue cauti reddantur per quenquam. Sic agere solent homines astuti, quorū con- silia sunt impia, & peruersa. Nihil agunt apertè, nihil candidè, nihil simpliciter, sed omnia testè, & occultis conatibus. Cur ita? Quia nemini fidunt. Obserua He- rodis obstinatum ac insanum cupiditate regnandi animum. Videt nouo signo excitos Magos, ut ab Oriente ueniant adoratum Regem Iudæorum: audit scriptu- ram, & Scribas de Christo testari: & tamen nihil mouetur, nisi ut moto omni la- pide, toro que nisu conetur nouum illum Regem extinguere, nihil cogitans, quod si Christus Domini est is, facilè omnem eius tyrannidem ac impios conatus eua- det. Obserua. Tanta fuit huius diuinæ Epiphaniæ claritas & euidencia, ut ipse quoque Herodes, homo barbarus & impiissimus, de Messia in mundum misso plenè persuasus, planè nihil dubitaret amplius. Credit enim Magis, credit & sa- cerdotibus è Michea respondentibus. Sed nihil illi prodest fides sua: quia nō cre- dit (quæ fidei uirtus prima & potissima est) Christū à Deo sibi datum ad salutem. Fide uiua non quærit Christum, quē suis insidiis occidere cupit. Declarauit certè Dominus contra se neque consiliū neque prudentiā quicquā ualere, ut Prouerbio rum 21. scribitur. Et Psal. 32. Dominus dissipat consilium gentium, reprobatur autem cogitationes populorum, & reprobatur consilia principum. Consilium autem Domini manet in æternum. Hoc exemplo Herodis confirmatur nostrā fides, dū in ipso uidemus, quàm frustra contra Dominum, machinentur impij.

Et mittens eos in Bethlehem, dixit.

Conceptis duobus certis indiciis, quibus apud se comminisceretur, puerū pos- se deprehendi, Magos iam uia accinctos, & ultro proficiscentes, etiam suo no- mine hortatur, Bethlehem adeant. Ecce Rex impius pio Magorum studio, li- cet aliud agat, hætenus seruit, ut locum illis nati Regis indicet. Quauis confi- lium occidendorum paritatis infantium animo cōcepisset, mauult tamen cau- sam hanc ita instituere, ut uno comprehenso Christo parere posset reliquorum multitudini: exhorrebat impij hominis cōscientiā tantam tot occidendorum cla- dem, expendebat crudelitatem. Ergo etiam impiis morsus quidam est conscien- tiæ? nihil certius. Sed quia sunt mancipia Satanæ, uincit in illis impietas.

Ite, & interrogate diligenter de puero.

Quod cœpistis iter perficite, & cum Bethlehem perueneritis, summa diligen- tia uestigate & exquirite, ac omnem adhibete operam, ut recens natus iste puer uobis innotescat. Obserua. Non ait de Rege, sed de puero: nō enim nomen Re- gis ferre poterat, hoc ipso signo insinuans, quanto liuore aduersus Regem recens natus vreretur.

Et cum inueneritis, renuntiate mihi.

Hoc callido suo cōsilio ad eum res suas præmuniisse sibi uidetur, ut putet puerum

Herodis cū  
Magis collo-  
quium clan-  
dularium.

Pietas uspi-  
cione uacua.

Herodis te-  
meritas.

Astutorū in-  
genium.  
Diffidentia.  
Herodis ob-  
stinatus ani-  
mus.

Epiphania na-  
ti Christi He-  
rodi perspi-  
cua.

Fidei potissi-  
ma pars &  
uirtus.

Consiliū ad-  
uersus Deū,  
omne uanū.

Impietas etiā  
pictati co-  
cta seruit.

Conscientiæ  
remorsus ab  
impietate  
uincitur.

Herodi odio  
sum erat no-  
men regis na-  
ti.

non posse manus suas effugere, & ut modò Iudæi illū absconderint, frustra tamen abscondisse, paratus occidere omnes Bethlehemitanos pueros notato tēpore na- tiuitatis pueri, ut unā cum eis ipsum trucidet, quem tam magnis notis expectabāt Iudæi suū Regem. Omnem itaque adhibet diligentiam, ut sibi hic puer inno- tescat, eoque mandatis suo nomine Magos onerat, nempe, ut Hierosolymam re- uersi, se facerent totius negotij certiozem.

Vt & ego ueniens adorem eum.

Mentitus Herodes pietatem, captat Magorum beneuolentiam, quos ut faci- lius pelliciat, & in ipsorum animos inducat, ut Hierosolymam redeant, causam prætextit admodum piam. Ut cum redieritis (ait uersipellis) supplex & religiosus eò me conferam, & uos imitatus adorem eum. Hæc me mouent dicere Herodem ualde fuisse perterritum, atque sic apud se cogitasse, Exactè exquirendus est hic puer recens natus, quem etsi nec ex nomine nec ex loco sciero, necesse est saltem intelligam tempus natiuitatis, ut omnes illius ætatis pueros matrem: inter quos facilè & ille extinguetur. Iudæorum technas agnosco, qui nihil magis in uotis ha- bent, quàm me è regno deturbare. Si igitur natus est Iudæis, ille tantoperè expe- ctatus Rex eorum, indubiè ipsum ad tempus occultabunt, donec adolescat: ubi adoleuerit, à me ad ipsum deficient, atque me trucidabunt, meum nomen, & im- perium simul extinguent. Ideò primum exactè curadum est, ut mihi innotescat puer, ut eum prius tollam è medio, quā populus Iudaicus eum planè resciat esse na- tum. Obserua hoc loco vulpinam imò lupinam pellem. Animus est, ut & ego ue- niens, occidam eum, & ipse in posterum, ut hætenus, adorer. Verba uerò non ita, sed ut & ipse ueniens adorem eum. Quasi dicat, benefacitis, quod hunc Re- gem quæritis, & adorare uultis. Futurus est enim magnus, agnosco, & ob hoc cu- pio illum adorare. Hæc est hypocrisis diabolica. Aliud corde tegit, & aliud ore simulat. Intelligit non posse meliore compendio deprehendi & extingui Chri- stum, quàm per huiusmodi simulationem. Ita solet Satanæ, ubi cupit extinctam ueritatem, satellites suos dimittere, & in angelos lucis uertere, ut lucē extinguat.

Qui cum audissent Regem, abierunt.

Ut boni & sine dolo erant Magi, Herodis technas & insidias non animaduerte- runt, rati illum sibi esse similem & uirum integrum, rectique studiosum. Disto- uale Herodi, abeunt, ac contendunt Bethlehem, non iam à stella (quæ ingredi- entibus Hierusalem disparuerat) sed à prophetia (quam à Scribis Herodes didi- cerat) edocti locum natiuitatis noui Regis, adhuc tamen ignari, quibus indiciis sint puerum inuenturi, & agniture. Verum committunt hoc Deo, & simplici a- nimo Bethlehem petunt. Vide: nihil illos moratur, quod Hierosolymis natum Regem non inuenerant. Deinde quod uiderent urbem rumore nati Regis, quem adserunt non lætari, sed turbari etiam. Tertio quod Bethlehem proficiscentes ne- mo comitatur, sed his & similibus ratiocinationibus reiectis, constanter quod cœ- perant, ac per Micheam dirigebantur, pergunt, omnia Domino committentes. Vnde Dominus omnis boni remunerator pro liberali sua gratia, in fideles cultores suos, ubertim dona sua effundit. Primo enim (quod mirum est) Herodem magis reddit mitem atque tractabilem. Nam potuisset ille pro animi sui libidine & sa- uitia in Magos scire, tanquam in læsæ maiestatis reos, utpote qui in urbe regia noui Regis natiuitatem prædicabant, quem & tanti faciebant, ut sese de Orientis partibus, uenisse ut illum adorarent ingenuè profiterentur. Interea uerò Herodē ipsi sua sponte nec salutabant, nec alloquio dignabantur, nisi serò tandem, & ab illo acciti. Verum ita solet Deus ueri sanctos suos, & magnatum coércere tyran- nidem (ut Dauid ait, qui aufert uoluntatem principum) ne perpetuè quod ipsis libet, mox etiam liceat. Colligamus ex his, Deum nunquam defuturum, Chri-



Christū quærentibus non defuturus est Deus. Magi rediissent ad Herodē, nisi uocati essent.

stum quærentibus. Aduerte. Herodem iubentem audierunt, ut ad ipsum reuerterentur, at non meminit Euangelista, quod promiserint se reuersuros: quanquam ex sequentibus uidetur eo ipsos fuisse animo, ut ad Regem redirent, de puero natiuri: nimirum oportuit eos in somnis oraculo admonuisse, ne redirent in Hierusalem: unde alia uia in suam redierunt regionem.

Et ecce stella, quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum ueniens, staret ubi erat puer.

Stella locum nati regis ostendit.

columna nubis dux Israël. Stella propè terram ferebatur.

Stellæ magorum differentia ab aliis.

Stella cur Hierosolymis disparuit

Mirabilis illa stella, quæ ingredientibus Magis Hierosolymam disparuerat, rursus egredientibus adfuit præuia: & non solum uiam & Bethlehem, sed etiam ipsum tugurium, humile alioqui, & inuentu difficile indicans. Ita solet Deus uias suorum dirigere. Sic populum suum duxit per columnam nubis per diem, & per columnam ignis per noctem. Hæc stella non in cælo, ut reliquæ, sed in aëre propius terram ferebatur, quam certò uidebant Magi, & non ita ferri celeriter, ut reliquæ, quæ uno die mouentur, sed lentè & sensim ante se moueri, secundum quod iter potuerunt facere eundo uel equitando. Indubiè hæc stella Magorum dux, alterius, quàm sint aliæ in cælo, fuit & nature, & loci. Libera erat non affixa, ut quæ attollere se & demittere, ac in quælibet loca deflectere potuerit, prout id Magis potuit esse conducibile. Ministra quidem fuit Christi, sed nihil profus uel dominij uel uirtutis in Christi natiuitate habuit. Hæc Hierosolymis disparuit, ut interim Magi testimonium scripturæ discerent, atque hoc modo duplici testimonio in fide confirmarentur, scripturæ & stellæ, iuxta id in lege. In ore duorum uel trium testium consistit omne uerbum. Verba Prophetæ, ut unius testis, de natiuitate Christi Hierosolymis Magi audierunt, mox ipsis egredientibus stella, ceu alter testis, Prophetæ uaticinium confirmauit, eandemque demonstrauit natiuitatem, ut iam de hac natiuitate nihil dubitent. Sciebant quidem antea, regem natum, sed locum ignorabant. Prophetæ locum, ubi nasceretur Christus, prædixerat: ad eum locum stella ipsos deduxit, ac supra humile tugurium stetit, præsentem indicans, quem propheta multis antè seculis prædixerat futurum: atque Magorum pietati sic inferuuit, ut ipsius pueri imminuerit capiti, & è propinquo, ceu digito, infantem demonstrauerit. Qui enim alioqui agnoscere potuissent in paupere & humili tuguriolo puerum natum, nihil regis pompæ præ se ferentem? Stat igitur super puerum, diuinum ostendens esse partum.

Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde.

Tentatio Magorum si sola ducti ratione fuissent.

Hic locus uidetur insinuare Magos aliqua ex parte tentatos fuisse in sua fide, antequam stella illis appareret. Nam quum uisa stella dicat Euangelista, gauisos fuisse, uidetur uelle ipsos antea fuisse contristatos. Quod si sola ratione humana ducti fuissent, potuissent cogitare: Frustra tantum iter confecimus, cum apud regiam ciuitatem nihil minus audiamus, quàm de nouo rege nato. Ad hæc stella nos fefellit, delusi sumus. Nam si rex huic genti natus esset, indubiè in hac urbe, sede regni, & in regali palatio cum digna se pompa uiferetur. Certè uidemur infœlices: ubi enim aduenimus, stella disparet, & nemo uspiam apparet, qui de eo aliquid sciat. O quam præposterè nobiscum agitur! Nos alienigenæ & tantum itineris emensi, primi hic de huius regni rege nouo, in regia eius spargimus sermonem, sumus ne delusi? Nam non solum de ipso nihil sciunt sui ciues, sed etiam terrètur, ubi nos huius regis meminimus, ac de eo grauiter audiunt. Ad hæc nos à ciuitate regia amandant in exiguum oppidulum. Quis scit, quid illic inuenturimus? præsertim cum hic ad eò sese Iudæi frigidè habeant? Ablegāt solos nos: nemo nos comitatū, nemo puerum indicat. O quam deserta sunt omnia, & aliena à natiuitate noui regis! si canis aliquis natus esset, plus motus & plus indicij appareret. Hic nos quærimus regem natum: & silent ad eò omnia? O portebat profectò

homines cantare, exultare, omnia tedis & facibus illustrare, cunctas plateas frondibus & floribus redimire. Pauperrimus uidetur hic rex, quem querimus. Hæc fanè sollicitudinem quandam ipsorum animis afferebant. Sed qui fidelis est, non finens suos tentari supra id quod possunt, angustias harum cogitationum mox abstulit, & fecit simul cum tentatione prouentum, id est exitum: nimirum eduxit illos ex angustiis, & dilatauit cor ipsorum, spe certa atque consolatione mirifica: uiderunt enim stellam quæ disparuerat, & pleni gaudio, quod diuinitus se duci uidebant, domum uenerunt, in qua erat puer. Obserua. Diuina & peculiari Dei prouidentia factum est, ut Magi non hominum industria, non rationis humanæ inuēto, neque philosophorum sapientia, sed per scripturam prophetæ, & stellam de cælo, Christum inuenerint cum Maria matre eius: ut doceamur nos neque Christum neque puram eius matrem, neque Euangelium debere perquirere, ut ipsum & addiscamus & cognoscamus per rationem humanam, aut humanum inuentū, aut quoduis lumen, (quod præter spiritum & gratiam fuerit) de quo, ut suo, gloria-ri possit caro, aut humana industria, sed per scripturam & lumen supernum, quod Christus suis impertit, & non negat, qui Petro Matth. 16. dicebat, Beatus es Simō Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Quibus uerbis Christus reiecit carnem & sanguinem, ut doctores inficis, qui ipsum reuelare ac docere nequeant. Nam Ioan. 3. Quod natū est ex carne caro est, & qui de terra est, de terra loquitur.

Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.

Magi iam fide robusti, certa spe simul & gaudio pleni, nihil scandali patiuntur in Christo, quamlibet humilia sint, quæ inueniunt omnia. Consolationē enim Domini acceperunt, nouam quandam mentem & iudicium spiritu illis suppeditate. Nam ducem cælestem sequuti, noui regis palatium, hoc est tuguriolum abiectum, uident. At nihil his commouetur sincera pietas, ingrediuntur domum cuius tota supellex paupertatem ac simplicitatem testabatur. Ingressi circumspicunt, & infantem, nihil à cæteris specie differentem, & matrem eius puellam virginē, qua nihil humiliter, repperunt. Nihil hic regiū, aut quo gloriosus mundus sese commendat, offenderunt. Sed quia iam animati erant fide & charitate, nihil istā abiectiōnem, & humilitatē, nihil uilitatem rerum omniū morati, & omne rationis humanæ & carnis iudicium ablegantes, simpliciter uerbum prophetæ, & stellæ testimonium sequuti sunt, & humilem casam sunt ingressi. quæ cuiusue domus illa fuerit, non meminit noster Euangelista. Lucas uero ait, Peperit filium suum primogenitum & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuerforio. Sed neque loci, neque parentum (qui & ipsi aduenæ erant) abiectiōne offensi sunt Magi spiritu ducti. Certè spiritualibus fidei oculis hæc domus plusquam regia uideri potuit: neque enim æquum erat ut locus nato regi, sed ut natus rex loco splendorem & æstimationem afferret.

Et procidentes, adorauerunt eum.

Suæ magnitudinis specimen mirum in modum Magorum fides exerit. Nam qui Herodem è folio regali, strepitu iactantem sese, non adorauerant, supplices ad pueri uagientis cunas procubunt: & nō solum prostratione sui corporis, uerum etiam spiritu puerū in summa tenuitate & paupertate agentē, Regem & Christū Domini agnoscunt: ac nondū fari potentem pro ætate, proni adorant: nā non externo tantum honore Christum prosequuti sunt, & factō regem testari sunt, sed corde etiam hæc præstiterunt, quod non pro vulgari puero ipsum habuerint, sed pro Messia, cuius aduentum ipsi, ut Abrahæ posteritas, aut ut ab ipsa edocti, expectarent. Nam sicut corpus incuruatur & genu ponitur, ita & cor intus coram Deo se submittit. Obserua. Adorare in sacris literis significat reuerentiam illam, quam

Magi non defuit Deus.

Christus quomodo inuenitur.

Spiritus inuolutor. Palatium Christi nati. Diuinitas palatij in quo natus Christus.

Magi uerbum non rationē humanam sequuntur.

Res non pro locis, sed loca pro reb' mentionda.

Magi adorant.

Adorare.



corpore exhibemus, quum scilicet incuruamus nos: quod obseruantia genus sole-  
mus etiam hominibus exhibere, 1. Reg. 20. & 2. Reg. 9. Sic & Patriarcha Abrahā  
adorauit populum terrā, id est gratias egit, sed cum geniculatione & gestu corpo-  
ris decoro atque honesto, Gene. 23. Et Loth angelos adorauit, id est incuruauit se  
ante illos. Accipitur interdum adoratio pro cultu & honore, integrāque Dei reli-  
gione, & hac solus Deus adoratur. Hunc cultum etiam tempore Augustini lib. de  
Latria. ciuitate 10. ca. 1. uocauerunt Latriam, qua hoc loco Magi adorauerunt Dominū.

Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.

Solenne semper fuit apud omnes nationes, præcipuè autem apud Orientales  
(ut passim scriptura docet) munerum, præsertim domesticorum, si quæ pretiosa  
fuerint, oblatione, animi beneuolentiam ac deuotionem erga principes, & qui-  
bus velit se quis uideri unicè additum, profiteri & testari. hoc fecit Iacob, Genes.  
43. qui mandauit filiis suis, ut de optimis terræ frugibus dona præfecto Aegypto  
ferrent. Vndè sacrificandi, & munera offerendi Deo, ritus introductus est: his e-  
nim pij testari uolunt, sese & sua omnia consecrasse & dedidisse. Hunc morem ue-  
tustissimum Magi imitantur. Nam cum hunc puerum & Regem orbi restauran-  
do diuinitus datum, ac Christum Domini esse, agnouissent, & proni adorassent,  
non contenti hac pietate, quod agnoscerent, uoluerunt hanc suam fidem, & ani-  
mi deuotionem exercere, ac piis uotis testari, quum, quæ pretiosissima habebant,  
& uerè dona regia, nimirum, aurum, thus, & myrrham, è repositoriis suis deprō-  
pserunt, & summo cum honore puero obtulerunt. Persè enim transmissio sinu suo  
proximam habent scelicem Arabiam, apud quam solam thus & myrrha, ut Pli-  
nius lib. 12. cap. 14. testatur, proueniunt, res sanè maximi pretij, quas non facillè  
apud nos non adulteratas inuenias. Obserua, iuxta numerum trium munerum,  
magno Ecclesiæ consensu receptum tres numero fuisse reges, qui Christum ado-  
raturi cum muneribus uenerunt.

#### Aurum.

Reuera tria obtulerunt munera, triplici genere munerum nouum offerentes  
sacrificium, & ueluti per ænigma trinitatem illam ineffabilem profitentes Patris  
& Filij & Spiritus sancti, simulque in uno homine mortalitatem, sacerdotium &  
regnum agnoscentes. Si quidem offerendo aurum, ipsum puerum pro Rege agno-  
uerunt: ac si dicere uellent, Offerimus tibi aurum, non quod eo te ditare uelimus.  
nam aurum, argentum & quicquid conditum est, iam antea tuum existit: uerum  
per hoc te præpotètem Regē omniū rerū agnoscimus. Ita Christo aurū offerimus,  
quum eum pro Rege nostro & Domino agnoscimus, & totos nos ex ipso pendere  
confitemur, cui nos nostraque omnia debemus. Quid enim habemus quod non  
acceperimus? In auro (ait Fulgentius) confunduntur Arrius & Manichæus, quia  
Manichæus de semine Dauid secundum carnem natum non credit Regem: &  
Arrius. Arrius de unigenito naturalem assignare nititur seruitutem. Proinde uterque  
experietur Regem, non à quo per fidem regatur, sed à quo pro infidelitatis cri-  
mine puniatur.

#### Thus.

Thus quid adumbrat. Thure sacerdotium Christi significant, quo antiquatur Leuiticū, & stabilitur  
nouum, quod est secundum ordinem Melchisedech. Aut thus, ut Deo, obtule-  
runt, & honorem diuinum adumbrarunt: quem ei offerimus, quum fatemur,  
quicquid habemus, Deo acceptum ferendum esse. Hoc sacrificium celebravit Iob  
dicens, Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar: Dominus  
dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Ad hunc, & sanctos, in  
quauis nostra afflictione recurramus, non ad adscititia auxilia & solatia. Cuius-  
modi sunt, qui apud sagas & ueneficas, opem quarunt. Hi Christo non thus offe-

runt, sed graueolens sulphur, quo æternū adurēdi sunt, eò quod Christo neque  
crediderunt, neque fisci sunt. In thuris (ait Fulgentius) oblatione confunditur  
Arrius, qui soli Patri sacrificium deberi contendit.

Et myrrham.

Myrrha, ut homini morituro, oblata est. Natus est mortalis, sacrificauit in  
cruce, uicit resurgens, regnat in caelis. Myrrha apta est corporibus defunctorum  
inungendis, ut aliquot annis non corrumpantur. Porro myrrha, fortis & amarus  
est succus, qui ex arboribus in Arabia stillat, instar gummi, quemadmodum ex  
pino aut abiete fluit resina. Christo myrrham offerimus, cum fortiter & ex ani-  
mo credimus, Christum per suam mortem, peccatum, mortem, Satanam & in-  
feros deuicisse: habita enim hac fide uiua & fiducia (cū charitate) in ipsum, facillè  
à putredine (quam mors inducit) asseruabor. Hanc enim myrrham, hoc est mor-  
tem Domini nostri Iesu Christi, cum in corpore & anima habeam, non sinet me  
corrumpi & interire. Proinde in hoc sacrificio oblata est myrrha, à corruptione  
reseruans, & adumbrans mortem & resurrectionem Christi, qui mortuus & sep-  
ultus est, nec tamen computruit, sed resuscitatus à mortuis, ad immortalitatem  
resurrexit. Psal. 15. Non derelinques animā meam in inferno, nec dabis sanctum  
tuum uidere corruptionem. Offerre igitur myrrham, est cōfiteri Christum mor-  
tuum esse, neque tamen uidisse corruptionem, sed rediisse iterum ad uitam, & uita  
mortem absorpisse.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem,  
per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

Magis apud se cogitantibus, an redeundum esset ad Herodem, ut illius animo  
satisfacerent, & dolum Herodis non presentissent, ut simplex semper est pie-  
tas, quæ ex se alios metitur, diuinum adfuit in somnis oraculum, quod periculo  
eos exemit, tutoque ad suos redire fecit. Neque enim ipsis tutum erat se ad Hero-  
dem referre, neque tanto expediebat negotio. Quare oraculo non segnes parent,  
& diuersa uia ad suos profecti sunt, apud suos noui Regis noui Apostoli & præco-  
nes futuri. Vide quomodo Christus cultores suos omnibus exemit periculis, ac  
gratia sua incolumes seruauerit. Destinarat quidē Herodes periculis intercipere  
Magos: id quod uiri optimi nesciunt, ac idcirco securè dormiunt: sed Dominus  
qui pro suis dormientibus uigilat, ne ipsam quidem ipsorum quietem intertur-  
bat acerbis. Nam occulto quodam diuinoque modo, perque inspirationē men-  
talē (id enim est quod Matthæus habet *χρηματιστικῆς*) Magos de crudeli Herodis  
consilio instruit, ac iubet, ne redeant ad Herodē, sed Orientem repetant alia uia.  
Rogabis. Cur non permisit eos reuerti ad Herodem, cum utique puerum seruare  
potuisset ab omni tyrannide, etiam si Herodes de ipso resciuisset omnia. Respon-  
deo. Hoc factō docemur, ut discamus non tentare Deum, & quicquid periculo-  
rum commodè poterimus declinare, ope & auxilio creaturarum, id non contem-  
namus dicentes, Deus non est suos deserturus, credo in eum, ideo neque mihi se-  
rendum neque metendum, quod intelligam illum mihi ex promissis missurum,  
qui me pascet. Pascit ille aues, quæ non laborant. Ab huiusmodi cauendum est:  
& audiendum uenit uerbum, quod non retractabit Dominus, In sudore uultus tui  
uesceris pane tuo. Et scriptura ait, Homo ad laborem natus, & auis ad uolandum.  
Cauendum igitur est, ne Deum tentemus: sed mediis utamur, quæ ad finem &  
fructum consequendum ordinauit. Obserua, hoc Magorum exemplo, pios sem-  
per curæ esse Deo, ut ut humana ratio putet desertos. Deinde ex Magorum sim-  
plicitate, nostram simplicitatem nunquam posse nobis esse fraudi, Deūque no-  
stri sollicitudinem nunquam exuere, ut potius nobis missurus sit proprium ange-  
lum (si in rem nostram sit) quàm nos ullo in periculo deserat. Iuxta Psal. 91. Qui

Magorum si-  
des donis ex-  
pressa.  
Persæ uicini  
scilicet Ara-  
bia.  
Sola Arabia  
scilicet thus &  
myrrham ha-  
bet.  
Numerus do-  
norum tres  
fuisse magos  
docet.

Nouum sa-  
crificium.  
Trinitatis ex-  
pressio.  
Tria in Chri-  
sto homine à  
magis agni-  
ta.  
Aurum Deo  
quando offe-  
rimus.

Manichæus.  
Arrius.

Thus quid  
adumbrat.

Myrrha.

Myrrha Chri-  
sto offerre.

Offerre myrr-  
ham Chri-  
sto.

Magi oraculo  
moniti ad  
suos redierunt.

Magi facti  
Apostoli.  
Christus cultores suos ser-  
uat.

Cur non per-  
missum Ma-  
gis ut rediret  
ad Herodē.  
Deus non ten-  
dendus.  
Media non om-  
mittenda.

Homo in sudore  
constitutus.  
Iob 5.

Pij Deo sunt  
cura.



habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur. In hunc enim usum sunt reuelationes, quas hic Magis, & Ioseph viro optimo, & alibi aliis factas legimus. Augustinus libro uno de Spiritu & anima, cap. 25. obseruat quinque genera somniorum, quae sunt: Oraculum, visio, somnium, infomnium, & phantasma. Oraculum est, cum in somnis apparet uel aliqua sancta grauisque persona ceu sacerdos, uel etiam Deus, euenturum aliquid, faciendum uel deuitandum denuntiat. Visio est, quum id, quod uidet quis, eodem modo quo apparuerit, euenit. Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest. Infomnium est, quando id, quod fatigauerat uigilantem, ingerit se dormienti, sicut est cibi cura uel potus, uel aliqua studia, uel artes uel infirmitates. Secundum namque studia, quae quisque exercuit, ipse somniat, & solitarum artium simulacra, in praesentia mentis impressa, apparent in somnis. Haec Augustinus, qui longè pluribus hoc in libro de Spiritu & anima, de his infomniis & nocturnis apparitionibus ac angelis siue bonis siue malis tractat. vide, si iuuat, locum citatum. Cum à bono spiritu assumitur anima (inquit Augustinus libro allegato, cap. 24.) falli non potest, quia sancti angeli miris modis uisa sua, facili quadam ac praepotenti unitione, uel commixtione, nostra esse faciunt, & uisionem suam quodam modo ineffabili in spiritu nostro informant. Ipsi siquidem his corporalibus indicandis & ministrandis praesunt, & eorum significatiuas similitudines in spiritu ita discernunt, & tanta potentia quodammodo tractant, ut eas etiam possint hominum spiritibus reuelando miscere. Inde est, quod angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: Et iterum, Tolle puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Et Ioëlis 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & iuuenes uisiones uidebunt, & senes somnia somniant. Haec Augustinus ille. Obserua non abs re dici, Per aliam uiam, &c. Iure enim non redierunt, nam qui regem Christum adorauerunt, ad principem tenebrarum reuerti non debent, quod figuratum est in vxore Loth, quae conuersa est in statuam salis, dum in fidei simplicitate non persistit. Et Christus in Euangelio, Nemo (ait) mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, &c.

#### Qui cum recessissent.

Omittit Euangelista tempus purgationis, & oblatum puerum in templo Hierosolymitano narrare, contentus post absolutum Magorum recessum in patriam, auspicari à cruce Christi, quam molitus est impius Herodes, ut ostendat uitam piorum Christo adhaerentium, plenam esse periculis, & arumnis: Sed, ut 2. Petri 2. scribitur, Nouit Deus pios de tentatione eripere: iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciandos. Absolutis itaque quadraginta diebus purificationis, ut Lucas narrat, adduxerunt Iesum Hierosolyma, ut sisteret illum Domino: & ut perfecterunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaeam, in ciuitatem suam Nazareth.

Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens.

Posteaquam consultum est Magorum incolumitati, uisum est ei, qui suos nunquam deserit, ut matris etià ac pueri tranquillitati prospiceretur, simulque incrementa sumeret Herodis impietas, & exacerbaretur magis ac magis in Christi gloriam. Is, qui Magos dimiserat, caelestis nuntius, Iosepho per somnium apparuit. Obserua. Angelum Domini dicit, ut demonstrat diuinum hoc esse oraculum, ac ipsum Ioseph caelesti quodam fulgore sensisse, quod è caelo esset qui loquebatur.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.

Quasi dicat, Ohe, iam satis superque, satis dormitum est, Ioseph, expergiscere, & experrectus adiunge tibi puerum ac matrem eius comitem, & clam fuge in Aegyptum, atque illic commorare, donec rursus te admonuero, tempus esse huc remigrandi

Somniorum  
quinque genera.  
Oraculum.  
Visio.  
Somnium.  
Infomnium.

Anima à bono  
angelo  
assumpta non  
fallitur.

Magi iure  
non redeunt  
ad Herodē.  
Genes. 19.

Piorum uita  
periculis plena.

Angelus Domini.

migrandi. Perpendamus hoc loco, cuiusmodi uitam filio suo dilectissimo Pater à puero ordinari, uitam certè miseris & arumnis plenam. Cur ita? ut ostenderet regnum filij sui non esse de hoc mundo: atque nos ipsos animaret ad eandem sortem, qua non desideremus antea regnare, quam cum Christo nostro pati & crucifigi. Deinde perpendenda est Domini magna humilitas, qui quum uel minimo suo uerbo potuisset Herodem cum omni sua tyrannide ad nihilum redigere, tamen fuga, uita sua consulit. Obiciet quispiam: Fugere est infirmorum & timidorum, speciemque habet animi sibi malè conscij. Quid igitur Ioseph iubetur puerum per fugam consulere, cum is posset statim illo momento perdere Herodē? Respondet. Non semper uerum est, quod qui fugit, propter impotentiam uel malam conscientiam fugiat. Fugiant plerumque & potentiores, ne cogantur non fugientes aduersarios suos perdere: quorum fuga non est fuga, sed temporaria cessio, qua plerique sapientes stultorum solent importunis conatibus cedere, illisque cedendo, irritos reddere. Iam Christus non uenerat ad perdendum quenquam, sed ad saluandum omnes. Et qui induerat carnis infirmitatem, ideo non erubescit prius facere, quod postea suos docturus est, cum dicit: Si persequuti uos fuerint de ciuitate una, fugite in aliam. Ob eam causam, maluit fugere, quam per miraculum Herodi resistere. Et ne quem haec fuga offenderet, Matthaeus praemisit maiestate & gloria plenam Epiphaniae historiam. Et sanè assolet ubique hoc facere Spiritus sanctus, ut tristibus misceat læta, humilibus sublimia, ne per solam humilitatem ac infirmitatem Christi scandalizemur. Paradigma. Dum concepisset uirgo, & grauidam cerneret Ioseph, cogitat ab ipsa clanculū diuertere: sed mox adest Angelus, & exponit anxio mirificam conceptionem de Spiritu sancto. Nascitur Christus in casa & loco abiectissimo, sed natalitium carmen concinit chorus angelorum: loco non scandalizantur Magi: infertur infans in templum, & offerunt parentes eius oblationem pauperum: sed de ipso tanquam orbis reperto thesauro tripudiat Simeon iustus. Fugit iam puellus in Aegyptum, sed iussus ab angelo, & prius adoratus à Magis. Interficiuntur mox innocentes, sed interficitur paricida Herodes: illi moriuntur, ut uiuant: hic, ut affigatur & ardeat semper. Sic inquam humilibus opponuntur sublimia, necubi impingamus in abiectam Christi sortem, simul considerantes, quanta adiuncta, imò consequuta sit gloria. Adhuc non est silentio praetereundum, horredum Iudaeorum iudicium. Hi cum Saluatorem sibi promissum, & apud se natum haberent (quem è longinquo Magi adoraturi uenerant) hunc non solum pro nihilo habuerunt, sed maxime perturbati sunt, quum resicerunt ipsum apud se natum. Pro hac igitur scelestissima ingratitude, & nephario contemptu, has dederunt poenas, ut Dominus illis Herodem tyrannum sanguisimum reliquerit, & ab illis fugerit in Aegyptum ad gentem impietate & idolatria famosissimam, ubi non erat Herodi facultas inquirendi in latebris pueri, utpote in aliena ditione, in Iudaea uerò fuisset. Deinde haec fuga, qua deseruit Christus Iudaeam (quae speciem pietatis praeseferbat) & uitiosam Aegyptum suo aduentu sanctificauit, eò pertinet, ut intelligamus Christum uenisse, ut peccatores saluos faceret, & quod maxime perierat, quaereret & saluaret. Obserua. His uerbis Angeli Ioseph asciscitur non quasi maritus, sed nutritius & custos pueri. Non enim dicit, Assume tibi conjugem tuam, sed, matrem pueri. Huc pertinet, quod diuus scribit Hilarius, Cum desponsatam eam iusto significabat, conjugem nuncupauit: sed post partum, mater tantum Iesu ostenditur, ut quemadmodum iusto Ioseph deputaretur eiusdem Mariae in uirginitate coniugium: ita uenerabilis eius ostenderetur in Iesu matre uirginitas. Haec ille.

Et esto ibi usque dum dicam tibi.

Consolatur angelus Iosephum, ne putet se perpetuò haesurum exilio in Aegypto,

f

Vita filio dilecto à Patre ordinata miseris plena. Regni Christi.

Fuga uitae consulit qui poterat Herodē occidere. Fuga ingenium.

Fuga honesta. Cessio temporaria.

Spiritus sancti consuetudo. Misceat Spiritus sanctus tristitia lætis.

Piorum & impiorum mors diuersa.

Iudaeorum ingratitude. Ingratitudinis Iudaeorum poena.

Aduentus Christi in Aegyptum, uocatio est gratia.

Ioseph nutritius & custos pueri nati.

Hilarius.



quod illi profectò molestum & graue fuisset. Vnde non ait, & illic mane & uiue, uel illic habita: sed, Esto ibi, donec dixerò tibi, quasi dicat, Nò negligam te ibi, in tempore admono, quando debeas in patriam reuerti. Vide: è Iudæa fugata pietati locus paratur in Aegypto. Si Iudæa pellit, suscipit Aegyptus. Si pellit Europa, suscipiet Asia. Dauidem è Iudæa pulsus suscepit Palestina. Iosephum à fratribus uenditum, fouit, imò uehementer euexit Aegyptus. Elias pulsus alitur à coruuis, 3. Reg. 17. deinde à uidua quadam in Sarepta Sidoniorum. Habet hic locus cautionem. Primò, ne Ioseph suo aliquando arbitrio reditum ad patriam tentet. Secundò, ne exilium præter consilium Dei soluat. Habet & admonitionem, ut in afflictionibus constituti, patienter manum Domini expectemus, quæ inde nos liberet. Deinde, ne dubitemus eandem nobis in tribulationibus adfuturam patris cœlestis prouidentiam, quæ in illas nos etiam inducit. Ille qui dicit, Surge & accipe puerum, &c. Is etiam pius in fuga constitutos nunquam deseret, sed in tempore reducet. Rogabis. Cur Herodes nò statim plaga Domini percutitur, ut necesse non fuerit, diu in Aegypto retineri Iosephum? Iniquitates illius nondum erant completæ, sicut de gentibus Cananæis legimus Genes. 15. Interea ferendum erat Iosepho exilium, donec omnium iustissima plaga completis ipsius iniquitatibus, è medio tolleretur Herodes. Quemadmodum & filiis Israël in Aegypto manendum erat, donec & Pharaonis malitia, & Cananæorum iniquitates consummarentur, ut perderentur.

Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.

Argumento ab incommodo, ætiologiam afferens, causatur, cur assumendus sit puer cum matre eius à Iosepho, & relicta Iudæa fugiat in Aegyptum. Omnem mouebit lapidem Herodes, nihilque intentatum relinquet, quo perdat puerum. Obserua tumultuantem & percitum Herodis animum, qui ea ducatur insania, ut laboret diuinam uincere uoluntatem. A des dum Herodes, quid moliris? Si ex Deo non est qui recens est natus, quid times? facile pauperculum euinces. Sin ex Deo est, quomodo perdes puerum? Vide: his uerbis Angelus interpretatur Herodis mentem, qui Magis non dixerat, ut perdam, sed ut adorem. Certè nihil est Domino absconditum. Fefellit Magos hypocrita impius, sed Deum nò fefellit, qui principum consilia nouit, & dissipat. Quàm miseri essent pij, si Dominum impij hypocritæ fallere possent! Sed obserua, quòd angelus non dicit, futurum est, ut Herodes perdat puerum, sed ut quærat ad perdendum. Quo exemplo describuntur nobis omnes impiorum irriti aduersus hunc Christum conatus: quem dum perdere uolunt, nihil aliud faciunt, quàm ut perdere conentur, sed frustra, cum perdi nequeat à quoquam, qui tandem omnes impios æterno supplicio perdendos dabit. Similiter & de pijs sentiendum est, quos impij frustra quærunt perdere, ob id quòd à Deo deseri nequeant. Psal. 36. Considerat peccator iustum, & quærìt mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Quid igitur est furor impiorum contra iustos, nisi frustraneus quidam, & solis ipsis perniciosus conatus? Herodi permissum quidem fuit, ut malitiam & impietatem mente conciperet: conceptam aleret, ac parturiret, scuiret ac fureret, simularet pietatem, dissimularet impietatem & conceptam malitiam, sed ut quod uolebat, & mente conceperat, perficeret, hoc illi permissum non est. Ita usu uenit & Pharaoni & Sauli, itaque contigit omnibus tyrannis: cœcipiunt iniquitatem, parturiunt calamitatem, sed in partu deficiunt, ut non uiuat quod tanto molimine, parturierant. Psal. 7. Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, &c.

Fugate pietati paratur locus.

Cautio facta Iosepho.

Cur statim non percutitur Herodes ut Ioseph nò diu in Aegypto retineretur.

Causa fugæ Christi in Aegyptum. Herodis conatus aduersus consilium Dei.

Mens Herodis ab angelo interpretata. Deo nuda omnia. Prædicat puerum angelus quærendum non perdendum.

Impiorum furor cœrapios uanus.

Impiorum cœceptus.

Parturiunt impij malitiam quam nò pariunt.

Obserua: exilium finiendum forè prædicit angelus, sed terminum non exprimit. Non est enim nostrum tempora & articulos temporum nosse, quos pater in sua solius potestate posuit. Nostrum autem est durare, & oculos nostros in uerbum Domini intendere, & sperare in illius misericordiam.

Qui confurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum.

Tametsi Ioseph cognouisset Deo non fuisse difficile subito Herodè extinguere, & puerum seruare, intellexit tamen morem gerendum esse diuino oraculo. Profectò hic ordo seruandi pueri magis ad corroborandam piorum fidem conducit. Nam scripturæ admonent Deum quandoque uelle, ut tyranni furor suæ gloriæ feruiat. Quare nihil contatus Ioseph adiunctam virginem matrem, & puerum, noctu fugiens, subducit in Aegyptum. Potuisset sanè Herodè populi sui pestem nullo negotio perdere, & salutè populi sui, Christum, incolumem seruare. Sed non omnia quæ potest Deus, eadem & facit. Oportebat enim & Christum pati pro salute mundi, & Herodis iniquitatem reuelari. Quòd ergo Deus non facit quod potest, non per impotentiam quandã intermittit (quæ nulla est apud Deum) sed quòd sic agere, neque conducatur, expediatur nobis, neque ipsum deceat. Expende quæso, quanta sint, quæ Christus nostra causa, non iam adultus modò, sed infans quoque pertulit. Non satis illi erat humanam carnem, hoc est omnem semel miseriam nostra causa induisse, nisi & infortunia quæque (ut ita loquar) pro similitudine absque peccato, in sese suscepisset extrema. Nascimur quidem omnes mortali carne circumdati, & multis obnoxij malis, interim tamen alius alio nascitur (ut ita loquar) fortunatior, minusque calamitosus. Christus autem Rex noster prorsus intolerandis pulsatur calamitatibus. Graue est adultum periclitari simul fama, uita, & facultatibus. Grauius est expelli patriis sedibus, eiici in exilium ad homines Barbaros, quorum neque mores, neque linguam noris. Grauisimum denique est, hostem cruici imminentem sustinere sedulum, rerum peritum, ac potentem, imò Regem & uaserrimum & inuictum. Verùm hæc omnia perfert, atque in ipsis adeò cunis, Rex & Dominus noster Iesus Christus. Cui id quoque mali accedit, quòd in ipsum Ioseph uirum simplicem, iustum, & hominem ingenij candidi & mitissimi, inque ipsam virginem, pudicissimam, cuius mores prorsus ab omni turba abhorrebant, & quæ rarius egrediebatur domum, hoc mali deriuabatur. Sed illa omnia primò pertulit, ut nos è paradiso ciectos sedibus restitueret beatis ac patriis. Deinde, ut significaret qualenam regnum suum hic futurum esset: & ut nos regni sui ciues ad patientiam pertraheret, quibus tam aperte significat multa huius generis mala suo nomine eos passuros, exilium, inopiam rerum, facultatum direptionem, optimatum odia, nominisque & famæ bonæ periculum atque naufragium. Obserua. Cum fugere simpliciter esset iustus, noctu fugit, hoc suo exemplo docens in primis, quanta diligentia parendum sit diuino oraculo. Deinde quàm debeamus studiosi esse, & rationis industriam ac uires omnes intendere, ut commodissimè perficiamus, quod probari Domino cognouerimus, certò apud nos statuentes, Spiritum Domini, uoluntati diuinæ studentibus, nunquam defuturum. Qua potuit usus est industria, ut cautè fugeret. Nò cogitauit, Quid refert, quomodo fugiam? Qui me fugere iussit, defendet etiam fugientem, ne incidam in manus Herodis. Hoc fuisse tentare Dominum. Pij igitur utuntur sua industria, etiam si non dubitent nihil sibi posse præter mentem Domini accidere. Sic Magi non quæ uenerant, sed per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam. Sic Dauid ne in manus Saulis incideret, mille modis propria industria cavit, licet sciret se diuina tutum protectione, & sine illa omnes conatus elabendi fore frustraneos, non ignoraret. Fugiunt igitur Virgo & Ioseph adiun-

Temporū articuli nobis incogniti.

Ordo seruati Christi nati, confirmat fidem. Tyrānis-quædoque gloriæ Dei feruit.

Nulla impotentia apud Deum.

Christus quæta, nostra causa, infans & adultus tulit.

Calamitates humane. Calamitates quibus pulsa tur Christus.

Exemplū tolerantie, Christus.

Parendū diuino oraculo.

Ioseph fugiens non tetat Deum. Industria utè dum ne Deū tentemus. Magi. Dauid.



nam in hunc furorem exarsit. Dignus erat impius ille tyrannus, hostis Dei, & uer-  
sutissimus impostor, cui illuderetur, & imponeretur. Id factum est diuino, ius-  
tissimoque iudicio, non culpa uel astu Magorum, ut impius hypocrita, qui  
falsa simulatione, Magorum lynceritati imponere, illaque ad perdendum Chri-  
stum abuti uolebat, per eandem falleretur, & illudere gestiens, illuderetur. Ut  
Dominus Pharaoni per Mosen illudit, ita Herodi per Magos. Puericidæ ambo  
erāt. Hic masculos Hebræorū in Aegypto, ille in Bethlehē occidit. Aut illudum  
dixit Matthæus, non ut tu cogitares hic quicquam à Magis esse peccatum turpi  
impostura: sed illudum posuit pro frustratum.

Illudum pro  
frustratum.

Iratus est ualde.

Timens Herodes, ne si puer, quem adoraturi abierant Magi, à parentibus ab-  
sconditus, adoleceret, & adultus à Iudæis rex exciperetur, unde de se & Hero-  
dianorū familia actum esset, multo statim furore incanduit, & percitus nihil am-  
plius simulauit, sed abiecto omni facio, ut erat impotens ire, in manifestam proru-  
pit insaniam. Illa enim regum magna & inextinguibilis est ira, quam regni zelus  
accendit. At non oportuerat ipsum irasci, sed comprimi potius, ac cognoscere,  
quàm stultus & inualidus esset suus ipsi conatus, nimirum aduersus Christum  
Domini omnium potentissimum.

Herodis me-  
tus quo perci-  
tus.  
Chryso-  
Ira fit magna  
incendio ze-  
li regni.

Et mittens.

Cùm Herodes tanto agigaretur furore, delegit sibi carnifices, & suæ uesaniæ mi-  
nistros, qui carnificinam & puericidium imperterriti exercerent, quorumque ani-  
mos nulla caperet miseratio, pietas aut clementia.

Carnifices  
Herodis.

Occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus  
finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exqui-  
sierat à Magis.

Impius tyrannus Herodes furorem suum & suam uesaniam effudit, non ad-  
uersus potentes, & eos, qui armis referire poterant: sed impotentes, & imbelles  
pueros, & eos innocentes, non solum quotquot in ipsa Bethlehem, sed etiam  
quotquot in finibus Bethlehemiticis erant bimulos, & hac arate minores, sequu-  
tus temporis supputationem, quo Magi renuntiarant sibi primum uisam fuisse  
pueri stellam. Rogant nonnulli, quomodo Herodes in occidendis pueris biennij  
rationem habuerit. Sabellicus Enneade septima, lib. primo scribit, Herodem nõ  
statim post abitionem Magorum occidisse hos pueros, sed crudelitatem hanc ad  
biennium usque distulisse, propterea quod interea temporis à filiis apud Cæsarem  
accusatus, Romam purgandi se gratia ire coactus sit, unde reuersus, fauierit pri-  
mum in hos pueros. Putant alij Herodem, ne qua elaboretur Christus, cautionis  
gratia dilataisse & tempus & locum. Atque ideo non minores tantum biennio, sed  
& bimulos: neque eos tantum qui Bethlehem, sed & qui in confinibus locis essent,  
occidisse, quemadmodum & Euangelista commemorat. Verum nolim hic anxie  
sudare, cum id non sit necessarium. Dilata est hæc immanis crudelitas uniuersos  
complexa pueros, ab impio Herode, rato hoc tam nephario consilio satis sibi  
cautum esse, eum unum quem quarebat non posse elabi, dum uniuersos occidit.

Herodiane  
tyrānidis per-  
fūso.  
Stella biēnio  
uisa ante Ma-  
gorum adue-  
tum.  
Herodes biē-  
nio distulit  
infanticidij,  
Romæ occu-  
patus.

Proinde tam exactè carnificibus puericidium demandatum est ab Herode, ut ne  
filio quidem ipsius Herodis pepercerint. Quod nobis scripto reliquit, antiquita-  
rum studiosus autor Philo Iudæus. Imò & Macrobius, inter Gentilium scriptores  
non postremus, libro Saturnaliorum. 2. cap. 4. huius nefandi sceleris meminit,  
qui iocos ac sales Augusti octaui Cæsaris recensens, hoc modo de Herode scribit:  
Cùm audisset (inquit) inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bi-  
matum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, Melius est Herodis por-

Herodes ne  
filio quidem  
proprio per-  
cit.  
Ioc<sup>o</sup> August.  
Cæsaris in  
Herodem.

cuta esse, quàm filium. alludit autem Cæsar Augustus ad illud, quòd Herodes Iu-  
daismo sese consecrauerat, atque ideo ab omni carne suilla abstinere. Proinde hi  
pro Christo mortui, martyrum nomina sunt consequuti, baptismo sanguinis ba-  
ptizati. Ecce prophanus hostis (ait Augustinus) beatis paruulis nunquam tantum  
fauore suo prodesse potuisset, quantum profuit odio: nam quantum contra eos  
iniquitas abundauit, tantum in illis gratia benedictionis effuluit. De his cantat  
Ioannes in Apoc. 14. Hi sunt, qui empti sunt ex omnibus, primitiæ Deo & agno:  
& in ore eorum non est inuentum mendacium. Hi sunt, qui cum mulieribus non  
sunt coinquinati, uirgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. Por-  
rò hæc nobis adumbrabant, atque his parabatur exemplum, quòd uexandi essent  
pij & ueritatis Euangelicæ professores ab impiis Principibus, qui fidem Euange-  
licam adhuc tenellam, & in animis piorum gliscentem, sua tyrannide extinguere  
molirentur. Obserua. Neque Herodes neque uniuersa caro potest sibi persuadere,  
quòd occidi propter Christum, sit uiuere & seruari. Herodi tum à Magis, tum à  
Scribis & prophetis data erat respiscendi occasio, non autè insaniendi & fauien-  
di: sed sua malitia, & regnandi cupiditate excæcatus, fauienti, & foueam qua se-  
ipsum in præcepis dedit, parandi occasionem accepit. Nam lucem ille aspernatus  
est, magisque dilexit tenebras. Neque opposuit sese, uel tantillum, prauis suis affe-  
ctibus: ideoque foedissimum affectuum factus mancipium, diabolo sese vexandū  
prorsus dedit. Regnat ergo & uiuit in illo iam diabolus: ducitur captiuus ab  
Auaritia, à dominandi libidine, & à rebus turpissimis, ut iam hominis nihil re-  
tineat, nisi inane nomen, imò & bellua factus sit immanior. Legimus enim Leo-  
nes, Ursos, & Apros non rarò pepercisse infantibus, hic uerò quatuor fera effera-  
rior, tenera infantū corpuscula laniat, lacerat, atque discerpit indignissimè. Huc  
impellit nos Auaritia, huc dominandi libido, & obsequium diaboli spontaneum.  
Hæc & Iudam perpulere ad immane facinus, ut non puderet illum fidelissimum  
suum prodere magistrum. Hæc eadem Pharaonē quoque & Antiochum belluina  
rabie exasperauerunt in infantulos. Vnde meritò posthac uigilandum nobis &  
orandum est, ne à turpibus illis uincamur affectibus: deinde à regno Dei excida-  
mus, & naturam exuamus hominum, in belluas transformati, imò in deterius  
quidpiam, ut simus incarnati (quod dici solet) diaboli. At uisū auditiq; mirabile  
est dum hic fide prospicimus, Deum etiam tyrannis ad suam gloriam uti. Hero-  
des enim dum omnia sibi sua tyrannidē & uitio uertit in fauienti materiam, Dei  
iustitiam sua malitia illustrauit. Nam cum omnibus conspicuum esset immani-  
tate Herodis pueros innocuos trucidatos fuisse, huius tyrānidis pœnas dedit, dum  
horribili exitio cunctis prospicientibus perit. Morbo enim intercuti, atque sca-  
tentibus toto corpore uermibus, miserabiliter languescens seipsum gladio trans-  
fodit. Aduerte. Iniuria pueris innocentibus ab Herode facta est, sed hanc passi,  
coronas meruerunt, ait Theophylactus. Nam qui malum aliquod patitur, uel pa-  
tatur ut peccata dissoluat, uel ut coronæ augeantur, sicut & illi pueri magis coro-  
nati sunt. Hactenus ille. Obserua. Bimatus spatium duorum annorum est. Vnde  
puer bimus siue bimulus, qui duorum annorum est: similiter trimus & quadri-  
mus. Aduerte. Exquiserat, id est exactè & diligenter didicerat.

Infantes fa-  
cti martyres,  
& baptizati.

Caro nescit  
mortem pro  
Christo, esse  
uitam.  
Regnandi cu-  
piditas, lema  
malorum.

Herodes no-  
mine homo,  
factus bestia.  
Bestiæ imma-  
nes etiā pue-  
ris pepercere-  
runt.  
Auaritiæ &  
dominandi li-  
bidinis fru-  
ctus.  
Iudas.  
Pharao.

Diaboli in-  
carnati.  
Deus etiam  
tyrannis ad  
suam gloriā  
uitur.

Herodes mor-  
te horribili si-  
mul & foeda,  
nēpe phthi-  
riasi, perit.

Bimatus.

Exquirere.

Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam  
prophetam, dicentem.

Occupat Euangelista. Nam, ne quis putaret, inuito Deo factum fuisse pueri-  
cidium, sed casu, & non dispensatione diuini consilij euenisse, ostendit, quòd Do-  
minus id prænouerit, adducens Hieremiæ uaticinium, qui Spiritu afflatus iam fa-  
ctum cernebat (tanta est prophetiæ certitudo) quod multis post seculis esset futurū,

Prophetiæ  
certitudo.



Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Hunc locum etsi non ad verbum, tamen iuxta sensum protulit Euangelista, ex Hieremiæ cap. 31. desumptum. Omnino enim easdem voces adnumerare Apostoli non solent, contenti Christum prædicasse veritate & integritate sententiarum. Prophetæ uerba subscribam. Hæc dicit Dominus: Vox in excelsis audita est, lamentationis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt. Hieremias ad literam nomine Ephraim filij Rachelis, cõsolatur Israëlitas, promittens liberationem à captiuitate, & futuram consolationem, quæ hæcenus completa non est. Nondum enim reliquæ Israël saluæ factæ sunt, sed saluæ fient, ait Paulus Roma. 9. cap. Aut quoniam, ut paulò antè docuimus, aliqua è scripturis adducuntur, de aliquibus dicta, quæ in aliis implentur. De filiis Israël loquutus est Hieremias, præuidens quod dicebat, futurum in Bethlehemiticis pueris. In hoc testimonio Matthæus adiicit matrum luctum, ad hoc nimis, ut absolutissimum haberemus grauissimæ afflictionis exemplum. Viuidiora autem sunt exempla, si illustrentur per similia. Idcirco Matthæus locum hunc Hieremiæ de planctu Rachelis, non adduxit tantum ut figuram, sed magis ut similitudinem. Adimpleri ergò siue perfici hæc dicitur, quod denuo fit, siue quod nunc secundò fit, sed ad exemplum superioris facti. Hieremias ergo cap. 31. promittit captiuis è Babylone liberationem, & quòd reducendi sint in patriam. Proponit igitur Rachel em quæ fuerat mater Iosephi, & auia Ephraim, lugere Ephraim id est decem tribus. Ephraim in prophetis ponitur pro decem tribubus, eò quòd Hieroboam primus Rex post diuisum regnum à morte Salomonis, decem tribubus imperitans, Ephraimita fuerit. Vno autem uerbo causam luctus indicat, Quòd non sint, id est, quòd Israëlita excisi, in Assyrios abducti, & in captiuitate sint conclusi, atque iccirco perinde atque prorsus deleti videantur. Verum consolatur ipsam propheta, dicens, mala ista breui terminanda, præterea parata esse à Deo, laboribus tantis condigna præmia: sed & reditus in terram promissam è Babylone spem ingentem iniicit. Ad hoc priscum factum respiciens Matthæus, videtur ita loqui: Tunc factum est circa Bethlehem à mulieribus Bethlehemiticis tale quippiam, quale refertur factum per Hieremiam à Rachele, à mulieribus inquam Ephraimiticis, siue decem tribuum. Hæc tunc lugebant filios suos, quos Assyrij partim iugularant, partim silicibus, cauribusque illiserant, partim in captiuitatem abduxerant. Ita enim nunc quoque Bethlehemiticæ plorabant sibi ab uberibus abstractam sobolem charissimam, quæ non supersit amplius, id est, quæ crudeli paricidio sublata sit è uiuis. Est autem patheticum, & muliebre aliquid spirat, quod ait, Noluit consolari, quia non sunt. Sic enim exclamant matres, se omni spe sua excidisse, quando interierit & nupiam nunc sit, quod solum in hac luce dulce fuit. Aut quòd non sint, qui consolentur, alioqui, quis sperneret consolationem? Aut quòd non sunt, id est mortui sunt. Ita mundus putat interiisse, qui propter Christum occiduntur. Ad amplificationem pertinet, quod Hebræam dictionem reliquit, Rama: est enim appellatiuum, & significat excelsum & sublime: in qua significatione hoc loco accipitur, ut claram ac longè, latèque sonantem plorantis uocem intelligas. Aliàs Rama ciuitas est tribus Ben-Iamin haud procul à Gabaon, Iosué, 18. Iudic. 19. quam reedificauit Baasa Rex Israël, 3. Reg. 15. Proinde auxesis est, perinde ac si dicas, It clamor cœlo, Vox astra ferit. Nam per hypotyposim fingit tantum fuisse Bethlehemiticarum matrum eiulatum & planctum, ut in aère & cœlo ipso intonuerit. Neque uerò absurdum fuerit per Rachelem, intelligere non tantum mulieres decem tribuum, sed & matronas Bethlehemiticas. Nam Rachel filia Laban, & soror Liæ, cum uiro suo Iacob peperisset Ben-Iamin, è partu mor-

Apostolorum in scripturis citatis

Ephraim filius Rachelis.

Clavis scripturæ.

Exempla uividiora per similia.

Adimpleri.

Rachel auia Ephraim. Ephraim nomine intelliguntur decem tribus. Hieroboam Ephraimita Rachelis filij non sunt, quia abducti.

Noluit consolari, patheticum.

Mortui pro Christo, non sunt iuxta carnem. Rama.

Rachelis nomine quid intelligitur. Rachel.

tua, sepulta est in hippodromo siue uia lata, quæ ducit Ephratam, id est Bethlehẽ, Genes. 15. Vnde ex materni corpusculi hospitio locus siue regio Bethlehemitica, matris nomen accepit. Mystica igitur significatione Rachel Bethlehemitarum mater dicitur. Monuerunt præterea veteres per hunc planctum significari Ecclesiæ luctum, lugentis de iniusta membrorum suorum laniena accide, qui luctus ascendebat cum uoce sanguinis Abel ad solium iusti iudicis Dei, Genes. 4. Hebr. 11. Iacobi 5. Totus hic locus nos admonet, uocem lugentium audiri in cœlis, neque id frustra, sed cœlitus consolationem mitti lugentibus & plorantibus.

Lugentium uox auditur in cœlo.

Defuncto autem Herode.

A circumstantia personarum & temporis, certitudinem historię declarat. Exitium tyranno dignum iam è medio Herodem sustulerat, postquam regnasset septem supra triginta annos, ex quo à Romanis illi regnum fuerat decretum. Itaque Tyrannus multis modis malus & crudelis, tandem miserimè moritur. Nam amara morte periit, febris & dysenteria, & scabie, & podagra, putredine uerendorum, generatione uermium, & spirandi difficultate, & tremore & contractione membrorum, ac tam uariis morbis malam absoluit uitam, ut à uatibus diceretur diuinæ ultionis supplicio affligi, & pœnas dare. At enim Christus noster regnat in æternum. Verè de eo dici poterat illud Psal. 36. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Certè crudelissimo facinori mox subiecta est mors amara, de qua legito Iosephum lib. Antiquitat. 17. cap. 9. & 10. quòd penitus inspiciantur diuina iudicia, & horum commemoratione timeant religiosius Deum, qui ex præfenti fortuna aliquando insolentius ferociunt, ac sui ipsius obliuiscuntur.

Herodes non simplici morte periit.

Herodis mors ferocitibus in hoc seculo, fixi sit uice.

Ecce apparuit angelus Domini in somnis Ioseph in Aegypto, dicens, surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Israël.

Angelus, qui fugæ consilium dederat, rursus Iosepho in somnis apparens ipsum hortatur, ut relicta Aegypto, puerum & matrem eius in terram Israëliticam reuehat. Vnde (inquit Dionysius in cœlesti Hierarchia) quoniam & ipse Iesus supercœlestibus essentis superexistens, ad id quod secundum nos est, immutabiliter ueniens, non refugit ad se ordinatam & assumptam humanam ordinationem: sed obediens est, & subditus Dei patris per angelos dispositionibus: per angelos ipsos annuntiatur Ioseph à Patre disposita filij ad Aegyptum recessio, & iterum ad Iudæam ex Aegypto traductio. Porro his uerbis angelus omnem excusit timorẽ Ioseph: Surge, inquit, & uade: non dixit fuge, sed uade, quasi dicat: nihil amplius periculi est in regione Iudææ. Obserua hoc loco, tribulationi requiem, & mœrori gaudium succedere. Vnde uidere est, quàm uerè dixerit Dauid, Multæ tribulationes iustorum, sed ex omnibus illis liberat eos Dominus. Deinde considera, Aegyptum, abiectissimum tunc locum fuisse, & idololatria plenissimum: sed non est locus tam impius, quem horreat diuina prouidentia, quominus suos in illo constitutos inuisat & consoletur. Vide, hoc nuntio angelico nobis commendari indulgentiam Dei optimi patris, qui momentaneum & leue facit omne quod patimur, æternum autem pondus gloriæ, ad quam nos parat aduersis & ipsa cruce, nobis tantula parat aduersitate.

Dominus auxiliator oportunos. Psal. 33.

Deus ubique adest suis.

Surge, & accipe puerum & matrem eius.

Noster Euangelista studiosè format Angeli uerba, ut non dicat, surge & accipe puerum tuum, nihil enim Dominus Iesus Christus habet ex Ioseph, sed suam traxit substantiam ex substantia uirginis Mariæ. Verum ait simpliciter, Accipe puerum & matrem eius, ut cù præcedentibus, quæ cap. 1. declarata sunt, sequentia cõcordent.



Et uade in terram Israël.

Quid opus erat reportare puerum in terram Israël, antequam tempus manifestationis illius adueniret, quæ anno demùm trigésimo ætatis illius fieri debebat? Poterat nãque ad id ætatis usq; in Aegypto educari. Certè educandus erat puer in Israël nõ in Aegypto, ut Prophetæ oraculo satisfaceret, ne uideretur Aegyptius esse, & non ex Israël, qui Nazarcus uocandus erat. Deinde erat etiam Iosephi & Mariæ uirginis habenda ratio, quibus absque dubio graue fuisset soluto metu Herodis, ampliùs sine causa in Aegypto demorari, & patria religione terraque diu-  
tius priuari.

Iesus quare  
ex Aegypto  
relatus in Iu-  
dæam.

Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

Aetiologia est, cur Ioseph assumere debeat puerum ac matrem eius, & ipsos in terram Israëliticam reuere. Herodes (ait angelus) tyrãnus, & qui cum eo carni-  
ficinam exercebant, defuncti sunt: nihil modò periculi est. Ex hoc loco (inquit Hieronymus) intelligimus non solùm Herodem, sed & sacerdotes & scribas eodẽ tẽpore necem Domini fuisse meditato. Facessat hinc Apollinaris hæreticus, qui dicebat, Dominum non accepisse animam. Audiatur angelum dicentem, qui quærebant animam pueri. Obserua, cum dicit, Defuncti sunt qui quærebant animam pueri, loquutio est Hæbraica. Quætere animam alicuius, significat insidiari uitæ hominis, ut uidere licet Hieremiæ, II. cap. Cæterùm hæc sententia, Defuncti sunt qui, &c. uidetur habere occultam antithesim, hanc nimirum, Sed uiuit adhuc Christus, & æternùm uiuet. Sic, inquam, uincit Christus patiendo & cedendo, & subiiciuntur in scabellum pedum eius omnes inimici eius. Vide mihi, Per mortem impiorum tyrannorum soluuntur exilia piorum. Huius rei multa sunt exempla in historiis Ecclesiasticis. Ne timeamus igitur eorum tyrannidem, quorũ uolentia unica mortis horula dissoluitur, & irrita redditur: ut postea de illis diceat, defuncti sunt, qui quærebant nos perdere.

Christus uerè  
habuit ani-  
mam.  
In Apollina-  
rè hæreticum.  
Quætere ani-  
mam alicui?

Tyranni pe-  
reunt, pii per-  
manentibus.

Qui confurgens accepit puerum &amp; matrem eius, &amp; uenit in terram Israël.

Non audienda duntaxat, sed etiam imitanda nobis iterum proponitur fides, obedientia, & pura diligentia Iosephi, qui experrectus promptè per omnia diuinæ uoluntati, & angelo reditum imperanti paruit. Nihil enim ille nec dubitat nec disputat de angeli uerbis, nihil omittit: imò nihil non ita agit quemadmodum ab angelo iussus erat: uirginem cum tenello puero assumpsit, & in regionem Israëliticam reuexit. Obserua: nõ dixit, accepit puerum suum & uxorem suam, sed puerum & matrem eius, quasi nutritius pueri & custos matris eius. Reducendum dicit puerum in terram Israël, non explicans certam ciuitatem, sed tantùm terram promissionis. Oportebat enim illum his primùm innotescere, quibus præcipuè destinatus erat, ut impleretur quod prænuntiatum erat, Notus in Iudæa Deus: ne gens incredula & ad idololatriam aded procliuis, haberet, quod uel suæ incredulitati ac impietati prætexeret, non recipiens illum pro suo Messia, sed ipsum negans & alium esse contendens à promisso in lege. Vnde Iudæis primò nuntiandum erat Euangelium, quod Dei uirtus est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco, Rom. I. Id quod constanter pronuntiauit Paulus, Actuum. 13. Sic enim scriptum est, Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis uitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.

Iosephi fides  
& sedula ob-  
edientia.

Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro

Herode patre suo, timuit illò ire.

Cum regionis Israëliticæ ac patriæ fines ingressus esset, atque illic ex certo ru-

more reliquias paternæ tyrannidis esse offendisset, Archelaum scilicet, defuncti Herodis filium, sortitum paterni regni dimidium, ac uice patris in Iudæa regnans, timuit in Iudæam proficisci. Metuebat, ne Archelaus, ut in principatum Herodis, ita in tyrannidem & immanitatem paternam successisset. Prudentiam simplicitati iungens, cogitabat fortè, quod cõmuni fertur prouerbio, Mali corui malum ouum. sicuti reuera ingenij prauitate pulchrè patrem retulit Archelaus, cædibus & turbis regnum funestans. De hoc Archelao, qui secundus alienigena regnauit in Iudæa, & cui dimidiũ regni paterni, hoc est Herodis, celsit, plura scribit Iosephus lib. Antiquit. 17. cap. 10. & 17. Quæ tamen satis fuerit nouisse, hæc sunt. Herode patre mortuo Archelaus filius Romæ contendit ad Augustum Cæsarem, qui ipsi Idumæam, Iudæam & Samariam, quas Toparcha administraret, concessit. Philippo autem fratri Bethauæam tetrarchiam cum Trachonitide, & Auranitide assignauit: Herodi autem Galilæam contulit, &c. Idquæ fecit ex testamento Herodis patris ipsorum, promittens Archelao se ordinaturum ac cõstituturum ipsum Iudææ Regem, si se illo dignum præberet. Intercà dum hæc diuisio Romæ fieret, magni motus in Iudæa exorti sunt, quos tamen Quintilius Varus Syriæ præses dispulit atque composuit. Venit & Archelaus Hierosolymã, & præfuit Toparcha annis nouem. Sed patre nec mitior fuit, nec melior. Vnde ab optimatibus coram Cæsare accusatus, insolenter, & crudeliter administrati regni, cuocatur Romam, & inde in urbem Allobrogum Viennam mittitur in exilium. Post quæ sic iuste gesta, Archelai regio, mox tributaria facta, & Syriacæ dispensationi coniuncta, per Præsides porrò administrata est. Obserua. Verbum timuit, uidetur insinuare Ioseph uoluisse proficisci in aliquam ciuitatem tribus Iudæ, aut aliquam in circuiu illius sitam, qualis erat Hierusalem, sed Herodianæ sæuitiæ in Archelao metu, auersus est, ne illuc se cum puero & matre eius reciperet.

Archelaus,  
heres regni  
& sæuitiæ He-  
rodus patris.

Augustus  
3. filius Hero-  
dis regnum  
paternum di-  
uidit.

Archelaus a-  
mãdatus Vi-  
ennam.

Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

Dubius animi Ioseph, quòd se cum puero reciperet, oraculo angeli qui in Aegypto reditum in terram Israël significauerat, confirmatus, secessit in partes Galilææ, tum quòd post captiuitatem babylonicam inhabitabatur ex parte à Gentibus, unde minus erat regi suspecta, tum quòd à Galilæa non expectabant Messiam Iudæi, sed ex Iudæa & Bethlehem oppido Iudæa: proinde tutissimè latebat in Galilæa Dominus. Quibus rebus significatur, pacem quidẽ concedi Ecclesiæ, sed ita tamẽ ut nulla sit plena in hoc mundo securitas. In hac Galilæa regnaturus erat Herodes iunior & ipse impij Herodis impius filius, & patris in tyrãnide successor, id quod in Ioanne Baptista, & Iacobo fratre Domini, item in Apostolo Petro declaratum est. Vide quàm sollicitus sit Dominus ac Pater Deus pro piis, quem iam audimus quinquies suos in somnis de rebus agendis instruere. Semel supra cap. primo: & hoc capite quater. Cur in somnis? mirabilis uidelicet doctor, qui dormientes docere potest. Hoc tamen nõ intelligat caro, nihil tamen eo certius. Primùm mens hominis dormientis à curis & negotiis secularibus aliquanto liberior, & ad suscipiendum cœlestia oracula accommodatior est. Deinde hoc pacto pulchrè innuitur, quæ sit Dei erga suos prouidentia, qua dormientes etiam, & nihil de necessariis sollicitos, paterna uigilantia, quid agendum sit, quid uerè cauendum, instruit. Huc pertinet q; Dauid Psal. 33. canit, Immittet angelus Domini in circuiu mentium, & eripiet eos. Quod legimus Christo & suis in fauorem aduersus inimicos suppeditatum, idem & nobis (si ex animo credentes petimus) ab optimo Deo & patre expectandum est. Aduerte ex historiis duplicem esse Galilæam (quæ est Syriæ regio ad Septentrionem Iudæa sita) superiorem scilicet & inferiorem. Superior sita est iuxta Tyrum, Sidonem, & Cæsaream Philipi, quæ Gentes ad A-

Quare Ioseph missus  
in Galilæam.

Herodes iunior in nomẽ  
& crudelitatem  
successit  
patris.

Deo quanta  
cura suorum

Deus docet  
suos, etiam  
dormientes.

Galilæa du-  
plex.



Galilæa quare Gentium.

quilonē attingit. Et hæc dicta est Galilæa Gentium, Isa. 9. & Matth. 4. uel quia illic Gentes usque ad Salomonis tempora habitauerunt, uel quod Hiram regi Tyriorum oblata sit, 3. Reg. 9. Hęc in tribu Nephtholim sita est. Inferior Galilæa circa Tiberiadem & stagnum Genezareth in tribu Zabulon posita est. De qua Matth. 3. & 4. Christus frequenter uersatus est in Galilæa, Ioan. 4. Vnde etiam Galilæus uocatus est, Matth. 26. Aut propter Nazareth & Capharnaum Galilææ ciuitates, in quibus illi fuit domicilium, Luc. 2. & 4. Quapropter etiam Iulianus Imperator Christianos solebat Galilæos appellare. legito Eusebium lib. 10. cap. 35. Ecclesiastica historię.

Christus quare Galilæus à Iudæis &amp; ab Iuliano dictus.

Christus quare Galilæus à Iudæis & ab Iuliano dictus. Christiani quare Galilæi.

Et ueniens habitauit in ciuitate, quæ uocatur Nazareth.

Christus omnibus &amp; natus &amp; datus.

Postquam omnia tuta, ac in Galilæam migrandum esse angelus nuntiavit, Ioseph omnem excutiens timorem, secessit Nazareth, inuitatus in eam concedere diuino oraculo & patriæ charitate. Ex superioribus obseruare possumus, Christum (qui nulli non uenerat) per uarias occasiones multis datum fuisse. Nam Bethlehemitæ huius natiuitate & partu virginis gloriantur: Hierosolymis Domino oblatus est, & inibi ritus purificationis obseruatus: tanto hospite felix habitata est Aegyptus: Celebratur Nazareth, quod in ea nutritus sit Christus, & virginis Mariæ matris fuerit patria, in qua filium conceperat. Viculus quidem erat Nazareth, humilis & obscurus, Galilææ contemptæ apud Iudæos regionis: sed interim, dum uidemus Dominum non se munuisse ciuitate fortissima aduersus

Nazareth.

Deus nihil eger præfidiis humanis.

Archelai, aut cuiusuis alterius fauorem, monemur hoc exemplo, in his quæ nobis diuino oraculo manifesta fiunt, & diuina uoluntate geruntur, nihil opus esse huius mundi præfidiis, quibus innitatur & fidamus, qualia sunt, diuitiæ, potentia, factiones, generis claritudo, & huiusmodi: quæ cum adiungimus, ut illis innitatur, gloriam Dei apud homines obscuramus. Deinde non omittendum est, cur Dominus in Nazareth viculo obscuro nutritus fuerit. Certè ostenditur diuinitas eius, cruce & humilitate tegi. Cuius crucis non minima portio fuit, quod haberetur Galilæus, & Nazarenus, hoc est in humillima Iudæorum regione & obscuro oppidulo educatus. Vnde dicebat Nathanaël, Ioan. 1. A Nazareth potest aliquid boni esse? Quasi, quod Philippus dicebat, uerum nõ esset, propter loci humilitatem. Similiter Iudæi miraculis & Christi doctrina offensi, Nicodemo suadenti, inaudita & incognita causa neminem condemnandum, respondebant, Ioan. 7. Num & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & uide, quod à Galilæa Propheeta non surrexit. Vide, quæ in eum Ioannis locum scripsimus. Quod in Nazareth

Dominus Iesus nihil egerit nõ humile in hoc seculo.

Christus educatus esset, illic & natus uulgò credebatur, atque ita humilitate Nazareth, nobilitas quam ex loco natali Bethlehem uerè habebat, obtecta fuit, impiis quidem & incredulis incognita, ut uidentes non uideant & intelligentes non intelligant, sed piis & credentibus aperta & cognita. Hi etiam semota loci cognitione, ubi fundentem & pronuntiantem uerba uite æternæ audiebant, ac nihil nisi patris gloriam uindicantem uidebāt, toto pectore & ex animo credebant. Vnde ex ipsis auditis & factis facillè conficiebant ipsum esse Messiam, & propterea Bethlehemiticum esse, & reliqua Christi omnia ipsi certissimè competere facillimè sibi persuadebant. Proinde qui certum Dei uerbum audiunt, & cunctantes differunt

Piis facilis ad fidem ingressus.

illi adherere, & credere, rem ipsam metientes à rebus externis, nimirum à loco, tempore, dignitate & nobilitate personæ, & aliis huiusmodi, quibus ut causis persuasionis & inductionis in animum, innituntur, indignos sese reddunt, qui audiant uerbum Dei, si alioqui adduci nollent, longè aberrantes ab ea methodo, quæ ad cognitionem ueritatis deducit. Hoc ipsum contigit ipsis Iudæis qui à loco natali diuinam ueritatem solùm æstimabant, quam commodissimè & luculentissimè sibi in Christi uerbis & factis propositam audiebant, tamen increduli dicebāt, A

Externa subsidia non expectanda audiendi uerbū.

Galilæa Galilæa

Galilæa Propheeta non surrexit.

Vt adimpleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus uocabitur.

Ne quis fortuitò accidisse crederet, quod concessit & habitauit Nazareth, Euāgelista adducit testimonium prophetię, quæ multis antè seculis futurum prædixerat, quod Christus ille Nazaræus nuncuparetur, à loco, in quo nutritur. Quod Nazer per zain scriptum Hebræis sanctus siue consecratus dicitur iuxta Septuaginta, & non uno loco, sed passim Christus sanctus dicitur, quando de illo scriptum est, Cum uenerit sanctus sanctorum, cessabit unctio uestra. Et in Psalmo, Nō dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Et Luc. 1. Quod enim ex te nascetur, sanctum Domino uocabitur. Alij floridum exponūt. Vnde Nezer per zadic scriptum Hebræis, flos uel germen (ut Septuaginta uerterunt) dicitur. Qui huic interpretationi respiciunt, dum conantur hoc testimonium ad certum locum referre, sumptum putant ex Esaiæ cap. 11. Et egredietur uirga de radice Iesse, & flos, id est Christus Nazaræus, de radice eius, id est de uirgine, ascendet, id est nascetur. Proculdubio ab omnibus prophetis prænuntiatum est Christum fore singularem, separatū & sanctum, ut eum à quo omnes sanctificandi, & ab omni impuritate adserendi essent. Quod olim tum in Nazaræis, Num. 6. cap. tum priscis sacerdotibus indicta sanctimonia (de qua Leuitici 21. capit.) præfiguratum fuit. Cum igitur Domino Iesu Christo, id cognomēti, ut Nazarenus diceretur, cum à loco, in quo educatus fuit, tum à re ipsa, quæ illi maximè cōpetebat, nimirum quod uerè & natura & officio sanctus esset, contigit, commodissimè narrat Euāgelista impletum esse, quod de eo sancti prophete prædixerunt. At quia omnes prophete Dominum sanctum futurum, imò sanctitatis autorem, talēque prædicandum olim uaticinati sunt, ideo putauerim Euāgelistam dixisse, per prophetas, & nullum prophetarum hoc loco nominatim citasse: quanquam non me fugit Chryostomum, homilia in Mattheum nona, existimare hoc oraculum adductum ex aliquo uoluminum prophetarum, quæ uel negligentia, uel impietate Iudæorum, uel temporū ac bellorū iniuria, perierūt. Huic sententiæ Chryostomi de perditis libris astipulari uidetur magnus ille Athanasius, qui in calce synopsis suæ, cum ueteris tum noui instrumenti scripturā breuiter cōplexus est. Verba ipsius, quoniā hæcenus fuere incognita, hoc loco scribenda uidentur. Natham (inquit) & Addo, & Achia Sionitæ, & Semei & Iehu, scripti libri in libro Regum referuntur. Sunt autem isti prophete ex iis, qui prophetias suas literis mandarunt, quæ tamen non reperiuntur. Tria millia Psalmorum Dauidis fuisse memorantur in Paralipomenis, & tamen ex illis Centū quinquaginta duntaxat, ab amicis Ezechie regis selecti sunt, reliqui uerò absconditi. Quinque Paræmiarum millia edita esse à Salomone scriptura Paralipomenon refert, quæ tamen iam non extant præter Ecclesiasticas. Canticum, ex pluribus mystico sensu decerptum est & inscriptum. Quim & odorum illius quinque millia fuere. Locutus est insuper & de arboribus à Cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ in muris nascitur. Item & de iumentis & de uolucris, & de serpētibus ac de piscibus. At ista iam nusquā in Hebraicis libris inueniuntur. Narrat Iosephus duos prophetiæ libros ab Ezechiele conscriptos esse, quorum tamen unus tantum ad nostram notitiam peruenit. Manifestum igitur est, quod hæc omnia impiotum Iudæorum socordia & negligentia interierint. Hæc Athanasius. Porrò multum lucis afferet ad huius loci cognitionem, si adduxerimus, id quod angelus de Samone Iudicum 13. cap. dicebat ad uxorem sterilem. Concipies (inquit) & paries filium, cuius non tanget caput nouacula. Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Hæc sententia si expendatur, non inuenietur apud

Christus quare Nazaræus. Christus, sanctus in scripturis.

Nazaræus &amp; sacerdotibus indicta sanctimonia.

Athanasius. Multi libri ueterum prophetarum siue incuria siue iniuria desiderati.

Samson Nazaræus in multis typis Christi.



prophetas locus, qui commodius quadret cum uerbis Euangelistæ. Nam in confesso est, Samsonem multis nominibus typum Christi fuisse. Samson Nazareus fuit ex matris utero, potentissima manu & fortitudine mirabili saluauit Israël, moriens plures aduersarios populi sui ultus est, quam uiuens. Ita & Christus Nazæer iam in utero sanctus & sanctificatus, hoc est, non tam sanctus est, quam autor sanctitatis omnibus in se credentibus, fuit forti armato fortior. Pater enim omnia in manu eius dedit. Et data est illi omnis potestas in cælo & in terra. Verus Israël, id est populi ex animo credentis, saluator extitit. Et moriens magis quam cum hinc familiariter uersaretur, Satana nocuit. Nimirum morte sua ipsum deuicit, ereptam prædam ad munia salutis distribuit. Quare quæ, quod de Samson (qui Christi typum gessit) dictum est, in Christo impletum uideamus, per commodum fuerit, sentire ueritatem (hoc est quod Christus Nazareus sit) respondere umbræ, hoc est Samsoni: & quod præmonstrabatur in Samson, impletum esse in Christo Nazareno. Et quum rationi dissonum nequaquam uideatur, librum Iudicum nõ ab uno, sed multis, quod multorum longo tempore sibi succedentium historiam contineat, fuisse conscriptum: uerisimile est, ac probabile, Euangelistam, dum scribit, quod dictum est per prophetas, insinuasse hunc ipsum librum Iudicum, fuisse librum ac opus multorum prophetarum. Sed hæc monuisse sufficit, quæ lectorum iudicio proponuntur. Mihi probatur prima interpretatio. Hunc locum amplissimè declarat D. Hieronymus in libello ad Pammachium, de optimo genere interpretandi.

Infr. 28.

Quod præmonstratum in Samson, impletum in Christo.

Liber Iudicium, opus multorum prophetarum.

## CONCILIATIO PRIMA.

Qui sit, ut dicantur hæc uerba, Et tu Bethlechem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, esse propheta Micheas. 5. cap. cum in Propheta legatur, Et tu Bethlechem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël? ubi ab Hebræis legitur, Et tu Bethlechem Ephrata, parua es in millibus Iuda. Hæc non conueniunt, Nequaquam minima es, quod Matthæus dicit: & es parua, quod propheta Micheas habet. Rursus Matthæus habet in principibus, & propheta pronuntiat in millibus. Respondeo. Propheta Micheas de Bethlehè, qualis suo tempore erat, loquitur. Erat autem tum humilis, & nulla specie, contempta & perexigua, collata ad alias magnificas & populosas urbes in Iuda, ut Hierosolymam, &c. Matthæus uerò loquitur de Bethlehem, qualis tunc erat, iam prophetia impleta, & Christo nato iam & manifestato. Ideoque eam nunc prædicat, & aliis præfert. Siquidem si mœnia tantum, & pomœria atque ambitum oppiduli huius Bethlechem respexisses, uiculus humilis atque contemptibilis fuisset ad alias magnas & frequentes ciuitates eius regionis. Verum si respexeris, & pro rei magnitudine æstimaueris, quo eam honore dignatus sit Deus, hoc ipso, quod Messias, ille totius mundi vnicus Saluator, in ea nasci uoluit: iam profectò non minima iudicanda, & reputanda est, sed inter omnes totius huius uastissimi orbis ciuitates, primam meritò laudem ac nomen clarissimum obtinet, & summo inter alias & illustrissimo loco ponenda, propter admirandam & stupendam, atque sanctissimam augustissimamque natiuitatem nobilissimi, & generosissimi filij Dei Iesu Christi, unde id oppidulum summam & maximam nobilitatem, infinitam gloriam, immensum honorem atque clarissimum sortitum, atque adeptum est. Quid quæso sunt mœnia quantumuis ardua ac turrata? Quid muri uel firmissimi? Quid ambitus uel capacissimus & spatiosissimus? Quid frequentia? Quid magnificentia? Quid splendor & ornatus ædificiorum ac structurarum ullius ciuitatis, ad unam hanc gloriam, ad unum hoc priuilegium, ad unam hanc prærogatiuam Bethlehemitici oppidi, quod patria seu natalis locus maximi, summi & omnipotentis Domini nostri Messia secundum carnem seu humanitatem

Conciliatur Propheta & Euangelista.

fuit? Atque ob id Matthæus afflatu Spiritus sancti aliis eam præferens meritò ait, Et tu Bethlechem, domus Ephratha, nequaquam minima es, ut inter millia Iuda sis. Chaldaicus textus sic habet, Tu Bethlechem Ephratha aliquantulo & paulò minor fuisti, quam ut inter millia domus Iuda potueris recenseris. Fuit autè Bethlechem paruulum oppidum in tribu Iuda. Quondam dicebatur Ephrata, ut patet ex Gene. 35. Conueniunt itaque Micheas & Matthæus. Atque hic est uerborum germanus sensus: Tu Bethlechem Ephrata longè & in infinitum maior, præstantior & excellentior es, quam ut recenseris & connumerari debeas inter millia aut principes Iuda. Hic honor multò minor, quam ut eo affici debeas, aut ut dignitati tuæ respondeat: dignitate & præstantia multò maior es, quam ut hoc ipso satis prædicari & celebrari possis. Omnia elogia, omnia præconia, & encomia inferiora sunt eximiis laudibus tuis. Hæc uerba propheta si sic acceperis, uidebis Euangelistam id ipsum dicere, quod propheta propriè sensit, ac uoluit. Nam quod ad sensum attinet, idem ualent hæc duæ orationes, Nequaquam minima es in principibus Iuda: Et, Minimum est, uel perexiguum, quod inter vulgares principes aut millia Iuda es. Causa mox subsequitur, Ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israël. Quod autem Propheta dicit, In millibus Iuda, sic intelligi debet. Moses Exod. 18. legem fert ac ordinat, ut mille uiris præficiatur unus tribunus, uel princeps. In centurias enim & chiliades distinctus erat populus. Est itaque Propheta sententia, Tu Bethlechem Ephrata, quæ uix mille uiros, uix chiliadem unam habes (parua enim erat, nec frequens aut populosa) nihilofecius tamen, quantulacunque sis, dabis & produces nobis principem, qui regat totum Israël: in te enim nascetur. Præterea in hac prophetia obseruandum est, quod per hunc Moschel uel principem nullus alius intelligi queat, quam Christus, uel Messias ille promissus, de quo etiam hic locus à Iudæis intelligitur, ut manifestè interpretantur & declarant Scribæ, cum Herodes feriò percontatur, quis futurus esset Christi natalis locus. Iam ubi Hebræa lingua habet Moschel, hoc est Dominus aut princeps, ibi Targum habet Meschiah, hoc est Christus. Et Rabbi Salomon sic interpretatur, Ex te mihi prodibit Messias, filius Dauidis: quod autem Propheta dicit, quod hic Moschel, uerus sit futurus gubernator Israël, eo significat hunc principem non beneficiarium seu feudatarium aut uassallum, ut uocât, sed uerum & summum dominum ac principem Israël futurum. Cuius clientes seu uassalli, imò ministri alij principes omnes fuerint, Saul, Dauid, Salomon, Roboam, &c. Moschel enim propriè Hebræis significat Monarcham & summum ac potentissimum principem, cuius solius sunt omnia, qui dominum supra se non agnoscit, sed alios omnes sibi subiectos habet. Et talem pingunt hunc Messiam Bethlehemitanum Micheas uerba subsequencia, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Per quæ uerba Ecclesia semper intellexit incomprehensibilem & imperferutabilem Christi ab æterno natiuitatem, è sinu siue corde patris ipsius cœlestis. Meminit Scriptura duplicis natiuitatis Christi, cuius altera temporalis, uidelicet ea, cum iuxta humanam naturam tempore præfinito in ciuitate Bethlechem ex Maria uirgine uerus homo natus est. Altera æterna iuxta diuinam suam naturam, sine tempore, sine initio, ab æternitate. Vtramque autem Christi natiuitatem hoc 5. cap. propheta attingit, & ueram eius diuinitatè probat his postremis uerbis, Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. quasi diceret, Vide & audi, ò Bethlechem, qualem Dominum sis editura, in te quidem uerus homo nascetur, sed ea natiuitas non est principium & primordium eius: quia antè etiam semper ab initio & à condito mundo fuit. Vnde certè consequitur, quod uerus & naturalis Deus sit. Nulla enim creatura æterna est, sed in tempore condita, summumque initium habet. Item si egressus eius ab initio est, rectissimè & uerissimè is etiã intelligitur unde egreditur, uidelicet, Deus Pater. Atque ita luculentissimè pro-

Laus Bethlechem oppidi.

Christus qualis dominus.

Moschel.

Christi duplex natiuitas.



pheta indicat, quod hic Moschel siue princeps, iuxta eam naturam, in qua egreditur ab aeterno, unicū uerus, naturalis Deus, Dei filius sit, qui nō cœpit esse vnā cum tempore, siue tum cūm tempus initium haberet, aut cum mundo, cūm mundus conderetur, sed qui sit (ueluti Paulus ait Coloff. i. cap.) imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt uniuersa in cœlis & in terra uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Item Ioan. i. cap. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Et uerbum caro factum est. hoc est, uerus homo natus est. Rursum Ioan. 8. Christus uolens Iudæis indicare naturā suam diuinam, siue se esse Deū, non est usus uerbo eram, sed sum, dicens: Amen Amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Siquidem conditio creaturæ cuiusuis sic se habet, ut in tempore aliquo cōdatur, ut initium habeat, ut temporis aliquo termino mensuretur & circumscribatur. Fuit tempus quo ea creatura non erat, aut quo condita nōdum erat. Fuit tempus quo condita fuit, ut Abraham non fuit temporibus Enoch, sed fuit tēpore Melchisedech. Longè autem se res aliter habet cum Deo. Diuinitas immensurabilis, infinita & aeterna est: non potest in tempore, neque à tempore (quod abit, præterit, profuit, & nunquam consistit) comprehendere & contineri: non habet prius aut posterius, non præteritum aut futurum, uti creatura habet. Ob id Christus loquitur de hac sua diuina natura, vno uerbo præsentis temporis, dicens, Ego sum. Semper enim est aeternitas, neque prius neque posterius, neque initium neque finem habet. Erronei & increduli Iudæi putabant & iudicabant eū hominem duntaxat esse talem, qualis Abraham aut Esaias fuit: non sustinebant mysteria sermonis Christi audire, aut fidem iis habere. Somniabant fieri non posse, ut uidisset Abrahamum, eō quod duo annorum millia, ac longius etiam interuallum intercessisset inter Abrahamum & Christum in mundum natum. Nec sciebant aut intelligebant scripturas docentes & prædicentes, quod Messias non tantūm ex Bethlehem proditurus esset in tempore, sed & quod egressus eius esset ab initio & aeternitate. Id quod & Paulus ad Hebr. ultimo testatur dicens, Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. Proinde si prophetiam accuratè inspexeris, inuenies in ea tum mortem tum resurrectionem Christi, quam ideo fieri necesse est, ut in aeternum & spiritualiter regnet. Nam cūm in Bethlehem uerus & naturalis homo nasci debuerit è tribu seu familia Dauid, non mirum erat, si etiam moreretur ut Dauid & Salomon. Quid enim mirum est, si naturalis homo moritur? Certè uita corporalis, aut mortalis, aeterna esse aut perpetuè durare non potest. Verūm cūm etiam nihilominus uerus & summus Dominus Israël esse debeat, non potest mortis iuri subdi, aut à morte uinci & detineri, sed necesse est eum à morte rediuiuum in aeternum uiuere. Ideoque mortalem uitam per temporalem mortem reliquit & deponit, uita aeterna in ipso uim suam exerente. Quomodo enim potest mortalem naturam ad immortalem subuchere, nisi deposita antè mortalitate, id quod fit per corporalem mortem? Atque ita corporalem, corruptibilem & caducam hanc uitam in spiritualem, inuisibilem, immortalem & incorruptibilem commutare eum oportuit, ut conspicuus esset uerus & aeternus Dominus omnium Israëlitarum, tam eorum qui iam fuerant, quàm qui tum fuerunt, & in posterum unquam futuri erant, utque uerum & aeternum spirituale regnum, quod non iuxta mundanum morem administratur, nec temporalibus huius mundi rebus constat, auspicaretur. Ideoque dicit Ioan. 12. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuū fuerit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum affert.

Christi aeternitas.

## SECUNDA CONCILIATIO.

Non conuenit Matthæus dicens, Et tu Bethlehem terra Iuda, cum propheta dicente, Et tu Bethlehem Ephrata. Respondeo. Nihil hīc pugnantia est, quod à propheta Bethlehem Ephrata, & ab Euangelista Bethlehem Iuda dicitur. Vterque uoluit certò exprimere, quam intelligeret Bethlehem, nimirum quæ olim dicta fuisset Ephrata, ab uxore Calebis illic sepulta. Bethlehem domus panis interpretatur, & Ephrata frugifera. Conueniunt hæc nomina parti regionis in qua sita est, quod illa regio fertilis & facilis annonæ sit. Legito Hieronymum in traditionibus Hebraicis. Propterea de uarietate uocum Christianus non contendet: cūm uideat hoc utique Apostolis curæ fuisse, ut Christi gloriam prædicarent, & docerent, quæ à sanctis & magnis prædicta sunt prophetis, in ipso impleta esse. Ideo ad uerbū sententiam prophetarum referre non fuerunt solliciti, ubi de sententia quantum ad ipsum institutum faciebat, constaret. Apostoli enim mira Spiritus energia ualebant, uerè à Domino missi. Vnde persuadente Spiritu in uerbis ipsorum, non erat illis opus, ut in enumerandis uerbis, anxij essent: debemus tamen nos (quibus uacat & licet) uerba spiritus quàm purissimè & religiosissimè citra omnem inanem uocum curiositatem, efferre ac pronuntiare.

Vt Apostolis curæ non fuerit ex scriptura citare ipsissima uerba, nobis tamen, præsertim hoc tempore, non ita licet esse incuriosis.

## TERTIA CONCILIATIO.

Hic locus, Et ueniens habitauit in Nazareth, pugnare uidetur cum eo Luc. 2. quo explicatur, posteaquam natus fuit puer, impleuit quadraginta dies, & gestatus à Symeone reportatus est in Nazareth. Respondeo. Quæ siluit Matthæus, Lucas expressit. Nam postquam natus est, impleuit quadraginta dies, deinde descendit in Nazareth, ait Lucas. Matthæus his addit, ac narrat, post hæc ipsum fugisse in Aegyptum, deinde oraculo admonitum uenisse ab Aegypto in Nazareth. Concordant igitur Euangelistæ. Nam Lucas narrat descensum à Bethlehem in Hierusalem, & ab Hierusalem in Nazareth, Matthæus reditum ab Aegypto.

CAPITIS TERTII  
Epitome.

*Ioannes Baptista in deserto penitentiam prædicans, turbam & Christum baptizat, super quem signa Trinitatis conspicit.*

## CAPVT TERTIVM.



In diebus autem illis uenit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim, de quo dictum est per Esaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat uestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat, locustæ & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos



Pharisæorum & Sadducæorum uenientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne uelitis dicere intra uos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse uos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius uentilabrum in manu sua, & permūdabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Tunc uenit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cœli: & uidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & uenientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicēs: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui.

In diebus autem illis.



Vobis superioribus capitibus ortum & infantiam Saluatoris descripsit. Nunc sciens omittit Euangelista narrare annos ab eo reditu, quo ab Aegypto in Nazareth educandus uenerat, quibus cum matre & nutritio suo, cuius filius ab omnibus estimabatur, uelut ignotus uixit, donec ad annum trigésimum adoleuit: post quem miraculis, doctrina, morte, & resurrectione, cognitus est Messias in lege promissus. Nulla re interim inter ceteros insigniter emittens, nisi quod magis ac magis indies singulari quadam probitate specimen sui præbebat, unde magnum aliquid ab eo expectaretur. Legem interim obseruabat, omnibus satisfaciens, ne cui malo uolo obtrectandi causam daret: malens sensim & cum legis quadam obseruantia Iudæos ad perfectiora ducere, quam illa sprete ipsos à se abigere & abalienare. Vnicū sui specimen dedit duodecenis, quando à parentibus quæsitus, inuentus est in templo, in medio doctorum sedens, quibus respondens, & ipse uicissim interrogans, omnibus admirationem pariebat. Quare Euangelista dicens, In diebus illis, non intelligit annum illum, quo ab Aegypto in Nazareth Christus uenit, sed decimum quintum annum Tyberij Cæsaris, ut ait Lucas, quo Christus incipit esse triginta annorum. Fuit autem hic annus ab exordio mundi 3974. à captiuitate Babylonica soluta 556. à Monarchia Romana, quam Iulius cœperat, & de qua Daniel prophetarat 76. porro à sceptro tribui Iudæe adempto, & Herodis alienigenæ per Romanos tradito, de quo prædixerat Iacob Gene. 39. cap. sexagesimus primus. Eodem anno agebat Christus annum trigésimum. Non inutile est obseruare tēpus, quo cœpit Christianismus prædicari, ut collatis hebdomadibus Danielis, hinc cognoscatur esse tempus Messias præfinitum. Nam si supputaueris à secūdo anno Artaxerxis Darij Lōgimani Regis Persarū, quo anno exiit sermo, ut Ierusalem iterum ædificaretur, & prophetæ Aggæus & Zacharias populum ad

Anni mūdi, captiuitatis Babylonicæ, Monarchiæ Romanæ, & regni Iudæi ad externos translati, quū Christus prædicare cœpit.

reëdificationem hortari cœperunt, usque ad decimum quintum annum Imperij Tyberij Cæsaris, inuenies impletas Danielis hebdomades, quo tempore prædixit Daniel peccatum accepturum finem, delendam iniquitatem, adducendam iustitiam, implendas uisiones & prophetias, & uingendum sanctum sanctorum. Hæc à Daniele & aliis prophetis prædicta impleri cœperunt tempore, quo Ioannes prædicauit baptismum pœnitentiæ: eratque annus decimus quintus Tyberij Cæsaris. Hic est ille Claudius Tyberius Nero, tertius à Iulio Cæsare Romanorum Imperator. Eodem tempore præses erat in Iudæa Pontius Pilatus. In Galilæa autem erat Herodes cognomento Antipas. In Ituræa, quæ est regio in Cœle Syria, & in Trachonitide, quæ est iuxta regionem Decapolitanam, Tetrarcha egit Philippus frater Herodis filij magni Herodis puericidæ. In Abilene, quæ sic dicta est ab vrbe Abila in Tetrarchia Paneade, Tetrarcha fuit Lyfanius: nam Herodes, primus huius nominis, cognomento Afcalonita, harum omnium regionum Rex fuerat. Post mortem uerò eius, diuisum est regnum, & ordinatum in Tetrarchias, quæ fortassis sic dicuntur à custodia militum, quorum quatuor cohortes, Tetrarchia uocantur. Ac Iudæa quidem celsit Archelao filio Herodis puericidæ. Sed quum is principatum suum crudeliter administraret, eiectus est à Cæsare in exilium, & Iudæa adiungitur dispensatori Syriæ. Primus igitur Præses post eiectum Archelauum fuit Cyrenius sub quo facta est descriptio, cuius meminit Lucas 2. cap. Post Cyrenium siue Cyrinū, Capinius: post Capinium Marcus, post Marcū Annus Rufus, post hūc Valerius Gracchus, post quem Pōtius Pilatus præses Iudææ efficitur, qui ex historia passionis Domini memoratur. Aliæ autem partes regni Herodis, aliis filiis eius cesserunt. De quibus uide Iosephum, lib. Antiq. 17. cap. 10. & 17. Et de bello Iudaico. lib. 2. cap. 1. Colligere potes ex his, quo Romanorum Imperatore, quo anno Imperij eius, quo Præside Iudææ, quibus Tetrarchis partium regni Herodis: & ex Luca, quibus Pontificibus, scilicet Anna & Caipha: in qua regione, uidelicet Galilæa: quo loco, nimirum in deserto: item per quem hominem, scilicet per Ioannem Baptistam, cœpit Christianismus & prædicandi ministerium. Sed iam redeamus unde sumus digressi. Dies illos dicit, quibus maxime necessaria erat prædicatio, & commodissimus Christi aduentus, quod tum apud Iudæos pessimè habebat terrenum regnum. Nam præter id, quod secularis & profanus principatus diuisus erat (unde multiplex & horrenda in rebus externis tyrannis) sacerdotij quoque partita ac scissa erat dignitas, pridem Romanorum auaritia & sacerdotum ambitioni prostituta. Maxime ergo tunc idonei sumus & capaces rerum ac donorum celestium, quum terrena omnia intercidunt, & promissionibus adhæremus. Quemadmodum uidemus in Israëlitis, quibus, cum durissimè affligerentur, & de ipsis, ut derelictis, actum esse uideretur, Dominus adfuit per Mosem liberatorem. Ita nunc Iudæis, quum iam omnia apud ipsos intereunt, regnum, pontificatus, cultus, & huiusmodi, aduentare prædicatur nouus Rex, noua facturus omnia, nouum populum, nouum cultum, cuncta spiritalia. Commodè igitur uetera & carnalia ad interitum adedò dissecta & afflictata proximè accesserant, ut suum interitum & exilium iam præfagirent, & præsentificerent. Et quia incipit Christus prædicari, & palàm annuntari, omnia debent incipere, & alia fieri, præterita uerò cessare, & antiquari, scilicet Lex, Moses, & regnum corporale in populo Dei. Hæc enim est omnino prophetarum una uox. Unde & Marcus & Ioannes etiam hic incipiunt Nouum Testamētum, propterea quod hic regnum Christi incipiat officium suum exercere. Lex enim & Prophetæ usque ad Ioannem: à diebus autem Ioannis cœlum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Cū igitur appetit tempus, quo decretum erat æterno consilio, ut per Christi doctrinam non solū Iudæa, uerū totus orbis innouaretur, Venit Ioannes.

Regnum Herodis in quatuor Tetrarchias diuisū, unde & uox Tetrarcha.

Christianismus quibus principibus, temporibus, locis, initium habuit.

Rebus humanis collabentibus, ad celestes præparamur.

Math. 11.



## Venit Ioannes Baptista.

Quoniam natura fit, ut rebus nouis omnes oblectentur, & noua scire desiderent: ne populus Israëliticus seipsum excusaret de non suscepto rege nouo, præmittitur præambulo Christi, nouus propheta Ioannes, sacerdotis & prophetiæ filius, qui ipso etiam exortu summam de se spem præbuerat: nouus iam ritus introducit, noua prædicatio, & nouus uictus, ut istis nouus populus moueretur ad excipiendum nouum Regem. Nouus aderat Propheta, qui adesse, quod alij futurum prædixerant, demonstrabat. Huius propheta magna fuit in toto populo autoritas, cui nemo audebat refragari. Nouus fuit ritus, nimirum Baptismus, de quo paulò post dicemus: prædicatio noua, qua maximè moueri omnes debebant. Docuit enim Ioannes manifestè & clarè, Christum adesse: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nouus uictus. Nam non est secutus aulicorum delicias, uerùm austeram uitam, & quæ ad deserti solitudinem, ut crucifigatur & dormitur caro, inuitat. Ioannes nomen proprium est, Baptista officium & munus ostendit. De Ioannis ortu, & eius legatione ad hoc officium, ut Christum Israël manifestaret, eique populum prædicata pœnitentia præpararet, Lucas primo capite plenius narrat. Missus itaque fuit Ioannes, ut præcurfor & antecambulo, qui & peccata populo ostenderet, necessitatè que pœnitentiæ doceret, & Iesum uictum Saluatorem cõmendaret: qui uerè credentes in se iustificaret, hoc est à peccatis liberaret, & uita æterna donaret. Quod multis antè seculis prænuntiauit Malachias, 3. cap. Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Et statim ueniet ad templum suum Dominator, quem uos quaritis, & Angelus testamenti, quem uos uultis.

## Prædicans in deserto Iudææ.

Vnde prodit Ioannes? Non è purpuratorum aulis, aut è vulgato hominũ cœtu, sed è uasta eremo, ubi à puero uitam eremiticam, solitariam, & Euangelicam uixerat. Venit prædicans. At quomodo prædicabunt nisi mittantur? Roma. 10. Missus est. Nam Luc. 3. factum est uerbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Item Ioan. 1. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes.

## Dicens, pœnitentiam agite.

Breue uerbum, sed grandis sententia, & totius Euangelij summa. Ab hoc uerbo & Christus & Apostoli suum auspicati sunt Euangelium, infra capit. 4. & 10. & Marc. 1. Pœnitentiam (inquit Ioannes) agite, hoc est, actæ uitæ ita uos pœniteat, ut totam deponatis, & nouam induatis. Hæc nobis explicat ac interpretatur Paulus Ephes. 4. dicens, Deponite uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desyderia erroris. Renouamini autem spiritu mentis uestre, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Ad hunc modum deponimus ueterem, & nouum induimus. Præuenit nos Christus suo spiritu, & impellimur ab eo. Cognoscimus peccatũ nostrum, cognitum displicet, & ipsius horror gignitur propter Deũ offensum. Iam prospiciens misericordiam eius omnibus ex animo poscentibus promissam, peto cum fiducia, mortis & resurrectionis eius beneficium, proponens cõfiteri parochio meo, tempore & loco, & ab eo beneficium absolutionis petere, tunc ueterẽ exuo hominẽ & nouũ induo. Triplicem modum pœnitentiæ adfert Glossa ordinaria. Primum quo errores & omnia mala ante baptismũ abrenuntiamus, & condemnamus: & hic necessarius est ad Christum uenturis. Secundum, quo post baptismum lapsi, ad pœnitentiam renouantur. Tertium, quo sancti quotidie à ta-

Ne Iudeis suspensio excusationis locis, omnia innotuantur.

Ioan. 7.

Ioanis Bapt. officium.

Ioannes non se ingessit, sed nullus est.

Pœnitentiã agere, quid.

Veterem hominẽ exuere, & induere nouum, quid.

Pœnitentiã gen<sup>o</sup> triplex.

libus purgantur peccatis, sine quibus uita non agitur. Non absimilibus utebantur prophetæ exhortationibus, Conuertere ad dominum Deum tuum. Iohel. 2. Conuertimini ad me in toto corde uestro. Cantic. 6. Reuertere reuertere Sunamitis, &c. Reuertimini ad me, Zachar. 1. Conuertimini ad me. Ezech. 18. Conuertimini & agite pœnitentiam. Hæc Ioannis concio, Pœnitentiam agite, alludit ad id, quod dictum est ab angelo ad Zachariam, Luc. 1. cap. Et multos filiorum conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Hoc erat uidelicet parare Domino, & conuertere ad Dominum plebem perfectam, nempe quosuis ad agnitionem peccatorum, pœnitentiam præteritæ uitæ, animorum immutationem, & ueram pietatem erga Deum uocare. Pœnitentia Græcis dicitur μετάνοια id est resipiscētia, à μετὰ post, & νόος mens siue sensus & cogitatio, composita. Hebræis Teshubah, id est reuersio & reditio in uiam & ad mentem. Et non ad mentem duntaxat hominis, sed etiam ad ipsum opus, ad emendationem uitæ, adeoque ad totam conuersionem hominis. Id est, pœnitentia siue resipiscētia complectitur non solum agnitionem delicti, deinde & cordis dolorem, sed & animi ac uitæ immutationem, & conuersionem ad Deum, cum fiducia diuinæ gratiæ, & misericordiæ. Sit timor Dei in te sincerus, ad differentiam eius qui in desperationem præcipitat. Sit in te humiliatio tui, qua agnoscis te peccatorem, & tibi propter tuum peccatum Deum esse iratum, coram quo reum te statuas. hoc est, accusabis te peccatorem miserrimum & morte dignum. Sed conuersio sit in te ad Deum cum dolore de peccato, quem tibi peccati agnitio pariet, non autem auersio à Deo, & cum ampla spe & fiducia in misericordiam Iesu Christi, faciem patris placati ferentis & ostendentis. Confiteare te peccatorem, & singula peccata dolore & pœnitentiã confodias coram Deo, & Parocho tuo, si per tempus licuerit, à quo beneficium absolutionis iuxta Christi præscriptum accipias. Certè pœnitentia nobis semper necessaria est propter conflictus perpetuos aduersus mundum. Est enim custodia uitæ perpetua, & æternum innocentia studium. Comites habet mortificationem carnis, studium sanctimonniæ, pugnam cum peccatis, uigiliam, ieiunium, orationem, beneficentiam, patientiam, abstinentiam, & his similes fructus Spiritus. Obserua: cum Ioannes dicitur prædicasse pœnitentiam, ostendit mundum in maligno positum, nos item peccatores, & in peccatis esse. Deum item esse misericordem, ad quem conuerti debemus contritione, confessione, & satisfactione, quæ sunt pœnitentia.

Pœnitentia quid complectatur.


Pœnitentia quam necessaria.

## Appropinquauit enim regnum cœlorum.

Argumento à fructu & commodo, hortatur ad pœnitentiã. Innouamini (inquit) & nouam mentem induite: Deo, & non mundo, seruite. Nam, quod tam diu expectatum est, regnum cœlorum instat; & pro foribus est regnum iustitiæ, regnum spiritus, atque solidæ pietatis. Proximè aduentabit qui iustitiam uerè & doceat & donet. Adest tempus acceptabile. Iam illucescunt dies illi salutis, quibus Deus iuxta suum beneplacitum & æternum suum cõsiliũ suis uult respondere, & pactum suum ac fœdus consolidare, & exhibere, ut orbì annuntietur Euangelium, captiuus redemptio, cæcis uisus, mutis sermo, & surdis auditus. Noua est hæc prædicatio à nouo prædicatore: inauditum antea erat audire, regnum cœlorum promitti. Olim promittebatur regnum Iebusæorum, Exod. 3. aut quid simile, & id terrenum. At nunc auditur promissum esse regnum cœleste. Hæc, ut facilius intelligamus, variis modis in scripturis sanctis ulurpatur regnum cœlorum. In præsentiarum est, ipsum Christi cœleste, & salutare mysterium. Prophetæ enim prædixerunt ipsum Deum de cœlis aliquando descensurum, & in terris regnaturum, quò suos redimat ab omnibus malis, & donet cumuletque omnibus bonis. Ut in suis, inquam, totus uiuat, & per spiritum suum & fidem Euangelij in mentibus regnet electorum, iustificans eos atque saluans. Id ante aduentum Christi nõ

Promissa ne iam longè aha, quam olim.

Regnum cœlorum quid. Regnum cœlorum multa significat in sacris literis.





adeo uigebat, neque spiritus tam opulenter dabatur, atque post resecratas fores regni caelestis, morte & resurrectione Christi. Hoc regnum dicitur Christus inhabitans in nobis, Luc. 17. Regnum Dei intra uos est. Atque ob id uocatur regnum caelorum, quod per inhabitantem gratiam aperitur nobis uia caelestis regni. Nunc itaque Ioannes Baptista hoc ipsum tempus adesse adnuntians, Appropinquabit, &c. hoc est in propinquo est regnum caelorum. Quod perinde est ac si dixisset, Scitote illud Dei regnum iam instare, de quo prophetae praedixerunt, fore, ut Deus ipse in haec terras ueniens, hic in nobis regnet. Nam misit Deus filium suum in mundum, ut per ipsum saluet mundum, hic in suis uiuat, & suos secum in aliud seculum ad sedes beatas transferat. Secundo accipitur pro scriptura sacra siue uerbo Dei, aut iustitia ipsa, ut infra, 22. Auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Interdum regnum caelorum dicitur praesens Ecclesia, quam militantem uocant, infra, 13. Simile est regnum caelorum saganam missam in mare & ex omni genere piscium congreganti, & infra, 25. Simile est regnum caelorum decem uirginibus, quarum quinque fatuae & quinque prudentes, &c. Quod autem quidam excluduntur & ciuiuntur ex eo regno, faciunt eorum mala opera. Est & patria illa caelestis regnum caelorum, ubi sancti Deum uident, sicuti est. i. Ioan. 3. Adnotat Chrysostomus regnum Dei pro retributione dici, quam accipiunt aut iusti pro mercede iustitiae, aut peccatores pro culpa peccati. Item accipitur regnum Dei pro sanctis, Et colligent zizania de regno Dei, id est de populo Christiano. Si praecleara & notatu digna de his scire desideraueris, uide Cyprianum martyrem in explanatione, quam in Dominicam orationem scripsit. Colligamus ex superioribus, quomodo Ecclesia, adeoque ipsum Euangelium in literis apostolicis uocetur regnum caelorum. Ecclesia enim est domus Dei uiuentis, templum sancti Spiritus, in quo uiuit & regnat Deus. Quaecumque de Christo, de gratia, de remissione peccatorum, de qua uita beata traduntur a prophetis, & ab Apostolis, hoc totum diligenter tradidit Ioannes, & Matthaeus id ipsum comprehendit in hisce uerbis, Appropinquabit regnum caelorum. Haec Ioannis concio, appropinquabit &c. ad poenitentes tantum pertinet, non ad otiosos aut securos homines oblatam Christi gratiam recusantes. Sic & Christus inquit, Luca ultimo, Sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die, & praedicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Obserua. Chrysostomus homilia decima quarta, & eius abbreviator Theophylactus, legunt appropinquauit. Graeci praeterito uice praesentis nonnunquam utuntur, appropinquauit pro appropinquat, hoc est instat, siue adest regnum caelorum. Obserua, ex hac Ioannis praedicatione, poenitentiam & crucem esse uiam ad regnum caelorum.

Poenitentia  
& crux, uia  
ad regnum cae-  
lorum.

Hic est enim, de quo dictum est per Esaiam prophetam, dicentem.

Argumento ab oraculo & antiquitate, dignitatem & munus Ioannis Baptista depingit, dicens, Neque fortuito casu, neque delegatione humana & nuper commissa Ioannes de desertis, poenitentiam praedicaturus, prodiit: quasi hic sit nouus homo, & de facie plebis, hanc sibi sua autoritate uedicans praedicandi autoritatem. Sed hic erat, de quo multis iam ante seculum uaticinatus est Esaias 40. cap. certissimus Dei propheta, quod in eremo sua praedicationis uocem ederet, & animos hominum ad excipiendam Christi beneficentiam, ceu ipsius praebulo ac praecursor, praepararet, ac tandem poenitentia uita superioris persuasa, ipsos Euangelicae doctrinae & gratiae Christi capaces redderet. Hic locus desumptus ex Esaias 40. ca. scriptus est de Iudaeis liberandis de captiuitate babilonica, si quis literam penitus inspiciat. Nam propheta ad sacerdotes inquit, Consolamini populum meum, dicit Deus uester. Deinde ostendit qua re consolationem accipiant: Clamate ad Ie-

Ioannes non  
sibi ex se sum-  
psit praedica-  
di munus.

rusalem, Impleta est malitia tua, & condonata iniquitas tibi: accepit enim de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis tuis. Nam in Babilone haecenus per annos 70. exercitati erant a Domino, ceu in militia laboriosissima: uerum non potuerunt satisfacere pro suis peccatis: idcirco Dominus ex sua gratia condonauit iniquitatem eius. Cumque Babilonij omnem modum in affligendo excederent, decreuit Deus omnino liberare e tyrannide populum suum. Hoc ut euidentius significaret, & certam liberationem uelut oculis ipsorum subiiceret, fingit in deserto, qua ipse transeundum erat, apparitores praecurrentes clamare, iubereque uiam coplanare, ne quid uenientibus, & Ierosolyma properantibus obster. Nam ita significat nihil tam fore firmum quod in Babilone retineat, aut redeuntes prohibere, aut intercipere possit, sed restituendos fore certo patriae exoptatissima. Haecenus iuxta literam natua est sententia. Verum eadem illa in typo siue figura praecesserunt: unde per comparisonem siue similitudinem uere & recte redemptioni per Christum ac Ioanni praebulo tribuuntur. Nam totus mundus non in captiuitate aliqua babilonica, sed in durissimo Satanae, peccati, mortis & inferni, neruo detentus multisque uexatus malis propter peccata, quae suis operibus expiare nequiuit, tandem per gratiam Christi liberatus est. Caterum ut tantum beneficium intelligeret orbis, praemissus est ante Christum Ioannes praeco, qui in deserto Iudaeae nuntiet certam liberationem, adeoque & liberatorem iam praeforibus adstare, adhortans interim omnes, ut uenienti tanto Domino uiam parent atque coplanent.

Vox clamantis in deserto.

Quod de se & suo officio Baptista apud Ioannem Euangelista testatur, hoc narrat Matthaeus. Ioannes non est Christus, sed Christi uox & praeco, Christus uerbum. Et sicut uerbum manet, & uox transit: ita Ioannes transit, & Christus heri & hodie, ait Paulus Heb. ultimo. Clamor est Ioannes, praeterea nihil, quod sibi arroget. Sensus huius uaticinij est, Audietur uox, foelicitatis euangelicae testis & annuntiatrice. Ea quidem, ceu in deserto, id est, in populo Iudaeorum, omni pietatis cultu destituta, sonans, hortabitur, ut rectas, &c. Vide, quae in eum locum Ioannis, primo cap. Ego uox clamantis, &c. scripsimus. Obserua: hoc uerbo non solum Baptista, sed & omnium Ecclesiarum officium explicatur. Ioannes uox est, Christus uerbum, clamans in Ioanne. Atque ut uox praecedit uerbum, & Ioannes Christum, ita & uox, siue spiritus aut sonus, praecedit uerbum: reliquum operatur suo spiritu Christus per uerbum. Appendix. In deserto, iudicio quorundam, iungitur cum sequentibus, ut sic legatur, Vox clamantis, in deserto parate uiam Domini, ut respondeat sequenti, rectas facite (in solitudine, ut quidam ex Hebraeo addunt) semitas eius. Placet mihi prior & uulgata interpretatio, non posterior. Aduerte. In deserto, locum poenitentiae aptum designat. In inculta Iordanis regione Ioannes praedicare incepit, significans per hoc, quod alibi a Propheta dicitur, Agrum cultum in desertum, & deserta in loca maxime culta atque frugifera conuertenda. Praeterea his circumstantiis, clamantis, & in deserto, ostenditur certitudo historiae, ostenditur & libertas Euangelij non alligata. Clamat Ioannes, ut omnes audiant doctrinam Euangelij ad omnes pertinere, & esse uniuersalem promissionem. Erit ergo haec praedicatione, uox clamans non obscure, sed perspicue, non deterris, sed ad uocans, & promissis inuitas, ac alliciens auditores.

Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.

Vox illa sonat & hortatur, ut poenitentiam agatis, qua affectus mundani, obstatas quod minus uideatur Christus adueniens, auferantur ex animis uestris, qui sunt uiae Domini, quas inambulat & inhabitat donis sui spiritus. Et facite semitas eius (quae sunt, fides, spes, charitas, & omnis studiosa ac bona operatio) rectas: id est semouete & auferete omnem praeposteram fiduciam, omnem peruersam re-

Christus uer-  
bum, Ioannes  
uox uerbi.

Quilibet Ec-  
clesiastes uox  
tantum, praeterea  
nihil.

Euangelium  
& promissa  
Dei ad omnes  
pertinet.

Via & semi-  
tae Domini,  
quae.







Esca autem eius erat, locustæ & mel syluestre.

Singulas adducit Euangelista circumstantias, quæ austeritatem uitæ in Ioanne demonstrant. Desertum & incultiore locum sibi delegit: rudi admodum uestitu indutus, & zona coriacea cinctus erat. Huic uestitui respondet uictus: nam parabili uictitabat commeatu, quippe illo, quem eremus suppeditabat, locustis scilicet, ac melle syluestri. Nihil ille curabat peregrina uina, & lautitias aliunde importatas: locustis & melle syluestri uictitabat, hoc est temperatissimè. nam per species genus intellexit. Hoc ipsum significans etiam Christus infra, Venit (inquit) Ioannes nec edens nec bibens, id est temperatissimè & sobriissimè uiuens. Alioqui enim constat illum, ut hominem, omnino edisse & bibisse. Hic cultus, hic uictus, hoc desertum, talem decebat penitentiæ præconè, & qui futurus erat aliis penitentiæ typus. Omnino mirabile erat humano in corpore tantam uidere tolerantiam. Hoc certè uiuendi genus animos uidentium magis ad credendum trahit, ac ad innouandam uitam magis pellicit. Quis enim uideat Ioannem hoc amictu uili & austero, mundi delicias contemnentem, ac nihil uelle cum terra comune habere, sed ad priorem nobilitatem reuerti, quam certè habuerat primus parens, antequam de uestitu & uictu curaret, qui non mox proponat mundum & delicias eius relinquere, & nouam inchoare uitam, hac penitentiâ quâ Ioannes hoc loco docet? Voluit Ioannes his uti, quibus & reliqui incolæ deserti solebant. Locustis animalculis uescitur. Nec incredibile uideri debet, habitatores deserti illius locustis usos fuisse. Nam legitur in Pinius lib. 11. cap. 29. Locustam animalculum Parthis fuisse in delitiis. Idem lib. 6. cap. 30. refert, quosdam Aethiopiæ populos non alio cibo uiuere solitos quam locustarum, quas fumo salæque durant in annua alimenta. Qui iustrantur procul semotas regiones, narrant & hodie Aegyptios vulgò uesci locustis. Scribit etiam Plinius alicubi reperiri locustas mensura trium pedum. Locusta inter uolucres mundas, Leuit. 11. cap. numeratur. Itaque in laudem sanctissimi uiri Baptistæ, Matthæus retulit, locustam animalculum, fuisse cibum Ioannis, qui tamen iuuenis esset, magni sacerdotis filius, magnaque tum apud populum tum apud Regem autoritate: maluit tamen in deserto potius ferarum ritu, uili parabilique cibo uiuere, quam molliter in domibus regum agere. Hic uir sanctus hoc genus cibi non affectauit, sed partim hoc usus est, quod eremus illi hunc cibum ultrò suppeditaret, partim, ut iuxta uaticinium Esaiæ, Christi que testimonium Heliam prophetam hoc genere uitæ referreret. Obserua. Græcis legitur, τροφή, cibus siue alimonia erat locusta, à τροφή id est nutritio. Græci ἀρέτης dicunt, id est locustas. quæ uox inde dicta est, quod id animal summas aristas, aduolans depascatur. Hoc exemplo Ioannis docemur, ut cibus utamur, qui parabiles sint, & naturæ sustentandæ sufficientes. Luxus ciborum damnabilis est Christianis, quorum professio sobrietatis est, modestiæ, mortificandæ carnis, & uitæ cœlestis. Sobrietas & temperantia cibi ac potus, omnibus mortalibus est honesta, utilis, iucunda, facilis, & naturæ accommoda & amica: contra, luxus turpis, noxius, iniucundus, difficilis, & inimicus naturæ. Mel syluestre Ioanni cibus erat. Hoc in petrarum scissuris & arboribus ab agrestibus apibus cõficitur. A Plinio, lib. 11. cap. 16. Vocatur ericæum ab erica frutice, quod inter genera mellis minimè probatur. Potum Ioannis Angelus apud Lucam exprimit, dicens ad Zachariam: Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem. Vinum & siceram non bibit. Vino & siccera intelligit omnem potum, qui inebriare potest. Quare potus eius erat aqua, quam fons in deserto suppeditabat. ut intelligas omnimoda sese sobrietate Ioannem muniuisse. His omnibus Ioannes Baptista se uerum exemplar & typum exhibet iis, qui & respicere, & regnum cœlorum introire defyderant. Porro hæc sanctimonia omnibus adè admirabilis erat, & omnium animos sic obtusificabat.

Species pro genere. Infra, 11.

Locustæ in cibo olim apud multos habitæ.

Locustæ tripedales. Locusta, uolucris.

Ioannes quare locustis uictus in cibo.

mel syluestre

Ericæum.

Potus Ioannis.

Ioannes exemplar respicere uolentium.

bat, ut non deessent in populo, qui suspicarentur hunc, Messiam esse, quem natum audierant ex Magorum aduentu, & tumultu excitato inter Hierosolymitanos, qui & fortassis in desertum à parentibus delatus, uita esset Herodis tyrannidem, quam in Bethlehemitarum infantium clade & cæde ille manifestam fecerat. Sed hic adè non sibi hunc honorem uendicabat, ut palam Christo omnibus demonstrato, se indignum profiteretur, qui calceamentorum illius ligulas solueret.

Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.

Vis & potentia uerbi, simul & presentia tanti prophetæ energia manifestatur, quandoquidè omnes ad uocem clamantis confluebant, non solum ex urbe Ierosolymorum, uerum etiam ex uniuersa Iudæa, præsertim iis regionibus, quæ ad Iordanem sitæ erant. In Ioanne tria uidebantur esse, quæ populum undique attraxerint. 1. Primum, quod à secundo templo ad id usque temporis, prophetis caruerant: ideo ueluti prophetam uisuri, tanto ad illum ardore accurrebant. Sic infra, 11. Quid existis in desertum uidere? Prophetam? &c. Iudicio Dei iusto factum fuerat, ut prophetarum oraculis priuarentur, quorum, dum illorum esset copia, nullam unquam rationem habuerant: postea senserunt, quantum bonum proprio uitio amiserant. Hinc illud, psal. septuagesimo tertio, Signa nostra non uidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Secundum est, ipsum prædicationis genus nouum & insolens. Neque enim, ut priores Prophetæ, neque ad morem legis & sacerdotum, simpliciter penitentiam & legis obseruantiam prædicabat, sed uiam iubebat parare Domino, & regnum cœlorum aduenisse nuntiabat. Tertium est, austeri illa uita Ioannis, cuius supra facta est mentio, de qua infra, 11. Venit Ioannes nec manducans panem, neque bibens uinum. Idem scribitur, Luc. 7. Magna erat conuersationis illius & sanctimonie lux, quæ & ipsa certè, propter nauicam Scribarum & Phariseorum, quamplurimos exciuit, quos nihil pigebat urbis & uicis relictis, & itineris molestia deuorata, ad conciones Ioannis excurrere. Hic uide: tum cœpit piscium promiscua multitudo reti euangelico implicari. Nouam doctrinam sitientibus obtulit Ioannes, uoluntati illorum satisfaciens. Idem frequentiori auditorio ad Iordanis ripas existenti inculcabat, quod in eremo prædicauerat, ut peniteret ipsos ueteris uitæ: & præpararent uiam Messie mox uenturo: cui salutem afferenti se sanabiles præberent, hoc est (quod Isaias cecinit) essent docibiles Dei, seu obedientes uerbo. Is autem sanabilis est qui morbum agnoscit, & odit, petens ex animo curari, ab eo, qui sanitatè & potest præstare, & exhibere in fide petenti præsto est. Petite (inquit ille) & accipietis, pulsate & aperietur uobis. Item quacunque hora ingemuerit peccator, nõ amplius recordabor iniquitatum eius. Hæc sunt quæ Malachias 4. cap. & Gabriel, Luc. primo cap. de Ioanne prædixerunt, Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Helie, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Hic conuentus ex quauis parte ad Ioannem, specimen quoddam fuisse uidetur, eius, quod tum incipiebat, & paulò post per missum Spiritum Christi in die Pentecostes implendum erat, de quo paulò antè citatus est locus Isaiæ, significans reuelandam esse gloriam Domini, & quod omnis caro uideret salutare Dei. Ad hæc hic conuentus indicat impleri quod dictum est, A diebus Ioannis cœlum uim pati, & uiolenter, id est ardentissimè, innumeris irruentibus rapit, fide, & ardenti charitate. Aduerte: hic feruor populi, diuinitatem Euangelij ipsiusque potentiam indicat, quod tum prædicari incipiebat. Sed quò hic populus primò fuit feruentior, eò paulò post remissior fuit, ut pote qui & Ioannem reliquerit, & Christum auersatus fuerit. Certè primùm arident quæ noua putantur.

Ioannem Baptistam cõmendabant Iudæis.

Iudæi qui in suos prophetas.

Diluta uita & doctrina Phariseorum populo nauicam mouebat.

Isa. 54. Ioan. 6. Sanabilis quis. Ezech. 18. 33.

Contentus ad Ioannem tam confertus, quid præsignabat.

Populi studia semper incerta & mutabilia.



uerum ubi carnis mortificandæ studium, & post Christum ferenda crux imponitur, retrocedunt absterriti permulti. Hoc nobis exemplo est, ne populi studio fidamus, quando in his feruorem tam citò remissum uidemus. Deinde monet, ne cristas & animum erigat pius Ecclesiastes, si ad se undique adcurratur, & frequens habeat auditorium. id profectò à Deo est dispensante, & maiestatem uerbi sui manifestante. Rursus hoc declarat, multos quidem uocatos, paucos uerò electos esse, qui audita & iniuncta cruce subsistere uelint. Vnde, prædicatoribus aureis otiosas à perquam paucis q̄ præberi hodie uideamus, hoc cōtigit uel cruce prædicata, uel ultro (ut hominum mos est) auditoribus ad delicias relabētibus: propter eā quòd auditores tantum, & non factores uerbi, seipfos exhibuerint. Quare curare debet imprimis prædicator, solidos potius, quàm multos habere auditores: quod fiet, si magis salutaria quàm plausibilia & placentia uerba docuerimus, rei illi toti additi, in qua legimus Ioannem uersatum fuisse, nimirum in prædicanda pœnitentia, & clamando cum Apostolorum principe, ex Isaia: Omnis caro, ut scœnū, & omnis gloria eius tanquam flos scœni. Exaruit scœnum, & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum.

## Et baptizabantur ab eo in Iordane.

Cùm omnis regio undique finitima Iordani, eò confluxisset, ubi Ioannes nouam prædicationem, nouum item ablutionis ritum exhiberet, baptizabantur, id est abluebantur aqua Iordanis ab ipso Ioanne in Christum uenturum. Hic baptismus non cōferebat gratiam & remissionem peccatorum, quia in sola aqua & non spiritu erat, sed fiebat in pœnitentiam, hoc est signaculo aquæ ob signatis promittebat remissionem peccatorum, si haberent fidem in Christum, quem prædicabat, & regno cœlorum uiua fide sese coniungerent: hoc est, ut abnegantes ueterem hominem, nouum induerent, hoc est, ex animo Christum hominem de cœlo amplexarentur, & fierent in ipso noua creatura. Vt enim Christus indubiè induit nos seipso, & consuepuit secum, incorporat sibi, & refingit in baptisate: ita pacit nos seipso in Eucharistia. Ioannes ut noua prædicatione clarè Christum demonstrante & annuntiante, Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum: ita nouo uocabulo, baptismus, est usus, qui est ad pœnitentiam præparatiuus. Antea uarijerat in Mose baptismi, rerum, corporum, carnis, & huiusmodi, sed tantum ad munditiam carnalem, ut uestium, cutis, ollæ, hostiarum, uasorum. Nam autem erant in pœnitentiam, neque in remissionem peccatorum. cuiusmodi erat Ioannis baptismus, Act. 19. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptismum pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui uenturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Iesum. Obserua: non uacat mysterio, quòd Ioannes in Iordane baptismum exercuit, qui, ut Christum orbis saluatorem manifestaret, scholam & frequēs auditorium Christo apud Iordanem præparauit, instituens scholam, & colligens discipulos. Primum autem (ut oportuit) baptismum in Iordane, ueluti præludium ad Christi baptismum, docuit. Olim populus Israëliticus Iordanem non sine miraculo transiit, ad terram promissam pergens, Iosué 4. cap. Naaman Syrus iussu Helisæi in eo flumine septies lotus, à lepra fuit mundatus, 4. Reg. 5. ca. Ita qui baptizabantur à Ioanne, hoc baptismum præparabantur ad baptismum Christi, quo qui baptizantur, à seruitute Aegyptiaca, id est Satana, transeunt ad terram promissam, hoc est ad Christum, cui hoc baptismum inferuntur, eiusque gregi adscribuntur, & in mortem ipsius baptizantur. Roman. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consuepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Vt hoc baptismum ac deinde

Ecclesiastes non placeat sibi de frequenti auditorio.

Vnde tam rarum Ecclesiastis auditorium.

Prima cura ministrorū uerbi.

Isa. 40.

Baptismus Ioannis quorsum spectabat, & ad quid utilis.

Varij baptismi in lege.

Quare in Iordane Ioannes cepit baptizare.

Baptismus Christi quā proficit.

ceps per Spiritum facta carnis quotidie mortificantur, ita septiformi munere Spiritus, ueluti septies, in uero Iordane lauamur, ut à corruptione carnis, noxia lepra, tandem penitus mundati, uero Dei populo & Domini castris uerè adiungamur. Iordanis interpretatur descensio. Fluuus est Iudææ, qui à Ior & Dan fontibus, ad radices Libani iuxta Cæsaream Philippi (ut autor est Hieronymus) ortū habens, nomen accipit, Genes. 13. Regiones perquam amœnas præterlabitur, mox in lacum (quem complures Genezaram uocant) se fundit: deinde mare mortuum petit, à quo postremò absorbetur.

## Confitentis peccata sua.

Ioannis prædicatio, nullo adornata fūco, sed simplex & uerax, auditorum animos & conscientias rectè feriebat, demonstrans eum, qui proximè uenturus, hoc est manifestandus erat, ipsissimum esse, ad quem pertineat remittere peccata, & propter hunc, alium nullum, propterea oportere conscientias pœnitentia & uirtute uenturi Christi purgare, ut ipsum dignè excipiāt. Vnde quum ueterem, homines illi, & tam abiectum hominem, hoc est ueterem uitam, peccatis oblitam apprehenderent, illius ipsos pœnitebat, & damnantes uitam priorem, confitebantur peccata sua. Quod ut signo aliquo manifestarent, offerebant se à Ioanne baptizandos, putantes hanc externam lotionem signum esse pœnitentiæ & resipiscentiæ: hoc est, signum, quo profiterentur se pœnitentia duci. Certè compuncti sunt prædicatione Ioannis, ad eò ut turbæ rogassent Ioannem dicantur, Luc. 3. Quid ergo (aiunt) faciemus? Item & de Publicanis illi ad baptismum uenientes, dixerunt Ioanni, Quid faciemus? Similiter & Milites interrogasse scribuntur, Et nos quid faciemus? Similiter & qui audierunt Petrum concionantem, Act. 2. & dicentem, Quem uos crucifixistis, &c. cordibus compuncti dicebant: Quid faciemus uiri fratres? Certè hoc responso profitebantur se peccatores.

## Videns autem multos Phariseorum &amp; Sadduceorum uenientes ad baptismum suum.

Confluentibus turbis, uidit Ioannes non parum multos Phariseos & Sadduceos uenire ad baptismum, quos agnouit, tum ex ipsorum habitu, tum spiritu inhabitante in se. Ad pleniorum huius loci & aliorum cognitionem, obserua, Satanam sectarum & diuisionis autorem esse, Dominum uerò Deum & autorem & amatorem pacis, qui mox ab initio, & prima uocatione populi Iudaici, ipsum legibus, tam Ecclesiasticis, quàm politicis, in unius corporis societatem arctissimè colligauit. Nam ut uni & soli Deo adhererent, præcepit, solum ac primum inuocarent, solum maximè diligerent & præcipuè colerent, nec alio ritu contrario quàm ipse præscriperat. præscriperat autè, necubi, nisi uno in loco, ad aram uenam, & secundum præscriptas leges, sacrificarent, neque quòquam ad Deos procurerent alienos, petitem auxilia, sed ut leges obseruarent & in unitate permanerent. Et quanquam sub iudicibus non rarò præuaricaretur populus, in illa tamen unitate permansit, præsertim sub Samuele & Rege Dauid, primisque regni Salomonici annis. Primus Ieroboam hæreticus & schismaticus impiissimus ambitiosissimisque, hanc ueterem societatem, Ecclesiæque unitatem dissoluit. Nam uirtulos in Dan & Bersaba colendos proposuit, effinxitque religionem nouam & cultum Dei nouum, hoc est, à lege Dei alienum. Quare & corda populi diuisit, ita ut neque à Deo solo & lege eius penderent: neque inter sese essent concordēs societate ciuili. Nam corruptam religionem sequuntur seditiones & dissidia. In hisce turbis autem fluctuarunt miseri, donec ipsorum impietatem hæreses & schismata gladio Assyriorum excinderet Dominus. Supererant tum quoque duæ tri-bus Ierosolymis, adorantes Dominum, sed quæ interim novos Deos, & nouum

h iij

Iordanis, quid.

Baptismus Ioannis argumentum pœnitentiæ.

Auditores Ioannis, prædicatione eius moti sunt ad pœnitentiā.

Satanas dissidiorū, Deus concordie autor. Præcepta Dei omnia pacè spirant.

Populus Israëli unus semper usque ad Ieroboam.

Religione cōuulsa, & careta pœnitentiæ.



cultum cum præscripta lege suscipere, unde ipsos quoque in uindictam hæreses excindi oportebat Chaldaeorum gladio. A reditu quidem ex babilonica captiuitate per initia paulò religiosiores extiterunt Iudæi, & in unitate doctrinæ ueritatis persistenterunt: & erant tum Pontifices, quibus curæ erat doctrina ueritatis, & unitas Ecclesiæ. At ubi Pontifices, non aded magni pensâ doctrinæ, cœlamitati Pontificis initiū posuerunt.

Religionem Dei sub lege quinam euerterunt.

Tres hæreses apud Iudæos.

Pharisæorū secta potior habita apud Iudæos.

Traditiones seniorum.

Pharisæorū secta.

Sad ducaei Pharisæis aduersi.

Sad ducaeorū placita.

Essenorum mores & decreta.

Essenorum error de principatu terreno.

perunt cogitare & altercari de splendore & maiestate imperij, de corona & diademate, de paludamento & nescio quibus imperij insigniis, tum demum diffluit religio uera, & exorti sunt homines prauis, qui tamen propter insignem hypocritism uidebantur sanctuli, qui palam hæreses, id est sectas & diuisiones à sancta legis traditione, denique & in populo factiones excitarunt, ac suis traditionibus & institutis sacrosanctam Dei religionem obscurarunt & opprefferunt, ut Ioanne baptista iam & Christo ueniente, uera religio & simplex ueritatis doctrina parum fuerit cognita, ipsorumque traditionibus prorsus corrupta: quam corruptionem manifestat Christus infra, 5. 6. 7. & 8. cap. in quibus reprehendit Pharisæicas traditiones, & repurgat quæ ab istis infecta sunt. Cœpit autem illa corruptio Machabæorum ferme seculo, & perfecta est plenius insequentibus temporibus. Iosephus enim de Ionathæ rebus scribens Antiq. lib. 13. cap. 8. Eodem (inquit) tempore tres hæreses Iudæorum fuerunt, quæ de rebus humanis diuersa credebant. Quarum una Pharisæa dicebatur: altera, Sadducæa: tertia uerò, Essenorum. Precesserunt ergo hæ sectæ Christi Domini aduentum in carnem, annis paulominus centum quadraginta octo. Fuerunt autem in dogmatis, in habitu, & rebus propè omnibus, primò inter se, deinde & à reliquo vulgo diuersissimi. Et pertraxerunt ad sui imitationem quamplurimos, aded ut tandem & Sacerdotes, & eruditissimi quique in illorum instituta descenderent. Testatur enim Ioannes Euangelista & Sacerdotes & Leuitas fuisse Pharisæos. Sed & Apostolus Paulus dicit se districtissimæ Pharisæorum sectæ assecram fuisse. Excellebant certè Pharisæi autoritate & gloria, quòd eorum placita minus uiderentur uariare à sacris, quòd conuersatio illis esset sobria & abiecta prorsus: nihil enim studebant luxui & delitiis. Itaque quod his uidebatur in religionis negotio statuendum, citra ullius contradictionem deternebatur, ac pro diuino decreto toti populo proponebatur à Sacerdotibus, & uocabantur traditiones seniorum, quarum & sanctus Paulus in primo capite ad Galatas meminit, & Matthæus infra, 15. cap. Harum trium sectarum, similiter eorum, qui autore Iuda Gaulonite tempore census fuerant exorti, mores pariter & dogmata paucis perstringit Iosephus, lib. 2. belli Iudaici, cap. 7. lib. Antiq. 15. cap. 8. & lib. 18. cap. 2. Pharisæi legis studiosiores, fatum cum libertate tamen nostræ uoluntatis agnoscebant, animam credentes immortalem: certiore legalium rituum cognitionem profitebantur: obseruabanturque reuerentè à populo, & potiore dominationis partem ad se traxerant: nec solum scriptæ legis, sed & traditionum suarum onere populum premebant: qua in re illis Sadducæi plurimum aduersabantur, ut autor est Iosephus, lib. Antiquit. 13. cap. 17. Ad illos plurimus erat è ciuitatibus conuentus, quòd putarentur cæteris esse meliores. Sadducæi fato nihil, & omnia hominis arbitrio tribuebant: resurrectionem, item angelos esse & spiritus negabant, nec credebant animabus mortalium post mortem quicquã uel honoris uel supplicij expectandū: traditionibus Scribarū & Pharisæorum asserebant non esse obediendū, sed tantum scriptæ legi Dei. His adharebant opulētiores. Esseni siue Essæi fato tribuebant omnia, mirã continentiam profitebantur: ab uxoribus & seruis abhorrebant, illas iniquitatis, istos seditionis occasionē existimantes. De Essenis qui copiosa legere cupit, inueniet apud Plin. Nat. hist. li. 5. c. 17. Et Ioseph. de Antiq. lib. 18. cap. 2. Postremi cum Pharisæis ferè conueniebant, nisi quòd nefas adferiebant, præter Deum principem ullum agnoscere, & censum soluere. Sed errabant, errantque, si qui supersunt hoc ueneno intincti, pessimè, uo-

lentes scripturas ignorare quæ concinunt, Omnis potestas à Domino Deo. Et, qui potestati resistunt, damnationem sibi acquirunt, Roma. 13. Præcipuè inter Iudæos sectæ erant Pharisæi & Sadducæi. Uidebant hi dolis pleni. Sunt enim hi, qui uelut inuidentes & insidias stuentes baptismo Ioannis tam celebri, miserant ad illum in Bethaniam subdolum legatione, Leuitas & Sacerdotes, exploratum, qualis esset doctrina & baptismus Ioannis. Veniunt ergo nunc ad baptismum Ioannis (quo loco baptismum usurpat pro toto Ioannis ministerio) non ut emendent uitam, & faueant doctrinæ, sed ut insidiantur. Interim tamen præferebant pietatis studium, ut exactius omnia scrutari liceret.

Dixit eis.

Inhumana uidebitur cuiuspiam hæc saluatio, & durum exordium ad tam sanctos & præstabiles uiros, nimirum Pharisæos religiosissimos, & Sadducæos continentissimos, & sanctitate sua externa cæteros excellentes. Sed ut duro nodo durus adhibendus est cuneus, ita & huic hominum generi elato, feroci, & sibi plus æquo ob insignem Mosaicæ legis obseruationem & merita Patriarcharum (à quibus se genus ducere gloriabantur) placenti, asperimè loquendum erat. Deinde quia non hic Ioannes, hoc est gratus & affabilis plenus, sed Spiritus Domini, & omnium principis ac dominatoris, orationem auspicabatur, & quidem aduersus superbos, & animis tumētis, obiurgatoriam, ad quos neque uitiosum exordium neque indecora fuit saluatio. Receptissimum semper fuit patribus & heris huiusmodi exordio præfari, quum & filios & seruulos castigaturi sunt. profectò aliud est priuatum hominem esse, aliud publicum uerbi Dei ministrum agere. Priuatis quidem hominibus dicitur, Si quis irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et quicumque dixerit fratri suo Racha, id est malum uerbum, reus erit concilio. At publicis ministris uerbi Dei dicitur Ezech. 33. cap. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Nam quemadmodum legitimus magistratus latronem ultimo supplicio iuxta leges afficiens, non designat homicidium aduersus legem Dei, sed uocationi suæ seruit: ita publicus minister uerbi Dei uocans impium, impiū, & nebulonem, nebulonem, non conuiciatur, sed agit officium suum. Malè fert Satanas & serui eius, si propriis suis cognominibus appellentur: uolunt enim uideri Angeli lucis. Non debet igitur Christianus seuera seueritate & dicendi inclementia prædicatoris offendi, quum Ecclesiastes non sua, sed Dei uerba loquatur, non sua, sed Dei autoritate increpet. Siquis ergo Ioannem, hoc est personam prædicantis penitentiam induerit, missusque fuerit, ut ad penitentiam inhortetur, iure optimo seueritatem increpandi adhibere poterit. At maxime perè cauendum est, ne prædicator quippiam ex affectu carnis agat, & affectator uideatur: sed studeat se purum Spiritus organum exhibere, id est, sit Ioannes, Petrus, aut Paulus, & fructum afferat locupletissimum, alioqui auditorum animos exasperabit potius & indurabit, quàm ad penitentiam permouebit. Quare circumstantiæ loci, temporis & personarum maxime obseruandæ tibi ueniunt, priusquam iuecharis: nec fatis est dicere, Christus ita reprehendit & arguit, Ioannes ita inuectus est, A postoli sic profciderunt. Hi reuera imitandi sunt, sed cum tui abnegatione, & habita iuxta fidem omni ex parte auditorum ratione. Nam incisio quidem salutaris est, sed periti medici, non cuiuslibet. Quare cum sale sumenda est sermone & styli patrum seueritas & inuectiua. Vnde quòd multi hac abutuntur, & indiscriminatim inuehantur, cœpit apud multos Euangelium pessimè audire, & fides atque charitas graue admodum fecerunt naufragium. Proinde scopus huius orationis Ioannis, est, perterrefacere metu diuini iudicij feroces istos & arrogantes Phari-

Pharisæi &amp; Sadducæi Ioannem captant.

Ioannes quare asperimè oratione Iudæos aggressus est.

Alicui priuatis, aliter publico munere fungentibus, loquendum. Matth. 5.

Prædicator nihil ex affectu agat carnis.

Christi, Ioannis, Pauli, &amp;c. seueritas in docendo, quomodo Ecclesiastes imitanda.



saos & Sadducæos, atque ita ad pœnitentiam ipsos permouere. Hoc enim dicendâ genere illis insolito, animi ipsorum magis excitabantur, & inaudita quadam admiratione suspendebantur, ut quæ postea dicturus erat Ioannes, auidius audirêt, & diligentius exciperêt. Non absimilia reperimus in sacris exordia. Quemadmodum Petrus, Act. 2. orationem exordiens, statim Iudæis exprobrat Christum ab ipsis occisum. Non dissimili usus est Act. 5. ad Principes Sacerdotum. Sed nunquam ferè viri Dei huiusmodi usi sunt exordiis, nisi quâdo negotium illis fuit cû superciliosis ueritatis osoribus, qui quæ ueritati cognita aduersabantur, quales fuerunt hi Pharisei atque Sadducæi. Moses pariter Israëlitas, gentem prauam atque peruersam appellat: & Isaias, gentem peccatricè, & populum iniquitate grauem. Paulus insensatos Galatas salutat: O insensati Galatæ, ait ille, &c. At meminisse debemus, in huiusmodi exordiis & orationibus non ipsos, sed Deum per ipsos loquutum. Iam qui huius doctrinæ meminerit, non indecorum putauerit nos filios tam malè morigeros à Deo patre nostro ad eò indulgente increpari: & seruulos ad eò petulantes à Domino tam æquo & philanthropo argui & castigari.

## Progenies viperarum.

Argumento ab incommodo & grandi exitio, quod Iudæis imminerebat, Ioannes acrioribus uerbis mordet illorum conscientias, quò magis pœnitentiam agât, conferens ingenium illorum cum natura viperæ & catulorum eius. In conceptibus viperinis, ut tradunt Physici, mas inserit caput in os viperæ, quod illa abrodit uoluptatis dulcedine. Parit autem intra se oua unius coloris & mollia, ut pisces. Tertia die intra uterum catulos excludit, deinde singulis diebus singulis parit, uiginti ferè numero: itaque reliqui catuli tarditatis impatientes, matris latera perumpunt, & matrem occidunt. legito Plinium lib. 10. cap. 62. Phariseos & Sadducæos progeniem viperarum uocat. Nam Pharisei & Saducæi, qui primas apud Iudæos sibi uendicabant, eoque turgidiores facti, mensuram patrum suorum implebant: dum Prophetas Domini usque persequuntur, parenti Deo id gratiæ retulerunt, quod catuli viperarum suis matribus. Quod enim in legatos Domini committitur, in Dominum ipsum committitur. Quod uni ex minimis istis fecistis (dicebat ille) mihi fecistis. Rursus si uos persequuti fuerint, & me persequuntur. Quia igitur hoc genus homines astuti & malitiosi erant, mali animi in omnes, insidiosi, ueritatis modis omnibus persequutores & maiorum interfectores, non hominum, sed potius viperarum progenies dici meruerunt, quo nomine hîc à Ioanne nuncupantur, & à Christo infra, 23. cap. Viperæ non parit agnum, sed viperam: horum maiores fuerunt viperæ, quum prophetas maiores suos occiderunt, & viperas hos Sadducæos & Phariseos pepererunt. Vnde collige quàm acerbè pro suo officio Ioannes hos Phariseos & Sadducæos excipiat, viperinam illis malitiam opprobans: quin ne hoc quidem tantùm, sed & patres ipsorum viperas faciens, cum eos progeniem viperarum uocat. Viperinum genus omnium serpentum pestilentissimum est, cuius sanies (ut Plinius scribit) irremediabile malum, mortem leui contactu incurabiliter infert. Vnde & Melitani Barbari uidentes viperam de manu Pauli, post naufragium sarmenta colligentis, Act. 28. cap. pendentem, inter sese dicebant: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari ultio non finit uiuere. Tam presentem uidelicet mortem adfert uirus viperæ, ut, quum uiderunt illæsum, & nihil mali passum, mutata mente dixerint, eum esse Deum. Obserua hoc exordium duci à persona accedentium Phariseorum & Sadducæorum, & admirationem habere propter antè actam illorum uitam, & propter ipsorum mores corruptissimos, probè Ioanni cognitos. Ideo uidetur sic illos alloqui: Cùm hætenus fueritis homines perniciosissimi, homicidæ ex homicidis, impiissimi ex impiissimis progeniti, & qui Ecclesiam hucufque corru-

Deutero. 33. Isa. 1.

Viperæ indoles.

Pharisei &amp; Sadducæi quare cû uiperis collati.

Math. 27. Ioan. 15.

Viperæ sanies pestentissimam affert mortem.

Paulus, quod è uiperæ mortu non perit, Deus credit.

ptissimè administrarunt, mirum mihi uidetur, si intelligitis iram Dei impendere uobis, si denique illam subterfugere cupitis.

## Quis demonstrabit uobis fugere à uentura ira?

Admirantis est fermo. Admirationem hanc peperit Ioanni, quod cùm neque Phariseus propter suam, qua sibi placebat, iustitiam, neque Sadducæus, qui animam credebat mortalem, uenturam iram, id est, Dei ultionem ter atrocissimam (quæ ipsos maneret) uerentur, tamen cum cæteris confugerent ad baptisma, & ad remedium pœnitentiæ qua ultionem illam fugiant. Quasi dicat: Cùm uideamini uiperarum catuli, uenenosa doctrina imbuti, uosque sic hætenus apud homines iactaueritis titulo patrum, & falsa iustitiæ specie, preposteram exercentes religionem, atque ita supini ac securi rerum omnium regnaueritis, quasi Messias nunquam esset uenturus: quid uobis tam deploratis & peruersis noui accidit, & uos submonuit, ut & uos ad meum baptisma ueniretis, quo discipulos Christiam iam ad futuro paro, eos duntaxat qui peccatores, ut sunt, ita se quoque agnoscunt. Venit enim ille, ut saluum faciat quod perierat. Miror totus, quis uos Phariseos & Sadducæos tãta autoritatis, & primi nominis Hebræos, pramonuerit fugere supplicium ineuitabile, uestra genti imminens, nisi ad remedium pœnitentiæ cum reliquis aduentassetis, adeoque uos humiliauerit, ut uos immiscueritis ordini peccatorum, quos solos in pœnitentiam baptizo, & ueluti peccatores baptizari uelitis. Proculdubio hoc tanto præceptore & submonitore didicistis inanem forè fiduciam uestram, nisi hoc pœnitentiæ suffugio uos furori diuino iam imminenti subduxissetis. Nam neque lex uestra, neque aliquis è patribus (quorum meritis gloriamini) potest uos ab hac ultione liberare: sed sua quenque uita synceritas & charitas in Christum seruabit, quem mox manifestandum prædico. Obserua: uocat iram uenturam, hoc est ultionem illam longè atrocissimam, quæ non præsentis, sed futuri ac uenturi seculi est. Aut intelligit ultionem illam diuinam, quæ paulò post, excidium illud erat isti nationi allatura, in quo iam annos plus 1500. misera & uaga detinetur: sed de hoc infra 23. & 24. cap. Aduerte: hæc Ioannis admiratio docet quàm difficile sit eos, qui Phariseorum mores induerint, hoc est, inflatos, superbos, & seculo addictos, conuerti, & ad ueram accedere pœnitentiam. Obserua duplex genus fugæ ab ira Dei, unum uanum & irritum, quod eorum est, qui corpore tantùm fugam moliuntur. Horum fuga uana est. Nam qui nec Ierosolymis, nec in Iudæa opprimebantur, capiebantur tamen, & uel seruituti subiiciebantur uel occidebantur extra Iudæam, uel in Syria, uel in Aegypto, uel in Asia. Siquidem passim in Iudæos, irascente illis Deo, sequebatur. Qui sic fugiunt, non euadunt manum Domini. De hac fuga scribitur Amos. 5. Quomodo (inquit) si fugiat uir à facie Leonis, & occurrat ei Ursus: & ingrediatur domum, & innitatur manu super parietem, & mordeat eum coluber. Et Dauid, Quò à facie tua fugiam? Alterum genus fugæ ab ira Dei, sit animo respicienti & uerè pœnitenti, de quo hîc fit mentio: Quis uobis demonstrauit, &c. Hæc erat unica ratio fugiendi à uentura ira & ultione. Per hanc fugam Niniuitæ diuinam ultionem euaserunt. Rursus obserua. Hieronymus, Chryostomus, & eius abbreviator legunt, demonstrauit, quibus & glossa interlinearis astipulatur, superscribens, uel, demonstrauit. Notanter Græcè positum est uerbum *ὑποδείξω*, id est submonstrauit. quod significat clandestinam iam iam capiundo & pœnas daturò, euadendi uiam & consilium tacitis nutibus & indicis monstrare. Hoc sensu mihi uidetur Ioannes Phariseis hîc & Sadducæis admirabundus dicere, Quis uobis, &c. Quasi dicat. Certè in tempore sapitis, usi aliquo bono submonitore, cuius submonitu ad respicientiam confugitis, alioqui certissimè perituri. Vnde huius admirationis sensus non est, Quis uobis demonstrabit? quasi dicat nullus. Sed significat Ioannes, Quis

Luc. 19.

Ira uentura in Iudæos, quid.

Turgidorum &amp; arrogantium sibi plinisto, difficultis conuersio fugiunt duo genera hominum.

Confugere ab irato Deo ad ipsum propitium.



tantum apud uos ualuit, ut subindicaret uobis quomodo fugeretur imminens periculum, & iram, quæ futura est.

Facite ergo fructum dignum poenitentia.

Postquam baptizari & mei discipuli esse uultis, bonis & studiosis insudandum est operibus. Non nouit schola mea fucos, non admittit ignauos & otiosos. Vera & non ficta opus est resipiscencia, ut posthac fructificetis piis affectibus & factis, quæ testentur uos uerè resipuisse. A fructibus autem uera cognoscetur resipiscencia, nimirum à rerum presentium contemptu, uestri abnegatione, summa modestia, & ardenti pietatis studio. Hactenus umbris seruiuistis, nunc ueritatem amplexamini. Dilatatis phylacteriis in longum ceremonias produxistis, hominibus placere desiderastis, superstitiosis ac uariis lotionibus usi estis, nunc his sepositis Christum (in quo omnis plenitudo diuinitatis, & à quo omnis uita pendet) ut uerum Messiam (quem prædico) audivissimè excipite, pro cuius gloria nihil nõ quamlibet durum ferendum est. Hæc sunt, quæ fructus solida poenitentia dignos comprobabunt. Colligamus ex his, non satis esse fugisse malum, nisi & fructum uera poenitentia dignum fecerimus: quod sanctissimè faciendum hortatur Dauid Psal. 33. Declina (inquit) à malo, & fac bonum. Neque uerò damnat Ioannes civilem illam & inculpatam uitam Phariseorum, sed tamen amplius aliquid desiderat, scilicet fidem in Christum, & propriæ iustitiæ condemnationem. Ad hunc modum & Christus infra, 5. cap. uult nostram iustitiam maiorem esse, quam Phariseorum, scilicet, ut præter id, quod simus ciuilitate iusti, credamus etiam Christum esse nostram iustitiam coram Deo ad salutem. Facite ergo fructus, &c. id est, sic uiuite, ut uideamini uerè resipuisse: desistite ab hypocrisi & reliquis fructibus impietatis, excipientes Christum uiua fide, quem uobis prædico.

Et ne uelitis dicere intra uos, Patrem habemus Abraham.

Argumento ab inutili & re uana tollit ueræ poenitentia impedimenta, quæ sunt, in gloria patrum (qui Deo placuerunt) quiescere seu fidere, & sibi propter hanc blandiri dicendo, Sancti sumus, quia à sancto patre prognati. Morbus quo segniores erant ad poenitentiam, is erat, gloriari de patrum prerogatiua. Vnde quoties Propheta ante Ioannem docerent, aut poenitendum esse, respondebant isti, Sumus filij Abraham: cum Abraham percussit Deus fœdus sempiternum. Erit itaque semen Abraham æternum, regnabimusque in æternum. Nã & templum suum, & aram, & cultum denique omnem inter nos esse uoluit, ut nihil nobis metuendum sit excidium. Ad hanc præsumptionem respondet Ioannes: Si mei esse uultis discipuli, & ueram manifestare poenitentiam, ne uelitis, id est ne cogitetis, & apud uos meditemini dicentes, Quia Deus magnifica Abraham & semini eius promisit, quæ indubiè præstabit, ideo nostram impietatem trãsmittet inultam: non peribimus, sed cum patre nostro Abrahamo salui erimus. Caute ab hac superciliosa & fastuosa cogitatione, qua utique decipimini. Nam Abraham iustus ex se prognatis nihil proderit, nisi laudatam illius fidem & obedientiam imitentur: secundum quam, non autem secundum carnem, filij & posterius eius dicuntur. Quò fit, ut sicut neque in Ismaël, neque in aliis uocatum est semen, nisi in Isaac promissionis filio: ita neque de semine siue de germana eius sobole eritis, nisi patrem imitati, promissioni fide uiua adhereritis. Hanc gloriationem Israëlis ex carne, tollit Paulus ad Roma. 9. cap. Non enim omnes qui ex circuncisione sunt Israël, ij sunt Israëlita: neque qui semen sunt Abraham, omnes filij: sed in Isaac uocabitur tibi semen: id est, non, qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Non sanguinis affinitas, sed fidei sinceritas filios Abraham parit. Colligamus ex his huius sententia sensum, & summam: Ne sitis in hac opinione, ut dicatis uos esse filios Abraham, tanquam id sufficiat ad

Resipiscencia  
quæ uera.

Malum qui  
relinquit, bonum  
implet.

Nostra omnis  
iustitia quæ  
mãca absque  
Christo, qui  
iustitia nostra  
factus est  
nobis.

Iudeos qui  
impediunt,  
ne se agnoscerent  
& Christum.

Abraham gne  
si & germani  
filij, qui.

iustitiã, è sanctis esse prognatos. Hac enim cogitatione Deus non redditur propitijs, nec uitatur supplicium, sed assumenda sunt, quæ ad legitimam poenitentiam pertinent. Quibus addendi sunt legitimi poenitentia fructus: uidelicet sectari bona opera, iuxta uerbum Domini præcepta. Non igitur collocetur fiducia in carnale genus & externam progeniem Abraham, sed in unum Christum, qui est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Obserua. Error communis erat Phariseis & Sadduceis, quo putabant se non posse perire, quòd ex Abrahamo (cui, & semini eius, factæ erant promissiones) descendissent. Deinde monemur, ut neque rebus adhareamus caducis, neque re alia nobis Deum propitiu polliceamur, quam fide uiua seu charitate, innocentiam & uitæ nouitatem comites habente.

Ad uerã poenitentia quæ necessaria.

Dico enim uobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.

Actiologia est, à potentia Dei, qua uult ostendere Ioannes, prerogatiuam in carne Abraham, & iustitiam carnalem, coram Deo nihil esse, neque Deum illa aut prerogatiua, aut carnali iustitia delectari. Adæquat Iudeos & Gentes Ioannes, ut illos à prerogatiua carnis abstrahat, & has ad gratuitam Dei misericordiam prouocet. Nolite (inquit) putare, si ab Abraham moribus descueritis, & ob id perieritis, desitiram ideo Abraham posteritatem, quam postea desideret Deus, cui promissam benedictionem soluat: imò certissimum habetore, si oblatam gratiam, hoc est, oblatum Messiam neglexeritis, Deum, qui Abrahamo seni Isaac filium suscitauit de sterili & lapideo Sarra utero, ex hisce inanimatis lapidibus, aut ex Gentibus, quæ lapidibus duriores, sua idololatria lapides adorant, de quibus psal. 113. Simulacra Gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum, &c. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Aut, Ex lapidibus istis, id est ex uobis ipsis pertinacibus, obstinatis, & superciliosis, suscitare posse filios Abraham, ut adoptati in filios, cognoscatis fiduciam pietatis non esse collocandam in affinitate parentum, ac ne uobis quicquam, sed omnia Deo & gratia eius tribuatis. Proinde potens est Deus abiicere gloriantes in carne, & ex misericordia recipere, qui in carne prorsus nullam habeant gloriam, suscitatos de lapidibus, id est de Gentibus, nullam in carne gloriam habentibus, alienis à testamento Dei, spem non habentibus, Deoque carentibus in hoc mundo, Ephes. 2. Quasi dicat, Gentes, quas uos Iudæi contemnitis, potest Deus suscitare, tanquam è profundo somno & morte, in filios Abraham, ut tametsi non sint filij secundum carnem, tamen sint filij secundum fidem Abraham. Vnde dicitur, Malachiæ. 4. cap. Et conuertet corda patrum in filios, id est faciet filios exemplo patrum credere. Hanc suscitationem filiorum è lapidibus expressit Dominus infra, cap. 8. Dico autem uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Rursus Ioan. 8. filios diaboli Dominus nuncupat, qui se iactant filios Abraham, cuius neque fidem neque obedientiam imitantur. Paulus quoque ad Romanos 4. & 9. & Galat. 3. diligenter probat non esse ueros Abraham filios, cuius imaginem, id est fidem & probitatem nõ referret. Ad Galat. 3. scribit Paulus, Si uos estis Christi, ergo semen Abraham estis, secundum promissionem hæredes. Et psal. 17. ostenduntur Iudæi increduli, alienigenæ, & Gentes credulæ, regni Christi indigenæ. Eripies me (inquit) de contradictionibus populi, constitues me in caput Gentium. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Obserua, Deum successione non carnali, sed spiritali, filios Abraham metiri. Quò fit, ut maior dicatur fidei & uirtutis, quam sanguinis cognatio, quanto anima corpore melior est & præstan-

Lapides qui, ex quibus potest Deus suscitare filios Abraham.

Virtute de-  
cet, non sanguine niti.



tior. Aduerte, articulum Græcum τῶ, ostendere Abrahamæ datiu casus esse, non genitiui: quasi dicat, Abrahamæ nõ defuturos filios, etiam si illi non sint nati. Obserua hanc Ioannis rationem adiunctam suæ exhortationi, sumptam esse ex consideratione diuinæ potentia, qua possibilia sunt, etiam quæ nobis uidentur esse impossibilia. Cogitabant Iudæi filios Abrahamæ defuturos, si ipsi perirent: & cum impossibile sit irritas fieri promissiones Dei, putabant se nullo posse excidio perire: sed falsa erat illorum cogitatio, si perderentur, filios Abrahamæ perituros, ut hoc loco docet Baptista. Hæc loquitio, Potens est Deus de lapidibus, &c. non est propria sed tropica, auxesim habens & hyperbolen, ut non sit necesse commentari, Deum ex lapidibus miraculosè condere homines. Alibi per eundem tropum, Si hi tacerint (inquit Dominus) lapides clamabunt. Alluditur hic id Isaïam sic dicentem, Respicite ad petram excisionis uestre, & ad cauernam laci effusionis uestre: Respicite ad Abraham, &c. Propheta hic consolatur qui repudiatam uidebant Synagogam, & paucos interim fideles: vnde timebant Ecclesiam nullam superfuturam. Hic propheta illos consolatur, dicens, Respicite ad antistitem religionis uestre Abrahamum, qui unicus erat, ac effectis uiribus, & quod ad generandi uim attinebat, petre simillimus, è quo propter grandem ariditatem nemo sperabat ullum semen. Sara quoque sterilis erat, atque ideo, puteo, in quo nulla est aqua, non dissimilis, sic, ut ex ipsa non magis speraretur soboles, quàm ex pumice aqua: attamen Deus sua potentia fecundauit utrunque, & benedixit eis, ut tam copiosa ex ipsis prognata sit soboles, quàm est arena in litore maris. Ita & Ioannes ad imitationem Isaïæ, Et si (inquit) excidamini ad unum omnes propter scelera uestra, nunquã tamen deerit semen Abrahamæ: potens est enim Deus suscitare ex alienigenis, qui fidem excipiant Abrahamæ, & uerius filij sint Abrahamæ, quàm uos.

Iam enim securis ad radicem arborum posita est.

Singulari allegoria à similitudine hortulani omnium iustissimam æquitatem diuinæ ultionis habente, qua puniuntur impœnitentes, auditores prouocat ad feriam pœnitentiam, dum metum iam iam imminenti excidij incutit, quod significare uidetur, per securim radici non trunco appositam: quam funditus & irreparabili vulnere succisura sit, ni fetus Deo dignos produxerit. Non est otij tempus, quum imminet discrimen. Hactenus dilatus est Messia aduentus: is nouacula est, & securis, id est, in eo omnis uirtus uitæ sita est. Puris & synceris animis adeundum est regnum cœlorum, aut subeundum supplicium æternum. Nam obuia & præsens est salus, uolentibus eam amplecti: adest & securis ac exitium præsens & immedicabile, præsentem salutem respicientibus. Quare accelerandum est, ut reiectis & amputatis omnibus sarmentis, fructum producatis. Vobis adhuc in manu est, utrum uelit amplecti. Si respueritis, & mentem subito innouaueritis, non feriet securis. Quemadmodum in colendis arboribus, quandiu spes est remedij, stercoreatione aut putatione subuenitur arborum uitis, & ultimæ desperationis indicium est, quoties securis radici admouetur: Ita quandiu hæc uiuitur, spes est remedij per pœnitentiam. Cæterum si admota fuerit radici securis, funditus euertitur arbor, & igni mandatur, à quo neque opes, neque amici, neque generis nobilitas, neque sapientia posthac liberabit. At non tam difficile est succum mutare in uobis, atque in arbore naturali, in qua longo est opus tempore ad succi mutationem, unde fructus saporem ducat. In uobis autem facillimum est: nimirum hoc uoluntate fit. Quare animo humili, & seipsam abnegante, accedite ad eam quæ iam illucescit, lucem, & amplexamini uitam, quam cum salutis auctore æternum uiuetis. Nisi enim solida respiscentia uos germanum Abrahamæ semen (cui Christus promissus est) declaraueritis: neque securim à radice auferet, neque liberabit uos ab excidio urgente & imminente, quod ex Abraham secundum carnem genus duxeritis. Proinde Ioannes hoc loco insinuat ipsis, ab exemplo securis

Hyperbole.

Lu. 19.

Isa. 51.

Christus nouacula &amp; securis.

Voluntas quanti momenti ad salutem.

ris ad radicem posita, excidium Ierolymitanum, quo figuratur & illud uniuersale futurum. Securis ergo potestas erat Romanorum, cui iam erant subiecti Iudæi, breui post per illam excidendi. Quasi diceret, hactenus Deus dissimulauit segnitiam uestram, expectans uos ueluti agricola arborem, ut ferat fructum. Iam satis superque expectatum est: excidenda est gloria gentis uestre. Iam adposita est securis, qua extinguitur omnis uestra gloria, antiquetur lex, euertatur templum, transferatur sacerdotium, radicitus euertatur cultus ac cœremoniarum pompa. Longè grauius erit hoc excidium priore, quod solum 70. annis durauit. Nam iam in hoc posita est securis ad hanc gloriam, ut in æternum non reuiuiscat. Atque hoc adeo imminet, ut non propinquior sit interuentioni & euersioni arbor, cuius radici iam adposita est securis, quàm sitis huic uestro excidio, ut ut uos semine Abrahamæ profiteamini. Obserua, singula propemodum uerba suam habere epitasimam & uehementiam. Nam posita est dicit, pro ponitur, ita notans instans tempus. Et ad radicem posita est, non ad truncum aut ad ramos, ut interuentionem significet. Hoc enim prouerbio, Securis ad radicem arboris posita est, significatur excidium præforibus astare certum, inuitabile ac irrecuperabile. Lasa certè & succisa radice, de tora arbore actum est. Neque uerò nouum est, securim & gladium in scriptura poni pro graui Dei uindicta. Sensus ergo Ioannis est: Aut Euangelium recipientes agite pœnitentiam, aut colla uestra ad ictum librantis exerite. Certò enim uindicta Domini, quæ uos funditus & radicitus excidet, uestris impendet ceruicibus. Nam posteaquam toties estis uirga disciplinæ Dei frustra correpti, nunc bello, nunc peste, nunc fame adfecti, primùm in Aegyptum, deinde in Assyriam, post in Babylonem captiui abducti: ad hæc toties per Prophetas frustra ad pœnitentiam uocati, semper in eadem pertinacia, & malitia perdurastis: tandem ita exarsit in hanc Gentem ira Dei, ut nisi statim respiscatis, radicitus sitis excidendi. Iam enim non culter sarmentarius, sed securis excisionis admota est, non ramis, sed ipsis arborum radicibus, non purgationem frustraneam, ut antea, sed omnimodum excidium illatura. Oportet magnum & graue fuisse peccatum in populo Iudaico, quod priorem malitiam longè superarit, & iram Dei huc permouerit, ut quos antea uirga disciplinæ castigarat, tandem penitus exterminare proposuerit. Si rogaueris quod peccatum fuerit illud, hoc ipsum satis aperit Christus Luc. 19. Quia (inquit) non cognouisti tempus uisitationis tuæ. Et infra in parabola uinæ, ubi illis obiicitur, quod seruos ad petendum fructum uinæ missos probris affecerint, & contumeliosè occiderint, tandem etiam ipsum filium extra uineam eiecitum interemerint. Et cap. 23. Ecce ego mitto ad uos prophetas, &c. Et persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est, &c. Deinde non solum fuit illud peccatum, deplorata & obstinata malitia, & incurabilis impœnitentia, sed etiam pertinax impugnatio ueritatis, quam Stephanus illis obiecit dicens, Duri ceruice, uos semper restitistis spiritui sancto.

Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Actiologiam imminenti excidij adducit argumento à communi arborum conditione. Quemadmodum (inquit) infrugiferis solet fieri arboribus, ut, ne terram frustra occupent, excidantur & comburantur: ita omnem hominem, etiam qui Abrahami fuerit filius, non ferentem fructum, non dico qualemcunque, sed bonum, hoc est dignum regno cœlorum, tam ingratus Deo, ignis iræ Dei absumet. Ergo pœnitentiã agite, dum tempus habetis, & credite Christo, cui uos præparo. Iam ô Pharisei & Sadducei, quum gens uestra non ferat fructum bonum, ut potè quæ Deum labijs honorat, corde autem longè est à Deo, contemnat Prophetas

Romani securis fuisse Iudæis.

Gladus &amp; securis grauem iram Dei nobis significat.

Quo Iudæorum peccato iratus Deus tam grauius illos uisus est.

Act. 7.

Iudæi, quare arboribus infrugiferis similes.



rum minas, oracula & uaticinia non audiat, imò quæ quantumlibet oporescunt à Prophetis culta, usque tamen pergens esse pietate sterilis, causam dat, cur breui excidatur, nunquam in hanc suam gloriam reditura: fores iam pulsat, & adest is post quem nemo mittendus: cuius aduentum ne ignoretis, iuxta uaticiniū Malachia, ego illius prænuntius sum. Quòd si respueritis, & peccatorum uos pœnituerit, si morbum uestrum agnoueritis, & eum, qui potest & uult sanare, medicum, synceris animis, & uotis ardentibus exceperitis: hunc experiemini uobis salutarem, cum ipso æternum felicissimè uiaturi. Is unus est, qui potest uos malis, quæ superuenient uestræ genti, eximere. Obserua: verbo præsentis temporis, facit, significatur, oportere semper fructum ferre. Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Licet enim misericors heri fueris, hodie autem fratrem oderis, nò bonus eris. Discamus ex his bona opera requiri ab uno quouis nostrum, non solia, non speciem inquam pietatis, sed ipsam pietatem. Rursus discamus hinc, uindictam Dei omnibus paratam esse conceleratis hominibus, eamque fore certissimam, ne quis sibi impunitatem contèpti numinis, polliceatur. Longanimis quidem est Dominus, sed iustus interim, & ultor minimè segnis. Allegoricè. Obserua: Arbores sunt homines: Radice insinuatur uita præsens, & temporalis: Securis, diuinum est iudicium: fructus malus, infidelitas dicitur & carnis opera: (nam quod non est ex fide peccatum est.) fructus bonus, fides, charitas, opera fidei, & Spiritus, de quibus post Esaiam. 5. capite, Paulus non semel scribit, præsertim ad Galat. 5. & Ephes. 4. Quòd si 13. cap. ex Luca, & 15. cap. Ego sum uitis uera, &c. ex Ioan. huc transtuleris, habebis huius loci egregium commentarium. Excisio, est uitæ præsentis ablatio: ignis supplicium æternum designat. Aduerte: non solum in Euangeliis, ut infra. 7. & 12. Luc. 6. 13. sed etiam in omni scriptura, præcipuè in Psalmis, ut psal. 1. 37. 51. & 91. & Sapient. 10. admodum frequens est hæc similitudo. Vide, & ex superioribus collige, quàm philanthropus sit Dominus Deus: & quàm bonus sit, ex hoc loco & aliis discite: tametsi enim irascatur, & exterminationem minetur, adhuc relinquit locum auertendæ ultioni. Nam interea dum irascitur, mittit monitores, qui peccatores tot modis dignos qui perdantur, ad resipiscentiam uocent, & uenturæ plagæ subripiant. Tantam gratiam isti populo nunquam antea obtulerat, quanta tum per Christum adferrebat, & per Ioannem adnuntiabatur, cum extremum ei genti immineret excidium. Quid hodie cogitandum sit multis, imò omnibus qui Christianismum uel nomine solo uel re ipsa profitentur, quid ue cauendum sit, exemplo isto Iudæorum, qui corda ad intelligendum habent, abundè satis admonentur. Videamus num etiam nobis admoueat securis iræ Dei, nempe tyrannis illa Turcica, cui maior portio Christiani orbis iam dudum celsit. Rursus uideat unusquisque nostrum, num ab his peccatis (aduersus quæ hinc inuehitur Ioannes) liber sit, & si pari obnoxius est malitiæ, impœnitentiæ, incredulitati, & crudelitati, an fieri possit, ut non aliquando pari sit ultione puniendus.

Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam.

Postquam Pharisæos & Sadducæos perterritus comminatione imminenti iræ Dei Ioannes, non ad Pharisæos duntaxat & Sadducæos, sed ad uniuersum populum sermonem suum dirigit, quo suam personam, suum item officium differre à personâ & officio Christi demonstrat, ne fallantur putantes ipsum esse Christum. Eo enim ascenderat Ioannis autoritas, ut non pauci dixerint ipsum esse Messiam in lege promissum. Ego quidè baptizo, &c. quasi dicat, Cum tantum aqua abluam, quæ certè peccata auferre nò potest, frustra à me salutem expectabitis. Baptismus meus est in aqua in pœnitentiam, id est ad pœnitentiam, non quòd remittat peccata, sed est ablutio corporalis, tanquam signum quoddam profitentium pœnitentiæ.

Fructus bonus nullo nò tempore ferendus.

Deus, quàm bonus, quàmque amator nostri.

Turcica tyrannis, grauissima nobis securis Dei.

Baptismus Ioannis quare in pœnitentiâ.

tiam, id est profitentium se peccatorum pœnitere. Abluo, ut præparent animos, quòd capaciores sint gratiæ euangelicæ, & beneficij mox sequuturi. Quare si tales estis, & peccata uestra agnoueritis, quibus purgari desideratis, ostendam uobis, à quo hoc beneficij petatis. Obserua. Ioannes externa, Christus interna purgabat: Baptismus Ioannis ad pœnitentiam preparatorius erat, Christi uerò remissionem peccatorum confert: Ioannes seruus & minister, Christus Dominus & magister.

Qui autem post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare.

Commendatio est Christi à fortitudine & excellentia. Ioannes prædicat remissionem peccatorum, quam Christus confert. Is (inquit) à quo omnis salus pender, quem ostensus sum uobis, ut à me puro homine, & seruo deficiatis ad ipsum autorem salutis, post me (ordine temporis) uenturus est, id est, ubi meo defunctus fuero munere, uobis conspicuus erit: mira docendi autoritate, inauditis miraculis confirmata, regnum Dei annuntiabit: ille fortior me est, id est, ut ille posterior me est ordine prædicandi, ita tanto me est modis omnibus superior ac ualentior: ille è caelo uenit, æternum patris uerbum, unigenitus Dei, quem pater diligit, cui omnia in manus patris dedit, ut qui in hunc credit, habeat uitam æternam: iam inter uos uersatur uobis incognitus, paratus munus suum obire, ut se mundi Salvatorem manifestet. Me oportet minui, ipsum autem crescere. Huic non mihi, paraturus plebem, adueni. Operæpretium est hunc suscipiat, qui uolet iram Dei uitare, & uitam consequi æternam. Igitur facessite à me: ite ad illum multo ualentior me ipso, qui prorsus indignus sum, qui mancipium apud illum agam, id est, ut illi portem calceamenta, aut corrigiam calceamentorum soluam. Sententia, Cuius non sum dignus, Tapinosis est Ioannis præ Christo, qua ex uera animi humiliatione agnoscit suam indignitatem, ut Christum magnum ostendat. Similiter & vox illa, calceamenta portare, extenuatio est officij Ioannis præ Christo, qua ostendit se neque moribus neque officio parem esse Christo.

Ipse uos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.

Quia ego nihil aliud sum, quàm prænuntius, fidelis quidem, meo fungens officio, & externum tantum signum conferens, ad præparandum uos mox ad futuro, qui omnem potestatem secum adfert, seu remittendi peccata, seu omnem cœlestè doctrinam docendi: adcurrite omnes ad illius & doctrinam & baptismum. Siquidem efficax est eius baptismus, qui nò sola aqua uos baptizabit, sed Spiritu sancto & igni: qui frigida corda uestra calefaciet & inflammabit, ut ea præstetis ex animo in Spiritu & ueritate, quæ à uobis exigo. Is uos diuina quadam uirtute afflabit, & iuxta Iohelis uaticinium perfunder, nouaque mente donabit, ut uerè peccatis liberi, solida iustitia ornati sitis, deinde instructi, siue sapientia, siue scientia, siue prophetia, siue facultate linguarum, siue quacunque re alia, quæ ad uestram salutem & propagandam Dei gloriam, necessaria fuerit. Spiritu suo transformabit uos, igni uos rapiet ad cœlestia. Gratis uobis sua dona conferet, si ex animo petieritis, si peccata uobis displicuerint, ac synceram & minimè fucatam pœnitentiam habueritis. Baptizare Spiritu sancto, est abluere conscientiam à peccatis, mundare, iustificare, & sanctificare animam. Hoc non præstabat baptismus Ioannis, qui solum corpus aqua abluebat. Vnde hoc loco uocula, uos, insinuat, quod baptizati à Ioanne, baptizandi erant baptismo Christi. Cum dicit, & igni, imprimis significare uoluit solenne illud principium ablutionis & donorum in die Pentecostes, quando aduentauit in specie ignis Spiritus sanctus, quem Dominus in die Ascensionis Act. 1. appellat baptismum. Ioannes baptizauit aqua uos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Deinde, ut pertinet

Discrimè inter Christum & Ioannem.

Tapinosi.

Iohel. 2. Ezech. 36.

Baptizare Spiritu sancto.

Baptizare igni, quid.



neat ad ignem afflictionum & crucis. Nam hunc quoque baptismum appellauit Dominus, ita respondens filiis Zebedei Marc. 10. cap. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? Aut (ut in hunc locum scribit Hieronymus) siue quia in praesenti (inquit) spiritu baptizamur: & in futuro, igne: Apostolo quoque huic sensui congruente, Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Tertio per ignem intelligere possumus uigorem euangelicæ gratiæ, qui animos inflamat, & intus datur, quum Iudaici ritus fuerint frigidi. Ut ignis inter omnia elementa maximam habet agilitatem, omnia, in quæ agit, ad se transformans, ac sursum rapiens: ita & spiritus subito corda mouet, ad se transformat, & ad caelos rapit. Proinde iuxta eius effectus & opera induntur illi nomina: Paracletus, vnctio, digitus Dei, sanctus, ignis, aqua, & huiusmodi nomina passim in scripturis spiritui adscripta legimus. Rogabis. Quid ille in nobis operatur & efficit? Si paucis perstrinxero nonnulla, qui non possum omnia, esto contentus. In primis Spiritus in nobis efficit, ut nos diuinarum rerum, quas animalis homo nec moratur nec potest perficere, studiosos reddat & intelligentes: ut & uerbum Dei sitiamus, & auditum amemus, & ut indubitatum & certum excipiamus ac seruemus, ueneremurque, ut in quo agnoscimus Deum nobis placatum, ac propitium patrem per Christum. Secundò, Spiritus nos accendit & inflamat, ut nihil prius ducamus, quam prædicare gloriam Dei, & gratiam Christi, de cuius plenitudine nos omnes accepimus, pro cuius defensione nihil non quamlibet durum tolerandum est. Tertio, regenerat nos & transformat, adeò, ut qui antea tantum nostra in omnibus quærebamus, & nobis placebamus, modò abnegatis nobis ipsis quæramus, etiam nostro incommodo & dispendio, aliis, præcipue domesticis fidei, seruire, iuxta charitatis naturam, quæ non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1. Corinth. 13. Quarto, quæ prædictis repugnant, spiritus ipse in nobis domat, carnem enim cum uitiis & concupiscentiis eius crucifigit. Postremò testimonium reddit spiritui nostro quòd filij Dei sumus, quòd si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Iesu Christi. Hæc omnia in his qui Christi sunt, Spiritus sanctus operatur. De quibus Ioannis, 14. 15. & 16. Roma. 5. & 8. 1. Corinth. 2. Galat. 4. & 5. 2. Timoth. 1. ac passim aliis locis scripturæ legimus. Adde, quòd electi per Spiritum sanctum noui homines redduntur, conditi ad gloriam Dei, ut dicitur Esaia. 43. Omnem, qui uocatus est nomine meo, illum ad gloriam meam creauit. Vnde & Paulus illos uocat uasa siue organa gloriæ Dei, Rom. 9. Iam autem necessarium est, ut sicut ad uaria uitæ deputantur officia, in quibus gloriæ Dei propagandæ seruiant, ita & uariis donis ac dotibus instruantur. Non enim sufficientes sumus ex nobis, tanquam à nobis, cogitare aliquid, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Corinth. 3. Iam uarias illas dotes Spiritus sanctus unicuique pro ratione officij ad quod constitutus est, abundè distribuit, & suppeditat, ac in omnibus dirigit ac instituit, quæ sunt & faciunt ad gloriam Dei. Ephes. 4. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ipse Spiritus in nobis loquitur, docet, instituit, & ducit nos. Rom. 8. Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei Paulus de hac uaria donorum distributione pluribus agit. 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. de his multa scripsimus in Ioannem cap. 3. 15. & 16. Obserua, quæ hinc Ioannes dicit de spiritu & igni: ut non de spiritu illo, quem aërem, uel auram uel flatum uocamus, ita neque de igne illo terrestri intelligenda sunt, sed de uirtute Dei, qua corda credentium regenerantur, illuminantur, purgantur & accenduntur, hoc est, qua ex carnali homine & terrestri spiritalis & celestis formatur. Errant igitur, qui non aqua solum suos baptizant, sed igni, signaculo crucis per ignitum ferrum fronti impresso.

Spiritus sanctus, ignis est.

Spiritus sancti appellatio diuersa.

Energia in nobis Spiritus sancti.

Ioan. 1.

Roma. 8.

Spiritus & ignis, uocule, spiritaliter intelligi debent.

Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Hactenus Baptista prædicauit Christum esse mundi Saluatorem, ac Spiritus iustificatoris largitorem: hoc est, docuit officium Christi in primo aduentu. Modò metaphora à rustica quidem trituratione sumpta (quò moueat efficacius) graphicè depingit ipsum iudicium, & docet Patrem omne iudicium dedisse filio, ipsumque secundo suo aduentu omnium fore iudicem, ac qui ipsum spreuerint, eos æternum perituros testatur. Qua in re cõspicua fit omnibus regni Christi maiestas. Ioan. 5. Omne iudicium dedit filio Pater, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Nihil hunc iudicem later: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, Hebr. 4. cap. neminem metuit, non admittit fucos. Ineuicabili & austero iudicio res agetur: antè eius conspectum procedendum est, tribunali eius adistendum est, in quo sedens, ueluti in maiestate sua uniuersos iudicabit, nihil moratus personatam sanctimoniam. Malach. 3. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Nimitum uentilabrum habet in manu sua, & intimos animorum recessus perspicit. Ventilabro, iudicium Dei, & eius uerbũ Ioannes significat: Area est totus terrarum orbis, siue tota Ecclesia, in qua boni & mali commixti sunt, sicut in area rustica granum & palea. Porro triticum sunt hi qui credunt, & ex animo recipiunt Euangelium: Horreum est cælum, uita æterna, & perpetua felicitas: Paleæ sunt impij & increduli: Ignis inextinguibilis, est perpetua damnatio. Igitur necessarium est, ait Ioannes, aut uos paleas esse, aut triticum purum. Et interim, utrum esse uelit, uobis in manu esse uoluit. Non erit latibuli, aut permutationis locus. Aream suam exactè purgabit, paleas comburet igni inextinguibili, & triticum recondet in horreum suum. Quare toto pectore uobis nitendum est, ut prioris uitæ pœnitentia ducamini, ut mereamini recipi in horreum, hoc est regnum æternum. Obserua. Vox, inextinguibili, periphraasis est perpetuæ pœniæ, & irrequietudinis conscientiarum, quæ hinc incipit, & durabit post hoc seculum in æternum. Militat hæc periphraasis aduersus eos, qui negant impiorum pœnam fore perpetuam. Si ignis inextinguibilis est, ergo perpetuus. Hanc igitur ut uitemus pœnam, demus operam, ut inueniamur triticum purum: hoc ut fiat, agamus pœnitentiam, & credamus Euangelio de Iesu Christo, quòd propter huc habeamus remissionem peccatorum, & propitium Patrem in cœlis.

Maiestas regni Christi.

Impiorum pœna perpetua.

Tunc uenit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut Baptizaretur ab eo.

Postquam Iesus Christus testimonio Ioannis annuntiatum est, & appetiit tempus à patre definitum, quo seipsum doctrina & factis orbi aperiret, uenit à Galilæa, & maternam deserens ciuitatem Nazareth, ubi scilicet priusquam ad peculiare munus suum uocaretur, incognitus, nec alicuius autoritatis apud Iudæos, uixit: non tamen otiosus, sed, ut uerisimile est, labore suo sibi fortè & matri uictum quæritans. Nam Marc. 6. & faber & fabri filius, à gentilibus suis uocatur. Dicebant enim, Et quæ est sapientia, quæ data est illi, & uirtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ, &c. Patris acturus negotium, ad Iordanem fluuium properat, ubi erat Ioannes baptizans, & turba copiosa, quam testem haberet eorum, quæ gererentur. Per medium igitur peccatorum exercitum is, qui neque ulla peccati labe contactus, neque peccato erat obnoxius, imò qui peccatum mundi tollit, uelut peccator, ad Ioannem properat, flagitans



Christus quare ad baptismum. ab eo baptizari: non quod Iesus Christus poenitentia indigeret (quia agnus immaculatus) sed ut ostenderet, quod quemadmodum accepit carnem similem carni peccatrici, ita accepit baptismum similem baptismo poenitentium. Vnde baptizatus, secessit in desertum, ieiunaturus quadraginta dies, & colluctaturus aduersus tentatorem Satanam. Ad hæc baptismo suo secretum operabatur mysterium: nimirum tactu suæ carnis, & ingressu in aquas, uim dedit aquis regeneratiuam, qua aquæ omnes (non autem uinum, oleum, aut huiusmodi) sanctificatæ sunt, ut sint materia baptismi Christiani.

Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me.

Huius mutuae humilitatis nullus Euangelistarum extra Matthæum meminit, qui uidetur innuere, quod Ioannes Christum, antequam ipsum baptizaret, etiam de facie cognouerit, & agnouerit esse uerum Messiam, alioqui non subiecisset ipsi ministerium suum, quod excellentius erat ministerio omnium prophetarum. Præterea cui potuisset alij, quàm ipsi Christo dicere, mihi opus est, ut à te baptizer, ut à te sanctorum rege, in regnum tuum recipiar? Quod si quis obiecerit, quæ Ioannes scribit primo capite, Et testimonium perhibuit Ioannes dicens, quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de caelo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Respondeo. Cùm Baptista dicat sibi datum esse signum, quo ipsum agnosceret, hoc est, quod ille homo, esset Messias filius Dei, & asserat se uidisse Spiritum descendentem super eum, ante cuius descensum nesciebat eum, hoc est non habebat illud de facie notum, uidetur Ioannes super Christum columbam conspexisse, priusquàm Christum baptizaret: quam ipsam columbam mox à baptismo Christi rursus apparuisse hic locus Matthæi demonstrat: nisi dicamus, hoc signum Baptista datum fuisse, non quo Dominum primum agnosceret, sed quo confirmaretur de eo, quem antea ex reuelatione spiritus aliusue indicis agnouerit. Non ab simile legimus de Mose, cui, quum Dominus cum populo præficeret, dixit, Exod. 3. cap. Ego ero tecum, & hoc habebis signum, quod miserim te: Cùm eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum. Moses antequàm hoc eueniret signum, certus erat se missum à Domino: ita & Ioannes, ab eo qui signum descendens Spiritus sancti dederat, monitus fuit Christum illum esse, qui tum baptismum ab ipso petebat, antequàm signum datum, ei appareret. Adhæc, quemadmodum signum illud ad fidei confirmationem seruiuit, nõ tam Moyse, quàm populo, cui illud signum prædicabat: ita & utile fuit Ioanni & omnibus piis hoc signum postea dari, quo omnium fides confirmatio redderetur. Vnde & hoc Ioannes prædicauit & sacra historia ad nos transmissum est. Quod si rogaueris: Cur Ioanni Christus de facie usque ad baptismum incognitus fuit? Respondeo. Ita uisum est consilio æterno. Aut ita factum est, ne ex pacto uideretur Ioannes Christum tanto elogio honestare, ut pote domesticus testis. Ille in deserto Iudææ, hic in Nazareth usque egit. Alter alterum humanitus de facie nõ nouerat, donec apud Iordanem conuenirent, ubi simulatque Ioannes Iesum conspexit, uerisimile est, quo spiritu in uentre Elizabeth ipso præsentem in utero virginis Mariæ exultauerat, eodem illum agnouisse. Porro cùm ait, Ego à te debeo baptizari, &c. agnoscit Iesum se maiorem, & testificatur ipsum esse Christum. Atque hic modus faciendi uidetur propemodum cum reuerentia Petri conuenire. Petrus enim, cùm Christus pedes eius lauare neller, respondit: Domine, tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes in æternum. Reiecit Petrus ministerium Christi, zelo quidem Dei,

Ioannes an Christum cognouerit.

Columbam an uiderit Ioannes bis super Christum.

Ioannes quare ita ferò Christum cognouit.

Ioannes & Petrus agnoscunt se Christo minores.

sed non secundum scientiam: Sic & Ioannes piè quidem & sanctè agit, quod agnoscit se Iesu minorem, & hac detrectatione putat se Christum honorare. Quasi diceret, Aequum est, ut ego indignus etiam soluere calceamenta tua, & totus à te pendens, à te, qui solus baptismum omnem sanctificas, baptismum flagitem. At unde hoc, ut tu tantum te ipsum usque adeò demittas, ut à me baptizari petas? Absit, ut faciam hoc. Christus uicissim reiecit Ioannem, non quod confessus esset se Christo minorem, sed quod compellatus noluerit ipsum baptizare. Cùm uicissim Christus sese Ioanni subiicit, id nos monet, quid ueri Christiani facere debet, uti ad Philippenses Paulus, 2. cap. decenter ostendit: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitantes: non, quæ sua sunt, singuli cõsiderantes, sed ea quæ aliorum. Et ad Roma. 12. Honore inuicem præuenientes. Rogabis, An Ioannes baptismum Christi fuerit baptizatus, quod dixerit, debeo, id est opus habeo, ut à te baptizer? Acceperat hic Ioannes gratiam Spiritus sancti adhuc in utero matris constitutus, Luc. 1. Deinde ea uiuebat uitæ sanctimonia & austeritate, ut miraculo esset omnibus: mudo re uera erat mortuus, & talis Propheta factus, ut maior nemo ex natis mulierum surrexerit: & tamen hic ille tantus, adhuc fatetur, opus esse sibi baptisate, & gratia Christi, cùm interim quousuis aqua baptizaret & ad Christum mitteret, quibus ià non poterat baptismum spiritus impertiri. Respondeo. Certum est Ioannem indignuisse baptismum Christi, propter reatum poenæ originalis peccati, quia clausa adhuc erat porta paradisi, & necessaria erat mors & resurrectio Christi, ut exhiberetur omnibus etiam iustificatis, antequam ab inferis liberari & in cœlum ascendere potuissent, alioqui æternum apud inferos Ioannes egisset. Nec erat exemptus Ioannes à generali mandato Dei, Nisi quis renatus fuerit, &c. licet sanctificatus esset in utero matris: sicut nec Hieremias ab utero matris sanctificatus, à circumcissione. Quare uim & energiam baptismi Christi excepit. Sed incertum est, an fuerit baptizatus in aqua à Christo, an præoccupatus carcere & martyrio (quod baptismus flaminis nuncupatur) migrauerit absque baptismo Christi in aqua. Beatus Thomas ex Chryostomo refert, Ioannem à Christo baptizatum, non solum baptismum flaminis, sed etiam aquæ. Addit & his Ioannes uerbum, Et tu uenis ad me, valde emphaticòs pronuntiandum, Tu Dominus, ego seruus: tu immaculatus, ego peccator: tu saluator nullius indigens, ego ex te totus pendens, & sine quo non possum quicquam? Tam pius erat erga suum Dominum, ut non ausus fuerit dicere, & tu baptizaris à me: sed, Et tu uenis ad me. Bone Deus, quàm omnibus numeris inter hos duos sanctissimos uidemus expressam humilitatem! Nos miseri homunculi, quamprimum uoculam unam aut sententiolam paulò retrusiosem nacti sumus, ilicet expromenda est: nullus alij cedere dignatur, alius alio uult eminentior esse, sustinere non possumus: hinc sectæ, & hæreses oriuntur.

Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine modò.

Magna Christi philanthropia, qui eò se demiserit coram Ioanne, quem, non dum satis gnarum mysterij, docere dignatur. Hoc dum facit, uidetur Christus Ioannem iniecta manu, conatum uetare ne se baptizaret, amicè ad hunc modum monuisse, Sine modò, id est, omitte nunc piam hanc contentionem. Quasi dicat, In præsentiarum nõ est locus differendi de dignitate baptistarum, & baptizandorum puritate. Deus, qui omnia sanctè, iustè ac rectè instituit, te quidem baptizare iussit, qui te priusquam hoc iuberet, nouit: placeat ergo tibi quod Deo placuit, ac baptiza. Idem uoluit baptismum omnes pietatis cultores ac filios Dei in uinum corpus colligi ac consignari, à quo consortio cùm omnino nec uelim nec debeam separari, non est quod baptismum hoc detrectem.

i iij

Honore sibi inuicem præueniant Christiani.

Ioannes an à Christo baptizatus.

Emphaticus.

Pia ac modestis contentio inter Christum & Ioannem.

Vanitas nostra ac superbia, quanta.



## Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

Actiologia est, cur Ioannes Christum excipere debet ad baptismum, & ipsum aqua tingere. Nam unumquemque nostrum decet, ut suum faciat officium, & nihil omittat, quamlibet minutum aut leuiculum, quod diuinæ uoluntati probari cognouerit. Tuum officium est, ut baptizes: meum autem, quantum ad præsens, est ut baptizer. Hoc certè decorum est, ut qui omnes ad me pertrahere cupio, omnem impleam iustitiam, legi satisfaciam, baptismum inchoem, & perficiam omnia quæ in lege & prophetis scripta sunt de me. Notum est in scripturis iustitiam pro impletionem legis & ceremoniarum Dei accipi. Iam quum ex se potuerit illam implere, & ob id quilibet sub maledicto existeret: operæpretium fuit, Christum ipsam implere, & huic satisfacere, ut à maledicto legis liberaret hominem. Quare & baptizari, cum ita Dominus instituisset, portio aliqua iustitiæ, iure Domino habita fuit. Indicauit ipse hoc uerbo, Consummatum est, se omnem iustitiam impleuisse. Obserua. Hic locus nos admonet, ne nostra sacramenta non contemnamus solum, sed postquam diuinitus instituta sunt, illa etiam humiliter, libenter & reuerenter magno cum fidei & charitatis ardore amplectamur, in lege Domini meditantibus, ac fideliter uersantes: quod facientes, iustitiam implebimus, id est uocationi nostræ satisfaciemus, æternum regnaturi cum eo qui omnem iustitiam impleuit, & cuius gratia nos uocationi, nostræ respondemus. Obserua. Consummatio omnis iustitiæ est mors & resurrectio Christi. Cuius mortis & resurrectionis uirtus baptismo confertur, ut iam uerè credamus & catholicè confiteamur, quòd baptismus Christianus est consummatio omnis iustitiæ. Huic axiomati conformis est singularis illa glossa (quam interlinearem dicunt) super hoc uerbum, implere omnem iustitiam. Vide autem ex his studium perfectionis nobis commèdari, quæ non in eo tantum est, ut quæ maiora sunt diuinæ legis, sed & quæ minora sunt adimpleantur. Nulla est profectò pars iustitiæ negligenda iis quibus incumbit perfectionis studium: sicque omnibus nobis, iustitiæ studendum est, ne quam illius partem negligamus. Expendamus etiam, quænam sit uera pij hominis iustitia, & quæ illius partes. Vera iustitia in genere est, diuinæ conformem esse uoluntati. Partes huius sunt: credere uerbo Dei, Et hoc Abraham reputatum est ad iustitiam: omnem in illum fiduciam ac spem collocatam habere: nomen illius in tribulationibus, in ueritate inuocare: sacrificium illi laudis & gratiarum actionis quotidie offerre: toto corde illum diligere: mandatis illius ex animo cum debiti timoris reuerentia & obseruantia obedire: & ut uno uerbo dicam, in mandatis Dei ambulare, quæ non sunt omnia unius generis. Sunt enim alia de moribus, alia de ritibus tradita. Vtraque appellat Spiritus Dei, & iustitias & iustificationes Domini. Obserua: non dicit, Sic decet nos omnem scire iustitiam. Bonum quidem est scire omnem iustitiam, deinde & utile est de illa conferre ac diffundere: uerum nisi huic scientiæ accesserit studium adimplendæ iustitiæ, non solum illa nihil profuerit, sed etiam omnem excusationem auferet, iuxta illud, Seruus sciens & non faciens uoluntatem Domini sui, plagis uapulabit multis. Item Iacobi. 4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

## Tunc dimisit eum.

Ioannes simulatque uoluntatem Domini accepit, contentus agnouisse suam tenuitatem, & ipsius dignitatem, audiens dicentem, Sine nunc, ilico fuit, atque desinit oblectari. Hoc spectaculum exemplum habet salutare insignis in Christo modestiæ, & in Ioanne obedientiæ. Atque (ut in confesso est) res præposterè celsit. Nam Christus descendit in Iordanem, ac baptizatus est à Ioanne, non sanctificatus est à baptismo Ioannis: qui omnium sanctissimus est, sed baptismum cõsecrat ac sanctificat sacro sui corporis contactu: non indigebat baptismo. Baptismus la-

Iustitia legis quid.

Christus omnem iustitiam impleuit.

Sacramenta nostra maximi nobis pèdenda.

In baptismo confertur omnis iustitia. Qui ad perfectionem cõtendunt, nihil negligunt.

Vera pij hominis iustitia, quæ.

Mandata Dei non omnia unius generis.

Tit. 3.

uacrum est regenerationis, & renouationis. Christus filius Dei æternus, sanctus & purus. Sic ergo non indiguit regeneratione, ita nec indiguit baptismo. Ad hæc baptismus Ioannis erat ad pœnitentiam & remissionem peccatorum: Christus autem, qui fuit absque peccato, nec opus habuit pœnitentia, nec remissione peccatorum. Quare nec opus habuit baptismo. Sed uoluit ob hanc causam à Ioanne baptizari, ut nouum Euangelij mysterium institueret, consecraret, & confirmaret. Magnam autoritatem huic ministerio Christus tribuere incepit, quam postea multis argumentis absoluit. In primis Nicodemo, omnibus ad mandatum esse ut baptizarentur, significauit. Ascensus ad Patrem præcepit, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et in Actis rapitur Paulus usque ad tertium cœlum, non tamen illic baptizatur, sed remittitur ad Ananiam, ut ab ipso baptismum accipiat. Potuisset quidem Christus Paulum in tertio cœlo baptizare, sed ut confirmaret tantum ministerium Euangelij in hoc mundo, remisit eum ad hominem baptizatorem. Paulò post missus est Angelus ad Cornelium ethnicum, quem potuisset baptizare & docere Angelus, Deo id iubente: sed ut cognosceremus ac disceremus Angelos è cœlo expectandos, quibus cum signis & specie quadam uisibili familiaribus colloqueremur, remisit Cornelium ad Petrum, ut ab eo Cornelius Euangelium discat & baptizetur. Possent & plures locos è sacris afferre huic loco seruientes: sed quum his nobis satis apertum ac manifestum sit, quanta est huius ministerij autoritas, reuerenter & fideliter magno charitatis ardore accensum, illud excipiamus, & salutem consequemur. Proinde Dominum suum baptizauit Ioannes, magis prospiciens, quid diuina requireret autoritas, quam quo digna esset sua humilitas. Ad hunc modum cum quippiam nobis à Domino ad mandatum est, quando de uerbo ipsius certi sumus, pro uirili enitendum est, ut illi obtemperemus, quamlibet ex nobis inepti & ad id indigni uideamur. Dum enim promissis eius ex animo & charitatis affectu adharemus (quod fit, cum iuxta fidem & charitatem uitam nostram instituiamus) Deus nos pares & idoneos reddit, ad quæ nos uocarit, qui operatur omnia in omnibus. Ex nobis tanquam ex nobis nihil sumus, & tantumdem possumus quantum sumus. Quare nec ad aliquod spirituale homo ex se tanquam ex se idoneus erit: sed ex Domino, ad quamlibet pertractus fuerit functionem, idoneus erit. Exemplo sunt Apostoli, qui ignari, rustici, simplices & idioræ erant. sed cum Dominus illos constituit orbis doctores, & suos Apostolos, ita suo spiritu ipsos instruxit, ut suo officio & apostolatu responderint, & per omnia pares fuerint, ut ut ex se tanquam ex se omnium rudissimi essent. Hæc si meditentur, qui ad sacram accedunt mensam, recepturi sacrosanctam Eucharistiam, hoc est uerum Iesu Christi corpus in Eucharistia, sua uisissimam recipient consolationem, & placatum habebunt animum, expulsis scrupulis & controuersia de dignitate aut indignitate præsentis accessus, quæ multis frequenter laqueum iniicit.

## Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.

Posteaquam aquas sanctificauit, & baptizatus est Christus, mox alacer & festinans, ueluti peccatorum sarcina deposita (quam non habuit) ab aqua est egressus, docens post ablutionem, consecrata aqua, semel factam, neque in aqua morandum, neque subinde ad aquam siue baptismum redeundum, sed semel expulsis peccatis & sepultis in baptismo, properandum esse ad spiritualis uitæ munia. Quod & Iesus fecisse legitur, qui sublatis in cœlum cum oculis tum manibus, patrem orauit, ut hoc negotium seruandi genus humanum, felix ac faustum esset. Hic ascensus ab aqua confutat Manichæos, qui corpus phantasticum à Christo assumptum esse dicebant. Monstrauit se indubiè uerum corpus habere. Et qui descendit, ipse est qui ascendit.

Christo nihil fuit opus baptismi.

Christus quare baptizatus.

Ioan. 3.

Infr. 28.

Quam religiosum uoluerit Christus esse mysterium ac ministerium baptismi.

Deo obtemperandum, certò iubenti, quilibet inepti nobis uideamur.

Cõsolatio accessuri ad uenerabile Eucharistiæ sacramentum.

Iesus quare baptizatus, confestim ascendit ex aqua.



Et ecce aperti sunt ei cœli.

Mox ut ab aqua Christus ascendit, copiosa hominum multitudine teste, Pater Christo filio suo auctoritatem asseruit. In primis diffisi sunt cœli, prodigiosam ac admirandam quandam lucem ostendentes, demissam in terras. **Quemadmodum** & nato Domino in mundum, & angelis natiuitatem nuntiantibus lux quædam affulisse legitur. Nam claritas Domini (inquit Lucas) circumfulsit eos. Sed & in Transfiguratione Domini uiderunt Apostoli non spiritualibus, sed & carnalibus oculis vultum Christi splendere instar solis, & lucidam nubem obumbrare locum in quo erant. Adamus hos clauferat, quos aperit & tibi Christus dum baptizaris. Vnde significabatur ista cœlorum apertione, quod hic agebatur negotium, non terrenum esse, sed cœleste: non hominum, sed Dei: non fragile & leuiculum, sed diuina maiestate uerendum: adeoque ipsum Christum Dominum Deum esse profectum è cœlis, quanquam humilis tum per dispensationis tempus in terris uersaretur. Hæc apertio cœlorum non est fissura aut sectio substantiæ cœli, sed uisio diuinæ maiestatis, seipsam aperientis, ac palam exhibentis. **Quemadmodum** Ezechiel primo capite sibi apertos fuisse cœlos commemorat, quando uisiones uidit: Aperti sunt (inquit) cœli, & uidi uisiones. Et quum Stephanus diceret, Act. 7. Ecce uideo cœlos apertos, & Iesum stantem, &c. quid aliud intelligebat aut præsentibus significabat, quàm apertioem quandam diuinæ maiestatis reuelationem? Nam quemadmodum cæteris rebus corporeis cœli præstant, ita spiritalia per cœlos significata sunt & sedes Dei. Vnde quod nobis præter communem naturæ ordinem diuinitus datur, cœlitus demitti dicitur. **Nomine cœli quid significatur explicuimus in. 1. cap. Ioannis in eo uerbo, Videbitis cœlum apertum. Obserua. Lucas ait, Dominum post ascensum ab aqua, orasse, & mox cœlos fuisse apertos. Quo monemur cœlestes diuitias non nisi sitientibus & ex charitate desiderantibus eas donari, eoque semper orationi, qua à Domino bonum spiritum petamus, insistendum. Orabat certè Dominus non sua, sed astantium gratia: quemadmodum & quæ cœlitus ibi facta sunt, non ipsi, sed Ioanni & adstantibus seruierunt.**

Et uidit Spiritum Dei, descendantem sicut columbam, & uenientem super se.

Alio miraculo pater, filij baptismum honestauit, ac illius auctoritatem adseruit: nimirum conspexit Ioannes spiritum cœlestem uisibili specie columbæ è cœlo delabi, & Christi sacro uertici insidentem. Hoc miraculo significatum est, baptismum Christum maiorem esse Ioanne baptizante, ad tollendum errorem eorum, quibus persuasum erat, Ioannem esse Christum, & Iesu maiorem, hoc argumento: En aperte nunc uidemus (inquebant) non Iesum, sed Ioannem esse Christum, quia & ipse Iesus petit à Ioanne, tanquam se maiore, baptismum: sed has populi glorias & rationes contempsit Christus, & euitandas esse demonstrauit Spiritus sancti descensus. Hunc locum copiosè explicuimus Ioannis. 1. cap. Vidi spiritum descendantem sicut columbam, &c. uide, si iuuat, locum. Præter illic adnotata, uidetur hic locus alludere ad id, quod Genes. 8. cap. de columba legimus, quæ relato oliuæ ramo nuntiavit ipsi Noë pacem humano generi redditam. Ita & hoc baptismo & aduentu spiritus inaugurabatur Christus, ut gratiam patris orbi annuntiarer. Huc pertinet quod Esaias, 61. cap. scribit, Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut morderer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, ut prædicarem annum placabilem. Hac uisione columbæ uidetur simul ostensum esse, quid in cordibus Christo credentium operaturus esset Spiritus sanctus: nempe hoc ipsum, quod Christus infra, 10. cap. ait, Estote simplices sicut columbæ. Significatum est hac apparitione, qualis futurus esset hic Rex, quàm mitis ac benignus: deinde quos mores, quæ in-

Lu. 2.

Ei, qui baptizatur, cœlū aperitur.

Diffisi cœli Iesu baptizato quid significabant. Cœlos aperti, quid.

Cœlum.

Christo baptizato &amp; orati quod aperti sunt cœli, quid significat.

Columba delapsa è cœlo, &amp; uertici Christi insidens, restabat ipsum Ioannem esse maiorem.

Spiritus sanctus quare in forma columbæ.

genia habituri essent, per Spiritus sancti baptismum in Christo regenerati. Non uisa est species Aquilæ, sed columbæ. Columba simplex est & innoxia, gemens non clamorosa, sine felle, uictu innoxio, de frugibus terræ non de cæde uiuens, mansueta & amantissima: unde & Ecclesia in Canticis columba uocata est. Spiritus sanctus non generat coruos, & id genus animantia ex raptu uiuentia, sed columbas. Proinde qui baptizatur simplicitatem columbinam induit, nimirum Christum induit, autore Paulo, Galat. 3. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Iam qui Christum induerunt, filij Dei sunt, & Spiritu Dei donantur, agunturque, & per hunc charitate & simplicitate columbina adornantur: quibus licet spiritus uisibili columba has animi dotes non exhibeat, illas tamen interno afflatu & spiraculo exhibet. Vnde maximè piis obseruandum est, quod quæ uisibili signo uiris sanctis ac piis collata esse scriptura commemorat, in hunc uisum narrat, ut nobis persuadeamus, si Christiani sumus, & in Deum credimus, eadem etiam in nobis, si non sensibiliter, uerè tamen gerenda. Obserua. Duplitem missus siue descendisse dicitur Spiritus sanctus. In primitiua Ecclesia manifesta, ac uisibili specie missus est: quomodo hic ad Iordanem super Christum descendisse uisus est: super Apostolos item & alios credentes in specie ignis, ut legitur in Actis. Iste fuit primus descensus siue prima missio Spiritus sancti in primitiua Ecclesia: quam manifestis signis fundari oportebat, propter infideles, ut testatur Paulus, 1. Corinth. 14. Lingua in signum sunt, id est sunt uice signi, non fidelibus, sed infidelibus. At ubi congregata fuit ecclesia, & istis signis confirmata, non opus erat istam Spiritus sancti uisibilem missionem perdurare. Altera ergo missio dicitur, qua Spiritus sanctus per uerbum mittitur in corda credentium: de qua meminit Paulus, Galat. 4. Misit Deus spiritum filij sui in corda uestra. Hæc missio fit sine uisibili specie, quando uidelicet per uerbum uocale concipimus ardorem & lucem, qua alij & noui efficitur, qua nouum iudicium, noui sensus & motus in nobis oriuntur. Hæc mutatio & nouum iudicium, non est opus humanæ rationis aut uirtutis, sed donum & effectus Spiritus sancti, qui cum uerbo prædicato uenit, qui fide charitati coniuncta purificat corda, & spirituales motus in nobis parit, & licet non appareat coram mundo nos renouatos esse mente, & Spiritum sanctum habere, tamen ipsum iudicium, & ipsa confessio nostra, satis arguit Spiritum sanctum cum suis donis esse in nobis.

Et ecce vox de cœlo, dicens.

His (quæ narrata sunt) miraculis non contentus Pater, tertium addidit. Nam cœlitus demissa vox, audita est, non tantum propter Iesum Christum & Ioannem, sed potissimum nostra causa, nimirum ut & nos discamus, quomodo in dilecto filio Iesu Christo dilecti filij Dei efficitur. Vnde columba uenerat oculis conspicua, inde & vox paterna auribus adstantium insonans: quoniam neminem sensibus cerè hæc vox cœlitus demissa designabat, ne uideretur ad Ioannem pertinere, non ad Christum, qui adhuc per id temporis ignotus erat, huic additum est cœlestis columbæ uisibile signum, quæ capiti insidens, omnibus ceu digito demonstraret, ad quem hæc vox dirigeretur. Rogabit quispiam. Quid hæc tria tam prodigiosa miracula sibi uolunt? Respondeo. His tribus spectaculis confirmatur hunc Iesum esse uerum Messiam, de quo prædixit Esaias, 61. cap. Spiritus Domini super me, &c. quem paulò antè citauimus: hanc unctionem & missionem hoc miraculo significari testatur Dominus, Ioannis. 1. cap. Super quem uideris spiritum, sicut columbam, descendantem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Qui cum baptizet in spiritu, ergo Spiritum sanctum in manu habet: ergo Christus Deus. Secundo his miraculis declaratus est inchoasse publica sua doctrina, & factis, suum ministerium, propter quod è cœlo u-

Columbæ ingenium.

Eadem iam spiritus operatur in animis electorum, quæ olim sensibus corporis exhibuit

Vox Patris fit per Christum nostra causa audita.

Tria miracula quare super Christum ad fluuium Iordanem.



nit, & homo factus est. Haec enim non erat publico praedicandi sui Euangelij ministerio functus, sed priuatam apud parentes suos uitam egerat. Nunc his caelestibus signis auocatur à priuata uita ad publicum Euangelij officium, declaratus totius orbis, tam doctor, quam redemptor & Saluator. Hoc tempus quo cepit publicè docere expressit Petrus, Act. 1. cap. dicens, Oportet ex his uiris, qui nobiscum conuersati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis, &c. Ad hæc, hoc loco reuelantur tres personæ unius essentiae, Pater in uoce, Filius in persona baptizata, & Spiritus sanctus sub specie columbae: & baptismi autoritas confirmatur, ut credamus baptizatis praesto adesse Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Id quod postea Christus uerbis expressit, praecipiens Apostolis, baptizare omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quibus uerbis significauit, quod in baptismo Pater, Filius & Spiritus sanctus, ita praesto adsunt, ut eum, qui baptizatur, in gratiam suam recipiant, & cum ipso perpetuum foedus inaeant. Deinde hæc indicant tibi pio & baptizato Spiritum adeo adesse, ut audias uocem è caelo ad te missam, ac in te residentem, qua audita, clamas solida fiducia, Abba pater, & hereditatem Christi certo expectes, Roma. 8. Nam baptismus, ut Paulus Rom. 6. ait, communionem mortis & resurrectionis Christi adfert. Itaque spiritus ille sanctificator (qui in specie columbae descenderat) abesse in baptismo non potest, à quo certiores reddimur de adoptione in filios Dei, hoc est, quod Deus per Christum filium suum nos adoptat, & sumus filij eius. Obserua. Quemadmodum columba, licet à trinitate creata esset, solius Spiritus sancti signum erat: ita & uox solam Patris personam designabat. Nam soli Patri competit dicere Christo, Tu es filius meus: aut de Christo, hic est filius meus, &c. Huius uocis meminit Petrus, 2. Pet. 1. Accipiens enim à Deo Patre (inquit) honorem & gloriam, uoce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc uocem nos audiuius de caelo allatam, cum essemus in monte sancto. Repetita est hæc uox in monte Thabor, in transfiguratione Christi, ut scribitur Matth. 17. & Petrus testatur, ut diximus. Hac uoce nihil gratius ac iucundius. Antea sub patriarcha Noe audiebatur uox, Pœnitet me fecisse hominem: qua uoce quid magis triste? Antè sub Mose audiebatur in monte Sinai uox Dei, qua lex annuntiabatur. Sed illa uox iram Dei exprimebat, quam Deus propter homines conceperat. Vnde audiebantur tonitrua, & micabant fulgura, & omnino terribilis erat in eo monte aspectus. His signis & argumentis ostendebatur uox illa esse signum, non fauoris, sed seuerissimæ iræ. Antea prospexit Dominus de caelo super filios hominum, ut uideat si est intelligens, aut requirens Deum, sed ecce omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad uinum. At modò, o ter felicissimum seculum, in quo auditur uox de caelo, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Haec enim prospexi (inquit Pater) de caelo, & uidi filios tantum Satanæ: Nunc autem ecce hic est ipsissimus filius meus. Haec enim non reperi, quem diligit anima mea, Nunc autem, Ecce hic est filius meus dilectus.

## Hic est filius meus.

Cum hæc dicit, tantum Christum ostendit, nec alium, quem indicet, satis planum faciens, alium neminem, extra hunc dilectum, filium esse natura, non adoptione. Quod si alij non dilecti, filij sunt, certum est, quod sunt filij iræ & indignationis. Si qui sunt dilecti, in hoc filio unico dilecti sunt, & filij dicuntur adoptione. Particula, hic, Emphasim habet: quasi dicat, Praeter hunc non est inuentus, cui dictum sit, hic est filius meus. Demonstrant hæc uerba Christum uerum Deum esse, quemadmodum Paulus ad Hebr. 1. cap. ait, Cui unquam angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursus, Ego ero illi in patrem, & ipse

Baptizatis il-  
labitur Pater  
Filius & Spi-  
ritus sanctus.

In baptismo  
quantum gra-  
tiam Dei  
accipimus.

Vox Dei ad  
nos mortales  
longè alia,  
hoc est mi-  
rior iam, quàm  
olim sub Mo-  
se.

Filij dei, qui  
dam dilecti,  
quidam non

Christus, a-  
gnitus Deus.

ipse erit mihi in filium. Firmissimum est Christum his declarari, quod sit uerus, germanus, & naturalis filius Dei: quum hoc uerbum ad nullam unquam creaturam directum sit. Sed hic obseruare debemus, quod hæc uox, & tam insignis honor de Christo, propter nos dicitur, sicut Dominus in Ioanne. 12. cap. post auditam uocem, Et clarificauit & clarificabo. Dicit non propter se, sed propter nos editam fuisse: non enim indigebat filius, ut sibi diceretur, qui hoc ab aeterno nouit. Quare ad nos & commodum nostrum uox illa pertinet, ut toti inuigilemus ac enitiamur amare hunc unicum saluatorem, qui nos adserit à tyrānide peccati, mortis, Satanæ, & inferorum.

## Dilectus.

Hanc sententiam, Hic est filius meus dilectus, uult Pater omnibus hominibus notam esse, quod in ea sita sit illorum salus. Qui credit in filium (inquit apud Ioannem) habet uitam: Qui non credit iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Dei. Ergo declaranda erat hæc Dei dilectio, qua mundum usque adeo dilexit ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam aeternam: qua dilectione maius quicquid ac mirabilius nec terra uidit, nec caelum. Et hæc nobis Pater hac uoce caelitus demissa commendauit, cum dixit, Hic est filius meus dilectus. Quasi dicat, Quæ hic uobis misi, & in carnem uestram uenire feci, filius meus est, quæ unicè diligo: in quo uidetis, quod genus humanum diligam, salutemque illius sitam: nepe adeo ut illius gratia, ne filio quidem meo parca. Proinde uidete ut huic uniuos addicatis & adhæreatis, si salutem uestram ex animo queritis. Haec enim misi seruos meos Prophetas, sed contumeliosè repulso occidistis, propter quod uos poteram prorius abiicere. Sed ne quid omittatur, quod Deo salutem mortalium curanti competere possit, ecce mitto filium meum, ut uel hunc uereamini, & per fidem uiuam in illum, ab aeterno exitio seruemini. Quod si hunc contempseritis & in ipsa uestra permanere incredulitate perrexeritis, non est, quod expecteris posthac, ullam gratiam, per quam salutem consequi, & iram semper duraturam euadere possitis. Hunc sensum uerba paterni testimonij uidentur mihi includere. Agamus Deo gratias pro inexplicabili in homines charitate, qua nos ita complexus est, ut liberalissimè in nos suum & pretiosissimum thesaurum effuderit.

## In quo mihi complacui.

Hæc est methodus, qua ad Deum pertingimus. Qui cupit Dei patris gratiosus & charus puer euadere, per Christum hoc fiat oportet, & per hunc dilectum filium, qui in sinu patris est, in quem unum pater oculos figit, citra quem nihil probat, nihil acceptum habet, & quicquid illi placet, respectu huius filij placet. Tanto enim fauore, tanta gratia, tanta beneuolentia, tanto amore Deus pater filium suum Iesum Christum complectitur, ut propter ipsum omnes etiam eos, qui per fidem uiuam ipsi adhærent, beneuolentia complectatur, peccata eis remittat, ac in filios suos adoptet. Quotquot (inquit Ioannes) receperunt eum, dedit eis potestatem (scilicet, ut liceret illis) filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Vide quæ in eum scripsimus locum. Haec enim non fuerat, qui patris iram mitigaret, & patrem inuitaret ad reconciliandum sibi genus humanum. Ecce nunc hic est filius dilectus, in quo bene complacitum est patri, quem quoties aspicit, toties dulcissimo amoris affectu tangitur, & in tantum propitius ac placatus efficitur, ut omnis iræ & indignationis obliuiscatur. Hic est filius patris dilectus, in quo sita & comprehensa sunt omnia, quæ Lex & prophetae spirauerunt, & patri complacent in filio, qui omnibus satisfecit. Proinde qui uiam ad patrem affectat, operapretium est, ut huic dilecto filio ex animo adhæreat, & eius dorso se imponat, hinc ad patrem facilis erit aditus, ut Paulus ad Ephes. 1. docet. Quare quum iam fide uideam Christum Dei filium, patri per omnia unicè placere, & id uoce caelitus demissa

Omnia, quæ  
Christus egit  
& circa Chri-  
sti acta sunt,  
propter electos.

Dilectio &  
Charitas Dei  
erga nos.

Christus post  
seruos Dei à  
patre eadem  
missus.

Quantum nos  
diligat Deus  
pater in filio

Omnia no-  
bis per filium à  
Deo.

Fiducia in  
Christum.



maiestatem diuinam confirmasse, in quam nullum cadit mendacium, & ex quo intelligo Christum huc uenisse, qui meę salutis gratia omnia sustinet ac nihil non facit, ut me saluet, & certò scio, quæ agit, Deo placere & probari: ego fide & charitate me sub illius alas, hoc est, protectionem, committo, ut in eo reperiar: iam certior factus, quòd in eo repertus, gratus & acceptus sum patri, propter filium, in quo pater me uidet, qui & ipse omnia, quæ filij sunt, grata & accepta habet. Summo igitur studio conseruanda sunt hæc Dei uerba, quibus omnium hominũ corda exhilarat, & uniuersas creaturas, mero solatio & diuina dulcedine perfundit. Obserua, extra Christum nullum esse beneplacitum, nec ullum dilectum filium: sed meram iram & furores. Legito, si iuuat, quæ scripsimus in illos locos Ioan. 3. Pater diligit filium, & omnia dedit, &c. & Ioannis, 5. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, &c. Proderit hoc testimonium patris, de filio, cœlitus latum, ad cognoscendum, non solùm, quòd Christus sit filius Dei, sed etiam,

Filius cognitus per patrem.

quòd filius Dei esse à nemine queat cognosci, nisi per reuelationem patris innotuerit. Sic Christus infra, 11. Nemo nouit filium nisi pater. Et. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, &c. Ioann. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Proinde rogandus est Deus, ut cognitionem filij sui illustret in cordibus nostris. Secundò, ne quispiam fidelium malignam suspicionem

Filius non odio patris in has tenebras abiectus, sed suo patrisque amore erga nos.

de Christo, astu Satanæ tentatus, concipiat, quasi per indignationem patris in has mortalium detrusus sit ærumnas, ut qui illi detestabilis factus sit, sicut vsuuenit Angelo superbienti: vsus huius particulæ tam uehementi tentationi aduersatur. Hoc enim testimonio discimus, quàm unice hunc suum filium amet, & agnosci-

Scandalum crucis.

mus uniuersam Christi dispensationem ratam & firmam esse coram Deo patre: & omnes in Christum credentes dilectos esse Deo patri in dilecto filio, & quicquid in illius nomine petierint, absque dubio accepturos. Tenendum igitur est inconcussa fide, non solùm filium esse Dei Christum, sed dilectum esse patri filiũ, contra scandalum crucis, quod patiebantur Iudæi, dicentes, Si filius Dei est, liberet eum, si uult eum: hoc est, si amat eum. Caro nanque egrè credit fieri posse, ut filium suum Deus, quem diligit, in tantas calamitates, & tam insignem ignominiam maledictæ mortis tradat. Et ob hanc causam prædicatio crucis Christi mundo huic semper summa uidetur esse stultitia. Irrident enim, dum hæc audiunt,

Scripturis euincitur nos per Christum à Deo amari.

quòd non agnoscant *διδούκειν*, hoc est propensam beneuolentiam, & placatum animi affectumque Dei patris erga genus humanum. Non pigebit aliquot sententias afferre è scriptura, quibus docemur nos per Christum à Deo amari, & sine ipso repudiari.

Ioan. 1.

De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est.

Ioan. 3.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.

Ioan. 3.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Non enim misit Deus filium suum in mūdum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.

Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei.

Ioan. 3.

Pater diligit filium: & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioan. 6.

Hæc est autem uoluntas patris mei, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Ioan. 7.

Iesus clamabat dicens, Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me,

sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ, hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

9 Cùm autē benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundū misericordiā suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.

10 Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.

11 At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.

Sunt & multò plures aliæ sententiæ præscriptis non absimiles, præsertim ex Paulinis Epistolis, quas quiuis per se colligere potest.

## CAPITIS QVARTI

Epitome.

*Peracto ieiunio Christus vincit diabolum super panis, præcipitij, & adorationis tentatione, penitentiam prædicat, piscores uocat, & varios languores curat.*

## CAPVT QVARTVM.



VNC IESVS ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est, nō in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculũ templi, & dixit

ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi rursum Iesus: Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde: & ostendit ei omnia regna mūdi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dixit ei Iesus: vade Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruias. Tunc reliquit illum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Cùm autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, uenit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, terra Zabulon, & terra Nephthalim, uia maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris, uidit



lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis, Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in nauibus, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Et circumibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, uariis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secuta sunt eum turba multæ de Galilæa, & decapoli, & Ierosolymis, & de Iudæa, & trans Iordanem.

Tunc Iesus ductus est in desertum.



**H**inc (connectendi particula) hoc est, posteaquam Christus à Ioanne baptizatus, & descensu Spiritus sancti in specie columbæ, ac uoce paterna declaratus est, quis, qualisue esset: instaretque exordium dispensationis susceptæ, nec conueniret, ut ad ea, quæ hæcenus parentibus subditus exercuerat, rediret, statim ductu Spiritus, ad obeunda regni Dei negotia raptus est, & à turbarum oculis subductus in solitudinem, nullis habitata hominibus: unde Marcus primo capite ait, Erantque cœlestiis, & angeli ministrabant illi. Constat certè filium Dei uenisse in hunc mundum, ut opera diaboli dissoluat, hunc uincat, ac uictum nobis tradat supplantandum, ereptis ante omnia à potestate illa tenebrarum. Et quoniam nunc incipit Dominus noster mundi operari salutem, ab initio oportuit toti mundo, singulari specimine & exemplo, id est præsentis monomachia, palam ostendi, & ob oculos proponi, Satanæ, principis huius mundi, artes, per Christum detectas, & omnes uires ipsius cõtractas esse, uictumque; ipsum ac fugatum, Regi ac uictori Christo regnum & omnem gloriã reliquisse, ut nunc à diaboli potestate regni Christi ciuibus porro nullum sit damnationis periculum paratis certare. Pulchrè uerò salus nostra ac liberatio exordia sumit à tẽtatione in deserto. Nã in horto uoluptatis in ipso paradiso, à tẽtatione etiam cœpit miseria & damnatio nostra. Ergo quemadmodum in Adam omnes corrupti, à Satana uicti, & uincti propter peccata nostra in Satanæ potestatem sumus traditi: Ita per Christi spiritum restituti, per Christi uictoriam à Satana liberati, & filij Dei effecti sumus, ut iam nihil damnationis insit iis, qui insiti sunt in Christo Iesu Domino nostro. Aiunt hoc desertum situm esse inter Ierusalem & Hierico: cuius meminit Luc. 10. cap. Homo quidam descendit ab Ierusalem in Hierico, & incidit in latrones. Hoc autem subductu in desertum significatur, ubi à Deo in filium adoptatus fueris, proximum esse, ut mundo uale dicas, tẽtationum palestram ingrediaris (est enim uita hominis super terram militiam) & puram, hoc est homine Christiano dignam, agas uitam, tẽtationibus uariis expositam. Unde uigilandum semper & orandum est, ne tẽtationi consentias. Ecclesiã-

Christus quã obrem uenit in mundum.

Satanã oportuit uictum mundo exhiberi.

A tẽtatione omnis cœpit calamitas.

Rom. 8.

Adoptato à Deo quid statim faciendum Iob 7.

ffici, 2. cap. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore: & præpara animam tuam ad tẽtationem. Nam, ut in Christo discimus, quid baptizatus nobis præstet, remissionem scilicet peccatorum, & uitam æternam, ita in tẽtatione protinus succedente uidemus, quòdnam sit renatorum baptizatorumque, hoc est filiorum Dei, qui uidelicet creduntur coheredes Christi, officium, ut scilicet certamen instituant contra Satanam, & omnia eius consilia, contra regnum Satanæ: & mundi, ut sobriè, purè sanctèque (sicut filios Dei decet) reliquam, quam uicturi sunt uitam, transigant: nam hic est præcipuus casti & sobrii ieiunij finis ac usus. Summa igitur fide & diligentia uideat ille Christum pugnantem, ac uincentem: & obseruet quæ sint artes hostis Satanæ, quæ arma & insidiæ, ut in Christo certã habeat uictoriæ rationem aduersus Satanam. Quin etiam uideat uitam Christianam non esse lusum, iocum, & libidinofam licentiam, sed militiam grauem, & accuratissimam sanctæ uitæ custodiam, de qua re copiosius agit Paulus ad Ephes. 6. Obserua: post baptismum declaratus est Christus orbis doctor, & opulentus esset Spiritus sancti plenitudine. Qui, priusquam se officio prædicationis & uocationi suæ accingat, primùm tentatur & probatur: hoc suo exemplo docens, ne Neophytus, & imperitus (ut Paulus ad Timoth. & Titum docet) rem arduam, cuiusmodi est Euangelij prædicationis & administratio, aggrediatur. Sed primùm probetur, tanquam erudiendus: probatus, deinde alacriter negotium gerat. Solent Neophyti audaces esse, & magna præsumere, sed statim cadunt, & officium deserunt. Variis proculdubio præludendum est tẽtationibus, his qui in publicum prodituri sunt, & aliis præficiendi. Desertus locus, tẽtationi commodus est, cum propter spiritalem uitam, quæ commodius in deserto ducitur: tum propter solitudinem, uiris spiritualibus amicam, quos in primis solet Dæmõ tentare, & solitarios insidiis appetere, propterea quòd hos ita subegisse mundum uideat, ut nihil superstit aliud uiris his piis & solitariis, quàm ut contra illum prælientur. Posteaquã baptizati sumus, emittimur in mundum, solidum profectò desertum. Qui (rogo te) quid aliud est quàm desertum, immanissimis feris ac crudelissimis Satanis plenissimum? Verè feras dici putauerim, homines impiissimos, quos iure dixeris uros, lupos, vulpes, leones, tigrides, pantheras, & id genus alias bestias. Leonem uocat Paulus Neronem, similiter & Petrus, imò & dæmonem dicit leonem, qui circumit, tanquam leo rugiens, quarens, nunc hæc, nunc alia tẽtatione & afflictione, quem deuoret. Christus itaque post baptismum uolens secessit in desertum, ut ab immanissimo Satana tentaretur, hoc est, propter nos tẽtationes pateretur, & eas tum nobis uinceret ipse, tum, nos quoque per ipsum uincere disceremus. Unde non tantum exempli causa tentatus est, sed & in hoc, ut per hanc uictoriam nos uinceremus. Omnes enim uictoriæ, omnes triumphi Christi omnium creditum in Christum sunt. Atque ut nemo ullum genus insidiarum uitare potest, nisi uicisset Christus: ita nos modò uincimus, non nisi ipso uictore. Nam Christus sese nobis donauit, ut præsto sit auxilium, quoties anxij & solliciti poscimus. Obserua: hæc lectio in solennis ieiunij principio (quod per diès quadraginta indictum hæcenus fuit, & à tempore Apostolorum ad nos usque deriuatum est, & religiosè obseruatum.) ideo legenda proponitur, ut commédato Christianis ieiunio Christi, & exemplo prouocentur ad imitandum (quantum fieri potest) spiritali uia, Christum, & religiosius id obseruandum ieiunium, quòd facilius carnem cum uitiis & concupiscentiis eius crucifigant. Summa igitur diligentia legenda obseruandaque est hæc monomachia Christi cum principe mundi Satana: similiter uictoria atque triumphus uictoris.

A Spiritu.

Petit Christus solitudinem & desertum, ductu, non alterius, quàm suo ipsius spiritu. Tanto enim spiritus feruore accensus fuerat, ut nihil aliud cogitaret ac spiritum.

Baptizatorum officium.

Ieiunij Christi finis ac usus.

Vita Christiana, quid.

Neophytus & rudis ne Euangelion prædicet.

Desertus locus & tẽtationi & uiris spiritualibus commodus.

Quare uiris piis & solitariis Dæmon præcipuè infestus.

Mundus, Dæmonium, Bestia.

Christus quare tentari uoluit.

Victoriæ Christi, nostra est, & nostra uicissim ipsius est. Quadragesimæ ieiunium.



raret, nihil aliud meditaretur ac conaretur, quàm ut officium Messiae publicè inchoaret, ut rectè dicatur à Luca, reuersus Christus à Iordane, plenus Spiritu sancto. Qui Spiritus mouens ipsum ad capeffendum suum officium publicum, subduxit eum antea in desertum. Porrò qui baptizatus est, iam mudo uale dixit, carnales exiit affectus, & factus regeneratione spiritualis, Spiritus sancti ducitur & agitur arbitrio. Roma. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: cui si se permittant filij, nihil accidet eis, quod non cadat ex sententia, & in gloriam Dei. Obserua, quòd Christus suo spiritu ducatur statim à baptismo: non redit domum nutritiam aut natalem, sed exemplo ueterum prophetarum solitudinem & nemonum deserta petit, significans tyronis Christiani animum secessu uegetari, & esse longè aliquando tutius, feris sese committere, quàm hominibus. Homo enim homini (ut est in adagio) quandoque lupus est. Obserua. Scriptura passim usurpat Spiritum, Spiritum sanctum, Spiritum Dei, & spiritum Christi pro eodem.

Vt tentaretur à diabolo.

Exercitium & fructum ieiunij & tentationis Christi adducit Euangelista. In deserto subductus fuit: tentari enim eum oportebat. Luc. 3. Et agebatur à Spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Sed quid auditur, tentari eum oportebat? Nonne Christus filius Dei est? Nonne Deus ipse est? An potest Satan aliquid contra Deum? Nonne etiam de Spiritu sancto Christus conceptus est? Quid ergo iuris habet in eum, qui Spiritu sancto plenus est? Respondeo. Iesus Christus, uerus & naturalis Deus est, & hominem ita purum à peccatis assumpsit, ut nihil iuris Satan in eum habere potuerit. Et quanquam in diebus carnis suae omnia pro diuina sua maiestate, & potètia, semper agere potuit: tamen nostri gratia seipsum humiliavit formam serui accipiens, & in similitudinem hominum factus, habitu inuentus est ut homo. Ad Hebr. 4. capite, Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Hæc docent Christum non fuisse natura obnoxium tentationibus Satanæ: sed eas assumpsisse uoluntariè, hoc est, ex uoluntate patris & sua, sui que spiritus, hoc est, Spiritus sancti uocatione. Vnde propter nos coniecit se uoluntariè in nostras imbecillitates: atque in his sese præbuit Satanæ non aliter tentandum, quàm homo infirmus tentari solet à Satana. Sicut & quòdo à Iudæis cruci affixus est, seipsum permisit tractari, ueluti derelictus esset à Deo. Cur ita? ut aduersus omnem Satanæ & mundi tyrannidem præliatus, & uictor factus, ostèderet, quàm potens sit nos seruare ab illis, quòdque possimus per ipsum aduersus omnem tentationem uictores euadere. Ductus est à Spiritu sancto in desertum, ut tentaretur, securus de uictoria. Vnde monemur, ut nemo priuata sua temeritate sese in pericula tentationum coniciat. Nam, ut inquit Ecclesiasticus, Qui amat periculum, peribit in illo. Ex nobis sufficientes non sumus tentationes superare. In cas igitur non licet, ut coniciamus nos, nisi uerbo certi simus, & uocatione Dei, quòd illis nos committamus. Quoties autem euenierint, Deum inuocemus adiutorem, qui non sinet nos tentari supra id quod possumus, sed dabit cum tentatione prouentum, ut possimus sufferre & uincere. Nolum consulere, ut hostem, nostris freti uiribus, prouocemus ad pugnam. Sed hoc summoperè necessarium est, ut pietati studentes, in timore Domini cauti simus, bene armati & uigiles, ut si quando nos adoriatur tentator, gratia Dei muniti, fortiter illi in fide Christi resistamus: semper interim orantes, Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Solet Satan tentare, quos uidet regno suo renuntiasse, & ad regnum Dei aspirare: reliquos autem agit quocunque uult, 2. Timoth. 2. Pij uerò Spiritu Dei ducuntur, & mundo uale dicunt. At enim quotus hodie quisque est, qui tètari se à Satana sentiat? Pleno impetu curritur in om-

Secessus nonnunquam salutaris. Homo homini lupus.

Qui potest aut audeat Satanam Deum tentare.

Phil. 2.

Christus se tentationibus obiecit.

Nemo ex seipso coniciat se in pericula tentationis.

1. Cor. 10.

Hostem ne adorare, sed repelle.

Vnusquisque sibi hodie tètator & Satanas.

nia scelera. Tentationem Satanæ experiuntur ac sentiunt hi, qui pietati student. Porrò tentare est experiri, periculum facere, atque explorare rem, quòd, quid ea ualeat, cognoscatur, ut tentare uires. Ita legitur Deus tentasse Abrahamum; non quòd ignorauerit qualis erat Abraham: sed experimentum aliquod clicuit, unde cognitus est Abraham, quali scilicet studio & amore in Deum fuerit. Rursus tentare significat impellere, & occasione oblata, in præcipitiū atque grauem ruinam trahere: ita uerò tentat diabolus, non autem Deus, qui est intentator malorum, Iacob. 1. cap. Proinde tota hæc historia uersatur circa doctrinam & exhortationem. Ad doctrinam facit, ut discamus Christum, hoc suo ieiunio, fame, tentatione & uictoria contra Satanam nobis profuisse, nostramque salutem procurasse. Quid istud est? Iudubiè scito, quòd quicumque in Christum crediderit, & ex charitate ipsum amplexatus fuerit, nunquam ea ducetur egestate, aut tentatione affligetur, qua pereat. Sed potius bonis etiam in media egestate abundabit, & in medijs Satanæ insultibus erit tutus, eò quòd caput eius, Dominus Iesus Christus, hæc omnia pro ipso uicerit, cuius fide est certissimus ex uerbo eius. Ioan. 16. In mundo (inquit) pressuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum. Quæ enim fide uidemus à Deo uiris sanctis, etiam miraculosè, collata beneficia, eadem Dominum nobis collaturum diffidere non debemus, si illis indiguerimus, & spe charitati iuncta durantes, illa expectauerimus. Spes non confundit, Roma. 5. cap. Deinde hinc exhortamur, ut hoc exemplo Christi, famem & tentationem, aliasque necessitates (quando contingunt, & ita res postulat) æquo animo, in gloriam Dei, & proximorum commodum, perferamus, nos proximis exhibentes, qualem Christus se nobis exhibuit. Rogabit quispiam: Quid est duci in desertum? Istuc paradiigmate faciliè monstrabo. Cùm incumbit & tibi & tuis parere alimoniam, & non est uel teruncius, nihilque domi forisue esse prospicis, imò non sentis quicquam ab ullo homine auxiliij affuturum, & nihil præsidij prorsus potest ab aliquo expectari, hoc est, te agi in desertum, & te relinqui solum. Tunc in palestra fidei uersaris: tum sentis quàm frigidæ, imò nihili sunt res humanæ, quàmque nihil possis ex te ipso. Superest unicum suffugiū, Deus, qui solus te in hac palestra tentationis constitutum ab his ærumnis liberare potest. Obserua: hæc particula, ut, non solum consecutionem, hoc est rei consequentiam & effectum (sequutura enim erat deserti locum ipsa tentatio) sed etiam causam denotat. Quemadmodum enim Christus uenit in mundum, ut uolens pateretur, & cruci affigeretur: ita in desertum à Spiritu sancto uoluntarius subductus est, ut tentaretur. Nam neque tentari, id est, persecutionibus affici, neque pati, malum est: utrumque certè pro nobis Dominus uolens subiit. Proinde cùm malitiosus ille calumniator tam inuidus humanæ salutis, quàm Christus est auidus, miris cuniculis & insidijs sollicitus, ut à Christo deficiamus, ut maiore tyrannide nos relapsos occupet, quàm antea, dominus Iesus sua immensa bonitate aduersus hunc callidum ueteratorem, triplici antidoto occurrendum potissimum demonstrat: frequenti & pura ac pia oratione, secessu à turba, fuga luxus, & abstinentia ac ieiunio. Quibus commodissimum erit crebram ac diligentem diuinarum scripturarum meditationem addere, ne perniciè adferat ignaua solitudo. Obserua. Diabolus Græcis *δίαβολος*, propriè significat delatorem siue calumniatorem, suaforem noxium, & qui alteri malum querit, à uerbo Græco *διαβάλλω*, quod est deferre, traducere, siue infamem reddere. Certè diabolus talem criminatorem sonat, ut qui, cùm ipse sit omnium peruersissimus, omnia rapiat in deteriorem partem. Dicitur Satan, id est, aduersarius. Et quia ueterator ille spiritus, nusquam non aduersatur nobis, ac pessima ubique suadet, tum etiam ad ultionem nos postulat, peculiariter & per Antonomafiam diabolus similiter & Satan uocatur. Si desideraueris huius studia cognoscere legito Iob. 1. 2. & 40. capite. Certè totus in eo est, ut nobis aduersetur, & noceat. At consolato-

Tètare, quid.

Tètavit Deus Abraham quomodo.

Satanas quomodo tentat.

Verbum, consolationis plenissimum.

Deus suos nunquam neque deseruit neque deseret.

Toleranda æquo animo omnes molestiæ exempli Christi.

Duci in desertum, quid.

Triplex antidotum nobis aduersus Satanam à Christo exhibitum.

Satan.

Satanæ studia.



rium est omnibus, qui tentantur, credere aduersitates nobis inflatas, esse opus à Deo permiffum, & non esse citra eius uoluntatem. Deinde certò sciamus, quòd dæmon, ut ut infidietur, nihil iuris habet in nos, nisi Deus permittat, qui nò permittit nos tentari, supra quàm ferre possumus. Obserua, Deum nò tentare ad malum. De huiusmodi tētationibus legito (si iuuat) quæ scripsimus in .i. cap. Iacobi.

Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Alludit quod fecit Christus ad ieiunium Moyfi & Eliæ, qui Christum adubrârunt. Moses antequam legem à Domino acciperet, procidit in monte ante Dominum, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens. Et Elias reginam Isabellam fugiens, & de salute Israëlis horribiliter tentatus, antequam à Domino amandaretur, uncturus Asahel in regem Syriæ, Israëlitis autè Iehu in regem, & Helisæum in prophetam, 3. Reg. 19. quorum ministerio tota rerum facies in regnis istis ferè mutata fuit, ambulauit ieiunus quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Christus igitur Mosem & Eliam referens, priusquam legem uitæ, id est Euangelium orbi inuulgaret, atque omnia innouaret, quadraginta diebus nihil humani cibi sumpsit, & ab hominum consortio secessit: qua re demonstrauit se Mosè & Elia nihilo inferiorem, neque ad minora destinatum. Hoc ieiunium Christi, Moyfi & Eliæ non fuit naturale, sed miraculosum, nimirum quòd inedia post septimum, aut ad summum post undecimum, naturaliter letalis est. Opus Dei est stupendum, & admirabile, non humanis uiribus, nec vulgaribus, sed specialibus donis Spiritus sancti editum. Quod nobis dum proponitur, certè non ut imitandum siue faciendum, sed ut admirandum ob oculos ponitur, ut hoc audito Deum celebremus, & pro modulo nostro iuxta matris Ecclesiæ, quæ ueritatis columna & firmamentum à Paulo dicitur, præscriptum ieiunemus. Legimus in Euangeliis & apostolicis epistolis ieiunium esse præceptum citra temporis determinationem: quam præscribere potest Ecclesia, quòd huic certò præsit spiritus ille, qui in desertum subduxit Christum ad ieiunandum, & ut tentaretur. Obserua. Semper ita tibi ieiunandum est, ut nunquàm non ducas sobriam uitam. Multiplex reperitur ieiunium. Est ieiunium, quod spòtè suscipitur, quod laudatur à Paulo, 2. Corinth. 6. cap. Est & ieiunium, quod in mandato est, & hoc excipiunt filij obedientiæ, cùm nemini laqueus sit. Hoc enim si ferre non potes, quis dixerit te illo uinctum esse? nemo certè: imò ipsa Ecclesia præcipiens, ab illo te immunem (dum te ad hoc impotentem cognoscit) declarabit. Est ieiunium, quod non spontè eligitur, sed à Deo imponitur, cùm uidelicet fames immittitur, aut celo ocluso ac terra obdurata, aut bellicis tumultibus omnia uastantibus. Eiusmodi quidpiam accidit Abraham & Isaac. Item Israël in solitudine constituto, præterea & temporibus Eliæ. Ad hæc & Samariæ, 4. Reg. 7. In hoc ieiunio opus est insigni fide & patientia, quam præstitit Paulus in simili negotio dicens. 1. Corinth. 4. Usque in hanc horam (inquit) & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Hoc ieiunium magna est tentatio, in qua qui patienter durat & fidei palæstram ex animo sustentat, fructum consequetur copiosum, in media inedia saturitatem: & in inopia, diuitias sentiet. Hæc egestas aut inopia & tentatio nobis quærenda non est, ultro ista aderunt, ac tempèstiuè. Hoc solum nobis curandum est, cùm à Domino istæc immittentur, ut fortiter ea perferamus. Perferemus autem, si Christo fide uiua adhæserimus, & ex animo hunc obsecrauerimus qui adiutor est in opportunitatibus, & suos derelinquere non nouit. Colligamus ex superioribus, aliquod esse ieiunium, quod certis causis cum luctu & animi humilitate ad flectendum iram Dei sumitur, & ubi uisum fuerit, finitur. Hoc genere ieiunij usi sunt ueteres. Primò, si qua clades erat accepta, ut Iudic. 20. 1. Reg. 31. Deinde si qua erat præforibus, ut 2. Paralip. 20. Ester. 13. & in historia Nini-

Mosis & Eliæ  
ieiunium.

Inedia qua-  
dragenaria,  
miraculum.

1. Timo. 3.  
Ieiunium præ-  
ceptum.

Ieiunij tem-  
pus & modus  
præscribit  
Ecclesia.

Quod ieiunium  
debet esse  
Christiano  
perpetuum.

Ieiunium mul-  
tiplex.

Ecclesia, sicut  
nec Christus,  
nulli laqueum  
nectit.

Ieiunium in  
fame, morbo  
bello, &c.

Ieiunium spon-  
taneum.

uitarum. Tertio, si peccatum fuerat, ut. 1. Reg. 7. 3. Reg. 21. Neemia. Danielis. 9. Ad hunc autem modum sese gesserunt, solenne celebraturi ieiunium. Conuocatur populus per seniores Ecclesiæ ad lugendum & orandum: indicebatur ieiunium, ita ut & animantibus aliquando cibus sit negatus. Abstinebant ab omni cibo, luctui toti, fletibus & precationibus dediti, confitebantur peccata sua, & ut dolorem cordis testarètur, faccis induebantur, iacebant in puluere, cinere capita aspergebant, incurui ingrediebantur, huius ieiunij imaginem uidere est psal. 34. Est & alterum ieiunij genus, quod non ultro accersitur, sed à Deo, ubi uisum fuerit, imponitur: ita ultro etiam non abiicitur, sed per Dei misericordiam tollitur. Est & alterum genus ieiunij, quod ad carnis castigationem assumitur, & est instar medicinæ, quod semper est seruandum, ut paulo antè diximus. Et de quo uide Chryso. Tomo. 4. homilia. 3. Porro uiri magna autoritate pollentes, de mysterio numeri quadragenarij, quòd multis Domini operibus celebris factus sit, disseruerunt. In primis diuus August. similiter Chryso. Tomo. 4. Ter quadraginta annorum dedit Dominus spatium ad respiciendum mundo, priusquam, tempore Noe, diluuium humanum genus disperderet, Genes. 6. cap. Quadraginta postea dies inundauit diluuium. Decies quadraginta annis peregrinatus est & seruiuit populus Israël in Aegypto: quadraginta annis Israëlita circumducti fuere in deserto. Moses semel atque iterum quadraginta dies apud Dominum pro lege recipienda absque cibo mansit, Exod. 24. & 34. Elias quadraginta dies ambulauit usque ad montem Dei Oreb. Ezechiel quadraginta dies dormiuit in uisione super latus dextrum, assumpta iniquitate Iuda, Ezechiel. 4. cap. Quadraginta diebus Ionas euertèdam Niniuem prædicauit. Quadagesimo die Iesus in templo oblatu est, Luc. 2. Quadraginta diebus approbauit Christus discipulis suis resurrectionem suam. Quadagesimo anno post passionem Domini ultio per Romanos apprehendit Iudæos, autore Egesippo. Ex his colligimus quadragenarium numerum, sacrum ferè habitum præparationi atque peccatorum expurgationi. Hunc numerum ieiunus Dominus in deserto impleuit, præparans genus humanum regno cælorum seque accingens ut orbi Euangelium annuntiaret, & salutem adferret, id est peccata remitteret veteris uitæ pœnitentibus, ac in terram sanctis promissam, exercitatos aduersus huius mundi technas & delicias, induceret. Obserua. Quemadmodum omnis peccati principium delitiæ: ita fortissima & singularis armatura aduersus tentationes, est ieiunium, quod orationi iunctum nihil non poterit aduersus omnes etiam fortissimos terribili dæmonis arietes.

Postea esuriit.

Christus manifestam humanæ imbecillitatis naturam ostensurus, non dissimulauit se famis molestiam sentire: uehemens enim cibi inopia stomachum molesto sensu aded cruciabat, ut seipsam uehementer proderet: unde magnam aggrediendi Christum, & ad illum accedendi occasionem diabolus accepit. Hieronymus ait, Permittitur autem esurire corpus, ut diabolo tentandi tribuatur occasio. Quia ergo Christus subductus erat in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo, oportuit adesse occasionem tentationis. Hæc ipsa fames, & quia Christus incipit esurire, & uideretur ipsi Satanæ destitutus præsidio, ideo accedit nunc Satan, & sperat se tentando iam posse aliquid efficere. Disce hic quo potissimum tempore adesse soleat tentator: tum scilicet, quando deserti ad tempus consolatione uerbi, proici-

Et accedens tentator.

Vbi primum insidiosus ille tentator, sensit Christum esurientem, statim uario & fortissimo ariete ipsum petit: arbitrans se facile uictorem illius fore, quem nihil esse, nisi hominem, licet admirabilem, suspicatur. Hoc exemplo agnosce tenta-

Ritus in ieiunio, quoties indicebatur ad eladem auerricandam.

Numeri quadragenarij mysterium.

Christus quare 40. dies ieiunauit.

Ieiunium, ubi ualentissimus ad frustrandos diaboli conatus.

Penuria rerum necessariatū diabolo illex est ad tentandum.



toris insidias, obseruantis tentandi opportunitatem, & aggrediendi filios Dei. Intra 40. illos dies, quum nullam adhuc Christus sentiret esuriam, non accessit ad tentandum tentator: sed tum primùm accessit, quum intelligeret eum esurire. Non enim uidebatur esse tentationi locus in eo, qui non comedens, non esuriebat.

Diabolus passionum nostrarum & affectionum obseruator maximus.

Vbi uerò esuriam cepit pati, quæ alioqui (ut ille ait) maleuada est, & famelicum ad impatientiam sollicitat, tum demum, ut maleuadæ fami uires adderet, & ad impatientiæ partes accederet, tentationibus suis esurientem adoritur. Ita credibile est & Heram primam generis nostri parentem non aggressum esse tentatorem, nisi cum obseruasset illam delectari uetiti pomi aspectu. Erat enim delectabile aspectu, Genes. 3. deinde & de uerbo Dei non nihil dubitare. Dicebat enim, ne fortè moriamur, cum à Deo non audisset, ne fortè moriamini, sed, Quo die de illo comederitis, morte moriemini. Vbi ista animaduertit pessimus consultor, & uersutissimus tentator, alioqui etiam nutatem, confidenter accessit ac tentauit. Ad hunc modum mœstos & afflictos animos, quos ad desperationem alioqui animaduertit esse propensos, ut desperent, sibi que ipsis manum inferant, sollicitare solet. Hoc pacto & eos, quos intelligit desyderiis prauis, & corruptis teneri, tentationibus suis ad hoc impellere solet, ut libidini & prauis affectibus obsequantur. Sic callidissimus hostis tentandi occasiones ex nobis ipsis uenatur, ut iam non solis ipsius tentationibus ad peccatum sollicitemur, sed propriis etiam affectibus tentatoris conatus prouehamus, non solum externè per hostem, sed & internè domestico malo impugnati: de quo est illud Iacobi. i. cap. Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Mirificam consolationem & fidei confortationem contra fœdum & incredulum uentrem, semper queritantem, nūquam quietum, implacabilem, nullas aures habentem, & ob id inexorabilem, & dilationis impatientem, habet præsens lectio, qua fideliter & diligenter perpenfa, non mediocriter nostra erigitur conscientia & corroboratur, ne solliciti simus pro uictu: sed uentrem, ut ut clamitet & queritetur, contemnamus & solida fiducia confidamus, Deum nobis uerbo eius adherentibus & nostram uocationem fideliter sequentibus, affatim semper necessaria suppeditaturum. Quomodo autem hæc uictoria aduersus hanc gastrimargiam, & quemuis alium tentatorem nobis contingeret, hoc Christi exemplo satis expressum est. Diabolus singulari Antonomafia tentator appellatur, eo quòd siue praua suadeat, ut hic Christo, siue aduersis affligat, sicut afflixit iustum Iob: per ipsum huiusmodi molestias nobis infligentem, exploramur, & manifestum sit, an Deo credimus, uel minus. Tentare enim est de aliquo experimentum sumere. Hoc nominis habet Satan as ab eo tempore, quo genus humanum in primis parentibus insidiosa tentatione morti reddidit obnoxium. Ut sciamus nobis esse contra illius tentationes diligenti & irremissa cautione uigilandum. Ad hanc cautionem diligenter hortatur Paulus. i. Corinth. 7. Ne tentet (inquit) uos Satan as. Et. i. Thessal. 3. Ne fortè tentauerit uos, is qui tentat. Disputatum est ab aliquibus de accessu diaboli, uidelicet, Num Satan externa forma ad Christum accesserit, quemadmodum homo ad hominem accedit, an inspirarit interno consilio has tentationes. Vox accedens, insinuat motum quendam progressiuum, unde opinor Satanam sub specie humana accessisse, ut tentaret. Satan enim interdum humanam formam assumit, quemadmodum factum legimus de bonis angelis. Qui licet interdum spiret interna consilia absque externa apparitione, non tamen id factum est Christo ab ipso Satana. Sed solum quas hic uarias narrat tentationes Euangelista, externæ fuerunt. Perfectus enim erat Christus, quem dedebat internas cogitationes, aut motus siue phantasiæ, siue sensus aduersus spiritum habere: passiones enim ad peccatum illices non admittit, ut ut infirmitates nostras assumpserit. Exteriores enim suasiones ad malum audiuisse non indecè erat, quas audiuit ut uinceret, & uictor nos easdem uincere doceret. Superbus ille ten-

Occasiones tentandi nos ex nobis ipsis sibi sumit tentator.

Aduersus tentationes & questus uentris consolatio.

Diabolus, quare tentator simpliciter dictus.

Christum tentaturus Satan as hominis formam induit.

Tentatus Christus solum ex-  
trinfecus.

tator, si quod iaculatur telum, si hamum mittit, aut rete parat, iis præsertim, qui uidentur ad summa tendere, semper inanis gloriæ illecebra inescatum erit: id quod manifestum fit his tentationibus, quibus Christum tam insidiosè petiit. Ex ordine autem tres commemorantur tentationes, iuxta præcipua illa tria, quæ mundus suscipit, & admiratur. Primum est, uictus & diuitia. Secundum, gloria & honor. Tertium, maiestas & sitis dominandi. Huc pertinet, quod vulgò iactatur distichò:

*Ambitiosus honos, & opes, & amica voluptas,  
Hæc tria pro trino numine Mundus habet.*

Propter hæc enim in hoc mundo, laboratur, sudatur, algetur, uigilatur, curritur & recurritur. Obserua. Tentatoris partes sunt, non solum, ut exploret & sciat, quales sumus: sed etiam conatur, ut id, quod molitur, faciamus. Molitur autem nos à fiducia in Deum Christum abducere, qua ablata, succedunt mala omnia. Si autem hæc tentatio non procedit foeliciter, conatur ad falsum uerbi intellectum abducere, ut sub prætextu malè intellecti uerbi tentemus Deum. Et si neque hac tentatione aliquid proficit, tandem incipit molestare cura & studio opum, gloriæ & potentia, quarum rerum amor quia natura inhæret nobis horribiliter, fit ut hæc postrema tentatio plerunque periculosior cæteris sit.

Dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

Horrore plenum est, Christum tentari à diabolo: At solatio plenum est, diabolum uinci, & Christum uincere. Primo itaque congressu Satan Christum adoritus, sollicitudine de uentre, & *amisiq*, id est diffidentia benignitatis diuinæ, ipsum tentat, cupiens efficere, ut de bona erga se patris uoluntate addubitet: Nam esuriam ad occasionem rapit, ac per ipsam, suspicionem ei iniicere conatur; Patrem ipsi male uelle, qui sic illum affligat fame. Si filius Dei es, Vastrum Satanæ commentum est, quo Christus si tentatori nõ obtemperet blasphemus esse, & gloriariam Dei negare uideatur. Ita nomen Dei, malis Satanæ conatibus prætexitur. Quasi diceret, Tu fidis te habere patrem Deum, hac uoce audita, hic est filius meus: Confide Deo, & interim negligere pinfere panes: sustine, donec assa columba in ostuum inuolet: age modò, & prædica te Deum habere, qui pro te sollicitus sit. Vbi iam est tuus ille cœlestis Pater, cui tantoperè curæ es? An non pulchrè te deseruit? Ede, bibe, & saturare iam, ista tua fiducia in ipsum, & ipsius sollicitudine erga te. Et uideamus, quàm sis futurus satur. Bene res se haberet, si lapidibus istis uelcereris, & latrantem uentrem comperceres. O bellum Dei filium! ò egregiam patris erga te curam! Ne frustulum quidem panis mittit, uerum, in hoc deserto, inter cruentas bestias, patitur ille te fame perire. Iam, & adhuc dicit te Dei filium, & ipsum tuum patrem. Si filius Dei esses, non uidereris derelictus: quoniã scriptum est, Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Eliæ coruus panem, & Danieli in carcere Abacuc ministerio angeli prædium suppeditauerunt. Si tantus es, ut sis filius Dei, conuerte hos in panem lapides, testare aperto factò te esse Dei filium, qui Deo curæ sis, quem Deus nutrire uelit, ut agnosca quis & quantus es. Scit diabolus, quòd sola diuina potentia hoc possit, ut solo uerbo lapidem in panem conuertat. Simili prorsus arte hic Satan as Dominum in cruce pendentem, per suos adortus, tentauit, atq; dixit: Si filius Dei es, descende de cruce: si Rex Israël est descendat nunc de cruce. Ex consequenti præcedens colligunt negatiuè: Quia affixus cruci affligeris instar latronis, & nõ descendis de cruce, colligimus apertè, te non esse Dei filium, sed impostorem, qui commetitas luis pœnas. Quod ergo subiungunt, Cõfidit in Deo, liberet eum nunc, si uult, per Sarcasmon & ironiam obiciunt. Hæc sunt iacula quæ aduersus Christum tentator iaculatus est, quibus non solum Christum tentauit, sed etiam pios omnes, & Christo ex animo adherentes, petere & tentare solet. Proinde cum diabolus uideret Christum esse hominem eximium, qui ad crassiora illa peccata, cuiusmodi sunt

Tria numina Mundi.

Tentator omnibus primùm in hoc machinas admouet ut à fiducia in Deum nos abducatur. Ordo tentationum Satanæ.

Vastrum tentatoris commentum aduersus Christum.

Tentatio perfectorum.



comestiones, uoracitas intempestiua, ambitio, & alia huiusmodi, non possent facile pellici, aliud teli genus parat, ipsoque illum aggreditur, quo olim praestantissimos sanctitate uiros adortus fuerat, praesertim qui ad summa tendere uidebantur. Nimirum conatus est Christum deturbare ab ea fiducia quam putabat illum concepisse, audito illo elogio, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Eo innitebatur tentator, quod uideret externam Christi speciem, hoc est humile & abiectam, tanto elogio minimè respondere. Pensabat ille tentator apud se, si Christum ab illa fiducia deiecerit, facile se ipsum ad quauis mala pertracturum. Non multum dissimili iaculo primos parentes est adorsus, à quibus fidem & obedientiam uerbi illius, quo Dominus fructum ligni scientiae boni & mali, ut noxiū, uctuerat, extorquere laborabat. Vnde mendax ille & dolosus insidiator dicebat: Nequaquam morte moriemini, sed eritis similes Deo: conatur suadere Deum mendacem, se uerò ueracem. Hinc consequutum est, ut Adam & Heua iuxta suasionem Satanæ putantes Deum seipsis inuidere felicitatem, quantam consequerentur si de uetita arbore comederent, diffisi sint Deo, & fiderint Satanæ: & hac diffidentia deturbati sunt à paradiso. Simili peccato diffidentiae & insidelitatis tentauit Moysen & Aaron, quos de uerbo Domini subdubitare fecit, apud aquas contradictionis, Numer. 20. cap. Porro ad hoc tam ferox tentatoris iaculum nos praemuniuit Petrus dicens, Cui resistite fortes in fide. Nunc famis & esuriei occasione, quemadmodum & olim erga primos parentes Satanæ est usus, inquit, Filium Dei te putas, & grātia de te meditaris, ob illam eximiam uocem, Hic est filius meus dilectus, &c. atque quod ad Ioannis exemplum praedicabis, & orbi te reformatorem obiicies. Sed quum hæc te ipso maiora sint, audi me: quod si audieris, non ista molieris, & uocem illam putato tibi imposuisse. Nimirum ludibrium tibi est: nam hic ueluti miser fame & inedia peris. Quod si te filium Dei dixeris, fac tibi panes ex his lapidibus. Tentat Christum diabolus sollicitudine ueris, diffidentia & praua cupiditate. Hæc tentatio vulgaris est etiam inter praestantissimos & integerrimos uiros, quam maximè sentiunt, quum res domi angusta est, & interim uxorem & copiosam liberorum multitudinem alendam habent, pecunia uacua uident crumenam, apothecam uino carentem, granatium frumento non esse onustum, & simul inanem domum. Hæc sunt, quæ animum angunt & urgent uehementer. Ex his frequenter consurgit auaritia, radix omnium malorum, quasi infidelitatis & diffidentiae germana soboles, quæ ad eodē mentem hominum sollicitat, & tentat, ut frequenter desperationis laqueum pareat. Quod fit, ut qui huic succumbunt tentationi, alij abrumpant sibi uitam laqueo, alij uxores ac liberos derelinquant, alij latrocinis ac furtis sese tradant, alij imposturis dent operam, sperantes se his mediis tentationem euasuros. Sed quum hi sint infelices & miseri, uideant: & paulisper apud se meditentur, famem desperatione & iniquitate non expelli: imò potius his accersitur. Si audire nolueris (inquit Moyses Deut. 28. cap.) uocē Domini Dei tui, mittet Dominus super te famē & esuriam & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te & perdat uelociter. Ezech. 14. Terra cum peccauerit, conterā uirgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Quid remedij est in propulsandis & uincendis his tentationibus? Profectò meditanda nobis uenit Christi monomachia, quam hoc loco cum diabolo inuit. Deinde fide prospiciendum, quod Christus, uolens, se huiusmodi tentationibus obiecerit, & sibi fieri permiserit, & easdem uicerit. Quare qui perduellem senserit Satanam, mox ad Christum feruenti animo recurrat necesse est, & ei se totum ex animo committat, certò apud se statuens: quod ipse nobis placatū Patrem reddiderit, sic ut nos ipse Pater propter ipsum filium pro filiis habeat, & in omnibus afflictionibus respiciat. Deinde sumendus est gladius, quo Christus in hoc duello tentatorem uicit, quem ex responso

Præcipuū Satanæ studiū est, persuadere diffidentiam erga Deum.

Tentatio de reb. necessariis uictui.

Auaritia ex infidelitate & nimio desiderio rerum edulium.

Ex auaritia desperatio.

Rerum penuria iniquitate non pellicitur.

Respectus in Christū, machæra est ad dirumpendas artes satanæ.

Gladio nos uerbi succinxit Christus.

sponso Christi accipiemus, & in uaginam animi nostri reponemus. Obserua: hæc tentatio petita est à circumstantia loci, & dici potest Sarcasmus, id est iocus cum amaritudine, proceditque argumentum diaboli à sublata praesenti occasione: quasi dicat, Occasio panis deest, ergo fame peribis. Obserua. Hæc tentatio non tam fit, contra primum, quàm secundum præceptum: illud fiduciam requirit, hoc imporationem praesidij. Rogabis: quis nunc finis huius tentationis? Respondeo: ut uirpius deserat uerbum, & amplius non fidat Deo, amplius non imploret praesidium Dei pro uictu, sed ut ipse quaerat sibi uictum, & ipse sibi de uictu prospiciat. At quid hoc aliud sibi uult, nisi ut prorsus relicta fiducia, relicto uerbo, pius credat quod ad uictum pertinet, nostro labore, nostraque cura, non benedictione seu promissione Domini succedere?

Qui respondens, dixit, Scriptum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei.

Argumento à potentia uerbi Dei ostenditur, qua uia, quòve gladio referendus ac uincendus ueniat insidiosus ille perduellis & tentator. Nihil hoc loco adesse & suppetere uidebatur, præter lapides, nihil quod edi poterat. Ideo ab iis, quæ oculis obiecta erant, animum suum ad sacram scripturam & Dei uerbum Christus reuocat, quo diabolus sternit & uincit. Hoc est uerbum, quod, dum egestas premit, cumque omnia etiam in lapides uersa uidentur, ac iam animus timore famis trepidat, Christiani animosa fide accipere debent, & tentationi pusillanimitatis opponere. Nam si uniuersus mundus panibus plenus esset, non tamen uiuit homo ex solo pane: alimento alio est opus, nimirum uerbo Dei. Iam, quia hæc uerba magnam uim habent, & suauissimam piis consolationem afferunt, paulisper in illis explicandis immorabimur. Hoc Christi responsum non habet, quod soli competat filio Dei: sed quod pertineat generaliter ad omnes homines. Neque enim dicit, Non in solo pane uiuit filius Dei, sed, non in solo pane uiuit homo. Atque ita plus habet Christi responsum, quàm exigebat intentio tentatoris. Nihilominus tamen tentationibus eius dexter occurrit. Hoc testimonium Christus ex Deutero. 8. cap. mutuatus est, quo sic tentatorem elusit, ut nec nomen filij Dei recusaret, nec se fame uinci posse, ut hominem quemlibet, demonstraret. Moyses ad hunc modum Israëlitis loquitur: Afflixit te penuria Dominus, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod egreditur de ore Domini. Perinde ac si dixisset Moyses, Eò quod te permisit esurire, & esse in loco agriculturæ inepto, qui nullam panis suppeditaret copiam, & tamen non interisti: hoc argumento facile cognoscere potes, Deum esse, qui te suo uerbo, etiam citra panem, sustentat. Si enim solo pane nutrireremur & aleremur, oporteret nos semper oppletos esse pane. At uerbum Dei est, quod nos alit. Quod est id quod promisit, & annūtiari uult, se Deū esse nostrū, qui nobis etiā in aduersis prospiciat, & praestare uelit, quod pollicetur. Fidelis est, seipsum negare non potest. Itaque huc prospicit responsum Christi, Esurio quidem: sed Deus, qui de me dixit, hic est filius meus dilectus, &c. ut potentia sua his quadraginta diebus me absque cibo & potu seruauit: ita eadem uirtute sua seruare potest absque cibo, ut non sit opus lapides in panes conuertere. Et ut, dum iuxta eius uoluntatem secesseram, me absque cibo seruauit, ita mihi ad homines reuerso, abundè uictum prouidebit. Neque est opus, ut ratio humana miraculis mecum agat. Ego Patris uerbum habeo, quo nitar, etiam si nūc esuriam, neque panes miraculo conficiam. Ad huius loci apertiore notitiam notandum est, quum dicitur, Non in solo pane, panē non esse intelligendum de vulgari & solito tantū pane, quo seruatur hæc nostra uita, sed magis uirtute Dei ubique & in omnibus praesente, ac uerbo, quod respicit ad quauis uocationem, quod uis artificium,

Sarcasmos, hostilis illuſio.

Scriptus tēta-tionis de panib. è lapidibus uertēdis.

Verbum Dei pro umbone adſit ſemper Chriſtiano.

Chriſtus un⁹ ac pro ſe ſolo rogatus à diabolo, pro omnibus reſpondet.

Verbū Dei nos alens, quod.

Panis uoce quid intelli-gas.



quoduis opus, quenuis statum, quanuis conditionem, quæ uerbo Dei ordinata & instituta est. Verbum etiam, quod Græcis est *ἐπιμα*, sæpè non pro uerbo, sed re aliqua & facto sumitur. Luc. 2. Et uideamus uerbum hoc, quod factum est. Verbum uideri non potest, nisi factò aliquo exprimat, & conspicuum reddatur. Egre ditur autem uerbum ex ore Domini, ut illo alamur, quando diuina prouidentia decernit aliquid, quo uiuamus. Generaliter uicui nostro destinatur panem, ut panis cor hominis confirmet, sed non ita ut in solo pane sit uita hominis. Quòd panis pascit, non habet aliunde, quàm ex prouidentia Dei, quæ tantæ est uirtutis, ut si mortis cibum destinet homini ad uitam, iam non sit mortis, sed uitæ cibus. Verbum Dei est cibus animæ, qui editur, cum auditur & creditur: & hoc alit & conseruat. Itaque huius sententiæ hic est intellectus: Dominus Deus noster non largitur homini uictum suum è solito & vulgari tantum pane, tritico aut simili, aut ex his artificijs, quæ ad parandum panem seu uictum ordinata sunt, sed largitur uictum ex omni uocatione, quæ uerbo Dei est instituta, & ad quam sectandâ uerbo Dei uocatus fueris. Nam etiam si nihil apparet quo tibi uictum pares, nihilominus tamen Dominus ex illa sua uocatione satis sufficientem uictum largietur, dummodo tuæ uocationi, ad mandatum & uerbum Domini respiciens, diligenter & fideliter seruias. Adde quòd, prouerbialiter dici solet, Artem quæuis regio alit: quo significatur certum uictum esse optimam eruditionem, aut artificium aliquod. Id quod paucis immutatis huic negotio seruiet, si dicamus, uocatio Dei ubiuis terrarum alit: id est, quicumque sectatur uocationem Dei, ubi ubi sit, sua habet alimenta, etiam si in medio deserto fuerit, ubi neque panis, neque potus reperitur. Tanta est Domini philanthropia & humanitas, ut diuinam uocationem fideliter sequentibus, uictum promittat, promissisque staturus sit, atque aded steterit semper. Doctorem Mosem audiamus, Deuter. 28. cap. Si præcepta Domini audieris (inquit) benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro: benedicta horrea tua, & benedicta reliquia tuæ: benedictus eris ingrediens, & egrediens. Et psal. 36. Nouit Dominus dies immaculorum, & hæreditas eorum in æternum erit, non cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: & eodem psal. Iunior fui, crenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Prover. 10. Nò affliget Dominus fame animam iusti. Iustum his locis putauerim intelligi, cum, qui uocationi suæ diuinæ ex affectu charitatis seruit, & fideliter ac diligenter illam sequitur. huiusmodi hominibus promissit Deus uictum. Atqui quod Deus promissit, non irritum abire, certissimum est. Cælum enim (ait ueritas) & terra transibunt: uerba autem mea non præteribunt. Deus quod promissit, potens est & præstare. Omnipotens est, & præstare uult quia clemens, & uerax est. Caue igitur diffidas de uictu, si uocationem tuam fideliter fueris sequutus. Quis (rogo te) tam inhumanus Dominus in terris est, qui seruum suum ad aliquod opus perficiendum sine comæatu miserit, aut redeunti ab opere perfecto, non pararit uictum? Aut quis tam efferatis moribus princeps fuerit, qui suo legato uictum non non præstet? Proculdubio & Domini & principes in terris hoc solum à familia & legatis suis expectant, ut, quod mandatum est, diligenter & fideliter peragant, sibi interim curam de annonâ & uictu reseruantes. Putas ne Dominum Deum hominibus aut inferiorem aut inhumaniorem? Ah faceffat tam impia cogitatio. Luc. 11. ca. Si ergo uos, cum sitis mali, nostris bona data dare filiis uestris, quantò magis pater uester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? hoc est seruis suis, & suæ uocationi fideliter respondentibus. Proinde huius ipsius testimonij ueritatem uariis exemplis & miraculis, ueluti quibusdam sigillis, declaremus, quæ suauissimam afferant consolationem. In primis occurrit id memorabile exemplum, Exod. 16. & Deut. 8. de Israëlitis uerbo Dei uocatis ex Aegypto in desertum, ut per desertum ad terram Canaan proficiscerentur. Cum itaque

Quacunque re, etiam ex se ipsa letifera, nos Dominus alere potest.

Sui quilibet uocatio alere sufficit.

Eruditio & artificij, optimum uictum

Vocatio Dei ubiuisque gentium alit.

Deus non temere finit, fidentes illi, fame consumi.

Iustus est, qui uocanti Deo obsequitur.

Deus negotijs ipsius instantes ubertim alit.

Simile.

Exemplis uerè probat, non solo pane ali hominem, sed. &c.

uentum est in desertum, defecit panis, & cibus: aded, ut murmurarint aduersus Mosem & Aaron, & lapidare ipsos uoluerint, dicentes, Cur eduxistis nos in desertum hoc, ut interficeretis omnem multitudinem fame? Sed, obsecro, quid actum est? Num Israëlita perierunt fame? Minime. Quid obstitit? Quoniam sequebantur suam uocationem, & audierunt uerbo uocantis, Dominus pluit ipsis de cœlo manna, ut ostenderet ipsis, quòd homo non uiueret solum in pane solito, & in iis quibus paratur ille panis, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei: id est, in uocatione, quæ à uerbo est, & in uerbum respicit. Cui uocationi adest uictus & potentia Dei, ad suppeditandum necessaria uocationi. Secundo, cum Dominus Mosem uocauit in montem, detinuit ipsum in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus absque pane & uino, rogo, quibus interim uixit? Profecto in uocatione Dei perseuerans, neque panem manducans, neque aquam bibens, à Domino conseruatus est: mansitque eius corpus sanum ac uegetum uigore animi ad uocationem uerbi Dei respondente: ut ostenderetur, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Et quia uocatio erat à uerbo, ided uocationi adfuit uictus & potentia uerbi conseruantis. Tertio, exemplo declaratur, quomodo uictus suas habeat promissiones. Scriptum est 3. Reg. 17. cap. Factum est uerbum Domini ad Eliam Thesbitem, dicens, Recede hinc, & uade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Hęc est uocatio Eliæ, hoc est officium, ad quod uerbum Domini Eliam uocat. Ratio humana his auditis dixisset, Quid illic faciam? en fame deglutendus dimittor. Nimirum illic neque frumentum, neque agricola, neque molitor, neque pistor, neque furnus est. Vnde igitur mihi suppeditabitur uictus? At Elias intelligens, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in uerbo, quod procedit de ore Dei, statim acquieuit uerbo, quod exiuit de ore Dei, Recede hinc, &c. & uocationi siue officio suo seruiuit, nihil dubitans, sed certo statuens, quòd Dominus de uictu prouideret, cum suppeditare soleat, quæ usui sunt uocationi, quæ quispiam ad aliquod munus obeundum uocatur. Et sanè ea fuit bonitas Dei, ut declararet, quod etiam citra auxilij manifestationem facturus erat: Et ibi (inquit Dominus) de torrente bibes, coruisque præcepi, ut pascant te. Abiit Elias, & iuxta uerbum Domini, uocationi respondens, nutritus est. Hoc exemplo monemur, quòd non in solo pane uiuit homo, &c. Confirmauit & hanc doctrinam uerbum sequens, cum siccatu est torrens. Num Elias siti interiiit? nequaquam. Adfuit illi uerbum, dicens, Surge & uade in Sareptam Sidoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri uidua, ut pascat te. Cumque uenisset ad portam ciuitatis, apparuit illi mulier uidua colligens ligna, & uocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in uase, ut bibam, & buccellam panis, ut comedam. Illa respondit, Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lechito. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur. Ad quam Elias ait, Noli timere, sed uade, & fac sicut dixisti. Veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem & affer mihi: Tibi autem & filio tuo facies postea. Hęc autem dicit Dominus Deus Israël, Hydria farinæ non deficiet, nec lechitus olei minuetur usque in diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. Quæ abiit, & fecit iuxta uerbum Eliæ. Vterque sequutus est uocationem uerbi. Eliæ dicebatur, Surge & uade in Sareptam: Mulieri dictum est, fac mihi primum plantam, postea tibi & filio tuo facies. Quid contigit ipsis uerbum Domini sequentibus ex fide in promissionem? Datus est illis cibus copiosus, & neque cado farina, neque oleum urceo defecit usque in diem, in qua Dominus dedit pluuiam super faciem terræ. Et hoc miraculo ostensum est, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Suppeditatur nobis & aliud exemplum

Israëlita non perierunt fame.

Mosès fame impune tolerauit.

Eliàs multos dies absque cibo perstitit incolomis.

Eliàs Thesbitem, uocationi Dei parente mulier pascit.

Mulieri Sareptanæ nihil obfuit famen publica.



in ipso Elia, 3. Reg. 19. cap. cui, quum Isabelis tyrannidem fugeret, & in deserto uenisset, deerat cibis, panis & aqua. Quid fecit? acuit subter iuniperum, & mero-re pressus, petebat animæ suæ, ut moreretur. Obdormiuit, dormientem angelus excitat, & dicit, Surge & comede: respexit & ecce ad caput suum tostus panis & uas aquæ. Secundò, dormientem excitat angelus dicens, Surge & comede, longa enim tibi restat uia. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Obserua pie lector, dum fugit Elias reginæ tyrannidem, uocationem uerbi sequebatur. Iam, ut manifestaretur, quòd uocatio Dei sufficientem uictum offerret, ac promissionem eorum, quæ uocationi necessaria essent, includeret: duo miracula fiunt. Angelus ministrat panem, & uas aquæ. Alterum est, quòd in fortitudine cibi illius Elias quadraginta diebus & quadraginta noctibus ambulat. id quod alioqui natura rerum minimè ferre potest. Huc afferri potest & illud insignne miraculum de liberata Samaria à fame, tempore Elisæi, 4. Reg. 6. Adduci possunt & alia miracula quibus Dominus tot milia hominum uocationem uerbi sequentia saturauit. Vnde perspicuum & manifestum ostenditur, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Ad hæc uolens Dominus auferre sollicitudinem hanc uictus & uestitus dicebat, *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, id est uocationi uestræ satisfacite, & iustitiâ eius quærite, id est iustè, rectè & diligenter exequamini uerbum Dei: & hæc, id est uictus & uestitus & uocationi uestræ necessaria adiciètur.* Vnde Christus apud Lucam, apostolos suos rogans, *Quando misi uos sine sacco & pera & calceamentis, num quid defuit uobis? Tunc illi palàm confessi sunt, nihil planè sibi defuisse.* Res profectò admiratione digna: Apostoli pauperes & egeni, ad prædicandum Euangelium mittebantur, quos interim oderat & persequebatur mundus, & tamen in tam periculoso & paupere ministerio ambulantiibus nihil defuit. Quo argumento declarare uoluit Dominus, nullam esse tam egenam & ieiunam uocationem Dei, in qua fideliter ambulanti, non satis alimentorum suppedietur. Narrarem de uolatilibus cœli, quæ neque in horrea congregant, neque serunt: & tamen curæ sunt Domino, qui pascit illa. Cuius bonitas tanta est, ut pullos coruorum à parentibus derelictos pascat. Hi cum adhuc implumes, nesciant aliud artificium, quàm rostrum aperire, & crocitare, quod & si uideatur ad parandum uictum esse prorsus ineptum, tamen hoc artificium exercentes, uictum sibi diuina liberalitate acquirunt: obuolitant enim muscæ quædam, nimirum prouidentia Dei paratæ, quibus captatis, pulli uescuntur & aluntur. Vnde concinit psalmus, 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Rursum uestit flores campi, qui neque nent neque laborant, sed dum uocationi suæ seruiunt, hoc est florent, & odorem spirant, illos eo amictu & ornatu uestit, ut huic ne totus quidem Salomonis gloriosus amictus sit conferendus. Hæc diffusius scripsimus, ut doceremur amplis & manifestis miraculis, quàm uerum sit, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei: & ut abiiciamus omnem istam curiosam sollicitudinem uictus, quam diffidentia patitur: & omnem nostram fiduciam in Dominum Deum nostrum collochemus, ac sentiamus eum iuxta promissionem, qua dicitur, *Ego sum Dominus Deus uester, nò solùm animabus nostris, uerùm etiam corpori prospicere.* Deinde seruiamus fideliter nostræ uocationi, cui non deerit uictus. Quòd si accesserit tentator ille insidiosus, uolens nos solitudine uentris & diffidentia tentare, mox Domini gladium accipiamus, quò sternamus ipsum, dicentes: *Nò in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei.* Hoc si fecerimus, duo in nobis experiemur, prius, si defuerit cibis, & fame fueris afflictus, mox senties ex uerbo Dei te perinde sustentari & corroborari, ne fame pereas, ac si adesset cibi copia, qua abundè frui liceret: & hoc

Rursus Elias fide in uerbis uincit famem.

Math. 6.

Luc. 22.

Nulla tam ieiuna uocatio, in qua fideliter ambulanti non suppetant necessestia.

Iob 38.

Duo nobis comoda adfert fides ac spes collocata in Deum.

uero Dei, quod in corde habes, te alente & nutriente. Quòd si parum cibi adsit, senties statim iuxta uerbum Dei, te æquè saturum, atque si regnis dapibus uesci licuisset. Hoc profectò operatur uerbum Dei, quod ut creauit omnia, ita omnia conseruat. Alterum, quod experieris est, quòd adhærens uerbo & uocationi tuæ, certo tandem panem accipies, undecunque afferatur, etiam si oporteret eum è cœlo depluere, quemadmodum manna deplutum est Israëlitis, in loco, ubi nullus erat panis, neque aliàs prouenire poterat. Porro quæ de pane dicta sunt, hoc est de cibo: eadem intelligenda sunt de potu, uestibus, domo ac quibuslibet rebus ad uitam necessariis. Contingit nonnunquã, ut pius, etiam sequens suam uocationem, ueste indigeat aut domo, sed tandè hæc aderunt indubiè: citiusque oporteat, ac prius uideas decidentia ex arboribus folia, in tunicas & pallia cõueri, quæ possit hic pius, suã sequutus uocationem, nudus relinquere. Aut certè eas uestes, quas habet, necesse est, prius nõ ueterascere, quæ illi uictum inopia perire, id quod Israëlites experti fuerunt, quorũ uestes & calceamenta in deserto non fuerunt attrita, Deut. 8. sicut & desertũ uastissimũ eis pro domibus fuit. Stat enim immotũ Dei uerbum: & Dominus pro nobis sollicitus est. Hac spe decamur, dum hic uiuunt, quæ non confundit, sed securo nos reddit. Crediderim certè uix tot frugum manipulos quotannis prouenire, quot uiuunt homines: sed Deum pro immensa sua bonitate, quotidie frumentum in granario, farinam in cellario, panem in mensa ac ore etiam benedicere, atque augere credimus. Rursus quot uidemus pauperes & eorum liberos longè uegetiores, quàm multos opulentos ac diuites, usu exiguæ alimonie pastos, & benedictione diuina, ne fame pereant, conseruatos? Quòd si quandoque fames, similiter & sitis contingat, undè multi inedia pereant, ea peculiaris ultio Dei est, uti pestilentia, bellum, & similia. Caterùm omnibus in rebus palàm est, non cibũ sed Deum omnia pascere. Vnde cognoscimus, quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei: quòdque non otiaandum, sed laborandum, est iuxta uocationem uerbi, quæ satis alimentorum tandem afferet. Obserua: hic uincit, & uincere docet Christus, atque in totum nos erudit, quòd præferendus sit Deus uictui. Non enim Deus est uentris, sed uitæ. Vnde homo uitam habet, non tantum hanc corporis, quæ ex pane esse uideretur, sed etiam futuram in uerbo, seu Deo. Colligamus ex superioribus, non in solo pane hominem uiuere, sed in omni uerbo, &c. scientes panis loco futurũ, quicquid diuina nobis prouidentia ad nos alendum dederit atque commodauerit, etiam si in desertis locis inter bestias uiuendum sit. Hic tamen non excusantur otiosi uentres, & manus remissæ. Neque enim hic otari, & curam domesticam abiicere discimus: sed spem uictus, & totius uitæ sustentandæ curam, non nisi diuinæ prouidentie assignare. Alioqui, ut Paulus ait, *Qui non laborat, non manducet.* Et ad Adamum Deus, In sudore (ait) uultus tui uesceris pane tuo.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi.

Cum Satan prima tentatione à Christo uictus & prostratus esset, non tamen discedit, non quiescit: & quia hac nihil profecit, alia aggreditur Christum tentatione. Hunc quum uideamus tam sollicitè Christo insidiari (à quo tamen sentiebat uires suas debiliores reddi) quid nõ insidiarum nobis, Christo, in immensum inferioribus tendet? Sobrijigitur & uigiles simus, meminerimusque semper nomen sollicitius, & grauius instat, ut nos, si non uirtutum fortitudine, certè perseuerantia pugna, à salute nostra deiiciat. Nunc secunda tentatione Christum aggreditur, quæ est de tentando Deo, dum à Christo petit, ut è pinnaculo templi sese demittat. Quod autem ad tentandum Deum, illa tentatione inuitarit Christum,

Non potest Deus decesse suis.

Mira Dei prospicientia eũ pari coniuncta potestate.

Fames & sitis, pestilentia & cætera clades, unde, Omnia nõ cibo, sed Deo, pascuntur.

Deus uictui per omnia præferendus.

Aduersum otiosos.

Satanas nunquam cessat tentando.



uel responsio Christi manifestum facit, qui tētatori respondit, scriptura est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Et quemadmodum prima tentatione fidem uexauit diffidentia per panis & necessariarum rerum penuriam: ita hīc tentat fidem per præsumptionem earum rerum, quas neque habes neque Deus præcepit. Sicut si uelis pasci, & non laborare pro uictu, sed ociosus expectare fruges. Tunc, id est **Affumere**, absoluta & finita prima tentatione, Assumpsit, id est duxit Christum. Quæ significatione accipitur & infra, 17. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannē, &c. Aut assumpsit, quod hīc Christus permiserit se, uelut comitem, abduci & asportari à diabolo: sicut & permisit se cruci à Iudæis suffigi. Hieronymus ait, Assumptio ista, quæ dicitur, non ex imbecillitate Domini uenit, sed de inimici superbia, qui uoluntatem Saluatoris necessitatem putat. In sanctam ciuitatem, id est Ierosolymam: nam Lucas dicit, Et duxit illum in Ierusalem, quæ sancta ciuitas dicebatur, propter templum huic & non alij loco à Domino ordinatum: unde ciuitas Domino dicata, & sancta erat. Hoc nomine illam uocat Daniel 9. cap. & propter promissiones, & res sanctas in ipsa factas, & homines sanctissimos, qui in ipsa habitauerunt, quæ alias & propter corruptos hominū mores ab eisdem prophetis meretrix, ciuitas sanguinis, plenāque latronibus & homicidiis cognominata est. Non assumpsit eum in rupem aliquam deserti, quod facillē potuisset, sed in urbem populosissimam, unde occasionem uanē gloriandi, habeat, & hac illum seducat. Pinnaculum *πτερύγιον* diminutiuum est ab ala, quod in morem alarum moretur. Fastigium & summitas est ædificij, in acumen tendentis. Siue quod ueteres pinnam acutum dicebant, siue quod pinnaculis addi pinna consueuit, quæ facili motu, uentorum indicet flatum, quod genus nunc pinnaculum dicitur. Nos hodie laminas siue uexilla infigimus. Huc accedit Iosephus lib. de bello Iudaico. 6. cap. 6. de modo componendi super templum pinnaculi. In summo (inquit) aureis uerubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur.

Et dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum.

Non possum in animum meum inducere ( inquit Satanus ) te esse filium Dei, nisi aliquod specimen tui huic elogio, Hic est filius meus dilectus, &c. respondēs, præstiteris. Adducis quidem, quod scio in scripturis esse, Non in solo pane uiuit homo, &c. interim tamen, ut reliqui homines, esuris: neque miser potes esurie latrantem uentrem factis ex lapidibus panibus compescere ac sedare. Agedum uide, quomodo sine pane uicturus sis. Eia, si te in hoc errore iuuat persistere, ut tibi persuadeas propter illam uocem, Hic est filius meus, quod ille pater sit te aliturus, atque ideo arbitraris peculiariter ad te pertinere illud, Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei: iam constitutus super pinnaculum huius templi, quod sedes est sancta religionis, præbe aliquod specimen uirtutis tuæ. Per necessarium est aliquid edas, si præcipuus uis haberi ille filius Dei, & iustus orbis reparator. Tu hactenus miser, & inedia periens, mansisti inglorius inter homines. Nunc quum uoce illa, Hic est filius meus, &c. declaratus sis filius Dei, & Messias, tempus est, ut stupendo aliquo miraculo maiestatem tuam ostentes. Hoc erit tuæ uirtutis singulare specimen, si è sublimi hoc pinnaculo præcipitem te dederis. Dimitte te hinc deorsum, ut omnes uideant, & cognoscant te esse Dei filium. Non est quod uereare dimissionem præcipitem: siquidem scriptura nō minus tibi hoc tutum fore pollicetur, quàm citra panem, ex uerbo Dei uitam. Nam in psalmis scriptum est de filiis Dei, & qui ita Deo chari sunt, ut tu tibi uideris, Angelis suis Deus mādauit de te, & in manibus tollent te, ne fortē offendas ad lapidem pedē tuum. Age igitur, si illam scripturam, Non in solo pane uiuit homo, &c. ad te pertinere putas, credito etiam hanc non alienam à te, Angelis suis, &c. qua fretus & innixus dimitte te hinc deorsum, ut uideamus te, filium adeo

dilectum Deo, ut illa uox expressit. Sed, ut forex se suo iudicio prodit, ita & Satan hac tentatione genium suum exerit & manifestat. Nam Satan non alio consilio quempiam in altum ducit, nisi ut ipsum deiiciat & opprimat. Ad hunc modum deduxit Abimelech filium Gedeonis ex ancilla, in regnum Israël, qui tamen paulo post turpiter oppressus est, Iudic. 9. cap. Saulem iam regnantem in altis cogitationes deduxit, quibus deliberabat se imperium Israël minoribus suis conseruaturum: sed quod altius tendebant & exaltabantur cogitationes eius, eò demissior factus in fœdus profundum demersus est, 1. Reg. ultimo. Rursum deduxit Nabuchodonosorem in tantam superbiam & animi elationem, ut se Deo compararet: sed mox in profundum lacu demissus est, Daniel. 5. capite. Quare si Satan te hoc superbiae telo petierit, & in altum assumpserit, id quod certè fit, quum superbas habueris cogitationes, aut contenderis ad summos magistratus, honores & dignitates, non uocatus: sed impietate & malis artibus adnixus eò conscendere, periisti certè, nisi suo Satanam iaculo repercusseris. Quo nam? Memineris te in altum Satanæ consilio & opera conscendisse, ut te in præceptis deiiciat & conculcet. Cuius præcipitij quum memineris, mox age poenitentiam, & ab illa malitia tua respice, & ex animo roga Christum huius tentationis uictorem cōtra Satanam, ut hanc noxam & peccatum hoc tibi remittat. Tum facillē cognosces aliam esse ei methodum ducendi in altum eos qui in ipsum credunt: Nam quos exaltaturus est, primū non eos in altum ducit, sed ut abiectos & peripsema mundi facit, ueluti deducens eos ad ima, ut hac abiectioe & sui ipsorum abnegatione deducat ad sublimia, ubi pax & uita æternū duratura. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Deduxit usque in tetrum carcerem Iosephum, quem hac uia reduxit ad gloriam, & ad primas post Pharaonem. Deduxit populum suum in profundam seruitutem sub Pharaone: sed per desertum & uarios labores reduxit in terram promissionis. Varia persecutione Saulis Dauidem afflicto ad regnum Iuda perduxit Deus. Quid? Iesum Christum filium suum uirginem, nonne usque ad mortem crucis & inferiores partes terræ deduxit? sed non dedit sanctum suum uidere corruptionem. Nimirum reduxit illum gloriosum super omnes cælos, & constituit eum ad dexteram suam in cælestibus super omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem: & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestriū & infernorū. Quare si acciderit te ad tui humiliationem & abiectioem deductum esse, bono animo esto, & bene confidito, quoniam hac itur ad cælos. Porro hac tentatione, Si filius Dei es, mitte te deorsum, palam ostenditur Satanam omnem mouisse lapidem, & conatum fuisse, ut Christo eam eximeret fiduciam, qua sentiebat & certò sciebat ( ut uerè erat ) se filium Dei & uerum messiam esse. Nam paulò antè audita erat uox, hic est filius meus, &c. quæ Satanam urgebat. Vnde colligimus, quod Satan tentat Deum, dum iubet aut suadet ei, quem tentat, contemnere media à Domino creata, & sine causa experiri, an Deus uellet, aut certè posset, quod promiserat, opere præstare. Rogabis. Quare nō non ipse Satanus Christum præcipitè dare conatur, sed suadet, ut sese ultro præcipitet? Deum nō tentat, qui non ipse periculis sese ultro absque ulla necessitate exponit, sed aliunde exponitur: deinde prouidentia Dei curam gerit nō eorum, qui periculum amant, sed qui periculis aliunde præter animi sui sententiam inuoluuntur: ideo Satan, ubi filios Dei tentat, non hoc agit, ut ipse illos præcipites ad ruina suapte uirtute impellat, sed ut ipsi sese ultro præcipitent. Et præterea non est in manu illius, ut filios Dei uiolentia sua quouis impellat. Ut tentet, hoc habet permisso Dei: ut præcipiter, non ita. Hinc est, quod non ipse desperabundos, uel in flumina abiicit inuitos, uel laqueis trabi annectit, uel cultris trucidat, sed tentationibus suis eò ducit, ut sibi ipsis ultro manum inferant. At quia per gratiā Chri-

**Affumere**,  
quid.

**Ierosolyma**,  
quare ciuitas  
sancta.

**Quare meretrix**,  
ciuitas  
sanguinis, &c.

**Pinnaculū**.

Satan extol-  
lit, ut præci-  
piter.

Abimelech  
norhus, rex  
Israëlis.  
Saul.

Nabuchodo-  
nosor.

Consiū ad-  
uersus super-  
bas cogitatio-  
nes.

Aliter longè  
Deus extollit  
atque Sata-  
nas.

Ioseph.

Populus Iu-  
daicus.

Dauid.

Iesus.

Ephes. 1.

Philip. 2.

Satanus ne-  
minem cogit  
sese perdere.



Tentatio Sa-  
rana ex scri-  
pturis.

si adoptamur in filios Dei, in hæredes Dei, & cohæredes Christi, & in reges per Iesum Christum, hac occasione Satan conatur nos deturbare ab illa spe, qua tantam bonorum cœlestium hæreditatem accipimus. Vnde quum in varias deuenimus afflictiones, & inglorij sumus, accedit ille insidiosus tentator, dicens: Si (ut putas) filius Dei esses per tuum baptismum, faceres aliquod miraculum, & signo aliquo proderes te esse ex Christi hæredibus: quandoquidem ille filiis suis promissit, Matth. 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit uobis. Et Marc. ultimo: Signa autẽ eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit, &c. Cùm igitur talia miracula non possis edere, manifestum est te non esse filium, imò pro derelicto à Deo: & uana apparet pro missio, quòd baptismo adoptatus sis in filium Dei. Non ab simili telo Satan nos petit, ut otiosi & securi uiuamus. Si fidem habes (inquit) filius Dei es, liberatus à peccato, morte, & diabolo. Nam ille dicit, Qui credit in me habet uitam æternam. Fide uiues: nam iustus ex fide uiuit. Ergo fidei confusus, non est quòd ulla cures bona opera, quibus neque eget Deus, neque uitam æternam concedit. Huic tentationi similis est & illa, Si electus es prædestinatione Dei æterna, certissimè saluaberis, ut ut te in hæc terris geras: neque electionem illam ullis impetrabis operibus. His subiunguntur testimonia: Ego cognosco oues meas, & has nemo rapiet de manu mea: Non est uolentis neque currentis, sed Dei miserentis. Hæc multos Satan in eam securitatẽ inducit, ut de sua salute nihil solliciti, in utrãque aurẽ dormiant, fideique libertate prorsus abutantur, non fideles iam (qui fidei charitatẽ cõiungunt, & in ea ambulant, non contenti sola fide) sed homines securi, otiosi, prorsus confidentes, tandem & Epicuri de grege porci. Video, qua uia te petit Satan, ut tibi laqueum desperationis iniiciat. Sed hunc laqueum abiice fide & spe in Christum tentationis uictorẽ, qui sicut neque suasu tentatoris miraculũ operatus est, ita neque te uult miraculi cooperatorem ad probandum te esse filium Dei. Miraculum non facit te filium Dei: non postulat negotium, ut fiat modò miraculum. Abiice igitur tunc tales cogitationes, & adhæreas ex animo ipsi Christo, qui te ab huiusmodi arũnis & laqueis eruet & liberabit. Obserua ex hac monomachia & tentatione Satanæ aduersus Christum & illud subortum, quòd pro honore mundiali altercantes, solent alter alterum ad certamen singulare & duellum prouocare, dicentes, Dixisti hoc huiusmodi de me, qua in re mentiris. Quòd si ex probis parentibus es, si quid in te est honoris, prodi, & congregere mecum. Quasi talibus argumentis declarari possit, quàm sit quisque legitimis parentibus ortus, aut num ueritatem dixerit. Hęc omnia suggestu Satanæ fiunt, qui consimili hic Christum adortus est uia, dicens, Si filius Dei es, &c. Priusquam ad responsum Christi accedamus, explicabimus Dauidis versiculos, Christo à Satana obiectos.

Tentatio cõ-  
tra bona ope-  
ra.  
Ioan. 6.  
Aba. 2.  
Rom. 1.

Ioan. 10.  
Rom. 9.

Tentatio Sa-  
tanæ de fide,  
prædestina-  
tione, & bo-  
nis operib⁹.

Monoma-  
chia, quæ hoc  
temporis ab  
princip. cõce-  
ditur, mera  
Satanæ tẽta-  
tio.

Piorum curã  
angelis suis  
demandauit  
Deus.

Scriptum est, Quia angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Locus psalmi sic habet, Quoniam angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Non propter Christum, qui Deus est, & neque angelico neque humano indiget præsidio, hic psalmus scriptus est, sed propter sanctos & pios, qui auxilio angelico opus habent. Hos itaque consolatur hic psalmus, ut, cùm ambulant in Dei uocatione, si affligantur, & crucem habeant sua uocationi committent, bono sint animo, animos non despondeant, sed benè confidant, & caueant sentire se aduersitatibus & afflictionibus perituros. Siquidem Dominus præcepit angelis, ut sint custodes piorum. Certissima hac angelorum custodia, qua custo-

diunt pios, metaphoricè per gestationem in manibus angelorum significatur. Pios enim tanta cura angeli complectuntur, ut etiam in manibus suis portent ipsos, hoc est certissimè ipsis adsint, ut ipsos iuent, ne pedem ad lapidem offendant, tantum abest, ut graui quodam præcipitio uitam amittant. Sunt igitur angeli ordinati custodes, ac ueluti satellites piorum, qui ambulant, non in quibuscunque uis, sed in uocatione, qua à Deo uocati sunt: quam dum sequuntur, ab angelis custodiuntur. Non enim quæ de custodia angelica dicuntur, sic intelligenda ueniunt, ut propterea liceat sese in quòdvis periculum sine uocatione Dei conicere: sed quòd in his periculis, & rerum discriminibus, in quæ ex uocatione Dei conicimur, de salute, custodia, liberatione & defensione Dei, bene sperandum ac certò confidendum sit. Tentant itaque Dominum omnes, qui neglectis & præteritis præceptis ac mediis à Deo institutis, hoc est uiuendi generibus atque operibus non bis ordinatis cùm ex scriptura tum ex uocationis ratione, præsumunt Deum sibi adfuturum, hoc est, qui Dei absolutam potentiam, extra ordinem ullamque necessitatem pro affectu & libidine sua, ex nimia confidentia appellant atque deposcunt. Dum enim has suas uias prætereunt, experimentum diuinæ omnipotentia uolunt, quod est Dominum tentare. Proinde impostor Satan tacuit hoc, quod explicamus, in uis tuis, insinuans ex deprauato loco psalmi quascunque uias ingressum, ab angelo custodiri. Nam ita habet psalmus, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis: ita ut ista custodia angelorum, ex Dei mandato non sit promissa nobis, nisi ambulantis in uis nostris, quas Deus nobis præscripsit. Hoc habent scripturarum falsarij ex doctore suo Satana, ut scripturarum sententias ac uerba pulchrè uideantur adducere, sed quas ad suũ errorem falsaque commenta continuò peruertant. Perperam igitur celauit calumniator scripturæ testimonium, decerpens quod erat commodum, & prætermittens quod offendebar. Omisit enim illud, in uis tuis. Deinde partem, quæ cohæret, tacuit (cõtra se enim uidit facere quod sequitur) Super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. Postremò, quod de quòuis bono uiro dictum est, id detorsit ad Christũ, cùm ei totus psalmus nequeat accommodari. Malitiosè igitur & impiè calumniator scripturam citauit, ut suadeat Christo, ut confidat Deo, de liberatione à quòuis periculo, etiam si temerè in pericula absque uocatione Dei se coniecerit.

Nemini licet  
sine uerbo  
Dei, in peri-  
culum sese  
conicere.

In nimiam  
sibi pollice-  
tes de miseri-  
cordia aut o-  
pe diuina.

Quibus pro-  
missa custo-  
dia angelica.  
In scriptura-  
rũ falsarijs.

Non omnia  
omniũ psal-  
morum Chri-  
sto accommo-  
dari queunt.

Ait illi Iesus rursum, scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

Dissimulans Christus, se nosse calumniatorem, & tentatorem, respondet Satanæ, ut homini, sub cuius specie uidebatur: & umbone repellitur umbo. Dominus enim Iesus scriptura tacitè docet quàm ille peruersè torserit scripturam. Quasi dicat: Scripturam citas, sed quàm commodè producas, & fideliter cites, tu uideris, nam è diuerso scriptum est in Deut. 6. cap. Non tentabis Dominũ Deum tuum. Quo testimonio admonemur, ut in necessitatibus ingruentibus benè speremus, diuino fauore freti, neu temerè nosmetipsos in periculum præcipitemus. Intelligo quidem (ait Christus) quæ ex psalmo adducis uerba: nec ignoro certissimam esse angelorũ custodiam, mecum præsentium: agnosco & meum & ipsorum officium. Aliud mihi, aliud Angelis Deus mandauit. Angelis Deus mandauit, ut custodiant homines, ne fortè offendant ad lapidem pedem suum. Homini- bus autem mandauit, ne tentent Dominum Deum suum, & ne seipsos in periculum absque Dei uocatione coniciant. Quare si homines Angelorum officium requisierint iuxta psalmi præscriptum, studeant suam uocationem exercere, non tentent Deum, & periculis ne se exponant præter Dei uocationem, tunc certò aderunt angeli, ac in grauissimis etiam periculis custodient eos. Iam quòd ad negotium pertinet, tu uis, ut de pinna templi me demittam, & confidam de custodia

Angelis aliud  
Deus, aliud  
hominibus  
mandauit.

Quibus ho-  
minibus an-  
geli adsunt  
auxiliares.



angelorum. Tametsi uerò nihil de Dei bonitate diffidã, & sciam Deũ mei curam agere, angelisque suis de me præcepta dedisse, attamen non debeo mea illa fiducia abuti, superbire, ferocire, Deique potentiam temerè prouocare, signa ac prodigia postulare, quin potius iubeor humiliter & sollicitè coram Deo in præceptis eius ambulare, & his uti mediis, quibus omnes uti præcepit. Igitur cuius ministerio me huc uehi uoluit Deus, eiusdem & reuehi idem ille probè curabit, ut nihil mihi opus sit præcipitio, quod etiam ipsum Dei gloriã nihil adderet, neque cuiquam mortalium, uel tantillum conducere. Ex his obseruandum est, quòd non contendit Christus super mente ac sensu Scripturæ, quam tentator uersutus adduxerat, licet certis ac firmis rationibus euincere potuerit, ad hoc illam non ualere, quòd suadebat Satan, sed omniũ simplicissimè pariter ac fortissimè alia scriptura inducta fraudem & dolum illius redarguit: ita ut iterum confusus ac uictus, nihil habuerit Satan, quòd regereret. Proinde docet hic locus non esse hominis Christiani, ita adducere sanctam scripturam, ut per illam, id doceatur, quòd contra scripturam sit. Deinde si hoc fiat, non posse melius occurri, quàm ut isto Christi exemplo admoniti, falsum adductæ scripturæ sensum, alio scripturæ loco redarguamus. Ad eam autem rem opus est singulari quodam sanctarum scripturarum exercitio, ut & mentem illarum teneamus, & quid cuique repugnet, in promptu cognoscamus. Alioqui fiet, ut uel probabili ac uerisimili, pro uero, scripturæ sensu adducto, cedere: uel eum, qui uerus est, uerisimili quidem alio, sed falso, impugnare cogamur: atque ita uel seducamur ipsi, uel alios seducamus, si non ipso effectu, saltem quantum in nobis est. Videmus hodie etiam inter eos, qui maximè uideri uolunt Euangelici, genus hoc tentationis Dei, pleno impetu grassari, sicut & ipsi sese auaritia, quaestu, & fastu non sine contemptu uerbi polluere pergunt, & impœnitentia sua Deum tentant. Colligamus ex his, cõtra pestilentissimam diabolicamque confidentiam non esse aliud præsentius remedium, quàm sit hæc uox Domini, Non tentabis Dominum Deum tuum, credita & obseruata. Qua simul aperit Dominus optimam scripturas explanandi rationem, si uidelicet, scripturas scripturis exponamus, per collationem, adhibita fidei & charitatis regula. Obserua. Tentas Deum dum habes uerbum eius, promissiones eius, & tamen uis adhuc experiri, num uerum sit, quòd promittitur, num possit tibi prouidere, te protegere, &c. Hoc responso Christi Moses Deut. 6. cap. Israëlitas monet, ne tentent Dominum, ut in loco, cui ex euentu, Massa, id est tentatio, nomen inditum fuit, tentauerant: inibi enim, cum siti laborarent, experimento scire uolebant, ac re ipsa experiri, dicentes, Exod. 17. Est ne Deus in nobis, an non? Huc pertinet, quòd 1. Corinth. 10. scribitur, Neque tentemus Christum, sicut quidam eorũ tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Variis modis Deum tentamus: in primis, cum res nobis promissa uerbo Dei, alio modo & uia, quàm Deus promisit, eligimus. Similiter si promissa est res à Deo, qui modum rem illam consequendi non expræsit, & uolens illam cõsequi præscribo modum, tunc Deum tento, quòd nudo eius uerbo non credam. Ad hunc modum Israëlitas tentauerunt Deum in Massa, dicentes se diuina uocatione ex Aegypto non esse eductos in desertum, nisi Deus dederit ipsis aquam, quòd si non dederit, minantur se in Aegyptum redituros. Habebant promissionem, qua Deus receperat se seruaturum ipsos in deserto. Huic promissioni & uerbo non fidunt, sed præscribunt Deo modum, quo ipsos conseruet: quasi uerò non possit ipsos alio modo incolumes seruare. Sic Iudith ciues Bethulie qui statuerant se impio hosti ciuitatem suam tradituros, si intra quinque dies non uenisset adiutorium à Domino, huius sceleris accusat dicens: Et qui estis uos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis Domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei. Legito Iudith, 8. ca. Præ-

Homo simpliciter se-  
quatur Deum  
uocantē, car-  
terum ne a-  
butatur fidu-  
cia uel sui uel  
erga illum.

Scriptura  
scripturã nõ  
arguit falsi,  
sed alia aliã  
tũ declarat,  
tum confir-  
mat.

Traçantib<sup>9</sup>  
de scripturis  
non medio-  
cri scriptura-  
rum exerci-  
tio est opus.

Hæretici ma-  
ximè tentant  
Deum.

Anidor<sup>9</sup> ad-  
uersus stoli-  
dam homi-  
num confide-  
tiam.

Tentat Deũ  
curiosi & in-  
creduli uer-  
bo.

Israëlitiq<sup>9</sup> Deũ  
tentauerunt.

Variis modis  
Deum tentat  
homines.

Bethuliani tẽ-  
rarunt Domi-  
num.

tereã & hi Dominum tentant, qui iugum fidelibus importabile imponunt, id quòd Apostolorum tempore faciebant, qui legis onera Christianis imponenda censebant. Ad quòd Petrus Act. 15. dicebat: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum? &c. Deinde tentamus Dominum, cum habemus uerbum Domini & uidemus legitima, iusta & ordinaria media propofita, quibus licet rem uerbo Dei promissam consequi: ea tamen negligimus, sed alia eligimus, aut uerbo nudo non credimus. Magnoperè studendum est, ne Deũ tentemus, & miracula quæramus, qualia hoc loco tentator quærebat. Non enim quãuis de causa, nec apud quòsuis Christus edidit miracula. Nam apud Herodem harum rerum cupidum, Christus ne loqui quidem dignatus est, tantum abest, ut in gratiam Satanæ, suæ maiestatis specimen aliquod ediderit. Quoties id suasit charitas, quoties id gloria Dei postulauit, uim suæ uirtutis exeruit, & miraculis manifestauit. Obserua. Hic secundus congressus à Luca tertio loco ponitur, id quòd parum refert: neque ullius dissonantiæ speciem habet.

Act. 15.

Miracula tẽ-  
pore alieno  
neque edi ne  
que postula-  
ri debent.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde.

Optimus magister Iesus Christus, quòd nos doceret, ne post unam aut alteram uictoriam securos, & quietos nos à tentatore putaremus: sed uigiles, & semper in excubiis ageremus, ueluti parati ad omnes insultus tentatoris, qui tanquam leorugiens circuit quærens quem deuoret: permisit se rursus à diabolo è pinnaculo templi sufferri in montem ualde æditum, unde amplè, latèque oculis subiiceret illi Satanæ omnes mundi delitias, & admirandam cuiusque rei gloriam, existimans se hoc ariete uicturum eum, à quo semel & iterum uictus erat. Nimirum quòd in cæteris hominibus periculum fecisset, ac expertus fuisset, nihil tam sceleratum esse, ac à pietate alienũ, quòd dominandi regnandique gratia non essent ausi, Non abs re proculdubio clamat Paulus ad Ephes. cap. 6. ut attenti simus, atque non ignoremus, sed planè sciamus, quàm potentes & impij sint hostes nostri, quibuscum congregiendum est: Induite uos armaturam Dei (inquit) ut possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitie in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induiti lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quò possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quòd est uerbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu. Hæc est panoplia & armatura Christiana, quam Paulus à magistro nostro Christo didicit, & literis mandauit, ut discamus & nos, qui tentamur, uincere per Christum. Qui quæcunque uicit, ita uicit, ut per eum uincamus. Nam cum uicit, uoluit & nos quoque per ipsum fortiter uincere. Quare quoties tentatio oboritur, protinus ad Christum, qui uictoria autor est, confugiendum erit.

Nunquã se-  
curus sit ho-  
mo, quasi nõ  
tentand<sup>9</sup> possit  
à diabolo.

Nihil nõ au-  
der dominã-  
di libido.

Quib<sup>9</sup> armis  
nos munit  
Paul<sup>9</sup> aduer-  
sus tentato-  
ris insidias.

Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.

Prima tentatione Satanæ aduersus est Christum aduersitate & necessitate presum, hoc uenans, ut ad indignationem, impatientiam, & diffidentiam eum moueat. Secunda per insidias, mirasque & occultas technas à fide conatur eum abducere. At cum in his se uictum Satanæ agnouit, alio parat ariete Christum adoriri, nimirum diuitiis, fauore, gloria, delitiis. Crediderim certè in hoc certamine ultimo Satanam omnis generis sceleribus ambitione, auaritia, luxu, libidine, & uoluptatibus reliquisque artibus malis tentasse Dominum. Mûdus enim nihil aliud est, quàm omnium malorum lerna, sicut Ioannes testatur: ergo regnum mundi

Satanas Chri-  
stum tentat  
scelerib<sup>9</sup> om-  
ne genus.



Mundus lerna omnium malorum. Ioan. 5. Regnum mundi quid.

aliud nō est, quàm exercitium pelsimarum ac turpissimarum rerum. Quasi diceret, Tu bellè, quod propono, effugis scilicet: cū iubeo ut mutes & conuertas lapides in panes, quod filio Dei (quem te esse putas) facillimum est, respondes, scriptum esse, Non in solo pane uiuit homo. Si de te aliud facturus, præcepero, te è pinnaculo templi ut demittas, nempe ut declares te esse, quod clara illa uox tibi persuasit, eò quòd angelis admandatum sit, te custodire, & ob id non posse filios Dei lædi, qualis tu tibi uideris, statim obiicis, hoc esse tentare Dominum, quod maximè scriptura uetat. At tu miser interim inopia peris, tantò que miserior es, quòd illa uoce, hic est filius meus, &c. delusus, miseram hanc miseriam & pauperiem, quam uides, neque sentis neque agnoscis, adeò magna est illius uocis impostura: prætereo, quanta interim mediteris, quibus te profectò omnium mortalium miserimum reddes, nisi me tui studiosissimum, & meliora momentem audieris. Parce tibi, uires resume, & respisce. En tot regna & principatus mundi, item maiestatem ac incomparabilem ipsius gloriam, quæ omnia in manu habeo, & cui uolo, do illa: tolle hanc superstitiosam opinionem ab illa uoce cœlesti partam: uocem illius, quem putas tibi patrem, negligito: hunc enim neque tu, neque quisquam uidit. Neque putaueris illum tuum patrem esse Deum, quum te tam miserum egere, & inopia perire, & cum bestiis in hoc deserto omni humano auxilio destitutum agere patiatur. Falleris certè, & hoc tibi ludibriū fuerit, si quis rescuerit te miserum, & omni ope destitutum, duci hac stulta opinione. Relinque has nugas, & uera sectare. Si uis esse Rex regum & Dominus dominatium in hac terra, quæ mihi subiecta est, oportet, ut à me gloriam hanc accipias, alioqui nunquam illa poteris. Offero autem eam tibi pro mea liberalitate, qua solco, cui lubet, dare mundi huius regna. Nam uideris mihi dignus, qui non unius tantum regni, sed planè totius mundi dominatum & imperium per me accipias. Hoc factum facile est, si prostratus adoraueris me: quasi dicat, Pro hac liberalitate & munificentia mea nihil abs te, quod arduum sit, aut iniquum, petam: hoc unum peto, ut mihi supplex fias, agnoscasque me Dominum huius mundi, cum debita subiectione ac reuerentia, qua decet eum adorare, à quo tantam queas adipisci potentiam & gloriam. Quid autem factum facilius, quàm procumbere in genua, & suppliciter adorare rerum Dominum? Quid etiam iustius, quàm agnoscere benefactorem? Denique, quid plus afferre poterit emolumentum, quàm si facias, ista mei adoratione, ut totius mundi Rex ac Dominus euadas: quod certè tibi polliceor futurum, si conditionem suscipias. Hoc medio esuriem, paupertatem, & omnem necessitatem facile fugies, & uinces. Et non amplius inter bestias ages, sed totus orbis (quem tibi subiiciam) tibi seruiet, & rerum poteris, quibus pro animi sententia, copiosus afflues. Vide technas & artes Satanae. Quos enim nequit uincere paupertate, inopia, necessitate, & miseria, eos petit diuitiis, fauore, gloria, delictis, & potentia, atque ita nos ab utraque parte oppugnat: imò ubi neutra uia successerit, circumit, ut ait Petrus, & nihil non facit, omnia pertentans, ut quos neque aduersitate, hoc est prima tentatione: neque prosperitate, hoc est tertia hac tentatione, sternere potest, uel falso scripturae intellectu, id est errore uel cæcitate deiciat. Sed paulisper contemplare, pie lector, & uide Satanae genium.

Satanas, Proreus quidam & uertunus, in omnia se uertit, ut tandem uincat.

Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens, adoraueris me.

Polliceor omnia Satanas, qui nihilum possidet.

O mendax mendacium! ò cæcam cecitatem, & impiam impietatem! Superbus iste & temerarius audet aliena polliceri, & præmium petere soli Deo debitum: non ignorans se ne minimum quidem præstare posse, tantum tamque calamitosum fuit eius præcipitium, tam grauis casus, & ruina. At si scripturas legerimus, nihil noui à Satana audiuerimus. Nimirum Satanae genius, & natura est, ut totus mendaciis maderet, & affectet honorem ac maiestatem diuinitatis, Isa. 14. Huius astutia tam subdola est, ut mendacium suum non nisi ueritatis specie proponat.

nat. Vnde quod hîc ex Luc. 4. c. de imperio huius seculi dixisse est uisus, Hæc mihi tradita sunt, & cui uolo, do illa, nō omnino est mētitus: ipse enim princeps huius mundi, etiam à Christo, Ioan. 14. dicitur. Quomodo id fit? Paucis aperiam. Principio quum creatus est mūdus à Deo, positus est homo in mundum, cui Dominus uniuersa subiecit, dicens, Gene. 1. ca. Crescite & multiplicamini, & replete terram & subiecite eam, & dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Dixitque Deus, Ecce dedi uobis omnem herbam, &c. Iam postquam homo suasu & instinctu Satanae peccauit, statim factus est Satanae captiuus, 1. Petr. 2. à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Vnde occupato homine & effracta eius potestate, occupauit Satanas & imperium hominis, hoc est potestatem seu imperiū, quod habebat homo in mundo. Nam quemadmodum qui in bello principem uincit, & capit, is & omnia quæ sunt principis, iure belli acquirit: ita & posteaquam Satanas uicit hominem, natus est imperium mundi, unde Sacre literæ uocant ipsum principem huius mundi, & deum huius seculi. Rogabis. Quid ergo? Num falsum est quod Dauid dicit, Domini est terra & plenitudo eius? Et Daniel, de Deo dicens, 2. cap. Transfert regna atque constituit: & 4. cap. Dominatur excelsus in regno hominū, & cuiuscunque uoluerit dabit illud. Respōdeo. Nihil minus. Verissimum enim est, quòd Deus omnium Dominus est & rex omnipotens, cui uniuersa sunt subiecta: quoniam Domini est regnum & ipse dominabitur gentium, Psal. 21. Hæc ut intelligamus, duo de Deo meditanda & obseruanda ueniunt, in primis immensa & imperscrutabilis omnipotentia eius, secundum quam omnia sunt illi subiecta, & in manifesta Dei uoluntas, quæ nobis uerbo, lege & mandatis eius declaratur: Quam quia pij non autē impij sequuntur, secundū hanc inter pios regnat, & iuxta impietatem, inter impios impius Satanas dominatur, quorū multo maior, q̄ piorum, est numerus, qui à Deo & uoluntate eius, hoc est lege, uerbo & mandatis Dei, deficiunt ad Satanae regnum & eius captiui fiunt. Huic manifesta uoluntati diuinæ cum exercitu impiorum Satanas resistit, quòd à uerbo & Euangelio arguatur de peccato, iustitia, & iudicio. Euangelio ordinatum est, non occidendum, non furandum, non adulterandum. At frequentius aduersus hanc Dei uoluntatem manifestam insurgit maior pars hominum duce Satana. Ordinauit Euangelium bonis bene, malis autem & obstinatis male esse ac fieri. Sed de huius ordinationis inuersione conqueruntur frequenter prophetae, Hieremiae, 12. Quare uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prauaricantur & iniquè agunt? Abacuc, 1. cap. Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorē se? Indubiè nō pauci magna (ut in speciem uidetur) cum fœlicitate, & imperia & principatus malis artibus acquirunt, cū interim affligantur pij, & à suis principatibus deturbentur. Quæso unde hæc fiunt? proculdubiò non sunt hæc à manifesta Dei uoluntate, quæ aperto uerbo hæc prohibet & condemnat. Sed fiunt operatione & suasu Satanae, qui propter peccatum est princeps huius mundi, id est eorum, qui uoluntatem Dei, hoc est legem & uerbum eius cōtemnunt. Quò fit, ut quum audimus Satanae uerba, Hæc omnia tradita sunt mihi, & cuiuscunque uolo, do ea, possumus intelligere ipsum non prorsus mentitum esse: ostendit enim id quod res aliqua ex parte est, nimirum quòd propter peccatum inter impios regnet, & impietate ac iniquitate adiuuet tum impiorum ambitionem ad acquirendos principatus, tum omnium libidinem contententium ad scelerosa Satanae officia: hæc donat Satanas, cuiuscunque uult. Quibus autem uult dare? iis qui illi obsequuntur, & nihil non faciunt in perpetrandis audacibus facinoribus, his dat huius seculi maiestatem & gloriam. hi sunt qui sectantur, non uerbum Dei & uoluntatem eius, re.

Satanas princeps mundi.

Satanas hominis uicti potestatem occupauit. Simile.

Ioan. 14. 2. Cor. 4. Satanus, quomodo princeps & Deus huius seculi.

Omnipotentia Dei.

Voluntas Dei.

Deus quomodo regnare dicitur, quomodo ite Satanas dominari.

Quæta quæque sunt in hoc seculo euertente ac suafore Satanae.

Quomodo uerum sit omnia Satanae tradita esse, & ab illo dari, cui uelit.

Quibus uult Satanas fauere.



sed impietatem, Satanæ inspiratione edoctam. Sed ut ut hæc Satanæ tyrannis se habeat, imperscrutabilis tamen omnipotentia Dei his Satanæ tum multibus à rerum gubernatione non deiicitur. Deo siquidem uel inuiti, cum Satanæ, tum totus impiorum mundus subiiciuntur. Nam non potest Satan etiam minimum pilum de capite nostro mouere, nisi Dominus Deus iuxta arcana sua consilia, permittat. Habet ergo huius mundi dominatum Satanæ (uocatus à Christo, princeps huius mundi, & à Paulo, Deus huius seculi) sed tantum in reprobos, & ex permissione quidem diuina, sed ex raptu, & tyrannicè. Deinde neque id potestatis habet, ut reges constituat & principes: sed omnis potestas, inquit Paulus, ex Deo est: & quæ potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt, etiam si sint impiorum. Scriptum enim est, Dominus regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Et Rex Babyloniorum erat seruus Dei. Est itaque impudens mendacium, quod Satanæ dicit, traditam esse sibi omnem potestatem, & eam se dare, cui uult. Iam, quod reliquum est explicemus. Adorare, quandoque est genibus prouolui coram aliquo, & tam animo quam corpore uenerari, ac legitimam reuerentiam exhibere. Hoc modo Patriarcha Iacob fratrem suum adorauit, & nos tum sanctos tum magistratus adoramus, hoc est animo ipso cum gestulatione aliqua corporis & legitima aliqua reuerentia honoramus. Est & adoratio, honor Deo debitus & legitimus. Huiusmodi autem honor erit, si ipsum ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine nostra diligamus, ipsum & minas eius timeamus, promissa eius credamus, mandataque eius obediamus, adeoque omnem nostram fiduciam in ipsum collocemus. Quare quum hic Satanæ petit adorari à Christo, uult, ut Christus in faciem procumbat, & genua coram ipso flectat, promissionibus eius fidè adhibeat. Quasi diceret: Quid hic facis? inedia & uariis calamitatibus peris, ludibrio ab omnibus habebis, qui hic te ipsum occideris: relinque hanc tuam opinionem, & adora me Satanam, principem potentissimum: hoc est, timeas me, & ex toto animo & corde mandatis meis obedias: hoc faciens liberaberis ab his omnibus, quæ te miserè premunt. Quam putas, pie lector, ualida esse hæc tela aduersus nos iræ filios, in peccatis conceptos, & natos? Cum accedit ille, inflammat desideria nostra, spe magna mercedis nos inescat, & nos subducit in altos montes, ostendens delicias, magistratus, honores. Et nos pollicitis ita accendit, ut nare, uelut bubali, tracti, ipsum sequamur. Ad hunc modum Caini animum ad fratricidium pellexit. Etenim cum Cainus uideret Abelem fratrem suum diuinitus sibi preferri, statim Satanæ stimulis & pollicitis accensus, in hæc uenit sententiam: Si uis orbis imperium retinere, fratrem necesse est occidas. Hæc fuit compendiarua uia retinendi imperium in Caino. Itaque hortari & suadere, ut fratrem occidas, quid aliud est, quam monere, ut Satanæ seruias, aut ut ipsum adores? Iam quum Satanæ sollicitauit Cainum ad fratricidium, ut retineret orbis imperium, uidetur plane idem dixisse, quod hoc loco Christo obiecit, tibi dabo hæc omnia regna, si adoraueris me, hoc est mihi seruiaris, occidendo fratrem. Ad hæc non ab simili modo Satanæ aggressus est Esau fratrem Iacob. Cum enim Esau uehementer doleret benedictionem paternam à fratre suo Iacob præreptam, consularétque apud se de ea recuperanda, subductus est à Satana in altum montem, id est Satanæ accendit animum eius aduersus Iacob, ostendens ipsi certissimam benedictionis paternæ recuperationem, si ipse Esau Satanam adorasset, id est ipsi obediuisset, & mandatis satisfecisset, quod fecisset, si occidisset fratrem suum Iacob. Occidere enim fratrem suum, est Satanæ seruire, & mandatis eius obedire. Hoc dum Esau conatus est, Satanam adorauit. Similiter Herodes tentatus, Satanam adorauit. Corruptus enim magno timore perdendi regnum suum, quod audiuiisset natum esse regem Iudæorum, audit à Satana: Tibi retinebo potestatem hanc uniuersam & gloriam apud

Satanæ, fataneque serui, Deo subditi.

Omnis potestas à Deo, & per eum regnant etiam impij. Rom. 13. Iob 34. Hier. 25.

Adorare, quid.

Ex animo adorare Deum, quid.

Satanæ permittere Deo, contra nos potestissimus.

Satanæ Cainum impulsit ad eadè fratrem.

Esau à Satana instigatus ad perimendū fratrem.

Cainus, Esau Herodes & Pharisei adorauerunt Satanam.

uniuersam Iudæam, & Galilæam, si adoraueris me, id est prouolutus, meis monitis obediueris. Quod est, si tuos ipsius liberos, & pueros Berthehemeticos interfeceris. Nonne eadem tracti sunt tentatione Pharisei, quando à Satana subducti sunt in altum montem, & promittebat illis summam iustitiæ & gloriæ maiestatem in hoc seculo, si Satanæ obedirent, & ipsum adorarent occidendo Christum, pharisaicæ iustitiæ aduersarium? Sic & hodie multos tentat, & ab ipsis adoratur, dum subuehit ipsos in altum montem auaritiæ, & magistratum per ambitionem quæsitorem. Nimirum, his magnificentiorem & diuturniorem statum pollicetur, si ipsum adorent, hoc est uariis exactionibus & concussionibus suos opprimant. Inuadit similiter hæc tentatio priuatos homines. Agricola ad honorem ciuium aspirat: Ciuis ambit gloriam nobilitatis: Nobilis affectat principatum: Qui autem queat hoc fieri? Accedit Satanæ, unumquemque in altum montem ducens, & pollicetur unicuique, quod maximè affectat, si ipsum adoret. Agricola horatur, ut huius seculi mores induat, & omne diuitis superabit. Cuiusmodi sunt seculi mores? Astuta consilia sequatur: emendo & vendendo proximum defraudet, nungetur, mentiatur, peieret, defraudet, quod multas opes corradat, & ius ciuitatis sibi coëmar. Satanæ ciuem aggreditur, monens ac sollicitans ipsum, ut magistratus ciuitatis iniquis artibus ambiat, imposturis operam det, omnibus placere querat, quod diuitias acquirat, quibus nobilitatem, magno diplomate expressam, adipiscatur. Ut in summa dicam, suum quisque Satanam habet, qui pollicetur ipsi aureos montes, si derelicta uocatione Dei, induat huius seculi mores, conscientiam bonam post ianuam reponat, & principi seculi obediat. Hæc sunt, quæ in nobis, impulsore Satana, ex nostra impietate oriuntur, & ob quæ pro mala nostra uoluntate, nobis complacemus. Sed abigendus est Satanæ cultus & adoratio, qua nos ex toto animo & totis uiribus Deum amamus, mandatis eius obedimus, & totos nos ipsi consecramus, ceu cui nos nostraque omnia debemus. Obserua. Satanæ in primis conatur uerbum Domini irritum nobis facere & uanum: mox sua illa carnalia pollicetur. Hac methodo usus est, cum primos parentes tentaret: primò persuasit uerbum Domini uanum esse, Nequaquam (inquiens) moriemini: mox ipsos falsis pollicitationibus inescavit, dicens, Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Quare cum uideat Satan nos non posse cupiditate aliarum rerum capi, nisi antè dereliquerimus Deum, primò conatur persuadere uanum esse seruire Deo, deinde sua promittit, nempe bene futurum omnibus, qui illius obediuerint monitis. Ex his ergo, quæ dicta sunt, colligimus quòd cadere, & adorare demonem, tentatio est blasphemiae, per quam surgunt in nobis affectus quidam suggerentes, non esse Deum iustum, uerum, misericordem, breuiter contemptus quidam Dei est. Obserua uocem, cadens: nemo enim, nisi cadens, demoni seruit.

Tunc dixit ei Iesus, Vade Satana.

Cum impia suaderet Satanæ, & præter impium suum consilium, iam se Deo præferret, hac causa Christus unice studiosus gloriæ patris, durius ipsum à se repellit, & Satanam, id est, aduersarium, & qui obturbat ac obsistit, uocat, quoniam palam iam à Deo ipsum ad se adorandum, pertrahere conabatur. Rogabis. Num Christus ipsum aliquo mittit, ut dicat, Vade. Græcis legitur ὁ παρὰ, id est abi siue, discede: quo uerbo quandam animi, eamque haud leuem indignationem exprimit, qua solemus eos reuicere, & auerari quos aliquandiu cum molestia toleratos, tandem indignatione summa semel & in uniuersum abiicimus. Ita & Christus hoc loco post unam & alteram tentationem impudentissimè tentatus, commoto animo impostorem reiecit. Quibusdam Græcorum exëplaribus additū est ὁ πρὸς με σατανᾶ, id est, post me Satanæ. Hæc uerba non addit Chrysostomus, huc enarrans locum. Similiter nec Origenes, qui homilia prima adnotat hanc diffidentiam, Petro dictum esse, Vade post me, Satanæ tantum dictū, abi: quod prius

Satanam quæ multi adorant

Seculi mores

Suum quisque Satanam habet.

Satanæ quæ arte pellendus

Satanæ primū imperit uerbum Dei.

Cadere, & adorare Satanam, tentatio blasphemiae, & contemptus Dei.

Satanæ, quid

Vade, simpliciter dictum Satanæ. Vade post me, Petro.



illud competat in discipulum, iuxta illud, Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum: posterius conueniat in eum, qui tantum reiciendus esset, non etiam ad morem gerendum inuitandus. Obserua, Christum nominasse ipsum tentatorem Satanam, ab officio & exercitio aduersandi humanae salutis.

Scriptum est enim.

Aetiologia est, cur Christus Satanam durius abigat. Haecenus Christus sua moderatè tulit contumeliam. Sed quum ille in patris ignominiam offerentem, & dicentem, haec omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, audiuit, iratus dixit, Scriptum est: quasi diceret, faceffe hinc aduersarie, longè enim aliud docet scriptura, quàm tu suades. Hic locus nos hortatur, ut discamus, quid profint diuinae scripturae, ut quibus Dominus os inimici obturauit, ac superbiam eius demisit: & ut in omni tentatione ex scripturis consolationem petamus, iuxta illud Roma. 15. Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Omnis enim scriptura (ait Paulus, 2. Timoth. 3.) diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Obserua: si Christus Satanam abiiciens, ad scriptum uerconfugit in tentatione, quò aliò nos confugere debemus?

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

Hic locus desumptus creditur ex Deuter. cap. 6. nisi quòd illic pro adorabis, scriptum est, timebis. Sed eundem sensum uerba afferunt. Nam, Qui adorat, is reueretur ac timet, quem adorat. Cultus soli Deo conueniens, adoratio est. Adoramus Deum cum nos totos ex animo ipsi Deo propter illum cõsecramus, quum mandatis eius obedimus, quum huc timemus & reueremur, quum promissa eius credimus, & omnem nostram fiduciam in ipsum collocamus. hic cultus laetitia est & soli Deo debetur, ergo non ad creaturas referendus. Et illi soli seruias, exegesis est prioris sententiae: Sola Deo seruit, qui abdicatis omnibus creaturis, uni Deo adheret. Ut enim Deus solus potentissimus est, ita ueracissimus est. Quod minatur inobedienti, potest & inferre, etiã si inobediens aliquandiu feliciter uiuat. Quod obedienti promittit, uult & fideliter praestare, etiam si prima facie longè aliter appareat. Quare solus Deus adorandus, huic soli seruiendum, & sola eius uocatio sectanda. Responsabit quispiam. Si soli Deo seruiendum est, cur ergo alibi praecipitur filio, ut seruiat parenti? Seruo, ut obediat domino? Subdito, ut obsequatur magistratui? & omnino omnibus praecipitur, ut proximo quisque suo seruiat? Respondeo. Sola Deo seruiamus, cum ipsi, & uerbo eius obedimus. Nam seruitus Domini est, quae fit iuxta uerbum eius. Iam uerbo Domini mandatur, ut filius parenti, seruus domino, subditus magistratui, & proximus proximo seruiat. Quare, seruitus quae fit homini, seruitus quidem est hominis, sed cultus Dei est, quò sequatur uerbum Dei. Vnde Paulus, Ephes. 6. cap. scribens, ait, Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis uestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatem Dei ex animo: cum bona uoluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus. Obseruanda diligenter uerba Pauli, quae insinuant, etiam seruitutem, quae ex uerbo Domini exhibetur homini, magis cultum Dei, dici quàm seruitutem humanam, quòd illa innitatur uerbo Dei. Quamobrem cum seruiamus dominis, Deo seruiamus: cum Sanctos etiam in caelis agentes colimus, & eosdem rogamus, ut Christo innixos, Deum colimus, & eidem seruiamus. Verbum enim docet me sanctorum communionem, & membra corporis unius se mutuo iuuare, ex capitis instinctu, cui subsunt, ideo dum Sanctos colo, ac dico, Sancti Dei omnes intercedite pro me, sequutus uerbum Dei, sanctis seruiens, Deo ipsi

Tutela aduersus omnem tentationem, ex scriptura petenda.

Qui adorat, timet. Adorare est, quid.

Seruire uni Deo, quid.

Seruitur uni Deo, & seruitur parentibus dominis, magistratui, &c.

Qui seruit homini, parens uerbo Dei, seruit Deo. Cultus Dei multa complectitur. Sanctos qui in caelo sunt, qui ueneratur & orat, Deum colit, & Deo seruit.

seruio. Proinde omnium nostrarum operationum studiosarum finis, Deus est, quum nulla creatura habenda sit ceu ultimus finis. Super omnia colendus est Deus. Oportet enim obedire Deo magis, quàm hominibus, quòd si homo malum iuberet, non est audiendus: Si uerò ex uerbo Dei, & uocatione sua praeeperit, obediendum est, & haec obeditio, quae homini, ex uerbo Dei praestatur, ipsi Deo praestatur. Est igitur solus Deus adorandus, & illi soli seruiendum.

Tunc reliquit eum diabolus.

Lucas Euangelista habet: Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Hic locus non obscure testatur, quòd Satan uariis tentationibus, quae non sunt scriptae, Christum sit aggressus. Nam cum ab initio orbis tentarit, & non raro uicerit Adamum, Abrahamum, Mosem, Dauidem, alios item uel Patriarchas uel Prophetas, quantuncunque sanctos, deinde fuerit expertus Iesum Christum, tamen semper effugisse, & uictorè mansisse, uerissimum est atque (ut sic dicam) uero uerius, ut ut Satanus extremas suas uires in Christum expediuerit, & nullam occasionem praetermiserit, qua speraret se superaturum Christum. Quare si Christo capiti nostro non pepercit, multò minus nobis membris eius parcat. Et si dolosas manus à patre familias non continuit, multò minus à familia eius continebit: & qui reliquit Christum ad tempus, quia frequenter ipsum est aggressus, nos frequenter, dum hic agemus, aggredietur, nunc iaculatus telum auaritia, nunc ambitionis, nunc & aliis undique nos petit. Si telum auaritiae declinauerimus, mox iaculatur telum ambitionis. Si & hoc repercussimus, mox instabit sagitta, libidinis ueneno inescata: si hanc à nobis auertimus, confestim emittitur in nos telum inuidiae: huic succedit telum irae, contentionis, maledicentiae. Et quis tam uaria tela enumerare potest? Nunquam certe finis emittendi in nos tela. Semper nobis insidiabitur dolosus ille insidiator, donec hinc soluerimus, & spiritum Domino Deo reddiderimus. At bene & bellè nobiscum sagitur: magna enim hoc loco nobis proponitur consolatio. Nimirum, Dominus Iesus Christus statuit se medium inter tela. Cum ergo hoc fidei oculo uideamus Christum, his telis inuulnerabilem, qui nos in filios adoptauit, consecrarium est, quòd neque nos insidiator ille Satanus, suis tellis vulnerabit, modò ipsi Christo nos totos ex fide & animo consecremus, & in diuulsa adhaereamus. Atque id nobis continget quòd psalmus, 90. cecinit, Scuto circumdabit te ueritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta uolante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfu & demonio meridiano. Proinde non est, quòd animum despondeas, si tentationes Satanæ senseris, putans tentationem illam argumentum esse Dei irascentis, & tentatum à se proicientis. Certè bono animo sis, & crede, id potius esse argumentum Dei propitij, & per tentationem Satanæ, probare te uolentis. Non finit Deus tentari te, ut pereas, sed ut proberis & conualescas, firmiorque fias in fide. Obserua ex hoc loco, Christum à diabolo grauissimè fuisse tentatum. Deinde aduerte uoculam illam, ad tempus, insinuare Satanam non ita uictum esse, ut non redeat, quòd sic maneat uita nostra milita super hanc terram. Praeterea ex superioribus colligamus usum tentationum ad nos. Prima tentatione tentamur à diabolo propter uictum, cum mille adsint uictus praesentes occasiones, in hoc, ut fiduciam in Deum ac uerbum eius, abiiciamus. Secunda tentatione tentamur, quando à diabolo sollicitamur falso uerbi Dei intellectu, in hoc, ut uel tentemus Deum praetextu uerbi malè intellecti, uel aliquid contra uerbum agamus, aut praeter uerbum. Tertia tentatione tentamur quando à diabolo sollicitamur diuitiis, potentia, & gloria, in hoc, ut falsum cultum Dei instituiamus, & uerum Dei cultum qui solus Dei est, ad creaturas transferamus. Haec tres tentationes reliquarum capita sunt, à quibus oriuntur, ut qui hos affectus, à Satana suscitatos uicerit, facillè & reliquos uicturus sit. Obserua: cum

Deus finis & scopus omnium, quae rectè facimus.

Non omnes tentationes Satanæ aduersus Christum, scriptae.

Christus semper Satanæ uictor.

Satanæ quotidiani in nos impetus. Nunquam nos quietos Satanus relinquit.

Christus, nobis aduersus omnes tentationes portus tutissimus.

Tentatione nos probat & exercet Deus, nihil minus, quàm abiicit.

Iob 7.

Tentationes Satanæ cui usum nobis figurat.



dicit, Tunc id est cum diabolus his atque aliis modis Christum tentasset, & expertus esset athletam semper inuictum, aduersus omnes machinas, tandem reliquit eum: & aliquantò incertior abiit, num ille esset filius Dei, quam uenerat. Obferua. Tametsi Deo duntaxat & angelis testibus hic conflictus gestus sit, tamè noluit Dominus ipsum suis ignotum, ut intelligant, quam improbum hostem habeant, & quibus autoramentis ac premiorum inescationibus ille incautos animos sollicitare soleat, non ut animos despondeamus, sed uigilaremus: & hoc uictoriae exemplo rationem quoque uincendi disceremus.

Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Quemadmodum uices rerum sunt in humana militia, & lassitudo quiete, labores otio, tristitia iucundis, aspera mollibus recreantur, & finito conflictu celebrantur epinicia: ita in militia Christi & conflictu pro Euangelio, semper dura iucundorum laborumque uicissitudine leniuntur. Vnde post toleratam impuri spiritus impugnationem, quum nullus hominum in deserto praesidio adesset, qui afflicto, infirmoque, ac propemodum animam exhalanti medicas & adiutrices manus porrigeret, ac faueret, accedunt angeli, & Christo uictori subseruiunt. Quo exemplo docemur, ut in rebus tristibus spe laetiorum fulciamus animum, Dei bonitate freti, qui sic dispensat & moderatur omnia, ut subinde rebus asperis suos exerccat, probetque, quibus certissimè subueniet, si non per homines, aut alias creaturas, certè per suos angelos: & ubi desinet humanum auxilium, ibi incipiet angelicum. Salus, inquit psal. 36. iustorum à Domino est, & protector eorum in tempore tribulationis. Rursus psal. 67. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit uirtutem, & fortitudinem plebi suae. Exemplo erit Elias, cui sequuto suam uocationem, ac fugienti Isabelae tyrannidem, cum in deserto non adesset humanum auxilium, adfuit angelicum ministrans esurienti panem. Item Petrus, ut est in Actis, quem angelus è carcere, Herodis iussu clausum, eduxit. Ad nostram igitur consolationem hoc potissimum scriptum est, ut non dubitemus, multos nobis uicissim angelos (quum unus tentauerit diabolus) ministraturos, si fortiter in fide restiterimus & pugauerimus. Si enim in fide & charitate perstiterimus, tantum aberit, ut nos sinat Deus inopia plus aequo cruciari, ut citius missurus sit angelos suos, qui nobis ministrent, & qui qualibet nos necessitate, suo ministerio leuent. Obserua uocem, accesserunt. Non quod tunc primum accesserint, & Christo adfuerint: semper enim ei, ut Deo, seruiunt & ministrant, sed quòd paulò remotiores essent ab hoc conflictu, ne ipsorum uirtute Christus uicisse Satanam uideretur. Quando ergo conflictus fiebat, quòd Dominus angelico ministerio non uteretur, uidebantur abesse. Fugato autem & abacto Satana, angeli Domino ministrarunt, ceu qui tum confestim accessissent. De ieiunio & tentationibus Christi, simul & quale sit regnum Satanæ, eleganter scripsit diuus Cyprianus sermone de ieiunio & tentationibus Christi.

Cum autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset.

Tacet Euangelista Matthæus, quæ Christus gessit à uicto tentatore Satana, usque ad tempus uinculorum Ioannis Baptistæ, quorum præcipuam partem expressit Ioannes Euangelista. 1. 2. 3. 4. & 5. cap. Ex initio autem 6. capitis legimus Christum rediisse in Galilæam, circa quòd tempus uidetur Baptista ab Herode tetrarcha in uincula, fuisse coniectus. Atque ab hoc tempore uinculorum Ioannis ceperunt tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas texere suas historias de Salvatore nostro, quomodo maximè se omnium Saluatorem doctrina & miraculis comprobauit. Ioannes autem Euangelista, qui post illos scripsit, quum sciret quædam etiam ante illud tempus à Domino gesta, huc pertinere, Christi historiae illa ad-

Ioannes Euangelista alius suum Euangelium texiit atque ceteri, ut ante annum, uel eo plus.

Christus, suis eadem adest opitulatur.

Elias passus à Domino in summa fame per angelos. Petr⁹ iā morti destinatus, ab angelo saluatus.

Angeli, quomodo aliquando adfuisse Christo ministris scribitur.

Simile.

Tentationes, quibus agitur est Christus à Satana, quare ipse ignotas esse noluit.

iecit. A baptismo & Christi ieiunio ac uictoria usque ad hunc in Galilæam reditum intercessit plusquam annus. Cum ergo Dominus Iesus quinque milia hominum quinque panibus hordeaceis saturaret, percrescente fama, audiuit Ioannem cognatum suum ab Herode tetrarcha fuisse coniectum in carcerem.

Secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthalim.

Ioannis uidendi gratia ex eremo uenerat in Iudæam Christus. Notum est ex Ioanne, tertio capite, quòd aliquandiu Christus, cum discipulis in Iudæa moratus, baptizauerit, etiam cum adhuc baptizaret Ioannes in Ennon iuxta Salim, nondum in carcerem coniectus. Ergo primò è Iudæa Christus reuersus est Nazareth, ubi erat enutritus. Luc. 4. patriæ suæ primùm obtulit gratiam salutis. Est boni uiri, si quid donorum Dei habet, quo possit prodesse mortalibus, id offerre primùm patriæ, cupereque illi esse consultum bene. Licet enim diligendi sint omnes mortales, & nemini non sit benefaciendum: ipsa tamen naturæ lex, imò & Dei, hoc exigit, ut proximos diligamus. Et Paulus. 1. Timoh. 5. dicit eum infideli deteriorum esse, qui suorum rationem non habeat. Est enim ordo quidam dispensandorum beneficiorum, quem & ipse Christus, nihil minus quam personarum accceptor, seruauit. Sed ingratitude patriæ, ipsum eiecit, Luc. 4. Non credebant Christo Nazareni, quòd ipsis esset notus. Deinde succensabant ei quòd ipsos corripuisset: ideòque eum præcipitem è supercilio montis, ubi erat ipsorum ciuitas, agere conabantur, ut uerè de illis dixerit, non est propheta acceptus in patria sua. Morbus hic uetus est, sicuti & Christus exemplis Eliæ & Elizæ docuit, & nos hodie quoque experimur. Vilescunt, quæ sunt optima, quotidiana, diutina, abudanter exhibita & familiaria. Magnum erat bonum, quòd Christum habebant enutritum, in quo sunt omnes thesauri Dei. Sed quia erat apud eos educatus, facie & conuersatione notissimus, ideo etiam ad doctrinam eius obstupescere ceperint, tamen propter diuinam conuersationem, & parentum humilitatem, contemptim de eo sentiebant. Enimuerò quòd Christo accidit, hoc hodie apud multos uidere est, quibus Euangelium, quòd à notissimis audierant, mirum in modum uiluit. Quare? Quia simplex est & humilis doctrina, mundo isti & sapientibus, ac prudentibus contempta, deinde quotidiana: tertio, iam diu auribus nostris decantata: & præterea non per Episcopos, sed eos, prædicata, quorum propemodum nulla est autoritas. Sed quid manet istam ingratitude? Auferetur ab ipsis donum Dei. Sistetur ille spiritus gratiæ in ministris Dei, ut posthac tanto seruiore, quanto hæcenus, non dicant, imò ne possint quidem. Sic legimus infra, 13. & Marc. 6. Et non poterat ibi uirtutem ullam facere, nisi pauca quædam miracula, propter incredulitatem ipsorum. Deinde auferentur etiam ministri, ut relicta ingrata Nazareth, proficiscantur aliò. Ad hunc modum tota Iudæorum gens deserta est: quibus tamen Euangelium, ut domesticis, primùm oblatum est. Relicta igitur Nazareth, patria sua, & minus celebri urbe, secessit in Galilæam Gentium (in qua Salomon uiginti quinque ciuitates donauit Hire gentili regi Tyriorum) & contulit se in frequentissimum emporium Capharnaum, & habitauit ibi, id est frequentius ibi moratus est. Fieri potuit ut domesticam habitationem matris eò trãtulerit ob ingratam patriam Nazareth. Eiectum ergo à Nazarenis excipiunt Capharnaite. Ita non deest eiectis pro ueritate Dei, quòd se recipiant Capharnaum, ob hoc dicta maritima, quòd finitima sit stagno Genezaeth, in cuius litore sitæ sunt Capharnaum, Tyberias, Bethsaide, & Cherozain. Claudunt Galilæam à Septentrione Libani & Antilibani iuga: occiduam partem excipit Phœnicia: ab ortu terminatur Siria, quam κοιλὴν, id est decliuem, cognominant: à meridie Samaritæ.

Ioan. 3.

Patriæ quicquid optimus bene & uult & facit suæ.

Ordo in dispensandis beneficiis. Summum Domino Iesu naturale solum ingratum.

Vt optimum quicquid est, ita citissimè uilescit.

Quare Euan-gelica doctrina contemptim fit multis.

Neglectum uerbi Dei quid conuatur.

Capharnaum iubens Christus demoratus est.

Galilææ gentium deterioris.







Litera occi-  
dit.

literam cum legis tum prophetarum occidere, donec Christus sua gratia, Euangelij luce illuxerit, & legentem renouarit. Vnde Paulus 2. Corinth. 3. ait. Vsq̄ in hodiernum diem idipsum uelamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur. Nos uerò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquā à Domini spiritu. Tenebræ itaque & umbra mortis sunt, ubi non lucet Christus, aut radij spiritus eius. Paulus ad Ephes. 2. exponit, quid sit sedere in tenebris, & umbra mortis, nimirum esse abalienatum à Republica Israël, esse extraneum à testamentis, non habere spem, carere Deo in mundo, &c. Umbra mortis significat præsentem mortis obuersionem, ipsos terrores mortis, atque adeò perpetuā conscientiarum irrequietudinem. Sedere in tenebris, mira hypotyposis afflicti & desperati hominis, Icon scilicet sedentis in tenebris, perplexi inquam hominis, ac nescientis, quomodo à malis, quibus affigitur, sese extricet. Regionis uocabulo profundissimas tenebras intelligit. Regio enim à capacitate nomē habet. Mors hic, tanquā effectus ac pœna peccati, ponitur pro ipso peccato, & omnib⁹ reliquis effectibus & pœnis, ut pro priuatione claræ & ueræ uisionis ac cognitionis Dei, alienatione à spe, à Deo & huiusmodi. Et his omnibus opponitur lux orta, quæ hic significat, quicquid boni habet Euangelium, ut est, recôciliatio Dei, remissio peccatorum, uita, iustitia, illuminatio, &c, ut uno uerbo dicam, Christus ipse. Magnā uocat lucem propheta, ratione magnorum commodorum, quæ secum attulit hæc lux. Hæc omnia nos docent, omnibus qui fide & animo Christum recipiunt lucē oriri, & lucem uideri, quam dum iuxta eius radios & fulgorem sequuntur, æternū cum luce uiuūt. Alioqui qui in tenebris ambulat, Ioan. 12. ca. nescit quō uadat, unde à quo abest lux & Christi gratia, super eum non lucet bonitas, & in tenebris ambulante uersatur. Porro Galilæam dicit propheta sitam esse iuxta uia marris, quod in littore maris mediterranei, ueluti media inter Iordanem & mare, extendatur. Vel quod per Galilæam ex Assyriorum terra, & uicinis aliis regnis merces conuehebantur ad mare. Summa collationis huius loci, petiti ex Isa. 9. ca. hæc est, Quemadmodum olim rex Assyrius Galilæam Gentium primò deprædatus est, & captiuā abduxit: ita Dominus Iesus primum eam Galilæam partem diabolo abstulit, ac suo subdidit dominio. Et sicut olim sedentibus in umbra mortis, ac interitū iam iam expectantibus, lætus illuxit Deus: ita nunc toti orbi, ob peccata commissa desperato & damnato, per illustrem lætāque Euangelij prædicationem illucescit Deus.

Vbi non est  
Christus, ibi  
tenebræ, radij,  
& umbra  
mortis.Sedere in tenebris  
& umbra mortis,  
quid.

Regio.

Euangelium  
quid boni habet.Euangelium,  
lux.Galilæa primam  
Gentes depopulata  
sunt.  
Galilæa primam  
Dominus illustrauit.Ioannis Baptistæ  
officium.

Iasi. 11.

Quare à Galilæa  
cepit Iesus prædicare.

Vbi Ioannes prædicare desisset, in carcerem coniectus, & iam suo functus esset officio, quod fuerat, de Christo testificari, & præparare uiam eius, cepit Christus docere palām, & operari nostram salutem: quanquam celebra quædam cum dicta tum facta ediderit à baptismo, quorum multa reticet & omittit Matthæus, qui non singula & priuata quæque, sed maximè generalia perstringere uoluit. Atque hac luce adueniente clarissima, euanescere cœperunt umbra Mosaica, lex enim & prophete usque ad Ioannem. Hactenus expectauerat Christus, ut Ioannes testimonium de se prius perhiberet, & uelut præambulo, uia pararet Domino, quæ admodum antè dominos serui paraturi uiam præcedunt. Locum prædicationis Christi dicit Galilæam, ut ad primam præcursoris afflictionem, ad Gentes iretur, & lux (quam Iudæi nimio iam liuore excæcati, ferre non poterant) ad Gentes Idolatrias demigratura significaretur: ita tamen ut à confinio non recederetur, sed uelut in medio constituta, utrinque uocis Euangelicæ tuba audiri posset. Cū hoc loco audis Iesum cœpisse prædicationem post incarcerationē Ioannem, caue in anti-

num inducas, Christum, à tempore uictoriæ aduersus Satanam, filuisse: docuerat enim iam Ierosolymis, & in ciuitate Sichar, & in terra Iuda, ac discipulos habebat. Sed illo temporis interstitio, cum adhuc Ioannes prædicaret, & de ipso testimonium perhiberet, Christus potius doctorem, quam prædicatorem agebat, docens interim non occultè, sed palām, & cum doctrina tum miraculis, multos ad se pelliciens, ut testatur Euangelista Ioannes 2. 3. 4. & 5. cap. Decorum erat ut prædicante Ioanne, & præcursoris officium gerente, non prædicaret Christus, ad quem, ceu magnum doctorem & summum apostolum, mitteret ille auditores, ueritatem & dulcedinem doctrinæ ac uerborum Christi gustaturos. De hoc loco, ubi cœpit Iesus prædicare, mentionem fecerunt principes sacerdotum, cum præsentem Pilato Christum criminis læsæ maiestatis accusarent, dicentes: Commouit populum, docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa, usque huc, Lu. 23. Et Petrus A. & 10. cap. Vos scitis, inquit, quod factum est, uerbum, per uniuersam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth.

Christus aliquandiu docuit magis, quam prædicauit.

In bene cœpisse etiam minoribus succedere, nihil pendendum.

Procedit prædicationis Christi.

Inuitationes prophetarum similes exordio Christi.

Simile.

### Et dicere, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

Ne à se ablegaret Christus, quos ad se Ioannes miserat auditores, & sui grandis admiratio iam occuparat, à nota & familiari Ioannis doctrina prædicationem exorditur: interim lætans hos infirmos, quos postea firmiores factos, solidiore cibo pasceret, & simili exordio à Ioanne præparatos aliquando perficeret. Hoc exemplo monemur, ut quæ ab aliis, etiam minoribus, cœpta sunt bona, illa profequamur, & perficere non grauemur. Magnifica est hæc Iesu Christi prædicationis, summam totius Euangelij uno & altero uerbo complectens, Pœnitentiam agite: & Adest regnum cœlorum. Priore particula huius prædicationis arguuntur homines peccati, & ob id indigere gloria & gratia Christi. Posterior pars ostendit, iam adesse salutem, uitam, remissionem peccatorum, Scripturas impleri, Christum uenisse. Hæc proprie & maximè est uox Euangelij, scilicet Christum iam uenisse, adesse, & præstare, quod promissum est. Quid promissum est? Redemptio à morte, uita æterna credentibus. Vnde Marc. 1. cap. scribitur, Postquam autem traditus est Ioannes, Venit Iesus in Galilæam prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei, pœnitimini & credite Euangelio. Nam principio docuit tempus promissionis impletum esse: adesse enim nunc eum, per quem regni Dei participes efficiuntur: per quem regnet, & uiuat in nobis Deus, & per quem cœlum ipsum nobis aperitur. Hic Domini sermo affinitatem habere uidetur cum prophetarum sermonibus: Conuertimini ad me, dicit Dominus, & ego conuertar ad uos: Conuertimini, & uiuetis. Aetiologiam subiungit Dominus, cur conuerti, siue respicere, hoc est, pœnitentiam agere, debeant: Appropinquabit enim (inquit) regnum cœlorum (ubi obserua, appropinquabit pro appropinquauit positum, ut superius adnotatum est) tempus scilicet gratiæ & propitiationis. Quasi diceret, hæcenus seruitum est, & tenebris & umbris: instat lux: uel nunc tandem respicite, & in uiam redite, lucē sequimini, & relinquite studia uestra prima: iam enim adest regnum gratiæ: en præsens est, qui peccatores, quales fuerint, uocat: uocat uerò, ut sint filij Dei, & hæredes, ciuesque regni cœlorum. Videtur suadere & loqui Dominus, perinde atque si quis abdicatos à patre, & ideo alienatos filios ad patris mitigati clementiam erga ipsos reuocaret. Quod fugitis, o filij optimi? iam redite, & omnibus relictis domum paternam repetite. Nam paternus affectus patri uestro rediit. Aduenit tandem tempus, quo uobis commissa remittet, & paternè uos excipiet. Cauete, hanc modò occasionem perdere, ne postea calua fiat, & illam non possitis



apprehendere. Aut sic, Appropinquavit, &c. Quasi diceret: En pœniteat te veteris uitæ, & abiice abs te tantâ flagitiorum sarcinam, dolore animi & uera pœnitidine ac resipiscentia, & in rectam uiam redito. Nam optatum illud tempus aduenit, quo princeps in animum suum induxit, te uita donare, & ex hoc tam tetro carcere educere, ac, ut liberè uiuas, concedere. Hæc pœnitentia non debet esse sine maximo ob peccata dolore, & uehementi animi contritione cum proposito illa confitendi, & absolutionis beneficium petendi à ministro Christi, iuxta uerbum eius, Quorum remisistis peccata remittuntur eis, &c. ut audiatur lata illa prædicatione, conscientiam tranquillans, Appropinquavit regnum Dei, id est remissio peccatorum, & uitæ spiritualis collatio. Hæc sunt, quæ ex sacris patres nos docuerunt, pœnitentiam scilicet tres habere partes, Contritionem, peccatorum confessionem, & satisfactionem, quæ comitem habet carnis ac peccatorum mortificationem, uitæ conuersionem, & studiorum correctionem. Quæ partes siue satisfactionis comites, Christo innituntur, qui solus satisfecit, & id præstat, ut in ipso & per ipsum satisficiamus.

#### Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ.

Postquam exposuit, quantum satis est, summam doctrine Christi, quam is uenerat propagaturus, cum per se tum per aliquot delectos, iuxta prophetarum scripta: proximum nuncerat, ut chorum aliquem sibi deligeret uirorum, quos haberet familiares testes omnium, quæ faceret & diceret, & per quos deinceps totum mundum erudiret. Hæc sciens, ambulauit iuxta lacum, quem historici pingunt in confinio utriusque Galilææ. Est hoc mare, lacus, in quem Iordanis influit: de quo fluuio & lacu sic scribit Plinius lib. 5. 15. Ergo ubi prima conuallium fuit occasio, in lacum se fundit, quem plures Genesaram uocant, xvj. m. p. longitudinis. vj. m. latitudinis, amœnis circumseptum oppidis: ab oriente Iulide & Hippo, à meridie Tarichea, quo nomine aliqui etiam lacum appellant, ab occidente Tiberiade, aquis calidis salubri. hæc ille. Quia hic lacus alluit Tiberiadem, quam Herodes Tetrarcha in gratiam Tiberij Cæsaris nouam extruxit, ut meminit Iosephus lib. 18. cap. 4. mare Tiberiadis à Ioanne cap. 6. uocatur. Porro scriptura uocat hunc lacum Cinnereth, similiter Genezar & Genezareth, quod interpretatur hortus, uel protectio principis. Nobilitatus fuit hic lacus uocatione apostolorum, à Christo iuxta ripas eius facta. Habes elegantissimam huius lacus simul etiam regionis uicinæ descriptionem apud Aegleppum lib. 3. cap. 26. de excidio Ierosolymorum. Ab hoc lacu Genezareth dicta est etiam regio illi uicina Genezareth, habens in superiore stagni litore Capharnaum, postea Bethsaida, quam Philippus Herodis frater, edificatam & exornatam, Iuliam homonymam Iulie Cæsaris filie uocauit, ut author est Iosephus lib. Antiquit. 18. cap. 3. Tiberias addecorat littus inferius. Colligamus ex his, idem esse mare Galilææ, mare Tiberiadis, & lacum uel stagnum Genezareth. Hæc obseruanda scripsi, quod intelligam non parum lucis afferre iis, quæ narrant Euangelistæ à Domino circa hunc lacum & in hac regione gesta. Obserua. Hebræi magnam congregationem aquarum uocant mare. Nos uel paludes, uel lacus, uel stagna dicimus.

Vidit duos fratres, Simonem, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare.

Vidit, & suo intuitu exeruit uim & energiam quandam, qua uisos perpetuo suo comitatu idoneos reddidit. Vocauerat iam primùm Andream, similiter & Simonem cui nomen Cephas indidit, Ioan. 1. cap. Sed nondum relictis omnibus perpetuo comitatu & famulatio eius addicti erant. Petrus & Andreas germani fratres erant, quorum pater Ioannes dictus. Hi prius audito Ioanne Baptista sequi ceperant Christum. Sed utroque relicto redierant ad piscatoriam artem, qua sibi te-

Vt pœnitentia salutaris sit, quid necessarium.

Pœnitentiæ partes.

Per Christum unum satisficiamus Deo

Genezareth, lacus descriptio.

Mare Hebræis.

Vocationes Simonis & Andree.

nuem parabant uictum. Hic cum à Christo uisi sunt, satagebant in suo negotio, mittentes rete in lacum. Hæc omnia, præludia sunt boni ominis. Primò cernuntur cõcordes fratres mutuo studio sese iuuantes: deinde, simplex & innoxia ars, qua parabatur è publico lacu tenuis uictus. Rursus piscatio ipsa, quæ nouam & inauditam ominabatur piscationem, non quæ lineis retibus ad saturandum uentrem pisces pararet, sed quæ reti sermonis Euangelici homines terrenis curis & peccatorum inundationibus immerfos expiscaretur & eucheret ad cœlestis uitæ desiderium. Ad huius loci cum Luca cap. 5. conciliationem, uidetur, quod antequam hos discipulos hac postrema uocatione ad perpetuum sui comitatum uocaret, edidit miraculum illud, quo Petrus & alij, posteaquam nihil tota nocte prendiderat, iacto reti in uerbo Christi, tantam piscium multitudinem ceperunt, ut rete rumpereret, uolens hoc miraculo non solum insinuare, frustra & in casum fieri omnia sine suo uerbo & sua uirtute, quod si adsit, succedent omnia feliciter, sed etiã simul animare hos discipulos ad sequendum se pauperem, & à suis contribulibus paulò antè non reiectum tantum, sed etiam morti adiudicatum, quandoquidem è montis cacumine præcipitè dedissent, nisi per medium transiens, furorem ipsorum euasisset, Lu. 4. cap. Vnde uiso miraculo statim clamauit Petrus, uoces contritæ conscientie, ex peccatorum cognitione, Discede à me, quia homo peccator sum: agnoscens suam indignitatem, & confitens Christi sanctitatem. Sed enim exterritos consolatur Christus, dicens, bono animo estote. Non ego sum intuitus uos, neque exerui meam uirtutem, ut uos absterrerem, sed potius ad me sequendum inuitarem. Nolite igitur orare, ut à uobis discedam, sed curate potius, ut relictis omnibus, me sequamini. Neque animos despondeatis, quod peccatores sitis, ego ueni, ut peccatores sanem, & constituam uos piscatores & captores hominum, quorum cum peccata remisistis, erunt remissa in cœlis. Et qui potui uerbo meo in rete uestrum tantam piscium multitudinem adducere, ut ut paulò antè uanum uidebatur esse, quod nihil tota nocte prendidissetis, idem uirtute mea dabo uobis, ut uerbo, ueluti reti, innumeros homines capiatis, & ad uitam æternam, sequentes uerbum uestrum, adducatis. Post igitur hoc editum miraculum, uocauit Petrum & Andream ad perpetuum suum comitatum. Quantùm attinet ad filios Zebedæi, permisit prius ad terram naues subducere ac retia sua, ex copiosa piscium multitudine, fracta, sedentes reficere, quod nominatim exprimit noster Euangelista, & tunc demum ipsos euocauit, ut sibi essent comites perpetui. Quare ordo historie uidetur ad hunc modum habere. In primis Dominus postquam per synagagas Galilææ docuerat: uolens & aliis ciuitatibus prædicare, obruebatur à turba, unde in nauim Petri & Andree se recepit, & miraculo de multitudine piscium edito, uocauit Petrum & Andream ad sui perpetuum comitatum, promittens se facturum eos captores hominum. Deinde cum iam ad littus subductæ essent nauiculae, & fortè in suam stationem seorsum filij Zebedæi se recepissent, nam nondum erant ad perpetuum comitatum uocati, progressus paululum, offendit Ioannem & Iacobum, reficientes rete suum, quos ut uocauit, sequuti sunt ipsi eum, & relictis omnibus & patre, facti sunt perpetui comites Christi. Antè quidem discipuli erant, ab ea prima uocatione, quam scribit cap. 1. Ioannes Euangelista, sed nondum relictis omnibus ceperant perpetuò comitari. Hæc sunt, quæ mihi uidebatur scribenda, ad insinuandam unam & eandem uocationem, quæ ibi, & à Luca cap. 5. scribitur, de qua cum nullo contendere uelim, sed melius differentem, lubètius audire malim, uolens omnia, quæ scribo iudicio Ecclesie submitti, à qua qui recesserit, & impius & temerarius iure dicitur. Cum à Paulo, 1. ad Timoth. 3. dicatur columna & firmamentum ueritatis. Obserua: Vox Andreas producit mediam apud Iuuenicum libr. 1. de Euangelica historia: Andreamque simul sinuosa uolumina lini. *ὁ πρὸ τοῦ ἀνδρὸς* id est à uiro, uirilis dicitur. Doctorum tamè huius tem-

Ars piscandi Apostolorum omne sequitur felicitatis piscationis.

Omnia uana & casta absque uerbo.

Vocatio filiorum Zebedæi

Ordo uocationum apostolorum.

Ab Ecclesie decretis & iudicio nemini ne larum quidem unquam descendendum.



poris opinione & sententia corripitur in penultima, eò quòd apud Græcos per  
cpsiion scribatur. Simon interpretatur obediens, & penultimam genitiui produ-  
cit. Horatius, Pythias emuncto lucrata Simone talentum.

## Erant enim piscatores.

Hic uidemus philosophiæ Euangelicæ exordia, & qualem pompam ac strepi-  
tum habeat schola Euangelica. En pauculos accersit Christus piscatores, idiotas,  
plebeios, ac pauperculos, humilibus & infirmis delectatus. Cur ita? ut eius uirtuti  
omnia accepta feramus. Accersit, inquam, non pigros uentres, qui nati consu-  
mere fruges, negligunt Ecclesiæ proficere. Suos enim uocaturus Iesus Christus,  
non est ingressus porticum philosophantium, uel scholas doctorum, uel aulam  
nobilium, & diuitum ædes. Non humana sapientia turgidos, non propria sancti-  
monia & iustitia arrogantes ac elatos, uel uana opinione eruditionis corruptos,  
futiles & loquaculos, otiosos, ac curiosos, uel generis nobilitate stolidè gloriâtes,  
aut etiam confidentes fluxis & perituris opibus, delegit: sed humiles, modestos,  
probos, constantes, simplices, laboribus affuctos, plebeios, & afflictæ ac propè nul-  
lius fortunæ homines: neque hos tamen interim stolidos, stipites, rerû imperitos,  
sed apud omnes ciues, popularésque suos, propter honestatem, frugalitatem, ac  
motum integritatem nõ obscuros. Causam uerò, cur tales elegerit Dominus, red-  
didit apostolus, I. Corinth. I. Verba, quia notissima sunt, non repeto. Diuus Hiero-  
nymus paucissimis uerbis summam rei comprehendens, Illiterati (inquit) mit-  
runtur ad prædicandum, ne fides credentium, non uirtute Dei, sed eloquentia at-  
que doctrina fieri putaretur. Hæc ille. Veritas Dei, quia per se firma est, deinde di-  
uina uirtute probè munita, non habet opus mundanæ sapientiæ uel potentiæ sub-  
sidio. At falsa doctrina, quia per se subsistere non potest, opus habet, ut humana  
industria, & uiribus huius seculi suffulciatur. Mendacium multo opus habet arti-  
ficio, ut uerisimile uideatur: opus habet etiam tyrannide, ut uiolenter defendat-  
ur. Huius seculi principes eos, qui eximia sunt prudētia, doctos, robustos, & no-  
biles, administrandis regni negotiis præficiunt. Quare? quia impotentes sunt, nec  
possunt dare ministris suis sapientiam & prudentiam, & quæ alia, ad obeunda ne-  
gotia necessaria sunt: ideo opus illis est, ut doctos, sapientes ac prudentes eligant.  
At hic Rex Iesus Christus ex infirmis robustos, ex indoctis doctos, ex ignobili-  
bus nobiles, ex rudibus & rerum imperitis doctos & intelligentes diuina sua ui-  
tute reddere potest, ita ut illis cedere cogatur quicquid in hoc seculo eximium est.  
Hac ratione magis faciebat ad gloriam Christi, ut idiotas eligeret, quàm doctos  
& eximios. Proinde ueritas Christi per Apostolos orbi inuulgata, ut lux est, ita  
per se satis est commendata, adeò ut per uiros ignobiles & humiles, attamen Dei  
timentes, & spiritu Christi imbutos, probè possit administrari. Nec ideo tamen  
aspernandi sunt Apostoli, quòd nullibi leguntur fuisse exculsi disciplinis: opus  
potius est spectandum expendendumque, quod suis laboribus effectum relique-  
runt. Non potuerunt eloquentes Gentium philosophi, nisi pauculis quibusdam  
discipulis suis, suam quisque sententiam de Deo, & cultu Dei, deque iustitia &  
uera felicitate persuadere. Fuerunt olim legislatores sapientissimi & eloquentis-  
simi, sed non potuerunt uel finitimos inducere, ut ad suas leges uitam instituerent.  
Celebratissimus ille Solon, Draco præterea, & Clisthenes Athenienses, leges qui-  
dem tulerunt. Neque tamen, ut Atticis uterentur legibus, uel Megareses, uel  
Euhoicos, uel Thebanos conterminos populos adducere, quantumuis Attica in-  
structi eloquētia potuerunt. At simplices isti piscatores nostri, non solùm Græcos  
istas gentes, sed etiam Romanos, & nationes barbarissimas, Scythas, Massagetas,  
Sauromatas, Indos præterea, Aethiops, Persas, Seras, Hyrcanos, Colchos, Gallos,  
Britannos, Cimmericos, & ipsos Germanos, & ut semel dicatur, omne genus ho-

Cur Christus  
inopes, rudes  
& c. acciuit in  
discipulos.

Diuina hu-  
manaque do-  
ctrina quid  
dissent.

Nihil habet  
opus Deo ex-  
ternis præfi-  
diis.

Opera nõ li-  
tera primùm  
spectanda in  
homine.

Apostoli quæ  
liber imperi-  
ti, philoso-  
phos & sapie-  
tes seculi ui-  
cerunt scien-  
tia, uirtute &  
prudētia.

Apostoli, qui  
bus artibus  
fultis mundū  
uniuersum  
traxerunt ad  
fidē in Chri-  
stum.

minum, nationésque omnes impulerunt, crucifixi Christi leges accipere, non ar-  
mis usi, non delecta militum ui, non uerborum exquisita elegancia, sed simplicissi-  
ma & uerissima prædicatione Euangelij Iesu Christi, qua in admirationem sui  
trahebant doctos ac potentes. Vnde, Act. 4. legimus: Videntes autē Petri in dicen-  
do constantiam, ac Ioannis: compertoque, quòd homines essent illiterati, & idio-  
tæ, admirabantur, & agnoscebant eos, quòd cum Iesu fuissent: hominem autem  
uidentes stantem cum eis, qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere. Ecce ad-  
uersarij Christi docti, sapientes ac potentes, comperto, quòd Apostoli isti, homi-  
nes essent idiotæ & illiterati, obstupescunt & confunduntur, nec inueniunt, quod  
contradicant. Cæterum, quod magis mirandū est, ea quæ mundo annuntiârunt,  
præter quàm quòd omni caruerunt sermonis exquisito cultu, eius generis sunt, ut  
nihil inde magnificum nostris oculis ac perspicuum proposuerint. Neque enim  
regnum ostenderunt, quod hîc uideri à futuris possessoribus queat. Non illi pur-  
pura exornatum regem, non corona & uictoris insignē demonstrârunt, sed præ-  
sepe, cunas, fascias, fugam, & paupertatem ostentabant. Præponebant, quæ Chri-  
stus perpassus est, infortunia, infirmitas, famem, sitim, lassitudinem, dolores,  
inuidiam, odia, tædium. Post hæc autem omnia superaddebatur supplicium illud  
passim ab omnibus decantatum, Alapæ cum colaphis indignissimè in maxillas  
incussæ, terga flagris discissa, imò totum corpus plagis afflictum, gestata crux, pe-  
dibus & manibus infixi clauis, corona ex acutissimis spinis composita, capiti affi-  
xa, lancea in ipsum adacta pectus, acetum sitienti porrectum, mortis denique ge-  
nus ignominia & cruciatu perhorrendum. Et tamen cū hæc & similia narrarent  
Apostoli, persuaserunt tamen cunctis hominibus eum, de quo hæc narrabant, esse  
Dei filium, saluatorem mundi, Deum uerum ante secula genitum, factorē te-  
rum omnium, qui humanam assumpsisset naturā, atque salutem humani generis  
perfecisset. Ipsum testabantur resurrexisse gloriosum, & præordinatis apparuis-  
se. Quadragesimo item die à resurrectione ascendisse ad dexteram patris. Et misit  
se spiritum suum in discipulos, ipsumque expectandum iudicem, ante quem si-  
stentur omnes resumptis corporibus, audituri atque accepturi prout uniusquisque  
gesserit, siue bonum siue malum. Neque uerò horum omnium tenuem fidem fe-  
cerunt, sed adeò profundis nixam radicibus, ut ingens hominum multitudo, pro  
his dogmatis retinendis, mortem libentissimè sustinuerit, eaque inficiari uolentibus  
non linguas ad defensionem obiecerit, sed flagris humeros, sed lampadibus  
latera, ferreisque unguis totum corpus, & ceruices gladiis supposuerit: palis in-  
fixa constiterit, & ab immanibus se feris laniari intrepidè conspexerit. Hæc longè  
pluribus tractantur à Theodorito Cyrensi episcopo libro contra Græcos, ex quo  
hæc fermè transcripsimus. Ne itaque pudeat quenquam simplicitatis Euangelicæ,  
quæ in mûdo turgida illa & exulta philosophia longè efficacior fuit. Venire post  
Christum siue sequi Christum, est obsequi Deo, Deum obseruare, illius se fidei,  
cura magisterioque concredere, ab illo pendere, & in illum respicere perpetuò,  
adherere ei indiuisè, & imitari ipsum per omnia. Postulat ergo Dominus à suis  
discipulis, ut se totos componant ad uoluntatem, doctrinam, & exemplum suū.  
Hoc qui faciunt, uerè sequuntur Dominum. Qui alios sibi magistros, alia dog-  
mata, & aliena exempla deligunt, libidinem animi sui, & non Dominū sequun-  
tur. Differt hæc uocatio ab ea, de qua dicitur, 10. capit. Nam hac recipit in curam  
& institutionem discipulos, quos doceat, & magistros omnibus nationibus mit-  
tendos instituat, in 10. cap. ad docendum ablegat in Iudæam, quos docuerat cate-  
chizari. Vtraque quidem necessaria est, sed nisi illa præcedat, inutilis & inefficax erit  
posterior. Prius enim discendum est, quod doceas: non autem docendum, quod  
nunquam didiceris. Hic non uocantur discipuli, ut mox prædicent, sed ut cū Do-  
mino circumcuntes, omnium ipsius dictorum & actorum spectatores sint & au-

Apostoli pro  
illiteratis &  
idiotis, tamē  
admirationi  
habiti.

Apostoli ni-  
hil aliud quā  
ignominia &  
cruentum polli-  
cebantur in  
hoc mundo.

Christus ab  
Apostolis  
propositus ac  
prædicatus  
mûdo, humi-  
lis & excel-  
sus, infirmus  
& potēs, mor-  
tuus & uiuus,  
homo & Deus

Fides omnia  
aspera uicit.

Lib. de cur.  
græc. affect.

Venire post  
Christum, si-  
ue sequi Chri-  
stum, quid.

Apostoli pri-  
mum edocti,  
postmodum  
emissi.



ditores. Erant enim, tanquā diuinarū rerū rudes, primū instituenti, & formā-  
di. Atque hoc est, quod Christus ait, Venite post me: quasi dicat, Estote discipu-  
li mei, & continui affectatores, & instituem uos, & ad hoc instructos reddam, ut  
seruiatis mihi in piscandis hominibus. Hæc est prouidentia Christi, qua statim  
predicationis suæ intio formandos eligit, & uocat, qui postea nostræ salutis seruiat.  
Hoc exemplo Christi discemus, uocandos esse ad ministerium uerbi, qui exerci-  
tati sint in doctrina pietatis, quemadmodum uidemus Apostolos in schola Chri-  
sti exercitatos, antequam mittantur ad prædicationem. Vidant ergo ne illotis  
manibus aliquando uerbum Dei tractare incipiant qui rerum omnium imperiti  
sint, & nunquam in sacris literis exercitati: id quod haud dubiè maximo cum Ec-  
clesiæ detrimento, ueritatique inæstimabili iactura fieret. Notent hoc in primis,  
qui ad exemplum Apostolorum putant indoctos & rudes ministerio uerbi desti-  
nandos esse: quasi aptus sit ad prædicandum regnum Christi, qui nihil ad eā fun-  
ctionem adfert, nisi ignauam quandam incertiam. At Apostolus exigit episcopū,  
qui sit instructus sana doctrina, & potens in sermone, ut possit non solum docere  
ignaros, sed contradicentes refellere, ad Tit. 1. cap. Et Timotheum admonet, ut  
iugi sanctorum scripturarum lectioni incumbat, 2. Timoth. 3. Caterū quia nos  
nostris uocibus nullam addere ex nobis, tanquam ex nobis, possumus energiam,  
qua hominum pectora transformare liceat, ac ipsis persuadere, ut huic se dedant  
functioni: orandus est Dominus, cordium rector, ut is egregios animos in mini-  
sterium hoc diuinissimum & maximè necessarium inclinet.

Et ait illis, Venite post me.

Vocat Petrum & Andream Dominus ad peculiare apostolatus officium, ut per-  
petui sint illi comites. Ut paulò antè diximus, uerbo, Venite, inuitat ad sequendum  
se Christus, quod est gratiæ: Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi. Venimus  
post Christum Patre trahente, Filio uocante, & Spiritu sancto duce.

Et faciam uos fieri piscatores hominum.

Argumento à promissione rei arduæ, & maximè necessariæ, intentos neces-  
sitati corporis interpellat, & inuitat ad ministerium Apostolicū. Quasi diceret, Se-  
quamini me, & à me discetis artem longè meliorem, quam à patre didicistis, &  
quam didicisse non uos pœnitebit. His addit Christus promissionem. Nam ego  
post hac efficiam uos piscatores non piscium, non auri, argenti, luxus, & honorū,  
sed hominum. Piscandi artem nequaquam deseretis, sed in melius commutabi-  
tis. Nam, piscamini pisces, sed in ipsorum perniciem: piscabimini homines, sed  
in ipsorum salutem & uitam æternam. De hoc alibi Petro dixit, Dabo tibi clauas  
regni cœlorum. Rursus: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,  
remittuntur, & quorum retinueritis, retenta sunt. Huc pertinet, quod scribit Hie-  
remias, 16. cap. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabun-  
tur eos. Allegoricè: hæc intelligit de doctrina, qua hominum mentes captæ, id est  
persuasæ ueritatis, Deo sese consecrant. Alibi enim rete significat uirtutem E-  
uangelij. Piscatores ergo prædicatores esse cognoscuntur, qui Euangelij sancta  
prædicatione homines incantant & capiunt, non ut tyrannidi suæ subiciant, sed  
ut liberati illi à diabolo, serui ac captiui sint Dei, Deoque obediant. Quemadmo-  
dum Paulus, 2. ad Corinth. 10. allegoria à re militari ducta, Arma militiæ nostræ  
(inquit) non carnalia sunt: sed potentia Deo, ad destructionem munitio-  
rum, con-  
silia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, &  
in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Finis ita-  
que prædicatorum & studioforum uocatorum ad ministerium uerbi Dei sit, quā-  
plurimas animas Christo lucrifacere, diabolo eripere, & Deo consecrare.

Ad ministe-  
rium uerbi  
qui dimitten-  
di.

Apostolus Epi-  
scopus, qui  
docti sunt, exi-  
git.

Cuiusmodi  
piscatores ius-  
sit Christus  
suos esse Apo-  
stolos.  
Infra 16.  
Ioan. 22.

Rete pro ui-  
& energia  
Euangelij.  
Ezech. 12. 19.  
32.  
Ose. 7.  
Abac. 1.

Scopus mini-  
strorum uer-  
bi Dei.

At illi continuo relictis retibus sequuti sunt eum.

En potentia uerbi, & energiam uocationis diuinæ in apostolis, qui nihil conta-  
ti, nec solliciti, quis cibum in posterum suppeditaret, simplici uerbo adhærent, &  
se comites Christo adiungunt, etiam parati nihil non, quamlibet difficile aut du-  
rum, subire ad huius comitatus tuitionem. In eo declarata est uiuæ fidei natura,  
quod citra rationis humanæ consilium uerbo uocantis Christi obedierunt, idque  
absque ulla tergiversatione, ac nihil causati. Non enim dixerunt, Prospiciemus  
primū nostræ rei familiari: aut, quomodo ille dicebat, Luc. 9. Permite primū,  
ut sepeliā patrem meum. Deinde non rogant, quem finem esset habitura hæc  
uocatio, & unde esset uiuendum. Præterea nec suam ipsorum uilitatem expen-  
derunt. Potuerunt cogitare, Quid est, quod nos uocat homines piscatores, ac nul-  
lius dignitatis? Quid per nos efficiet? Si Christus ille est, cur non uocat potentio-  
res? Potest fieri, ut fallatur. Nihil horum cogitarunt. Quare? Quia uiuæ fidei du-  
ctu, non rationis humanæ cōsilio, sunt usi. Vbi fides obtinet, ibi cessat rationis hu-  
manæ prudentia. Sed unde tantum in illis potuit fidei ductus: ex operatione Spi-  
ritus, corda credentium moderantis. Tale erat, quod in Eliseo quoque declaratum  
est, 3. Reg. 19. Relictis itaque retibus sequuti sunt Christum. Nam cum non pos-  
sent simul uocationi & patris curæ incumbere, piè & religiosè fecerunt, relictis  
retibus & patre sequentes Christum. Hoc enim dum faciunt, doctrinæ Christi  
obediunt, quem præ omnibus deligunt & diligunt, dum patrem, matrem, fratres,  
forores, imò & uitam propter ipsum oderunt: hoc est omnibus præferunt, & præ  
Deo nihil habent. Iste est animus uerè Christianus, quem geras oportet erga pa-  
trem, matrem, fratres & huiusmodi, ut simul atque uolet Dominus, nihil conta-  
tus nec moratus, libenter cunctis ualedicas, quemadmodum uides hoc loco disci-  
pulos uniuersis simul rebus ualedixisse. Quod si adiunctus sis parentibus, liberis  
aut aliis huiusmodi, & non te auocauerit Dominus, caue illos deserat, ne ethnico  
deterior sis, & fidem abnegasse iudicaris, 1. Timoth. 5. Porro alibi Petrus de his  
commonescit Christum dicens, Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te.  
Sed respondebit quispiam. Quid? tantū ne est relinquere lacerum rete, & fatiscen-  
tem nauim? Si reliquissent propter Christum regnum aliquod aut principatum,  
id demum sermone dignum fuisset. Nunc autem tantum relinquunt saccum, &  
rete fractum. Respondeo: in hoc negotio non est iudicandum secundum fortuna-  
rum aut rerum æstimationem, aut collationem retis, aut nauis, cum regno: sed  
iuxta conditionem eorum, qui has res relinquunt. Manifestum est, quā ridicu-  
lum haberetur, si quis reticulum lacerum cum regno aut opibus regis conferret.  
Sed si cōditiones inter se conferantur, proculdubio quod est regnum regi, & quod  
sunt diuitiæ Croeso, hoc sunt piscatori nauis & rete. Illi è suis regnis & diuitiis ha-  
bent, ut uitam ducant suæ conditioni consentaneam, habent & hi quoque è reti &  
nauis, ut suum uitæ genus conferuent. Vnde cum relictis retibus & nauis sequuti  
sunt Christum, non minus obedientiæ tribuerunt, quā si reges fuissent. Exem-  
plo erit, pauper illa uidua, quæ pro penuria sua omnia quæcunque habebat misit  
in gazophylacium, & Domino iudice plus dedit, quā reliqui, etiam ditissimi,  
Ierosolymitani.

Et procedens inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, &  
Ioannem fratrem eius, in nauis cum Zebedæo patre eorum, resi-  
cientes retia sua. Et uocauit eos.

Progressus aliquātulum Christus ab eo loco, ubi Petrum & Andream uocauit,  
conspicatus est duos fratres Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, quos eadem  
scapha habebat artem eandem profitentes, quam Petrus & Andreas. Oblectabat

Viua fidei e-  
nergia.

Quid fuit,  
quod Chri-  
stum Apo-  
stoli nihil cōta-  
ti, sequuti sūt

Parentes ec-  
quando, &  
quomodo re-  
linquendi pro-  
pter Christū.

Infra 19.

Quanti pen-  
denda, quæ  
Apostoli reli-  
querunt.

Marc. 12.



Christum & concordia fratrum, & studium quo patrem senem & pauperem adiuuabant, ac pascebant. Hos, dum reconcinnandis ac faciendis rebus uehementer intenti essent (pauperes enim erant) Dominus interpellauit, & uelut obiter transiens, uocauit, iubens, ut se sectarentur. Dum uocat Dominus, suam animo eius, quem uocat, bonitatem ostendit, qua re luculenter declarat, quam sit humanae salutis sollicitus. Hęc nobis suauissimam afferunt consolationem, fidem corroborant, & delectationem accendunt, si illa pie & religiosè meditati fuerimus, credentes Christum non minus pro nostra quàm illorum salute sollicitum, modò & nos similiter pro fratrum salute solliciti fuerimus. Hi duo Iacobus & Ioannes fuerunt filij Zebedei, prohi, sed tenuis fortunæ, uiri. Fuit hic Iacobus quem Herodes decollari iussit, ut scribitur Act. 12. cap. uir multæ liberalitatis, pietatis, & constantiæ. Ioannes autem is est, cuius hodie Euangelium, secundum Ioannem inscriptum, omnibus legitur Ecclesiis.

Christus semper nobis prospicit.

Iacobus maior.

Ioannes Euangelista.

### Illi autem statim relictis rebus & patre, secuti sunt eum.

En, uirtus & energia Christi apparuit (qui totus cœleste numen, quo plenus erat, spirabat) qua Iacobus & Ioannes simplicissimæ fiducia iuuenes, neque patris neque retium memores, sese comitatu Iesu adiunxerunt. Antea, hos præparauerat Ioannis prædicatio, docti etiam fuerant à Christo: singularis indolis & animi promptitudinis ergò commendabantur ab omnibus, sed retia adhuc curabant. At nunc audito uocante, sequuti sunt uocantis afflatum. Obserua, Retia sunt curę rerum humanarum, quibus relictis, sequuti sunt Christum. Quòd autem piissimi filij dicuntur reliquisse grandæum patrem, nemo ita intelligat, quasi omni affectu desyderij, amoris, & pietatis expectorato, in beluas degenerarint, & omne in patrem officium neglexerint, sed quòd uocationem suam, & studium Christi, omnibus suis affectibus præulerint, adeò ut re sic flagitante, magis elegerint patrem quàm Christum deserere. Præterea relictò patre, & domestico consortio, nunc Dominum sequebantur, ex illius doctrina percepturi, quod aliquando aliis traderet. Interea tamen si quid officij in patrem & familiam conferre licuisset, nuspian suis deerant, in primis tamen, ea, quæ Domini & uocationis suæ erant, curabant: interea dimittebant mortuos sepelire mortuos suos, & sequebantur suam uocationem. Sic de Petro infra 8. ca. legitur, quòd domum adhuc habuerit, & post resurrectionem ad piscaturam redierit. Et Matthæus infra. 9. cap. licet confestim sequutus sit uocantem Dominum, postea tamen magnum illi in domo sua conuiuium instruxit. Apostoli igitur ante plenam in Pentecoste spiritus receptionem, quantum exiebat uocationis ratio, sua relinquebant, ubi uerò per uocationem licebat, & necessitas exigebat, rursus suis aliquantisper dabant operam, & suis utebantur. At ubi in orbem fuerunt amandati, habentes orbem sibi communem, propter iniunctum Apostolatam, de Euangelio uiuebant, metentes illorum carnalia, quibus seminabant spiritalia. Hoc exemplum Apostolicum nisi imitati fuerimus, ac nisi studium Christi nostris præulerimus affectibus, non poterimus fideliter seruire Christo.

Qui exultantur filij Zebedei, quòd reliquerunt patrem.

Apostoli quomodo reliquerunt omnia.

Quam ambrosia & superba pompa, instructaque acie procedat Christus aduersus mundum.

### Et circumibat Iesus totam Galilæam.

Matthæus rem singularis studij, & paterni affectus, plenam breuissimè complexus est. Hęc sunt publicatæ philosophiæ Euangelicæ exordia, qua Dominus salutem humanam consuluit. Nullus strepitus auditur: nulla uidetur pompa: pauper & humilis conspicitur comitatus: nam pauper Iesus, qui multo cum labore tota obambulat Galilæam, pauculis, & his piscatoribus, idiotis, plebeis, & pauperibus contentus est. Obambulante Christo totam Galilæam, sunt nouissimi primi: Nam Galilæa quæ humilis olim erat, & tenebris ac umbra mortis oppressa, illustratur magnifica & saluifica luce. Attende, pie lector, quàm immensa sit erga homines

Iesu Christi charitas, qui ipse laborem & itineris fatigationem nihil moratus, totam perlustrauit Galilæam. Agnosce & tu in eo singulare studium succurrendi miseris, quòd non simpliciter dicit Galilæam, sed addidit totam. Obserua prædictum esse Ezech. 34. quòd hic Christus fecisse scribitur, Ecce ego (inquit) requiram oues meas, & uisitabo eos, sicut uisitator pastor gregem suum, &c. Prophetiam hanc diligens ac bonus pastor circumeundo, docendo, ac sanando adimpleuit. Et hoc pacto discipulis, quos recens uocauerat, exemplum piscaturæ proposuit, de qua dixerat, Venite post me, faciam uos piscatores hominum.

Christi charitas erga nos.

### Docens in synagogis eorum.

Ne quis suspectam haberet Christi doctrinam, non in angulis aut in deserto, sed frequentibus Iudæorum synagogis docebat Christus, non aniles fabellas, sed quæ ad mores, legem, & ad religionem ac pietatem maximè spectabant. Synagogas itaque Hebræorum ingressus, & in eis docens, ostendit se neque legi, neque ueritati contrarium. Interpretabatur enim prophetias, & latentem in lege sensum aperiebat. Obserua. Videtur ædificatio synagogarum ex legis instituto defluxisse. Legirius enim leuiticas urbes nõ paucas per omnem Israëlitis terram, per Mosem, Numcr. 35. cap. diuinitus esse ordinatas, in quibus habitarent ministri uerbi, ac religionem traderent finitimis circumquaque uiculis populisque. Primus Hieroboam Rex impius Israëlitis, instituitis duobus templis cathedralibus, sanctum Dominum institutum; in decem tribubus dissipauit. Quòd tamen, ubi è captiuitate Babylonica rediissent, Israëlita restaurasse uidentur, extructis passim in locis paulò celebrioribus synagogis, in quibus per sabbata legem doceretur populus, qui secundum legem ex agro & urbibus suis non nisi ter in anno Ierosolymam proficiscens, sacra frequentabat: quum domi interim sola doctrina, quæ in synagogis tradebatur, citra sacrorum exercitium, exerceretur. In his ergo scholis, auditoriis, siue cœtibz atque conuentibus solebat Dominus docere. συναγωγη congrego, & συναγωγή, cogere in unum, & συναγωγή, congregatio. Synagoga ergo est congregatio cocuentis populi: sed ponitur interim & pro loco, in quo solet conuenire, congregarique populus. Quemadmodum & Ecclesia uocabulum, quòd & ipsum à Græcis desumptum est, propriè quidem concionem significat, hoc est, populum euocatum ad audiendum de reipublicæ negotiis: interim tamen & pro loco, id est templo usurpatur, in quo solet conuenire concio. Veteres scriptores Ecclesiastici plerunque ponunt Synagogam pro cœtu populi Iudaici, Ecclesiam autem pro cõmunionem Christi fidelium. Equidè arbitror idem significare Synagogam & Ecclesiam. Sed ideo nunc rarius nobis tribui uocabulum Synagogam, quòd per illam intelligant plerique Iudæorum cœtum, quamobrem ingratum & inauspicatum cœpit haberi. Ergo ut doctrinæ apostolicæ nouum datum est nomen, ut iam non dicatur Lex, sed Euangelium: Ita apparet Ecclesiam & non Synagogam appellari nunc, tam ipsam concionem fidelium, quàm locum, in quem religionis Christianæ gratia conueniunt fideles, ad orandum, psallendū, & sacramenta recipiendū.

Vbi & quid docebat Christus.

Synagogarum ædificatio unde orta.

3. Reg. 17.

Synagoga in qualibet ciuitate Iudææ.

Synagoga, quid.

Ecclesia quid.

### Et prædicans Euangelium regni.

Non terret metu gehennæ, quemadmodum fecerat Ioannes, sed omnes beneficiis gratuitis afficit, & inuitat, prædicans regnum cœlorum adesse iam, quod olim promissum erat. Adnuntiabat iam tempus & annum beneplacitum aduenisse, hoc est, quòd pater uellet nobis omnia peccata condonare, esse Deus noster, nos esse filios ac populum suum, qui regeremur sub ipso Christo filio eius, ut rege & duce nostro. Est certè Euangelium regni, latum ac faustum nuntium, ac præconium Regis cœlestis, spirituales ac cœlestes facientis omnes in se credentes. Vnde Hierc. 23. Ecce dies ueniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid gerentem iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus

Euangelion regni, quid.

Christus Rex, quare.



illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit cōfidēter. Et hoc est nomē, quod uocabunt eum, Dominus iustus noster. Proinde ueri & solidi regis nomen, meretur Christus, quod uitæ & necis plena potestate in omnes fungatur, adducatque suo spiritu sibi subditos ad optima quæque, administrans & gubernans sic omnia, ut uera & germana iustitia ac ueritas inter suos uigcat. Hoc regnum suis depingit coloribus Zacharias. 9. cap. Exulta satis filia Sion: Iubila filia Ierusalē: Ecce Rex tuus ueniet tibi iustus & saluator, &c. Annuntiat itaque regnum Dei, dum in hoc totus est, ut se regem, iustificatorem & beatorem omnium in se credentium declararet, dicens quod infra, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Item, ueni in mundum, ut qui credit in me habeat uitam æternam. Veni uocare non iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quorsum hæc: nisi ut se regni cœlestis referatorem aperiat, & enuntiet præconium gratiæ, & salutis, orbi exhibitæ per ipsum.

Infr. 11.

Ioan. 6.

Infr. 9.

### Et sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

Argumento à fortitudine & potentia Christi declarat Euangelista Iesu Christi diuinitatem, cui etiam morbi obediunt, & neque languor neque morbus ullus insanabilis est. Simulque ostendit tempus aduentasse, quod Isaias 35. capite, futurum præuiderat, Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorū, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Deinde usum ac finem aduentus Christi manifestat, nempe ad quid ille uenerit. Nimirum ad tollenda non solum peccata, sed etiam ea, quæ peccatis cognata sunt. Cùm enim Dominus omnem languorem curaret, factis prædicabat Euangelij maiestatem. Quid magnificentius, quid item liberalius conspici potest, quàm quod Christus neminem, qui opem suam ex animo imploraret, à se reputat, nullumque quantumuis grauem ac diuturnum morbum non sanauit, nullam uel mirum in modum sæuam dæmonum tyrannidem ab hominibus uerbo non expulit? His proculdubio prodigiis & miraculis, luculenter & apertè declarauit se Messiam esse, ac eum qui peccata mundi tollit, simulque expellit pœnas, orbi à peccato immittas. Hæc edendi miracula facultatem Apostolis & uiris sanctis initio nascentis Ecclesiæ dedit, quæ postea ubi promulgatum est orbi Euangelium, uel remissa fuit uel cessauit, sicut & post Moysen rarissima Hebræis miracula euenierunt. Nam quem prædicata prodigia ad credendum permouere nequeunt, eum neque uisa mouebunt. Exemplo sunt Pharisei & obstinati Iudæi, qui miracula ipsi Beelzebub adscribere maluerunt, quàm prodigiorum fidē sustinere. Neque dici potest Ecclesia infeliciores, quod frequentia signorum cessauit. Infidelibus enim signa dantur, non fidelibus. Certè Ecclesiæ uerbum habet, simul & fructificatorem ac doctorem Spiritum sanctum, unde credit in Christum, & uitam habet æternam. Quæso, ad quid signa desyderaret? Si res ea posceret, pij iure postulerent, non ad suam, qui uerè credunt, sed infirmorum fidem confirmandam. Iste enim non est postremus miraculorum usus, quæ sunt consigilla ueritatis. Obserua: diutina peruersio habitudinis corporis, morbus dicitur. Languor uerò, qui *μαλακία* Græcis dicitur, principium est laxationis corporis, morbum prænuntians: aut *νόσος*, morbus, est grauior, hominem sibi ipsi quasi eripiens, & lecto affigens: qualis est paralytis aut uehementis febris. *μαλακία* languor est leuis & lentus, qualis solet esse capitis, & reliquorum membrorum, qui non affigit quidem lecto, sed tamen facit, quo minus firma simus ualetudine. Siue ergo graues & incurabiles morbi, siue leuius essent infirmitates, omnes, ac singulas curabat Dominus noster. In anima autem, peccati actus, est morbus: languor uerò, abductio cogitationis ad consen-

Christi diuinitas.

Christus cur uenerit.

Christus non solum peccata, sed etiam quæ peccatis cognata sunt tollit.

Euangelij maiestas.

Miraculis suum tempus est.

Quem miracula audita non mouent, neque uisa mouebunt. 1. Cor. 14. Ecclesiæ nihilo infeliciores, quod iam signa non habet.

Morbus quid Languor.

Morbus &amp; languor spirituales.

tiendum actui peccati. Obserua uoculam, Omnem, qua quid potest aliud significari, quàm in Christo cōstitutam esse plenam & perfectam hominis salutem? qui non unam tantum hominis partem, sed simul totum hominē saluaturus uenerat.

Christo omnia in manu.

### Et abiit opinio eius in totam Syriam.

Posteaquam hæc edita sunt miracula, factum est, ut longè latèque Christus agnosceretur esse saluator. In totam enim Syriam (cuius pars est Galilæa) fama eius dimanauit, id est apud omnes iam celebris reddebatur Dominus, intatum, ut neminem illi conferre poterant, ut qui optima & inaudita prædicaret, illaque miraculis confirmaret, nec id sine magna & graui autoritate. Rumore itaque per Syriam sparsa, plures, etiam è longinquo, deportabant suos, illos quos diu aluerat, uariis & incurabilibus morbis obnoxios: quos Iesus, non humanis pharmacis, sed uirtute cœlesti, nullo negotio, & animo præoptissimo sanabat omnes. Obserua: Syria Hebræis dicitur Aram, id est excelsa, Regio Aram dicta, ab Aram filio Sem, qui Arameos instituit, quos Græci Syros appellant. Inde Syria quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Regio est ab Euphrate usque ad mare magnum, & à Cappadocia usque ad Aegyptum, cōtinens Palæstinam, in qua Iudæi habitant.

Syria compendiosa descriptio.

### Et obtulerunt ei omnes malè habentes, uariis languoribus & tormentis comprehensos: & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos.

En uides carnem præualere, & spiritum non tam multos habere auditores, atque qui carni fauent. Nam prædicanti Christo pauci applaudunt, & doctrinam minus sequuntur: medentem uerò corporibus, turmatim ipsum adeunt. Rarissimus quippe extitit, qui ab eo spiritalem medicinam peteret, propter quam potissimum uenerat. Mirabile uisu audituque. Prædicabat Christus Euangelium regni, sanabat ægros ac morbosos omnes. Priori beneficio non admodum mouebantur plerique: posteriori uerò, quamplurimi. Hi adferebant ægros suos, curationem illorum quærentes, de doctrina uerò uitæ nulla fit mentio, quod hanc quæsterint, ut non iniuria Cicero in Tuscul. quæst. principio lib. 3. admirandus quærat, Cùm homo ex animo constet & corpore, qui fiat, quod medicina corporis tam sit quæsitæ diligenter, & culta, postquam est inuenta, ita ut Aesculapius medicus in deorum numerum sit relatus: Medicina uerò animorum, nec sit quæsitæ antequam inuenta, nec culta, postquam est inuenta, imò à multis etiam contempta, & inuisa habita, ut nemo philosophorum, quorum erat de curandis animis professio, inter deos sit relatus. Quæritur hoc Cicero de Gentibus: de Iudæis nemo dubitat, quin medicos Prophetas prætulerint: de Christianis quid dicemus? Et illis acceptior esset Christus, sanans corpora, quàm instruens animos. Quare? quia morbos corporis sentimus, animi uerò non ita. Qui bibendo sitim magis accendit, quàm restinguit, intelligit se periculoso morbo laborare, utiturque medicorum ope & consilio. Qui nullis, quantumuis magnis opum accumulationibus fatiari potest, non cogitat se animo ægrotum esse, & auaritiæ morbo laborare, neque medelam quærit. An non est hæc ingens stupiditas? Qui corpore ægrotus est, absque rubore morbum suum medico reuelat. Qui animo ægrotat, uitia sua studiosè celat, & nonnunquam etiam specie uirtutis palliat. Si facilè irascitur, zeli nomē obtendit. Si peccatores fastidit, amorē iustitiæ prætexit. Si timidus est, cautionem simulat. Si paulo tenacior, curam domesticorum causatur. Si pertinetum abest, ut remedia quæramus. Hæc reuera sunt à peruersitate nostra, & ingenio carnis, cui immergimur. Sed uoce & doctrina Christi prædicantis excitemur,

Caro in multos, spiritus in paucissimos imperium habet.

Qui sit, ut medicos corporum quærat, honorent, suscipiant omnes, animorum uerò per quæ pauci.

Morbos corporis quælibet inhonestos reuelamus: animi uerò omnibus modis celamus.



cuius uirtute & carnis & Satanæ laqueos (quibus illaqueamur) facillè frangemus, & omnem morbum cum animi, tum corporis, abigemus. Sunt enim morbi corporales, milites & ultores Dei, parati obedire Domino suo Iesu Christo, qui omnem languorem & morbum uel solo uerbulo fugat. Non abs re igitur Christus ipsissima patris imago prædicatur: perfectione enim beneficentiæ hoc loco refert patrem (qui solem suum oriri facit super bonos & malos) dum quibuslibet beneficit, conferens etiam corporalia beneficia iis, qui forsan spiritualia noluissent. Vide & obserua modestiam Euangelistæ, qui cum singulos & unumquemque morbo affectum, & à Christo curatum, nominatim narrare non possit, tanta erat curandorum multitudo, summam illos comprehendit, dicens omnes male habentes: quibus uerbis, & leui morbo affectos in primis comprehendit, deinde sequentibus explicat, quos medici ferè aut non suscipiunt curandos, aut frustra curare conantur, nimirum artem superante malo. Cæterum dum hos grauiiores & ferè incurabiles morbos Euangelista recenset, contractos, scilicet torminibus, dæmoniacos & lunaticos, satis apertè declarat diuinitatem Christi, & eandem confirmat, qui hos omnes deplorato morbo affectos curauerit. Dæmoniacos dicit à dæmone obsessos, & quorum sensus dæmon perturbabat. Hos enim Theophylactus opinatur esse lunaticos & dæmoniacos. Lunatici dicuntur, qui morbo comitiali laborant. Autor est Perottus, quod eos, qui interlunio nati sunt, hunc morbum fere pati compertum est, adducitque aliquot Sereni uersus de hoc malo: Ipse Deus memorat dubiæ per tæpora lunæ Conceptum, talis quem sepe ruina profudit. Diuus Hieronymus negat hos uerè affectos fuisse uel sideris lunæ, cum essent dæmoniaci, sed arte dæmonum factum, quo creaturam Dei infamarent. Dæmon enim (ait Theophylactus) uolens hominibus persuadere, quod stella malefica sint, obseruat lunam, cum integra est, & tunc insidiatur, ut uideatur luna, passionis & morbi causa, & infametur opificium Dei, quemadmodum & Manichæi errabant. Abundant lunatici corruptis humoribus. Et quia innatum est lunæ, suo splendore hos attrahere humores, qui in corpore sunt, fit ut luna hic agente & attrahente, hi magis turbentur. Putauerim ob id lunaticos dictos, quod furor non esset perpetuus, sed certis recurreret interuallis. Paralytici sunt morbo articulari, siue gutta, non toti, sed in parte aliqua corporis percussis, unde neruorum solutio consecuta sit, sicut apoplectici, quibus gutta totum corpus infestauit, qui & siderati dicuntur: Paralytici Latinè dicitur dissolutio. Enumerat itaque hos morbos Euangelista, ut deploratos & inuictos contra medicorum artem, ut declaret Christum Deum, qui omnes huiusmodi morbis afflictos, sanauerit.

## Et curauit eos.

Iesus Christus non humanis pharmacis, sed uirtute cælesti, qua poterat & mortuos excitare, nullo etiam negotio, non unum aut alterum solum: sed omnes quotquot oblatis erant, sanauit. Parum illi erat tollere morbos corporis, qui animorum morbos tollebat. Minimumque illi uidebatur remorari aut reuocare uitam corporis, qui uitam æternam omnibus in se credentibus collaturus uenerat. Rogabit quispiam, Cur Christus nullum horum, priusquam curaret, de fide rogauit? quemadmodum postea à pluribus requisit, si crederent? Credebant quidem. Nam quod è longinquo adferebantur, indicat ipsos, qui adportabant non fuisse adportaturos, nisi de eo magnam fidem, simul & spem induissent. Sed quod non rogauit, copiosus ægrotorum numerus turmatim accedens, impedimento erat, aut expectabat id rogare, donec manifestam suæ potentie uirtutem demonstrasset.

Et sequuntur eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & trans Iordanem. En fructus Euangelij, doctrinæ, miraculorum, & famæ Christi: quem ex om-

Morbi corporum Deum à nobis offensus ueliscitur.

Dæmoniaci.

Lunatici.

Dæmonis strophæ ad infamandum opus Dei.

Paralytici.

Apoplectici.

Christus quando exiit ab iis, quos erat curaturus, aliquid non.

ni Iudæorum regione sequitur numerosa turba, quique auditores habet hinc & inde confluentes, non solum ex Galilæa Gentium, in qua uersabatur, uerum etiam ex altera Galilæa, quæ erat ultra lacum & è regione, quæ ob decem ciuitates, quas complectitur, Decapolis dicta est, & trans Iordanem sita, de qua Plinius li. 5. cap. 18. Item ex Ierosolymis & circa Iordanem, Luc. 6. additur & maritima Tyro & Sidone, reliquæque Iudæa & à regionibus trans uel citra Iordanem sitis. Hæc regio finitima est Iordani, fitque nobis ex portu Ioppe Iordanem petentibus citra Iordanem paulo supra Aspaltiten lacum, quod mare salis uel desertum in scriptura uocatur. Obserua. *ἄσφαλτος* præpositio græca licet trans uel ultra significet, quia tamen Euangelistæ pro Hebræa præpositione significante non solum trans uel ultra, sed etiam circa usurpant, perinde hic uidetur ualere, atque *ἐπι* uel *ἐν*, id est circa. Unde hoc loco trans pro circa accipere potes, quia etiam significatione usus est noster Euangelista supra, 3. cap. Omnis Iudæa & omnis regio circa Iordanem id est finitima Iordani. Quam eandem & Ioannes significasse uidetur, cum ait. 1. cap. Hæc autem in Bethania, siue, ut alij legunt, Bethabara, facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Quidam coniecit hanc esse regionem fortis duarum tribuum & dimidiæ in terra olim Seon & Og regum, quos Moses percussit. Obserua. Vis & potentia Euangelij manifestatur, cum audimus omnes ad beneficium Christi confluere. Quidam recuperandæ sanitatis gratia sequebantur: quidam admiratione nouitatis planè, ut nouis spectaculis oculos suos pascerent, ducebantur. Alios occupabat liuor, & insidiæ libido. Omnes quidem Christus, quod ad se attinet, attrahit: sed paucos inuenias, cælesti philosophiæ idoneos, cuius tradendæ gratia Christus potissimum uenerat. Obserua huiusmodi loquutiones, de trans Iordanem, de sub pede, & de post fetantes, Latinis esse inauditas.

## CONCILIATIO.

Quam Matthæus tertio loco adducit, tentationem, quæ est uanæ gloriæ & potentie mundi, Lucas secundo loco scripsit. Non igitur conuenit inter hos Euangelistas. Respondeo. Euangelistæ dederunt operam narrandæ historiæ: interim non multo studio curantes ordinem gestorum, & alia huius generis, quæ per se nihil ad utilitatem faciunt. Videtur tamen Matthæus etiam ordinis tentationum curam habuisse, Lucas uerò solius narrationis carum.

CAPITIS QVINTI  
Argumentum.

Octo beatitudines, diuina mandata, consilia atque Euangelicas perfectiones innouat Christus in monte.

## CAPVT QVINTVM.

Dominus in monte, diuina Moyse præcepta dederat: sic Christus discipulis.

a. Possidebunt, hæreditabunt.



VIDENS autem IESVS turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt, iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo cor-

Docet turbas

Pauperes spiritu. Luc. 6. c. 23. q. c. noli exultare. dist. 43. Scimus.



de: quoniam ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici: quoniam <sup>b</sup> filij Dei uocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malū aduersum uos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniā merces uestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Vos estis sal terræ. Quod si sal <sup>e</sup> euauerit, in quo salietur: ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est. Nolite putare, quoniam ueni soluere legem aut prophetas: non ueni soluere, sed <sup>d</sup> adimplere. Amen quippe dico uobis, donec transeat cœlum, & terra iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit unum de mādatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum: qui autē fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorū. Dico <sup>e</sup> autem uobis, quia nisi abūdauerit iustitia uestra plus quā scribarum, & pharisæorum, nō intrabitis in regnū cœlorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, <sup>f</sup> reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, <sup>†</sup> reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, farue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo <sup>g</sup> offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade: prius recōciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuū. Esto consentiēs aduersario tuo citō, dum es in uia cum eo, ne fortē trādat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerē mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam <sup>h</sup> mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, <sup>i</sup> quā totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis. Et si dextra manus tuā scandalizat te, abscinde illam, & proiice abs te: expedit enim, ut pereat unum membrorum tuorum, quā totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico uobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: &

*Afflictis propter se promittit mercedem.*  
1. Pet. 3. c.  
Luc. 6. d.

*Marc. 9. g.*

*Marc. 4. c.  
Lu. 8. c. & 11. c.  
11. q. 2. c. quatuor.*

*Opera.  
Lex & prophetę implēdi.*  
Luc. 16. d.

*Mādāta Dei complēda.*

*Iacob. 2. b.*

*Occidere.*

*Recōciliatio*

*Luc. 12. g.  
Exod. 20. c.  
Prouerb. 6. c.*

*Exod. 20. c.  
Inf. 18. b.  
Marc. 9. g.  
Oculi extitio.*

*Man<sup>o</sup> abscisio.*

*Deut. 24. 2.  
Marc. 20.  
Luc. 19. d.  
De conuert. coniuga. ex publico.*

*b. Si filij Dei uocantur, qui pacē faciunt, proculdubio filij Santæ sunt, qui pacem cōfundūt.*  
Greg.

*c. Euauerit, infatuatus, uel insipidus aut infuit<sup>o</sup> fuerit.*

*d. Adimplere legē uenerat, qui legis iustitię gratiā abdebat, & quod illi iubebatur minimis, ipse peritici adiunxit in summis.*  
Greg. e. Autem, enim.

*f. Reus, obnoxius, & infra.*

*† temere, uel sine causa.*

*g. Nullum boni operis facit, cuius dēterea immolū, quando proximo-rum clari rate discor dāt.*  
Greg. h. Mœchatus est, adulteriū cōmisse eum.

*i. quā totum.*

qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis, non iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuū iuraueris, quia non potes capillum unum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo uester, <sup>k</sup> est est, non non: quod autem his abundantius est, à malo est. Audistis, quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autē dico uobis, non resistere malo: sed si quis te <sup>l</sup> percusserit in dexteram maxillam tuā, præbe illi & alteram: & ei, qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te <sup>m</sup> angariauerit mille passus, uade cum illo & alia duo. Qui autem petit à te, da ei: & uolenti mutare à te, ne auertaris. Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos, & orate pro persequentibus, & <sup>n</sup> calumniātibus uos, ut sitis filij patris uestri, qui in cœlis est, qui solē suū oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui uos diligūt, quā mercedē habebitis: nōne & publicani hoc faciunt? Et si saluaueritis fratres uestros tātū, quid amplius facitis: nōne & ethnici hoc faciūt? Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester <sup>o</sup> cœlestis perfectus est.

*k. est est, etiam etiā, his abundantius est, ultra hæc adiūgitur.*  
1. Percussit, alapa ceciderit.  
m. Angariauerit, adegerit, mille passus, miliarium unum.

*n. Calumniantibus, offendentibus.*

*o. Cœlestis, qui in cœlis est.*

*Non iurādū.*

*Leuit. 19. c.  
Exod. 20. b.  
Deute. 5. b.  
De iureiu. si Christus. 2. q. 5. cap. Si quis presbyter. 22. q. 1. c. Non est. Iacob. 5. c. Iniuria ferenda.*

*Exod. 21. c.  
Deuter. 19. d.  
Leuit. 24. d.  
Luc. 6. c.  
1. Corinth. 6. Inimici diligendi, & quare.*

*Leuit. 19. d.  
Orandū pro persequentibus.*  
Luc. 6. d.

Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem.



uideamus cognoscamusque rem seriam agi, loco præfationis Euāgelista memorat, quos gestus ad concionandum Christus sumplerit. Videt (inquit) turbas, ascendit in montem, sedet, & os suum aperit. Quæ tria maximè ad bonum prædicatorem pertinent, ut in sequentibus declarabimus. Cùm igitur Christus conspiceret turbam indies magis ac magis densari promiscuis hominum generibus, ab humili loco sese subduxit in eum qui turbæ pateret, & esset conspicuus. Quādiu hīc est uersatus Christus, turbas uidit, ac ita uidit, ut miseriarum nostrarum caperet experimentum, narratore Dauide, psal. 102. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, id est suscepit ipse, & in semetipso expertus est, quā fragile & mortale est corpus nostrum. Ita uidit, ut miseretur, ita miseretur, ut à miseriis nos leuauerit, & credētibus in se uiua fide, morte & resurrectione sua acquisierit uitam æternam, curis & miseriis uacuam. Itaque quod cœlestis philosophiæ doctorem se iam orbi declararet, montem conscendit, Moisi referens exemplum qui legem populo proditurus, montem ascendisse legitur: simul & à loci celsitudine significans se nihil plebeium, aut vulgare docturum, sed rarissima & ea ardua & planè cœlestia. Exemplo Christi docemur, cui ascendere suggestum liceat, certè ei qui se tanquam magistrum, & prædicatorem uerbi non ultro aut sua sponte ingerat, sed uocatus missusque sit, & qui prædicandi officium calleat, & obire debeat: cuius officij & obedientiæ gratia docere intersit, ut aperto ore dicere possit, non sum de numero uenientium, quos Christus Ioan. 10. fures & latrones dicit. Nec uenio horum cursitans, quadam animi præcipitantia incitatus, sed uocatus: huc sum missus, & offi-

*Gestus Ecclesiastice decentes.*

*Eccei suggestum liceat ascendere.*



cij gratia ad hoc compellor. Nemini igitur permittendum est, suggestum cōscendere, aut prædicandi officium usurpare, cui illud non fuerit commissum, aut creditum: Cauendumque est, ne quis (quanuis prædicator existat) huc illuc in domos cursitet, ac singulares & priuatas conciones in angulis adornet, aut habeat, ne suspectam reddat doctrinam. Est certè Euangelium omnibus commune, & doctrina uniuersalis, palàm & liberè pronuntianda, non quærens angulos, aut diuerticula. Vnde uidemus Christum omnibus uidentibus montem conscendisse, quò docere incepit. Et paulò post dixit discipulis: Vos estis lux mundi, nemo accendit lucernam, & ponit illam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui in domo sunt. Nam prædicandi munus & uerbum lucere debent, perinde ut sol, non in caligine aut tenebris reptare & serpere, sed apertè, & coram omnibus liberè agere, quò uterque & prædicator & auditor certus sit, hanc ueram doctrinam esse, & munus prædicandi commissum. Dicatque prædicator cum summo suo præceptore, Ego palàm loquutus sum mundo, & in occulto loquutus sum nihil, Ioan. 8. Colligamus ex his, Euangelium non in angulis aut in occulto, sed supra montem prædicandum esse, & palàm in luce audiendum.

## Et cum sedisset.

Sedit Christus, doctrinæ suæ autoritatem simul & tranquillitatem demonstrans. Sedit, ut post curata corpora, doctrinam proferat quæ tranquillitas reddat conscientias. Sedit, inquam, Christus, non ueluti fessus, sed uelut ardua docturus, & de re seria loquuturus, quæ attentos auditores postularet. Docentibus solenne fuit & consuetudo, ut sedendo docerent. Diuus Augustinus in eo agnoscit magisterij dignitatem. Luc. 4. Cùm Isaiæ uaticinium in synagoga Nazareth Christus legisset, reddito ministris libro, confedit ac docuit. Et infra 26. ad milites dicebat, Quotidie apud uos sedebam, docens in templo. & Ioan. 8. ca. Et sedens docebat eos. Imò & hodie sedet ad dexteram patris magister noster, docens nos suo Spiritu, quem abundè & copiosè mittit. Vnde ab hoc ritu tractum est, ut episcopi ad hunc modum sedentes doceant. Vnde Ecclesiæ cathedrales uocantur, à cathedra doctrinæ, quòd in illis doceatur Christus, seu Euangelium, & ab illis ad alias deriuetur Ecclesiæ cœlestis illa & cathedralis doctrina, id est pura & sancta. Christus docuit tū stando, tum sedendo pro loci opportunitate. Confedit Christus concionaturus, eo corporis habitu animum requirens attentum & pacatum, non oberrantem & tumultuantem per omnia.

## Accesserunt ad eum discipuli.

Accedunt orto iam die, Dominus enim noctu in oratione perseuerarat. Ad eligendum discipulos confedit Dominus, & ad se uocauit quos uoluit, ut Lucas & Marcus habent. Omnibus perspicuū est, saltè nemini dubium fuerit, sedèdo Christum suos & docuisse, & ad apostolatam elegisse. Quòd Lucas dicit ascendisse ad orandum, certè Dominus præmisit orationem, deinde ad se uocauit, quos uoluit, & hos cum turba docuit, deinde ad apostolatam elegit, ut 10. cap. uidebimus: ut præmissa oratione & doctrina, operarios in messem (quæ multa apparebat & matura) deligeret. Hæc ubi sensere discipuli eius, accedunt ad ipsum, tanquam doctrinæ ueritatis testes, & uelut ipsum cingentes, attentissimos sese exhibent auditores, ne quid illius sacræ ac cœlestis doctrinæ auditum pereffluat: & ut posteris & uiua uoce & calamo tradant, quod tum ex sacratissimo ore excipiunt. Cæterum non erat turbæ prohibitum ad eum accessus, si fortè aliquibus tantum ardoris ac studio adfuisse. Soli itaque discipuli ascendentes sequuntur, & accedunt propius quàm turba. Nam discipuli haud dubiè in uerbo iam aliquantulum edocti, maiori ardore audire gestiebant Christum.

Cōciones ar-  
canae, suspe-  
ctæ.  
Euangelium  
ut commune  
est, ita palàm  
prædicetur.

Dominus, se-  
dit docturus.

Sedere docē-  
do episcopo-  
rum est.

Ecclesiæ, qua-  
re cathedra-  
les dictæ.

Discipuli so-  
li cum Chri-  
sto ascendit  
in montem.

## Et aperiens os suum.

Non è supercilioso quodam philosophorum pulpito, aut arroganti Phariseorum cathedra: sed ex herbido thoro diuinam ac spiritalem salutiferamque doctrinam suam auspicaturus, ad discipulos conuertit oculos, & aperto sacro ore suo cepit inaudita & sacra depromere dogmata. Grammatici uitiosam hanc pronuntiant sententiam, arbitantes pleonasmum esse, id est adiectionem unius dictionis superfluum, qualem putant apud Vergilium, Sic ore loquuta est: Et, his auribus hausi. Ita & hic aperiens os suum, docebat. Sed nihil in sacris literis neque superfluum, neque quod reiici possit, offendet. Hac enim periphrasi mentes nostras attentas ad futuram doctrinam noster Euangelista facit. Scriptura pro more habet, ut uiros eximios, ubi quid præcipui dicturi sunt, os aperire dicat, ut animum auditoris excitet. Nam ora talium non nisi sapientiam, ac si qua sunt salubria meditantur, ut psal. 36. Os iusti meditabitur sapientiam & lingua eius loquetur iudicium. Idem Prouer. 20. Proinde Christus non ore tantum, uerum & opere & gestibus corporeis docebat. Ad hæc facit, quòd eleganti tropo Euangelista os pro scripturis sanctis (ut quib⁹ loquitur Spiritus sanctus) usurpauit. Aperiens os suum, id est sacras scripturas, quæ antea clausæ & obsignatæ erant. Daniel. 12. Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus, subaudi, Messia. Isa. 8. cap. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Clausi reuera erant uiris, carnem & non spiritum sequentibus. Sed Christus aperiens os, id est scripturas, docebat discipulos. Is est de quo Apocalypsis. 5. scribitur: Ecce uicit Leo de tribu Iuda, radix David. aperire librum, & soluere septem signacula eius. Item apud Lucam. Nonne cor nostrum ardens erat, cùm aperiret scripturas? Is est, qui ora prophetarum olim aperiebat, modò os proprium aperit, & suæ spōsæ Ecclesiæ (per quam loquitur) ipsum communicat. Ecce, inquit, dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere. Et hoc est Euangelium uocale, quod pronuntiat Ecclesia, si qua fuerit necessitas determinandi declarandive quæ ad negotia fidei pertinent, si quid in controuersiam uenerit. Ecclesia enim uox & os dicitur Christi, sicut propheta lingua, calamus est scribæ, uelociter scribentis. Porro hoc ad prædicatorem spectat, ne os oclusum teneat, ut non solum palàm suo fungatur officio, cæteris silentibus & audientibus, uerum etiam os liberè & audacter aperiat, hoc est, ne ueritatem & quicquid ad prædicandū mandato accepit, mussat, aut reticeat, sed citra metum & infracto, ac interrito animo confiteatur, & propalam exprimat uerbum Dei. Et quanquam uarios & multiplices homines & capita uideat, diuersorum subiturus iudicia, non ideo digito labellum compefcet, bouem in lingua (ut est in adagio) gestans, sed nihil amplius cogitet, quàm ut loquatur id, quod ipse officium postulat, & exigit, cuius gratia ad dicendum præstò est. Nam Christus prædicandi officium, in hoc non instituit, ut prædicator cum uolendæ pecuniæ feruiat, ut opes, gratiam, honores, amicitias parer & impetret, aut compendium suum per hoc quæreret, sed ut ueritas palàm prædicetur, malum accusetur & reprehendatur, & quicquid ad animæ commodum, salutem & beatitudinem pertinet, doceatur. Hæc sunt quæ noster Euangelista præmittere uoluit, ut ostenderet Christum, tanquam uerum prædicatorem & doctorem, montem ascendere, & os audacter & liberè aperire, ueritatem docere, falsam doctrinam & uitam iuxta reprehendere, quod sequentibus obseruabimus, & ordine audiemus.

## Docebat eos, dicens.

Noua & inaudita Scribis & Phariseis prædicabat, non tantum uerbo, sed etiam intus in corde scribendo, ut Deus. Sunt profectò hæc dogmata, iuxta carnis iudicium, pugnantia, & paradoxa, plurimum ab opinione mundi abhorrentia. Nam si iuxta oculum ac sensum iudicaueris, quid inter se pugnantius, & in spe-

Pleonasmos.

In sacris literis nihil uel superfluum uel reiciendum.

Christus ore, opere & gestu docebat. Os pro scripturis.

Christus aperit & reuertit scripturas.

Ecclesia habet Euangelium. Ecclesia uox & os Christi.

Ecclesiastes ne ueritatem os aperire, ubi est opus.

Quorsum misit Deus Ecclesiastes.

Christus, ut homo, loquebatur: affiebat, ut Deus.



Doctrina Christi, quā paradoxaluit mundo.

ciem magis cōtrarium uideri audiri ve potest hac admirabili doctrina? Nimirum Pauperes felices & beatos pronuntiare, quid aliud est ( si iuxta sensum & carnis opinionem iudicaueris) quā affirmare Miseros esse beatos, & infelices esse felices? Sed ut carni & iudicio eius non est committenda hæc doctrina, ita nec credenda est uana ac falsa: sed prorsus credendum sentendūque est, cum eam doctrinam, & cœlestem & Spiritus sancti sententiā esse, tum Christū doctorem eius, plenum esse Spiritu sancto, & è cœlo uenisse, ut illam prædicaret, exemplo doceret, & miraculis confirmaret. Quotquot erant sapientiæ professores, beatitudinē pollicebantur (omnes enim cuiuscunque status aut conditionis sunt, bene esse expectant) quam in uariis rebus constituebant, unde uariis in uitam mortalium effluxit error, & inter philosophos diu disputatum pugnatūque est, quibusnam in rebus sita esset uera felicitas, & qui reuera beati sint, mirè uariarunt huius seculi sapientum sententiæ. Nam D. Augustinus lib. de ciuit. Dei 19. cap. 1. ex Varone ducentas & octoginta octo sententias de uera beatitudine uariantes, (non quæ tunc quidem fuerint, sed esse possint) numerat. Iam & nemini obscurum est, quod Cicero de finibus bonorum & malorum disputarit. Versata sunt igitur in hoc campo philosophorum ingenia, qui, ut ut de scientia rerum gloriati sunt, nunquam tamen quod quæsierunt, & aliis cōmonstrare uoluerūt, inuenire & cognoscere potuerunt. Defuit enim illis lux illa, quæ ad cognoscendam & apprehendendam ueram felicitatem sola mortalium mentes illustrat. Hanc, quia non ex spiritu & fidei oculo quæsierunt, uaniloquia pronuntiarunt, & putantes se esse sapientes, stulti facti sunt. Proinde cum totius sapientiæ fundamentum, & scopus sit in hac uera beatitudine, quam solus Christus docet, uoluit ipse, antequam hæc, (quæ sequuntur, paradoxa quidem, sed uerissima) prædicaret, miraculis præstruere fidem sermoni uix credibili, ut qui miraculis uirtutem cognouissent, & in sanandis corporum morbis efficacem experti essent, apud se firmiter statuerent, cōsiderentque doctrinam eius, (qua animarum morbis mederetur) esse ueram, certam, & efficacem.

## Beati pauperes spiritu.

A fundamento suæ doctrinæ & prædicationis Christus exorditur, quod procul dubio est suaue & amabile principium. Nō enim ut Moses, seuerè & duriter, nempe tonitruis, minis & terroribus se ingerit, sed amicissimè, nimirum suauissimis pro uocationibus, illectamentis & amabilibus promissis nobiscū agit. Quare hanc ex animo excipiamus doctrinam oportet, sicut Dei & non hominum uerba, ne ingrati simus. Quam uerò amica & mellita hæc prædicatio Christianis est, qui Christi sunt discipuli, tam molesta & intolerabilis est illa Iudæis, Pharisæis, & carnem curantibus. Quorum (ut summatim dicam) doctrina est, Si cui homini in hac uita ex animi sententia omnia succederent, opibus & diuitiis abundanti, illum beatum, & Deo acceptū pronuntiant. Eoque assueuerant, quod qui probi sunt & Deo seruiunt, Deus illis uicissim in hac uita abundè omnia suppetit, nec ulla inopia laborare sinit. De his testatur Dauid psal. 143. Quorum os loquutum est uanitatē: Quasi dicat, hæc est ipsorum doctrina: Promptuarie eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ. Non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Iam contra hanc falsam doctrinam Christus aperit os dicens, Longè aliter res habet, ò discipuli mei, quā credit mundus, quæ (cum prædicaturi ibitis) comperietis ipsum ita docere, & credere, eum, cui felix rerum copia suppetit, aut qui potens est, per omnia felix esse: & qui paupertate & aerumnis pressus fuerit, illum reiectum à Deo, & damnatum esse. Hoc modo sibi firmiter persuaserant Iudæi, sese populum Dei, quod multas & amplas pro-

De beatitudine eius questionem, quam uariè iudicatum disputatumque sit ab antiquis.

Quid obfuit philosophis, quominus, quæ ac ubi sit uera beatitudo, inuenire potuerint. Rom. 2.

Carnis sententia de beatitudine.

Qui locupletres sunt, & rerū potiuntur, ideo se beatos, ac Deo dilectos affirmant.

missiones à Deo haberent, de rebus corporalibus & temporalibus, quas probis & iustis se daturum Deus promittere solet. In hanc sententiam uenerant amici Iob, contententes contra ipsum, uerisimile esse, ipsum aliquo enormi scelere sese constringisse & contaminasse coram Deo, sibi que alicuius pessimi facinoris esse confcium, cum ita immisericorditer corripere. Quamobrem hortabantur, ut ueteris uitæ, & sceleris illius pœniteret, & hac methodo breui fore, ut Deus quoque ab ipso omniū cruciatuū plagas tolleret. Hic error totum orbem peruasit. In primis Turcas occupauit, quorū omnis fiducia in hoc sita est, & inde colligit ac iudicat, quod tam felici fortuna nō uterentur, nec tot passim uictoriis potirentur, nisi populus Dei essent, ipsosque præ cæteris mortalibus clementer foueret. Quare Christus beatum dicit pauperem, non simpliciter, sed spiritu, qui non animo diuitiis adglutinat est, siue illis abundet, siue caruerit. Eccontrario diues spiritu, dicitur, qui corde opibus affixus est, siue harum copia ei uel inopia sit. De hoc Dauid loquitur psal. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ideo si diuitiæ contingant, siue non, cor tantummodo non apponas, neque glories, neque proximo tuo te præferas, seu multa, seu modica habeas. Nam, ut uno uerbo dicam, uerè pauper spiritu est, cuius fiducia in nulla creatura est, sed in solo Deo: Seipsum abnegat, & dās gloriam Deo, omnia illi accepta fert. Quod bellè & luculenter exprimit uiginti illi quatuor seniores, Apocal. 4. cap. Qui procidebant ante sedentem in throno, & adorabant sedentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronū, dicentes, Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & uirtutem, quia tu creasti omnia. Oportet certè unumquemque coram Deo esse pauperē spiritu, & ex animo, hoc est ne spem & fiduciam in rebus temporaneis collocet, ne ue cor illis adponat & adhaerescat, ne ue mammona idolum sibi cōstituat. Quod fiet, si fuerit contrito animo, & pœnitente. Nam quia Spiritus, more Hebraico, nonnunquam sumitur pro sensu cordis, & motu animorum, pauperes spiritu hoc loco dicuntur, qui sunt cordis afflicti seu pœnitentis, siue quorum animus totus à mammona & peccato prorsus abhorret, Deo innixus. Huc prospexit Dauid psal. 50. dicens, Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatū, id est pauperem spiritu, Deus non despicias. Item psal. 33. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. Multæ tribulationes iustorū: & de omnibus his liberabit eos Dominus. Hoc uerè cor humiliatum & pauper spiritu est, quod ad res caducas se non alligat, sed quanquam illis (cuiusmodi sunt opes) abundet, perindè animatum est, tanquam non haberet. Sicut Paulus de Christianis gloriatur, 2. Corinth. 6. cap. Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Hæc omnia eō tendunt, ut in omnibus temporalibus bonis & corporalibus necessitatibus sic utamur, quandiu hic uiuimus, quasi hospites peregrè agentes apud exteros, ubi pernoctant, & postridiè rursum discedunt, non pluribus quā alimētis & lecto ad necessitatem utentes. Et quemadmodū ille peregrè agēs, solū peregrinū agit, nō audens dicere, hic ager meus est, hæc domus, hoc hospitium, quasi iure ad se pertinet, alioqui hospitē uociferantē & ipsum abigentē audiret: ita noli ignorare te hinc peregrinū agere. Dedit tibi Dominus bona, quibus uti licet, sed sedulo caueas, ne cor apponas, quasi ad perpetuū uiuendum animū induxisses. Porro perge subinde, & satage alium sublimiorem & præstantiorem thesaurū consequi, qui per sanguinē Christi tibi sit acquisitus, & tuus sit, & quæ perpetuū habiturus sis. Perge cum his, de quibus Paulus ad Hebr. 11. cap. loquitur. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confidentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significāt se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt: habebant utique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id est

Amici Iob statuebant ipsum merito scelerū suorum, derelictum à Deo. Turcæ omnium sceleratissimi, quid de se sibi persuadeant.

Pauper spiritu.

Diues spiritu.

Spiritus Hebræis nonnūquā pro motu & inclinatione animi.

Cor humiliatum, quod.

Nos, quod sumus, hoc est, adueniē & peregrini, uerè & ex animo sumus.



cœlestem. Ideo non confunditur Deus uocari Deuseorum: parauit enim illis ciuitatem. Tali animo diuites fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob, beatissimi Reges, & Patriarchæ: sed cor diuitiis non adiiiebant. Quorum diuitiæ, si in curtiſſimam supelleſtilem redactæ fuissent, non essent animis fractiores facti. Ad huc modum Dauid pauper erat, quanquam regno potiretur. Similiter & Salomon, qui ita pectora sua confirmauerant, ut nihil laborassent, siue opes affluxissent, siue defluxissent. Quare pauperem esse spiritu, propriè significat, non affici rebus siue auctæ siue diminutæ sint. Qui enim illis additi sunt, idolum colunt, & uerum Deum reliquerunt. Subinde animo intumescunt, inflanturque adeò, ut neque se neque proximum cognoscentes, philauti fiant. Non absimili modo extremam medicitatis homines diuites sunt, etiam si nihil habeant. Nam toto cogitatu nisi que congerendis diuitiis intenti, tam profunda auaritiæ corda sua immergunt, ut Tales profiteantur; & in auarissimos homines euadunt, tanta est ipsorum habendi libido. Quod si quoquomodo res ipsis accrescat, neminem tamen postea beneficiis prosequuntur. Imò ut est apud Ciceronem, his tam deest quod habent, quàm quod non habent: nulla ducuntur charitate, omnium, qui in terris agunt, immiseri cordissimi & inhumanissimi: quibus maximè quadrat decantatus ille versiculus, Nil est asperius misero dum surgit in altum. Rogabit quispiam. Quomodo beati dicuntur, aut qua beatitate donantur pauperes spiritu, quibus Satanas ille perpetuò insidiatur, & negotiū facit? Respondeo. In operationibus finis prior est in intentione, & posterior in executione. Finis studiosè operantium in campo Euangelico est beatitas, quæ proponitur operantibus, & iuxta Euangelium laborantibus, ut præmium & finis. Quandoquidem credimus in Christum, & sequimur Euangelium, ut beati simus. Cum itaque dicitur, Beati pauperes spiritu: Beati sunt, intellige hic in spe, & olim, in re. ad hunc modum intelligito de reliquis quos beatos nominant. Obserua. Christus concionem orsus est, à beatitudine, quod huc omnium hominum uota tendant: nihil enim agimus, quin inde nobis bene beatæque esse uelimus. Rursus rogabis. In quo sita est uera beatitudo? Magnus ille & sanctus Augustinus, ad Dioscorum cõtra Philosophos disputans, religiosissimè & secundum doctrinam Christi responderac docet, summum bonum hominis, non esse uel in animo hominis, uel in corpore, uel in utroque, sed in ipso Deo, qui sit supremum hominis bonum unicè desiderandum, & quod solum exaturare possit, ne qua sibi ulla alia re homo ad absolutam felicitatem opus esse putet. Idem dicit ad Probam. Quid sit beatum esse (inquit) à multis multa sunt disputata: sed nos ad multos & ad multa quid dicimus? Breviter uera Dei scriptura dicit: Beatus est populus, cuius est Dominus Deus eius. Eandem sententiam copiosius tractat lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 4. Si queritur (inquit) à nobis, quid Ciuitas Dei, de finibus bonorum & malorum interrogata, respondeat atque sentiat: respondebit, æternam uitam esse summum bonum, æternam uerò mortem summum malum. Cæterum non pugnant inter se hæc Augustini sententiæ, Deus est summum bonum, & uita æterna est summum bonum. Nam uita æterna, est coniunctio cum Deo perpetua, & Dei perfructio, omnium uidelicet desiderabiliū fatietas, non fastidiosa, sed æternum oblectans. Et quanuis absoluta beatitudo felicitasque demum nobis obueniat in alio mundo, in quo uidelicet ipsum Deum, sicuti est, uidebimus (1. Ioan. 3.) ac similes ei erimus, attamen Sancti in hoc quoque mundo beati & felices esse dicuntur, nimirum, quod in terris existentes, coniunguntur cum Deo per fidem uiuam, & per Spiritum, in quo iam uiuunt & exultant, habentes ipsum Deum pro corona, gaudio & desiderabili thesauro suo.

Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Actiologia est, cur pauperes spiritu, dicantur beati. Hęc profectò ampla, ingens

Patriarchæ & Reges Iudæi, pauperes spiritu fuerunt.

Philautus est omnis diues spiritu.

Publi. in mitemis.

Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

Quomodo beati, qui hic nunquam in armis nõ sũt, aduersus Satanam.

Vera beatitudo ubi sita, secundum sententiam D. Augustini.

Deus & uita æterna idem. Vita æterna, quid.

Electi, etiam nunc felices.

& magnifica est promissio, quæ pauperibus spiritu pollicetur, non aurum aut res caducas, sed regnum cœlorum, quod quærentibus adiiuntur & omnia quæ usui sunt. Querite primum regnum Dei (dicebat Dominus) & hæc omnia adiiuntur uobis. Nunquam mundus hæc sibi persuaderet, Pauperes fieri reges. Vera hæc doctrina dici potest paradoxon, ut quæ præter sapientum & regum mundi opinionem est uerissima & certissima. Aduerte, non ait, ipsorum erit, sed est. Quasi dicat, hic iam meditatione & fide uiua uersantur in Euangelio, & regno Dei, & ius habent regni illius cœlestis, ut iam non dicantur hospites & aduenæ illius regni, sed ciues sanctorum & domestici Dei. Ephes. 2. cap. habentes pro arrhabone illius regni, Spiritum Christi, quo signati sunt in die suæ redemptionis, Ephes. 1. quanuis plenè nondum illud cœleste regnum adepti sint, donec euacuatum fuerit, quod ex parte est. 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Atque ut illius aliqua ex parte ostendatur possessio, iam in ipsis manet Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ioã. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniamus, & mansionem apud eum faciemus. Huius loci exegesis scribit Paulus, Ephe. 2. cap. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conuersificauit, & confidere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, ut ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. En audis ex Paulo pauperibus spiritu comunicatas iam cœlestes diuitias, imò ad Roma. 8. ipsos dici hæredes Dei: Ipse enim Spiritus (ait Paulus) testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei: Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: iam, ut filij regni, uiuunt, id est liberi sunt, non discruciatu auaritia, ira, liuore, cupiditate uindictæ: sed his omnibus uacui sunt, freti innocentia sua, freti Deo, freti præmiis futuri seculi, tranquillo animo contemnunt quæ sunt huius mundi, sequentes diuitias cœlestes. Nonne beatum ac felix est hoc regnum, ac longè magnificentius tyrannorum regno: Huius regni regibus non imperat, tyrannis, concussio, liuor, & reliquæ animorum pestes: sed scuto bonæ fidei, & galea spei salutis, & thorace charitatis armati, quoties res postulat, imperant morbis & fugiunt: imperant dæmonibus, & emigrantes abeunt: imperant undis, & conuiescunt: super aspides & basiliscos ambulant, conculcântque leonem & draconem. Potentissimum re uera est regnum animi sibi diffidētis, & Deo fidētis, ac ex cœlo pendētis. Fides, spes & charitas, sunt quæ uerè regem faciunt, & ad cœlestis regni consortium euocant, ubi pax & gaudium perpetuum. Terrenum regnum ferro, gladio & uolentia seruatur, defenditurque: at cœleste regnum tuetur modestia, & constabilit humilitas. Obserua: Pauperes spiritu, ditissimi sunt, nimirum reges sunt cœlestes. Ergo diuites mundo, pauperes & infelices sunt. Hęc non capit caro, capiat igitur spiritus, id est spiritalis homo.

Beati mites.

Priori non absimile paradoxon Dominus addit. Paupertatem enim spiritus, mansuetudo sequitur, hoc est facilitas quædam & tractabilitas, qua facillè semel retus affectibus nostris, quiduis patimur: uindictam non sitimus, sed Deo ultionem nostri relinquimus: nulli uim facimus, læsi facillè iniuriam condonamus: malum rem perdere, quæ contendere. Sicut Abraham cessit de suo iure, Gen. 23. diuidens cū Loth terrâ, & inueniens, Ne quæso sit iurgium inter me, & te, &c. Sic Iacob humiliant se coram Esau fratre iniusto, qui iniustam habebat causam. Sic Dauid electus à Deo in regem, cessauit à suo iure regnandi, donec Dominus perderet

Quomodo regnum cœlorum, pauperum spiritu fit.

Etiã in hoc seculo pauperibus comunicantur cœli opes.

Regum cœli, uires.

Mansuetorū ingenium.

Mites, quæ fuerunt. Abraham. Iacob. Dauid.



Salem. Pluris facimus concordiam & animi tranquillitatem, quam latifundiū, nobisque optabilior est quæta paupertas, quam copiosa diuitiæ. In aduersitatibus mititate ita mollimur, ut cum Dauide psal. 107. dicamus, Paratum cor meum Deo, paratum cor meum. Et psal. 118. Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discā iustificationes tuas. Psal. 21. Factum est cor meum, tanquam cæra liquefens in medio uentris mei. Cæterum huius mititatis, meritoria beatitudinis, Christus se discipulis exemplum exhibuit, dicens infra 11. cap. Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Ad hunc modum Paulus ad Titum, 3. cap. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Hæc doctrina ex diametro aduersatur doctrinæ mundi, qui docet, beatos esse pertinaces, & sua constantet defendentes, etiam cum iniuria. Obserua. Sicut immitis sæuus est, responsator, & crudelis: ita mitis clemens est, lenis & mansuetus. Hic locus alludere uidetur ad duritiam & intractabilem perniciam Patrum rixantium in deserto cum Deo. Hi enim non possederunt terram promissam, sed in ferocia illa sua conciderunt in deserto.

Peruicaces & præfracti, mudo beati.

### Quoniam ipsi possidebunt terram.

Quemadmodum supra, regnum cælorum & sempiterna bona pauperibus spiritu est pollicitus: ita quoque hic addit mitibus promissionem de bonis temporalibus & uita in hoc mundo, obtinēdis. Neque enim (ait Chrysost. in hunc locum) de futuris solummodo bonis, uerum etiā de præsentibus cohortatur: propter tardiores scilicet auditores, & antequam futura ueniant, præsentia requirentes. Si in Euangelica lectione prospexerimus, obseruabimus, ad uirtutem & Christianam perseverantiam nos exhortatos esse quandoque per futura, interdum quoque & per præsentia. Quanquam neque ubi intelligibilia ponit præmia, priuat sensibilibus: neque econtrario, quum sensibilia pollicetur, intelligibilia aufert. Infra 6. ca. Querite (inquit) primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Item Luc. 18. Amen amen dico uobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro uitam æternam. Respondabit quispiam. Quomodo concordant inter se, Pauperem esse, & terræ hæreditatem consequi? Nam si terra possidenda est, tum non licet esse pauperem. Respondeo.

Etiā temporalia promittunt electis.

Diuitiæ temporales non auferunt paupertatem in spiritu.

Vitionis cupiditudo subito rebus possessis excidit.

Christus suorum uerborum interpretationem affert, Spiritu pauperem esse iussit, nō mendicum agere, aut opes & diuitias abiicere, quasi oporteat ipsum esse diuitiis uacuum aut ablegasse diuitias, si uelit esse pauper spiritu. Nam licet electis uelle habitare in terra, diuitias & rerum temporalium commercia habere, propter quæ non desunt esse pauperes spiritu. Quare, terræ hæreditatem hoc loco uocat, bona omnifariam hic in mundo habere. Non quod terræ Domini futuri sint, sed quod, præ illis, qui uindictæ amantes sunt, permanebunt, ut quibus nihil deerit, eò quod præsentissimum habeant Dominum, paratum adiuuare in tempore opportuno. De his rebus periculum facimus, quod nemo citius possessiones perdit, & ab eis deturbatur, quam iniuriarum retaliatores: nemini citius fundus prorsus euertitur, quam his peruicacibus & immitissimis hominibus, quibus disceptantibus plerunque decies plura insumenda sunt quæ possit estimari summa, propter quæ rixantur. Exemplo sunt efferati & barbari homines, qui nunquam quicquam ferre, nec aliquid de suo iure concedere sustinent, sed statim syluas & montes euertere, & quod dicitur, mare cælo miscere contendunt, nullum uel leuissimum uerbum dissimulantes, sed omnium impatientes, statim ad arma prorumpunt, nec aliud cogitant, quam qui acceptam iniuriam aut contumeliam, ulciscantur. Propterea uidemus amplissima regna & imperia, magnas nationes & ciuitates, hæc

uindictandi pertinacia nonnunquam exitium sibi attulisse. At qui gratuito soli Deo uindictam committunt, persistunt. Obseruemus igitur, quam bella & suauis sit hæc duplex promissio, altera spiritualis, qua dicitur ipsorum esse regnum cælorum: altera temporalis, qua, quantum ad corporis rationem attinet, mites satis habituri sint. Iam enim hic conclusum, & irruocabiliter decretum est, mites terram possiduros. Aut, ut Hieronymus in hunc locum ait, possidebunt terram, non terram (inquit) Iudææ, nec terram mundi, non terram maledictam, spinas & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisque ac bellator magis possidet: sed terram, quam psalmista desiderat, dicens psal. 26. Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Augustinus ait, Rixentur immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus, sed beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram de qua auelli non poterunt: illam, inquam, terram, de qua psal. 141. dicitur, Portio mea in terra uiuentium. Aut illi soli uerè possident & inhabitant terram, qui cum pace & tranquillitate conscientia in ea degunt, fidentes Deo & in omnibus eum laudantes: hæc demum uera est possessio, & inhabitatio terræ, quæ æternum duratura est. Nam hæc pax & gaudium nunquam finientur, ut ut mors corpus affecerit. Regnum Dei est pax & gaudium in Spiritu sancto. Impij & carnales non uerè inhabitant terram, quod perpetuò inquieti, iudicium Dei timeant, & auaritiæ, ambitioni & huiusmodi sese dedant. Hi sunt, qui (Prouerbiorum 2.) relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebrosas: Qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: Quorū uia peruersa sunt, & infames gressus eorum. Qui recti sunt, habitant in terra & simplices permanebunt in ea. Impij uerò de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.

Mitibus duo promittuntur.

Quæ terra mitibus promissa.

### Beati qui lugent.

Pergit Christus pari ratione falsam Iudæorum persuasionem euertere, qua ere debant hæc optimam & beatissimam uitam esse in terris, si quis eò rerum suarum statum poterat perducere, ut letos & molles dies traduceret, omni molestia, luctu, & difficultate excluda. De quibus loquitur Dauid psal. 72. Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Nam hoc summum & præcipuum est, quod ardentissimis uotis expetunt, & desyderant homines, ut læti & hilares queant frui uoluptatibus, nullis malis aut doloribus interuenientibus. Sed Iesus Christus hæc falsam doctrinam prorsus euertit, contrariam afferens, dum eos qui lugent, pronuntiat beatos. Quasi diceret, longè alia & diuersa uita ducenda est, quam Iudæi putent, & cogitent. Nimirum Christiano homini ita instituenda est uita, ut in hoc mundo luceat, ac doceat. Qui huic doctrinæ noluerit obedire, poterit quidem aliquot dies lætos & iucundos traducere, & planè, iuxta animi sui libidinem, uitam uiuere Sybariticam hoc est, mollissimam & delicatissimam. Sed hæc breui exacta, illi perpetuò flendum dolendumque erit: quemadmodum Luc. 6. dicit, Væ uobis, qui saturati estis, quia esurietis: Væ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Non absimile euenit epuloni & comestatori Euangelico, Luc. 16. Sed obiiciet quispiam. Quid igitur faciendum est? Ergo omnes illi damnati sunt, qui rident, & dies lætos ducunt, cantantes, spendidè se uestientes, edentes & genialiter bibentes. Legimus Abrahamum, Dauidem, & alios patres cecinisse, risisse, magnificè ornatos fuisse, conuiuuiis interfuisse: Paulus item, vir sanctus, iubet, ut omni tempore læti simus ac hilares, Philip. 4. ca. Et ad Roma. 12. gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Pugnans certè hæc inuicem. Respondeo, ut diuitiæ non sunt interdictæ, sic nec gaudere, & lætè bibere, ac comedere est damnabile: sicut neque honoribus & dignitate pollere, ac splendide uestiri: & tamen inter ista, dum animum illis non adhibeo, sed lugeo in animo, & æquani-

Christiano homini magis, dum uiuit, lugendū, quam gaudendum.

Inter huius mundi ludicra & nugæ potest homo beatus esse.



miter fero afflictiones, tristisque sum propter peccata mea, beatus certe sum. Hęc se fecisse Paulus gloriatur. Philip. 4. cap. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. Vbiq̄ & in omnibus institutus sum, & fatiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Sensus itaque est: Lugere & mœrere Christianus dicitur, non quod extrinsecus deiecto vultu incedat austerus, & tetricus, & nunquam in risum solvatur: sed qui in hoc non fedit, q̄ dies bonos ac laetos habeat, interim lugens, quod in cognitionem sui coniectus, peccata & maledictionem apprehendat, presentis uitæ mala ac pericula considerat, & tamen etiam gaudens, quod intelligat se sanguine Christi liberatum, imò & ipsum Christum horum omnium uictorem presentissimum adiuuare fidentem in ipsum, qui nouit qui sunt sui. Causas luctus probè sentiet, qui uerè Christianum egerit, & perdisset, quid sit lugere, mœstum esse. Paradigma. Fac, ut uerbum Dei amore prosequaris, tēque in fide & tua uocatione contine. Iam si ea feceris, quę in tuo statu tibi facienda, mandata sunt: statim experieris, cum à uicinis, tum etiam à tuis, non ita omnia ex animi tua sententia, ut uis, succedere posse: sed uariis obstaculis uocationem tuam, uotāque tua præpediri, & detineri, sic ut abundè toleranda & ferenda undiq̄ tibi cucniant, ac quotidie contingant, quæ animo tuo agrè feras. Huius classis primas habent prædicatores uerbi, & ueritatis annuntiatores, quibus probè hoc discendum uenit.

**Quid?** Nimirum id, quo quotidie exercentur, dum uariam auditorum (quorum neque palato satisfaciunt, neque auribus placent) inuidiam, odium, ingratitude, contemptum, ronchos, & sannas & ignominiam experiuntur: quæ ipsi cum silentio & grano (ut dicitur) salis uoranda, & concoquenda sunt, quibus illorum cor, & animus subinde configuntur, & indefinenter discruciantur. Hi certè uerè lugent, & beati sunt. Sanctus noster luctus est, cum non solum de peccatis nostris lugemus, uerum etiam de fratre peccatis mortuo, quæadmodum Samuel, 1. Reg. 15, planxit super Saul, audiens Dominum penitentiâ ductū, quod unctus esset Saul in Regē. Sic Paulus, 2. Corin. 12. Timeo, ne cum iterū uenero ad uos humiliet me Deus apud uos: & lugeā multos ex his, qui antè peccauerūt, & nō egerūt penitentiā super immunditia, fornicatione, & impudicitia, quā gesserunt. Luxit Petrus abnegato Domino, Mat. 26. Magdalena fleuit ob sua peccata, Luc. 7. Et hi inuenerunt consolationē. Alij quandoque desyderio uitę æternæ fleuisse legūtur, ut Paulus Philipp. 2. Cupio dissolui & esse cum Christo. Similiter Dauid clamat psal. 119. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitauit cum habitantibus Cedar: id est cum peccatoribus & iniquissimis: multum incola fuit anima mea. Lugent alij quia uident nullum iustitię Dei locum in terris esse, ac neque etiam inter optimates. Ad hunc modum doluit Dauid psal. 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliui sunt uerba tua inimici mei. Eodem zelo doluit Phinees, Numer. 25. cum uidit Zamri, spectante populo, peccantem cum muliercula Madianita. Similiter & Matth. Machab. 2. uidens idololatriam crescere in Israël.

### Quoniam ipsi consolabuntur.

Lenit Christus lugentium dolorem argumento à cōsolationis (quæ est uel sublatio uel mitigatio rerum aduersarum) promissione. Promittit enim nobis Christus in ea afflictione consolationem, dicens, Quoniam ipsi consolabuntur, id est consolationē accipient. Par enim est, ut qui temporalia gaudia cōtemnunt, æterna consequantur. Isa. ultimo, Gaudete cum ea uniuersī, qui lugetis super eā. Non absimilem Dauid accepit consolationem, dicens, psal. 43. Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuę latificauerunt animā meam. Duplex est consolatio. Vna, qua in hac uita mentes credentium, dulcedine Spiritus sancti in Christo pacantur: quam Apostolus gaudiū uocat in Spiritu sancto. Hęc

Mœrere & lugere quomodo oportet Christianum.

Quotidie multa ferenda Christiano.

Luctus conuersionum.

Sanctus luctus, quis, & qui pie luxerunt. Samuel. Paulus.

Petrus. Magdalena. Luctus ob desyderium uitę æternæ. Dauid.

Luctus ob offensionem Dei. Phinees.

Mathathias.

Consolatio, quid.

Consolatio duplex.

consolatio mirabili modo in medijs aduersis administratur, ita ut in tribulationibus constituti, suauitatem hanc diuinę consolationis experiantur pij. Sic Apostoli, Act. 4. ibant gaudentes à conspectu consilij, in quo & probra & uerbera pro Christo passi fuerant. Et Roma. 5. Sed & gloriamur (inquit) in tribulationibus. Et Hebr. 10. Rapinam bonorum uestrorum cum gaudio sustinistis. 2. Corin. 1. Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationem, id est consolationem, qua exhortatur ipsi à Deo, id est qua nos ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Huc etiam referri potest ea consolatio, quæ prædicatione remissionis peccatorum per Euāgelium Christi offertur penitentibus. De illa est locus Isa. 61. Ut consolaret omnes lugentes. Altera est consolatio, quæ fit uerbo, quo compellamus afflictos, & consolamur, exemplo Christi, & piorum qui luxerunt & afflicti fuerunt. Item historijs & promissionibus Christi sparsim in scriptura obuijs. Alia est consolatio, quæ reseruat in futuram uitam, cuius nullus erit unquam finis. De hac loquitur Apost. 2. Thessal. 2. dicens, Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam, &c. Hanc intelligebat Abraham, ad diuitem dicens, Nunc hic consolatur, tu uerò cruciaris, Luc. 16. Et hæc cōsolatio, non, ut prior, in reb⁹ aduersis administratur, sed in summa & absoluta felicitate, ubi nullus amplius rebus tristibus locus esse potest. Absterget ibi Deus omnē lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Constanter itaque Deo fidendum est, & ab ipso expectanda consolatio, hic, iuxta uerbum eius, nobis præsens, & in futuro seculo, ubi omnis angor & omnis lamentatio submouebitur. Ex superioribus colligamus, Christi sententiam non esse, ut tantum ægritudo adsit & tristitia, sed Christus illis studet occurrere, qui omnino lugere nolunt, sed bene & delicatè uiuere, & hęc consolationem suam habere. Deinde hortatur Christianos, ne animos despondeant, quoties male habent, aut luctu & ægritudine afficiuntur: sed his intelligat se Deo placere, si æquanimiter ferant afflictiones. Quæ si plus quàm absinthium, amara sentiantur, profectò nectare & saccaro promissionis Christi temperandæ leniendæque uenient. Leuius certè ferent afflictiones, cum audierint Christum commendare & pronuntiare tales esse beatos, qui spretis huius mundi uoluptatibus, in lachrymis, in uigilijs, in ieiunijs uitam transigunt. Nam his lugentibus certò aderit Spiritus ille cœlestis, secretus piorum consolator, qui placidissima metamorphosi luctum illum transformabit, transferetque tandem in gaudium æternum: Interim animum intus sibi benè conscium exhilarabit, & pro uitæ æternæ arrhabone munus conferet inestimabile gratiæ suæ. Quare & mundum, & eos qui nos affligunt, missos faciamus, uerbis Euangelicis innixi, & lachrymas piorum commendemus, quas certè Dominus excipit, & muneratur. Psal. Tu laborem & dolorē consideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et mox, Desiderium pauperum exaudit Dominus: preparationem cordis eorum audit auris tua. Rursus, Deus posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. Huc pertinet, quod Christus sæpè lachrymas emisit, quibus certè lachrymis piorum benedixit. Vnde uult fletum ipsorum, benedictum & beatum esse, & per fletum eos ad perpetuū risum peruenire. Summa: abneget homo semetipsum, sequutus uocationem suam, atque tum hęc in fletu ridebit, & tandem risum consequetur æternum. Psal. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. Huc pertinet, quod ait Dominus Apostolis, Ioan. 16. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini: sed tristitia uestra uertetur in gaudium, &c.

Consolatio à Spiritu sancto.

Consolatio à remissionis peccatis.

cōsolatio per uerbum.

cōsolatio in futura uita.

Consolatio piorum in afflictionibus.

Spiritus diuinus, arcanus piorum consolator.

Psal. 9.

Psal. 55.

Suus pijs fletus ritum parit æternum.



## Beati qui esuriunt &amp; sitiunt iustitiam.

Tamet si hæc sententia intelligi possit de ardenti siti iustitiæ, hoc est anxio gratiæ cœlestis desiderio, inter opera bona per fidem & synceram charitatem facta, & ex animo nunquam in uero cultu Dei fathiscente, ut psal. 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi: uelociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Qui psal. 142. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: quæ iustitia Christiana & principalis iustitia est, qua coram Deo persona iusta & accepta fit. Tamen quia his sententiis (ut prius diximus) Christus corrigere uult errores, quibus homines falsò de aduersa fortuna in hoc mundo iudicant, uidetur hoc loco Christus loqui de civili iustitia, qua unicuique, quod suum est, tribuitur, & de infelicitate, quæ bonis uiris, iustitiam civilem toto desiderio sectantibus accidere solet. Quare sensus uerborum est: Ille præclarus & beatus homo dicendus est, qui assidue unum hoc studet, & summa ope nititur, ne cui noceatur, sed cuique sua tribuantur, idque uerbis, operibus & consiliis defendendum & prouehendum suscipit. Qui noctes atque dies hoc unum meditatur & agit, ut res suas iuste & rectè administret, ac in contractibus suis civilibus aequitatem seruet. Attamen si huius boni & probi uiri in negotiis exitum consideraueris, uideas ipsi omnia aduersa, & iniusta accidere: Et quò magis erga omnes iustitiam seruat, eò magis ab improbis iniustitiâ pati cogitur. Nam si in controuersis civilibus, iudicio sistatur, & iustam causam habeat, cadit tamen causa frequenter, & litem perdit. Si bonas suas merces uenium iustè exponat, tanta infelicitas huic contingit, ut hunc non merces iusto labore partas, sed imposturas, furta & rapinas uenium exposuisse plerique putent: ac quò plus nititur iustè agere, eò infelicius uidentur illi omnia cadere. Quare mundus hunc sitientem iustitiam, iudicat maledictum, calamitosum, & prorsus infelicem. At Christus longè aliter pronuntiat, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Quasi dicat: Qui sectantur iustitiam, & sufferunt uicissim iniustitiam & aduersam fortunam, hi iudicantur ab hominibus huius seculi, in maledictum & infelici rerù statu uersari. Ego autem dico hunc beatum uirum, & statum eius, quòd ad illum attinet, esse felicem & benedictum. Cur ita? Certè is benedictione & bonorum futuritate, in fame & siti iustitiæ, impletur. Nam si tu, qui esuris iustitiam, credideris Dominum Deum nostrum tibi propter Christum propitium esse: actibi prudèti suo còsilio & magno tuo commodo aduersa & infortunia immittere, ac propterea perseueraueris in uocatione Dei, nec ab ea propter aduersa discedas, sed ambules constanter in iustitia & uocatione tua nihil aduersitates moratus, fieri non potest, quin futuritatem omnis iustitiæ consequaris. Huc maxime pertinet, quod scribitur psal. 36. Expecta Dominum, & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram. Cùm perierint peccatores uidebis. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam & uide aequitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Similiter in cantico virginis, Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Hæc indicant, beatos esse, qui esuriunt & sitiunt iustitiâ, qui etiam si cùm in iustitia ambulant, aduersis petantur, tamen ipsis benè erit, & omnibus abudabunt bonis. Quàm uerum hoc sit, exemplis à scriptura petitis facillè monstrabimus. Iacob esuriebat, & sitiebat iustitiam erga focerum suum Laban, cui iustissimè seruiuit annis uiginti: quò tempore noctu diuque estu urgebatur & gelu, fugiebatque somnus ab oculis eius, arietes gregis foceri sui non comedebat, & damnum omne rependebat, adeoque nihil nec operis, nec laboris, nec sumptus intermittebat, tantum ut iustam seruitutem focero seruiret. Sed quid accidit? Quò iustius Iacob focero suo seruebat, eò iniquius Laban focer generum suum

Iustitia Christiana, quæ.

Iustitia civilis.

Probis &amp; iustis ferè omnia aduersa in hoc mundo.

Luc. 2.

Iustis, &amp; iustitiæ esurientibus benè erit, tum fore, commonstratur exemplis. Iacob.

suum Iacob, circumueniebat, & mutabat mercedem eius, ut scriptura inquit, Genes. 31. cap. decem uicibus. Ad uides ipsum Iacob in eorum esse statu, qui dum esuriunt, & sitiunt iustitiam, aduersis premuntur. Quid igitur? pronuntiabimus ipsum Iacob miserum & infelicem? Nequaquam. Sed beatum, quippe cui accidit, & ita effecit Dominus, ut omni iustitia saturaretur, & substantia foceri sui ualide ditaretur. Adhæc inscribitur Ioseph ordini eorum, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Nam quum præfesset domui Phutipharis, & in ea iustissimè & castissimè uersaretur, falsò accusatus est adulterij, & cùm fauore opprimeretur, in carcerem coniectus est, tanquam publicus adulter. Quid? Infelix ne erat Ioseph in hoc statu? Nihil minus. Nam cùm Ioseph Dei promissionibus adhereret, ultionem iniusti carceris, & falsæ accusationis, Deo resignaret, & in uocatione Dei perseueraret, effecit Dominus, ut Ioseph omni iustitia saturaretur, hoc est, ut iniquitas aduulteræ manifestaretur, iustitia & innocentia Iosephi reuelaretur, ac è carcere ad principatû Aegypti produceretur. Quid narrabo de Dauide, qui iustissimè in aula Saulis uersatus, exul, tanquã seditiosus, factus est? Interim fideli Deo adherens, suam iustissimè sectabatur uocationem, uindictam iniuriæ à Saule illatæ Domino committens, licet ad manus Saulem, quem interficere poterat, haberet, nolens Christo Domini, uiolentas iniicere manus. Hic uerè beatus erat, nimirum tanta saturatus erat iustitia, ut non solùm tutus & incolumis ad regnum Israël cõscenderit, sed & in regem electus & confirmatus fuerit. Ad demus & hoc singulare exemplum de Domino nostro Iesu Christo. Qui, quòd esuriret & sitiret iustitiam, & omnia iuxta diuinum mandatum absoluisse, raptus fuit ad tribunal pontificum, Annæ, & Caiphæ, & præsidis Pilati in Iudæa, condemnatusque est seditionis, & suffixus cruci, turpissimo mortis genere occisus est. Porro cùm iniustè, miserè, & infeliciter tractaretur, tamen sese his aduersitatibus rectè accommodauit. Nã cùm maledictis incessetur, maledicta non regeffit: cùm malis afficeretur, nõ minatus est: sed tradidit uindictam ei, qui iustè iudicat, & factus est obediens patri suo usque ad mortem crucis. Sed horum, quis euentus & finis? Propter hoc gloriosus mortem uicit, tantaque iustitia saturatus est, ut non solùm innocentia eius toti orbi inuulgata fuerit, sed etiam exaltatus sit ad summam gloriam, & donatum illi fuerit nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Hæc omnia docent, Beatos esse esurientes & sitientes iustitiam: quandoquidem si se fami & siti suæ rectè accommodauerint, satis abundanter iustitia saturabuntur. Obserua, non pro nihilo addita esse illa uerba, esuriunt & sitiunt, ut intelligamus magno desiderio, ardore & incessabili diligentia opus esse. Hæc fames & sitis iustitiæ ad hoc prospicit, ut nunquam desinat pius nunquam sedetur, nunquamque exatiari queat, ac nihil aliud quærat aut cogitet, quàm iustitiam: sed omnia contemnat, quæ sibi impedimento esse uiderit aut intellexerit, ut iustitiam tueatur & prouehat. Quòd si tantum præstare non potest, ut & homines ceteri prorsus iusti & boni fiant, faciat, quod potest. Sufficit, si is suo officio perfunctus est, & nonnullis auxilio fuit, etiam si hi numero sint tantum unus aut alter. Si alij docentem & exhortantem sequi noluerint, missos illos faciat. Neque enim propter improbos officium intermittendum est, sed ita cogitandum, illorum gratia nihil inceptum esse, neque aliquid propter eos intermittendum. Fortasse progressu temporis & illorum nonnulli resipiscant, aut saltem illorum numerus minuetur, & aliqua denique ex parte meliores erunt. Sed, ô Deum immortalem! quanta iam iniustitiæ uis, quanta iniustorum seges terram Ecclesiæ occupauit? Vides quempiam esurientem & sitientem iustitiam? huc omni genere iniuriæ mundus afficiet, ita ut (nisi constanter iustus est) tandem lassitudine & tædio corripiatur atque cùm molestè ab huiusmodi uiris intelligatur tantam in uita humana uitiorum Lernam esse, tantamque Camarinã, hoc est fœ-

Ioseph.

Dauid.

Christus.

Phil. 2.

Fames &amp; sitis uehementiam addunt rei, de qua dicuntur.

Iustus pro fit &amp; aliis, quibus possit, ad iustitiam.

Docetur cõcionator, itè iustus, bono esse animo.



Fames ac sitis iustitiam, monasteria, alim inueniunt.

torem asperrimum, proque tantis beneficiis nihil se aliud consequi lucrī, quam ingrati-  
tudinem, contemptum, odium, & insectationem. Fit demum, ut talem re-  
luctationem & confusionem uidere non potentes, subinde de omni mundi respicē-  
tia desperent, & relicto frequenti hominum conuictu, in sylvas & nemora semet  
abdant, & monasticam uitam arripiant, ubi, quod reliquū erat uitae, uigiliis, ieiu-  
niis & orationibus Deo seruiētes exigant. Hęc sunt bona, quę iustitię esurientes pa-  
rit. Bonum itaque est uelle iustitiam, sed longē beatius est, eam esurire, & sitire,  
ut pręmonuimus. Nam, ut Hieronymus ait, Non sufficit nobis uelle iustitiam,  
nisi iustitię famem patiamur, ut hoc exemplo, nunquam nos satis iustos, sed sem-  
per esurire iustitię opera intelligamus.

### Quoniam ipsi saturabuntur.

Argumento à promissione certa & consolationis plena, Christus suos allicit, ac prouocat ad esuriam, & sitim iustitię. Qui esuriunt & sitiunt iustitiam, mercedem non mediocrem consequentur. Nimirum erit, quum famis & sitis molestiam non amplius sentient, nec ad satiandum se laborent. Plena saturitas & fructus copiosissimus laboribus eorum respondebit. Id quod non tantum in hac uita, sed multo impensius in futura reuelabitur. Vbi quisque uidebit, cuiusmodi fructum tales esurientes iustitiam sua opera, studio, & sedulitate prodixerint, licet modo parum succedere uideatur. Exemplo est Paulus, qui Philipenses quos ad Euangelium adduxit, similiter & Corinthios, vocat coronas suas, & epistolam suam scriptam ait non atramento, sed spiritu coram Domino, Philipp. 4. 2. Corinth. 3. Ita quum bonus aliquis predicator tot animas è rictu seu faucibus diaboli eripit, inque cælum subducit, aut aliquis fidus princeps & magistratus multis regionibus & hominibus auxiliatus est, hi omnes huius beneficentię testimonium perhibebunt, & coram omnibus collaudabunt: apparebuntque conspicui fructus horum, qui esurierint iustitiam. Aut, ut inquit Augustinus, Saturabuntur illo uerbo, de quo Dominus ait, Ioan. 4. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei. Hęc illa iustitia est. Hic ipse potus, quando dicit, Omnis qui bibit ex aqua hac, quam ego dabo ei, non sitiet in æternū: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquę salientis in uitā æternā. Obserua. Quę admodū esurientes iustitiam, saturabuntur æternū, ita persecutores esurientium iustitiam, fame sitique perpetua cruciabitur. Quod eleganter expressit Isaias 65. cap. Vocauī uos, ait Dominus, & non respondistis: loquutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quę nolui elegistis: propter hoc dicit Dominus Deus, Ecce serui mei comedent, & uos esurietis. Ecce serui mei bibent, & uos sitietis. Ecce serui mei latrabuntur, & uos confundemini. Proinde consummata saturitas in futuro seculo erit, quādo Deus omnia in omnibus erit, 1. Corinth. 15. & ubi sicut nihil remanebit inultum, ita nihil absque suo præmio. Colligamus ex superioribus, Dominum quatuor his sententiis, quibus beatos pronuntiat pauperes spiritu, mites, lugentes & esurientes iustitiam, hoc est secundum carnem infelices, & quorum res accisæ & afflictę sunt iudicio mundi, suadere uoluisse nostri abnegationem, ut presentibus rebus & mūdo ualedicamus, & ab ipso cęlestia expectemus. Nam Luc. 14. dicit, nullū posse suum discipulum esse, nisi qui omnibus, quę possidet, renuntiarit. Atque ut huc nos animaret, id est, ut hac methodo fieremus discipuli eius, quatuor his sententiis pronuntiauit ad eum abesse, ut infelices sint, quibus in hac uita, aduersa secundum carnem omnia cadunt, ut nulli alij beati sint.

### Beati misericordes.

Pulchrè & aptè priorem subsequitur hęc exhortatio. Qui esurit & sitit iustitiā, id est alios iuuare & auxiliari uult, ut passim rectè & iustè uiuatur, illum quoque misericordem esse oportet: id est, ne statim sit in armis, ac ne mox ubi in aliquo

Cibus, quo implentur iusti, quis.

Iniusti & in-  
storum perfe-  
ctores per-  
petuo esuriet

beatitudo ab-  
que abnega-  
tione sui pre-  
uia, non ob-  
netur.

delicto præoccupatum te uiderit, scire incipiat, modò non abfuerit respicientię spes. Nam id quoque in primis horrendum & impium est, nullam habere com-  
patientiam, & nullo proximorum incommodo ac miseris tangi, aut nulla mo-  
ueri misericordia, erga nondum perfectos, sed infirmos: sed seuerissimè & sum-  
mo iure cum infirmis agere, quod reuera summa dicitur iniuria. Vera profectò  
iustitia (inquit sanctus Gregorius) cõpasionem habet, falsa indignationem. Sed  
res huius seculi uidemus eò abiisse, pro dolor, ut non pauci omni praua animi li-  
bidine, & tyrannide utantur sub hoc tectorio & prætextu, quòd iustitię gratia ope-  
rentur: uelintque sancti nominari & ardentissimi iustitię zelatores dici, cum ni-  
hil minus sint. Nam ubi iustitiam promouere, atque prouehere debent, ibi pro-  
fus negligentissimi sunt, nihil cogitantes aliquem aut instituere, aut emendare,  
sed impurè & contaminatè uiuentes. Quòd si quis ipsos negligentię aut alicuius  
criminis arguerit, aut non laudauerit, aut uerba placentia & iuxta ipsorum uolun-  
tatem non fuerit loquutus, mox seditionis aut erroris arguitur, & uelut furcifer  
damnandus ac præcipitandus iudicatur. Ad eò enim ipsi sua tumescunt arrogan-  
tia, & propria sanctitate sibi placent, ut quosuis contemnant, & neque mititatem,  
neque misericordiam habeant. Quare aduersus tam magnum malum salubris &  
maximè necessaria est hęc admonitio, ut quisque pro charitate fraterna alienam  
miseriam suam esse ducat, proximi malis indolescat, calamitatibus aliorum illa-  
chrymet, de suo pascat egentem, nudum uestiat, errantem moneat, ignorantem  
doceat. Et, ut breuiter dicam, det operam, quoties illi cum proximo erit negotium  
(quem adiuuare in eo statu potest, & ad iustitiam perducere debet) ut ignoscendo  
misericordiam manifestet, & palam ostendat, iustitiam sibi ad eò cordi esse, ut non  
sua libidini & stomacho morem gerere uideatur, sed uolètem ab iniustitia disce-  
dere, & uitam emendare, excipiat non acerbè, sed amicè & indulgenter tractet,  
ipsiusque desertum & infirmitatem in optimam partem accipiat, & patienter to-  
leret, donec aliorū, qui uirtute iustitię præcedunt, gressus adsequatur. Quę ubi  
probauerit integrè restitutum, & uitam meditari ac instituere, quę piis respon-  
deat, age gratias Deo, & precibus uerbisque bonis cura, ut idem perseveret. Quòd  
si in damnatum iam, & pœnæ pro scelere additum, carnificisque extremam ma-  
num præstolantem, incidere, ad hoc à magistratu euocatus tum, ubi scilicet, eum  
tua monitione cognoueris cum Dei gratia talem factum, qui præferat animum  
sui pœnitentem, &c. tum inquam potes illum missum facere, atque illis commen-  
dare, qui irrogandi supplicij ius habent. Hęc est methodus seruandi infirmum.  
Est & altera pars seruandę defendendęque iustitię, qua monemur, ut simus ino-  
piam patientibus & præsidio egentibus liberales & benefici. Hęc uocantur opera  
misericordię, Matth. 25. cap. Obserua. Misericordem esse, est adiuuare liberali-  
ter re, opere, & consilio.

### Quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Non oleum & operam perdit, qui misericors & in proximum beneficus est: lu-  
crum enim facit locupletissimum, nimirum misericordiam consequitur in hac &  
futura uita, & eiusmodi misericordiam, quę omnem humanam benignitatem &  
misericordiam infinitis parasangis præcedit. Etenim nullo modo nostra miseri-  
cordia, hoc est in pauperes & egenos liberalitas, conferenda cum Dei miseri-  
cordia, neque nostra bona cum perpetuis bonis. Sunt tamen usque ad eò grata Deo,  
nostra bona, proximo exhibita, ut pro uno teruncio centies mille aureos, si neces-  
sitas nostra postularet, proque uno haustu aquę frigidę regnum cęlorum polli-  
ceri atque etiam rependere non dubitet. Condonasti proximo delictum aliquod  
leuiusculum, tibi Deus condonabit omnia peccata: remisisti fratri uindictam tē-  
porariam, tibi Deus remittet pœnam æternam: subleuasti tua pecunia fratris ino-  
p-

Qui sym-  
thiam & sen-  
sum alienarū  
calamitarum  
non habeat,  
beat' esse nō  
potest.

In eos, qui  
crudelitatem  
suam iustitię  
pallio uelāt.

Exercitiū ho-  
minis miseri-  
cordis.

Quęrum bo-  
ni iustitia-  
ciat, qui mis-  
ricors est.



piam, tibi reddet Deus opes cœlestes. Dum nostris facultatibus inopiam fratris leuamus, pauperiores quidem efficitur coram mundo, sed apud Deum locupletamur: exhauriuntur opes nostræ, sed pectus nostrum pietatis fructibus cumulatur, & ditiores in Deo efficitur. **Qui** huius exhortationis immemor fuerit, audiat Iacobum cap. 2. Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Christus etiam in extremo iudicio eiusmodi immisericordiam summi sceleris loco impiis potissimum obiecturus est, tanquam aduersus se factum & perpetratum fuerit, Matth. 25. Confer, rogo te, diuitem illum epulonem Euangelicum & immisericordem, Luc. 16. cum paupere Lazaro, & utriusque finem contemplare. Summa huius exhortationis est, Beati sunt illi, qui propensi sunt ad condonandum. Vnde per hoc stabilitur illud in Dominica precatione, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Item, Beati illi, qui de suo largiuntur egenis, quique proximi uel indigentiam subleuant, uel miseras solantur, animo pio, & communibus calamitatibus indolenti.

## Beati mundo corde.

Rationem ac methodum aperit, qua Deus uideri possit. Diligenter studendū est cordis munditiæ, quæ innititur Christo, & uerbo eius. Nam cum ex se is solus purus sit, oportet omnem puritatem & munditiam ab eo pendere. Iob. 14. **Quis** potest facere mundum, de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Cum itaque iuxta uerbum tueris simplicitatem & integritatem, hoc est, nihil aliud corde uoluntas, nec aliud uerbis & externa specie præ te fers, sed ex charitatis affectu puro simplici corde omnia in gloriam Dei & proximi commodum instituis, beatus es. Rogabit quispiam. **Quomodo** quis fit mundus corde? Respondet Petrus Act. 15. Dās illis Spiritum sanctū sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Fide, subaudi uiua, id est, quæ charitati iuncta est, alioqui mortua esset. Cor mundum dicitur, quod in hoc consistit, ut semper cogitet, quid Deus dicat, & in suarum cogitationum locum uerbum Dei reponit, iuxta quod uiuit, & sua omnia instituit. Hunc non arguit conscientia vlla peccati. Vnde his uerbis Christus à nobis omnimodam cordis puritatem requirit, nempe ut longè absumus ab omni hypocrisi & dolo. **Quare** totus hic locus potissimū aduersus Iudæos pronuntiatus est, quorum hæc erat sanctitas, ut externo corpore, cute, capillis, uestitu & cibis mundi essent, adeo ut ne minima quidem macula uestitui inesset. Et si quis fortasse cadauer attigisset, aut scabiem seu neuum habuisset in corpore, huic hominum consortium uitandum erat. Hæc est illorum puritas & sanctitas. At longè aliter docet Christus, cum laudat eos, qui student, ut puri sint corde. Vnde Matt. 23. obiurgat Phariseos & Scribas, dicens, Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis. Intus autem pleni estis rapina & immunditia. Phariseæ cæce, munda prius, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id, quod de foris est mundum. Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Vide infra conciliationem huius loci cum dicto Iob 2, cap.

## Quoniam ipsi Deum uidebunt.

Deum uidemus non his corporeis oculis, sed fide, qua illuminamur, & charitate, qua inflamamur, & ad eum penetramus. In primis Deus cōspici dicitur secundum sublimem & omnipotentem uirtutem suam. Sed hæc modica est uisio. Secundò aspicitur secundum omnipotentem bonitatem, & clementiam eius paternam. Siquidem Deus est æterna omnipotensque bonitas, ac misericordia. Talem illi soli uident, qui mundo corde sunt, hoc est, qui toti Christo addicti sunt, in eum credunt, & hunc feruenti charitate amplexantur. **Qui** enim non credunt,

Feneratur Deo, qui miseretur pauperis.

Munditia cordis, quid.

Quomodo queritur.

Nemo longius abest à puritate cordis, quam hypocrita. In hypocrisin & superstitionem Iudæorum.

Dei qui possunt uideri.

Deum hinc uidemus, quia & potentē eū & misericordem contemplanur.

immundo corde sunt, & Deum non pro patre, sed se uero iudice habent: fugiunt enim faciem eius, sicut primus parens Adam in paradiso. **Cur** ita? **Quia** conscientiam suam, quæ impura est, inspicientes, abhorrent eam, & dum in eius apprehensione demorantur, timiduli animos despondent. Vnde Salomon in Prouerbiis ait, Impius fugit nemine persequente. Nam quum perpetuò cogitet se parum habere Deum propitium, Dei rursus bonitatem & misericordiam erga se fringere, ideo fugitat. **Quid** illum eò pellit? Mala conscientia cum diffidentia. Iam cum is infidelis & incredulus sit, neque mundus est, neque illi mundum est quicquam, autore Paulo ad Titum. 1. cap. Omnia inquit, munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. **Quare** Deum uides, & mundus corde es, quando in Christum credis, & hunc pro saluatore habes, & illius fidem et mandata sequeris. Nam tunc indubitanter perspicias Deum, ut patrem, & propitium tibi propter Christum. Siquidem fides te illuminat ad sublimiora, & charitas animum atque uoluntatem tuam aperit ad ea quæ fide demonstrantur, ubi meram atque inestimabilem gratiam & amorem conspicias: Et hoc est uerè videre Deum, & faciem eius, quæ est Christus, referens patrem nobis clementem & propitium. De cuius benignitate nihil non beneuolentiæ & gratiarum nobis propter Christum polliceri audemus. Proinde hoc loco allusum est ad id, quod legimus psal. 23. **Quis** ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo saluatore suo. Adhæc dicebat Christus Iudæis, Ioan. 7. Si quis uoluerit uoluntatem eius, qui misit me, facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo uir, an ego à meipso loquar. Hoc est, qui se puro simplici corde Deo concrederet, hoc tantum querens, ut se Deo pia uita approbet, is donabitur Spiritu, quo doctrinam meam cognoscat esse doctrinam Dei, & per eam Deum uidebit sibi propitium, & patrem. **Qui** autem suam uoluntatem magis, quam patris facere studet, impuro corde est, & carnalis existit: itaque nihil Dei nosse poterit, tantum abest, ut ipsum Deum uisurus sit.

## Beati pacifici.

Mirifico & laudabili præconio extollit, non solum eos, qui tranquillam habent conscientiam, sed etiā *ei pno mis*, id est eos, qui libenter conciliandæ pacis autores sunt, non tantum pro se, sed inter alios etiam homines, dantes operam, ut mala & implicata causæ extricentur, & componantur, lites tollantur, bella & cædes caueantur, & præpediantur. Excellentissima est hæc uirtus, at rara uis est in terris. Certè locum non habet apud pseudosantos, qui non aliò animum intendere solent, nullique rei utiles sunt, nisi seminandis discordiis, adornandis iurgiis, concitandis bellis, & seditionibus. Mendaces sunt & homicidæ, sicut pater eorū diabolus homicida est ab initio: ac quoniam tranquillitatis sunt impatientes, nullibi subsistunt. Est profectò pax tranquillitatis ordo. Huius ordinis studium reddit hominem pacificum, ad quod nos hortatur David psal. 30. Declina à malo, & fac bonum: Inquire pacem, & persequere eam: id est, Caue, quenquam ladas, stude autem bene mereri de omnibus, inquire & sollicitè da operā, ut uera pax tibi cum omnibus constet. **Quam** ut quauis ratione possis assequi, nihil occasionis prætereas, huic omnia posthabeas. Hoc monet Paulus ad Rom. 12. Si fieri potest, quòd ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Sed hæc pax inter homines umbella quadam est, si ad pacem cum Deo conferatur. **Quare** ueri pacifici dabant operam per Euangelium, id est prædicationem, conciliandis hominibus cum Christo, qui nostra pax est, & nos patri conciliauit. Hanc pacem Paulus optauit Philippenribus. 4. cap. dicens, Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat

Nihil mundum infideli neque ritum

Visonē Dei cui rei debemus.

Pacifici, qui.

Pseudochristiani nihil aliud magis, quam seditionem.

Pax, quid.

Pacem, quæ cum Deo est, potissimum curæ habet pacificus.



Paulus pacē dei in primis horatur & precatur. Bellum quib. ueritum licitū uve.

corda uestra & intelligentias uestras. Similiter & Colossensibus 3. cap. Pax Christi exultet in cordibus uestris. Et Ephesiis, 4. cap. iniunxit eandem quam iussit eos esse sollicitos seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Obserua hoc loco, Bellare auctoritate magistratus non est ueritum. Nā Christus his uerbis non intelligit, magistratui suum esse officium imminuendum: sed uoluit priuatas personas instituire & docere, pro se quamque Christianē uiuere uolentes. Princeps tamen uicino rege in armis, æquitate causæ sit superior, non debet tamen inire bellum cum uicino, nisi omnibus tentatis prius, quæ ad tranquillitatem & concordiam faciunt. Proinde uindicta tibi adempta est, si iniuriam passus fueris. Sed stude diligenter, ut omnis controuersia protinus componatur. Si autem compositioni & paci locus esse non potest, tum ius & magistratus super sunt, apud quos legitimis actionibus causam tuam potes transigere: eò enim institutus est magistratus, ut det operam cognoscendis causis, omnem iniuriam ab innocentibus repulsando. Quare, qui tibi uim fecerit, & te & magistratum læsit: te in persona, & magistratum in præcepto, quo omnibus mandatur, ut pacatè uiuatur.

### Quoniam filij Dei uocabuntur.

Pacifici iam sunt filij Dei.

Felicitas pacificorum & filiorū Dei.

Quam benedictum nescit tū faciat Deus suis.

Filij Dei, ergo spiritu Dei imbuti, &c.

Filij si sumus esse que uolumus Dei, patrem imitemur.

Suauissima, & de re maxima est hæc promissio, qua omnes allicit ad studium pacis ineunda, & conseruanda. Tanta honoris magnitudine, quis non afficiatur? Quis non uel omnia profunderet, & nihil non quamlibet durum subiret, ut tam ingentem consequeretur mercedem? Iam hic illam omnibus nullo pretio oblatam esse uidemus. Hanc igitur excipiamus. En dicit Dominus, coram uniuerso mundo, & omnibus angelis, qui in cælo sunt, summo cum honore filij Dei uocabuntur id est, erunt. Qui? *εὐνομοί*, id est pacifici. Non solum erunt filij Dei, sed & iam sunt, ubi primùm in fiti sunt filio Dei, ueræ paci, in quo & à quo fiunt filij Dei. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri, id est ut liceret illis fieri filios Dei. Quādo? Cùm credunt in nomine eius: id est, cùm induunt Christum, hoc est, cùm credunt in ipsum, & ipsum feruenti animo excipiunt, tunc uocantur Christi, id est Christiani & filij Dei, Galat. 3. Omnes enim filij Dei estis per fidē, quæ est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Suis certe Christus thesauros suos, diuitias, nomenclaturas & bona communicat, Patri nos reconciliando, & clementem ac propitium faciendo: Sed & adhuc quotidie pro nobis intercedit, & optima quæque pro nobis loquitur. 1. Ioannis 2. Ad uocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustū, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et ad Rom. 8. Iesus Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis: ad Roma. 5. Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, &c. Has Christi diuitias nunc fide uidemus, & charitate sentimus. Sed cùm ille apparuerit, apertissimè semota omni nube uidebimus. 1. Ioan. 3. Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Iam cùm filij Dei sint, profectò spiritu Dei ducuntur. Ad Rom. 8. Quicumque enim spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Spiritu ducti, fructum spiritus habent. Fructus autem spiritus, Galat. 5. ca. est charitas, gaudium, pax. Pacifici igitur sunt & uerè uocantur filij Dei. Proinde, Quid honorabilius hoc præconio? Imò quid beatius? Neque enim inutilis est hic titulus. Nam qui filius, idem & hæres sit oportet, ne nothi & spurij simus, sed germani filij, imitemur uerum & naturalem filium. Christus facilè & gratis condonat omnia peccata, insuper & omnes à quibus fuerat offensus, inuitat ad amicitiam & pacem, ut perinde te quoque geras, & opera patris tui erga proximum efficias. Quemadmodum enim patres carnales à se eiiciunt filios suos, quibus non conuenit cum reliquis fratribus, ita pater cælestis abdicaturus est pacis ocores, quietis & tranquillitatis impatientes, ac dissidiorum

amatōres, qui oleum camino (ut est in adagio) addunt, & omnibus modis iratū animum inflammant.

### Beati qui persecutionem patiuntur.

Quoniam mundus in maligno positus est, & improborum magnus ubique est numerus, quibuscum pax constare non potest, nisi malorum tolerantia, Christus hoc præcedenti percommodè subiungit apophthegma, quo beatos pronuntiat eos, qui persecutionem patiuntur. Pro uirili admittuntur pij, ne quod dissidium cum ullis hominibus habeant, quos lenitate, comitate, & beneficentia, quoad fieri potest, ad concordiam & amicitiam inuitant. Sed quorundam tam malus est genius, tam magna & rixosa est peruersitas, ut benefactis etiam iritentur, & benemerentes affligant. In huiusmodi afflictionibus beatum te esse intelligito, & toto nisu contende, ut animo sis erecto, & minimè perturbato: neque protinus animū despondeas, aut impatientia mouearis, sed cōfidens fac sis & alacri animo, & scias præclarè tecum agi, quoties huiusmodi persecutionē pateris. Nam ad hunc modum Christus ipse, & eius Sancti martyres (ut mox dicetur) persecutionem passi sunt, imò & illis quibus propositum est, Christianis esse, ideò prædicitur, ut profitentes Christianismum, uelint & debeant, quoties operæpretium fuerit, persecutionem tolerare. Quare utrum tibi placuerit elige. Duæ tibi proponuntur uiæ, altera ad cælos, & uitæ immortalitatem, altera ad inferos tendens, ut aut cum Christo aeternum beatus, aut cum mundo & Satana damnatus perpetuum abeas. Hoc unum tamen intelligas, oportet: Si ita uitam tuam institueris, ut mollem, delicatam, & carni placentem hic transigas, nec ullam persecutionem patiaris, futurum est, ut te deserat Christus, & in præceptis breui ruas. Quod si penitus Christianus esse uelis, necesse est, ut corpus tuū, uitam, opes, dignitates, mūdi fauores, Christo posthabeas, illis animum non adhibeas, & nihil non quamlibet durum pro Christo sustinere sis paratus. Cur ita? Respondet Christus Ioan. 15. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Quia diabolus malus est spiritus, & iratus, piis semper inuidens scelicitatem, à qua deturbatus est, nec uult nec potest ferre, ut aliquis hominum saluus fiat. Quod si quis pio bonoque fuerit animo, mox illius piis & Christianis conatibus passim oblectatur, impedimenta obiciens, excitando & intentando contra illum quæcunque potest. Quare qui uolet Christianè uiuere, & in Euangelio persistere, iam se paret ad tolerandas persecutiones, quemadmodū monet Paulus. 2. ad Timoth. 3. Omnes, qui piè uolunt uiuere, persecutionem patientur. Et Christus ipse Ioan. 15. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persecuentur.

### Propter iustitiam.

Per occupationem hoc uerbum adposuit, ut doceret, propter quid afflictos pronuntiauit beatos, & ut demonstraret, non satis esse persecutionem & afflictiones perpeti, si abfuerit iustitia. Scelerati enim & improbi etiam multa patiuntur, persecutionem sustinentes, & multi non rarè inter se digladiantur, mutuo se met conscindentes, adeò amici non sunt inter se, scilicet ut dent locum adagio, Homo homini lupus. Nonne etiā homicidā homicida persequitur? Nonne Turca oppugnat Parthū? Sed nō ideo beati sunt: Verum illis tantum dictū est, qui propter iustitiā persecutionē patiuntur, sicut docet Petrus, 1. Pet. 4. Nemo autē uestrū patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorū appetitor. Si autē ut Christianus, non erubescat. Cur non erubescendum? Quia causa Dei est. Quapropter in primis uidendum est, ut causa Dei agatur, hoc est, ut propter iustitiam regni Dei, patiaris. Cuius causæ ita certus esse debes, ut huic tua conscientia, tuè possit in-niti, & in illa consistere, etiā toto mundo reclamante. Hæc certitudo ex Dei uerbo



erit, cui adhærebis, & pro cuius veritate libenter afflictiones pati eris paratus. Verbi gratia, si quis mundi Dominus aut princeps prohibere uellet, ne doceres adorandum Christum in Missa, existentem uerè sub specie panis, aut ut ne confessionem tuo parcho faceres, neque beneficium absolutionis ab eo peteres, & te propterea persequeretur: iam innixus uerbo Dei, Hoc est corpus meum: hoc facite in meam commemorationem. facite, id est, do uobis potestatem faciendi, quod feci, hoc est, consecrandi, quemadmodum consecrati. Item uerbo, Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Huic, inquam, uerbo adhaerens, certus es, & ita concluditur apud te, uerbum Dei uelle, ut & sic credas, & facias, toto etiam mundo reclamante, imò ipsum uerbum præcipere quoque hæc ferè defendenda, & cum capitis periculo propugnanda. Tum fidenti & imperterrito animo licet tibi dicere, Hæc causa non est mea, sed Domini nostri Iesu Christi. Non enim hoc sum commentus, aut consilio humano institui, aut incepti facere: Sed ore Christi cœlitus delatum est uerbum, hæc indicans, hoc excepi, ex ore eius, qui neque falli neque fallere nouit, cum sit ipsa ueritas & iustitia. In nomine Iesu Christi disponam animū, passurus, facturus, omisurus quicquid debeo. Cuius etiam auctoritas, imò ipsius uerbum unum, plus habebit apud me ponderis & uirium ad consolandum confirmandumque cor meum, quàm totius mundi, Satanæ, & omniū diabolorū rabies, comminationes, tormenta & terrores. Minantur illi ignē, laqueum, lapidationem, & id genus tormenta: imò iam ad ea paratus es propter iustitiam. At interim Christus animum tuum uicissim amica consolatione erigit, & huiusmodi promissionibus confirmat, Beatum te esse, & te habere Deum patrem clementem in cœlo: quòdque te omnes cœlestes exercitus & creaturæ beatum prædicent. Tu tali animo infractus beneficio Christi, lataris cerè, propter iustitiam occumbens, ut ut illi multa minentur, uomant & furant, quorum terrores non pluris, quàm fumos & bullas subito euanescentes facis. Huc pertinet, quod scribitur Isa. 51. Ego ipse consolabor uos. Quis tu, ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arefcet, & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos & fundauit terram, &c. Hoc est, ipse est sempiternus & omnipotens, qui te consolatur, & cui places. Tu igitur age gratias Deo, qui fidelis est, stans promissis, dum te consolatur in afflictionibus, & dat tibi, quod de Apostolis legitur Act. 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Obserua. Pro gloria Christi siue propter iustitiam uelle constanter pati, donum Dei est, doctore Paulo, Philip. 1. cap. Et hoc à Deo est (inquit) quia uobis donatum est, pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale & uidistis in me, & nunc audistis de me. Obserua. Iustitiam hoc loco uocat uerbum Dei, & generaliter omnem uirtutē. Rursus aduerte. Persequutio est quasi Lydius lapis, omnium animi affectuū. Nihil enim aequè humiliat ac persecutio. Colligamus ex superioribus, Scholam Christi, similiter & Euangelij professionem, habere crucem comitem, sed interim eam habere prærogatiuam, & illam quidē non exiguam, quòd aduersarij nostri, nostram causam nequeant dānare, coganturque, uelint nolint, fateri rectā & uerā esse. Est enim fides, sperandarū substantia rerū, argumentum, id est conuictio, non apparentium. Sed nos sustinere non possunt. Cur ita? Quia Euangelium, quod ipsos arguit & conuincit, docemus. Quare fortiter ac læto animo perferendū est, quicquid afflictionis hoc nomine iustitię ab aduersariis illatum fuerit. Rogabit quispiam. Quid, si quis persecutiones, laqueū, aut huiusmodi patiat propter furtum, adulterium aut rapinam, reponendus ne erit in beatorum catalogum? Respondeo. Quòd peccauit, infelicissimū est. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, subiectus est tyrannidi Satanæ, & ebnoxius dānationi, quibus rebus, quid infelicus? Sed quòd afflictiones propter pec-

Math. 26.  
Mar. 14.  
Luc. 22.

Ioan. 20.

Quo ariete  
se tuetur cō-  
cionator ad-  
uersus oppu-  
gnationes po-  
tentium.

Cōsolatio cer-  
tantis propter  
iustitiam.

Velle pati  
pro iustitia,  
donum Dei.

Iustitia est  
uerbum Dei,  
& uirtutū om-  
nium con-  
geries.

Persecutio-  
ne, ueluti Ly-  
dio aut hera-  
clio lapide  
aurū, proba-  
tur Christiani-  
nus.

Inimici no-  
stri sunt iudi-  
ces, nos bona  
causa nri.

Quid beati-  
tatis habeat,  
qui scelerum  
suorum ergo  
plectuntur.

cata in hoc mundo sustincas, non est infelicitas, modò te patientem ex fide & charitate præstiteris. Quomodo id fiet? in primis agnosce peccatum tuum, & iustè te plekti propter peccatum tuum: deinde erige te ad contemplationem Christi, cui ex animo feruenti te committas, & ueniam peccatorum tuorum depreceris, fidēs quòd ille tibi remittet, & per ipsum, Deum habebis propitiū: deinde statue apud te, quòd si uiuere concedatur, peccata fugies, iustitiam amplexaberis, aduersa æquo animo tolerabis, non conuiciaberis, non indignaberis Deo affligenti, nō desperabis, & quicquid durū cōtigerit, & difficile, pro gloria Christi, æquo animo feres. Hæc si feceris, in eum transcriberis catalogū, Beati pauperes Spiritu. Ad hunc modum latro in cruce ad latus Christi pendens, mutauit supplicium suum poenitentiā in benedictionem, & intrauit per illud, in paradysum. Similiter Manasses propter peccata sua captiuus abductus, & in uincula coniectus, poenitentia mutauit uincula sua in sanctam benedictionē, & liberatus est. Ex his colligere potes, quomodo supplicium peccati in beatam pansionem mutetur. Non quòd beati sint propter peccatum & supplicium, sed quòd patienter supplicium ferentes, fiunt pauperes spiritu, & respiscunt, propterea que beati.

Quid faciat,  
qui crucem  
aut supplicium  
aliquid pro-  
pter peccatum  
toleratur? est.

Felix ille la-  
tro.

Manasses.

### Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Argumento à præmio maximo, animos addit his, qui in afflictionibus trepidare possent, dicentes, Quis tales possit amare, qui pro beneficiis reponunt odium & maleficia? Quis inter tam crudeles afflictiones gaudere, & illas pro delitiis habere potest? Profectò hoc difficile, & arduum esse fateor: sed cui etiam magnum rependitur præmium: non querna, laureæve corona, bos, aut hederę, sed regnum cœlorum, Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum, Luc. 22. Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis, ideo dispono uobis regnum, sicut disposuit mihi pater meus, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persequuti uos fuerint: & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes, propter me.

Hactenus de persecutione, quæ facta & manu fit, qua corpus & fortunæ nostræ pro iustitia & gloria Christi in discrimen uocantur, & Christianis uiolentia ab impiis inferitur, uariis cruciatibus, excarnificando, urendo, suspendendo, iugulando. Nunc præter hæc restat vna persecutio, quæ in contumelia aut ignominia siue probro sita est, de qua Christus hic fusius loquitur. Simulque per excessum (quòd prædictum apophthegma de toleranda persecutione, caro, nimium sibi placens, neque ferre neque persuadere sibi possit) eandem repetit sententiam & amica apostrophe, uim mirabilem hortandi habente, sermonem conuertit ad discipulos suos, simulque uaticinatur, quid calamitatum ipsis eueniet apostolis in hoc seculo. Sed ne in tam magnis & horrendis afflictionibus animos despondeant, & desperent, addit ipsis animos, consolatur quoque eos argumentis & promissionibus, maximè omnium memorabilibus. Quia sunt, quibus gratū est persequutiones quidem sustinere, simul & iniurias illatas pro iustitia pati, omniæque ferre, salua fama, & nominis integritate retenta: nolent enim amarulentissimis & venenatissimis conuiciis & probris proscindi, & infamari. Ideo Dominus, superiorem sententiam explicaturus, ait, Beati estis cum maledixerint, &c. Quasi diceret, non solum Christiani uariis cruciatibus corporis afficientur, sed illorum quoque nomen probrosissimè, & contumeliosissimè lacerandum & conspuendum dabitur, ita ut mundus etiam gloriosissimè iactet, Christianum aliquem crucians & perimens, se, nebulonem, omnium, quos terra sustineat, sceler-



ratissimum, neci dedisse. Vnde nihil ipsi mudo abiectius, contumeliosius & ignominiosius audiebatur olim nomine Christianorum, nullā gentem acerbiorē odio prosequeretur, & pestilētiōribus linguis impetebat, quā Christianos, quos Sarmenarios, furciferos, hæreticos, & id genus uocabat, ipsosque condemnabat magno anathemate & execrationis fulmine, ueluti dignos, qui peterent tartara & fundo uoluerentur in imo. De his aliās Christus est loquutus, Matt. 10. Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporū. Tradent enim uos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt uos: & ad præfides & ad reges ducemini, propter me: in testimoniū illis & gentibus. Rursus, Luc. 21. Odio eritis omnibus hominibus. Ac iterū Ioan. 16. Absque synagogis facient uos. Sed uenit hora, ut omnis, qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Atque ita hæc contigisse apostolis dicit Paulus, 1. Corinth. 4. cap. Tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsēma usque adhuc.

## Gaudete &amp; exultate.

Melliflua & consolationis refertissima sunt hæc uerba, quibus indubiè animus noster etiam in mediis afflictionibus ad alacritatem & fortitudinem aduersus persecutiones accendi & inflammari debet. Sunt enim Dei uerba maioris momenti, ponderis & autoritatis apud nos, quā totius mundi aut inertissimi alicuius hominis maledicta, & inania uerborum tonitrua, etiam si cum toto mundo, totam execrationem totāque sentinam, imò totum tartarum suæ malignitatis semel & subito (quemadmodum grauida nubes repentinis imbribus erumpit) super nos effunderet. Maximè cum audiamus hoc ipsum tā ex animo Domino nostro Iesu Christo placere, sciamusque ipsum hoc præcepisse, ut inter persecutiones, infamias & contumelias maximum inde gaudium concipiamus, & bono simus animo. Adiutor enim erit Christus in tribulationibus, quæ inueniunt nos nimis. Bona enim Domini in præfenti uita ita degustamus, ut simus in ipsis quoque tribulationibus gloriaturi, certi has tribulationes parere & augere patientiam ex patientia probationem, ex probatione autem spem, spem autem non confundere. Charitas enim diffusa est in cordib⁹ nostris per Spiritū sanctū qui datus est nobis.

## Quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.

Non uos terreat breuis dolor & subita persecutio. Grauisima quidem sunt mala, quæ propter Euangelium æquanimitè & fortiter ferenda sunt, sed nulla ratione ab eo deficiendum est. Qui enim non substiterint, sed defecerint, & fidem abnegauerint, deique uocationem propter afflictiones dereliquerint, hos non nisi perpetuus mœror, luctus & interitus expectat, tantum abest ut inde gaudium concipiant, & beatitate donentur. Quapropter impendentes afflictiones miseriæ & calamitates potius nos animosiores reddere debent ad excipiendum Euangelium, & ipsi indiuisè adhaerendum. Quod non fiet nostro incommodo sed commodissima utilitate. Amplam enim & excellentem mercedem Christus pollicetur. Verū ubi reponetur tam excellens merces? Non in hoc seculo. Sed fortassis inter homines. Nihil minus: sed in cœlo apud Deum patrem. Regnū cœlorum Christus pollicetur fore meum, thesauros item Christi sanguine partos mecum communicandos promittit, quibus nunc in spe, tunc in cœlis apertè suar. Homines odio habebunt pios, sed Deus ipsos sua clementia diligit: Absque synagogis pios facient, sed hos excipiet Christus. Mūdus pios anathemate feriet, & execrabili proscriptionis & exilij fulmine percutiet ipsorum bona fisco addicens. Sed Deus hos assumet. Mūdus piorum nomina expunget è libro terrestri, sed ipsorum nomenclaturas Deus in libro uitæ scribet, & in ciuium cœlestium catalogum ipsos referet. Adhæc mundus pios occidet, sed Deus ipsos uiuificabit, & in æternam beatitudinē transf-

Pulchra antichristi & mundi, quod ad ueritatemque amicos attinet.

Verbum Dei uelut saburra quedam aduersus huius mundi tempestates.

Roma. 5.

feret. Sicut mundus in pios, sed eò magis crescit & accumulatur ipsis præmium a patre in cœlis repositū. Malis pios mundus afficit, sed uertit illa Deus in ipsorum bonum, & lucrum maximum. Rursus crimina probraque ab impiis falso piis intentata, in titulos & ueræ pietatis elogia uertet: relegationem illorum, in laudes & gratulationes cōmutabit, non solum apud Deum, cui illos placuisse satis est & si toti mundo displiceat, sed interim etiā apud homines. Ab impiis enim ob religionē & pietatē uituperari, laudari est: affligi à Dei osoribus, est coronari. Iā te obsecro, pie lector, quid hac mercede & repelatione maius, aut dici aut excogitari potest? Responsabis: Quid? Christus ait, Merces uestra copiosa est in cœlis. Ergo ne mererem aliquid laboribus & afflictionibus nostris, propter Christum? Mererem certe: non ex dignitate laborum & operum nostrorum in se, sed ex illis cum fide & Dei gratia coniunctis. Non enim nomen meriti sacris literis est exosum, de quo scripsimus in primū caput ad Roma. in dictione, iustificatio. Huc pertinet, quod scribit Sapiens, Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. Paulus. 1. ad Corinth. 3. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et in psal. 61. Reddes unicuique iuxta opera sua.

## Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante uos.

Ab exemplo cōfirmat Apostolos, ut in aduersis durent propter Euangeliū. Magnæ sunt (ait) afflictiones, quibus uos afficient Iudæi, propter nomen meum: sed in his gaudendum uobis potius est, quā dolendum. Nam non soli estis, quibus talia accidunt. Circumspicite & omnes sanctos, qui multis seculis retro fuere, expēdite, quæ uobis accident, ea inuenietis omnibus ita accidisse. An postulatis Deum uestri gratia morem suum mutare? Hoc ipsum in patribus & prophetis suis, qui Euangelium prædicauerunt, dissimulauit, persecutionibus oppressis, & iugulatis, & ab omnibus contumeliosè habitis, & ignominiosè afflictis, & à mundo derisis, spreis & subsannatis. Nam Moyfi non est inuentus similis propheta in Ecclesia Dei. Atqui hunc quantis onerauerunt conuitiis? quoties hunc perierunt faxis? Samuel ex animo amauit plebem, & hanc felicissimè æquo gubernauit imperio, uerū ab administratione fidelissima amouit ipsum populus, postulans sibi regem. Eliam eiecerunt in exilium, & ad mortem persecuti sunt, pronuntiantes ipsum patriā perturbatorem, qui reuera erat Israël's curru & auriga eius, patriæ pater, decus & sempiterna gloria. Isaiam serra in duas partes sectū interemerunt. Amos uerū per tempora transfixerunt. Hieremiam in lacum primū deiecerunt, ut inedia periret, postea lapidibus obruerunt. Zacharias lapidibus obrutus, occubuit. Et tamen horum memoria nihil est in Ecclesia celebrius. Tamen quem prophetarum non sunt Iudæi persecuti? At quis iam non optet se loco sanctorum prophetarum haberi? Quis denique gratias non agat, si, quam ipsi experti sunt, sortem experiat? Hæc quemlibet ad malorum æquanimitatem tolerantiam commouere debent, necubi malorum motu luxatus, ab officio & fide deficiat. Estote igitur bono & forti animo. Quas inferet uobis Iudæi (qui nunc sunt) afflictiones, easdem intulerunt ipsorum patres & maiores suis prophetis. In his igitur sufferendis similes estis sanctis prophetis, per quos Dominus loquutus est. Sed quantam felicitatem existimas, quantam beatitudinem, quantum donum Dei Prophetis similem esse? Qui ergo similia cum prophetis patitur, similem quoque mercedē cum ipsis indubiè accipiet. Quanto maior fuerit in terris afflictio uestra, tanto illustrior futura est in cœlis gloria promissa. Deum placatum & clementem habuerunt, eundem habebitis & uos. Consequuti sunt uitam & felicitatem, eandem & uos consequemini. In omnibus aduersis seruati sunt, seruabimini & uos. Et, ut uno uerbo absoluam, nihil beneficiorum diuinorum ipsis contigit, quod idē non & uobis contiget. Itaque si hoc rectè expendimus, tristitiam latitia, mœ-

Meremur operibus & laboribus nostris idque modo. Nomen meriti receptum in sacris literis.

Deus suos sepe per passus est à mudo affligi. Moyses.

Samuel.

Elias.

Isaias.

Amos. Hieremias. Zacharias.

Prophetas suos uariis modis interemerunt & interemerunt Iudæi.

Prophetas & uita & afflictione referre, Christianorum est.



rorémque exultatione commutabimus, cogitantes per crucem perueniri ad aeterna gaudia, adeoque multa perpensis concedi cumuliora bona. Hæc sunt sacrosanctæ philosophiæ apophthegmata & dogmata, quæ Christus diligenti cura & magna autoritate tradidit. Id quæ fecit præcipue suis, hoc est Apostolis, quos postmodum orbis doctores, sacerdotes & episcopos instituit, imò omnibus ingenue Christianis. Neque quouis loco cœlestem hanc doctrinam tradidit, sed in monte, non loco abdito, sed palam, quod hæc doctrina sit uniuersalis: hisque nominibus ueritas ipsa, quæ neque falli neque fallere nouit, nobis sceleritatem promisit. Et tamen dictu mirabile, quàm ad hæc frigemus omnes. Sed qui hoc loquutus est, suum donet paracletum, qui ea animis nostris persuadeat, ut & mundo ualedicamus, & bonitati patris ac nomini ipsius nos ipsos consecremus.

### Vos estis sal terræ.

Pertinet hic locus ad omnes Euangelij prædicatores, præcipue autem ad Episcopos. Vnde argumento à persona, quam Christus Apostolis imposuit, quos scilicet selegerat, ut & alios in suum regnum adduceret, hortatur ipsos, ut pro regno suo nihil non perferant, & sequantur quæcunque cum summa uirtute coniuncta sunt. Terræ per metonymiam dictum est pro habitatoribus in terra. Quasi diceret, Ego uos uice salis elegi, ut sitis efficax sal toti terræ, id est uniuersis hominibus, ut quicquid contigeritis, afficiatis, & ex insipido reddatis sapidum: hoc est, quos per annuntiatum Euangelij reddatis ritè sapidos, hoc est fide solida (quæ per charitatem operatur) imbutos, ut gustui Dei & bonorum omnium approbentur. Sal, uerbum Dei est, à natura salis seu effectibus. Ut enim salis natura est, naturalem molliciem exurere, & conseruare à putredine: ita uerbū, damnat ex operibus & consolatur: quo cum Christus ita suos condierit, ut orbem uniuersum salirent, non solum saliti sunt, ut profiterentur se pauperes spiritu, mites, mundos corde, sitientes ac esurientes iustitiam, uerum etiam ad omnia genera persequutionum, ignominiarum & criminationum perpetienda sese paratos exhiberent. Præterea quemadmodum salis usus est, ut illo carnem & alia, quibus in culina utimur, saliamus, quo cibus saporem habeat, & reces caro à putredine præseruetur: ita Apostoli quoque, Episcopi & uerbi prædicatores sunt sal, non cuius in culina usus ualeat, sed quo cuiusmodi caro (quæ totus mundus appellatur) condienda est. Maximus proculdubio est hic honor, & res non modica, sed admodum sublimis, egenos piscatores, aut alioqui tenuis fortunæ & conditionis hominem aliquem, coram Deo saltem terræ uocari, tantum sibi ex spe & fide in Deum audentem sumere, ut adorari & salire non dubitet imperatores, reges, principes, imò omnes quos terra sustinet homines. Ad hoc munus idoneos, ad quæuis etiam mala perpetienda pro regno Christi, & prædicando uerbo paratos esse oportet. Hæc non capit humana ratio, hoc fugiunt mundus, & carnales homines. Vident enim hoc negotiū magno constare, & non temerè nisi cum capitis periculo, & rerum ac gloriæ iactura fieri & consistere posse. Quare res ardua & sublimis est prædicatorem agere, & docentis officium obire, imò impossibilis, si ad carnis & sanguinis iudicium, ac ratione respexeris. At in uerbi ministerio intrepidè, libenter, & cum fiducia in Christum, dicendum pronuntiandumque est uerbum, atque eo salire oportet. Quid uerò salire? Terram, hoc est homines. Prædicandum est, Omne quod natum est ex carne, caro est: Ergo omne, quod à carne est, reprehendendum & saliedum est: Quæ sunt, sanctitas carnis cum eius iustitia, & rebus omnibus, quas citra uerbum Dei habet. Hæc non placebunt mudo, & auditu iniucunda erunt, propterea mundus inuisos habebit prædicatores, plagis & afflictionibus illos passim petet, ac omnium insidiis exponet. Nihil uerius. Certè hanc mordacem prædicationem ferre non potest mollis & delicatus mundus, dans uitio prædicatoribus, quod nihil magis in uotis

Implorandus Spiritus sanctus, qui nobis amorem instillet eorum quæ docuit Christus.

Terra pro incolis terræ.

Apostoli & Euangelistæ quomodo Sal terræ. Verbum quare Sal dictū.

Esse salē terræ quāsi momenti sit.

Prædicatōrē & doctorem agere quā sit arduum.

Verbo quare salienda.

Prædicatōrū salē horret Mundus.

uotis habeant, quàm uituperare, mordere, turbas in mundo ciere, & motus concitare, & in sanctissimos mundi status inuehi. Ideo uos hoc acriores esse cōuenit, quod ille est insipidior. Sed quid tunc faciendum est prædicatoribus? Ut quemadmodum sal acer est, & mordet, molliciem carnis tollens & putorem, ita & prædicatores, salis uices gerentes, acres & mordaces sint, quandoquidem ita præcepit Christus, qui uult salem acrem esse, & uehementi acrimonia mordacem. Nonne hæc sunt uerba Christi ex Euangelio, Væ uobis Scribæ & Pharisei: item Baptista, Genimina uiperarum? An non & Paulus ipse passim hoc factitavit, totum mundum reprehendens, & obiurgans uitam pariter & opera hominum mundi præscripta sequentium? Ad hæc Christus, Ioannis 16. ait, Cum uenerit paracletus, arguet mundum de peccato, iustitia, & iudicio, hoc est omnes, quotquot reperiet mundo adhaerentes, nemine excepto, reuincet. Sit ergo prædicator hoc animo, ut Euangelium, hoc est Christum & eius uoluntatem in Euangelio expressam prædicet hominibus, opituletur, cum res postulat, acrem se præbeat, & salem in uulnera spargat, id est contrarium indicet & suadeat, & quoties necesse fuerit, reprehendat, ac doceat, ut pote, maioribus obediendum, ab Ecclesia Christi sponsa non recedendum, & mutuam charitatem habendam. Obserua. Sal infœcunditatem terræ significat psal. 106. Posuit terram frugiferam in saluginem. Omnis siquidem locus (autore Plinio, lib. 31. cap. 7.) in quo reperitur sal, sterilis est. Vnde cum Abimelech Sichem destruxisset, seminauit illic salem, quo perpetuo sterilem & desertum locum uel reddere sese, uel saltem fore talem significare uoluit. Iudic. 9. Apostoli itaque salientes, & salem in terra, id est, in terrenis hominibus serentes, tollunt terræ fœcunditatem, ac sterilem reddunt: iam terra, id est homo, sterilis mundo, diues fit Deo. Ad hæc sale conditum erat omne sacrificiū, Leuit. 2. Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. hæc manifestant, quàm uera sit Pauli doctrina, qui uult, ut exhibeamus membra nostra hostiam, Deo placentem, hoc est, doctrina apostolica mortificemus membra nostra, quæ sale, id est, fide, per charitatem operante, mortificata, accepta erunt Deo. Nihil non sale, hoc est, fide uiua conditum, offeramus, alioqui auferremus sal fœderis Dei nostri de sacrificio nostro. Quod est fœdus? Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quod est sal? Fides, quæ per dilectionem operatur. Cur ita? Quia ita Deo uisum est. Ad Hebr. 11. Impossibile est sine fide placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere, quia est: & quod inquirentibus se remunerator sit. Roma. 3. Deus Christum proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Obserua: dixit, vos estis sal terræ, non ligni, aut huiusmodi, sed terræ, hoc est hominum, quos cœlesti & apostolica doctrina condirent, & ueteris Adami uermes, perpetuo conscientiam mordentes exureret, & serpentis fœtorē auferrent. Rursus Christus Apostolos sale condit aduersus mundi putorem & molliciem. Deinde, ut mortificati, & cœlesti odore repleti, non ad unam gentem, ut propheta, sed in mundum uniuersum mitterentur, & Christi bonus odor essent, dicente, Paulo, 2. Corinth. 2. Christi bonus odor sumus Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor uitæ in uitam.

### Quod si sal euauerit, in quo salietur?

Quoniam in Apostolis, in episcopis, in doctoribus & uerbi prædicatoribus uideus ille & perfectus Euangelicæ charitatis uigor, perpetuus esse debet: pergit Christus suos hortari, ut operam dare uelint, ut hoc saliendo officio sedulo & indefessè utantur. Alioqui si episcoporum & doctorum sal euauerit, id est infatuatus fuerit, quo salietur? Sal infatuatus dicitur, qui stupet, & acrimoniam amisit, neque amplius salit, aut acore mordet. Hoc est, si episcoporum & præfectorum mores fuerint amore laudis, cupiditate pecuniarum, studio uoluptatum, libidine

Prædicator, quando uehementis sit.

Prædicator qui esse debeat.

Sal, sterilitatem adfert.

Euangelio terra carnis sterilis est.

Omne sacrificium sale conditum, quid significet.

Apostoli Sal terræ, non alius cuiusquam rei.

Sal in doctoribus quomodo fit fatuus, aut uanus.



uindicandi, metu infamiae, damnorum aut mortis infatuati. Aut, euauerit, id est, infatuatus fuerit: quod fit, quando officium praedicandi in Ecclesia refrigit, & euauit, nec hominum impietas & iniquitas amplius corripitur, neque ipsis sua infelicitas & impotentia indicatur, quibus agnitis, ad respicientiam, & sui cognitionem perducerentur, sed incorrepti & inemendati dimituntur, quasi iusti & probi essent: unde tandem ea obtenebrantur caecitate, ut uitia pro uirtutibus ducant, & gloriantur, cum male fecerint: adeo ut pura Euangelij doctrina oblitterata uideatur, & in tantum deperdatur, ut neque consiliis, neque auxilio locus relinquatur. Cum enim sal infatuatus, & insipidus factus sit, quid reliquum tandem esse potest, quo multitudinis insulsa uita condiatur? id est corrigatur, doceatur, & in caulas Domini, ueluti grex, sale adliatur. Par igitur est, ut Episcopi, & uerbi praedicatores ante reliquos doctrina & moribus integerrimis ualeant, & fide solida ac nidore Euangelij uiuifico polleant, & quibuslibet adbladiantur. Haec enim si in ipsis labascunt, fiunt certe sal insulsus & infatuatus. Obserua, quantum momenti in hoc articulo situm sit, quem Christus tanta diligentia praeparauit aliis hic ponit, & tantoperè exercendum commendat, ut sine quo neque politica Christiana constet, neque ulla recta doctrina aut uita rite exerceatur. Quare grauissimum damnus communioni Christianae inferitur, quando sal, in quo omnia condienda & salienda sunt, infatuatus est. Quod non ita serè aut rarè fit, nimirum eiusmodi uenenum est sal infatuatus, quod sua dulcedine dicto citius irrepit, & ueterem Adamum non mediocriter titillat ac delectat. Fit enim hoc pacto, ut persecutiones fugiant uerbi ministri & molliciei acquiescant, mundi delitiis illecti, & in eis sopiti. Tacent, non praedicant, nihil condiunt, solù hominibus placere querunt, idque faciunt aut formidine periculorum, incommodorum & persecutionum, aut spe consequendae & retinendae dignitatis & adipiscendarum opum. Danda est igitur opera, ut sal maneat sal, & non infatuatur. Huc praecipue prospiciant Episcopi & praedicatores, & in hoc sese diligentissimè exerceant. Quod facient, si post adpositam manum aratro, non respexerint retro, imitati uxorem Loth, quae respiciens retro, uersa est in statuam salis. Relinquens namque uocationem sui, à Deo factam, & retro respiciens, hoc est affectus suos ad diuitias suas, quae comburebantur, dirigens, facta est statua, id est imago, & exemplum, quo alij saliti sunt, hoc est ipsius exemplo cauent, ne à cepto aratro, & uocatione sua recedant, sed còstantè in ea perseuerent & permaneant. Vbi glossa interlinearis in eum locū Genes. 19. uersa est in statuam salis. Quasi mente (inquit) reuersa, ut fatuos hoc exemplo condiret. Ad condimentum enim fidelium, poena impij, eruditio iusti est. Quemadmodum in agricultura, qui aratrum tenet, necesse habet ut oculos suos rectè praese dirigat. Si enim oculi passim uagentur & respexerint, sulci minimè recti imprimuntur: ita is nunquam foeliciter seruiet regno Dei, id est praedicando Euangelio, qui subinde respicit ad negotia secularia. Nō est igitur minima foelicitatis pars populi alicuius, habere pastores Ecclesiae, ac doctores pietatis, integros ac fideles.

#### Ad nihilum ualet ultra.

A simili & incommodo terret Episcopos, parochos, & uerbi praedicatores, ut caueant ab infatuatione. Vt nulla re (ait) alia sapor iustus restituitur, quam sale, ita nec ad aliud preterea utilis est sal fatuus factus, ne ad hoc quidè, ut in sterquilinum abiciatur: còque eicitur foras, & sparsus in uiam tanquam nullius momenti, pedibus conculcatur. Sic & usu uenit Episcopis & praedicatoribus, cum Euangelij sapore, hoc est, fide solida ipsos destitui contingit. Nam non tantum, ad munus praedicandi Euangelium idonei non sunt, sed ne ad aliam quamlibet minimam, atque abiectam functionem, quae ad Christianissimum quidem pertineat. Haec in-

Sale, fatuo facto, mirū in modum mūdus oblectatur.

Salis fatui in star habent, qui uocationem sui deserunt.

Qui admo- uet manū aratro, ne aspiciat retro, quid significet. Doctor bono postrema pars nostrae foelicitatis.

dicant, quanta pericula & incommoda eueniant, si sal sit fatuum, hoc est, si Episcopi uiuido spiritu feruore, ac iusta agendi dicendique constantia & acrimonia careant. Nam perinde ut exiccato fonte, unde omnes alij irrigantur & defluunt, & extincto lumine, unde aliae lucernae lucent, nequit ulla reperiri uel aqua uel lux, unde exiccatus fons, & extincta lucerna sibi ex integro restituatur: ita certè & doctoribus fatuis, & uiae ducibus caecis, qui obsecro pro ipsis sapient, & in uero iustoque tramite ducent? Est itaque damnus hoc ingens & irreparabile. Caeterum licet Apostolorum & praedicatorum titulum retineant & nomen, ac hominum iudicio magnae sint aestimationis, atque autoritatis, ut omnium optimi Ecclesiae, & sanctissimi homines à mundo dicantur, tamen ne in terris quidem bene habebunt: Sed ueluti inutiles, steriles & infatuati, à Christo penitus reiciuntur, quippe quidum huiusmodi sunt, ad illum amplius non pertineant, neque post ipsius praedicatorum esse debeant, neque Christianae reipublicae adnumerandi sint, nimirum iam ex corporis mystici consortio exterminati, & omnium credentium atque electorum communionem orbat. Vt igitur fatuo sale nihil contemptius, cuius ne ad agrum quidem stercoreandum ullus est usus, ut qui sterilitatem etiam adferat, si admisceatur, ita & iis, qui animabus pascendis praefecti sunt, nihil ineptius & inutilius est, si uiuidus ille Euangelicae charitatis uigor ipsis defuerit, aut uita doctrinae, & doctrina uita, non responderit.

#### Nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Exaggeratio est poena pseudodoctorum. Auditum certè horribile & terribile est haec sententia, qua istos foras proiciendos & pedibus conculcandos pronuntiat, proiciendos quidem foras à doctorum dignitate, & pedibus conculcandos, id est uilipendendos & despiciendos coram Deo & hominibus. Reiecto itaque sale fatuo, & submoto, id est uera scripturarum interpretatione extincta, qua condiuntur homines, & Christiani fiunt, conseruanturque, indubiè de ipsis semel actum esse uidetur, nec quicquam amplius praesidio esse conspicitur. Tunc enim uita & doctrina, magister & discipuli à Deo sunt alieni, & nullus, quin pereant, amplius obstat: imò nec modus ullus adest, nec ars ulla suppetit ad omniugas haereses & errores, multiplicisque sectas & factiones reprimendas & coercendas, quarum fiducia pessimus quisque impulsus quotidie aliquid sceleratum comminiscitur, & illud temerè discendum proponit. Stat tamen solida sententia: non relinquet te quisquis es, qui Doctoris probi & personam sustines & munus imple, Deus, solum, qui adhuc plusquam septem milia uirorum sibi reliquit, qui non curauerunt genua ante Baal. Proinde huic doctrinae attentis sint Episcopi, & qui gregi Christi praesunt: ut sal, sal maneat: hoc est, ut Episcopi episcopatu & sua functione sanctè fungantur, & diligentissimam nauent operam, qua suae uocationi respondeant. Quorum quantum celsior est ordo, & uocatio praestantior, tantò certè, si quis illi fideliter non responderit, reiectior atque inerior erit. Non secus atque sal fatuus ad nihil ualet neque ad hoc quidem, ut sterquilinio aspergatur. Obserua, foras mitterentur, id est, neque domestici neque filij & haeredes amplius dicentur, sed conculcabuntur eiccti in uiam peccatorum, quibus-cum-eternum conculcabuntur & punientur: nimirum ut Elaias ait, 66. Vermis eorum non morietur. Huc pertinet parabola infra. 13. de sarena missa in mare, &c. Elegerunt bonos in uasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi. Obserua uocem, ab hominibus: Quasi diceret, Qui suae functioni non respondent, tacentes, quando loquendum est, in summo die iudicij de se audient, qui dicant: Hic praedicator aut Episcopus noster fuit, neque tamen nos praemonuit, lupis nos reliquit norandos, fugit, & suauiter uiuēs, emerendi fauoris aut dignitatis & opum consequendarum gratia, tacuit. Ambit semper, nunquam satur, cum Sisypho nunc (ut est in fabu-

Episcopo ministriq; uerbi partes suas deserente nihil insulsius inutilisque. Simile.

Cōtra carcos duces & ignauos pastores.

Vbi infatuati sunt & doctores & discipuli, quanta malorum ilias.

pastoreshand frugi, uerba aspera, & auiditiones malas passuri olim sunt.



lis) &amp; Tantalos agat inquietus, famelicus &amp; perpetuo sitibundus.

Vos estis lux mundi.

Secundam officij Apostolorum partem Christus adducit, significans, quod quædammodum ab ipso (quo omnes condiendi sunt) dicti sunt sal: ita ab ipso (qui lux est mundi, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum) uocatur lux, ad instruendum & docendum animas in uitam æternam: quasi diceret, Necesse est ut eam tum uiuant uitam, tum doctrinam habeant, quæ omnibus intuentibus sit dux & regula rectè uiuendi. Mundi per metonymiam dictum, pro hominibus in mundo. Lux uera, est Spiritus Christi, qui est spiritus filiorum Dei, quo mens renouatur, atque ut rota & plenè Deo fidat & indiuisè adhæreat, illustratur, & ut proximum ritè amet, accenditur. Hæc lux est, qua à Christo sole iustitiæ, & uera mundi luce, electi donantur, ut & ipsi sint lux in illo, & filij lucis, id est lucentes, lucemque aliis præferentes. Vos estis, id est esse debetis, lux hominū, quod per me ad hoc munus acciti sitis. Horum ergo uerborum sensus est: Vos estis lux mundi, ac si diceret Christus, donauit uobis de plenitudine lucis meæ, Spiritū sanctum, quo illustrati, & uos lux facti estis. Vos igitur & mundo, & tenebrarum operibus ualedicite: & date operam operibus lucis, hoc est fructibus spiritus cumulatim ferendis. Porro hoc nomine & titulo Christus uniuersum mundum Apostolis subiicit, per ipsos illustrandum, & illuminandum, manifestans & concludens mundum uniuersum cum omnibus suis uiribus meras esse tenebras, & ipsam cæcitatē. Nam si ex se lucem haberet, quo illustrari posset, quorsum à Christo designarentur Apostoli, lux mundi? Quod sit, ut maximus datus sit honor Apostolis, quod orbis sit ipsis subiectus, & quicumque in mundo uiuunt, siue reges, siue Cæsares, siue principes, siue proceres, siue docti, siue sapientes, aut etiam sancti, cogantur Apostolis subiici, ipsorum auditores fieri, & ima discipulorum subsellia occupare, ac ferre, ut Apostolorum ad dicendum prodeuntium, sapientiā excipiant, & per illam uideant ut suam corruptionem sale illorum expellant & tenebras suas luce ipsorum fugent. Obserua. Cùm Christus Apostolos, lucem mundi uocat, ipsorum id est Ecclesiæ (cuius caput & sponsum ipse est Christus) doctrinam ad eodē solam ualere, & ad uniuersum mundum illuminandum sufficere declarat, ut alterius lumine opus non sit, imò potius quicquid extra doctrinam illorum est, Cimmeriis (quod aiunt) tenebris obscurius est. Indubie Ecclesia est columna & firmamentum ueritatis, 1. Timoth. 3. & extra quam non est salus. Quare cùm nomen & salis & lucis mercantur Apostoli, pro Christo legatione fungentes, 2. Corinth. 5. orbis doctores sunt: qui non solum crassa illa flagitia arguunt, quæ primis etiam legibus ciuilibus & lumine rationis reprehensa sunt, uerum etiam capitalia flagitia, hoc est incredulitatem, impietatem, & falsam sanctimoniam, quibus totus mundus immerfus est, & neque quicquam resciscere, id est illuminari neque saliri uult: unde fit ut orbis doctores persequatur. Sed non obstante persecutione manet Apostolorum officium, munus scilicet interna flagitia corripiendi, & egenas & infirmas conscientias sanandi, consolandi & erigendi, omnēque ad emendatiorem uitam instituendi. Colligamus ex superioribus. Sal rerum scientiam, lux uitæ candorem & integritatem significat. Vtrunque autem in eo, qui plebem Christi regit, requiritur. Mirabile uisu auditūque, homines piscatores & idiotas constitui lucem mundi, id est doctores omnium ubique, non gentium tantum, sed & sapientum, adeo, ut Petrus piscator, sapientiam Philosophorum & doctrinam Pharisaorum cum uniuersa mundi huius sanctimonia stultitiæ & impietatis damnet. Et hæc est gloria diuinæ uirtutis, quæ per rudes & ignobiles, doctos ac sapientes huius mundi confundit, 1. Corinth. 1. Obserua. Christus appellauit uerbum, saltem, propter prædicationē pœnitentiæ, aut propter effectus uerbi, qui sunt exu-

Mundus pro mundanis hoc est, in mudo uiuentibus.

Lux, Spiritus Christi.

Apostolis omnibus mundus à Christo subiectus.

Ecclesiæ uniuersæ doctrina illuminando toti mundo sufficit.

Apostoli, orbis doctores.

Etiam inuito &amp; contrariante mundo manet uigeteque apostolorum officium.

Verbum, Sal &amp; Lux.

rere, damnare, & conseruare. Nunc ab aliis effectibus, idem uerbum, lucem uocat, cuius est illuminare in tenebris, seruare ne impingamus, mirabili & suauis suo splendore adficere, &c. Hos effectus lucis partim attingit Ioan. 1. cap. alij colliguntur à naturali officio lucis.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

Argumento à comparatis, & à natura ueritatis, quæ nihil fuci & tenebrarum admittit, aperit functionem apostolicam, nō occultè aut in angulo, sed palam per uniuersum orbem exercendam. Quasi dicat: Cauete, ne quid tenebrarum in uobis sit, & uos existimate in totius orbis theatro historiam agere, ut uos excitet acuatque sollicitudo ad circumspectionem ac diligentiam: quoniam exiguus lapsus in uobis erit instar fœdi criminis. Vos estis ueluti ciuitas in editiore montis loco posita, longè latèque uiuatoribus conspicua, ideoque occultari non potest. Quare cui incumbit lucis officium, ne proripiat se in angulum, sed palam in apertū prodeat, uirilem & præsentem animum habens. Cauet minis, periculis, persecutionibus mundi absterri: aut amicitias, fauore, dignitate, & spe quæstus, ac pecunia expugnari, & uinci, seipsum item abdere, ueritatem malitiosè dissimulare, & os comprimere. Nam si huius doctrina erroribus caligat, si uita mundanis cupiditatibus offuscata fuerit, si lupis cesserit, & se abdidit, si tacuerit nihilque prædicauerit, quomodo caligo multitudinis dispelletur, grex conseruabitur, & in caulas Domini ducetur? Hoc ipsum est furis & latronis, non autem pastoris & doctoris officium. Quare qui designati sunt Episcopi & pastores, doctores aut prædicatores operæpretium est, eos, esse paratos, liberè & propalam in medium prodire, & coram mundo perinde atque in excelso monte stare, quod ab omnibus uideantur & audiantur, nihil simulantes aut dissimulantes, quod prædicandum est, nec in uili gratiam quicquam tacentes aut loquentes, ut sicut sunt lux, ita apertè luceat, non habita ratione mundialis honoris aut dedecoris, opulentia aut egestatis, odij aut fauoris, mortis aut uite: sed solum Christum, & gloriam eius promulgandam præ oculis habeant. Certè his, & similibus Christus innuit doctrinam suam talem esse, & ad hoc institutam, ut nec debeat, nec possit occultari. Mysterium illud regni Dei, quod per Apostolos est in orbe prædicatum, absconditum quidem fuit ab origine mundi usque ad tempus reuelationis Christi, Eph. 3. Coloss. 1. ca. At post tempus reuelationis dictum est Apostolis, Quod in aurem audistis, prædicare super tecta. Et, Euntes, prædicate Euangelium omni creaturæ. Tunc uidelicet Apostoli, uelut in theatrum totius mundi prodeuntes, omnibus totius orbis nationibus expositi sunt. Tunc doctrina regni Dei super candelabrum posita est, de qua dicit Apostolus. 2. Corinth. 4. Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius seculi, excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Veritatis hæc est natura, ut amet lucem, & fugiat latebras. Hæresis lucem fugit & latebras sectatur, donec in præceps ruat.

Neque accendunt lucernam, &amp; ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Alia similitudine pergit Christus suos excitare ad rectè obeundā apostolicam functionem, à similitudine ipsos accensæ lucernæ. Eadem ratione tum uocat tum uult Christus Apostolos esse lucem mundi, & accensam, ut omnibus luceat, lucernā. Nam qui aliis ad salutē præcū, solet scriptura eos uocare lucernā, similiter & lucem: Vnde de Domino Iesu Christo prædictū fuit ab Isaia, ca. 42. & 47. futurum ipsum lucem Gentium, nimirum quod ad uitam æternam illis præluere deberet. Cùm feliciter & iustè regnaret Dauid, uocatus est lucerna Israël. Nam 2. Reg. 21. Viri Dauidis iurabant se non permissuros, ut Dauid in pugnam egrederetur, ne

Minister uerbi, ciuitas est in edito loco sita. Doctorum munus.

Quod uelut bar lex, Euangelium reuelat.

Veritatis est, lucere &amp; fugere tenebras.

Christus lux Gentium.

Dauid, lucerna dictus.



extingueretur lucerna in Israël. Fuerat enim Dauid tum admodum periclitatus. At cum per Apostolos & discipulos Christus uiam ad salutem strauerit, ut praeirent, docentes, & praedicantes, rectè ad illos dictum est, Vos estis lux mundi, & lucernae accensae comparauit eos, suo Spiritu ipsos accendens, ut uerbo & opere prae-lucere ad regnum sedentibus in tenebris & umbra mortis possent. Vnde Paulus, radios huius lucis explicans, ad Philip. 2. cap. ait, Omnia autem facite sine murmurationibus, & haesitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauae & peruersae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, &c. Idem facit Ephes. 5. & 1. ad Thessal. 5. Huius lucis radij, sunt fructus Spiritus, Ephes. 5. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filij lucis ambulate, id est lucete. Sensus uerborum Christi est: Ideo non est accenditur lucerna in aedibus, ut omnibus, qui domi agunt, luceat: neque abscondunt accensam sub modio, sed candelabro & eminentiori loco imponunt, ut lumen eius magis ad omnes perueniat, & unicus luminis usus ad quamplurimos manet. Ita diligenter curare debet, cui grex Christi commissus est, ne famam aut gloriam apud homines uenietur, & affectet: sed solum eo tendat, ut lux, quae Christus in ipso accendit, non obscuretur, nec in angulum redigatur, aut subter modium ponatur, sed super candelabrum, & ad omnes, qui in aedibus sunt, dimanet. Neque timendum est, ne quid mali moliatur & comminiscatur mundus: nam qui in lucem nos constituit, ille haud dubie nos etiam in lucendi officio defensores continebit. Admonentur ministri Christi, ut talentum diuinitus acceptum non abscondant, sed in usum collocent. Ministro satis non est, ut gratiam cognitae ueritatis pro se habeat, nec haud temere abiiciat, aut contemnat: sed ex officij debito reus erit perfidiae, si, quod accepit fidei suae concreditum, non expendat. Quoniam quae so pacto excusabuntur inutiles illi serui, qui nullam habent officij sui rationem, nec quicquam lucis sanae doctrinae de se proferunt? Colligamus ex his: non esse communicatam lucem, aut data Spiritus sancti dona, ut abscondantur, sed ut iis, qui in domo sunt communicentur, alioqui se donis indignos reddunt, qui ea receperunt. Obserua. Domum uocat Ecclesiam. 1. Timoth. 3. Similiter & mundum: Misit enim Deus filium suum in mundum, ut mundus saluetur per ipsum.

#### Sic luceat lux uestra coram hominibus.

Mirabiliter diligentèrque exhortationem hanc Christus urget, unde uerisimile est, quod non usque adeo urgeret, nisi res magni esset periculi, & necessitas postulare. Solidum enim praedicatoris officium multis uariisque mundi insidiis & periculis expositum est, quae dum Christianus praedicator floccifacit, & urgente praedicationis officio perseverat, manet officium, ut ut praedicatorem mundus afflixerit. Stat certè uerbum Dei, manebunt uerbi praedicatores usque ad consummationem saeculi, Ephes. 4. Sensus uerborum est: Erunt (inquit Christus) qui lucem uestram obtenebrare studebunt, nec ferre uolent. At uos contra, imperterriti estote, ac tantum praestate, ut otiosa non sit in uobis lux: nolite illam sub modio occultare, sed strenuè uestro fungimini officio. Mearum interim partium erit, ut uicissim dem operam, ne opprimatur. Lux suapte natura seipsam exerit, nec finit sui professores latere, quanuis ipsi, famam hominum fugitantes, quarant latebras. Cauete uana hominum gloria inescari: Lux enim in uobis extinguetur, cum uestra gloriae inferuieritis. Operemini & laborate praedicando, exhortando, illuminando. Vbi, Domine? Coram hominibus, qui uestro sermone illuminentur, fidem & Euangelium excipiant. Non ait, uestra lux luceat in seipsa, sed coram hominibus, in genere dicit, non tantum coram Israëlitis. Vocandi enim erant ad gratiam regni Dei omnes totius orbis habitatores. Lux ista accensa & destinata erat omnibus mortalibus. Nulla est personarum acceptio, sicut supra generaliter dictum est,

Omnibus uenit Christus, & ad omnes misit suos, qui uult omnes ad agnitionem, &c.

Contra otiosos, & gratia Dei abutentis.

Ioan. 3.

Apostoli, lucerna accensa.

Faciam uos fieri piscatores hominum. Obserua. Ea est Christi bonitas, ut quae sua sunt, nostra esse & dicat & faciat. Indubie lux in Apostolis & eorum successoribus est Christi, & ab ipso ceu autore: tamen dicit illam ipsorum. Similiter meritoria sunt opera nostra à charitate prodeuntia, non à dignitate operum nostrorum in se, sed ab ipso Christo: tamen illa dicit meritoria, & asseuerat se illis redditurum retributionem.

Christus quae sua sunt, nostra esse & dicit & facit. Christus gratiam suam nostrum facit meritum.

#### Vt uideant opera uestra bona.

Fructum officij Apostolici ostendit. Si luxeritis, hoc est mysteria Euangelij, fidem, spem & charitatem nuntiaueritis coram hominibus, illuminabuntur homines, uidebunt opera uestra, id est illuminati & docti sentient & experientur energiam & uim uerbi Dei. Aut, ut uideant, id est, intelligant, & capaces uerbi fiant, seruentque uerbum. Tropo scripturae, videre, aliquando accipitur pro intelligere: ut, Iesus autem, ut uidit cogitationes eorum, id est, intellexit aut sensit. Sic Abimelech, Genes. 20. Quid uidisti? id est, quid cogitasti aut sensisti. Sape enim quae sunt sensuum, ad animum transferuntur. Interdum uidere pro habere, ut Ioan. 3. cap. Christus negauit uisurum regnum Dei non renatum, pro non ingressurum uel possessurum. Proinde hic locus non tam intelligitur de communibus operibus, quae quisque exhibere debet proximo, charitatis officio, de quibus, infra cap. 25. copiosus fit sermo, quam de his operibus, quae sunt, rectè docere Euangelium, fidem, spem, & charitatem, eiusque mysterio erudire, & consolari conscientias nostras, quae testari possint nos esse Christianos. Haec sunt solida functionis Apostolicae opera, coram hominibus facienda. Non praecipit hoc loco Dominus, ut uirtus (quae per se lucere solet, & seipsam exerit) in spectaculum producat, sed ut ipsa opere compleatur. Quasi dicat, Vitae ac sermonis uestri puritas, sic luceat coram hominibus, non ut placeatis hominibus, sed, ut uideant, id est sentiant experianturque opera uestra, quae & opere & sermone imitentur. Nam è bonis arboribus meritò non requiruntur folia tantum, sed multò magis boni fructus. Intelligit ergo per bona opera fructus Apostolici muneris, quorum gratia discipulos in orbem emisit. Ioan. 15. Ego elegi uos & posui uos, ut eatis, & fructum adferatis. Hi fructus sunt cognitio Dei per Christum, conuersio à tenebris ad ueram doctrinam. Tale opus apostolicae lucis erat Corinthij. 1. Corinth. 9. & 1. Thessal. 5. Rogamus autem uos fratres, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum. Apostolicae lucis fructus erant, quibus Ephes. 5. scribitur, Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.

Video, pro intelligo.

Uidere pro possidere.

Opera bona, quae.

Vt uideant, ut effectum hic potissimum significat, & magis, quam finem.

Apostolicae functionis & lucis fructus.

#### Et glorificent patrem uestrum, qui est in caelis.

Alter fructus lucis Apostolicae, coram hominibus expositae, est gloria patris caelestis, & hic est finis petendus ministro Christi. Optima certè & praestantissima opera sunt, ex quibus confurgit glorificatio patris caelestis. Haec praedicatione ceu doctrina omnem sanctitatis gloriam à nobis tanquam à nobis aufert, testificans, omnem gloriam Deo debitam, ac nihil bonitatis nihilque uirtutis in nobis esse, tanquam à nobis, cuius nomine nos iactare queamus, sed omnia ad Dei gloriam referenda. Haec doctrina erudit conscientiam, quomodo erga Deum se gerere debeat, ostendens ipsi conscientiae gratiam Dei, & misericordiam, & in summa totum Christum. Haec est uera doctrina, quae glorificat, id est manifestat, & laudibus celebrat Deum: estque uerum sacrificium & cultus Dei. Deinde haec doctrina ostendit, qualis esse debet uita erga proximum, quibus operibus praefulgeat, quae charitatis opera uocantur. Totis ergo uiribus in hoc incumbamus, ut bene mereamur de quibuslibet, faciamusque hominibus, sicut cupimus ab illis fieri nobis. Haec opera bona, radij sunt lucis, qua nos Christus illuminauit, suntque fructus Spiritus, quem donauit. Obserua: ut glorificent, &c. Scopus praedicationis & om-

Gloria Dei, finis & scopus ministri uerbi.

Doctrina sana & uera, quae.



Si Deus, Pater noster est quid formidamus?

nium operum lucentium, est, ad glorificandum & celebrandum patrem. Porro ne terriculamentis, minis & insidiis mundi à uerbo excidamus, addidit, Patrem uerbum. Quasi dicat: Durate, & uosmet rebus seruate secundis: nimirum, habetis patrem potentissimum pro uobis sollicitum, aduersus quem uniuersa potètia nulla est. Hic in cœlis est, euocans uos ab his miseris, ad cœlestia gaudia: caute hinc amittere patrem. Nauate operam, ut inculpatam & cœlestem agatis uitam, purum uerbum annuntietis, & nulli sitis offenculo. Huc pertinet admonitio illa. 1. Pet. 2. Conuersationem uestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum in die uisitationis.

### Nolite putare, quoniam ueni soluere legem aut prophetas.

Posteaquam prædicandi officium Christus instituit, & commendauit Apostolis, exordium cum salendi tum prædicandi illis facit in exemplum, ut discant cõpertumque habeant, quid ipsis prædicandum sit, cum docendo, tum reprehendendo & emendando. Hac autè exhortatione ceu præfatione occurrit, ac protestatur non esse sibi animum, aut consilium, legem soluere, sed idè uenisse, ut eandem rectè doceat, & confirmet aduersus eos, qui sua doctrina illam infirmarent. Siue ut legem rectè declararet atque explanaret, quæ per Phariseos & Scribas prorsus obscurata & peruersa fuerat. Necessarium enim erat, ut doctrina de præceptis ab omni Pharisæico fermento perpurgetur, & in ordinem redigeretur. Deinde hæc occupatio & protestatio necessaria fuit, ob superbam Phariseorum iactantiam, & magnificam speciem, qua præ cæteris cristas erigebant, gloriabanturque se adeo solos esse qui populum Dei regerent, cui tot prophete tamque sancti patres præfuisent. Vnde cum arguerentur legis malè intellectæ, cristas & supercilia erigentes, dicebant, Quis tu es, qui solus contendis sapere supra nos, quasi patres nostri falsi fuerint, & nos omnes erremus, qui legem Dei habemus, & prædicamus? Rogabit quispiam. Vnde orta est suspicio, qua Christus uidebatur legem dissoluere? Videtur mihi ad hoc respondendum. Imprimis, quòd non sicut Scribæ & Pharisæi, sed tanquam auctoritatem habens, infra 7. cap. hoc est, non ut interpres aut propheta, sed sicut Dominus ipse, doceret. Secundò, quòd disciplinam Pharisæicam hypocrisicos ubique accusaret, cum peccatoribus manducaret, & uerfaretur: nec Sabbathum, nec sacrificia, imò nec templum, iuxta Phariseorum superstitionem coleret. Studebat enim suos reuocare à sola rerum externarum cõfidentia ad spiritalem & internam iustitiam, solidumque cultum, à quo externorum bonitas pendet. Ad hæc Apostoli & discipuli Christum, ut mediatorem noui testamenti, quem post amplam Spiritus missionem, in orbem missi sunt, exceperat: quem ex prophetis & reuelatore Spiritu sciebant nouum esse regem, nouum sacerdotem ex tribu Iuda, simul & Aaronica & Leuitica: & ob id, omnia per ipsum innouanda esse, & nouo fœdere legis ab eo nouationem expectandam, quod fœdus, non ut prius initiandum à rebus externis erat, sed inscribendum in cordibus iuxta spiritum, ut in spiritu & ueritate pater cœlestis coleretur. Hebr. 10. Dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superferbam eas. Vnde non est mirandum, si his, qui in solo rerum cultu externo iustitiam collocant, Phariseorum superstitionem sequentes, uideatur Christus legem dissoluere. Ut igitur Apostoli huic Pharisæicæ obiectioni respondeant, præmonet ipsos Christus, dicens, non esse sibi in animo legem dissoluere, sed illam diligentius docere, & uehementius urgere, quàm Scribæ & Pharisæi doceant: nimirum quòd cum Mose & prophetis conueniat: ideo lex quidem ab illo & à scribis docèda est, sed inde lis oritur, & in hoc cardo rei uertitur, ut certi sint auditores, utra pars scripturam & legem Dei rectius doceat, & explicet. At quoniam hæc est controuersia

Christus quid contulit legi.

Phariseorum supercilium, sese uelut solos hominum putantium.

Christus unde uidebatur legem soluere.

Christi mens & scopus.

Ioan. 4.

origo, propterea hic indubiè Apostolis sale & reprehensionibus utendum est. Iudei enim suis interpretationibus legem peruerterunt & perdidērunt. At Christus uenit eandem recuperaturus, & quod illa adumbrabat, facturus, & ueritatem exhibiturus. Hæc proculdubio non sunt legis dissolutio. Obserua. Dicens, Legem aut Prophetas, uetus testamentum integrum comprehendit. Lex declinandum à malo docet: Prophete ad bene operandum hortantur. Rursus aduerte: uerbum, soluere, positum est pro destruere, ac demoliri, uel abrogare, Græcis dicitur *καταλύω*. Aliter enim soluitur lex, aliter pecunia debita, aliter zona siue nodus, aliter peccata soluuntur pro absoluuntur & remittuntur.

### Non ueni soluere, sed adimplere.

Tantum absit, ut uenerit Christus, abrogaturus, quæ lex & propete docent, ut in hoc uenerit, ut omnia tandem in ipso & per ipsum impleantur, & perficiantur. Dicebat ille Ioanni baptizare ipsum recusanti, Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. In lege obseruamus quædam fuisse moralia, cuiusmodi est Decalogus, scilicet uniuersalis morum ac uitæ institutio. Cui ad unguem satisfecit ipse, & perfectè impleuit legem, cuius plenitudo, dilectio est, Rom. 13. Hanc supra omnes erga patrem & nosipfos maximè exercuit. Ioan. 13. Maiorem hæc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis: non autem pro amicis tantum, sed etiam pro inimicis posuit, Rom. 5. Secundò iudicialibus, quæ docent iustitiam publicam, humanitatem, beneficentiam, & quæ tranquillitatem publicam, conferunt: & ceremonialibus, quæ tradunt de ritibus Ecclesiasticis, de cultu Dei externo, deque personis, & rebus ad cultum illum pertinentibus satisfecit, detegendo, quod adumbrabant. Vnde infra. 27. uelum templi scissum est. Apoc. 4. Dignus est agnus aperire librum, & soluere signacula eius, hoc est, ostendere adumbrata in lege. Neque solum his satisfecit, uerum etià promissis omnibus stetit. 2. Corinth. 1. Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo, est: ideo & per ipsum, amen. Vide infra primam conciliationem. Ad hæc, lex spiritalis est & à Deo: bona igitur est, & non destruit illam, qui perfectè implet. Spiritalis quidem hoc est excellens doctrina, flagitans spirituales motus, solidam de Deo notitiam, ardentem, & perfectam dilectionem. Huic conformiter dictum est à Paulo, Rom. 3. Legem ergo destruiimus per fidem? Absit. Sed legem statuiimus. id est, stabilimus & fulcimus: nimirum quòd neque Paulus neque alius Apostolus aliam doctrinam sit apportaturus, quasi prior irrita esset, & antiquata, sed hanc rectè prædicare & explicare statuit. Iam autem medullam & nucleum ac sensum legis eruere & ostendere Christus incipit, ut discant Iudæi, quid sit lex, & quid postulet, contra peruersam Phariseorum interpretationem: sciântque eam ipsam scripturam, quam habent, rectè interpretari, atque intelligere, quomodo tenenda seruandaque sit. Quocirca Euangelium seu prædicatio Christi nihil contrarium legi affert. Sed hoc ipsum (ut Paulus rectè scribit) quod ante in scripturis & per prophetas promissum fuerat. Vnde Apostoli Euangelium & doctrinam de Christo, ueteris instrumenti auctoritate & testimoniis confirmant, legem stabilientes, & sanctam & diuitem ostendentes. Soluit quidem legi Christus quod debebat, quum per omnia illi adèd fecit satis, ut queri illa iure non possit. Quia quæ iudicialis lex & ceremonialis docebat, erant res, non nisi ad tempus correctionis institutæ, quod quidem correctionis tempus, Christi tempus erat. Non enim potuit adueniens Christus in mundum aliud facere, quàm quod fecit, abrogare uide licet umbratiles illos typos, Christi negotium adumbrantes. Ergo per hoc ipsum, quod hac parte legem abrogat, legem complet, pro figuris & umbris ipsam rem & ipsum corpus reponens. De hac re copiosius scribit Paulus ad Hebræos. Quòd si Christo uera luce aduentante, cedunt umbræ & quod multis ante sæculis prophete futurum prædixerunt præstò est, non irritatur lex, nihil illi derogatur, sed

Soluere uerbum pro destruere.

Christus legem & omnia impleuit. Moralit. Christus dilectione legem impleuit. Iudicialia.

Ceremonialia.

Christus in lege promissa præstitit.

Lex spiritalis, & quare.

Lex Euangelio non aduersatur.

Christus nihil docuit contrarium legi.

Christus soluit, hoc est exoluit, quod debebat, legi.

Christus legem, quum abrogare uideretur, implet.



Christus legem perfecit, nō destruxit.

Ceremoniarum quorundam instituta in lege.

Moses & prophetae medice, nisi Christus uenisset.

Similia appositis.

Iudaei, si faciant, nihil querentur.

Spiritus, quem dedit & misit Christus, indigeat lex, ut impleatur.

Amen, vox quid, nō mutata abs scriptoribus. Iurat Christus quomodo & quare.

Iota Graecis, Iod Hebraeis.

lucidior sit, & potius perficitur, quàm destruitur. Quod infirmum erat in illa nimirum umbra, antiquatur presente corpore cuius umbra erat. Nunc orbi conspicuum est, quod illa adumbravit. Ad tempus datae erant illae ceremoniae, & praecipua quaedam carnalia ceu cancelli, circumsepientes homines, ne in grauiora laberentur peccata, & ut paratiores essent ad Euangelicam doctrinam excipiendam. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec ueniret semen, cui promiserat, Galat. 3. Iam semen uenit, & quod latebat in lege, expromitur. Caterum prophetae fuerunt fideles ministri Dei, ac legis diuinæ interpretes, clarius & copiosius de regno & rebus Messiae prophetantes. Horum scripta adedō nō luxauit Christus, ut nisi uenisset, & fecisset, quaecunque fecit, uideri potuissent illi uates, fuisse uani & mendaces. Verisimile ergo dicit Dominus, Non ueni soluere, sed adimplere. Imō usu caruisset lex, & effectū non habuisset, nisi uenisset Christus. Nihil igitur illi magis detrahitur, quàm si picturae imagini regis, Rex ipse uiuus succedens, omnium in se oculos deflectat: aut si imbecillus puer, successu tēporis grandescēs, prodeat in uirum: aut si fructus maturus succedat frondibus & foliis: aut si exorto sole luna & stellae obscurantur. Certē pictor non corrumpit prima lineamenta, lucidiores superinducens colores, aurum aut argētum, sed magis illustrat & implet. Ad hunc modum, quae legi superducuntur praecipua, & si noua uideantur, legem tamen illustrant, sub qua iuxta spiritum latebant. Iam quod latet, expromere, & clarius ac celebrius facere, non est demoliri & antiquare, sed illustrare. Quod igitur sub illa latebat ac promissum erat, nunc exhibetur: nunc geritur, quod praedixit: atque adedō lux omnibus promitur, ut iam nihil ad manum habeant Iudaei, quod nobis uitio dent, & de nobis iure queri possint. Colligamus ex his, & summatim dicamus, Lex Euangelio non est contraria, sed uia ad ipsum, ac praeco praecipuus, & umbra ac typus. Et quomodo exorto sole cessat nox, & disperet umbra, ita legis umbra cessat appetente Christo, uera luce. Deinde legem compleuit Christus seruatis ipsius praecipuis, quibus iuxta corticem & literam, finem imposuit, quia remota imperfectione, Spiritum Christum dedit, legem perfecit, & iis, quae de ipso uaticinati sunt sancti prophetae Dei, plenē respondit ac satisfecit. Dat spiritum, per quem affectus nostri immutentur & rapiantur ad obseruationem mandatorum. Postea si quid delinquitur, confugientibus ad Christum, per illius nomen condonatur. Quare non aduersantur legi praecipua Euangelica, sed consona sunt. Lex enim initium erat, Euangelium uerō perfectio. Hoc uelamen legis Paulus, 2. Corinth. 3. cap. abundē demonstrat.

Amen amen quippe dico uobis.

Amen, confirmantis & asseuerantis uox est, Hebraeis peculiaris, apud quos sonat, fiat, siue uerē, quam nemo Latinus uertit, neque quisquam Euangelistarum Graecē scribens. Iurat Christus in re seria pro gloria Dei, & proximi necessitate. Quasi dicat certissimum habetote, & pro certo apud uos statuite.

Donec transeat caelum & terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit à lege, donec omnia fiant.

Altera ratione ab immobilitate legis diuinæ petita, Christus urget uehementer ac diligenter ostendit, quàm non sit illi animus soluere legem sed adimplere. Citius (inquit) caelum & terra praeteritura sint, quàm ullam literam aut minimum etiam apicem de lege perire sinerem. Quasi diceret, is est mihi animus, ut purē & perfectē doceantur seruenturque omnia. Et ne quid nec minimum quidem de lege omittatur. Non hīc curiosē rogādum, quid apex sit, aut iota litera, quam Hebraei Iod appellant, omnium minutissima. Hic sermo hyperbolicus pronuntiandus mihi uidetur, ad insinuandam uehementem expressionem perfectionis, ait

Augustinus. Quasi certa conditione paciscatur, se uehementem & acrem sermonem habiturum, & culpam nolle agnoscere quod legem soluturus aduenit: sed in Iudaeos deriuare & reiciere, ac planum facere, quod ipsi legem infirmauerint, & soluerint, & illa posthabita suas superstitiosas glossas, uana commenta, & impia somnia tradiderint. Asseueratur igitur hoc textu, nihil omnino promissum aut proditum in lege Moisaica, quod Euangelium non absoluat. Huic sententiae consentit Augustinus, exponēs sermonem Domini, in monte habitum. Donec ergo transeat caelum & terra. Quando uerō? Nunquam. Nam caelum & terra non praeteribunt, quanquam in nouum caelum & nouam terram immutabuntur. Ita nunquam dissoluetur, quicquid lege promissum est, sed adimplebitur. Quare nobis quoque discendum est hoc exemplo, ne patiamur nobis, uel minimam literulam ab Euangelio auferri aut decerpi: sed corde, ore & opere dicamus omnia purē docenda, credenda, & seruanda esse. Quod si caelum & terra potius praeteritura sunt, quàm quicquam de lege remittatur, & si agnoscimus Christum propter legis impletionem aduenisse: nostrarum quoque partium erit, legi Euangelicae implenda nos totos impendere: ita ut ne apiculus quidem ullus praetereatur. Atque ut consummatam felicitatem expectamus, ita & pariter absolutam oportet praestemus legis impletionem. Vtrūque continget, cum extincta morte, extremo nostro hoste, Deus fuerit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. Quantū ergo licet nobis & pro nostro (ut ita loquar) modulo mandata obseruemus, & legi obediamus, cui si perfectē, quandiu hic uiuitur, non satisfacimus propter infirmitatem carnis, cui immersumus, supplebit is, qui solus perfectē illam impleuit, adiutabitque nos, modo illi ex animo fideli adhaerimus, ut tandem illo fruamur, & ipsum perfectē & consummatē amemus. Nō erit igitur saluus quisquam, nisi impleatur lex: Id est, nisi ipsa concupiscentia edometur, & omnes eius fructus radicitus auferantur, beneficio charitatis. Idem docet Paulus ad Romanos. 6. Idem & Christus, dicens, Nisi quis abnegauerit semetipsum, &c. Quidam philosophatur hoc loco ita scribēs, Iota & apicem significare crucem. Iota enim est rectū lignū, & apex transuersum: quo sensu significatur, quae ea, quae de cruce dicta sunt, implebuntur. Obserua. Non dicuntur caelum & terra transire secundum substantiam, sed secundum formam. Vnde de transitu caelorum in morem procellae, & solutione terrae per ignem praedictum legitur, ut uix aequē alibi. 2. Petri. 3. Adueniet dies Domini, sicut fur, in quo caeli cum magno impetu transient, & elementa calore soluentur. Vide, quae in eum locum adnotauimus. Nisi quod infra. 24. Marc. 15. & Lucae. 21. Dominus dixit caelum & terra transibunt, Verba autem mea non transibunt. Cui non ab simile uidetur, quod scribitur psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes, sicut uestimentum, ueterascent: & sicut opertorium, mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno caelorum.

Alia ratione hortatur ad enixius studendum pietati, idque facit singulari antithesi, & argumento ab incommo & utili. Habentque haec uerba magnum stimulum ad impellendos nostros animos, quo unicē studeamus uoluntati diuinæ respondere, & iuxta illam uiuere. Praecipue autem his uerbis praedicatorum compellat, quasi diceret, Ego tam diligenti studio legem tuebor, ut non tantum non sum soluturus, sed qui soluerit quamlibet minimam legem, & docuerit sic homines, hoc est praedicatoris officium obierit, & uel minimum in lege praecipuum abrogauerit, aut missum fecerit, etiam ex his, quae mox sum traditurus, ille sciat se non esse mei praedicatorem, sed damnatum, & è caelesti consortio exterminatum.

Iudaei suis fabulis & commentis legem corruperunt.

Caeli & terra non alio modo peribunt aut transibunt, quàm quod immutabuntur.

Perfectā felicitatem expectantibus perfectē quod implenda lex est.

Christus auxilio est nobis ad implendū, quae praecipuit.

Caeli & terra quomodo perire aut transire dicantur.



**Minimus** uocabitur, id est non uocabitur, in regno cœlorum, non erit inscriptum nomen eius in libro uitæ. Et, ut ille pro minimo reputat, præcepta Dei respuere, ita quoque ille respuendus & reiiciendus est ab ecclesia sanctorum. Hæc est doctrina, qua omnes Euangelij prædicatores instructos esse oportet, ut hoc coram uniuerso mundo, si necesse fuerit, iactare possint. Minima uocat, modestiæ & humilitatis gratia, ut & te instruat, modestè docendo, loqui, & ne extollatur, qui ea seruauerit. Aut minima dicit, quòd factu difficilia non sint, & non subsistant in carnalibus illis ceremoniis legis Mosaicæ, & multiplicibus illis forensibus decretis, quæ ritè fieri non poterant nisi spiritu, & ardenti animo in Deum: spiritalia enim sunt. Aut minima præcepta per mimetism ea appellat, quæ arduis & maximis præceptis prioris tabulæ collata, uidentur esse exiliora. Ex mandatis igitur hæc minimis, scilicet sequentibus, quæ porrò ex secunda tabula interpretatur erat Dominus, certum est minima præcepta dici respectu magnorum primæ tabulæ. Obserua, & iam tu ipse expende, quid Christus ad hoc dicturus sit, tam seueram & atrocem sententiam pronuntians, uidelicet illum nullam partem in cœlesti regno habiturum, qui uel minimum mandatum soluerit, cæteris omnibus uel accuratissimè seruatis & traditis. Huc pertinet quod scribitur Iacobi. 2. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Vide, si inuat, quæ in eum locum Iacobi adnotauimus. Iam, rogo te, pie lector. Quò nam istos nequam operarios & doctores potius & conuenientius relegandos arbitraris, quàm in flammis tartarcas, omnium ardentissimas & profundissimas? Obserua hoc uerbo, & docuerit sic homines, doceri nos, quòd minus ueniam habet doctor errans, quàm auditor, si erret ac delinquat. Doctor enim errans, minus habet excusationis, & plus adfert detrimenti, quàm auditor errans.

**Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.**

Altera pars antitheseos est, qua ad indiuisius pietati incumbendum hortatur, à commodo & præmio ducta, cui omnem legem tum præstiterit ac studiosè implauerit, tum alios non solum implere, sed etiam neglectui non habere docuerit: is demum admirandus est, & præcipuo loco futurus in regno cœlorum, hoc est, in contubernio Euangelico. Obserua, uerbum fecerit, uerbo docuerit præpositum, ut prius nos scholasticos & discipulos, quàm magistros esse debere agnoscamus. Et quæ docemus, prius in illis nos ipsos exerceamus, ut opere probata melius explicemus. **Qui** enim fieri potest ut illam uiam doceas, qua nunquam transueris? Quod Christum fecisse testatur Lucas act. 1. cap. Semonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere. Primò fecit, postea docuit, longè dissimilis iis, qui multa docent, & mandata pronuntiant, sed ne digito quidem illa mouere uolunt. Proinde ut reprehensione dignum est, docere, & non facere: ita imperfectum uidetur, facere & non docere, ualent: hoc certè habet charitas, ut se in proximum effundat, & non sibi soli sit utilis, sed & aliis. Atque ut certè non docebis, quæ opere non probaueris & compleueris, ita non facilè aliis persuadebis, ut faciant, quod ipse non feceris. Audies enim, Medice cura te ipsum.

**Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plusquam Scribarum & Phariseorum.**

Elegans est hæc parascæue, qua parat Christus transitum ad exegesim siue expositionem legum aliquot Mosaicarum cum asseueratione & magna orationis uehementia, qua ardentè instat suis, ut diligentissimam nauent operam, ut omnes ueræ pietatis numeros impleant, confirmans, quod præmisit, se non uenisse, ut legem solueret, sed adimpleret. Quasi dicat, Tantum abest, ut legis ac iustitiæ remissionem inducere uenerim, ut in regnum cœlorum, quod annuntio, non sitis

tis ingressuri, nisi Scribarum ac Phariseorum iustitiam superetis, quæ ut magna uideatur, tamen in regno cœlorum non erit. Atque hoc uerbo, dico uobis, facilè uidetis, quanto studio quantaque orationis uehementia statim ab initio suos perstringat, dum confert & loquitur non in communi de uilibus personis, sed de omnium optimis in toto populo Iudaico & selectissimis, qui præ aliis sibi, perinde ut sol, lucere uidebantur: neque enim erat ordo laudabilior aut nomen honorificentius in populo, quàm Phariseorum. Unde qui uerum sanctimonia uitæ præcellentem nominare uolebat, Phariseum nominabat. Tamen autem Pharisei & Scribæ sanctissimi à populo habeantur, ac ipsi etiam sibi uideantur absolutissimæ cuiusdam iustitiæ, nihilo secius tamè Christus audacter atque nominatim ipsis perstringit, accusans illos iniustitiæ, ipsorumque sanctissimam (ut sibi persuadent) uitam adeò damnat, ut è cœlo eam excludat, & igni æterno addicat. Ex ipso argumento, quod Christus hoc loco tractat, satis apparet hinc nomine iustitiæ, illi intel ligere totius uitæ reuerentiam, uel integritatem, ita ut exigat animum integrum. syncerum ac probum, & cum diuini tum humani iuris seruantem, ut omnem iustitiam adimpleat. Cæterum dicit, uestra. A suis enim Christus non alienam, sed ab uno quoque suam ac propriam iustitiam exigit, hoc est, Christianam iustitiã, quæ enascitur per Spiritum Dei, ut agnoscamus nos peccatores, & conuertamur ad Christum, iustitiam nostram, cuius gratia iusti erimus, tum abundabit nostra iustitia supra illam, quæ est Scribarum & Phariseorum. Obserua: cum audis hinc & alibi, Dico autem uobis, emphaticè pronuntiat: & tum significat Christus se uelle explicare id, ad quod uult nos esse maximè attentos: & ardentiori fide dictum excipere. Dico, hoc est, affirmo uobis hoc, quicquid alij dicant, ac statuunt: uobis inquam, qui mei estis, hoc affirmo. Verborum sensus est, Dixi (ait Christus) me non uenisse, ut soluerem legem, sed ut implerem. Et minimum fore in regno meo, qui unum de mandatis minimis soluerit, & soluendum docuerit. Id adeò uerum est, ut certè affirmem, nisi iustitiam, id est uirtutem & operationem pietatis, abundantiore & pleniore feceritis, ea, qua se Scribæ & Pharisei uenditãt, hoc est, nisi iustiores fueritis Iuris peritis & Phariseis, non intrabitis in regnum cœlorum. Illi mandata iuxta literam & opus externum obseruant: uos autem ex spiritu & animo illa implete. In rebus illi externis sanctitatem omnem constituunt, & legis cortice contenti, putant si externo opere contra legem non fecerint, legem se impleuisse, & ob id se iustos haberi coram Deo. Docent & non faciunt, uitam uiuentes doctrinæ suæ contrariam. At quum res longè aliter habeat, audite me legis medullam proferentem, & mea interpretatione ac explicatione implentem & perficientem, quæ illi diminuerunt, & sua hypocrisis eneruauerunt. Volo uos etiã minima mandata quæ nunc uobis proferam, non modò non soluere, sed etiã implere, ut abundantiore iustitiam consequamini, & iustiores sitis, quàm totus ille Scribarum & Phariseorum ordo. Obserua. Scribæ erant, quorum omnis opera in lege ritè intelligenda, populòque explananda infumebatur. Erant ueluti librarij, ab euoluendis atque enarrandis libris sacris: qualis fuit Esdras. De Phariseis alibi diximus. Colligamus ex his, opera externa, ut ut in speciem iusta uideantur, non ex se iustificare. Est enim opus altiore opere, nimirum morte Christi nobis applicata, per fidem, quæ per dilectionem operatur, iuxta quam opera externa, bona & laudabilia sunt. Prodeunt enim à radice sancta: ergo rami sancti sunt, ait Paulus. Quare arguenda est omnis talis Pharisæica iustitia, quippe quæ cum se tum alios fallit, & à recta uia ad inferos perducit. At contra lucendum, id est indicandum est, quæ recta sit probitas, & uera iustitia, quam lex exigit, sicut Christus ex ordine mox indicabit.

**Minimus** pro nullus.

**Mandata** minima quæ, & quare.

**Doctoris** grauior culpa, quàm auditoris.

**Magnus** in regno cœlorum, quis.

**Christus** primum fecit, postea docuit.

**Facere** & docere, perfectorum.

Ordo & dignitas Pharisæicæ sectæ quanti apud Iudæos fiebat

Iustitiæ nomine quid intelligit Christus.

Iustitia Christiana, quid & quomodo excedit iustitiam Pharisæorum.

Dico uobis, uerbum Christi cum Emphasi.

Iustitia Pharisæorum cuiusmodi erat.

Scribæ, qui.

Opera externa unde uim meriti & iustificandi habent.



Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Desumit Christus aliquot præcepta decalogi rectius declaranda. Quasi diceret: Agedum, ut clarè intelligatis, quantum adiicimus iustitiæ Pharisaicæ, quæque nostra præcepta non pugnent cum præceptis legis, sed ea potius adiuent, & ipsa explent, rem ipsam aliquot exemplis demonstremus. Audistis, quod maioribus olim sit præceptum, Non occides. Quisquis autem occiderit, reus erit iudicio. Haec tenus Pharisei sibi persuaserunt, & ita docuerunt, quod occidere tantum significet manu occidere, nec aliter interpretati sunt, nisi quantum nudorum uerborum significatio in se complectitur, & sonat, nempe de externis & crassis operibus. Vnde pulchrum testatorum, scilicet commenti sunt, se nullo modo homicidij reos fore, tametsi alter alterum morti offerret. Quemadmodum ipsi Christum Pilato crucifigendum obtulerunt, nolentes manus suas sanguine polluere, quod sanguinis Christi innocentes, puri & sancti manerent, usque aded, ut etiam prætorij ingredi recusarent. Cum tamen ipsi aded præcipui essent, qui tum innoceris mortis autores erant, & Pilatum inuitum quoque & reluctantem eò ui adigebant, ut crucis supplicio infontem afficeret. Tamen sibi placebant, ac uidebantur esse puri, & extra omnem noxiam. Quo nomine & Apostolos obiurgabant, Act. 5. cap. dicentes, Vultis inducere sanguinem hominis istius super nos. Quasi dicerent: At qui, non nos, sed gentes illum occiderunt. Non ab simili morbo laborasse uideatur Saul. i. Reg. 18. Si quidem Dauidem odio habens, libenter ipsum neci dedisset. At quia sanctus esse cupiebat, nolens eum propriis manibus interimere, eum fuit illum mittendum ad Philisthæos, ut ibi mortem oppeteret, & manus suæ impollutæ essent. Hæc est illa illustris scilicet & splendida Phariseorum sanctitas, qua nòrunt se puros facere, & iustos putant, dum modo eadem manu non commiserint, quorum cor interim ira, odio, inuidentiâ, occultis & fœnestis cogitationibus refertissimum, & lingua letali ueneno calumniæ & execrationis infectissima est. Hæc est interpretatio, quam à Phariseis didicistis, & à maioribus quasi per manus traditam accepistis, hærentes in ipsa litera, qua occidit, & confidenter huiusmodi uerba iactantes, hic est Moses, qui dicit, Non occides. Ergo iusti sumus, nò occidentes. Et huic interpretationi uestræ & uerbo innituntur simpliciores, & coguntur fateri, rem ita se habere, sequuti uos Phariseos, tanquam diligentes doctores, & exercitatos diuinorum præceptorum executores, cum tamen uestris ineptiis & putidis commentationum lacunis, uerba legis obsecuretis, nec conspicuum fiat, & uideatur, quid uerba in se complectantur. Obseruanda certè est emphasis in uerbo, occides, & uocula subintellecta, tu. Quid uocatur, tu? Lingua? minimè. Manus? haudquaquam. Pes? nò. Verum tu, tu, hoc est quicquid in te est & intra te, manus, os, cor, cogitationes, & quicquid tu es in uniuersum corpore & anima, Non occidet. Verbi gratia, quum loquor tecum, Hoc tibi non est faciendum, iam non loquor cum manibus, sed cum tota persona tua, & totum hominem intelligo. Vnde si pede feceris prohibitum, offendis, si manu, offendis. Cur ita? Toti homini hoc prohibetur, cuius manus est. Sensus itaque uerborum est: Quot tibi partes seu membra sunt, tam multiplices quoque formas occidendi inuenire potes, seu manibus, seu lingua, seu corde, seu etiam nutibus & signis, & gestibus, siue truci & Titanico uultu intuendo, siue auribus insinuando, quod sit cum proximi mentionem inuitus audis. Hæc enim omnia membra, ex quibus es compositus, ita animata sunt, ut cupiant proximum iam enectum & peremptum esse, idque eò quod ex animo seu uoluntate pendeant, ex qua mala oriuntur. Quid igitur iuuat, non mactare hominis corpus? quid, si interim manus quiescat? lingua à contumeliis ingerendis taceat? oculi & aures omnia dissimulet: cum ipsum

Occidere, quid Phariseis.

Iudæi & Saul sibi ipsi iusti.

Apostrophe ad iustitios Phariseos.

Prohibetur toti homini cades.

Omnibus corporis membris editur cades, ab uno animo imperatur.

cor cæde & homicidiis sit refertissimum? Obserua. Christus hæc præcepta legis non ita adducit, ut in lege habentur, sed ut erant à Scribis & Phariseis deprauata, & populo rudi perperam inculcata: quod ideo facit, ut Pharisaicam illam doctrinam & iustitiam in lucem educat, & uitandam moneat. Non enim dixit, Nisi abundauerit iustitia uestra, plusquam ea, quæ per Moysen est tradita, sed plusquam Phariseorum. Vnde non dicit, Scitis, quod in lege sit scriptum, sed audistis hoc sæpenumerò, publicum est & inuulgatum. Lex habet, Nò occides. Mentem huius illi, uelut obducta caligine, adiecto glossemate oppresserunt, dicentes, Quisquis occiderit, obnoxius erit iudicio: quasi iudicio nemo, quod ad hanc legem attinet, sit obnoxius, nisi manu occidat. Colligamus ex hoc præcepto prohiberi non solum externas corporum iniurias, & priuatam uindictam externam: sed etiam in animis maleuolentiam, odia, inuidentiâ, priuatam cupiditatem uindictæ: contra uerò postulat hoc præceptum erga omnes homines beneuolentiam, misericordiam, zelum, candorem oppositum maleuolentiæ, mansuetudinem, patientiam, æquitatem, quæ remittit aliquid de summo iure, propter probabiles causas, uidelicet ut sanabiles reuocentur in uiam. Item ne ex priuatis discordiis orientur publica dissidia, quia de priuatis offensionibus scimus seuerè præceptum esse, Remittite & remittetur uobis. Item uindicta non est res priuati impetus, sed Deus eam sibi relinquere postulat, eique metas circumscripsit. Ideò inquit, Mihi uindictam. Ad quam uocem ordinauit politicum magistratum, suæ potestatis uicarium, quasi dicat: Ego puniam, uel ulciscar aut mea manu, aut permissione, aut legitimo officio magistratus. Obserua. Reus erit, id est obnoxius erit. Ceterum iudicium fere intellexerunt, quo explorabatur de homicida, an sciens uel inscius, data opera, uel casu proximum suum occidisset, de quo Deutero. 19. scribitur. Vel certè per iudicium pœnam intellexere & condemnationem, quæ per iudicium de aliquo sumitur. Obserua. Nihil noui docet hoc loco Christus, sed tantum uelamen tollit, ut integrum sit discipulis in Legem & Prophetas transfigere oculos, idem docentes. Tendunt uerò omnia eò, ut imbecillitate nostra cognita, adspiremus ad iustitiam Christi. Rursus aduerte, Christum hîc incipere à præceptis secundæ tabulæ. Quasi diceret, Si hæc seruare non potestis, ergo multominus præcepta prioris tabulæ.

Verba legis à Phariseis corrupta.

Lege nò manus tantum aut lingua, aliud id genus, sed animus in primis aut prohibetur, aut exigitur. Præceptum, Non occides quid iubet inhiere. Aequitas qd. Ex priuatis discordiis publica sæpe eaque graui incommoda. uindicta Dei propria. Iudicium.

præcepta prioris tabulæ, obseruatu difficiliora.

Ego autem dico uobis.

Quia hæc, quæ sequuntur præcepta, sunt ueluti partes præcepti, de dilectione proximi: quæ sola in omnibus huiusmodi, hoc est Decalogi, diuinisque mandatis quæritur, per asseuerationem loquitur, quod è re esset rudis & indoctæ plebeculæ, quæ breuia hæc præcepta melius quam longas rationes percipiebat. Quasi diceret. Haec tenus putarunt Pharisei, quod propter cohibitam manum satisfecerint præcepto, Nò occides, & legis minas effugerint ac iusti & innocentes etiam nunc in Synagoga uersentur. Audite meam legis interpretationem, siquidem illud affirmo uobis, & pro certo habetote. Ego emphasim habet. Quasi dicat Christus: Ego, qui debeo uobis uelamen tollere, & aperire oculos: ego sum, qui de uera loquor iustitia, huc attendite, & neglectis Scribarum & Phariseorum commentis dico, & pro certo assero uobis meis discipulis. Ego, inquam, qui non Moisaicam iustitiam doceo, secundum carnalem uestrum sensum, sed eam, quæ ualeat coram Deo.

Ego cum Emphasi.

Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.

Christus hoc loco iuxta fori consuetudinem loquitur, quando facinorosus aliquis morte plectendus est: & tria nominatim memorat, ut ostendat, quomodo pœna subinde maior & grauior fiat, quanto fortius peccatum crescit. Sumamus nobis



In iudicio ca-  
pitis multi-  
gradus.

exemplum. Qui homicidium commisit, in primis iudicio est obnoxius, hoc est, sistendus est iudici, apud quem perpetrati facinoris accusatur, & pronuntiato iudicio, capitis arcesitur, ut qui reus est mortis. Atque hic primus est gradus seu vestigium ad mortem. Sententia tamen iudicij nondum est pronuntiata ita ut locum & facultatem habeat semet excusandi & liberandi. Deinde pronuntiata sententia, quod illi mors sit subeunda, tum in consilium incidit, in quo habetur deliberatio, cuiusmodi supplicij aut mortis genere afficiendus sit, iam iterum uno gradu morti factus est propior & uicinior, ut non amplius possit effugere. Tertio iam poracto iudicio & omnibus conclusis, carnifici traditur, ut illum foras eductum debito supplicio afficiat. Ita his tribus gradibus Christus iudicium facit, quo pacto semper etiam atque etiam profundius in peccatum prolabamur, quemadmodum qui supplicio capitis afficiendus est, subinde magis atque magis morti appropinquat. Quare qui irascitur fratri, hoc est, qui animo uindictæ in fratrem mouetur, (est enim ira, motus animi, tendens ad ultionem doloris) iam Dei iudicio morti est obnoxius: peccato enim irretitus est, cuius stipendium est mors aeterna. Qui uerò perrexit & dixerit Racha, hoc est incerto aliquo signo iram euomuerit, reus erit concilio, id est grauius peccabit, unde morti & penæ propior erit. Qui autem dixerit, Fatue, hoc est in manifestum proruperit conuitium, obnoxius erit gehennæ ignis, id est iam suum habet iudicium. Et ut uno & altero uerbo dicā, Qui irascitur fratri, obnoxius est gehennæ. Qui dixerit Racha, adhuc profundius in orbem præcipitandus est. Omnium uerò profundissimè, qui & uerbis & facto cædem perpetraverit. Omnes unam penam habent & condemnationem, sed quæ eatenus subinde fit durior & grauior, quatenus peccatum creuerit, & fortius eruperit. Hæc sunt ueluti legis, Non occides, exegesis, qua Pharisaicum commentum retegitur. Aiunt non perpetratum homicidium, nisi manu aut huiusmodi re externa interueniat cædes. Dico autem uobis, 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Qui odio & animo uindictæ irascitur fratri, homicida est, etiam ubi ira animo deliberato solùm concepta esset. Legito, si uacat, quæ scripsimus in eum Ioannis locum. Obserua. Arbitror Racha esse interiectionem indignantis animi, nihil præterea significantem, ut constet gradatio ab ira animi, ad significationem uocis incognitæ, neque certum aliquid significantis. Extenditur ad omnia signa, quæ irati proximo ostendimus, ut si quis faciem seu vultum auerterit, aut in rebus dubiis proximi gestit & latatur, aut alioqui, ita se exhibet, ut ostendat uoluptati sibi fore, si male contingeret proximo, uel funditus periret. Deinde vox, Fatue, nõ tantum signa indicat, sed etiam uerba interdum & facta, quæ ex virulento & malo corde, quod proximo infensum est, proficiscuntur. Per hæc dictionem, Fatue, intelligit omnia reliqua conuitiorum, calumniarum, probrorum & imprecationum genera. Gehenna significat locum supplicij. Ge uallem significat. Vallis erat iuxta Ierusalem, quam habitabant filij Ennon. Vnde locus dictus gehenna siue gehennon, in quo Iudæi extruxerant excelsum nomine Tophet, ubi sacrificantes cremabāt suos filios & filias suas igni contra præceptum Domini. Propter quod flagitium minabatur illis Dominus per Hieremiam, uenturum tempus, quo excelsum illud non amplius uocaretur Tophet, & uallis filiorum Ennon, sed uallis occisionis & supplicij. Putant uerò dictam Tophet, à ritu sacrificantium Moloch idolo Ammonitarum, 4. Reg. 23. & Act. 7. ca. Quem Moloch uerisimile est Saturnum fuisse Iudæis, cui cum adolebantur infantes, pulsabantur tympana, ne audiretur cuiuslibet illorum, dum exurerentur. Vnde quia locus summæ abominationis erat, & sumè dum est supplicium de impiis in futuro seculo, pro loco supplicij usurpatum est. Dominus itaque, qui vulgari tum lingua usus est, Gehennam pro futuro animarum tormento usurpauit. Atque uocula ignis addita, exaggerat incredibilem uim cruciatuū, qui impios manet. Et hos cruciatus inextinguibiles Isaias ultimo capi-

Ira, quid.

Racha.

Racha.

Fatue, qui dicit, quid intel-  
ligat.

Gehenna.

Hierem. 19.

Tophet.

Moloch.

te uocat ignem inextinguibilem. Quod si aliquando Gehenna sine additione ignis ponitur, accipitur nihilominus pro hac omnium maxima & durissima afflictione, cruciatuque, qui est ab isto perpetuo uerme atque igni inextinguibili, quo cruciabuntur, quotquot non fuerint consequuti Christum propitiatorem. Significat igitur Gehenna cruciatum ignis, supremam atque durissimam Dei ultionem, incredulos & infideles manentem. Rursus aduerte: uoce, fratri suo, intelliguntur omnes homines, siue quilibet proximus. Concilium hoc loco non dicitur *ἔσλην*, quod & ipsum significat consilium, sed *συνήθειον*, id est synedrion, quod confessum iudicium significat, ut adnotauit Chrysostomus. In huiusmodi confessibus, uelut Athenis in curia Martis, grauiore causæ solent agitari. Nam in iudicio, quod interdum ab uno peragitur, multa spes est elabendi. Ad synedrion non nisi causa gravis deferretur, iamque non tam de damnando reo, quam de supplicij modo deliberatur. Obserua: in singulis subaudiendum est, si quis iratus dixerit Racha, si quis iratus dixerit fatue. Non in totum prohibet Dominus irasci. Psal. Irascimini & nolite peccare. Hic solùm prohibet iram, quæ cum charitate pugnat: non autem eā, qua iuxta præscriptum charitatis reprehenduntur, & corripuntur perditæ & deplorati homines, aut alij, quorum est spes uitæ melioris. Aequum enim est, uerbis amarulentioribus reprehendere. Sicut Baptista Matth. 3. Genimina uiperarum; &c. dicit. Paulus Galatas uocat insensatos, Christus stultos, discipulos, & tardos corde ad credendum. Et non tantum hoc licet, sed irasci quoque, & iracundo uultu & obnubilato intueri. Nam omnis talis ira, diuina est, uitiis & non personæ succensens, ut opem ferat proximo. Hæc ira non latius se extendit, quam ut peccatum & uitia puniantur. Verbi gratia. Si alter alterum uiderit peccantem, & mouerit, inhortans illum, ut respiciat. Hæc ira Christiana est & fraterna, imò paterna ira dicenda est. Non enim fit animo nocendi, sed ut submotis uitiis proximus emendetur. Magistratus licet irascitur, & facinorosos punit. Legimus Christum iratum fuisse Iudæis, Marc. 3. ac sæpè grauius quoque conuitiatum, ut quum Petro dicebat, Abi post me Satana, quod paulò plus uidebatur quam, abi post me fatue. Sed ut Petrum ob summam erga ipsum dilectionem duriusculè increpuit, ita studio paternæ gloriæ, suis nominibus appellauit Phariseos, nullo erga utrosuis malo affectu motus. Ad hunc modum pater peccanti filio, similiter & magistratus, imò & frater fratri irascitur, & conuitiatur, cum hæc ira fit ex charitate & non animo uirulento, & uindictæ cupido.

Frater.

Consilium.

Irasci non  
profus pro-  
hibitum.  
Ira, quæ pro-  
hibita.Quæ licita &  
honestæ.

Luc. 24.

Ira fraterna  
& paterna.Quibus licet  
iratos esse.Christi ira &  
cõuitia, quæ.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: Relinque ibi munus tuum ante altare: & uade prius reconciliare fratri tuo: & tunc ueniens offer munus tuum.

Longo sermone Christus agit, ut dilectionem suo loco inter suos restituat, aded ipsos desiderans alienos ab omni ira, amaròque affectu, ut quoad ipsorum fuerit, pacem cum omnibus hominibus habeant, Roma. 12. Virget suum institutum, & declarat exemplis, causas & adfectus necis, maxima esse peccata, ut qui illis sint obnoxij, prorsus inepri sint ad honorem, aut cultum aliquem Deo præstandum. Sensus uerborum est. Pius & religiosus Iudæis uidebatur, qui fratri suo male cogitans, aliquid munus ad altare deferret, cum tamen absque fraterna concordia Deo non sit acceptum sacrificium. Dico autem uobis: in primis curanda est pax & mutua concordia. Quod si, ut est humana imbecillitas, non nihil offensæ inter fratres inciderit, sepositis omnibus rebus, tam enixè studendum est, ut facciatur concordia: ut, si altari assederis, munus tuum oblaturus, atque inibi subierit tibi in mentem, quod parum cum fratre tibi conueniat, qui habet aliquid aduersum te, hoc est quem læseris, neque differas neque moreris, sed apud ipsam

Christus auo-  
cat ab ira &  
amaris affe-  
ctibus suos.



Ordo recon-  
ciliationis  
fraternæ.

aram relicto munere, pergas domum, & des operam, ut ante omnia reconcilieris, & mutua redintegretur concordia. Re confecta, & pace inita, redito ad altare, sacrificium tuum peracturus. Quod si absens fuerit, nec hunc propter loci magnam intercapedinem adire possis: tunc uade, & perge animo ad fratrem, hoc est, propone Domino, & esto eo erga fratrem animo, ut paratus sis quoque tempore reconciliari illi, & damnum refarcire. Quod si præsens fuerit, & tibi in mentem uenerit, te habere aliquid aduersus illum, hoc est, quod te læserit, uade & reconciliare illi, id est caue, ostendas te amaro aut alio quam bono & amico animo erga fratrem esse. Quod si responderis, Ego nihil commerui, redeat ille prior in gratiam, per quem nata est offensa: istud non agam. Hæc certè neque perfectio Christiana audit, neque germana charitas admittit. Nam qui iubetur inimicum diligere, non grauabitur noxam condonare, & sarcire gratiam, licet aliena culpa rescissam. Non dico (ait Augustinus) ut pergas ad reconciliationem, & ueniam postules, sed bono & spontaneo animo condonanda est noxa, & hoc mœrore subleuandus est frater, qui te sibi putabat iratum. Remitte, & remittetur tibi: dimitte, & dimittetur tibi. Quod si tecum ille conuenire recusat, quod ad te attinet fecisti, condonare es paratus, imò uerè condonas, abeat ille suo certè malo, & incommodo, cui tamen condolendum: tuum interim gratum erit obsequium, & acceptum munus, ad altare Deo oblatum. Oderis uitium, nō personam, non fratrem, quem lucrari curabis. Ad fratrem pergito, non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem feruenti charitate cucurreris, in conspectu eius, cui munus oblaturus es. Hæc indicant, quàm gratum sit Deo sacrificium concordia fratrum, ac consensus hominum. Et quantum utrisque incommodetur, ac periculi imminet ex rescissa cōcordia. Nimirum offensa dilata gignunt odium, ex odio gignitur homicidium. Omnia refarcit charitas, sine qua nihil Deo acceptum. Verum enim quid agendum, si aduersarius læsus nolit ullā in eundem reconciliationis admittere conditionem, quanuis maturè, cupidè ac diligenter rogatus? Neque enim rarè inueniuntur tales, qui quouis saxo duriores, ac bestis inhumaniores, quanuis diligenter requisitam reconciliationem profusus negent. Hoc habe, quod si reconciliationem cum aduersario uerè & ex animo fraternæ cōcordiæ cupido, ita quæris, ut simul omnem dissidij causam & materiam, quoad eius fieri poterit, amputes ac tollas: ille uerò omnino conceptum cordis odium, simultatem ac maleuolentiam retinere statuerit, ut nullo pacto emolliri studeat. Non poteris aliud in hac causa facere, quàm ut de pertinacia fratris doleas, Dominum pro eo preceris, & interea quancunq; occasionem flectendi illius animi, obiter aut quomodocunq; oblatam sequaris, certus, si hoc facias, te iam coram Christo Domino abundè excusatum: & aduersarium, nisi conuersus reconciliationem acceptet, eidem fore iudicio obnoxium, quod in malum illum seruum latum est, qui fratri petenti, centum denarios remittere uolebat, cum ipsi ab hero suo, 10000. talentorum remissa essent, infra cap. 18. Porro aduersus hoc mandatum mirum quàm peccetur hodie, in primis apud sublimes, prudentes huius seculi, potentes, & quorum opes sunt in excelso, qui tamen huic uitio profusus sint immergi, tamen hoc nomine notari non sustinent. Nolunt enim culpā agnoscere, noxam sine uindicta condonare non nouerunt, occulta excandescunt, odio, inuidia infecti sunt, & in illis ita contabescunt, ut nunquam etiam hoc occultum pus animi sentiant, sed manent in factitia illa conscientia, dicentes se officij & tuendæ iustitiæ gratia scilicet, quod faciunt, facere. Atque hoc pallio sibi præstringunt oculos, proximo insensu. Interim altare adeunt munus offerendi gratia, existimantes se apud Deum magnam inire gratiam, quod nitore quodam externo & specie cuiusdam fucatæ sanctitatis conspicui, mundo appareant: quum tamen & se & alios decipiant, non sentientes, quanto cum factore Domino ado-

Perfectio &  
charitas Chri-  
stiana tollit  
omnes mor-  
ras, & omnia  
tētat agiturque,  
ut fratrem ha-  
beat pacatū.

Quid agen-  
dum homini  
tranquillo, si  
in præfractū,  
& ira tenacè  
inciderit.

Simultas in-  
uicta & odiū  
implacabile  
hodie planè  
apud optima-  
tes triūphat.

leant, nimirum corde tumido & superbo. Non attenti sunt uerbo Domini, Osee 6. cap. Quia misericordiam uolui & non sacrificium: & scientiam Dei plusquam holocaustum. Obserua. Ex hoc præcepto colligamus: Satisfactio fratri debita ( si commodè fieri potest) sacram communionem (quæ noui testamenti munus est) præcedere debet. Aduerte. Cùm templum Dei sanctum simus, 2. Corinth. 6. & in interiore homine Christus habitet per fidem uiuam in cordibus nostris, Ephes. 3. debemus offerre rationalem cultum, id est corpora nostra mortificata. Mortificatio enim uerbo hostiæ significatur. Non enim hostia, nisi cæsa: ita nos hostiæ non sumus, nisi mortificati. Vbi autem est mortificatio carnis, ibi est uiuificatio spiritus, id est uita, Roma. 8. cap. Neque demum silentio prætereudum est, quod Christus nomine fratris in hac exhortatione utitur: habet enim in hoc momentū aliquod ad suadendam concordiam, quod scædum utique sit, cum fratre non posse gratiam uel retinere, uel scissam refarcire. Obserua particulam ergo, quæ est illatua ex præmissa legis expositione, quasi dicat Dominus: Cùm ergo ea sit diuina legis mens, & iustitiæ illius perfectio, nemo putet se Deo placere posse, si iniurius fuerit fratri, & fraternæ charitatis uiolator & contemptor. Obserua, hunc locum esse ueluti occupationem, qua interroganti, si quid rancoris & dissidij inter fratres oriatur, quid faciendum sit, respondet. Habetque hæc occupatio duo membra, alterum, quo comprehendit doctrinam, quæ significat, non placere Deo oblationem eius, qui charitatem fraternam læserit. Alterum continet adhortationem, in eo quod dicit uade, &c.

Eucharistia,  
noui testamē-  
ti munus.  
Mortificatio  
hostia est.

Fratris nomē  
paci omēti.

Ergo.

**Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici: & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, nō exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.**

Hactenus docuit, quomodo se gerere debeat, qui proximum affecit iniuria, & ad iram inflammauit. Nunc autem explicat quidnam agendum sit ei, qui iniuria læsus & affectus fuerit, adducens exemplum allegoria inuolutum, quod non solum sit epilogus superiorum, sed mandatum peculiariter pertinens, & ad reparandam gratiam cum fratre, & ad iudicia. Allegoria quidem & exemplū est hæc sententia. Si creditor in ius te uocasset, iamque cum illo ires ad iudicem, quid quaeso consultius agere posses, quàm rem mox cum aduersario tuo componere? Non mediocre lucrum feceris habita pace animi, quam puta. uel uniueris facultatibus emptam, paruo emptam esse. Ex amicitia proximi magnas tibi paras diuitias, tempus redimis, controuersis insumendum. Seruiendum erat aduocatis & notariis, sursum ac deorsum assiduè cursitandum, ambiendus fauor iudicum, multa & faciendæ & ferendæ te indigna. Vide, quàm non aspernandum lucrum feceris celeritate finiendæ litis, dum in uia properans, cum aduersario tuo rem componis uel æquis uel iniquis ex parte aduersarij conditionibus: & quantumuis magno tuo cūdamno cum illo transigeris, tamen lucrum feceris non poenitendum, quum iudiciorum interim incertus sit exitus. Neque enim semper superior discedit, cui causa melior. Aduersarius igitur offensus non grauatè se placandum præbeat, sed libenter ignoscat. Proinde si iudicium experiri uelles, quod multiplici litigatione & inuolucro laruat, & forsitan inexplicabile fiet, caue ne fortassis à causa excidas, & in carcerem mittaris. Aut si tu, qui læsisti, iudicium expectaueris, quando debitum inficiari non potes, quid expectes aliud, quàm ut pro officio suo iudex te tradat ministro publico, per quem ducaris in carcerem? In quem si semel coniectus fueris, non liberaberis, donec ad assen, uniuerfam resoluas summam, quam petebat aduersarius. Hactenus exemplum cum allegoria. *ἀντι μὲν οὖν* uerò, id est redditio siue res exempli (quam significare maluit Christus, quàm dicere) sic ha-

Pax omni  
pretio supe-  
rior & me-  
lior.

Qui pacem  
quanuis ini-  
quis legibus  
redimit, ma-  
ximum sibi  
lucrum pa-  
rat.

Iudiciorum  
alea incerta.



bet. Si quem iniuriosè offendisti, illius debitor es, da igitur operam ut facta concordia cum læso, amicè redeas in gratiam, priusquam iudici Deo, qui uindex horum est, tradaris: & eò diligentiore, atque maturiore da operam, ut illum tibi reconcilies, quò magis horrendum est incidere in iudicium Dei, quod profectò tibi intolerabile erit, & à quo tunc in iudicio non erit speranda uenia. Vnde uerbum hoc, citò dum es in uia, urget ad faciendā concordia. Nam dum tempus reconciliationis habetur, non est negligendum, nisi uelimus illo cōtempo in tempus incidere iudicij. In regno Dei si quidem diuersa est temporum ratio: dum enim hic uiuitur, possumus cum fratribus & cum Deo redire in gratiam. Post hanc uerò uitam, nihil expectandum est aliud, quàm tempus iudicij. Rursus aduerte. Terrenus iudex falli & corrumpi potest, personam nonnunquam accipit, & ut ut puniat, tēporaliter duntaxat punit. At cœlestis iudex neque falli neque muneribus corrumpi potest, nullius personam accipit, æternam infligit pœnā. Rursus Christus hic monet, & indicat in hoc præcepto, non solum prohibitum esse irasci, sed mandatum quoque esse, ut libenter ignoscamus, & acceptarum iniuriarū obliuiscamur. Sicut Deus nobiscum fecit, & adhuc facit quotidie, ita delictis nostris ignoscens, ut prorsus eradat etiam, in perpetuum nunquam recordaturus. Non quod peccatum tibi sit, si iniuria in mentem uenerit, hoc enim naturale est: sed ita obliuisci debes, ut æquè suauis & amico corde & animo in proximum effusus sis, sicut antequam ullam iniuriam tibi intulisset. Manente enim odio & rancore in animo, nec potes illum tanto amore quanto prius complecti, tum etiam iniuriarum nondum oblitus diceris, neque ex animo ignouisse: sed priorem nebulonem & hypocritam te esse constat. Ad altare quidem uenis, & Deo munus uis offerre, sed interim cor habes ira, odio, & inuidentiā refertissimum. Perpaucos hæc sollicitudo tenet: atque ferè omnes hac larua decepti sunt, nihil curantes, quomodo, quòque animo & corde se erga hoc præceptum gerant. Obserua: aduersarius dicitur Græcis *ἀντίδικος*, significās eum, qui in iudicio aduersatur, quem nostri subinde accusatorem uocant, qui iudicio reum conuenit. Non igitur aduersarium simpliciter sonat, sed aduersarium causæ siue litis. Siquidem actorem sentit, qui reum facit, & in iustrahit. Præterea, quod interpret *ἀντίδικος* hic uertit ministro, nonnunquam carnificem transtulit, aliās exactorem. Est autem is, qui exequitur iudicis sententiam. Aduerre: quod de solutione quadrantis additur, ad parabolam debiti attinet, quod cum sit summum ius, uel, ut uocant, rigidum & exactum, significat nobis quoque Deum in extremo iudicio, nihil remissurum, quod cum ille fecerit, actum est de nobis, neque ulla tum expectanda est redemptio. Vnde hac uoce, donec reddas nouissimum quadrantem, significatur pœna æterna, ut autor est Augustinus, & donec soluas, positum est quomodo ubi dicitur, Sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum, id est perpetuò sedearis. Non enim desinent esse inimici sub pedibus Christi. Et cum positi fuerint inimici sub pedibus, nō desinet sedere Dominus. Et. 1. Corinth. 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis, hoc est semper regnabit. Ita &, non exies, donec soluas nouissimum quadrantem, ostenditur, quòd nunquam sis exiturus. Quia (ut ait Augustinus) semper ille soluit nouissimum quadrantē, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Quadrans est nummulus, quarta pars assis, quam à tribus uncis Plinius triuncium uocat. Budæus eundem esse putat, qui Ciceroni dicitur teruncius. Atque eum nummum uulgò, ceu minutum, cōtemptui fuisse prouerbio quoque testatum est, Ne teruncium quidem insumpsit.

Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis.

Huc modium salis Christus adfert, contra Pharisaorum doctrinam duas res pertractans. Primò adulterium, Secundò diuortium. Primo loco, sextum præceptum

de adulterio, quod perinde atque quintum de homicidio perperam interpretabatur, suo notori & sensui restituit. Docebant illi nihil amplius esse prohibitum, modò adulterium factò non committeretur, nec quidquam aliud illud præceptum requirere, quàm ne quis cum alterius uxore congregaretur. Neque peccati loco censabant, malis amoris & concupiscentiæ flammis intus erga uxorem proximi incendi: & externè obscuris uerbis & impudicis gestibus cordis impuritatem indicare. Hoc non est præceptum Dei docere, sed in totum peruertere, nec homines bonos & iustos, sed deteriores facere, tum etiam copiam & licentiam omnis turpitudinis, nequitiae & impudiciæ exercendæ præstare. Proinde hoc præcepto sancitur & confirmatur legitimum coniugium, quia hac lege munitur, quæ & consuetudinem conjugalem approbat, & contra damnat omnem concubitū siue carnis congressum extra legitimum coniugium, ac secus facientibus minatur pœnas in hac uita, & æternos cruciatus post hanc uitam. Hebr. 13. cap. Honorabile concubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Ephes. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei: propter hoc enim uenit ira Dei super filios diffidentie, id est super inobediētes. Quòd si apud homines inulta manent adulteria, non tamen apud Deum, sicut exempla omnium atatum docent. Quædam Deus scribi uoluit, ut de regula nos admonerent, Deum uerè irasci omnibus adulterio & libidine pollutis: & uel duriter castigare resipiscentes, ut Dauid castigatus est, uel prorsus delere non resipiscentes, ut deleta est Pentapolis. Nec solum illa combusta est, uerum etiam multis aliis exitio fuisse uariæ libidines omnis generis, ut Thebis, Athenis, Sparta. Similiter nō tantum Troia propter adulterium deleta est, sed plurimi reges tragicis casibus interierunt, propter libidines, ut Aegistus, Clytemnestra, Macedonici reges fere omnes, Philippus, Alexander, Demetrius, Ptolemæi, Cæsares plurimi. Frequenter magnis bellis uexata atque euersa sunt regna propter hanc causam, ut ferè tota tribus Benjamin delata est, propter stupratam uxorem Leuitæ. Hæc exempla inueamur, & nos excitemus ad obediendum huic præcepto, ac illicitis flammis repugnemus, fide, sobrietate, oratione & uigiliis. Præcipua autem huius morbi medela est, temperantia, sine qua ueri pudicitiam nemo potest.

Ego autem dico uobis, quia omnis, qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

Res & negotium (ait Christus) uobis erit cum his, qui committendi adulterij causam corroborant, qui tantam sibi licentiam fecerunt atque eò nequitiae uenerunt, ut cor illis omni libidinis & concupiscentiæ ardore æstuet, demum arcana libido signis, uerbis, & gestibus infamibus & obscœnis omnifariam erumpat. Docet illi, & ita uulgò inter Iudæos receptum est, ut sanctus & integer habeatur quisquis sua uxore contentus, abstinet ab aliena, & neque adulter sit neque hoc mādatum, Non mœchaberis, transgrediatur, nisi re ipsa congregiatur cum uxore proximi. Hastenus illi ita docuerunt. Quantum ad me attinet, & ad legem Euangelicam, quam ego defero, non solum is mœchatur, siue adulterium committit, qui coniugē alterius stupro uiolat, & corpus corpore cōplectitur, uerum etiā quisquis alterius uxorem aspexerit ad concupiscendum eam, siue oculis impudicis intuitus fuerit. Iam enim adulterium cum ea commisit in corde suo. Et quemadmodum irasci proximo, & corde inimicari, peccatum est: ita & uxorem proximi, cogitationibus concupiscere, aut oculis, nutibus & signis amatoriis sollicitare, peccatum est. Vnde quod in homicidio est irasci, hoc in adulterio est cōcupiscere: quod illic est dicere Racha, hoc hic est oculos lenociniis pascere. Et quod illic est Fatue, hoc hic est animum alienę coniugis illecebris & impudicitia de stupro appellare,

Præceptū de adulterio quò modo interpretabantur Pharisei.

Leges & præcepta in matrimonio.

Adulteria in uita hominibus uelicitur Deus.

Qualis Dominus erga adulteros & libidinosos. Ex libidine quantum mortuorum moribus.

Abstinencia præcipuum aduersus uenerem anti-dotum.



Conspicuo  
rem specio  
farum nō cō  
tinuō nefaria

Omnis illicitus  
usus uene  
ris à Domi  
no prohibet.

Vrit uidendo  
fœmina.

Ortus & in  
crementum  
peccati.  
Concupiscen  
tia.

Suggestio  
nes Satanae.  
Illecebrę mū  
di.

Vitium omniū  
sensuum ut  
uelocissimū,  
ita pernicio  
sissimum.

Delectatio.

Consensus.

Occasiones

Peccatum.

Pœnitudo.

Oculorū pe  
tulantiā co  
hibendam ef  
se, docetur ex  
emplis.

Dina.

Libidinis spe  
cies.

Fornicatio.

Meretriciū.

Stuprum.

Raptus.

Adulterium.

Incestus.

Sacrilegium.

Cōfortes pec  
cati, qui.

& cum ea congredi. Obserua. Non dixit simpliciter, qui uiderit uxorem proximi. Nam licet proculdubio pulcherrimā uxorem uidere, & illa pulchritudine oblectari, non secus atque pulchritudine floris, prati, aut hortorum, qua Deus commendatur, ceu in creaturis suis. Sed additum est, ad concupiscendum eam, deinde mulierem dixit, siue uiro coniunctam, siue ab eo solutam, siue virginē. Certè hoc præcepto Deus prohibet quemlibet illicitū usum ueneris. Verbum enim Hebraicum, quo hic Moses usus est, ut autor est Aben Eisdra, ad quemlibet illicitum usum ueneris significandum usurpatur. Nota uocem, in corde suo. Quasi dicat, etiam si factis hominibus non innotescat, concupiscentia est, quæ hic pro pleno & deliberato consensu accipitur. Nam difficile est uisus non tangi. Quare si suggeritur sensuum tuorum cuiuspiam concupiscentia, & cœperis titillari, caue consensum præstes, sed reprime, & aduersus hanc carnem, tam cruentam bestiam, spiritu & oratione præliare. Docemur hic, quomodo nascatur & gliscat peccatum. Primò ex nobis oritur concupiscentia rei uetite per legem Dei. Malum enim concupiscentiæ in corde est, ex quo adulteria & huiusmodi nascuntur ait Christus. Concupiscentiam incendunt suggestiones diaboli, & obiecta mundi, ac illecebræ incurunt per sensus externos, & uirus illud malum, in intimis uisceribus hærens, irritant. Ut sunt auditus, tactus, & uisus. Sensuū autem omnium uelocissimus ac pestilentissimus est uisus, ut dixerit Sapiens Ecclesiastici, 31. cap. Nequius oculo quid creatum est? per hunc obiecta species cordi penitus insculpitur, & concupiscentiæ libidini amplectenda traditur. Has illecebras nisi restringamus, excludamus, calcemusque, exoritur delectatio in concupiscentia praua: delectatio impellit ad consensum: consensus iubet quærere occasiones operis quoque perpetradi, quo perficitur completurque peccatū, quod protinus sequitur nausea, pœnitudo, horror, & animi atrox tormentum. Proinde magno timore Dei & diligenti cautione custodienda est oculorum procacitas, ac temeritas, ne laqueis illorum irretiti, concupiscentiæ tyrānidi subiiciamur. Quam enim periculosum sit, oculis cautionis adimere frenum, & liberum permittere excursum, præter quotidianam nostris seculi experientiam, etiam aliquot scripturæ exemplis declaratur, Genes. 6. Viderunt filij potentum filias hominum, quod essent pulchre, & acceperunt sibi ex illis, quascunque lubebat. Genes. 34. Dina egreditur incautius ad uidendū mulieres regionis illius, uidetur, cōcupiscitur, rapitur, opprimitur. Hoc nō ideo dicitur, quod uel oculis uel formæ muliebri quicquā peruersi naturaliter insit. Absit. Bonæ sunt Dei creaturæ, in quibus sapientia ac prouidentia creatoris etiam cum fructu considerari queant. Vitium non est in obiectis, neque in uidendi organis, sed in cordibus nostris concupiscentibus. Operationum hoc præcepto prohibitarum multæ ponuntur differentiæ. Fornicatio simplex, soluti cum soluta: à qua distinguunt alij meretricium, quod illa sit, cum una consuetudo muliere, hoc autem in multis vagus ardor libidinis. Stuprum, quod est uiolatio virginis. Raptus, cum rapitur filia uel filius, in quo & furtum simul est, & maximum furtum. Adulterium, quod quandoque est simplex, quandoque duplex, secundum quod uel ambo fuerint coniugati, uel unus tantummodo. Incestus, est contra consanguinitatis honorem. Sacrilegium, quod est, cum religiosus, sacerdos, monialis, & quicumque Deo continentiam uouerunt, fornicantur. Sunt & aliæ species innotinatæ, propter quas descendit ira Dei de caelo. Superioribus connectuntur non solum qui faciunt, sed etiam qui fouent, auxiliantur, consulunt, non resistunt, cum resistere debent ac possunt, rident, copulant, mediant, ac maximè, qui dant occasionem. His enim dicitur, Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuā ponebas: hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum,  
& proiice abs te.

Elegans est hæc occupatio, cum singulari metaphora à charissimis membris petita. Respondebatur quispian: Si adulterij tenetur, qui solum uiderint uxorem proximi ad concupiscendum, profectò & quolibet adulterij reos perages. Nam citius, quàm quis animaduertat, in amorem & concupiscentiam mulieris animus rapitur, ut & concupiscat uidendo, & concupiscendo uideat. Certè caro sumus, & caro non nisi carnem gignit. Deinde obiici potest, hoc responsum Christi rigore plenum esse: imperat enim oculum eruere, & manus amputare, si nobis fuerint obstaculo. Ergo par est & conuenit ut faciamus nos luxatos & carcos. Et ad hunc modum quisque sibi mortem debet consciscere, & homicida sui fieri. Nam si omnia membra, quibus offendimus, nobis abiicienda forent, omnium potissimum cor nobis euellendum foret, quod ab eo procedunt mala omnia. Sed quid hoc aliud esset, quàm totam naturam, & Dei creaturam perdere? Respondeo. Neque hic, neque in toto hoc capite de ratione magistratus instituendi, & gladij usu agitur, sed quo pacto cor & conscientia coram Deo instituenda sint. De statu item spiritali, & uita, & iis, quæ ad eam pertinent, cuiusmodi sunt, seipsum abnegare, animam suam odisse, omnibus renuntiare. Eo in statu nequaquam externè in corpore coram mundo, sed intus in corde coram Deo oculi, & manus abiiciuntur. Nam quisquis se abnegat, rebus omnibus mundi & carnis æternum uale dicit. Verborum itaque Domini sensus est, Fuge omnem mali & peccati occasionem: & quod te propensior ad hoc malum deprehēderis, tantò diligentius animū tuum ab illo serua. Idque facito, ut inoffenso pede in uia Domini pergas, hoc est, ut citra peccati impactiōnem, nedum casum, iuxta uerbum Domini uiuendo, & innocentiam ac proximi dilectionem tuendo, perseueres. Exemplum sumamus, quod discamus oculum eruere. Si senseris mulierem à te cum aliqua concupiscentia uisam, tum cunctandum non est, sed protinus eniti & diligenter studere debes, cum oculum aut spectaculum eruere (ut pote quod Dei præcepto aduersum est) nō quidem corporis oculum, sed animi, ex quo ardor & concupiscentia capiunt originē, tum rectè eruisi oculum. Nam euulsa mala radice, id est concupiscentia è corde remota, neque oculus peccabit, neque tibi erit offendiculo. Ita quoque iisdem oculis corporeis eandem mulierem inspicias, sed citra defyderium, & perinde animatus, quasi non uidisses. Tūc enim amplius præstò non est oculus, de quo Christus loquitur, qui prius aderat. Et oculus ardoris dicitur seu concupiscentiæ, qui eruedus est, dum corpori interim suus oculus illæsus manet. Membra enim huiusmodi obstaculo ad pietatem ex se non sunt, sed ipsorum abusus iuxta malum animū. Probabile & uerisimile est, Christum hisce uerbis, Si oculus tuus, pes, aut manus te scandalizat, &c. etiam aliàs sæpenuerò usum fuisse. Nam & pæssim in Euangelio ad alias quoque res citantur: ita ut prouerbij loco habeantur, & tanquam per communem comparationem ad omnia peccata trahantur scilicet ne carni & illecebræ ad peccandum prouocantibus, obsequeremur. Hic tamen singulari uitiō nimirum adulterio oculum applicuit, dum iubet eruere oculum, mala concupiscentia offendere nos uolentem. Et quemadmodum ferè semper adulterij causa ex uidendo nascitur, & per oculos in cor penetrat, ubi delinimentis & illecebris non repugnatur: ita infra. 18. eadem uerba ad alia transfert & exponit, ubi oculum offensibilem, aut manum, prædicatorem, aut doctorem, aut etiam dominum & tyrannum uocat, à recta ueritate & doctrina te seducere uolentem: & hunc te eruere atque abiicere iubet, ut ueluti prouerbialiter dicatur, Es quidem mihi oculus aut manus, magister aut dominus, sed si à ueritate uita fallā doctrina aut re quapiam alia me abducere uelis, tum uelim intelligas me non tibi obtemperatu-

Si, quæ nobis  
nocent, mem  
bra tollantur,  
primū tollat  
tur cor.

Spiritualiter  
oculus, ma  
nus, &c. abiici  
untur.

Oculus no  
xius quomo  
do eruedus.

Animus ma  
lus malū me  
bris intret.

Nominib⁹ o  
culus, pes, ma  
nus uerè u  
tuntur Christ⁹.



rum. Hic animus, quo recusas male monenti obtemperare, oculi euulsio dicitur. *κἀνδελον* Obserua: *σκαι' δελον*, id est offendiculū uel obstaculū, est, quicquid nos remoratur uel impingere aut cadere facit in uia Domini, hoc est, uita Deo digna, nempe in fide & dilectione seu charitate, in quibus Christiano est semper grauissimè pergrèdum, ut cum Paulo ad Philippenf. 3. cap. oblitus eorum, quæ à tergo sunt, ad ea, quæ à fronte sunt, enitens, iuxta præfixum signum insequatur, ad palmam supernæ uocationis Dei, per Christum Iesum. Alibi in Ioannem fusius scripsimus de scandalo tum passiuo, tum actiuo, hoc est Pharisæico.

**Expedi enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.**

Argumento ab utili suis animos addit, ne cum audiunt eruèdum oculum, perterrescant, & à bono opere & sancto instituto reuocentur. Properandum, inquit, uobis est (ne pereatis) ad Euangelicæ perfectionis fastigium. Vobis igitur peregrinantibus, & eò ascendētibz, quicquid (etiam si oculus dexter, aut pes, aut manus, aut quidpiã charius fuerit) obstiterit, refecate & abiicite, nihilque cūctamini, quin protinus illud auferatis, quantumuis dulce, quantumuis amabile esse uideatur, quantumlibet etiam incommodi temporarij, aut doloris tibi allaturus puteris. Maximum profectò lucrum est cuiusuis rei fluxibilis & temporaria iactura, margaritum Euangelicæ charitatis consequi. Proinde quum has res, sæculi etiam diuitias, aut alia quæque mundi preciosa, ad uitam properantes, amittimus, cogitandum est, non quantum res illæ sint charæ, sed quantum nos à re preciosiore remorentur. Quare nihil cunctantes, quicquid obstaculo fuerit (etiam si oculus fuerit) eruemus, & omnes res, ut ut preciosas abiiciemus, ut his abiectis, quò cœpimus, properemus. Cum enim de capite tuo agitur & periclitaris, sani hominis est, iactura unius oculi, salutem totius reliqui corporis redimere. Luscius quidem uiues, sed quid tum postea? An nõ optabilius est te luscum uiuere, quàm te interimi neutro oculorum effosso? Præstat igitur rerum omnium sæculi, quàm pietatis & ueræ ac Christianæ uitæ iacturam facere. Obserua: hic absolurè scribitur gehenna, sed ex his quæ paulò antè scripsimus facillè est intelligere, Dominum loqui de gehenna ignis, id est cruciatu ignis.

**Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te. Expedi enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.**

Argumento ab utilitate conseruandi uniuersi expedit priorem sententiam. Si quid tibi in Euangelica uia obambulant, fuerit offendiculo, etiam si tibi tam charum & necessariū esset, atque manus dextera, id tamen refecato & abiicito. Quid enim esse potest, quo non præstabilius fuerit carere, & uitam consequi æternam, quàm dum id retinetur, in gehennam conici? Non iubet mutilam manum reddas, aut illam abscindas, ex se enim manus non est puriori uitæ obstaculo: sed quæ multò magis abscindenda ueniunt, sunt, improbus conuictus, cultus effeminatior, uerba parum pudica, illices oculi, uagus uisus, aut quæcunque alia, quæ tibi offendiculo esse senseris. Id quod in conseruandæ uitæ cupidis uidemus, quæ admodum etiam dispendio unius membri, si aliter fieri non possit, uitam redimant. Hoc & in brutis natura comparatum est, ut uitæ periclitanti cõsulant. Meminit Solinus, cap. 30. de Elephantis, quòd cum uenatu premuntur, utrosque dentes pariter confringant, ut ebore donato uenatores domum remittant. Sentiunt enim hos dentes causam sibi periculi esse: idem scribit de Castore, cap. 23. quòd se ipsum castret, sciens sibi ex ea corporis parte impendere mortem. Quòd si tanto studio uita corporis retinetur, quanto maiore retinenda est animæ salus ac uita?

Hoc si

Hoc si probant homines, ut innatam corpori manum abscindi patiamur, potius quàm reliquum corpus igne absumatur: quantò magis id facere enitendum est, quoties animus simul & corpus in discrimen adducitur? Hoc ipsum etiam ethnicus Poëta docuit, dicens:

*Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem,  
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.*

*Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?*

*At pretium pars hæc, corpore minus habet.*

Quid de remed. am.

Hæc quidem docendi gratia per similitudinem dicta sunt. Neque consulit Dominus, ut quispiam sibi ipsi membum aliquod corporis amputet, sed animi, qui membra sua, id est, affectus habet: quosdam quidem suapte natura malos, & qui ducunt ad impietatem, quòd genus sunt ira, odium, liuor, appetentia rei alienæ: hi ubi primùm pullulare cœperint, ocissimè excindendi sunt: facilius enim & tutius hoc modo, nascens malum amputatur, & his amputatis non solum non est mutilus animus, sed etiam absolutior redditur. Sunt & alia membra siue affectus animi, qui per se mali non sunt, cuiusmodi sunt amor patriæ, affectus in uxorem, liberos ac parentes: hæc membra, si pietati & tibi ad Euangelicam perfectionem properanti subseruierint, non est cur amputes, & rescindas. Nam doctrina Christi cum naturalibus affectibus non pugnat, quos purificat, & naturam suo nitore ac puritati restituit. Quòd si parentum aut aliorum affectus te à pietatis studio, per occasionem reuocet, & ad mundi amorem reducat, mox membrum illud, hoc est noxium illum affectum amputato. hoc dum facis, non lædis cor, cui mederis amputando noxias cogitationes. Ad hæc, quemadmodum qui alienam uxorem iam aspicere cœpit casto affectu, quo matrem aut sororem aspicit, rectè effodisse oculum noxium dicitur, ut succederet simplex & castus: Ita qui manu, qua furabatur, & alios spoliabat, iam laborat, ut suæ & proximi inopiæ subueniat, dicitur rectè ac bene amputasse rapacem manum, ut succederet benefica. Ex superioribus colligimus, malorum cõsuetudinem dimittendam: deinde, nudam cogitationem citra cordis consensum non esse peccatum. Fieri enim uix potest, ut lacepsitus iniuria, aut offensus, nullam protinus sentiat perturbationem, & cor feruere, & uindictæ cupiditate æstuarè non incipiat. Sed hoc nondum damnable est, modò non obfirmato animo concludat, deliberatūque habeat, damnum uicissim dare, sed eiusmodi prouocationi resistat adiutore spiritu, qui semper carni & sanguini reluctatur. Huc pertinet, quod beatus Augustinus ait, motus sensualitatis, non esse in potestate nostra: cui si animo certo, & (ut dicunt) de liberato, consentimus, peccamus. Nec est in potestate nostra quin uisus tãgamur: sed in potestate nostra est, uisa respucere, uel acceptare. Obserua. Quemadmodum in conseruanda corporis salute duo sunt extrema, quorum alterum auidissimè retinetur, nimirum uita, & alterum extremè fugitur, nempe mors: Ita in uera & perpetua animæ pariter & corporis salute tuenda, duo sunt extrema: quorum alterum cupidissimè speratur, & expectatur, æterna uidelicet uita: & alterum ex animo fugitur, nempe gehenna.

**Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudij.**

Christus supinam Iudæorum oscitantiam, qua male interpretati sunt hoc præceptum de diuortio faciundo, paucis manifestat. Dictum est (inquit) quasi dicat, Ita memoriæ proditum est, Deut. 24. Si acceperit homo uxorem, & non inuenierit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Additur & illud: Cumque egressa alterum maritū duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum

f

Etiam bruta animantia unius membri damno uitæ suæ cõsulunt

Animo membra insit sua.

Quæ membra, id est, quæ affectus sunt animi amputandi.

Motus sensualitatis nõ est potestatis nostre.



Legum Mo-  
saicarum ma-  
nifestus abu-  
sus apud Iu-  
dæos.

repudij, & dimiserit de domo sua, uel certè mortuus fuerit, non poterit prior ma-  
ritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est. Hoc præ-  
ceptum citò perdidit Iudæi, & strenuè illo abusi sunt. Nam qui pristini matri-  
monij pertæsus & satur, suæ uxori stomachabatur, & alterius cupiditate teneba-  
tur, priorem abdicare, & aliam ambire poterat, quæ ipsi magis cordi erat. Quæ ta-  
meti cum alio matrimonium contraxisset, magna tamen astutia illam à postero  
re marito extorquere nouerat, quem cogebat illam dimittere, neque tamen ulla ui  
extorta dicebatur. Et ut in summa dicam, eò licentiæ ac libertatis rem deduxerāt,  
ut citra omnem metum & conscientiam, & pro animi libidine matrimonium uel  
contraherent uel dirimerent. Eam ob rem Christus arguit illorum malitiam, &  
abusum permissi diuortij, ad instruendum conscientias, ne hac in re æquitatis li-  
mites transgrediantur, & nimis latè euagentur contra hoc præceptum delinquen-  
tes: conatūque reducere Iudæos ad primam institutionem matrimonij, in qua  
Deus uult ut duo sint in carne una, & maneat. Paucis quidem hæc hoc loco per-  
stringens, susius infra. 19. cap. explicabit. Quare neque nos amplius calamo euaga-  
bimur, quàm ut uideamus, quæ apud Iudæos hac in re fuerit licentiæ, & quomodo  
uiuendū sit iis, qui matrimonio iuncti sunt, & Christiani perhiberi uolunt. Nam  
qui Christiani non sunt, nihil ad nos pertinent, quippe qui Euangelio non regan-  
tur. Obserua. Græcis legitur *ἡ νόμος*. quasi dicas diuotionale, hoc est libellū di-  
uortij, in quo uir uxore dimittens, scribebat, Res tuas tibi habeto, Res tuas agito.

Libellus di-  
uortij quid  
continebat.

Ego autem dico uobis, Quia omnis, qui dimiserit uxorem  
suam, excepta causa fornicationis, eam mœcham facit.

Diuortij ec-  
quando licen-  
tiam Christi-  
anis.

Diuortium  
quare Iudæis  
permissum.

Abundat sanè iustitia Euangelij supra iustitiam Phariseorum, quorum Chri-  
stus hac in re leuitatem reprehendit: atque id non tantū, sed docet etiam diuortij  
prorsus non faciendum esse, aut si factum fuerit, utraque pars in cœlibatu perman-  
neat, concludens diuortium semper adulterij causam esse. Natura ipsa diuortij,  
ut scdum & iniquum, habet: quod & mens uel paulò honestior detestatur. Quod  
tamen si lex Moisaica concesserit, tamē permittit ob duritiā cordis Iudæorū. Non q̄  
bellè actū sit, sed quòd ipsi mali & distorti essent homines, quòdque satius esset ita  
permitti, q̄ aliquid deterius fieri aut perpetrari, ueluti homicidiū, aut aliquid eo  
sceleratius. Hæc permissio fuit quædam tolerantia. Tolerauit enim Moses minus  
malū fieri, ne maius & grauius cōmitteretur: quæ permissio permittenti nō fuit pec-  
catum, eò q̄ maiori & grauiori malo resisteret. Ego emphaticū habet: quasi dicat,  
Ego, qui ueni uobis annūtiare æternam ac ueram Dei uoluntatē. Dico uobis, em-  
phaticè dixit, scilicet Christianis, explanans legem & nucleum eius ac germanum  
sensum pronuntians. Quòd omnis, qui dimiserit uxorem, hoc est abs se, & con-  
suetudine domestica, & maritali thoro ablegauerit, facit illam mœcham, id est fa-  
cit illam adulterium committere, si alteri nupsit. Nam alioqui non adulterare-  
tur, si sine uiri conuersatione permaneret. Excepta fornicationis causa. Quasi di-  
cat, Non dimittat, hoc est, non à consuetudine maritali eiiciat, nisi propter stuprū  
seu adulterium. Sed licet ne uiro, hac dimissa, aliam accipere in uxore? Respon-  
det sequens sententia:

Et qui dimissam duxerit, adulterat.

Adulterij cō-  
mittit, qui uel  
quæ, uiuente  
cui nupsit, cō-  
greditur al-  
teri.

Hac appendice manifestat Christus, neque uiro ius fieri aliā accipiendi, neque  
repudiatæ, cum altero nubendi. Nam si adulterium committit, repudiatam acci-  
piens, & adulterium dicitur alienæ uxoris congressus, & cognitio: hæc repudiata  
non alium habet uirum à repudiante: iamque lex uxorū pluralitatem non reci-  
pit: vterque igitur adulteratur alteri adhærens. Sola mors matrimonium scindit  
& segregat, & alteram partem à iugo liberat. Roma. 7. Nam, quæ sub uiro est,  
mulier, uiuente uiro alligata est legi: si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est

à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro. Si autem  
mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut non sit adultera si fuerit cum alio  
uiro. En uides Paulum dixisse, mortem esse matrimonij terminum, quam regulā  
Paulus, præceptum Domini sequutus, obseruandam docuit, 1. Cor. 7. His autem  
qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non  
discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Et uir  
uxorem non dimittat, quo ad consuetudinem maritalem seu (ut dicunt) thorum:  
sed neque dimissa, alteri nubet, uiuente uiro: neque uir alteri adhærebit, uiuente  
repudiata, sed uterque cælebs maneat, aut reconcilietur vxor uiro. Huc pertinet,  
quod scribitur Marci, 10. cap. Ab initio autem creaturæ, masculum & fœminam  
fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit ad  
uxorem suam: & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro.  
Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Hæc intelliguntur in coniugibus  
Christianis. Quoniam tamen si imparitas religionis non dirimat coniugium, ta-  
men si infidelis cohabitare nolit, aut reliqua coniugij iura religionis gratia recu-  
sabit, fideli licet ab eiusmodi coniuge se separare. A postolus enim, 1. Corinth. 7.  
dicit, Quòd si infidelis discedit, discedat. Non est subiectus frater aut soror in hu-  
iusmodi. Hunc locum exponens Ambrosius, ait: Non debetur reuerentia coniu-  
gij, ei, qui horret autorem coniugij. Non enim honestum in Ecclesia Dei est ma-  
trimonium, quod sine deuotione Dei est. Ac per hoc non est peccatum ei, qui di-  
mittitur, propter Deum, si alij se iunxerit. Contumelia enim creatoris, soluit ius  
matrimonij circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. hæc ille. Ob-  
serua multiplex matrimonij uinculum. In primis enim considerari potest, quo ad  
continentiam mutuam. Secundò, consideranda est obligatio, qua tenetur uterque  
coniugum petenti reddere ius congressus. Tertiò, obseruanda est mutua consue-  
tudinis & familiaris seruitij cohabitatio. Primum uinculum sola morte soluitur  
& intercidit, ut docuimus ex Paulo. Secundum similiter & tertium, soluuntur stu-  
pro & fornicatione etiam spiritali, cuiusmodi est hæresis. Adnotant tamen Docto-  
res aliquot circumstantias, quibus fornicationem non licet dimittere:

*Simile, prostituens, Vis, mors, & credita forma,*

*Si conuertatur, post nouit, mittere nequit.*

In primis, similitudo, id est, si uir etiam adulterij fuerit conuictus. 2. Prostitutio,  
id est si uir ipse suam uxorem prostituat. 3. Vis siue uiolentia, id est quum per  
uim & uiolentiam ab altero uxor inuita comprimitur. 4. Credita forma, id est,  
cùm ab alio, quem inuincibiliter suum credit esse uirum, cognita est. 5. Mors  
credita, id est cùm uxor inuincibiliter putat uirum mortuum, alteri nubit, rede-  
unte uiro, mox ad uirum quem credebat mortuum, redit. 6. Conuersio, id est,  
si infidelis dimissa ab eo, qui factus est Christianus, conuerti uelit ad Christum,  
tunc conuersam tenetur uir recipere. 7. Reconciliatio, id posteaquam ab adulte-  
rio resipiscens uir sibi conciliauit, aut publicè adulterantem. Hoc casu, sicut &  
reliquis prioribus adductis, uir nequit dimittere uxorem fornicantem: Quia, ut  
Paulus ait. 1. Corinth. 7. mulier non habet potestatem sui corporis, sed uir: simi-  
liter & uir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Hieronymus arbitratur,  
quicquid uiris dicitur, redundare in fœminas. Non enim adultera uxor dimitten-  
da, & uir mœchus retinendus. Ex superioribus obseruare licet, conditorem & au-  
torem matrimonij esse Deum: Quos Deus coniunxit, homo nō separet. Secundò,  
ex uetustate institutionis nobilitatem matrimonij, Ab initio masculum & fœmi-  
nam fecit eos. Tertiò, modum coniunctionis, Erūt duo in carne una. Quartò, excel-  
lentiam cōiugalis copulæ, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxo-  
ri suæ. Nam & parentes & liberi diuinitus coniuncti sunt, sed non in carnem unā,  
nec ita, ut separari non possint. His uerbis Christus non significat parentes negli-

Mors una  
matrimonij  
dirimit.

Fideli licet  
cum infideli  
facere diuor-  
tium.

Matrimonij  
uinculū mul-  
tiplex.

Quando nō  
licet marito  
dimittere ux-  
orem, etiam  
adulterij re-  
uictam.

Eadem lex ui-  
ris, quæ & u-  
xoribus.

Dignitas ma-  
trimonij.



gendos, sed ipsorum consuetudinem, consuetudini coniugis posthabendam. Memores itaque sint Christiani, ad quid sit connubium institutum, quod diuina uoce bonum & honorabile commendatur, quod ipse autor sit Deus, ipseque eos iungat, qui matrimonio conueniunt. Quare moneo, fidem conferent & alant coniuges, quos ita Deus coniunxit. Ceterum de officio coniugum scribitur Ephes. 5. Coloss. 3. 1. Timoth. 5. Tit. 2. 1. Petri. 3.

Officium cōiugum.

**Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua.**

Leuitici 19. ca. legitur hæc lex ad hunc modum: Nō periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, Ego Dominus. Sed hic textus multis insulsis expositionibus distractus est, adeo ut per nescio quos *ἀντιγράφως*, id est secundos formatores & doctores Scribas & Phariseos, additum sit, Reddes autem Domino iuramenta tua, significantes nihil aut non magnoperè referre, si quis per alia, quàm nomen Dei, iuraret: & periurij reum non esse eum, qui non per nomen Dei iurasset. Vnde legis uigorem eneruantes, dicebant deierationes illas, per cælum & per terram, per Ierosolyma, per templum, neminem obligare, nec huius legis transgressorem constituere, etiam si falsò fiant, eò quòd non iuraret per nomen Dei, quod ipsi proprium & peculiare dicitur: vel per nomen, quod cultum Dei concernit, ut templum Dei & donaria, &c. Quòd autem insulsum hoc commentum legi præscriperint, indicat uerba Christi, infra ca. 23. Væ uobis duces cæci, qui dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autè iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci: Quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et quicumque iurauerit in templo, id est per templum, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Hæc, ut puto, abundè demonstrant, quàm insulsè Pharisei fuerint legem interpretati. Et iuxta suum inuētum addiderint, Sed reddes Domino, &c. Lege prohibetur, ne nomen Dei in uanum sumatur, cum dicitur, Nec pollues nomen Dei tui. Polluitur autem, cum falsò iuratur: deinde dixerunt, Si deieraueris per creaturas, ut per cælum & terram, &c. etiam si non præsteris quod deierasti, non eris reus periurij. Obserua: huius præcepti prior pars negatiua est, prohibens quod ex se malum est, nimirum periurium, quod nulla ratione excusari potest. Posterior pars affirmatiua est, quæ tametsi non habeatur in lege, tamen eius sensus refertur, Deut. 6. ca. Per nomen Domini Dei tui iurabis. Quæ sententia non præcipitur iurandū, sed datur iuramenti gnome: quòd si iuratur, non per creaturas, ut huiusmodi, sed per nomen Dei iuretur: hoc est, referenda sunt iuramenta in Deum, & non in creaturas. Proinde iurare pertinet ad inuocationem. Iurans enim, Deum inuocat & testem adhibet, hoc est, ut sit testis uoluntatis ipsius iurantis, quod non uelit fallere: & petit, ut Deus sit ultor, & puniat fallentem, & ad hanc pœnam se obligat. Certè iurandi religio in eo consistit, quòd ut Deus uerax est, ita tu iurans, uerum pollicearis. Hæc monent, quantum uinculum sit iusiurandum. Dum iuras, Deum inuocas, ut iura Dei in te seruiat, si Deum fefelleris, hoc est, promissis non steteris. Violans iusiurandum, ueritatem Dei negas: & non solum contra secundum præceptum, sed & contra primum peccas. Imò secundum præceptum propriè in primo comprehenditur. Vnde quia periurium tam execrabile est, duobus præceptis prohibetur. Iam intelligat homo, quid sibi tristius imponere possit, aut quomodo se maiori pœnæ obligare potest. Hæc enim obligatio iure diuino sancita confirmataque est, Exod. 20. capit. Nec

Nomen Dei

Pharisei uani legis interpreses.

Nomen Dei pollui, quid.

Iuramenta in Deum referenda, nō in creaturas.

Iurare, quid.

Iusiurandū, uinculū graue.

Peieratio duobus præceptis prohibita.

enim habebit infontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Imò & in hac uita horribiles pœnæ comitantur periuros. Iusiurando contrarium uitium est peierare, quod nihil aliud est, quàm uocatum Deū in testem, mendacem reddere, & ipsissimam ueritatem, quæ Deus est, mendacium efficere. Quod quidem uitium non cadit in Deum, tamen propter abusum nostrum, tale fit in dedecus Dei.

Periuros etiā uiuos non est fugere supplicium. Peierare, quid.

**Ego autem dico uobis.**

Quasi dicat, relicta illa Phariseorum & Scribarum uana interpretatione, declaro uobis præceptum illud, si uelitis uobis Euangelicam perfectionem comparare, & esse ciues regni cælorum. Aut sic, At ego (emphaticè loquitur) qui ueni à patre missus, ut eius uoluntatem aperiam, & abusum contra patris uoluntatem ostendam, dico uobis, qui Christiani estis, & uerbum meum auditis:

**Non iurare omnino.**

Multorum magnorūque doctorum ingenia in hoc loco exponendo desudauerunt, & uariam adduxerunt interpretationem, præsertim quòd tam expressè hic prohibitum sit, ullo modo iurandum esse, sed simpliciter iussum, per est, affirmandum, & per non, negandum. Et nonnulli, quales Anabaptistæ, turpiter errarunt, uniuersalem prohibitionem ita positam putantes, ut prorsus interdictum uideri debeat quodcunque iurandi genus, non considerantes, subiectas deierandi formulas, mentem Christi declarare: atque Christum in hoc toto capite nihil aduersus magistratus & potestates loqui, sed uelle priuatis tantum Christianis prædicare, quemadmodum ipsi pro se cuilibet in suo statu uiuendum sit. Neque urgenda est hæc uocula, omnino, sed locus hic cum aliis conferendus, quibus iusiurandum in iudicio & ueritate factum, commendatur, & à Deo præcipitur, Exod. 22. Deuter. 6. & 10. & ad tollenda dissidia & pacis confirmationem facit. Heb. 6. Imò à sanctis patribus, & Deo dilectis piè usurpatum est, Gen. 21. 26. 1. Reg. 20. & 24. Et ad Dei cultum confert, Deut. 6. & 10. Esa. 19. Hier. 4. adeò, ut ad solos, qui Deum timent, pertineat: Et dicat Dauid psal. 62. Rex uerò latabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Hæc ostendunt illud, omnino, siue hunc locum non esse simpliciter & nudè iuxta uerbum interpretandum. Alioqui ex loco Ioannis, 10. Quotquot uenerunt ante me, fures sunt & latrones, dicendum esset, Baptistam, & prophetas, qui ante Christum uenerat, fuisse fures & latrones: cum tamen non sit urgenda dictio quotquot, nisi ad eos, qui se Messias profitebantur, ut est in Actis. Deinde cum Paulus dicit, Omnia mihi licent, An Paulo licuit scortari? Omnibus omnia factus sum (ait ille) ergo fur & idololatra, factus est furibus & idololatris? absit. Debemus igitur scitè & prudenter obseruare dictiones uniuersales, in exponendis scripturæ locis, ne autoris mentem transfiliètes, insulsa & absurda introducamus dogmata. Quare, ut ad rem & uerba Christi ueniamus, præceptum hoc de non iurando intelligendum est, sicut, quod superius dictum est, de non occidendo. Nam occidere hominem, iniquum est: iustum est iudici, iniquum est priuatae personæ. Non absurdum est de maledictione, quæ interdicitur. Et tamè in sacris literis sepè legimus homines maledixisse, sicut Noè filio suo Cham, & Patriarcha Iacob tribus filiis suis Ruben, Leui, & Simeon maledixerunt. Rufus Moses Core deuouisse legitur. Et Christus in psalmo, 108. proditorem suum Iudam. Et in Euangelio falsos doctores diris execrationibus incessit. Similiter & Paulus, Galat. 2. omnes doctores anathemate percutit aliter docentes (etiam si angelus de cælo fuerit) hoc est ut sint execrati, & maledicti à Deo. Ut igitur instituto satisfaciamus, sua sponte & priuata autoritate neque cuiquam maledicendum est, neque iurandum. Quòd si ad hoc faciendum, uerbum Dei habueris, & iurare & maledicere licebit. Quicquid enim secundum uerbum Dei fit, rectum est, ut pote

Anabaptistarum, fallā sententia de iusiurando.

Iusiurandum quod, quomodo, & ubi commendatum, iussum, permissum.

Vocula, Omnino.

Quotquot.

Omnia.

Dictiones uniuersales in sacris literis prudèter intelligendæ.

Homicidium ueritatem & licitum.

Maledictio, execratio seu detestatio prohibita & licita. Gen. 9. Numer. 16.

Quod iuxta uerbum Dei fit, rectū est.



iurare, maledicere, irasci, & huiusmodi. Hoc autem secundum verbum Dei fieri dicitur, quoties alicui pro officio aliquid tale faciendum mandatur. Obediendum est potestati & magistratui, qui si iusiurandum à te postulauerit, iurare obnoxius es, & propter gloriam Dei iuras. Hoc iuramentum cultus Dei est. Prohibetur tibi solum, ne tuo ipsius proposito, aut curiositate, atque etiam consuetudine ductus, iures: non autem si causam habueris, nimirum necessitatem, qua iusiurandum, magistratui obediendo, dare cogeris, ueritatis confirmanda, & litium componendarum gratia, ut constet pax & concordia. Est & altera causa qua citra magistratus requisitionem iurare licet, charitas, proximo commodandi gratia. Quemadmodum Christus docet, Math. 18. charitatis est irasci, & reprehendere proximum peccantem & errantem. Ergo si uideris aliquem in spiritualibus necessitatibus positum, & periclitantem, & in fide non satis firmum, aut meticulosam conscientiam consternatum, aut erroneo intellectu inuolutum, aut similibus uitis laborantem, ille tibi non tantum consolatione leuatus est, sed eius conscientia etiam iureiurando confirmanda: & ita docendum, quod quam uerax Deus, & Christus pro peccatis abolendus mortuus, tam certa est etiam ueritas & uerbum Dei. Itaque hoc loco necessarium est iusiurandum, & sanctè iuratur. Si quidem per illud uera doctrina confirmatur, & conscientia, infirmitate, & erroribus nutans & implicita instituitur & recreatur, & à diabolo liberatur. Sic Paulus iurauit aliquoties in Epistolis suis. Referebat enim gloriæ Dei, bene sentire de Paulo, Gentes & Iudæos. Sic & sæpè prophetas iurasse constat. Refert enim gloriæ diuinæ credi uaticinium Dei. Similiter ubi proximus nobis excusandus, aut etiam in tua ipsius causa, ne tua auctoritas in prædicando Euāgelio periclitetur, ac diligentius audiatur uerbum Dei, aut ubi proximi fama, à pestiferis maledicæ linguæ telis defendenda uenit, tum quoque dicere possumus, per Deum uiuentem illi iniuriam fieri. Omnibus enim his rationibus nomine diuino rectè utimur, nempe ad illius honorem, & ueritatis confirmationem, & commodum ac salutem proximi. Habes enim uerbum & præceptum Dei iubentis, Diliges proximum, &c. Infirmitatem in fide, assume mæstos consolare. Ut igitur in summa dicam, quoties habes uerbum Dei, ipsum sequere, & audacter iuxta illud operare.

#### Neque per cælum, quia thronus Dei est.

Pergit explicatius declarare, quam barbarè & ineptè Scribæ & Pharisei interpretati fuerint præceptum de iureiurando. Docebant enim deierationes illas, per cælum aut aliquam creaturam, neque obligare, neque legis transgressionem constituit. Unde falsò deierandi licentiam induxerunt, & omnia periuriis repluerunt. Retundens itaque Christus hoc Pharisæicum commentum, declarat particulam, omnino, & dicit neque per creaturas iurandum, quod qui per creaturam iurat, non per creaturam, ut huiusmodi considerat, sed per Deum & potentiam eius, in creatura relucens iurat, & periurij reus est, si huius iuramenti uiolator fuerit. Proinde iuxta rationem, qua creaturam consideramus, & ad suum officium & conditorem Deum, referimus, obseruamus Deum esse in creatura per essentiam, præsentiam & potentiam. Cùm enim adducitur cælum, thronus Dei, & terra, scabellum pedum eius, significatur quod in cælo & in terra substantia Dei sit, & ob id subindicat Deum ubique esse per essentiam. Addens Ierosolyma, ciuitatem regis magni, significat Dei præsentiam, qui ueluti in sua regia, singulari prouidentia cuncta gubernat ac disponat. Huius regiminis notitia Deum præsentem esse rebus & creaturis demonstrat. Adfert & alium sermonem similitudinarium de capite, in quo licet donum illud insignis rationis sedem habeat: tamen, quod omnium minimi momenti esse uidetur assignat, nempe pilum, ut ostenderet potentiam Dei etiam ad minima extendi, & omnia esse per potentiam Dei. Scopus igitur sermo-

Magistratu  
exigente iu-  
randum est.

Charitati de-  
betur iuramē-  
tum.

Gloria Dei  
nonnunquā  
postulat iu-  
randum.  
Paulus & pro-  
phetæ iura-  
runt.  
Auctoritas uer-  
bi excusat iu-  
ramentum.

Qui per crea-  
turam iurat,  
iurat & per  
creatorem.

nis Christi est, Cùm Deus ubique & in omni creatura sit, & reluceat per essentiam, præsentiam & potentiam, per quancunque creaturam iuretur, per Deum iuratur, & huius iusiurandi uiolator, est periurij reus. Aduerte Deum adesse creaturæ, & officio suo, non (ut Stoici fingunt) alligatum secundis causis, sed sustentantem naturam, & liberrimo suo consilio moderantem. Respondabit quispiam, Qui per creaturam iurat, non intendit iurare per illam, quatenus Deus est in illa. Respondet: certè is non intelligit iusiurandi rationem. Nam cùm quis iurat in aliquo, eò respicit, & intendit ut inuocet ueritatem ineffabilem in testimonium. Quò sit, ut non inuocet creaturam, ut creaturam, in testimonium, sed secundum quòd Deus in ea relucet, qui solus est ueritas infallibilis. Dico ergo uobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est. Alludit Dominus ad id, quod Isa. 66, cap. scribitur. Hæc dicit Dominus. Cælum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Rursus Isa. 40. Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo. Per hæc (ait Hieronymus) ostenditur Deus & forinsecus & intrinsecus, & infusus & circumfusus, dum & solio ambiente non concluditur, & pugillo concludit & palmo. Hunc locum Isaïæ sciebant Iudæi, sed non ea pietate & religione erga Deum ducebantur, ut in cælorum magnitudine, thronum Dei, id est maiestatem Dei, relucens reuererentur, & ab hoc deierandi genere abstinerent. Nobis Christianis hic sermo suadet, ut quoties cælos suspicimus, ab omni temeritate abstinemus, reuerentes maiestatem Dei in cælis relucens. Rursus cùm afflictiones aduersariorum senserimus, suspicamus cælos, in quibus considerantes thronum Dei, qui omnes ad iudicium uocaturus est, consolationem suauissimam sentiemus. Quod & Susannam ab iniquis iudicibus falsò damnatam, fecisse literis proditum est. Obserua: tropo scripturæ per thronum maiestatis, deitatem intelligimus. Unde Paulus. Hebr. 1. cap. ostendit Christum confidere in throno maiestatis, hoc est uerè filium Dei esse, & æqualibus cum patre potiri bonis, & summo honore cõspicuum esse. Sunt & throni, virtutes quædam in cælestibus. Obserua. Si delectaris uidere de loco, quem Deus inhabitare dicitur, legito Augustin. 6. parte, libro vno contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 10.

#### Neque per terram, quia scabellum est pedum eius.

Prohibens per terram iurare, non dicit, quia terra utilis & ferax est, sed quia subfellium est pedum Dei, quòd Isaïæ 66. legitur, quo scilicet Deus metaphoricè incomprehensibilem suam magnitudinem utcunque cogitandam hominibus proposuit. Nam ut throni regij magnus est splendor, ita & regum subfella suo non carent honore. Quare cùm hæc terra, in qua uiuimus & uersamur, sit scabellum pedum Dei, hoc est sit infima pars orbis, in qua diuitiæ Dei miris modis elucescunt, nemo putauerit illam diuinæ maiestatis, potentia & gloriæ expertem esse, ut qui temerariè & falsò per illam iurauerit, non sit iusiurandi uiolator. Certè is periurij reus erit: uanè enim & falsò iurat per ueritatem ineffabilem in terra relucens. Obserua. Quia in hoc uasto mundo siue uniuerso mundi corpore, cælum spaciosam ac maximam speciem, & terra minimam habere uidetur, & excellenti pulchritudini tanquam præsentior uis diuina adest, quæ minimam gubernat, & ordinat in extremis atque infimis. Sedere in cælo dicitur Deus, cuius subfellium terra est.

#### Neque per Ierosolyma, quia ciuitas est Regis magni.

Tametsi Dominus dixerit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: & à Dauide dictum sit, Domini est terra & plenitudo eius: atque ideo cæli & terræ nomina reuerenter habenda sint propter maiestatem diuinam in eis relucens: ad arctiorem tamen quædam religionem nos incitant loca, in quibus maiore quodam fauore, & luculentiore diuina bonitas seipsam exerit, & obuiam se nobis of-

Deus adest  
suis creaturis,  
& suo officio,  
non iunctus,  
sed absolu-  
tura libertate,  
quod facit, su-  
stentans &  
moderans.

Iurans per  
creaturam,  
quò respicit.

Cælorum as-  
pectus quid  
commodet  
Christiano.

Thronus ma-  
iestatis quid.

Cæli sedes  
Dei.  
Terra scabel-  
lum pedum  
Dei, quare.



fert, ut aedes sacra, seu templum, in quo est uerum Christi corpus, sacramentorum administratio, & uerbi praedictio. Huiusmodi erat Ierusalem, quae dicta est ciuitas Dei, propter templum, sacerdotium, cultum & uerbum Dei inibi annuntiatum, per quod Deus ibi manebat. Iure igitur uocata est ciuitas Dei, ciuitas sancti Isa. 52. Induere uestimento gloriae tuae Ierusalem ciuitas sancti. Daniel 9. Aueratur obsecro furor tuus a ciuitate tua, & a Ierusalem monte sancto tuo. Zachariae, 8. Haec dicit Dominus exercituum, Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem, & uocabitur Ierusalem ciuitas ueritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Et supra, 4. cap. assumpsit eum in ciuitatem sanctam. Ciuitas igitur Regis magni, id est Regis regum ac Dominatoris dominatum Christi, recte dicitur Ierusalem: illic proculdubio opulenter & abundanter datus est Spiritus sanctus, & cepit regnum Christi: illinc exhaustus est sal, quo uniuersus salutus est mundus. Obserua, quemadmodum Isaias & alij prophetae magnificis encomiis Ierusalem ciuitatem propter uerbum & cultum Dei commendauerunt, & sancta nuncupauerunt: ita quoque hac ratione alienae ciuitates, in quibus uerbum & cultus Dei uiget, sanctae nuncupari possunt. Possunt & ipsae gloriarum Deum in seipsis certissimè habitare. Sed ut illa propter desertum uerbum & cultum, ut ut illustissima fuerit nuncupata, horrendo iudicio diuinitus percussa est & abiecta: ita & aliarum ciuitates a uerbo illustratae, stent, & timeant ne cadant.

Ciuitates sanctae, in quibus uerbum & cultus Dei uiget.

### Neque per caput tuum iuraueris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

Adducit membrum corporis, prohibens ne per illud iuremus. Quasi diceret: Non est cur abuti debeas tuo capite, qui ad eum nullam in ipso potestatem habes, ut ne unum quidem pilum possis immutare. Quae uerba, non iuxta nostrum usum, sed secundum creationem siue productionem intelligenda sunt. Non enim intelligit pilorum colorem medicamentis alterari non posse, sed in nostra potestate prorsus situm non esse, uel unum pilum producere, qui albus aut niger sit: neque nos praestare posse, ut hoc aut illo pacto seu forma res creentur. Res itaque sacras facit Christus nostra capita, non quidem ratione nostri operis, aut potentiae, sed ut munus & creaturam Dei, in qua uirtus & potentia Dei relucet, quam impium sit profanare. Colligamus ex his, Deum uelle nos habere in honore etiam membra corporis nostri, ne temerè illis abutamur. Deinde nihil tam minutum in creaturis Dei esse, in quo non elucescat diuina maiestas, ut obseruemus, nihil esse in uniuerso corpore nostro, quod potestati nostrae adscribere possimus, ex quo id planè colligitur, nullam omnino creaturam tam paruo nobis aestimari debere: ut ipsam uano iuramento polluamus. Quare praemisit, At ego dico uobis, ne iuretis omnino.

Caput nostrum res sacra.

Maiestas Dei etiam in minutulis rebus emicat.

### Sit autem sermo uester, est, est: non, non.

Haec formula affirmandi aut negandi, dilucidè docet Christum loqui ad eos, quibus nullum mandatum est, aut necessitas iurandi, hoc est Christum praecipere, ut in quotidiano & familiari conuictu hac simplicitate asserendi uel negandi, contenti simus. Hoc est, quod ad nos priuatim attinet (ut supra docuimus) nulli omnino iurandum est. Apud pios enim & uerè Christianos nihil esse debet in labiis, quod dissideat ab animo. Sermonis usus non est alius, nisi ut mutuo sibi significent homines, quod animo sentiunt: satisfaciatur igitur haec duae uoculae, est, & non, ut negete facturum quod non polliceris, & praestes, quod simpliciter te facturum promiseris. Obserua uocum est, est: non, non, conduplicatione non ad eundem pertinere: sed priorem partem ad interrogantem, posteriorem ad respondentem: nisi sic accipias: si sermo uester affirmat, uerè affirmet: si negat, uerè neget. Quod secus habet apud istos, qui quod pollicentur, non praestant: & quod se negant fa-

Omnis sermo Christianus sit uice iurandi. Est, est: Non, non.

cturos, faciunt. Sit ergo sermo uester Est, est: Non, non. Id est, si quid affirmatis, ita se habeat: si quid negatis, ita rursus habeat. Hoc loquendi modo Paulus. 2. Corinth. 1. est usus. Similiter & Iacobus ultimo capite. Hoc autem praepcepto Christus nihil aliud spectasse uidetur, quam ut inter suos ea charitas fidesque uigeret, ut nulla omnino iurandi causa esset. Quod si res tibi sit cum iis, qui ea charitate non pollent, ut simplici affirmationi aut negationi fidem habeant, potes illis iurando fidem rei ad gloriam Dei facere. Mandato enim & necessitate accedentibus, charitas iusiurandum probat: cum non propter te, sed propter illum, qui a te iuramentum exigit, iuras.

Mandato & necessitate iusiurandum probatur.

### Quod autem his abundantius est, a malo est.

Aetiologiam praepcepti, interdicens omni deicrandi usu, & iubentis uti simplicitate negandi uel affirmandi in familiari & quotidiano conuictu, adducit. Quod his, id est affirmatione simplici, uel negatione, abundantius est, id est ultra adiungitur, a malo proficiscitur. Adiciis, cum citra mandatum aut proximi necessitatem iuras, hoc est sacramento rogas, aut deicras, hoc est temerè ad quamuis rem siue uerè siue falsè adiuras aut peieras, a malo est. In Graecis legitur *πρωτοῦ*, quod prauum, malitiosum, sinistrum, iniquum significat. Variarum malae causae sunt impellentes ad deicrandum. Aliquando deicramus ex mala consuetudine, quae certe non esset, si obseruaretur uerbum, & Christi praepceptum. Interdum est a malo diffidentiae, quod huic leuitati dat causam. Et haec duplex est, una deicrantis, altera illius cui deicratur. Qui deierat, putat sibi alioqui non haberi fidem: & cui deicratur, ita comparatus est, ut non credat simpliciter asserenti, nisi deiceretur. En apertum habes, quod abundantius est, a malo esse. Videant quæso qui iurando assueuerunt, quam abominabilis coram Deo est deicratio, quam consuetudo non excusat. Iam, rogo te, quid est consuetudinem pretere, ut deicratio excusetur, quam fateri, quod omnia absque timore Dei agas, & dicas? Certè peccandi consuetudo ex pessima radice surgit, uidelicet quia absque cultu, & reuerentia maiestatis diuinæ, peccata quotidie iterantur. Tollatur igitur haec pessima deicrandi consuetudo quae a malo est. Colligamus ex his Christum uelle suos esse tales, ut non sit opus ullo iureiurando. Quorsum enim attineat iurare, si nemo sit qui quenquam uelit circumuenire, etiam si iurare possit impune: sed è suo quisque alterum aestimans animo, nemini diffidat. Charitas ad eum omnia credit, ad eoque non diffidit, ut parum etiam honesta, quoad potest, interpretetur in bonum.

Deicrare est tingit multis de causis.

Contraeconsuetudines consuetudinem iurandi.

1. Cor. 13.

### Audistis, quia dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente.

Hoc dictum, Lex Dei est, Exod. 21. cap. ad hunc modum scripta: Si rixati fuerint uiri, & percusserit quis mulierem praegnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa uixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Si autem mors eius fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Eadem lex scribitur, Deut. 19. ca. Iam quis non uidet hunc articulum in lege Mosaiica scriptum, & traditum iis, qui publicis muneribus funguntur, & quibus magistratus officium est concredutum, non autem priuatis personis? Has quia publicis seu magistratibus, sicut sua iura cocus, commiscuerant Scribae & Pharisei, legem Dei deprauarunt, eoque legem rapuerant, quasi liceret ac iustum esset uindictam petere, & acceptam iniuriam priuata autoritate retaliare: hoc est, quod unicuique pro se liceret & integrum esset, uindictam sumere, & oculum pro oculo crueri. Quod tamen lex Dei non solum non permittit, sed nominatim etiam uetat. Leuit. 19. Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriae ciuium tuorum. En uides ex lege Dei non licere tibi pro te ulcisci propriam iniuriam, licet lex sumendam magistratus

Publicis tantum Magistratibus uindictae ius commissum.



iniungat, locis Exod. & Deuter. adductis. Hanc falsam & erroneam Phariseorum expositionem Christus confutat, declarans legis perfectionem, & tollens à nobis iræ executionem, quæ magistratui demãdata est. Relinquens enim magistratui sua iura, & officium purum, alloquitur Christianos, docetque homines priuatos, & extra officium & Reipublicæ administrationem positos, quemadmodum ipsos oporteat pro sua persona priuata uiuere: scilicet ut usq; adeo à uindicta alieni sint, atque eo sint animo, ut si quis ipsis alapam in dexteram incusserit, parati sint, necessitate exigente, etiam alteram maxillam obuerrere, & non solum factò & manu uindicta & talione abstinere, sed etiam corde, cogitationibus, & omnibus uiribus. Non ergo soluit Christus talionis legem, magistratibus demandatam, sed suos ad summam & absolutam patientiam hortatur, saluam intereã magistratibus in malitiam reprobatorum animaduersionem relinquens. Plurima super hac re disputauit etiam S. Augustinus lib. contra Faustum, 22. cap. 79. Idem quoque epistola ad Marcellum .5.

**Ego autem dico uobis, non resistere malo.**

Admirabile paradoxum, egregium & singulare apophthegma, quod tamen coram huius mundi sapientibus planè absurdum & ridiculum est. At quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, ait Paulus, 1. Corinth. 1. Et perdit Deus sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobatur, eligens quæ stulta sunt mundi, ut confundat sapientes: & infirma mundi eligens, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia eligens, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destruat: ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius. Relicta igitur mundi sapientia, cœlestè audiamus, cuiusque uerba obseruemus, & singula pensemus. Ego autem, &c. Quasi diceret, vulgò iam creditur licitum esse, quibusuis læsis acceptam iniuriam ulcisci, modò lex talionis non excedatur. At ego dico uobis, uoluntatem patris aliud poscere, nempe, ut quisque sibi irrogato malo non resistat, hoc est damnum ne retaliet, & neque malum malo compensare cogitet, neque conuitium conuitio, neque uulnus uulnere, neque eadem eadem: hoc est, ut animo æquo & patienti mala iniuriosè obiecta perferat, nec uindictam quareret, aut referre concupiscat. Porro cum malo resistere, per se malum non sit: cui malo non est resistendum? Certè persona etiam priuata malo, id est errori & falsæ doctrinæ: malo, id est peccato: malo, id est peruersæ concupiscentiæ carnis, quæ aduersus spiritum continuò pugnat: malo, id est concupiscentiis, libidini, fraudi, malitiæ, & quibusuis seductionibus resistet: non autem priuata autoritate, malo, hoc est afflictioni uel iniuriæ à malo inflictæ uel corpori, uel bonis fortunæ seu facultatibus, uel existimationi siue nomini, resistet, retaliando iniuriam iniuria, conuitium conuitio. Non ergo hic locus intelligendus uenit de quouis mali genere. Quod autem de his malis seu incommodis temporalibus, corpori, uel facultatibus, uel nomini inflictis, non autem de malo, quod peccatum est, aut ad malum pellicit, loquatur Christus, sequentes appedices indicant, Si quis te percusserit in dexterã, &c. Et ei, qui uult tecum in iudicio, &c. Et quicumque te angar, &c. Dixeris fortasse, Cum iniquum sit hoc genere mali quempiam lædere, cur illi resistere prohibitum est? Respondeo: Quia hæc sunt charitatis partes (à quibus impium est recedere) ut patientes simus, non retaliemus, ultionem Deo committamus, qui sibi hanc referuauit, Roma. 12. capit. Mihi uindictam, & ego retribuam. Retaliatione non est malorum irritanda temeritas, sed in bono uincenda. Roma. 12. Noli à malo uinci, sed uince in bono malum. Alioqui si retaliaueris, & malum pro malo reddideris, oleum camino & incendio infundes. Ingens temeritas est hæc priuata retaliatio. Qui hanc facit, conatur maiestatem diuinam surripere, & usurpare. Hoc uitium ueteres uocarunt Gigantomachiam. Nos blasphemum sacrilegium. Et qui uindictam meditatur, irruit in thronum diuinæ maiestatis, & usurpat sibi sceptrum diuinæ & summæ potestatis: unde dicitur à Dauide Deus ultionum. Iam quis hoc tam scelestum scelus ferat? usurpare scilicet sibi diuinum sceptrum? Non passus est Deus, ut Acham aliquid de anathemate Iericho auferret impune, Iosue. 7. cap. Et Balthazar Babylone uasa templi profanaret: & tu putas Deum toleraturum, ut id quod est summæ ipsius maiestatis, auferas, atque impia tua usurpatione prophanes? Noli igitur altum sapere, sed time. Non est discipulus supra magistrum. Hac uirtute patientiæ excellit magister noster Iesus Christus, tradens uindictam ei, qui iudicat iustè. 1. Petri. 2. Nobis satis sit, quòd Deus sequester patientiæ est, apud quem si iniuriæ acceptæ ultionem deposueris, ultor est: si damni, restitutor est: si doloris, medicus est: si mortis, suscitator est. Cum igitur prohibeat Dominus malum referre, & iubeat sibi uindictam relinquere, significat se ideo sibi uindictam referuare, quòd iniuria illata tantum sit peccatū, ut homo iniuria affectus, nõ satis supplicij pro ea inferre queat: sed ad tantam peccati grauitatè puniendã necessarium sit diuinũ supplicium. Tibi priuata personæ reliquit gladium, quo utaris. Quem? orationem in patientia. Inuoca me (inquit) in die tribulationis, eruum te, & honorificabis me. Cum igitur Dominus præceperit ut oratione malis resistamus, & non iniuria, ac retaliationè, clarum est, quòd hæc uerba, ne resistatis malo, non excludunt orationem. Magna uis & ampla patientiæ dignitas, quæ Deum debitorem habeat, Nimirum dum non retaliando patienter agis, nihil naufragij charitas facit, reconciliationis uia non præcluditur, pro temporariis incommodis bona aeterna recipis, pacem mentis, & tranquillum animum habes. Habemus tamen ex scriptura nos posse resistere bestiis, nobis nocentibus inferentibus. Dominamini (inquit Dominus) piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus, quæ mouentur super uniuersam terram, Genes. 1. Quare valde ridiculum est nonnullis, quòd quidam Eremitæ hæc uerba, ne resistatis malo, sic interpretati sint, ut ne culicibus quidem, & pediculis restiterint, & noxia molestaque animalcula à corpore suo non abegerint: sed sanctos illos uiros (quos procliuius est carpere, quàm imitari) sinamus merita laude non carere, & Spiritus sancti tam sacra sanctaque templa ueneremur, omnia uel candida simplicitatis, uel arcanæ inspirationis in eis opera pro modestia Christiana cõsultentes boni. Huc pertinet quod ex diuina ordinatione liceat morbis naturali medicina resistere, ac ipsos expellere. Nam quemadmodum Deus creauit cibum & potum ad medendum fami & siti: ita creauit etiam, & ordinauit medicinam ad sanãdos morbos, & ad restituendam ægrotis sanitatem. Honora (inquit Ecclesiasticus. 38. ca.) Medicum propter necessitatem. Etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. Paulo post sequitur: Altissimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit illam. Commendatur medicina in factò Isaiæ qui iussit massam tollere de ficis, & ea taplasinate inde confecto fouere ulcus Ezechia regis. 4. Reg. 20. ut sanaretur, Quod autem de morbis per medicinam depellendis, hoc & de iniuriis propulsandis per leges ciuiles & magistratus dicitur. Obserua: uox, malo, referri potest uel ad rem uel ad hominem, propterea potest ablatius esse instrumenti, Nolite resistere cuiquam, malo, hoc est iniuria siue uersutia. Quam sententiã sequitur Chrysothomus, dicens, non resistendum homini, malo, sed patientia: non enim ignis igni, sed aqua extinguitur. Noli resistere malo, id est ne odio habeas proximum, propter iniuriam ab ipso tibi illatam, ne appetas uindictam priuatam aduersus iniuriam proximi. Respondebit quispiam: si priuata personæ iniuriam perpeisset iustum, ita certum est non resistere malo, hoc est non retaliare, nec tantum mali reddere, quantum passa est, profectò mirabilis tragedia inde enascetur, & erit cuiusque temeritas & libido, impunè ferenda, nec quisquam alterius licentia tutò a-

Vindictæ affectum eximit Christus Christianis.

Sapientia mundi est, malum malo repellere.

Cui malo resistendum, & cui non.

Malo temporali quare nõ resistendum.

Rhemachia est mali retaliatio.

Quam peccent, qui ultionem sibi usurpant.

Quam profra ultionem in Deum remittent.

Oratio, gladii in aduersis.

Fortiter pati iniuriã, quã meriti.

Resistere licet bestiis.

Item morbis fami, siti, &c.

Medicine ars commẽdata in sacris literis.

Iniuria propulsanda nõ est altera iniuria, sed patientia, &c.

Aduersus lædentes sunt iura & leges, ut necesse nõ sit te tuã per te iniuriam persequi.



gere aut manere poterit. Et ita denique nullus status reipublice saluus permanebit. Respondeo. Potestas à Deo ordinata est, & suas habet leges: docet, referentem, lites excitare, & iurgia. Et quicumque priuata autoritate referit, iniuste contendit. Vnde si tua priuata autoritate, refereres, aut ui res tibi furto acceptas repeteres, iudicem iure suo spoliatis, ipsiusque officio iniuriam facis, cuius est fontes punire, & innocentes seruare. Non tua ipsius libidine, sed publica autoritate & gladio magistratus cohercenda est reproborum temeritas. Tibi permittit Deus, ut ordinata ratione iusta tua repetas, & accipias, modo uideas ne cor tuum uindictae flammis ardeat. Sed dum te tantummodo iuris ac legum subsidio à ui & temeritate aduersarij tueri quaeris, non quidem tui ulciscendi, neque proximo incommodandi gratia, non iniuste facis. Quare hac in re studendum est, ut ab omnibus & odij & uindictae perturbationibus cor purum ac uacuum sit, si omnia bene & recte facta esse cupiemus. Nullo igitur modo tibi priuatae personae, ut priuatae, licet resistere, hoc est retaliare, siue ulcisci iniuriam inflatam. Tametsi enim Dei permisso haec iniuria immitatur, inique tamen agit minister, qui te laedit. Propterea uindictam committe Deo, qui iuxta suum beneplacitum ulciscetur aut ipse, aut per magistratus. Quod si magistratus negligens aut iniquus fuerit, nulla est tamen melior & compendiosior uia resistendi reproborum temeritati & malitiae, haec una, quae per Christum praescribitur. Docet enim non esse resistendum cuiquam, iniuria & ulciscendi libidine. Obserua uocula uobis. Qui sunt illi, vos? Certè discipuli Christi, quos instituit, quemadmodum ipsos oporteat pro se uiuere, extra mundanum magistratum constitutos. Nam aliud est mundano fungi officio, aliud Christianum agere. Mundanus enim magistratus, siue qui officio mundano fungitur, ut talis, nullam tolerabit iniuriam, sed malo occurret, & malos ad supplicium rapiet, & iuris autoritatem defendet ac retinebit, sicut uniuscuiusque officium aut status exigit. Christianus autem iniurias patienter feret, ignoscet, & bonum pro malo reddet. Diuersa sunt mandata. Ne ulciscere: & Pleste fontes: quorum utrumque conseruandum est. Ne uindica, priuatim ad singulos pertinet: Puni fontes, ad magistratus. Sic Petrus Ananiam puniuit, Act. 4. Sic Iudaeis mandatum erat Chanaanos occidere. Sic prophetae passim imprecantur populo propter crimen impietatis. Propter impietatem Elias sacerdotes Baal occidit, 3. Reg. 19. Legito Augustinum contra Manichaeos, 3. parte. Quare, sensus uerborum Christi uideatur, ac si ita doceret: Qui in magistratu aut regno mundi uersantur, illos finite malo repugnare, lites sectari, poenam irrogare, & caetera, quae suorum sunt officiorum, obire, sicut iureculti & leges docent. At uobis, ut meis discipulis, quos docendos & formandos suscepi, non quemadmodum rerum politicarum functiones administrandae sint, sed quomodo uita erga Deum instituenda sit, dico, Ne resistatis malo, sed iniurias & afflictiones patienter tolerate, & eos, qui ui & iniuria uos afficiunt, puro & amico corde complectimini: imò tunica spoliati, caute, uindictam quaeratis, sed citius etiam pallij iacturam facitote, quam iniuriam ulcisci uelitis.

Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebere illi & alteram.

Exempli gratia iniuriarum species aliquot affert Dominus, quibus docet, quanta patientia iniurias tolerare & sustinere debeat Christianus: simulque praecipit, ut simus, non solum omnis iniuriae patientes, sed etiam parati iniurias beneficiis compensare, nedum alieni ab ulciscendi libidine, atque malum malo, damnum damno, iniuriam iniuria retaliandi. Primo itaque loco adducit iniuriam, quae certam habet ignominiam. Nimirum cum quis uim & iniuriam aperte patitur, uidelicet ubi aliquis pugnis aut telis in faciem siue maxillam contemptim contunditur, iure & aequitate non consultis. Id uocat Dominus impingere alapam, siue percutere in dex-

Deo omnis iniuria remittenda.

Omne durum patientia & animi mansuetudo uincit.

Magistratus malum ne dimittat inultum.

Ne ulciscere tibi iniurias, & Puni fontes, diuersa mandata.

in dexteram maxillam. Propterea nominatim maxillam percuti dixit. Fit enim frequenter ut non tantum uim quis inferat proximo, sed etiam uelit declarare se in contemptum laesi id agere, ut cum alapam incutit. Hoc saepe contingit, ut contemptum alapam impingi uideamus mulieribus, uel pueris, aut alioqui effeminatis & imbellibus. Vnde Paulus, 2. Corinth. 11. Sustinetis (inquit) si quis uos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem uos caedit. Deinde mox subiungit, secundum ignobilitatem dico, ut exponat, quid sit in faciem caedi: hoc est contemni atque despici, ait Augustinus. Hunc contemptum intolerabilem putant, qui uideri uolunt uiri, praesertim qui hodie nobilissimi à mundo nuncupantur. Hinc perduellio, rixa, & inimicitiae perpetuae, odium intestinum, caedes, &c. Siquidem eò superbiae uenit caro, ut nolit demitti, nihilque minus ferat, quam iniuriam cum ignominia coniunctam. At qui syncerus est Christianus, uiculam sese praestat, nihil regerit, non repercutit, non retaliat, sed patiens & tolerans est, cum animi mansuetudine & submissione. Tales sese praestiterunt, Iesus Christus, absolutum patientiae exemplar, Ioan. 18. Michaeas Propheta, 3. Reg. 22. Et Paulus, Act. 23. Quod si dixeris, ipsos aliquid regeisse & responsasse. Proculdubio id non responsum est per impatientiam. Improbis enim iniuria ac uim inferentibus duplici causa respondere licet. In primis si iniuriam inferunt cum detractone, & iniuria uerbi Dei. Secundo, cum de nostra agitur innocentia, & illa petitur & accusatur, declaranda est & asserenda, cum omni modestia, & spiritus mansuetudine: ut improbus ille agnoscat, quam grauius sua impostura peccet. Iam ad obiecta facile respondere licet, si prius dixerimus quosdam perperam intellexisse hunc locum, Praebe illi & alteram. Putant enim hoc esse alteram maxillam porrigere, percussori dicere, Ecce hic altera maxilla est, altera uice me quoque caede. Aut ut tollenti pallium, etiam tunicam ultro adiciamus. Quod si is horum uerborum sensus esset, tum omnia nobis, denique etiam domus cum tota re familiari abiicienda forent. Idcirco Christus hic nihil aliud docet, quam summam patientiam, animique moderationem, utque tantum absumus à cupiditate uindictae, ut ultro parati simus alteram potius iniuriam admittere, quam malum malo siue iniuria pensemus. Augustinus enim tum pluribus locis, tum libello de mendacio, & lib. 22. contra Faustum scribit illam preparationem alterius maxillae, in corde faciendam, non in corpore: docens nos debere ea animi lenitate esse, ut ad alteram iniuriam accipiendam simus paratiores, quam ad retaliationem priorem. Etenim Christus non alteram obuertit maxillam seruo pontificis percussoribus, sed declarans suam innocentiam cum omni mansuetudine animi, & apparato animo, ad alteram recipiendam alapam, si necessitas postulasset, qui postea totum corpus percussoribus: uolens obtulit, respondit: Si male locutus sum, testi monium perhibe de malo: si autem bene, cur me caedis? Nihil impatientiae hoc loco legis, solum audis declarantem innocentiam suam. Cum Michaeas à Sedecia filio Chanaana, in maxillam cum ignominia uerbi Dei, caederetur, respondit quidem, non ut seipsum, sed ueritatem Spiritus sancti ueretur: Visurus es (inquit) in die illa quando ingredieris in cubiculum, ut abscondaris. Quantum ad Paulum attinet, nihil impatientiae habuit, cum iussu pontificis alapa percuteretur, sed zelo contra hypocrisim accensus, dicebat, Percutit te Deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem: & contra legem iubes me percuti. Zelum autem post suum plenum candoris manifestauit, quum dixit, Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum: scriptum est enim, Principem populi tui non maledices. Quasi diceret (ait Augustinus) Ego alium sciuu principem sacerdotum, pro cuius nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui uos maledicitis, cum in me nihil aliud quam eius odistis nomen. Breuiter, ut paucis dicam, non est deferenda, malum retaliando, charitas, quae non quaerit quae sua, sed quae aliorum sunt. Illata

Iniuria cum contemptu. Infringere colaphum, neglectum habet.

Nobilibus nostris uel exiguum uerbum iras atrocem mouet: quid si pugnis percutantur?

Iniuriosis & uolentibus duabus de causis licet respondere.

Porrigere illi & alteram, quomodo intelligendum.

Preparatio animi, in sustinendis iniuriis necessaria. Christus alteram malam seruo percussoribus obtulit.

Michaeas Pseudoprophetae respondit.

D. Paulus iracundiam iustam respondit pontifici.

Charitas pluris habenda, quam quoduis damnum externum.



est iniuria: & patere, & minoris puta, quam ut propter eam commune charitatis uinculum soluas. Quod si iniuria communem ciuitatis statum uiolat, accusa: tantum salua sit charitas. Exemplo est Ioseph, qui suos fratres apud patrem criminis accusabat, si quid deliquerant, & ob id male audiebant, propter quod ille laudabatur. Neque enim malo erga illos animo erat, scilicet ut illos proderet, at neque ipsi uoluptas erat, discordiam & iurgiū seminare, & frigidam (quod aut) inter patrem & fratres suffundere, id quod illi suspicabantur, & ideo infensi erant ipsi Ioseph: sed amico & fraterno animo & ipsorum emendationem & salutē concupiscente. Nam nō libenter uidebat fratres notari infamia, & male apud omnes audire. Non poterat igitur Ioseph iure à fratribus accusari, quasi uindictæ cupidus, aut qui ipsis male consulum uellet, sed potius fratres summè diligebat, & ipsorum uitæ prospectum cupiebat, quo nomine, nihil non contumeliarum, & malorum ab ingratis fratribus perferebat. Huc pertinet similitudo de seruo, infra 18. cap. qui cum rationem suæ economiæ Domino reddidisset, nec esset soluēdo, & Dominus precanti omne debitum & æs suum remisisset, nec ille seruo suo exiguam summam remittere dignaretur, ceteri conserui ualde indolentes, & illius ingratitudinem agrè ferentes, rem omnem, ut gesta erat, Domino narrant, & aperiunt. Non quidem, ut conseruū ulciscerentur, sed ut illius scuitiam & flagitium Dominus argueret, & piū ac misericordem erga alium conseruum redderet. Ad hunc modum par erit fieri in unaquaque familia aut ciuitate, ubi si quis fidelis seruus aut subditus uiderit alium iniuste agere, aut hero suo damnum dare, salua animi mansuetudinē & manēte ordine charitatis, domino mox indicet, ut sibi prospiciat, & damnum præcaueat. Simili ratione officium probi ciuis exigit, ut quum uiderit suo uicino uim aut iniuriā fieri, illi opem ferat, & iniuriam propulsare studeat, seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Hæc sunt officia charitatis, quæ Christus non prohibuit, sed potius facienda confirmauit. Obserua hunc locum per synecdochen legi quod ex eo uno plura intelligamus. Hæc enim sententia monet Dominus, ut toti simus parati ad sustinendum & æquanimiter ac patienter ferendum iniurias à quocunq; quomodolibet illatas, idque propter Christum, propter charitatem proximi & amorem regni cœlestis.

Et ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

Iniuriarum aliud genus adducit, cum nō per apertam uim, sed prætextu iuris, damnum innocenti infertur. Vnde hæc uerba sicut & præcedens apophthegma, magno risu & cachinno exceperunt mundus & caro, existimantes nihil uanius, nihil stultius præcipi posse, quam quod his locis scribitur. Alij ex his acceperunt occasionem, pijs & Christianis (qui has sententias agnoscunt) mala & afflictiones inferendi, pallium & tunicam auferendi, & ad grauissima quæque onera illos cogendi. Id quod historia Ecclesiastica de Iuliano apostata & Imperatore restatur: Post Constantium filium Constantini magni fuit Iulianus imperator Romanus, qui priusquam eligeretur in Romanum Imperatorem, professus est in adolescentia Christianismum, & egit publicum sacræ scripturæ lectorem in Ecclesia Nicomedensi. Postquam autem creatus est Imperator defecit à Christianismo, ad impietatem & idololatriam gentium: & persequutus est Christianismum, primum non aperto gladio: sed scriptis, dolis, & quibuscunq; astutis artibus potuit. Ac præter alia curabat, ut Christianis bona sua auferretur, & iniquissimè ab idololatriis tractarentur. Cum igitur Christiani iniurias sibi illatas, coram Iuliano Imperatore conquererentur, repellebat eos à se: & respondebat, nullam ipsis posse iniuriā fieri, quandoquidem lex Christianorum iubeat eos, malo non resistere, sed auferenti tunicam, etiam pallium dimittere. Vnde apertè uides impium apostatam occa-

sionem ex his sententijs Christi sumpsisse, omnia mala bonis & pijs inferendi. Verum qui huiusmodi sunt, pessimè de uerbis Iesu Christi iudicant: & Deum ipsum creatorem nostrum, & unigenitum Dei filium, saluatorem nostrum, contemptui habent ac derident. Hæc enim uerba non considerata ueniunt, quatenus litera tantum & syllabæ sunt, sed excipienda, ut uerba filij Dei, quibus interpretatur nō humanum quoddam somnium, sed sanctissimam legem Dei. Quare tantò gratius peccant derisores, quantò maior est Christus, & sanctior lex Dei. Dominus itaque (ut diximus) hoc loco priuatas personas docet, & instituit, nihil magistratibus & potestati derogans, neque fert nouam legem, sed ueterem interpretatur, & quid in ueteri lege præceptum sit, explicat. Audistis (inquit) quod dictum sit, oculum pro oculo, &c. Lex præscribit his uerbis magistratui canonem, iuxta quem debeat iniurias alteri illatas legitime punire. Non est autem istuc rectè intellectum ab his, qui occasione huius legis usurpant sibi priuata autoritate licentiam, suas iniurias il legitime uindicandi. Aliud enim est officium magistratus, aliud officium hominis priuati. Magistratus necesse habet ex uocatione sua, oculum pro oculo, dentē pro dente exigere. Est enim minister Dei, ultor ad iram, ei, qui, quod malum est, fecerit. Vobis autē priuatis nullo magistratu fungētib; dico ne resistatis malo. Quod in magistratu officium est, hoc in uobis priuatis est uitium. Relinquit igitur magistratui suā uocationem. Vos autem homines priuati sectemini ea, quæ sunt ueteri uocationis. Quæ sunt illa, inquires. Ne resistatis malo, sed ei qui uelit te in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Ergo ne, dices, non respondebo coram iudice, & nudus incedam? Non hoc uult lex: sed dimittere pallium, est in tantum non referre malum auferenti tunicam, ut potius debeas ei & pallium permittere, & maiorem iniuriam sufferre, quam malum malo rependere. Igitur tunc diceris pallium permittere, cum non prosequeris odio auferentem tunicam, nec meditaris aduersus ipsum priuata uindictam, nec uicissim auferas ab eo suam tunicam: hæc enim mala sunt, & lege Dei prohibita. Rogabis. Licebit ne interim ablata tunicam iudicio repetere, & ciuilibus ordinationibus in hoc uti? Licebit. Hæc enim non sunt mala, sed sunt diuinæ ordinationes, in usum nostrum propositæ. Dominus enim ordinauit magistratum & leges eius, ut horum præfidio alter ab altero tutus sit. Dei (inquit Paulus) minister est, tibi in bonum, & ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. 1. Petri. 2. Subiecti igitur estote omni humane creature propter Deum. Siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tãquam ab eo missis, ad uindictam malefactorum: laudem uerò bonorum. Quia sic est uoluntas Dei. Quoniam ergo Deus magistratum in bonum & laudem bonorum ordinauit, possunt eo uti boni & pij, bona conscientia: vnde & ipse Christus, à seruo pontificis percussus, prouocauit ad publicum ius, Si male (inquit) loquutus sum, testimonium perhibe de malo. Et Paulus raptus ad carceres & mortem, nunc prouocat ad prerogatiuam ciuium Romanorum, nunc inuocat auxiliū tribuni, nunc appellat Casarem, quemadmodum testatur Acta apostolica. Quare si quis fuerit iniuria à proximo affectus, potest bona conscientia, præsidio legum uti, & à magistratu auxilium iuxta leges & ciuiles ordinationes (absit tantummodo inuidia, calumnia, uirulentia animi, mendacium, periurium, & id genus alia) petere, ut quantum fieri potest, ab alienis iniurijs tutus, sub sicu & uite sua habitet. Quare cum hæc bonæ cōscientiæ liceant, Dominus his uerbis, Ei qui uult tecum in iudicio, &c. non tibi interdicit usu publici iuris & ciuiliū ordinationum, quibus alienæ iniuriæ legitime resisti potest. Hoc enim dum facis, non priuata, sed publica uteris autoritate, cuius interest, bonos defendere, & malos punire. Valde tamen periculosum est in iudicio cum proximo contendere, cum oporteat ibi cor esse periculum & uacuum ab omnibus & odij & uindictæ perturbationibus, propterea quod mundus cum carne & sanguine malus est, subinde sua quarritans, & interim hoc

Accusandi sunt scelesti, sed salua charitate. Ioseph accusauit fratres.

Seruus conseruum, male frugi, accuset apud herum.

Ciuis à ciue suo, quilibet à uicino accuset iniuriā.

Mundo & carni uerba christi pro stultis habita.

Christiani grauiā passi ab ethnicis propter uerbum Domini.

Iulianus apostata, & persecutor.

Verba Christi Ethnicis male intellecta.

Dimittere & palliū, quid.

Magistratus nostra causa instiuit à Deo.

Rom. 13.

Paulus legi & potestati humanarum præsidio usus est.

Contendere iudicio cum proximo, res plena periculum.



uelamento magistratus se contagens, & animi improbitatem oculens.

Et quicumque te angariauerit mille passus,  
uade cum illo & alia duo.

Pergit Christus aliud iniuriæ genus adducere, quo complectitur omnia, quæ per tyrannidē siue subditis, siue aliis infliguntur. Quicumque te angariauerit, &c. id est qui te adegerit ad miliarium unum, abito cum illo duo. Quasi dicat, vsque adeo exactori unius miliarij non oportet priuatim malum referre, ut potius abire debeas cum ipso duo miliaria, ac maiorem tyrannidem sufferre, quàm malum malo referre. Hæc omnia Christi uerba Paulus paucis absoluit, Rom. 12. Non uos metipsum defendentes charissimi: sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi uindictam; & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illi: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres, super caput eius. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Obserua. Angariare uerbum est Perficum, autore Suida, significans adigere siue compellere. Apud Persas Regij nuntij *γγαροι* dicebantur. Vnde & qui literas inuicem tradunt perferendas, angari dicuntur, quos eisdem *ἀσάριδες* appellabant. Deinde translata uox est ad quosuis, qui seruorum aut iumentorum ritu baiularent onera. Est profectò angariare siue adigere, uerbum iniuriæ ac uolentia.

Qui petit à te, da ei.

Haftenus Christus docuit quomodo nos in iniuriis gerere debeamus erga iniuriosos. Nunc docet quomodo uiuendum sit cum illis, qui egestate compulsi, pacificè à nobis aliquid petunt. Lucas. 6. cap. Omni petenti dato, in genere dicit, ut acceptionem & respectum personarum prohibeat. Ita ergo possideas opes, ut eas pro fratrum necessitate cuique libenter impartias, meminerisque tibi à Deo datas, non tui tantum, sed fratrum quoque causa, & ut aliis suppedites, aliis hac parte inferuias. Responsabit forsitan quispiam. Si oporteat me largiri meas opes petentibus, quid mihi tandem relinquatur? Quid certius mihi eueniet, quàm egestas, mendicitas, & fames? At ut rectè uerba Christi intelligamus, in primis obseruandum est, nomine petentis, intelligendum esse pauperem & egenum. Et inter pauperes nō uult Christus curiosè delectum haberi, neque dicit, ut cuius sine discrimine largiamur & mutuum demus, sed tantum petenti, & inopia laboranti, simpliciter & liberaliter tribuamus. Deinde cum Christus hoc loco non nouas cōdat leges; sed ueterem interpretetur. & explicet, tollens pharisaicum commentum: manifestum est quòd hoc dictum, Qui petit à te, da ei, nō sit noua lex, sed ueteris legis expositio. Si explicueris legem ueterem, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, grauidam inuenies, & in ea foetum hunc reperies, Omni petenti abs te tribue. Nam unusquisque ita seipsum diligit, ut si quam habeat indigentiam & necessitatē, ac inuocet in ea opem proximi sui, profectò optet sibi à proximo subueniri. Habet igitur secum quisque legem, quæ iubet ipsam quoque necessitati & indigentia cuiusuis petentis subuenire. Proinde hic locus non suppeditat occasionē dicendi, quòd statuatur ex eo facultatum communio, qualem finxerunt Anabaptistæ. Qui maximus proculdubio error est, omnem rerum statum & ordinem perturbans. In primis igitur hoc loco non statuatur, ut iniqua, iniusta, & impia petenti tribuamus. Literarum monumentis tradiderunt Ethnici, Hortensium petiisse à Catone uxorem ipsius, quò maiorem familiaritatem cum eo contraheret, & ex ea liberos tolleret: ac Catonē non solum non denegasse, sed etiam interfuisse sponsalibus. Quid hac petitione inhonestius? quid & exhibitione turpius? Nam non solum lex Dei sancta, uerumetiam communis hominum sensus turpe lenocinium esse pronuntiat, unaque damnat cum Nicolaitarum errore. Deinde his uerbis neque impossibile factu iubetur, at neque ut aliena tribuas, neque ut des

Abire cum proximo duo miliaria.

Angariare.

Petens, Egenus. Pauperum discrimen non anxie habendum.

Mutuum dare, sub secundo præcepto comprehenditur.

In Anabaptistis, contententis res omnes, communes esse debere. Cato an rectè fecerit, uxorem suam dans Hortensio utendam.

noxia, perniciosà, & mortifera; neque ut des uoluptuariis hominibus præcipitur, sed his uerbis imperatur candida & sincera dilectio proximi, scilicet ut proximum egentem quàm liberalissimè adiuuemus: atque id ea mensura, de qua Paulus ait, 2. Corin. 8. Non ut aliis sit remissio, uobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in præsentem tempore, uestra abundantia, illorum inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Summo studio intelligendum & obseruandum esset in singulis ciuitatibus, cuiusmodi homines agerent, qui pauperes essent & inualidi, & qui non: ne quiuis ergo aut nebulosus in conuictum & societatem reciperetur eorum, quos uel morbus uel senium egestati coniunctum in nosocomijs publicis retinet, sed quos nulla premit necessitas sibi operam manuaria uictum parare cogentur. Si quidem huius farinae uerberones & furciferi per omnes regiones non pauci uagantur & obambulant, facessentes rusticis negotium, & hac doctrina freti, uentri & otio indulgent, aliorum sudorem & laborem deuorantes: & ita omnia luxuriosè uiuendo abliguriunt, ac subinde locum loco & solum solo mutant.

Et uolenti mutuare à te, ne auertaris.

Duo iam declarauit, quæ Christianis in re familiari facienda sunt, ut malo non resistant, & petenti tribuant. Nunc tertium addit, ut non grauatè dent mutuum, corrigens in hoc Pharisaicum commentum. Quasi dicat, Audistis, quòd dandum est mutuum, sed diuitibus, & unde sperabis æqualia: uel iis, qui aliquando & ipsi mutuum dederunt, uel amicis, cognatis, & gratis. Dico autem uobis, mutuum date, etiam ubi non speratur retributio: ubi nihil præcessit beneficij, etiam ubi nulla intercedit uel amicitia uel cognatio: idque fiat gratis, ne pecunia pecuniam generet. Porro tametsi gratis mutuandum sit, & nihil inde, id est ex ui mutui, sperandum, eoque necesse habeo pauperibus pro uirili mea succurrere: tamen licebit mihi cum diuitibus & possidentibus agros, & alia bona, ciuilibus contractibus uti, modo (ut Paulus docet) non opprimam, aut fraudem in negotio proximum, seu fratrem meum. Si mutui emptionis & uenditionis contractus, quo hi qui agros & alia bona possident, inter se utuntur, per se impius esset, non diceret Christus in Euangelio, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et si non liceret paria pro paribus à possidentibus recipere, cur Christiani, (ut est in Actis) possidentes agros, aut aedes, uendiderunt ea, & attulerunt pretia ad pedes Apostolorum? Certè bona conscientia homini Christiano licet in certo aliquo fundo, aut bonis ciuitatis emere annuos redditus. Modò non circūueniatur proximus, & iustum detur pretium. Hic contractus est emptio iusta, non autem mutuum, in quo solo reperitur usura iure diuino prohibita. Sacræ literæ docent quidem reiiciendos esse illegitimos contractus: sed qui sint illegitimi, lex ciuilis & humana docet, ad quæ pro huiusmodi confugiendum est. Nam quemadmodum in re medica sacræ literæ docent licere uti naturalibus & ordinarijs pharmacis, non autè docent, quæ pharmaca, cui morbo admouenda sint, sed reiiciunt hoc ad iudiciū Galeni, Hippocratis & aliorum medicorum: ita in contractibus ciuilibus sacræ literæ docent quidē pio homini licere legitimis contractibus uti: non autè explicat, qui contractus sint legitimi, sed reiiciunt hoc ad leges & iudicia magistratuū non iniquorum, qualis fuit apud Indos, quorum legibus licuit prorsus nudè incedere, & parentes senio appropinquates uelut hostias cedere, ac carnibus eorum uesci. Hæc sunt contra naturā. Sed loquimur de magistratu, qui ex bono & æquo ac iuxta rectā rationem iudicat: unde quæ ille in ciuilibus contractibus iudicat esse legitima, & politica ac societati humane uti lia, ea uir bonus tutè sectari potest. Obserua. Mutuum dicitur ab eo, quod de meo tuū fit. Paulus iureconsultus, Mutuum damus, recepturi non eandem speciem quam dedimus: alioqui aut commodatum erit, aut repositum genus. Nam si aliud ge-

Aduersus ualidos mendicantes.

Mutuum quomodo & quibus dandum.

Contrahere licet atque cōponere de rebus necessarijs corpori.

Sacræ literis permissum uti iustitiam pharmacistū pactis, sed quæ illa sint propria illorum arti tradendum reliquit. Indorum inhumanae leges: Vide Herod.

Mutuum quid.



nus, ueluti pro tritico uinum recipiamus, non erit mutuum: sed si tradidero tibi pecuniam, recepturus aliam post mensem, mutuum est. Hinc mutuo quicquid crementi accedit, usura est: neque sperandum, neque accipiendum est quicquam ex ui mutui.

Usura quando committitur.

### Audistis quia dictum est.

Iesus Christus summam legis, hoc est præceptum de diligendo proximo, suo nitenti restituit, quod pestilentissimo rationis humanæ commento, ceu terra, Pharisæi obruerant: de suo adicientes, uerbo Dei ( iubentis proximum diligendum esse sicut seipsum ) inimicum habendum odio, quod scriptura nusquam meminit. Hæc lex de diligendo proximo scribitur, Leui. 19. Diliges amicum tuum, sicut te ipsum. Vbi uox, qua usus est Moses, loco uocis, amicum, rectè uertitur, proximum. Ad hanc Christi sententiam explicandam, operpretium est singula expèdamus uerba, & obseruemus in hoc præcepto, quid præcipitur, certè dilectio iubetur. Quis diligendus? proximus. Quomodo diligendus? Diliges sicut te ipsum.

Inimicum odio habebis, commentum Pharisæicum

### Diliges.

Quia summa legis, charitas est, & proximi dilectio, ait Paulus Roma. 13. Qui diligit proximum legem impleuit. Nam si quod est mandatum, in hoc uerbo instauratur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Plenitudo ergo legis, est dilectio: uoluit Christus nos docere uinculum, quo unum cum ipso fiamus, sicut ipse cum patre unum est: & ut uinculum amborum est Spiritus sanctus, ita & nescimus, quo Christo uniamur, sit charitas, qua cõformes imaginis filij Dei efficiamur, filij Dei sumus, & illi insiti sumus, ut ipsi eternum uiuamus. Armatur igitur Christus, & fingit ac format cor nostrum, à quo, ueluti à fonte, omnia fluunt, non quauis uirtute, sed ea potissimum, quæ nos ad imaginem diuinæ bonitatis reducat, nimirum charitate seu dilectione erga proximum. Proinde, ut Deus est spiritus, ita uult suos spirituales, & in spiritu adorare: uerax est, ideo uult suos in ueritate ambulare: charitas est, ideo suos in dilectione & charitate ambulare uult, quæ seipsum exerat erga proximum, & ad utilitatem proximi sua dispenfet. Cuius natura tantum abest à maleuolentia, ut prius omnia perferat, quam in fratrem scienter peccet. Obserua: diligere siue amare, est uelle alicui, quæ putes bona, non tui ipsius gratia: & pro uiribus etiam ea quæ tibi præstari uolueris, illi præstare.

Per dilectionem mutua unum inuicem & cum Christo efficiamur

Deus nos uult similes sibi.

Charitatis proprium.

Diligere uel amare, qd.

### Proximum tuum.

Hoc nomine, quis à nobis diligendus est, determinat. Græcis legitur ὁ πλησιος, id est, is, qui propè sit, hoc est proximus, qua uoce Latini significant eum, qui utcumque nobis fuerit adiunctus, in quem quouis pacto inciderimus. A diuentionis huius sunt aliquot gradus, ut si fuerit fidei confors, consanguineus, affinis, conciuis, hospes, domesticus, uicinus, eiusdem officij, & uocationis, aut alia quacumque ratione coniunctus, is erit tibi proximus. Quem cum nactus fueris, iuxta Dei mandatum officia dilectionis illi exhibebis, tum pro tua portione, tum pro illius necessitate, agnoscens hoc tuum esse, siue ad te Christianum spectare, ut nihil non beneficij præstes iis, quos tibi Dominus obiecerit. Obserua. Lex non dicit, diliges doctum, pauperem, domesticum, miserum, &c. sed simpliciter proximum. Quis quis proximus est, qualis qualis sit, diligendus est. Certè ut uerus ignis est, ut calefaciat, & illius calorem experiuntur quotquot illi sunt proximi: ita nobis præcipitur generalis quædam & constans animi bonitas erga quosuis, quam experiantur oportet quotquot nobis propinquunt, si uerè diligimus. Interim tamen gradus dilectionis seruandi sunt. Sunt enim, qui nobis duplici nomine reliquis coniunctiores sunt, Galat. 6. Ergo dum tempus habemus, operemur boni ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. En uides omnibus quidem bene-

Charitas ignis est, afficit omnes adstantes.

Gradus in beneficentia.

faciendum, sed præferuntur domestici fidei. Rursus. i. Timoth. 5. cap. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet: fidem negauit, & est infideli deterior. En arctiorè aliquà dilectionis gradū uides ex domestica necessitudine consergere. Quare quo quisque nobis propinquior siue proximus magis, & uicinior est, ita debet & arctius à nobis diligi: ita tamen, ut nemo proximus cõtemnatur. Absolutissimum dilectionis exemplar in Christo erga proximum, etià inimicum, legimus. Quandoquidem nos, ut proximos, excepit, & pro nobis peccatum factus est, ut in ipso iustitia essemus, nostri gratia exinanuit semetipsum; forma serui assumpta: & cum diues esset, pauper pro nobis est factus, ut nos ipsius inopia diuites essemus. Hunc eximium suum præceptorem Paulus imitatus, oportebat anathema fieri à Christo pro fratribus suis, quò ipsi seruarentur, quos tamen insensissimos hostes habebat. Agnosce zelum Pauli & pium affectum erga proximum.

Domestici duplices.

Christus ex pluri dilectionis expressissimum.

Pauli charitas quanta.

### Sicut te ipsum.

Hæc sunt legis uerba, quibus præscribitur dilectionis modus, non ex his, quæ extra nos sunt, sumptus, sed ex nobis ipsis, ne sit aliquis excusationi locus. Caro enim prorsus ignorat, nec uult intelligere, qua ratione inimicum diligere debeat. Vix amicum unam horam aut alteram diligit. Nam usque adeo carnè corrupti sumus, ut neminem propè minus diligamus, quàm eos ipsos, cum quibus familiariter uiuimus, quòd facile & breui admodum tempore cognoscant naturæ nostræ malitiam & corruptionem. Hoc fugit superba & ambiciosa caro, nolens argui, uolens uideri quod non est. Vnde cum audit diligendum inimicum, perstrepat, insanit, & uelut percita furore est, malens uel dare aliquid, uel quauis externa re simulare potius, & seipsam diligere, & amicos, quàm exhibere dilectionem inimico, quòd ipsam ex diametro cum ingenio suo pugnare iudicet. Sed tam apertus & adeò manifestus dilectionis modus præscribitur, quum dicitur, sicut te ipsum, ut & cæcis & surdis & mutis, imò & quibusuis sit apertissimus, & uel inuiti, hunc modum cognoscamus, quòd non ab externa re, sed ab ipsius cordis natura, & à nobis ipsis sumatur. Nam non dicit, dilige proximum, sicut proximus te diligit, aut sicut ab alijs diligeris, sed sicut te ipsum. Jam neminè siue cæcum, siue surdum, siue uel mutum, later, quàm seipsum diligit. Nemo ignorat, quàm se per omnia planè & perfectè diligit. Gnomem ergo dilectionis erga proximum non foris, sed apud te, & in uisceribus tuis insculptam habes. Alio non est opus præceptore. Ideo què admodum diligimus nos ipsos, non ad unam aut alteram horam, sed continuè: non remissè sed uehementer: non simulatè sed uerè. Ita & proximum candido & sincero, hilari ac constanti animo diligamus oportet. Obserua. Particula, sicut, gradus & proportionem denotat, ut diligas, proximum tuum in officio, in dignitate, in priuilegio eius, sicut te ipsum in officio tuo, & uocatione tua. Oportet hanc uoluntatem siue dilectionem esse legitimam & rectam, hoc est, ut sit iuxta uerbū Domini. Quia ut neque tibi, ita neque proximo uelle debes, quod uerbo & legi diuinæ aduerferet.

Modus diligendi.

Charitas ortum habet ex nobis.

Charitas quæ in nobis tenet.

Charitatè ueram non nouit caro.

Dominus uoluit nos omnes nosse, quomodo diligamus proximum. Sicut te ipsum quid.

Sicut.

### Et odio habebis inimicum tuum.

Nullibi in uetere testamèto hoc scriptū est, propterea ait, Audistis dictū. A quibus? ab impostoribus & fermento pharisæico saginatis, indoctis certè dialecticis: qui, quod legerant, Leuitici 19. Diliges amicum tuum sicut te ipsum, inferebant: ergo odio habendus est inimicus. Quasi uerò adstrictus sim aliquo præcepto ad odio habendum inimicum, quia ex præcepto teneor diligere amicum. Putabant in rebus diuersis hanc esse firmam regulam, ut si altera præcipiatur, altera prohibeatur. Diuersi sunt amici & inimici, ergo si præcipitur diligendus amicus, odio habendus est inimicus. Hæc falsa ratiocinatione eneruabant legem Dei, & odium



inter proximos fouebant. Legimus quidem diuinitus præceptū fuisse Israëlī, Deuter. 7. 20. 23. 24. 25. & p̄sim per quinque libros Moisi, de inimicis ipsorum, nempe de Moabitīs, Ammonitīs & Amalechitīs, ut ipsos, ueluti hostes Dei, gentes idololatrias, qui in terra Chanaan, & circa eam habitabant, partim occiderēt, partim sub tributo tenerent, partim benignè tractarent, ut diuersa erant illarum gentium merita. Sed nusquam uel has uel illas iussi sunt odisse: nedum ita in genere uspiam præceptum legimus, odio habere inimicum: cum inimici & ex fratribus quotidie existant. Hanc legis interpretationem & additionem Christus Dominus Iesus, legis reparator & consummator reicit. Et ex contrario iubet diligere inimicos. Si uerba legis, Leuit. 19. Ego Dominus, non oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publicè argue eum, nec habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuū sicut teipsum. Ego Dominus: expenderimus, manifestum fiet quā debeamus habere animum purum & bene affectum ac amicum erga quoslibet. Nam in lege adducta ex Leuitico in primis prohibetur odium & uindictæ cupido, & acceptæ iniuriæ memoria. His subditur: Sed diliges amicum tuū sicut teipsum. Quod si hac lege solum præciperetur amici dilectio, hoc est eius qui bene uelit, diligit, & beneficiat: cur præmittitur, præceptum de non odiendo fratre, deinde de corrigendo, item de non ferendo super eum peccatum, de non quærenda uindicta, & non seruanda iniuriæ memoria? Proculdubio firmiter apud me statuo, hanc esse mentem legis, ut non amicum tantum, sed & inimicū, uidelicet qui iniurius fuerit, diligere debeamus, cum statim subiungatur, sed diliges amicum tuum siue proximum tuum, sicut teipsum.

### Ego autem dico uobis

Quia ut neque alios Scribæ & Pharisei, ita neque hunc locum scripturæ intellexerunt, sed plus iusto euagati sunt, & nimis licenter pro libidine sua scripturis abusi sunt: ostendam uobis me non eō uenisse, ut legem soluerem, & nouam dederem: longè aliter legem illam explicabo, & sanum ipsius intellectum illis demonstrabo: quem non excipient, ut suam stabiliant opinionem & suas nēnias confirment. Ego diuinæ uoluntatis proclamator & interpret: ego, inquam, qui solus impleo & perficio legem, dico sic uobis, qui habetis uerbum meum, declaro mandatum de dilectione, & aperio quod perfectum est, & adfero, quod impossibile non est.

### Diligite inimicos uestros.

Inimicos uocat homines, qui nos odio prosequuntur, siue qui mala nobis procurant. Hos ex præcepto de diligendo proximo, diligere præcipitur. Siquidem etiam inimicus proximus est: Imò eo ipso quod inimicus est, proximus esse conuincitur: nimirum est tibi notus, & aliquid commune tecum habet, cuius gratia tibi inimicatur. Proinde quando hæc est uoluntas Dei, & ita beneplacitum est illi, ut inimicos diligamus, quid queri possumus? Et quia in carne uehementer infirmus sumus, non poteris huic dilectioni satisfacere, nisi abnegato temetipso & implorato fauore diuino, ut domita superba carne, inimicū diligas: hoc dū facis, id est, dum teipsum abnegas, & omnem tuam fiduciam in Christum collocas, iam filius Dei es adoptatus, & spiritu Christi ductus: nec aliud ingenium refers, quā tuū patris cœlestis, apud quem non est odium, sed dilectio: & talis dilectio, ut inimicos etiam suos, nos uidelicet, cum adhuc impij essemus, Roma. 5. dilexerit, & adhuc hodie diligit. Atque non ipse pater solus, sed & cum eo filius eius Dominus noster Iesus, sedens ad dexteram patris, aduocatus noster, deglutiens mortem, & peccata nostra imò & perpetuus interpellator & propitiator pro nobis apud patrem, quem in ipso placatum per fidem & charitatem sentimus, & magnificamus.

Inimicos suos quomodo iussi sunt Israëlī tractare.

Ex uerbis legis odium & uindictæ libidinem prohiberi.

Inimici qui diligendi. Inimic⁹ proximus est.

Inimicos quo modo diligas.

Qui diligunt inimicos, ipsissimi filij Dei.

opulenter experimur. Respondebis. En promptus paratūque sum inimicos diligere, sed odium inimici non conuenit mecum. Respondeo. Cum totus nihil nisi cœlestia spires ac speres, & teipsum abnegaueris, nimirum hoc sicut & reliqua terrena, contemnis, ac neque odium inimici in te, hoc est, quo te odit, te remorabitur ab amore ipsius. Dices. Proximus nō diligit. At quomodo poterit hoc offendere eū, qui neque se diligit ipse, nec dignum arbitratur, qui diligatur? Obiicies. Studet ille, & pro uirili conatur & famam meam & existimationem extinguere. Proculdubio minimū hoc tibi fuerit, qui in hoc seculo non uenaris gloriam, imò cui hæc omnia regna mūdi fœtent: & qui huic mūdo es crucifixus, hæc omnia, ut stercore facis & æstimas. Dices. Nocet bonis fortunæ. Non putauerim, hanc affectionem te Christianum posse ab hoc præcepto reuocare. Nam Christiani uita & conuersatio iam in cœlis est. Quærit fidelis homo, non quæ super terram sunt, sed quæ in cœlis promissa sunt bona. Respondebis. Inimicus lædit, affligitque corpus. Heus tu, quid ais? animo forsitan excidis. Hoc tu idem facis propter inhabitans in membris tuis peccatum, ieiuniis, labore, uigiliis, inedia, castigatione acerbè corpus ipsum tractas, illique admodum male propitius es: istuc ipsum si ipse efficiat uel tect inimicus, nihil est quod causeris, quod te hoc labore leuet. Dices. Infidiatur uitæ meæ. Respondeo. Infidiatur quidem, sed quid ad te, qui cum Paulo cupis dissolui, & esse cum Christo: & cum eodem ad Philip. 1. dicis, Mibi enim uiuere Christus est, & mori lucrū. Si igitur filij Dei fuerimus, patrem referemus, & neque graue neque molestum erit, ut toti ad dilectionem propensi simus: & proximum, siue amicum, siue inimicum, diligamus: eoque fortius contendemus ad dilectionem quod inimicus sit. Quemadmodum enim qui uerè amici sunt, laboratibus amicis maiore sedulitate & diligentia, quā bene habentibus, inferuunt: Ita multo studiosius beneficentiæ officiis nobis curandi sunt, qui odio aliquo aduersus nos, ipsis planè exitiali malo laborant, quā qui rectè erga nos animati existunt. Vide infra conciliationem. Obserua. Noxios plectere, & pœna afficere, publica personæ & officij est, quod Dei iussu fieri debet. Caterum hoc præcepto. Diliges proximum tuum, sicut teipsum Omnes è vulgo & promiscua multitudine comprehenduntur. Diligere autem in eo consistit, ut simus amanti corde erga inimicos nostros effusi, omnia bona ipsis optantes, & ex animo amici, mansueti & suauis erga quoslibet, non in malis alienis gaudentes.

### Bene precemini deuouentibus uos.

Hanc sententiam post uerba Diligite inimicos uestros, addunt Græci codices, inter quos est Theophylactus, quam neque in nostra editione reperio, neque Hieronymus, neque Chrysostomus addunt. Fortassis quispiam studiosus illam huc affluit ob affinitatem sententiæ ex epistola Pauli ad Roma. 12. Benedicite persecuentibus uos, benedicite, & nolite maledicere. Frequenter enim hac occasione comperiuntur loci aliquot immutati. Hæc ueluti per occupationem scripta sunt, quoniam tam maliciosa & rimax est natura nostra, ut quoquouersum tergiuersandi occasiones & elabedi, rimas querat, quibus uenari & inuenire possit locum excusationis, qua non diligit inimicos. His quidem (ut ait) parata sum neque dicere neque facere male, modò inimicos non diligam. Propterea sequentes appendices sunt ueluti explicatrices & interpretes illius legis, Diligite inimicos uestros. Quapropter tametsi bene dicere & bene facere comprehendatur in uerbo diligere, tamen ne sit excusationi locus, amplius & clarius expedere uoluit Christus, uerbum diligere, dicens, Bene precemini deuouentibus uos. Quibus uerbis uetat, ne inimicis uicissim malè dicamus, licet illi turpissimè & criminossimè nos uituperent, & omnibus contumeliis & probris ac maledictionibus afficiant, sed potius iubet, ut mera bona de illis dicamus. Vnde elegans & uerè Christianum est illud

Nihil mortatur, qui Dei filius est, quod odium inimici, quom hūc diligit.

Fama respectus null⁹ uero filio Dei.

Christiano nihilcum bonis fortuitis.

Corpus suū atque adeo omnia filij Dei posthabent dilectioni.

Similitudine insigni docet plus præstantum officij inimicis, quā amicis.

Inimicos diligere caro non nouit.

Inimicis quā uis molestis ne faciamus aut uelimus, malè.



uerbum, quod plerique optimi uiri usurpant, quoties audierint ab aliquo sibi factis aut uerbis obiectam iniuriam, dicentes, Ignoscat ipsi Deus, quasi querendo & compatiendo. Quod cum dicunt, nihil amplius optant, quam ne talis culpa ipsi coram Deo damno sit. Et hæc bona lingua dicenda est contra alias improbas. κατὰ τὸν ἔχθραν, id est deuouere, est diris & maledictis insectari. Qui inimici sunt è suo malo & inimico corde hæc maledicta egerere student. At qui amico sunt animo, quæ charitatis sunt, faciunt. Radix enim sancta est, ideo & rami sancti. Ideo proximum benedictis prosequuntur. Est enim bene precari, quod Græcis βλογαῖν dicitur, benedictis aliquem prosequi. Ad hæc hortatur Paulus Roma. 12. Benedicite persecuentibus uos: benedicite & nolite maledicere. 1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed contrario benedicientes, quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. 1. Pet. 2. Christus cum malediceretur non maledicebat. 1. Corinth. 4. Maledicimur & benedicimus. Respondabit quispiam. Quid igitur dicendum erit, de eo quod in scriptura legimus, uidelicet multos, etiam sanctos homines, inimicis suis maledixisse: atque etiam eosdem execratos esse, sicut ipsum Christum & Apostolos fecisse constat? Similiter & Dauidem in psalmo, Deus laudem meam, &c. An hoc sit amicos diligere & benedictione prosequi? Respondeo, Apostolos & uiros sanctos id non ex priuato, sed publico, & eo sibi iniuncto officio fecisse. Cum aliquid spectans ad Deum facimus, non nos ex nobis ipsis facimus, sed ipse nobiscum per uerbum: nos per officium, & proprium munus & mandatam. Iam Ioannis. 16. memoria proditum est, opus & officium Spiritus sancti esse arguere mundum de peccato, iustitia & iudicio. Cum igitur mundus sit in maligno positus, & ob id arguendus, non debet Apostolus aut concionator Spiritu Christi ductus, & Euangelicam prædicans doctrinam, imò nec potest mundum assentationibus demulcere, & solentibus titulis honestare, aut aliquid ipsius auribus dare, & loqui ad gratiam, & que illi placeant: sed amarulentis uerbis increpandus est, & inuadendus. Sicut Christum uidemus Phariseis uæ imprecari. Et Paulum Act. 13. acerbissimis conuitiis Elymæ mago maledicentem. Paulus repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere uias Domini restas. Et nunc ecce manus Domini super te & eris cæcus, non uidens solem usque ad tēpus. Præterea Stephanus Act. 7. per quam amarulento sermone Iudæos obiurgat, & accusat, in primis uerò Paulus Galat. 1. & aliis cap. omnia genera maledictorū semel effundit in eos, anathemate omnes feriens, execrans & deuouens, & in ima uelut tartara præcipitās, quotquot Euangelium & puram de fide doctrinam obscurant, & adulterantur. Dauid ex munere & officio suo (non autem ex priuato consilio, aut extra docendi officium positus, hoc enim modo ipsi non liceret) Psal. 2. magna constantia erumpit, & omnibus regibus ac principibus minaciter edicit, ut humiliare se cogitent, & doctrinam de Christo humiliter excipiant: aut breui fore, ut pessum cant, & in exitium atque damnationem præcipitētur. Quis ista dicere auderet, nisi fretus uerbo Dei, quod sua natura, ut ut suaue & amicum fuerit, tamen cum opus est, tonat & fulminat, & montes maximos oppugnat, quos etiam tangit, ut fumigant, & omnia; quæ magna, arrogantia, superba & rebellia sunt, conterens & confringens, sicut psalmus 28. testatur. Et contra, ut frugifer & fecundus imber omnia perfundit & rigat, plantat & confirmat, quæ egra sunt & inualida, cuiusmodi sunt plantæ arefcentes & flaccidæ, ita & uerbum. Quare qui extra docendi officium sit, & cui uerbum Dei non est commissum, si uelit proximum conuitiis & maledictis incescere propter priuatum odium, iniquè agit: Cui autem docendi uerbi prouincia tradita est, illi curandum est, ut non taceat, sed uiriliter uerbum defendat aduersus uerbi detractores & obscuratores. Oportet sanè eum, qui prædicatorem & Ecclesiastem

Deus illis ignoscat, uerbum prius de inimicis infertis

Quid, quod sanctos plebsque constar inimicos suos deuouisse.

Spiritus sanctus per concionatores arguit mundum. Execrationes & deuotiones in sacris literis, & a uiris piis. Christo. Paulo. Stephano.

Dauid.

Munus publicum cum uerbo Dei, uiros Dei uehementiores reddit. Verbi Dei uirtus.

Ne taceat, qui ad loquendum est missus.

agit, dentatum esse, non edentulum: quippe cuius officium est mordere & salire & impiis ueritatem dicere, & audire recusantes anathemate ferire, ac celo excludere, & ignem tartareum ac diaboli cõsortium minari, nisi respicere uelint. Interim tamen ut ut inimicis infensus sit, non illos prosequatur odio, sed candidissimo animo bonis ipsorum cum spiritalibus tum temporalibus ad salutem faciebit. Nam extra officium positus, contineas te, doctrinam Christi sequutus: & ne maledicas, aut diras imprecationes euomas, sed inimico omnia humanitatis officia ostende, licet mala faciat: & illis, qui in officiis uersantur, negotium suum uerbum Dei suauiter commenda. Et quantuis inimicum tuum ipse non ulciscaris, nec ab eo uindictam quæras, erit, quum ab inimico tuo pœnas repetet Deus, nec te inultum sinet. Certè quicumque proximum iniuria uel damno afficit, iudicium Dei, nequam est effugiturus. Colligamus summam præcedentium. Homines diligendi sunt, & illis inferendum: sed Deus præ omnibus amandus & colendus est, nec ullus amor admittendus est, qui amoris Dei impedimento fuerit. Modus itaque, quo Christianus se erga amicos & inimicos rectè geret, hic est: Neminem nõ amet, nemini non benedicat, quod ad proximi personam attinet. Cæterum quod ad Deum & uerbum eius attinet, nulli quicumque ignoscat, & ne minimi quidem errati gratiam faciat contra Deum, sed hoc omnibus rebus anteponat, nullius respectum habens, siue amicus sit siue inimicus. Nam hæc causa, neque nostra neque proximi, sed Dei est, cui præ omnibus obediendum est. Quare inimicis meis, etiam capitali odio me persecutibus, fauebo, & amicum me præstabo, modò nihil moliantur aduersus uerbum Dei.

Concionator zelo Dei armatus sit.

Uerbum Dei ubique factum sanctum habeatur.

Benefacite his, qui oderunt uos.

Quoniam planè impossibile est naturam nostram huic carni immerse, pro omnibus generibus malorum, iniuriarum, & damnorum non nisi bona reddere: nec se permittere uincendam ulli improbitati, aut nefandæ ingratitude: sed malum bono uincere & opprimere, sicut Paulus docet, Rom. 12. Ideo neque mundus neque animalis homo quicumque intelligit in hac doctrina, qua Christus statim inuitio eam conditione proposuit ei, qui uolet esse Christianus & Christi discipulus, nempe ut necesse habeat multo præstantiori iustitia excellere, supra Phariseos & Iudaica sanctimonia superbientes. Qui uult dici discipulus Christi, oportet animum suum testatum faciat bonis operibus, amicitis, & omnifariâ officiis, etiam erga inimicos. Necessarium est, sit beneficus, hoc est, nõ solum bonum operetur, sed etiam sit huic animus & studium benefaciendi, hoc est, sit propenso animo ad benefaciendum quibuslibet. Vtrunque enim complectitur beneficentia, & cordis beneuolentiam & operis beneficium, ut bene sit proximo, & rebus proximi, quantum per beneficium fieri potest. Non absimile præceptum erat Iudæis, quantum magis uiris Christianis? Exodi 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si uideris asinum odientis te iacere sub onere, non transibis, sed subleuabis eum. Huc pertinet beneficentia Helisæi, qua etiam inimicis suis subuenit & bona est illis impertitus, 4. Reg. 6. Paulus idem docuit Roma. 12. Si esturrit (inquit) inimicus tuus eiba illum. Rogabis: cur præcipitur hæc beneficentia? quia gratissima Deo est: cuius uim & energiam naturamque præ se fert, nimirum ex inimicis reddit amicos, & concordiam resarcit inter fratres, & meretur dilectionem. Quod si tam obstinato animo fuerit inimicus, ut nullis beneficiis emolliatur, satis fuerit te illi causam dedisse, ut tandem in conscientia sua, nolit, uelit, malitiam suam agnoscat, & damnet. Exemplo erit beneficentia Dauidis erga Saulem, 1. Reg. 24. Obserua. Nouis etiam auribus opus esse, ut ista integrè dilectionis doctrina percipiatur, quibus qui carent, etiam si ista audiant, nequeunt tamen intelligere: nam ut ait Isaias, 7. cap. Nisi credideritis non intelligetis.

Caso doctrinam Christi & uerbum crucis neque assequitur neque recipit. Discipulus Christi sequatur doctrinam Christi.

Beneficentia beneuolentiã cõplectitur.

Etiã lege Mosaiica præceptum, ut inimicis fieret bene.

Na occasione inimico diligendi te, & officio tuo perfundit es. Nouis auribus audienda noua doctrina.



## Et orate pro persequentibus &amp; calumniantibus uos.

Singulari quodam progressu & gradatione dilectionis, pergit Christus maius beneficij genus precipere, ut augete inimici maleficio & odio, crescat in uobis dilectio. Malum est proximi odium aduersus te. Bona est interna dilectio quam erga proximum habes. Age precipit Dominus, ut quanto auctius illud odium fiet, tanto magis augetur beneficentia & dilectio erga proximum tua. Ut enim augetur odium quando in conuictum & maledicentiam foras prorumpit: ita auctior fit tua dilectio, quando foras exeritur, & benedicimus te prestat. Rursus odium augetur, quando post conuicta itur ad uerbera & lationem. Augetur & dilectio cum benedictione, quando beneficium te erga persequentem exhibueris. Auctius fit odium quando lationem sequitur insectatio. Maior fiet dilectio quando benedictionem & beneficentiam sequetur pro tuis calumniatoribus & persequentibus oratio, quæ non tepidum & remissum, sed feruentissimum postulat animum. Alioqui nostra ipsorum necessitate, ita sumus stupidi, ut egrè pro nobis ipsis oremus, nedum pro aliis. Exemplo nobis sint Christus & eius discipulus Stephanus, qui cum ab inimicis suis occiderentur orauerunt ad Deum pro illis. Vnde non abs re indistat sunt nobis ferix, quibus cum magna admiratione tam ardua & egregia facta celebramus, & memorix indelebili commendamus. Hanc doctrinam seruauerunt Moses & Paulus, ut, interim de reliquis taceam. Quamquam enim populus Israel maximis sæpè iniuriis Mosem affecerat, & nonnunquam ad mortem ipsi inferendam quæsierat, tanta tamen charitate eos complectebatur, ut sic oraret ad Deum: Aut dimitte eis hanc noxam (Exo. 32.) aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Sic Paulus optat fieri anathema pro Israelitis, Rom. 9. Nam tametsi Israelitæ persequebantur Paulum capitaliter, & insidiabantur uitæ eius diu nocturne (ut legitur in Actis) tamen optabam ego ipse (inquit) anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Qui uult igitur esse discipulus Christi, & hanc iustitiam, abundantem supra iustitiam Scribarum & Phariseorum, amplexari, diligat proximum, etiam inimicum, persequentem ac calumniatorem, nec solum diligat, sed benedicat: nec solum benedicat, sed benefaciat: nec solum benefaciat, sed ut oret pro inimico odio habente, maledicente, calumniante & persequente. Obserua. Persequor hoc loco in malam accipitur partem, significans insectari & ulcisci. Calumniari, est calumniam intendere, ut cum per fraudem & subdolum rationem, causa uincendi, in litibus, mendacis alios quispiam uexat. Calumnia crimen falsò impositum.

## Ut sitis filij Patris uestri.

Argumento à natura, uehementissimè hortatur ad solidam hanc beneficentiam etiam erga inimicos. Quasi diceret: Natura comparatum est, ut filij parentes moribus referant. Quod si germani filij celestis patris perhiberi uultis, tum moueat uos ipsius exemplum, ut pari ratione iuxta modulum uestrum uiuatis & faciatis, sicut ipse. Quid facit? Solem suum oriri, &c. Cum inimicos diligitis, ipsi inimici uos in commodum uestrum exercent, & dant uobis ansas patientiæ, quæ probamini, & magnum consequimini fructum, nimirum uocamini filij Dei. Ut enim qui oderunt, maledicunt, malefaciunt, persequuntur & calumniantur pios, sunt filij diaboli: ita qui ingenium patris celestis diligendo referunt, filij Dei nuncupantur. Quod si filij, & heredes. Dilectione igitur non autem odio proximi patrem celestem referemus. Potest & hic locus per occupationem dici. Fortassis dixissent Apostoli, Quem imitabimur in hac re, cum totus mundus & omnes sapientes mundi diuersum tradant? Reuocat igitur Christus Apostolos ad exemplum patris celestis, qui sine personarum respectu tam bonis quam malis benefacit. Esse filium patris hic significat, in operibus patrem sequi, neque degenerare à moribus

Aduersus ferocius odium cumulatior beneficentia est opus.

Ut in malitia, ita in charitate gradus sunt.

Oratio pro amicis, ingentis cuiuspiam dilectionis est argumentum. Mos charitatis.

Pauli amor erga suos etiam hostili animo percitos. Rom. 9.

Persequor.

Calumniari.

Filij ferè parentes moribus referunt.

Inimici, nobis patientiæ administri. Benigni, Dei filij.

moribus paternis. Mundus degenerat à patre celesti, ergo degener est filius.

## Qui in cœlis est.

Urget uehementer ad dilectionem exercendam, solaturque & excitat animos timidulorum, ne persequutionibus inimicorum terreantur, & animos despondeat: quandoquidem patrem habent celestem & spiritalem, aduersus quem uniuersus mundus nihil uirtutis habet: Patrem, inquam, qui locum habitat inexpugnabilem, paratum his, qui solidam beneficentiam exercebunt. Tantum autem abest, ut hic locus ab hominibus expugnari possit, ut nullo sensu, nulla ui humana attingi possit. Nempe celestis est. In eo primas habet, & solus dominatur ille, cuius filij estis. Aut hac appendice erigit animos nostros, ut neglecta priore nostra natiuitate, qua ex carne sumus, erigamus oculos mentis ad celestia, ad quæ uocamur per Christum, & in Christo regeniti, cœlos suspiciamus, è quibus celestis misericordia ad nos descendit. Misit enim Deus filium suum pro immensa sua bonitate, qui primùm quidem satisfecit legi perfectissimè, & non solum amicos uerumetiam inimicos suos solidè & candidè dilexit, omnibus etiam aduersariis suis benefecit. Deinde factus est pro peccatis nostris expiatio, & aboleuit in nobis peccata, per hoc, quod ipse factus est hostia pro peccatis nostris. Hinc, inquam, pater ille celestis donauit nobis filium suum, ut iustificatio legis in nobis impleretur, hoc est, ut in Christo haberemus remissionem peccatorum, & iustitiam & impletionem legis. Vnde propter Christum in filios Dei adoptamur: & in ius celestis hereditatis asciscimur, & patrem in cœlis habemus. Deinde hic pater celestis donauit nobis filium suum, ut non amplius peccato obediamus aut inimicos odio habeamus, sed potius, ut per Christum accipiamus Spiritum sanctum, cuius uirtute reliquias carnis expurgemus, & remissione peccatorum ac iustitia per fidem & charitatem accepta bene utamur, & eam studiosis nostris operibus exprimamus. Quod etsi in hac carne perfectè fieri nequit, uirtute tamen Spiritus sancti fieri & potest & necessè est, ut odium inimici in corde nostro non dominetur, ut non obediamus concupiscentiis iræ & inuidiæ, sed ut præbeamus membra nostra serua & subiecta charitati erga amicos & inimicos. Hæc qui ex animo meditatur, & opere exhibet, patrem in cœlis habet, filius celestis patris est, celestis & spiritalis dicitur, iã in cœlis uersatur: uerè patris celestis ingenium refert, & in se spiritum Christi regnantem habet. Aut, qui est in cœlis, id est qui non agit more mundi, aut eorum, qui habitant in terra.

## Qui solem suum oriri facit super bonos &amp; malos.

His duobus exemplis à sole & pluuia sumptis, diuine benignitatis officia, quæ Deus mundo in terris exhibet complexus est. Potuisset quidem & à rebus aliis exempla sumere, ut quod panis cibatur bonos & malos, aqua & uinum potant bonos & malos, iumenta equè famulantur malis atque bonis. Dominus enim perinde recreat malorum atque bonorum membra his & huiusmodi, quæ malis ac bonis communia sunt. Sed hæc, nempe solem & pluuiam, putauerim posita, quod horum presidio cum homines tum cætera animantia uictum & pabulum quærere possunt, uitam habent, crescunt, & augmenta suscipiunt nec pereunt. Vnde cum cœlitus quodam demittantur, oculos nostros incurrunt, & celestis patris beneficia exponunt, & prædicant, mentesque nostras ad Deum in cœlos expressius euehant. Hisque admonemur, ne existimemus Solem ac pluuias, res communissimas, fortuitò ac naturali quodam impulsu absque diuina prouidentia obtingere, sed esse signa bonitatis ac dilectionis patris nostri celestis. Proinde ubi hæc duo aut saltem horum alterutrum non esset, iam dudum uniuersus mundus exaruisset, periisset, pessum isset. Si sol quotidie non exoriretur, nemo interdum operaretur. Sed omnia animantia, etiam omnes arbores, herbæ, plânta gramina præ frigoris magnitudinè e-

Cœli paratiis, quos terre filij oderint diligentes.

Quid nobis Deus contulit per filium

quorsu Christi nobis donatus.

Sole & pluuia quod inuamur, quid ad monemur.



morentur. Hunc ergo fructum quod omnia uiuunt, quotidianus saltem ipsius solis exortus præbet, cuius mundus plenus est, cuiusque fauore pabulum & uictum habent animalia, insuper & æstus & calorem habent, quo uitam sustinent, crescunt, & augmenta suscipiunt, nec pereunt. Et, ut paucis absoluam, nemo uerbis consequi potest, quanta beneficia Deus omnibus horis & omni momento per solem largiatur. Huiusmodi igitur beneficiis non more bestiarum, quibus non est intellectus, utamur: sed tanquam filij Dei, agnoscentes in illis beneficentiam & liberalitatem Dei, ut non solum in illis consolationem accipiamus, sed simul etiam discamus ex illis quid imitandum nobis fuerit. Ad hæc solem nominatim dixit, quod cum præsit diei, dicaturque luminare maius, & suo iubare iucundissimo totum illuminet orbem, ueluti uisibilem: ob oculos Dei erga nos beneficentiam exponit: ut agnoscamus Deum, non solum Deum esse, sed nobis quoque esse Deum. Agnoscamusque ipsum, non solum nobis bonum esse, uerum etiam hilarem & iucundum uoluisse esse, unde oporteat nos hoc nostri patris cœlestis exemplo, non solum benignos, sed etiam facie hilari & iucunda in mandatis eius faciendis persequerare. Deinde suum, dixit, non tuum, tanquam non tibi debitum, sed quem liberaliter producat, non propter tua merita, quum possit illum iure non emittere. Atque dum quotidie producit, ostendit continuam & irremissam suam in nos bonitatem ac liberalitatem. Certè si hunc ad manum ueluti lapillum quandam pretiosissimum haberemus, non tam communem faceremus, adeo sumus illiberales. Felicitate & bene nobiscum actum est, quod tam desideratum iubar & splendidissima lux, omnibus adeo maximè necessaria, non est in alicuius hominis potestate posita. Siquidem uix uel minimum radiolum etiam per transfennam comunicare uelles, nisi enumerata grandi pecunia. Deinde addit, oriri facit. Quasi dicat, Non suapte natura oritur sol, nisi adsit potens & magnus ille Dominus, uniuersæ machinæ mundi gubernator, cuius prouidentia reguntur omnia, is est pater uoster cœlestis, qui cum malis tum bonis hunc suum solem oriri facit, quem uisendum cum summa hilaritate tradit. Est profecto ortus solis longè amœnior, hilarior & iucundior luce ipsa meridiana. Nimirum plus hilaritatis conspicientibus oriens affert, quod recens cesserint tenebræ, quæ tristitiam quandam præ se ferebāt, quam aduentante meridie: imò natura comparatum est, ut tamen res iucunda per se gratæ sint, tamen amœniores ac latiores excipiantur, cum principio offeruntur. Nam gratius primo gustu excipimus desiderata, quam cum illis saturi sumus. Ideo uox illa, oriri facit, excitat mentes nostras ad meditandam patris cœlestis bonitatem, & in largiendis bonis hilaritatem. Ipse enim largitur hilariter, liberaliter & abundanter. Huc pertinet, quod Dauid psal. 18. comparauit Solem spolio prodeunti è thalamo suo. Deinde uis exempli in his duobus uerbis, super bonos & malos, ostenditur, ut quemadmodum pater noster cœlestis beneficus est, faciens oriri solem suum super bonos & malos: ita nos imitati patrem nostrum cœlestem, si germani uelimus esse filij, referamus oportet paternos mores & benignitatem, diligamus cum amicis tum inimicos. Rogabis. Possit ne Deus discernere beneficentiam suam siue in sole siue in pluuia, & aliis bonis, ut solem negaret malis, & bonis impartiretur? Possit certè, quandoquidem inter Aegyptios & Israëlitas triduo discreuit, ita ut Aegyptiis triduanæ tenebræ crassissimæ & densissimæ: Israëlitis uerò nullus esset lucis defectus. Proculdubio cum tam malis quam bonis beneficentiam largitur, malitiam nostram hoc pacto inexcusabilem, & suam bonitatem supra modum conspicuam & illustrem reddit. Proinde frequenter plus rerum huius seculi malis & improbis, quam bonis exhibet, qui tamen hæc omnia ingrata habent & irrita, imò etiam loco præmij filium Dei & Christianos homines summa crudelitate persequuntur. Itaque erubescendum est tibi ingrato, solem intuenti, qui quotidie ista tibi prædicat, imò flosculum aliquem in agris aut fron-

Per solē suū  
quid cōferat  
nobis Deus.

Lubēs atque  
hilariter no-  
bis prospicit  
Deus.

Sol Dei pro-  
prius est, no-  
ster autem  
cōmodato.

Sordes no-  
stras atque  
adeo tenaci-  
tatem notat à  
liberalitate  
Dei.

Omnia cor-  
pora cœlestia  
parent Deo.

Quantū no-  
stra causa fe-  
cit Deus, qui  
solem dedit,  
&c.

Inimicis suis  
pænas De-  
tenebras ef-  
fundere q̄at,  
siquidem ue-  
lit.

dem arborum conspicanti. Omnibus etenim foliis & graminibus ac floribus inscriptum est, nec ulla est auicula, aut fructus ita exiguus, nec ulla bacca, aut granum sic modicum, quod tibi diuinorum beneficiorum magnitudinem non indicaret ac doceret.

Omnia nobis, uel minutula, bonitatem Dei prædicant.

### Et pluit super iustos & iniustos.

Quamquam Deus omnipotens immensa beneficia per Solem nobis largiatur, tamen pluuia opus habemus. Nam si abnegata esset pluuia, & sol subinde luceret, omnia demum è terra crescentia præ æstu & feruore exarescerent & flaccescerent, & ne ullum pabulum aut frumentum alendis hominibus & pecoribus ad iustam maturitatem perueniret. Propterea prouidus Dominus Solis feruorem pluuia temperauit, ut ex humo nascentia refrigerentur: atque ita naturalem succum & uigorem retineant. Itaque in his duobus, nempe sole & pluuia, illa quatuor comprehensa sunt, quæ ad uitam sustentandam pertinent, quæque Philosophi primas qualitates uocant, frigidum, calidum, humidum, & siccum: ita ut nullum sine alio consistere debeat. Nam si tantum frigidum esset, aut contra solum calidum, nulla uita esset. Iam solis natura duo affert, calidum & siccum. Pari ratione ipsa quoque pluuia duas qualitates habet, frigiditatem & humiditatem. Porro Deus quotidie uniuerso mundo uitam largitur, & res omnifariam necessarias. Insuper fructum & usum illarum longè omnium opulentissimè, & prorsus gratuitè, inimicis etiam suis æquè atque amicis. Imò non rarè longè largiorem imbrem in desertam aliquam syluam aut regionem effundit, ubi nihil necesse est: parcè interim pluens, ubi boni homines habitant. Quin etiam latronibus multò sceleratissimis præstantissima quæque regna, & fertilissimam terram donat, aureis & argenteis uenis diuitem, & interim probis uix buccellam panis suppeditat. Hæc exempla passim nobis in toto mundo Christus ob oculos ponit, malos suo beneficio prouocans, ut resipiscant, bonos excitans, ut gratias agant, ipsosque similitudinem patri cœlesti asserat, & ab eo reliqui credant piorum doctrinam esse profectam, dum conspexerint in impiis insignem Dei bonitatem. Obserua. Cum dicit, Pluit super iustos & iniustos, intelligitur de agrorum fecundatione. Aut per pluiam intelligito doctrinam & scientiam. Omnes enim illustrat Dominus & docet.

Pluuia, quam necessaria.

Pluuia cōtineri quatuor illas qualitates, per quas omnis uita subsistit.

Simili ostendit Dei largitatem, omnibus promittens suam donat.

Pluuia ferè in facris doctrinâ signifi-  
cat.

Si enim diligitis eos, qui uos diligunt, quam mercedem habebitis?

Volens Christus formam nostræ dilectionis excellere supra formam dilectionis mundanorum, seu eorum qui mundo adhærent, si uelimus esse in regno cœlorum & esse filij Dei, adducit incommoda, quæ ex doctrina Phariseorum sequuntur: quæ solos amicos diligendos, & inimicos odio habendos significabant. Obseruandum est in his & sequentibus, quomodo separat Christus regnum suum à regno mundi: formam item exercendi opera charitatis in suo regno, à forma exercendi opera charitatis in regno mundi. Si tantum (ait) dilexeris eos, qui te diligunt, & habeas odio, qui te offenderunt, interim tamen incedis securus animi, existimans te esse in magna gratia, quasi angelicam uitam per omnia transigeres, rogo te quid mercedis habes, aut cui æquiparas tuam probitatem?

### Nonne & Publicani hoc faciunt?

Quasi diceret, Cum tantum charitatis ac dilectionis habeas, quantum meretricum lustra & latronum ac paricidarum sodalitia, ac etiam cacodæmones inter se habent, tantundem tibi respondebit præmij & mercedis. Nam si hac ratione (quod amicos diligis & inimicos odisti) uelles probitatem & sanctimoniam tuam probare, hac etiam ratione nullus unquam mortalium in terris malus dicendus esset. Cum nemo ita desperatè malus sit, qui non uspiam ferè amicū habeat. Nam quo pacto aliàs inter homines quis uiuere possit, si cum hominibus disidere ue-

Amicitiam pro cōsensu, generali uoce capit.



lit, & odiosè contendere? Quare si uelis concludere quempiam probum haberi quod amicum diligit, pari ratione tibi concludendum erit, diabolum quoque & omnes illi familiares sanctos esse. Similiter hæc ars nota est latronibus & paricidis, qui inter se societatem ineunt, & unâ hilarem conuictum iungunt, mutuo amâtes, & inimicos odio habentes. Et, quod amplius est, alter pro altero capitis periculum adire non dubitat, & nullum non discrimen subire, quorum tamen omnes conatus, & studium eò tendit, ut hominibus noceant, latrocinentur, & homines perimant. Et hæc omnia faciunt tantum temporalium & incertarum rerum gratia. Quare pudore suffundi debet qui Christianus est, & qui fieri filius Dei cõ tendit, nisi abundauerit iustitia eius supra iustitiam Scribarum: abundabit autem, dilectione inimici. His igitur uerbis Christus contra Iudeos pharisaica sanctimonia tumentes, uult concludere, quæ de charitate docuerunt, falsa esse: iubens, ut uersa pagina scripturam penitus intueantur, si populus Dei esse uelint, & charitatem etiam inimicis suis ostendant. Nam & Moses hoc ipsum docuit, Exodi 23. ut paulò antè docuimus. Obserua cum ait, Quam mercedè, &c. Quasi dicat, aut modicam, aut nullam. Nam mutuo muli scabunt. Manus manum lauat: par pari refert. Tu amas à quo redamaris, teipsum in amico amas: naturali instinctu teipsum amas, & hunc instinctum sequeris, non intuitus præceptum & legislatorè. Quid igitur mercedis habes? Non tamen his uerbis Christus prohibet diligere amicos, & benefacere benemeritis. Nam hoc esset inhumanum, & ingrati animi. Veteres dixerunt, gratitudinem erga benefactores, uirtutum esse honestissimam, ac conseruare concordiam humani generis: contra ingratitude uitiu esse turpissimum. Vnde & Paulus inter eos qui traditi sunt à Deo in reprobum sensum, numerat etiam ἀσέβεις, in quorum genere continentur etiam ingrati, qui humanos affectus adeò exuerunt, ut ne benefactoribus quidem beneficiant. Sed eò tendunt uerba Christi, ut & publicanorum & Pharisaëorum iustitiam superemus. Quasi diceret. An qui uultis esse & filij Dei & Christiani, non uos puderet consistere in eo iustitiæ gradu, in quo sunt Publicani, qui nulli cœlesti doctrinæ studet, tantum mundo & carni adhærentes? Obserua. Per Publicanos Euangelica historia ferè intelligit homines improbos, infames, & rebus prauis addictiores. Reuera πάλαι, id est Publicani dicebantur prisceis, qui publico fruebatur, id est, qui certo constituto pretio Romani populi redditus & uectigalia redimebant, unde & redemptores dicebantur. Deinde uerò non sine scœnore & usura à plebe exigebant. Ideoque male audiebant apud plebem, neque numerabantur à sapientibus inter honestos ciues, quin potius calamitates publicæ, populi blattæ ac tineæ, prædones & excoriatore appellabantur. Quia uerò, & genus & formam regina pecunia donat, hominum corruptela factum est, ut publicanorum ordo cœperit haberi honestissimus, ornamentum & firmamentum reipublic. ut apud Ciceronem legis, & nunc apud Christianos cumprimis honestum. Vulgò publicani nuncupantur, Les fermiers du Roy ou du peuple.

Animorum consensus & quædam uelut umbra dilectionis etiã inter malos.

Nihil agunt coram Deo, qui amorem solum, amore retaliant.

Gratitudo & ingratitude.

Rom. 7. ἀσεβεις.

Publicani, qui passim in factis. πάλαι.

Horat.

Publicanorũ ordo iam dudũ honestissimus.

Et si salutaueritis fratres uestros tantum.

Græcis legitur ἐάν ἀσπείνηθε, id est, si salutaueritis, quod non est simpliciter salutare, sed osculo & complexu salutare: quod olim ex more fiebat apud amicos, non solum apud Iudæos, uerumetiam apud Græcos & Romanos. Alioqui uulgare est officium, obuiò dicere, salue. Hodie non quiuis hoc salutandi genere, sed fratres tantum & cõsanguinei salutari solent. Usurpant tamen hoc ipsum salutandi genus, & eo quosuis salutant ij, quibus sine animo, sed solo uultu externo quibuslibet obuiis arridere mos est. Vnde abiit in prouerbium, Aulica salutatio. Hoc salutandi genus complexu expressum, signum est singularis beneuolentiæ. Vnde quibus non bene uolumus, grauatim salutem offerimus. Vult Christus hoc loco

Salutare osculo & complexu.

significare, Christianum debere hac in re ita se gerere, ut modesta salutatione declaret, se ueræ & solidæ amicitia erga quosuis esse maximè studiosum. Quasententia taxat Pharisaos, docentes salutandos tantummodo fratres, seu amicos. Nihil est, quod magis proximum conciliet, pacem & concordiam foueat, quam salutatione. Nulla re magis quispiam ad odium conciliatur, quam cum se contemni uidet: hunc contemptum tollit salutio mutuum conseruans amorem, & tollens, si quid disidij fuerit. Ad hæc Christus tollit simultatem quandam extraneam, & cordis (ut sic dicam) rancorem simul & omnem prætextum, quo à salutando excusamur, dicentes, Cur ego prior illum salutabo? huic certè non cedam, non sum eo inferior: prior me læsit, prior etiam in gratiam redeat: huius animum tam arrogantem agnosco, ut etiam si salutauero non sit responsurus salutanti. O egregium prætextum seruandæ ἀπροσπονησίας. Aprofegoria significat propriè silentium illud, quum quis non appellat ac salutat amicum. Non uis prior salutare, sed expectas, donec saluteris. Idem faciunt Ethnici, quibus hac in re conuenis. Rancorem animi foues, & proximum salutare contemnis, teipsum crucias, & dète theonino proximum mauis arrodere, quam blandè, amicè, & Christianè salutare. Turpe putas hac in re proximo, eique lædenti, cedere. Dehonestas tu uerò scholam Christi, cuius te discipulum uis profiteri, & interim humiliari non agnouisti, hoc solum præ oculis habens, ut tibi uni placeas. Habeto tu Christum doctorem, doctrinam eius sequere. Prior te læsit proximus: hoc, fateor, male fecit. Sed sequutus magistrum tuum Christum, tu uicissim prior benefacias. Non salutat: stultè facit. Tu te illo meliorem reddito, & Christianum te exhibeto nempe, pacis amatorem. Non respõdebit (ait) salutanti, aut si salutauerit, mendaci, & excusso risu, non autem ex animo salutabit: hoc quid ad te? relinquito hoc iudicium Domino, iudici fideli, interim quod decet optimũ Christianũ, agito: ille pro se corã iudice respõdebit: tantum sis rerum tuarum sollicitus. Vult Christus quosuis salutemus, etiã non salutantes, sicut uult nos amare eos qui nos persequuntur & odio habent. Salutemus autem ex animo, modestè, libenter, & mansuetè. Horum omnium, quæ iuxta præscriptum de dilectione scripsimus, summa est. Inimici tui incommodũ ne concupiscas, sed illud quoquomodo depellas, & quocunq; pacto illi prodesse poteris, prosis. Ita futurum est, ut tandem illius animum, alioqui implacabilem, frangas, & meritis uincas, & emollias, ut uicissim omni similitate depõsita, te amare cogatur, cum nullum malum, sed mera amoris ac beneuolentiæ officia à te proficisci uiderit atque adeò senserit. Obserua. Græcis legitur φιλεις υμῶν, id est, amicos uestros: sed Iudæi fratres appellant quomodolibet cognatos: atque ita legit Hieronymus.

Salutio pacis & beneuolentiæ symbolum.

In mali odium que tenaces.

Admonitio ad candorem animi & morũ, beneficentiaq; studiũ.

Fratres sunt Iudæis, qui quomodolibet cognati sunt.

Quid amplius facitis?

Quasi dicat, quid eximium, aut quid supra cæteros facitis? nihil supra Scribarum, & Pharisaëorum institutum præstatis.

Nõnne & ethnici hoc faciunt?

Pudore suffundi debent, qui Christiano nomine oblectantur, & cœlestem uitam quærunt, & quibus adeò fidelis est cœlestis pater, ut omnia bona illis & pollicetur, & præstet: quum interim ethnicis nihilo meliores sint. Nimirum contenti solum idem facere, quod ethnici, quibus sunt similes. Solum enim salutant amicos, & fratres. Græci scriptores, inter quos est Theophylactus, rursus hinc habent πάλαι, id est publicani. Ethnicus gentilem sonat, qua Græca uoce uidetur interpres delectatus, ob id, opinor, quod gentilis aliud quiddam significet Latinis auribus, nempe gentis affinitate coniunctum. Græcis ἔθνη gentem significat.

Ethnici quid.

Gentiles, qui Latini.

Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est.

Tradita doctrina de dilectione, concludit Christus, ut ad illius doctrinæ regum v iij



lam, & amulsum formemur & exæquemur, unde fructum incomparabilem con-  
 sequamur, nimirum perfectionem. Quam? Eam, quæ præcipitur. Etenim sicut  
 præcipitur dilectio proximi, ita & perfectio dilectionis, cuius exemplum in Deo  
 patre cœlesti proponitur. Ex nobis quidem, tanquam ex nobis, imperfecti sumus,  
 sed si dilexerimus secundum regulam de dilectione, hoc loco præscriptam, perfe-  
 cti erimus. Neque hic præcipitur, ut tantum quantum Deus, diligamus, sed sicut  
 ille non amicos tantum, & gratos, sed inimicos etiam, & reprobos diligit: ita &  
 nos non unam tantum dilectionis partem, quæ amicos concernit, sed & alteram,  
 quæ ad inimicos pertinet, adimpleamus. Perfectionis præceptum non debemus  
 trahere ad omnia, quæ in Deo sunt: sed solum ad subiectam materiam, de qua  
 præcipitur. Impossibile enim est, ut omnem Dei perfectionem attingamus, &  
 præstemus. Ideo particula, sicut, respicit solum materiam subiectam, & modum,  
 iuxta quem aliquid præcipitur: ut in materia consistamus, de qua fit præceptum.  
 Studendum igitur est, ne hæc dilectio sit dissecta, partita, & tantum dimidia. Deus  
 enim vult integram, & perfectam, ac modis omnibus absolutam, non in partes dis-  
 sectam, ut & inimicum æquè atque amicum diligamus, & illi beneficiamus. Et  
 ex hac dilectione homo perfectus uocatur, hæc doctrinam perfectè habens, & ob-  
 seruans. Quanquam uerò uitæ integritas & perfectio, huic doctrinæ per omnia  
 non responderit, ut respondere par erat, repugnantibus subinde carne, & sangui-  
 ne, illud perfectioni nihil nocet, modò ad illam summo conatu, & studio conten-  
 damus, & in ea pergamus, gradusque faciamus, quoridie in melius proficientes:  
 ita ut spiritus carni dominetur, & eandem fræno compeecat, sibique subiiciat, ne  
 si impetui carnis pareamus, necessitatem nobis illa imponat aduersus hanc doctri-  
 nam faciendi. Est ergo dilectio, siue charitas uia regia, extra quam neque ulla per-  
 fectio, neque uia est ad patrem cœlestem.

Perfectio no-  
bis in præce-  
pto, & cuius-  
modi.

Sicut.

Mancã ne sit  
nostra dile-  
ctio, & altera  
sui parte or-  
bata.

Nihil obest  
electis, quòd  
paulò minus  
nonnunquã  
perfecti sint.

Charitas, uia  
regia.

CONCILIATIO I.

Implenda sunt omnia, quæ legis sunt. Et iam uidemus Christum, pacem no-  
 stram, inimicitiam (quæ inter Iudæos & gentes erat) in carne sua occidisse, atque  
 intermedium murum diruisse, dum legem abrogauit, in certis decretis sitam, cu-  
 iusmodi sunt, Infantem octauo die circumcinito, suo tempore Domino sistito, Sab-  
 bathum sanctificato, hoc ne edito, istud ne tangito, &c. Et ad Rom. 6. & Galat.  
 5. scribitur, Non estis sub lege, sed sub gratia, qui spiritu agimini. Et 1. Timoth. 1.  
 Iusto non est lex posita. Ex his, & similibus Pauli ac aliorum locis usum obtinuit  
 hæc sententia, Legem omnem Moysi esse abrogatam: quæ ex diametro pugnare ui-  
 detur cum his, quæ hoc capite Christus dicit, Non ueni soluere legem, sed adim-  
 plere. Item, Non præteribit à lege, &c. Rursus, Quisquis soluerit unum de man-  
 datis, &c. Respondeo in primis tractandum est à nobis, quid legis nomine hoc  
 loco intelligitur. Deinde quibus nos liberos Christus fecit. Deinde loci adducti  
 ceu in speciem pugnantem, explicabuntur. Ex quibus facilè manifestum fiet, nihil  
 pugnantia esse inter hæc Christi & Apostoli sui Pauli uerba. Lex delectu quendã  
 ostendit, siquidem uoluntas Dei est, iubentis, quæ eligenda faciendaque sunt, &  
 prohibentis cõtraria. Ratio itaque rectè, & piè uiuendi, quæ lex & institutio Dei  
 uocatur siue ea animo solum inscripta sit, siue etiam literis excepta, uocatur Lex à  
 Dauide, Doctrina à docendo, quòd uiuendi rectèque agendi rationem præscribat.  
 Dicitur testimonium, uel oraculum, quia de uoluntate Dei nobis testatur. Vocatur  
 mandatum, quòd contineat, quæ nobis Deus obseruanda mandauit. Rursus nun-  
 cupatur præceptum, quòd in se habeat, & quæ exigit à nobis Deus, & quæ uetat.  
 Vocatur timor, siue reuerentia Domini, quæ timere Deum doceat, & uerã, ac piã  
 religionem obseruare. Doctrina itaque, & rectè uiuendi institutio, uocatur lex.  
 Quo fit, ut subindè Dominus prophetas legi adiecerit, ut ita apertius declararet,

Lex Moysi,  
quomodo  
abrogata.

Lex Dei, qd.

Doctrina.  
Testimoniũ.  
Oraculum.  
Mandatum.  
Præceptum.

Timor.

quid per legem intelligeret, nempe doctrinam, institutionemque uitæ, qualem &  
 prophetæ prodiderunt. Firmiter igitur statuendum est, quæcunque in lege scripta  
 sunt, huc spectare, ut ad iustitiam integer sit homo Dei: & ut 2. Timoth. 2. scribi-  
 tur, uas ad omne opus bonum paratum. Quare per legem & prophetas, Dei do-  
 ctrinam intelligimus, qua ad piè, & religiosè uiuendum homines instituuntur.  
 Cauendum autem est, ne legem Dei ita accipiamus, ut tabulas illas decemuirales  
 Romanas, quæ ante multa secula cum sua curia, & rostris perière. Quoniam lex  
 Dei, est regula æterna, & immota mentis diuinæ, iubentis, ac præipientis aliquid  
 faciendum, aut fugiendum, afferens iudicium aduersus peccatum, siue humanis  
 mentibus, siue membranulis scripta fuerit. Quam Christus hoc capite, ait suo se  
 aduentu non soluisse, sed impleuisse. Vnde consideranda uenit legum diuisio: est  
 enim lex naturæ & primæua, cordibus hominum impressa. Est & lex diuina scri-  
 pta, non omnibus, nisi literis & reuelatione, cognita. Atque hanc quidam legem  
 Dei positiuam, scriptam uocant. Est etiam lex humana, ab hominibus instituta,  
 quæ legi diuinæ conformis, pia, & sancta est. Legem illam primæuã, tametsi ante  
 Mosem omnibus perspicua esset, nimirum in cordibus hominũ sita, uoluit Deus  
 publico & manifesto testimonio instaurare, & tabulis exarare: ut suum iudicium  
 aduersus peccatũ ostenderet. Sita est hæc lex in tribus. Primò ut fiduciam in Deũ  
 habeamus, ipsum ex animo timeamus, & amemus. Huc pertinet prima tabula de-  
 calogi, & quicquid scriptura habet de timore, fiducia, amorèque Dei. His tamen  
 partibus sub ueteri testamento adiectæ sunt leges sacrificiorum, aliarumque cæ-  
 remoniarum tabernaculi. Secundò, ut proximum perinde atque nos ipsos dili-  
 gamus. Huc pertinet secunda tabula decalogi, & quicquid de amore proximi  
 scriptura continet. His adiecerunt leges forenses, siue ciuiles, ut tranquillior  
 maneret politia. Tertiò, id est, quod ex utroque conflatur, ut cum decore u-  
 tamur & continenter iis, quæ corporis necessitas requirit. Huc pertinet quic-  
 quid præceptum est, de mundicie, decentiaque corporum, quibus adiectæ sunt  
 purificationes illæ externæ, Numer. 19. capit. Tres igitur ex his uniuersæ legis  
 Mosaicæ partem colligimus, Leges morales, cæremoniales, & forenses seu iu-  
 diciales. Quas & illarum discrimen, licet Moysi politia deleta sit, diligenter con-  
 siderare, & utile & pernecessarium est. Cæremonia enim Mosaicæ, & foren-  
 ses siue iudiciales leges, quæ respiciebant politia Mosaicæ pacificum conuictum,  
 nec mandata sunt cæteris gentibus, nec obligant nos. Erant enim soli populo Isra-  
 òlítico ad tempus traditæ, nimirum usque ad Christum, generalem populi illius  
 ducem, & principem, nouamque ex omnibus gentibus Rempubliam constituen-  
 dam. Ieremiæ 31. cap. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israël,  
 & domui Iudæ fœdus nouum: Non secundum pactum, quod pepigi cum patri-  
 bus uestris, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegy-  
 pti: pactum, quod irritum fecerunt: & ego dominatus sum eorum, dicit Domi-  
 minus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël: Post dies illos dicit  
 Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribã eam:  
 & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra uir pro-  
 ximum suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, à mi-  
 nimo eorum, usque ad maximum, dicit Dominus. Quia propiciabor iniquitati  
 eorum, & peccati eorum non memorabor àmplius. En uides Dominum percus-  
 surum nouum fœdus cum populo, aliasque leges scripturum in cordibus suorum,  
 hoc est legem spiritalem daturum. Fuerunt igitur & cæremoniales leges de taber-  
 naculo, sacrificiis, templo, festis, purificationibus & huiusmodi, similiter & fo-  
 renses, seu iudiciales, ac ciuiles leges quæ pacificam, tranquillamque Rempubli-  
 cam, & politiam Mosaicam respiciebant, ad tempus datæ, & abdicatæ nouo adue-  
 niente moderatore, nouum fœdus percutiente: sicut Atheniensem politia instauit

Lex & pro-  
phetæ, quid.

Lex Dei.

Lex multi-  
plex.  
Naturalis.  
Diuina.  
Scripta.  
Humana.  
Lex natura-  
lis, postea  
scripta, in tri-  
bus consistit.

Cæremonia-  
rum & iudi-  
cialium leges  
Gentibus nõ  
præceptæ.



rata, cessarunt, translataque sunt Solonis legislatoris institutiones. Observandum tamen est multa esse naturalia, siue moralia in forisibus, & caeremoniis, quae sunt perpetua, ut lex Leuit. 18. quae prohibet incestas consuetudines, & huiusmodi. Ad uirtutes enim pertinet sanguinis reuerentia. Ostendit aperte Deus Cananaeos propter incestas libidines deletos. Et cum ante promulgatam Moisi legem accusarentur gentes, propter haec flagitia, manifestum certumque est, illa aeterna Dei lege, & naturali iudicio damnari. Proinde externis his legalibus, caeremonialibus, sacrificiis, & aliis tabernaculi caeremoniis, non tam se eoli Deus, quam sui cultum, hoc est solidam uiuamque fidem exerceri, ac exhiberi ad tempus uoluit, ut in Deuteronomio passim legitur, & apertissime psalmo 49. Esaiæ 1. Ierem. 7. & 31. Osee 6. Legitur Ieremia 7. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël, holocausto-mata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes: quia non sum loquutus cum patribus uestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocaustorum & uictimarum: sed hoc uerbum præcepi eis, dicens, Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus: & ambulate in omni uia, quam mandauit uobis: ut bene sit uobis. Obserua uerbum: & non præcepi patribus uestris, &c. satis insinuare, quid in caeremoniis, quas populo statuit Deus, intelligi uoluerit, nimirum non illas per se, sed solidam fidem, & sui timorem: quorum caeremonialia illa admonebāt. Imò cum leges illæ iudiciales & caeremoniales ad externam præcipue hominum conuersationem respicerent, & per se non pertinerent ad uitæ puritatem, illisque, ut ex loco prophetæ citato docuimus, nõ oblectaretur Deus, ut huiusmodi, hoc est externis, & carnalibus, nomine legis, & prophetarum, hoc est, doctrinæ, pietatis ac iustitiæ nomenclatura non cõtinentur, quantum quidem attinet, ut diximus, ad externum ritum, & externam hominum speciem, quam non respicit Deus, nisi interno homini, hoc est, spiritu respondeat. Hic est spiritualis cultus, spirituales motus flagitans, firmam scilicet de Deo notitiam, ardentem, & perfectam dilectionem, ut dicit lex, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Est & alius legum gradus, quæ morales uocantur, quæ sunt aeterna Dei uoluntas, sententia, & regula, nec mutantur temporibus. Nam semper uoluit Deus hanc propositionem, Creatura diligat, ac timeat Deum. Creatura rationalis sit casta. Sunt & aliæ morales leges, quæ præcipiunt de agnitione Dei in mente, & de obedientia cordis erga Deum, & de uirtutibus erga homines: ut de iustitia, castitate, ueritate, temperantia. Cæterum mirabili consilio præcipue leges morales breui quadam tabella comprehenduntur, quam uocant decalogum. Hæ leges morales sunt aeternæ regulæ mentis diuinæ, semper uiguerunt in Ecclesia, etiam ante Moysen, & semper mansuræ sunt, & ad omnes gentes pertinent. Hæc lex, & doctrina Dei semper fuit manebitque, donec transeat caelum, & terra. Hæc est lex & prophetæ, ut ipsum Deum solida & uiua fide agnoscamus, quæ mox seipsam exerat per dilectionem, & charitatem, ut piè, & iuste uiuamus in hoc seculo. Quare caeremoniarum præscripta, formulæ iuris Moisaici, ciuilibus, & politici, externi, alisque ritus sacrificiorum, purificationum, & huiusmodi, per se nequaquam ipsa lex & prophetæ unquam fuerunt habita. Nã (ut paulò antè diximus ex propheta Ieremia) de his Deus non præcepit, sed ad tempus, eas duntaxat ueris præceptis adiecit, ac tempus uenturum prædixit, in quo non esset illorum usus, licet suo tempore obseruanda sanctis fuerunt diligenter. Vnde cum uenit plenitudo temporis, Christus uenit, non soluturus, sed impleturus legem, & prophetas. At quia caeremoniales leges quoad politiam Moisaicam, tali ritu (quo à Gentibus separabatur) institutæ, Christum adumbrabant, cessauerunt & antiquatæ sunt, neque Gentes, neque nos obligant. Manet interim lex illa aeterna, cui Christus satisficit, quæque adimplet. Manetque spiritus ille sub illis latens, per Christum exhibitus. Implet & promissiones omnem, à prophetis prædictas. 2.

Moralia multa & caeremonialia, ciuitate Euangelica donata.

Caeremonia in lege quid innuebant.

Deus externa nihil moratur, nisi accedat pietas. Spiritualis Dei cultus, quis. Morales leges perpetuæ.

Summa legis & prophetarum.

Manet in caeremoniis signata, exoleuerunt signa.

Corinth. 1. capit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Solutos nos reddit Christus caeremoniis, & aliis externis ritibus: qui ex se ut neminem reddunt, ita per se ad legem Dei nec modò pertinent, nec unquam pertinuerunt: sed quaedam adiectitia erant ad tempus, ut exerceretur fides, hõsque ritus obligauit Deus, addixitque legi, & prophetis, in quibus, quæ ad rationem pietatis attinent, continentur. Abrogauit legem mandatorum in decretis sitam de rebus externis, ut supra docuimus. Legem mandatorum in præceptis fidei & charitatis sitam stabiluit, atque impleuit. Imò hoc ipsum est nouum, & aeternum fœdus, inter nos, & Deum: ut persuadeamus nos per Christum habere patrem propitiu, & enitamur uicissim Christo omnem uitam nostram approbare. Hæc est lex illa, & doctrina de qua loquitur, se non uenisse, ut solueret, sed ut adimpleret legem. Hanc solus impleuit, & quotidie in suis implet, atque consummat. Impleuit, cum à pharisæarum interpretatione fumo legem, seu doctrinam pietatis, per subiectam legum explanationem exemit, & suo splendore restituit. Impleuit, hoc est, unus illam uita sua plenè expressit, factus absolutissimum ipsius exemplum, quod uniuersi æmulentur. Deinde impleuit, & quotidie illam implet, cum donat suis Spiritum, quem morte sua meruit, ut & liceat, & libeat ipsis, secundum ab ipso impletam legem, uiuere. Oportet profectò legem ab omnibus impleri, qui uolunt salui fieri, & ne minimum quiddam omitti, ac unumquenque eò peruenire, ut se totum abnegauerit, Deumque ex toto corde amet, atque proximum, sicut seipsum, diligat, hoc est, conformis sit imaginis Dei, hoc est, omnis peccati purus sit. Hoc præcepit Deus dicens, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Cuius uerbum non potest mutari: Neque hoc iam præcepit, quàm prædixit etiam in suis futura. Quare necesse est ita fiat. Transibit enim caelum, & terra, cum uerba hæc transire, id est, inuerti non poterunt. Colligamus ex superioribus: Quemadmodum Athenis Solonis tabulæ, & decemuirales Romæ, mutata republica interierunt: ita caeremonia, & forenses, siue iudiciales leges Moisi, promulgatæ, ut certo tempore durarent, adueniente Christo, ueritate, extinctæ sunt. Et ab illis nos liberauit Christus. Lex autem moralis aeterna est, & immutabilis regula, mente diuina præcipiens faciendæ, & prohibens, ac puniens nõn faciendæ. Cuius legis notitia transfusa est in creaturas racionales, in quarum mentibus sic insita est, ut neque absorbeat, neque aboleatur. Quare cum illa obliget ad obedientiam, uel ad peccatum, & homines non præstiterint obedientiam, operæpretium fuit, aut ipsos in peccata, interire, aut alium pro ipsis persolvere peccatam. Vnde mirabili & inenarrabili consilio filius Dei soluit λύτρον, pro nobis intercedens, & deriuauit in se peccatam, & iram, quam nos sustinere oportuit. Quare Deus iustitiam in flagitanda peccata seruauit, & ex cõpensatione legem, qua omnes morti eramus addicti, mitigauit, Christo supra dorsum suu peccata nostra ferente. Ideo Christus ait, Nõ ueni soluere legem, sed implere eam. scilicet subeundo peccatam pro genere humano, & docedo, ac instaurando legem in credentibus. Iam cum Christus λύτρον, id est pretium redemptionis persoluerit, liberati sumus à lege, propter ipsum, ne maneamus in maledictione, modò fide, & dilectione beneficium Christi nobis adplicemus. Vnde Paulus eleganter dicit, Galat. 3. ca. nos liberatos esse à maledictione legis, scilicet quia Deus persoluit peccatam debitam. Magna certè fuit Christi cõpensatione pro peccato nostro. Hoc beneficium sentiebant patres, etiam ante Moysen, imò ab origine mundi. Nimirum Christum cognoscebant, & in ipsum fidebant, quem sciebant persoluturum esse peccatam debitam, sicut Baptista ait, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: id est, ecce qui uictima à Deo destinatus est. Hæc est abrogatio peccatæ indictæ à lege morali, si modò Christum fide & charitate amplexemur. Et in hoc sensu dicitur abrogata illa lex moralis & aeterna, quòd ad maledictionem & peccatam, non autem quòd ad obedientiam attinet. Quo fit, ut

Caeremonia præfata adiectamenta tantum quaedam ad legem.

Quomodo Christus legem impleuit.

Et quotidie legem implet Christus.

Legem implere necessarium.

Legi uel obsequium uel supplicium debetur. Christus noster lytrotes.

Christus exoluit, quod debebam legi.

Patres ab inueniente mundo lytrotes per Christum persoluentem intellexerunt. Lex moralis abrogata in hoc, quòd maledictio inanita est.



Spiritus Christi piis, ac credentibus detur, quò in cordibus accendantur motus conuenientes legi Dei. 2. Corinth. 3. Nos reueta facie gloriam Domini specularites, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. Hac Christi beneficia explicat Euangelium, quod uirtus Dei est in salutem omni credenti, aut expectatè diu tandè exhibet per Christum, salutis renunciatio, præconiũque publicum. Siue Euangelium est diuinæ beneficentiæ & gratiæ manifestatio, ac pignus: quæ manifestatio & patribus (licet non adedè clarè & latè) facta est. Nouum hoc fœdus, & testamentum ostendit gratiam per Christum manifestè exhibitam, & in orbem diffusam. Lex peccatum ostendit, Euangelium gratiam. Lex morbum indicat, Euangelium remedium. Lex mortis ministra est, Euangelium uitæ & pacis. Lex (ut Pauli uerbis utar) uirtus peccati est: Euangelium, uirtus salutis omni credenti. Atque quotquot sunt siue in lege, siue in Euangelio promissiones, in Christo complentur. Ex his puto satisfactum esse quæstis, cum quid nomine legis dicitur, tum quibus nos liberos fecit. Superest, ut locis (qui aduersari uidentur sententiæ propositi de lege) satisfaciamus. De abrogata lege quod dicitur, quomodo intelligendum ueniat, dictum est. Quod adductum est ex Paulo, Non estis sub lege, sed sub gratia, sic intelligendum est, ut dicamus, pios, ac credentes liberatos esse ab ira, & iam propter Christum iustos, & acceptos esse (si cooperentur) etiam si in ipsis sint aliqua peccati uestigia, & reliquiæ. In Christum enim translata est pœna ipsis debita. Ad id, quod obiectum est, Iusto non est lex posita, respondeo, locum illum Pauli intelligendum esse de disciplina. Nam Lex non est iusto posita, ut coërceatur, accusetur, puniatur. Ad quid enim illi poneretur, qui ultro & nouit, & uult quod iustum est, & honestum? Hac disciplina, quæ est uerè pædagogia, & carcere, iustus, id est, Christianus, & uerè fidelis, non domatur. Regitur enim à Spiritu sancto, prælucente uerbo Dei, cui scit creaturam rationale subiectam esse, & debere obedientiã, quam liberaliter, promptè, & ex animo exhibet. Vfus igitur legis diuinæ pædagogicus, quo Deus uult homines etiam non renatos coërceat disciplina, ne delicta committant, iniustis competit. 1. Timoth. 1. Lex iniustis posita est. Atque ut hac disciplina defendatur, præfecit Deus humano generi magistratus, ut furentes homines coërceantur, & supplicii reprimantur, Deut. 19. Auferes malum, ut audientes reliqui timorem habeant. Vnde psalmus 31. inquit de causis calamitatum humanarum, Chamo, & freno maxillas eorum confringe, qui non approximat ad te. Has calamitates, & hos terrores senserunt Adam, Abraham, Iacob, Dauid, Ezechias, & Paulus in agnitione peccati. Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Et Psalmi pleni sunt harum querelarum. Propterea docendi sunt homines de disciplina. Primò, quòd necessarium sit eam præstare, propter mandatũ Dei, cui debetur obedientia. Secundo, ut pœnæ uitentur, quibus uel magistratus, uel Deus punit atrocita delicta. Tertio, ut sit pacificus publicus conuictus, ne mali grassentur in aliorum corpora, & bona, ac in tranquillitate doceantur mores, & Euangelium. Est & alius legis diuinæ usus, ostendere peccatũ, accusare, perterrefacere, & damnare omnes homines in hac corruptione naturæ. Habet enim lex perpetuũ Dei iudicium, damnatis peccatum, patefactum hominibus, ac subinde uariis modis reuelatum, uoce, & exemplis: ut in paradiso arguit Deus inobedientiam, & addit pœnam, scilicet mortem, & cæteras calamitates, ut essent testimonia iudicij aduersus peccatum. Postea consequuta sunt multæ conciones, & uaria exempla, ut de Cain, de diluio, de exitio Sodomorum, & reliquis. Habet igitur lex Dei iudicium, in quo horrenda ira Dei aduersus peccatum ostenditur omnibus temporibus, Roma. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem hominum, ueritatem in iniustitia detinentium, unde Lex faciem Dei irati fert: Iram enim Dei operatur, ait Paulus, hoc est condemnat peccatum & perterrefacit. Quare

Christi beneficia explicata in Euangelio. Euangelium quid.

Antithesis legis atq; Euangelij.

Sub lege quomodo nõ iustum.

Iusto lex nõ posita, quomodo.

Magistratus obseruandis & custodiendis legibus instituti.

Quare legi disciplina apprehendenda.

Lex ostendit peccatum, ac enat, terret, &c.

Lex Deum iratum exhibet.

ubi à nobis peccatum est, non moremur in meditando usu legis, quæ non iustificat, sed ostendit nobis Deum iratum, & ulcisci uolentem nos propter peccatum, uerum reflectamus animos nostros ad Christum, faciem patris placati ferentem, in quo pater nos acceptos, & gratos habebit. Proindè diligenter aliqua confideranda sunt in lege. Primùm, lex admonet ad quid condita fuit natura humana, & qualis fuerit hominis dignitas, in qua conditus est. Talis enim fuisset natura humana, qualem hinc lex describit, plena agnitione Dei, semper ei obediens, & eum celebrans, iustum habens ordinem in omnibus afflictionibus, sine ulla uel praua cupiditate. Secundo, lex nos admonet de præsentis miseria, iam enim uidemus naturam lapsam ex prima dignitate, pugnare cum lege, plenam tenebrarum & contemptus Dei, sine ordine. Tertio, cum lex post lapsum sit repetita, certè significatur aliquando faciendæ, & complendæ, idedè admonet nos tacitè de reparatione generis humani, & de uita aeterna, ac ad quantam præstantiam rursus uocemur, quæ in promissionibus facilius intelligitur. Postremò lex admonet quidem nos iræ, ultionis, & sententiæ diuinæ: sed è regione semper aspiciamus filium Dei habentem faciem patris placaram: & consideremus ipsum filium hostiam esse, quæ sola sustinuit iram pro nobis, subit onus legis, & placauit patrem. Consideremusque beneficium filij Dei, quod exuberat supra peccatum. Item sciamus nos uocari ab ipso filio Dei, ut inueniamur puri in ipso. Quod fiet, si fide, & charitate beneficium eius, petierimus, & illi indiulsè adhæserimus. Porro non uidetur conuenire hic locus, Diligite inimicos uestros, cum Dauide psal. 118. Iniquos odio habui. Et psal. 138. Nonne qui te oderunt Domine, oderam, & super inimicos tuos rabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Responder Augustinus. Attende quod dicitur, perfecto odio oderam illos, &c. Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuã. Hoc est perfecto odio odisse: ut nec propter uitia homines oderis, nec uitia propter homines diligas. Odio habeamus quod iniqui sunt, hoc diligamus quod homines sunt, & illis, ut proximis, mederi studeamus. Hoc modo inimicos diligimus, hoc est, illis beneuolumus, quos intelligimus odio nos persequi. Dicit potest, hæc uerba, Estote igitur perfecti, &c. perindè sonare, & in eundem sensum tendere, atque hæc, esto te benigni: ita legit Augustinus parte. 5. lib. vno, cap. 7. aduersus Adimantum Manichæi discipulum, siue beneuoli estote, & propensi ad cumulandè benefaciendum, singularique studio ad copiosè merendum. Perfectos itaque dilectione, & in statu perfectionis consistentes, similiter & misericordes, quales Lucas. 6. cap. depingit, & Christus hinc suos esse requirit, & non requirit tantum, sed & esse tales donat, scriptura uocat bonos & benignos, qui sunt frugi, commodi & utiles quibuslibet. Rursum, inter Christum uertentem hoc capite irasci, & Dauidem, psal. 4. dicentem irascimini, non conuenit. Respondeo. Rectè prohibet Christus iracundiam, quæ ex malo fonte promanat, id est, erumpit ex uitioso pectore, qua pertinaciter fastidimus fratres nostros, & in contemptum ipsorum rumpimus, ac ueluti despuimus omnino. Id quod facit, ut ad charitatem & misericordiam prouocet. Qui enim non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. 1. Ioan. 3. Vnde Ecclesiastes 7. Ne sis uelox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. Igitur omnino non uult Dominus talem incandescantiam, sed magis misericordiam, quæ præstat sacrificio. Quod autem Dauid ait, Irascimini, & nolite peccare, non repugnat priori uerbo Christi. Hoc enim uult dicere propheta: Si contingat fragilitate humana prolabi te in iram, da operam ne pecces, ne carni cedas, ne frænum iræ laxaueris, sed te ipsum cohibe, ne in peccatum, & nimium furorem effluat ira, & uideare charitatis oblitus Ephes. 4. Sol non occidat super iram uestram. Roma. 12. Ne detis locum iræ. Christus aliquoties iusta causa in cæcos Phariseos, impios & pertinaces Iudæos irascebatur: sed non erum-

Christus patrem placati nobis præstat.

Lex quorum nos commouet.

Christus patrem legis nobis exciuit.

Odisse licet, atque etiam necesse est iniquos, quæsi iniqui sunt. Odium perfectum quod, apud psal.

Dilectio inimici, benignitas siue bonitas.

Quam iracundiam uetat Christus.

Irascendum quomodo suadet propheta.

Christus nunquam in iram concessit.



pebat in peccatum. 1. Petri. 2. Qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Sancti interdum irascebantur, tamen citra peccatum, quando in persecutores, blasphemos, & uiolentos inuehebantur, & dolebant ueritatem calumnia uexari atque opprimi. Verum id charitatis erat, quæ irascitur, sed non peccat. Deinde zelus est, non odium: quando charitas arguit errantes. Prouerb. 23. Melior est manifesta correctio, quam clandestina dilectio. Et infra. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Quid autem, quod hoc capite prohibet omnino iurare cum Deuter. 6. scribatur, In nomine eius iurabis? Respondet Augustinus. Non ita præceptum accipiendum est, quasi iurare iusserit: sed in alterius alicuius nomine iurare prohibuit. Melius autem fit, si secundum Euangelium non iuraueris, non quia mala est uera iuratio, sed ne in periurium incidatur facilitate iurandi. Qui enim iurat, non solum uerum, sed etiam falsum iurare potest: qui autem omnino non iurat, à periurio longè ambulat.

*Iurare non malum: Nunquã iurare, optimũ.*

*Satan, inter filios Dei, non uidit Deum.*

CONCILIATIO II.

Quomodo Iob, 2. ca. dicit, Satan inter filios Dei adfistere coram Domino, cum hoc capite doceat Christus, habendum esse cor mundum, ut uideatur Deus? Respondet. Dicitur diabolus adfuisse coram Deo, non uidisse Deum: uenit enim Satan ut uideretur, non autem ut uideret Dominum: ipse in conspectu Domini, non autem Dominus in conspectu eius fuit. Sicut cæcus in sole consistens, perfunditur quidem radiis solis, tamen lumen, quo illustratur, non uidet: ita inter angelos Satan in conspectu Domini adfuit, quia uis diuina, quæ intuendo penetrat omnia, in corde subtilioris naturæ, non se uidentem, immundum spiritum, uidet.

CAPITIS SEXTI

Epitome.

*Elemosyna, orationes, atque ieiunij, & obsequij diuini formula, sine tristitia, cupiditate, & sollicitudine fiant.*

CAPVT VI.

*Bona opera propter Deũ facienda.*

*De penitentia, dicitur, cap. ca. uendum nobis. 11. q. 3. c. Audi*



**A**TTENDITE, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificetur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit elemosyna tua in abscondito. Et pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi. Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus: amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, quum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant

*In prophanologia manifestio*

*Malum loqui iudicabitur.*

tant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo affimulari eis: scit enim pater uester, quid opus sit uobis, antè quàm petatis eum. Sic ergo uos orabitis. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum <sup>b</sup> super substantialialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentionem. Sed libera nos à malo. Amen. \* Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: <sup>c</sup> exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, quum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans: sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizare autem uobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt neque furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequus, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum <sup>d</sup> sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis, neque corpori uestro quid induamini. Nonne anima plus est, quàm esca: & corpus plus, quàm uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & pater uester cœlestis pascit illa. Nonne uos <sup>e</sup> magis pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans, potest adiciere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si enim scœnũ agri, quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur, Deus sic uestit: quãtò magis uos, modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gêtes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adicientur uobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei <sup>f</sup> malitia sua.

*b. Super-substantialem quod dicitur, superessentialem, aut aduenientem.*

*\* quia tuum est regnum & potestatis, & gloria in seculum: tam Hebraici quàm Graeci habent, & plurima uerba Latina exphara. c. Extermi nant Job curant.*

*Condonandum fratri. Marc. 11. cap. Ecclesia. 18. a*

*Theauri non congregandi.*

*Luc. 12. d.*

*Theauri locus.*

*d. Sustinebit huic adhaerebit.*

*e. Magis pluris estis, magis prestantis.*

*Deo & diuitiis non possumus seruire. Luc. 16. c. Sollicitudo de uictu & uestitu tollenda. Luc. 12. c. 1. Pet. 5. b.*

*Regnum dei, Euangelium querendum, & ipse iustitia.*

*f. Malitia affictio.*



Attendite, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus.



Vm vita non possit rectè institui, nisi salua & integra sit doctrina, præcedenti capite Christus in primis Scribarum & Phariseorū doctrinam repurgauit, falsamque scripturæ expositionem taxauit, & reprehēdit, qua homines tantum docebatur, ut manu, hoc est facto, à peccando abstinere, quāuis cor intus prorsus immundū maneret. E diuerso uerū, & germanū sensum, atque intellectū scripturæ, ac legis indicauit, & explanauit. Et cum nō esset satis ad uerū iustitiæ studiū, si doctrina repurgetur, nisi simul ipsa etiā uita rectè instituat: duob⁹ istis sequētib⁹ capitibus, Scribarū & Phariseorū uitā notat, & hypocrisicos dānat. Atque ita nihil irreprehensum reliquit, neque doctrinā, neque opera, non illa quidē, quæ oblationibus, purificationibus, aut aliis legis obseruationibus, siue paternis traditionibus constabat, in quibus tamē & ipsi culpabiles erāt: sed illa maximè, quibus facilè est pietatē & religionē prætexere, quod propius ad pietatem pertinere uideantur: cuiusmodi sunt eleemosyna, oratio, & ieiunium. Quæ re uera sunt potissima iustitiæ opera, iustorumque exercitia. Mirabile uisu, auditūque, tam magnos uiros tam acerbè reprehendi, cum tamen (sicut sanctos homines decet) scripturam quotidie aliis traderent, & bona opera facerent, ita ut pro optimis, & selectissimis totius populi Iudaici probarentur: & pro hominibus, qui in terra sunt, sanctissimis, in quos omnium oculi erant coniecti, ut in lucidissima specula, & exempla, de quibus uiuendi formam sumebant. Proculdubio peridiosa est hæc mundo & ingrata concio, quæ in tam sanctis scilicet hominibus nihil inculpatum relinquit. At enim ut mundus exosam habeat concionem hanc, tamen Spiritus sanctus nullam quamlibet potentium hominum simultatem pertimescit, sed satisfacit suo officio, quocūque delatus fuerit. Vtrunque arguit, quemadmodum utrunque, id est, tam falsa doctrina, quàm uita hypocritica, reprehendendum est. Dicit itaque: Attendite ne iustitiam, &c. Græcis legitur ἐλεημοσύνη, id est eleemosynā, non iustitiam, ut respondeat quod sequitur, Cum ergo facis eleemosynā. Ita legunt, & interpretatur Chrysostomus & Theophylactus, tamen si Hieronymus iustitiam legit, sed interpretans eleemosynam. Similiter interpretatur Augustinus libro 2. de sermone Domini in monte. Iustitiam facere coram hominibus complectitur primò uanæ gloriæ studium, deinde metum legis, commodi amorem, item uoluptatem, quam capimus ex rebus (ut uidetur) bene gestis: postremò, fiduciam in opera. Hæc simul hic omnia prohibentur, potissimum fiducia in opera nostra, tanquam nostra, excluso misericordiæ Dei respectu, quæ uerè est idololatria, cum in creaturas, & non potius in Dei misericordiam fidamus. Verbo, attendite, erigit mentes auditorum, quasi dicat, Scitis, & iam experti estis, quod propensi, & faciles sitis ad uanā gloriam, & hypocrisim: diligentissimā igitur nauate operā, & cauti estote, ne dū eleemosynas facitis, & bona uestra egenis ac miseris largimini, animi uestri hac insidiosā hypocrisicos peste occupentur: cauti estote, ne inanis gloriæ affectatio animos uestros in præstāda eleemosyna corripiat, & aurā popularē uenemini, more Phariseorū, qui eleemosynā largientes, hoc monstri in suo corde alunt, & hanc propterea faciunt, ut hominibus sint spectaculo, & admirationi, ac corā mundo honorē & gloriā lucrifaciāt. Non prohibet facere eleemosynā corā hominibus, sed ne demus eleemosynam ob eā causam, & eo animo, ut rumusculos populares uenemur, & ut ab hominib⁹ spectemur, & laudemur. His uerbis docet, quid in præstāda eleemosyna fugere debeamus. Sicut non prohibuit supra. 5. cap. facere opera nostra corā hominibus, imò præcepit facienda, cum maius bonum sit illa facere coram populo, ut qui illa uiderint glorificent patrem cœlestem: ita hoc loco non prohibet faciendam eleemosynam, etiam spectantibus hominibus, ut hoc exemplo excitentur

Phariseos tāta autoritate ac sanctitate uiros reprehendi, noui & ingratum mundo.

Spiritus sanctus nequit, quin liberè arguat.

Iustè qui uiuunt coram hominibus, quid capient fugiāte.

Fiducia in operibus quādo damnatur

Ab hypocrisii & kenodoxia absterret.

Bona opera sūt etiam in propatulo, sed citra uanitatis studium.

tur ad opera pietatis, & Deum glorificent: sed prohibet, ne eo animo eleemosynā demus, quò hominibus placeamus, & gloriam apud homines uenemur. Eleemosyna opus est longè præstantissimū. Neque aliud est, eleemosynam facere, quàm egenis & pauperibus opem ferre, & prodesse officiis: neque est tantum mendico circumforaneo frustum panis porrigere, sed omnis etiam generis officia, & opera liberalitatis ac beneficentiæ, quæ proximo præstari possunt. Dicitio eleemosyna ex Græco est ἐλεημοσύνη, & nihil aliud est quàm misericordia, ut quemadmodum quod ex gratia datur, gratia uocatur, ita ualuit usus, ut quod ex misericordia datur, eleemosyna, id est misericordia, uocetur. Est itaque eleemosyna, ut diximus, beneficium, quod ex commiseratione datur pauperi, egeno, & afflictō. Ad ueram eleemosynam parum, aut nihil refert, probus ne uel improbus sit, is cui datur, nec quàm magnum sit, uel modicum, quod datur, modò absit affectus uanæ gloriæ, & propter Deum ex commiseratione, simul & ex liberali, & misereante animo datur egeno. Quin minutum æs, siue obolus datus, cum uiduc illa Euangelica mitente in gazophylacium, Luc. 21. pluris quandoque fiet apud patrem cœlestem, quàm grandis diuitum largitio. Hac enim in re spectandus est animus, misericordis & pio affectu motus erga egentem, & petentem. Falsa igitur dicitur eleemosyna eorum, qui pigro, illiberali, indignabūdo, & non commiserante animo largiuntur, non secus dantes, pauperi, quàm cum buccellam panis cani molestè latranti porrigerent. In porrigenda eleemosyna, armandus est animus debitis circumstantiis. Non detur alienū. Quod datur, ex misericordia datur: liberali animo, non ex hypocrisii detur. Rom. 12. Qui miseretur, in hilaritate. 2. Corin. 9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, nō ex tristitia aut ex necessitate: hilarē enim datorem diligit Deus. Tales erāt Abrahā & Loth, qui nō solum excipiebāt peregrinos hospitio, sed propè cogebāt etiā, ut ad se diuerterēt, Gen. 18. & 19. Deinde largiens dū est non parcē: at qui ex liberali animo dat, nō parcē dat. Hoc modo hi, quibus res angusta domi est, eleemosynā uerè dant, licet rem modicā largiātur. 2. Cor. 8. Si uoluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Qui inuitus dat, non dat largiter, dat tantum ne possit non dedisse uideri. Nam quicquid dat, putat perditum. Huc pertinet, quod scribit Paulus. 2. Corinth. 9. Hoc autem dico, qui parcē seminat, parcē & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et psal. 111. Disperfit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione erit. Huius rei exemplum legito apud Paulum de Macedonibus. 2. Corinth. 8. Ad hæc pulchrè, & disertè scribit beatus Ambrosius lib. de officiis cap. 3. Beneficentia (inquit) diuiditur in beneuolentiam, & liberalitatem, non enim satis est benè uelle, nisi benefacias: nec satis est benefacere, nisi id proficiatur ex bono fonte, id est ex bona uoluntate: hilarem enim datorem requirit Deus. Nam si inuitus facias, quæ tibi merces est? Pulchrum est, bene uelle & eo largiri consilio, ut profis, non ut noccas. Ad quid præcepta est eleemosyna? Cum Deus posset omnes facere diuites, ita tamen singulari quadam prudentia nostrum conuictum, & singulorum fortunas temperauit, ut pauperibus esset occasio patientiæ, & diuitibus argumentum exercendæ misericordiæ. Præceptum de eleemosyna non tam pauperum, quàm diuitum gratia datum est: nimirum largiens exequitur mandatum patris, & ad cœlestis patris liberalem naturam, & ingenium conformatur. Beatius igitur est dare, quàm accipere, Acto. 20. Et plus commodi refert dans, quàm accipiens. Sed quæ sunt, quæ nos impellunt ad eleemosynam? Viscera misericordiæ, alienæ miseriæ comparsio, quam si uetus ille homo absorberit, & in ἀπόδειξιν uerterit, aut admodum debilem reddiderit, rogandus est Christus, ut suo spiritu nos donet, & humanos nos, ac misericordes reddat: hoc est tales componat, qui sensu alienæ miseriæ facilè tangamur, atque ad subueniendum

Eleemosyna, quid.

Quid cōplectitur.

Da pauperi & egeno, & da quantumlibet, dū simplici & cādidō animo.

Eleemosyna quomodo rectè fiat.

Cogenti etiā egeni accipere eleemosynam. Intenui fortuna licet etiam liberalē esse.

psal. 36.

Deum quid mouit, ut alios diuites, alios egenos esse uoluerit.

Eleemosyna dantem magis iuuat, quàm accipientem.

Ad eleemosynam quæ incitant.



miseris impellamur. Omnia Christo, nos, nostraque debemus. Cùm itaque ipsum rebus nobis mutuò datis egentem in membris suis, id est in pauperibus uideamus, ingrati erimus, nisi rependerimus. Pauper factus est, ut in eo diuites essemus. Carne sua nos cibauit, & sanguine suo nos potauit in uitam æternam. Veste immortalitatis nos uestiuit, è celo nõ solum uisitandi nos, sed & seruandi gratia descendit. Omnia omnibus factus est, ut nos patri conciliaret. Ingratitudinis igitur nota labefacti erimus, nisi qualemcunque gratitudinem illi rependamus. Obiicias. Donarem libenter, & rependerem, si egentem ipsum, & opus habere rebus meis uiderem. Certè indiget, sed in pauperibus, in quibus si gratitudinem negaueris, ipsi Christo negasti. Quod enim (ait infra 25. cap.) uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Est igitur Christus in suis nudus, pauper, peregrinus, esuriens, sitiens, & ægrotus. Hæc non capit humana ratio. Quæ? Ditissimum, esse pauperem: bene uestitum, esse nudum: sum me felice, esse miserum: sum me saturum, esse esurientem: sum me sanum, esse egenum. Cæca est caro in rebus Dei. Qua relicta, spiritalis Christum opulentissimum, sanissimum, &c. uidet pauperem, egenum, nudum, & esurientem in paupere: hoc est, uidet Christum excipere, ut sibi largita, quæ nomine ipsius pauperibus, & egenis donamus. Obiectum eleemosynæ est aliena miseria. Ergo omni egeno, misero, petenti tribuè. Omnibus benefac. Cum primis tamen effundenda est beneficentia in domesticos fidei, consanguineos, affines, conciuies, & alios iuxta ordinem, & præscriptum charitatis. Obserua, quàm excellens sit opus, eleemosyna, hoc est beneficentia, quæ miseris potissimum exhibetur, quod huic in uita instituenda primus datus sit locus, & ex dilectione proximi ortum habeat. Obserua ad huius loci & sequentium cognitionem, antithesim, quæ hic facit Christus inter Phariseos, & suos: quandoquidem prædixerat Christus oportere suorum iustitiam, ea, qua sibi placebant Pharisei, esse abundantiore. Ideo attendite, ut iustitia uestra excellat Phariseorum iustitiam. Nomine iustitiæ, intellige opera misericordiarum proximo præstanda, aut simpliciter, ut ait glossa, opera iustitiæ, quæ abundet plusquam Scribarum, & Phariseorum. Obserua spectandum esse præstando eleemosynam, ut quam maximè fratribus proximus, idque ad gloriam Dei, quam qui spectaret, eum facillè docebit Spiritus, quibus, maximè commodum sit eleemosynam præstare.

#### Vt videamini ab eis.

Finem, opus siue eleemosynam uitiantem explicat, ut illum maximè fugiamus. Particula, ut, quædoque sequelam, non finem dicit, ut in psal. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Hoc loco significat finem, non autem sequelam. Non enim uetat conspici rectè facta, sed nõ uult hoc animo fieri, hoc est ad hunc finem, ut uideatur, qui ea facit, & honoretur ab hominibus, ne ponatur finis iustitiæ in hominum laude. Quod inter spiritalia homines quarunt, est gloria: & inter corporalia, est opulentia. Proinde cùm studiosarum operationum finem oporteat gloriam Dei esse, non nostram, uana profectò, inutilis, & uacua erit gloria, si illam operi nostro, ut finem, præscribamus.

Alioquin mercedem non habebitis, apud patrem uestrum, qui in cælis est.

Argumento ab incòmodo hortatur, ne laudem hominũ, cùm operamur iustitiam, quæramus. Multum enim tibi incòmodat uana gloria, dum illa præsentem, & pro scopo habita, frustra elaboras opus tuum: cui alioqui præmiũ apud patrem cælestem responderet. Habes quidem præmiũ pro momento temporis, & hoc uanum, & caducum nimirum apud homines, hoc est, fundamentum habens super carnem, rem omnium corruptissimã. Obserua. Cùm das eleemosynam, honoras patrem tuum, reddis debitum, aut, aliquod aliud pium opus facis: si huic

Qui benefac-  
tis aucupa-  
tur gloriam  
apud homi-  
nes, pessimè  
in se consulit

Vt, denotans  
finem.

Si gloriã tuã  
pro fine ope-  
ris tui desti-  
nes, uana est  
gloria, uana  
& opera.

Beneficien-  
dum omnib⁹  
sed primū ac  
potissimū  
nonnullis.

Iustitia.

studiosos glo-  
riæ Dei, Spi-  
rit⁹ docet om-  
nia.

Pauper ob  
Christum, di-  
tissimus,  
Contra diues  
sine Christo  
pauperimus.

Pauperi qui  
dat, refert  
Deo, quæ ab  
illo accepit.

operi finem, uanam gloriam posueris, præferens illam iis, quæ sunt ex charitate necessariò diligenda, offendis Deum mortaliter, & à præmio cælesti excluderis apud patrem cælestem, transgrediens primum mandatum de Deo diligendo. Si uerò illa uana gloria non præstitatur illi operi, ut finis intentus, & præcipuus: sed aliquo modo ex opere facto appetatur, non contra ea, quæ sunt de necessitate charitatis, non inducit mortem, & ueniale est peccatum appetitus ille. Obserua patrem qui est in cælis, non autem Deum dicit: ut meminerimus nostræ renascentiæ, qua ueterem exuentes, & nouum induentes hominem, nati sumus patrem illum cælestem: & ut tales nos exhibeamus filios, ut in quouis opere faciundo patris cælestis ingenium referamus.

Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificentur ab hominibus.

Despicabilem hypocritarum consuetudinem adducit, ut exosum, & abiectum reddat inanis gloria studium. Quos hoc loco Christus intelligit ac uocat hypocritas, nominatim exprimit, infra 23. Vt uobis Scribæ, & Pharisei. &c. eò quod maximè foris ostentarent singularis sanctimoniarum, & pietatis speciem, intus uerò sordidissimi, & prophanissimi essent. Non quod Scribas, & Phariseos hoc nomine notaret, quatenus huiusmodi, sunt enim dignitatis nomina: sed quod suo nomini, moribus, & doctrina non responderent, maximè addicti studio simulationis, & ostentationis. Quod si rogaueris: Quibus indicis, & signis agnoscere possum hypocritas? Addit notas nemini non cognitatas. Hypocritæ sunt ueluti homines histriones, & fucati personarum, qui repræsentant, quod non sunt: eleemosyna, pauperum subuentione, & huiusmodi operibus. Res enim sancta est beneficentia subleuare egentes. Iam autem hi iuxta speciem tantum externam liberales, ac misericordes sunt, intus atque in animo planè auari, & crudeles, cùm nihil illos commoueat calamitas proximorum: sed cupidi gloriæ, rumusculos auramque popularem paululo pecuniæ mercantur, qui si soli essent, & ab hominibus non uiderentur, ne frustulum quidem panis, fame morienti darent. Quare si quid ab huiusmodi histrionibus fuerit pauperi largiendum, non quarunt solitudinem, aut latibulum, aut priuatas aedes: sed prodeunt in synagogas, in scenas & theatra, in uicos, & loca publica, non aliter, quàm qui fabulam acturi sunt, clangore tubarum publicum spectaculum cientes, ut auribus & oculis vulgi suas ingerant eleemosynas. Obserua particulas, quæ uenandæ uanæ gloriæ locum artificiosum ostendunt: nimirum non priuata adducuntur loca, sed in synagogis (inquit) id est, in conuentibus publicis, & his ecclesiasticis, etiam ad pietatem excitantibus. Deinde uicos dicit, ubi transeuntium frequentia, quæ distribuuntur, spectanda obici possunt. Simulque dum ingrato animo, quanuis in speciem liberali, eleemosynam largiuntur, miseris exprobrant suam calamitatem, & sibi stultissimam quandam gloriam uenantur ab hominibus. Hæc sunt apertissima notæ, quibus agnoscere possumus cùm hypocritam, & ostentationem hypocritarum, tum quid intelligendum ueniat hac sententia, ut honorificentur ab hominibus. Aduerte antiquitus obseruatum fuisse statim, & certis horis tuba conuocare pauperes, quorum necessitas subleuabatur, ne uagi ambulantes, ab aliquo honesto labore, & opere distraherentur, & tota die cursitantes, erogantibus eleemosynas molesti essent. Qua laudabili consuetudine abusi sunt hypocritæ ad auram popularem, & uanam gloriam captandam. Vnde prouerbiali figura, pro eo dicitur, quod est, insolenter, & arroganter studia, & beneficia tua iactare, nimirumque præconio uenditare palam. Inuenerat fortasse superbia illa Phariseorum nimia, præconium quoddam, siue per uoces hominum, siue per tubarum clangorem,

Gloriæ appetentia nõ semper capitale crimen. Nomen patris in Deo, renascentiæ nos admonet, & imitationis.

Phariseos hypocritarum nomine Christus quare compellet.

Hypocritas quibus notis agnoscat.

Hypocritæ, negotiatores

Morem oportet fuisse in Iudæa, tuba cogendi plebem ad eleemosynam.

Publicè qui dat pauperi non petenti, calamitatem illi exprobrat suam.

Canere tuba Prouerb.



**Hypocritæ.** quibus laudes uirtutum suarum in vulgus spargeret. Obserua. Hypocritæ (Græcè ὑποκριταί) simulatores sunt, qui ficta persona fabulam agunt apud populum, ueluti Aiæcis, Hectoris, siue alterius. Simulat se habitu, sermone, & moribus tales esse, quales fuerint, uel sint, quos imitantur, & quorum personam gerunt, cum reuera tales non sint. Ideo uerò Hypocritis propriè illa pronuntiatio est, quam actores in fabulis ad imitationem eorum, quorum personam gerunt, expriment: actio item, quam per simulationem mentiuntur. Per metaphoram autem transferuntur hæc ad quosuis simulatores, qui, quod non sunt, uideri tamen uolunt: ad quamuis denique simulationem adeoq; imitationem inanem, qua uidelicet foris pulchrè omnia congruunt, in corde uerò, nihil minus inuenias, quam quod simulatur foris. Scriptores ergo Ecclesiastici coeperunt usurpare hypocritism pro ficta, & simulata sanctimonia, & hypocritam dicere non uerè sanctum, sed speciem sancti habentem: nempe cum quis externo habitu, & corporis gestu, sanctimoniam simulat: cum interim in animo sit impurissimus, & nihil minus curet quam sanctimoniam. Ita enim ex Isaia 29. cap. Dominus hypocritas suis coloribus depingens, contra Phariseos agens, ait, Bene prophetauit de uobis Isaias, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Certè Dominus in hoc cap. 6. ad histrionicam siue scenicam gestulationem allusisse uidetur: cum egregiè quadret, quod dicit πρὸς τὸ θεῶν ἰδέειν, id est, ut spectemini ab hominibus, scilicet, quod actorum est. Inde theatrum. Nam θεῶν ἰδέειν uidere, siue contemplari ac speculari significat. Obserua: vicos hic dici, non eos in agris, qui non sunt oppida, sed in quos diuiditur urbs. Nam paulò pòt meminit platearum, quæ propriè dicuntur uia latiores, in quibus solent fieri plebis conuenticula.

Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

In re seria & proximo percommoda iurat. Quasi diceret, Si uultis audire, quid auræ popularis uenatores proficiant, Amen dico uobis, id est pro certò habetote, ipsos consequi præmium hypocritis dignum, inanem uidelicet gloriam, & populi rumusculum, auræ instar euanescentem. His sufficit, si, utcumque applaufuerit populus, & in speciem uideatur sancti, & liberales, unde à vulgo suspiciantur, & domini ac magnifici nominentur. Nihil mercedis apud Deum expectant: sed rectè suam mercedem mox euanescentem habent, nimirum contenti uana illa gloria, quam tanto studio ambiunt, & uenantur. Obserua uocem, suam, id est, quam ipsi non à Deo, sed à se inaniter accipiunt. Nam nihil reportant mercedis, quòd uana sit, & facilè pereffluat: & ut uerbo Græco utar ad maiorem huius loci explicationem, mercedè suam ἀπέχουσιν, id est tulisse, siue recepisse dicuntur. Quo uerbo significatur modus ille loquendi, quo utimur, ad eos, qui laborum suorum mercedem, antè quam ad iustam laborandi metam perueniant, ita percipiunt, ac prodigunt, ut finito labore nihil super sit, unde se sustentent: atque ita frustra uersum laborem impenderint. Quis non uidet non absimilem in hypocritis laborem, qui dum eleemosynas largiuntur, sola gloriæ popularis aura pascuntur, nihil tandem absoluta eleemosyna reportantes, quòd inanis illa gloria ad modum auræ euauerit.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Hæc hyperbolicè legenda sunt per quendam excessum & eminentiam. Hyperbole figura est quum dictio excedens fidem, ponitur, augendi, uel minuendi causa. Augendi, ut 2. Reg. 1. Saul & Ionathas, &c. sequitur, &c. aquilis uelociores. Minuendi, ut testudine tardior. Ita & hic locus hyperbole cum metaphora est, qua nihil aliud Christus docere uoluit, quam ut nolimus ob beneficentiam hominibus esse admirationi. Quasi dicat, Impossibile est quin cognoscas, cum serid ali-

quid facis: tamen ipse nescias, quod facis, si fieri potest, tantum absit, ut aliis ostentes. Hanc figuram obseruauit Chryostomus Homilia. 19. & hunc sequutus est Theophylactus. Vult Christus, ut adeò non desideres hominem spectatorem, cum eleemosynam facis, ut si fieri possit, nec ipse scias te facere, quod rectè facis: ac uelut oblitus facti tui, non adscribas tibi, quod benefeceris, nec tibi hoc nomine placeas, quòd dederis. Hoc tibi satis sit, quòd obediuisti patri tuo, & hunc habeas testem, cuius oculos nihil omnino fugit. Obserua, quam diligenter studendum est, ne quum benefecerimus insolescamus circa bona nostra opera, nostrasque beneficentias, nobis ob illas placentes, & adgratulantes. Non dico dolendum esse, quòd benefecerimus, sed dico non esse insolescendum modestiæque obliuiscendum. Gaudendum est, quòd patri Deo obediuerimus, non nobis, qui proni sumus ad κενόδοξιας, id est, inanis gloriæ studium: unde frequenter respectu bonorum, quæ agimus difficillimè est, non insolescere: id quod uidere est plerumque in mulierculis, quæ ubi intelligunt se eleganti esse forma, mox abiecta omni modestia, insolescunt. Huc pertinet philautia illius Pharisei Luc. 18. dicentis: Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Hæc sententia in eum sensum pronuncia ta est, Quia Paulus usus est, Qui tribuit (inquit) in simplicitate. Porro simpliciter tribuere dicitur, ne impertiens de suo pauperi, suum honorem quærat, aut gratiarum actionem, aut præmium propterea uenetur, nec ullum hominem respiciat, siue beneficij memor fuerit, siue non: sed omnibus eiusmodi affectionibus uacuus, liberè impartiat quicquid uoluerit: quemadmodum Deus liberè pluit super iustos, & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos, & malos. Simplex itaque animus & sensus dicitur, qui lucri nihil quærit, nihil aliud caprat, quicquid bene faciat, nihil aliud præter vnam dei voluntatem & honorè intuetur. Sinistra (ait Augustinus) significare videtur, delectationem laudis: dextera autem significat intentionem implendi præcepta diuina. Cum itaque conscientia facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dextræ. Nesciat ergo sinistra tua, quid faciat dextera tua, id est, non se miscet conscientia tuæ laudis appetitio humanæ, cum in eleemosyna facienda diuinum præceptum contendis implere, ut sit eleemosyna tua in abscondito.

Vt sit eleemosyna tua in abscondito.

Si in abscondito facienda est eleemosyna: ergò ne reiecta est, qua promulgatur, & indicatur egentibus? Minimè. Nam uidendum tibi est, quò tendat hic Christi sermo. Christus certè cor, & mentem inspicit, utpote si propterea datur aut in hoc fundatur, ut per illam, fama, ac nomen quærat, tum coram Deo nihil ualeat, quanquam etiam multorum egestati consulatur. Dixeris autem eleemosynam in occulto dedisse, quando cor non propterea se magnificat, nihil honoris & gratiæ habebentia apud homines quæritat: sed ita animatum est, ut liberè, ac benignè faciat quod facit, nihil pèdens, si ideo coram hominibus, nihil laudis, aut plausus mereatur, imò etiam si in omnem uituperationem, & contemptum incidat. Atque ita eleemosyna in occulto facta dicitur, & tantum coram Deo exhibita, licet toto mundo conscio, & spectante fiat. Est enim ea cordis simplicitate tecta, ut non admodum quærat, aut curet, qui dat, quid gratitudinis, aut ingratitude, quid boni, aut mali consequatur. Et, ut in summa dicam, nostrarum operationum scopus esse debet, gloria Dei. Obserua: hæc appendix, ut sit eleemosyna tua in abscondito, est uelut exegesis præcedentis sententiæ, nesciat sinistra tua, &c.

Et pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.

Grandi pollicitatione, & præmij certitudine, nimirum facta à patre cœlesti, qui neque falli, neque fallere nouit, excitat animos nostros, ut studemus prorsus uitare, ac fugere auram popularem, dum quidpiam boni ac sancti facimus. A bene-

Sinistra nesciat, quid faciat dextera.

Cenodoxia tentatio difficultis repulsu. Tribuere in simplicitate, quid.

Sinistra & dextera pro bono maloque scopo.

Eleemosyna quomodo fit in occulto.

Hypocritis & hypocrita quid in factis.

Theatrum.

Vici. Plateæ.

Spes hypocritæ quasi auræ euania.

ἀπέχουσιν, id est alicunde tulerunt.

Hyperbole.



ficentia non te reuocet (inquit) quod nesciant homines, imò ne ipse quidē qui iu-  
 uatur, norit autorem beneficij, & elemosynæ. Nam locupletissimū testem habes  
 patrem tuum cœlestem, quem nihil later. Is pro certo reponet tibi præmium, etiā  
 si ab homine nihil redeat gratiæ. Cùm itaque Dominus pollicitus sit, se abundē  
 præmij daturum, & persoluturum, certūmq; sit ipsum non mentiturum, apud  
 hunc quare præmium, nec uoto, aut spe frustraberis. Theophylactus, & pleri-  
 que Græci legunt, reddet tibi in manifesto. Quando reddet? tunc, quando nu-  
 da, & manifesta omnia erunt, & tunc magis glorificabere. Huc pertinet, quod  
 scribitur, Lucæ decimo quarto capite, Cùm facis conuiuuium, uoca pauperes, de-  
 biles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribu-  
 tur enim tibi in resurrectione iustorum. Et. 16. cap. Facite uobis amicos de māmō-  
 na iniquitatis: ut cū defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Et infr. 25.  
 cap. Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.  
 Erit ergo hæc retributio in resurrectione iustorum, & ita dabitur in manifesto, ut  
 spectatores illius futuri sint, nō unius, aut alterius loci incolæ, nec nostri tantū  
 seculi homines: sed omnes in uniuersum totius orbis, & omnium seculorum in-  
 habitatores. Neque ita electorum tantū, sed & reproborum retributio in propa-  
 tulo futura est. Proinde tria in hac patris cœlestis pollicitatione obseruanda sunt.  
 In primis quòd pater ille cœlestis, etiam in abscondito uidet. Deinde quòd si quid  
 boni fecerimus, ille redditurus est. Tertium redditurus est in ppatulo. Putauerim  
 autē hæc nobis recensita, à Christo ut assuescamus, quæcunque facimus, patri cœ-  
 lesti probare, & cadē opponere carni, quæ semper querit uideri, si quid boni agit.  
 Deinde cupit retributionem. Tertio uenatur glorificationem, & publicam nomi-  
 nis celebritatem: idque in hoc seculo, ubi omnia uana, & caduca sunt. Obserua  
 immensam Dei bonitatem, ac liberalitatem, qui retributionem tibi pollicetur, si  
 de bonis ab ipso gratis acceptis egeno aliquid dederis. Cū nihil habeas, quod à  
 Deo non acceperis (ait Paulus) pauperi tamen aliquid si largiris de diuinitus acce-  
 ptis bonis, das, recepturus præmium ab eo, qui ex gratia omnia tibi donauit. Præ-  
 clarissima est hæc negotiatio copiosissimum afferens fructum. Das pauperi, &  
 Deus retribuit, à quo omnia accepisti. Faceat hinc caro, quæ nihil in hoc spirita-  
 li negotio cognoscit. Obserua, quàm studiosi esse debemus, ut abscondamus con-  
 tra uanitatem mundi, bona quæ facimus, ut olim in retributione iustorum publi-  
 centur: & quæ mala sunt, prorsus omittamus, certi futurum, ut olim publicentur.

### Et cū oratis, non eritis sicut hypocritæ.

Posteaquam copiosè docuit, quomodo beneficentiæ opera proximo exhibēda  
 sunt, & repurgauit Scribarum, & Phariseorum doctrinam, de faciendâ elemo-  
 syna: aggreditur alterum opus, quod maximè ad hominem Christianum perti-  
 net, orationem uidelicet, opus profectò ardentis animi, & spirituale. Nam quem-  
 admodū huius uitæ necessitas exigit, ut proximo benignè faciamus, & nos illius  
 egestas moueat (propter hæc enim causam in terris societatem, & coniunctionem  
 uitæ colimus, ut alter alteri officiis proferat, & auxilium ferat) ita cū quotidie in  
 hac uita periclitemur, uariis discriminibus expositi, (quæ neque cauere, neque sa-  
 tis prospicere aut declinare possumus,) consentaneum est, atque ad eò necessariū,  
 ut indefinenter Deum imploremus, & auxilium queramus, cū nobis, tum etiā  
 aliis. Porro cū natura comparatum sit, & hæc sit nostra inclinatio, ut in proxi-  
 mo facilius, quàm in nobis notas & nauos obseruemus, atque non tam in nobis  
 uitiorum turpitudinem, quàm in aliis detestemur, & præcipuè in illis uitia obser-  
 uemus, quos famæ prostitutæ esse, & deploratæ impudentiæ cognoscimus, argu-  
 mento ab exemplo & damno Christus docet, quid nobis fugiendum, & ab ora-  
 tione abigendum ueniat. Proponitque Scribarum & Phariseorum modum orā-

Abcondatur  
 elemosyna  
 in sinu ram-  
 tuo, quàm  
 pauperis.

Elemosyna  
 in occulto fa-  
 cta, remunc-  
 rabitur in p-  
 patulo.

Iniquorum  
 condemna-  
 tio conficio  
 & intuece to-  
 to mūdo fiet.

Carnis in bo-  
 nis operibus  
 ratio habea-  
 tur nulla.

Oratio, opus  
 ardentis ani-  
 mi et spiritua-  
 le.

Oratio assi-  
 dua aduersus  
 cotidiana pe-  
 ricula neces-  
 saria.

Nobis suffe-  
 ni alios ob-  
 seruamus.

di ineptissimum, & coram Deo ingratisimum. Quos tametsi nominatim non  
 proferat, nomine tamen hypocritarum ipsos intelligit, propter magnum simula-  
 tionis, & ostentationis studium, quo speciem pietatis, & sanctimonie ostentabāt,  
 quum tamen intrinsecus impudentissimi, & profanissimi essent. Deinde non u-  
 surpat nomen dignitatis & honoris, quod est Scriba & Phariseus: sed uocabulū  
 quo significantur maximè abominabiles, exosi, & detestandi, hoc est hypocrita.  
 Sumit itaque exemplum ab hypocritarum consuetudine, eò adductum, ut osten-  
 tationis, & hypocritis studium in orando, in oculis Christianorū detestabile red-  
 dat. Hunc morem seruabant Lacedæmonij, qui seruos temulentos pueris ostenta-  
 bant, ut magis hi detestarentur, & abominarentur ebrietatem, quum uiderent tā  
 deforme spectaculum, hominem scilicet immodico madetem uino, dementi non  
 ab similem: unde persuaderent sibi sobrietatem esse rem honestam, & ebrietatem  
 turpissimam, qua homini nihil indignius contingere potest. Christus itaque ut fu-  
 giamus hypocriticos turpitudinem, proponit illam in hypocritis, Scribis, & Pha-  
 riseis spectandam, & detestandam. Hoc docendi genere utitur pia, & prudēs ma-  
 ter, uolens filiolæ suæ horrorem omnis impudentiæ, leuitatis, & lasciuie incute-  
 re: non enim simpliciter ei dicit, Cū in publicum prodieris, caue oculos uagos,  
 aut iactabundos habeas: ne sis moribus dissolutis, uanis, & procacibus. Sed, ut ho-  
 rum morum turpitudinem expresius, & indiuisius animo filiolæ inducat, & im-  
 primat, proponit, ac describit illi impudentissimorum, ac procacissimorum scor-  
 torum leuitatem, temeritatem & impudentiam, in quibus apertissimè uideat, &  
 legat, quanta possit in uirgine esse impudentiæ, & procacitatis turpitude. Omni-  
 no plus uirium habet ad persuasionem hoc unum exēplar, quàm prolixus sermo.

### Qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus.

Oratores hypocritas depingit, adducens notas, quibus cognoscuntur, qui φιλο-  
 λογία, id est amore gloriæ ductantur, & uanitate cordis afficiuntur, nō hoc quæren-  
 tes, ut probi sint, sed ut probi uideantur. Non uerè, sed hypocriticè orat, qui non  
 tam sollicitus est, ut deuoto erga Deum sit animo, quàm ut talis esse uideatur.  
 Hanc uanitatem facildè ex aliis rebus deprehendes, uerbi gratia. Quis non dixerit  
 uanum esse, si quis malit uideri, quàm esse sanus? Fustuario dignus est, & in stul-  
 torum catalogum reponendus uenit, qui non malit uerè incolumis, & sanus esse,  
 quàm uideri tantū. Hoc uitij uigebat, præsertim apud Scribas, & Phariseos, qui  
 singularem orando pietatis speciem præ se ferebant. Nam amabant orare in syna-  
 gogis, siue conciliabulis. Non quòd mox infimulandus ueniat hypocriticos, qui  
 in synagogis orauerit. Christus enim templum Hierosolymitanum uocauit do-  
 mum orationis, ut quod in eum usum constructum, erectūmq; fuit. Apostoli  
 item, & pij omnes, ac fideles in sacris ædibus, & conuentibus suis orauerunt. Sed  
 illi orabant, captantes humanam gloriam. Amant, quasi dicat, serid, & studiosè  
 eò in synagogas se recipiunt, ut manifesti, & conspicui appareant, & laudem ab  
 hominibus reportent. Est & aliud signum, quo hypocritæ uidentur. Amant, in  
 angulis platearum stantes orare, hoc est student stare, & prostant iuxta flexus uia-  
 rum, ueluti iuxta compita, ac triuia, ut possint esse cōspicui transeuntium turbis.  
 Si progredientes orarent, id aliqua ex parte tolerandum esset: uerū stant, homi-  
 num frequentæ expositi, ut à pluribus obseruentur orantes, & laudem referant.  
 Ostentationem, non autem ueram precandi rationem, & methodum querunt.  
 Huc pertinet exemplum Pharisei, qui ad altare stando orabat, Luc. 18. Hoc ipsum  
 uitio dat Christus Scribis & Phariseis, infrà 23. quod sibi primas cathedras in sy-  
 nagogis elegerint, ut hominibus magis conspicui essent, ueluti plurimū, & se-  
 dulò orantes. Obserua loca nominatim posita, ad humanæ laudis captationem

Pharisei &  
 Scribae hypo-  
 critæ.

Christus qua-  
 re traducit  
 hypocritam  
 Iudæorum.

Mos Lacedæ-  
 moniorū ad  
 detestandam  
 ebrietatem.

Exempla ma-  
 gis afficiunt,  
 quàm uerba.

Orare publi-  
 cè, non in to-  
 tum illicitū.



aptissima, nimirum synagogam, in quam confluunt homines audiendi uerbi gratia: item flexus uiarum, seu compita, ac triuia, in quibus passim humana exercentur negotia: ubi herbarij, cupædiarj, annonæ structores: ubi commeatus, uictus, & annona: ubi forum rerum uenaliū, quod Græcis *αγορα* dicitur. Obferua uoculam, stantes, quasi diceret prominentes, & non abiecti, ac seipfos humiliantes, ut magis conspicui sint hominibus, & copiosius uanæ gloriæ sibilum, auramque recipiant, ac sanctimoniam laudem aucupentur.

Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

In re feria, & pro utilitate proximi iurat Dominus, & dehortatur, eisdem argumentis, quibus contra eleemosynam ostentationem usus est. Placent quidem sibi, placet & aliis, huiusmodi gloriofis precationibus: Sed illud pro certo habetote, quod mercedem seipsis dignam receperunt: nimirum præmiū uanū, absorptam, & consumptam gloriam, ante absolutum opus precularum, ut uano operi uana respondeat merces, & in auræ modum euanescentes, & hinc uerè dicatur, quod communi parcemia fertur, Par pari reddere ostimētum est: & Similes habēt labra lactucas.

Tu autem, cūm oraueris.

Aboluta dehortatione ab hypocritis Scribarum & Pharisaeorum pergit Christus germanam orandi methodum docere, & ad benè rectèque orandum adhortari. Arduum certè opus est, oratio. Nam quemadmodum rarum opus est in mūdo, rectè præstare eleemosynam, non tantum ob communes rapinas, & furta, quibus bona mundi pars indulget: quippe in quo rarus est, qui pro proximo quā debet benignitatem exhibeat, sed quisque suæ studet auaritiæ, parum curans, quo pacto proximus esurientem animam alat, aut expleat: sed ob hoc ipsum quoque, quod quanquam bona opera nonnulli faciant, in illis tamen non nisi sua querant. Est enim mundus prædonibus, ac furibus plenissimus, cūm à dextra tum à sinistra, rerum corporalium, ac spiritalium. Ita quoque iam maximè rarum opus est pura oratio, partim quod præter Christianos nemo bene orat, partim quod à dextris, & à sinistris oranti mille imminent pericula, insidiantur tyranni, mundus, caro, fatanas, uana gloria, & huiusmodi innumerabiles pestes. Quare diligenter orationi incumbendum est, ac quomodo orandum est, summa cura, ac diligentia addiscendum est, ab optimo præceptore Iesu Christo Domino, & magistro nostro.

Intra in cubiculum tuum.

Quemadmodum superiore capite priuatas personas docuit: ita & hoc loco de priuata oratione, non autem publica, cuiusmodi sunt sacrosancta Missa, letania, psalmodia, & horæ canonicæ, sermonem facit. Hypocritæ (inquit) propalam in plateis stantes orant: Tu uerò domi in cōclauis solus ora, hoc est, caue ante omnia, ne uanam gloriam, & laudem hominum ex oratione tua quæras. Non prohibet Christus etiam extra conclaue orare, cūm Christiano liceat quouis loco orare, siue in plateis sit, siue in campo uerfetur, aut in Ecclesia. Sed hoc præcipue dictum est ne oremus tantum ob hoc, ut populi gratiam, & inde honorem, & præmiū aucupemur. Non enim probare nos solum aut primū debemus mundo, seu hominibus, sed Deo in primis. Nimirum Deus pater noster est: ergo illi ante omnia approbare nos debemus, eoque orare, ut ipse nos uideat, non homines. Ideo oraturus, intra in cubiculum tuum. Adhęc, cœlestis pater est: ergo par est, ut & nos filij eius, cœlestes simus, quibus omnis terrena commendatio, & humana laus qua non est propter Deum sordeat. Cœlestis pater, cœlestes magis quàm terrenos postulat cultus. Cūm sit ille, Spiritus, uult profectò in spiritu, & ueritate coli, & orari: talisque cultores, & oratores querit, qui ipsum adorent, & orent in spiritu, &

Patris cœlestis filij, cœlestes sint, & cœlestia querant.

ueritate. Proinde non usque adeò strictè præcipit, ut oraturi, secretiorem locum subintremus: quanquam rectè, & benè facit, si solitarium locum subintret qui oraturus est, quò liberè, ac sine interpellationibus suam orationem ad Deū queat effundere, & eiusmodi uerbis & gestu uti, quibus aliis præsentibus uerecundus non auderet. Nam quanquam oratio in corde fieri queat, siue uerbis, & motu corporis, tamen ista non mediocriter iuuant (ut amplè docui in eum locum Ioannis 17. Et subleuatis oculis in cœlum. uide si lubet) quò magis spiritus excitetur, & accendatur. Alioqui cordis oratio assidua esse debet. Christianus enim spiritū precationis paratum penes se habet, ut cor eius cōtinuis gemitibus, & orationibus ad Deum erectum sit, licet edat, bibat, laboret, aut quiduis aliud tandem faciat. Etenim Christiani uita tota huc institui debet, ut nomen Dei honoret, & laudibus longè latèque celebret, ita ut quicquid aliarum rerum agat, totum eò respiciat, id quod commodissimè optimèque fit oratione arcana, cæque continua. Præter hanc, non est negandus externæ orationi locus, cūm priuatim, tum publicè, uidelicet, ut quisque mane, & uesperis, atque etiam cibum sumpturus, consecrationem aliquam, ac benedictionem, aut orationem Dominicam, cum angelica salutatione, aut psalmos aliquot pronunciet. Simul & quando publicè conuenitur, & uerbum Dei tractatur, & hoc finito gratiæ aguntur, atque etiam pro communibus necessitatibus diuinum auxilium imploratur, quod certè propalam fieri debet: huic certè negotio, & locus apertus, & tempus destinatum, multum commodant. Est e quidem pretiosa hæc oratio, & aduersus uehementes profectò assultus, atque impressiones diaboli & eius perniciosas technas, omnibus Christianis pernecessaria, ut à simul orantibus, & arma precationis sociantibus, quò uehementior fuerit oratio, hoc citius Deum exoret.

Arcana oratio magni momenti.

Cordis oratio sit assidua

Orationi externæ uacandum, quū est opus.

Preces multorum charitate coniundum, quū est oratio, quam castæ.

Et clauso ostio.

Claudit ostium, qui, resectis omnibus piæ orationis interpellatoribus, totus à Patre in nomine Christi pendet, & promissione eius accensus, constanter apud se statuit, ac sentit, hanc esse uoluntatem Dei ut petamus, ut nos tandem exaudiat, & non percamus. Hoc modo claudit ostium aduersus carnem, & Satanam, cum solo Deo familiariter in uiuâ fide colloquutus, etiam si in multorum cœtu oret, ubi nihilò segnius, imò fortasse uehementius orat, quàm si solus sit in cubiculo. Non enim dextera, & sinistra, aut cubiculi secretū in rebus sunt, sed in affectibus. Græcis legitur, *οστειν*, id est, tuo: atque ita uetusti Latinorū codices, quòd suæ quisque domi maximè in occulto sit.

Claudere ostiū in oratione, quid.

Ora patrem tuum in abscondito.

Erige animum tuum ad patrem, non carnalem, quem semper tibi obuium habes, sed ad patrem tuum, qui est in abscondito, hoc est ad Deū, nobis quidem occultum, & his nostris oculis non conspicuum, sed qui nusquam non adest. Pater, qui uidet in abscondito, ac si diceret, pater cui probatur animus humilis, & pius, non superbus, & arrogans. Porro his uerbis tantum docet, orationem nostram oportere ad Deum directam esse, sicut ad propitium, & clementem patrem, & non cruentum tyrannum, ac iratum iudicem. Est enim Deus, nostræ orationis scopus præcipuus, & respectus, non autem laus humana. Quare, nō est, quòd cures, quomodo hominibus appareas in orando, religiosus modò & gratus sis diuinæ maiestati: sufficit, innotescat Deo tua oratio è pectore sincero, & mente, ab affectibus tranquilla, que non spectet laudem hominum, hominès uel ipsos, aut ullum præcipue lucrum, uel quod diabolus, carnis uel cupiditas suggerit, sed Deum, & uoluntatem Dei. Obserua: nonnulli codices habent, qui est, & sic legunt, Ora patrem tuū, qui est in abscondito, ut intelligamus certum patrem, diuersum à corporali: & arcanum singulare, quo hic pater occultus quidem est, & tamen nullibi non est, im-

Deum unū qui sibi scopum proponit in oratione, is orat in abscondito.

Deus, Pater noster est in abscondito.



plens omnia in omnibus, gubernans, ac moderans omnia quæ in cœlis, & in terra sunt: quique nobis occulto spiritu, pro ut vult, omnia suggerit, deducitque nos in omnem ueritatem. Cuius testimonium occultum in corde, & in animo nostro spiritus noster accipit, quod liberari à Satana, filij sumus Dei, hæredes Dei, & co-hæredes Christi, quem induimus, noua creatura facti in ipso, & securi sumus, nos per ipsum, habere patrem Deum, ad cuius dexteram ipse sedet, aduocatus noster, interpellans pro nobis, & deglutiens mortem, ac peccata nostra, ut cum ipso, & in ipso æternum uiuamus.

**Et pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.**

Cùm in abdito fueris, expro me coram patre synceras preces tuas. Is uidet, etiam in occulto. Hunc nihil latet, omnia sunt illi conspicua: omnia nuda, & aperta oculis eius, Hebr. 4. cap. Satis sit tibi, quod illum tuæ pietatis spectatorem habeas. Is reddet mercedem æternam, eò quod opus tuæ pietatis, & orationis, nullo humanæ uanitatis affectu uitiatum, feceris, habuerisque ipsum (cui nihil est occultum) pro scopo, & solo remuneratore, quando ea synceritate mentis ipsum es alloquutus, quasi nullus hominum te uideret. Obserua. Qui uidet in abscondito, quasi dicat, is quem oras, etiam abscondita uidet. Sed hypocritarum Deus (cui seruiunt) quæ in abscondito fiunt, non uidet: ideo, quæ mala sunt, si in abscondito fiant non arbitrantur mala esse, quod (ut putant) non uidentur. Aduerte. Addunt Græci ἐν τῷ φανερόν, id est in manifesto. Atque ita legunt Chrysofomus & eius abbreviator Theophylactus. Quando autem in manifesto reddet? Quando apparebit iudex uiuorum, & mortuorum. Hac appendice auocat eos ab hypocrisis, cui grauisimum imminet exitium. Iisdem itaque argumentis suos ab ostentationis studio dehortatur, quibus contra eleemosynæ ostentationem usus est: quod hypocrisis, uitium sit omnium perniciosissimum, quo plerunque laborant, qui sanctuli, & omnium religiosissimi in speciem uidentur: ut hac dehortatione discamus nos in orando approbare Deo, & vulgi rumusculos nihil morari, nostramque orationem, opus planè spirituale, & intimorum affectuum, à philodoxia auræque popularis aucupio repurgare.

**Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.**

Postquam hypocrisim, ostentationisque uitium, orantibus insidiosum, reprobauit, ac falsam Scribarum & Pharisæorum opinionem in oratione reprehendit: consequenter peruersam orandi rationem arguit, aliudque uitium à pura, & fideli oratione abiiciendū docet. Quod uitium? Battologismū. Est autem Battologismus, siue Battologia, inanis quædam loquacitas, & in multiplicatione uerborum uanitas eorum, qui arbitrantur tum demum sese rectè orasse, si uerba multa profuderint, prolixè, & ineptè murmurantes, afferentesque πολυλογία, id est multiloquium, & nescio quot uerborum modios sine corde, sine mente, sine sensu, sine fide, sine charitate. Iam autem non simpliciter arguit multiloquium: sed multiloquium ethnicū, quod ex infidelitate, & falsa persuasione procedit. Putant enim Deum non aliter exauditurum preces, nisi multa uerborum farragine sint conditæ. Siquidem ratio humana (quæ in negotio Euangelico, & rebus Dei cæca est, & nihil prorsus intelligit) opinatur de Deo, ut de homine potente, & ob id difficili, & agrè exorabili. Quò fit, ut arbitretur, si apud Deum quidpiam agendum fuerit, multis agendum esse, ut quod uolumus, Deus multis intelligat, & ad dādum, quod petimus, permoueat. Quasi uerò surdaster, & agrè exorabilis sit Deus, ita & multiloqui, uelut ethnici, in eum cum ratione humana incidentes errorem, non nõrunt ueram orandi rationem. Proinde non arguit hic locus prolixā, & quæ multis ex uerbis conflatur, orationem. Nam & Christus legitur prolixius orasse, & Daniel uiginti uno diebus preces fuisse cum fletu & ieiunio, Daniel. 10. ca. Et Anna

Diabolus, hypocritarum Deus.

Hypocrisis, uitium, quatum.

Vitium preces, Battologia.

Polylogia, orando ethnicam damnat Christus.

Deum ne ex nostris moribus metiamur. Prolixam orationem nõ reicit Dominus. Christus & alij prolixè orauerunt.

Anna prophetissa, Luc. 2. commendatur, quod non discederet de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruens nocte, ac die. Neque cantus, & psalmodiam reprobatur, quæ sanctissimè instituit mater Ecclesia, Ecclesiam illam cœlestem, ac triumphantem imitata, in qua non cessant (ait Ioannes in Apocalypsi) clamare, Sanctus, sanctus, sanctus, &c. Atque exemplo sui sponsi Iesu Christi in hanc uenit persuasionem, qui pueros clamantes, Osanna in excelsis, benedictus qui uenit in nomine Domini, &c. à se non repulit, sed probauit, dicens, quod si tacerent, lapides clamarent. Hoc ipsum, & suo exemplo faciendum Christus docuit, qui peracta cena, priusquam se in montem oliueti reciperet, hymnum dixit. Hymnus autem, ut probati restantur auctores, non aliud est, quàm laus Dei cum cantico. Non enim laus sufficit, ut hymnus uocetur, nisi laus Dei sit, & decantetur. Cantauit itaque uocaliter Christus à cena, nõ solus, sed cum Apostolis, futuris mundi rectoribus, qui, & id faciendum Ecclesias docerent. Hoc fecisse leguntur Acto. 16. cap. Paulus, & Syllas, qui carceribus clausi tam alta uoce Deum laudabant, ut & à reliquis, qui in custodia erant, audirentur. Vnde hic cantandi mos ab Apostolis, ad nos usque defluxit, ab Ecclesia laudabiliter cõseruatus, quod hymnis, Christi, & sanctorum Martyrum in Christo triumphos explicemus, animos ad fidem augeamus, mentes ad pietatem excitemus, & ad opera pietatis, ac uirtutes comparandas inuicem prouocemus. Quæ in re id imprimis obseruetur, ut sint cantus pij, ac Christiani, non uani, lasciuui, aut impudici: neque tanta uocum fractione, stentoreisque uociferationibus redundant, quin uoces diuinarum laudum, quæ cantantur, facilè ab audientibus, prout iure cauetur, percipiantur. Hæc pauca quoniã arbitror aduersariis posse facere satis, maiora à grauisissimis auctoribus Christianis non producam argumenta, neque ab aliis, nisi fortasse lectorem iuuerit legisse, quæ Plinius secundus lib. 10. epistolarum Traiano scribit: Affirmabant (de Christianis loquitur) quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere inuicem. Sunt igitur cantus illi solennes, & musica psalmodia in Ecclesia, dona Dei, & cum gratiarum actione excipienda. Porro aiunt quidam battologia dictam à Battio quodam poëta, qui conscripsit hymnos, in quibus eadem subinde inculcauit, quemadmodū Ouidius introducit Battū quendam pastorem, eadem iterantem, ac dicentem, In illis montibus (inquit) erant, & erant in montibus illis. Sunt qui malunt Battum fuisse quempiam balbum, & hæsitanti ore, impeditaque lingua. Vnde orantes, nolite multū loqui, id est, ne battologiseris more gentilium. Vnde illud, multum loqui, uidetur significare, præcipitanter loqui, nunc ob præcipationem resumendo quædam, nunc quædam intercidendo. Hoc uitium quædam nugacitas est. Est certè battacismus, inarticulata uox, qualis est puerorum. Bene igitur & rectè pronūciemus orantes, animum Deo attentum habeamus. Attentus est, qui mouet Deum, respicientem quàm ardens, ac syncerus sit precantis affectus. Ideo non peregrinetur cor nostrum, aliis cogitationibus deditum, cùm oramus. Proculdubio fugiēda est miscellanea omnis oratio, quod in ea sit indiscreta uocum mixtura. Aduertito quàm diligenter proponat ethnicorum exemplum, nimirum iudicauit satis fore uiris piis, ut ad syncerè & purè orandum permoueantur, si illorum turpitudinem cognouerint. Maximus ethnicorum erat cõtemptus apud Iudæos, quod athei, & ueræ pietatis expertes essent ethnici. Vnde quia facilè erat Iudæo contemnere ethnicum, seu gentile, sicut Christiano, non est difficile contemnere uel Iudæum, uel Turcæ, ideo facilè ab ipsorum corruptis moribus præmoniti recedent: nimirum à uitio, quo ethnici laborant, scilicet futili uerborum proluuio, quod intelligant id citra fidem fieri, & solum ac sine affectu esse labiorum strepitum. Quasi diceret Christus: Ethnicos prorsus exploditis, & cum ipsis nõ est uobis consuetudo aliqua. Cauete ne multiloquium ipsorum in orando sequamini, nisi forsitan uelitis uos ipsis conformes

Isa. 6.  
Apocal. 4.  
Veraque Ecclesia hymnos & laudē Dei perpetuat.  
Lu. 19.  
Hymnus qd.

Hymnos emodulandi atque psalmodi mos à Christo & Apostolis ad nos defluxit.  
Cantus in templis, quales sint.

Testimoniū Plinij nepotis de cantionibus Christianorum.

Battologia unde Battus.

Attentus in oratione, qd.

Ethnici Iudæis despecti.



reddere. Quòd si uos illorum simillimos exhibueritis, cum illis iure optimo explodemini. Non ab simili exemplo Paulus Ephesiorum, 2. & 4. Item Theſſal. 4. Chriſtianos dehortatur à turpitudine uitæ, uocans eos ad rectam uitæ conuerſationem.

Purant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.

Iſa. 29.

Multiloquium, quale paulò antè diximus, eſt ſignum diffidentia, & frigidi animi, aut illius, qui non admodum ſerid curat, quòd loquatur: quo uitio Iſaias notauit hypocritas, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Corruptelam ergo orationis ethnicae declarat. Prolixas (inquit) uerboſasque ſuas preces ſemel, & iterum recenſent, exiſtimantes ob multiloquium ſe exaudiri, quaſi nihil ſint impetraturi, niſi uerboſiſſima loquacitate Deum fatigarent, identidem inculcantes eadem, ac uerboſa recenſione præſcribentes, quòd uelint. Putant, id eſt, credunt, quòd hoc multiloquio, exaudiantur, id eſt orationis effectus accipiant.

Nolite ergo aſſimilari eis.

Procul abſit à uobis exemplum ethnicorum. Athei ſunt, & inhumani, nihilque fidei, cum orant, habentes. Præſtate igitur uos patris ueſtri cœleſtis filios: referre patrem, & cœleſtes eſſote. Cogitate, quàm ſit turpe, ſi eodem diffidètia morbo cum illis laboraueritis.

Scit enim pater ueſter, quid opus ſit uobis, antè quàm petatis eum.

Quare quid-  
quã malum.Non tã exem-  
pla, quã ex-  
plorã ratio-  
nes rimari o-  
portet.Multiloquio  
opus ad exci-  
tanda ſimila-  
ra gentium.Deo præſcri-  
bendũ nõ eſt,  
quid aut quo  
modo donet

Argumento ab ethnicorum exemplo docuit uitandum multiloquium, quòd quia fortaiſis non concludit, & conuincit, propterea quòd quis fortaiſis obiiceret: Non ſtatim dicendum eſt, quicquam malum, & uitandum, quia ethnici id faciunt. Non enim quicquam malum eſt, & iniquum, quia ab ethnico factum, ſed quia uoluntati diuinæ aduerſatur. Vnde non ſequitur, Orant ethnici: ergo nobis non eſt orandum: quemadmodum non rectè inferitur, Paulus heremita primus ſolis radicibus ſub noctem uelcebat, uiuebaturque: ergo ita nobis uiuendum eſt. Non enim exempla concludunt: ſed factorum, & exemplorum rationes inſpiciendæ ſunt, quas non conſideramus. Samaritana, Ioan. 4. malè argumentabatur dicēs, Patres noſtri adorauerunt in monte hoc: ergo licet & nobis hinc adorare. Ideo non contentus ethnicorum exemplo, ætiologiam adducit, cur in oratione uitandum ſit ethnicorum multiloquium. Quia ſimulacra Gentium ſunt argenti & aurum, ſurdosque ac mutos deos gentes adorant, qui nihil ſciunt, non abs re arbitrantur farragine uerborum in oratione opus eſſe, ut inſtructi ſciant, quid petatur, & multiloquio obtuſi, tandem permoueantur ad obſequendum uotis murmurantium, & ineptè labiis obſtrepentium. Huc pertinet, quòd ironice dicebat Elias ſacerdotibus Baal, 3. Reg. 18. Clamate uoce maiore, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Clamabatur ergo uoce magna, &c. Caterum alia eſt Chriſtianiſ orandi ratio. Habent enim Deum in cœlis, qui neque monitore indiget, neque neceſſe habet, ut inſtruat, & ueluti egrè exorabilis, ac durus, permoueatur, & exaudiat. Quare Chriſtianiſ uitanda eſt ethnica orandi ratio, hoc eſt uerboſitas illa ethnicorum, qui uerboſas, & prolixas orationes, ueluti uerbis conceptis recenſent, perinde quaſi nihil ſint impetraturi, niſi uerboſiſſima loquacitate Deum fatigarent, identidem inculcantes eadem, ac uerboſa recenſione præſcribentes, quòd uelint, & quando, quomodoque ſibi præſtari, quòd optant. Proculdubio cum Deus omnia nòrit, etiam antequam petamus, expromenda eſt nobis neceſſitas noſtra, innixis diuinis promiſſionibus cum magna fiducia: non autem Deo præſcribendus eſt modus concedendi nobis aliquid, neque tempus quando id uolumus, præſigendum, aut aliquid huiusmodi. Scit ille ubi, quomodo, & quando oportet dare. Quare quemadmodum uita, ita

& oratio Chriſtianos ab Ethnicis diſcernat. Rogabis. Cum omnes noſtras neceſſitates melius teneat, & ſciat, quàm ipſi ſciamus, & det multa, etiam non rogatus, ut ſolem, pluuias, frumentum, pecuniam, uitam, cãpos, & id genus alia ſexcenta, quæ non rogatur: noſcat item homines nullo die, cibo, & potu carere poſſe, cur ergo pro harum rerum perceptione ſimul & pro aliis rebus neceſſariis orare iubet? Reſpondeo. Quando ita placitum eſt illi, & ut ita faciamus, præcepit, dicens, Petite & accipietis, & omni petenti dabitur, &c. quid obiciendum putamus Domino? Sanè (ait Auguſtinus parte ſecunda ad Probam de orãdo Deum, epiſtola. 121.) quoniam nouit Dominus, quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo, mouere animum poteſt quòd rogari uult, niſi intelligamus quòd Dominus, & Deus noſter non uoluntatem noſtrã ſibi uelit innotefcere, quam non poteſt ignorare, ſed exerceri in orationibus deſyderium noſtrũ, quo poſſimus capere, quòd præparat dare. Deinde ad orandum cogit cuiusque priuata, tum & aliorum neceſſitas, præſertim eorum, qui uitam Chriſtiana profeſſione dignam inſtituunt. Eſtque oratio præcipua aduerſus ſatanam, propriam item dignam inſtituunt. Eſtque peruerſas concupiſcentias, ſpiritualis *παρωπλία*, id eſt armatura. de qua Paulus Ephe. 6. cap. Huc nos uocant exempla Chriſti, & omnium filiorum Dei, quibus ſemper in tribulationibus refugium fuit ad orationem. Accedit huc, quòd oratione exercemus fidem noſtram, & experimur quàm bonus nobis ſit Deus. Deinde natura comparatum eſt, ut affectemur loqui cum eo, quem amamus, ita ut amanti nihil queat accidere optatius, quàm ſi liceat ei loqui, quem amat. Atque iſte amoris affectus, ita eſt iuxta ſui uehementiam ardens, ut citius ſubeat mortis periculum, quàm ut quòd ille affectat, non tentetur. Exemplo eſt Daniel. 6. cap. qui neglecto decreto, quo cauebatur, ne quiſquam uel à Deo, uel ab homine aliquam petitionem peteret intra 30. dies, ſolo rege dempto, &c. maluit uitæ ſubire periculum, quàm conſuetudinem Deum orandi tranſgredi. Adhæc ideo nos Deus iubet orare, non ut illum noſtris orationibus doceamus, quid nobis ſit dandum: quandoquidem ſcit quid nobis opus eſt, antequam petamus: ſed ideo, ut cognoscamus, & fateamur, cuiusmodi bona nobis dat, his multo illum plura & uelle, & noſſe dare nobis. Ita ut noſtra oratione nõ Deum, ſed noſipſos doceamus, & inſtituamus. Ad hunc enim modum mea oratione retrahor, & conuertor, ne abeam cum impiis, hæc dona neque agnoſcentibus, neque pro ipſis gratias agentibus. Deinde oratione cor meum ad Deum conuertitur, & excitatur, ut illum laudem, illi gratias agam, ad illum neceſſitate preſſus confugiã, & auxilium ab illo indubitanter expectem, & ſubinde mihi magis atque magis fiat notior Deus, cuiusmodi ſit. Id enim eſt (ſi neſcimus) qui, modò munificentia eius & bonitate nitamur ac fidamus, tanto lubentius dat, quãto uel plura uel maiora poſtulamus. Deinde oratione agnoſco bona in me à Deo eſſe, & ex corde dico, Domine noui planè, quòd mihi ipſe ne micam quidem quotidiani panis creare poſſum, aut ſeruare, ſed neque ullum periculum, aut imminentem aliquam acerbiteriam ex me, tanquam ex me, cauere poſſum. Quamobrem omne præſidium à te expectabo, & petam, quemadmodum ipſe iuſſeras, & ipſe te daturum pollicitus es. En uerus, & ſummus, & precioſiſſimus Dei cultus. En ſynceræ cogitationes in orationibus, Deo gratæ, & acceptæ: quandoquidem hac oratione omnia nomini eius accepta referimus, honorem debitum, & gratiarum actionem illi tribuimus. Ita ergo oratione docemur, ut cum nos, tum Deum ipſum noſcamus, diſcamus quoque quid nobis deſit, & unde illæ res, quarum penuriam patimur, nobis petendæ ſint. Obſerua ex hoc loco ſuauiſſimam conſolationem: Non hinc dicitur, ſcit Deus, ſed ſcit pater ueſter. Pater non obliuiſcitur filij, cui genuinum eſt, ſuccurrere filio, ſi ſciat quid illi deſit. Iam ſcit, & omnia nouit Deus. Qui ſi ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, quomodo filiorum curam non habebit? Obſerua: tamenſi omnia

Rogari eum  
uelit Deus.Orationibus  
uult nos De-  
exerceri, &  
parari ad re-  
cipienda ne-  
ceſſaria.Oratio, om-  
nibus armis  
Chriſtianiſ  
in pugna ar-  
mat.  
Chriſtianiſ  
oratio, ar-  
tutiſſima.Oratione uir-  
ri ſancti uitæ  
ſue antecur-  
runt.Oratione de-  
nobis inno-  
teſcit, atque  
ad eò noſtri  
notitiam nã-  
ciſcimus.Deus à nobis  
orãtibz uult  
cum uocari,  
tum credi pa-  
ter.



nouerit, & omnibus prouideat pater cœlestis, tamen hoc loco scire, siue nouisse dicitur singulari quadam prouidentia sua, qua suorum curam habet, de qua est illud: Capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Hanc prouidentiam Dei planè paternam Dauid abundè declarauit psal. 143. 144. 145. 146. Obserua, quod dicit, antè quàm petatis eum: Sic enim nos admonet, ipsam nostram necessitatem loqui Deo patri, antè quàm de ipsa quicquam Deo explicemus. Omnia enim, prætèrtim piorum necessitates, eò ipso, quòd sunt, uel fiunt, loquuntur Deo. Quod apertè nobis ostenditur de sanguine Abelis iusti, Gen. 4. cap. qui non tantùm loquebatur, sed etiam clamabat ad Deum.

## Sic ergo vos orabitis.

Iuratus ille Iesu Christi orator, & egregius defensor, Paulus, ex hoc loco, & hac doctrina intelligens, quàm inepti sumus ex nobis, tanquam ex nobis, ad orandum, & necessariam esse institutionem, qua doceamur, quid petendum: ait, Roma. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desyderet spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Ideo necessarium fuit summum, & præstantissimum artificem delineare, ac formare nobis orationem perfectam, qua nihil esset melius, nihil efficacius. Porrò cum ob peregrinas cogitationes, curâsque, & negotia uaria, ad orandum torpère, ac suffrigidos nos esse sentiamus, semper enim caro, & Satan aborando nos quacunque possunt occasione auocant, & remorantur: operepretium fuerit nos attentos esse ad ea, quæ spiritus ipse suggeret, ut oremus, quomodo Christus magister nos docet. Quòd si inter orandum meditationes, ac piæ cogitationes sese obtulerint, his dandus est maximè locus. Siquidem ipse spiritus sanctus ibi concionatur, ibique frequentius plus eruditionis consequeris, quàm ex multorum librorum lectione. Ad quam rem uel in primis necessariû est, ut cor ad orandum expeditum, alacre, feruens sit, & omnibus peregrinis cogitationibus ablegatis, in hac unica re totum cõquiescat. Nimirum hoc est quod hortatur Ecclesiasticus, 18. cap. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Quid quæso aliud est, quàm tentare Deum, cum sine fide oramus, hoc est, cum tantum labia strepitum edunt, & magnum uerborum cumulum profundû, corde peregrinante, & aliis cogitationibus dedito? Quid autem magis ludicrum, quid magis ridiculum, quid à mente Christiana magis alienum uideri potest, quàm suscipere eas cogitationes, quas cor tepidum, uagum, nihilque attentum, orationi fere solet miscere? Totum profectò requirit hominem uera & pia oratio. Nam si hoc in quouis etiam alio absoluto & bono negotio requiritur, ut, quod agas, ex animo agas, quòd magis in oratione? Verbi gratia. Quemadmodum si quis tonsor diligentia & industria laudè referre uult, operepretium fuerit, ipsum in radenda barba, nouaculam attentissima cura ducere, omnesque cogitationes, sensus, & oculos, huic uni rei intendere: alioqui si multa garriat, aliisque cogitationibus animum occupatum habeat, & oculos aliò auertat, ilico uel nasum illi, quem radit, sit mutilaturus, uel os dissecturus, adeoque iugulo læso enecturus. Ita, & qualibet res, ac quodlibet negotium, si modò ritè, & probè apparari, & omnibus numeris absolutum esse debet, totum requirit hominem cum sensibus, & membris omnibus. Si hæc diligentia in rebus aliis requiritur, quòd magis in oratione? Præter hæc, sacra scriptura docet quædam peculiaria debere abesse ab eo, qui est oraturus, & exaudiri uult. In primis absit ab eo crudelitas, & uolentia, ut Isaias 1. cap. scribit, Cum extenderitis (inquit) manus uestras, auertâ oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim uestre sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, &c. 1. Timoth. 2. Volo uiros ora-

Nouit Deus potissimum, quæ filiorum sunt.

Necessitas ipsa nostra cõpellat Deum.

Nihil difficilius, quàm orare, sicut oportet.

Quantû cõmodè pia & studiosa oratio. Cor in oratione primas partes habet. Tentare Deum in oratione, quid.

Ex animo, quod agitur, agendum.

Oratio ante omnia uirû presentè requirit. Oraturus, quib' careat. Sæuitia.

re in omni loco, leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione. Secundò, abiicienda est astorgia, & immisericordia erga proximum, & miseros, Prouer. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit & ipse, & nõ exaudietur. Exemplo erit diues ille epulo, qui pauperis Lazari uocem non exaudiens, postea clamauit, & non est exauditus. Tertio, abiicienda est omnis simultas, & dissensio: ut in capite præcedente dictû est, Vade, prius reconciliare fratri tuo, &c. Mar. 11. Cum stabis ad orandum, remitte siquid habetis, &c. Et infra, Dimittite, & dimitemini. Porrò rogabis. Quæ requiruntur, ut accepta Deo sit oratio: siquid hoc necesse est, ut exaudiamur. In primis fiat in spiritu, & ueritate, propterea quod Deus spiritus est, & taleis adoratores querit, Ioan. 4. Mentis exigitur sinceritas, & talis applicatio, quæ uerbis omnino respondeat. Ad hæc, duo habenda sunt. Primo habeamus promissionem Dei, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Secundò, de illa promissione nihil dubitemus. Operæpretium autem fuerit eam promissionem Dei antè benè meditatam esse, qua excitemur ad confidentius orandum. Neque nos terreat indignitas nostra, propter quam animos despondeamus, & ab orando reuocemur: quandoquidem Dominus iubet, ac præcipit, ut rogemus. Præcipienti itaque parendum est, illa potissimum ratione, quòd se nos exauditurum promissit, ac mandatum orandi dedit, ut certi essemus, & firmiter crederemus fore, ut nos certò in fide postulantes exaudiret, sicut ipse ait Matth. 21. & Mar. 11. Dico uobis, quæcunque rogantes petitis, credite, quòd accipietis, & erunt uobis. Et Luc. 11. cap. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Quis autem ex uobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidè dabit illi? Aut si pisces, num pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, num porriget illi scorpionè? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quòd magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscētibus se? His ergo promissionibus, & præceptis confirmandus est animus, ut confidenter oremus. Quòd sit, ut qui dubitant de uoluntate Dei, temerè orent, frustra laborent, & uanam fundant orationem, Doctore Iacobo. 1. capite: Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. sequitur, Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Deinde qui dubitant de uoluntate Dei, peccant, peccato infidelitatis, quòd non fidunt Deo, perinde atque promissa facere uel non possit, uel nolit Deus. Atque hi gloriam, ac nomen summo Deo eripiunt, quòd nõ credunt eum fidelem, & ueracem esse. Deinde nostra oratio nititur non dignitate nostra, ueluti aliquam ex nobis tanquam ex nobis afferre possimus, sed constanti ueritate promissionis diuinæ. Ideo cum sentimus nostram indignitatem, abnegamus nosmetipsos, & abiecto factu, promissioni eius innitimur, & benignitate eius, ac fiducia in ipsum freti, audemus confidenter orare. Porrò hæc fiducia in ipsum tua, tuam indignitatem abstergit, & te dignum facit, & seruat. Hæc omnia tibi uendicant, tum ueritas Dei, quæ promissionibus satisfacit, tum etiam misericordia Dei, ex qua, ceu ex fonte, omnes promissiones manarunt, ut rata maneat sententia illa psal. 25. Vniuersæ uia Domini misericordia & ueritas: misericordiam enim cernimus in promissionibus: ueritatem autem cum exhibentur quæ promissa sunt. Et psal. 85. Misericordia & ueritas obuierunt sibi, hoc est, conueniunt, & cernuntur coniunctæ in unoquoque opere, aut dono, quòd à Deo precibus nostris impetramus. Rogabis. Quo fine orandum est? Respondeo. Ut obediamus Deo, & ut impetremus à Deo per orationem, omnia, quæ nobis necessaria ad salutem nostram, tum corporalem, tum spiritualem, diuinitus promissa sunt. Ad hæc præcipuè obseruandum est, cum oramus, ne quem terminum neu tempus, locum, aut modum Deo statuamus ac præscribamus. Certum enim est, diuinam sapientiam longè melius illa nosse ac prouidere, quàm nos:

Cõtempti afflictorum.

Discordia.

Quæ nam faciunt orationem gratam Deo. Orandum spiritu & ueritate.

Orans, respiciat in promissiones.

Deus simul iussit orare, & promissit exaudire.

Dubitans de uoluntate Dei, frustra orat.

Item aduersus fidem peccat.

Vna Dei bonitas & fides, nõ nostra dignitas nos retinet in oratione.

Deus misericors, cõpromittit.

Verax, cum promissis stat. Misericordia & ueritas in unoquoque Dei opera.

Scopus orationis.

Deus cõsilio aut doctrina nostra non indiget.



ideo illa omnia relinquamus uoluntati, sapientiae, ac omnipotentiae ipsius. Deus pro more habet, ut omnia faciat longè alia ratione, ac melius multò, quàm nos uel orare, uel intelligere possimus, sicut docet Paulus Ephes. 4. De his omnibus copiosius scripsi in eum locum Ioanis. 16. Si quid petieritis patrè in nomine meo, &c. uide, si iuuat. Iam autem percommodum fuerit adnotare orationis nomina in scripturis reperiri, quae Paulus passim posuit, nempe precationem, gratiarum actionem, petitiones & interpellationem. Inter quae hoc discriminis uidetur esse, quòd obsecratio uehementiorem precationem significat. Et petitiones, simplices expositiones sunt earum rerum, quas potissimum à Deo oramus. Interpellatio uero, cum pro aliis oramus, ita ut quodam modo aliorum necessitatem, nostram faciamus: neque aliter pro ea subleuanda oramus, quàm si nos ipsi ea premeremur. Gratiarum actio nota est, quae nunquam à precatione abesse debet. Hebraicè oratio appellatur Thephilah, quod nomen iuxta originem suam, quasi iudicij, uel condemnationis deprecationem uidetur significare, sicut Techninah, gratiae petitionem, & uehementiorem supplicationem, quorum alterum, uel utrunque semper oratio agit. Confunduntur tamen in scriptura haec nomina. Colligamus ex superioribus, & in compendium contrahamus, quae de oratione cum hic, tum in Ioan. & Paulum scripsimus. Oratio latissimè patet apud grammaticos, & rhetores. In praesenti refertur ad precationes & obsecrationes, ut, cum propheta dicit, Exaudi Deus orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Matthæo dicitur *προσευχῆς*, eò quòd ad Deum funditur. Sic Anna. 1. Regum. 1. loquens de orationibus suis, Sum (inquit) mulier afflicto animo, & effudi animam meam coram Domino. Alij existimant *προσευχῆς* dictum esse, quasi *προσεχῆς*. Significat autem *προσεχῆς* aduerto, & intendo animum: *προσεχόμενος* adhæreo & adnaesor. Oratio itaque non erit simplex expositio uotorum, sed intentissimum etiam orantis desiderium, & quodam modo ei inhærens, ad quem dirigitur. Alij dixerunt eleuationem esse mētis ad Deū. Non desunt, quibus placet dicere, Orationem esse ardens & familiare colloquiū cū Deo, cui nostra uota exponimus. Aut ita dici potest: Oratio est supplex, & ardens fidelis animi expositio, qua Dominum uel inuocamus, uel laudamus, aut ei pro beneficiis gratias agimus. Habet aliquot species oratio. Altera est priuata, altera est publica, siue Ecclesiastica. Priuata est, qua quiuis, quouis in loco uel in templo priuatim, uel in conclauis cordis sui, & proprii corporis templo, aut domi suae, aut in agro orat. Sic enim Paulus templum Hierosolymitanum ingressus, orat priuatim, Acto. 22. Et Petrus in aedibus Simonis coriarj, ascendit in superiora domus, & orat, Act. 10. Quin ipse Dominus Iesus frequentissimè orat in monte, & in priuatis aedibus, & in quibuslibet locis, in quibus per occasionem agebat. Publica oratio Ecclesiastica est, quae fit in publico coetu sanctorum, iuxta ritum Ecclesiasticum, de quo meminit Paulus. 1. Corint. 11. & 14. cap. Certè Apostoli Christi ante urbem uastatam, & destructum templum Hierosolymitanum, solebant coetus sacros cogere & frequentare, & in his sacrosancta mysteria celebrare, conciones, & preces sacras exercere, quemadmodum uidere est, Act. 3. & 4. Indictæ sunt praeterea supplicationes, & publicæ preces à maioribus, quoties Ecclesia rebus premeretur difficilioribus. Exempla suppeditant uaria scripturae loca, ut, 3. Reg. 8. Ionæ 4. Acto. 1. & 13. At omnium praestantissimum exemplum extat Ioelis, ca. 2. Publicæ haec preces à quibusdam & Litaniae, & Rogationes appellantur. Et manet quidem Ecclesiae cuiuslibet libertas, eas pro praesenti necessitate instituendi. Proinde orationis duae sunt partes inuocatio, uidelicet, sub qua comprehendimus petitionem, obsecrationem, intercessionem, ac similia, & gratiarum actio, cui connectitur laus & hymnus. Haec confirmantur Pauli testimonio, ad Philipp. 4. 1. Timoth. 2. Deprecamur autem ea, quae à nobis auferri cupimus. Obsecramus, cum uehementer ac cupidissimè oramus. In-

Orationis nomina ex Paulolo, et quid differant.  
Obsecratio.  
Petitiones.  
Interpellatio

Gratiarum actio.

Oratio effusionem cordis in Deum habere debet

Oratio, quid.

Orationis uariae species.  
Priuata.

Christus & Paulus priuatim orarunt.

Publica oratio.

Publicæ preces institutæ in Ecclesia à maioribus.  
Inuocatio & gratiarum actio, duae orationis partes.  
Deprecari.  
Obsecrare.

terpellamus, cum aliquid, uel dicere acerbius, uel agere grauius parantem, interurbamus, & precibus nostris à cepto reflectere nitimur: ubi & intercessio locum habet. Intercedimus enim pro uariis sanctorum necessitatibus, & pro omnibus his, quibus iratus Dominus, manum grauius incussurus uidetur. Gratiarum actio, primo & propriissimè gratias (quas pro acceptis beneficiis agimus) comprehendit: deinde uerò hymnos, & laudes diuinas, quae in libro Psalmorum epinicia, confessiones & benedictiones appellantur. Sed enim, quis orandus & inuocandus est? Deus, qui solus nouit corda filiorum hominum, qui omnipotens est, & bene uult esse hominibus. Responsabis. Nemo hominum satis dignus est prodire in tantæ maiestatis conspectum. Nihil certius. Ideo autem interuenit filius, homo factus, ut ipsius ductu, & intercessione, ad patrem securo transitu perueniremus, quem admodum testatur Apostolus, Roma. 5. 8. Ephes. 2. 1. Timoth. 2. Hebr. 2. 4. 10. & 13. & 1. Ioan. 2. Proinde sancti omnes preces suas uni Deo, per Iesum Christum, Ecclesiae moderatorem & intercessorem, offerunt, per quem omnia nostra patri grata sunt, Per hæc non excluditur diuorum intercessio, quos sanctè, & catholicè inuocamus, & imploramus eui Christi dono, & gratia Dei ornatos, qua uirtute Iesu Christi sibi communicata possunt nos iuuare. Alioqui quomodo esset mutua officiorum corporis Christi subministratio, de qua Paulus Ephes. 4. Quomodo item sanctorum communio? Vnicum est corpus, cuius unum est caput Christus. Ergo mutuo iuant se membra, idque uirtute capitis. Sed de his alibi copiosè disputauit. Rogabis. Vbi est orandum? Quibusuis priuatim orare licet, dicitore Paulo 1. Timoth. 2. Volo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus. Sed & Dominus orauit in aedibus priuatis, in deserto, in monte oliuarum, denique in locis quibuslibet, quemadmodum etiam sancti Prophetæ, Apostoli, Martyres, & Episcopi. Publicæ preces in templis, & publicis coetibus sanctorum fieri debent, ad quas libenter, & frequenter accedit pius, & fidelis, propter promissionem Dei & ardentia sanctorum uota. Promisit enim Dominus se affuturum duobus uel tribus in nomine Domini congregatis, quātò magis adest toti coetui supplicanti Deo, & ex fide precanti? Tempus orationis explicabunt consideratae orationis species. Publicis precibus certas precandi horas constitutas fuisse à Prophetis & Apostolis, sacra testatur historia, à quorum tempore ad hanc usque ætatem ritus ille defluxit, & stans horis in Ecclesia catholica cantantur orationes. Quocirca nō oportet publicas & constitutas precandi horas turbari à quoquam temerè. Nam in Ecclesia Dei oportet omnia decorè, & certo, iustoque ordine fieri. Rursus quoties pericula imminent Ecclesiae, uel immissa diuinitus mala Ecclesiam exercent, licet publicas instituere supplicationes, pro rerum, loci, temporum & hominum ratione ac utilitate. Priuatæ uerò preces per omnia liberrimæ sunt. Nam toties orandum, quoties uel necessitas premit, uel impellit spiritus. Oratio enim ex animo, & affectu, apud Deum æstimatur. Quid rogandum est? Istuc Dominus noster miro compendio in sua illa precandi formula diuinissima, complexus est, de qua paulò post, Pater noster, &c. Cæterum Paulus orandum esse docet pro omnibus hominibus: In primis autem pro ministris uerbi, pro omnibus in eminentia constitutis, pro laborantibus, & afflictis, pro amicis & inimicis, 1. Timoth. 2. Ephes. 6. Rom. 12. 2. Thessa. 3. cap. Acto. 4. 7. & 12. Cum oras, esto humilis, abnega temetipsum, confitetur te peccatorem, qui diuina indiges ope, in spem contra spem credito, de tuis propriis uiribus, & propria iustitia diffidens, & in Dei misericordiam & promissionibus fidens, quemadmodum Daniel, cuius supplex oratio scribitur, 9. cap. Neque enim in iustificationibus (inquit) nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Talis fuit orator David, psalm. 78. A diuina nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne memineris iniquitatum

Interpellare.  
Intercedere.

Gratiarum actio quid comprehendit.

Deus orandus.

Filius Dei homo factus maiestati patris nobis reddidit & accessibilem. Preces Ecclesiae per Dominum Iesum. Sanctorum intercessio.

Vbi locorum orandum.

Vbiuis licet orare.

Publicæ preces.

Stans horis & temporibus oratur in Ecclesia.

Supplicationes indicuntur pro urgente articulo. Priuatæ preces, liberrimæ.

Oratio ex animo æstimatur.

Quid orandum.

Pro quibus.

Orando quo modo affectissimus.



nostrarum, citò anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Apud Lucam .18. cap. obseruas, iustitiae propriae confidentem Pharisaum, neque exauditum, neque à peccatis absolutum: publicanum uerò humilem, nihil propriae suae iustitiae innitentem, sed ingenuè fatentem se peccatorem, de templo discessisse iustificatum. Cū oras (ait Cyprianus) eleuata sit mens & ardeat oratio. Ardebit autem oratio, si spiritus fidei & charitatis in nobis operetur, & Deū ama-uerimus. Caue postulare turpia, sed sint tua uota secundum uoluntatem Dei, cui orando te totum committis. Orabis in fide, nihil hæsitaans (ait Iacobus) Marc. 11. & ex animo per charitatem feruido, qui excitatur spiritu (sine quo frigent omnia) & præceptis Dei, diuinis item promissionibus. Sed & opus est perseverantia in oratione fidei, quod per elegantem parabolam Dominus apud Lucam, 18. cap. docet. Et Paulus. 1. Thessal. 5. Exemplum perelegas orationis indefessae, & perseverantis habes in muliere Syrophenissa, infra. 15. cap. Quod si differat Dominus præstare, quod rogatur, adeoque preces negligere uideatur, nihilominus perstandum est in fide. Nam Dominus solet suos differendo probare. Adde, quòd fidem ipsam hac ratione ardentior reddit. Sed & dona sua hoc modo iucundiora efficit, quæ tandem hoc maiore gaudio percipiuntur quòd ardentius eo usque desiderabantur. Tum autem perpetuò reccurrendum est atque in omni etiam expectatione, & difficultate, ad id quod apud Isaiam flebiliter dicit Ecclesia: dereliquit me Dominus, & Deus oblitus est mei. Et quod in hunc modum respondit Dominus, nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ut non misereatur filij sui? Et si poterit ipsius obliuisci, ego tamen tuum nunquam obliuiscar, Isa. 49. Cū dicitur semper orandum est: sic intelligito, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi. Sic Anna cõmendatur Luc. 2. quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & deprecationibus feruiens nocte & die. Non quòd nihil aliud fecerit, sed quòd illud potissimum fecerit. Nam habuit interea & corporis curam. Sancti ergo sine intermissione orant, cū frequenter colloquuntur cum Deo. Et sanctus Augustinus ad Probam, episto la. 121. In ipsa (inquit) fide, spe & charitate continuo desiderio semper oramus. Cū oras, sit honestus corporis habitus, de quo diximus in Ioan. cap. 17. Sit (inquit Cyprianus) orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est diuinis oculis & habitu corporis & modo. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit uerecundo modestis precibus orare. Redeamus ad textus declarationem. Sic ergo: quasi dicat, hanc uobis orandi formulam præscribo qua gentium multiloquiū, & Pharisaorū hypocrisim uitare poteritis. Obserua uoculam, vos: nõ dicit simpliciter, orate: sed, vos orate. Quasi dicat, Sinite ethnicos fordescentes adhuc fordescere, & suo multiloquio ineptire. Vos, qui patris cœlestis filij estis, nolite illis similes in orando fieri.

## Pater.

Oratio Dominica, omnium ceterarum epitome est. Omnium piarum precationū epitome est hæc oratio Dominica, duabusque ab- soluitur partibus: Prior exordium continet, posterior septem ex ordine petitiones habet: quarum tres priores, omnium maximè ad aternitatem pertinent: reliquæ uerò quatuor, uitæ præsentis necessitates perstringunt, quibus quotidie premimur ob hanc miseram uitam, imbecillem, & temporaneam. Multi quidè sunt psalmi, & multiplices in Bibliis orationes, quas utile fuerit recognoscere; & pro sua ratione commemorare. Sed quemadmodum Christus totam legem in breue compendium contraxit, dicens, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, & omnibus uiribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum: hæc enim est Lex & Prophetæ: Ita contrahit nunc in breue compendium omnes sanctorum orationes, & psalmos, ut oratio Dominica, quæ nobis hoc loco proponitur, nihil aliud

Quid petendum à Deo. Ardeat animus in oratione. Perseuerandū in oratione.

Dominus differt interdū exaudire.

Dominus nisi quam habet contemptui pios suorum affectus. Quomodo semper orandum.

Status atque habitus corporis in orando, quis.

Oratio Dominica, omnium ceterarum epitome est.

fit, quàm epitome omnium piarum orationum. De his, quæ ad exordium spectant, primùm dicemus. Postea immorabimur in explicatione septem petitionum. Prima uoce, Pater, proponitur gratia uocationis, reconciliationis, atque adoptionis. Gratia enim est, quòd quum nos filij iræ, & adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Roma. 5. Et cū inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, nec solùm per mortem filij eius, nec solùm reconciliati, sed eò dignitatis conscendimus per Christum, ut filij dicamur & simus, hæredes Dei, & cohæredes Iesu Christi, de qua gratia copiosè scripsit Paulus Roma. 8. & Galat. 4. Vnde poterat quidem Deus omnipotens suum persequi ius, & seuerum in nos peccatores exercere iudicium, quòd toties & tam grauiter contra uoluntatem eius deliqueramus, ipsūque offenderamus. At cū sua clementissima bonitate, & ineffabili misericordia non solùm nobis hoc concesserit, sed etiam iusserit, ac docuerit per filium suum Iesum Christum, ut ipsum pro patre haberemus, dederitque Spiritum filiorum suorum, ut iam clamemus Abba pater, confidenter rogabimus ipsum, ut per suam misericordiam nobis donet plenam, ac certam fiduciam, in paternam suam clementiam. Deinde ut illius securitatis gustum aliquem sentiamus, quam uerè filij habent, ut cum gaudio ipsum patrem uocemus, agnoscamus, amemus, ac in omnibus nostris calamitatibus innocemus: defendat, & gubernet nos: sic ut perpetuò filij eius maneamus, nè ue excidamus è tutela eius: ne ipsum patrem nostrum, securi iudicis, nos autem filios hostium loco ponamus. Quo fit, ut hoc nomine, Pater, gratias agamus Deo, quòd non ex meritis nostris, sed gratuita adoptione facti sumus filij Dei, profiteamurque nos in baptismo renuntiasse diabolo, & omnibus operibus eius. Obserua: cū Deus uocatur pater, fides orantis ita confirmatur, ut confidenter audeat necessitates suas exponere, & ab ipso auxilium petere: cū paterni animi natura sit, uelle filio suo in omnibus necessitatibus subuenire. Pater noster est Deus: ergo proculdubio uult filio roganti auxilium ferre. Quare cauendum est, ne indigna filiis, aut mobilia cum Ismaele filio ancillæ petamus: immobilia petenda sunt nobis cū Isaac filio liberè. Si enim carnalia petis, ut in illis conuiescas: quomodo illa præstabit, qui illa, si habeas, præcepit ut contemnas? Petamus igitur, quæ ueros decent Dei filios. Respondebis fortasse, Ego sapius Deum offendi, & uereor, ne me exhæreditauerit, tantum abest, ut sperem ipsum preces meas exauditurum. Dico confidenter, si surrexerit in te tam uehemens tentatio, caue animum despondeas: sed confugito ad Iesum Christum, uerum & naturalem Dei patris atque unicum filium. Is enim iussit nos Deum inuocare, ut patrem, qui cū sit ueritas, non docuit nos mendacium dicere. Atque is nos Deo reconciliauit, ac impetrauit, ut quotquot in ipsum credunt, adoptentur in filios Dei. Quare cū Satanas per memoriam peccatorum conatur nos reuocare ab oratione, confugiamus ad Christum. Qui enim peccata expiauit, & nos ad orandum reuocabit, ut constanter auxilium Dei patris imploremus, qui placatus est per filium, pro sua reuerentia exauditum, & hoc sacerdotè ac pontifice perseverante, nostras preces recipit. Obserua: cū Deum patrem uocas, fidendum est uerè, quòd de respiciat, & quòd cura sis ei. Magna profectò Christianorum dignitas, quòd patrem habeant Deum. Non tam, quòd pater noster sit ratione creationis, secundum id quod dictum est, Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? quàm ratione adoptionis, qua gratuita pietate nos in filio suo renatos, in huius nominis honorem adoptauit, quaque filij facti, familiariter hac ratione illi loquimur, & patrem illum uocamus. Hoc nomine in uetere testamento Deum non compellabant Iudæi, sed Dominum dicebant, tanquam sub lege seruientes. Vnde Abraham amicus Dei quidem erat, uerū Deū non patrem sed Dominum nuncupabat. Operæpretiū fuerit, subeant tibi in mentem dicta Christi, Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem, nisi per me: Et, Qui uidet me,

Patrem uocare Deum, iā nobis Christianis & licet & necessesse est.

Deus pater: ergo optulari uult filiis.

Pater filius à patre, quæ filium decent.

Memoriā peccatorum non remittitur orationis feruor.

Deut. 33. Deus quare nobis pater.



uidet & patrem meum: & Ioan. 16. Amen amen dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Rursus, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum. Obserua: hoc nomine comprehenditur omnipotentia patris simul & bonitas, qua bona sua in hominem perfundere cupit & gaudet: non enim unquam exiit animum paternum in filios.

## Noster.

Quia omnes multa membra sumus in uno corpore, cuius caput Christus, & eodem spiritu animati esse debemus. Itaque uoce, noster, mutui consensus ac fraternæ charitatis Christus nos admonet. Quæ charitas per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris: ut iam non cum filiis huius seculi patrem suum inuocantibus dicamus, pater mi. Pater quidem tuus est, ð mi homo, qui te genuit, & quidem tibi uni forsitan pater, sed hic non ita tibi peculiaris pater est, ut aliis quoque non sit pater. Nam pater noster est, ut agnoscamus nos omnes fratres, & nihil habeamus aduersus fratrem nostrum, quem orare uolumus, utque tollatur diuitum fastus, quo pauperes ac tenuiores fastidiunt. Neque enim in Christo Iesu circumcisio aliquid ualet, neque præputium, sed noua creatura, Gal. 6. Et eundem ac communem agnoscamus patrem, ut patrem referentes, non solum pro nobis solliciti simus, sed eorum quisque, quæ aliorum sunt, studiosè curam gerat: unde in hac oratione non dicimus panem meum, debita mea, ne me inducas: sed, panem nostrum, debita nostra, ne nos inducas. En Germani filij affectus, & uerus ardor, quo præditus esse debet, qui hac precula uti uult. Aut non dicimus, pater mi, quod hoc soli Christo conueniat, qui est solus filius per naturam, nos autem per gratiã & communem adoptionem. Quam differentiam docuit ipse, Ioan. 20. cap. Vado ad patrem meum, & patrem uestrum: patrem meum (inquit) quasi dicat, propriũ mihi & naturalem, uestrum autem, per gratiam. Deinde hæc particula, noster, multorum orantium commoditatem ostendit simul, & sanctorum communionem: preces quoque communes multum roboris & uirtutis habere aduersus Sathanæ exercitum. 2. Corinth. 4. Omnia enim propter uos, ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Porro parũ profuerit nosse Deum esse patrem, nisi & cum nobis esse patrem credamus, in quem omnem nostram sollicitudinem proiciamus, quod ipsi cura sit de nobis, eius gratia reparata. Cum itaque uelit Dominus, ut non solum patrem ipsum appellemus, sed nostrum patrem, ut non nostro tantum, sed omnium suorum filiorum nomine oramus, rogemus, dicentes, Pater noster, da nobis fraternum & concordem animũ, ut re uera sentiamus nos fratres, & sorores esse, teque communem nostrum patrem: ne permittas quemquam nostrum sui fratris obliuisci. Et tolle quicquid reliquum est odij, inuidiæ, & discordiarum: ut sicut decet Dei filios, nos mutud amemus, & uerè dicere possimus, pater noster. Ex his colligamus, patrem, hunc honorem à nobis exigere, ut ipsi supplices simus, ab eoque petamus, ut filij à patre, ea fide atque fiducia, quod libenter nobis ea, quibus egemus, dare uelit. Præter hæc, uideamus inclusum esse in his uerbis, pater noster, nos liquidò gloriari posse, quod simus filij ipsius per Christum, atque ita ipsius præcepto, & promissionibus induti, & sanctissimo nomine Christi freti, ueniamus cum omni fiducia in eius conspectum ac dicamus, Pater noster.

## Qui es in cœlis.

Cum præcedente capite cœlos dixerit Christus thronum Dei, & fide teneamus sedes esse, in quas sancti, hinc solucentes, sese beneficio Christi recipiunt, locaque esse spirituum, corruptionis & contaminationis expertiũ: similiter legamus Christum plerunque uel orando, uel patri gratias agendo in cœlos suspexisse, & cum ad patrem rediret, in cœlos ascendisse: proculdubio uidetur mihi dicendum, hoc

Deus noster omnium pater est, ideo ut fratres debemus nos inuicem amare.

Pater mi, quare non in oratione Dominica.

Dubitare noluit nos Christus, quin simus filij Dei.

Quos cœlos inhabitet Deus?

loco cœlos accipi pro his cœlis inuisibilibus, qui supra hos uisibiles esse perhibentur, non quod Deum cœlis inclusum dicamus, nam de eo Salomon, 3. Reg. 8. dixit, Quem cœli cœlorum non capiunt. Certè Deus ubique est, & omnia in omnibus adimplet. Ephes. 1. cap. Coloss. 1. cap. Omnia in ipso constant. Sed quod cœlis potissimum suæ diuinitatis maiestatem ostendit: & quicquid cum hominibus per reuelationes, uisiones, & oracula in hac terra egit, è cœlis agere uisus est. Exemplo nobis erunt diluuij cataractæ; pentapoleos euersio, Aegyptiorum per grandinem castigatio. Vnde à prophetis cantatum est, Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Dominus de cœlo prospexit. Dominus in cœlo parauit sedem suam. Est certè cœlum (ut diximus) thronus Dei, & ueluti arx regia, ac sedes supremæ maiestatis, à qua pendere uidetur reliquus orbis, siue bona exceperit, siue iram Dei experiatur. Proinde articulus Græcus *ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, distinguit illum patrem à patre terrestri. Quasi dixerit, Nos in terris patrem nescimus: ex te uno pendemus pater cœlestis, à quo nobis petenda sunt omnia, quibus est opus ad ueram uitam. E cœlis cecidimus, patre Adamo autore; ad quos Christo redemptore, tanquam felicitati nostræ destinatum locum, nos redituros speramus. A patre nostro, quem hic in mundo habemus, hoc fragile corpus accepimus, cuius patris natura est, ut & morti sit subiectus, neque certum est, quandiu maneat pater. Præter hæc, si quid aduersi acciderit, mutare id non potest. At cœlestis pater longè melior est, & præstantior. Tantò igitur magis nos æquum est patrem, patriam, cognatos, opes, carnem quoque & sanguinem, & quicquid tandem charum nobis in mundo est, præ ipso patre cœlesti contemnere. Proinde, esse in cœlis dictus est Deus, ut intelligamus Deum, patrem nostrum, non esse terrenum, infirmum, aut corruptibilem, sed cœlorum dominum, & inhabitatorem: id est, qui super omnia regnat, implet omnia, præsto adest, alit, gubernat, & uegetat omnia. Elegans est hoc epitheton, qui es in cœlis, id est cœlestis, quo confirmamur in fide. Nam unusquisque patrem quidè habet in terris: sed hic frequenter, cum uult, non potest: si potest, adeò inhumanus est, ut nolit auxiliari. In cœlis autem talem habemus patrem, qui, cum pater sit, uult ueri & germani patris parteis seruare: & cum cœlestis sit, potest etiam omnibus promissis stare, & ea seruare, quia est omnipotens. Cœlum (inquit Ierem. 23.) ego impleo. Et iterum, Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum: id est, sum omnipotens. Quanta igitur, quamque infringibili fiducia ornati esse debemus: Quam non fractis animis, spe gloriæ filiorum Dei, durare, qui patrem habemus Deum, & hunc cœlorum Dominum, ac omnipotentem: Cuius sedes cœli, & terra scabellum pedum eius? Atque cum patrem habeamus in cœlis, certè non erit patria nostra in terra, sed in cœlis. In terra enim commorantes, solum, peregrinamur, ad patriam cœlestem proficiscentes. Propterea hic locus ad cognitionem creationis pertinet. Germana autem cognitio creationis est uerè, ac non imaginaria phantasia, sed ex animo sentire Deum adesse opitulatorem, alentem, seruantem, tum demum intelligit homo, quid intersit inter humanas de Deo opiniones, & uiuam fidem. Orantes igitur, ita dicamus: Pater cœlestis hoc nobis dones, ut tui cœlestes filij esse possimus, quos doceas, ne quid præter animæ salutem, & cœlestem illam hereditatem spectemus: nec hac patria carnali, hisque mundi opibus decepti, irretiti, aut impediti, in carnales ac terrenos abeamus filios: sed ut uerè tui cœlestes filij simus. Obserua, non improbandum esse sensum illum allegoricum, quem duo illa sanctitatis & doctrinæ luminaria Ambrosius & Augustinus recensent. Nempè, pater noster qui es in cœlis, id est, in angelis ac sanctorum iustorumque cordibus. Nam quemadmodum peccator uocatus est terra, quando ei dictum est: Terra es, & in terram ibis: sic pij & iusti elegati metaphora & cœli dicuntur, & cœlis comparantur. Qua similitudine intelligitur tantum interesse inter iustos & peccatores, quam corporaliter inter cœlum & terram. Et rectè orat

In cœlo quare Deus esse dicatur.

Pater carnis præ cœlesti contemptibilis.

Quam differat Pater cœlestis à carnali.

Cœli, Angeli & piorum peccata.



Christianus iuxta hunc sensum, quum toto affectu cupit in se quoque ipsum Deum habitare, quem inuocat. Huius exordij summa hæc est, In primis admonet nos Deum esse patrem nostrum, quo nihil potest cogitari, & à nobis requiri nobiliter, & melius. Deinde docemur hunc patrem esse cœlestem, qui nos, semel infeliciter genitos ex Adam, rursum cœlo genuerit, non terrenum, & temporalem, sed perpetuum, quo nullus benignior. Tertio docet nos patris cœlestis filios, cœlestia duntaxat debere querere. Nam pater taleis querit adoratores, Ioan. 4. Quarto Deum patrem esse nostrum omnium, ut quemadmodum ille pater noster est cœmunis, ita & communia sint nostra omnia, spiritualia & terrena in necessitate.

## Sanctificetur nomen tuum.

Cum Deus sit res seu substantia ineffabilis, nullum certè nomen assignari potest, quod substantiam eius sufficienter exprimat, & illi proprium, ac adæquatum esse queat. Solus enim est, nec parem ullum habet. Nos tamè ex arduis & mysticis factis, & actis Deum nuncupamus. Et nomen Dei dicimus, quod de ipso prædicatur, ut, quod sit Omnipotens, Creator, & huiusmodi, quæ sacræ scripturæ de Deo prædicant, eò quod nomen eius est secundum opera eius: & secundum nomen eius, laus eius, psal. 48. Interdum nomen Dei significat laudem Dei, hoc est, notitiam seu cognitionem, & celebrationem nominis Dei, qua significatione hoc loco accipitur. Porro non petimus in hac petitione, ut nomen Dei in seipso sanctum fiat, quippe quod in se semper sanctum sit: sed precamur, ut in nobis sanctificetur: in hoc enim loco sanctificari accipitur pro reuelari, obseruari, glorificari, honorari, ac uerè cognosci. Magnificabor (inquit) apud Ezechielè. 38. cap. & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient, quia ego Dominus. Sanctificatur itaque nomen Dei, quādo nobis reuelatur: iusto item & competenti honore in omnibus colitur ac suspicitur, & omnia de illo excellentia & summa prædicantur. Et quemadmodum primo præcepto exigitur, ut cognoscamus Deum, ita primum hæc precamur, ut cum zelo animum accendente Deum cognoscamus. Et hoc uerbum, sanctificetur, significat id, quod cognoscitur. Prima enim cura liberorum, est, honorare parentes. Et cum Deum per Christum habeamus patrem, prima mox petitione oramus, Sanctificetur nomen tuum. Significant autem hæc uerba, sanctificetur nomen tuum, tantūdem atque si diceret: Da, ut celebris sis in terra, ut adorent te uniuersa familia gentium: ut sit nomen tuum gloriosum & benedictum apud omnes gentes. Sanctifica nomen tuum tam in nobis ipsis, quàm in toto mundo. Dele, dissipa, euerte, eradica uniuersas abominationes, idololatrias, sectas, hereses, tum Turcarum, tum pseudochristianorum & hereticorum, qui nomen illum tuum falsò iactant, & horribiliter blasphemant, scdisimè que eo abutuntur, seminantes suas imposturas, mendacia & fraudes. Atque, ô pater optime, conuerte, & auerte. Conuerte quidem eos, qui conuertendi sunt, ut nobiscum illi & nos cum illis nomen tuum sanctificemus & glorificemus, tum rectè & purè docendo, tum innocenter sanctè que uiuendo. Auerte autem & compesce istos, qui obdurati respiscere nolunt, ut aliquando finem faciant sacrosancto nomine tuo abutendi, illudque blasphemandi, & miseros imperitòsque homines seducendi. Da, ut omnia illa caueamus, quibus gloria & honor nominis tui imminuitur. Fac, ut magicæ artes aboleantur. Fac ut nimia sui cōfidentia & omnis superstitio pereat. Fac, ne ulla specie uel ueritatis, uel iustitiæ, uel sanctitatis homines decipiantur. Fac, ne quis per tuum nomen peieret, mentiatur aut fallat alios. Aufer à nobis illam spiritualem superbiam, ac uanam gloriam, studium quoque nostræ laudis, & gloriæ. Fac, ut in omnibus nostris calamitatibus & malis sanctum tuum nomen inuocemus. Fac, ne in paucioribus conscientia, & tum cum nobis moriendum est, sancti tui nominis obliuiscamur. Fac, ut in omni nostro successu, in uerbis & factis

Nullum nomen satis essentiam Dei exprimit.

Deo nomina damus iuxta opera eius. Nomen pro laude.

Sanctificari.

Verbo sanctificari, quid contineatur in oratione Dominica.

factis nostris, solum te primum laudemus & cœlamus: nēue ex his nostri, sed tui nominis gloriā quæramus, qui omnia solus possides. Fac, ut per bona nostra opera & nostram uitam inuidentur alij nō ad nostram, sed ad tuam laudem, & præconium nominis tui. Fac, ut ita, quemadmodum filios Dei decet, uiuamus, ne indigni sancto tuo nomine fuisse uideamur. Huc pertinent omnes psalmi & preces, in quibus Deus laudatur & prædicatur: item, in quibus Deo aguntur gratiæ: item hæc uox, halleluia. Obserua: Cognoscere Deum, siue habere reuelatum Deum, & esse alicui sanctificatum nomen eius, non est obiter & simpliciter scire, quod Deus aliquis sit: sed intelligere & cognoscere maiestatem, potentiam & bonitatem eius: & hoc est, scire nomen eius. Id quod fit dupliciter: in primis quando aduersus impios exerit potentiam suam: ut Exod. 14. Glorificabor (inquit) in Pharaone, & exercitu eius, sciētiq; Aegyptij, quod ego sum Dominus. Secundò, quando declarat bonitatem suam, asserendo & liberando suos, sicut in uetere testamento Abraham & aliis declarauit, quādo filium suum promisit. Et hanc bonitatē maximè exeruit, quando natus est nobis saluator Christus Iesus. Hæc cognitio bonitatis diuinæ parit ueram Dei dilectionem, & zelum gloriæ ac sanctificationis nominis eius per omnia. Obseruemus igitur, qua simus erga sanctum Dei nomen reuerentia, quo animo audiamus, quæ sub nomine Dei proponuntur. Deinde curemus diligenter, huic sancto nomini, quod super nos inuocatum est, uitam nostram respondere, ne propter nos blasphemetur nomen Dei. Obserua scripturæ tropum, quo nomen Domini dicitur inuocari super fideles. Hoc enim significatur, Deum nos in suam tutelam & protectionem recepisse, & in filios adoptasse, quo summa Dei bonitas significatur erga nos. Ioan. 3. Videte, qualem charitatē nobis dedit Deus, ut filij Dei nominemur & simus. In filios enim Dei asciscimur quum in nomen eius credimus, & fide uiua ad Deum accedimus: ut cum propheta dicamus, Nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, id est, secundum nomen tuum uocati sumus Christiani.

## Adueniat regnum tuum.

Hæc petitio, priori percommode subiecta est. Nam cuius bonitas celebris iam & illustris est, hoc est, cuius nomen est sanctificatum, huic statim omnes sese addicunt, & regnum super se deferunt. Ita cum Euangelium receptum est, statim auditores se Deo patri cœlesti addicunt per Christum. Et super hos planè regnum Christus obtinet, dum ipsos suo spiritu agit, ut mutuo amēt, & per gratiam inferuiant. Hanc coniunctionem sancti nominis Dei & regni eius Isaias multis locis explicuit, præsertim cap. 12. ubi posteaquam de futuro Dei regno per Christum uaticinatus est, ait, Et dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: Notas facite in gentibus adinventiones eius. Mementote, quoniam excelsum est nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annunciate hæc in uniuersa terra. Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui. Obserua ex hoc loco. Cum exaltatur nomen Domini, simul etiam esse Deum in medio nostri, ubi facit mirabilia ad saluandum nos, hoc est, regnat super nos fide, iustitia & dilectione in Spiritu sancto. Hoc regnum, quod petimus aduentare, non accipitur pro eo regno, siue mera illa potentia, & insuperabili uirtute, qua Deus omnia tam in cœlo quàm in terra potenter administrat, & nutui suo cuncta habet subiecta, ut nolint uelint, uoluntati ipsius seruire cogantur. Et hoc ethnici philosophi aliquando fatum, aliquando necessitatem inuitabilem dixerunt. Sed intelligitur de eo regno, quod Deus promisit per prophetas in orbem terrarum reuelandum, ac per Messiam suum administrandum. Huius regni genus duplex est, Vnum gratiæ, alterum gloriæ. Gratiæ regnum, quod est peregrinantium in hac uita, dicitur, quo Christus regnat in cordibus electorum, à Patre propiciatorum

Nomen Domini sanctificatur siue sanctur dupliciter.

Nomen Domini inuocari super nos, quid.

Deus probe agnitus, finitur regnare.

Quod Dei regnum cupimus aduenire.

Regnum gratiæ.



propositus, in quem credentes iustificantur, & de uoluntate Dei patris in ipso, tanquam in imagine Dei, instruuntur. Procudubio hoc regnum gratiæ, quod & misericordiæ dicitur, est spiritualis liberatio cordium à peccato, ac felix & tranquilla gubernatio animorum, & conscientiarum nostrarum. Gloriæ regnum, est, quo regnat Deus in beatis. De hoc regno scribitur, infra. 25. Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod uobis paratum est ab origine mundi. Item 7. Qui facit uoluntatē patris mei, qui in cœlis est, hic intrabit in regnum cœlorū. 1. Corinth. 6. Nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Optamus quidem hoc posterius aduenire, sed de priore in primis sermo fit, quod illo secundum adsequamur. Hoc regnum (de quo hic sermo) Chryostomus uocat fidem, & Euāgelium, quo restituitur concordia, & reconciliatio omnium eorum, quæ in cœlis sunt & in terra. Et hoc regnum cœpit per Christum, qui omnia à prophetis, & scripturis prædicta adimpleuit. Vnde Marc. 1. cap. scribitur, Venit Iesus in Galilæam, prædicans Euāgelium regni Dei, & dicens, quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei: poenitemini, & credite Euāgelio. Aduenit autem & reuelatur hoc regnum primò prædicatione Euāgelij. Deinde, secundo aduentu Christi in nouissimo die. Proinde oramus in hac petitione Deum, ut conferret prædicationem Euāgelij de Iesu Christo in toto orbe terrarum. Quia enim uidemus, quod mundi sapientia, & ratio carnis, non modò Dei nomen blasphemis impetant, uerùm etiam nihil non tentant, ut pios ab Euāgelio diuertant: & interim præpotentes uidentur aduersarij, maximi sunt, sapientissimi sunt, callidissimi sunt, innumeri sunt, omnium rerum copia affluunt, omnigenis bonis adotibus fortunæ, ac corporis abundant, diuexant, exercent, affligunt, aterunt, impediunt, turbant, & persequuntur pusillū illum regni tui gregem, ô Domine Deus, eumque, cum sit imbecillus, & imbellis, cum sit abiectus, & contemptus, cum sit exiguus, & paruulus, ferre nullo modo uolunt, adeoque uita indignum iudicant: hisque rationibus putant se Deo etiam gratissimum cultum præstare, ideo Adueniat regnum tuum. Id est, tu ô pater, rege nos, & conuerte eos, qui filij tui sunt, & regni tui confortes, membræque futuri sunt, ut illi nobiscum, & nos cum illis, tibi in regno tuo uiua fide, minimèque simulata charitate seruiamus, & ex hoc, inchoato hic, regno tuo, in æternum proficiscamur. Auerte autem, & frange uires illorum, qui in hoc uires suas omnes, omnem potentiam, omnes facultates intendunt, toti in hoc incumbunt, ut regno tuo incommodent, idque perturbent, & euertant: eos, inquam, frange, & auerte, ut à sede, & cathedra pestilentiæ depositi, & præcipitati, à cœpto desistant. Tu, inquam, charè pater, foue nos tua gratia, dona nobis ueram & constantem in Christo fiduciam. Dona spem firmam in misericordiam tuam, qua pauca & infirma conscientia ob peccatorum sensum, erigatur. Adueniat ardens tum erga te, tum erga alios homines amor. Aufer à nobis infidelitatem, desperationem, inuidiam. Aufer à nobis impuram illam carnis libidinē, & infere pro ea castitatis studium. Aufer à nobis, Domine, discordias, bella, & dissensiones: & fac, ut sanctum tuum regnum ueniat, nôsque pacificam, concordem ac placidam agamus uitam. Fac ne ira, aut alia uitia, quibus simultates fouentur, in nobis regnent: sed sua uis simplicitas, fraternus amor, & omnia genera officiorum: item placabilitas, & mansuetudo. Fac, ne immoderato dolore aut mœrore conficiamur: sed sentiamus suauitatem gratiæ ac misericordiæ tuæ. Dona, ut simus tuum regnum, ut cor nostrum, mens, ac animus noster, cum omnibus uiribus, quas nobis infudisti, tuis mandatis obsequantur, ac tuum seruent imperium, neque uel carnem, uel mūdum, uel Satanam sequantur. Fac, Domine, ut hoc tuum regnum, in nobis foeliciter cœptum, subinde crescat & augeatur, ne incauti, opprimamur à peccatis, ne ue securi, cessemus à uerè bonis operibus. Dones igitur nobis constantem animum, quem non deficiant uires, quique

Regnum gloriæ.

Regni Dei, fides &amp; Euāgelium.

Regno Dei quid significetur in oratione Dominica.

non solam instituat meliorem uiuendi rationem, sed in ea quoque foeliciter pergat, & subinde crescat, sicut canitur in psal. 13. Illumina oculos meos, ne obdormiam. Ne si incœpta Christiana uita negligentius pergamus, denuo in Satanæ potestatem ueniamus. Fac, ut constanter perduremus, & futurum tuum regnum, cœptum iam in nobis imperiū perficiat & consummet. Fac, ne timeamus mortē, sed illam exoptemus, ut tecum foeliciter uiuamus. Fac, ut possimus eiicere animo amorem huius uitæ, ut tu solus in nobis regnes, Amen. Huc pertinent psalmi & preces, in quibus à Deo postulatur gratia, & sancta uita. Hæc omnia congruunt huic petitioni. Horum summa hæc est: Precamur, ut Christus nos, regno Satanæ ereptos, regat, ducat, ne temerè labamur, erremus. Sic ad Colof. 2. Paulus dicit, nos transferri in regnum filij Dei, ex regno tenebrarum. Aduersus mala omnia nos defendat, & spiritu suo nos protegat, doceat, & repleat. Sicut dixit, Effundā de spiritu meo. Proinde cum, ut Apoc. 1. cap. Deus dilexerit nos, & lauerit nos à peccatis nostris, & fecerit nos regnum & sacerdotes, in nobis ipse residet, sicut solet rex in regia, ac sui regni metropoli residere, ut singulis prospiciat. Ita enim & Deus in nobis regiam habet, hoc est cor nostrum. Huius enim gratia purum est, uiuit, est, & mouetur. Munitur cor, dum in eo habitat Deus, solida fide, inuidia spe, & perfecta charitate. Huius foelicitati inuidet mūdus, Sed si mundus cor hæres impetierit, rex fide consolidabit. Si auertere uoluerit quispiam à charitate, dabit rex, ut mutam exerceamus charitatem. Si quis tristitiam ac metum inculserit, dabit rex spiritum consolatorem. Si diripere uoluerit bona, dabit rex patientiam. Confidamus tamen, quoniam Rex noster, ut ille, ad patrem abiens, dixit, uicit mundum, & nos in ipso uincemus. Colligamus ex superioribus. Postulamus aduentum regni Dei. Primò ut ipse Deus regnet in cordibus nostris. Deinde, ut exutos hac mortalitate, dignetur nos recipere in beatas sedes. Itaque hæc loquutio, Adueniat regnum tuum, tantundem ualeat, ac si dicamus: Regna iam in nobis Domine, ut tecum post hanc inopem miseramque uitam regnemus. Quoniam uerò nemo uenit in regnū Dei, nisi is, in quo prius regnauerit Deus in hoc seculo: ideo non iussit Christus orando dicere, ueniamus in regnum tuum: sed, conuersa loquutione, Adueniat regnum tuum: ut hi, in quibus hic regnauerit Deus, ueniant in sedes regni Dei beatas.

Cor nostrū, regia Dei.

Ioan. 15.

Aduentū regni Dei quare postulam.

## Fiat uoluntas tua.

Hac precula non agimus de omnipotenti & imperscrutabili uoluntate Dei, qua ipsi quoque spiritus mali, & impiissimi quique, ut ut inuiti, diuinę uoluntati obedire coguntur, de qua Isa. 46. Omnis uoluntas mea fiet, cui certè nemo resistere poterit: neque oramus, ut faciat Deus, quod uult. Quis enim potest obistere Deo, quod minus faciat, quod uult? Psal. 132. Omnia quæcunque uoluit Dominus, fecit, in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Sed de ea agimus, qua electi, ex animo uoluntati patris cœlestis sese committunt. Illi pro mensura gratiæ in omnibus obtemperant, ut hæc pctio affectum habeat animi, Deo patri subiecti, & uoluntati eius per omnia cōsecrati & dediti: hoc ut fiat, oramus, det pater auxiliū, & fauorem, citra quem nõ possumus uoluntatē eius implere. Atque hic fauor, afflatus ipsius spiritus est, quo homines se Euāgelio permittunt, ipsum audiunt, & excipiunt. De hac obedientia loquutus est Paulus 2. ad Cor. 2. Ideo enim & scripsi uobis, ut cognoscam experimentū uesterū, an in omnibus obediētes sitis. Precamur itaque, ut uolūtas Dei reueletur in nobis, & per nos fiat, ut illā facientes, seruiamus illi in sanctitate & iustitia corā ipso omnibus diebus uitæ nostræ. Quia nobis à diabolo obfistitur (ait sanctus Cyprianus) quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & perimus, ut fiat in nobis uoluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus est Dei uolūtatē, id est ope eius, & protectione, quia nemo suis

Voluntatem Dei fieri quomodo petimus.



Voluntatem Dei Christus & docuit & fecit. Humilitas in cōuersatione, stabilitas in fide, uer-  
 recundia in uerbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus discipli-  
 na, iniuriam non facere, sed factam tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum  
 toto corde diligere, amare in illo, quod pater est: timere, quod Deus est: Christo  
 nihil omnino præponere, quia nec ille nobis quicquam præposuit: charitati eius  
 inseparabiliter adherere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere: quando de eius  
 nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confiteamur:  
 in quæstione fiduciam, qua congregiamur: in morte patientiam, qua coronemur.  
 Hoc est, coheredem Christi uelle esse: hoc est, præceptum Dei facere: hoc est  
 uoluntatem Patris implere. Hactenus Cyprianus. Ut ut dixerimus multiplicem  
 esse uoluntatem Dei, unam certè intelligimus in re ipsa, quæ est ipsius essentia:  
 sed iuxta sermonem, uariam & multiplicem scriptura significauit, hoc est, locutione  
 diuersa uoluntatem Dei expressit. Voluntas Dei duplex est. Alia est omnipotens  
 & imperscrutabilis, qua omnia administrat in cælo, & in terra. Hanc uelimus,  
 nolimus, semper promouet, semper efficax est, nec indiget nostra petitione,  
 sed magna ueneratione adoranda est. De hac copiose scribit Augustinus, 3. de trinitate,  
 cap. 4. & sequentibus. Hanc uoluntatem dicunt esse beneplaciti, de qua scriptum  
 est, Omnia quæcunque uoluit fecit. Complacens est in aliquo, ut sit, uel fiat. Alia  
 est uoluntas Dei, quam dicunt esse signi, hoc est, effectus quidam, nobis reuelans  
 diuinam uoluntatem. Hæc est uoluntas Dei reuelata, & perscrutabilis nõ humanis  
 & humana ratione seu ingenio hominis, ut docet Paulus. 1. Corinth. 2. Animalis  
 homo non percipit ea quæ sunt spiritus: stultitia enim est illi, & non potest  
 intelligere, quia spiritualiter examinatur. Sed ut. 1. Corinth. 14. dicitur, Spiritus  
 autem loquitur mysteria. 1. Corinth. 2. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum  
 suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominũ  
 scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei  
 sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus,  
 sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, quæ &  
 loquimur, nõ in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus  
 spiritualia comparantes. Ideo non abs re ab eodem Paulo dictum est, Roma. 8. Prudentia  
 carnis mors est: prudentia autem spiritus, uita & pax. Iste est fructus prudentiæ  
 spiritus, uita & pax: iste est & scopus uite nostre ac instituti Christiani. Propterea  
 uoluntas Dei reuelata est uerbo Dei: in primis per Moysen & prophetas, non ab alio,  
 quàm à Spiritu sancto edoctos. Deinde per Christum & apostolos, hoc est, Ecclesiam,  
 nomine Christi congregatam. Per Moysen significauit, ut obseruemus decalogũ,  
 & mandata Dei, & faciamus bona opera. Quod si inobedientes fuerimus, agnoscamus  
 nos peccatores. Per Christum autem, de quo in capite libri scriptum est, ut faciat  
 uoluntatem patris, Heb. 10. & psal. 39. Et qui ait, Non ueni, ut faciam uoluntatem  
 meam, sed eius, qui misit me. Et meus cibus est ut faciam uoluntatem patris, qui misit  
 me, Deus significat & uult, ut credamus in ipsum, quod per ipsum habeamus remissionem  
 peccatorum, & placatum patrem in cælis. Significauit item nobis siue per prophetas,  
 siue per Christum, & apostolos ut patienter duremus in aduersis, sperantes nos  
 liberatum iri, si fideles permanserimus, & à Christo non defecerimus. Huc  
 pertinet, quod scribitur, Ioã. 5. Hæc scit bo, ut sciatis, quoniam uitam  
 habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei. Et hæc est fiducia, quam  
 habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos.  
 Hæc est manifesta Dei uoluntas à Mose, Christo, & Apostolis, seu Ecclesia  
 nobis reuelata, quam obligamur facere, & illi nos conformes reddere. Quod ut  
 fiat uidentur mihi duo maximè necessaria esse, quæ obedientiam nostram ex dono  
 Dei præcedant. Quæ sunt? Fides de Deo, & reuelatis

Voluntas Dei duplex.

Voluntas Dei omnipotens.

Voluntas beneplaciti.

Voluntas signi.

Voluntas Dei reuelata.

Ioan. 6. & 4.

Per Christum & prophetas quid significauit nobis Deus.

Duo necessaria, ut fiat uoluntas Dei.

per organũ Dei: itẽ prõptus & paratus animus ad obediendũ reuelatis sine aliqua  
 disceptatione. Hac obeditione reddimur Christiani. Vnde Paulus ad Rom. 1. Per  
 quem accepimus gratiã & apostolatũ ad obediendũ fidei in omnibus gẽtibus pro  
 nomine eius, in quibus estis & uos uocati Iesu Christi: id est, uocamini Christiani,  
 cum sic obeditis, & nomen Christi obedientes recipitis. Hac methodo quæ-  
 stiones, & contentiones abiicitis, & sequemini Christum ducem, in quo uolun-  
 tatem patris facietis. Precamur igitur in hac petitione, ut Deus nobis largiatur suũ  
 fauorem, quod credamus, quod uult à nobis credi: faciamus, quod uult à nobis fie-  
 ri: sufferamus, quod uult à nobis sufferri. Quasi diceremus: Orauimus, ut regnũ  
 tuum, o pater, regnum cœleste scilicet, adueniat, ut eiccto per Christum forti ar-  
 mato, te unum regem nostrum adoremus & sequamur. Ab hoc opere caro nostra  
 nos nimium uiolenter reuocat, & remoratur. In renatis enim ac regeneratis non  
 statim etiam extinguitur fomes ille peccati, quæ est lex membrorum, carnalis uti-  
 que concupiscentia, aduersus spiritum perpetuò pugnans, ac faciens, ut non qua-  
 cunque uoluerimus, eadem etiam faciamus: eò quod Christiano tamen iam in  
 regnum Dei translato, uoluntas benè agendi adiaceat, repugnante tamen natura  
 uitata, eam perficere ille non possit, nisi adiutore spiritu. Necesse ergo est nos se-  
 dulò postulare, ut Deus, quod in nobis cœpit, etiam perficiat, hoc est, carnalis cõ-  
 cupiscentiæ uim in nobis compefeat, coerceat, ac mortificet, naturam corruptam  
 ac morbidam sanct, carnẽ reluctantem, spiritui subiiciat, utque possit uocationem  
 suam, in nobis uoluntatem suam impleat, & opus fidei in uirtute perficiat, ut po-  
 tentiarum animæ & uoluntatis unus sit ad spiritum consensus: & cum Dauide di-  
 camus, psal. 83. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Hoc mo-  
 do orat Paulus. 2. Thessal. 1. Hebr. 13. & Epaphras pro Colossensibus, Colossens. 4.  
 cap. Ad hunc itaque modum orabimus: Postquã in ciues regni tui, & regni cœ-  
 lorum assumere nos dignatus es, da, ut in mentibus nostris tibi regnanti purè, &  
 syncerè obediamus, & uoluntatem tuam, nõ autem nostram, infano iudicio cor-  
 ruptam, faciamus. Fac, ut uoluntati tuæ parentes, possimus sustinere crucem, tam  
 in uita, quàm in morte, tam in secundis, quàm in aduersis nostris rebus: & possi-  
 mus mortificare nostram uoluntatem, eamque, ceu uictimam, tibi offerre. Con-  
 uerte eos, quibus uoluntas tua etiamnum reuelanda, & cognoscenda est, ut illi no-  
 biscum, & nos cum illis uoluntati tuæ obediamus, & ob eam omnia aduersa, ala-  
 cri, patienti, infracto, hilarique animo perpetiamur, optimamque & propensissi-  
 mam ac perfectam uoluntatem tuam in his agnoscamus, experiamur, & discamus.  
 Auerte autem & coerce illos qui nullum finem faciunt sc̄uendi, & infaniendi,  
 qui pios odio extremo persequuntur, minis atrocissimis terrent, quorum uoluntas  
 & cogitatio in hoc omnis est, ut noccãt. Fac, ut omnia illorum consilia, cogitata,  
 doli, insidiæ, fraudes turbentur & confundantur, & omnia in ipsos autores redũ-  
 dent, uti canit psal. 7. Conuertatur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius  
 iniquitas eius descendat. Obserua: quã optima est politia, ubi summus consensus &  
 obedientia primas habent. Itaque rogamus hac petitione, ut cum Deus fecerit nos  
 regnum suum, adiuuet, & regat nos, detque nobis, ut regem sequamur, nõ repel-  
 lamus, & ut in omnibus Spiritui sancto cõsentiamus, & indiuisè adhareamus.  
 Ezechia politia sc̄elix fuit, Deo adiutore. Politia Sedechiẽ infœlix fuit. Cur? Quia  
 Deum adiutorem repulit. Non igitur repellamus Deum, sed uero animo, ueris la-  
 chrymis oremus, ut det pastores Ecclesiæ, reges, magistratõs, doctores, discipulos,  
 ciues, qui suis, iuxta uoluntatem Dei, inseruiãt officiis: ut regat & gubernet Ecce-  
 las, doctores, scholas, principes, & populum, ut faciant, quæ ipsi grata sint, & o-  
 mnes inuocent Deum, adorantes in spiritu & ueritate. Colligamus ex his in pri-  
 mis uoluntatem Dei quandam esse, quæ est prædestinationis, seu prouidentia, ac  
 præscientiæ diuinæ, quæ à nobis potius adoranda, quàm curiosius inuestigãda sit,

Spiritus adit-  
 tor sit ad uo-  
 luntatem Dei  
 perficiendã.

Optima po-  
 litia, quando.



quæadmodum Paulus Roma. 9. docet. Hæc particula orationis, ad hanc uoluntatem eatenus pertinet, ut ardentibus uotis petamus, ut Deus nos (quos secundum uoluntatis suæ propositum prædestinauit sibi adoptare in filios per Christum, uocans scilicet & iustificans) tandem etiã iustificatos, ac conseruatos, glorificet. Nec Christianus debet ulterius hinc progredi ad inquirendum scrupulosius de hac Dei uoluntate, ac neque inquirere, num ipse ex prædestinatis sit. Certè uiua fide credentes de hac uoluntate Christus certos fecit, dicens Ioan. 6. Hæc est uoluntas patris mei, ut omnis qui uider (hoc est, agnoscit) filium, & credit in eum (id est dicitis illius fidei, ipsique sincera fiducia, quam comitatur charitas, adhæret) habeat uitã æternam. Nihil amplius inquiras, quàm ut te in Christo reperiās, hoc est, in eum credas. Est & uoluntas Dei inquirenda & agnoscenda, ea scilicet, qua erga nos est affectus Deus, quam ut notam faceret, misit filium suũ, qui redimeret nos, & sanguinem suum funderet in remissionem peccatorum nostrorum. Est uoluntas Dei quæ cognoscenda, & facienda est, Roma. 12. Ephes. 5. Hæc in lege Dei sita est & comprehensa: In mandatorum scilicet diuinorum custodia. In quam respiciens Dauid psal. 118. ait, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: utinam dirigantur uia meã ad custodiendas iustificationes tuas. Hanc uoluntatẽ Dei non quærimus in mortua litera: sed in Christo, ueluti in uiuo exemplari, expressam cernimus, id est, in quo pater sibi complacet, & in cuius manum omnia dedit.

## Sicut in cælo, &amp; in terra.

Ob oculos uiuum exemplar, & modum, quo hæc uoluntas Dei in nobis perfici debeat, proponit. Iuxta Chrysostomi sententiam hæc appendix adici potest clausulis præcedentibus, Sanctificetur nomen tuum, sicut in cælo & in terra. Adueniat regnum tuum, sicut, &c. Admonemur profectò, ut nos in terra, id est, nos terrestres creaturæ, ita uoluntati diuinæ obediamus, quemadmodum obediunt ei creaturæ cælestes. Est cælum spirituale, est & corporale. In spirituali cælo sunt Angeli, qui omnes sunt administratorij spiritus, omnia uel in momento temporis ad nutum Dei facientes. Exemplo erit Angelus ille, Paralip. 21. qui gladio pestis feriens Hierosolyma, audito uerbo Dei, Sufficit, nunc contine manũ tuam: statim obediuit. Recederem cum Angelum illum, qui tot milia Assyriorũ occidēs, mox audito uerbo Dei, cessauit ab occisione, tum pleraque alia exempla ex sacris scripturis desumpta, de angelorum obedientia, nisi perspicuum esset ex sacris literis ipsos Angelos hac potissimum uirtute commendatos, quod toti à Domino Deo suo pendeant, & omnia ad nutum eius faciant. Similiter si corporale cælum perspexerimus, omnia Domino Deo obsequi & obedire conspiciemus. Nimirum in cælo sunt sol, & luna, & stellæ, quæ suis funguntur officiis, & Deo obediunt: ut interim taceam, ea quæ sunt in aëre, qui & ipse cælum uocatur. Quid, quæso, in hoc cælo cerni potest, quod imperium Domini Dei sui detrectet? Iob. 9. cap. Qui præcipit soli, & non oritur, & stellæ claudit, quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Et 36. cap. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adueniat. Et sequenti capite: Qui præcipit niui, ut descēdat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ. Et, ut summam dicam, nihil est tam in spirituali quàm in corporali cælo, quod non modis omnibus Dei mandato obediat. Rogamus itaque hac petitione, ut nobis donet Deus suum spiritũ, qui in nobis efficiat, ut nos in hac terra, id est adhuc terrestres creaturæ ita promptè & expeditè obediamus uoluntati eius, quemadmodum obediunt illi creaturæ cælestes. Obserua: hæc collatio ostendit exigi à nobis non imperfectam, ac semiplenam, sed absolutam & perfectam obedientiam, quam pro hoc statu non habemus. Sufficit autem, quam pro nostro modulo habere possumus, habeamus, dolentes quòd illam non assequamur, propterea quòd adhuc in carne no-

Perfecta non est hic nostra obedientia.

Cæli aliud spirituale, aliud corporale.

Angelorum laus ab obedientia.

Eriam inanimata parent Deo.

stra sentimus reliquias primæ illius inobedientiæ, & conflictum illum spiritus aduersus carnem. Vnde cum Paulo clamamus, Non quod uolo, bonum, hoc ago: sed quòd odi, malum, id facio. Item, Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Rursum, 6. cap. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Hoc quibus dolet, ij demum hanc precatiunculam usurpare possunt, & hac meditatione seipsos exercere: Domine, cum eramus in cælo, id est, in paradiso, in primo parente, caro & inferiores potentie superiori obediebant, tibi que inferuebant. Sed ab illo extorres facti sumus, ad quem ne unquam pateret reditus Adamo, ante fores eius collocasti Cherubim, & gladium flammeum atque uersatilem. Inde contigit, quòd in terra terrestres, cum Adamo terrestri habitamus ob neglectam tuam uoluntatem, nihilque conspiciamus, præter calamitatum aceruos, bella, dissidia, & schismata in humano conuictu. Versamur inter rebelles in loco inobedientiæ, ubi Satan Dei aduersarius principatum inter inobedientes obtinet: ubi & diuinæ uoluntati contradicatur, & cum cælestibus spiritibus discrepatur. Hæc nobis utique dolent, ô Domine Deus, non secus atque ei dolet, qui inter rebelles in ciuitate defetrice ageret bonus ciuis, in qua tyrannus aliquis principatum contra legitimum illius principem obtineat. Quemadmodum enim is bonus ciuis toto pectore optat, ut abiectò tyranno, ciues ad obedientiam principi suo debitam redeant, & ubi diuersum fieri uidet, apud se, si nihil queat aliud, ingemiscit: Ita & nos Domine ingemiscimus, precantes ne aduersarij præualeant, sed per tuam gratiam nos ita tuo spiritu foueas, ut quomodo in cælo, regia tua ciuitate, ubi cælestes & spirituales sunt, & tibi summam exhibent obedientiam, ita tuo spiritu ducti, ueluti tui filij, in hac lachrymarum ualle tibi seruiamus, dicentes, Fiat uoluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Et quemadmodum in illa Ecclesia cælesti, de qua Apoc. 4. scribitur, maximus est consensus, & concors hierarchiæ, uoluntati tuæ summè obediētis: ita & in hac Ecclesia fiat, ut sint (quos Christus filius tuus ordinauit) uno ore & una benedictione laudantes te Dominum & Deum suum, eaque mente & uoluntate pergant tibi obsequi, sicut ipsos institui per Christum Dominum nostrum uoluisti, Paulo dicente Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autè prophetas, alios uerò Euāgelistas, alios autè pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij in ædificatione corporis Christi. Breuiter, intelligamus hanc dominicæ precationis particulam in hunc sensum, quem profectò Dominus saluator noster significare uoluit, nimirum nos hinc debere tam innocentem uiuere uitam, ut cum superis uideamur habere uitæ communem consuetudinem, & conuersationem cælis dignam. Atque ita uiuamus, faciamus, & loquamur omnia, ac si cæli iam incolæ essemus, & inter choros Angelicos contubernium haberemus. Hoc ut faciamus, rogemus patrem cælestem, cuius spiritu domabitur caro, & spirituales uiuemus.

## Panem.

Cum naturã appetant ea homines, quibus consistant, sint, & permaneant: intelligant etiam ea, quibus opus habent, non nisi patris bonitate sibi cõtingere, par est, & hæc ab ipso petere. Duobus autè constant homines, corpore & animo. Duplici ergo indigent cibo & pane, corporeo scilicet, & cælesti, & utroque non nisi à patris cælestis liberalitate petendo. Pauperes sumus & mendici, Deus autem diues in omnes. Itaque sicut mendici pro more habent, atque eò natura ipsos incitat, ut leuandæ inedię, & paupertatis gratia ad diuites confugiant, petituri panem: ita & nos longè egeniores, confugiamus, oportet, ad patrem nostrum omnium locupletissimum, qui per uiscera suæ misericordiæ nobis cibum suppeditabit copiosum. Nomine panis, non panis simpliciter ille triticeus, aut siligineus, quo uesci-

Inobediētia clausus paradus.

Dolent, qui boni sunt, homines illegitimo domino obsequi.

Membra corporis Christi hominis de cælo cælestis, cælestis uitam uiuã.

Nos pauperes, Deus diues.

Panis quid in sacris literis.



mur, & in uita corporali conseruamur, intelligitur, sed simul comprehenduntur omnia, quæ ad conseruandam nostram uitam corporalem commoda, utilia, atque necessaria sunt: eruditio, fama bona, uictus, annona, ualetudo, & huiusmodi, quorum mentio fit infra, Et hæc omnia adiciuntur uobis. Peculiaris est Hebræis hæc phrasus, ut panis uocabulo cibum omnem, & comæatum, edulium & annonam intelligant: & Augustinus sic ait, Per panem utique omnia intelligi uoluit scriptura (Genes. 29.) ad uictum pertinentia. Ita, 4. Reg. 6. in uerbis Elisæi legimus, Pone panem & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & uadant ad dominum suum. Vbi subiungitur, Apposita est eis ciborum magna præparatio. Sic Luc. 14. Ingressus est Iesus domum cuiusdam principis Pharisæorum, Sabbatho manducare panem, quod certè non debet ita intelligi, quasi panem tantum ibi manducauerit. Vnde quemadmodum (ut supra diximus) orantes, non debemus Deo præscribere modum, quo leuet nostram necessitatem: ita quoque cauendum est hoc loco, ne orantes cogitatione in aliquo ciborum genere hæreamus, quasi oporteat nos hoc, & non alio cibo ali, sed simpliciter petamus panem, hoc est, eam alimoniam, quam pater cælestis usui fore scit, & pro sua prouidentia singulis temporibus nobis assignauerit. Non enim in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. id est, in quacunque re, quæ ex ore, & uerbo Dei egreditur. Sunt, qui opinantur indignum esse hac tam spiritali oratione, petere uictum corpori necessarium, quem à suis parètibz accipiunt & gentes. Sed neque indecens, neque indignum hac, quamlibet cælesti, precatione, corporis alimoniam petere: cum pater ipse cælestis non ducat se indignum, uictum illum nobis suppeditare, imò postulet eius sollicitudinem sibi committi. Proculdubio non parua est pietatis portio, certa fide à patre cælesti hunc corporis uictum postulare, cum multos uideamus gastrimargos, cuticulam curantes, & uentris sollicitudinem habentes, obstaculo sibi esse, quò minus Christum sequantur. Non decet nos de uictu sollicitos esse, qui edocti sumus omnem craftini sollicitudinem abiicere, ac agnoscere patrem nostrum cælestem, tam diuitem, tam benignum, cui tantoperè curæ sumus, non commissurum, ut, quum passerulis etiam de uictu prospiciat, quum lilia agri tanto decore uestiat, nobis in filios cooptatis uictus, aut amictus à se petitus, à se expectatus, unquam desit. Iuxta quam sententiam ait Dauid psal. 33. Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. & Prouerb. 10. ait Salomon, Deum non occidere fame animam iusti: id quod perspicuum fit exemplis Eliæ, Helisæi, & Daniëlis prophetarum. Caue tamen, tibi persuadeas, Christum noluisse ut laboremus, quum ad laborandū conditi simus, quemadmodum aues ad uolandum: & Genes. 3. præcipitur, ut sudore uultus nostri uictum queramus. Sed uoluit his uerbis Christus, ne uictum sollicitudini nostræ acceptum feramus, magis autem Deo: qui si laboribus nostris suam benedictionem non addat, terra præter tribulos ac spinas nihil germinabit. Laborandum igitur est, ne Deum tentemus: & labores nostri benedictioni diuinæ committendi, ut benedictione repleamur. Quare cum sanctos patres Iacob, Genes. 28. Salomonem, 3. Reg. 8. & plerosque alios non puduerit uictui necessaria enixè à Deo orare, pium & sanctum ducemus, hac petitione cælesti orare pro uite huius necessariis. Rogabimus igitur hac petitione pro omnibus agricolis, & artificibus mechanicis: pro conseruatione pistorum, molitorum lignicidarum, latomorum, furnos apparantium, cocorum, & omnium, qui adminiculo sunt ad paranda uitæ necessaria. Sic, inquam orabimus: Non solum hunc panem da nobis, o pater, qui uitæ corporis est necessarius, uerum etiam da nobis panem uitæ æternæ, panem angelorum, panem supersubstantialem, qui animæ nostræ fulcit substantiam, conscientiam tranquillat, & confirmat. Hoc est, da nobis corpus Domini nostri Iesu Christi, ut tecum æternū uiuere mereamur. Hic est panis uiuus, qui de cælo descendit. Qui manducat hunc

Panem flagitans, caue, ne cogitatione in aliquo cibi genere fistas.

Petere uictum, non indigni precatione Dominica.

Sollicitudo de uictu, & c. prohibetur, non labor.

Benedictioni Dei non sollicitudini nostræ aut labori uictu non strictius debemus.

Panis, Corp Christi.

panem, uiuet in æternum. Da nobis hunc panem quotidie manducandū, ne peccatorū mole pressi, à Christi corpore separemur. Quotidie hoc pane indigemus. Quotidie peccatores sumus, propterea quotidie hic panis nobis in remissionem peccatorum nostrorum est necessarius. Aut per panem intelligimus meditationem diuinorum præceptorum, iuxta illud Ioannis. 6. Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Operari autem opus Dei patris nostri, & in mandatis eius ambulare, est credere in eum. Ioan. 6. quem misit ille, sermonesque eius seruare. Qui enim (inquit ille) habet præcepta mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit: qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipsum. Et hæc est charitas Dei ut eius præcepta seruemus, & præcepta eius grauiam non sunt. Aut panem, id est, intellectum diuini uerbi petimus, ut eo aliti & confirmati, ad illam perfectam absolutamque uitæ beatæ faturitatem peruenire mereamur.

## Nostrum.

Magnifica sua liberalitate hunc panem, nostrum facit. Non enim proprio iure noster est, quem scilicet nobis Deus debeat, sed quia nobis necessarius, & nobis à patre cælesti constitutus, qui suorum est sollicitus, & omnia ineffabili prouidentia pascit, ac regit uniuersa. Vnde clamat propheta psal. 103. Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore: dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Et psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. Aut cum nostrum dicimus, admonemur mutua charitatis, ut hunc dicamus nostrum, tanquam communem, & communi oratione impetratum, ac omnibus necessarium. Omnia enim, ait Chrysostomus, quæ nobis orantibus Dominus dat, siue militatibus, non nobis solum dat, sed & aliis per nos: ut de eo, quod percipimus à Deo, partem impotentibus faciamus. Hæc dum meditatur, meminimus communis nostræ miseria. Primò, quòd nisi cibo sustentemur, subsistere non possumus. Secundò, quòd è cælo facti exules, bestiis conferimur, terreno cum illis utentes pabulo. Deinde eandem explicamus his uerbis, nam rogantes, dicimus, da panem non meum, sed nostrum, non in nobis tantum, sed etiam in aliis eadem necessitate laborantibus, & eidem sorti obnoxii. Quæ in re diligenter duo obseruabis: unum, quòd omnes sumus communi necessitate pressi, & indigentes: alterum, quòd communis cibus nobis è paterna manu liberaliter est designatus. Nolim tamen ex his tibi persuadeas bonorum communicationem, & quandam ueluti κοινωσίαν institutam, tollens rerum proprietatem è medio, more Anabaptistarum, exemplum primæ Ecclesiæ prætexentium. Quibus certè nihil illa patrocinatur. Nam illa non sic bonorum communicationem habuit, ut nemo Christianus quicquam sibi retineret, sed uniuersa aliorum arbitrio dispensanda tribueret: cum ex Actibus apostolorum notum sit, matrem Marci domum habuisse. Similiter & coriarium illum, ad quem diuertit Petrus, cum domum tum merces possedisse. Et Petrum non tam acriter corripuisse Ananiam, quòd Ananias non potuisset seruasse & agrum, & pretium agri, sed quòd simularet se integrum pretium afferre, fraudis & mendacij gratia correptus est. Quare in illa Ecclesia non uidetur alia fuisse bonorum communicatio, quam quòd qui opulenti erant, prædia vendebant, ut collatione pecuniarum infirmis & pauperioribus (ne ad Iudaismum paupertate adaçti, & suorum ope destituti, redirent) succurreretur: adeò enim inter ipsos seruebat φιλαδελφία, ut singuli parati essent sua omnia pro fratrum salute etiam profundere, eò quòd corde essent uno, & anima una. Quòd autem Act. 4. cap. scribitur, nec quisquam

Panis, meditatio in diuinis præceptis

Ioan. 14.

1. Ioan. 5. Panis, intellectus uerbi diuini.

Panis quare noster.

Pabulum nobis commune est bestiis argumētum ingens miseriae nostræ.

In Anabaptistas, omnia esse communia uolentes.

In Ecclesia ueteri quomodo omnia communia.

Ananias quare correptus à Petro.



Null<sup>o</sup> in adole-  
scente Ec-  
clesia quic-  
quam suū di-  
cebat, et quo-  
modo.

eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia commu-  
nia: intelligendum & conferendū est cum uerbo incluso in ea autoritate, eorum,  
scilicet, quæ possidebant. En uides, possidebant quidem, sed tam feruens erat cha-  
ritas, & philadelphia inter eos, ut quæ possidebant, non minus aliorum (si qua ef-  
set succurrendi necessitas) quàm propriis usibus, impenderent: interea tamen ea  
possidebant & colebant. Huius possessionis meminit Paulus. 1. Corinth. 7. capit.  
Qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mūdo, tanquam non  
utantur. Possidebant colendo, utendo & dispensando: & non possidebant, cōmu-  
nicando largiter, & impertiendo egenis, adeo ut nemo inter illos esset egenus. Nō  
ergo hoc genus uitæ & communicationis rerum more Anabaptistarum instituit  
spiritus Christi, qui tamen acceptum habet pium cœnobarum & religiosorum  
communem conuictum. Proinde hac uoce, nostrum, reseculit quicquid superflue  
uoluptatis magis, quàm necessaria fuerit frugalitatis. Noster profectō panis est,  
quo commodè & necessariō ad piē uiuendum, atque fratribus in seruendum ali-  
mur, non ad lasciuiendum & miserè luxuriandum. Hęc obseruent auaritiæ dedi-  
ti, & inexplebiles uentres, solū suo uentri seruietes, omnia ad se rapientes, &  
cum aliorum dispendio grandes diuitiarum acruos coaceruantes. Itaque dicimus,  
Da panem nostrum, id est, aufer à nobis auaritiā, & curam uentris, ut à te om-  
nia bona expectemus, & auferamus.

### Super substantialem.

Græcis legitur *ἡμετέριον*, quod ad uerbum sonat superessentialē. Quidam uer-  
tunt super substantialem. Quidam, ut Symmachus, autore Hieronymo, egregiū  
siue eximium. Alij peculiare, nonnulli Mahar, quod craftinum reddunt, quem-  
admodum Hieronymus in Euangelio, quod appellatur Hebræorum, scriptum  
reperit. Nam & Græcis *ἡμετέριον*, craftina dies dicitur. Ad hunc enim modum usus  
est & Lucas, Act. 7. cap. *τῆς ἡμετέρας ἡμέρας*, id est, postero die. Non absimile  
indicat Augustinus sermone, 28. ut hic sit sensus, Quemadmodum patres, terreni  
prospiciunt liberis suis panem, quo corpus alatur, etiam in posterum diem: ita tu  
nobis prospice panem cœlestem, animi cibum, qui pater es cœlestis, & pater spiri-  
tuum. Obserua. Cū *ἡμετέριον* in compositione aliquando significat *ἀνελάθησον*, hoc  
est sequelam quandam continuam, & Græcis *ἡμετέριον* craftina dies dicitur: simi-  
liter Hebræis, craftinum frequenter idem, quod quotidianum sonat: rectè inter-  
pretantur *ἡμετέριον*, quotidianum. Similiter *ἡμετέριον* aliquando significat uel cum, uel  
ad, uel in, quasi dixerimus panem *ἡμετέριον*, id est cumcoexistentem, uel adstantē,  
uel inexistentem, quasi qui pertineat ad præsentem quenuis diem, id quod expli-  
camus, dicentes, panem quotidianum. Quare *ἡμετέριον* si pro essentia sumitur, & *ἡμετέριον*  
pro ad, iuxta uariam uoculā, panem, expositionē supra scriptam, dicitur *ἡμετέριον*  
quod essentia nostræ conueniat, ad nutriendum, & pascendum accommodum.  
Qui superessentialem legunt, arbitrātur hunc panem ob id sic dici, quod cœlestis  
sit, non terrenæ naturæ, de uerbo Dei intelligentes, ut *ἡμετέριον* sit idem atque supra,  
& *ἡμετέριον* essentialis?

### Da.

Hoc uerbo in primis ostendimus & confitemur Deum esse, à quo sustentatio  
uitæ omnium pēdet, quod is solus sit, qui omnibus det uictum, & omnes pascat.  
Psal. Qui dat escam omni carni. Item, Aperis manum tuam, & imple omne ani-  
mal benedictione. Deinde fatemur hanc uitæ sustentationem, liberale donum  
esse, sine spe lucri, pretij aut muneris. Quia bonorum nostrorum non eget Deus.  
Tertio, admonemur hoc uerbo agnoscere uniuersam nostram iudustriam à nobis  
tanquam à nobis nihil efficacæ habere, sed nos nostraque omnia à patris nostri be-  
nignitate ac liberalitate pendere: qui non uult nos in otio panem manducare, sed

labore, & sudore uultus nostri panem uesci. Nam tamesi Paulus plantans nihil sit, & Apollo rigans nihil sit, sed qui incrementum dat Deus, 1. Corinth. 3. tamen 2.  
Corinth. 9. Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præ-  
stabit, semen quidē dat, sed seminanti: incrementū dat, sed plantanti, & riganti,  
non dormitanti & otianti. 2. Thessal. 3. cap. Qui non laborat, non manducet. Fi-  
de itaq; erigamur, ita orantes, Da o pater cœlestis, liberaliter, qui es Deus uniuersorum:  
Quoniam tui sunt cœli, tua est terra, & plenitudo eius. Da, qui das escam  
omni carni, & imple omne animal benedictione. Da, non autem mutua, quod  
nihil habeamus, quo refarcire & restituere possimus, cū tua sint omnia. Da sim-  
pliciter, sine expectatione lucri, qui bonorum nostrorum non egēs. Da per mise-  
ricordjā tuam, ut Christi uita, uerba & facta omnia, cum passione & resurrectione  
ne ipsius, ubique prædicentur, agnoscantur, seruentur. Da, ut hæretica & impia  
dogmata abscondantur, & ut simplici, ac uno pane quotidiano uescamur, & ma-  
neamus concordēs in Christi uerbo. Excitat igitur hoc uerbū, Da, ad piē precan-  
dum, & subindicat, qualem fidem precantes habere debeamus, nimirum, quæ  
sentiat uerè illa omnia diuinitus dari.

### Nobis.

Docemur, quàm diligenter habenda sit fraternæ necessitatis ratio iuxta chari-  
tatis præscriptū: Cuius partes sunt, nō quæ sua tantū, sed & aliorum sunt, quæ-  
rere. Vnde hæc petitio non spectat ad auaros, sceneratores, fraudatores, rapaces,  
& uiolentos: sed ad pios, & uerè Christianos, qui philadelphi sunt, hoc est mutue  
& fraternæ charitatis affectu ducuntur. Vnde non dicit, da mihi solū, sed da no-  
bis inopibus & mendicis, qui olim filij iræ, nunc uerò per tuam gratiam filij tui su-  
mus, in quo uiuimus, mouemur, & sumus, qui alis, & pascis cuncta, quæ sub cœ-  
lo sunt, animantia. Da nobis filiis tuis, ad imaginem numinis tui creatis, & effi-  
ctis, panem nutritium, & uictui necessarium. Panem item uitæ aternæ, panem  
Angelorum super substantialem. Rursus, panem, id est, meditationē diuinorum  
præceptorum, & intellectum diuini uerbi, ut tecum uiuamus aternū.

### Hodie.

Hoc uerbo admonemur in primis anxiam uictus sollicitudinem auferre, simi-  
liter & curam craftini, & ut contenti simus præsentis beneficio Dei, ut huius peti-  
tionis hic sit sensus: Suppedita nobis panem quotidianum, parabilem, & qui com-  
modus sit alendo corpusculo. Panem, inquam, largire frugaliter, & necessaria re-  
fectionis, non autem lasciuiæ & superfluitatis. Exquisitas enim delicias non re-  
quirimus. Suppedita eum, qui nobis hodie sufficiat. Craftino enim die te rursus  
orabimus, certò apud nos statuentes, tibi nūquam deesse, unde nos alas, & abun-  
dè necessaria nobis prospicias. Huc pertinet præceptum Exod. 16. ne plus manna  
colligerent filij Israël, quàm Gomor. Itaque ut illi in diem uiuebant, ita & nobis  
uiuendum, id est sollicitudo craftinæ necessitatis anxia abiicienda est. Quando-  
quidem craftinus dies suam afferet curam. Deinde ignoramus, si craftino die su-  
peruicturi sumus. Quid igitur causæ poterit esse, cur craftinæ diei curam tam an-  
xiè recipiamus? Ad hæc quis tam magnis diuitiarū acruis oppletus, cui non fue-  
rit necessarium diuinitus accipere quotidie necessariam alimoniam ac uitæ susten-  
tationem? Quam nisi quotidie Deus suppeditaret, nihil certè commodi afferrent  
uniuersa promptuaria, etiam omnibus bonis refertissima, qualia parabat ille apud  
Lucam. 12. cap. dicens, Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, &c.  
Aduerte cū Christus iubeat nos petere, ut Deus det singulis diebus panem con-  
seruantem nos in uita, haud obscurè indicat, Deum promississe nobis se daturum  
quotidie parabilem uictum, qui nobis satis sit. Quare nihil causæ est, cur dare de-  
beas operam imposturis, furto, & prædæ, ut uiuas. Sed abiicienda sunt hæc omnia,

Dat Deus pa-  
nem suum,  
sed exigit la-  
borē nostrū.

Tenaces & si-  
bi solis ueluti  
nati, nō re-  
ctè orant ora-  
tionem Do-  
minicam.

uiuendū ho-  
die Christianis,  
& crafti-  
ni cura po-  
nenda.

Nihil possit  
bona, quāli-  
bet redundā-  
tia, sine Dei  
afflatu & fa-  
uore.



ut in primis quæras regnum Dei, & iustitiam eius, hoc est seruias legitimæ tuæ uocationi ex fide, & omnia quæ ad uictum necessaria fuerint, tibi adiiciuntur. Huc pertinet doctrina Pauli, dicētis, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, Similiter & oratio Sapientis, Proverb. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum uictui meo necessaria: Ne forte satiatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? Aut egestate compulsus, furer, & petierit nomen Dei mei. Obserua, uoculam, hodie, doctoribus Augustino, & Basilio magno, significare totum uitæ nostræ tempus, sicut & in epistola ad Hebr. 3. cap. Adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur. Ita &, da nobis uictum necessarium, donec hodie cognominatur, id est, quandiu hic uiuimus. Aduerte, facile esse, idque non contemnendum, à pane hoc corporali anagogen facere. Quod fiet, si per panem intellexeris spiritum, quo uegetemur ad sanctificandum nomen Dei, & ut regnum eius, hoc est, Euangeliū apud nos primas habeat, ac sic obtineat, ut uoluntatem eius faciamus.

## Et dimitte nobis debita nostra.

Sanctus ille simul & doctus Cyprianus, hunc locum interpretans, ait, Post subsidium cibi petitur & uenia delicti, ut qui à Deo pacitur, in Deo uiuat, nec tantum præsentis, & temporali uitæ, sed & eternæ consulatur. Precamur igitur in hac precatone pro omnibus, quæ necessaria sunt ad obrinendam, & conseruandam uitam spiritualem, & perpetuam. Quid, quæso, profuerit uita hæc corporalis, si post hanc uitam nobis perpetuo percundum esset? Ad hanc itaque uitam spiritualem necessaria est remissio peccatorum, ut pater cælestis dimittat nobis debita nostra: nec respiciat, quàm turpiter abusi sumus muneribus, quibus nos abundantissimè cumulauit. Nec prospiciat ingratitude nostram pro rezeptis ab eo bonis, ne propter illam, eadem nobis negare, & subtrahere pergat. Et ne inflammatus ira & indignatione, nos corripiat, sicut abundè meruimus: sed nobis clementer ignoscat, quanquam nos qui Christiani sumus, & ipsius filij uocamur, non ita uiuimus, ut debemus. Porrò hæc uerba ostendunt quàm uerum sit, quod per Ezechielem, 18. cap. dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed magis, ut conuertatur & uiuat. Quæ uerba nihil aliud spirant, quàm nostri conuersionem à peccato ad Deum, & reditorem à morte ad uitam. Similiter ostendunt, quanta sit Dei in nos humanitas, & quàm fructuosus sit Christi aduentus ad nos; dum quicquid de eo legimus, aut ab eo audimus, sit ad nostri medelam. Adeò enim corrupti sumus, ut omnino eius opera indigeamus, sine qua perimus, & de nobis prorsus actum esse cognoscimus. Quemadmodum enim quæ in pharmacopolarum, & chirurgorum officinis conspiciuntur, antidota sunt, & medelæ aduersus omnes corporis infirmitates: ita quæ in Christo & à Christo nobis proponuntur, pharmaca sunt aduersus omnes animi morbos. Baptismum dedit, medelam ad tollendum originale, & si quod est aliud peccatum. Post quæ, si, ut sæpè fit, peccauerimus, ne animos despondeamus, & in Nouatianorum, respicientiam negatium, hæresim incidamus, antidotum aduersus peccatum & relapsum adfert, docens orandum esse, Dimitte nobis debita nostra. Quibus uerbis pollicetur relapsis & pœnitentibus respicientiam. Hæc enim oratio, & similis in uoto habet sacramentum pœnitentiæ, seu uoluntatem petendi beneficium absolutionis à ministro, iuxta uerbum Christi Ioan. 20. Hæc ut intelligamus, primò dicemus, quid nomine debiti intelligitur: secundò, quid uerbo dimittendi significatur. Varium reperitur in scripturis debiti genus. Quoddam est debitum, quo Deo debitores sumus: cuiusmodi est dilectio, & obedientia, debemus enim Deo dilectione, & obedientiam ex toto corde, animo, mente & uniuersis uiribus. Hac petitione non ita oramus, perinde atque huius debiti nolimus amplius debitores esse. Nam si illam,

Hodie, omne uitæ tempus significat.

Panis anagogicè quid.

Vita corporalis sine spiritali, mors.

Quàm necessarius nobis Christus.

Quæ remitti nobis postulamus peccata nostra, pœnitentiam profiteamur.

Debitum nostrum, multiplex.

doctore Paulo Roma. 10. semper proximo debeamus, quantò magis Deo, cui uocati sumus, imò nos nostræque omnia debemus? Est aliud debiti genus, peccatū scilicet, non quòd debeamus peccatum, sed quòd peccatū nos debitores constituit, & Deo odibiles reddit: hoc est, propter peccatum seu transgressionem debitores sumus diuinæ iustitiæ, siue, propter peccatum ultio & pœna pro satisfactione nobis patientia toleranda est, nisi per gratiam Dei remittatur, quòd nunquam ex nobis tantquam ex nobis satisfacere possumus. Sumus igitur hoc modo debitores, hoc est culpabiles, & debitis pœnis obnoxij. Vnde hæc petitio exigit, ut uerè agnoscamus nos esse peccatores. 1. Ioan. 1. cap. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Tamen enim nonnullis forsitan detur, ut coram humano iudicio sint irreprehensibiles, corā diuino tamē nemo purus, & insonis (paucis exceptis). Psal. 142. Nō intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens. Nec putauerim satis esse uiro Christiano & pio, si simpliciter in genere se peccatorem cum aliis esse confiteatur. Profectò habenda est ea uitæ & delictorum ratio, ut peccata peculiaria, certa, & singularia, quantum nobis licet, obseruemus, & illorum remissionē petamus, ut singulis cicatricibus, singulares, & particulares adhibeantur medelæ, & malagmata. Plerosque inuenias, qui ingenuè fateantur se peccatores esse, sed qui ubi deliquerunt, egregiè sibi blandiantur, ac hoc solum fateantur, ut dicat, se quidem esse miserios peccatores, interim tamen nihil in conscientis suis dolentes de commissis, imò ne ab ipsis quidem abstinentes, quibus iram Dei grauitèr prouocant. Habenda est certè uera peccatorum agnitio & confessio cum gemitu & dolore tam grauis offensæ, hoc est, cum sui humiliatione & contritione, cūque proposito confitendi, & obrinendi beneficiū absolutionis à ministro. Secundo loco dicamus, quid uerbo dimittendi significatur. Verbum dimittere hoc loco, sicut & apud Lucam, 6. cap. Dimitte, & dimittemini, accipitur pro remittere. Cū enim in peccatis nascamur, & frequentius peccemus, necessaria est peccatorum remissio ad perpetuam uitæ acquisitionem. Nam, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et, Beatus uir, cui nō imputauit Dominus peccatum. In hoc uerbo includitur mors Christi & resurrectio. Nam cū Paulus ad Hebr. 9. cap. dicat, Sine sanguinis effusione non fit remissio, necessaria est sanguinis effusio, hoc est mors agni, non bruti, sed uiuentis, immaculati & incontaminati, id est Christi, qui in sanguine proprio intrauit semel in sancta, id est, in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis, ad destructionem peccati. Hoc non poterat neque potest purus homo, qui caro est, & non nisi carnem ex se generans: reddere enim non poterat homini Deum, quem neque habebat, neque sua uirtute mereri poterat, ut qui totus in iustitia sordesceret. Necessarius est igitur homo Deus, & Deus homo, hoc est Christus, ut remittantur nobis peccata. Solus Christus est qui peccatum mundi expiauit. Solus Christus est, in quo pater sibi complacet. Solus Christus est, in cuius manu Pater omnia dedit. Est igitur mediator, redemptionis, per quem nobis est ad patrem accessus. Ergo necessaria est fides in Christum. Qui enim non credit in Christum, nihil illi prodest Christus, nec consequitur peccatorum remissionem. Hæc est fides illa uiua, quæ per charitatem operatur: habens in se uim & energiam mortis & resurrectionis Christi, quæ & ego abluor, & mundor à peccato. Quomodo uerò hoc fit? Cū ex animo adhæreo promissis & misericordiæ Christi, ac ipsi me consecro, tūc abnego meipsum, renuncians ueteri homini, & peccato: hoc faciens, morior ipsi peccato, secutus Christum, qui, quem admodum in cruce moriens, exiit omnem infirmitatem ab Adamo acceptam, & resurrexit gloriosus: ita & ego abnegans meipsum, & renuncians peccato, odi peccatum propter Christum. Tunc sanguis Christi, id est, uiua fides, quæ uices mortis Christi gerit, abluor omnem meam sordiciem, & commorior Christo, exuens

Charitatis & obedientiæ semper debitores sumus. Peccatū quo modo debitum.

Verè Christiano etiam singularia, & singulariter, peccata obseruanda.

Dimittere uerbum.

Nō nisi morte Christi remittitur peccata.

Christus unus, nobis salus.

Ablutio à peccato quomodo fit.



ueterem hominem. Et sicut à morte resurrexit Christus, ita & qui commorior Christo, resurgo, id est, donor noua uita, & gratia, sióque noua creatura in Christo. In quem fiducia, tranquillam pacatámque reddit consciéntiam meam, ut iam intelligam patrem mihi placatum propter Christum, cui me totum confesco, ac dedo. Roma. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum. Quare in hac petitione rogamus, ut Christus nobis innotescat, & detur nobis donum fidei in Christum per Spiritum sanctum. Ad hæc necessaria est Euāgelij prædicatio, & non est contemnendus sacramentorū usus, quibus ueluti mediis Christus suā impartit gratiam & peccatorum remissionem iuxta uerbum suum, Ioan. 20. Quorum remissionis peccata, remittuntur eis, &c. Obserua: hoc præceptum Christi, quo iubemur inuocare Deum, ualeat ad tollendum tentationem, qua nobis offertur indignitas nostra, semper obstrepens ac deterrens nos à Deo, ut trepiduli fugiamus Deum, tanquam qui propter nostram indignitatem non est exauditurus nos. Sed cum iubeat Christus, ut petamus, huic profectò parendum est, & cum fiducia inuocandum est. Sit autem mens intenta, de remissione peccatorum diligenter cogitet, & de mediatore Christo simul & recordetur expressas promissiones de remissione peccatorum. Ezechiel. 18. Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor, &c. 1. Ioan. 1. Si confitebimur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Oramus ergo, ò bone pater, erige nostras conscientias iam nunc & in finem uitæ nostræ, quæ conspectu peccatorum nostrorum & metu iudicij tui, grauiter conterrètur. Fac corda nostra tranquilla & quieta, ut iudicium tuum possumus expectare: nec permittas nos in desperationem ob peccata admissa incidere. Sed fac, ut sentiamus, longè ampliorem, maiorem, & firmiorem tuam esse misericordiam, ualidiorémque ad nos saluandos, quàm nostram male actam uitam ad perdendum nos. Compefce horrendum illum calumniatorem & accusatorem nostræ uitæ Satanam iam, & tum cum mors imminebit, & in omnibus aliis conscientia angoribus. Aufer à nobis Domine graue onus peccatorum & conscientia, ut ea læta, & confirmata spe misericordia tua, & uiuere, & mori tibi, & facere, & pati propter te omnia possimus. Obserua uoculam nobis, qua insinuat fraterna & mutua charitas, ut non minori ardore ac deuotione petamus proximis nostris sua delicta ignosci, quàm nobis nostra condonari postulamus. Hic seruo charitatis in Paulo uiguit, Rom. 9. Veritatem (inquit) dico in Christo Iesu, non mētor, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlita. Et Moses eodem spiritu orauit, Exod. 32. Obsecro (inquit) Domine, peccauit populus iste peccatum maximum: aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro, quem scripsisti, amen. Obserua Christum his uerbis aperire, quàm facilis sit uia remissionem peccatorum consequendi: quòd hanc iubeat postulari à Deo, tanquam patre nostro: cuius proprium est, filiorum ad penitentiam reuertentium misereri, ac ipsis parcere. Quod aperte insinuauit in parabola de filio prodigo, Luc. 15. Et Dauid, psal. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuam. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur, ut aquilæ, iuuentus tua.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hæc appendix uicè similitudinis posita est, qua exigitur à nobis, ut ueniam deamus in nos peccantibus. Christiana enim philosophia seu Euangelium docet nos de quadam spiritali, & æterna iustitia in corde, quæ inter alia postulet, ut si uelimus nobis à Deo peccata dimitti, fratribus quoque in nos peccantibus offensam

Iustitiæ Christianæ est, fratri ex animo remittere.

preceatur Christianus non uni sibi, sed omnibus quoque gratiam peccatorum.

Venia peccatorum facillime impetratur.

ex corde non ficto remittamus. Quòd alioqui cor, aut ira aut uindictæ cupiditate æstuans, iustitiæ spiritualis capax omnino non sit. Sunt usque ad eò nonnulli corrupto & inuerso ingenio, solo nomine Christiani, quibus uidetur uix posse fieri, ut homo ex perfecto corde capitali hosti & malefactori offensam dimittat. Sed hos per mansuetudinem & bonitatem Christi rogo, ut incipiant fieri Christiani, discentes, hunc, remittendi offensam proximo, affectum, non ex nobis solis esse, sed à Deo peti etiam oportere. Secundò addiscant nihil laboris esse petenti fratri condonare errata. Nam inuidia liberari, liuoris iracundiaque sollicitudine leuari, magnam reddit menti nostræ quietem, & pacatam facit conscientiam. Alioqui inuidia moueri, & odio fratris agitari, magnum tormentum est, quo maius non inuenere Sicilenses tyranni. Proinde natura comparatum est, ut filij parentes tenerant. Ergo si filij Dei esse uolumus, necesse est, ut sicut ille inimicos dilexit, & pro ipsis orauit, imò & mortuus est, inimicos etiam diligamus. Perspicuum est, quàm magnum sit de diligendis inimicis præceptum, & quantum caro huic modis omnibus repugnet aduerseturque. Sed si præmiū spectaueris, quod illi à Christo paratū est, mox inimicitias in amicitia uertes, iniuriarum immemor: Ioan. 2. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Ad hæc paulisper apud te cogita, quàm non parua Domino facias in conditione proposita adimplenda, profectò pudebit te, hic ullam difficultatem causari. Nam Deus qui neque tua, neque ullius opera indiget, à te grauius offensus, tibi gratis ignoscit, ipse ab omni peccato prorsus extraneus. Tu uerò, qui proximo dimittis, ipse quoque remissione indiges, nimirum etiam peccatorum erga Deum reus, & fortè maiorum, quàm tuus proximus, cui dimittere iuberis. hoc præceptum scribitur superiore 5. capite, Diligite inimicos uestros, &c. de quo copiosè scripsimus. Taceant igitur charitatis osiores, & nomine Christiano indigni, dicentes, Quid ad me attinet, inimico parcere, ego illius opera non indigeo. En Deus, qui tua non indiget opera, tamen gratis peccata tua delet, & condonat. Rogabis fortasse. Si quis adhuc eam imperfectionem habeat in animo suo, & eandem sentiat, qua proximo noxam statim remittere posse sibi non uideatur: An is desistere teneatur ab hac precandi formula, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c? Respondeo: non parum refert, imò magna est differentia, an quis eum affectum remittendi noxam, non habeat, imò ne habere quidem affectet, sed magis eo liuore intabescere, ac potius mori eligat, quàm uindictæ deponere libidinem. Hic enim pessimè agit, si orationem Dominicam cum hoc affectu recenset: hypocrita est, & indignus omnino, qui exaudiatur. Ille uerò, qui etsi non habet pium illum affectum remittendi noxam, affectat tamen, ut habeat, & à Deo petit, ut habeat: licet, & piè orationem Dominicam integram recenset, dum modò in animo reuoluat, ut affectet & petat à Deo hunc pium affectum condonandi proximo: quoniam caro aduersus hos affectus ex diametro pugnat. Huc pertinet, quod scribitur, Marc. 9. cap. ubi cum uacillaret, & satis infirma esset fides illius, cuius filius à dæmone possessus, præceps in ignem mittebatur, dixit Christus illi filium offerenti, Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Videns pater se infirmam habere fidem, statim exclamauit, Credo Domine: adiuua incredulitatem meam. Hunc iuuit Christus. En nides hunc patrem: agnoscens enim quàm infirmus esset in fide, petiit, ut auferretur à se incredulitas, credendique difficultas, & exauditus est. Hunc igitur bonum affectum petamus à Deo, qui dat spiritum suum petentibus se, Luc. 11. cap. Alioqui non exaudiemur. huc pertinent auctoritates illæ, Dimitte & dimittecur uobis. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur uobis. Hoc ipsum mirabile parabolam declarauit, infra, 18. cap. De seruo, qui noluit misereri conserui sui, qui & propterea iustus est tradi tortoribus, quoadusque redderet uniuersum debitum. Vbi post enarratam parabolam, similitudinis partem addit: Sic & pater uester cœ-

Aduersus iram & odij tenaces, & iniuriarum acceptarum memores.

Inuidia & odium grande sibi ipsi tormentum.

Ingens præmiū paratum diligentibus inimicos.

An qui non ignoscit proximo, rectè oret orationem Dominicam.

Deus affectu pietatis piè petentibus non negat.



lestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris. Deinde obseruandum est, Christum per hæc uerba non iubere, ut pecuniam mutuo datam, debitoribus remittamus, quod & quidam fallaciter interpretati sunt, prætextu illius loci à Christo pronunciati, Mutuum date, nihil inde sperantes. Mutuum date (aiunt) nihil inde, id est, postea, sperantes uos aliquid accepturos. Cùm scopus Christi, locum illum narratis, fuerit, ut iuxta philosophiam Christianam, mutuum exerceamus beneficentiam. Mutuum date, nihil inde, id est, ex ui mutui, sperantes, nec quicquam accipientes: nisi uelimus in pessimum illud scœnoris, & usuræ peccatum incidere: neque his uerbis prohibet rem nostram legitimo iure repetere, qui eò ordinauit imperia seu iudicia terrena, quæ sunt ordinationes Dei. Quòd si obieceris auctoritatem, Ei qui uult tecum in iudicio contendere, &c. Vide quæ in eum locum suprâ, 5. cap. scripsimus. Neque his uerbis uetat publicos latrones, homicidas, adulteros, & id genus reipublicæ pestes iure publico accusari, ac etiam puniri. Multò minus iubet, ut temerè ipsis commissum ignoscamus, aut ad ipsorum scelera conuiueamus. Nec prohibet etiam, quominus magistratus auxilium ad propellendam uim priuatam imploremus. Sunt certè magistratus à Domino ordinati, Roma. 13. cap. De his copiosius scripsi suprâ, 5. cap. Obserua hanc petitionem admonere nos, ut non solum dilectionem Deo, sed etiam proximo exhibeamus. Aduerte: non desunt, qui hunc locum iuxta conditionem interpretentur. Magis mihi arridet, si secundum similitudinem accipiatur, ut ex Luca explicatius significatum uidetur. Sentit enim alterum fieri inter filios cœlestis patris: alterum rogat, ut fiat. Neque enim illi rogant, ut uicissim inter sese sibi dent ueniam, quod in ipsis situm est: sed quemadmodum ipsi inter sese mutuis erratis ignoscunt, ut facere par est inter eiusdem familiæ filios, ita sit & ille propitius pater, nec ulcisci uelit, si quid fortè aduersus eum deliquerunt.

## Et ne nos inducas in tentationem.

Audita uoce tentationem, uidemur clangentia classica, & tubas ad arma sumenda audire: cum hoste infensissimo & hostilissimo, congregiendum: uitam nostram nihil aliud esse, quàm militiam super terram, Iob. 7. cap. Cùm interim tam imbecillis sit natura nostra, & tam potentes habeamus hostes, qui nobis nunquam non imminēt. Quorum primus est Caro, hostis domesticus, intra tecta parietisque domus nostræ conclusus, qui nec totus, quandiu in hoc mortis tabernaculo sumus, excludi potest, tantò periculosior, quantò magis intimus. Semper enim responsat, turget, repugnat, resistit, cuertit, domat, uicta susurrat, nūquam se uictam fatetur: simulat, adulatur, insidiatur, nunquam non superbiens: magna & delectabilia pollicetur, quæ tamen solum interitum spirant. Alter familiaris admodum est, ac uicinus, nos undique circumstans, Mundus scilicet, interim ut fallat blandiens, interim ut cuertat, minitans, ac ferociens. Alius est insignis inimicus & aduersarius Satanas, omnis maliciæ autor diabolus, & irrequietus spiritus, qui quouis momento salutis nostræ insidiatur, & quoquomodo possit, nos ad impietatem, ad peccata, ad perditionē impellit. Circumit enim, ait Petrus, 1. Petri 5. tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, tanto formidabilior, quāto occultior, uersutia ac malitia insignis, tantæ in segnes & oscitantes potentia, ut non sit super terram potestas, quæ ei comparetur, Iob. 41. Hic aduersarius uetus est. Sex enim penè milia annorum complentur, ex quo hominem impugnat. Omnia iam genera tentandi, & insidias atque arreis deiiciendi usu ipso uetustatis didicit, & edoctus carnem fragilem esse, ad malum procliuem, & mundi amantem, mentemque nostram ueluti captiuam in corpore mortis huius detineri, suggerit carni corporeæ uoluptatis cupidinem ac illecebras: imò quicquid nobis in hoc seculo acciderit, siue prosperum, siue aduersum, siue lætum, siue triste, siue sanctū,

Repetere æs mutuo datū licet.

Sentes plectē di.

Iure agendū aduersum noxios.

In armis & prociectu nobis semper standum.

Caro, qualis nobis hostis.

Mundus.

Satanas.

Omnia rapit Satan in occasionem tentandi.

siue profanum, siue uita, siue mors, hoc arripit Satan pro instrumento, quo nos tenter, atque ad peccandum sollicitet. Paradigma. Si cui accidunt diuitiæ, ecce præstò est Satan, & sollicitat hominem occasione diuitiarum ad contemptum Dei & proximi, scilicet ut neque Dei, neque proximi diues recorderetur. Si cui acciderit paupertas, sollicitat eum Satan ad imposturas, ad periuriam, ad furta & rapinas. Si quis afficitur honore, Satan iubet eum elato esse animo, & nemini obsequi & seruire. Si quis afficitur ignominia, sollicitatur à Satana ad execrationes & desperationes. Si quis iuuenis est, sollicitatur ad sectanda iuuenilia desyderia, & ad negligendam rationem salutis, donec senectus aduenerit. Si quis senex est, sollicitatur ad sectandam avaritiam. Si quis sanus fuerit, & iucundam duxerit uitā, sollicitatur ad carnalem securitatem, & contēptum uerbi Dei. Si mors imminet, sollicitatur ad desperationem. Et ut in summa dicam, nihil tam arduum, nihil tam pium, & humile fuerit, quicquid nobis acciderit, quin illud pro instrumento arripiat Satan ad tentandum nos, & sollicitandum ad impietate & peccata, quæ compediaria uia nos ad perpetuum interitū ducunt. Quæso, quis hæc contemplatus, de se possit esse securus? Quis propria uirtuti fidere audebit, qui intellexerit, quàm tota hæc uita undique diaboli laqueis plena sit? quàm non cesser tētator ille, qui nec ueritus est & filium Dei Iesum technis suis aggredi? Deinde qui secum reputet, quot Satanæ machinis impetitus sit seruus Dei Iob? Qui recorderetur Saulem prius electum, post eiectū à cōspectu Dei? 1. Reg. 10. Qui meminerit Dauid appellatū in scripturis, 1. Reg. 15. 16. uirum secundū cor Dei, eò turpitudinis pertractū, ut adulterium homicidio copularet? 2. Reg. 11. Qui uideat Salomonem, cui Deus in principio regni sapientiam dederat, 3. Reg. 3. ultra omnes homines, eò demētiæ perductū, 3. Reg. 11. ut peregrinis simulacris immolaret? Cui ueniat in mentem, quid acciderit apostolorum principi Petro, qui constantem ac fortem usque ad mortis discrimen animum professus, ter Dominum suum abnegauit? Matt. 26. Marc. 14. Hæc atque huiusmodi multa qui considerat, is certè non potest nō inhorrescere, ac formidare tentationis periculum, & humiliare se sub potenti manu Dei, id quod hoc loco iubet Christus ut faciamus, excitans animos nostros ad fiduciam certam erga patrem, paratum auxiliari, ut nos à tentatione (ubi opem eius implorauerimus) eripiat. Quod non tacuit Paulus, 1. Corinth. 10. Fidelis (inquit) Deus, qui nō patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiā cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Cùm itaque hæc uita nostra sit militia quædam perpetua super terram, & in multiplicibus tentationibus & obstaculis traducenda sit, & in ea undique oppugnemur, ac uariis remoris impediatur, & non tantum externè à mundo & diabolo, sed internè quoque à nostra ipsorum carne sæuissimis stimulis impetatur, ita, ut non uiuamus, quemadmodum decet & exigitur: Cùmque ne uno quidē die in tot periculis ac tentationibus queamus consistere, oremus iuxta Christi præscriptum, sequamurque Pauli consilium ad Ephes. 6. cap. De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius: induite uos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti lorica iustitia, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extingueri. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei, per omnem orationē & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Hæc sunt arma, hoc est remedium ad uincendum Satanam: quem non uereberis tanto Christi præsidio adiutus, dicens cum Dauide psal. 17. Quoniam in te eripiar à tentatione. Et psal. 56. In

Securitate nemo sibi in hoc seculo polliceatur.

Exempla inconstantia ueterū sanctorum.

Tentationis periculū omnibus formidabile.

Quib⁹ armis munit Paulus Christianos.



Deo faciemus uirtutem, & ipse ad nihilum deducet omnes tribulantes nos. Piorum consolatio est, quod diabolus accepit quidem tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi (ait Ambrosius) nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi consilium non nouit accerere. A deo diaboli inuidētia, & omnes eius machinæ nihil sunt, nisi euanida & phantastica apparitio, sibilus & susurrus, quem facile uiceris, si in fide restiteris. Debilis est hostis (ait Gregorius) non potest uincere nisi uolentem. Vinci autem uult, qui negligit resistere, quoniam superfederet se humiliare & orare. Ergo quum tentator uana & praua suggerit, timeamus, recolentes nostram infirmitatem: oremus Deum, ut sensus nostros custodiat, ne suggestio pariat delectationem, delectatio consensum, consensus peccatum, peccatum autem mortem. Quod si in formidine & hac nostri abiectione ad Deum confugerimus, Satanam uicerimus. Diuus Athanasius in *Quæstionibus*, quæst. 15. testatur plures sanctos expertos esse, hunc psalmum 67. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius, maximo terrori diabolis esse. Haftenus de triplici hoste. Nunc aperiedum est, quid uerbum Tentare significet. Tentatio Hebraeis non modò probationem quandam significat, uerùm etiam afflictionem & uexationem. Simpliciter & in genere Tētare significat periculum facere, seu experimentum de aliquo sumere. Vnde tentare Deum, nihil aliud est, quàm Dei uerbis seu promissis nolle simpliciter credere, aut fidere, sed uelle facere periculū, aut experiri nū uerū sit, quod Deus uerbo suo proposuit, aut futurū pollicitus est, uel è cōtrario uelle experiri aliquid cōtra legem naturæ inditam, ubi nec Deus id, ut fiat, præceperit, nec extrema necessitas huc coegerit. Quod est Deum irritare, exasperare, & contemnere. Quemadmodum Act. 15. Petrus ait, Cur tentatis Dominū, ut imponatis iugum, &c? Quasi diceret cur exasperatis, & irritatis, & cōtemnitis Dominum, cū nondum credatis nos iustificari per fidem in Christum Iesum, quemadmodum ipse docuit, sed magis caeremoniis Iudaicis? Deus tentare dicitur, ut probet seu exploret fidem nostram, non quasi nescius mentium humanarum, sed ut nos nobis ipsi ostendat, ac mundo reddat manifestos. Nam sunt non pauci, qui se non mediocriter, sed plurimum promouisse in Christianismo arbitrantur, persuadentes sibi quod toti pendeant à Christo, & toto corde ipsi adhæreant, idque priusquam suæ fidei periculum aliquod fecerint. Sed cū ad ueritatis procellę imminent, tum demum re ipsa conperiunt, quàm longè absint à perfectione iustitiæ. Qui ob id tentantur, ut sibi cogniti fiant, utque erudiantur, instruantur, ac probentur. Qui uerò iam re uera pij sunt, hi ut manifestentur, glorificenturque, à Domino tentari perhibentur: sicut scriptum est Ecclesiastici, 17. Vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Sic Deus Abraham multarum gentium patrem Gene. 22. in filio tentauit, & honorauit: sic sanctos Apostolos, sic inuidiosissimos martyres igni & ferro, infinitisque tormentorum generibus coronauit. Dei ergo tentatio, probatio est, non ad malum excitans, sed ad bonum conseruans, & perficiens. Deus enim intentator malorum est, Iacobi. 1. cap. hoc est Deus non est mali suggestor, qui est autor omnis boni. Diabolus quomodo & cur tentat. Deus an inducat in tentationem.

Licet Satanæ inuitos nos tentare, uincere nō licet.

Psalmus 67. maximo terrori diabolis est. Tentare uerbum. Tentatio quid Hebraeis.

Tētare Deū.

Deus quomodo nos tentat.

Deus tentat uel tentari finit tam perfectos quam imperfectos.

Diabolus quomodo & cur tentat. Deus an inducat in tentationem.

ut labamur: sed ut ne permittat nos induci in tentationem. Induci autem in tentationem significat, non tantum tentari, sed tentatione penitus immergi, assentiri, ac à tentatione superari. Quemadmodum Pharaoni impiissimo tyranno contigit, ac passim omnibus accidit, qui à concupiscentia sua illecti & abstracti, peccati uinculis collum submitunt, tētationique succumbunt: hoc ut non fiat oramus, dicentes, Et ne nos inducas in tentationem. Quasi diceremus, Oramus te, o bone pater, ad sis nobis tua gratia, ut domare carnalem libidinem possimus: ut crapulam, ebrietatem, nimium somnum, ignauiam, & otium (quibus accendi solet caro) caueamus: ut item ieiuniis, modico cibo, uestitu, item lecto non molliore, uigiliis & laboribus apti ad bona opera reddamur. Ad sis nobis, ut innatam illam uim ad libidinem, item concupiscentiam & omnia alia incitamenta uoluptatis, cruci Christi affigere, & mortificare, eisque resistere possimus. Aufer à nobis auaritiam, & studium cumularum opum: aufer studium gloriæ, & potentiae: item ambitionem. Fac ne mundi malitia nos ad impatientiam, uindictam, iram, aliaque uitia prouocet. Fac ut mundi mendacia, dolos, promissa, infidelitatem, ingratitude, cum omnibus aliis siue bonis siue malis, contemnamus (id quod in baptismo quoque uouimus) & ut in hac mēte perduremus, & subinde crescāmus. Aufer à nobis Satanæ tentamentum, ne in superbiam, & in nostri admirationem prolabamur, alios autem contemnamus, elati uel opibus, uel nobilitate generis, uel potentia, uel eruditione, uel forma, uel aliis donis tuis. Aufer grauem fidei tētationem, ne uel iam, uel in morte nostra in desperationem incidamus. Rogamus te cælestis pater, ut omnium illorum agas curam, qui cum grauibus & magnis tētationibus consistunt. Si qui adhuc consistunt, illos cōfirma: eos autem qui succubuerunt, erige. Tua gratia nos omnis defendat in hac calamitosa uita, quæ tot periculis, tot acerrimis hostibus est exposita, ut (sicut decet Christianos milites) uiua fide fortiter dimicemus, carnem domemus, mundum cum omnibus suis studiis contemnamus, Satanæ dolos eludamus ac superemus. Et ubi tempus appetuerit ex hac uita migrandi, clemētem ac salutiferam horulam ad hunc in manus tuas spiritum deponendum, concedas, & tecum uiuamus æternum. Obserua, quod non docemur orare ne tentemur, sed ne in tentationem inducamur, hoc est ne à tentatione uincamur. Nam prodest aliquando tentari, quod saluti nostræ sæpè conducat, nempe ut infirmitatis nostræ nobis conscij facti, neque superbiamus, neque ueluti securi in utramque aurem obdormiamus, sed magis in humilitatis, ac uirtutum profectu conseruemur, ac in timore Dei nostram salutem uigiles operemur. Quod de beato Paulo relucet, qui, 2. Corinth. 12. de seipso loquens, ait, Ne magnitudo reuelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogauit, ut discederet à me: Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam uirtus in infirmitate perficitur. Valer & tentatio, quod præparet ad uictoriam, & coronam. Si enim nullus esset hostis, nulla esset pugna. Si nulla pugna, nulla esset uictoria. Si nulla esset uictoria, nulla esset corona. Quemadmodū docet Paulus, 2. Timoth. 2. Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Nimirum quod soli uincenti promissa sit corona uitæ, Apocal. 2. Et ut Iacobus. 1. cap. testatur, Beatus uir, qui suffert tētationē, quoniam cū probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hæc cū ita se habeant, nemo ob id pusillo, & deiecto animo esse debet, quod tentatione agitetur: nec putare se propterea Deo exosum, multominus à Deo derelictum esse, quin potius hinc statuere ac indicare debet, se Deo curæ esse. Quem enim diligit filium pater, castigat. Et manifestum sanè est argumentum, nondum esse illum in hostis potestate, quem is adhuc acriter impugnat. Huc pertinet, quod scribit Iacobus. 1. cap. Omne gaudium existimate fratres mei, cū in tētationes uarias incidieritis, scientes, quod probatio fidei uestræ patientiam operatur: patiē-

Nobis prodest tentari.

Tentatio parat coronam.

Tentatio nō parum spei adducit electis.



tia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Obserua hanc preculam subindicare, Satanam tentatorem nihil effecturum contra nos, nisi fuerit illi diuinitus concessum. Exemplo erit Iob, aduersus quem nihil potuit Satanus, nisi quantum à Deo permittebatur. Sunt enim omnia piorum, etiam capitis capilli, patri cœlesti in numerato.

Sed libera nos à malo.

In primis petitio hæc dici potest generalis, quæ petit liberationem ab omnibus miseriis & ærumnis huius uitæ, à peccatis, à tyrannide diaboli, à scandalis, à calamitatibus publicis, & priuatis: ut uidelicet, cum uniuersa Ecclesia erepta ex præsentibus miseriis, donemur luce, iustitia, & uita æterna. Nam siue malum hoc loco acceperis pro ipso Satana, quòd Græcis legatur cum articulo, *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*, hoc est à maligno illo, & malitioso, sicuti & Chrysofomus intelligit, hoc est à diabolo, quòd huius sit tentare, & hunc opponas patri, à quo cœpit precatio: siue malum ad rem referas, & pro quouis genere mali intelligas: Certum est nos hac petitione precari, ut Deus seruet nos in omnibus his, quæ ipse intelligit in exitium corporis, & animæ nostræ cedere. Neque enim nouimus quid (ut oportet) simus oraturi, ait Paulus: Neque humana ratione intelligimus, quæ nobis commoda, & quæ incommoda sint. Nam alius putat sibi commodam sanitatem, quæ tamen ipsi exitio est. Alius arbitratur paupertatem esse sibi incommodam, quæ tamen ipsi est multo usui & saluti. Hic iudicat honorem, & magistratus sibi commodos, qui tamen illi multum incommodat, & saluti eius nocent: adeoque quid nobis in fortuna huius seculi bonum, quid malum sit, planè ex carne nostra non intelligimus. Quare hac ultima petitione precamur, ut Deus seruet nos à malo. Non ab eo, quòd nos iuxta carnalem nostram cognitionem malum iudicamus, sed quòd pater noster cœlestis uerè malum iudicat. Iam seruari ab eo, quòd est uerè malum, quid est aliud, quàm ad ueram salutem transferri? Quare qui precatur liberari à malo, precatur paucissimis uerbis omnem ueram salutem & felicitatem. Porro impetrata protectione Dei, aduersus quæcunque mala securi stamus, & tui, contra omnia, quæ diabolus & mundus in perniciem nostram operantur, machinanturque.

Amen.

Linguarum periti aiunt hanc uocem apud Hebræos eum habere usum, ut per eam confirmemus, quæ antè dicta sunt. Et apud Latinos significare, firmiter, indubitanter, uerè, pro certo: eamque fidem exprimere, quæ in precationibus nostris necessariò debemus habere, si exaudiri uouerimus. Debet enim fides nostra in oratione esse firma, indubitata & certissima de promissione gratiæ, & misericordiæ Dei, quæ nobis passim per totum promittitur Euangelium. Cùm itaque dicimus Amen, debemus nobis certissimè persuadere, accepturos nos omnia, quæ in oratione Dominica, oraculo Iesu Christi nobis tradita, precati sumus. Ipse enim dixit, Petite & dabitur uobis: &, Quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Quasi diceremus, Domine Deus fac, ut omnia ista certò impetremus, neque dubitemus de tua uoluntate, quin iam nos exaudieris, & porro sis certò exauditorus. Dicimus cum gaudio Amen, uera hæc sunt & certò euenient. Hieronymus admonet, Amen, orationis Dominicæ esse signaculum. Ad hæc ut clarius reaperiam, huius uocis Amen duplex est usus. Prior ut orantis uoluntatem, ac desiderium exprimat. Et hinc requiritur animi assensus, ut mente oremus, & iis, quæ dicuntur, attenti simus, Doctore Paulo, 1. Corinth. 14. Alter est, ut significemus, non optare nos tantum, ut fiat quod dicitur: sed certò etiam expectare iuxta beneplacitum eius, qui fidelis est, & seipsum negare non potest. Prostrè libenter admonerem, ut uoculam Amen bene ponderatam plena animi fiducia proferres.

Vocula amē  
usus duplex.

pie lector, nec dubitares, quin Deus audiat te orantem, & audiat animo paterno & benigno: ita ut sit te exauditorus, & præstiturus, quæ nomine Christi petieris ex fide, & animo integro. Deinde salutare fuerit, si etiã cogitaueris, te non ibi procumbere in genua, aut stare solum: sed totam etiam Ecclesiam, hoc est, omnes pios tecum, & te inter illos unanimi & concordati oratione Deum implorare, quam ille orationem neque contemnet, neque reiciet, sed exaudiet. Et hoc ipsum statuito apud te, dicens, Persuasissimum habeo Deum audisse hanc orationem meam: Nihil omnino ambigo, nihil de hoc dubito. Atque id ipsum sibi uult hæc uocula, Amen. Hanc orationem perpetuam intelligi uult Christus, quum iubet indefinenter orare. Semper enim sollicitè & accuratè cauendū, ne temerè peccemus, ne quem iniuria afficiamus. At id fieri non potest ab eo, qui Deum non timet, qui Dei præcepta ob oculos non habet, & orare negligit. Oremus itaque ad hunc modum: O pater cœlestis, clementissime Deus, miserimus ego peccator indignus sum, qui oculos, & manus ad te extendam, teque precibus meis obtundam. Verum cùm præceperis omnibus, ut orent, cùmque te nos exauditorum promiseris. Ad hæc cùm ipse tu uerba, orandique formam nobis per dilectum filium tuum Iesum Christum præscriperis, impulsus mandato tuo, adsum, fisisque promissis tuis, oro in nomine Domini mei cum omnibus piis in his terris, ubi nos docuit filius ille tuus dilectissimus, Pater noster, &c.

Quoniam tuum est regnum.

Hanc coronidem in Græcorum exemplaribus adiectam & scriptam reperimus, quæ ab Hieronymo non exponitur. Consolandi tamen animi gratia placuit hanc doxologiam interpretari, quæ pia, & secundum scripturam est. Solent certè, qui uerè orant, animum excitare, & in cogitationem diuinæ magnitudinis, atque laudem exardescere, quo exercitio & sibi ipsi quodammodo impetrandi fiduciam adaugent. Hæc doxologia quatuor insignibus celebratur, quæ soli Deo adscribenda ueniunt. Nempè regno, potentia, gloria, & perpetuitate. Regnare nullius hominis est, sed solius Dei, & eorum, quibus id muneris commisit Deus, per quos tantquam ministros suos, regni & reipublicæ iura & negotia obire solet. Simili quoque ratione nullus mortalium alterum iudicare debet, aut aduersus proximum irasci, & in eum animaduertere, nisi quibus à Deo iudicandi officium commissum est. Neque enim per generis successione hoc hominibus innatum est, sed à Deo datum. Et hæc duo regnum uocat, siue dominium, propterea quòd omnes potestates Dei sint, & à Deo ueniant. Quare nomine regni intelligitur ius, & potestas dominandi, gubernandi, regendi, imperandi, ac suos defendendi. Hoc in primis Deo competit. Vnde dicimus, Quia tuum, hoc est, tibi, & non alij proprium est regnum, ut ut uideantur quidam esse reges in hoc mundo, & nihil non posse: te enim hoc concedente fit. Tu solus uerè es rex, & tuum uerè est regnum. Vnde dicimus simpliciter, tuum est regnum: id est, Omne regnum siue in cœlis, siue in terris, tuum est. Tua sunt omnia: tibi subdita sunt uniuersa.

Et potentia.

Omnipotens est pater cœlestis, nihil infirmitatis in ipso. Nam ipse creauit uniuersa, & ipsi potentia est, id est, iuris exequutio, quòd punire nouerit, & malos coercere, bonos autem defendere. Qui enim punit, uicem Dei sustinet: ita ut omnia ex ipsius potentia fluant, & iudicij ratio, & pœnæ irrogatio: iuris exequutio, propugnatio, & defensio. Quare summoperè cauendum est, ne quis se ipse ulciscatur, iniuriam retaliando, nec iniussus alium puniat. Neque enim ipse est officium, aut potentia, at neque cuiquam cadit hoc foeliciter, sicut ipse inquit, mihi uindictam, & ego retribuam. Et alio loco minatur eum, qui gladium sumpserit, seipsum ulciscendi gratia, etiam gladio perituro.

Deuter. 32.  
Ioan. 18.

Regnū, Dei  
propriū.

Amē magna  
cum religio-  
ne offerendū.

Qui oratio-  
nem Domi-  
nicam orat,  
cū omni Ec-  
clesia orat.



## Et gloria.

**Gloria.** Gloria significat maiestatem, aut magnificentiam, honorē, grauitatem, splendorem, & claritatem. Hęc magnificentia, & omnium rerum copia, & splendor Dei solius est, ne quis ulla de re temerē se iactet, non de sapientia, non sanctitate, non ulla potentia, aut facultate. Sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. Nam quōd regem, aut principem magnifico titulo, aut flexis genibus honoro, illud nō ob illius personam, sed ob Dei reuerētiam facio, cuius loco rex, aut princeps, hic in maiestate sedet. Ita parentes meos, aut eos, qui in ipforum locum successerunt, honore honesto, Deum (qui pręcepit honorandos parentes, in illis honorificē & reuerenter habens. Ita ubicunque magistratus est aut potentia, huic honor & gloria tribuenda est. Et ad hunc modum ipsius regnum, & potentia, & gloria in toto mundo uersantur, adēd ut solus regnet, iudicet, & gloriam habeat in diuinis officiis, & statibus, qui sunt parentum, dominorum, iudicum, principum, regum, imperatorum, & aliorum similibus, etiamsi diabolus his per membra sua obstinatē resistat, uolens regnum & potentiam obire, & usurpare: ac pœnam & uindictam exercere, & omnem gloriam sibi soli sumere.

## In secula seculorum.

**Secula seculorum phrasia Hebraica.** Hęc precula nos admonet, ut cōfiteamur regnum Dei esse perpetuum, potentiam perpetuam, & gloriam perpetuam. Nam, secula seculorū, quædam est apud Hebræos periphrasis, qua vulgo expriment æternitatem. Er frequens est hic tropus in sacris, sicut Ephes. 3. cap. ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu, in omnis generationes seculi seculorum, id est illius seculi, quod succedentibus perpetuō seculis nunquam habebit finem. Hanc coronidem & doxologiam magnifico, & exultabundo animo pronunciauit, & quatuor illa de Deo magnifica complexus est Dauid, Psal. 144. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur: Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentię regni tui. Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. His uersibus obseruas quatuor illa regnum, potētiam, gloriam, & perpetuitatem comprehendi. Proinde hęc coronis uidetur in hoc sensu præmissas petitiones excipere, Precati sumus, o pater cœlestis, ut in nobis regnes, & sanctificeris ac glorificeris. Rogauimus item, quæ ad uitam præsentem usui sunt, & conducunt, ut largiaris: deprecantes ultionem eorum, quæ quotidie peccamus atque tērationis periculum, qua ad offendendam maiestatem tuam malignus ille & insidiosus tentator diabolus nos cōtinuō sollicitat. Et ut nos liberares à malo, orauimus. Cur ita? Quia iam tuum est regnum, cui infidiatur pessimus & improbiſſimus Satan, omnia sibi adscribens, nec quicquam intermittens, quōd nos tyrannidi suæ subiiciat. Quicquid hic nebulo in nobis imperij habet, nihil nisi uiolenta & iniquiſſima tyrannis est. Vindica ergo, & libera nos, regnum tuum, o rex noster, ut tu rex noster, sicut par est, à nobis uerē agnoscaris & colaris. Non deest tibi potentia, quæ cū tua sit, nihil uirium contra tuum regnum ille malus habet. Si permiseris, exercet: sin minus, nihili est. Facile igitur tibi erit, quicquid negotij aduersaria potestas nobis ad tuam uoluntatem enitentibus, exhibuerit; deiicere. Id non parum, sed maximē ad tuam gloriam faciet. Quæ cū uniuersam terram & cœlos ipsos opplere debeat, ac æternū obtinere, adtere nos potenter ad illustrandam ac propagandam illam: paternē institue, ac prouche nos filios tuos, ne quod ille malus molitur cōtra gloriam nominis tui, perficiat: idque si nō nostro merito, saltem ob eam causam, quōd tuū est regnum, tua potentia & gloria: fac ergo ne quid regni tui potentię & glorię adimatur. Manifesta te esse regē, te esse omnipotentem, tibi omnem in secula uniuersa deberi gloriam. Da pater, ut

nobis ad imaginem & uoluntatem tuam reformatis, peccatisque, & malis purgatis, atque liberatis omnia nostra te laudent, prædicent, & extollant, Amen.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet  
& uobis pater uester cœlestis delicta uestra.

Mirabile auditu, cur factum sit, ut tātum huic precationi, Dimitte nobis debita nostra sicut, &c. huiusmodi appendicem adiecerit, cū æquē aliis petitionibus consimileis addere potuisset, ac dicere: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quemadmodum liberis nostris eundem impartimur. Vel, Ne nos inducas in tentationem, quemadmodum nos neminē tēramus. Item, Libera nos à malo, quemadmodum proximum nostrum è malis liberamus. Nulla tamen extra hanc unam petitio est, quæ habeat talem appendicem. Cū enim Dominus cognoscat, quā egrē fratrum offensas remittamus, hanc appendicem orationi adiecit, ut per hanc arctē nos colligaret, & suam Christianitatem in unitate spiritus conseruaret, & in fide, ac charitate astringeret, ne ob ullum peccatum, aut defectū discordes facti, dissociaremur, & fidei ac omnium spiritualium donorum iacturam faceremus. Huius appendicis prior pars ostendit petitionem illam, Dimitte nobis debita nostra, &c. esse similitudinem. Et Deū æquē nihil à nobis requirere, quā mutuum dilectionem, ut singuli alij aliis ueluti dij simus. Hoc est, ut diuina imago & bonitas inter nos eluceat. Huic iam nihil æquē obſistit, atque offensa, quibus animi alienantur, & à bonitate reuocantur. Ideo consultō de condonandis erratis proximorum hanc particulam adiecit, imō potius repetiit. Quare imprimis excutito, an cum proximo habeas concordiam. Talem enim experieris patrē cœlestem erga te, qualem te proximus experitur erga se. Condonanda sunt igitur errata proximo, ut quemadmodum erga Deum in fide charitati coniuncta uiuimus, sic erga proximum in charitate uiuamus, ne scilicet alter alteri molestus sit, aut iniurius. Sed cogitemus, licet iniuria lacesiti, subinde iniuriam dandam esse proximo: alioqui scire debemus nec nos quidem ullam remissionem delictorum nostrorum esse consequutos. Prius remittere debemus, quā Deus nobis remittat. Nam ubicunque ira obstat, & flammis odij animus ardet, tota oratio perdit est, adēd ut cetera quoque synceris uerbis expetere nequeamus. Ecce tibi hoc est firmum illud uinculum, quo Deus immortalis nos colligauit, ne inter nos disideremus & similtates aleremus, excitatis dissensionibus, discordiis, sectis, & factionibus: si modō nobis in animo est orātibus, à Deo aliquid impetrare: sed ut per charitatem alter alteri ignoscamus, & alter alteri offensam fraternē condonemus, ut omnibus modis maneat inter nos concordia. Certē nemo sua in Deū peccata uerē agnoscat, & ex animo ueniam ipsum orat, qui non sit paratissimus omnibus omnia condonare, tantūm ut & sibi Deus condonet: adēd sentit huiusmodi debitū decem milium talentorum, onus importabile, ob cuius remissionem centum denarios summa cum uoluptate capit. Hoc operatur ipsa charitas. Deinde idem spiritus qui peccata nobis nostra ostendit, & ad petendam à Deo ueniam nos erigit, facit quicquid potest contra fratrem indignationis in animo residere, facit prorsus euanescere, & amore potius erga ipsum germano, ac omnis offensa nescio, accendit. Proinde huiusmodi erratorum condonationem ita interpretari oportet: non remittuntur proximo nisi proximus in te peccans errata sua agnouerit, & ueniam expetiuerit, & animum habeat respiscendi. Peccatum, quod agnoscutur, ignoscendum est. Peccatum uerō, quod defenditur, non ignoscitur. Nō enim uult cenſeri pro peccato, nec ueniam accipere, aut exposcere. Indubiē non solet beneficium in inuitum cōferri, interim tamen absit à te omnis sumultas, & ulciscendi libido. Proinde rogabit quispiam, an hęc uerba, Si dimiseritis, &c. ita sonare uideantur, quōd remittendo proximis, mereamur & nobis errata nostra remitti à Deo. Respondeo. Hęc uerba animos addunt, ut spem consequendi ueniam deli-

Quam enim enixē à nobis Deus charitatis, & ignoscētiām mutuā exigat.

Dei maximē proprium est iuuare.

Peccati suū agnoscat, qui sibi uult ignoscere.



atorum nostrorum induamus, si proximis errata condonauerimus. Remissio peccatorum nostrorum fit per sanguinem Christi (nobis per sacramentum poenitentiae applicati) per Euangelium & uerbum Dei, quod intus cor nostrum apprehendit coram Deo per fidem charitati coniunctam, qua odit peccatum, & adheret promissis & misericordiae Dei, petens sibi beneficium Christi dari. Ad hanc charitatem remissio erratorum proximo facta, est quaedam praeparatio, & ipsa dilectionis proximi exhibitio est argumentum ac signum remissionis delictorum meorum: ut sicut ego proximo condonavi, ita & Deus mihi condonauerit. Quemadmodum Petrus. 2. Pet. 1. de bonis operibus loquens, dicit nos certiores fieri uocationis & dilectionis nostrae per bona opera, hoc est, ut opera edamus & exhibeamus, quod testatum faciamus fidem uiuam & remissionem peccatorum nos habere. Sicut arbor per fructus cognoscitur, & eius bonitas manifesta fit: ita quoque hoc loco externa haec remissio, quam ipso opere ostendo proximo, argumentum ac signum est, mea mihi quoque peccata apud Deum paternè condonata esse, & remissa. Et contra, si hanc proximo negauero, indubitatum argumentum habeo, quod neque ipse apud Deum remissionem peccatorum habeam: sed uerfor adhuc in fide mortua. Similiter & interna illa remissio, qua diligo proximum, remittendo ipsi erratum, est aditus & praeparatio ad illam dilectionem, & contritionem, qua remittitur mihi peccatum. Imò includere potest dilectionem Dei, qua condonantur & remittuntur mea errata. Ut summam dicam, Nobis condonaturus est pater, si nos condonauerimus proximis, propterea quod nisi ex animo proximis condonauerimus, spiritu Dei prorsus uacui erimus. Iam uero Deus multimodas rationes, & uias nobis proposuit, per quas gratiam & remissionem peccatorum apprehendamus: in primis baptismum, ianuam aliorum sacramentorum: item, sicut iam dictum est, orationem. Ad haec confessionem & absolutionem. Et hoc loco nostram remissionem, qua proximo ignoscimus, ut astatim nobis prospectum esset, & passim gratiam & misericordiam inueniremus. Obserua: memoriam patris refricat, ut eum reueramur, quum eius simus filij, non exasperemus. Rursus aduerte, hunc locum nos admonere, quam alieni esse debeamus à uindicta.

Multa uia ad impetrandam remissionem peccatorum.

Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra.

Altera pars Antitheseos, qua tibi minatur exitium, & horrendum proponit iudicium, quo si grauaris errata proximo remittere, & uis durus ac implacabilis erga proximum esse, neque peccata tua tibi remittentur, licet inter Christianos uersanti, & sacramentum ac alia participanti, sed erunt tibi tanto grauiora ac damnableiora. Non uis ignoscere conseruo tuo, in quem tu uicissim aliquando peccasti, & postulas à Deo, ut tibi condonet tuum commissum, quicum nulla tibi potest pensatio fieri delicti tui? Ut priore parte copiosam ac plenam praebuit Dominus spem consequendi ueniam, ita hac posteriore parte omnem adimit spem consequendae ueniae à Deo, si non remittimus proximo offensam. Nihil magis exosum habet pater caelestis, quam crudelitatem: iam crudeles essemus, nisi proximis remitteremus, perpetuo odio & liuore cruciati. Referamus itaque parentem caelestem, si ipsius filij fieri & esse desideramus. Haec si ex animo perspexerimus, incredibilem afferunt consolationem: nimirum quod ad gratiam Dei aditus tibi pateat, dum ignoscis proximo. Vnde hoc sanè mouere te debet, ut istud opus ex animo & libèter facias, ac Deo insuper gratias agas, quod hac gratia dignus existimatus sis. Nihil ita Deo hominè simile reddit, ait Chrysostomus, quam quod proximo offensam remittit. Obserua: nullus in iudicio illo formidabili & tremendo erit excusationi locus (ait Cyprianus) quandoquidè unusquisque secundum hanc sententiam in futuro iudicabitur, & in sua infidelitate condemnabitur, patieturque quod

Remissio alienae noxiae, Deo nos similes facit.

quod ipse fecerit. Iam habemus ex hoc capite, quatum oporteat nostram eleemosynam abesse ab eleemosynis Pharisaorum, & preces nostras à precibus illorum. Nunc audiamus, quantum oporteat & ieiunia nostra distare ab illorum ieiuniis, si uelimus grata esse patri, & nobis frugifera.

Cum autem ieiunatis.

Tria sunt bona opera, quae caetera in se complecti uidentur. Primum est Eleemosyna, omnia officiorum & meritorum genera, proximo exhibenda continens. Secundum est Oratio, ut omnimodis necessitatibus, tum priuatis, tum publicis moti, ad Deum recurramus, & eius protectioni piis precibus nos, nostraque omnia offeramus. Tertium est Ieiunium, ut corpus nostrum castigemus, & mortificemus. Sed quemadmodum superioribus Christus Iudaeorum eleemosynam & orationem reprehendit, ita quoque eorundem ieiunium hic in reprehensionem uocat, quod sicut Pharisei eleemosyna & oratione turpiter abusi sunt, non ad gloriam Dei, sed ad ostentationem, ita ieiunio peruersè admodum abusi sunt, non ad gloriam Dei, sed ut gloriam hominum uenarentur, & nomen celebre sibi pararent apud homines, admirantes, ac dicentes: Quanta, Deus bone, sanctimonia tuta illi coruscant, qui non, ut vulgus solet, ieiunant, ac uiuunt, sed tetrici ac pallidi tanto ieiunio & sui castigatione mortificati sunt? Quod si illos caelum non receperit, quid de nobis miseris futurum est? Verum hac reprehensione Christus non reiecit ieiunium, sed ipsum probat & confirmat, ac pro receptissimo, ad quod obligantur homines, habet: docetque, quis sit rectus ieiunij usus, quo animo fieri debeat, sicut bonum opus fieri debet. Si itaque nomen & dictio haec, ieiunium, persatur, significat persistentiam aliquantisper sine cibo, & potu durantem ultra consuetudinem. Sed inquirenda ac cognoscenda est ratio ieiuniorum à sanctis patribus celebratorum, ut rectè de ieiunio pronuntiemus: siquidem ut institutorum & factorum rationes in primis inquirenda ueniunt si rectè de ipsis iudicare uoluerimus, ita & de ieiunio nunquam ritè iudicabimus, nisi eius rationem expendemus. Ratio ieiunij, & cur institutum aut ultra à patribus exercitatum ac factum ieiunium, non fuit, solùm, ut semel duntaxat in die cibum, cumque pisculentum, aut alium huius rationis sumerent. Nam quemadmodum uera ratio sabbathizandi, siue sabbathum celebrandi, non est solùm, ut ab opere cessetur, alioqui otiosi sabbatizarent siue sabbathum celebrarent: sed est ab opere reuocante nos à cultu Dei cessare, cui intèti esse debemus eo die, ut Deo seruiamus, cum humilitate animi diuinam clementiam suppliciter ambientes. Ita & ieiunium non est solùm (ut simpliciter finem assequaris) simpliciter cibo & potu aliquousque ultra consuetum abstinere, siue ut sub uesperam nihil manduces, contentus unica comestione ad meridiem facta: sed in hoc consistit potissimum, ut corpus tuum coerceas, & sobrietate in officio retineas, hoc est ut semel omnis abdicis delicias: & luctum quandam ac iustam corporis castigationem atque afflictionem suscipias, erigens cum omni humilitate animum tuum ad immensam Dei bonitatem, & clementiam. Hoc enim usu conseruatur disciplina quaedam ac corporis moderata castigatio, in hunc usurpata susceptaque finem, ut studium rerum diuinarum arderet magis, minusque corporis torpore studio uoluptatum frigeret. Hoc nõ tantum perstringit modum edendi, bibendi, dormiendi: uerum etiam otandi, & omnibus alacritatibus & gaudiis ac lusibus indulgendi, unde corpus aliquando modestam ac iuxta mensuram capere queat uoluptatem. Ieiunium ad proprium corpus pertinet, non ad proximum. Quare si rectè ieiunare tibi decretum est, aut sacrosanctam quadragesimam iuxta sanctae matris Ecclesiae praescriptum, aut aliquot alios dies ieiunio consecratos ab ipsa Ecclesia, aut ultro ieiunium susceperis, cogita, ut antè uir bonus sis, qui & rectè credas, & rectè diligas. Quod si semel tantum die come-

Tria bona opera, in se cetera complectentia. Eleemosyna, Oratio, Ieiunium.

Ieiunij usus probatur, recipit, atque adeo imperat

Ratio celebrandi ieiunij.

Ratio sabbathi obseruandi.

Ieiunij uir in quo consistit.

Ieiunium, diuinarum rerum studium & exercitium in primis requirit.



deris, & à vitis non abstineris, ieiunas quidem, hoc est; cibo abstinere, & præcepto de comedendo semel in die satisfacis: sed ueram & germanam ieiunij rationem non obseruas. En uerum ieiunium dicendum puto, quando totum corpus affligitur, & coercetur cum omnibus quinque sensibus, ita ut deserere cogatur & dimittere omnia, quibus delectatur, & male afficitur, ut mens ad Deum purius erigatur, & illi seruiat. Scilicet hæc est uirtus ieiunij, siue hoc fiat spontaneè, siue ex præcepto superioris. Ita tamen ut libenter arripiatur ac toleretur. Cauendum tamen est, ne quid plus fiat, quàm necessitas postulauerit: ne scilicet damnum inferatur corpori, & inutile reddatur: sed in hoc tantum ieiunetur, ut in disciplina & labore corpus retineatur, nec otio torpescat, & lasciuire incipiat ac ferocire aduersus animi studio & meditationi rerum cœlestium adhaerentem. Ita Paulus, 1. Corinth. 9. loquitur, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hæc castigationes & hæc ieiunia sunt arma lucis, ad propulsanda tenebrarum opera. Est tamen in ieiunij obseruatione, ut puta in obseruanda quadragesima (cum simus planè quod ad corporis constitutionem pertinet, dispares, alius phlegmaticus, alius colericus, alius inedia & famis impatiens, alius inquietus, si ad uesperam non comederit, & generalis sit ieiunij regula & lex omnibus promulgata) cuique sui ipsius habenda ratio, ut sentiat, quid & quantum ipsi hac in re facto opus sit: nõ ut suum ipsius sequatur iudicium, ne sibi plus æquo aut indulgeat, aut carni ac genio acquiescere uideatur: sed uirum bonum, doctum ac piū, aut Episcopum aut parochum consulat, cui morbum, ualitudinem, & quid corporis ualeant uires, quid ferre recusent, aperiat. Illius dum sequetur iudicium, neque ieiunij contemptor, neque uiolator erit, etiam si mane & uespere comederit, iuxta illius boni ac pij uiri interpretationem & consilium. Nam aduersus luxuriantis carnis uoluptatem & prouocationem, ieiunium institutum est, & non in naturæ dispendium. Atque hoc non solum exercendum est, quum tempus præcepti aduenit, sed etiam quouis tempore, necessitate exigente. Est enim præceptum omnibus, ut modeste, caste & sobriè uiuamus, non ad unicam saltè dieculam, aut annum unum, sed quotidie & semper. Id quod scriptura sobrietate uocat, quæ nobis nunquam nõ sectanda est & retinenda. Et ut omnes summo ieiunio nequeant semper satisfacere, labore, ualitudine, aut alia id genus re præpediente: ea tamen sobrietate ac modestia cunctis uitæ instituta est, ut edendo, bibendo, dormiendo, cæterisque corporis necessitatibus, cum modum teneant, qui necessitati tantum & non superfluitati aut libidini seruiat, & non in hoc seculo ita uiuatur, quasi uitæ nostræ felicitas tantum in edendo, bibendo, saltando, choros ductando, sita sit. Ergo in primis curandum est, ut bonus sis uir, & bonus Christianus, ut uero ieiunio, & non ficto, Deo seruias, & teipsum castigatum ac mortificatum offeras. Certè ieiunare eò spectat, & ueri ac Christiani ieiunij usus est, primùm, ut dometur caro, & causæ ad uoluptatem & libidinem prouocantes præscindantur, & sobriè, iuste ac piè uiuatur in hoc seculo: id quod fides uiua intus in corde operatur. Deinde ut mens possit intentius precatoni incumbere, unde semper ferè hæc duo iunguntur, ieiunium & oratio. Ieiuna igitur ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias uoluptatis epulas, nullo uino luxuriæ cõcalescas, ieiuna à malis actibus, abstinè à malis sermonibus, contine te à cogitationibus pessimis, noli contingere panes furtiuos peruersæ doctrinæ, non concupiscas peruersæ philosophiæ cibos, qui te seducant. Tale ieiunium Deo placet. Legito Basilium magnum, homil. 2. de laudibus ieiunij. Porro est ieiunium, quod scriptura celebrat, ob insignem calamitatem uel acceptam uel imminetam, ut cum fames immittitur, aut cœlum est occlusum, & terra obdurata est: aut bellum omnia uastans imminet, aut pestis, aut quicquam huiusmodi. Cum clades accepta fuerat, ieiunium inductum est, Iudicum, 20. & 1. Reg. 31. Aut cum qua

Verum ieiunium quod.

In ieiunio sui cuiuslibet habenda ratio.

Ieiunaturus, uicis & doctos consulat.

Ieiunium quod dicitur Christianis omnino dicendum præceptum. Sobrietas, ieiunium quoddam est.

Ieiunij Christiani finis.

Ieiunium spirituale.

Ieiunia indiciata.

erat præ foribus, ut, 2. Paralip. 20. Ester. 13. & in historia Niniuitarum. Tertio cum quid peccatum fuerat, ut, 1. Reg. 7. & 21. tunc ieiunium celebratum est. Aut certe ex singulari peccatorum poenitentia, publica etiam coram Deo humiliatio ac seu supplicatio quaedam decreta fuisse legitur, nequaquam autem cibi tantum abstinentia: quemadmodum colligitur ex Iudicum, 20. capit. 1. Reg. 7. & 31. 2. Reg. 1. 3. Reg. 21. Esdra. 8. Nehemia. 19. Hieremie. 36. Daniel. 9. Joel. 1. & 2. Ion. 3. Zacharia. 7. & 8. Huius ieiunij ritus ad hunc modum ex locis adductis uidetur fuisse. Seniores Ecclesiæ populum conuocabant ad lugendum & orandum. Inducebatur ieiunium, ita ut & animantibus aliquando cibus sit negatus. Ab omni cibo abstinentes, toti luctui, sletibus & precationibus dediti erant, cõfitebantur peccata sua, & ut dolorem cordis testarentur, facis induebantur, iacebant in puluere, cinere capita aspergebantur. Non ab simile legimus psal. 34. Ego autem cum mihi molesti essent, inducbar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuerteretur. Quasi proximum & quasi fratrem nostrum sic complacbam: quasi lugens & cõtristatus sic humiliabar. Tale quid legimus, & sanè non ab simile fuisse synceriores Theologi arbitratur, quod obseruatum postea & ab Apostolis, aliisque noui testamenti Sanctis memoratur: & quod prophete & doctores Antiochiæ supplicates Deo ieiunauerunt, Act. 13. Item quod diuus Paulus & Barnabas ieiunauerunt, quando pro Ecclesiis Antiochiæ, Pisidiæ, Iconij, & Lystris, collectis, quibus seniores ordinarunt, precati sunt, Act. 14. Hoc etiam frequentabant discipuli Ioannis, Matth. 9. Ob hoc quoque laudatur Anna illa sancta & religiosa uidua, Luc. 2. Hoc genus ieiunij nõ infrequens fuisse sanctis in primitiua Ecclesia, uel illud, 2. Corinth. 6. probat. In uigiliis & ieiuniis. Quanquam hoc etiam ostendit penuriam uictus, quam diuus Paulus terra marique sæpius perpassus est. De hoc ieiunio orationi coniuncto, Dominus Matth. 17. dixit quoddam genus demoniorum non nisi ieiunio & oratione expelli, id est, oratione sanè intentissima, quæ utique nõ nisi ieiunio, & ab omnibus delitiis auocato corpore, fieri potest. Iam ad textus interpretationem accedamus. His uerbis, Cum ieiunatis, pro re acceptissima, & de qua non ambigitur, insinuat esse ieiunium apud Iudæos, quod Moses præcepto sancierat, Leuitici. 23. Ut scilicet in Autumno ante festum expiationis aliquot diebus ieiunarent. Et recipiendum illud idem à suis fidelibus post suum ad Patrem abitum, & Spiritus sancti missionem significauit his uerbis, infra. 9. cap. Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quasi diceret, instituitur ad ieiunandum, & ieiunabunt. Referam sententiam diui Augustini, tomo 2. episto. 86. ad Casulanum presbyterum de ieiuniis priscorum. De hac re (inquit) sententiam meam queris. Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, uideo præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini uel apostolorum, non inuenio definitum. Est igitur ieiunium Christianis præceptum, quod quomodo fieri debeat, Christus hoc loco aperit.

Nolite fieri, sicut hypocritæ tristes.

Durissima furia hypocrisis, à ieiunio abigenda est. Cauete (inquit) huiusmodi Pharisiæ (non quod Pharisei, sed quod hypocrite sunt) dum ieiunatis, similes fieri: qui pomorū coctorum, aut aliorum id genus suffitu recepto, procedunt, uultu quidem tetrico, & fortè animo lætiore, ut in ore sint omni populo, habeantur sanctuli, & uideantur ieiunantes, qui fortassis delicatissimis eduliis uentrem iam oppleuerunt. Sed se tales populo exhibent, ut gloriam uenentur.

Exterminant enim facies suas, ut appareat hominibus ieiunantes.

Diuus Hieronymus uerbū exterminant accipit pro demoliantur, quod Græcis uerbum.

Supplicatio cum ieiunio.

Exempla ex sacris, ieiunij apud ueteres.

Ieiunium cum oratione.

Ieiunium instituit Christus.

D. Augustini sententia de ieiunio.

Ieiunium præceptum.

Exterminatio uerbum.



*ἀφανίζαν. ἀφανίζαν.* Demolitur autem hypocrita faciem suam, ut tristitiam simulet, & animo fortè lætante, luctum gestet in vultu. Hæc ille. Diuus Hilarius uerbum illud Græcum interpretatur conficere, & id sanè eleganter. Est enim obscurare, ac uelut è conspectu tollere, ne natiuus reluceat vultus: uelut qui fucis utuntur, celant suam faciem, ac ceu persona tegunt: ita qui ficta macie tristisque pallore sanctimoniam simulant. Nam & pietas suam habet tenuitatem, suum pallorem, sed in quo Christi reluceat alacritas. Moses quidem instituerat ieiunium, non in hoc, ut qui ieiunarent, præ aliis uisendi ac suspiciendi essent, uniuerso enim populo ieiunium commune erat. Iam quod omnibus commune est, de illo nemo priuatim se iactare potest, ideo peculiaria ieiunia sibi arripuerunt, & commenti sunt Pharisei, ut spectarentur multò sublimiores & sanctiores aliis. Et quia apud Iudæos ieiunium erat luctus & mentis humiliatio, corporisque afflictio, ut paulò antè docuimus, simularunt Pharisei necessariò foris luctum, ac mœstitiam, obscurata scilicet & ad terram inclinata facie, ut uiderentur ieiunantes: atque hoc est, quod tantoperè gloriantur in Euangelio contra Christum. Dicunt enim: cur Phariseorum discipuli frequenter ieiunant, & tui non? Et iactabundus ille Phariseus, Luc. 18. Ieiunobis (ait) in sabbatho. Ad hæc illustria sua ieiunia faciebant certis gestibus & signis, quibus perspicuum fieret, quando ieiunarent. Obuelabant facies suas, ne lauarent se & ornarent, sed vultum præ se ferebant tristem ac tetricum, ut auram popularem & gloriam uenarentur. Ad hæc obscurantes facies suas, sese lugentibus atque adfligentibus similes exhibebant. Cui simulationi contrarium erat lauare, & inungi: ut notum est ex uariis Bibliorum locis.

Amen dico uobis, receperunt mercedem suam.

In re feria iurat Dominus. Pro certo (inquit) habetote, quod expectatam mercedem, suo labore dignam, habent: nimirum uentum pro uento. Venati sunt suo labore auram popularem, auram & uentum habent, hoc est, inanem & uanam rem, hoc est, rumusculum apud homines, auræ instar inanescentem. Nam cum laudantur ab hominibus, totum acceperunt ab hominibus. Cæterum studium inanis gloriæ quid aliud parere potest, quàm inanem operam?

Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans.

Non postulat Christus hoc loco, ut ad uerum ieiunium tenearis præstare, quod ad literam dicitur: quasi uerò transgressurus sis præceptum, nisi faciem aqua laueris, & oleo caput unxeris. Scopus Christi præcipientis & docentis inspiciendus uenit: & quid uelit, attendendum est. Si ieiunaueris, prima cura sit, ne tetricum te præbeas, auram popularem uenandi gratia: sed ablue faciem tuam, & unge caput tuum: hoc est, esto lætus, & alacris, quasi festiuitatè celebres: ita ut conuictis lætitiæ signis utaris, & quasi nullum discrimen notetur inter ieiunium & ferias tuas. Adludit ad consuetudinem Iudæorum, qui ferias acturi, aut diem solennem celebraturi, semet preciosis & bene olentibus aquis conspergebant, unde totum corpus suauiter redolebat. Ipsi talis fuit usus, qualis apud nos ablutionis & aquæ odoriferæ. Olei certè usus solet asperiores lauigare cutem, rugas complanare, serenare vultum, & expurgare sordes. Unguentis ergo purgabant corpora sua, ne foetore ullis essent molesti, & ut habitiores essent. Ruth. 3. cap. Noemi dicit ad Ruth: Lauabis te, & inunges, amicosque te uestibus, &c. Et de Dauide legitur, 2. Regum, 12. Surrexit Dauid de terra, lauit & unxit se, mutauitque uestem suam. Item, 2. Regum, 14. mulierem Thecuitam, ut uideretur lugere mortuum iubet Ioab luctum simulare, atque adeò se non ungere. Item, Psal. 22. Impinguasti in oleo caput meum. Idem à Iudith. 10, & 16. legimus factum. Et in nouo te-

Phariseorum  
priuata ieiunia.

Merces hypocritarum, euanescens gloria.

Vnctionis usus apud ueteres.

Vnctio, lætitiæ argumentum.

stamento, Luc. 7. ait Christus, in conuiuio, Caput meum non unxisti. Ex his locis conspicuum esse uidemus, consuetudinem esse Iudæis se in gaudio & hilaritate ungere, iuxta quam hæc Dominus loquitur, nõ ugens, ut hæc ad literam feruentur, sed magis præcipientis, ut discipuli sui primam curam habeant, abiiciendo omnem hypocritism à ieiunio, & intelligant, non esse præcepto interdictum, die aliquo ieiunij uile indumentum induere, aut illotum incedere, modò peruersa opinio reiecta sit, quæ suo ieiunio ex faciei macie & corporis uili tectorio gloriam quarit, & hominum oculos in se conuertit. Aliàs non rarò legimus homines ieiunantes faccos induisse, ut paulò antè docuimus ex Iona de Niniuitis. Proinde hoc præceptum, ungenti caput, & faciem lauandi, ad interiorem hominem referendum est. Atque cum ungere (ut paulò antè diximus) ad lætitiã, & lauare ad mundiciem, pertineat, rectè dicitur ungere caput, & faciem lauare, qui apud se & mente & ratione cum Christo (quem sibi propitium sentit) lætatur, nullam quarrens foris lætitiã, ut uanam illam laudem apud homines sibi comparet: intus er- go, ait August. gaudeat in ieiunio, eam ob causam, quòd sic se, ieiunando, auertit à uoluptate seculi, & faciem lauet, id est, cor mundet, quo uisurus est Deum, idque non interposito uelamine, propter infirmitatem contractam de sordibus, sed firmus & stabilis, quoniam mundus est & simplex. Lauamini (inquit) mundi estote, auferite nequitas ab animis uestris, atque à conspectu oculorum uestrorum. Ab his igitur sordibus facies nostra lauanda est, quibus Dei aspectus offenditur. 2. Corinth. 3. Nos enim reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur.

Sed patri tuo, qui est in abscondito.

Non solum ieiunium, sed & omnis Christianorum uita hoc scopo ac fine instituenda est, ut tantum oculis Dei pateat, & accepta sit. Impij, oculos quidem cum suo rege mundo habent, sed piorum opera sancta non uident. Cur ita? respondet Esaias, cap. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claudet, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Quapropter nihil laudis nostra uita apud mundum (qui cæcus est) quaramus, sed hoc tantum, ut conspicua & grata sit patri nostro cœlesti quòd si consequimur, fieri non potest, ut non & placeat uiris piis & Dei amanti- bus. Quare cum ipsa uita Christiana (quandiu hæc uiuitur) in obscuro latere & manere uideatur, nec possit ullam gloriam usquam consequi, nec quicquam splendoris aut laudis coram mundo habere: hunc tenorem illi permittamus, nec nos id sollicitet, quòd in abdito deliteat, probè tecta & sepulta, ita ut nemo illam cer- nat, aut curet. Satis sit nobis, quòd pater noster cœlestis illam uideat, qui Lynceò longe est perspicacior, uidens acutissimè in longitudinem, licet multis & densis tenebris sit obruta & profundè sub terram condita. Itaque nobis solum eò spectandum est, ut patri cœlesti placeamus, nihil curantes, quòd nullam unquam cum mundo gratiam inibimus, nihilque facturi simus, quòd illi aut gratum esse aut placere queat. Hoc unum igitur restat, ut ipsum tam blandientem, quàm perfectentem contemnamus, Deoque nos uni addicamus, & nos in hoc uerbo Christi consolationem accipiamus. Obserua hanc sententiam piis afferre consolationem, nosse uidelicet, quòd mundus piis dignus non est, sed pios Deum in cœlo residentem habere, qui ipsos & ipsorum opera intueatur.

Et Pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi.

Argumento à præmio erigit animos eleemosynas dantium, orantium & ieiunantium, imò & omnium piorum, qui abnegato mundo soli patri cœlesti placere student. Ne igitur putaremus Patrem, nostra tantum uidendo contentum fore: sed animum quoque habere pensandi & reddendi; addit, & pater tuus reddet tibi.

In ieiunio si cet uilib' indui.

Vnctio ac latio spiritalis.

Gaudium ieiunantis, quo modo boni sit.

Christianus in primis se probet Deo.

Mundus ode- rit an faciat nihil laborandum.



Huic & retributionis exaggerationem commiscens, ait, Tametsi pater in abscondito uideat te operantem, tamen redditurus est mercedem, non in occulto, sed in propatulo, uniuerso mundo id cum sua summa ignominia spectante. Vnde addunt Græci codices *ἐν τῷ φανερό*, id est in propatulo, ut opponatur ei, quod est in occulto. Commendemus itaque summam rei patri cœlesti: qui commodè in apertis opera nostra producturus est, ne tenebris obruta maneat etiam in terris & coram gentibus, quemadmodum psalmus quoque. 36. docet, Reuela Domino uiam tuam & spera in eo, & ipse faciet: & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Exemplo nobis sint, charissimi, Martyres Christi, qui tametsi turpiter & atrociter perempti sint, tamen tanto splendore & gloria iam lucent, ut præ eorum beata luce uniuersus mundus (sceridissima quædam omnis impuritatibus camarina) nihil sit, nisi mera & ingratisimæ tenebræ. Ex his colligamus consolatoriam promissionem de retributione nobis concessam. Colligamus & exhortationem, ut nos diligenter & sedulò in bonis operibus exerceamus: nec offendamur, si mundus illa non admiratur, aut suspicit. Est enim talpa, imò ipsis tenebris longè cæcior: qui ut Deum non cognoscit, tanto minus etiam uerba & opera eius nosse potest. Sed neque unquam tanta illuminabitur cognitione, ut compertum habeat, quàm ingens res sit in fans baptizatus, aut Christianus aliquis, qui uerum Iesu Christi corpus in sacramento manducat, eoque pascitur, & libenter uerbum Dei audit: sed hæc omnia ita intuetur ac uidet, ut simplicis tantum aquæ lauacrum consideret in baptismo, aut frustum panis in sacramento, & inanè censet esse fabulam. Imò neque uidet, quid faciat ille, qui rectè & ex animo ieiunat, aut orat. Obserua uocem, in abscondito. Quasi dicat, ut abditus & absconditus fueris, nimirum inter mundi profundissimas tenebras, patrem tamen habes in cœlis lucidissimo sole perspicaciorem, qui lucet in tenebris & te intuetur: huic commenda tua opera bona, & in abdito loco (quandiu hinc uerfaris) illa tibi serua, ut diues fias in operibus bonis, quibus quanto copiosior euades, tanto uitæ æternæ percipiendæ plena ac reuelata possessione capax eris. Rursus obserua. Vt Christus in mundo erat, omnibus seipsum obuiam præstans, & tamen erat ueluti absconditus, quandoquidem mundus eum non cognouit: ita & tu in mundo, Christo uiuens, absconditus quidem mundo uideris, sed conspicuus es patri tuo cœlesti. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius, Hebræo. 4. A duerte uocem reddet, ut intelligas eleemosynam, orationem, & ieiunium, esse opera grata Deo, & meritoria: tibi enim pro singulis reddet præmia. Proinde ieiunaturi, summam huius doctrinæ colligamus, & obseruemus: adimpleamus ieiunium, non solum ciborum parsimonia, uerum etiam uitiorum priuatione & abstinentia. Nam cum eò spectet ieiunij usus, ut carnalium desideriorum fomes reprimatur, nullum magis continentia & abstinentia genus sectandum est, quàm ut sobrius & alieni semper simus ab iniusta uoluntate, & inhonesta actione. Quia hæc castigatio, & hoc præcipuum ieiunij genus hoc est, castum, purum & fidelem animum tueri: non secernit ægrotos à ualidis, quòd in ægroto & languido corpore potest hæc animi integritas reperiri.

### Nolite thesaurizare uobis thesauros.

Post repurgatam legem à falsa Phariseorum interpretatione, & ipsorum denudatam hypocrisim: deinde posteaquam docuit, quæ recta & uera opera, ita ut & decem præcepta rectè intelligamus, & monuit ut ipsa opera recta ratione fiant: iam deinceps exhortari incipit & monere, ut tentationem illam auaritiæ, & alia uitia, quibus potissimum laborabant Pharisei, & qui in pollicita præmonebant, summo studio caueamus. Primo itaque loco producit auaritiæ omnium masculinum radicem, autore Paulo, 1. Timoth. 6. prohibens non solum morbum ipsum,

Mundus, nihil nisi tenebræ.

Animalis homo non accipit, quæ sunt spiritus Dei.

Christus in mundo absconditus.

Summum abstinentia genus, Vita proba.

hoc est ipsam auaritiæ, sed etiam materiam ac fomentum morbi, quod est reponere pecuniam seu thesaurum in terram, hoc est Mammonæ seruire. Simul & occultè carpit Phariseos, qui maximè huic idolo Mammonæ seruebant, Luc. 16. Ex quo oriuntur lites, iniuriæ, bella & clades, latrocinia, seditiones, sacrilegia, periuria, patriæ proditio, perfidia. Eadem auaritia extinguit beneficentiam, impedit preces, & infana, nedum inania, reddit ieiunia nostra: facit, ut exulet ueritas, iaceat contempta iustitia, & regnet omne malum. In primis aduersus hoc malum, uicium & periculum (ut quo non sit aliquod aliud ministris Dei magis timendum, ut & ipsa docet experientia, cum in ueteri, tum in nouo testamento, plerunque hoc malo laborasse Ecclesiarum & politiarum ministros) Christus suos præmunit, ut rectè suo fungerentur munere, & sibi ab illius uitij Phariseici insidiis studiose cauerent, quòd munus, quo functuri erant, multas ac uarias occasiones haberet reponendarum & colligendarum diuitiarum. Nam ubi Euangelium docetur, & iuxta eius doctrinam uita instituitur, ferè semper duæ plagæ perniciosissimæ insidiantur: nimirum falsi doctores, quorum opera, doctrinæ synceritas contaminatur ac peruertitur: & habendi cupido, quæ bonæ uitæ impedimento est. Deinde suos hac doctrina instruit aduersus offendiculum, ex diuitiis Phariseorum confurgens. Quia pro more mundus hoc habet, ut splendor opulentia & diuitiarum, auctoritatem apud illum addat: & qui diuitiis abundant, magnifant, colantur, & suspiciantur: cum tamen non à diuitiis, sed ab animi dotibus pendere debeat auctoritas. Verisimile est discipulorum infirmitatem non mediocriter offensam fuisse summa illa opulentia eorum, qui Christum & doctrinam eius auersabantur, nimirum Pontificum, Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum, Reipublicæ Iudicæ antesignanorum, non solum falsæ doctrinæ impostura, hypocrisis & docendi auctoritate, uerum etiam diuitiarum splendore, simplicium oculos fascinantem. Aduersus igitur hoc scandalum Christus suos præmunit, ne terreno thesauro congerendo studeant. Neque solum hæc doctrina Apostolicam, uerum etiam communem omnium Christianorum uocationem concernit. Studiose igitur fugiamus, ne diuitiarum amor clanculum incautos nos apprehendat & obruat. Est enim uitium ualde periculosum, & tenaciter adhærescens, quòdque pulchra uelamenta nouit prætereundum, & cogitationes elegantes excitare, ad eò ut Christianos decipiat, & difficile sit ab illa cauere. Ea igitur gratia Christus nunc multis uerbis prædicare incipit contra magnum illud idolum, Mammonam turpissimis coloribus adumbrans, quòd diligentius sibi quisque caueat, propter ea quæ imminent pericula; 1. Timoth. 6. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

### In terra.

Non prohibet Dominus thesaurum, sed ne cor diuitiis huius seculi affigamus. Id quod Dauid, Psal. 61. docet: Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere. Atque hanc persuasionem multis confirmat argumentis, uolens (quæ est eius philatropia & uehemens erga nos amor) ex abundanti argumenta dictis adiungere. Pio enim & Christiano uiro satis erat dixisse, ne reponas tibi thesaurum, &c. Ob id nimirum, quòd tantæ auctoritatis sit Christus, & ipsi tantum fidei habeat pius, ut nihil dubitet suscipiendum, præstandum aut fugiendum, quod ipse Christus faciendum aut uitandum iusserit. Et iure id fit. Nam non minoris apud suos auctoritatis esse debet Christus, quàm medicus apud ægrotum. Iam medico iubenti aut prohibenti, Ne comedito hoc, ne bibito istud, obedit ægrotus, non exigens rationem, cur istud prohibeat medicus, sed dictis morem gerit. Quid, quaeso, tantum obedientia conciliat medico, etiam plerunque erranti ac seducenti? Profectò fa-

Refectur<sup>o</sup> uita Christus, à radice exorditur. Ex auaritia quanta malorum Ilias.

Auaritia uenenum, formidandum in primis ministris uerbi.

Euangelium syncerè docetibus duo pernicula insidant.

In pretio sunt, quibus multæ sunt opes.

Diuitiarum cupiditas caueda.

Christus comparatur cum medico.



nitatis desiderium. Cum itaque sanitas animæ præstet sanitati corporis: quid est, quod desiderium sanitatis animæ non operatur in nobis idem erga medicum infalibilem (qui neque falli neque fallere nouit) quod desiderium sanitatis breui colapsuræ, erga medicum hominem (qui falli potest) operatur? quid est, quod non ilico paremus certissimo & fidelissimo salutis medico, cuius dicto & uerbo etiam uullis adductis argumentis & rationibus uerbum confirmantibus, credendum est? Veruntamen pro ineffabili sua erga nos bonitate rursum, ut paulò antè diximus, dictis argumenta & rationes subiicit. In primis argumento à loco transitio & instabili & à uocatione cœlesti dehortatur à cura terrenarum opum. In terra (inquit) Quasi diceret, Terra, locus est, rerum, quas reponere studetis, corruptius. Terra non est uobis patria, aliam breui adfuturam quaeritis, quam uestra renascencia consequimini, per quam non terreni, sed cœlestes estis & Dei filij. Pudeat igitur uos reponere thesauros in terra uariis obnoxios periculis. Obserua, domum suæ habitationem Mammonæ esse terram.

### Vbi ærugo & tinea demolitur.

Accedit aliud argumentum, à uilitate rerum terrenarum sumptum. Quasi dicat, Quis uos fascinoit? aut quæ ista est demetia? quod res uestras, tanto studio acquisitas, ærugini, hoc est corruptioni suæ corrosioni, & tineæ impuro animalculo custodiendas committitis? An ne ut corrumpantur & pereant? Si leonibus aut uris pro foribus thesauri uestri iacentibus illas committeretis, forsatis tutiore in loco haberentur, scilicet. Sed uilibus & abiectis animalibus custodiendas traditis, nimirum blattis & tineis, quas pascent donec cõsumptæ fuerint. Pudeat uos quod tanto labore quaesiuistis, cõsumendum tradere uilibus his animalculis. Memineritis diuinam maiestatem deurbasse superbam illam potentiam ægyptiacam uilitate horum animalculorum, hoc est non leonibus, ac uris, nobilibus animalibus, sed ranis, pediculis, ac uermibus, & huiusmodi insectis. Proinde ut hoc uobis condonem, quod diuitiæ coaccruatæ, neque tineas neque blattas pascant: sed ærugini tamen, id est corruptioni obnoxia sunt, ergo durare non possunt. Si enim illis utaris, consumuntur: si non, corrumpuntur aut ærugine, aut tineæ. Obserua: nomine æruginis intelligimus quicquid corruptionis rebus terrenis accidere potest. Tinea uermiculus est, è corruptione editus, uestes aut libros corrodens. Diuus Cyprianus, lib. 3. ad Quirinum legit, Neque tinea, neque comestura exterminabit.

### Et ubi fures effodiunt & furantur.

Quàm parum securi sint terreni thesauri, aperit, nimirum quod parum fidos habeant custodes, fures scilicet: quorum insidiis terrenus thesaurus est obnoxios, unde molestissima sollicitudine custodiendi, & metu perpetuo amittendi thesaurum, angitur pecuniarum quilibet coaceruator. O miseram conditionem! Etiam si præstare possent thesauri terreni, quod ab illis sperat auarus, tamen tuti non sunt ab ærugine, quæ si absit, aderit tinea, quæ si non corroserit, accedent fures: imò stequenter ærugine & tinea corrodentibus, perfosso pariete fures ad scrinia penetrant. En uidemus Dei prouidentiam, ipsumque optimè omnia ordinasse, & hanc æruginam adiecisse humanæ diffidentia, & auaritia, ut ubi terrenus iacet thesaurus reconditus, ibi hos tres, æruginem, tineam, & fures ceu custodes adesse necessarium sit, qui illum tueantur & obseruent. Atque id dum faciunt, ipsum durè tractant, impetunt, corrodunt, perdunt & absumunt: quemadmodum ferè passeris, forices & mures frequentes conuolant, ubi copia frumenti reposita est. Certè non meliore satellitio dignus est Mammon, ut quod recto usui negat, à tineis, ærugine & furibus impetatur & auferatur. Hæc proculdubio crudelis & tyrannica est inhumanitas, pasceri tineas, æruginem & fures his rebus, quæ fratribus usui futuræ, tamen

Nulli neque æquè, neque magis parendum, quàm Christo.

Cœlū nobis patria, non terra.

Facultates huius mundi per se corruptioni obnoxia.

Ærugo.

Dei prouidentia aduersus thesaurarios.

Auari opes suas ærugini credunt, fratribus negat.

negantur. Responsabis forsitan. Non ideo repono thesaurum meum, ut tineas, æruginem, & fures pascat. Tamen quia improbè thesauros cõgeris, necesse est, ut his custodibus & furibus hos habeas obnoxios: quadoquidem ita Domino uisum placitumque est. Quare bellus ille seculi Deus, Mammon, est Deus scabiosus & æruginosus, tinearum & furum amicus. Porrò nomine æruginis ac tineæ uocabulo, non tantum ea accipienda sunt quæ uestes, aut ferrum, aut metalla deuorant. Nec tantum comprehenduntur mures & forices, qui capiuntur decipulis: sed nec tantum illi fures nominandi sunt, qui furtim & clanculum arcas expurgant & euacuant: sed illæ quoque magnæ tineæ, & fures manifestarij, sicut magni illi Thralones & Pyrgopolmices, qui etiam principis alicuius diuitias exhaurire nouerint. Idque ita miro artificio, ut cogantur principes pecunias ab illis mutuo sumere. Habent & ciuitates non tantum, qui aedes alicuius ciuis noctu subintrant: sed qui usuris & propolis ac monopolis, omnem urbis succum exugant. Imò uix locus in mundo est, in quo homines simul habitent, qui istiusmodi muribus atque foricibus aut gliribus non sit refertus cum magnis, tuum paruis, cum occultis, tum manifestis. Quinetiam in singulis adibus reperiuntur. Nam cui seruus est aut ancilla segnis, & rerum ac obsequij officijque negligens, quid aliud habet intra domesticos parietes, quàm curculionem uoracissimum, plura deuorantem, quàm si domum plenam haberet gliribus & muribus? Proinde istos Philargyros & Philochryfos missos faciamus, qui lucrum undeeunque turpiter aucupantur, & quæstum passim & ab omnibus sua inexplebili habendi cupiditate corrumpunt, ut auaritia suæ nec modum nec finem facere, aut statuere possint, nec interim quenquam suis bonis uel tantillum frui sinant: imò nec ipsi utcunque partis alacri animo uti audent, sinentes ea pasceri tineas, & perire quemadmodum parta sunt, uel peruenire ad hæredes, quos minimè omnium uelint, ita enim res huius seculi comparata sunt, ut illarum hæres futurus ignoretur. Et magnæ opes rarè sine fraude parantur. Atque quoniam diues omnis (ut etiam prouerbio dicitur,) aut iniquus est, aut iniqui hæres, fit, ut neque suas diuitias bene collocet: neque his impertiat, quibus libenter uelit: & sæpè ex luculentis opibus nemo ullum fructum capit: sed ita euanescent, uel cum uermibus & puluisculo, ut nulli mortali scire contigerit, quoniam tanta opulencia deuenerit. Hoc sum expertus: & uidi multos opulentissimos, qui opes extructissimas reliquerint, quæ tamen repente euauerunt: aut illis cesserunt, qui non admodum grati pro acceptis opibus extiterunt: sed turpi & ignominioso luxu omnia cõsumpserunt. Quapropter tamen si aliquis diu multumque cumulauerit, & quispiam forte fortuna eundem rogauerit, quemnam suorum bonorum hæredem relicturus sit, tum se nescire respondere cogitur. Et ferè semper secus quàm ille instituebat, accidit. Eam ob rem profectò nimium stultus est, qui omnem spem & fiduciam suam in congestis opibus positam habet, & sese per omnem uitam immodicis curis, & animi angustiis discruciat: nec tamen exploratum habet, cui sua sit relicturus. Memineris, & apud te meditare philargyre, cum hinc emigrandum tibi fuerit, ut tum demum Deum tuum æruginosum, hoc est thesaurum, inclames & inuoces, quem malis artibus parasti, & in quo tuam fiduciam collocasti. Et uide quid spei aut opis ab illo tibi præstari possit, qui ne seipsum quidem aut liberare aut defendere potest ab ærugine, tineis, & furibus. Sed coactus miser finit se quotidie deuorari & consumi, ita ut omnium prædæ expositus iaceat, à nemine non lacerandus & diripiendus. Pudendum igitur facinus, dicere tam imbellem & inualidum Mammona, Deum esse seculi & totius mundi gubernacula obtinere, qui tineis, ærugini ac furum rapacitati sit obnoxios. Prò facinus, tales esse homines qui hunc scabiosum & inermem suspiciant Deum, qui que sic æruginosum thesaurum sectentur, & omnem suam spem atque fiduciam in eo collocent. Profectò his ita contingit, quemadmodum psal.

Mammon, Deus seculi, cuiusmodi.

Æruginis, tinea & furum nomine quid intelligendum.

Nomina gloriosorum militum apud comicos.

Fures publici

Vbiq; fures.

Magnæ opes plurimè magna fraude parantur, malè partum malè dilabuntur.

Hæres cuius sius incertus & ignotus.

Auarus idololatra.

Deus auarorum æruginosus.



75. scriptum legimus, Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. Id est, diuites, qui Mammonae seruiunt, morituri, nihil inuenerunt. Hi sunt diuites, qui spe sua frustrantur, & pudefiunt, quum iam se fructum diuitiarum suarum in manibus tenere putant. Hoc explicat Salomon, dicens, Est aliud malum, quod uidi sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorē, & nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud. Hoc uanitas & miseria magna est. Hoc generale est iudicium eorum omnium impiorum, qui sibi nescio qua carnali securitate pollicentur adhuc diuturnam in hoc seculo felicitatem, uidelicet quod ueniat super eos, quemadmodum Paulus ait, dies Domini, sicut fur in nocte. Cum enim dixerint, Pax, & tuta omnia, tunc repentinus opprimit eos interitus, sicut dolor parturientis mulierem praegnantem, nec effugient. Et Dauid, Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut caedros libani: Transiui & ecce non erat: quaesui eum, & non est inuentus locus eius. Et alio loco ait, Sapientes moriuntur: simul insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis diuitias suas. Porro Deus ita ordinat, & punit studiosos diuitiarum, ut in spe sua pudefiant, & tunc maxime opibus suis priuentur & pereant, cum iam sibi praesentem diuitiarum suarum fructum polliceantur. Responfabit aliquis. Ergo nulli thesauri habendi sunt, & omnes illi damnantur, qui thesauros hic in terris congerunt? Respondeo. Non oportet Christianum esse anxie sollicitum, quomodo nummos sibi parat, cui corde & per fidem uiuam ex uno Deo pendendum est. Caeterum quod ad alendum & sustentandum corpus attinet, aliaque paranda, quibus haec uita transigitur, partis rebus temporalibus uti, & eas possidere possum, quousque persona mea extenditur. Licet quoque pecuniam & thesaurum cumulare, attamen ne quid nimis, ut ne in auaritiam prolabamur qua, quod quis plura congererit, eod est cupidior & insatiabilior. Ad haec licet congerere, & in parato habere pecuniam, frumentum & alia huiusmodi pro subleuandis subditis, aut aliis ad nos pertinentibus. Hoc docuit Paulus, 2. Corinth. 12. cap. de parentibus qui filiis suis thesaurizant. Exemplo etiam erit Ioseph patriarcha, quem procuracione Aegypti ambiisse sacre testantur literae. Ad eum modum qui annonam cumularat, & rem publicam administraret, ut omnia horrea frumento plena essent, & tota regio omnibus rebus necessariis abunde instructa esset, unde hominum inopiae consuli possit, mutuando, & distribuendo, quae congregata fuerunt, quoties necessitas postularet, equidem hic optimus thesaurus esset, & sic rebus temporalibus bene & Christiane uteremur. Non enim praecipitur, ut simus mendici, sed unicuique tantum sibi parare licet, ut se suosque alere possit, ne aliis onerosus esse cogatur, sed potius egentibus subueniat, & ita alter alteri, quoties necesse fuerit, officiose & fraternè opem ferat. Ita quoque singulae ciuitates in communem usum ciuium tantum cumulare deberent, quantum possunt. Idem faciendum esset in singulis quoque parocciis, ut pro subleuandis pauperibus commune haberent ararium. Et hoc non esset iniusto Mammonae studere, sed Christiana ratione thesauros cumulare. Neque enim eiusmodi thesauri sunt quibus coaceruandis tantum, non utendis, inexplibili cupiditate & uoluptate studetur, quemadmodum cultores seculi pecuniam congerunt, non aliud spectantes, quam ut nimis uidendis oculis pascant, & aureis cumulis adblatiantur, sicut puppis suis puellae: sed coaceruantur in suborientes quotidie necessitates alios iuuandi. Aduersus hos diabolicos thesauros Christus loquitur, Nolite uobis thesaurizare thesauros in terra: perinde atque dicat, Caue tu homo reponas thesaurum in terra pro te tantum, & ad uoluptate tuam explendam. Neque enim oportet ipsum animum infectum & contaminatum esse auaritia, ut ne temporaneo Mammonae adhaerescat, sed alium thesaurum sibi in caelis quaerere & recondere. Colligamus ex his,

Diuites, egeni omnium, quum emigrant.

Auarus alii congerit, non sibi.

Auari ferre imparati, & nec cogitant, hinc abeunt. 1. Thess. 5.

Deus auaros uel hoc maxime punit, quod eis frustratur spes suas.

Thesauri an parandi.

Christianis non praecipitur esse mendicis.

Aeraria licet habere in uis publicos.

quod pro more & necessitatibus huius seculi, tantum licet cumulare, quantum aequè & iuste possis, non quod uoluptati & auaritia tuae satisfacias, sed pro tua & aliorum inopia adiutanda. Et interim rebus temporalibus utere, ut rebus pereuntibus ac temporaneis. Quod si thesauros honestis artibus ac Deo autore cumulaueris, tum ille quoque dabit operam, ut sint tibi perpetui, nec deperdantur, sed in bonum usum distribuantur & fructum non uulgarem afferant. Qui hoc animo nummos ac bona congerit, & illis sic utitur, is ut bonus Christianus, benedictionem habebit a Domino. Obserua. Thesaurus proprie diuitiae sunt sepositae & in longum tempus reconditae, quem Persae, gazam appellant. Constat enim Graecis, *θησαυρον* dici *παρεσθησεν* hoc est, in crastinum siue in posterum reponere. Illud autem *θησαυριζειν* uel *θησαυριζειν* *επι* *της* *γης*, quidam sic ad uerbum reddidit: Ne colligatis uobis collectiones, accruos, cumulos, copiam rerum, super terram. Quae admodum & Roma. 2. hoc uerbum usurpatur, ubi peccatum peccato addendo, fit cumulus crescens in futurum. Vetat ergo Christus affectum nimium sollicitudinis cumulandi, & congerendi diuitias in terra.

Quorsum opes cogendae.

Opes etiam seculi bene utentibus perpetuae fiunt. Thesaurus quid.

Thesaurizare.

Theaurizate autem uobis thesauros in caelo.

Haec est altera Antitheseos pars, priori omnia habens contraria. Caelum terrae opponit, ut suos uelut caelestes filios loci securissimi pollicitatione pelliciat, & a domo terrea, & furibus exposita, ad caelum patriam suam (ubi debeant perpetuo manere) remittat. Distinguit item inter diuites, ne quis existimet in hoc iudicio etiam pios diuites comprehendi. Alij enim sunt diuites non opibus tantum, uerum etiam pietate erga Deum. Talis diues fuit Abraham, talis & Iob, talis & Dauid, talis & Salomon. Qui diuites in Deo laudauerunt quidem ingentia rura, sed exigua colenda docuerunt, significantes ad felicitatem huius seculi, multo commo- diores esse modicas, quam magnas facultates. Quemadmodum enim satius est dimidio cibi uti, quam immodico cibo onerare stomachum: ita satius est dimidium facultatum habere, quam ingentes opes, quae ut sine magna inquietudine & labore administrari non possunt: ita nec sine ingenti periculo retineri, ut docet Paulus 1. Timoth. 6. Accedit huc quod Salomon Ecclesiastae, 2. cap. Coaceruau mihi (inquit) argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarum: feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceolos in ministerio ad uina fundenda, & supergressus sum opibus omnibus, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Sapientia quoque perseuerauit mecum, & omnia quae desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni uoluptate fruere, & oblectare se in his quae praeparaueram. Audiuisti, pie lector, maximarum opum abundantiam & praeparacionem multarum uoluptatum, sed etiam audi nunc successum. Cum (inquit) conuertissem me ad uniuersa opera, quae fecerant manus meae, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, uidi in omnibus uanitatem & afflictionem animi: hoc quid aliud significat, quam hominem contentum esse debere mediocritate, aut id, quod dicit Christus, Luc. 12. Non in abundantia cuiusquam uita eius est ex his quae possidet? Tales diuites describit Paulus, & hunc locum Christi interpretatur, 1. ad Timoth. 6. cap. Diuitibus huius seculi praecipere non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant bonam uitam. Alij sunt quidem diuites externis opibus in arca sua nummaria oclusis, sed erga Deum sunt pauperrimi. Non enim confidunt in Deum, sed apponunt cor suum in diuitias. Non utuntur diuitiis ad obsequium suum & proximi, sed abutuntur ad explendas uoluptates carnales. Non inquirunt futuram ciuitatem in Christo Iesu, sed affectant felicitatem huius se-

Diuites alij atque alij.

Diuites in Deo, magna quidem tenuerunt, sed pauca laudauerunt.

Diuitum spes quam ludificatoria.

Quas diuitias Paulus inter parari.

Diuites praeposteri & infelices, qui.



culi in opibus suis. Sed de his paulò antè copiosius diximus. His itaque relictis accedamus ad textus interpretationem. Nolite thesaurizare, &c. Ac si diceret. Quia inopiam fugitis, & diuites vultis fieri, si liber reponere thesauros, si animus est uerè ditescere, agite, ostendam uobis, quo pacto id consequamini. Recondite uobis thesauros, non in terra, ubi perituri sint, & uariis obnoxij periculis, sed in cælo, æternum permanuros & alienos ab omni periculo. Quis aded insanus est, qui non malit thesauros perpetuos, & cælestes, quàm terrenos & mox interituros? Nò ab simili exhortatione usus est Paulus, 1. ad Timoth. 6. Diuitibus huius seculi, &c. ut paulò antè diximus. Thesauri sunt bona spiritalia, & opera à charitate manantia. Operibus igitur bonis ex fide uiua emanantibus, in cælo thesauros recondimus, quia ad uitæ æternæ perfruitionem (quam ex fide uiua speramus) tanto accedimus propius, quantò pleniore charitate (quæ omnium consummatio est) euadimus. Itur igitur ad cælum fide exerente sese per charitatem, & bonis operibus uita æterna apprehenditur (ut Paulus loco supra allegato loquitur) atque thesauri cælestes reconduntur. Quia quò ditiores sumus bonis operibus, eò & beatiores euadimus. Eò certè spectamus, & finis noster est, ut consummata bonitate, optimum patrem bonis operibus (ad quæ conditi sumus) referamus. Vnde Paulus Ephes. 2. ait. Gratia saluari estis per fidem (& hoc non ex uobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis) quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Obserua: ex bonitate patris & merito Iesu Christi reponimus nobis thesauros in cælo, dum bonis abundamus operibus ex fide uiua. Et quia his Christi fontem omnium bonorum percipimus, per opera misericordiæ ex fide uiua facta, Christo Domino ad salutem nostram perficiendam consequendamque cooperamur, & pro modulo, quem donat clementia patris, etiam ipso in Christo capite nostro reponimus nobis centuplum hîc, & in futuro consortium regni cælestis. Id nobis compertum erit cum audiemus, Venite benedicti patris mei, &c. Hi sunt thesauri, quos hortatur nos in cælo recondere. Quos recondimus maximè erogâdo egenis, hoc est illis committendo, qui recipiunt nos postea in æterna tabernacula. Rursus obserua uoculam, uobis, quasi diceret, nò mihi reconditis, qui nulla re indigeo, & cui nihil gloriæ & bonitatis accedere potest: sed uobis, quibus prodest. Obserua: cælum accipitur non pro loco corporeo, ait August. Quia omne corpus pro terra habendum est, & transitorium est: sed pro eò loco felicitatis supra cælum Empyreum, de quo dictum, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

Vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.

Argumento à securitate & perpetuitate, rebus profectò exoptatissimis illi generi hominum, qui thesauros habent, loca cælestia commendat. Quanti quælo diues quispiam emeret locum inexpugnabilem, securissimum, & perpetuum, si offerretur ad reponendum thesaurum? Tum enim liber esset à quauis anxietate & sollicitudine. Certè hoc bono potitur, qui in cælo thesauros suos reponit. Qui fieri potest, ut salua non sint, quæ tutelæ Dei committuntur? Si Deus pro nobis, quis contra nos? ait Paulus. Cur ergo illic nò omnia reponimus? Perpetuus est cælestis locus, & perpetuò tutus, qui illic reponitur thesaurus, nempe ad quem neque furibus, neque rubigini, neque tineis est accessus. Reponamus igitur thesauros nostros in cælo, & in Christo: & audiamus Paulum nos excitantem à terra ad cælestia Coloss. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ sunt super terram: quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est. Ex superioribus colligamus. Thesaurum in terram fodiunt, qui indigenti opem negant, dum ferre possunt: & qui ab hominibus laudem & lucrum pro bono sollicitè uenantur, ac quærunt.

runt. In cælo autem thesaurizant, qui omnia ad laudem Dei faciunt, & dum pietatis opera in proximum expendunt, non sibi aliquid laudis quærunt, sed Christo omnia tribuunt.

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Prouerbiali sententia ætiologiam potiorèmq; causam affert Christus, cur non in terra, sed in cælo reponendus sit thesaurus. Ob id certè, quòd ea sit nostrorū cordiū natura, ut nequeant nò tota ibi esse, ubi thesauros suos habent. Cum itaque Dominus eò huc in mundum uenerit, ut suos à rebus terrenis, & negotiis seculi, ad cælestia euocaret, ipsorumque corda & animos ad æterna & cælestia bona erigeret, operæpretium fuit commonefacere eos, ne terrenis adhærescerent, nec quicquam thesauri in terra arugini, tineis, & furibus obnoxium colligeret: ne scilicet dum terrestri thesauro corde & affectu inhiarent, cælestia negligenter. Obseruandum est, quòd quoniam cor domicilium est sensuum, & fons cogitationū, ex quo promuntur & bona & mala, sit, ut cor significet consilia, studia, mentem, iudicium, opinionem, affectum, cogitationem, æstimationem. Hoc autem loco pro affectu accipitur. Item nomine thesauri hoc loco intelligitur quicquid fuerit, in quo spes tota reponitur, cui præcipuè, & in quo animus conuiescit, & quod diligitur aded, & conseruatur, ut omnis cura ipsi custodiendo adhibeatur, ueluti sine quo moriendum, pereundumue sit. Hoc affectu & animo diuitias suas mundani colligunt & reponunt. Quo fit, ut qualis qualis, aut quanta quanta fuerit, aut aris aut pecuniæ, aliarumue rerū copia, aut multitudo, non dicatur thesaurus nisi ad sit totus affectus, & cor adhærescat. Vnde hoc modo si acceperis thesaurum, facile intelliges, Christum non hîc prohibuisse diuitias ac substantiam huius mundi, sed solum ne sint nobis loco thesauri, hoc est, ne affectu seu toto corde illis adhæreamus. Porro his uerbis, Vbi enim est thesaurus, &c. Christus docet, quale debet esse studium nostrum, sonantque uerba eius, perinde atque nos de diuite auaro loquimur, Pecunia, cor eius est: hoc est, pecunia ipsius gaudium est, & consolatio: & in summa, ipsius quoque Deus est: contra, nihil pecuniarum habere, mortem esse existimat, neque quicquam animi, lætitiæ & cōsolationis præsto est. Quocirca ad hunc modum dicere uidetur, Vobis attendite, & uestra ipsorum corda examinantes, probate, ac sit uobis persuasum, quòd ubi thesaurus uester fuerit, ibi & uestrum cor prorsus futurum est. Est & illud trito iactatum adagio, Id homini Deum esse, quòd amat: huc enim totus rapitur, dies noctesque in eius cogitatione & contemplatione consumit, dormiens & uigilans istud animo agit, siue uoluptates, siue honores, siue amores, siue aurum, siue quid aliud amauerit. Quare si quis desiderauerit intelligere, ubi nam locorum est suus thesaurus, obseruet suum cor, & mox ipsum, ut ut abstrusum, comperiet. Nò ergo difficile fuerit interno scire, an maiori desiderio & diligentia teneatis uerbum Dei audiendi, & iuxta illud uiuendi, ac futuram uitam consequendi, quàm copiosam pecuniam congerendi, & multa bona comparandi. Si enim eo fueris præditus animo, & re ipsa talem te exhibueris: ut ubi necessitas postulauerit, malis non tantum pecuniæ & bonorū, sed tuæ quoque uitæ iacturam facere, quàm Euangelium amittere aut contemnere, & tui commodi gratia proximo uim aut iniuriam facere, &c. tum pro indubitato habere & concludere potes, pecuniam & diuitias non esse thesaurum cordis tui. Tametsi enim opes recondas, & parcè promas, tamen bona tua labore & parsimonia parta, liberè exponis discrimini, & pro alio thesauro consequendo laboras, nisi ut sprete omni doctrina Euangelij & admonitione, sic uiuas, sic incedas, ut totus in hoc sis, & totus cogites, qua uia tibi grandes opum acruos conflabis & congeres, & tuæ magnificentiæ satisfacias, non admodum sollicitus, iuste an iniuste a-

Qui thesauri  
zant in cælo.

Thesauros  
recondi in ter  
rà quare ue  
luit Domi<sup>9</sup>

Cor fons co  
gitationum,  
& officina  
uoluntatum.  
Cor pro affe  
ctu.

Thesauri no  
mine qd in  
telligitur a  
pud Matth<sup>9</sup>

Quod unice  
amat homo,  
hoc ipsi De<sup>9</sup>  
& idoli est.

Ex corde se  
suo quilibet  
æstimat.

Thesaurum  
cordis sui  
quomodo u  
nifquisque  
deprehendat.



gas cum proximo, modò habeas & obtineas, ut uno nūmo duos, imò uerò decem  
lucris facias, non curans, quid uerbum diuinum & leges ciuiles loquantur: ibi sanè  
uel manibus palpare potes, tuum thesaurum in caelis non esse repositum, sed pe-  
nes aruginem & tineas latere, in tantum, ut malis Deum & omnibus homines ini-  
micos habere, quàm uel unico nūmulo defraudari, & in Dei proximique gratiam  
carere. Quare respice, & bene monenti adhaereto & attende. Siquidem cum Pa-  
trem, qui in caelis est, inuoces, à quo & ad caelestia, hoc est spiritalia & aeterna bo-  
na sis uocatus, in illis esse & uersari debet cor tuum, nisi tantam optimi patris boni-  
tatem contempseris, aut non credideris te totum in illum rapi oportere, si bene ti-  
bi consultum uelis. Obserua. Non dicit, ubi est thesaurus tuus, ibi esse poterit cor  
tuum: uel, ne sit, aut ne rapiatur eò cor tuum, ubi est thesaurus tuus: sed per asseue-  
rationem, ibi, scilicet, est cor tuum, quod thesaurum congerat & componat cor si-  
ue affectus animi.

Affectus ani-  
mi thesaurū  
facit.

**Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si fuerit oculus tuus sim-  
plex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autē oculus tuus  
nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit.**

Hic locus elegans est collatio, & metaphora, à naturali corpore tracta, quæ &  
Luc. II. cap. eadem legitur. In primis autem explicari potest, in eum sensum, qui  
tangit in uniuersum, quemuis Christianum, unde omnibus pariter notanda est,  
meditandumque in illa externa & corporea cæcitate, quanta sit mentis miseria.  
Prioribus subiecta est hæc collatio, pulchra parente consequentia. Monuit, horta-  
tūque est Dominus, ut in caelo nostros reponeremus thesauros, ne in terra recon-  
dentes thesauros perituros, simul periremus, si illis animos addiceremus. Quid  
quæso cōuenientius subiici poterat, quàm, Lucerna corporis tui, &c? Quasi diceret  
cauete, & diligenter obseruate, ne mentem uestram ad ista terrena & caduca de-  
mittatis. Per metaphoram oculum pro mente posuit: corpus uerò pro tota uita &  
actibus. Id enim corpori uitatus oculus est, quod toti uitæ mens praua. Nam  
quemadmodū si corruptus fuerit oculus, nihil lucis relinquitur corpori: ita si de-  
prauata fuerit mens, nihil ueritatis aut sani consilij habet omnis uita hominis. Et  
quemadmodum corpus, quousque puro utitur oculo, periculum nullum est, ne  
temerè iuxta pontem in fluuium incidat, aut per dumos & sentes incedat, aut in  
ignem prolatur, siue in aduersas hastas incurrat: nam lucerna, quæ est oculus,  
facile à periculo & damno ipsum tuetur. Cæterum qui captus est oculis, & iter ha-  
bet faciendum, sanè ille, per saxa, per ignes proficiscitur, usque dum prolatur, &  
cervicem frangit, aut in undis submergitur: etenim nullo lumine subleuatur, sed  
meris tenebris obseptus est. Non secus quoque in rebus Christianis agitur, potis-  
simùm in auaritia, quam hoc loco insinuat Christus, excæcantem corda, quibus  
excæcatis, nihil esse reliquam uitæ actionem, ac reliquos omnes affectus, nisi me-  
ras tenebras. Vide. Ut solent peritiores medici à materia (ut uocant) peccante, cu-  
ram ordiri morborum: nam hac sublata, facile etiam cedit morbus: ita Dominus,  
fidelissimus animarum medicus, ad affectum cupiditatis descendit expurgandum:  
inde enim existit congerendi studiū. Hanc ob rem indicat corrupto animi affe-  
ctu, simul omnia hominis studia & opera esse corrupta ac uitiosa: rursus, ex affe-  
ctione animi pura & sincera oriri purissima studia & opera. Itaque præcipit afe-  
rendum affectum cupiditatis, & inferendum pietatis spiritum. Ad hæc obseruan-  
dum est, quòd oculum uocat lucernam, eò quòd sicut lucerna non ex se accēdi-  
tur, aut illuminatur: ita nec mens, actionum nostrarum oculus siue lucerna, ex  
se, sed à Christo, luce mundi, & spiritu sancto accēditur, ut ueritatem Dei noscat,  
& illi sincerè credat, possitque dicere cum Dauide sancto, Psal. 118. Quoniam tu  
illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Quare

Affectus eu-  
piditatis, tol-  
lendus.  
Oculus, qua-  
re lucerna.

mens, diuino lumine perfusa, sese rebus supernis addicit, & omnem uitam ita il-  
lustrat, ut omnia sancta, scelericia, & diuina futura sint: & Totum corpus lucidum  
erit, nullam habens partem tenebrarum, uelut si te lampas coruscatione sua illu-  
stret: hoc est, uniuersæ tuæ actiones erunt pietate illustres, atque secundæ, & ni-  
hil omnino tenebrarum illis dominabitur. Nam quemadmodū non sceleriter acci-  
dit, imò suam poenam semper coniunctā habet, quicquid ex cupiditate agitur: ita  
sceleris & faustū est, quicquid geritur ex sententia Dei, idque demū uerè lucidum uo-  
catur. Nā lucis nomine nō tā pietas & iustitia, quā successus & scelericia in scripturis  
significatur. Lucidus est, qui totus est in gloria Dei: & oculus simplex & lucidus  
est, dū mēs solū ad gloriā Dei spectat, nō declinās ad humanas cupiditates. Qui  
huiusmodi est, omni ex parte lucidus est, & nihil tenebrarū habens, nā uidet Deū  
quem adorat. Creaturam quidē intuetur, sed in Deo, hoc est, laudat creatorem, &  
commendat creatoris bonitatem, magnificentiam, & prouidentiam, in creatura re-  
luentē: hoc faciēs, rectè utitur creatura, & Deo sanctè fruitor: tum uerè simplex  
est oculus. Sed detortus ad creaturam, & in ea quiescens, tum duplex est oculus,  
luscus & tenebrosus: demittit enim se ad creaturam, relicta Dei gloria: & obtene-  
bratur à creatura, quæ tenebrosa est, imò ipse tenebræ. Intuēs igitur hic oculus hæc  
creaturam in seipsa, & non in Deo, nihil lucis habet, simplex non est, sed duplex  
& tenebrosus per idolatriam. Quare danda est opera, ut spiritali corpori tuo  
simplex sit oculus, hoc est recta & bona opinio atque intelligentia, ut compertum  
habeas, quomodo credas aut uiuas: nec te ipse falsa opinione & persuasione sedu-  
cas atque decipias. Verbi gratia. Si apud te stans cogitaueris, dicens, Laborabo, &  
aliquid operis faciam, ut aliquid rerum mihi parem: unde me meamque uxorem  
& liberos honestè alere queam. Et si Deus tam benignè mecum egerit, ut etiam  
proximo officij prodesse possim, & eius inopiam subleuare, non inuitus faciam.  
Ecce hæc lucerna est seu spiritalis oculus, de quo scriptura loquitur, indicans tibi,  
quæ tui status partes sint, tæque docens, quo pacto in eo uersari & uiuere te oport-  
teat. Hoc enim iustum est, atque ad eò fieri oportet, ut unusquisque aliquid operis  
aut negotij faciat, unde se alat & suam familiam. Quare dum hoc modo fuerit tibi  
oculus simplex, quicquid egeris, aut quomodocumque uixeris in externa conuer-  
satione secundum officium & statum tuum, omne illud rectum est, & laudabile,  
& iuxta uerbum Dei recta opinione institutum: ita ut solis instar, coram Deo, &  
hominibus luceat, & coram uniuerso mundo subsistat, cum omnia opera tua pre-  
tiosa sint: ac potes bona conscientia uti rebus temporaneis, ut diuinè & honestè ac-  
quisitis. Cæterum, oculum nequam, hoc est affectum prauum ac malum dam-  
nat Christus, nimirum mentem sua quærentem, & sibi placentem. Hic oculus nō  
rectè ad Deum contendit, sed diuertit, declinat ad creaturas, etiam si Dei honorè  
prætexat, ut solent hypocritæ, qui cum maximè omnium diuinæ gloriæ studiosi  
uideri uelint, nihil nisi serui sunt uentris sui, uel nominis, aut certè, quod est cre-  
berimum, utriusque. Obserua, hæc allegoria, quæ oculus pro mente accipitur, in-  
de Hebræis nata est, quòd animi habitus se oculis maximè prodit, unde opus ex-  
ternum eiusmodi est, qualis est affectus internus. Nam id oculus significat. Solent  
autem oculum bonum, pro animo liberali & benefico: malum, pro parco & inui-  
denti dicere. Prouerb. 23. Ne edas cibum oculi mali, & ne desyderes delicias eius.  
Nam dicit tibi, ede & bibe, id erit tibi, tanquam incidens nouacula, & cor eius  
non erit tecum. Secundò hic locus potest referri ad solos discipulos, & eorum suc-  
cessores, cæterisque in republica magistratus, & ministros, eoque spectare uide-  
tur, quod superiore capite dixerat discipulis, Vos estis lux mudi. Non potest ciui-  
tas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub  
modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Quibus uer-  
bis Apostolos hortatur, ut magna diligentia discant, quæ uera sit sententia, tum le-

Ltx in sacris  
pro prospe-  
ro euentu.  
Oculus sim-  
plex & luci-  
dus, quid.

Oculus du-  
plex & tene-  
brosus.

Oculus sim-  
plex quando  
homini.

Oculus ne-  
quam.

Hypocritæ,  
serui uentris  
ac nominis  
sui.

Quare oculus  
pro mente, He-  
bræis.  
Oculus bonus  
pro animo  
beniuolo,  
& contra.



gis, tum Euangelij, quo deinceps totam Ecclesiam rectè erudiant: meminerint. que suæ fortis, & uocationis, ad quam uocati sunt. Quasi diceret, Ego ordinabo uos in lucernas, & in oculos totius Ecclesiæ in toto orbe terrarum. Vocati estis, ut sitis lux mundi, & qui uos audierit, me audiet. Iam lucerna non accenditur ut sub modio condatur, sed ut supra candelabrum ponatur, & omnibus luceat. Quod si lucerna non fuerit accensa, tota domus obscura est: similiter & oculi in homine, si fuerint lucidi, totum hominis corpus lucidum est, Si autem cæcutiant, totus homo cæcutit: ita si uos Apostoli, quos posui in lucernas & oculos Ecclesiæ, uerbum Dei rectè intellexeritis, & perspicuè docueritis, tota Ecclesia illustrabitur doctrina uestra. Et sicut oculus in homine creatus est, ut hominem illuminet: ita & elegi uos, non ut obscuram uitam ducatis, sed ut exëpla honestæ uitæ publicè exhibeatis, quò homines uideant uestra bona opera, glorificentque patrè uestrum, qui in cælis est.

Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Si hanc sententiam ad mentem applicueris, sensus est: Si ergo mens, quæ ad honesta & salubria, omnibus sensibus, affectibus & operibus debet præluere, uice oculi scilicet & instar lucernæ habita, tenebræ fuerint, id est, fuerit mens diuinæ bonitatis ignara, & detorta inde ad quærenda carnalia, amabo, quantæ ipsæ erunt tenebræ? id est, affectus & sensus naturæ, alioqui à cunabulis ad prauitatem proni, quanta (quæso) prauitate erunt perditæ, ductricæ cæca mente? Certè plusquam cimmericæ tenebræ erunt, hoc est, improbißima improbitas erit. Si referas uerba ad discipulos, doctores, & qui in republica prominent, ad hunc modum potes locum expendere: Pro comperto habetis, quòd oculus lucerna est corpori, quæ si lucida fuerit, corpus erit lucidum: & si tenebricosus fuerit oculus, erit & corpus tenebricosum. hæc certissima habetis, ut uideo. Iam colligite ex istis ad hunc modum, uestram, & totius mundi conditionem. Totus mundus in tenebris est. Ego autem uos posui, ut sitis lux mundi. Quòd si candidè uestræ uocationi, & officio responderitis, benè erit corpori mundi, quod habebit unde uideat, si uelit. Si uerò lucis officium non præstiteritis, hoc est non rectè docueritis, si impiè uixeritis, quis pietatem sectabitur? Manebit mundus in tenebris suis. Iam uidete quantæ sint futuræ tenebræ, si uos fueritis tenebricosi, qui debetis esse lux mundi. Quomodo pietatem cæcus & ignarus mundus uobis cæcis sectaretur? aut quomodo quis bono exemplo aliis præluceat, si prauam duxeritis uitam? Nò expectabitis bonæ uitæ exempla à potentibus huius seculi: hi enim suo genio indulgebunt. Non à diuitibus huius seculi: hi enim suo lucro inhiabunt. Non à vulgò hominum: vulgus enim suo semper uiuit more, hoc est præfractè & impudèter. Vos autem soli ex omni hominum numero in hunc usum positi estis, ut non tam doctrina, quàm exemplo uitæ prauam aliorum uitam corrigatis. Nihil igitur prius ducatis, quàm ut pietatem sectemini. Quòd concionatur hîc Christus apostolis, hoc idem ad omnes referri potest. Vnde etiam atque etiam uitandum est, ne lumen tenebræ sint, non tantum hoc nomine, quòd infami aliquo crimine ceu auaritia laboras: sed etiam quòd uitium tuum celare studes, illo scilicet lumine quasi auaritia, auaritia dicenda non sit, auferens tibi ipsi conscientiam, quòd minus taxeris: & ita ex unis tenebris, geminæ fiunt tenebræ, & prioribus multò grandiores.

Veluti si homo stultus sapiens uideri conetur, nec uelit stultitiæ coargui, illum bis stultum rectè uocamus: aut si qua deformis puella, formosa & elegans esse studeat, ac suam formam & turpitudinem turpius exornaret, certè ipsum deformosissimum Therfitem uinceret, & semet solùm turpiorem & magis ridiculam exhiberet. Hęc profectò hominum natura est, nec facile reperitur, qui æquo animo patiatur sua peccata corripi, aut reprehendi: sed unusquisque ferè uitæ suis uelamentum ob-

Quanta maiorum colluuiis à prauis pastoribus.

Ignorantia sui, ingentes tenebræ.

Mortales sibi ipsi suffeni.

ducit, & laudari sua acta postulat. Atque ita è simplici peccato geminum faciunt. Huiusmodi enim mens est omnium terrena diuinis præferentium, & sibi placentium. Obserua. Facile possumus ex his intelligere, quantum ipsi Ecclesiæ incòmodent cæci pastores & doctores. Quid enim quæso damnosius cæco contingere potest, quàm dux cæcus? Ambo enim in foueam cadunt, Matth. 15. Tales erant Pharisæi, quos hoc loco Christus tacitè sugillat. Rursus ex superioribus collige, nihil pestilentius contingere posse auaritia ei, qui oculatus & dux esse debet. Hoc malum in lege depictum est, & in ipsam ab Esaiâ, 56. cap. inuestum est. Speculatores eius (inquit) cæci omnes: nescierunt uniuersi: canes muti, non ualentès latrare: uidetes uana: dormientes, & amantes somnia: & canes impudentissimi nescierunt faturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in uiam suam declinauerunt, unusquisque ad auaritiã suam, à summo usque ad nouissimū. Item ab Hieremia. 6. capit. A minore quippe usque ad maiorem omnes auaritiæ student: & à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Item. 8. cap. Quia à minimo usque ad maximum omnes auaritiã sequuntur: à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. De hoc ipso scribitur in Euangelio Matth. 23. & Luc. 16. Quid autem hodie Anno Domini, 1546. fiat, non est opus, ut scribam, quod omnibus compertum est, & lippis & tonforibus notum. Rursus meditandum simul & obseruandum est, quantum fructus & utilitatis Ecclesiis contingat, quando ministri uerbi simplicem habent oculum, lucem Euangelij puram seruant, & de ea prædicant: non sua, sed quæ Iesu Christi sunt, quærentes. Obsequamur igitur admonitioni Spiritus sancti, quæ est præceptoris nostri Iesu Christi doctrina. Et honestam uitam ex fide per charitatem operante ducamus, ut etiam, hi qui nõ obtemperant uerbo Dei, per nostram conuersationem lucrifiant per Iesum Christum, qui est heri & hodie, & in secula seculorum.

Nemo potest duobus dominis seruire.

Declaraturus per similitudinem Christus, impossibile esse, quod plerique omnes frustra conantur, Deo seruire & diuitiis, in primis adducit prouerbialem sententiam quam omnes à naturali experientia fatentur esse ueram, quòd naturam & ingenium, uel certè ius dominorum in seruos, deinde officium seruorum Dominis debitum, exprimat. Dominus & seruus correlatiuè se habent, mutuis se respiciunt uultibus. Oportet seruum sese prorsus animo addicere ei, cui seruit, ut totus in obsequio Domini sit, nihilque aliud spectet, quàm heri sui uoluntatem. Vult herus seruum suum ad omnia sibi paratissimum, & in omnibus planè morigerum, tanquam eum qui sui iuris est. Itaque Iesus Christus exigit à nobis, ut è charitate spontaneam seruitutem seruiamus: nam nisi ita fiat, seruitus non est. Nam neque hominibus coacta seruitia placent: id quod naturæ ductu fit, & quotidianis clarescit experimentis. Quòd si inter homines id ita fit, multò magis in cultu Dei addecer, ut cultus ipsius coactus non sit, sed spontaneo ex animo procedat & fiat. Quare qui Deo seruire uolet, & ad ipsius uoluntatem sese comparare, nulli minus quàm Mammonæ poterit esse addictus, imò si diuitias habeat, seruiens Deo dominabitur illis, ad Dei gloriam & proximorum commodum, illas dispensans. Contra uerò qui Mammonæ seruerit, & diuitiis fuerit addictus, is non poterit Deo seruire. Nam qui uolet seruire Deo, necesse est, ut animo renuntiet omnibus, quæ possidet, solamque ipsius Dei gloriã curet & quærat, Luc. 14. ca.

Aut enim unum odio habebit, & alterum diliger: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.

Quo magis auditorum animis prouerbialis illa sententia infideat, expressius similitudinem, & amoris ac odij signa explicat. Simulabit quidem aliquantisper utrique se Domino quispiam seruire: sed urgente necessitate, erumpet tandem si-

A cæcis pastoribus quædam detrimeti.

Auaritia pastorum uenenum Ecclesiæ.

Auaritia hodie & cupiditas planè trisphant.

Dominus & seruus, relatiua.

Seruorum frugimunt.

Hilares seruos amat Dominus.



gnum evidens, unde conspicuum fiet, utrum dominorum dilexerit, aut odio habuerit, nempe desertio & adhæsiō: iam odio habere dominum, & tandem deserere, non est probè seruire. Probus seruus totus eius est, cui seruit. Non patitur hæc philosophia Euangelica, ut quis se terræ & cælo partiatur, ac diuidat, ita sequutus cælestia, ut temporaria non contemnat. Is enim indubiè nihil aliud efficit, quàm ut dum utrunque captat, neutro potiatur. Christus totum indubiè requirit hominè. Nec inter homines reperies duos tam cōmodis moribus, ut idè seruus possit duobus satisfacere. Ita enim fit, ut alter sit deferendus, aut neutri fiet satis. Qui fieri potest, ut utriusque placeat, cum imperent diuersa? Et natura ac officium serui sit, uni ex animo addictum esse? Iam uterque dominus non solum se diligi, sibi que adhereri cupit, non solum integrum vult seruum, sed etiam exigit, ut alter deseratur, ne desertus uideatur. Concluditur ergo non posse seruii duobus dominis.

Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.

Fieri non posse dicit, ut quispiam Deo & Mammonæ seruiat. Ratio est ab impossibili, non à consilio. Vnde non dicit, Non debetis seruire, &c. sed, Non potestis seruire, &c. Ut planè nos terreat, & dehortetur à colligendis thesauris. Quasi dicat, Ne tentetis, quod possibile non est. Nam qui fieri potest, ut unus utriusque seruiat, cum tam diuersa imperent? Deus imperat, ut tua largiaris egentibus: Mammona iubet, ut per fas nefasque rapias aliena. Deus imperat, ut cōsulas fratri tuo periclitanti: Mammona iubet, ut tibi uiuas. Deus imperat sobrietatem, Mammona luxum docet. Frustra ergo uobis blandimini, si creditis fieri posse, quod fieri non potest, ut simul & Deo seruiatis & Mammonæ. Proinde fieri non potest, ut quis Mammonam & Deum colat. Quòd Deus, qui suo ipsius testimonio, zelotes & æmulator est, Exod. 20. & 34. cap. ferre non possit alium quenquam iuxta se. Vel tota (inquit) mea sit seruitus, uel nulla. Huius sententiæ difficultas sita uidetur in uoce seruire. Non enim inhibitu est, pecunias & facultates possidere, quandoquidem his carere non possumus. Abraham, Loth, Dauid, Salomon, & plerique alij multum & rerum & pecuniarum possederunt: hodiè que reperiuntur locupletes, qui item pij sint. Sed aliud est habere bona, & seruire bonis: Mammonam possidere, & Mammonæ seruire. Iob quoque diues erat, multumque rerum possidebat, potentiòrque erat cunctis orientalibus populis, ut fufius quoque Iob primo capite traditum est, tamen ait, Nunquid aurum posui in spem mihi, aurumue massam in consolationem meam? Nunquid lætatus sum, quòd magnas facultates possiderem, ac manus mea nihil non comparauerat? Quid multis? Id in summa à nobis requirit Deus, ne nimis & facultatibus inseruiamus. Obserua: seruites Deo, liberi sumus, & filij Dei. Hæc cum à nobis requirat Deus, debet nobis esse animus paratissimus ad obsequendum mandatis eius, quem unicum habeamus Dominum, & illi soli seruiamus, oportet. Hic enim solus Dominus est, qui solus supremum ius, & imperium in alios habeat, nemini subsit, nemini seruiat. Psal. 67. Dominus nomen illi. Psal. 82. cum Dauid orasset, ut potentiam suam Deus erga hostes exerceret, ait, Ut cognoscāt, quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus es in omni terra. Hinc quidam Romanorū Imperator nolebat se uocari Dominum, agnoscens illud esse cognomen solius Dei. Quod nomen frequēs est apud prophetas, hæc dicit Dominus, ubi nihil additur, eò quòd Deus sit universalis omnium Dominus. Aliis autem sunt adiecti tituli, defectum quendam significantes, quòd solum alicuius loci Domini dicantur: & id adhuc, sine summo illius loci dominio & imperio, ut Dominus illius uel illius loci. Hæc locorum ad ditamēta, sunt significationes seu notæ defectuū. Qui enim in terris Domini sunt, multis deficiunt, & non ubique Domini sunt. Rogabis, Si unus est Dominus, cur ergo uocatur Mammon Deus? Respondeo. Scriptura hoc nomine utitur, nò quòd

Euangelium non recipit simulatores.

Dei & Mammonæ affectus contrarij.

Seruire uox.

Imperat aut seruit collecta pecunia cuiusque.

Seruire Deo non possunt, qui non iudicij liberi sint.

Primi illi Cæsares noluerunt uocari Domini.

Deus unus omnium Dominus, sine additamento Deitas quomodo tribuitur creaturis

sit Deus, sed quòd à nobis illi obediatur ac seruiatur. Quia cui quis seruit, illud dominum suum facit. Ad hunc modum Satan uocatur princeps mundi. Et uenter, Deus quorundam à Paulo. Et. 1. Corinth. 8. Siquidem sunt Dij multi, & Domini multi, nobis tamen non est nisi unus Deus, & unus Dominus. Rogabis. Ergo terrenis Dominis seruire non licet? Imò licet seruire, sed in Domino, & quatenus sunt serui Dei, Roma. 13. illis enim seruiens, Domino seruiō. Mammona media lingua (quòd per Græcis scribatur, & dicatur. μαμμωνᾶς, siue Mammon) neque Græca uox est, neque Hebraica, sed Syriaca, ut ostendit diuus Hieronymus, idem apud eos significans quod apud Græcos πλούτης, Plutus siue Pluto, quem, Poetæ Deū faciunt. Augustinus iudicat linguam Pænorū affinitatem habere cum Hebræorū lingua, id quod alibi fatetur & Hieronymus: porrò Pænorum lingua Mammon uocari lucrum. Propriè Mammon pecunia & res est, quæ ad futuram necessitatē reponuntur, quibus conflatur thesaurus. Christus Luc. 16. iniustum Mammonā appellat, quòd indies in usu sit iniustitiæ, & in tam scelerato usu uersetur, magnaque ad malum mortalibus ansam præbeat. Sic diuus Paulus eodem idiotismo ad Ephes. 5. ca. ait, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Non quòd tempora aut dies in se mali sint, uerum quòd plurimum in illis accidat mali.

Ideo dico uobis.

Quia diuitum uulgus auaritiæ morbum excusare solet prætextu necessitatis humanæ: Fami (inquiunt) & nuditati consulitur his rebus: ideo congerēdæ & reponendæ sunt diuitiæ, propter eam Christum attentos reddit auditores. Ideo (inquit) dico: quasi dicat, Attendite, quòd non solum abiiciendus est Mammon, sed & natiuorum, & qui nascuntur ab illo, prorsus necandi sunt. Obserua, Christum optimi hortulani partes habere, qui primùm urticas, tribulos & spinas superficie tenus amputat, deinde & radices funditus euellit. Ita & Christus in primis Mammonam siue auaritiā taxauit, atque ab ea abduxit: deinde ad ipsius radicem pergit consequenter extirpandam, dicens, Ideo dico uobis, quasi dicat: Attendite, & cauti estote, ut cauere possitis auaritiā, collectionem thesaurorum, & seruitutem Mammonæ, ne à seruitio Dei auellamini. Ideo dico uobis, ne leue peccatum esse putetis μεμνηνᾶν, id est, sollicitos esse pro uictu & rebus aliis, &c. Vobis, inquit, qui estis in regno cælorum & habetis uerbum meum. Quia mundus in suo regno aliter sentit, qui non solum indicat necessarium esse, studere diuitiis, & curare atque uri pro illis, sed etiam honestum. Nam honestatem prætexens, ait, Quid honestius esse potest, quàm coniugi, liberis & familiæ prospicere?

Ne solliciti sitis animæ uestræ, quid manducetis: neque corpori uestro, quid induamini.

Multis & his efficacissimis argumētis dehortatur à sollicitudine, & nimia cibi & potus cura & anxietate, filia diffidentiae, nefarium hoc uitium uituperans, cum ferè semper emergente Euangelio animos hominum transuersos agat, & non solum mundo addictos, sed pios quoque magnoperè impugnet: Cum primis uerò eos, quibus uerbum Dei prædicandum est, & illius gratia omnibus periculis sunt expositi: ita ut secundum carnem abundè multas causas sollicitudinis habeant. Nam pius Christianus, Christum dominum suum unice professus, diabolum, qui princeps est mundi, sibi facit aduersarium. Vnde Satanus modis omnibus talem oppugnat, non quidem uerbo & fide, sed iis, quæ in suo regno habet, cuiusmodi sunt caro & sanguis, in quibus adhuc uersamur, hoc est ex carne & sanguine sumus. Professio enim Euangelica multis tribulationibus exponit hominem, Carnem siquidem aggreditur, caro semel irritata quid nouit, nisi ulscisci sui contempum, torquere, in carcerem detrudere, ac detractis alimentis & uestitu, siti &

Satan & uenter, quomodo Dij.

Deus diuinitarum.

Mammon etiam Punica uox.

Mammon quare à Domino dicitur iniustus, siue iniquus.

Dies quare mali dicti.

Mammon procul abigendus à cuncta stirpe.

μεμνηνᾶν. i. cura & sollicitudo uictus, &c. non leue peccatum.

Ecclesiasticus in primis Satanus exhibet negotiū.

Caro quāto strepit crier, uel modicū oblecta.



algore, enecare? Itaque cum omnibus iis, quæ possidemus, eiusmodi periculis sumus expositi: quibus licet fortiter obuiam eamus, tamen caro & sanguis nobis suggerunt, ut cogitemus, quo pacto res nostras constabiliamus, & pericula illa quotidie contingentia contemnere queamus. Ex hoc demum fonte tentatio oritur, quæ cura uitæ dicitur, licet mundus eam tentationem esse non existimet, sed potius uirtutem, & eos homines laudent, qui rem facere, & magnas opes parare, & honores consequi nouerunt. Hæc nobis explicat, quid sit seruire Mammonæ, nimirum sollicitum esse pro uita & corpore, quid edendum, bibendum, & induendum sit nobis. Hoc est, tantum huius uitæ curam & rationem habere, quo pacto multis opibus congestis in hoc seculo diuites euadamus, quasi hic perpetuò uicturi. Ne solliciti sitis animæ, id est uitæ uestræ. Animam posuit pro uita, uelut & aliàs, Qui perdidit animam suam, &c. Quasi diceret, Homines planè omnia inuertunt. Si quidem cibus deberet uitæ inferuire, & uita iam cibo seruit. Sic non indumenta corpori, sed corpus indumentis obsequi cogitur. Tam cæcus est mundus, ut hæc non uideat. Proinde hic diligenter uerba Domini introspicenda sunt, ne solliciti sitis, &c. At non dicit, ne laboretis. Vult certè Dominus nos laborare, non sollicitos esse. Nos hoc ipsum inuertimus, dum solliciti sumus, & non laboramus. Genes. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Ephes. 4. cap. labore unusquisque manibus suis, ut habeat, unde det necessitatem patienti. Neque hoc peccatum reputandum est, neque seruitium Mammonæ exhibitum censendum, edere, bibere, & semet uestire, prout uitæ ac corporis necessitas exigit, ut uictum & amictum habeat. Sed neque alimentum querere & parare, seruire Mammonæ dicendum est, sed propterea sollicitum esse, & curis ringi, hoc est cordis spem & fiduciam in eo positam habere, hoc, uitio & crimini datur. Siquidem sollicitudo non in uictu aut uestitu, sed in medio corde reposita est, à qua abstinere, & immune esse non potest, si illi adhærescit, sicut prouerbio dicitur, Opes parant animum. Itaque sollicitum esse, tantum ualet, quantum corde adhærere. Nam quod mihi cordi non est, eius etiam curam & sollicitudinem nullam habeo: contrà, de quo sollicitus sum, ad id etiam animo & corde trahor. Non sunt tamen hæc uerba tam strictè accipienda, quasi hisce prohibitum esset, pro ulla re esse sollicitum. Nam unumquodque officium & status hoc secum apportat, ut curam habeamus & sollicitudinè rectè eius fungendi & obeundi, maximè uerò iis, qui aliis præsumunt, ut Paulus Romanorum 12. ca. docet, Qui præest, in sollicitudine: imò & ipse Paulus gloriatur, quòd sollicitudinem habeat pro Ecclesiis. Ita patri familias sollicitudini esse debent liberi & familia, ut rectè instituatur, & faciant quod debent: hoc nisi fecerit, boni patrisfamilias officio non fungitur, & non rectè facit. Ad hæc parochi aut prædicatoris sollicitudo est, & cura, ut doctrina uerbi & usus sacramentorum rectè & diligenter exerceatur, ut tristes & infirmos consolatione erigat, malos uerò corripiat, & pro omnibus necessitatibus ardentè oret. Nam huic animarum gubernandarum cura commissa est. Ita principi & aliis magistratibus rerum mundanarum administratio & sollicitudo incumbit, ut omnia rectè ubique fiant, prout officium ipsorum exigit. Non secus etiam contra. Oportet subditos esse sollicitos, ut magistratibus debitam obedientiam diligenter exhibeant, & præsent. Seruorum & ancillarum cura est Dominis suis esse obsequiosos, seruitium diligenter obeundo, & ipsorum damnnum præcauendo. De hac cura & sollicitudine Christus non hic loquitur, quæ est officiosa cura, longè latèque ab auaritia segreganda. Etenim non sui, sed proximi causa suscipitur, nec sua querit, sed omnia sua pro salute proximi profundit, & aliis seruit. Hæc dicitur sollicitudo amoris, quæ diuina & Christiana est, non propriis commodis & Mammonæ cultui intenta. Anxia ergo rerum congerendarum sollicitudo, nobis prohibita, non autè cura uocationis nostræ, nõ labor ueritus est: Et ne otiemur, præceptum est, & ut in uocatione nostra ad eò gnauiter labore-

Cura uitæ, &amp; tentatio.

Mammonæ seruire, quid.

Anima pro uita.

Solliciti esse &amp; laborare, diuersa: alterum ueritum, alterum præceptum.

Sollicitudo affectus index.

Sollicitudo quædam necessaria.

Omnib' pro suo cuiq; munere, sollicitos esse conuenit.

Sollicitudo charitatis fœtus.

mus, ut sudor per uultum &amp; nares defluat, Genes. 3.

Nõne anima plus est, quàm esca, &amp; corpus plus quàm uestimentum?

Quia talis sollicitudo rerum congerendarum, & reponendi thesauri, nõ solum idololatriæ coniuncta est, sed etiam inimicos Dei facit: pergit Christus multis argumentis, dictis, & cõparationibus inuicere aduersus idolum Mammonam, quòd maiorè nauisem auaritiæ nobis ingerat, cupiens illam ita pro dignitate adumbrare, ut etiam conspicienda sit. Itaque hic perspicuè ostendit, nõ solum esse otiosum & superuacuum, uerum etiam maximum incredulitatis genus, de uictu & amictu, ita sollicitum esse, ut derelinquas uocationem Dei, & secleris tuas cupiditates. Primum itaque argumentum à maiori, est: Qui, quod maius est dedit, quod minus est, non negabit. Iam Christus nullo tuo merito, sed mera sua gratia & clementia dedit tibi animam & corpus. Deo igitur cogere corpus & animam credere, ut neque in tua manu sit, uel ad unius horulæ spatium, uitam retinere. Quàm igitur uecors es, & sine omni iudicio, quòd Deo sustentandi corporis curam quoque non credis, uictum & amictum tibi suppeditaturo? Cùm ergo animam & corpus (quæ maiora sunt) tibi, nihil minus cogitanti, dederit: proculdubio uictum & amictum (quæ minora sunt) non negabit. Qui dedit uitam & animam, oportet, ut det, unde uiuas, ne quòd dedit, pereat. Similiter qui dedit corpus, oportet quoque ut det uestimentum. Longè autem uictu & amictu præstantiora sunt corpus & anima. Ergo negligenda tibi est tam anxia rerum sollicitudo. Ad hæc cùm Deo corpus & uitam meam credere debeam: quid ego dubito aut sollicitè cogito, quomodo uenter uno aut altero die alatur? Sicut si mihi opulentus pater esset, & petenti libenter mille aureos dono daret, an intantum illius liberalitatem in dubium mihi uocabo, uel tenacem illum ad eò credam, ut nec assem quidem æquo animo dare mihi uelit? Obsecro, quæ maior dementia excogitari potest, quàm si quis uehementer fuerit sollicitus, unde alimenta sibi pararet, qui se nouerit neque sollicitum fuisse unquam, unde uitam & corpus acciperet, aut etiam hac hora eadem salua retineat? Quod tantundem est, ac si quis mirè sese excruciarer, quo pacto ædes suas pulcherrimè exornare posset, neminem tamen sciret, qui eas exornare uellet: aut qua ratione regifico luxu multas dapes in culina appareret, nullum tamen conuiuiam haberet, qui eas attingeret. Cùm igitur per omnè uitam nostram huiusmodi sollicitudo nobis deferenda sit, & uita nostra etiam sine cogitationibus & operibus nostris, omnibus horis à Deo sustentetur, quid nos stulti pro multo leuioribus, nempe uictu & amictu, solliciti sumus, quasi non possit, aut nolit Deus nos alere & nutrire? Porro hæc egregia nobis diuinæ prouidentia experimèta suggerunt, ut negare non possimus, quanta sit in nobis diffidentia de patre nostro cœlesti, dum ad eò solliciti sumus de uictu & amictu. Deinde subindicant nostram uitam, neque in cibo, neque amictu consistere: quandoquidem si omnem cibum & omnia indumenta in promptu haberemus, etiam in summa copia, tamen uitam nostram aduentante hora mortis, uel ad minimum temporis spatium producere non possent. Hæc enim non sunt uita, sed res mortuæ. Vita nostra ab eo pendet, qui suapte natura est uita, & in quo sumus, uiuimus, & mouemur omnes. Huc pertinet, quod dicebat Christus, Luc. 12. ca. Non in abundantia cuiusquam, uita eius est, ex iis quæ possidet. & id explicat adiecto exemplo. Ad hæc cibus & amictus propter hominem creatus est, non homo propter cibum. Abiicienda est igitur omnis sollicitudo siue cibi, siue potus, apt alterius rei, quæ ad diffidentiam attingit, eò quòd Dominus à nobis omnem exigat fiduciam, iubeatque, ne alteri quàm sibi soli fidamus: quod summo nostro bono facit. Nam maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum, Hierem. 17. Domino autem

Sollicitudo habendi, &amp; congerendi, incredulos arguit, &amp; inimicos Dei.

Argumenta prouidentia Dei.

Diffidentia nostra notatur.

Vita nostra non in copia alimentorū.



cura est de nobis, nominis & gloria eius studiosissimis.

Respicite volatilia cœli.

Auditorum animos uehementer excitat, exhortationi exemplum & comparationem adiungens, ita ut auiculas, ceu magistros & doctores nobis proponat ac proponat in probrum, dedecus & ignominiam auaritiæ, & curæ alendi uentris, quo nos ab illa retrahat, & significet, quales ipsi sumus, quippe quos summo pudore suffundi oporteat, quod cum multo simus ipsi uolatilibus cœli superiores, nobiliores & præstatiores, nimirum quod non tantum uolatilium domini sumus, sed quod etiam ipsa propter nos, & usui nostro condita sunt: tamen tam abiecto animo sumus, ut uideamur illis inferiores, & nobis proponantur ueluti doctores nostri & præceptores, ut uel in illis discamus diuitias bonitatis, & amplitudinem prouidentia diuinæ. Et ex his persuasum sit nobis, quando nos illis multo pluris sumus, & Deus illorum conditor, noster etiam pater est, ne dubitemus, nos quoque ipsi magis curæ esse, quam illa. Quibus cum uictum, citra omnem ipsorum curam & sollicitudinem, suppeditet quotidie, quippe quæ nihil congregant, aut in parato habere student, sed nec quicquam serunt, nec iam satam & maturam segetem in horrea conuehant, nequaquam passurus est nos penuria affligi, præsertim ex uoluntate ipsius labori nostro intentos. Respicite (inquit) id est, intuemini, & diligenter cum animaduersione & consideratione uidere. Quasi dicat, serio expendite: & hoc propter mundum, qui non considerat creaturas, ut ex illis discat diuinam prouidentiam erga homines. Quid uidebunt & obseruabunt? Aduerte: Considerent, quod Dominus non in exemplum adducit Israël, passum 40. annis in deserto, neque Eliam, neque Helisæum, in quibus Deus se pastorem etiam corporum, & curatorem etiam uestimetorum (Deutero. 8. Vestimenta uestra non sunt attrita) manifestauit. Neque obiicit illis maiora bruta, ut leones, uersos, elephantes, aut reliqua grandia animantia, quæ etiam diuinitus aluntur, sed relictis quadrupedibus proponit uolatilia, non domestica (quibus apparatus uietus) sed cœli, quæ scilicet nec sua ipsorum, nec humana, sed diuina cura aluntur.

Luc. 12. Et nominatim meminit coruorum. Coruus ut animal est uoracissimum, ita uidetur nec usui nec uoluptati esse. Deus tamen præparat coruo, quemadmodum scribitur Job 38. cap. escam suam, quando clamant pulli eius ad Deum, ignorantibus cibum suum. Et psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum. Sunt enim, qui sentiant, pullos coruorum adhuc implumes à parentibus suis tanquam nothos derelinqui, donec pennis incipiant nigrescere. Et interim mirabiliter diuinitus nutriuntur, usque dum parentes rursus curam eorum susceperint. Iam si Deus hæc uolatilia, quæ non tantum nec serunt, nec metunt, nec reponunt in horrea, sed etiam ad nihil aliud, quam ad uoracitatem nata uidentur, tam liberaliter alit, quomodo non aleret homines, in uocatione Dei ambulantes, & tam uilia animalia longè præcellentes? Rogabit quispiam. Cur Christus potius non remittit ad Mosem aut Eliam, quam ad uolatilia, ad coruos, & id genus? Cur non dicit, respicite ad Mosem, respicite ad Eliam, qui nec feminarunt, nec messuerunt, & tamen Dominus pauit illos. Respondeo. Si Dominus id ita proposuisset, potuissent auditores apud se cogitare, hoc nihil spei nobis adducit, quandoquidem nondum Deo tam accepti sumus, quam fuerunt uiri illi sanctissimi. Vt igitur hanc cogitationem Christus ex animis ipsorum eximeret, maluit uolatilium siue coruorum quam sanctorum exemplum ob oculos ponere. Quibus coruis imò & omnibus uolatilibus homines etiam peccatores impiissimi, multo magis (quod dicitur) parafrangis præstant. Nam qualis qualis sit homo iuxta peccata sua, nobilior tamen est omnibus bestiis, quantum ad creaturæ rationem attinet. Homo enim creatus est ad imaginem & similitudinem Dei, id quod de nulla bestia

Volucres nobis cordatiores & prospicientiores.

Coruos parat Dominus.

Homo, quamlibet impius, ceteris animalibus præstantior.

dici potest. Obserua, hoc loco nobis commendari studium physicæ, & proponi nobis legitimum omnium creaturarum usum: qui est, ut ex illis discamus Deum, non solum quod sit simpliciter, uerum etiam quod curet & conseruet creatura. De quo usu passim loquitur scriptura, Job. 12. Sapient. 13. Rom. 1. Act. 19. Rursus collige, quod Christus hoc exemplo docet, nos egere non posse, sumpto à generali prouidentia Dei in omnes creaturas, ad singularem prouidentiam erga hominem, maximè pium, & nobiliorem creaturam ceteris. huc pertinet, quod ait Dauid psal. 36. Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Creaturæ contemplatio quid nobis conferat.

Quoniam non serunt, nec metunt, neque congregant in horrea.

Singularis est hæc periphrasis generalis prouidentia Dei in omnes creaturas, sine illarum meritis, aut additamentis. Quasi diceret, Quid solliciti estis congregare, & uentris curam habere? Si quibus liceret esse solliciti, & congregare, tum id potissimum competeret auibus: sed id aues ignorant, neque aduertunt aut considerant: neque ad hunc modum, inquit, Ecce nemo homo est appetente uere, qui non seminet, ut ueniente æstate, habeat quod congreget. Et in autumno omnis homo demensas segetes conuehit in horrea, & nullum nobis relinquitur in agris granum, si fieri potest. Unde ergo per annum, potissimum per frigidam hyemem uisitabimus, omnibus in horrea conuectis, & nulla segete in agris relicta? Nulla huiusmodi sollicitudine ducuntur aues. Non serunt, & nos serimus: non metunt, & nos metimus: non congregant, & nos congregamus, conuehentes in horrea nostra. Consideremus igitur, an non sit extreme pudendum facinus, quod Deo, qui omnes creaturas dedit nobis, & subiecit, quique quotannis tantam frumenti copiam agros producere finit, unde abundè singulis annis noua sata serere possumus, & multo plura in horrea uehimus: & tamen indigna sollicitudine acti, nihil Deo committimus, non ipsi fidimus. O quam inconsolabiliter animos despoderemus, quasi cunctis moriendum esset, si uel una æstate nihil esset, quod meteremus: imò si ad quatuordecim tantum dies nihil in loculis aut horreis haberemus! Clamaremus æstem esse de nobis: omnis spes uitæ adempta esset. Interim tamen auiculæ nullo non anni tempore in aère uolitant, cantillantes & gaudentes, ac ne tantillum quidem sollicitæ, licet prorsus ignorent, unde aut ubi postridie cibum sint capituræ. Et nos insulsi Midæ & Creæ curam & sollicitudinem ex animo eiicere nequimus, licet domus & horrea frumento redundant, & segetem tanta copia in agro crescere uideamus. Hic te uide, o calamitose homuncio, cui ædes sunt & prædia, opes & pecuniæ, & ager quotannis pluribus segetibus, quam opus est refertus, neque tamen quietus esse potes, & contentus, sed subinde metu propè enecaris, ne fame effractus, moriari: & nisi multa in promptu parata uideas, Deo nõ potes confidere, quod te uel dieculam sit alturus. Respiciamus (quæso) uolatilia cœli. En tot nobis sunt magistri & prædicatores, quot in aère auiculæ: quæ suo uiuo exemplo nos pudori & ignominia exponunt, ita ut erubescendum nobis sit, non audētibus oculos in sublime tollere, quoties unam aliquam auiculam cantillantem audimus: quippe quæ diuini nominis laudem & nostrum dedecus in cœlum modularatur. At tamen usque aded lapides sumus, & ferrei, ut auicularum cantilenæ nihil prorsus nos moueant, quanquam illas quotidie sturmatim & graculatim, ista nobis prædicare, & ad aurem occinere audiamus. Ad hæc, non prætereamus silentio, quod amplius faciant optima illæ auiculæ, quam quod prorsus sine cura & sollicitudine uitam transigunt, & uictum tantummodo è manu Dei expectant. Inclusæ enim in caueolas, cātandi gratia, nihil anxie sunt, unde sibi suppeditur alimentum. Est enim illis opulentus Dominus, qui abundè uentri ipsarum prospicit. Nihil tamen tale cogitant, sed suauiter modulatur, & amabiliter omnipotenti

Prosopeia.

In pullos & a rerum externarum præsidio pendentis.

Auiculis, etiā caueolis inclusis, nulla cura est unde uiuant. Auicularum ingenium pulchre describit.



Deo laudes summo manè, priusquam cibum gustarint, personant, longumque & elegans melos, atque (ut uocant) benedicite, uario gutture pangunt, nullam curam parandi cibum habentes: sed illam in Dominum reijcientes. Hoc exemplo Dominus non vult, ut nos non laboremus, seramus, metamus, in horrea congregemus, sed anxiam curam & sollicitudinem nobis adimere conatur, taxans nostram incredulitatem, aut potius fidei nostram imbecillitatem, quibus cum à Deo datum sit, ut agros colamus, seramus, metamus, & messem in horrea conuehamus, unde uictus suppeditetur, nihilominus tantum fidei, tantumque securitatis nobis non est, quantum uel uni auiculæ cæli, quæ nec seminat, nec metit, nec in horrea congregat. Quæ tametsi agriculturam exercere non possit, sicut & nos, attamen non est laboris planè expers, sed id agit, ad quod creata est, ut puta quod pullos suos educet, foueat, enutriet, ac Domino nostro canat pro beneficiis eius cantilenam. Si Dominus plus illi laboris iniunxisset, plus etiam perficeret. Mane admodum excitatur, & ramusculo insidens, quam didicit cantilenam personat, neque de ullo cibo quicquam nouit, nec etiam curat: postea ubi esurierit, auolat que situm granum, quod illi Deus alicubi reposuit. Quod nunquam dum cantaret, cogitationem uerterat, tameris fatis causæ habuisset, ut esset sollicita, pro conquenda alimonia. Pudeat ergo nos, quod auiculæ plus fiducia Deo habere uideantur, quam nos.

Auiculis etiam  
suus labor  
est.

### Et pater uester cælestis pascit illa.

Valdè emphaticàs pronuntianda est hæc sententia. Pater (inquit) uester, non autem pater illarum. Quasi dicat, Cum ista quotidie coram oculis uideatis, quomodo pater cælestis in agro auiculas citra omnem ipsarum curam nutriat, quid causæ est, cur non tantum ipsi confidatis, quod uos quoque sit alturus, cum pater uester sit, & uos suos liberos agnoscat, & uocet? Quasi uerò non multo maiori cura ipsi sitis (quos suos liberos esse fecit, & quibus uerbum suum unà cum omnibus creaturis largitus est) quam omnis auiculæ, quæ ipsius liberi non dicuntur, sed uobis famulantur, quas tamen tantoperè curat, ut quotidie pascat, ea etiam diligentia, quasi eas unice curat. Pusilla certè & imbecilla fide homines estis. Quandoquidem cum patrè cælestem habeatis, qui magnum uolatilium gregem pascit, adhuc tamen de uictu ualde solliciti diffiditis, quasi uos sit deserturus, qui auiculas pascit. Quomodo tam diues sit, ut queat, & tam bonus, ut uelit etiam tot auiculas pascere, quomodo deseret uos filios suos? Quare quomodo auiculæ eius artis gnaræ esse uideantur, ut pro suo modulo sciant Domino per omnia confidere, & in ipsum omnem curam reicere, quanto impensius & confidentius illud nobis faciendum est, qui filij seu liberi ipsius sumus? Magno certè dedecore afficimur, si qui ratione præditi sumus, & insuper scripturam habemus, non plus sapientiæ obtineamus quam animalcula ab omni ratione aliena, & nature unius ductu uiuentia. Saltem demus operam, ut auicularum imitatores esse queamus nos, quibus toties tantum dedecus coram Deo & hominibus audiendum est, quot quotidie auiculas cantillantes audimus. An non auiculæ instar uidetur tum homo captus fuisse, quomodo à Dei uerbo & præcepto cecidit? Alioqui ex eo tempore iumētis non compararetur, & sapientior uix uideretur: quandoquidem nec ulla tam parua quidem est auicula, fandi & legendi imperita, quæ ipsius hominis lapsi doctrix & magistra in scripturis esse non possit, quanuis ille utriusque testamenti libros & rationem adiutricem habeat.

Homo comparatus & similibus factus  
brutis animantibus.

### Nonne uos magis plures estis illis?

Argumento à minore docet Christus, quam prorsus uani sunt, qui discernantur sollicitudine de parandis cibis, sine quibus non uiuitur: de parando uestitu, quo tegitur corpus, & ab aëris iniuria defenditur. Qui minora curat, quomodo maiora

ra ne-

ra negliget? Si aues cæli (uobis dignitate inferiores, quod propter uos sunt creatæ, non uos propter illas, sitisque Dei imago, nō autem illæ, & quæ sunt hodie, cras autem non erūt, uobis ad æternitatem natis & creatis) absque sua cura & sollicitudine aluntur Dei prouidentia, uiuuntque in diem, nihil sollicitæ de crastino, an uos Deus destituet, quos tantò plures facit, quam auiculas? Qui ea curat, quæ uestri gratia creauit, quomodo uos deseret, quibus ista creata sunt? Quod si uos cure illi estis, sicut utique estis, nonne superuacua est uestra sollicitudo? Si destituat ille, quid uobis proderit uestra sollicitudo, qua reponitis curiosè in longum tempus, ueluti perpetuè uicturi? Huc pertinet, quod scribit Chrysostomus, Omnia animalia Deus propter hominem fecit, hominem autè propter se. Quomodo ergo pretiosior est hominis creatio, tanto maior est Dei sollicitudo de ipso. Si ergo aues nō laborantes inueniunt escas, homo non inueniet, cui Deus dedit & operandi scientiam, & fructificandi spem? Obserua: Plerumque (ait Augustinus) charius comparatur equus, quam seruus, & gemma quam famula, nō ratione considerantis, sed necessitate indigentis, seu uoluptate cupientis. Rursus obserua. Nonne uos, &c. id est, Nonne uos longè præcellitis illa? Quasi dicat, Quomodo magis uos plures estis? quia nobiliores creaturæ, quia pij, quia uobis Deus singulari prouidentia prospicit. Hæc colligamus enthymemata ex superioribus, Deus uolatilia cæli nutrit, ergo & nos homines nutrit. Item, Deus generali sua prouidentia conseruat omnes creaturas: ergo multo magis uos homines, ut nobiliores creaturas: pios autem singulari prouidentia, ultra generalem conseruabit.

Quantò nobilior homo  
ceteris creaturis, & quantò charior Deo.

### Quis autem uestrum cogitans potest adiciere ad staturam suam cubitum unum?

Quod facilius dehortetur Christus à sollicitudine uictus & amictus, argumentatur ab inuiti, uel ab impossibili, per elegantem similitudinem, à propria nostra experientia traductam, comparans in hac similitudine & argumēto staturam corporis, ad conditiones uitæ, & manifestè significans, quod sicut tota corporis statura è manu Dei pendet, qui pro suo arbitrio uel magnam uel paruam staturam homini donat, ita tota uel longitudo uel breuitas uitæ in solius Dei potestate constat. Deinde minimum eorum, quæ corpus nostrum concernunt, est statura corporis. Nam æquè uiuit breuis atque longus, Pygmæus atque gigas. Cum itaque hoc minimum, hoc est, staturam corporis, tua sollicitudine non possis longiorem facere, nec id facere sit in tua manu positum: quomodo quæ maiora sunt, erunt in tua potestate? Noli ergo affici cura, unde uictum & amictum accipias, quasi in tua manu situm sit, corpus tuum in eam magnitudinem & longitudinem pretendere, quam cogitasti, aut quæ tibi uisa est. Nam corpus tuum cum omnibus membris tuis mensuratum est, suam sibi destinata longitudinem & latitudinem iam obtinens, adeò, ut illud iam aliter formare non possis, & ne pilum quidem immutare. Quam igitur stultus es quod inani cura tete maceres, & pro eo sollicitus sis, quod in tua manu non est positum, & iam à Deo mensuratum, qui & modum tempusque iam statuit, quousque uita tua durare debeat. Et interim Deo non potest tantum confidere, quod uictum & amictum quoque tibi daturus sit, quandiu in hac uita manseris. Constitutus certè est uita nostræ terminus, & in manu Dei est. Nam si nec unus è passerulis in terram cadit sine Domino Deo nostro, & omnes etiam pili capitis nostri numerati sunt, quomodo magis numerati sunt anni & dies uitæ nostræ? Sic enim psalmus, 138. canit, Imperfectum meum uiderunt oculi tui: dies formabuntur, & nemo in eis. Responsabis forsitan. Ergo ne impune faciunt, qui sibi aut aliis mortem consciscunt, propterea quod dies uitæ numerati sunt? Minime omnium. Nam tametsi Deus numerauerit dies uitæ nostræ, nihilominus tantummen exigit à nobis nostra officia, ut & uitam nobis diuinitus concessam, legitime

Suffi cuique  
à Deo statutum  
tempus  
ad uiuendū.

Nulli licet  
neq; sibi neque  
alio inferre.

D



tueamur, & nulli beneficiū suæ uitæ per iniuriam & illegitimè auferamus. Quòd enim Deus numerauit tempus uitæ nostræ, non fecit, ut det nobis occasionem negligendi, sed potius faciendi, officij nostri, uidelicet ut in ipsum omnem curam uitæ nostræ reiciamus, & interim uocationem eius diligenter sectemur. Obserua: cum dicit, *Quis uestrum potest adicere, &c.* uidetur uelle respondere, nemo, cum tamen Deus adicere potens sit. Deinde aduerte, quomodo per consideratam in rebus leuiculis nostram impotentiam, euehat nos ad considerandam patris cœlestis prouidentiam, ut in rebus quoque maioribus, quas minus possumus, curam Deo committamus. Proinde dicit, quis autem uestrum, &c. Ac si dicat, *Qui uos tales fecit, nouit, quibus indigeatis, nec facturam suam deseret, modò in eum fiduciam habueritis.* Obserua: ad staturam, Græcis legitur *ἰλιμία*, quæ & atatem significat, quasi dicas granditatem. Vnde & maior & minor & grandis ad atatem referuntur, quòd ex auctu corporis ætas deprehenditur in adolescentibus.

#### Et de uestimentis quid solliciti estis?

Tametsi ex una eadēque rationis radice, utraque & ciborum & uestimentorum sollicitudo procedat, tamen seorsum de cura amictus agere uoluit, ut huic morbo distinctis malagmatibus ac medelis occurrat. Atque interrogatione uehementer sugillat nostram diffidentiam, quòd anxij sumus, ubi nulla est diffidentia ratio. Reprehenditque nos adeò tam segnes, qui plana uia titubemus, nec habeamus, quo tam absurdum delictum nostrum tueri possumus. Quasi diceret, De indumento, quid quæso causari potestis, cur sitis tam solliciti? ostendite, si quid habetis, cur uos sollicitos habeat prouidentia uestiendi corpus. Tollite hanc curam, & eam in patrem cœlestem reiciite, qui nihil non egregiè perficit: ut enim hanc dedit corpori mensuram, ita inuestitos haudquaquam relinquet.

#### Considerate lilia agri.

Habes hoc loco aliud exemplum & similitudinem, in qua flores in agris crescentes (qui à uaccis & huiusmodi conculcantur & depascuntur) nobis seu doctores nostri & magistri fiunt: ut quàm exactissimè magnitudinem nobis ac turpitudinē diffidentia nostræ ob oculos exponat. Equidem hoc absurdum dictu est, & incredulitatem nostram insigniter delineat, ita ut magis graphicè delineari non possit. Nam tolerabile forsitan fuisset, si dixisset, Cognoscite, quomodo Deus uestiuerit populum suum in deserto quadraginta annis, aut quomodo pecora uestiat, aut auiculas: sed ad lilia, res solummodo uegetas, transit, atque in illis etiam Dei prouidentiam (quantum ad uestitum attinet) proponit. En neque totam telluris superficiem, tam egregiè uestitam, neque nobilissimas arbores obiicit aut huiusmodi, sed flosculos agri eosque minutos, quos non magnoperè ratio humana commendat, in medium adducit. Nam liliorum mutabilis & fluxa est natura, ut cum manè pulcherrimè floreat, uesperis si decerpantur, languidissimè marcescant, ac postero die iam non amplius flores, sed fœnum nomenclentur. Vnde quia pulchritudo florum tam repenti perit, scriptura ad eam libenter confert humanæ gloriæ splendorem. *Iob. 13.* Homo, quasi flos, egreditur & conteritur, & fugit, uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et *psal. 102.* Homo sicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri, sic effloreat. *Esaie, 40.* Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Ecce habes florum uanitatem: alterum adducet paulò post, his uerbis, non laborant, neque nent. Obserua non ociose additum, agri, quòd hortensia lilia non nihil uideri poterant deberi curæ humanæ, quemadmodum antè dixerat uolatilia cœli, ut distingueret ab altilibus.

#### Quomodo crescunt.

Non enim cultu & arte hominum, sed sua sponte per Dei potentiam proue-

ἰλιμία.

Floribus, rebus tam euandis, comparatur homines.

niunt, interim uerò tanta cum gratia, tantòque cum decore succrescunt. Et hoc mundus non considerat, neque credit se diuinæ prouidentia: ideo sibi sapiens, sibi ipsi medetur anxia sollicitudine & cura uictus & amictus. Videte, ait Christus, quo pacto flores illi crescunt, id est sustentantur, pulcherrimis coloribus picti & ornati: nec tamen ullus ipsorum curat, aut cogitat, quomodo crescere, aut quem colorem obtinere debeat, sed Deo hæc curanda relinquit. Obserua hic tacitam medelam, qua Christus curæ, quæ pro uictu est, medetur.

#### Non laborant, neque nent.

Accedit & aliud in floribus, Non laborant, id est non exercent agriculturam, aut non operantur ea, quæ ad comparandas uestes faciunt: neque nent, id est nõ tractant colum, unde postea filo aut lana texant uestes. Quare aduerte animum ad flosculos agri: quàm sint ornati & uestiti, perpendite: cum tamen nihil ad hoc quicquam faciât: non ferunt, non operantur, attamen specioso ornatu amicti sunt. Iam cum uos laborare & nere possitis, quid solliciti estis pro uestitu? Aut si hæc pro uestra imbecillitate præstare non possitis, cõsiderate lilia agri, quæ æquè non possunt. His tamen nolim tibi persuadeas, Dominum nobis ademisse laborem. Nam laborandum, colus tractanda, & nendum est, anxia tamen sollicitudine seposita: Obserua ex his uerbis elegantem periphrasim prouidentia: Dei, qua seruantur omnes creaturae in commune. Iam cum tot flosculos, tam multiplicibus coloribus uestiat & ornet, ut unusquisque sua tunica indutus, uniuersi mundi cultum & ornamenta exuperet, quid est tandem quòd ipsi Domino credere nequeamus, & nos ab ipso conuestiendos?

#### Dico autem uobis.

Hæc uerba speciem iuramenti habent. Agitur enim de re seria, & cõmuni pro-  
rum commodò & utilitate. Quasi dicat, Infigite hæc animis uestris: & cognoscite, quàm uana sit omnis gloria mundi, nempe postponenda vni flosculo. Quòd-  
que comparamini flosculis & graminibus agri, sintque illi uestri tum magistri, tum doctores. Nõne belli homines sumus? scilicet fateri hic cogimur, quòd leuissimus flosculus, quem bos aut pecus pedibus suis calcet, pædagogus noster fiat.

Dico uobis, species quedam iuramenti.

#### Quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.

Commendatur prouidentia Dei, à sua liberalitate, & ea ipsa copiosa. Tametsi enim liliis nihil sit magis caducum, & ut ita dicam, ignauum, tamen non solum Deus illa uestit, sed etiam sine omni ipsorum cura & opera. In tantum pulchris & delectabilibus ac amabilibus coloribus uestit, pingendòque uariat, ut nec Salomon (de cuius maiestate scriptura in libris Regum & Chronicã multa cõcionatur) omninõ opulentissimus & potētissimus, purpura, auro & lapillis pretiosissimis amictus, sit illis conferendus. Neque enim cum suo auro, gemmis, margaritis, & uniuerso mūdo suo glorioso ac splendidissimo, unius flosculi pulchritudinē assequi potuit: ita Deus exornare nouit, quod ornare uoluerit, ut ornatum dicatur. Nec ullus mortalium talem colorem parare nouit, sed neque appingere. Salomonis gloria non natiua fuit, cum liliorum color natiuus sit. Et ut natiuus color, longè superat fucatum: ita longè excellit color liliorum, gloriam Salomonis. Obserua: non ait, Nec homo, nec rex quispiam, sed, neque Salomon rex opulentissimus, de quo tam magnifica in scriptura leguntur. Deinde non ait, Neque Salomon ita uestitus, sed in gloria: neque id simpliciter, sed in omni seu uniuersa gloria sua. Quasi dicat, Nullus regum opulentius, altius, & magnificentius Salomone uestitus est, attamen quamlibet ille potens & magnificus cum omni sua magnificentia lilio, rosæ aut uiolæ in agro crescenti comparatus, nihil est. Nõne id arduum

Natura ubiuis superat artem, sicut gratia naturam.



impediō est, quōd ornatus agrestium florum pluris aestimari debeat, quā omnes gemmā, aurum & argentum? Atqui tam nos cæci sumus, ut quid per hæc Dominus uelit, non uideamus. Flosculus in agro stat & gloriatur aduersum nos, dicens, Etiam si totius mundi ornatu amictus esses, nec dum mei similis fores, qui stans hinc, nihil curo, unde mihi hic ornatus ueniat, nihil planè ideo turbor: hinc duntaxat demoror, & pratereā nihil ago. Quamuis enim pretiosè comptus sis, morbidus tamen & egrotus es, ac detestando Mammonæ inferuis. Ego uerò ualeo, & formosus sum, & iuxta, uero Deo obsequor. Aduerte, Sicut unum ex istis: id est, unum quodlibet horum natiuo suo colore ex prouidentia Dei uestitum est. Vbi non ait, sicut illa, sed sicut unum, ut omnem humani ingenij industriam deprimat, & uniuersam mundi gloriam unico agri lilio postponendam doceat. Si enim uni lilio agri non potest cōparari gloria regis opulentissimi, quid sunt omnia illa, quibus mortales factum suum iactant?

**Si enim fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit.**

Hanc similitudinem colligit ex præmissis, ad arguendam fidei nostræ pusillitatem. Quid quæso liliū tam splendide uestitum, nisi fœnum seu gramē? Nam in quem usum tandem creati sunt flores, nisi ut unum aut alterum diem hinc stantes, uigore & uirore suo niteant, & se hominibus spectandos exhibeant, ac deinceps amisso nigore flaccescant, & fœnum fiant: aut, sicut Christus loquitur, faciendo igni mittantur in clibanum? Tantam tamen curam Dominus, & Deus noster rei aded caducæ, & leuis habere dignatur, ut eos ornet multò elegantius, quā ullus regum aut hominum in terris ornatus est, licet eiusmodi ornamento non egeant, utpote profusus inani, & non diuturno, sed unā cum flosculo euanescente. Obserua uerbum, Et cras in clibanum mittitur. Extenuat dignitatem lilij, ut postea dignitatem hominis, seu nobilioris creaturæ commendat. Quod hodie, &c. hoc est, quod tam cito, quōdque tam uili & abiecto ac propè nulli usui est, nimirum ad seruandos equos, & ipsorum faciem recipiendam. Deus sic uestit, hoc est, tam pulchro colore, & illo natiuo. Periphrasis est prouidentię Dei erga creaturas. Hoc loco notandum uenit, quomodo Christus lilia agri, ut ut pretiosè uestita, despicabilia ostendat, uocans illa, fœnum agri. Certè id ita effert, ut admonemur nostræ uilitatis, qui quum hodie floreamus, cras desinimus, & cæca uermibus tradimur.

**Quanto magis uos modicæ fidei?**

Exclamatio & amica obiurgatio est, qua etiam cum exprobratione docet radicem & causam tantæ sollicitudinis erga uictum & amictum: nimirum infirmam fidem & pusillam fiduciam nostram in Deum. Nam cum excellentes ipsius creaturæ simus: in quorum gratiam omnia creauit, & quibus dat omnia, & cui tanto perè curæ sumus: nolenti ut in hoc seculo uita nostra finiatur, sed post hanc uitam uolenti nobis immortalē uitam largiri: non tantum tamen illi fidimus, quōd etiam indumenta nobis sit daturus, quemadmodum flores in agro & auiculas in aëre uariis coloribus & pennis uestit & pingit. Hoc reuera horrendum auditu est, & nostram incredulitatem mirum quā profusus exprimit, nos Dei tam nobiles creaturas, Deo tamen non fidere, neque tantum ab illo expectare, ut hoc corpus alere uelit & possit. Porro colligimus ex præmissis duplici paradigmate, altero de uolatilibus, quo tollitur anxietas cibi, altero de liliis & floribus, quo adimitur indumentorū sollicitudo, quā detestabilis & inuisa Deo res sit incredulitas. Atque in uniuerso nouo testamento, nusquam aded nobis turpitudine, & ignominia nostra reuelata est & proposita, ut in hoc loco. Ergo fides uiua, plurimum causa est impetrandi uictus & amictus, quia eas res impetrat: sicut incredulitas est res im-

Imbecillitas  
fidei curā &  
sollicitudinē  
parit.

Fides uiua ni-  
hil non impe-  
trat.

pediēs uictum & amictum impetrari. Si ergo Dominus pascat auiculas, & lilia uestit, uerè *ὀλιώπιστοι*, id est parum fidentes, & pusilla fidei erga Dei prouidentiam, estis, qui tam manifestis naturæ exemplis non commouemini, & prouidentię patris estis nimis iniuriij. Quāto enim magis uos ut creaturas digniores, & qui habetis uerbum Dei, pascat & uestiet? Summa eorum, quæ præcedunt, est: Christianis non est anxie cogitandum de uictu conquirendo. Deus enim, eorum, priusquam cogitent, curam gerit: sed laborandum illis est: id enim eis præceptū: hoc dum faciunt, labori ipsorum & uocationi Deus benedicit, & abundè uictum supeditat.

**Nolite ergo solliciti esse.**

Conclusio est cum epanaphora seu repetitione, quæ est uice epilogi totius dehortationis à sollicitudine, seu anxio affectu futuri. Cui dehortationi obstreperit manus affectus, & diffidentia quædam, qua ueremur etiam cælum ruiturum, si nostra largiamur pauperibus, aut si non totis animis hæreamus in quæstu faciendo.

**Dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?**

Naturam sollicitudinis exprimit, quæ huiusmodi cogitationibus seu quibusdam continuis actibus hominem, cupidum rerum, exagitat, & trepidatione implet, ne uictus & amictus aliquando illi desint. Anxij enim ac trepiduli ex diffidēti animo, nec sine peculiari, hoc est, tristi ac desperabūdo pronuntian di gestu, dicunt, Quid manducabimus, aut quid, &c. Quærere, quid manducemus, aut bibamus hoc loco non dicitur, uictum legitimè & in uocatione Dei quærere: alioqui enim ne orare quidem liceret, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: sed est de uictu ita sollicitum esse, ut potius uelis commoda uentris & quæstum sectari, quā legitimè uocationi Dei obedire.

Quærere qd  
manducem,  
quomodo ue-  
stitum.

**Hæc enim omnia Gentes inquirunt.**

Tamet si grauis molestaque sit hæc animi trepidatio ex anxia sollicitudine quærendi cibi, & per se sit admodum graue tormentum, eoque uehementer fugienda, tamen inuisa nobis esse debet, & eo nomine, quōd profusus ethnica est, & hominum Deum ignorantium, qui quoniam meliora & ueriora bona ignorant, ista potissimum inquirunt. Siquidem illi aut Deum esse non credunt, aut non credunt agere curam mortalium. Neque didicerunt aliam esse hac potiore uitam, ad quam omnis cura sit dirigenda. Itaque Dei præsidij diffisi constituunt ueram hominum sclicitatē in iis, quæ sunt corporis. Vnde magna sollicitudine parant, quæ ad uictum & reliqua corporis commoda faciunt. Si hæc obtigerint, & his abundant animos, & nonnunquam ad laqueum currunt, cum hæc eripiuntur. Ac per has curas affixi rebus perituris, neque hinc uiuunt suauiter, neque ad cælestium bonorum studium animos erigere possunt. Ex his colligamus, nullum auarum esse Christiano nomine dignum, quanuis baptizatum, sed Christum certè amisisse & Ethnico factū etiam deteriore. Nam simul stare non possunt hæc duo, studere auaritiæ, aut sollicitum esse, & fiduciam habere in Deum. Sed necesse est, ut alterum ab altero, ueluti clauis clauo pellatur. Iam uiris Christianis, & uerbum Dei desyderantibus & scientibus, non potest coram Deo & omnibus creaturis maior impingi ignominia, quā quōd Gentilibus similes sint, quæ non credunt, quōd Deus ipsos alat & omnia illis tribuat. Nam qui non fidunt Deo Christiani à Deo deficient, & abnegata fide, neque uerbo eius, neque talibus exemplis mouentur. Hæc profectò grauis admodum est sententia, quæ iure optimo cuique terrorem debet incutere. Qua semel decretum atque conclusum est, ut Christianus, aut auaritiā & eius prolem sollicitudinem cogitet abiicere, aut intelligat se uerum

Distingi ni-  
mia cura ui-  
ctus futuri,  
ethnicum.

Auarus Chri-  
stianus ethni-  
co deterior.



Christianum non esse, sed decies etiam quovis gentili deterio-  
Gentes, siue Ethnici, qui. rem. Gentes hoc loco dicuntur ij, qui rebus humanis fortunam non providentiam Dei credunt pre-  
 esse, neque vitam suam Deo, sed eventui fortuito & incerto committunt, quasi  
 non sit qui gubernet omnia: impij certè, & qui neque verbum, neque regnum Dei  
 habent, sed publicè sectantur idololatriam. Et quia neque veram pietatis, neque fu-  
 turæ salutis ullam habent rationem, hoc unum curant, ut ventri satis prospectum  
 sit suo. Cùm itaque res ita habeat, uideamus, quid cõmune habeant inter se Gen-  
 tes, & impiè solliciti. Quid quæso horribilius uideri audiriue potest, quàm habere  
Auaritia, idolorum seruitus. aliquam statuam Iouis aut Mercurij pro Deo, illamque adorare, & diis fictitiis  
 confidere? Non minus horrendum dictu & impium, habere ac colere uentrem  
 suum pro Deo, hoc est, nihil nisi uentris causa facere. Pro uictu autem & amictu  
 ita sollicitum esse, ut derelinquas uocationē Dei, & secteris tuas cupiditates, quid  
 aliud est, quàm uentrem suum, ut Deum adorare, aut ante idolum procumbere?  
 Quare impiè solliciti & cupidi ab Ethnicis & idololatriis quid differat, imò quàm  
 non differant, nulli paulò attentiori ignotum reor.

Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis.

Occupatio est. Dicit aliquis. An non parabimus opera manuarum, quò nos,  
Opificio uocandum. uxorem, liberòsque nostros alamus? quò pauperum inopiam subleuemus? Maxi-  
 mè: sed absque sollicitudine. Sed hi in granarium condunt, ad copiam spectantes,  
 non ad præsentem necessitatē: & in longum congerunt, quasi certum sit diu illos  
 uicturos: & nihil unquam illis satis est. Sed uos laborate, absque tamen anxio so-  
 llicitudine. Si obtingit absque fraude & sine negotio pecunia, accipite: sed sic, ut eius  
 cura nihil uos remoretur ab Euangelij negotio. Dicit: Cùm itaque laborandum  
 sit, ergo labore quærenda erunt necessaria ad uictum? Audi uicissim, quid Chri-  
 stus dicat, Pater uester scit, quia his omnibus indigetis. Quasi diceret, Cùm Chri-  
 stiani sitis, non est, quòd in dubium ueniatis, Pater ne uester nõrit, uobis omnibus  
 his opus esse. Nouit nimirum uobis uentrem esse, qui cibo & potu alendus sit: &  
 corpus, quod indumento operiendum sit. Quia ergo nouit, quid reliquum est,  
 nisi ut periclitantes promptus adiuuet? Adhæc non hinc dicitur, scit Deus, se d  
 scit  
 pater uester, ut erigamur: ceu filij, ad eum, qui ut nobis pater est, ita non est filios  
 deserturus. Cæterum in catalogo epithetorum suorum, etiam hoc habet, quod sit  
Adiutor, &c. epithetum Dei. adiutor in necessitatibus, quod epitheton, quèque ut uocant, titulū, multis adeò-  
 que stupendis miraculis confirmauit. Et cùm Spiritus sanctus iubeat tam per Da-  
 uidem, quàm per Petrum, omnem curam in Deum iactari, & addat alter promif-  
 sionem, Ipse (inquit) enutriet te: alter rationem, Ipsi enim cura est (ait) de uobis:  
Ne nega Deo curam tui. sacrilegij genus est, eam curam in se recipere, quam Deus sibi soli reseruauit. Cur  
 igitur (dicit aliquis) oramus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, si re-  
 cipit in se Deus curam nostri, & nouit quæ sunt nobis necessaria? Respondeo: his  
 non prohibet orationem, sed anxiam uictus sollicitudinem, quæ est ex diffidentia.  
 Est proculdubio oratio utilis, & à Deo præcepta. Etsi enim Dominus non sit igna-  
 rus necessitatis nostræ: nos tamen sumus imbecilles in fide, & ignaui ad agnoscen-  
 da beneficia Dei. Iubet igitur orare, pro pane quotidiano, ut oratione admonea-  
precati & poscere necessaria quare iubemur. mur promissionum Dei, & confirmemus ex ipsis fidem nostram, ut dum conse-  
 quimur beneficia Dei, gratos nos erga ipsum declaremus. Quare cùm patrem ha-  
 beatis tam diuitem, tam benignum, tam prouidum, ut omnibus sufficiat, ut om-  
 nes locupletet, ut nihil, quàmlibet minutum aut cõtemptum, destituat, quid soli-  
 citi metuitis, ne filiis suis ista non suppeditet, sine quibus non uiuitur? Hanc cu-  
 ram & sollicitudinem abiicite: & in illum transferte. Non enim quicquam in solici-  
Sollicitudine nostra nihil efficitur. tudine uestra situm est, sed omnis uis & summa uictus & amictus uestri ab ipso  
 dependet. Si non antè aliquid fructus terra produceret, quàm nos sollicitudine nõ-

stra extorserimus, omnes in cunabulis mortui essemus, neque quicquam ulla no-  
 cte excreceret nobis iacentibus, & in utramque aurem (quod aiunt) dormientibus.  
 Quare certissimis experimētis uidemus, discimus, & palpamus, Deum nobis ci-  
 tra hanc nostram sollicitudinem omnia præstare: & tamen ita uæcordes sumus &  
 increduli, ut ab auaritia & inani cura non discedamus, nec in Deum solum om-  
 nem curam exoneremus, in eum fidentes, cui soli conuenit, ut patri, pro suis libe-  
 ris esse sollicitum: Què dum audimus uocari patrem, ne dubitemus de uoluntate  
 eius, qui filiis suis uiscera misericordiæ non claudit, sed dat, nisi nostra auertatur  
Nomen patris nihil nõ fiducia addit filijs. infidelitate.

Quærite ergo primùm regnum Dei.

Occupat Christus. Dixissent fortassis auditores, Quid ergo faciemus? Si abi-  
 cienda est sollicitudo uictus, dormitabimus, ociabimur, & expectabimus manna  
 cœlestis: Remissi enim sumus ad exemplum auicularum, quæ nec seminant, nec  
 metunt, nec recondunt frumenta in horrea: & ad exēplum liliorū, quæ nec nent,  
 nec laborant. Huic obiectioni responder Christus, Quærite ergo primùm regnū  
 Dei, &c. scilicet uocans Apostolos, & alios quosuis ad laborem. Etsi (inquit) lu-  
 peruacua rerum parandarum sollicitudo deponenda sit, cùm absque hac ingētem,  
Dens labore omnia uendit. imò potius multò maiorem & excellentiorem thesaurum habeatis, quàm Mam-  
 mona uobis præstare possit, quàmque uos uestra sollicitudine parare possitis, inte-  
 rim tamen unusquisque necesse habet laborare, hoc est legitime uocationi sue fer-  
 uire. Quis ergo est labor, & quæ uocatio? Primùm (inquit) quærite regnum Dei,  
 hoc est postulate à Deo ut possitis, in eum credere. Primùm, id est, ante omnia,  
 quia primariū est, & à quo reliqua pendent omnia, quærare regnum Dei, quo quæ-  
 sito & inuento, nihil opus erit ista minuta curare. Non uult pater cœlestis uos gra-  
 uari curis, quæ faciunt afflictiores, non meliores faciunt. Quærare, uerbum studij  
Ad compendium uocat nos Christus. Regnū Dei, ingens thesaurus. est, unde hisce uerbis Christus nos excitat, ac si diceret, Si uobis in animo est, re-  
 ctè sollicitos esse, & curare, ut sempiternis bonis affluatis, tum eiusmodi thesau-  
 rum exquirite, qui regnum Dei nominatur. Ne solliciti sitis pro thesauro tempo-  
 rali & transitorio, quem ærugo & tinea consumunt, sicut supra auditū est. Quip-  
 pe multò pretiosior thesaurus uobis in cœlis est repositus, quem uobis indico, cu-  
 ius adipiscendi cura uos teneat, huius pretium cõsiderate, & sic alterius facile obli-  
 uiscimini. Etenim eiusmodi thesaurus est, qui uos perpetuò seruaturus sit, nec  
 potest deficere aut minui, multò minus uobis eripi. Itaque quousque thesaurus  
 manserit, & uos illi constanter adhæseritis, uos quoque manebitis, quāuis nullū  
 obolū de mundo habueritis. Proinde quia ad Apostolos sit hic sermo, dici potest:  
 Quærite regnū Dei, hoc est, date operā, ut ante omnia rectè satisfaciatis uestræ uo-  
 cationi. Uestra uocatio, uestrū officium, uestrū (ut ita dicā) artificium, est, non ut  
Quærare regnū Dei, respondere uocationi. ociemini, nec etiam, ut uel artificij manuariū exerceatis, uel ciuile magistratum  
 geratis: sed ut prædicetis Euangelium. Ite, prædicare Euangelium omni creatu-  
 ræ, &c. Hoc igitur quærite, hoc est, hoc agite, hoc curate, idque non oscitanter,  
 aut negligenter, sed rectè, diligenter, & fideliter. Aut ad omneis referri po-  
 test hic sermo. Quod enim Apostolis fuit officium prædicandi Euangelij, hoc cui-  
 us homini est legitima sua uocatio. Verbi gratia, Ciuilis magistratus est, rempub-  
 administrare. Patrisfamilias est, familiam regere. Artificum est sua artificia exer-  
 cere. Quod igitur Apostolis dicitur, ut abiiciant sollicitudinem, ut respiciant uola-  
 tilia cœli & lilia agri, primùm autem omnium quærant regnum Dei, & iustitiam  
 eius: idem etiam dicitur omnibus aliis hominibus, ne sint solliciti, sed ut confir-  
 ment fidem & uocationem suam, exemplo uolatilium & liliorum, & quærant re-  
 gnū Dei, & iustitiam eius, hoc est, seruiant iustè & diligenter suæ uocationi ad  
 gloriam Dei, ad quam legitime ordinati & uocati sunt, ut fide perfecta & uiua cre-



dant in Iesum Christum, qui caput & unicus rex in hoc regno est, in quo & per quem omnia habemus: in quo qui permanserit, illi neque peccatum, neque mors, neque ulla alia calamitas nocere potest, sed uitam aeternam, perenne gaudium, & salutem habet. Quæ quidem salus in hoc seculo fide uiua incipit, uerum in nouissimo die reuelabitur, perpetuo duratura: Et uidebimus eum sicuti est, 1. Ioan. 3.

Querere regnum Dei.

Querunt ergo regnum Dei, & iustitiam eius, qui ex animo uiua fide atque summa cura religioni ueræ sese impendunt atque dedicant: & in hoc omneis animi neruos intendunt, & totam uitam suam ita componunt, ut in ipsis uiuat Deus, & ipsi quoque ad nutum & uoluntatem Dei uiuant, ut iusti, & Deo accepti sint. Rogabit quispiam. Quomodo ad illud regnum peruenitur? Aut quæ platea aut uia nos eò perducit? Respondeo. Ad illud regnum Dei una est uia, quæ est, in Christum uiua fides, & Euangelij, cui uiua fides adhæret, sedula exercitatio, quæ fit (iuxta uisusque functionem & uocationem, uel prædicando, uel audiendo, legendo, orando, canendo, meditando, & similibus modis. Ita ut illa fides uiua in animo subinde augetur, roboretur, & in fructus bonos & opera pietatis & iustitiæ erumpat, Euangelium promouendo, & plures ad Christum adducendo. Atque ut rectè eò ambulemus, non est sequendus nostri capitis ductus, sed Christi uerbum audiendum, & ei, ut fundamento & lapidi angulari innitendum. Videndum quoque, quò te ducat, tum quomodo interpretetur. Quod est uerbum, de regno Christi factum? Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Hoc uerbum non est humanitus excogitatum, sed è caelo demissum, & per os Dei demonstratum, quò omnibus modis certi essemus, nec à uera uia aberraremus. Proinde ubicunque hoc uerbum uiget, & feruet, sedulitate, cum prædicatorum tum auditorum: & uerbum ac sacramenta (quibus ornata est mater Ecclesia) diligenter exercentur, & secundum ea quoque uiuitur, ac doctrina Euangelij & Ecclesiæ sponsæ Christi strenuè urgetur, quò nota fiat ac seruetur ab hominibus: & hac quoque iuuentus diu noctuque imbuitur, hoc demum est regnum Dei. Iustitiam autem regni Dei posuit pro uerbo, & omnibus aliis rebus ad illud regnum pertinentibus. Rursus collige ex superioribus, scopum & finem omnium nostrarum actionum esse regnum Dei. Hoc omnibus dicitur siue qui uerbum Dei prædicant, siue magistratibus, siue qui patres familias, siue cuiusquam conditionis quique fuerint. Sanctus Augustinus lib. de sermone Domini in mote diligenter monuit, hanc uoculam, primùm, esse dignitatis & non ordinis.

Via ad regnum Dei.

Marc. vi.

Verbum Dei de regno suo

Iustitia regni Dei. Regnum Dei, scopus & finis omnium nostrarum actionum. Primùm, uox dignitatis, non ordinis.

Et iustitiam eius.

Hoc uerbum adposuit, ut ostenderet, quòd huic regno sua quoque iustitia est: sed longè alia, atque ea, quæ in mundo est, sicut aliud quoque regnum est. Dicitur itaque hæc iustitia, quæ ex uiua fide manat, & prouenit, quæ per bona opera sedula & efficax est, sic ut Euangelium seriò mediter, diligenter audiam & exerceam, ac deinceps secundum ipsum uiuam, nec tantum ineptè loquax sim, & hypocrita Euangelicus, oscitabundus auditor, sed qui ipsis operibus confirmet, sicut diuus Paulus, 1. Corinth. 4. inquit. Regnum Dei non est in sermone, sed in uirtute. Hoc nos fidem uiuam cum suis operibus nuncupamus, hoc est bona opera, & suo statu seu officio cum charitate & diligentia fungi, & nihil non propterea perferre incommodi. Nam iustitiam hoc loco generaliter totam uitam Christianam uocat, erga Deum & homines diligenter transigendam, ut subinde progrediatur, & ad perfectum decurrat. Quemadmodum hic discipulos suos semper querere iubet regnum Dei, ut qui illud nondum plenè assequuti essent ad perfectam cognitionem, & uitam nondum peruenissent. Obserua: ad iustitiam huius regni pertinet, ut uerè & ex animo omnia fiant, nec ullus hypocrisis locus relinquatur. Vnde hæc appendix uidetur posita contra eos, qui multa quidem de Euangelio e-

Iustitia regni Dei, uita qua ad illud peruenitur.

Iustitia, uita Christiana. Querere, proficere est, & ad perfectionem festinare.

rudité loqui nouerunt, & superbè iactare, sed minus Euangelicè uiuunt. Atqui negotium quoque arduum factum est, uerbum Dei docere, & omnibus benefacere, & loco præmij omnia incommoda & aduersitates tolerare: hoc est (si nescis) iustitia regni Dei. Hoc non nouit mundus, non uult pro rectè factis, mala perferre. Porro nostra merces non est in terris, sed in caelo reposita, & illic illam inuenimus. Iam qui ista nouit, & ita iuxta uerbum Dei uiuere decreuit, omnem anxiam solitudinem exuet, Mammonæ faciliè obliuiscetur. Nam à mundo diuersis acerbitatibus ita exagitat, ut non multum rationis uitæ ac rerum temporalium sit habiturus, uerum sic defatigabitur, ut omnibus horis cum Paulo dicat, Cupio dissolui & esse cum Christo. Et hæc est illa parænesis, qua à rebus temporalibus ad immortalitatis thesaurum ducimur, relicta horum bonorum cura & anxia solitudine. Rursus aduerte. De hac iustitia supra memoratum est, Nisi abundauerit iustitia uestra, plusquam Scribarum & Phariseorum, &c. Et, qui docuerit & fecerit sic, magnus erit in regno caelorum. Ut in summa dicam, doctrina Euangelica fatis nos docet, quæ sit regni Dei iustitia. Ex superioribus colligamus. Querendum est regnum Dei, id est, ut Deus solus in te regnet, uiuat, & operetur, atque ut illi soli fidas, & uoluntatem eius adimpleas. Querenda item est iustitia ciuilem regni, quæ non est alia præter iustitiam Dei, ut scilicet non tuam constituas, & iustitiæ Dei obliuiscaris: sed sola iustitia eius tibi querenda est, non tua, tanquam ex te iustus esse uelis, cum illa uera sit, tua uerò, ut ex te, sit hypocritica. Vnde iustitiam hoc loco interpretari possumus iustificationem, quæ à Deo est, ut nos ipse iustificet. Petentibus autem nobis, quæ sunt animæ necessaria, adiciuntur & quæ corpori sunt necessaria. Deinde aduerte Christum opponere regnum Dei regno mundi, & iustitiam regni Dei iustitiæ mundi. Quam mundialem qui sequuntur, regnum Dei non possidebunt, 1. Corinth. 6. Galat. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Eph. 5. cap. Nec fornicator, nec immundus, nec auarus regnum Dei possidebunt.

Et hæc omnia adicientur uobis.

Superioribus promissionem addit & consolationem, ne temerè in eam ueniamus cogitationem, quasi sit nos deserturus, & nobis prorsus nihil rerum in terris impertire uelit, sed nos sinere fame emori. Sed sciamus nos etiam habituros necessaria ad alendam & sustentandam uitam. Quocirca (inquit) Querite primùm regnum Dei, & cetera omnia adicientur uobis, hoc est uictum & amictum quoque habebitis. Quasi dicat: Si uos rectè & fideliter uestrum officium egeritis, tunc patetfamilias aget & suum, ac operam dabit, ut omnia ad uictum & amictum necessaria, uobis, nihil etiam tale cogitantibus, abundè ministrentur. Iam uideamus exemplo & re ipsa compertum esse, quam huic promissioni satisfecerit Dominus. Emisit enim Apostolos suos sine sacco, pera, & calceamentis: atque cum quaereret, num quid defuisset eis: Responderunt nihil unquam sibi defuisse. Ita & cuiuslibet rectè & sanctè suam functionem sequenti contingeret. Quare uictus non tantum paratur ex agricultura, & aliis id genus uitæ generibus, sed paratur etiam ex quauis uocatione, uerbo Dei aut instituta aut approbata. Cæterum hæc concio altissima mente reponenda est, ad reprimendos tam magnos uentris latratus, qui auribus carens, sapius in die clamat, & nec ullius oratoris eloquentia mollitur, nec patientiæ aliqua ex parte cedit, sed ueluti impatiens creditor, clamat, ut sibi satisfiat, non aduertens ad hanc Christi concionem, quæ profectò est ueluti celestes literæ & tabulæ Dei, pollicitatrices perpetuæ nutritionis. Quemadmodum enim in ciuilibus negotiis emptio annuorū reddituum, aut censuum publicis literis confirmatur, quæ & emptorem ita certificant, ut sciat reditus sine omni tergiversatione prouenturos: Ita omnibus in uocatione Dei rectè ambulanti bus promissus

Via ad regnum, ardua.

Mundus iustitiam Dei ignorat: si nouit, odit & persequitur.

regnum Dei est, cum regnat Deus.

Iustitia humana hypocritis est. Iustitia Dei, iustificatio à Deo.

Querentibus Deum nihil Deus finit deesse.

Dominus, etiam uiuens, multa prestitit suis, quæ fuerat pollicitus.

Victus & necessaria non labore solum aut alio officio, sed uerbo Dei parantur.

Venter impotuitus exactor.

Verbum Dei, quedam ueluti ipsius syngrapha.



Deus ex promissione debitor.

est ueluti annuus reditus, uictui & amictui suffecturus. Cui promissioni addit nūc Christus hanc concionem, tanquam publicas literas, quibus promissio ita obstrigitur, ut quod promissum est, ratum ac stabile sit ac transeat in debitum. Atque quod huius concionis harumque literarum memoria non excidat, sed illarum frequentius recordemur, instituit lectores siue interpretes earum non torpidos, non somnolentos, sed eos, qui semper nobis ob oculos uersantur, dicens, uertite oculos ad uolatilium cæli. Quo uerbo uoluit, ut singulas auiculas pro singulis harum literarum interpretibus, aut etiā testibus agnoscamus, ut quoties uiderimus uel minimam auiculam, toties admoneamur diuinæ promissionis de uictu & amictu. Quod si nullus esset alius auium usus, quā ut concionarentur, & testificarentur nobis hanc clementiam & liberalitatem Dei de uictu, certè satis dignè creaturæ essent, quas admiraremur. Cōcionatur & deinceps, Considerate lilia agri. Quo uerbo declarat singulos flores agri, singulos esse tum concionatores, tum testes diuinæ clementiæ, ut ex aspectu & consideratione obuij cuiusque floris confirmemur in fide, & excitemur tam in admirationem diuinæ bonitatis, quā ad obsequium diuinæ uocationi præstandum. Et quia ad publicas literas, publica etiā sigilla necessaria sunt: ideo Christus hanc promissionem siue has literas de perpetuo uictu

Promissiones Christi, cruci, ueluti hieris, inscriptæ, & sanguine, ceu signo regio, insignitur.

Corporalia ueluti corollæ, adduntur querenti spiritualia.

& amictu nobis uocationem nostram rectè sequentibus exhibendo, consignauit, non rubra cara, quæ uel solis uel ignis calori exposita perire potest, & homines tantum, qui fallunt & falluntur, obligat: sed rubro suo ipsius sanguine, quod maiorem his literis fiduciam habeamus, certi, quod quæ promissit, præstabit. Hoc enim sigillo, hoc est, effusione proprii sanguinis, Deum nobis in ipsum credentibus ita reconciliauit, ut nos non aliter, quā filios suos agnoscere, tractare & fouere uelit. Has igitur literas recondamus, & eas conseruemus diligenter, non quidem in aliqua lignea aut ferrea arca, sed in arca cordis nostri, ut abiecta sollicitudine, & cōfirmata fide nostra, in obsequio Dei ambulemus, per Iesum Christum, qui uia est ad patrem. Colligamus ex superioribus: Omni querenti spiritualia, adduntur etiam corporalia, liberalitate Dei.

Nolite ergo solliciti esse in crastinum.

Vult Dominus his uerbis, ut in diem uiuamus, & anxiam futuri uictus curam à nobis profligemus: satis habentes, curasse die quolibet, quæ illo die Dominus curanda obiecerit. Viuamus, præsentibus rebus contenti, nec discruciemur cura futuri, quemadmodum facit hominum vulgus, sibi conduplicantium afflictionem, dum & de præsentibus necessitate satagunt, nihil non facientes, & futuri metu discruciantur. Accipiamus cum gratiarū actione, quod hodiernus dies obtulit: & Domino curandum relinquamus, quid dies crastinus afferet: Nam si quid boni afferet, non pendeimus spe: si quid mali, non præueniemus afflictionem futuri mali. Hæc uita suas habet afflictiones, quas non est opus conduplicare metu. Satis est enim eas ferre, quum adsunt, ut antequam accedant, timor eas præsentibus non faciat. Hanc conditionem tum postulat tempus, tum habet mortalium uita, læta & iucunda tristibus admiscens. Sed omnia uobis in bonum cooperabuntur, si quicquid inciderit, boni consulueritis, & toti in hoc sitis, ut queratis regnum Dei. Obserua: In crastinum, posuit pro eo, quod est in posterum, & de futuro.

Afflictio duplex hominū sollicitorū de uictu.

Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.

Quid iuuat esse infelicem ante diem?

Quasi dicat: Crastinus dies molestus erit sua ipsius cura, id est, tempus consequens, sui ipsius curam habebit. Cur ergo in crastinum uis esse sollicitus, & duorum dierum sollicitudine & afflictione temet macerare? Contentus esto hodierni diei miseriis: etenim crastina lux suas afflictiones secum apportabit. Ad hunc modum Seneca, Quod times, uenturum est, aut secus: si secus, frustra ergo uexaris.

Si uenturum est, tum tandem fatis dolebis, quum adfuerit tribulatio. Afflictionem seu tribulationem hoc loco uocamus iugum, quod nobis impositum est, scilicet in sudore uultus nostri alimentum nobis parare, & quæ alia sunt incōmoda, infortunia, atque pericula quotidie accidentia, ut cum aliquid furto deperit, aut alioqui damnum accipitur, seu cum in aduersam ualetudinem incidimus, aut familiaria aliquid aduersi cōtingit, quemadmodum in hac uita usu uenit, in qua quotidie eiusmodi casus fortuiti nobis spectandi & expectandi sunt. Quæ omnia æquo animo & cum gaudio accipienda sunt. Atque licet his ferendis abundè graueris, tamen nihil necesse est, ut insuper temet inani sollicitudine oneres, quæ arumnas tuas non nisi multiplicas, & grauiiores facis multò quā sunt. Sensus uerborum est, Deponite curam crastini, id est, futuri temporis: tantum, quæ facienda uobis incumbunt, curate: & finite crastinum diem sui ipsius curam habere, id est, cras rursum his, quæ Dominus curanda obtulerit, incumbite, & superuacanea cura uos ipsos ne discrucietis. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, id est providebit sibi, nempe curante Deo, qui diem facit, & tibi ad illum diem uitam seruat.

Crastin⁹ dies quam afflictionem aduehit.

Æquo animo quicquid dies adportat, ferendū.

Sufficit diei malitia sua.

Agnoscebat Christus nostram miseriam, & innatam nobis quādam stultitiam, qua labores nostros etiam contra diuinum præceptum & beneplacitum ceu diffidentes conduplicamus, ne uanè affligamur consolatoriā suæ concionis & adhortationis conclusionem afferat. Sufficiat uobis cuiusque diei sua afflictio. Cur ergo uobis miseris uultis esse, curando quæ ad uictum & amictum pertinent, & curantes quæ crastinæ diei sunt? Quasi uerò non sufficiat uobis huius diei præsentis afflictio, nisi & crastinæ diei afflictionem addideritis. Sufficit diei malitia sua, id est sufficit, quod uictum & uestitum sumere urget ipsa necessitas: quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis: pertinet enim ad hanc fragilitatem & mortalitatem, quam peccando meruimus. Obserua. Hic malitiam (ait Hieronymus) non contrariam uirtuti posuit, sed laborem & afflictionem & angustias seculi. Sufficit ergo nobis præsentis temporis cogitatio: futuram eorum curam, quæ incerta sunt relinquamus. Huius concionis summa est, Ne pro uitæ necessariis aliter aut plus solliciti simus, quā nobis Dominus iniunxerit: qui nihil nisi laborem & utilia proximis opera, & sua quolibet tempore iniunxit: fructum uerò, qui inde ad nos redeat, uult suæ pro nobis sollicitudini committamus. Nam prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.

Suam quilibet dies afflictionem habet.

Malitia pro afflictione.

CONCILIATIO I.

Quid est, quod hic Christus ait, Attendite, ne iustitiam uestram faciatis, coram hominibus, ut uideamini ab eis: cum superiore capite dixerit, Videat opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum? Respondeo. Ostendenda sunt opera nostra, ut gloriam & laudem patris cœlestis manifestemus, non ut in ipsis uanè gloriemur. Nam cum nos iustitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, ilico adiunxit, ut uideamini ab hominibus. Et cum rursum uidenda ab hominibus bona opera præciperet, protinus addidit, ut glorificent Patrem uestrum, qui in cœlis est. Qualiter igitur uidenda essent, & qualiter non uidenda, ex appedibus & sine sententiarum, monstrauit. Scilicet ut operantis mens opus suum & propter se uideri non quereretur: & tamen hoc propter cœlestis patris gloriam non celare uellet. Vnde fit plerumque, ut bonum opus & in occulto sit, quum fit publicè: & rursus, in publico, cum agitur occultè.

Opus bonū nostrum uult Dominus uideri, & uult non uideri.

CONCILIATIO II.

Cum Dominus docens nos orare, præcipiat, ut dicamus, Ne nos inducas in tentationem: quomodo Apostolus Iacobus, cap. primo, uidetur contrā docuisse,



dicens, Beatus uir, qui suffert tentationem? Et Eccles. 34. Omnis uir, qui non est tentatus, quid fit? Quasi dicat, Non est probatus. Respondeo, utilem esse tentationem quæ probat, non quæ uincit. Iam oramus, non ut ne Dominus finat nos tentari, sed ne in tentationem ustricticem inducat, ut ait Casianus. Non ergo hoc sonat, Ne inducas nos in tentationem, id est, ut nō permittas nos aliquando tentari, sed ne permittas nos in tentatione positos superari.

## CONCILIATIO III.

Videtur hic locus, Tu autem, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, non satis conuenire dicto Isaia, 56. à Christo allegato in Euangelio, Domus mea, domus orationis uocabitur. Respondeo. Immolationi Iudaorum prescriptus erat locus. Deutero. 12. cap. Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris: sed in eo, quem elegerit Dominus. In una tribuum tuarum offeres hostias. Vbi ubi uerò arca fixeris, & tabernaculum erant, is erat locus à Deo electus. Nam inde ex propitiatorio promiserat se exauditurum orantes, & illic permanfurum, Exod. 25. cap. Hoc erat figura templi Christianorum, ex Gentibus & Iudæis conuenientium in unicum uerum & uiuum templum Iesum Christum. Cuius morte & resurrectione antiquatum est uetus illud Iudaicum tēplum, imò & solo æquatum est, cum ciuitate Ierosolymitana, ne existimarent homines unicum esse locū sacrificio aptum, sed intelligerent per orbem passim extruenda templa. Atque in his solennes & publicas supplicationes fieri debere, purumque Euangelij uerbum tractari & doceri, ac sacramenta exerceri & ministrari. Precibus uerò priuatis nō prescribitur locus, dicente Paulo, 1. ad Timot. 2. Volo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus, licet frequentius feruentior fiat oratio eo in loco sacro, in quē Ecclesia seu multitudo Christianorum conuenit. Proinde cum dicit oraturos secedere in cubiculum, caue putes urgeri locum. Nimirum ipsemet orauit in monte, rure, cenaculo, coram discipulis, ubi ubi opportunitas oblata est. At eò solum tendit uerbum Christi, ne quum oras, sic ores, ut quæras uideri ab hominibus, à quibus uisus orare, glorificeris.

## CONCILIATIO IIII.

In speciem pugnare uidetur hic locus, Ne solliciti sitis, dicentes, quid comedemus, &c. cum loco Sapientis, Prouerb. 6. cap. Wade ad formicam, ô piger, considera uias eius, & discite sapientiam, quæ quum non habeat ducem nec præceptorē, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Respondeo. Nihil pugnantia horum inter se locorum. Christus enim non prohibet laborem, ad quem loco citato Salomon hortatur, sed curam & sollicitudinem nimis anxiam uetat. Laborandum enim est, iuxta Dei prescriptum, Genes. 3. In sudore uultus tui uergeris pane tuo. Sed cura Deo committenda, qui dat incrementum, & pascit nos, benedicens laboribus nostris. Nam benedictio Dei diuites facit, Prouerb. 10. cap. Ipsi cura est de nobis, 1. Petri. 5. Nobis certè expedit in uerbum ipsius respicere, & uocationem nostram, qua ad laborem creati sumus, diligenter attendere. Id quod in formica uidemus, quæ cum nec præfectum nec ducem habeat, tamē æstate cibum parat, id enim opportunissimum isti animalculo laborandi tempus: & colligit in messe alimentum, nimirū cognoscens se ad hoc creatam. Ita tibi agendum, quando per occasionem licet, sollicitudine de reliquo Deo commissa. Damnat enim ubique scriptura stertentis & otiosos. Et Paul. 2. Thessal. 3. inordinatos & incompósitos uocat, qui minimè laborant. Nam egestatem affert manus otiosa, sedulorum autem manus dicit, Prouerb. 10. ca. Qui exercet agrum suum, satiabitur pane: at qui otio indulget, egebit, Prouerb. 28. Non igitur Christus prohibet laborem corporalem: quandoquidem, & Paulus, uir tam pius, manibus

Oratio ubi-  
uis ualeat.  
Oratio, ferè  
feruentior in  
loco sacro, &  
orationi de-  
stinato.

Labor impe-  
ratur, sollici-  
tudo prohi-  
betur.

Orum ubi-  
que in sacris  
litteris dam-  
naturum.

nibus laborauit, Ephes. 6. Qui & apud Aquilā & Priscillam manens, scenofactoriam artem exercuit, Act. 18. cap. Sed prohibet nos ea duci sollicitudine rerū temporaliū, qua à diuino amore auocemur. Non desunt, qui otio studentes dicunt: Cum nos Deus plurius faciat auibis & uolucris cœli, quæ neque seminant, neque laborant, quare nobis præcipitur laborare? Respondeo. Cur hi, qui hæc quæ-  
runt, non attendunt ad id quod sequitur, neque congregant in horrea. Cur ergo isti manus otiosas & plena repositoria uolunt habere? cur denique molere & co-  
quere curant? hæc enim aues non faciunt. Hæc & huiusmodi in otiosos dici pos-  
sunt. Quamobrem si nos per aliquam infirmitatem uel occupationem non possumus operari, ille nos pascet, sicut aues, quæ neque laborant neque metunt. Cum autem possumus per nos quærere cibum, non debemus tentare Deum. Quia quæ possumus, eius munere possumus: & cum hic uiuimus, illo largiente uiuimus, qui largitus est, ut possimus: & ille nos pascit, à quo aues pascuntur. Præterea aues non otiantur, nempe uictum quærunt. Quid igitur tu ualidus & potens, otiosus expectas, tibi tota die oscitanti, prandium è cœlo aut obuicire aut afferri præsidio angelico? Audi Paulum, quisquis es, 2. ad Thessal. 3. dicentem: Quoniam si quis non uult operari, non manducet. Sequitur, Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Facit ad hæc August. 3. parte suorum operum, libro uno de opere monachorum, cap. 1. Similiter & de sermone Domini in monte cap. 24. de illis, qui ideo Christo & regno Dei seruire se simulant, ut comedant & bibant. Quorum scopus & finis non regnum Dei, sed uenter est.

In otiosos.

## CONCILIATIO V.

Quid est, quod hic prohibetur sollicitudo uictus & amictus, cum Sapiēs Prouer. 10. dicat, Manum sedulam parare diuitias? Respondeo. Dominus hoc loco auertatur illos, qui à sollicitudine & labore iuxta alieni & immunes sunt, quales sunt otiosi illi & ignaui fuci ac comedones inertes, quasi compressis (quod aiunt) manibus sedentes, & expectantes, dum Deus cœlitus assum auferem in ora illis demittat. Sollicitudinem & laborem iustum & uocationi necessarium Sapiens commendat, imò præcipit strenuè urgeri, quem Deus sua benedictione secundare paratus est, & omnia affatim dare laborantibus.

## CONCILIATIO VI.

Quid est, quod hoc capite dicitur, Et hæc omnia adiciuntur uobis, hoc est rectè incumbentibus uostro officio, adiciuntur necessaria corpori: cū Paulus, uir tam pius, & tam sanctè suam uocationem apostolicam secutus, dicat, 2. Corinth. 11. se famem, sitim & nuditatem passum esse? Respondeo Deus nonnunquam credentibus seu piis, propter fidei & aliarum uirtutum exercitationem, talia usuuenire permittit. Nouit enim, sicut medicus, cui semel nos totos commisimus, quando hæc debeat addere, uel detrahare, iuxta quod uiderit nobis expedire. Neque enim & homo, cum plerunque iumento suo cibaria detrahit, cura sua illud deserit, sed potius curando hæc facit. Hæc Augustin.

Viros factos  
nonnunquā  
fuit Deus re-  
rum extera-  
rum penuria  
premit.



*Iudicij mensuram, à se prius iudex ex festuca & margarito, mensuret, quemlibet ex opere iudicet, & operanti verba condonet.*

CAPVT SEPTIMVM.

Non iudicandum de proximo. Luc. 6. f. Roma. 2. a. & 14. a. 1. Corint. 4. a. Iacob. 4. cap. Marc. 4. & Luc. 6. f.

Verbum Dei non prædicandum contempторibus. Oratio continua inf. 21. Marc. 11. c. Luc. 11. c. Ioan. 16. c. Iac. 1. a.

Summa feri pentæ. Luc. 6. c. Tobie 4. c.

Ex operibus cognoscitur fidelis. Qui sine operibus est, Christi non est.

Impij, mitacula operantes, reiciuntur. Luc. 13. e. f. Psal. 6. c.



**N**OLITE iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, <sup>a</sup> & non condēnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mēsurā mēsi fueritis, <sup>b</sup> reme-  
tietur uobis. Quid autē uides festucā in oculo fratris tui, & trabē in oculo tuo nō <sup>c</sup> uides? Aut quomodo dices fratri tuo, Frater, sine eiiciā festucā de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eiice primūm trabem de oculo tuo, & tunc uidebis eiicere festucā de oculo fratris tui. Nolite dare sanctū canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, ne fortē cōculcent eas pedibus suis, & cōuersi, dirūpant uos. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo, quē si petierit filius suus panē, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscē petierit, nunquid serpētem porriget ei? Si ergo uos, cū sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quantō magis pater uester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se: Omnia ergo, quæcunque uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa uia est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrāt per eam. <sup>d</sup> Quam angusta porta, & arcta uia est, quæ ducit ad uitam & pauci sunt, qui inueniunt eam. Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: <sup>e</sup> mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorū cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit uoluntatē patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo mul-

a. Et non condēnabimini. non iudicabimini. Greg. hī sententiam Hebræi habent, & Graeci non habent, nec multa uerba. b. Remettietur mēsurabitur. c. Vides? animaduertit. d. Quam] quoniam. e. Mala] patris, matricida.

f. Prima parabola secundum Matthæū.

tas uirtutes fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui uos: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. <sup>f</sup> Omnis ergo, qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non concidit: fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerūt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et factum est, cum cōsummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisei.

Verbum est fiducia suscipiens, iuxta illud operatur.

Luc. 6. g. Rom. 2. b. Iac. 1. d.

Nolite iudicare.



**Q**VINTO capite cū Christus legis expositionem à lacunis Phariseorum uindicasset, & mox sexto capite aduersus hypocritism fuisset inuectus, dolos & simulationes Phariseorum detegens, deinde contra auaritiam anxiamque uictus solitudinem differuisset, hoc septimo capite hortatur ad cōdonationem delictorum, & uetat temerarium fieri de proximo iudiciū, in primis damnans susurriones & obtrechatores, qui nulla Dei uocatione, sed tantūm priuata sua seu temeritate, seu odio & inuidia, peccata proximi sui palām traducunt, & horribiles sententias in proximum pronuntiant. Deinde differit de doctrinā Euangelicæ religioſa æstimatione, ne suis, & canibus illam exponamus. Præterea animos addit ad precandi perseverantiam, impetrandique spem & fiduciam, impetrationis facilitatem ex bonitate patris inueniens. Deinde totius legis simul & omnium prophetarum summam docet, huic adiciēs quā sit arcta uia ad uitam æternam, & lata ad gehennam. Item studiosè tractat quā diligenter uitandi sint falsi prophete, quos suis notis & coloribus depingit, ut ab ipsis facilius cauere possimus. His addit regnum Dei non uerbis solum, sed opere & obeditione iuxta patris uoluntatem acquiri, docens, non omnem qui dicit, Domine, Domine, sed qui facit uoluntatem Patris intrare in regnum Dei. Postremo loco docet, non satis esse audire Euangelium, nisi & opere simul & animo præstiterimus, quod audiuius. Huius capituli, suauissimis fructibus pleni, summam habes, pie lector: hæc eadem sunt quæ Lucæ 6. scribuntur. Sed in primis Lucas in genere dicit, Estote misericordes sicut pater uester: deinde addit quæ hīc narrat Matthæus, ut quod in genere dictum est, per distributionem partiatur in species. Cū, ut Paulus inquit, finis præcepti sit charitas, & præcipuus regni Christi scopus sit uera & germana dilectio, illa uidelicet quæ non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, 1. Corint. 13. facile possumus cognoscere, cur Christus dixerit, nolite iudicare, qui damnat priuatum & temerarium de proximo iudicium in rebus dubiis, & quæ in bonam & in malam partem accipi possunt, cū ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem debeamus interpretari partem, quod non nostrum, sed Dei solius sit de occultis in animo sententiam ferre. Hoc præceptum exegetis est illius præcepti, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Naturaliter enim unusquisque seipsum diligit (si modo sanæ mentis fuerit) ut quum peccauerit nullo proximi incommodo, agro ani-

Quæ ignorantur quo animo fiant, in meliorem partem accipienda sunt. Natura docet quempi sum occultare & celare peccatum.



mo ferat, quòd peccatum ipsius vbique, in omnibus plateis, tōstrinis, & conuiujs traducatur, & ipse ad cruces nescio quas à susurrionibus & obreſtatoribus condēnetur: sed maximè in uotis habet & optat, ut peccatum ipsius celetur, ut ipse, si commodè fieri potest, clam & remotis arbitris de eo admonetur, & arguatur, atque ut pro remissione peccati coram Domino nostro oretur. Hæc est naturaliter uoluntas eius, qui errore quodam, aut imprudentia, aut alio quouis modo deliquit. Natura igitur docet, ut diligas proximum sicut te, qui non uis peccatum tuum publicè traduci: nullum igitur hominem iudices, nullius coram peccatum traducas, nullum propter peccatum diris deuoceras, & condēnes. Hæc non dicuntur de magistratibus, qui iuxta suum officium & obedientiam diuinę uocationis in uerè fontes agunt, ipsosque iudicant, & condēnant. De i enim minister est magistratus, ultor ad iram, ei qui quod malum est fecerit. Neque hoc præceptum in Ecclesiastè, qui necesse habet in peccata populi declamare, dicitur. Cùm enim Ecclesiastes in peccatores pro ratione sui ministerij agit: non est temeritas, sed debita seruitus Dei, & necessaria officij functio. Prædica (inquit Paulus. 2. Timoth. 4.) uerbū, inſta opportunè, importunè, arguè, obſcra, increpa in omni patientia & doctrina. Et iterum, Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant. Cùm ergo dicitur, Nolite iudicare, non damnantur legitima officia magistratuum & Ecclesiastarum, sed damnantur susurriones & obreſtatores, qui nulla Dei uocatione, sed tātum priuata sua temeritate, seu odio & inuidia, facta proximi, quæ etiam ex se mala nō sunt, pēsimè interpretātur. Aut si occulta fuerint, & per infirmitatem, aut imprudentiam commissa peccata, palām traducunt, & horribiles sententias in proximum pronuntiant. Dignus est hic furcifer (inquiunt) ut ex arbore suspendatur, aut exulet hic & extorris fiat: non enim est sympatriota, alienigena est, indignus certè qui tam magnificis ciuibus adnumeretur, aut ut sexcentis fulminibus traiciatur, & si quid est his atrocius. Et ferè fit ut huiusmodi Pharisæorum & Scribarum simia cū in grauiſſimis peccatis sibi ignoscant, tamen erga fratrem peccantem iudices agāt inclementiſſimos, etiam calumniantes ea quæ recta sunt, sinistra interpretantes quæ sunt dubia, exaggerantes quæ leuia sunt: & quod pēsimum est, magis arguere studentes, ut perdant, quàm ut sanent. Vnde iusticia famam sibi uenari uolunt, quod magno supercilio in aliorum lapsus sæuiant, quum non id faciant proximorum amore, quos extinctos malunt quàm correctos, & traductos potius quàm emendatos: nec id odio uitiorum agunt, cū ipsi suis uitiis longè grauioribus indulgeant. Iudicare hoc loco est inſari cōtra infirmum fratrem, illo pretextu, quasi ego sim sanctior illo coram Deo, aut in fide robustior. Vnde hoc uitij: ex semine diaboli, propria scilicet sapientia siue prudentia, quæ cunctis alijs, præcellere contendit, neminē audire, nec à quòquā discere sustinens, & neminē non carpit ac iudicat: demum fit & usu-nenit, ut se quoque diabolus admisceat, opera sua exercens, tantūque adornans quò suum cuique pulchrum uideatur, existimanti sua tantum in pretio habenda esse, & reliqua, quæ iuxta suam sententiam non sunt instituta, correctione & reprehensione digna esse. Hoc uitium à Paulo Philautia uocatur, uti si quis suis uitiis dissimulatis & non inspectis, tantum aliorum errata in reprehensionem rapit: id quod certè natura insitum esse uidetur, & uix eo liberamur, quin nobis pulchri uideamur, carentes omni neuo & macula, nosmet excolentes & ornātes, & quod boni in nobis est uidentēs, illòque nos superciliosè titillantes, quasi nostrum & proprium sit. Atque, ut soli pulchri simus, non uidemus quæ uirtutes & dona sunt in proximo, sed ea omnia ex oculis remouemus, & inuento alicubi ulcusculo, replemus & pascimus oculos, idque ita malitiosè, & uirulentè exaggeramus, amplificamúsque, ut præ eo nihil boni uideamus, quanuis uitæ sanctimonia & integritate uel Aristide incorruptior, imò potius quouis angelo sanctior esset. Sicut si

Qui publica potestate funguntur, cum seculari tum spiritali, possunt de publicis uitiis iudicare. Munus præconis uerbi diuini est, palam reprehendere uitia.

Christianus delinquentē corrigit ut emendetur q̄ lapsus est.

quem aureo amictu indutum cōspicerem, & futura quædam fortè fortuna albo stilo commissa esset, in quam oculos intenderem, quasi hoc ipso rota uestis omninò respuenda esset, egòque me in toga mea modico auro ornata superbè & magnificè efferem. Ita non uidemus propria uitia, quibus non ferendis nec nominandis scætemus, nec in alijs quicquam boni perspicere possumus: sed in uitam alterius debacchamur, eius dicta & facta carpendo & procaciter damnando. Hoc scædum & ingenerosum uitium latissimè in mundo regnat, & in rebus humanis admodum ingēs stultitia hæc philautia, quæ licet iniusta sit, aliqua ex parte toleratur, & ad eam crassa est, ut à quouis palpetur etiam: ut si qua puella præter ceteras sibi uidetur esse forma præstantissima, & quicquid in altera conspexerit, hoc illi displicet: aut si iuuenis aliquis stultus & forma & ingenij dexteritate supra modum se præcellere existimat, putatque nullum parem aut secundum sibi reperiri posse, imò & co-ducitur liuore ex philautia, ut nō parcat seni, cuius uel caniciem uereri debebat & honorare, neq; coæuo suo parcat, id quod maximè uidemus in his qui famulātur: rursus senex non parcat iuuentuti, cuius tamen imbecillitatem & tentationes ipse quoque expertus est. Si ad muliebrem genus oculos deflexeris, obseruabis uxorē suæ conditionis & imbecillitatis oblitam temerè in uirū audere: rursus uirum, nō pensata uxoris infirmitate, nihilominus quiduis in vxoris errata audere. Agnosces præterea hanc philautiam id mali (quod grauiſſimum & nefandiſſimum est) adferre, ut famæ & uirginum pudori non parcat. Deinde inter sapientes & doctores hoc uitium lōgè ualidiſſimum est, quorum nulli probatur quod alter fecerit, aut nouerit: sed quisque solus esse contendit, qui omnia longè melius ceteris & ad unguem calleat, quem Minerua (ut aiunt) omnes artes erudierit, cuius morsus, iudicium & censuram nemo potest effugere. Atqui hanc dementem philautiam nemo non cernit, & intelligit. Et tamen istorum Momorum, hoc est reprehensorem potius, plena sunt omnia, qui in tantum sapientes sunt, ut etiam iungere uulpes & mulgere hircos sciant, & equos à cauda infrenare, alijs antè in os frenum inferētibus. Hęc lues aliquando irrepit in regnum Christi, diabolo hoc semen suum ferente aduersus cū doctrinam, tum uitam profitentis Euangelium. In doctrina sic usuuere solet, quā, & si Deus uni dederit, ac prædicandi Euangelium munus mādauerit, tamen subinde alij reperiantur, atque etiam non pauci ex auditoribus, qui multis modis id officij melius obire uolunt, q̄ is cui creditum est. Estque Euāgelio ferendum hoc incommodum, ut à quouis se iudicari sinat, cuius doctor quouis esse cupit, & proponendæ doctrinæ magister. Quemadmodū ipsi quoq; Moyſi accidit Numer. 16. ubi Chore cum suis asseclis contra ipsum insurrexisset, dixissetque, Cur eleuamini super populū Domini? Nōne omnes sancti sunt? Quasi uerò Deus tātum per Moſem & Aaronem loqueretur. Hæc arrogancia plerisque hodie contingit, ex qua mox alia doctrina inducitur, & scæta constituuntur, quas temeraria iudicandi & condēnandi libido sequitur: cum primis uerò uirulentum illud uitium detractionis, qua subinde una pars alteram uenenatiſſimam, & procaciſſimam carpit, diffamat & traducit, id quod hac tēpestate paſſim uidetur. Ex hoc deinceps exitiale damnum, & Christianæ ueritatis panoethria quædam, id est internicio, consequitur, Christianorū animis in scætas discisis, & syncera doctrina paſſim succumbente. Hoc itaque præuidens Christus, quòd vbicūque gentium Euangelium oriretur, diabolus moliretur seminare & extruere scætas & factiones ad perdendum, & opprimendum Euangelium, præmunit suos apostolos & omnes uerbi prædicatores, ut ab hoc uitio sibi diligenter caueant. Ac si diceret, Si uobis in animo est, meos esse uelle discipulos, date operā ut uester intellectus & opinio in doctrina uniformis sit, Catholica, nō scissa & diuisa sit doctrina meo uno spiritu directa. Nec quisquam uestrum hoc sibi præsumat, ut ceteris magister esse ambiat, quasi nouum quiddā aut melius scire iactet, & alios per hoc iudicare, & cō-

Quisque animo suo indulgens traducit proximum per ora hominum.

Homine imperito nunquā quicquā iniustus, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectū putat.



demnare: illudque summè prohibitum intelligitur, quod quisque proprii capitis ductu, tantum sibi arrogat, & nouam doctrinam ac spiritum comminiscitur, semet pro sapientissimo reputans, omnium magister esse uolens, omnes uituperas, quorum nihil illi commissum. Hoc ipsum est iudicium priuatum, quod Christus hoc loco tantoperè prohibet. Accidit & altera condemnandi ratio in uita, quæ sic usuuenit, dum aliquis in alterius uitam debacchatur, carpens eius facta & procaciter omnia proximi damnans, nihil illius probans quod sibi placeat. Sed de his paulò antè diximus. Quàm uerò horribile sit peccatum, traducere peccata proximi, & priuata temeritate ipsum cõdemnare, paucis aperiemus. In primis, qui hoc agit seditiosus & blasphemus est in Dominum Deum suum. Nam ad maiestatem Dei pertinet peccatores iudicare, & damnare. Ergo qui ipsos sine uocatione & iussione Dei damnat, is arrogat sibi diuinam maiestatem. Quod, quid aliud est, quàm seditiõnem aduersus Deum concitare, & quantum in obtrectatore est, Deum è sede maiestatis suæ uelle deturbare? In hoc uerè patrem luciferum imitatur & ipsius genium refert, qui moliebatur esse & nominari Deus. Deinde is cõtumeliosus & seditiosus est in legitimum suum magistratum & ordinarium ecclesiastem. Nam is obtrectator temerè usurpat sibi id officij quod ad magistratum & ecclesiastem suum pertinet, & traductione sua significat, magistratum quidem & ecclesiastem ignauos esse officij sui neglectores, se autem longè prudentius & diligentius ea officia administraturum. Prætercà peccat contra maiestatem & officium Domini nostri Iesu Christi, qui expiauit peccata hominum, & passione sua ita coram Deo abscondit, ut qui poenitentia ducuntur, & ipsum ex animo amplexantur, ac in ipsum credunt, non amplius peccatores, sed iusti reputentur. Obtrectator autè, peccata proximi reuelat, & quatum in ipso est, maiestatem & officium Iesu Christi damnat, nimirum mortem eius & resurrectionem negligit. Proinde iudicare quod hic Christus uetat, est aliena dicta uel facta explorare & censere, non ut emendes, sed ut notes, denigratõque proximo, tibi uel probitatis opinionem, uel prauis animi oblationem concilies. Atque hoc iudicium oritur ex praua quadam curiositate, habetque comites inuidiam & animi peruersitatem, percipientes uoluptatem ex alienis peccatis. Et qui pronuntiat contra hos, quos ita iniquo animo iudicat, dicitur cõdemnare. Obserua. Quoniam cum iudicium exercetur, non solum facta explorantur, sed etiam tandem uel laudantur uel damnantur, scriptura per iudicare intelligit damnare, ut in illo, Princeps mundi iam iudicatus est.

Iudicium temerarium inuidiam habet comitem

Iudicare.

### Et non iudicabimini.

Superiori præcepto rationem appendit, qua suos à iudicio temerario reuocat, ostendens quàm detestabile est, temerariè de proximo iudicare. Quasi diceret, Horribile & detestabile ualde nõ solum existimatis cum aliena facta traduci certitis, imò uerius id ipsum sentitis & experimini cum uestra publicari uideris peccata, & mox iudicari & damnari. De his periculum facitis, non quãdo ipsi de aliis iudicatis, sed quando intelligitis uestra facta non syncerè ab aliis tractari. Iam si non uultis iudicari, caute alios iudicare. Quemadmodum enim qui omninò candidè facta aliorum interpretantur, apud plurimos, licet nõ omnes, uicem merentur: ita contrà, qui omnium censors se faciunt, & citra æquitatem, hi planè & aliorum iudiciis iniquioribus sese reddunt obnoxios. Repudiandum igitur temerarium iudicium, ex philautia & propria consurgens prudentia. Hoc ut faciamus pernecessariũ est, ut discamus, & nos in cõsuetudinem ducamus, si in nostro officio sumus, siue prædicando seu palàm reprehendendo, siue etiam fraternè admonendo ( de quo Christus, Matth. 18. ) ut proximi defectus & infirmitates portemus, tegamus, & exornare sciamus, ut melius & facilius medeamur, cum celeri nõ indigeat correptione. Et quanquam aliquid in eo perspicerem, quo nõ admodum

delectarer, ut animum & oculos meos reprimam, ac retraham meipsum intuendo: qua in re haud dubiè multa inueniam, aliis hominibus non placencia, & quæ libenter uelim alios in optimam partem interpretari & benignè dissimulare. Hac ratione futurum est ut philautia titillatio mox reprimatur, qua nobis uehementer placemus, infirmitates aliorum contemptim subsannantes: & sapientissimi nomi mordacitas mox desinet, censuram relicta. Quin potius lætaberis, & neque iudicans, neque iudicatus sic triumphabis, si licuerit tibi cum alio ex æquo discedere. Atque hic erit Christianus triumphus in primis, si dixeris, Domine dimitte nobis debita nostra: ac deinde proximo, quod si aduersum me peccasti, & ego cõtrà aduersum te, ignoscamus uicissim alter alteri. Si autè uideres proximũ intolerabilibus modis occultè peccare, nec prius desitutum, quàm illum obiurgares, tum sanè uade, & ipsi soli fac dicas sicut infra, 18. cap. Dominus hortatur, quo respiscat & finem peccandi faciat. Et hoc non diceretur iudicare aut cõdemnare, sed fraternè admonere peccantem ad respiscantiam. Et admonitio tranquillè fieret secundum mandatum Dei: alioqui tua titillatione, qua tibi ipse blandiris, tum etiam subsannatione & risu proximum saltem exacerbans, & induratiorem facis, tũque eo multo es deterior, & peccator in duplo grãdior, proptercà quod ipsi charitatem detrahis, & eius peccata tibi uoluptati sunt. Adhæc in iudiciũ Dei incidis, condemnans eum, quem Deus non condemnauit: qua re grauiori iudicio temet oneras, sicut hic Christus præmonet. Validissimum ergo & fortissimum propugnaculum contra hoc execrandum & detestabile uitium est, ne tibi placeas, ne propria innitaris prudentia, ne altum sapias, sed Deum ores, ut & tibi & aliis clementer ignoscat. Deinde quanquam aliquid mali à proximo committi uideas, ne tamen ideo illum respuas & condemnes: sed contra potius eius uirtutes intuearis ac tuis bonis & donis illi opituleris, ipsum tegas, eius peccata quoad fieri poterit celes, illi consulas, & pro comperto scias, quod, & si omnium sanctissimus & iustissimus esses, hoc ipso omninũ fias deterimus, si aliũ iudicaueris. Quippe dona tua non in hoc tibi data sunt, ut hisce tibi blandiaris, & thraconicè placeas, uerũ ut proximo auxiliieris, & opè feras, ubi illorum egebit, ut tua firmitate & potentia illius infirmitatem portes, ipsius peccata & ignominiam tua probitate & Christiana honestate tegas, & ornes, ut emendetur, curetur, sanetur. Quemadmodum cœlestis pater per Christum erga te fecit, & adhuc quotidie facit. Huc pertinet quod scribit beatus Paulus, Roma. 15. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque uestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.

Occultè peccantè leniter admonere ut respiscat.

Accerrima correctio deteriorem facit clam delinquentem.

Finis Christianæ correctionis est emendatio uitæ turpiter actæ.

### Nolite condemnare, & non condemnabimini.

Hic non docetur quod facta apertè mala, debes bona iudicare, & illa non condemnare, hoc est approbare, ut fornicationes, adulteria, &c. Nam hic tu ut priuata persona neque iudicas, neque condemnas: sed qui talia faciunt, seipfos iudicant, & reuera condemnant tales. Sed Christus seueram, duram & rigidam sententiam pronuntiat aduersus priuatum & temerarium iudicium, nimirum eum qui condemnauerit, iterum condemnandum esse, & meritò quidem. Cum enim temerè Dei iudicium usurpes, tibi que uindices, condemnans illum quem Deus non condemnauit, temerarius diceris, & reus iudicij perageris: fallax est tuũ iudicium, & peccata quidem illius uides, an uerò iam respiscat uidere non potes, fitque nõnquam, ut qui manifestus fuit peccator, coram Deo melior sit, quàm manifestus iustus. Hoc dum facis, hoc est proximum tuum cõdemnas, Domino Deo causam & occasionem ministras, ut te uicissim cum omni uita tua ad inferos condemnet, licet in decuplo iustior uidearis, utque proximum, qui tuis suffragiis damnatus est, amplissimis honoribus afficiat, & super te iudicem constituat, faciaturque, ut



decies plus uitiorum atque facinorum in te condemnatorum inueniat, quàm tu in iplo reperisti. En sunt hæc tua præclara gesta ex bella illa tua condemnatione in proximum, quæ reportasti. Deum & proximū exasperasti, & utriusque odium, & inuidiam tibi confluisti, ac pariter & gratiam Dei, & Christianam uitam amisisti. Quare qui melioribus & altioribus dotibus sunt præditi inter Christianos (sicut nonnullos habere operepretium est, cum primis autem Episcopos, prædicatores, & qui in rep. prominent) inflato animo cristas ne erigant, nec sibi meliores uideantur his qui similes dotes non habent. Et, in summa, ne in rebus spiritualibus ulla sit arrogancia, aut superbia. His enim dominantibus, nulla neque dilectio neque unitas esse potest. Obserua. Non dixit, Nolite reprehendere, aut corrigere, sed, nolite condemnare. Nam reprehensio siue correctio, fraternæ est & utilis: condemnatio uerò probrosa est, & despectu plena.

In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis.

Rationem additam, Ne iudicemini, & ne condemnemini, seriò & assertius confirmat, Nam quo iudicio iudicaueritis, eo iudicabitur & de uobis. hoc ut persua-deat uerum esse, adiicit uulgarem paræmiam in ore omnium uolitatem, & apud omnes receptissimam, Qua mensura mensi fueritis aliis, alij uicissim metientur uobis, ut ita uel hoc prouerbio omnibus noto, omnium consensu receptissimo, huius talionis æquitatem agnoscamus, & cauere discamus. In quo enim, &c. Ac si diceret, Quemadmodum officium inuitat officium, clementia clementiam: ita calumnia calumniam, seuitia seuitiam, & iudicium iudicium: atque qui malè de proximo loquitur, peius audiet. Quare si cauere uis ne iudicaris, caue ne proximum tu priuata persona temerariè iudices. Et non iudicabimini. Potest dupliciter intelligi, nempe aut de iudicio quod & per homines in hac uita uicissim alios iudicantes rependitur, ut sit sensus, Quo iudicio alios iudicaueritis, eo ab aliis iudicabimini. Aut de iudicio causæ quæ à Deo iudicatur, & alias in futuro Dei iudicio sit eandem condemnationem ac mensuram recepturus, eò quòd & ipse idem faciat in quo alios iudicat. Qui primam sequuntur sententiam, sic interpretantur has uulgares sententias. In quo enim iudicio, &c. Natura comparatum est, imò diuino fit consilio, ut qualem te erga alios exhibueris, tales uicissim experiaris & alios erga te, ut si damnaueris, exploseris, aut iudicaueris alios, idem tibi ab aliis rependetur. Et hunc sensum uidentur uerba Lucæ, 6. cap. uelle, Dimitte & dimitte-mini, date & dabitur uobis. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & su-pereffluentem dabunt in sinum uestrum, eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur uobis. Qua sententia significat Christus, Deum ita fore erga nos affectum, ac nos affecti fuerimus erga fratrem infirmū. Et mensuræ uerbo significat Christus humanæ naturæ malitiam, ex qua ad amissim usque alter alterius le-uissimæ quæque peccata pōderare solet. Nō absimilia sunt quæ prouerbialiter etiā apud Ethnicos iactantur: Audit quod non uult, qui pergit dicere quod uult. Et in Andria Terent. Benedictis si certasset, audisset bene. Item in prologo Andriæ. De-finant maledicere, maledicta ne noscant sua. Rursus apud Homerū, Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse. Et apud Hesiodū, Ferè maledicenti, dicentur plura uicis-sim. Item, ut salutabis, ita resalutaberis. Et Plautus, Contumeliā si dixeris, audies. Ex his tamē nolim persuasum esse, ut qui neminem iudicauerit, neminem læserit, propter eā neque iudicium alterius pati, neque quicquam mali ab alio in ipsum committi. Cū frequentius uideamus innocentes ab aliis traduci, ac iudicati, & bene meritis mala rependi. Ioannis 10. dicebat Christus, Multa bona ostendi, id est feci, uobis, propter quod horum uultis me lapidare? Et psal. 34. Retribuebant mihi mala pro bonis. Quare hic locus non meminit eorum qui non iudicant, aut

Temeritate  
qua proxi-  
mum lædis  
eadem punie-  
ris.

qui aliis benefaciunt, sed de his qui alios tradunt malè iudicantes, & proximis malè faciunt, ut intelligatur hic locus, ac si diceret Christus, Quod tibi uis fieri, proximis facito: nam paria, Deo prouidente, recipies. Plerunque enim diuino iudicio fit, ut qui temerariè iudicat & condemnat, iudicetur: & qui aliis malum facit, ipsi quoque malum rependatur. Non quòd liceat tibi talione uti, ut si de te ma-lè alius iudicauerit, propterea debeas de ipso malè iudicare, & aduersus ipsum calumniari. Nam si iniquus censetur, quod malè iudicet, eadem nota uideberis ar-guendus, quòd idem facias. Roma. 2. In quo enim alterum iudicas, teipsum con-demnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Huc pertinet quod Ethnicus ille scribit in Tusculanis quæstionibus, Non est cum inquinatissimis hominibus conuitio de-certandum, ne tantisper compar illorum fias, dū paria & cōsimilia reddere queas. Sed Domini uoluntate fit retaliatio, ut tamen si tu læsus aut iudicatus non retalies, quia pius es, & malum agere non licet, tamen malè agentibus & iudicantibus, idē ab aliis rependetur quod ipsi antea tibi fecerunt. Dominus enim frequenter exci-tat, qui hoc faciant & repēdant. Exemplo erit Adombezec, Iudicum. 1. cap. qui 70. Reges, amputatis manibus ac pedibus, eò adegit, ut sub mensa sua colligerent quæ decidebāt. Excitatus est à Domino exercitus Iuda aduersus Adombezec, qui captus, & truncatis manibus & pedibus in eam seruitutem missus, qua 70. Reges obstrinxerat, dicebat, Septuaginta Reges amputatis manuū ac pedum summitati-bus colligebant sub mensa mea ciborū reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus, Iudic. 1. cap. En uides illos. 70. Reges non potuisse quicquā rependere, sed uenturi & excitandi erant Israëlita qui hoc facerent. Non absimilia adduci possunt exem-pla, quale est illud Regis Achab, Iezabel in nece Naboth Israëlita. 3. Reg. 21. & 4. Reg. 9. Rursus in Apocal. 18. de mēsurā illa reddenda Babyloni. huc afferri pos-sunt uerba Isai. 33. Væ qui prædatis: nunquid & ipse spoliaberis? Obserua, Talio-nem siue uicem, non pendere ab his quibus diuites & potētes huius seculi uim in-ferunt, sed à Deo omnis mali uindice. Magnæ profectò patientiæ piis argumētum est, quod habeant suorum aduersariorum ultorem Deum. Alterum sensum, scili-cet quòd qui proximum iudicat aut lædit, eandem mensuram siue idem sit aliàs in futuro Dei iudicio recepturus, sequitur Chrysostomus, Augustinus, & alij grauiſ-simi simul & doctissimi uiri. Non intelligendum est, Idem, supple iudicium teme-rarium & iniquum patietur: sed quemadmodum dicitur, Qui gladio percusserit, gladio, id est peccato homicidij aut alterius læsionis peribit, id est punietur, siue cau-sam dat iustæ condemnationis, qua tali pœna feriat: ita & eandem mensuram siue idem iudiciū aliàs in futuro Dei iudicio rependet æquus iudex, qui iustam ha-ber causam ferendi hoc iudicium, ut eandē mensurā ille iniquus iudex patiat, cuius fuit & plagæ modus: cū enim eius uoluntas finem peccandi non habuerit, nec finem tormenti habeat. Et qui æternū peccato perfrui uoluit, æterna neces-sitate sequatur pœna. Obserua. Mēsuræ nomine, ait Augustinus, ipsum iudicium significatum arbitror. Nullo modo Deus uel temerè iudicat, uel iniqua mensura cuiquam rependit, sed hoc dictum est, quoniam temeritas, qua punis aliū, eadem est, ipsa te puniat necesse est.

Christianæ  
philosophiæ  
sectator talio-  
ne non uter-  
tur, sed uindi-  
cationē Deo  
relinquet q-  
munitiam im-  
punitam nō  
dimittet.

Mensuræ no-  
mine iudiciū  
significatur.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides?

Quòd diligentius atque impensius à temerario de fratre iudicio, & detractio-nis uitio dehortetur, crassa admodum & simplici cōparatione utitur, qua huius uitij naturam & genium nobis adumbrat. Et tamen nominatim Pharisaos non insi-nuet, singulati tamen apostrophe in ipso-rum hypocrisim rapitur: atque his no-tis utitur, quasi præsentis illos reprehendat, quemadmodum uidere est, quos in hac concione à principio quinti capitis potissimū perstringat. Parabola igitur



vitur, ut maiorem explicet impudentiam, à qua argumentatur. Dixisset quidem, Quid uides minus peccatum in oculo fratris: in te autem maius peccatum non uides? Sed parabola hæc cum interrogatione, maiorem uim habet explicandi hypocritarum impudentiam. Et rectè trabs in oculo dicitur, quæ hominem prorsus excecet, & quam mundus nec uidere nec iudicare potest, eoque mundiali splendore ornata est, ut eam putet rem preciosam esse, & magnam sanctimoniam. Ad hunc modum Christus suprâ de oculo nequam seu improbo locutus est, quo auari sibi ipsi lumen incendunt, & pulchram cogitationem confingunt quo minus auaritiæ studium, sed cultus Dei uocetur. Ita quoque hic agitur, ut, qui trabem portant, nullam trabem uelint, neque ut cæci & miseri homines reprehendi, sed laudari: ut qui uera & Christiana opinione aliorum doctrinam & uitam iudicent. Quo fit ut nulli atrocius sæuiant in quamlibet leues lapsus proximi, quàm qui ipsi madet uitis longè grauioribus. Magna profectò cæcitas: festucam uident in proximo, & ob oculos proprios trabem grandissimam adpositam non uident. Quid causa est? Hi *ὁμοφῶροι*, hoc est trabiferi & festucarum iudices, neque se penitus inspiciunt, neque excutiant, sed sibi placentes ex aliorum festucis iudicatis, se acquisissimos iactant & reprehendi nolunt.

**Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater sine eiiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo?**

Auxesis siue augmentum est impudentiæ hypocriticæ. Non enim tam impudens esset hic trabifer, & festucarum iudex, si hoc iudicium animo solùm conciperet & sententiam in festucam non pronuntiaret. Sed aduerte quæso qua fronte hic loquitur. Sine eiiciam festucam ex oculo tuo, quum interim ipse iactes trabem in oculis propriis. Dic quæso ò festucarum iudex, qua temeritate audes fratri execrari quod paulò largius biberit, qui totâ nocte euacuandis cyathis produxisti, imo qui tot homicidia, tot ueneficia geris in pectore? Cur traducis fratrem, quod uictus imbecillitate carnis concubina sit usus, quum ipse totus cuticulam cures seruiasque auaritiæ & ambitioni? Cur fratrem arguis, quòd paulò acrius seruis succensuerit, quum totus ira, odio & liuore madeas? De his scribit Plutarchus libello de curiositate. Atqui nonnulli (inquit) propriam uitam uelut in amœnissimum spectaculùm non sustinent intueri, neque rationem uelut lucem ad sese deflectere, ac circumducere: uerùm animus omni genere malorum scatens, horrens ac metuens quæ sunt intus, exilit foras; uagatur circa aliena, nutriens ac saginans animi uitium. Est enim hoc iudicium potissimùm eorum, qui ab omni iustitia alieni sunt. Quandoquidem nemo illud exercere potest, qui uel sua peccata rectè agnoscit, uel Dei maiestatem ritè suspicit, aut denique fratres syncerè diligit. Obserua, quòd toties nomen fratris adducit, ut maiorem horum trabiferorum impudentiam explicet, qui non meminerunt suæ conditionis, seu fraternæ naturæ, & imbecillitatis.

**Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc uidebis eiicere festucam de oculo fratris tui.**

Primo uerbo Christus huic trabifero & festucarum iudici aptissimum nomen indit, & conuenientissimo uocabulo ipsum compellat. Hypocrita, inquit. Quasi diceret, Qui cum foris omnimodam sanctitatem simules, intus plenus es omni iniquitate: nõ ex tuis bonis, sed ex alienis malis sanctimoniæ laudem uenaris apud homines. Excitat igitur animum huius iudicis festucarum, ut resipiscat, addens modum quo poterit Christianè mederi fratri festucam habenti. Festuca abiicienda quidem est, sed ueram eximendi rationem ex hoc loco discamus. Fateor non pulchrum esse festucam habere in oculo, & hanc ex oculo fratris adimere mihi licet, sed ante omnia illud mihi uidendum est, ne ipse in oculo, id est in conscientia

Oportet delinquentem iudicari ab eo, qui nihil tale commisit.

mea habeam trabem, hoc est grauius peccatum, quo laborẽ. Danda est igitur opera primùm, ut ipse probus fiam ad meliorem frugem reuersus. Deinde conabor, ut festucam ex oculo fratris adimam, hoc est ut fratrem quoque meum, iustum & probum faciam. Prius itaque eiicienda est trabs ex oculo meo, ut deinde hoc puro & purgato dispiciam, num qua sit festuca, quæ eiicienda sit ex oculo fratris. Ut ea quæ sunt corporis, oculo: ita quæ sunt animi, animo iudicamus. Proinde uitio careat oportet illud, quo uitium alienum iudicamus. Et oportet prius teipsum docueris quàm alios docendi prouinciam acceperis: & tui iudex sis oportet, qui aliis uis pronuciare: & tibi sis monitor, qui uis alios admonere. Ex superioribus colligamus, Christum in summa tantùm docere, ut alter alteri non grauatè ignoscat, & cum tolerantia sufferat, & mutuam humilitatem ostendat. Hæc certè nobis facienda essent, si Christo audire, & Christiano nomine non abuti uellemus. Ita demùm in Christianitate omnibus modis rectè ageretur in uera concordia, & Deus esset nobiscum. Nosce itaque teipsum, & proximum nequaquam iudicabis. Atque hoc pacto tuæ quoque trabs magnitudo decrescet, & ad festucæ appellatorem declinans, tandem consequeris remissionem peccatorum. Atque facilè & libenter proximo delicta condonabis, alterius festucam portabis, & in bonam interpretaberis partem: hoc respectò, quòd Deus trabem sustulit, qui nullo modo ferre uult, ut partes iudicis nobis arrogemus, siue in doctrina, siue in uita. Porro ubi necessitas quadam iudicandi aut taxandi orta fuerit, tum illi hac autoritate utantur, quibus eius rei mandatam & officium commissum est: Nimirum parochi & prædicatores in rebus spiritualibus, Magistratus autem in rebus mundanis: aut frater erga fratrem, fraterno tantùm amore inductus, qui proximi infirmitatem fert, & emendat.

Christus quid in summa doceat.

**Nolite sanctum dare canibus.**

Posteaquam de fructibus & operibus (quæ doctrinam consequuntur) Christus præceptor noster ferè finem docendi fecit, Parænesim quandam aggreditur, idque proverbiali allegoria, quòd res plus haberet gratiæ, qua prohibet sanctum dare, & margaritum uerbi Dei prædicare impugnantibus & contemptoribus Euangelij. Hoc ut potenter illis inculcet, nimirum quo honore debeant excipere mysteria Euangelica, non dicit simpliciter, nolite doctrinam uestram: sed, nolite sanctum, &c. Quod uomen scriptura usurpat pro eo quod est Deo consecratum, eoque augustius iam & diuinæ quodam modo reuerentiæ particeps. Nec solùm purum & impollutum, ueruetiam uenerandum & inuiolatum dicitur. Et Augustinus explicans Tropos ueteris instrumenti libro 4. ostendit, Matth. 6. cap. Sanctificetur, dictum, non pro eo quod est, fiat sanctum, sed pro, declareretur sanctum. Quòd si sanctum & sacrosanctum etiam Romanis pro sacro, inuiolato, firmo & religioso sepe ponitur: (Nam & sacrosanctum, quomodo Tullius pro Cornelio Balbo definit, est id quod populus sanxit, quod prætergredi fas non erat, aut abrogari, ne senatus quidem & patrum autoritate ac prærogatiua. Vnde Tribunitia potestas, sacrosancta fuit appellata, quam neque plebeis, neque sæci plebis, communicare licebat.) Quomodo magis proprio & aptiore nomine uerbum Dei, aut eius aliquod mysterium, nuncupari debet sanctum, quod administrari & tractari debeat non à quibusuis, sed his qui electi & idonei ad id muneris exercendum uocati sunt? Vnde Iudæi sanctum appellabāt quod esset semotum ab usu prophani vulgi, & à consecratis cum reuerentia tractandum. Nomen canum intelligit homines qui malis & corruptis moribus canes referunt. Canis apud Iudæos animal contemptissimum & immundum coram Deo, eò quòd seipsum sanguine oblectet. Esa. 66. Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Nihil uilius allegari poterat. Vnde legitur Deutero. 23. cap. Non offeres mercedem meretricis, nec precium canis.

Sanctum quid.

Canis animal contemptissimum hereticum hominem designat.



Et Paulus Philip. 3. de hæreticis & schismaticis loquens ait, Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionē. Hoc loco accipitur pro hostibus uerbi & obrektoribus, ac ueritatis Euangelicæ inimicis. Cùm itaque Iudæi sua sacra tanti faciant, ut ab his arceant canem animal immūdum, quantō magis arceere debemus à nostris sacris canes, hoc est qui toto pectore dediti rebus prophanis abhorrēt ab his quæ sapiunt sanctimoniam. Certè hæc non conueniunt. Nimirum canibus putria cadauera & fœtidus uomitus iucundior est omnibus condimentis & aromatis. Hos si à cadaueribus abigere tentes, non solum non reuerbūtur te, sed irritati magis insilient in te, ac dentibus fœdissimè lacerabunt. Porro quæ contemptui & neglectui habemus, ante canes proiicimus, ceu indigna quæ uel minimo honore cōdantur. Quod subinde obseruare docet scriptura, cū impiorū corpora canibus exposita fuisse iudicio Domini declarat, ut de Hieroboam domo legimus, 3. Reg. 14. & de Ahas & Iezabel, 3. Reg. 21. cap. Et Hierem. 15. minatus est ultionē Dei, Gladium (inquit) ad occisionem, & canes ad lacerandum. Huc pertinet quod infra, 15. dicebat Dominus, Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus ad manducandum. Sensus itaque uerborum Christi est: Quia ego mitto uos in orbem, sicut oues in medio luporum: & uos oportet esse sapientes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: in periculoso statu uiuetis: & hoc propter canes id est homines præfractos, & ueritatis oppugnatores. Hos dum offendetis, nolite mysteria Euangelij coram illis spargere, caute uerbum meum illis prædicare, indigni sunt quibus sancta communicentur. Aut sic, ubi uidebitis doctrinam uestram contemptum & conculcatum iri, nullam cum talibus consuetudinem aut commercium habetote, sed illorum consortia auersamini. Hæc doctrinam sequutus est Petrus aduersus Simonem Magum, Act. 8. cap. Ita quoque concionatoribus & omnibus qui serid & ex animo uerbum docēt, faciendum est, ne ipsorum canum seu obrektorum & contemptorum Euangelij se participes faciant. Deus enim ferre non potest, ut factiosis hominibus assentemur, quasi ipsorum doctrina uera & sincera esset, sed pro inimicis nostris nobis habēdi sunt, quippe qui à Christo & Ecclesia sponsa eius alieni sunt.

#### Neque mittatis margaritas uestras ante porcos.

Margarita, tæ, & margaritis, similiter & margaritum penultima longa, in nominatiuo declinari potest, significatque lapillū illum quē uulgò dicimus, Gallicè, uue perle. Quo nomine scriptura hoc loco metaphoricè intelligit cælestis regni mysteria, & fidei arcana, cuiusmodi sunt sacramenta Ecclesiæ, uerbi incarnatio, mortis & resurrectionis Christi mysteria, gloriosa eius ascētio Spiritus sancti missio, & huiusmodi. Quæ margarito comparatur, quod ut margaritū latentis pretij est, & apparentis uilitatis: (Plinius enim lib. 9. scribit, margaritas nasci in Britannia, paruas & decolores. Et Tacitus de uita Iulij Agricole ait, Oceanus gignit margarita, sed suffusca, & liuētia, unde facillè ab imperitis contemnūtur.) Ita & in mysterijs regni cælestis accidit, quæ hoc peculiare habent, quod prima frōte uideantur abiecta, & nullius pretij, non quod sint talia, sed quod ita à mundo & carnalibus contemptim uideantur, & tractentur. Hoc ipsum docet Paulus, 1. Corin. 1. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus, per sapientiam, Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiā: Cur ita? Certè cū ipse Christus (ut ait, Esaias. 53. cap. In oculis mundi sit uiuorum omnium nouissimus, & proiectissimus, consequens est, ut eius mysteria talia habeantur in conspectu, & iudicio mundi. Proinde margaritæ (ait Augustin.) quæcunque spiritalia magna æstimanda sunt, quæ in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur: & allegoriarum integumentis, quasi apertis conchis inueniuntur.

Cælestis sapientie mysteria hæreticis & oblitatis non sunt proferenda. Hæreticorum consortia fugienda.

Nomine margariti intelliguntur sacramenta Ecclesiæ, & secretissima fidei arcana.

tur. Licet itaque intelligere, quod una eademque res & sanctum & margarita dici possit. Sed sanctum, ex eo quod non debet corrūpi: margarita, ex eo quod non debet cōtemni. Nomine porci siue suis significat eum qui suis cupiditatibus seruit, in luto infrensus luxuriæ iugiter commorans, uel qui negligit & aspernatur uerbū Dei. Si agnoueris quo ingenio sit sus siue porcus, facillè intelliges quibus non sint spargenda margaritæ. Porcus immundum est animal, nulli rei commodum quandiu uiuit, nisi ad uorandum, nec Iudæis tantū, sed gentibus quoque nonnullis immundi sunt habiti sues. Suem etiam Aegyptij Herodoto teste, adeo spurcam ducebant beluam, ut si quis uel transiens contigisset, continuò properaret ad flumen se pariter ac uestem abluturus. Non sunt igitur margaritæ, id est mysteria Euangelica, porcis, id est infidelibus in cœno incredulitatis existentibus, & Euangelium auersantibus communicanda. Ergo ubi nihil aliud uidemus quàm uerbum Dei cōtemni & blasphemari, taceamus. Quod si inter eos sunt, qui accepturi uerbum sperantur, iam non taceamus. Sic & Christus prædicauit presentibus Phariseis, sed propter turbam. Quando uerò uidit uerbum omnino forè sine fructu, abiuit & dereliquit eos, aut tacuit, sicut coram Pilato & Herode.

Porcus nobis refertur hominem suis cupiditatibus seruientem.

Tacendū est cū nulla est spes uerbi diuini suscipiendi.

#### Ne forte conculcent eas pedibus.

Neque quibuslibet, neque indignis communicanda sunt regni cælestis mysteria, ne ab indignis polluantur, & ludibrio exponantur, & contemnuntur. Quæ enim ad salutem data sunt, summo in pretio habenda ueniunt: huiusmodi sunt sacramenta, & mysteriorum fidei administratio, ac dispensatio. Non sunt igitur negligenter & contemptim tractanda, quod fit quando canibus & suis prostituantur. Quis quæso neglecta, & contempta non existimaret quæ passim suis obiecta & transeuntium pedibus trita uideret? Nō secus profectò agitur, dum sancta uiris impiis & in cœno uoluptatis ac infidelitatis obuolutis prostituta seu communicata uidemus: cū tamen præ his omnia negligi, imò abiici debent propter ipsorum dignitatem & reuerentiam ipsis exhibendam. Vnde necessarium est, ut tanti thesauri hoc est sanctorum & margaritorum dispensatores, ceu testamenti Iesu Christi sancta & margarita legantis exequutores, dignis & idoneis illa communicent. Indignos uerò ab illis abigant, ne illorum peccatis consentiant. Propter quod Christus infra, 10. cap. amandans discipulos ad prædicationem regni cælestis, diligenter illis præcipit, In quancunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeat. Hoc ipsum monet Paulus, 2. Timoth. 2. Tu ergo fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Huc pertinet quod diuus Chrysostomus in hunc librum scribit: Nā & mysteria, supple salutis, ideo (inquit) clausis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt adesse prohibemus, non quia infirmitatem mysteriorum aliquam deprehendimus, sed quia ad participationem eorum, illi adhuc quos arcemus infirmi sunt. Propter quod etiam ipse multa ad Iudæos in parabolis differebat, quoniam non uidebant uidentes. Vnde apud maiores symbolum fidei tam sacrum habebatur, ut ore tenus per mutuam traditionem traderetur. Huiusmodi instructores uocabantur Catechistæ. Catechesis enim instructio dicitur: &, catechizo, doceo, instruo, erudio. Gentes quoque hac religione erga sua superstitiosa & uana sancta ac sacra usi sunt. Vnde de rebus occultissimis prouerbialiter dicitur, Sacra Eleufyna, quibus scilicet Ceres colebatur. Vide de his, si iuuat, Chiliades. Qui igitur in Ecclesia Christi prominent, & dispensatores sunt mysteriorum Dei, diligenter uideant, & obseruent, quibus commodè & cum fructu hunc thesaurum expendant, ut non quibusuis, nec facillè, hoc munus præcipuè Ecclesiasticum celebrandi, scilicet diuina illa & tremenda mysteria,

Qui diuina mysteria infidelibus & oblitatis cōmunicat, illorum peccatis cōmunicat.

Catechesis, instructio.



Corpus christi realiter est in sacrosancta Missa hoc est sacrosanctam Missam (ubi uerè & realiter est Christi corpus præsens) similiter & sacramenta administrandi imponatur, nec quiuis ad illud aspirans temerè admittatur. Quod diligenter obseruandum Paulus, 1. Timoth. 5. præcepit, Ne manus citò cuiquam imponantur. Et oportere quibusdam uitæ & probitatis gradibus ad presbyterium, similiter & episcopatum ascendere, 1. Timoth. 3. & 5. & ad Tit. 1. cap. Manserunt quidem hæcenus graduum nomina, sed sancta illa ministrorum Ecclesie Christi electio, & examinata ac probata promotio, rara est. Quo fit ut multis canibus committatur sanctum, porcis omittantur margarita, & pro dolor, pollutis credatur sacrosancta missa, unde Christianæ religionis non mediocris natus est contemptus. Quòd aduersarij uideant sanctum tractari à porco immundo, porco superbo, porco crudeli, luxurioso, libidinoso & impuro, qui totam noctem protrahit in cæno uoluendo. Deum ignorat, sacramenta nescit, officium suum non intelligit, lutum solum amat, sterces amplectitur, sanguine delectatur, luxuriis & impudicijs, comestationibus & ebrietatibus totus madet. En uidemus quantum ipsi Ecclesie incommodent huiusmodi, qui magis mihi conculcare sanctum uidentur, quàm si uel ignorantia esset in cæno seu luto sanctum, & à porco bruto pedibus uolutaretur, & à nemine id obseruaretur. Hæc docent quid est porcis margaritas mittere. Quare summo & diligentissimo studio seruandum est hoc Domini præceptum, ne sanctum canibus detur, & margaritum porcis spargatur. Ne conculcent, hoc est contemptui habeat, sancta. Huc pertinet exhortatio. Pet. 2. Charissimi obsecro uos, ut conuersationem uestram inter gentes habeatis bonam: ut in eo quod detrectant de uobis, tãquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum in die uisitationis.

## Et conuersi dirumpant uos.

Altero argumento ab incommodo dehortatur ne sanctum canibus demus, ne uersi seu prouocati per occasionem, deteriores etiam euadant quàm antea fuerant, & idem eueniat quod euenturum sit, si quis margaritas porcis obiciat aut canibus sanctum. Canes enim non solum non reuerentur rem sacram, uerum etiam irritati iactu insilient in uos, ac dilacerabunt dentibus: & suos preciosos lapillos ceu rudere pedibus suis conculcabunt. Et ut neque canis re sancta sit sanctior, sed rem sanctam prophanat: & sus non fit ornatio gemmis, sed illarum puritatem conspurcat: ita homines deploratæ malitiæ doctrinam sanctam, ut stultam irrident, & ut impiam calumniantur, & ipsius prædicatores persequuntur huiusmodi etiam reperias, de quibus mentionem facit Chrysostomus qui modestiã primùm simulat, ut secreta discant, cùm uerò didicerint, repenti immutati irrident, & insultant mordentes & discerpentes uerbi ministros, & quosuis ueritatis assertores. Sic Alexander ararius, 2. Timoth. 4. 1. Timoth. 1. sic Simon Magus in Actis 8. cap. sic Iulianus Cæsar apostata. sic Porphyrius & Lucianus, ut scribit Eusebius. In doctrina canes sunt falsi doctores, & indocti & idonei ministri, sua ignorantia Euangelium discerpentes: illi falsa doctrina, hi negligentia & affectata ignorantia aprum imitatur, qui exterminauit uineam Domini, ponens illam extra præcepta, extra patrum documenta, implens illam uanitate, philautia, luxurijs & uarijs scelerum portentis. Omnia dentibus suis comminuens & pedibus calcans, cultum Dei non reueretur, literas odit, ueritatē abominatur placentia uerba quærit, mendacijs gaudet, adulatione delectatur, pacē fugat, discordias nutrit, matrimonia turbat, pudicitiam fugat, & flagitiū pro uirtute ducit. Non opinor apud ueros Christianos sic fieri. Sed qui probi & boni sunt, uerbum & uerbi prædicatores seu parochos amant propter Christum, & ipsius uerbum cuius sunt ministri. Quod rependent ueri & idonei prædicatores, dum omni fide & diligentia nihil aliud quàm hominum utilitatem & salutem quærent, sine omni onere &

doctrina sancta communita homini deploratæ malitiæ deteriori eū reddit, & procliuiorē ad illudendū sacramentis & ministris Ecclesie.

molestia, sed cum pura cōscientia, & sancta conuersatione. Sed iam cō res rediit, ut uix sustineant unum aliquē parochum alere: cum primis uerò quidam nobiles ruri, in uillis suis, qui omnia bona Ecclesie ad se rapiunt, parochis seu prædicatoribus ita arctè & ieiunè habitis, ut illis prædicandi Euangelij non magna uoluptas maneat. Si quidem his pro seruis abutuntur, & quod ipsis uisum fuerit docere coguntur: horum exemplum quidam in ciuitatibus auarissimi imitantur. Quare cùm apud hos canes & porcos parochi & uerbi prædicatores doctrinam suam contemptum & conculcatum iri uiderint, hos ut Ethnicos habeant, uitēneque, imitati doctrinam Christi, infra. 18. cap. Proinde pius, cui æstimatur dignè uerbi Dei pretium, quique nouit iniuriam uerbo fieri, cùm absque incremento gloriae Dei tractatur, spectabit diligenter, quandocūque preciosissimū uerbi Dei margaritum siue docendo siue monendo proferre uolet, si id momentum aliquod habiturum sit, ad salutem proximatorum & gloriam Dei ampliandam. Hoc dum faciet, neque porcis, neque canibus sanctum proferet.

Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis.

Posteaquam Christus Dominus noster discipulos docuit, & iam prædicandi officio perfunctus est, ut sciant quid ipsis prædicandum, & quo pacto uiuendum sit: & ne animos desponderent, quæ dicta sunt, tam ardua & magna sunt, ut non solum cognitu, uerum etiam factu impossibilia uideantur, nimirum quòd proprijs uiribus imparia grauiorāque essent, & his solis illa assequi ac exequi non possent, animos addit, & huic morbo ceu imbecillitati medetur, admonens illos ad orationis assiduitatem, quæ patri gratissima impetrat, eoque ipsos rapit, ut fiducialiter petant ac precantur patrem, qui abundè ipsis est opitulaturus, ac daturus quæ ipsis sunt alioqui impossibilia. Quia ergò nudi & pauperes estis, petite & dabitur quod non habetis, nimirum dabitur, induamini uirtute ex alto: perditū & uelut errabundū per ueniā & iniquosā estis, quærite uos in Christo Iesu, & inuenietis gratiam, qua filij & hæredes efficiamini regni Dei. Foris statis ceu otiosi, pulsate patrem lacrymis & pœnitentiā, & aperietur uobis, hoc est introducemini in caulas, & domum patris æterni, qui uos & filios & ueros hæredes excipiet: dabitque suas diuitias (propter quarum dispensationem mittimini in orbem) non seignibus & oscitantibus, sed auidè & non frigidè petentibus, has non negabit, sed studiosè & non seigniter quærentibus: à suo thesauro non arceat, sed ardentè & non remissè pulsantes. Hoc est, ut uno uerbo dicam, ut has consequamini diuitias, orare debetis uotis multo ardentissimis. Cur ita? Quòd in Christianitate nihil perinde habeatur necessarium quàm oratio, qua oremus ut Deus suam gratiam, & spiritum largiri dignetur. Quanquam enim uita & doctrina foelici principio cœptæ sint, multiplices tamen defectus interuenient, quibus quotidie præpediemur, quo minus pergamus aduersus quos omnibus ueris & uiribus nobis depugnandū erit. Neque ulla tamè firmiora habemus arma, fiducia, & precatione. Quibus quidem si non assidue & strenuè utimur, fieri non potest, ut persistamus & Christiani maneamus. Nam non aliter fit, quin quotidie nō uniusmodi, sed sexcenta tentationes & impedimenta oriatur. Inter quæ omnium primū caro nostra est, uetus ille & piger Adamus, qui mox radio afficitur, quo uerbo Dei & pia uita peractus fiat & negligens. Vnde fit ut semper inopia sapiētiae, uerbi diuini, fidei, charitatis, tolerantiae, & huiusmodi, laboremus. Et hic primus hostis est, qui quotidie domi nos oppugnat, ita odiosè & pertinaciter ut subindè retro nos pertrahat. Huic accedit secundus hostis longè acerrimus, nēpe mundus, qui uerbum & fidem in nobis oppugnat: nec apud nos ferre potest, quamlibet debiliter tandem ea habeamus. Quorū gratia nos condemnat, studens nobis eripere, quicquid usquam bonorum posside-

Oratio ualeat ad resistendum uarijs tentationib⁹. Caro hostis domesticus.

Mundus hostis generis humani.



mus, ita ut nec tranquillè, nec pacatè in mūdo uiuere queamus. Hæ sunt iam duæ non exiguæ tentationes, quæ nobis cum internè tum externè sunt obstaculo, & à tractando aut meditando uerbo nos fugare uolūt. Quare nihil tam nobis faciendū est, q̄ ut subindè oratione ad Deū clamemus, ut uerbū suum in nobis corroboret, atque promoueat, nostrisque persequutoribus & factiosis spiritibus resistat. Tertius hostis omnium est longè fortissimus, nempe diabolus, cui aduersus nos pugnantia duæ sunt non mediocres prærogatiuæ, tum quod nascimur filij iræ, adhæc infirmi quoque fide & spiritu. Ita in nostris ipsis castris nos oppugnat, quo cum mundus socia arma iungit, illius subsidio omnes sectas & factiones contra nos excitat, per quas uenenata & ignita tela in nos iaculatur, quo nos defatiget, & uerbū denuò in nobis extingatur, & opprimatur, & ipse iterum regnet, sicut antehac regnauit, nec sinat se expellere. En uides tria hæc infortunia quibus satis superque premimur, nostris humeris incumbentia, à quorū onere seu insultibus, nunquam exoneramur dum uiuimus, & dum spiritus hos regit artus. Quare semper orandi & clamandi occasionem sufficientem habemus. Quæro nobis faciendum est, tot tantisque necessitatibus & impedimentis obrutis & intricatis. Ut quid ego contra possim, quod non morior in tantum piger & deses sum, ad uerbum Dei & omnia bona persequenda: aut quod ad hunc modū sæuiat mundus miscendis & excitandis cruentis tragediis, debacchante interim diabolo, & tot miserandis & calamitosis plagis & incōmodis passim emergentibus & ingruentibus. Quorū omnium Christus est sciētissimus: ideo, ut fidus medicus aduersus hæc omnia præsentissimū remediū uult nobis demōstrare, ac docere quid in tāta turba malorum facto opus sit, tāquam his uerbis uti uelit: Mūdus ea demētia captus est (ō discipuli) ut sua ratione & prudētia studeat & nitatur ex omnibus malis & difficultatibus semet extricare, nullā nō uia & consiliū è malis emergendi queritans. Hoc neque suis propriis uiribus, neque suo consilio etiā prudentissimo superbus adsequetur. Sed hæc omnium compēdiōsissima & certissima uia est, ut intres in cubiculū aut angulum, & ibi cor tuū Deo aperias, & in eius sinū effundas querimonias & gemitibus: persuasissimū habens, ipsum ut fidelē & omnipotētem patrē tuū, tibi certè opem laturū & consulturum. Exemplo erit Rex Ezechias. Esai. 37. qui cum à rege Assyriorum in ciuitate maximis copiis esset oblessus, adeoque infinita multitudine pressus, ut nulla spes ullius præsidij aut consilij humanitus appareret: adhæc omnibus contumeliis ab immiti hoste afficeretur, diffamareturq; probrosis etiam epistolis acceptis, quibus ad desperationem adigi poterat: in tantis difficultatibus bonus ille Rex Ezechias nihil aliud faciebat, quàm literis Deo propositis coram altari prostratus in faciem, ex corde orationi uacabat, & sic actutum casis hostibus, & in fugam uerso Assyriorum rege, auxiliatricem manum sensit. Verū hoc opus, hic labor est, & ars difficillima & miseranda calamitas, quod priusquam rem eò deduxerimus, ipsi nos antè nostra cura & cogitationibus conficimus, & excarnificamus, quomodo à malis nos prementibus liberemur. Cognoscens enim diabolus quanta sit preceationis uirtus & potentia, quantum potest obstat, ne ad orationem pressi calamitatibus confugiamus. Adoritur hominem tentationibus & trinitia ingruentibus, in rebus & negotiis spiritualibus, uel secularibus, statim inuoluit aliquem & eò rem deducit, ut is sese discruciet, ob hoc tantum hoc negotij faciens, ut ab oratione ipsum retrahat, & preceationis remedium in mentem non ueniat. Quare discendum est, quo pacto ista uerba, Petite & dabitur uobis, &c. diligentissimè animo inculcemus, & assuescamus, simulatque angustia aut necessitas aliqua nobis ingruerit, protinus in genua procidere, ac Deo omnem rem suppliciter exponere, iuxta hanc admonitionem & pollicitationem, & mox auxiliium sentiemus. Oratio igitur est remedium ualde potens & pretiosum, quod laborantibus certo auxiliatur, nec quemquam fallit qui illo utitur. Cæterum tantum

Diabolus hostis omnium fortissimus.

Diabolus uariis tentationibus hominem adorat, ut eum ab oratione auocet.

Oratio plurimum ualeat ad impetrandū quod postulamus à Deo.

hic explicamus de uirtute orationis, quod fufius quomodo orandū sit, & quibus ornanda colorib⁹ ueniat oratio, diximus superiore capite, in eū locū Ioānis 16. Si quid petieritis patrē, &c. legito si iuuat. Rogabit quispiā. Cur Christus tot uerbis utitur, tres partes ponēs, Petite & dabitur uobis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, cum una satis fuisset? In primis uidetur hac cōgerie uerborū usus, ut nos ad fortius orandū hortaretur. Nouit enim infirmitatē nostrā, quodq; uereamus necessitatē nostrā Deo aperire, ut parū digni & apti, &c. nō dubitāter defectū sentiētes, sed medico non aperiētes. Dei magnitudo, & nostri abiectio oculis nostris obuerfatur, quæ ab orando nos retrahit, estq; non mediocre impedimentum orationis à diabolo profectum, orationi summæ nocens. Ideo contra hanc indignitatem, Dominus præcipit oremus, addit & promissionem, ut & præcepto & promissione erigamur, & audenter illum accedamus. Sed de his, pluribus egimus in Ioan. loco citato. Secundo, hac uocum congerie est usus, ut indicaret nobis instantiam & assiduitatem orationis, de qua etiam Paulus Roma. 12. agit, orationi instandum docens. Quasi diceret, non satis est incepsisse, & semel ingemuisse, & precati uoculam recitasse, & postea quiescere: sed pro ratione necessitatis orandum est. Necessitas enim non una tantum uice te impetit, & postea definit, sed semper urget & instat, collo tuo inhærens, nec finem molestandi te facit. Ita quoque tu indefinenter orationi incumbas, nec finem querendi & pulsandi facias, nec defatigeris. Sit in exemplum uidua illa, Luc. 18. quæ non desinebat instando & in clamando iudici faceffere negotium, & adeò improbè & impudenter cognitionem causæ ipsius ab eo flagitare, donec improbitate eundem uicerit. Quanto magis (sicut Christus eo loco concludit) Deus daturus est die & nocte ad se clamantibus, & subindè pulsantibus, præsertim cum hæc iusserit, indicans preceationis instantiam sibi placere? Quapropter sicut necessitas nos semper impetuose pulsat: ita tu quoque semper pulsa, nec abfiste usque dum uerbum eius habes. Tum ille quoque dicere cogetur, Sanè uerò abi, & habere quod tota mente petisti. Hac de re Iacobus quoque in sua epistola cap. 5. agit testificans preceationem iusti multa posse, si fuerit feruens & sedula: Cui rei comprobandæ exemplum Eliæ prophætæ adducit è scriptura. Porro obseruanda est promissio, & ea opulenta, cum dicit, & dabitur uobis, & inuenietis, & aperietur uobis, quæ suauissimam infirmis affert consolationem & fidei nostræ succurrit ceu fortissimum fulcimentum contra indignitatem nostram & infidelitatem. Ex his haud dubiè uidemus permagni sua interesse quod preceamur, simulque ipsum manifestare nostram preceationem coram Deo pretiosam haberi, ad quam continuandam tanto studio nos adhortatur, tam amanter prouocat, tamque magnificis promissis pellicit, quibus certi sumus nos nequaquam frustra oraturos. Tamen enim nos indigni sumus ex nobis qui petentes accipiamus, dignus tamen est in cuius nomine accipiamus qui nobis istæc promittit. Deinde quanquā indignus sim, ipse tamen qui promittit & præcipit ut petam, ultro bona offerēs, nō est indignus, neque eius promissio indigna. Hoc præceptū, petite, &c. sequutus præcipienti obedio, & fiducia in eum fretus & innixus, omne quod mihi ægrè est, in sinum eius nihil reueritus effundo, & me suam creaturam dignatur, dignūque facit ut petam & accipiam, &c. Aduerte: hic locus legi potest per occupationem. Potuissent enim dicere discipuli sicut & nos, Vnde accipiemus sanctū, & margaritas? Item, unde accipiemus, si canes & porci impederint, ne audiamus aut prædicemus uerbum Dei? Respondet Christus, Petite & dabitur uobis, &c. Obserua, hæc præcepta esse affirmatiua quæ subintellectas habent circumstantias præceptorum affirmatiuorum, Quis, quid, quomodo, quando, & ubi. Rursus aduerte, hæc tria uerba habere quandā excrementiam: nā uerbo petite uidetur Christus ad infirmos oratores alludere, quibus tamē Christus promittit exauditionem cōtra eos qui sentiunt, Deum tantum perfectos oratores exaudire. uerbo, querite,

Assidue orandum exemplū uidet nō definitis clamore & importunitate faceffere negotium improbo iudici.



fortassis alludit ad fortiores oratores, & expolitione idem dicit, nisi quod uerbum excrescentiam habet. Est enim querere, serio studio orare. Et in uerbo pulsate idē dicit per expolitionem cum uerbi incremēto. Est enim pulsare, seriō & cum ardo re uehementi orare: uidenturque hoc uerbo Christus alluisse ad perfectissimos & uehementissimos oratores. Obiter dixerim tria hęc uerba petite, querite, & pulsate, includere fidem, de qua Paulus ait Rom. 10. Quomodo inuocabūt, in quem non crediderūt? Obserua, uerbum querere, quo insinuat nobis modus querendi diuina beneficia ex typo querentium rem amissam. Hi accenso lumine querunt, & omnes domus angulos perscrutantur. Iam quod est nostrum lumen, quo accenso diuina beneficia querere debeamus? Lumē est Iesus Christus, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundū. Omnis ergo qui hoc lumine accēso, Iesu Christo per fidem uiuā accepto, querit, inuenit, & pulsanti aperietur. Qui pulsat, ostium pulsat, & malleo pulsat. Ostium est Christus. Ioan. 10. Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur. Malleus est fides in Christū, & oratio quę ex illa fide uiua proficiscitur. Qui ergo hoc ostium, & hoc malleo pulsat, huic aperietur ianua cęlestis regni.

Omnis enim qui petit, accipit: & qui querit inuenit:  
& pulsanti aperietur.

Actiologia est à causis præcedentibus ad effectus certō sequentes. Petere, querere & pulsare, causę sunt: Effectus autem sunt accipere, inuenire & aperiri. Prouocamur & hac actiologia ad orādum propter spem exauditionis certam: unde Christus hoc loco commendat desiderium ardens ad petendum, instans ad querendum, & pertinax ad pulsandum. Idque facere uidetur duplici argumento. Priore sumpto à sententiis vulgi, & usu huius seculi. Quasi diceret: Vulgō iactari auditis, & ita in hoc seculo comparatum esse uidetis, ut non quibusuis sint obuia & exposita bona terrena, sed oporteat eos, qui non habent, & si quis illa desiderauerit, petere, querere, &c. Non enim, nisi petentibus, dari solet, & querentes duntaxat inueniunt, neque intromittuntur in ædes, nisi qui ostium pulsauerint: ita planē habet in cęlestibus: quę cū ter maxima sint, nimirum illustratio glorię Dei, regnum Dei, æterna uita, &c. quę à Deo orare uos conuenit. Par sanē & æquum est, ut illa nequaquā frigidē petatis, neque queratis segniter, aut remissē pulsetis: sed animis & uotis multo ardentissimis orare debetis. Secundam rationem ab exposita patris cęlestis bonitate deducta hortari pergit ad ardentem, & cum fiducia petendum, querendum, & pulsandum. Quasi diceret, Cū ita sit patri cęlesti placitum, & apud ipsum constitutum ac decretum, ut tametsi in manu & potestate sua habeat ter abundantissimas & preciosissimas diuitias suas cęlestes, & has qui desiderauerit oporteat ab ipso accipere: habeat item illas reconditas & abstrusas, atque has qui uolet, oporteat querere & peruestigare: ad hæc habeat ianuas clausas, non cuius patulas & apertas: & quantum ad eius naturam attinet, non est apud ipsum eadem tenacitas, quę est apud homines huius seculi, nimirum paratissimus, liberalissimus est ad dandum, exponēdum, & aperiēdum, non oscitantibus & ociosis, sed in sua uocatione petentibus, querentibus, & pulsantibus; ut certē nemo periturus sit, nisi sua culpa, eō quod nec petat, nec querat, nec ex animo fores diuinę bonitatis omnibus obuias pulset. Tanta est diuina bonitas & erga homines propensa benignitas, ut nemo sit futurus, cui non detur gratia, dū modō ex animo & fiducia in Christum petat: nemo sit, qui non sit inuenturus, dummodo querat seu auidē scrutetur: nemo sit excludendus, modō instanter fores pulset. Diues proculdubiō & benignus est pater cęlestis, nulli negat, nulli inuidet opes suas, sed agnosci uult earum pretium. Non agnoscit autem, qui segniter optat. Respondebit quispiam. Vanum fuerit ista facere, petere, querere &

Deus paratissimus ad dandum.

pulsare apud eum qui omnia nouit, qui omnia ab æterno apud seipsum definiuit, & qui immutabilis est. Respondes. Christus, qui est in sinu patris, qui scit uoluntatem patris, quam huc missus nobis manifestauit, pestilentissimum hunc errorem his uerbis, petite, &c. confutat, argumento ab utili fructu, & comodo quod petentibus contingit. Certitudini diuinę, scientię prædestinationis & immutabilitatis neque obsunt neque aduersantur petitio, quęsitio, siue scrutatio, & pulsatio. Nam receptissimum & decantatissimum est apud omnes diuinę philosophię studiosissimos, causas secundas (in quarum albo adscriptę sunt petitio, scrutatio & pulsatio) neque esse contrarias, neque aduersari diuinę prouidentię, cuius sunt exequutrices. Ergo cū obediatur Deo, & exequantur quod est à diuina prouidentia bonitatis diuinę non aduersantur. Quemadmodum enim ordo diuinę prouidentię est colamus terrā, seramus, metamus, expurgemus, molamus, pinfamus, & coquamus triticum, antequam, & ut uescamur pane, iuxta uerbum & ordinatio nem diuinam, In sudore uultus tui uesceris pane. Ita habet diuina prouidentia & bonitas patris, ut antequam regnum cęlorum ingrediamur, necesse sit his mediis utamur, ipsum petamus, queramus, & pulsemus. Atque ut stultus uerē habetur qui uana duxerit media humana ad consequendū panē, quo uescatur: ita impius certē fuerit qui crediderit uana esse hæc media à Christo explicata, Petite, querite, & pulsate, ad possidēdas consequēdasque diuitias illas cęlestes, & illis eternū mē cū Christo fruendū. Proinde mandatū Christi est, orare uel petere. Ergo qui uel orare uel petere negligit, peccat. Obserua uerbū dabitur in priore sentētia, & uerbū accipit in hac dici absolutē, & sine tēporis determinatione, insinuans quod pater ille cęlestis si modō non det, quod petenti inutile modō esset, dabit quando utile & opportunum fuerit. Non negat dare, qui differt, nouit & uult dare, quando accipere profuerit. Exaudit quidem preces, sed non continuō reuelat exauditionē, quo uel fidem orantis probet, uel interim maiora beneficia oranti præparentur quàm uerbis petita sunt. Obserua. Vox omnis tollit acceptionem personę. Omnis, siue Iudeus siue gentilis, siue masculus siue femina, qui petit, supple ex mādato Christi, accipit ex promissione Christi. Et sic de reliquis. Qui querit aut pulsat ex mādato Christi, &c. Rogabis. Quid petēdum? Respondeo. Id quod Dominus iussit, & quod se præstiturum promittit, cuius summa in oratione dominica comprehenditur. Quomodo petendum? ex fide. Omnia quęcunque petieritis in oratione credentes, accipietis, ait Dominus.

Oratio non aduersatur prædestinationi, sed est mediū præordinatum à Deo ad obtinendam uitam æternā.

Deus non cōtinuō nos exaudit, ut fidē nostram probet, & maiora conferat, quàm petierimus.

Aut quis est ex uobis homo, quem si filius suus petierit panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei?

Imbecilla nostrę fidei succurrit Christus aptissima comparatione, & exemplo à paterna natura seu ingenio quo quisque hominum erga filium suum est, accepto. Exhortans nos cū oramus, non aliter animatos esse debere quàm filius est erga patrem, ab illo necessaria petendo. Atque ut nobis notissima est paternę bonitatis natura, ita uult nobis perspicuē explicare (ne ignoratiā nostrę prætexamus malitię) quàm prompta, quàm exposita sit uoluntas Dei ad adiuuandum nos periclitantes, & in fide ipsum ex animo inuocantes. Tametsi sciamus omnipotentiam Dei, sumus tamen tam infirmi, & tam animo remisso, ut semper dubitemus de bona uoluntate eius exaudiendi & adiuuandi nos. Quare hoc loco Christus manifestat uoluntatem Dei (quam uerē & indubitātē cognoscit) ut certificemur non alium esse affectum Dei, quàm ut preces nostras exaudiat. Quis enim tam inhumanius qui suspicari possit, Deum inhumaniorē & crudeliorem esse hominibus? Absit. Certē Deus natura bonus & clemens est: homo autem nascitur malus (nascimur enim in peccato) fit tamen ut homo quispiam pater afficiatur misericordia



erga filium suum. Affectus tamen Dei superat omnes humanos affectus intervallo longissimo. Nam, nunquid obliuisci potest (inquit Dominus apud Esaiam) mulier infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa obliuiscitur, ergo tamen non obliuiscar tui. Iam parentes terreni liberorum suorum ita misereantur: ut & si molesti sint nunc fletu, nunc sordibus, nunc aliis rebus, tamen tanto maiori cura & misericordia à parentibus tractantur, quanto afflictiores sunt. Vix, enim tam inhumanus pater inueniri potest, qui filio in necessitate famis, petenti panem, id est rem seu uictum ad leuandam famem necessarium, porrigat lapidem, id est rem inutilem, & filio non necessariam: aut petenti piscem, offerat serpentem, id est rem nociuam: quasi dicat, nunquam hoc est facturus.

Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quantum magis pater uester qui in caelis est, dabit bona petentibus se?

Hæc est exempli ab hominibus minoribus ad Deum patrem maiorem accommodatio. Si paterna bonitas etiam in homine qui natura procliuus est ad malum uires suas & efficaciam exerit, & eum promouet ut tametsi malus sit, nihilominus nouerit beneficia filiis suis præstare, quantum magis hoc ipsum præstabit bonitas paterna, in eo qui omnium est optimus, & in quo nulla inueniri potest ratio mali? Si ergo hæc bonitas paterna operatur in homine, imò & in brutis, quæ tametsi ferocia & irrationalia sint, ut non deserant fœtus suos, quantum magis Deus pater uester cœlestis, qui natura sua totus bonus est, uobis bona dabit, si ab eo postulaueritis? Propinquissimum est hoc argumentum ad probandum & persuadendum, Deum esse propensissimum ad nobis benefaciendum. Atque ut hoc indiuulsius animis nostris adhæreat, & omnino hæc in illum fiduciam mente concipiamus, non dixit, quantum magis Deus, aut pater meus, sed pater uester, & is cœlestis, cuius creaturæ & filij estis. Obserua: non dicit, dabit petita, sed bona. Quia quandoque nescimus quid petamus, an nociuum, an inutile. uide infra, cõciliationem. Huius argumentationis summa hæc est. Terrenus filius petit terrenum patrem, de quo securus est, quod non dabit nisi bona. Multo magis uos filij accipietis à Deo patre Spiritum bonum, hoc est bona quæ & corpori & animæ usui erunt. Aut spiritum sanctum pro formatore nostræ orationis, quæ à Spiritu sancto rectè formata, omnia à Deo patre impetrat. Et sine Spiritu sancto nemo rectè orare potest, dicente Paulo ad Roma. 8. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatē nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat (id est postulare nos facit) gemitibus inenarrabilibus. Pro eo quod hic legimus, dabit bona, Lucas. 11. habet, dabit Spiritum sanctum: sed alterum altero explicatur. Obserua, petentibus se. Quasi dicat, Si benignitatem ipsius flagrantibus ac pertinacibus uotis sollicitaueritis.

Omnia ergo quæcunque uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis.

Communi & à natura dictata sententia ceu epiphonemate iam doctrinā suam concludit in his tribus capitulis traditam: eamque compendiolo complectitur, in quo tota reperiri, modicoque spatio disci potest, modò studium adsit & discendi sedulitas, ac uoluntas iuxta hanc uiuendi. Quasi dicat, Quoniam prolixum est de singulis præcipere ad uitæ consuetudinem attinentibus, quæ mutuis officiis & iniuriis inuicem, aut læditur, aut iuuatur, do uobis formam generalem, cuius uis sit omnibus à natura insita. Profectò præclarus est hic magister, qui tam latè patentem doctrinam tantillo compendio nouit concludere, ut eam quisque secū, etiam citra laborem, domum reportare queat, eandemque quotidie in memoriam re-

Omnia doctrina Christi hæc sententia unica concluditur.

uocare, ut in suo corde, imò potius in tota uita scriptam habeat. Frugifera sanè & utilis est hæc sententia, si illius recordari assuesceremus, nec ita pigri & incogitantes essemus. In ea enim opinione sum, ut existimem neminem in tantum barbarum & desperatè malum esse: qui non, hanc cogitans aliqua ex parte animi impetum inhiberet & respiceret. In breuissima hac epitome probè consulitur, propterea quod in ea constituantur nobis in doctores & præceptores uirtutum, non numerosa legum uolumina, non philosophi quidam aut Rabini ultramarini, sed constituitur nobis doctor & concionator planè domesticus, qui nobis semper indiuiduus comes est, nimirum noster animus & uoluntas. Omnia igitur quæcunque uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Audis non extraneum quendam doctorem aut iureconsultum, sed internum & domesticum nobis proponi, uidelicet uoluntatem nostram, quæ nobis est doctrina & exemplar, è quo omnia genera officiorum, quæ proximo debemus, discere possumus. Continet certè hæc sententiola, & in se comprehendit quicquid unquam uel lex Moyfi, uel Prophetæ, uel Christus, uel Apostoli, uel Iuriscōsulti, uel Philosophi de mutuis hominum inter se officiis docuerunt, & scripserunt. Effertur à Mose, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quod profectò nihil aliud est quàm quod hic pronunciat, Omnia ergo, &c. Apud Lucam, 6. cap. Prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoque facite illis similiter. Et Paulus, Roma. 12. Qui diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo ergo legis est dilectio. Hæc omnia idem significant, ac breuissimè docent quicquid officiorum proximo nostro debeamus. Est igitur hæc *γνώμη*, hoc est regula, magna animi gratitudine excipienda & conseruanda. In primis enim sunt nonnulli memoriæ tam fluxæ, ut in legē Domini non possint magnum uersuum numerum retinere. Alij tot negotiis occupati sunt, ut non uacet ipsis multos libros euolucere. Horum igitur omnium utilitati in hoc cõsultitur, quod proponitur ipsis tale compendium, in quo breuissimis & optimè memorabilibus uerbis summa omnium legum, quæ de mutuis hominum inter se officiis docent, comprehenditur. Deinde sunt alij qui profus ignorant literas, alij autem sunt certis officiis ita addicti, ut non liceat ipsis ad conquirendos doctores legum & uirtutum ad exterarum nationes peregrinari. Aut uiribus ita destituti sunt, ut etiam si uelint non possint peregrinos legum magistros & præceptores sectari. Id quod multi gentium philosophi fecerunt. His igitur ut mederetur Christus, hunc librum in tuum ipsius sinum posuit, cuius doctrina ita clara & aperta est, ut nullius expositionis indigeas ad intelligendum, aded ut ipse tua biblia, magister, doctor, & prædicator esse queas, in omni genere officiorum quæ proximo debes. Da operam ut hunc librum saltem inspicias, & inuenies quo pacto hic liber per omnia tua opera, dicta & facta, cogitationes, cor, corpus & animam penetret. Hic si sequutus fueris, proculdubio iurisperitis & philosophis euasurus es & doctior & prudentior. Porrò uerba huius libri mentionem faciunt non de officiis quæ Deo, sed hominibus debemus. Quid ergo uolunt homines, ut sibi fiat? Primum, si quis necessitate egestatis laborat, & fame, siti ac frigore cruciatur, profectò ipso naturæ ductu, uult & optat, ut sibi petenti subueniatur siue ab amico siue ab inimico. Hæc ergo uoluntas & optio, lex & regula est, quæ monet, ut ipse proximo suo siue amico siue inimico, egestate aut fame laboranti, bene uelit, humaniter subueniat & omnem cordis sui amaritudinem abiiciat. Deinde nemo est qui uelit iniuria ab altero affici, aut si quis alterum iniuria afficiet, certè nec uult nec optat, ut iniuria ipsi ab altero referatur. Habet igitur unusquisque secum concionatorem, qui docet quod ipse nec alteri iniuriam inferre, nec illatam iniuriam referre debeat. Præterea, Si homo es mechanicus & opifex, opera sedentaria uictum quarritans, tum hic liber in tua officina est repositus, in manu tua, in corde tuo, qui te docet, quomodo proximus tibi tractandus sit, modò artis tuæ arma inspicias, nimirum, acum,

Animus & uoluntas nostra docent nos officia proximo præstanda.

Christus cõsiliens multorum imbecillitati & infirmitati, summam omnium legum in una sententia concludit.

Lex naturæ docet subueniendam esse extremam inopiam inimici.



subulam, uasa uinaria, merces tuas, libram tuam, uinam quoque & mensuram, omnibus hisce hoc dictum, Omnia quaecunque, &c. inscriptum leges: ita ut nisi quam queas oculos uertere ubi non statim obtutui tuo occurrer. Nec ulla res est tam leuicula, qua cum quotidie occupatus es, qua tibi haec uerba non subinde occinat & inculcet, modò illi aurem praeberè uelis. Neque hic ulla est docentium penuria, tot enim tibi sunt praedicatorum, quot exerces comèrcia, & quot merces & arma atque alia domi tuae habes reposita. Quae omnia unanimes uoce te inelamant, fac quae so ita cum proximo tuo agas, ut illum uelis tecum cum suis bonis agere. Vnde tam copiose haec doctrina nobis proposita est, ut nullus excusationi locus cuiquam relinquatur, quod aut nescierit, aut non satis dicta sit & praedicata. Omnibus enim locis haec doctrina quocunque oculos uerterimus inscripta est, & in omnem uitam nostram scripta & insculpta est, si modò nobis aures essent quae audire uelint, & oculi qui uidere expererent. Obstrepet fortassis quispiam. Quid? Si lex exigit ut quod nobis fieri uolumus alteri faciamus, magna proculdubio in rebus humanis erit turba: si huic legi obsequamur, nullus iudex, pronuntiabit aduersus furè, latronè, aut aliū sceleratū, sententiā. Cogitabit enim secū, Si ego ipse essem huic sceleri obnoxius, & stare in iudicio, optarem ut iudex me liberum dimitteret: dimittam igitur & ego alterum. Nullus praeerea princeps manebit in sua uocatione, & principatus administratione. Nullus ciuis retinebit domum & agros suos: vnusquisque enim si uult huic legi obsequi, cogitabit secum, ego optarem ut alius mihi è suo principatu, aut agris cederet, quare & ego necesse habeo alteri cedere. Quae haec erit rerum, & omnium legitimarum uocationū ac functionum cōfusio, si quod cogitatione uoluntatur, & uerbis effertur, ipsi operibus perficiatur? Respondeo. Cum dicitur, Omnia quaecunque uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis: non est intelligendum de uoluntate nostra corrupta, iniusta, iniusta, illegitima & de concupiscentia mala: sed de uoluntate recta, iusta, legitima, & necessitati naturae ac uerbo Domini consentiente. Nam cum iudex uult, ut si ipse in furto deprehendatur, liber & impunis dimittatur: non habet uoluntatem legi Dei conuenientem, quare nec secundum hanc uoluntatem de altero fure iudicare & pronuntiare debet. Abiicienda est omnis talis mala uoluntas. Sed quaecunque iuxta rectam, iustam & legitimam uoluntatem uoluerimus, ut faciant nobis homines, ea naturae lex requirit, ut & nos faciamus hominibus. Vide Augustinum de ciuitate Dei, lib. 14. cap. 8: Obserua notanter dictum, Quae uultis ut faciant uobis homines. Nouit enim Dominus quàm sumus omnes propensissimi ad hoc, ut bene nobis fiat, & quàm soleamus diligenter perpendere, quid nobis fieri debeat ab aliis. Et ne excusationi sit locus, non dicit, Quod alij sibi fieri uolunt, hoc uobis faciant: aut, si quippiam boni uobis fecerint alij, id facite & illis. Sed, quae uultis ut faciant, etiam si non faciant, facite uos illis. Nec dicit Christus, Quae alij uobis faciunt, facite & illis, ne excusationem praetexeremus; dicentes, fecissim bene si alij mihi bene fecissent. Rursus aduerte, signatè dixisse homines, & facite illis, ut indicaret se tantum hoc loco de operibus secundae tabulae, siue de mutuis officiis quae debent homines hominibus, loqui. Colligamus ex superioribus huius doctrinae summam. Tu aliis facias quae ab alio tibi fieri expectis, tibi faciendum est principium, cupienti alios homines itidem facere. Aut si celsarint illi, tu nihilominus facias. Et enim si non ante probus euaderè & rectè agere uelis, quàm ab alio uideris, tum nulla spes est unquam ad bonam frugem te reuerturum. Nolentibus aliis nihilo secus tu debes iuxta legem & ordinem iuris, cum libenter uelis hoc tibi fieri ab aliis. Qui probus esse cupit, ille aliorum exemplis moneendus non est. Neque ualet quod dicas, uerba mihi dedit, uicissim mihi fallendus est. Esto ipsi principium beneficentiae, & hoc tuo exemplo alios excitabis, quo tibi uicissim benefaciant, etiam eos qui antehac iniurijs in te extiterunt.

Explicatio  
sententiae  
continentis  
summam  
Euangelicam  
doctrinam  
de  
charitate  
proximi.

Hæc est enim Lex, & Propheta.

Miraberis fortan, quomodo dixit hanc sententiam ceu comprehendere legem & prophetas. Nihil ne aliud officiorum aut uirtutum in lege diuina & prophetis nobis praecipitur, quàm ut omnia quaecunque uolueritis, ut faciant uobis homines eadem faciatis illis? Vbi ergo promissiones prophetarum de Messia: ubi cultus de uno Deo, de ueneratione nominis Dei: & ut in summa dicam, ubi id quod requirit & praecipit prima Moysi tabula? ubi manet Euangelium de Iesu Christo, quod ipse sit ostium ad regnum Dei, quodque credendum est quod per ipsum & propter ipsum habeant remissionem peccatorum quotquot in ipsum credunt? Respondeo, obseruandam esse duplicem praedicationem, alteram legis, alteram Euangelij de Iesu Christo, & utraque sua habet compendia. Et Euangelij compendium est, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Praedictio Moysi continetur in duabus tabulis Moysi tanquam in epitome. Harum prior praecipit de officiis quae debemus Deo. Et sunt illa, Nō habebis deos alienos corā me. Non assumes nomē Dei tui in uanū. Et, Sabbatha sanctifices. Habet & haec tabula suum compendium, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mēte tua. Posterior tabula praecipit de officiis quae debemus proximo, & sunt illa mandata decalogi scripta post mandatum de sanctificatione sabbathi. Atque huius posterioris tabulae quae praecipit de charitate & officiis erga proximum epitome seu compendium est haec sententia, Omnia quaecunque uultis ut faciant uobis homines, &c. non autem Euangelij de Christo, uel prioris tabulae Moysi. Quare cum audimus hanc sententiam, Omnia quaecunque, &c. esse legem & prophetas, non intelligimus Christum hic loqui de tota legis & prophetarum serie, quemadmodum infra cap. 22. ubi in duobus mandatis dicit, totam legem & omnes prophetas pendere: sed tantum sensisse ea in hoc compendio contineri, quae in lege & prophetis de charitate proximi & de mutuis inter nos homines officiis docentur. Quod autem haec sententia tantum sit compendium earum legum quae de charitate erga proximum praecipunt, testatur & interpretatur ipse Paulus Rom. 13. ita dicens, Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam, Nō adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Iam & ipsa huius sententiae uerba satis perspicue indicant, quod hic tantum mentio fiat de iis officiis, quae homines debent hominibus proximis suis. Est ergo haec sententia, summa legis & prophetarum, & quasi lux quaedam & regula omnium nostrarum actionum, qua carnis nostrae prauitatem & obseruemus & corrigamus, quatenus ad exēplar diuinæ bonitatis diuinitus tandem reformati. Hoc simus proximis, quod nobis illos esse uellemus, idque potissimum in omnibus illis locis, ac negotiis de quibus nihil expressi habemus in scripturis. Vnde si disputatur, ut aliquando fit, de matrimoniis clandestinis ac furtiuis, quae contra parentum conscientiam & uoluntatem contrahuntur, num iusta sint & ualida: habent hic legem in nouo testamento. Iuxta quam interrogent seipos, num uelint sibi tale quid fieri, nempe filiam suam ab eo sibi fraudulenter & contra animi sententiam subripi, quem nolunt habere generum. Profectò nollent. Cur igitur hanc regulam non inspiciunt, ut uideant, non licere ut aliis hoc faciant? Habent & hanc regulam qua corrigantur hi qui habentes quod uendant, putant sibi licere quàm carissimè queat aliis sua diuendere. Cur non liceret, inquiunt? Meum est, & neminem cogo. Qui soluendo non est, relinquat mihi quod meum est, erit qui emat. Atque illi putat se quoque Christianos esse, scilicet. Sed dicant num sibi hoc ab aliis fieri uelint? Rursus qui marcidas & corruptas merces uendant, putant se egregiè excusatos dum dicunt, Neminem cogo, nec clanculum uēdo, oculis emen-

Iniuste contrahuntur matrimonia claustrina.  
Non semper licet tanti uēdere merces quanti alius emere cogitur.  
Debet mediator fallaces merces emptori detegere.



tium merces expono, atque idem neminem fallo. Interim autem simplicitate & ruitate aliorum abuteris, nec tuarum mercium defectus detegis, imò detegere nolis. Rogo te, num uelles hoc tibi fieri? Videant & respondeant impiissimi homines, hominibus proculdubio lupi, qui pauperi, rustico, aut alij necessitate presso, nec habenti numeratā pecuniam, uendunt mensuram frumēti longē pluris quā sit iustum in foro pretium & si numerata haberetur pecunia, ut hoc anno, 1546. multis pro dolor contigit. Ex necessitate proximi quæsitū sibi quærunt cū nimio excessu. Videāt an uelint hoc sibi fieri: uidelicet, eò rē sibi pluris uēdi, quò maiore necessitate ad emendū vrgentur. Sit igitur hæc sententia, summa legis & prophetarum, ad nostra officia erga proximum regenda. Sed hīc mihi uide quā peruersum quorundam ingenium, & quā iniquē in malum eo abutatur, quod ipsi in bonum propositum est. Nam cū hæc sententia, Omnia quæcunque uultis ut faciant, &c. tractatur, & docetur quòd in ipsa comprehendantur lex & propheta, quòd ipsa sit domestica nostra biblia, & concionator ac doctor, è quo discere queamus, quid officiorum homines sibi mutuo præstare debeant, continuò inepti quidam homines, tam bonarum literarum, quā sacrarum concionum fastidium concipiunt. Quid (inquiunt) profunt mihi literæ? quid conciones? en paucissimis uerbis comprehensum teneo, quicquid uspiam literæ tradunt, & mecum ipse habeo concionatorem, qui me quid rectum, quid secus sit, doceat. Quid ergo necesse habeo multam operam literis dare, & sacras conciones audire? Quid opus fuit Mose, quid opus imperatoribus, quid opus ciuitatibus, tot leges condere, quibus uita & societas humana institueretur, ut quisque sciat, quid aliis faciendum sit, quid non sit? Deinde quid opus tot libris, tot lectoribus & doctoribus, cū quisque hinc colligere possit, quid faciendum sit, maximè cū sit hæc summa inscripta omnium cordibus, etiam Gentium? Respondeo. Tametsi hoc compendium tibi probè notum sit, multa tamen adhuc desunt quæ in literis & concionibus discenda sunt. In primis enim hæc sententia, Omnia quæcunque uultis, &c. compendium tantum est posterioris tabulæ Moyse, quæ præcipit de officiis mutue charitatis inter homines, ut supra docuimus: iam non solum scire oportet quæ homo homini debet, sed maximè omnium, ea quæ homo Deo suo debet, de quibus prior tabula præcipit. Quare hæc tum è diuinis literis, tum è sacræ concionibus cognoscenda sunt. Deinde licet uerba huius sententiæ, Omnia quæcunque uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis, numerare scias, ingenij tamen tarditate fieri potest, ut uim eorum non perfectè adsequaris. Nam cū tot excellentes uiri, tam in populo Dei, ut Moses, Propheta, Christus, Apostoli & alij doctores in Ecclesia, quā in populo Gentili, ut Plato, Cicero, & ueteres gentilium poëtæ & philosophi, in explicanda hac naturæ lege sudauerint, haud dubiè propinquum est argumentum, sensum huius legis, non cuiuis perfectè obuium esse. Iam finge hominem tam sapientem inueniri, qui perfectam huius legis habeat cognitionem, non propterea reipsa præstabit, & opere legem complebit: imò contingit, ut quò maiorem huius legis cognitionem habet, eò maiora se habere peccata agnoscat, eòque se imperfectiorem sentiat, ad perficienda ea quæ ab ipso exiguntur. Quis quæso unquā alteri perfectam in omnibus rebus charitate præstitit, quod sibi ab altero præstari uoluit? Quis unquam proximū suum tanto seruore charitatis complexus est, quanto seipsum? Facit, profectò huius legis cognitio, ut quò certius sententiam ipsius intelligis, eò perspicacius teipsum, tua peccata, maledictionem & damnationem uideas, & exciteris ad obsequendum legi, unde intelliges tantum abesse, ut cognitio huius compendij ab audienda concione Euangelij te abducat, ut potius inuitet, hortetur & cogat ad sectandam Euangelij concionem, in qua discas quomodo à peccatis hac lege cognitio libereris, & ueram salutem adipiscaris. Audiendum igitur est Euangelium de Iesu Christo, ut ex au-

Homo etiā doctus nunquam accedet ad Euangelij concionem quin abbeat doctior.

ditu fidem concipias, ex fide, quæ per charitatem operatur, iustitiam & Spiritum sanctum accipias, & ex Spiritu sancto, Deo iuxta legem suam obedias. Sed quid? Si omnia ad salutem necessaria cognoueris, in primis quidem compendium prioris tabulæ, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: deinde posterioris tabulæ summam, Diliges proximum tuum sicut teipsum: aut, Omnia quæcunque uultis ut faciant, &c. Postremò etiam compendium Euangelij de Iesu Christo, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & intelligas hæc exactissimè & perfectissimè, num propterea existimabis tibi impune esse, sacras conciones contemnere, & dicere, Quid facerem in concionibus, scio quid faciendū, quid non. Audi Petrum clamantem, A duersarius noster diabolus circuit tāquam leo rugiēs, quærens quem deuoret. Et tu securus interim stertes? Rursus Paulus ait, ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcūque uultis, illa faciatis. Et iterum, Ephes. 6. ca. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in celestibus. Et in hac lucta, ut alius aliter affectus est, ita alius alio genere auxilij Spiritus sancti indiget. Hic cessator est, & indiget exhortatione: ille infirmus est, & indiget confirmatione: hic mœstus est & anxius, & eget consolatione: ille dubius est & desperabundus, & eget certificatione: ille firmus est, & eget conseruatione: breuiter nullus est, qui in hac spirituali pugna non indigeat aliquo genere auxilij Spiritus sancti. Est autem Spiritus sanctus efficax per prædicationē uerbi Dei & Euangelij de Iesu Christo. Quare licet habeas exactam legis & Euangelij cognitionem, tamen si saluti tuæ probè consulere uolueris, necesse habebis sacras conciones, quantum potes consecrari, ut Spiritus sanctus porrigat tibi per eas arma, quibus Satanæ resistere, & in uia fide consistere queas. Obserua, legis & prophetarum nomine intelligitur omnis doctrina Dei diuinis literis comprehensa. Augustinus. lib. de Trinitate. 15. cap. 17. Legis nomine (inquit) aliquando simul omnia ueteris instrumenti sanctarum scripturarum significantur eloquia. Nam ex propheta Esaia testimonium ponens Apostolus ubi ait, In aliis linguis & in aliis labijs loquar populo huic, præmisit tamen, In lege scriptum est. Et ipse Dominus, In lege (inquit) eorum scriptum est, quia oderunt me gratis: cū hoc legatur in psalmo. Aliquando autem proprie uocatur lex, quæ data est per Mosem, secundum quod dictum est, Lex & propheta usque ad Ioannem. Et, in his duobus præceptis tota lex pendet & propheta. Aduerte. Lex est sententia, qua recta iubentur. Legum aliæ sunt positivæ, aliæ sunt naturales. Positivarum aliæ sunt iudiciales, aliæ caremoniales. Sūntque huiusmodi aut diuinæ aut humanæ. Naturales leges, quæ alio nomine ethicae aut morales uocantur, sunt quas Deus naturali hominis rationi inscripsit: & postea per Mosem partim in decalogo, partim aliàs illustrauit. Hæc naturales leges sunt sententiæ quædam siue cogitationes quibus assentiuntur omnes homines. Vt in speculabilibus sunt quædam principia natura nota, ut, Totum maius est parte: Ita in agendis, quædam sunt principia natura nota, ut, Soboles alenda est. Est & naturalium legum ordo quidam, ualētque in his quod in omnibus legibus, ut scilicet superior temperet inferiorem, & corrigat illum. Naturales leges dicuntur diuinæ, nō tantum ob id quòd decalogus (in quo tanquam in breui epitome continentur) datus sit diuinitus in mōte Sinai per Mosem, sed ob id etiam, quòd cognitio earum humanæ rationi diuinitus insculpta sit. Vnde sentiendum est, quòd non solum id quod Moses de bonis operibus: sed etiam id quod philosophi Gentium de generibus uirtutum & officiorum scripserunt ac docuerunt, ad harum legum ordinem pertineat, doctore Paulo Roma. 1. Quia quod notum est Dei (id est quod de Deo cognosci potest) manifestum est in illis (subaudi Gentibus) Deus enim illis manifestauit. Et rursus. 2. capit. Gentes



ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium. Positiuæ leges habent originem suam è legibus naturalibus. Et sunt quæ ad conseruationem publicæ tum ecclesiasticæ, tum ciuilibus politia ponuntur, & cõstituantur. Et quia duplex est politia, altera ecclesiastica, altera ciuilibus, duplex quoque ordo est legum positiuarum: alia sunt ecclesiasticæ ad docendam & conseruandam religionem in Ecclesia, alia ad conseruandam politiam ciuilem.

#### Intrate per angustam portam.

Præmissis sermoni finem facturus Christus uoluit suam concionem aliquot locis monitoriis concludere ad muniendum & præparandum animos nostros aduersus omnia impedimenta & offendicula cùm doctrinæ, tum uitæ, quæ nobis in mundo queant obici. Hoc ipsum certè uerum est, doctrinam (quam uos modò docui) speciosam & pretiosam esse, eamque explicatam fuisse cùm fusè, tum arctè & uno penè uerbo comprehensam, ut memoratu & intellectu sit facilis. At hoc opus hic labor est, nimirum oportere uitam huic doctrinæ respondere. Estque proculdubio grauis & ardua Christiani hominis uita, & difficultas maxima, probum hominem agere: id quod nemini sine summo labore contingit, sicut puella illa dicere solita est, multa requiri ad matrimonium. Sanè uerò multa, sed multò plura ad uitam Christianam. Propterea hanc difficultatem uoluit Christus suis expendere, ut intelligant multis ad hanc uitam opus esse, ut sibi prospiciant, nec ullis difficultatibus absterreantur, si non nihil grauitatis & amaritudinis hæc uia habuerit. Neque enim aliter cum hac uita comparatum est. Suntque hæc uiro Christiano cognoscenda, ad quæ instructum esse oportet, ne aut offendiculis aut impedimentis retardetur, uel toto mundo aliter uiuente. His ergo uerbis Christus uult indicare & suos admonere, Sunt quidem quæ docui ardua & factu difficilia mundòque impossibilia, quæ alius sequitur, alius aliò uadit. Sed cùm uideritis maximam hominum partem diuersa sequi, caute si angustam uideritis portam, ne quid animum uestrum commouerit. Oportet uos per illam intrare. Optima enim quæque difficiles habent aditus. Spectate magis quò ducat hæc uia, quàm an commodū habeat ingressum. Lucas. 13. cap. habet, Contendite intrare, &c. quò uerbo ostendit multi laboris, & extremæ difficultatis esse suscipere Euangelium, in eo perseuerare, & paucitate suscipientium non offendi. Introite per angustam portam, id est suscipite Euangelium. Angustā siue arctam portam seu uiam uocat, non quòd per se sit angusta. Si quidem est manifesta & uniuersalis doctrina pro omnibus. Et ut ait Dominus, iugum meum suauis est, & onus meum leue, sed respectu eorum qui suscipiunt illud, illi pauci sunt & angusti, hoc est qui perfecta illa dilectione erga Deum & proximum uiuunt, quæ non est nisi penitus seipsum coram Deo abnegare, Deoque fortissimè fidere. Et quia perpetuum Christianis cum carne (quæ sua sunt ubique quærente) prælium est, illaque nunquam non facessit eis negotiū, ut quæ uolunt non faciant, faciant uerò quæ nolunt, Rom. 7. & Gal. 5. Ideò etiam sancti hanc uitæ portam & uiam (quamlibet per se & spiritui satis lata & spaciola sit) arctam & strictam sentiunt. Quare illā magna sanè contentione & labore ingredienti, subinde cum Paulo Rom. 7. clamant, Inflexibilis ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Transcundum est ergo per angustam portam, non autem limini hærendum. Qui transit per hanc portam, seriò Euangelium suscipit, corde credit, in illo se oblectat, in illo die atque nocte oblectatur. Per hanc portam intrandum est, cùm à Deo nobis aperitur, id est credendum est dum ab illo trahimur. Atqui solus ille credere potest, qui à patre trahitur, Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit illum: alioqui intrare, id est credere non poterit, quia non est uolentis neque currentis, sed Dei miserentis, Roma. 9. Quid

Via qua ierit ad cælum suauis est iis qui acquiescunt ueritati, aspera uerò & laboriosa seignibus & oscitantibus uiuentibus.

Fides, Deum donum est.

uiam hanc tam arctam & strictam fecit? Respondeo. Nemo certè nisi diabolus, mundus, & caro nostra, quæ pigra est & laboris pertesa atque impatiens, nec Deo nec eius uerbo credere sustinet, mundi contemptum ferre non potest: egestatem, afflictiones, pericula auerfatur, &c. in summa, & ipsa perlibenter spaciolam uiam iniret, ideo hanc uiam tam acerbam & difficilem nobis facit. Deinde uenit mundus, qui nos ideo insectatur, suspendit, perimit, concremat, aut aquis submergit, quòd cum illo spaciolam uitam terere reculemus: & si plus incòmodi inferre nequit, maledictè tamen & contumeliosè nos diffamat, omnium uirulentissimè inuehendo & criminando, ense, igni, aqua nos exigens, unde profectò arduum certamè esse constat stare, & aduersus carnem nostram depugnare, hominem Deo credere, proximum ut seipsum amare, modestam uitam traducere, & in sua uocatione perseuerare. Accedit his omnibus diabolus humana corda omnibus discrucians malis cogitationibus, incredulitate, superstitione, metu, angustia, desperatione, omnia peccata & dedecora faciens, quæcunque unquam bona fecimus. Et tamen tot undique inimicorum telis ac insultibus petitis standum est, ut ut omnes in nos colliment seu obliquis oculis nos intueantur. Quid quæso his in periculis solatij esse potest? Multum profectò. Noli oculorum iudicium sequi, sed iuxta fidem & uerbum iudica, nimirum apud te Christum ipsum & omnem cælestem exercitū esse, qui hanc ipsam uiam iuerunt, longo ac magnifico cætu te in cælum præcesserunt. Quam uiam etiamnum usque ad summum diem omnes Christiani profecturi sunt, hoc modo omnis difficultas angustæ & laboriosæ itineris sit leuis & facilis, quò confidenter eam profectionem arripiamus, & perficiamus. Ad quā ipse etiam Christus peramanter nos prouocat, & inquit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego refocillabo uos. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Quasi diceret ne uobis molestum sit & onerosum quod humeris uestris baiulandum impono in hoc mundo. Planè enim carni iugum & onus est & stricta uia & angusta porta dicitur: Sed estote bono animo mihi confidentes, ego hoc fasce uos leuabo, & onus adiutabo, tantum roboris & uirium uobis daturus, quibus fortificati hanc uiam citra profectionis molestiam conficietis: & non tantum hoc, sed ipsa re quoque experiemini, eandem uobis fuisse suauem, & amabilem.

#### Quia lata porta, & spaciola uia est, quæ ducit ad perditionem.

Ex priore & hac posteriore antitheseos parte docemur duas esse portas, alteram arctam: ad quam non sit aditus nisi per angustam uiam, sed quæ mox ducat ad uitam æternam: Alteram latam ac patentem (unde ait poeta, Patet atria ianua Ditis) ad quam spaciola uia præbet omnibus aditum, sed quæ mox ducat in exitium æternum. Siquidem hæc spaciola uia est, quoniam ex sententia carnis uiuitur, neminem arctat legibus pietatis. Omnia licent, & expediunt, quia ita placitum est. His rebus adblanditur quæ delectant sensus corporis, quæ blandiuntur animi cupiditatibus: cuticula curatur, uitia pro uirtutibus habentur, uoluptas & sardanapalicè uiuens honestus & maximus habetur. Quò fit ut hæc uia plurimos ad sese pelliciat, sed ad breue tempus delinitos, per amplam portam transmittit in calamitates inenarrabiles, & falsis bonis illusos, tradit ueris malis & perditioni. En uides spaciola uia & loco amplissimo, arctissimum & ter miserum & infelicem locum esse comparatum. Obserua. Nomine uia scriptura intelligit quicquid agimus, cõuersamur, uiuimus, omnia denique quibus studemus siue bona sint siue mala, in quibus quasi uia gradiètes uersamur. Et quemadmodum uia ad terminū aliquem tendit, ita & uita hominis aut ad salutem & æternam uitam, aut ad mortem seu perditionem. Visu audituue mirabile est, si de uita hominis fueris meditatus, nimirum siue homo uigilet siue dormiat, ad suum interea terminum properat, cui ne-

Viam arctam & strictam quid faciat.

Voluptas iniuriosa uitam multos ad se pelliciat.

Voluptatem temporariam sequitur dolor perpetuus. nocet cõpta dolore uoluptas.



que licet neque datur retrocedere, imò ne pro animi quidem sententia aut uoto, in hoc mundo harere permittitur, semper, siue uelit, siue nolit, eudum est ad terminum. Exemplum sumemus à uia nauis in mari. Qui nauigat, etiam cum dormit, uel ad portum uel interitum defertur. Aduerte, simpliciter dicit, perditionem, significans interitum perpetuum & gehennam illam inferni, qua absorbentur qui spaciosam uiam sunt sequuti. Hoc unum discamus, quòd hæc perditio hominis est ab ipso homine. Osce. 13. Perditio tua Israël, tatummodo in me auxiliū tuum. Quæ perditio nec in fortunæ nec in malis corporis hoc in seculo consistit, sed in ira Dei & condemnatione æterna: die enim illo magno & horribili, omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

## Multi sunt qui intrant.

Præsentissima caro titillans, mundus uoluptates & delicias ulro offerens, & diabolus regna mundi & diuitias seculi promittens, multas hominum myriades pelliciunt, qui dicto citius morem gerunt, quòd solū ad ea quæ præsentissima sunt oculis, non quæ futura sunt perenni felicitate comitata, respiciant. Hæc nō pertercant pios, quòd multos habeat spaciofa & lata uia, cum exleges & sine uerbo uiuant. Omnibus profectò modis cauendum est ne sequaris multitudinem, id quod etiam Moses antè uctuit, Exod. 23. Ne sequaris turbam ad faciendum malum. Quasi diceret: Omni tempore uidebis in mundo offendicula: sicut Christus hîc quoque inquit, Lata est porta & spaciofa uia quæ abducit in exitiū, multique sunt qui ingrediuntur per illam. Atque hoc illud est ingens offendiculum, quo non pauci homines moti, à Christianismo desciscunt, imò quo sancti homines & propheta admirati & conquesti sunt. Sicut David in psalterio non semel conqueritur, psal. 72. Quia zelauit super iniquos, pacem peccatorum uidens: quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Et ut summam dicatur, diuites & fortunati sunt in hoc seculo (inquit ille) omnibus rebus affluentes, genialiter uiuentes, & quodcunque uolunt & cogitant facientes. Inter ipsos uigent honores, uoluptates & delicia. Ideo multi sunt qui intrat: tota scilicet Asia, duabus reliquis mundi partibus maior: Africa item & Europa maiore ex parte. Atque, quod referre pudet, in hoc pugillo terræ, inter eos qui Christianismum profitentur, non paucos reperies qui latam ingrediuntur portam, & spaciofa uia ambulant, aded ut probè dictū sit ab illo, Ambitiosus honos, & opes, & amica uoluptas, Hæc tria pro trino numine mundus habet. Hoc equidem bonis ac sanctis patribus summo dolori fuit, mundi prosperitatem & malitiam iuxta uidentibus: qua pios & sanctos traducit, insectatur, cōtempitui habet, cum relictis multi latam intrant portam, & pauci uidentur pij. Hoc profectò est quod Christus suis uerbis uult indicare, & suos admonere, ut quisquis ita in mundo uiuat, quasi solus sit, qui nihil pretiosius in terris esse sinat uerbo Christi. Atque ita cogitor, quamquam uiderem uicinum meum, atque aded ciuitatem totam, imò etiam uniuersum mundum aliter uiuere, & omnes magnates ac principes, & quicquid altum & nobile est, aliam à doctrina Christi sequi, tamen mihi pretiosior est Christus, & uerbum eius. Ideo relictis multis spaciosam portam intrantibus, licet mihi soli eudum esset, non tamen solus eo, neque solus sum. Dei enim uerbum habens, Christum una cum omnibus angelis & sanctis qui ab initio mundi fuere, mecum habeo: unde spero longè numerosiore & magnificentiore coetu me stipatum esse, quam modò in uniuerso mundo esse possit. Quem etsi his oculis non uideam, fide tamen uideo, & fiducia ac uerbo Dei cōfirmor, durans in aduersis, breui liberadus.

Gehennā inferni homo sibi thesaurizat uitam uitris cumulanda.

Pauci saluabuntur in cōparatione peccatorum.

## Quam angusta porta, &amp; arcta uia est quæ ducit ad uitam.

Expolitio est prioris partis, Introite per angustam portam, & altera pars antitheseos, quam Christus iuxta metaphoram docet, hanc uiam quæ ad uitam ducit, esse ita obscuram, ita humilem, ita rectam, ut neque carni neque humanæ rationi possit uideri habere aliquam speciem etiam semitæ ad uitam, imò ipsis nihil uideatur minus quam esse uiam uitæ. Qui fieri potest (aiunt caro & ratio humana) ducat illa uia ad uitam, quando in ea nihil præter crucem spectare licet, ignem, laqueos, furcas, palos, carceres, minas, tormenta, gladios, præcipitia, famem, sitim, macerationes, inedias, ieiunia, uigilias, labores, pericula, ignominias, membrorum direptionem, uerbera, flagella, damnatos ad fodinas, ad arenas, ad fossas, tandem cruentâ & inexcogitaram mortem? Hocine est præstare uitam? Quis tam delirus ac demens ista dixerit? Profectò infidelibus & rationem sequentibus desperabunda sunt. Sed fidelibus & piis etiam in medio afflictionum torrente, modica sunt, propter uitam promissam, & certissimum Dei uerbum, quoad consolationem accipiunt properantes ad finem, hoc est uitam certaminis coronam, & præmium. Et quia prius laboriosa sunt quæ transeunt, postea gloriosa quæ permanent, hoc fide cognoscentibus non mediocriter labores lenit, & animos addit, ut in labore durent, & solatium accipiant. Propter quod, ait Chrysostomus, Paulus 2. Corinth. 4. tribulationem leuem uocauit, nō utique ad qualitatem tribulationum: sed ad certantium uoluntatem, & spem respiciens futurorum. Quod enim (inquit) momentaneum, & leue est, tribulationis nostræ, supra modum sublimitatem æternam gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplatibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quòd si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tēpestates atque hyemes agricolis, si vulnera cadēsque militibus, si grauissimi illi ictus, plagæque pugilibus, leues uidentur atque tolerabiles, propter spem temporarium, ac pereūtium commodorum: multò magis cum cælum proponatur in premio, & ineffabilia illa bona atque perpetua, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur. O tēque quaterque beatos, & foelices peregrinos ambulantes in uia regia, & hæreditatem incorruptibilem, 1. Pet. 1. & incontaminatam & immarcescibilem, conseruatam in cœlis, in uobis qui in uirtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratâ reuelari in tempore nouissimo, in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in uariis tentationibus, ut probatio uestræ fidei, multo preciosior sit auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Iesu Christi, quem cum non uideritis, diligitis. In quem nunc quoque non uidentes creditis: credentes autē exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei uestræ salutem animarum ueststrarum. Proinde hæc uia nihil ostentat quod blandiatur carni: multis aspera est, quæ molesta sunt etiam naturæ protinus obiicit, paupertatem, sui abnegationem, ieiunia, uigilias, tolerantiam iniuriarum, castitatem, sobrietatem. Hæc porta non capit delicatulos, huius mundi gloria turgidos, fastu elatos, luxu distentos, diuitiarum sarcinis onustos. Non recipit nisi pauperes spiritu, nudos, & ab omnibus huius mundi cupiditatibus expeditos, ac uelut exutis corporibus in spiritum extenuatos. Unde pauci sunt qui ingrediuntur per illam, quòd illam arctam & laboriosam suspicantur. Quæ suspicio è sola ipsorum desidia oritur. Quod Dominus illam arctam uocauit, maxime ad faciendam illam facilem profuit, hoc siquidem uerbo, semper ut uigilarent admonuit ad paratissima arma (de quibus paulò antè disseruimus, animos adderent & alacrius in arenam & certamē descenderēt. Qua exhortatione & alibi est usus, Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Qui enim certamen ingreditur, si uideat spectatorem suum ardua ipsius congregationis horridaque mirantem, maiore profectò animi alacritate succenditur.

Magnitudo præmij animi addit, ut ad perferendos quolibet improbos labores.



Non igitur angamur cum nobis multa in hoc itinere mœsta contigerint. Brevis uia est, breui cursu absoluta, cui aeterna succedit uita. *Obserua: singulari antonoma-  
Vita, qua hic  
niatur, est  
fomnus, misē-  
ria & militia.* fia futuram uitam aeternum beatam, uitam simpliciter nominauit, significans hanc qua hic uiuimus uitam, somnum quandam potius, miseriam, militiam, inquietu-  
dinem & calamitatem esse.

Et pauci sunt qui inueniunt eam.

Segnitiam multorum euidenter exprimit, qui non modò per hanc non ingrediuntur uiam, sed eam ne eligunt quidem, quod extrema est omnino desidia. Multi hodie ante portam & in limine portae stant, uerum pauci intrant. Cur ita? Mef-  
fis quidem multa, operarij uerò pauci. Vult omnes Christus saluos fieri, pauci uerò saluantur. Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Multi audiunt Euangelium, pauci uerò, uerè suscipiunt, hoc est per angustam portam intrant. Cur ita? Respon-  
det Christus, Ioan. 5. Scripturae sunt, quae testimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Non est Deus personarum acceptor. Omnes uocat, omnibus paratus est fauere, uult omnes saluos fieri. At Christus im-  
properat & exprobrat, & non uultis uenire ad me. Certissimè est hanc uitam uiam nemini patere, à nemine inueniri, nisi diuinitus ostendatur. Nam Ioan. 6. Nemo uenit ad me (ait Christus) nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et nemo cog-  
noscit filium, nisi cui pater reuelauerit. Iam Euangelium est doctrina publica & omnibus manifesta, & Iudæis & Gentibus. Omnes uocat, omnes uult saluos fieri. Quid igitur causabitur impius, quòd pereat? Noluit, recusauit, contempsit sa-  
lutem gratis oblatam, omnibus prædicatam, & manifestatam. Præterea Christus his uerbis præmunit nos ne offendamur, si pauci sint qui hanc portam arctam in-  
grediantur, quòdque pauci salui fiant, & tam multi pereant: nequaquam enim ad multitudinem respicere oportet, neque hac exemplorum densitate turbari, sed imitari paucos qui hoc nos itinere cautissimè incedere cohortantur. Quanta mul-  
titudine & frequentia alij ambulent, non hic uidendum est: sed obseruandum est quae sit uoluntas Dei in uerbo suo. Quod cum habes, statuito apud te causam tuam iustam rectamque esse, eoque fidendum, & ab eo non recedendum, etiam si solus fueris & totus mundus aliò abierit, contrarium dixerit ac senserit. Quid uirgini  
Mariae faciendum fuit, cum attulisset ipsi angelus nuntium, quòd altissimi ma-  
ter futura esset? Quis tum illi assistebat, aut credens, aut cum illa sentiens? Nemo. Si perpedere uoluisset, tot nobilium, procerum, principum, ac regum filias super-  
esse, & Deum extra ipsam non aliam inuenisse ad tam ineffabile mysteriū, quod nulli uirgini unquam cõtigisset, quae ita egena, ignota & contempta esset ancilla-  
la? Præterea quid faciebat Moses exiens Aegypto cum filiis Israël, cum audiret Pharaonem & uniuersam Aegyptum, currus infinitos, & tantam militum copiam aduersariam, mare item oppositum, & mōtes undique suum exercitum inermem  
occludentes uideret, quasi derelictus & inermis uideretur. Similiter quid agebat  
Abrahā patriarcha cum è Chaldaea ipsi proficiscendum esset, & soli ita uersandū, tanquam solus esset pius, & totus mundus condemnatus? Sed hoc neque Mosem  
neque Abrahamum mouere debebat, nec opus erat ut post alios respicerent: sed ita dicerent, Quid Deus cum Aegyptiis, aut Chaldaeis etiā cum uniuerso mundo operetur, ipsius uoluntati commendatum esto. Ego eius uerbo credam, & illud se-  
quar, non habita ratione, & si totus mundus diuersum institutum persequatur. Quemadmodum etiam uirgini Mariae cogitandum fuit, Quid Deus cum aliis fa-  
cturus sit aut faciat hoc in manu eius est, ego uerbo credam quod audio & mihi di-  
citur, quid mecum nouae rei facturus sit. Ita nobis quoque concludendum est, Vi-  
deo multos in uiam spaciosam abeuntes ferri pro animi sui libidine, & me con-  
temnentes ac subfannantes, dicam: Agat cum illis Deus pro sua bona uoluntate,

Euangelium promulgatū per uniuersum orbem: proinde im-  
pius nihil causari poterit quòd pereat.

Obseruandū est nō quod multi faciūt, sed quid præcepit Deus, aut prohibet.

Fide acquiescimus Deo promittenti nobis quae natura & arte consequi nō possumus.

ego scio hanc à me susceptam doctrinam rectam, & uerbum Dei esse, atque ad e-  
ius rei certissimus sum, licet paucos habeat uerè susceptores. Huic adhaerebo, qui-  
cunque tandem manserit aut ceciderit, quoad uiuero. Non igitur obseruandum si  
uidere cogis hic paucos, illic uerò magnam turbam esse. Hoc tamen modo crū-  
nas tuas solaberis, quòd Deus apud te stat, & ubi uiam arctam seu pōticulum per-  
transferis, in amœna & spaciōsa uireta uenturus sis. Nam si tantummodo uerbum  
Dei mordicus retinueris (de quo te admonet mater Ecclesia & te certiore facit)  
si iuxta illud, non quemadmodum iuxta mundum uides, iudicaueris, tum haud  
dubiè tecum est ea uirtute & potentia, ut tuus spiritus carnem, mundum & diabo-  
lum superet. Etenim uerbum, cui fide uiua adhaeres, illo, multo est fortius, licet leue  
uideatur, & nos illud non uideamus: sed nouit eius uirtutem, quàm soleat esse ef-  
ficax, quippe cuius experimentum non semel sumpsit, quantam uim credenti in  
illud adferat. Unde etiam propheta in psalterio cōfidit, dicens, psal. 117. Dominus  
mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Circudederunt me sicut apes,  
& exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos:  
Impulsus, euersus sum ut caderem, & Dominus suscepit me, &c. Ecce, hic quoque  
præter uerbum & fidem, Dauid nihil habet, quòd Dominus cum ipso sit, quem  
non uidet: sed mundum & carnem bene sentit, qui ipsi impedimento sunt, uiam  
strictam & uitam ipsius amaram facientes. At tamen Dauid stat firmiter, hoc con-  
tentus, quòd apud se stet Dominus, & eius partes tueatur. Estque planè securus  
animi, se præ illis mansurum & uicturum, licet uniuersus mundus contra ipsum  
arma sumpserit. Vult ergo his uerbis Christus explicare, ac si diceret: Doctrinam  
uobis proposui, eam paucissimos amplexuros uidebitis: sed multos contra hanc  
docturos experiemini, id quod uos fortasse magnoperè offendet. Sed state firmi-  
ter, nec detis locum scandalo, & cogitate quòd hæc uobis futura prædixerim, scili-  
cet quòd porta angusta, & uia ad uitam perducens arcta sit: altera uerò, nempe exi-  
tij, lata & spaciōsa. Quare nolite turbari, quin potius his quae dico animum aduer-  
tite, & me ducem sequamini. Si quidem ego cum omnibus sanctis angustam uiam  
iui, quae etiam uobis calcanda est, ad me uenire uolentibus. Sinite alios suam latam  
uiam & spaciōsam multa uiatorum frequentia terere. Videbitis enim quā angustum  
foram futurū sit, per quod illis intrandū est. Vos contra, quibus iam per angustam  
portam eundem est, & in arcta uia sudandum: in spaciōsissimum locum uenietis,  
qui sua latitudine caelum & terram æquiparat. Nolite igitur formidare ingredi por-  
tam angustam, & ambulare in uia arcta, quae non cernitur nisi purgatis oculis,  
quibus perspicua sunt bona spiritualia. Ausim hoc unum affirmare, si utramque  
uiam aqua lance rectè inter se collatam expenderimus, tum ea piis & credentibus  
prærogatiua est, ut illis cum impiis permutatio facienda non sit, nisi uelint cum  
Glaucō & Diomede aëra cū aureis permutare. Licet enim hi genialiter uiuant, &  
fidelibus multa acerba ferenda sint: tamen impij in decuplo plus se discruciant,  
torquent ac uexant, quàm pii. Et hoc suo uirulento & inquieto odio, ac tot irritis  
cōsiliis, quomodo piis incommodent omnibus technis ac machinis. Quare tātis sce-  
leribus sese adstringunt & contaminant, ut nullam bonam conscientiam habere,  
nec ulla læta hora frui queant, sūntque sibi ipsi in terris & crux & diaboli. Qui-  
bus omnibus nihil plus agunt, quàm quod modicè nos aspergunt, & premūt, nec  
amplius quàm ipsis Deus permiserit. Cæterum pij in Christum credunt, nec hac  
cura & cauterio uruntur. Possunt lætum cor & hilarem conscientiam obtinere, e-  
tiam si paulum angustiantur, & diabolus ipsos arctauerit, & tamen cessare diabo-  
lus cogitur, & pij interim consolatione uerbi refocillantur, quo onus ipsis dulce-  
scit, dimidia saltem ex parte discruciat, nimirum in externo homine. Impij au-  
tem dupliciter à diabolo affliguntur, & hic, & illic in orco discrucianti, perpetua  
afflictione, & inquietudine conscientiae: præterea homicidiis & sanguine, ita ut

Non est pars  
impij, sed ri-  
xe & contē-  
tiones, cru-  
ciatus maxi-  
mus ex con-  
scientia pec-  
catorum suo-  
rum exortus.  
Lætatus pius  
conscientia  
benè actae  
uitae.



nequeant ullam bonam cogitationem erga Deum animo concipere, licet externè modica lætitia & uoluptate fruantur. Obserua, apud Lucam. 13. cap. eadem legis responsa roganti, An pauci essent qui salutem consequantur.

### Attendite à falsis prophetis.

Posteaquam Dominus his tribus capitibus, quinto, sexto & septimo interpretatus est præcepta Dei, adeoque secundam tabulam: tandem ita conclusit, Quodcumque ergo uultis ut faciant uobis homines, & facite illis: & ne offendantur uia illius (quæ ad uitam est) obscuritate & angustia, neque eorum multitudine qui spaciosam & amœniorem ambulant: sed constanter cœptam teneamus, ut ut arctam & obscuram, securi quoddam hac ad uitam peruenturi simus, aliis decurrentibus suam spaciosam uiam ad interitum & perditionem. Iam ex ordine boni pastoris & doctoris officio fungens addit cautionem, nos commonefaciens, ut à falsis doctrinis nobis caueamus. Perinde ac si dicat, Puram & ueram recepistis doctrinam, uideate porrò ut ab aliis caueatis uobis dogmatibus. Indubitatum enim est, prauos doctores & falsos prophetas surrecturos, ubi uerbum hoc prædicatum fuerit. Solenne est & receptissimum apud optimos quosque concionatores, ut finita concione populum inhortentur, ne à uera doctrina secedant, ac sibi à pseudoprophetarum imposturis caueant: hoc Paulum fecisse legimus cum maximè ex Asia discederet. Epheso enim discedens post alia, monuit Ephesios (Act. 20.) prædicando exortituros inter ipsos, uiros ceu lupos qui gregi non parcerent, & peruersa dogmata loquerentur. Ita passim in suis epistolis facit, ut semper exhortationem adiciat, quo sibi caueant. Sicut & diuus Petrus. 2. cap. secundæ suæ epistolæ nos docet, dicens: Fuerunt & pseudoprophetae in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & cum qui emittunt eos Deum negant, &c. Petrum, Paulum & alios concionatores hoc suo exemplo magnus ille magister & concinator, docuit, ut finita concione moneant discipulos & populum, hortenturque ut omnino permaneant in his quæ prædicatione sunt explicita, sibi que modis omnibus ut caueant à pseudopropheta ne seducantur, & labefactetur puritas doctrinæ sanæ. Verba Christi insinuant, quod nos uerè expectare oporteat post ueros concionatores, falsos esse uenturos, imò & iuxta ueros concurrent, seque immiscebunt. Alias enim non fuisset opus nobis tam fida admonitione, qua Christus nos adeò fideliter admonet, dicens, Attendite à falsis prophetis, si sciisset omnia pura remansura. Quare hanc nobis admonitionem dat, ut certi simus, nos falsos habituros prophetas, & ut etiam atque etiam uideamus, quauis doctrina & uita rectè instituta fuerit, & iam uiguerit, ne clam inter nos, doctores orientur, qui sub nomine uerorum prædicatorum & Euangelij, aliam doctrinam inferant, & cum doctrinam ueram, tum uitam iuxta peruertant & labefactent. Fieri enim non potest, quin recta & sincera doctrina Euangelij passim & undequaque à diabolo impugnetur. Et hoc omnibus modis, cum intrinsecus tum forinsecus. Hæc est illa in Christianismo persecutio, in tota scriptura nobis prædicta, & quæ iam inde à mundi exordio durauit. Ita enim Moyse in suo populo accidit. Sic ipsi Iacob, Isaac & Abrahamo in sua familia. Et Adamo cui tantum erant duo filij, tamen alteri concitanda erat seditio, &c. Non ab simile legimus in lib. Iudicum. Cum enim illi ex hoc seculo migrasset, quos Dominus & doctores & iudices populo dederat, qui nouerant quæ esset uoluntas Dei, quid gratum Deo foret, quid placeret, quid displiceret, exemplo se populus Israël à Deo & uerbo eius auertebant, alius hoc, alius illud idolum colebat, seque ita dissecabant, ut à uera doctrina caderent, patrum derelictis uestigiis. Ita temporibus Apostolorum contigit, ubi Ecclesia & doctrina pura erat, quam primum illi obierunt diem, qui puram seruauere doctrinam, pseudoprophetae & Satanas prodibant, qui diuersum à pura & uera doctrina eri-

Optimus concinator finita concione populum admonet ut præcaueat à pseudopropheta.

A creatione mundi impij persecuti sunt pios & iustos.

gere moliebantur. Cum ergo hæc ita se habeant, admonet nos Dominus Iesus Christus, quemadmodum fidi pastoris & episcopi officium est, ut diligenter caueamus nobis, ut ubi Euangelium aduenit, illi firmiter & indiuulsa adhareamus. Est quidem ingens bonum prophetas bonos habere: sed cauendum est diligenter ab his qui bonos simulant. Cauebitis autem si ueritatem Dei seu Euangelium & amaueritis, & ex corde quæsiueritis. Dominus enim non sinet suos decipi, qui dat spiritum bonum petentibus se. Rogabit quispiam. Cur Dominus falsos prophetas contra bonos etiam post obitum bonorum aduenire permittit? Nonne tam potens & fortis est, ut posset anteuertere & prohibere, ut Euangelium ita purum & in suis uiribus ita permaneret? Respondeo. Posset quidem, sed non facit. Cur ita? Ideo hoc fit, ut suos uisitet, & ingratos puniat. Nam ut Paulus. 1. Corint. 11. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt manifesti fiant in uobis. Vbi enim nobis uerbum suum Deus impertierit, non est eius uoluntas, ut pigri, torpentes, somnolenti que simus. Vnde ubi uerum habueris uerbum & intellectum, mox tibi mundus aduersabitur. Altero latere Satanas te inde auellere conabitur, ut nedum mundi huius tyranni gladio persequatur uerbum, uerum etiam ratio nostra, & omnium in terris prudentissimi, & te Deus suo uerbo exerceat, spiritumque quem tibi largitus est, negotium faceffat, quo dicas Sapientiam Dei, longè sapientia huius mundi præstantiorem esse: fortitudinem item Dei, fortitudine & potentia huius mundi, fortiorem: quod extra hunc agonem nunquam disceres. Quod si tibi schismata & hæreses insurrexerint, excitare te uult Dominus, dicitque, defende te uerbo Dei apprehenso, Dei sapientiæ, & uerbi uirtutis fac periculum: experire quantam sit mundi stultitia, ut adeò fortitudo & sapientia uerbi Dei propalam conspiciatur, ut agnoscas, quomodo non sapientia mundi uincatur, sed quod ipsum omnem uim & potentiam superet: & omnem mundi tum sapientiam tum prudentiam uitio det, ignominiaque afficiat: quo bonum excitet, ac iustitiam in lucem proferat, & homines experiantur, quam potens sit uerbum.

### Qui ueniunt ad uos.

Notas adducit quibus cognosci possunt. In primis à nemine nisi à seipsis, aut diabolo impulsore, missi ueniunt. Atque hæc est uera pseudoprophetarum natura, quod seipsos ingerant ad prædicandum uerbum, imò horum sicut & omnium magistrorum seu doctorum Satanae, unus in falsa ipsorum doctrina scopus est, ut à fiducia in bonitatem Dei, ad solius creaturæ auxilium, animos hominum deducant & ab utilibus proximo, id est dilectionis operibus, ad inutelia & cupiditatis opera, quibus quæ sua sunt homines quærunt, detorqueant. Vtrunque legimus prophetas sanctos pseudoprophetae, & his qui ipsorum imposturas sequebantur, obiecisse. Hi ueniunt dicuntur, quod non sint missi. Ideò fures sunt & latrones Ioan. 10. cap. Singulari antonomasia Christus dictus est missus. Vnde Paulus hunc uocat Apostolum magnū: qui ergo nomen à missis non accipit, hoc est nomine eius non uenit, non admittendus est. ueniunt ad uos, hoc est uestræ partis & professionis se esse simulant, & ea se intrudunt gloriatione quod dicant, se Christianæ charitatis id causa facere, ueritatisque nomine, seque ad hoc Spiritu sancto impelli, neque quicquam aliud se quærere aiunt præter animarum salutem. Cauendum est ab his quos profectò non à Christo, sed à Satana missos esse certum est. Huic iactabundo responde, Cum adeò multa de spiritu gloriaris, de te ipso testimonium ferēs, uideris mihi quidam Suffenus. Faceffe hinc, scriptura enim mihi inhibuit, ne tibi, si de te solummodo testificeris, adhibeam fidem: uenis enim non missus. Christus uiuus Dei filius de seipso testimonium perhibere noluit, ut docet Euangelium Ioan. Tu ultrò curfas, & uenis, neque uocatus, neque missus: tua auctoritate assumis tibi honorem. Paulus ad Hebræos hortatur contrarium, dicens:

Permittit falsos prophetas populum decipere propter eius ingratiudine, & iustorum probatione.

Hæretici efficiuntur uiri iusti excitentur ad lectio nem sacrarum literarum, & ad Dei potentiam conspiciendam.

Notas quibus seipos prædicantur falsi prophetae.

Nemo admittendus ad prædicandum uerbum Dei nisi missus à Deo.



Nemo assumit sibi honorem, nisi uocatus, ut Aaron. Inter huiusmodi pseudoapostolos grandis est tentatio, & difficilis cautio. Nam uidens pietatem & eandem religionem simulantem & eodem itinere pergentem, uersantem item semper in ore uerbum Dei, & interpretis nomen præ se ferentem (cùm scriptura, Ephes. 4. docuerit, Deum prophetas in Ecclesia posuisse, & ex uetere testamento prophetarum autoritas sit sacrosancta) quis piorum facile uitabit horum imposturam?

#### In uestimentis ouium.

Pseudoprophetarum simulationem & hypocrisim notatam colorésque explicat, quibus iuxta faciem & intuitum ipsorum depingi solēt, ut uix discerni possint à ueris Doctoribus, cùm tamen nihil minus præstent. Nimirum aliud simulant quàm reuera sint, Christianos scilicet & prophetas, cùm non sint. Aliud habitu & sermone promittunt, aliud ore demonstrant. Veniunt enim in uestimentis ouium. Vestimēta sunt ouium, quòd omnia ad externam speciem gerant, quæ ueri Christiani & cõcionatores docent, hæ sunt uestes ouillæ, nempe ita prædicare, ita scripturam adducere, ut pro uera doctrina cõsecatur. Speciem habent pietatis, cùm sint pietatis hostes. Deum patrem, Euangelicam doctrinam, regnũ cœlorum habent in ore, cultus est uilis, ora pallent ieiunio, corpus habent attenuatũ macie, prolixè orant, largiuntur pauperib⁹, erudiunt populũ, & interpretantur sacros libros, scilicet: atque harũ rerũ imagine personati ueniunt ad uos, uelut ouilla pelle tecti, sub qua uirus suũ uomunt, & animas hæresi inficiunt. Nã lana semet tegunt, & cauent dicere, hoc dico, sed ita, Charissimi amici, hoc dicit Christus, hinc habetis uerbũ & scripturã, hoc uobis saluari cupientibus credendũ est, quòd Missa sola est memoria cœnæ dominicæ, hinc solũ panis est, non Christi corpus. Nam hoc est uerbũ Christi purum, Hoc facite in mei commemorationem. Ergo solũ est memoria. En uide pie lector, sub ueste ouilla, id est sacra scriptura, malè interpretata, quomodo hic falsus propheta uirus suum, hoc est hæresim spargit, ut oues à Christo & caulis eius desciscant. Aduersus hanc hæresim fusius scripsi in 6. cap. Ioannis De ueritate corporis Christi in eucharistia. Sub ouilla pelle & prætextu subueniendi pauperibus, ut nemo mendicet, suadent monasteria destruenda & monasticę disciplinæ professores à sua professione deficere, quorum bona & diuitiæ in thesaurum recondentur, ut omnes sustententur pauperes. Non tam reuera eo animo faciunt, ut pauperibus subueniatur, quàm ut monastica uita aboleatur, in qua quod sanctum est & tam magno omnium piorum consensu probatum, seruari, abusus uerò & apostasias tolli uelim.

#### Intus autem sunt lupi rapaces.

Ab his qui libidine, luxu, fastu, auaritia reliquísque cupiditatibus ludentes, arisum insanum ridentes tendunt in exitum, facile est cauere, & nihil piis periculi est, si quidem illos sequi non error est, sed insaniam. Sed ab his quos tui simillimos & pietatis studiosissimos putas, cùm sint hostilissimi & à pietate alienissimi, periculosissimum est. Quid quæso periculosius perniciosiusue ouiculis, quàm lupum rapacem ouilla pelle tectum, imò ouem creditum, in tectũ & stabulum recipere? Nihil est negotij lupum ab oue dignoscere, si uterque suam edat uocem, si uterque sua pelle tectus ueniat. Quid autem facias, ubi lupus ouillo uellere, ouilla uoce ouem simulans, irrepserit in ouile, non ut ouis fiat, sed ut crudelius oues dilaniet? Si manifestus lupi occursum uix sine damno cauetur, quid fiet si occultus fuerit ouilla pelle tectus? Hæreticus lupus est, accepto uellere ouillo, hoc est sacra scriptura & simulata pietate, mutat uocem, & Christi nomen profitetur, Euangelicam doctrinam semper in ore uersat, dicēs Paulus habet, Iacobus ait, Matthæus scribit, Ioannes docet, Bonus pastor noster Iesus Christus apud Lucam hortatur, Marcus clamat, Dauid psallit, Esaias prædixit, huc omnes prophetæ spirant. Sed

Signa et notę dignoscendorum hæreticorum huius calamitosi tēporis.

Hæretici oues monasticę uitæ.

Insanit qui doctrinã hæreticorũ suscipit.

Nihil periculis amicos simulato.

Hæreticus lupus est ouilla pelle tectus.

ut incautus aspergat hæreseos suæ uenena, simulat opera pietatis, quòd magis aliorum simplicitate ad suas cupiditates abutatur, ad eò ut in eum quadret uctus illud adagium, Crocodili lachrymæ. Ferunt hanc esse naturam crocodili, ut cùm fame stimuletur, & insidias machinatur, os hausta impleat aqua, quã effundit in semita, qua nouit aut alia quepiã animantia, aut homines aquatũ uenturos, quo lapsos ob lubricũ descensum, neque ualētes aufugere, corripiat, correptosque deuoret. Obserua. Lupus rarò in bonam accipi partē, ut cùm de diuo Paulo in bonũ acceptum legimus, Genes. 49. Ben-iamin lupus rapax: sepius autem in malam partem accipitur. Nam aut diabolus notat, aut pseudopropheta & impios doctores. Ioã. 10. Lupus rapit & dispergit oues. Item hypocrisis dolosus, ut in hoc capite. Item dicitur persequutor Ecclesiæ. Lupus natura rapax, prædæ inhians ac sanguinolentus, uespere tamen longè rapacior est, quum totum diem cucurrerit, & ita ad uesperã famelicus sit, ut idem sint uespertini lupi quòd famelici, qui diu cibum non gustarint. Ut & Sophoniæ. 3. dicitur de falsis doctoribus uel principibus, Pastores illorum sunt lupi uespertini, qui nil residuum ad mane sinunt. Sic & Abacuc. 1. cap. Equi eius uelociores sunt pardis, & festinantiores lupis uespertinis. Nò quòd lupi sint sua natura uelocioris cursus præ cæteris animantibus, sed quòd festinent & auidè ad prædam inhiant, dum fame diuexantur, & minore misericordia lacerent & prædentur. Assimulat itaque eo in loco propheta Babylones pardis & famelicis lupis, quòd festinent & urgeant ad prædandam & perdendam terram Iuda. Et id scribit ut hac comparatione terreat, & ad emendationem sui populũ illectet, & allicit. Huc pertinet exhortatio Pauli, Act. 20. cap. de lupis famelicis & grauib⁹, quos prædixit, non paruos gregi Christiano. Obserua. Non ait, qui ueniunt ad uos in luporum pellibus, aut hastis, uel dentibus: nullũ enim uirus aperiẽtẽ citra scripturam prædicat, nam eo modo facilè possent agnosci. Sed nedum externis operibus sese comunt, uerũ & sacra scriptura, qua Deus animas nostras uestit & induit. Vnde in speciem uidetur sacra scriptura dici liber hæreticorum, non quòd in ea aliquid contineatur hæreticum, cùm omnia quæ sunt in bibliis sint uerissima, purissima & castissima, sed quòd hoc libro hæretici potissimũ nitantur. Neque enim alius est liber, quo ad eò hæretici abutantur, atque hic: sed scripturam deprauant ad suam ipsorum perditionem, 2. Petri. 3. cap. Neque ulla unquam hæresis tam mala aut rudis fuit, quæ se scriptura sancta uel iuuare uel defendere noluerit, tanta est istorum uersania, iniustitia, & cæcitas. Quare opere pretium est nos promptos, & instructos esse aduersus huiusmodi ouillos lupos, ut nò facile illorum splendescente uita permoueamur, etiam si scripturam nobis conetur introducere. Indubiè nanque rapaces lupi sub his delitefcunt: & ubi putatur quòd nos cibent, & saturent, ipsi nos laniant, occidit & deuorant. Atqui hoc nemo facile agnosceret & iudicabit, nisi spiritalibus oculis. Plebs aut uulgus nò id præstabit. Hoc ipsum igitur præstet non solũ pastor cui commissus est grex Dominicus, sed & hi quibus est munus uerbi prædicandi commissum. Hinc fortiter pugnãdum est, hæc pugna fortes & infractos equites, hoc est puro uerbo Euangelij uictos milites deposcit: uentum est in eam rei necessitatem, ut fugiendum non sit. Maximum profectò & difficillimum bellum esse intelligo, scripturam aduersus scripturam pugnare, gladium alteri è pugnis extorquere, ac suo illum ense iugulare, ipsũque occupare, gladium illi è manu excutere, exarmare, ac suis illum armis rursus cedere: quod nemo præstat, nisi qui Spiritu sancto illuminatus fuerit, ut nequam hunc & nebulonem ac tenebricosum hominẽ uideat. Proindè uellẽ lubs in hoc negotio certissimam haberemus regulam, in primis quam docet Ioannes. 1. Ioan. 4. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. In hoc cognoscitur spiritus Dei, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est: Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo

Lupus natura infestus pecori, infestabilis, rapax, auidus, sanguinis appetens.

Sacra scriptura est liber hæreticorũ, quo abutantur in sui & auditorum perniciam.

Calamitas huius temporis exigit, ut uiriliter aduersus hæreticos in dimicatione ueniamus, ut incolumes cõseruemur.



non est, & hic est Antichristus. Alteram regulam diuus Paulus, Roma. 12. tradit dicens: Siue prophetiam secundum rationem fidei, hoc est si quis habuerit prophetiam, hoc est scripturæ interpretationem, sit ea analogæ fidei, hoc est sit consentiēs catholicæ fidei & orthodoxis doctoribus, id est ut uniuersæ doctrinæ sint conformes catholicæ fidei, & non impares, ut præter fidem, & ea quæ ad fidem pertinent omnino doceatur nihil. Iam cui fides non est, neque Christum agnoscit, nec doctrinam iudicare potest. Carnales enim homines huc non pertinent, qui sapientes & in mundi rebus solertes sunt. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Sed pia spiritualia corda intelligunt, doctore Paulo. 1. Corinth. 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

#### A fructibus eorum cognoscetis eos.

Occupatio est. Queri poterant, & obicere: Cum ea tantum sint nobis nota quæ foris patent, & nihil eorum agnoscamus quæ animo premuntur: sunt autem pseudoprophetae foris oues, intus autem lupi rapaces: quomodo illos agnoscamus, ut ab illis caueamus? incognitos quomodo uitabimus? Ex fructibus eorum (respondet Christus) cognoscetis eos. Quasi dicat, Facile deprehendetis simulationis prestigium, si propius inspexeritis, non titulum & uestem, sed ipsa facta quæ produnt animum insyncerum. Externa opera & gestus sunt illi fructus. Huc uerò spirituales oculi requiruntur, ut uera bona opera rectè cognoscantur, quæ Paulus Galat. 5. enumerat, ubi inquit: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitie, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comestiones, & his similia. Porro ubi opera probè discernere poteritis, ne scintillulam quidem charitatis in omnibus eorum operibus reperietis. Docent quidem interdum bene, tamen hoc ipsum quod docent, non præstant. Est profectò suus cuique arbori peculiaris fructus qui sapere prodit radicem, unde si attentius pseudoprophetarum mores & uitam obserues, reperies illos Suffenos, sibi placentes, suis commodis ubique seruietes, elatos, uindices, inuidos, obrectatores, auræ popularis sitibundos, nonnunquam & uentri deditos, & omnino suum negotium agentes, potius quam gregis aut Euangelij. Proinde fructus Euangelicæ arboris (si gustare delectat) sunt, animus alienus ab omni fastu, lenis, & uindictæ minimè appetens: animus item omnium huius mundi uoluptatum, similiter & opum cõtempitor, injuriarum immemor, & sitiens esuriensque pietatis Euangelicæ: animus ab illecebris & omnibus cupiditatibus purus, non aliò quam ad Deum respiciens, nihil non periculi paratus subire, modò Euangelicam doctrinam prouchat: animus qui bene uelit etiam maleuolis, qui bene mereatur etiam de male meretibus. Qui hos fructus uerè præstat, is demum est arbor bona seu Euangelica. Qui uerò se iactant prophetas, & hoc titulo se uenditant, qui cultu pietatis se fingunt oues, cum affectu sint lupi rapaces, ab illis fructibus sunt æstimandi. Nolite iudicare secundum frondes, & corticem: hæc sæpè cõmunia sunt agrestibus cum mitibus, salubribus cum pestiferis. Certè gustato fructu deprehendes, qualis sit arboris succus. Quod si uideritis in his auaritiam, arrogantiam, liuorem, ulciscendi libidinem, & id genus quæ ex diametro pugnant cum fructibus Euangelicæ arboris, nolite expectare ex iisdem arboribus aliquid boni fructus proditurum. Nam

Nunquid

Falsi prophetæ sunt laudis cupidi, auari, superbi, uentri dediti, uindictæ appetentes.

#### Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus?

Argumento ab exemplo & simili probat Christus uim ingenij, non sic in homine latere, quin sese prodat. Ut spinæ uuas producere nequeunt, neque e tribulis & carduis colliguntur ficus: ita non fit, ut ex pseudopropheta carnali, Spiritum colligas: & ex bono propheta & spiritali falsam doctrinam audias. Quod enim natum est ex carne (Ioan. 3.) caro est: & quod natum est è spiritu, spiritus est. Nudis & simplicibus uerbis comparisonem ponit, quam puer etiam queat intelligere. Neminem enim ita rudem & uerborum esse arbitror, qui nesciat spinas nec ficus, nec uuam producere. Quamlibet uerò uerba sint simplicia, intelligenda tamen est uis uerborum, & in quo sita est in hoc scilicet, ut intelligatur, quid bonam aut malam arborem & fructum uocet. Paulò antè docuimus falsos spiritus siue pseudopphetas tribulos & malas arbores dici, quorum opera præceptis Dei contraria ostendunt, quales sunt. Nam qui in his rectè iudicare uoluerit, ille sicut Christus iubet, faciat, ipsorum opera sibi expendenda proponat, & fructus censendos, quos cum uerbo & præceptis Dei conferat, & mox indubitè uidebit, quam aptè quadrent, & illis respondeant. Obserua & inspicie hoc loco duas illas arbores, nempe ficum & uitem: & contra, spinas & tribulos. Ficus arbor simplex est, nihil semet iactans, aut superbiens fructu & foliorum ubertate, ac lasciuia: nec prius protrudit, quam fructus in procinctu est. Ita quoque uitis (quæ & ipsa inter arbores censetur) omni splendore caret & magnificentia, ut nulla alia ex arboribus, non nisi aridum lignum esse uidetur, & tamen mellitissimas uuas producit omnium arborum præstantiam exuperans. Ita pij prophetæ coram mundo, neque nitent, neque splendunt: attamen fructus omnium optimos proferunt, & utilitatem maximam exhibent, sed coram Deo, & his qui spiritualibus oculis sunt illustrati, quique eos rectè intueri & iudicare possunt. Spinæ autem & tribuli uirent ac frondent: sed cuiusmodi fructum proferunt? Multimodè quidem florum & foliorum luxuria exuberant, ac lasciuunt, quasi merum zaccarum sint producturæ, neque tamen cultoribus apportant aliud, quam eiusmodi amaros fructus, qui nullius momenti sunt. Ita hic quoque illi pseudopphetæ splendorem obtinent, magnificis uerbis semet effertentes, ac singularia opera iactantes, quasi soli essent omnium optimi. Delapsis autem floribus, tum bacca & lapidosa corna apparent, quæ neminem alunt aut pasunt: aut tribulorum capita tantum, pungentia & lacerantia, si tangantur. Comparato enim cum his præcepto Dei, & num hæc opera præceperit, & mandauerit rectè animaduerso, tum planum fiet, illa opera, siue spinas & tribulos, nullius esse pretij, sed tantum bonis & rectis fructibus esse impedimento. Ideo iam dicit Dominus, nunquid colligunt de spinis, quasi diceret: Tribuli quidem similiter & spinæ flores habere possunt: sed expecta paulisper, dum tempus percipiendorum fructuum aduenerit, & uide quid inuenturus sis. Alius inde fructus haud colligetur, quam quod decipiantur homines, qui magnos & præstantes fructus sibi promiserant, neque tamen quicquam inueniunt, quo aut ipsi aut alij frui & uti possint. Rursus obserua, quam commodè hoc loco Dominus spinas uocat hæreticos: sicut & in alio loco diuitias, spinas esse dixit. Tenebrosa quidem & obscura senticcta, seu spineta, quæ mox etiam citra cultum & laborem in altum crescunt, pungunt offenduntque uel mediocriter tangentes: his ut peculiaribus domiciliis oblectantur serpentes, optimum semen item flores suffocant. Huiusmodi uideas hæreticos spinas quibus comburentur præ se ferentes, obscuriore vultu & oculis collimatis prodeunt, citra cultum & laborem exerescunt: serpentes, id est Dæmones in ipsis ceu templis habitant, & flores, id est pios, suffocare nituntur. Quibus nisi pij doctores & prophetæ statim obstiterint, statim agrum zizania opplebunt, & oues inficiunt. Sensim enim serpit hæresis, mox latissimum occupat campum, nisi princi-

H

Pius propheta & uitis pulchre inter se comparatur.

Falsus propheta est similis tribulo non nisi amaros fructus apportanti cultoribus.

Falsus doctor cuius spinæ uocatur.



pio aduersentur pij. 2. Timoth. 2. Multi proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cacer serpit. Ecce (inquit Hieronymus) Arrius in Alexandria una scintilla fuit: sed quia non statim est extincta, totum orbem eius flamma depopulata est. Obserua uerè dicuntur spinæ & tribuli, hypocrita. Spinæ quidem, ut occultè carpentes: tribuli uerò, ut uasri & uerfatiles.

**Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.**

Comparationem communi dicto concludit, Omnis arbor bona, fructus, &c. Quasi dicat, Id quod dixi de spinis ac tribulis, sentiendum idem est & de quibusuis arboribus: ita uidelicet de quibusuis hominibus, quorum quisque suo ingenio, quis sit, proderit. Bonus propheta instar est arboris bonæ, & malus malæ. Arbor bona & succum mitem gerens in radice mentis, edit bonos fructus: contra, arbor uerè mala, quibuscunque sit foliis, quocunque cortice, tamen fructus edit malos. Nec possunt hæc inuerti. Cur ita? Natura repugnat. Ut igitur latius expendamus, obseruandum est quòd sicut in arbore iudicatur radix & medulla, ita in homine iudicatur cor. Et sicut in arbore habetur fructus, ita in homine sermo, & quicquid est externorum operum. Iam quemadmodum è fructibus cognoscitur arbor bona ne sit, an mala, bonam ne habeat radicem & medullam, an non: ubi enim quis uidet ficum aut uiam pendere, ibi certè non iudicat spinam aut rubum esse: ubi uerò mora aut baccas uideris, ibi non dices arborem ficum aut uitam esse. Vnaquæque enim arbor è suo fructu cognoscitur: sic & è sermone cognoscitur homo, bonus ne sit, an malus: bonum ne habeat cor, an malum. Ex his facile erit cognoscere pseudopphetas & falsos pastores, modò cognoscere possis, quæ sit inter pastorem & lupum differentia, qui fructus lupi, qui pastoris. Quis quæso eò dementiæ uenit, qui cum uiderit rapacitatem, id est fraudem, dolum & auaritiam, qui non agnoscat lupum, ut ut uestis ouem simulet? Multos huiusmodi in ouili Christi reperies, qui solum seipos curant, spoliū ouium quærunt, nihil de ouibus curantes, nisi quòd, ut se uenditent pro pastoribus, ouillam uestem induunt, ut lupum tegant extrinsecus, quem intus fouent. Boni pastoris est pascere oues, doctore Domino, Ioan. 10. & 21. cap. Item Ezechiel. 34. Pseudoppheta seu falsi pastores, uita ad moribus gloria sitim, autoritatis & magisterij ambitionem, uentris studium, odium ueritatis & illorum qui illam adserunt, non obscure prodent. Hos profectò fructus scriptura pseudopphetis tribuit, ut Roma. 16. 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 11. & 12. Galat. 4. & 5. Philippen. 3. & 4. 1. Timoth. 4. Tit. 1. Nusquam autem plenius describuntur atque. 2. Timoth. 3. 2. Petri. 2. Auaritia, supercilij, ambitionis doli, ac inuidentiæ ubique ferè notantur, etiam apud prophetas, Esa. 56. Hierem. 6. 23. Ezech. 22. 34. Amos. 6. Micheç. 3. Rogabit quispiam. Cum hæc tam nota sint, ut & cæco perspicua sint, quid prodest hoc inseruisse dictum? Respondeo. Hoc dictum eò prodest, nimirum ad consolandos & confirmandos eorum animos, qui in talibus statibus positi sunt, contra uarias tentationes, rationis sensum & aspectum, quòd res plena sit molestiæ, tum in quibus multa mala perpetrentur. Vnde hunc statum multi fugiunt, quasi in illo, propter pericula & insultus mundi, Deo seruire nequeant: sed huc respiciant, Is uitæ status quem Deus ordinauit, & homo qui in eo statu uersatur, & uiuit secundum uerbi diuini ductum, non potest non bonos fructus proferre. Quibus uerbis animum tuum solari potes aduersus incidentes cogitationes. Accidit frequenter tibi concionatori, aut parrocho aut episcopo, ita cogites, Hei mihi misero, qui tam copioso gregi præsum, & cui insurgunt tot molestiarum cunei, quis in hunc statum me coniecit, in quo meram acerbiteriam & molestiam experior? Hac tentatione frequenter tui officij gratia peteris. Sed hæc est machina diaboli, unicuique suum statum ita graue & molestum facientis, &

Sermo index cordis.

rationem humanam excæcantis, ut officium & opera à Deo nobis imposita, ipsique summè placentia, ut bonos fructus bonæ arboris nequeat agnoscere. Atque ita suum ipsius statum & fructus perdit sua impatientia. Quare statum tuum iuxta huius dicti sensum expende, & inspice, ut ex hoc contra tentationem possis ita concludere: Iam quidem certus sum (& est gratia Deo) in bono & salutari statu me esse, qui Deo placet, licet carni molestias exhibeat, multis fordibus & negotiis implicata, quæ omnia tamen libenter deuorabo. Hic enim ea mihi consolatio est proposita, quod Christus dicit, Bonam arborem bonum fructum facere. Quæ uerba de omnibus statibus uerbo diuino confirmatis intelligenda sunt.

**Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere.**

Iesus Christus sua dicta confirmaturus, hoc ex abundantia apponit, & inquit, Bona arbor non potest malos fructus facere: & arbor mala, id est putris, non potest bonos fructus facere. Hoc est, Qui sincero est animo, non potest non factis exprimeret sinceritatem affectus sui: neque rursus qui uitiatum est animo potest ea præstare factis, quæ uerè bonum arguunt. Quid? Nonne Dauid arbor bona malum fructum aduersus Vriam produxit? Et potest uir aut mulier conjugalem fidem frangere. Princeps nonne grassari potest tyrannide? Aut bonus prædicator seductorem agere? Vbi tandem gentium nebulones & nequam homines, quam in omnibus statibus inueniuntur? Quid illud est, non potest, id est impossibile est, ut bona arbor fructus malos ferat? Vbi iam liberum arbitrium? Respondeo. Hoc dictum neque negat, neque tollit liberum arbitrium. Equidem non inficior Dauidem bonam arborem potuisse peccasse, uirum posse frangere fidem conjugalem, &c. Sed nullus horum amplius bona arbor erat, dum talem malum produceret fructum, è statu suo egressus, contra præcepta Domini uiuens. Adam bona erat arbor, sed morsu malæ arboris factus est mala arbor. Rursus ipse mala arbor, pœnitentia mutatus est in bonam arborem. Manens enim in statu suæ uocationis à Deo, & faciens ea quæ is status exigit, non potest mala arbor esse, non potest ex ea radice bona, malus fructus produci. Ideo Christus (inquit) tantum uide, ut bona arbor maneat, hoc est ut uiuax arbori Christo insititius sis: tum ego tibi confirmo, nihil eorum malum esse, quæ ex animo facis. Qui ergo secundum uerbum Dei uiuunt, & quod sibi demandatum est faciunt, ex ea radice nihil mali facere possunt. Quòd si quid mali quoque admissum fuerit, non quidem deliberatè hoc est consultato & cogitato, sed incitiam, & carnis infirmitate factum, non defines esse arbor bona. Erítque uelut in bona arbore ficus uerme corrosus, non quòd ficus à radice, & quantum ad naturam eius non sit bonus, ita hoc quidem corrosus erit opus, sed minutum & non imputatum tibi: aut si (ut dicunt) ueniale sit peccatum facile condonabitur. Sunt itaque ueri & pij Christiani opera bona, ipsa natura, arbore bona existente & ita uiuente, quòd libenter merè bonos fructus faceret, licet nonnunquam carnis infirmitate aut alterius impedimenti interuentu, aliquod malum admissum fuerit, quod propriè malum uideri aut dici non debet, benignitate Dei tectum & condonatum, tantè uirtutis est diuini uerbi benedictio, qua munitus es. Huic non est ab simile quod scribitur. 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

**Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.**

Minatur exitium impiis si perseverauerint in sua malitia, argumento à simili. Priore huius sententiæ parte repurgat & tollit errorem eorum qui putant satis

H ij

Vir bonus, ut bonus est, non potest fieri deterior, non potest non sincere docere & uiuere.

Peccatum ueniale non aufer gratiam Dei.



Vitatio mali & boni operis exhibitio necessaria ad uitam aeternam habendam.

esse ad salutem, si nihil mali fecerint, sed à malo se custodierint. Iam hinc obseruamus non esse hoc satis, ut non faciat fructum bonum, hoc est ut opus malum non faciat, sed requiritur faciat fructus bonos seu bona operetur. Natura comparata est, ut filij patris referant. Ergo si uolumus nos Christi esse filios, referamus parentem oportet. Iam Christus uera uitis, Ioan. 5. non uult infrugiferos palmites, sed frugiferos, qui etiam in uite purgantur, ut fructum copiosorem afferant. Vnde, Matth. 25. maledicti dicuntur, non qui pauperibus bona sua eripuerunt (licet hu iusmodi raptores & execrabiles & maledicti iure dicantur) sed qui non pauperunt illos, & nihil subsidij indigentibus impenderunt. Quid ergo cum illis fiet, qui etiam malos fructus faciunt? Profecto, & qui non edunt bonum fructum, & qui malum faciunt metuunt, ne hoc patiantur à iudice Deo, quod arbor infrugifera patitur ab agricola suo. Quid autem patitur? Exciditur, & in ignem conicitur. Sic quisquis in regno Dei, aut nullum affert fructum, aut fructum edit indignum sua professione, nisi respicerit, in ignem aeternum abiicietur. Obserua. Si discipulos in orbem misit non ut otiantur, sed fructum afferrent, & seruum inutilem iubet proici in tenebras exteriores, Matth. 25. cap. rursus Prophetas, Doctores, Episcopos, Parochos & huiusmodi infrugiferos uult caeri, quid quaeso dicendum est de his qui etiam malos fructus faciunt, quanto magis ex horto excidentur, & in ignem mittentur? Cur ita? Quemadmodum mala arbor duplici nomine noxia est, & ob id exciditur. In primis quod mala arbor locum occupat, quem occupare debebat frugifera. Deinde quod suo malo fructu incolumitati hominum incommodet, & damnum afferat. Ita pseudoprophetae &c. qui simpliciter infrugiferi sunt, nullum edentes fructum, hoc nomine mali dicuntur. Primum quod locum occupant boni pastoris, deinde, quod sui erat officij, non faciunt. Sicut non solum censendus est malus pastor, is qui spoliat oues, sed & qui illas pascere negligit. Duplici pariter nomine malus censendus uenit, qui malos producit fructus: cum quod bonis fructibus non iuuat Ecclesiam, tum quod malis etiam perdit. O mores! o tempora misera, & horrenda! Si quis oues haberet, non committeret gregem suum ei qui nomine tenus tantum pastor esset, & pascere gregem ignoraret. In iurata (ut ita loquar) ciuitate non fertur qui de artificis & edificatoris nomine duntaxat gloriatur, nihil habens de arte edificandi. Si quis uendit se esse ludimagistrum & pueros erudire nescit, etiam si doctum vicarium siue hypodidascalum ad id muneris recte obcundum habeat, non sustinetur: & tamen fertur imò defenditur amplissimisque honoribus euehitur, qui non solum nec scit nec uult pascere gregem, sed etiam uita & moribus euocat animas à pietate, tantum abest, domum Domini aedificet. Studiosus tamen sui muneris in hoc commendatur, quod enumeranda pecuniae & omnium reddituum prerogatiuas, honores, item titulos Domine Doctor, domine Pastor, domine Comendatarie &c. diligentissimè seruat, nec quicquam horum imminui sinit, tantum est huius optimi pastoris studium ad sui nobilissimi status conseruationem. Cogitent (quaeso & studiosè audiant iudicij sententiam pronunciatam, Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur, quodque iam securim manu apprehenderit, & arbori uitiosae admouerit. Sicut Christus alibi dicit, nec ulli sunt usui, quam ut in ignem tartareum coniciantur. Sic enim memoria proditum, Omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus, eradicabitur. Obserua ex hoc loco duplicem malae arboris, hoc est damnati hominis poenam: alteram qua exciditur arbor, hoc est priuatur uisione beatifica, & consortio sanctorum: & hanc doctores uocant poenam damni, quam Chrysostomus hunc locum tractans grauiorem dicit altera, qua arbor siue damnatus in ignem perpetuum cruciaturque; flammaram infernarum praecipitatur: quam doctores dicunt poenam sensus. Noui (inquit Chrysostomus) quia plurimi perterriti sunt gehennam: ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius, quam ipsius

Soli Ecclesiae regendae proficiuntur indocti, & malis moribus imbuti, egerunt artes habent peritos artis praefectos.

Damnatorum duplex poena, una damni, altera sensus.

gehennae, dico esse supplicium. Et quanuis hoc uerbis uel exprimere uel probare non possum: sciuit tamen hoc Paulus, qui & ideo summam iudicauit esse miseriam atque infelicitatem excidere ex gratia Dei. Et si quis infernos sexcentos statuat, aut plures, nihil est id omne, si conferatur ad amissionem gloriae felicitatis aeternae, ubi audire cogatur illud Matth. 25. Nescio uos. Haecenus ille.

Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Colligit ex superioribus ueluti in orbem rediens. Hoc igitur indicio dignoscetis eos, nimirum ex ipsis fructibus. ubi obserua non dixisse, Cognoscite aut uidete: aut cognoscere potestis, ut ostendat uel minimo negotio etiam citra magnam operam, ac industriam ingenium & naturam pseudoprophetarum cognosci posse, & hoc ex fructibus quales producent uelint nolint, duntaxat hoc uidendum est, ut ab illis caueamus, submoueantur à cura gregis, nec recipiantur pro Christianis, sed pro hostibus, non ut illos laedatis si forte respiscant, sed ut caueatis ne gregi nocent admixti. Nihil est enim perniciosius impietate, cui sanctimonie falsa species fidem addit, & auctoritatem. Obserua: Opera & obseruatio mandatorum Dei sunt fructus bonae arboris, quae uerò aduersantur mandatis Dei sunt mali fructus, qui bus facile seipfos produunt pseudoprophetae.

Fructus bonae obseruatio mandatorum Dei.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum caelorum.

Pergit Christus superiore alegoriam apertius declarare simul & exitium ac sententiam aduersus istos sanctitatis simulatores, & hypocritas pronuntiare, quos caelo excludet. Horrendum auditum & uisu terribile est hoc iudicium, neminem profundius in tartara missum iri, quam magnum istos scilicet qui ore tenus tantum, se sanctissimos dicunt, & suo se nomine uendunt, quod battologi sint, clamantes, & solo ore, non autem expuro & Christiano corde, diu nocturne profitentes, Domine Domine, & simulantes se Dei ministros, idque apud eos (quibus Christus magni est) quatenus sese sub Christi & Euangelij nomine uendunt & se Christi ministros praetexant. Hac ouilla uoce & habitu incedentes, ac dicentes, Unicus praedicator Christus, Purum uerbum & Euangelium annuntiandum, nolo alterius quam sacrae scripturae auctoritatem adferre: audies autem in ore eius uersari haec uerba, Paulus habet, Matthaeus scribit, Praeceptor noster Iesus Christus ita apud Ioannem monet. Quis, quaeso, non audiet praetextentem uerbum Dei? Quis ab huiusmodi caere desiderauerit? Vide opera hoc est fructus, & facile uidebis. Audies quidem dicere, sed non facere uoluntatem patris caelestis: audies plerumque allegantes scripturam, sed falso interpretantes & lacerantes. Aut si quandoque recta docuerint, illa tamen operibus non exprimunt. Non enim qui dicit mihi Domine Domine, &c. Quasi dicat, Non omnis qui me uerbis duntaxat profitetur, dignus habebitur regno caelorum. Neque enim titulus Christianum facit, sed uita: neque protinus eos pro discipulis agnoscam, qui mihi religiosi in speciem uerbis dixerint, Domine Domine, quum re ipsa longe alijs Dominis seruiant, Mammonae, uentri, ambitioni. Obserua hoc loco Christum nihil aliud uoluisse his uerbis, non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c. exprimere, quam cum qui se seruum Christi simulat, non esse uerè suum ministrum. Ut cognoscamus quod obseruatio legis, & sententiae eius, non tantum externa, sed perfectissima & absolutissima à nobis exigatur. Vnde ad legem perfectè implendam, & ad regnum caelorum merito iustitiae suae possidendum non sufficit me uocare Domine Domine. Hoc iuxta phrasim Hebraeorum dictum est, qui appellando Deum, maioris honoris gratia dicunt, Dominator Domine. Hoc ergo loco, uocare Deum, Dominum Dominum, est, orare in multiloquio, iuxta sensum superius expressum: est simu-

Vna cum fide opus est integritate uita ad assequendam uitam aeternam.



lare se seruum & ministrum Dei. Obserua. Hoc loco regnum cœlorum non sumitur pro Ecclesia in terris adhuc existēte, quemadmodum capitur infra. 13. cap. sed pro uita illa aeterna & futura. Colligamus ex his summam uerborum. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, id est non omnis qui legem in speciem facit & externo tantum opere, &c. Vbi obserua sermonis Hebraici proprietatem, quæ quod exaggerat, congeminatione auget, quod genus illud apud Hieremiam cap. 7. legitur, Templum Domini, templum Domini, &c. Vt ergo diligenter pseudo-prophetas hypocriseos notet, non semel tantum dicit Domine, sed ingeminat illam dictionem, ut magnam exprimat hypocrisim eorum qui appropriant Domino labiis suis, cum corde sint remotissimi. Tales erant illi tempore Esaia. 29. & tempore Christi, Matth. 15. Obserua. Quia hoc loco nudam reicit fidem Dominus, intelligendum est, cum scriptura de fide, inuocatione, credulitate, confessione & huiusmodi loquitur, aliquando illa accipi simpliciter, non coniunctis operibus, ut apud Paulum, Corinth. 13. Si fidem habuero. Et apud Iacobum reicientem fidem operibus uacuum: interdum uerò sunt opera coniungenda, nec scriptura accipienda est secundum literam & corticem. ut Ioel. 2. Omnis qui inuocauerit nomē Domini saluus erit. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Inuocatio hæc non solo ore fieri debet, sed ex affectu cordis, confessione oris & protestatione operis. Sic etiā inquit propheta, Iustus ex fide uiuit: & Rom. 5. Iustificati ex fide: non intelligenda est ibi fides nuda & mortua, sed uiua quæ per charitatem operatur. Considerandus est locus qui præcedit & sequitur cum scopo autoris. Et hæc est una clauis scripturæ.

Fides plerūque in sacra scriptura comprehendit opera.

Sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Ferit, repellitque Dominus, & è regno cœlorū excludit, qui solam & nudam fidem iactāt, nihil interim opera curantes: uolens non solum sciamus, aut dicamus uerbum uoluntatis paternæ, sed etiam opere compleamus, hoc est ut non tantum uerbo dicamus, Domine Domine, sed & opere ipso exhibeamus nos eius ministros. Vtrunque enim seruis Dei necessarium est, ut & opus sermone & sermo operibus comprobetur. Implenda est patris cœlestis uoluntas, quam ut impleret, eò se descendisse dicit Ioannis. 5. & 6. Hoc olim præcepit, Deuter. 6. Audire uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni uia, quam mandauit uobis, ut bene sit uobis. Paulus quoque ad Romanos 2. cap. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et 1. Corinth. 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Infra 19. Vis ad uitam ingredi, serua mandata Dei. Porro uoluntas patris est expressa in lege Moyfi, quæ lex antè quidē per Prophetas, nunc autem per ipsum Christum ita explicata est, ut perspicuum sit eam esse spiritalem, & requirere non solum externam operam, uerum etiam affectum internum & spiritalem, hoc est quod te ad uoluntatem patris ex animo comparare studeas, ac his quæ Dominus mandauit magno studio incumbas, etiam si perfectè omnia non perficias. Dum tamen perfectam legis impletionem, seu Dei dilectionem expectamus, nostris operibus piis subscribamus, quod pictor ille Apelles solebat adpingere, faciebat, nō fecit. Ambulemus semper in uia Domini facientes & operantes, ut quæ in ea faciebamus completa & perfecta in aeterna uita habeamus. Rogat Chrysostomus, cur non dicat Christus: sed qui facit uoluntatem meam. Et respondet illud fieri propter infirmitatem audientium, quibus nondum cognitum fuerat eandem esse Christi & patris uoluntatem: atque ideo ponere illud quod minus erat offensiuum. Rursus huc missus erat, ut faceret uoluntatem patris. Ioan. 4. 5. & 6. non suam, hoc est non priuatam. Vnde propter formam serui acceptam, &

Opere & sermone implentur uoluntas Dei legislato- ris.

grandem tapinosin omnia ad patrem refert. Imò hoc sermone ostendit, eum patris uoluntatem facere, qui Christum Dominum non solum uerbo, sed & re ipsa coluerit, sibiq; ex animo ministrauerit, iuxta illud, Qui me suscipit, nō me suscipit, sed eum qui misit me. Et sermo quem loquor non est meus, sed eius qui misit me. Obserua uerum & genuinum ministri Christi ingenium esse, ut faciat uoluntatem patris, hoc est totus in hoc sit, ut ex animo Christo seruiat, nihil querens nihilque in uotis habens, quàm ut regnum Christi promoueatur. Dignabitur ergo Christus regno cœlorum, qui uerè repudium miserunt terrenis cupiditatibus, & ex animo obtemperant uoluntati patris cœlestis, cuius uoluntatem nobis prædicauit: siquidem ab illo est quicquid nos docuit Christus.

Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine.

Gravis est hæc comminatio, qua ab hypocrisi deterret, & suos ad studium pietatis incitat. Multos dicit, ut cautiore sint discipuli ne terreantur multitudinem hypocritarum, & attentiores sint, ne protinus credant quibusvis, quoniam futurum est multos aduenturos hypocritas, nomen Christi profitentes, & miraculis ita conspicuos, ut nemo alios putet, quàm certissimos esse regni Dei ministros, tanta illorum erit hypocrisis & simulatio sanctitatis, quum tamen illos nūquam pro suis habiturus sit. Clamabunt quidem Domine Domine, hoc est inuocabunt me cum ea fiducia qua etiam hypocriticè in mundo uiuentes putabant se certissimos esse de regno cœlorum. Quando clamabunt? Proculdubio nimis tardè, quado neque meriti neque demeriti tempus erit, nimirum non proderit nomen meum inuocatum, Domine Domine, his qui spiritu factisque meis caruerint in illo die, quum non iam humano iudicio quod sæpè fallitur, sed diuino, pro suis cuique meritis di. præmia designabuntur, & separabuntur oves ab hædis: ut nec illa sint eis profutura, quæ nomine uerorum discipulorum simulauerunt.

Mortuo non relinquitur locus mercedi.

Nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiicimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus?

Mimeticæ est hæc oratio. Verba enim hypocritarum & pseudoprophetarum recenset. Multi in illo die metu territi uenient, & agnosci iam cupient apud Deum, quum apud homines simulauerint, præcipuos quosdam & eximios discipulos Christi, Euangelique præcones, dicentque mihi, Domine Domine non agnoscis famulos tuos? Nōne per tuum nomen futura prædiximus? Nōne per tuum nomen dæmonia profligauimus? Nōne per tuum nomen, uenena, morbosque pepulimus? Nōne per tuum nomen alia prodigiosa quædam, ac stupenda multa fecimus, atque his factis nomen tuum illustrauimus? Tot argumentis docuimus nos esse tuos, & nunc non agnoscis? Tunc confitebor & illis, id est tunc audient ex me tale responsum, Nunquam noui uos. Quò facilius hæc intelligamus, cognoscendæ sunt uerborum significantiæ. In nomine Christi, idem est atque uirtute & numine Christi. Dei enim nomine in scriptura ipsum Deum, uel potius maiestatem & gloriam eius designari constat. Psal. 8. Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra! Vnde omnino orationes istæ, per nomen tuum, uel in nomine tuo, aut propter nomen tuum, & huiusmodi, cum sensum habēt Hebræis (à quibus ueniunt) quem illæ nostræ, Oro tuam maiestatem, tuam reuerentiam, maiestati, præstantiæ, uel reuerentiæ tuæ placeat, & ut enim his nihil plus dicitur, quàm si diceretur, oro te, & tibi placeat: nisi quòd hoc modo simul honorare uidemur eum, cui, uel de quo, ad hunc modum loquimur: ita cum Christus dicit patri, Manifestaui nomen tuum, perinde est ac si dixisset, manifestaui te. Ita cum idēdem in scripturis dicitur, Libera nos propter nomen tuum, idem est ac si diceretur, Libera nos propter te ipsum. Sic quod alij hoc loco dicunt, Nōne in nomine tuo prophetauimus, idē est ac, Nōne per te, tuo nomi-

Dei nomine hic uirtus Dei intelligitur.



ne & uirtute prophetauimus. Prophetare in primis accipitur tã pro præteritarum quam futurarum rerum enarratione. Hoc modo Moses dicitur propheta. Secundò est futura prædicere, res diuinas agnoscere. Tertiò est uerbo ad uerbum prophetiam enucleare, hoc est exponere, res diuinas denuntiare, & psalmos ac uerba Dei canere, spiritu doctore & duce. Quartò accipitur ut satis nobis est hïc, sicut Paulus. 1. Corinth. 14. usus uidetur, nempe pro prædicare, sensum scripturarum populo aperire, docere, monere, consolari, arguere, increpare, & ex peculiari afflatu spiritus Christi de mysteriis Dei ad profectum pietatis auditoribus differere. Huius pars quædam est præsentio ac prædictio futurorũ antè etiam reconditorũ, pars, & quædam diuiniore de Deo ac pietate dexterius differendi facultas. Sic enim Paulus ait, Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem, id est, prophetæ officium est, sacrarũ literarum sensum, quem à Deo didicit, populo depromere: deinde demoliri & eradicare quicquid contra Deum erectum erat: plantare & ædificare, quicquid Deo placet: vigilare ne in populum Dei irruat quid noxium. Loquendo enim uerbum Dei uel ædificat, dum quæ fidei sunt docet: uel cohortatur, ut pergant qui in Domino ceperunt: uel consolatur, ne frangantur, quos crux Domini durius premit. Virtus interdum pro potentia, maiestate, autoritate, & dicendi libertate accipitur. Ut ad Hebr. 2. & Act. 4. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi. Hoc loco uirtutes multas dicit, ut intelligas potenter facta quæ uim diuinam demonstrant. Ex his liquet, spiritu Christi etiam hypocrisis quosdam in initio Ecclesiæ, mysteria regni Dei docuisse, dæmonia eiecisse, aliãsq; uirtutes perfecisse, inter quos certè Iudas, Demas, ac alij plerique fuerunt, quos Paulus à ueritate aberrasse queritur. Proinde hæc dona Dei (quæ à theologis gratiæ gratis datæ uocantur, & nec iustificat hominem) sunt clarissima. Quæ (ut Christus his uerbis significat) possunt quidem reddere hominem coram hominibus illustriorem: non autem reddant eum coram Deo iustiorum, nec impleant legem Dei, nec mereantur dignitate sua uitam æternam. Vnde cum apud Lucam, 10. ca. septuaginta discipuli redirent ad Christum, & gloriarentur quòd etiam dæmonia subiicerentur ipsis per nomen eius: Respondet illis Christus, Ecce do uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocbit. Veruntamè in hoc nolite gaudere quòd spiritus uobis subiiciuntur, sed gaudete quòd nomina uestra scripta sunt in cælis. Et si donum eden di miracula, esset impletio legis & iustificatio, cur Christus iuberet apud Mattheũ cap. 24. fugere pseudochristos & pseudopphetas, qui tanta signa & prodigia edidituri sunt, ut in errorem inducantur, si fieri possent, etiam electi? & Paulus ad Corinthios. 13. scribens. Si habeam prophetiam, & nouerim omnia mysteria, omnẽque scientiam, & si habeam omnem fidem ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil sum. Hoc loco Paulus insolentiam Corinthiorum quam ex miraculis cõceperant repressurus, omnibus postpositis miraculis, unam exigit charitatem. Mirabitur fortasse quispiam, quomodo homines impij quos Christus nunquã nouit, possint tot atque tanta facere miracula, idque in nomine & uirtute Christi. Respondeo. Deus nõnunquam uera signa homines malos & impios facere sinit, sicut Cayphas sacerdos summus, Ioan. 12. prophetauit. Et Balaã, Numeri. 24. Neque inficiandum est, Iudam proditorem, & alios non paucos discipulos qui etiam à Christo defecerunt, Ioan. 6. multa signa edidisse, quales & multos adhæsisse Paulo legimus, qui tamen postea ab ipso relapsi sunt: Quos nihil dubitauerim pro temporis illius ratione miracula patrasse, prophetasse, dæmonia eiecisse. Proinde Ioannes ad hanc quæstionem uidetur multum lucis attulisse, ubi inquit de Caypha, Cùm esset pontifex anni illius, prophetauit. Fieri enim potest (cũ prophetia aut uirtus edendi miracula sit gratia gratis data, & quæ non reddit nos

Propheta  
doctore &  
interprete  
sacra-  
rum lite-  
rarum.

Virtus inter-  
dum maie-  
statem & di-  
cendi liber-  
tatem signifi-  
cat.

Prophetiã  
reddit homi-  
nem meliorem  
& Deo gra-  
tiorum.

Sinit Deus  
impium pro-  
phetare, &  
miracula fa-  
cere, in alio-  
rum utilita-  
tem.

Deo acceptos ac gratos) ut talis in publico officio positus, aut magistratus uaticinetur, & signa faciat, ac præterea multorum honorum & maximæ utilitatis autor sit, multos homines Deo lucrificans, cùm tamen interim pro se malus sit & flagitiosus, haud dubiè (nisi resipuerit) ad diabolum descensurus. Sicut prædicator in publico uersatur officio, & si rem rectè expenderit, talis maxima quæque opera facit, ad hæc signa & miracula, nullis comparanda, quæ in terris fieri solent. Nam officio suo, quo te per uerbum docet, & sacramentis quæ tibi ministrat ad fidem & charitatem te pertrahit, æque diabolica potestate, & morte perpetua temet eripit, & cælestis regni consortem facit. Quæ opera longè latèque omnia externa signa, & prodigia excedunt: licet ipse à quo sunt incredulus & improbus homo esse possit. Quare in talibus subindè ad uerbum respiciendum est, & secundum eius regulam iudicandum est, & non secundum personam uersantem in officio, sicut Cayphæ summi sacerdotis prophetia significabat Christum sua morte homines à morte, peccato & diabolo redempturum, & hæc uera & præcellens erat prophetia, licet ille eandem uirulento & malitioso pectore protulerat. Ita quoque propheta Balaam, quanquam homo nequam fuerit, quòd malum dedisset consilium, nimirum ad suggestionem eius mulieres Madian deceperunt filios Israël in Beelphegor, rectè tamen ut propheta prædicebat de populo Dei & Christo, & Deus loquebatur per illum. Iam ubicunque prædicator legitime officio suo fungitur, & uirtute illius signa facit, audiendus est. Verùm si exorbitare uelit, & aliam uiam persequi, non amplius uerus prædicator habendus est, sed pseudopropheta. Ita quoque dum Iudas Apostolus Euangeliũ docuit, & signa fecit, quem cõstat fuisse diaboli, etiã Christi testimonio, ea uirtute officii apostolici facta esse negare nõ possumus, nimirum Christi confirmandi gratia, quo homines in ipsum crederent. Et ad hunc modum de omnibus cæteris iudicandum est, quibus officia in Christiana Republica commissa sunt. Neque enim omnes Christiani qui in officio sunt & prædicant boni & studiosi sunt. Hæc enim dona, prophetare, miracula edere, sunt gratiæ gratis datæ, non autem gratiæ gratum facientis. Qualiscunque enim persona fuerit, officium rectum & bonum est, & non hominis, sed ipsius Dei. Sicut Cayphas prophetauit, non ut Cayphas, aut ut homicida & funestus latro, sed ut summus sacerdos. Ita parrochus aut prædicator baptizat, & ad uitam immortalem allatos infantes perducit, non ut Claudius Guillaudus, sed ut parrochus: nam officij honorandi & confirmandi gratia, hæc Deus per ministrum fieri permittit. Cùm itaque Iudas in certo officio publico fuerit, quod Christus ordinauerat: ideo officium in ipso honoratum est, & non persona. Ita quoque in rebus mundanis accidit, sicut inquit Salomon prouerb. 16. cap. Diuinitio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius, id est, Omnia quæcunque magistratus constituerit, recta sunt. Quare quoties facinorosos & maleficos iudicat, & supplicio capitis afficit, Dei iudicium est, quod ipse in cælo pronuntiat, & seruari cupit, licet extra officium hominem interficere interdictum sit. Ita scriptura eos quibus alicuius officij administratio commendata est, non raro prophetas aut uates facit, quanquam secundum suas personas frequenter latrones sint & tyranni. Sicut Salomon iterum testatur Prouerb. 9. Per me reges regnant, hoc est ipsorum leges & iudicium mea sunt, & quicquid officij gratia faciunt rectè regnantes. Nihilominus tamen nonnulli inuerti sunt in mundo latrones, qui iure & potentia sua pro animi sui libidine strenuè abusi sunt: quorũ nomina legere licet in Bibliis, Iustino, Luitio, Valerio maximo & aliis historiographis. Attamen in suo officio manebant, & quod iuris est facere soleat, quanto impensius eadem in spiritualibus tueri studet, quo officium eius uigeat & efficax maneat. Ideo, ut paulò antè diximus, mera sunt ista, & illa quidè magna miracula, quoties parrochus aliquis, Euangelium docet, aut sacramenta

Malitia minist-  
rorum non  
minuit ualorem  
sacramen-  
torum.

Propheta &  
edendi mira-  
cula potestas  
sunt gratiæ  
gratis datæ.

Potestas ois  
à Deo est, a-  
busus uerò  
potestatis ab  
impio.



ministrat, eatenus tamē quatenus Euangelij doctrinam, & sacramentorum usum non nitiat & adulterat, siue bonus ipse fuerit siue malus. Et quanquam ipse uelut ipse huius thesauri non sit particeps, eundem tamen is consequitur, qui uerbum accipit & credit. Proinde in huiusmodi duo probè discernenda & segreganda sunt, officium & persona, ne ob personam officium reiiciatur & contemnatur, sicut fere accidit, ut ubi unus aliquis proba uitae fuerit, sint uicissim uiginti improbi. Sed eò defigendi sunt oculi, num officium & signa eò tendant & seruiant, quibus doctrina laudetur, & confirmetur, ut in Christum credatur: & num cum his conueniant quae Christus dixit, praecipit, & ordinauit. Haec omnia dum uideris, dicito: Haec doctrina recta est, tametsi persona nullius momenti sit, hoc signum accipiam ut conforme doctrinae Christi, de persona nihil laboraturus. Non pauci sunt pastores, praedicatores, & huiusmodi in aliis & aliis officiis positi, putantes Deo suas personas intuendas magis quam officia, & ob id se maxima illa & ardua operari, sed id illis non erit subsidio, quanquam in extremo iudicio uelint dicere & gloriarī: Domine nonne in nomine tuo multa signa fecimus? Dominus enim officiorū gratia & pro ipsorum confirmatione uirtutem hanc & dona personis iuxta suum beneplacitum ad officium uocatis, dedit. Sed haec de publicis officiorum personis dicta sufficiant, per quas signa & miracula fiunt. Rogabis forsitan. Quid de his dicendum est, qui signa edunt & prophetizant, neque tamen sunt in officio? sicut apud Lucam ca. 9. de quibusdam legitur, qui signa faciebant, neque tamen Christi erant discipuli. Mihi dicendū uidetur, ubi uera signa à priuato homine fiunt, credibile est illum iustum & bonum esse: sicut sunt nonnulli qui priuatas reuelationes habet per uisa & infomnia: sed ea signa omnia eò tendere oportet, ut Christum & Euangelium celebrent, & promoueant. Ex his collige signa duplicia quae bona sunt & legitima, primū quae fiunt à probis hominibus & Christianis: Deinde ea quoque quae faciunt improbi, sed qui uersantur in officio & rectè docent. Verūm ut semper ad hunc Lydium lapidem probentur, num edita signa ad laudem & gloriam Christi, & fidei commendationem tendant. Quare contra catholicam fidem nullum signum accipiendum est. Porro hoc unum obseruandum est, quod quemadmodū Deus legem suam per Moysen promulgatam innumeris portentis Iudaeis commendauit: ita Euangelium & Iudaeis & Gentibus commendare uoluit: Vtque frequentia miraculorum illis postquam in terram sanctam uenerunt, paulatim remissa fuit: Ita etiam Ecclesia (postquam in bona orbis parte Euangelium innouit) uirtutes edendi miracula habere coepit rariores: quae etiam magis ad eò ad celebritatem Euangelij, quam ad fidem credentium faciebant. Non enim ex miraculis petenda est fides, sed ex scriptura, iuxta quam, quum aliquid arduum credendum proponitur, dici solet, secundum scripturas, aut sicut dicit scriptura. Potius ad inquirendum de Euangelio animos hominum miracula excitabant quam illi fidem arrogabant. Multi enim innumera miracula uiderant, qui tamen non crediderunt. Vnde id quod Marci ultimo scribitur, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, aliud non fuit, quam sermonem Apostolorum celebrem & admirabilem reddere: ut tanquam diuinus ad se omnes pelliceret. Vt ergo satis celebre Euangelium per miracula euasit, Dominus non abs re miracula in suis operari coepit rariores. Quo nomine, ne nobis displiceamus, tanquam Domino parum accepti, quod scilicet non ea uideremus, & tam frequentia miracula atque in prima Ecclesia, uoluit his uerbis, Multi dicent in illo die Domine &c. commemorare nobis, tam non eximium esse hoc donum edendi miracula, ut impiis etiam hypocritis olim illud dederit: & Ioanni (quo non surrexit maior inter natos mulierum) non dederit. Nam hic nullum signum fecit, Ioan. 10. Deinde obseruandum est hoc, quoniam, ut Paulus, 2. Corinth. 11. testatur, Satan pro sua astutia in angelum lucis sese transformat, ubi uti operum Dei simia agens,

In susceptio-  
ne sacramen-  
torum, offi-  
cium specta-  
dum est, non  
persona.

Initio nascē-  
ris Ecclesiae  
miraculorū  
editio fuit  
necessaria.

quò credentes etiam electos Dei (si fieri posset) à regno Dei impediatur, & excludat. Vbi primū uidit illam miraculorum lucem facere ut promoueret Euangelium, & credentes illa confirmarentur, subornauit & ipse suos Apostolos hypocritas, & subdolos ministros, quibus synceritatem Euangelij corrumperet. Hos instruxit & id ingenii dedit, ut passim sese pro Apostolis Christi uenditarēt. Deinde etiā subtili & fucata arte signa & miracula (falsa tamē) & alia huiusmodi (quae incautis stuporem faciunt) addidit: idque ad eò potenter & copiosè, eaque uehementia & mēdaci specie, ut ad hos nihili uiderentur ueri Apostoli, tantus erat horum fucus, qui tantū effecerunt, ut passim à Paulo reciderent, quos Christo lucrifecerat. Hic est spiritus erroris, falsum miraculum, impostura. Quae omnia sunt ex spiritu Satanæ ad corrumperendum Euangelium Christi. Atque illa Deus permittit apud eos qui dilectionem ueritatis non habent, & non solum non illam admittunt, sed & illam corrumpere contendunt. De qua re habes apud Paulum. 2. Thessal. 2. Quemadmodum & accidit Iudaeis in uetere testamento, & hodie frequentia audies miracula, sed falsa, apud Turcas. Perpetuò enim hoc studio Satan fertur, ut ueritatem uel apertis impugnationibus tollat, uel occultè uitiet & corrumpat. Sed non latius quam quousque permiserit Deus. Exemplum habemus in magis Pharaonis, deinde in falsis prophetis uerorum aemulatoribus, per quos Satan uerū Dei cultum, qui erat per legem Dei, ad innumeram idololatriam, idque adhuc praetextu & sub nomine Dei, perduxit. Iam quia hi impostores, & falsi Apostoli etiā in lege Euangelica finxerunt se non alios quam Christi Apostolos, ut & reliquos praese damarent, dum operarentur admiranda, sed fictitia, non dubito in die iudicii dicturos per admirationem Christo, Domine Domine, cur reiicis nos? cur nos non agnoscis? Nunquid per tuum nomen stupenda & admiranda fecimus? Nunquid in nomine tuo prophetauimus? Quomodo ergo nō agnoscis nos? Sed audient, Nunquam noui uos. Obserua, quantum ad partem prophetiae quae per omnia secula, & apud quoslibet identidem sese exeruit Gentes, tum per infomnia, tum per portenta, tum per instinctum quendam, & afflatum diuinum, denique de imposturis & fallaciis in his, tam hominum quam demonum, non uanum fuerit legere Marci Tullij libros de Diuinatione. Nihil enim negligendum, quod Domini donum esse liquidè constat.

Et tunc confitebor illis, nunquam noui uos.

Tunc, id est in die iudicij, cum hypocritae uolent agnoscere à me, & uerè demum uanitatem suorum studiorum agnoscere, seridè cupient, sed frustra, & nimis seridè mei esse uolent discipuli. Tunc ego illis palam faciam, & extra dubium cognoscēt se prorsus à me ignorari, quem solidè ipsi quoque cognoscere nūquam antea quæsierant, tum, inquam, audient ex me tale responsum, Profectò nunquam agnoui uos, ne tum quidem cum ista (quibus gloriamini) faceretis, quod sincera fide per dilectionem officiosa, careretis. Audio Domine Domine, sed fidelium seruorum animum nunquam sensi in uobis. Audio, multam mentionem nominis mei, sed spiritum meum nunquam expertus sum inhabitasse in uobis. Audio miracula per nomen meum gesta, sed non audio fructus illos proprios & peculiare, per quos uerè discipulus Christi agnoscitur. Tum sentietis uos ter miseri, quod miracula in nomine meo fecistis contra fidem quae per dilectionem operatur, aliasque uirtutes praestitistis, penitus nullius uobis ad salutem momenti futura. Obserua, uerbum Noui, pro dilexi accipi. Hoc enim loco, ait Theophylactus, charitas cognitio dicitur. Hac significatione uerbi usus est Ioannes. 1. Ioan. 2. cap. In hoc scimus, quoniam cognoscimus eum, si mandata eius obseruamus: qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit mendax est, & in hoc ueritas non est. 2. Pet. 1. Gratia uobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Do-

Cognitio p  
charitate hic  
sumitur.  
Deus nō no-  
uit reprobos  
quorum ope-  
ra non appro-  
bat.



mini nostri. Obserua vocem, nunquam, qua cum verbo sequenti omnimodam exprimit abnegationem ac reiectionem. Quasi dicat, Non estis ex electis, nunquam excepi uos in caulas meas, nunquam tracti fuistis à patre meo, nunquam uoluistis audire uerbum meum, nunquam fuistis ex ouibus meis, dum miracula faciebatis.

**Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.**

Terribilis sermo, & horrida sententia, cunctos ueritatis aduersarios & incredulos, quasi gladio ancipiti confodiens. Quasi dicat, Quia nec tum uerè mei fuistis, cum meo nomine uos uenditabatis inter homines, sed sub simulata mei professione seruistis diabolo, discedite nunc à me uos iniqui & prauis, cum iniquitate, impietate, fraude & malitia quibuscū habuistis cognitione: & accedite diabolo, cuius spiritum haustis, cuius uoluntati obtemperastis: ministri estis illius mali, id est Satanae, qui per uos uelut organa sua, iniquitatem suam prae-textu pietatis, & sub nomine meo perfecit. Nunquam enim regni mei consortes erunt, qui in impietate & iniustitia ueritatem detinuerunt, & perseuerauerunt, quocumque etiam titulo fuerint. Rogabit quispiam. Cum daemona eicere nomine Christi, uirtutes item multas eodem nomine facere, sint bona opera, quare uocat hos qui haec operati sunt, malos operarios? Respondeo, Christum non hic loqui simpliciter de omnibus qui miracula fecerunt, & prophetarunt, ut de Apostolis & prophetis sanctis uiris Dei: nec de adulteris, homicidis & aliis huiusmodi per se notis malis, sed de his qui fœtioniæ speciem præ se ferebant, intus autè dolosi, uolentes interim coram mundo primi haberi, qui ad regnum Dei pertineant. Et hos pseudoapostolos Paulus, 2. Corinth. 11. uocat operarios subdolos. Vnde malus operarius non solum dicitur qui quod malum est, facit, aut qui bonum non facit, quod debet facere, talentum sibi concreditum abscondens: sed etiam qui bonum quidem facit, sed animo malo, subdolo, & hypocritico. Cuiusmodi erant Scribae & Pharisei, in suis ieiuniis, orationibus & eleemosynis, de quibus supra cap. 6. & infra 13. ca. Obserua. Non dixit qui operati estis iniquitatem (ait Hierony.) ne uideretur tollere poenitentiam: sed qui operamini, hoc est qui usque in presentem horam cum iudicij tempus aduenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum. Hic locus desumptus ex psal. 6. Conueniunt hæc cum illis infra 25. Discedite à me in ignem aeternum maledicti: Esurij enim & non dedistis mihi manducare. Ut planè idem sit agere iniquitatem, & posthabere dilectionem.

**Omnis ergo qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti qui edificauit domum suam supra petram: & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.**

Pulcherrima similitudine Christus sermonem suum concludit, ac ueluti uice epilogi superiorè sententiæ contra hypocrisim exponit, ut intelligat cum pij tū impij, quæ ruina aut fortuna utrosque maneat: omnis qui doctrinam meam audit, id est legem Euangelicam excipit, & facit, id est ex animo iuxta sensum spiritalem implet eam, ille solers & industrius architectus est, id est uerè discipulus Christi est, non super arenam edificat, similisque est homini edificanti, hoc est sic se per omnia habet, ut homo edificans domum, id est seipsum in habitaculum Deo, qui non super arenam, id est opera in speciem bona, edificat: sed ante firmam petram pro locando fundamento quarit: quarit Christum qui est fundamentum, 1. Corinth. 3. & idem firma petra. 1. Corinth. 10. quo possit firmiter consistere, & uim perferre. Irruentibus tandem tempestatibus & imbribus desuper & externè, & aquarum inundationibus infernè, tum uentorum procellis & turbinibus in medio furentibus, funda-

fundamentum emollire & labefactare conantibus, aduersus omnem impetum illa domus perstat immobiliter, tanquam omnes insultus respuens, hac similitudine nos fideliter pramonitos esse cupit, ut imprimis demus operam omnique studio nitamur, ipsius doctrinam retinere, ne Christum e corde labi sinamus, ut unicum nostrum & firmissimum quidem fundamentum, & salutis nostræ angularem lapidem à Petro, 1. Petri, 2. & Paulo Ephes. 2. ex Esaia 28. cap. dicitur: super hunc fundati & ædificati fide uiua, facillè inconcusi manebimus, diabolus, mundus, & omnes falsos doctores & pseudoprophetas tanquam furentissimos uentos cõtempaturi, ceteraque irruentia pericula, ac omnes difficultates & necessitates quamlibet intollerabiles, nihili faciemus. Is profectò legem implet, ac eius spes & fiducia ipso Christo per Spiritum filiorum solidè nixa confundi non potest. Et ne inferorū quidem portæ, hoc est uis omnis & potestas Satanae contra hanc domum, id est cõtra hunc pium, contra eum quicquam potest. Cur Ita? Quia fortior est is, nimirum Christus, qui in pio agit, quam qui dominatur in mundo. Hanc immobilitatem & soliditatem hac similitudine significatam, Dominus aliàs multis scripturæ locis cõprobauit. In Leuitico Dominus inquit, Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Et in psalmo. 14. Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis stabit: & tandem concludit psalmus, Qui facit hæc, non mouebitur in aeternum. Et psalmo. 118. Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Psal. 124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon, non commouebitur in aeternum. In prouerbis quoque Salomon ait, Quasi tempestas transiens non erit impius, iustus autem quasi fundamentum sempiternum. Sensus huius loci est, eos contra omnes tentationes posse subsistere, qui fide uiua ædificati sunt super Christum Iesum. Qui uenit ad Christum, id est qui credit in Christum, & demum ex ea charitate ipsius præcepta conseruat, fundat domum suam hoc est seipsum, supra petram firmissimam Christum, dum omnia ex fide uiua & nomine Christi operatur. Obserua in hac similitudine, quæ sit uera sapientia, illa scilicet quæ salutem nostram in solo Christo ita collocat, ut nullis periculis queat concuti, nedum deiici.

**Fundata enim erat supra firmam petram.**

Actiologia est, cur tot modis pulsata domus consistat immobilis. Dispexerat ille bonus architectus ante omnia solidum & immobile fundamentum, cui crederet substructionem aduersus omnes iniurias tempestatū duraturam. Tranquillo quidem cælo quoduis ædificium facillè consistit, ceterum hyems arguit structuræ soliditatem. Adueniente etiam hyeme cum suo iniuriarum exercitu, domum oppugnauit, sed mansit immobilis. Cur ita, quia solido nititur fundamento. Prouiderat hæc exoritura ædificator: & ideo imposuit illam solido saxo, cuius præsidio nihil illos insultus metueret. Hæc actiologia docet pios non posse ex seipsis subsistere in tentationibus, sed ideo persistunt, quia ædificati sunt, & durant super Christum solidum fundamentum.

**Et omnis qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, similis est uiro stulto, qui edificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit.**

Declarato ædificio quod est super Christum solidum fundamentum, ualens contra omnes insultus daemorum, alterum adducit ædificium super arenam fundatum. Quo simili uult monere Christus, eos qui sibi confessione oris tantum nomen dederunt, & audiunt quidem uerbum Dei, sed id faciunt nõ ex animo & solida ac uiua fide, stultè & insanè agere. Quod hæc ipsoꝝ hypocrisis & uana re-

Qui unied  
Deum amat  
& eius præcep-  
ta obseruat  
nullis pericu-  
lis potest cõ-  
cuti, nulliq;  
tentationib;  
obruui.



ligio, tandem ingenti ipsorum malo, detegenda & euantura sit. Sicut nimirum imprudenter egerit, qui domum super arenam extruit, quae simulatque uel paululum ui aquae & uentorum pulsatur, corrui tota, magnaue sua ruina, damnatum dat, multo maximum. Cur ita? Quia splendida quidem in speciem erat structura: uerum nitentur non solido, sed fluido & inutili fundamento: habenda est in primis fundamenti cura: ieiunia, eleemosynae, preces, uigiliae, humilis ueritas, denique miracula sunt quidem instar splendidi aedificij: ceterum si animus ista gerentis spectat inanem hominum laudem, si questum, si uoluptatem, ut sit in pseudo-prophetis & falsis praedicatoribus & hypocritis pastoribus, qui non habent fiduciam in Christum, non enim stant super petram, hoc est super doctrinam de Christo proditam, sed super turbidam arenam suae opinionis & somniorum: corruct, non subsistet omnis aedificatio, si quando ingruerit uehemens tentationum procella: ideo mortis acerbitate ingruente, hi ter miseri & stulti homines tum demum sentient, quando ipsis cum diabolo, morte, & peccatis, pugna ineunda erit, quod omnem suam fiduciam, super incertam & fluidam arenam collocarint, & ipsorum status & opera consistere nequeant. Quemadmodum non paucis contigit (proh dolor) qui hoc non dissimulantes senserunt, ita ut praetrepidatione ac consternatione, tum etiam infirmitate conscientiae in mentis alienationem inciderint, & nonnulli in perpetua desperatione permanerint. Eius rei non alia causa fuit, quam quod Christo non fidei sunt: sed suae bonae opinionis, hoc est carni confidebant, & de Christo ne uerbum quidem tenebant, super arenam aedificantes. Quare oremus sedulo spiritum filiorum augeri in nobis, qui impellat & accendat animos nostros cum ad fiduciam in Christum, tum ut gnauissimè, faciendis praecipis Dei incumbamus, & alacri fiducia in uia Domini curramus, ponentes affectus nostros in doctrina promissisque Euangelicis, non ab alio, quam à solo Deo rectè factorum praemium expectantes. Qui huiusmodi affectu & animo ductatur, stabit inconcussus & infractus, aduersus omnes impiorum atrocissimas persecutiones, & omnes magnas Satanæ machinas usque ad illum diem, quum persecutio uictrix malorum, suam feret coronam. Hac similitudine docemur, quae sit uera stultitia, quae spem suam in opinionem humanam & fucos, res uidelicet instabiles & perituras, statuit, quae instar arenae super structum aedificium irruentibus procellis non subsistet. Nomine arenae significatur inconstantia infidelitatis & hypocrisis, qua ore confitentur Christum, factis autem negant. Arena enim res est mobilis, & fluens, quae sine dubio instabilitatem, atque inconstantiam designat animorum. Si enim constantia fidei (ait August.) dicitur petra, rectè & inconstantia infidelitatis arena uocatur, id est idololatria, quae per uarias idolorum culturas semper dispersa est. Obserua in petra Christo aedificare, est audire uerbum & facere. Obserua quod uerbo facit, praemittit uerbum audit, significans multos quidem uerbi auditores, paucos uerò qui facerent. Quod si qui auditores tantum sunt, punientur, quid erit de his qui non solum non faciunt, sed ne audiunt quidem, & audire negligunt, ac contemnunt, damnantes alios qui audiunt, dicentes: Ecce isti omnibus interfunt concionibus, & tamen nihil facti sunt meliores, quasi opprobriantes auditum uerbi Dei loco uituperij, ac mox addentes, Et cur audiremus? Quid est enim si perpetuo audiamus, & nunquam quae faciendae sunt faciamus? Obserua Christum hoc loco simpliciter per augmenta damni & utilitatis suasisse, quid nobis agendum sit, si persistere uelimus perpetuo: & quid incommodi erit, si illud neglexerimus. Quare haec doctrina Christi exigit animum salutis propriae cupidum, & ad illam promptum & expeditum qui praestet quicquid ad illam facere cognouerit: & uitet quicquid contrarium illi deprehenderit. Obserua uerbum cecidit, quo denotatur effectus impotentiae operum, seu fiduciae in opera citra fauorem Dei. Rursus aduerte. Audire uerbum solum non facit Christianum, sicut nec labijs &

Firma petra est ipsemet Christus, uel doctrina de Christo prodita.

Qui ore tantum Deum profiteatur super arenam aedificat.

lingua loqui, aut ore confiteri tantum: sed ex animo credere & amare Christum, hoc est opere ex animo fidenti implere uerbum Euangelij. Obserua hanc similitudinem pertinere ad omnia quae Christus in monte docuit. Atque in his uerbis, Omnis qui audit, & quibus parabolam struxit, repetendum est quod dixit supra. 5. cap. Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, &c.

Fuitque ruina eius maxima.

Horribile iudicium in hypocritas, & uerbi neglectores. Qui uerbum audit & facere contemnit, ruina eius est maxima, nimirum in eo statu cadens, id est moriens, perpetuo prorsus perit, eritque in maiori desperatione, quam si nunquam audisset uerbum. 2. Pet. 2. Melius enim erat illis non cognoscere uiam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Obserua. Vox magna siue maxima indicat altum praecipitium. Commodissimum erat pro diabolo aedificium super arenam, quod facile diruitur & praecipit, deiectis in unum cumulum omnibus.

Et factum est cum consummasset Iesus uerba haec, admirabantur turbae super doctrina eius.

Cum unicus magister caelestis Iesus Christus datus sit mundo, cuius Spiritu afflato sancti Prophetae prophetantes de hoc magistro spiritali, non solum turbis, sed etiam regibus admirationi erant: non est mirum si admirarentur turbae, dum uident, audiuntque tantum praepitorem magna cum autoritate uerba fecisse, eoque declarasse se esse, cui pater potestatem omnis carnis dederit, ut quotquot dederit ei, det illis uitam aeternam. Admirabantur nouum genus doctrinae, admirantes stupent, stupentes laudant, praeterea nihil aliud. Vnde dicebant, Quae est haec doctrina noua? Marci. 1. Et unde huic haec sapientia? Matth. 12. Marc. 6. Magis profecto horum admiratio ad Christi gloriam, quam ad ipsorum fidem pertinet, ait Chrysostomus. Hi more eorum faciunt, qui si tibicinem quenquam praecipuum audierint, ad eius artem attoniti, nihil aliud reuerunt quam stuporem, & illud, quam egregie cecinit! Huic non absimile est quod legitur Ezechielis. 33. Et tu fili hominis, filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros & in ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum, uir ad proximum suum loquentes: Venite & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino. Et ueniunt ad te quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui uertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor eorum. Et est eis quasi carmen musicum, quod suauiter dulcique sono canitur. Et audiunt uerba tua, & non faciunt ea: & cum uenerit quod praedictum est (ecce enim uenit) tunc scient quia propheta fuerit inter eos. Tale quid & Christo hic accidit. Proinde plauderant quodammodo turbae admirantes super doctrina Christi ad Scribarum doctrinam collata, qui tantum frigidis, futilibus ac deliris fabulis scitantes, impendit loquaces erant, nulla uirtute orationis legem Dei tractantes, aut explicantes. At Christus aliter praedicandi officio functus est, his tradendis quae antea fando nunquam audierant, ueram uitam & doctrinam indicans, & uitia reprehendens. Scribae interpretum duntaxat munere fungebantur ad hoc spiritu nullo, nimirum hypocrisis docebant, sua tantum quaerentes. Atque hoc erat quod turbae stupebant uidentes & sentientes ipsum maiorem autoritatem in dicendo praeseferre.

Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribae & Pharisei.

Aetiologia est, Cur admirarentur turbae super doctrina Christi. Quia legem à Scribis & Phariseis obscuratam & enervatam suo loco & nitori Christus restituit.



& declarat, admirantur turbæ. Cùm enim hæc docet, doctrinæ perfectæ uigore & genuina ueritatis uirtute adstantur turbæ, nihil tale in suis Scribis hæctenus experit. Sentiunt itaque ipsius doctrinæ uim, uirtutem & uiam quandam energiam, unde dicere coguntur, hunc cum autoritate aliqua docere populum, cui Scribæ collati inutiles tantùm & frigidi loquutores apparent. Credo firmiter ita factum esse, neminemque piū dubitare crediderim de uigore & occulta ui & energia sermonis Christi seipsum exerentis, dum ab ipso proferretur, adeo ut cōstanter adferendū sit, Quotquot spiritu Dei pollent (p̄sertim si ad docendum alios diuinitus sint delegati) potestātē (& si Christo inferiorem) mirificā tamen habere. Est enim uerbum Dei gladius spiritus. De hac potestate data in ædificationem sibi, non in destructionem, multa & mira Paulus, 2. Corinth. 10. & 13. prædicat. Nam arma militiæ nostræ (inquit) non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinē extollentē se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatē redigentes omnē intellectum in obsequium Christi, & in promptu habētes ulcisci omnē inobediētiā, cū impleta fuerit uestra obediētia. Hanc potestatem siue autoritatē raram apparere coniecturamus, quando apud cūm prædicatores tum auditores (penes quos designatus est Christianismus) opera & facta ex mutua dilectione frigere ac ceu sopita iacere uidentur: cū non in sermone, sed in uirtute regnum Dei consistat, 1. Corinth. 4. Magna igitur necessitas orandi ab optimo patre bonum spiritum nobis immittat, ut uerba factaque nostra (p̄cipuē autem eorum quos ad regendā Ecclesiam Dei, Spiritus sanctus constituit episcopos) energiam & uirtutem spiritus cum autoritate & dignitate (qua Christi gloria adferatur) habeant: quo faciliē ædificare possint pietate, & demoliri queant omnem impietatem, nec vituperetur ministerium ipsorum, neque habeantur contemptui & ipsi. Quod certē & Christi gloriam obscurat, & offendit pusillos, salutēque multorum remoratur. Vnde Paulus diligenter adeo p̄cepit ut à contemptu ministri uerbi se uindicent. Quare Timotheo, 1. Timoth. 4. scripsit, Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, & his simul, & in autoritate debere ministros uerbi esse, & quibus illa comparanda sit, docet. Neque enim ab ulla alia re, quā potentia spiritus, fideique amplitudine & dexteritate stementis feliciter proximis uiam uitæ, petenda erit. Non absimile fere & Tito scripsit, 2. cap. Hęc loquere, & exhortare: & argue cūm omni imperio. Nemo te contemnat. Qui nanque Deum timent, & amant, in pretio habent uerbi ministros. Matth. 10. Qui uos recipit, me recipit: Et qui uos contemnit, me contemnit. Quare quemadmodum prædicatori summæ curæ esse debet, ut Dei uerbum plurimi fiat: ita danda est ei simul opera, ut ipse quoque nequaquam despiciatur, non sua causa, sed ut mandata Dei quæ perfert, suum pondus & autoritatem habeant. Estq; hæc autoritas comparanda à uitæ innocentia, fidei uiuacitate, uirtute spiritus, & flagranti studio gloriæ Dei propagandæ. Obserua cūm dicit, sicut potestatem habēs, hoc est uelut Rex in regno suo habens autoritatem & ius aliquid faciendi. Non ut Scribæ & Pharisei qui sibi uindicabant autoritatem, cū tantūm essent serui, & legis interpretes: hic, Dominus, & legis autor. Non enim dicit, hæc ait Dominus, sed, ego dico uobis. Et in edendis miraculis nō implorat opem patris: sed ait, Adolescens tibi dico surge. Patris non propriā doctrinam docebant, hic propriam docet, quam sua potestate miraculis confirmat, & dæmonibus imperat. Vnde uidentur uerē docere, sicut potestātē habens. Ex superioribus colligimus, Scribas & Phariseos persuasionibus humanis in humana sapientia, Christum autem & ueros prædicatores pronuntiasse uerbum, quod potenti spiritu operatur in cordibus auditorum. Non enim in sermone, sed in uirtute est regnum Dei, 1. Corinth. 4. Qui penitus Græcam dictionem perpenderit obseruabit Euangelistam, respexisse ma-

Virtus, autoritas & dignitas in cōcionatore posita, reddunt ipsum honore dignū, & uerbum Dei gratius in animis auditorum.

Vita impura omnē adimit autoritatē cōcionatori. Vitæ integritate autoritatem sibi conciliat p̄ce uerbi diuini. Solus Christus potuit sibi arrogare hunc docendi modum: Ego dico uobis, ego in qua qui propria autoritate facio miracula.

gis ad eam Christi autoritatem, qua sententiis magis quā rationibus egit, tanquam habens autoritatem.

## CONCILIATIO I.

Cū uerus Christianus sit homo spiritualis, omnia diiudicat, 1. Corin. 2. Quid est ergo quod hic dicitur, Nolite iudicare? Nunquid Paulus à Christo dissentit? Absit. Nam & ipse Christus in Paulo loquebatur, 2. Corinth. 13. An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Ergo Christiano aliquod iudicium prohibetur, aliquod conceditur. Prohibetur iudicium carnis & secundum faciem, Ioan. 7. conceditur iudicium spiritus. Porro tum cognosces, an in te sit iudicium & condemnatio spiritus, necne, si secundum aut contra Dei eloquia, aliquid iudices & damnes. Nam si secundum ea iudicas & damnas, indubiē hęc in te agit Spiritus sanctus, alioqui non nisi iudicium carnis habens. Proculdubio scopus Christi dicentis, Nolite iudicare, &c. est, ut nos à iudicio infirmorū fratrum, ad propriarum infirmitatum cognitionem ducat. Quod ubi fiet, semper ipsi tot infirmitates apud nos inueniemus, quod faciliē desistemus à iudicio fratris infirmi. Et Apostolus ad Galat. 6. propriæ infirmitatis remedium ponit contra iudicium nostrum in fratres infirmos.

## CONCILIATIO II.

Quomodo conuenit hic locus, Nolite dare sanctum canibus, & nolite mittere, &c. cum eo quod Christus iussit, ut quæ discipuli secretò in aurem audierant, prædicarēt super tecta. Item, Euangeliū prædicare omni creaturæ? Imò ipse à cōcionibus suis, quas publicas & frequentes habuit, neminem exclusit, nec Scribas, nec Phariseos, nec Sadduceos, nec quemquam horum: qui tamen ipsissimi erant canes, & porci. Ergo Christus ipse non solum per se margaritas suas ante porcos proiecit, sed & discipulis hoc facere iussit. Respondeo. Neminem ut opinor later, Christum sic sacra tractasse, ut illa uoluerit, aut iusserit etiam dedita operam canibus, & ueritatis impugnatoribus proici, sed in nuntianda patris uoluntate, & tam lato ac salutari redemptionis humanæ nuntio prædicando, ordinem seruasse. In primis quia mixtam habuit plebem, hoc est & canes & ouiculas habuit, regnū Dei & pœnitentiam in genere prædicauit. At ubi quidam sua malitia mores caninos & suilos imbiberunt, coepit uti parabolis ad vulgus, interim discipulis secretò mysteria regni reuelans, Matth. 13. Luc. 8. Marc. 4. Qua ex re, docemur hunc locum intelligendum esse, ne temerè quibusuis omnia credamus, unde uoluit Apostolus esse prudentes: similiter & uerbi prædicatores, qui primū in genere quæ ad pœnitentiam, uitæque mutandæ rationem pertinent, prædicarent, & auditorum animis inculcarent. Quæ si reciperēt, & ad ea se beneuolos præstarent, exhiberētque, ad reliqua & magis ardua pergerent, & cum summa reuerentia subiungerent ac reuelarent. Si uerò inter homines caninis & suillis moribus imbutos incidisse agnoscerent, & gloriam Dei nihil emolumenti habere uiderent, tum quæ reliqua sunt, illis non communicent. Hoc modo iubet discipulos secedere ab illis quos nouerint indignos: & apud filios pacis manere, si tales in ciuitate offenderint. Hic ergo locus nihil facit ad publicas conciones, in quibus permixti sunt auditores, canes, & oues, sed magis pertinet ad eos qui seorsum instruendi sunt. Ad hæc non quousvis statim & prima fronte pro canibus & porcis habere debemus, sed sensim cognoscendi sunt. Quos si tales offenderimus, nihil illis, ut uerbi impugnatoribus & ueritatis cōtemptoribus communicemus, sed uitemus & fugiamus, quemadmodum Paulus quosdam uitare docet. Et cum his neque disputandum de fidei mysteriis, neque conuersandum sacra docet historia. Responsabis. Quid faciendum erit si huius seculi potentes porci & canes, te compulerint, & extorserint ex

Præce uerbi diuini habeat rationem auditorum.



te confessionem Christi? Proculdubio nemo te hic melius quid facias docebit, quam ipse spiritus Christi. Sed ut in summa dicam, Si ueritatem rogatus fueris (ait Augustinus) non erit neganda: sed, iuxta dictum Petri, cuius illius reddenda ratio. Hic enim qui negauerit, Christum negauerit. Si de ueritate non fueris rogatus, non peccaueris, si canibus illam non reuelaueris. Sicut Christus Herodi & Pilato, tanquam porcis, mysteria sua promere noluit: Ac rursus cum locus poscebat, & gloriae patris referebat ad contestationem impietatis illorum, uerbum Dei inuitis etiam illis fuit attestatus liberrime. Tantum ergo rogatus non neges ueritatem, nec mendaciis unquam consentias.

## CONCILIATIO III.

Si Dominus tam prompta uoluntatis est ad exaudiendum preces, ut indicat exhortatio illa in hoc capite, Petite & dabitur uobis, Quarite, &c. quid est quod tam multorum preces reiciuntur? Clamauerunt (inquit Dauid, psal. 17.) nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. Si Dominus exaudit orantes iuxta prophetam antequam clamauerint, cur multos non exaudit, quantum uis ualide clamantes? Respondeo. Absit ut dicamus, promissiones Dei de exauditione precum uanas & mendaces esse. Verbo enim Domini Dei nostri nihil est ueracius. Sed multae aliae sunt causae, propter quas Deus aut clamantem omnino non exaudit, aut exauditionem aliquandiu differt. In primis enim interdum non petuntur aut quaruntur ea, quae Dominus petere & quarere iussit. Deinde non nunquam petuntur noxia, ut Paulus, 2. Corinth. 12. orans ut discederet a se stimulus carnis angelus Satanæ, &c. non exauditur. Videbatur illi quidem bonum quod petebat, sed alia erat uoluntas Christi erga illum, quae omnino spectanda erat. Ideo legimus, 1. Ioan. 5. Et haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Vide si iuuat quae scripsimus in eum locum, Audiuit tamē Paulus, Sufficiat tibi gratia mea. Adhuc fiunt interdum precationes, sed sine fide. Tales fuerunt illorum de quibus psalmus ait, Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret. Praeterea fieri solet, ut Deus exaudiat quidem preces, sed non continuo reuelat exauditionem, quod uel fidem orantis probet, uel interim maiora beneficia oranti praeparantur, quam uerbis petita sunt. Et haec est praecipua causa propter quam exauditio precum, quas pij ex uiua fide effundunt, in longum differtur. Huc pertinet quod ait Augustinus, Bonus Dominus, qui negat quandoque quod uolumus, ut tribuat quod malleamus.

## CONCILIATIO IIII.

Non conuenit hic locus, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum caelorum, cum Paulo dicente, 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto: hunc autem quisquis habet, regnum intrat caelorum. Respondet Augustinus, Apostolum proprie posuisse uerbum dicit, ut significet uoluntatem atque intellectum dicentis. Dominus uerò generaliter posuit uerbum, ut uideatur dicere, qui neque intelligit, neque uult quod dicit. Vide scholium supra, in eum locum, Domine Domine.

Poscenti ueritatem, non eam neges.

Rationes uariae propter quas Deus non exaudit clamantem.

## CAPITIS OCTAUI

## Epitome.

Iesus mundato in descensu montis leproso, Centurionis puerum a paralyti, & Petri socrum a febre curat, a somno excitatus discipulos increpat, ac legionem in porcos mittit.

## CAPVT OCTAVVM.



a. Mundare uel mundus esto. Primum Christi miraculum Matthaei.

Secundum miraculum.

b. Ex illa in illa. Tertium miraculum.

c. Trans fretum in ulteriorem ripam, & infra.

V'M autem descendisset IESVS de monte, secuta sunt eum turbae multae: & ecce leprosus ueniens adorabat eum, dicens: Domine, si uis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, a mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris, sed uade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod praecipit Moyses in testimoniū illis. Cū autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego ueniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, nō sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, & uadit: & alij, ueni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem haec Iesus, miratus est, & sequentibus se, dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israēl. Dico autem uobis, quod multi ab Oriente, & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer b ex illa hora. Et cū uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum eius iacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis. Vespere autem facta, obtulerunt ei multos demonia habentes, & eiiciebat spiritus uerbo, & omnes malè habentes curauit, ut adimpleretur, quod dictū est per Esaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & aggregationes nostras portauit. Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit discipulos ire c trans fretum. Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. Et dicit ei Iesus, Vulpes foueas habent, & uolucres caeli nidos: Filius autem hominis nō habet ubi caput suum reclinet. Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. Iesus

Leprosus Christi potestiam confessionis, sanatur. Marc. 1. d. Luc. 5. c.

Leuit. 14. a.

Centurionis fides in Christi uerbo, Luc. 7. a

Centium uocatio, Iudeorum abiectione.

Fides. Socrus Petri sanatur.

Scriba terrenum Christi regnum spectans. Luc. 9. g. Christi paupertas.



Vocatus ad  
prædicandū  
aliud non cu-  
ret.

autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et ascendente eo in nauiculā, sequuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus, ipse uerò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperauit uentis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Porro omnes mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti, & mare, obediunt ei? Et cum uenisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrebant ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita ut nemo posset transire per uiam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes, abiierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceptum in mare, & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & uenientes in ciuitatem, nuntiauerunt hæc omnia, & de iis, qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu: & uiso eo, rogabant eum, ut transiret à finibus eorum.

Tentatis in  
mari discipu-  
lis & inuoca-  
tibus ad eum  
Christus.  
Marc. 4. d.  
Luc. 8. d.

Dæmoniaci  
sanantur.  
Marc. 5. a.  
Luc. 8. d.

Gadareni af-  
figuntur.

Cum autem descendisset IESVS de monte.



Osteaquam Christus tam sublimia in monte fuisset loquutus, non quibuslibet, sed præcipuè discipulis suis, & his qui spiritus alacritate potuerant illos cõsequi: rursus ad humilitatē promiscuæ turbæ multos debiles, claudos & ægrotos habentis, sese demittit, ut post doctrinam traditam, accingat se operi & miraculis doctrinam confirmandam, quæ sunt ceu sigilla & testimonia doctrinæ, ne sit doctor in uerbo tantum sine opere, quia regnum Dei non consistit in sermone, sed in uirtute, 1. Corinth. 4. Hoc exemplo docemur, quod Christianis omnibus, præsertim doctoribus, & his qui aliis pabulum spirituale ministrant opus sit, ut non uerbis, sed re uera sint Christiani, & uerbum factis dignis ornent. Quod hodie rarum est: multos enim tam disertè de Euangelio loquentes, quasi sint Angeli, audies: sed si opera spectes, sunt diaboli, & ueri carnis professores. Quæ hic Matthæus de leproso, sanatione paralytici, uocatione sua, & aliis, scribit post Christi sermonem in monte: Lucas, & Marcus præmittunt, eandem quidem historiã, sed non eodẽ gestorũ ordine, describentes. Neque ob id pugnare inuicẽ uidentur Euãgelistæ. Non enim propositum illorũ est ordine historico, quomodo quæque sunt gesta narrare, sed selecta quæque (quantum memoria ductu spiritus suggererat, adnotare: quantumque satis esset ad splendorem ueritatis, ferendumque suffragium gloriæ, & honori Iesu Christi Dei & hominis. In eo uerò potissimum inter illos conuenit, quod nullus eorum quicquam quod ab aliis scribitur factum esse negat. Proinde non est necesse angamur, & anxij simus de tam diligenti sollicitudine peruestigandæ serici historiæ Euangelicæ: sed hoc magis curandũ est nobis, ut credamus & sciamus quid Christus fecerit & docuerit, quàm solliciti obseruemus, ubi & quando, dicta & gesta sint: nisi forsã ad historiæ cognitionem & sensum illustrandum, circũstantias di-

Miracula sũt  
sigilla doctri-  
næ Christi.

torum & factorum scilicet, ubi aut quando dixit aut fecit, adducere referret ac conduceret. Proinde hoc capite & tribus præcedentibus noster Euangelista quædam succinctè narrat, quæ Lucas explicatius scribit. Vterque Christum ascendisse in montem dicit. Lucas. 6. cap. addit ad orandum, & Christum pernoctasse in oratione, non ut turbas dimitteret, sed ut præmissa oratione operarios in messẽ, quæ multa apparebat & matura, deligeret, & orto sole rediisse. Hoc tacet noster Euãgelista, narrans illum sedisse, ac discipulos ad eum accessisse. Lucas dicit eos uocatos & electos esse in apostolos, nimirum ad futuram messẽ, turbam scilicet, quam præsentem uidebat. sedit ergo ad eligendum apostolos. Lucas addit quod in locum campestem descenderit, ibique stando turbas docuerit: hæc Matthæus omisit.

Securæ sunt eum turbæ multæ.

Natura comparatum est, ut beneficiis concilietur amor, & ei credamus quem amamus: ac faciliè apud nos pondus habeat illius oratio, quem experimur & conspiciamus potentem. Hoc præstitit Christus turbæ, quam corporalibus beneficiis nimirum sanandis ægrotis alliciebat ad studium rerum cœlestium. Atque dum ægrotos sanabat adumbrabatur, quod ipse per doctrinam agebat sanandis animi morbis. Vnde utraque res alteri conciliabat fidem atque autoritatem. Cum ergo Iesus relicto monte uenisset in planiciem, uariæ hominum cateruæ securæ sunt eum, pendentes iam ab ore eius (antea enim iam ad illum confluxerant, ut uidere est Matth. 4. in fine) stupefactæ scilicet & doctrinam quam tanta cum autoritate tradiderat. Petebat autem Dominus hoc itinere Capharnaum, Luc. 8. Aliæ uerò turbæ aduentabant & constuebant ad illum, audiendi ac uidendi cupiditate. Vnde miracula per eum edēda plures habebant testes. Obserua hoc loco uim uerbi Dei cum autoritate prædicati, quod post Dominum tot turbas traxerit, quæ etiã obstupuisse feruntur, super doctrina eius, ut uidere est in fine præcedētis capituli. Inter has, etsi multi fuerint, id quod esse solet in petrosa aut fenticosa terra iacto semini: indubiè tamen qui bonæ terræ similes uerbum optimo corde receperunt, postea suo tempore fructum afferent copiosum. Est enim magna & efficax prædicationis Euangelicæ uirtus, maximè sicubi illa iusto seruire dispensata fuerit. Rursus obserua hoc loco, turbam magno ueritatis cognoscendæ seruire ad tempus raptam, quam mox aliò uersam, si quid molestiæ ingruerit, imò prorsus tepescentem, etiam nulla imminente persequutione uidebis. Qua in re nihil legis præter communem sapientum sententiam, qua vulgus solet inconstantia argui.

Beneficiis cõ-  
ciliatur & re-  
tinetur ami-  
citiã.

Et ecce leprosus.

Congregato numeroso theatro, ecce prodit quidam miraculi præbiturus occasionem, simulque typo quodam docturus eos, qui lepra laborarent animorum, unde & qua fide deberent remedium petere. Qui enim lepra infectum corpus habebat ad Christum uenit. Hic morbus habebatur in primis apud Iudæos abominabilis, maiorque esse creditur quàm qui arte medicorum curari possit. Porro quod apud nos in diiudicanda lepra corporis sunt medici & chirurgici, hoc in politia Israëlitica erant sacerdotes. Hi enim erant diuina lege ordinati iudices lepræ, ut quæ iuxta legẽ iudicassent leprosum, is ab omnibus leprosus haberetur, & à cõtubernio reliquorum hominum separaretur. Quem autem iudicassent lepra mundum, is ab omnibus quoque mūdus censeretur, & in consortia ciuilia admitteretur. Hanc legem legito Leuit. 13. & 14. damnatis ergo nephas erat admisceri cœtibus hominum, & ipsius corpus hoc morbo inquinatum contingere. Obserua. Christus ubi primùm de mōte descendit, obuiam habuit leprosum: ubi primùm è cœlo descendit, id est homo factus est, primò obuiam habuit genus humanum leprosum. Om-

Hic leprosus  
nobis defi-  
gnat genus  
humanũ spi-  
rituali lepra  
infectum.



nes enim peccauerunt & egent gloria Dei, Rom. 3. Rursus aduerte uocem leprosus, id est plenus lepra, qua exaggeratur morbus, ut potentia Christi comendetur, qui potuit tam magnum, deploratum & arte medica incurabile morbum pellere.

Et veniens.

Aduentus est signum & effectus fidei solidæ, & magnæ, nimirum homo damnatus à sacerdotibus, certaque lepra impurus, ausus est accedere ad Iesum purificatorem omnium. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est, Hebr. 11. cap. Ergo hic accessus magnam in eo fidem, spe & charitate comitatâ subindicat. Pudorem certè adimebat salutis amor, fiduciam addebat Iesu iam in omnes spectata benignitas: spem faciebant tot aliorum exempla, qui sani domum redierant. Quare hic fiducia pulsus, nihil remoratus est ad Christum animose cõtendere, non ueritus, uel legem uel homines, uel denique Christi & munditiam & sanctitatem. Hic obserua, ut ipsa uiua fides se ipsam exerat in hoc leproso, qui desiderantissimè & studiofissimè mūditiæ quærendæ gratia ad Christum contendit, suam cum indignitatem tum immunditiam probe sentiens, Christi uerò gratiam & inexhaustam bonitatem cogitans, quam non dubitat sibi gratis expositam, atque quærenti & oranti paratâ atque expromptam: hic ergo uerè animatur, ut Deum serua fiducia adeat, & inuocet. Rogabis, Vnde huic leproso tanta in Christum fiducia, ac tam solida fides, plenâque ad eò bonitatis Christi cognitio? Nunquam certè ex propria ratione contigisset, si non audisset antea famam incomparabilis bonitatis eius, qui tam benignus, propitius ac misericors esset, ut iuuare, consulere & consolari dignaretur, quicumque ad ipsum uenissent. Huiusmodi fama de Christo indubiè ad ipsum peruenerat, qua excitatus animum istum concepit, sibi quoque tam benignum, & ad sanandum se, æquè futurum propensum. Ita sibi eam famam utilem fecit, nihil dubitans se quoque beneficentiæ eius posse participem fieri, si adiret. Ita fides eius haudquam ex ratione, sed ex huiusmodi Christi fama fuit concepta. Iuxta illud Rom. 10. cap. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei uel prædicationem Christi. Hæc autem fama Euangeliū est omnis boni & salutis principiū, mediū, & finis. In primis audiendū est uerbum salutis, deinde credendū & diligendū, bonisque operibus incumbendū. Euangeliū ergo fama est, sermo, ac præconiū de Christo nihil ipsum esse nisi merâ bonitatē, dilectionē & gratiâ. Respōdabit quispiã, Multi hanc famã de Christo audierūt, qui tamē Christo nō crediderūt. Respōdeo. Nihil hoc impedit. Audiunt quidem uerbum, sed ex animo non recipiunt, Spiritui pulsanti fores non aperiunt, contemnunt, negligunt, ideo nō credunt. Huius leprosi curationem Marcus & Lucas pariter narrant: ille, primo cap. hic. 5. Lucas memorat id in quadam ciuitate accidisse. Marcus scribit proximè ante hoc prædicasse dominum in Synagogis in tota Galilæa, & daemona eiecisse, testatūque in hoc se missum: uerisimile est Dominum, dum repeteret Capharnaum, à loco in quo superiorem sermonem habuit, in uia ad aliquod oppidum diuertisse, ac inibi huc leprosum sanitati restituisse. Hoc miraculum eisdem ad eò uerbis & circumstantiis, Matthæus, Marcus, & Lucas describunt, ut idem narrari ab omnibus tribus nihil dubium sit. Licet non pari rerum gestarum ordine: Non enim describendorum ordinem curarunt Euangelistæ, ut paulò antè diximus. Quare de loco ac tempore factorum Christi, imitati Euāgelistas, ne simus nimium solliciti, ipsa potius qualia fuerint, qualémque Christum prædicent expendamus.

Adorabat eum.

Quod hic noster habet προσκύνει αὐτῷ, id est adorabat eum, interpretatur Marcus & Lucas: ille primo capite ait, προσπεσὼν αὐτῷ, id est accidēs siue procidens ad genua. Lucas uerò, 5. cap. προσέειπεν αὐτῷ, id est cadens siue procidens in faciē.

Stabili & firma fide paralyticus deprecatur sanitatem.

Nostra translatio apud Marcum habet, Et genu flexo dicit ei. Apud Lucam, & procidens in faciem suam. Ex quibus colligitur, quòd adorare hoc loco accipitur pro accedere ad genua, aut in faciem incuruare se & prosternere, reuerentiæ exhibendæ supplicandique causa. Legimus in sacris literis reges & præstantes uiros adoratos, hoc est prostratione corporis reueritos, & honorem summis & nominatis uiris exhibitum sæpè legimus, ut 3. Reg. 20. 4. Reg. 9. sic & patriarcha Abraham adorauit populum terræ, id est gratias egit: sed cum geniculatione & gestu corporis decoro, atque honesto, Gene. 23. cap. Inuenitur tamen adorationis uocabulum usurpatū pro cultu præcipuo, & tenore integræque religionis Dei, id quod circumstantiæ facillimè declarabant. Sic sanè non nisi unus Deus adorari debet. Ita 1. Reg. 1. de Elcana Samuëlis patre, & ascendebat uir ille de ciuitate sua statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituū in Sylo, hoc est ut solennem Deo cultum exhiberet. Eodem significato scribit Lucas uenisse Eunuchum illum aethiopem Hierusalem adoraturum. Vide August. lib. uno cap. 23. contra sermonem Arrianorum, Quid adorare & honorare. Et Chrysost. in cap. Ioan. 4. Homilia 32. de uulua, hyperdulia, & latría alibi scripsimus. Obserua leprosum ad pedes Christi procidentem: hac corporis prostratione significatur mentis humilitas seruanda oraturis. Sordet enim coram Deo omnis fastus: omninò humiliantis se, nubes penetrat oratio.

Adoratio uiris summis exhibita.

Solus Deus adoratur adoratione significante cultū præcipuum.

Dicens.

Feruebat in leproso charitas fidem inflamman, quæ statim prorumpit & seipsam exerit. Confitetur enim ore, & opere manifestat quod animo concipiebat. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Huius confessio est ad salutem & sanitatē. Continud enim Christus facit leprosum uoti sui compotem, & uerbo fugauit ab ipso lepram, qua toto corpore infectus erat. Còspecto Iesu, prostratus ad genua eius, uidetur sic animo cogitasse, & dixisse: En illum Iesum omnium saluatorem, qui omnem curat languorem & morbum: bene res habet: ô felicem, imò ter faustum diem! hic liberabit me à mea lepra: hunc ergo precabor, & indubiè salutē referam. Dicam igitur aperto ore, Domine, &c. Proinde hæc docent quòd rogare & dicere, fidei uiuæ sunt ueri effectus, qui testantur leprosum de philanthropia & officio Christi audiuisse, & fidem uiuâ habuisse. Pfaltes inquit, Credidi, propter quod locutus sum. Apostolus clamat ad Roma. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, quem non audierunt?

Ardētè Deū rogare effectus est uiuæ fidei.

Domine si uis potes me mundare.

Paucissima quidem, sed maximè efficacia uerba habet hæc leprosi oratio. Hac enim fit uoti compos, & à Christo impetrat lepræ emūdationem. Rogabis. Quid ad eò magni & præclari in hac oratione inest, quo Christus tam citò persuadetur, ut mox leprosum mundet? Profectò fides uiua, fiducia in Christum. Hæc enim est eloquentia, hic est ornatu orationis, quo Christus ita persuadetur, ut supplicanti uotis satisfaciatur hinc & in sequentibus non fit mentio de fide nuda, sed de ea quæ per charitatem operatur. Ad centurionē pro famulo suo orantem ait, Quem admodum credis ita fiat tibi. Ad cæcos orantes pro restitutione uisus, ait, Iuxta fidem uestram fiat uobis. Patri pro filio oranti, ait, Omnia possibilia sunt credenti. Cùm igitur leprosus de quo nunc nobis sermo est, breuissima oratione maximum beneficium à Christo impetrauerit, necesse est quòd in hac oratione, tanto maiorem habuerit fidem in corde, quantò pauciora uerba ore protulit. Porro nullum est artificium quod nobis utilius, ac magis necessarium fuerit, quàm ut sciamus rectè Deum orare. Nam cùm Deus irascitur, necesse habemus iram Dei oratione auertere. Cùm affligit nos Deus, auertendæ sunt afflictiones oratione. Cùm in pe-

Oratio humilis efficacissima ad impetrandū quod petim⁹ à Deo nobis irato.



riculis comprehendimur, ad orationem uelut ad sacram anchoram confugiendum est. Cum penuria rerum laboramus, & his indigemus, oratione à Deo impetare debemus. Et, ut in summa dicā, Oratio est quæ Deum expugnat ita, ut recte oranti nihil denegat. Inuoca me (inquit Dominus) in die tribulationis, & erua te, & honorificabis me. Et iterum, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Proponitur ergo nobis hoc loco leprosi oratio, ut ab ipso tanquā præceptore nostro, orare discamus. Rogabis. Quæ fuit huius leprosi fides? Quid in oratione credidit? In primis fuit fides uiua, non solum qua se contradidit amore ipsi Christo, sed etiā qua apud se certò statuit, Christum posse nos iuuare & seruare: deinde uelle ac paratum promptumque esse nos iuuare. Hoc idem in oratione credere debemus. Nam ut in afflictionibus à Deo seruemur, & uoti nostri compotes efficiamur, operæpretium est, Deum talem esse, & hunc nos talem credere, qui potens & uolens sit ad iuuandum nos. Neque enim potentia Dei sine uoluntate eius, neque uoluntas eius sine potentia quicquam auxilij nobis afferret. Si Deus posset nos seruare & non uellet, quid nobis commodi accederet? Rursus, si uellet & non posset, quid utilitatis hinc consequeremur? Necessè est igitur nobis talem Deum esse, qui simul & possit & uelit nos seruare. Et hoc ipsum oportet in oratione credamus, & apud nos certò statuamus. Rogabis. Vbi docemur, Deum nostrum satis potètem, seruare nos? Respondeo. In prima nostræ fidei parte, cōfidentes dicimus, Credo in Deū patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Atque hīc fidei articulus nō solum multis autoritatibus sacra: scripturæ uerumetiam magnis & stupendis miraculis confirmatus & obfirmatus est. Quare Dominus Deus noster satis potens est, ut nos in omnibus periculis seruet. Quod autem uelit etiam nos seruare, docemur è secunda fidei nostræ parte, Qua cōfitemur dicentes, Credo in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum. Nam Dominus Deus noster, misit hunc Iesum Christum filium suum in mundum, ut per ipsum nobis propitiū reddatur: & declaret se non nisi animum paternum, & uoluntatem seruandi in omnibus aduersis, erga nos gerere. Sic enim Deus (inquit Christus apud Ioannem) dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filiū suum in mundum, ut condemnaret mundum, sed ut seruetur mundus per eū. Itaque reuelatum est nobis per Christum Iesum, quod Deus uelit nos in omnibus nostris afflictionibus seruare. Orantes igitur, & Dominum Deum nostrum inuocantes, necessè habemus credere, quod Deus & possit & uelit nos iuuare, & seruare. Iuxta quam uiuam fidem nobis orantibus cōtinget, statim & implebitur illud Esaia, 65. Erisque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et illud Christi dicentis, Marci. xi. cap. Omnia quacunque orātes petitis, credite quia accipietis, & ueniēt uobis. Responfabit quispiam, Si requiritur in oratione credamus, nō solum quod Deus possit, sed etiam uelit nos seruare, quid est quod leprosus dicit, Si uis, potes me mūdare? Hac enim ita dicuntur, perindè ac si de uoluntate Christi dubitaret. Ac ne fortè insolens hoc uideatur, etiam ipse Christus apud Lucam in mōte Oliueti sic orat, Pater, si uis, transfer à me calicem, &c. si uis (inquit) quasi de uoluntate Dei ambigere uideatur. Dubitatio autē ab oratione longè abesse debet. Quid igitur dicendum? Respondeo. Aliud est pro salute animæ, peccatorum remissione, & reconciliatione ad Deum, orare: aliud pro rebus corporis, uitæ temporariæ necessariis, bonis fortunæ, & huiusmodi, rogare. Illā quidem uocant generalem salutem, hanc appellant specialem. Illam promisit Deus omnibus in ipsum per Iesum credentibus, siue in uita siue in morte, siue in corporis siue in animæ periculis, illamque petenti ex animo, fiduciam in Christum habenti non negat. Hac salute seruauit Deus Abelem, etiam si non liberabat ipsum gladio fratris sui, & à morte corporali. Similiter & hac salute seruauit prophetas

Discamus orare Deum à leproso.

Fides uiua requiritur in auxilio impetrando à Deo.

Dubitatio impetrandi contraria est efficaciar orationis. Remissio peccatorū & salutis animæ sine cōditione petenda sunt: hæc enim Deus pollicetur se daturū ex animo petenti.

impiis occisos, quanquam sinebat impios gladium in capita prophetarum stringere. Hac salute seruat omnes pios in paupertate, in morbis, in ipsa denique morte, quanquam non auferat ab ipsis paupertatem & morbos, nec conferret eos ab externa morte. De hac salute scribit Paulus Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et Rursus, Mihi uita Christus est: mori autem pro Christo, lucrum. In huius igitur salutis (quæ est uita & salus animæ) haud quaquam licet, nec de potentia, nec de uoluntate Dei dubitare. Est enim Dominus Deus non ster, non minus misericors, ac uoluntarius ad seruandum, quàm omnipotens. Qui cum proprio filio (ut ait Paulus) non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum, qui fieri potest ut non & cum eodem nobis omnia donet: siue sani simus, siue morbis affecti, siue uiuamus, siue moriamur? Alteram salutem specialem dicunt, quod speciali quodam modo afflictis illam præstet, ut cum seruat febricitatem, non tantum ut non perpetuè damnetur, sed etiam ut ab externa febre liberetur. Aut cum seruat in periculo mortis comprehensum, non solum ut non in æternum moriatur, uerumetiam ut in eo periculo corporalem mortem effugiat. Hac salute liberauit Dominus Iosephum è carcere Pharaonis, non tantum ut carcer nihil illi incommodaret ad salutem animæ, sed etiam ut ab ipso externo carcere educeretur, & ad principatum eueheretur. Hac salute liberauit Nathaniā Syrum à lepra uidelicet, ut non tantum lepra nihil perpetuè saluti Nathaniā noceret, uerumetiam ut corpore sanus & mundus fieret. Et quis omnia mirabilia Dei siue occulta, siue manifesta, enumerare posset? In huius igitur salutis specialis petitione, nimirum cum quis maximis febrium astibus ardet, orat Dominum ut ab ipsa externa febre liberetur: aut cum quis in periculo mortis comprehenditur: præcatur Dominum ut ab ipsa externa morte conferretur: In huius, inquam, specialis salutis petitione necessarium est primū, ut credamus quod Deus possit nos seruare: deinde nostram explicemus necessitatem: & uoluntatem nostram in petitione, uoluntati diuinæ resignemus & subiiciamus. Quod magna fidei prudentia factum esse à leproso uidemus: si uis (inquit) potes me mundare nihil dubitat de potestate & bonitate Christi: Omnia enim uoluntati Christi adscribit quam ita facit potentem, ut planè quod uelit possit. Magnamque modestiā nobis orantibus imitandam proponit in his uerbis, Si uis, &c. Ponit enim sanitatem suam & salutem suam, in uoluntatem Christi omnia in manu habentis. Cum enim dicit, Si uis, uox est reiicentis uoluntatem suam, in uoluntatem diuinam. Sic enim orandum est omnibus nobis, & hac fiducia, quod speramus Christum daturum quicquid petimus, modò in spiritu, hoc est si fuerit è re nostra & gloria Domini: perinde ac puer qui à patre charissimo aliquid petit, non dubitat quin sit impetraturus, & tamen omnia patris relinquit iudicio, si cōueniat quod petiit. Ita fides leprosi non dubitabat sibi Christū omnino propitiū & ad benefaciendū paratum: uerum cum incertus esset an id quod petebat sibi ipsi saluti futurū esset nec ne, omnia in arbitriū beniuolentis Christi posuit, qui solus sciebat an id ipsum in gloriam patris cederet, quā uitæ suæ saluti præposuit: tantum ergo uoluntatē eius excipit, id est si sit pro gloria & regno eius & salute nostra quod petimus, quia sepè petimus quod non expediret dari, ut Paulus Roma. 8. Nescimus quomodo oporteat orare, ipse autem nouit solus, quæ sint pro gloria sua & nostra salute. Ideo referenda sunt omnia ad eius uoluntatem, nihil dubitantes quod faciet petita omnia, si ipse cognouerit expedire, & uoluerit, uult autem omnia expedientia. Obserua, ne Deum tentemus, non esse præscribendum Deo modum, tempus, horam, & huiusmodi circumstantias in oratione nostra, quemadmodum uidemus obseruatum ab hoc leproso exemplari nostro, qui pro salute sua & mundatione lepræ orans, nullam horam, locum, modum, præscribit, sed uoluntati Christi sese submittit. Et subito hac ipsa hora, hoc loco, quibus non putabat, accipit intentam mundationem. Hoc

Bona externa sub conditione petenda sunt, nempe si fuerit nobis utile ea habere.

Omnis oratio ad Deū facta pro impetrandis bonis externis & abiciendis periculis referenda est ad Dei uoluntatem.



exemplo docemur, & nobis significatur quàm grata sit Deo ista certa de ipsius fauore fiducia. Similiter & humilis de eius consilio & uoluntate, patientia, quam fides uiua libenter præstat, uidelicet in omnibus Patriarchis, prophetis, & sanctis, qui nihil dubitantes de Dei fauore erga se, tamen longanimitè eius consilium & uoluntatè expectabant, ut hæc res potest exemplis, Adæ, Abrahæ, & multis alijs ex. II. Pauli ad Hebræos amplificari. Deinde dictis eorum confirmari, ut, Expecta, sustine, si moram fecerit, quibus plenum est psalterium & propheta. Hoc certè peculiare est Deo, quandoque differre effectum orationis nostræ, ut cumulatius & plusquam petimus, aut intelligimus (Paulo teste Ephes. 3.) faciat, & melius cum expedierit, recipiamus. Obserua, historias Christi esse quædam sacramenta, id est promissiones, quibus certi reddimur Deum gratiam suam daturum omni credenti, & ex fiducia in ipsum roganti. Ad hæc non temerè hoc exemplum primo loco commemoratur, in quo est pollicitatio Christi, quod uult mundare leprosum, ut uiuam omnium supplicantium fidem confirmet. Rursus obserua uocè Domine, qua confitetur Christum potentem. Est enim Dominus uox potentia. Inchoat orationè à commendatione diuinæ maiestatis: deinde explicat suam necessitatem. Quod & obseruatum uidemus in Ecclesia Catholica, cuius orationes primo loco nomen Dei celebrant, ut, Omnipotès sempiternè Deus, cuius prouidentia cuncta gubernantur. Deinde necessitas explicatur, & humilis de re postulanda fit petitio. Ita passim fit in prophetis. Sed de his non est modò tractandi locus, quæ satis superque satis in Ioan. expendimus.

Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens.

Alijs, atque alijs gestibus ac medijs utitur Christus inter sanandum. Modò solo uerbo curauit, ut mox de filio Centurionis dicitur, modò contactu simul & uerbis sanauit. Illud quidem egit, hoc est solo uerbo plerosque curauit, mortuos suscitauit, & dæmonia eiecit, ut declararet omnem sibi potestatem traditam, uerbòque se omnia posse, etiam corpore suo absente. Nam etsi salus nostra nõ nisi per carnem Christi potuerat perfici, nõ tamen simpliciter necesse est eam semper præsentem esse: multi enim salui facti sunt qui morientes neque carnem Christi manducarunt, neque præsentem habuerunt: sed credentes & baptizati, hinc abierunt salui. Hoc uerò fecit, hoc est contactu & medijs inter sanandum est usus, ut carnis suæ pretium & utilitatè declararet, cuius solius immolatione salus omnibus reparata est, ut nemo sine illa possit uitam æternam consequi, ne media contemneremus, quæ eo instituta sunt, ut finem salutarem consequamur. Porro cum Christus leprosum tangebatur, lubens uidissè quid hic facturus erat superbus Pharisæus, aut sacerdos Mosæicus. Abominatus fuisset hominem impurum ac immundum (ut arbitror) imò ne colloquio quidem dignatus fuisset. At Iesus boni pastoris imaginem exhibens, delectatus hominis uiua fide coniuncta cum tanta modestia, qui non ausus sit perere, ut mundaretur, nisi uellet ipse qui nouit quid expediat, sed tamen non dubitabat posse, si uellet, non auersatus est immundum, sed porrecta manu tetigit eum, docens charitatem sibi pluris esse quàm legis corticem, & literam de non tangendo leproso, uti & de sabbatho. Quæ mandata, tametsi bona & sancta sint, docuit tamen uerbo & factò illa charitatis imperio subesse: & huiusmodi omnia propter hominem esse instituta, non hominem propter illa. Tangere leprosum nulla causa, iniuria erat aliorum, cum quibus erat agendum, cum propter contagionem, tum propter naturæ horrorem, ac etiam puritatis obseruandæ publicitus neglectum. Verum non erat ea mens legis, ut leprosum contactu sanare potens, ipsum contingere non debeat. Hoc exemplo Christi monemur etiam hoc tempore, quàm diligenter considerare debeamus leges, quibus etiam politia Ecclesiastica consistit, quod ad salutem hominis non ad perniciem datæ sint. Ce-

Deus differt  
auxiliū suū  
ut abundan-  
tius det.

dunt enim charitati, quæ illarum corticem ac rigorem reici, mentem autem ac medullam earundem seruari docet. Hoc si meditarentur & considerarent aduersarij, neque de ieiunijs, neque de uigilijs, neque de precationibus, & alijs in Ecclesia Christi leproso puritatem exhibeat. Deinde considera de modo exhibendi inuisibilia & incomprehensibilia per uisibilia & externa. Non est silentio prætereundum quod Marcus addit. I. cap. Iesus autem misertus, &c. Misericordiæ enim summæque bonitatis Christi documenta (quibus ad se allicere uolebat populum) huiusmodi beneficia erant, debentque commemorata augere in nobis fidem in ipsum. Qualem enim se leproso ex fide uiua oranti præstitit, talem se & nobis simili fide orantibus præstabit. Obserua. Tangit leprosum ostendens quod non obnoxius sit legi, qui præcipit ne tangatur leprosus, sed quod Dominus legis sit, & quod mundo nihil sit immundum, quodque sancta eius caro, sanctificationem communicet, mundum de immundo faciens. Helisæus obseruans legis diligentiam non exiuit domum uisurus aut taturus Naaman pro foribus existentem, sed per puerum Giezi significat eundem esse ad iordanem, ut ibi sepius lotus mutata cute relinqueret eum morbus. Christus autem docet, quoniam non ut seruus, sed ut Dominus legis curat, & tangit leprosum.

Volo mundare.

Contactui adiicit sermonem, quo simul & uoluntatis bonitatem, & potentia suæ magnitudinem declararet. Quasi diceret, Quandoquidem credis me posse id beneficij conferre, si uelim, uolo, nec in aliam horam differam: iam mundus esto. Cum dicit uolo, id facit non propter solum leprosum, sed ut multorum succurrat conscientijs, ut certissimi sint Christum uelle seruare, quotquot se totos in ipsum concrediderint. Obserua, uerbum mundare passiuum esse, modi imperatiui, id est mundus esto.

Et confestim, mundata est lepra eius.

Domino mandati cedit natura, obedit morbus ceu miles Domini in corpore leprosi, qui quia non distulit in Christum credere, non differtur sanatio: quia non distulit confessionem, non tardatur mundatio. Contactui itaque addens sermonem Dominus, simul & cum dicto mutata cute reliquit eum morbus. Hæc discessio lepræ effectus est contactus & potentis uerbi Christi operantis per contactum, & uerbum: unde nobis conspicua fit potentia Christi. Aduerte, confestim, temporis circumstantia exaggerat uerbi & Christi potentiam. Quis enim unquam mortalium medicorum solo uerbo restituit leprosis sanitatem? Notum est ex 13. cap. Leuit. quod Moses omnem scabiem, diuersum colorem, siue pustulam in cute & sanguine ortam, lepram uocet, unde conciliari possit morbus ille incurabilis & immedicabilis. Lepra autem propriè designat doctrinam humanam & falsam, quæ ut cancer serpit: & ut paucis perstringam, omne contagium impietatis. Proinde quia peccatū uerè lepra est animæ: ideo Dominus in curatione huius leprosi docuit uim & uirtutem quæ est in sacramentis quibus ditauit sponsam suam Ecclesiam. Non enim solum requiritur tactus (ait Thomas) sed & uerbum. Quia cum accedit uerbum ad elementum, fit sacramentum, ut ait August. Atque hoc mysterio & miraculo Dominus tres exclusit errores. Nam tangens ostendit corpus suum uerum & non fictitium, contra Manichæos. Verbo uolo, pronuntiauit contra Apollinarem, & uerbo imperatiuo mundare, ostendit se Deum uerum, contra Fotinum.

Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris.

Quò maior esset fides miraculo, uoluit populum testem miraculi esse. Præcepit in primis ne cui reuelaret beneficium, antequam sacerdotem adisset: propter ditas

K ij

Nefas erat  
contingere  
corpus uitia-  
tum lepra.  
Leuit. 13.  
4. Reg. 5.

Lepra pul-  
chrè desi-  
gnat falsam  
doctrinam.



causas præcipuas. Altera fuit, ne priuatam uideretur querere gloriam, nolens ante mortificationem & crucem suam glorificari. Altera, ne ullam calumniandi causam daret sacerdotibus, quod sibi uendicaret autoritatem iudicandi de lepra, unde lucrum sacerdotibus debitum eriperet. Vide (inquit) caue ne cui dixeris te esse purum à lepra, nolo palàm efficias, neque enim tuum est iudicare de teipso, nec ego mihi fumo quod est sacerdotum. Est enim in hoc negotio publica ordinatio instituta. Idem interminatum legimus Marci 1. & Luc. 5. Sed Marcus affectum quo Christus leprosum tacere iussit, & à se ablegauit, manifestius explicat. *ἔμψυχοποιήσας* (inquit) *ἑστῶτα*, hoc est feueriter & acriter obiurgauit eum, & eiecit ipsum à se ad sacerdotem.

Sed uade, ostende te sacerdoti.

Marci 1. & Luc. 8.

Principi sacerdotum delegatum munus erat iudicandi de mundatione lepræ.

Quid est quod Christus leprosum à se, obiurgando, & interminando repulit, ac tacere iussit? Num miracula Dei non sunt prædicanda? Redi (inquit aliàs) in domum tuam, & narra quæcūque fecerit tibi Deus. Hoc autem admirabilius est quod mittat leprosum ad sacerdotem. Si diligenter statum eius temporis, quo Christus Euangelium prædicauit, perferutati fuerimus: duas inuenimus præcipue causas, cur etiã obiurgando & indignando, leprosum à se ad sacerdotem remisit. Primum enim impij calumniabantur miracula Christi, quod non uerè sanaret homines, sed spectatoribus nebulas quasdam ob oculos offunderet, ut existimarent homines sanatos, qui tamen re uera non essent sanati. Porro autem quod apud nos in diiudicanda lepra sunt medici & chirurgici, hoc in politia Israëlita erant Sacerdotes diuina lege ordinati in iudices lepræ, ut quem iuxta legem iudicassent leprosum, is ab omnibus leprosus haberetur, & à contubernio reliquorum hominum separaretur: quem autem iudicassent à lepra mundum, is ab omnibus quoque mundus censeretur, & in consortia ciuilia admitteretur, ut legitur Leuit. 13. & 14. Cum igitur Christus uerbo suo mundasset leprosum, & reuocaret in memoriam, quod impij calumniarentur sanationes suas, uehementer indignatur aduersus malitiosas hominum calumnias: & ea indignatione mittit leprosum ad sacerdotem iudicem lepræ. Vide, inquit, ne cui dixeris. Nolo palàm effutias & diuulges, te à me sanatum, priusquam publico & ordinario sacerdotis iudicio mundus declaratus fueris. Abi igitur mox ad sacerdotem, & offer ea quæ iuxta legem leprosi mundandi offerri debent, ut ordinario iudicio, & legalibus ceremoniis uerè mundus esse declares. Quod si factum fuerit, nihil prorsus habebunt impij, quod in hac sanatione calumniari queant: Si dixerint me non uerè à lepra sanare, reclamabit publicum sacerdotis iudicium. Si reprehenderit iudicium sacerdotis, in suam ipsorum legem impij erunt. Quod autem Christus in sanationibus suis, impiorum calumnias diligenter cauerit, ex aliis etiam locis manifestum est. Nam cum paralyticum nudato tecto ad se demissum sanaret, non tantum dixit, Surge & ambula, sed ut nullus calumniæ locus relinqueretur, ac omnibus conspicuum esset, ipsum uerè sanatum, addidit etiam, Tolle grabatum tuum & abi in domum tuam. Adhæc cum resuscitasset mortuam puellam Archisynagogi, quod palàm fieret, ipsam uerè uiuere, iussit ut daretur illi quod ederet. Quare eodem quoque consilio misit leprosum ad sacerdotem, ut eo per ordinarium iudicem mundo declarato, non haberent impij, quod in hoc miraculo calumniarentur. Proinde hoc exemplo docemur, ut quanquam (iuxta prouerbum) non sit remedium aduersus morsum scycophantæ, tamen quantum in nobis est, summam operam dare debemus, ne calumniis occasionem demus. Altera causa cur ablegauerit leprosum ad sacerdotem est, ut ostenderet conseruandam esse publicarum & ciuiliū ordinationum autoritatem. Nam sicut hodie non pauci sunt qui usurpant sibi autoritatem Euangelij in licentiam carnis, ut quia Christus promisit se perpetuò mansurum cum pijs, Ec-

ce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi, & quandiu sponsus est cum filiis, non ieiunant, ideo abiiciunt ieiunia. Et quia in orando multiloquium damnatur ab Euangelio, ideo damnant psalmodiam & publicas illas preces, quas canonicas dicimus: & quia Christus uocat nos fratres, ideo quidam contemnunt maiores ac magistratus suos, nulli ciuilem honorem exhibent, nihil soluunt quod debent. Si debitum ab ipsis exigitur, continuo exclamant, Hoccine est Euangelium, debitum repetere? Atque adeo quia iubentur ex uerbo Domini superstitiones & impietates abiicere, ipsi omnem etiam ciuilem honestatem abiiciunt. O ueros Euangelicos scilicet. Ita ex multis argumentis manifestum est, quod eo tempore quo Christus inter Iudæos Euangelium prædicauit, magna pars auditorum, præsertim eorum qui curiositati operam dabant, magis licentiam carnis, quam pietatem spiritus sectati sunt. Atque alius quidem prætextu libertatis detrectabat tributum Cæsari, alius prætextu fraternæ charitatis non reddebat mutuū, alij prætextu auaritiæ, non soluebant quod iure debebatur sacrificis, quemadmodum & hodie fit. Et ut paucis absoluam, maxima pars eorum qui Christum sequebantur, existimabant sibi impunè licere, tam ciuiles quam ecclesiasticas ordinationes contemnere & uiolare. Huiusmodi multos fuisse manifestat ipsa accusatio, qua pontifices Christum coram Pilato accusabant, dicentes: hunc deprehendimus euerrentem gentem, & prohibentem dari tributa Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Ac mox, Commouet populum docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa usque ad hunc locum. Scio quidem has accusationes falsissimas esse, sed tamē argumento sunt, multos fuisse inter auditores Christi, qui sua licentia his accusationibus occasionem præbuerint, & eas uerisimiles reddiderint. Cum igitur Christus leprosum mundasset, & meminisset multos, prætextu sanitatis, ab ipso mirabiliter consecuta, contemnere ciuiles ordinationes, & politicam legis Mosaicæ (sub qua uiuebant) disciplinam, magna indignatione aduersus importunam & ineptam eorum hominum morositatem indignatur, & ex ea indignatione iubet leprosum mox adire sacerdotem, & obseruare eas ordinationes, quas lex leproso obseruandas præscribit. Colligamus ex superioribus duas causas, propter quas ablegauit Christus leprosum ad sacerdotem. Prior est ne uideatur esse turbator publicarum ordinationum, ac legum: altera est, ne leprosum in periculum mitteret, qui non fuisset ad consortium hominum admissus, nisi præcedente cognitione per sacerdotem, esset ne uerè mundatus, an secus. Ut dum illorum iudicio approbatus esset, testi moniū contra se haberent sacerdotes, impiè se facere, qui Christo reluctarentur.

Et offer munus quod præcepit Moyses.

Lex, Leuitici 14. iubet leprosum mundandum ad Sacerdotem accedere, & duas uiuas ac mūdās aues cum ligno cedrino, cocco bis tincto, & hyssopo afferre, ut una ex auiibus mactetur, alia autem sanguine alterius tincta libera dimittatur, ut auolet: deinde lauati mūdandi uestimenta sua, & radit omnes capillos corporis, ac lauatur: deinde iubet die octauo assumere duos agnos immaculatos, & ouem anniculam, & tres decimas similæ, ac sextarium olei, quæ offeruntur partim pro delicto, partim in holocaustum. Aut si pauper est leprosus, iubet eum unum agnum, & duos turtures siue duos pullos columbæ afferre: ut hæc iuxta ceremonias in lege præscriptas sacrificentur, & leprosus publicum habeat testimonium, se à lepra mundatum, & contubernio hominum restitutum esse. Cum igitur Christus mittit leprosum ad Sacerdotem, uult, ut has ceremonias, & has publicas legis ordinationes obseruet, præcipiens ei ne cui diceret, Sed uade (inquiens) ostende teipsum, & offer pro emundatione tui, quemadmodum Moyses præcepit, in testimonium illis. Sensus uerborum est: Nolo prætextu sanitatis mirabiliter consecuta, in contu-

Christus politica legis Mosaicæ disciplina obseruauit.

Ritus leprosi quando mundandus est.



bernium hominum te immisceas, & hoc miraculum diuulges, priusquam ordinario iudicio mundus declaratus, & ad consortia ciuilia admissus fueris. Es enim antea publica legis autoritate & cognitione leprosus iudicatus, & ex hominum contubernio abiectus. Quanquam igitur sanitatem mirabiliter consequutus sis, nolo tamen ut hoc prætextu publicas ordinationes contemnas: sed præcipio ut quemadmodum publica autoritate ad leproforum numerum separatus es: ita eadem autoritate ad numerum & consortium sanorum hominum recensearis, ac offeras, quod lex offerre iubet leprosos, ut habeant publicum & ordinarium testimonium, se uerè sanitati restitutos, & ad ciuilia hominum contubernia admissos esse. Hoc igitur mandato quod Christus dedit leproso, docet omnes in ipsum credentes, ut prætextu Evangelij publicas & ciuiles ordinationes haudquaquam contemnant, sed eam politiam, in qua uiuunt, diligentissimè obseruent, ac unicuique quod debent, fideliter exoluant. Reddite inquit Christus Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Et Paulus Rom. 13. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Quod si Dominus hac missione leprosi ad sacerdotem significauit, ac uoluit ordinationes ciuiles non contemnendas, sed obseruandas, quantum magis uult & Ecclesiasticas ordinationes, imò & Sacramentum confessionis seu poenitentiae ab ipso ordinatum non contemni, prætextu sanitatis internæ mirabiliter consequutæ? Quod hoc miraculum uerò adumbrat. Ordinauit enim ministros, quibus detegenda sunt conscientiarum vulnera, ut absoluant à peccatis ea autoritate, quam uerè consequuti sunt per manuum impositionem, & uerbum, Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &c. Proculdubio neque Christus, neque sponsa eius spiritu afflata, ulla populò suo caeremonias præscripsit, quæ non consentiant cum lege charitatis, singularè que habeant utilitatem, quæ certa ratione diuinæ bonitatis nõ admoneat: indè que fidem populì & totius pietatis studium inflammet. Iam quia hic ritus de leproso mundando à Deo erat institutus, & pertinebat ad publicam incolumitatem, ideo diuina ordinatio dicebatur, cui necesse habebat obedire quotquot in politia Mosàica uiuebant. Adhæc ordinationes illæ & caeremoniæ quæ in lege fuerunt, erant ueluti conciones de futuro sacrificio Christi, & prædicatione Evangelij. Nam cum altera uis mactatur, significauit Christum pro peccatis nostris mactandum: quod autem altera uis sanguine alterius aspersa libera dimittitur auolare, significauit prædicationem Evangelij de expiatione per sanguinè Christi facta, vulgandam & liberè annuntiandam, non inter Iudæos solum, uerum etiã inter Gentes, adeoque in toto orbe terrarum. Lotio uestimètorum adumbrabat, superfluas, uanas & impias cogitationes excutiendas corâ sacerdote, lotore seu absolutione, & purgatore. Per lotiones & asperstiones sanguinis super auiculana, & pollicem, & alios huiusmodi ritus, quibus leprosus mundus declarabatur, adumbrata uerunt ipsam uim & uirtutem sanguinis Christi, qua leprosum, hoc est peccatorem poenitentem, & peccata confitentem, abluat, hoc est absoluit à peccatis. De reliquis Mosàicæ legis ritibus in curando leproso, non est modò narrandi locus, satis sint pauca illa quæ adduximus. Iam cum politicus status Iudæorum una cum populo suo dissipatus sit, & nos non sub Iudæica, sed sub Christiana & Romana politia uiuamus, iustum est ut in negotio lepræ, non Mosàica, sed Romana consuetudine cognoscendi de leprosis utamur.

#### In testimonium illis.

In testimonium, id est ius seu legem. Testimonium enim passim Dauid, similiter & Paulus, pro mandato & lege accipiunt, quod nobis de uoluntate Dei testatur. Vnde psal. 118. Inclina cor meum in testimonia tua, nihil aliud est, quam uo-

Ordinationes ciuiles obseruandæ.

Lotio uestimètorum leprosi designabat, impias cogitationes excutiendas coram sacerdote.

luntatem meam, cogitationes meas, desiderium meum inflecte ad ea quæ loquutus es, ad tua oracula, præcepta tua, in quibus uita & animi & corporis posita est. Vocatur ergo lex testimonium. Vnde horum uerborum sensus est, In testimonium, id est in legem siue in ius. Illis, supple Sacerdotibus, & populo. Quasi dicat, Tametsi à lepra sis abstersus, & uerè sis mundus, neque opus sit ut te homo approbet, uolo tamen ut quæ Moses ex iussu Dei, illis, nimirum sacerdotibus & populo, in testimonium, id est legem & ius statuit, sancta habeas. Facito secundum ius illis constitutum, & legitimam obseruationem, quam uolo religiose obseruari, donec mea morte medium parietem fuero demolitus. Non desunt qui ad hunc modum interpretantur, Ostende, id est indica sacerdoti te esse mundatum, & offer munus quod præcepit Moses in testimonium illis, id est ut hoc testimonio accepto credat & cognoscat me habere hanc potestatem mundandi à lepra, à qua cognitione in eam ueniant fidem, qua sibi persuadeant, me quoque mundare posse hominem à lepra animæ id est à peccato. Magis mihi arridet prior interpretatio, ut simpliciter accipiam in testimonium illis, id est secundum ius illis constitutum. Responsabit quispiam. Cum nos caeremoniis externisque ritibus præscripto Moyse sancitis liberi simus, & omnia iuxta nouum Christi mandatum, ut inuicem diligamus, attemperare debeamus, an nobis liceat leprosos ita conuictu hominum eiicere, uti mos publicus obtinet, & Moses Leuit. 13. præcipit? Certum est omnes caeremonias cultus Dei, ad fidem: formulas iuris ciuilis, ad dilectionem: ritus purificandi corpora, ad morum puritatem, decentiamque pertinuisse, ac quicquid externum in eis per se ad fidem, dilectionem, decentemque uitæ modum non attinet, abrogatum esse: fidem autem ipsam, dilectionem, uitæque modestiam & decorem, minimè. Ita neque abrogata sunt ea, quæ licet externa sint, habent tamen cum illis fide, dilectione, & modestia connexionem quandam, adeò ut si hæc præterires, illa uiolares, uti certè habet Septimum diem sanctificare, ac pleraque alia. Quæ ergo fuerint huiusmodi, ut ut externa sint obseruabis, quatenus coniuncta fuerint cum illis in quibus uera pietas sita est. Et, ut uno & altero uerbo absoluaui, Moralia (ut dicunt) manserunt, Legalia autem & caeremonialia cesserunt. Iam cum lepra sit morbus contagiosus, & charitas longè præferat plurium salutem, paucorum delictis, certè cum charitate connexionem habebit, leprosos è publico eiicere: non ut negligantur, sed ut citra damnum aliorum curentur, & ita eis prouideatur, ne qua uitæ necessaria desiderent.

Externa cum pietate coniuncta obseruanda sunt.

#### Cum autem introisset Capharnaum.

Postquam nouam & inauditam doctrinam consummauit, eandem cepit externis miraculis confirmare, atque auditores ad credendum allicere. Nam finita oratione uidetur sanasse leprosum in itinere, quo ueniebat Capharnaum.

#### Accessit ad eum Centurio.

Hanc historiam Lucas 7. cap. describens, ait, Centurionem indignum sese existimasse, qui Iesum ipse adiret, eoque seniores Iudæorum misisse ad ipsum oratum, ut suum puerum paralyticum sanaret. Et hic noster Euangelista ait, Centurionem Christum adisse, & pro seruo suo paralytico orasse. Hoc qualecunque discrimen in speciem uideatur, ita conciliandum uenit, Lucas historiae textum scribit, ex quo uidere est, quomodo precationem suam instituerit Centurio, nempe non per seipsum, sed per seniores Iudæorum, quos ad Christum amandarat legatos. Matthæus Centurionis affectum, & sermones quos per alios Christo misit, qui apud Deum sunt, perinde atque ipse proprio ore loquutus fuisset, sic expressit ac si ipsemet ad Christum accessisset. Hæc nos docent, quod ea quæ per alios fieri curamus, haud secus nobis imputantur, atque si nos ipsi eadem personaliter age-



remus. Porro notandus est hic primū ordo miraculorū, quem hic noster Euangelista obseruauit. Priore miraculo expressit quo modo sanatus est Iudæus, hoc posteriore explicat beneficium exhibitum Ethnicis: cuius fides & dilectio multo præstantius sese exeruerunt, quàm Iudæi. Nam ille sibi sanitatē quærebat, hic, seruo. Ille coram existentem credidit posse se sanare, hic etiam absentis uerbo hoc tribuit. Ille ex animi submissione in faciem procidens insigni profectō modestia orauit, Si uelis potes. Hic adhuc submissius egit, indignum sese ducens, qui uel ipse Dominum appellaret, aut ad se uenire sustineret. Rogabis. Quid his adumbratum est nobis? Profectō regnum Dei, Iudæis primū ex promissione offerendum: Roma. 1. Euangelium uirtus Dei est omni credenti Iudæo primū: suosque ex illis (licet paucissimos) ciues habiturum. Multo enim plures filij desertæ, quàm eius quæ habet uirum, Galat. 3. cap. sed mox multo cumulatior cum fructu transferendum ad Gentes. Proinde dicitur de Centurione & fide eius, in primis explicabo, quis fuerit: deinde quæ & quantæ fuerint eius uirtutes, ut discamus qua in parte nobis in exemplum imitationis propositus sit. Igitur quod ad gentem huius Centurionis attinet, fuit Ethnicus incircumcisus, id quod Christus perspicuè indicat, cum ait, Ne in Israël quidem tantam fidem inueni. Quod autem attinet ad officium aut functionem eius, præfectus fuit centum militibus in exercitu, unde & Centurio dicitur. Nam apud Romanos exercitus diuidebatur in Cohortes: Cohortes autem in Centurias: harum Centuriarū præfecti, Centuriones uocabantur.

### Rogans eum, & dicens.

Accessit ac rogauit Christum Centurio non per se, ne ut Ethnicus repulsam (ut putauit) à Christo pateretur: sed per seniores Iudæos & amicos. Quia in re quam fuerit decem decuriis præfectus, tamen magnam exeruit modestiam, nimium agnitionem sui ipsius, dum seipsum humiliat, ac abiicit, & alios magnificat. Propter suam indignitatem nō audeat ad Christum uenire, quod agnosceret se hominem Ethnicum, abiectum & alienum à sorte sanctorum. Propter quod dicebat (ut scribit Lucas) & meipsum non sum dignum arbitratus ut uenirem ad te. Nec Christum passus est ingredi ædes suas, dicens, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Mittit itaque ad Christum legatos, non quosuis autē turba seruorum, aut è media sece plebis: sed eos qui in populo Iudæorum, tum ætate, tum autoritate maximè uenerabiles erant, seniores: sic enim ea gens Senatorum & Magistratus urbis uocabat. Vna quidem impulsua causa cur miserit Centurio ad Christum, fuit necessitas serui. Altera fuit fama auditus de Christo, ut scribit Lucas. Tertia fuit fides uiua, quam neuter Euangelista apertis uerbis ponit, sed lectio Lucæ permittit illam colligere ex auditu uerbi, & effectibus fidei, qui sunt mittere Seniores ad Christum & rogare eum. Hac oratione erigit se Centurio humiliatus ad Christum.

Domine, Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

Hæc est propositio sequentis euentus. Male habere seruum Centurionis, occasio est præsentis miraculi: exprimunt & illa uerba necessitatē, qua præsentis Christi stus medicus locum habet. Hac uoce, Domine, qua potentem illum conficitur, captat beneuolentiam Christi. Puer meus (siue ut Lucas scribit) seruus meus, iacet, non simpliciter, sed toto corpore prostratus, id quod uerbu illud ἐκλυθη factis ostendit, qualiter solent qui grauibus morbis decumbunt. Voce paralyticus morbum explicat, non quomodo solet fieri apud medicum, ut sciat quid curandū sibi sumat, sed ut animum dolentē exprimat, quo non satis habet dixisse infirmatur puer meus, nisi & morbi genus miserabile exprimat. Et malè torquetur. Graecis legitur *δεν εἰς ἐκλυθη* ὁ υἱός μου, id est grauius siue acerbè discruciat. Et ut Lucas

Fides Centurionis longè stabilior fide paralytici à Christo facti.

Centurio genus morbi declarat medico elemētissimo.

ait, qui erat moriturus, id est qui iam agebat animam. Hæc morbi seu cruciatus expressio, indicat quanta compassione Centurio ferat serui sui morbum, & cruciatus. In domo. Hæc circumstantia ostendit quomodo seruum suum, quo sano fuerat commodè usus, ægrotum ex ædibus suis non eiecerit: quemadmodum ple-rosque uerè inhumanos uidemus hodie facere, qui tamen nihil minus uolunt audire (dū hæc faciunt) quàm non esse se Christianos. Cum itaque hic Gentilis homo nondum Christo initiatus, tantam seruo suo exhibeat humanitatē, quanam quæso fronte Christum nos Christiani profiteamur, dum ægrotos, quos colligere in ædes nostras, aut certè illos inuisere debemus, eiicimus etiam? Quare in primis hoc loco admonemur, quàm debeamus esse humani & misericordes, qui aliorum miseriam etiam sentiamus. Hæc enim natura piorum est, ut alienis miseriis condoleant, & suas ducant ac sentiant. Impij uerò (quorum ingenium non est ad ingenium Patris cœlestis comparatum) sunt ἀσπλαγχοί hoc est sine affectu, id quod Apostolus illis, Rom. 1. cap. impingit. Veræ humanitatis exemplum nobis proponitur à Paulo Christus, qui non est ἀσπλαγχοί, sed planè humanus & philanthropus, tactus aliorum miseria usque ad lachrymas & mortem. Paulus ad Philip. 2. cap. fati exprimit qua fuerit mœstitia propter ægrotum Epaphroditum affectus. Deinde admonemur, ne Stoica illa inhumanitate laboremus, qua famulos ægrotos domo nostra eiicimus. Quod si fecerimus, Ethnicis proculdubio inhumaniores sumus. Discamus hæc facere ab hoc Ethnicis Centurione. Cuius charitas maximè hic commendatur. Nam tamen si miles professione sua fuerit (quod genus hominum rarè admodum, ne in parentes quidem, aliquo humanitatis affectu ferri solet) tamen non mediocri amore seruum suum complexus est. Seruorum quidem ea tempestate conditio tam abiecta erat, ut non pro hominibus, sed pro iumentis reputarentur, tamen tam eximia dilectio & humanitas obseruantur in Centurione, ut quantò contemptior erat seruitus, tantò maiori commendatione dignus est humanus ille affectus Centurionis in seruum suum. Hæc est uirtus & obseruanda & imitatione dignissima, ad quam etiam inuitat Paulus ad Ephes. 6. capit. Et uos Domini eadem facite illis remittentes minas, scientes, quia & illorum & uester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum. Collos. 4. cap. Domini, quod iustum est & æquum seruis præstate, scientes quoniam & uos Dominum habetis in cœlo. Quod rogant seniores (ait Lucas) ut Christus ueniret domum Centurionis, & sanaret seruum, exemplum profectō est infirmæ fidei in legatis Centurionis, qui non credunt Christum sanare posse nisi ueniat. Ampla & firma fuisset fides, qua credidissent Christum posse sanare, etiam si non ueniret ipse præfens. Verba tamen, ut sanaret seruum, ostendebant ipsos habuisse fidem qua statuebant apud se Christum posse sanare seruum. Orationis Seniorum suasiones adducit Lucas, à dignitate personæ Centurionis, & à præstitis in Iudaicum populum beneficiis. Dignus est (inquiūt) ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Actiologia est dignitatis in Centurione à dilectione in Iudæos, & aliis beneficiis in gentem Iudæorum collatis. Magna est hæc uirtus, quam Centurio cum paucissimis sue uocationis habet, plerique alij milites solent deprædari ac diripere templa, monasteria, & quicquid ad conseruandam doctrinam religionis à maioribus institutum est. Quartò quoque uerbo blasphemias in Christum filium Dei uomunt, erga suos frequentius tyrannidem exercent, quàm ipsos defendant, raptu suorum uiuunt, nihil non malum agunt. Omnia illis licent, quod ita placeant. Leges contemnunt, tantum cuticulam curant, pro carnis suæ licentia uiuunt. Hic autem Centurio tantum ab hac impia crudelitate, ut Iudæis sumptu suo ædificauerit synagogam, in qua uera religio doceretur. Vnde apparet quod etsi habitu Ethnicus fuerit, fide tamen cordis sui approbavit religionem Iudæorum, quæ erat, quod in semine Abrahæ benedicenda

Pius & humanus herus miseriam & egritudinem serui fidelis, suam esse dicit & sentit.

Miles ut plurimū omnis humanitatis expers.

Homo gentilis synagogā ædificat, & qui se Christianos contemnit, templa diripiunt & deiciunt. Centurio nihil commune habet cum militibus huic temporis.



essent omnes Gentes. Quid quæso hac uirtute admirabilius? qua nimirum Centurio primum Ethnicus, deinde miles, postremò etiam hospes in regione Iudæorum uidetur maiorem penè cognitionem uerè religionis habuisse, quàm ipsi Iudæi. De huius fidei magnitudine postea fusius dicemus. Satis erit hoc loco obseruare quod hic Centurio surgit in iudicio, cum his centurionibus & militibus, qui sine delectu pauperum bona corroserunt, Collegia sacerdotum & monasteria, à maioribus ad conseruandam doctrinam religionis nostræ instituta, abrogarunt, & condemnabit illos, quòd contentus suis stipendiis, neminem concusserit, suo sumptu Synagogam ædificauerit, in qua pietas docebatur & exercebatur: illi uerò Ecclesias ac monasteria aboleant & opes ac redditus ipsorum in priuatum suum còmodum transferant. Non inficior multas esse impietates sacrificarum & monachorum: sed impietates & abusus abrogentur, ipse autem legitimus Ecclesiarum ac monasteriorum usus, tam religiose & sanctè institutus, conseruetur, præsertim cum & leges dicant, Nullius sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ. Quod enim diuini iuris est, hoc in nullius bonis est. Propterea leges uolunt opes Ecclesiarum inuolatas esse, ut ministeria Ecclesiastica, & doctrina Christianismi hoc adminiculo inuolata conseruentur. Sacrilegum uocant qui paucos numulos ex Ecclesiæ gazophylacio surripit. Quo igitur nomine censendus est is, qui omnes templorum & monasteriorum facultates in suum prophanum usum, imò abusum transfert? Magistratus Iudæorum & Gentium aut occidebant quòndam, aut exigebant suis regionibus Apostolos & alios Euangelij de Christo prædicatores. Sed quæso, diripere opes Ecclesiarum, ac uel præsentibus ministros Ecclesiæ ad famem adigere, uel hac crudelitate (ut solent pedites perditissimi homines, & quidam in suis pagis titulo tenus nobiles) pastores, parochos, aut uicarios, probos & doctos persequi, ut paucos inuenias qui audeant ruri agere, & uerbum suis prædicare, quid aliud uidetur quàm quadam alia specie, sed fere non minus atroci, Ecclesiam more Iudæorum & Gentium persequi ac deuastare? Quare qui nolit ab hoc Ceturione Ethnico in iudicio Dei condemnari, & cum persequutoribus Ecclesiæ perire, imitetur exemplum Centurionis, & quantum in ipso est, studia ueræ pietatis & religionis, quoquo modo potest adiuuet atque conseruet.

Et ait illi Iesus, ego ueniam, & curabo eum.

Magna profectò Christi philanthropia, qui uult & uisere & sanare Ethnici seruum. Quid quæso potest aut dici aut audiri hoc responso & benignius & facilius? Quis hoc apud se perpensio, non expectet ab ipso omnia? Tametsi enim Ethnicus esset cuius negotiū agebatur, & essent legati satis rudes, tamè illico non tantum se exorari passus est qui redderet sanitatem, uerum etiam inuisere Ethnici seruum ultro uoluit. Delectatus enim Centurionis fide, qui non dubitaret Christum uerbo etiam absenti seruo mederi. Quò igitur magis redderet omnibus perspicuam insignem uiri fiduciam cum summa mentis humilitate coniunctam, ait, Ego ueniam, & sanabo eum. Sicut superiore exemplo Christus pollicitus est uelle se, ita & hic pollicetur se cum uenerit, medicaturum. Deinde quomodo ueniat ac mederi soleat, declarant sequentia uerba. Addit Lucas, Iesus autem ibat cum illis, quo uerbo ostenditur effectus orationis factæ ex fide & animo fidenti. Ad alienam fidem & orationem it Christus, quantò magis ibit ad propriam? Hac còmendatione hortatur ut unus pro altero oret. Christum aduentantem audiens Centurio mittit amicos ad Christum, unde Lucas ait, Et quum iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio, amicos dicens, Domine noli uexari. Sic enim cogitasse uidetur Centurio, sicut & nos plerunque cogitare solemus, Ego iniustus sum peccator, mittam igitur iustiores, quos exaudiet Christus. Domine, uox est fidei non dubitantis de potentia Christi. Est enim Dominus uocabulum potentia. Noli uexari, non est

opus tantum laboris sumas, qui citra tantum laborem sanare potes seruum meum: adhuc non sum dignus.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Actiologia, ne offendatur Christus indignitate Centurionis. Item ad te Domine, sed Iudæus non sum. Centurio sum ethnicus, duplici nomine Iudæis abominandus, tum quòd sim incircuncisus & à Mose alienus, tum quòd hoc genus uitæ infame sit vulgò. Et ob hæc indignus, cuius tu tectum subeas, meoque contubernio contamineris. Ad hæc uidetur humiliatus in uera humilitione & sic affectus, Domine ego miser sum peccator, tu autem solus iustus: eam ergo quam tu habes iustitiam, mihi nudo & ter misero peccatori impartito, & illud quod tu habes auxilium mihi ne negato. Hæc est causa missorum amicorum, & cur ipse non uenerit ad Christum, sumpta ab indignitate. Sic enim Lucas, Propter quod & me ipsum non sum arbitratus dignum, ut uenirem ad te.

Sed tantum dic uerbo & sanabitur puer meus.

Non contentus præmissa humilitione Centurio, uires resumit, & è sua humilitione & indignitate seipsum erigit, ardentiorè fidem exerens: nimirum reiectis omnibus scandalis (qualia esse possunt, quia homo gentilis erat, alienus à promissionibus, &c.) credit in uerbo uitam esse, pro omnibus qui in ipsum credunt, sine personarum respectu. Quasi dicat, Non pendet sanitas serui mei è tui corporis præsentia, non est opus uexeris huc uenire: tantum uerbo iube: & quæ tua potestas est, protinus sanabitur puer meus. Obserua, Centurionem hoc dicto, dic tantum uerbo, tribuere Christo diuinam potentiam. Prouincet enim magnorum dominorum potentia in illorum uerbo, si quod iubent, citius dicto fiat. Vnde scriptura omnipotentiam Dei significans uerbo adscribit, Genes. 1. cap. psal. 146. & 147. & 148. Vnde cum dicit, Dic tantum uerbo, eam potentiam Christo tribuit quæ sit humana maior, ut qui in manu sua habeat potestatem & uitæ & necis, nec habeat necesse orare pro sanandis infirmis, ut propheta aliquando: sed iubere possit, & si iusserit, absque dubio saluum credit fore puerum suum. Nò enim dicit, ora Deum, & sanabitur puer meus: sed, dic uerbo, hoc est iube. Nec simpliciter dicit, dic, uel iube, aut præcipe: sed dic uerbo, hoc est audito tuo uerbo, abscedet morbus, obediet agritudo, recedens à puero meo. Magna proculdubio fides quæ Dei dicere, credit esse facere. Obserua exemplum ueræ humilitionis in Centurione, quæ ex ueris terroribus cordis constat, & oritur ex cognitione peccatorum & indignitatis propria, abiiciens omnem sanctimoniam ex propriis uiribus, accusansque se tanquam puluerem in conspectu Dei, quomodo & Dauid humiliatus fuit cum obiurgaretur à Nathan propheta: deinde peccata & indignitatem apprehendens nò desperat (quemadmodum Cain & Iudas, qui cognito suo peccato non se crexerunt ad Dei misericordiam, ideo perierunt) sed fide uiua & fiducia se erigit ad gratiam. Quo exemplo docemur, ne propter nostram indignitatem, gratiam excludamus, sed speremus, & ut ita cognoscamus nos esse indignos, quo ad gratiam rursus confugiamus. Rursus aduerte hoc uerbum, Sed tantum dic uerbo, esse uerbum uiuæ & ueræ fidei alterius in penitentia partis, qua se rursus erigit Centurio è sua indignitate, pergens orare, & impetrare pro seruo. Colligamus ex superioribus quæ in charitate & sincerissima Centurionis fide uidenda sunt. Primum credit Christus omnia ubique posse, ideo illius tantum uerbum exposulauit, seseque felicissimo eius colloquio reputauit indignum. Prætulit quoque sibi ipsi eos quos misit, cum in ueritate illis omnibus, ob uiuæ fidei puritatem, Deo gratior, esset. Viua enim fides, Deo acceptum facit. Parit autem mox (ut hic uidetur) fructus suos, nempe cor, uerba, factaque uerè humilia. Vnde Dauid ait, psal. 125.

Centurio omnipotentiam Christo tribuit.

Dei dicere est facere.



Credidi propter quod loquutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Verè ergo fidelis & humilis fuit Centurio, nam alioqui Christo minimè placuisset. Odit enim Deus quicquid superciliosum, mèdax & fictitium est, & solam veritatè amat. Psal. 50. Ecce enim veritatem dilexisti. Admiranda profectò Centurionis uirtus, quæ tibi proponitur non ut admireris tantùm, sed ut imiteris. Imitaberis autem, si uerè agnoscas, qualis sis natura tua in iudicio diuino. Sic enim fiet, ut quantuncumque præstans fueris humano iudicio, cristas tamen demittas, & te abiectissimis etiam hominibus inferiorem reputer. Neque id sine autoramèto facies. Nam quòd te submissius geres, hoc altiorem te euehet Dominus Deus noster, qui etiam in altis habitat, humilia tamen respicit in cælo & in terra, suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic uade, & uadit: & alij ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Non contentus Centurio simpliciter fateri Iesum posse seruum suum uerbo sanare, contendit etiam singulari collatione, & argumento à minori ad maius, à se ipso, ad Christum ipsum, explicare, quàm fidei magnitudinem in Iesum conceperit. Siquidem ego homo alterius potestati subditus, quasi dicat, ego potestate nihil tibi conferendus sum, id est ut qui adhuc alterius sum potestati subditus, cum tu in manu omnia habeas, possum uerbo efficere quod uolo apud meos, quantò magis tu Iesu, quem ex tot miraculis agnosco, uerum Messiam & omnium rerum Dominum, uno uerbo aut saltè nutu oculorū efficere potes, ut quicquid est infirmitatis in seruo meo fugatur. Quasi dicat, Quomodo facit ut iubeo seruus meus, ita quæ tu iusseris, omnis creatura. Obserua. Hominis uoce, ego homo sum, extenuat se Centurio præ uerbo potenti, ut potentiam uerbi extollat. Quasi dicat, Si mihi uermiculo miserimo peccatori, & qui nihil in tuo conspectu sum, serui mei obtemperant, multo magis te (qui omnipotens es) imperante, puer meus sanabitur, aut quanto plus tu uerbo quodcumque uolueris præstabis in rebus omnibus, morbos abigens, sanitatem restituens, arcens mortem, uitam conseruans. Accommodationem exempli à persona Ceturionis ad Christum relinquit Matthæus, similiter & Lucas, lectori accomodandam. Estque hac commodatio, Ego dicitis rego milites meos ad executionem mandati: ergo & tu potens es uerbo restituere seruum meum, &c. Proinde in hac comparatione primùm obseruandum est, quòd Centurio uerbi sui efficaciam erga milites suos proponens, non tam sui ipsius auctoritatem, quàm Romanam seueritatem in conseruanda militari disciplina commendat. Nam ut milites dicto audientes retinerentur, nec Posthumius, nec Manlius suis ipsorum filiis, qui aduersus edicta extra ordinem in hostem, quamuis feliciter pugnauerant, pepercerunt: sed securi eos feriri iusserunt. Quibus tristissimis exemplis milites tam obediètes facti sunt, ut postea Scipio Aphricam expugnaturus, non alia re magis se fidere affirmaret, quàm militum suorum obediètia. Cùm enim à quodam rogaretur, quæ re fretus classem in Aphricam educere pararet, ostendit ei uiros armatos trecentos, præterea turrim mari imminentem, & ait, Nullus horū est, qui non conscensā turri semet in mari præcipitaturus sit, si iussero. Admiranda obediètia, sed multo admirabilior humani uerbi energia, qua fit ut homo non solum seipsum huc atque illuc moueat, uerum etiam in presentaneam mortem sese coniiciat. Secundo, obseruandum est quantam maiestatem Centurio hac sua comparatione Christo tribuat. Nā cùm affirmat Iesum posse seruum suum uerbo sanare, apertè confitetur Iesum esse Dominum super omnes morbos & afflictiones. Hoc autem de Iesu sentire & confiteri, est sentire ipsum esse uerum Messiam. Apud Esaiam enim Messias dicit: Spiritus Domini super me eò quòd unxerit

unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mēderet contritis corde. Et mox, Ut consolaret omnes lugentes, ut ponerem fortitudinē lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Adhæc cùm Centurio asseuerat, Iesum posse morbum serui deplere uerbo, satis apertè significat, se sentire Iesum esse uerbū Dei, ac creatorē cæli & terræ. Qui autem ad hunc modum de Iesu sentit, profectò necesse habebit sentire, Iesum esse uerum & naturalem Deum. Quare etiam Centurio, non omnia hæc in comparatione sua disertis uerbis explicet, tamen cùm ait: Tantùm dic uerbo & sanabitur puer meus, satis apertè declarat, se fide & ex animo tribuere Iesu maiestatem ueri Messia, & filij Dei. Oportebat enim ut Centurio antè omnia statuerit apud se, Christum esse filium Dei, antequam illum ista posse crediderit. Nō enim protinus sequitur. Ego multa possum iubendo, propterea qui uis hoc potest. Sed si ego possum qui homo sum, quantò maiora potest uerbo suo Deus, qui omnia potest, nulli subiectus, sed omnibus imperas? huiusmodi ratiocinatio, ualet. Sed quid ista ad hominem fabri filium, nisi credidisset ipsum esse diuinæ uirtutis? Illud autem quòd talem cum credebat, non ex eo collegerat quòd ipse plura posset, sed ex eo quòd esset filius Dei: quod testabantur uerba & opera ipsius, quibus credebat.

Audiens autem Iesus miratus est.

Hæc audiens forsitan dices, Quid est quòd Christus Centurionis fidem admiratur: an non est natura Deus, & omnium rerum gnarus? Cur ergo tanta huius fidei admiratione capitur, quasi prius hanc ignorauerit? Respondeo. Rectè sentis & ais quòd Christus est natura Deus, & omnium rerum gnarus: sed interim homo quoque est: quare nihil humani alienum ab ipso præter peccatum putandum est. Ut ergo esuriit, ut sitiit, ut gaudio affectus est, ut tristatus est, ita etiam insolita, more humano admiratus est. Enim uero non est imperfectionis, pro his quæ Deus operatur in credentium cordibus admirari: & qui cordis abdita nouit, inde rectè admirari potest. Cùm itaque Christus palàm fecerit, quòd Centurionis uel absentis, fidem & ueram humilitatem agnouit, unde & demirabatur, sui perfectionem ostendit. Non enim ob uerborum folia miratus est ille, qui omnia externa ab internis metitur. Neque sermone, fides eius cognita est ac placuit, sed quia eius fidem primùm nouit & gratiam habuit, eius demum eloquia accepta fuerunt. Verè ergo ob fidem tam insignem, quam in eo ut Deus per spiritum suum operabatur, ut homo, admiratus est. Ex eo inquam admiratur, quod hætenus erat insolens, utpote qualem antea non inuenisset: deinde, ne in Israël quidem: & tertio, quòd homo Gētilis, & prophetarum & legis diuinæ ignarus, ita perfectè credebat.

Et sequentibus se dixit.

Dum admiraretur fidem Ceturionis quam non ignorabat, sed ut omnibus admirabilem redderet, conuersus est ad Iudæos, præsertim Senatores illos Capharnaitas, qui sequebantur, eisque uelut exprobrans incredulitatem suam, dixit.

Amen dico uobis: non inueni tantam fidem in Israël.

Iurat Christus in re seria & uera, extollens ac commédans fidem Centurionis, & traducens incredulitatem, uel certè duritiam cordium ad credendum, quam habebant qui primi esse debebant professores regni Christi, quod haberent prophetas, legem, promissiones, & quicquid ad cognitionem regni Christi facere debebat. Verùm quòd diuinitus amplioem Dei fauorem oblatum, & in promptu habebant, eò amplius Spiritui sancto resistebant. Horum profectò duritiam non obscure prodit hic homo religione gentilis, prophetarum planè & legis diuinæ ignarus, adhæc & conditione non philosophus, sed uir belli. Et tamen tanta præ-



ditus est fide, ut Christus illam præponat omnibus Israëlitis, dicens, Ne in Israël quidem tantam fidem inueni. Quasi dicat, Illud affirmo uobis, hætenus non inueni tantum fidei in populo meo Israëlítico, quantum in hoc alienigena, qui nec prophetas nouit, nec nostram doctrinam accepit, nec miracula uidit. Respōdabis. Num Apostoli talem habuerunt? Num & Ioannes Baptista, quando dixit, Et ego nesciebam eum? Respondeo ad primum, quod in Apostolis Christus non inuenit tantam, quando illos uocauit, etiam multo tempore post uocationem, quantam in hoc Centurione. Scio quidem ipsos maiorē postea consequutos: sed initio quando uocati sunt, frigida admodum erat ipsorum fides, etiam post ipsorum uocationem. Nam in hoc capite, & Luc. 8. legimus Apostolos admiratos & stupefactos dixisse, Quis est hic, qui etiā imperat uentis & mari, & obediunt ei? Si hac & tanta præditi fuissent fide, qua Centurio, non fuissent admirati, sed credidissent ipsum esse Deū qui uel solo uerbo mari & uentis imperare poterat. Huc pertinet quod sapius illorum imbecillam fidem notauit, & arguit. Sed tulit eos ac prouexit, donec paulatim solidarentur, & hoc Centurione maiores essent. Ad secundum, de Ioanne Baptista dicente, Et ego nesciebam eum: sciebat quidem Christū uenisse, & esse Dei filium & hominem ex uirgine natum, imò confessus est in Christo diuinam naturam ac passionem & reconciliationem mundi per eum. Quare huius fides amplior erat quàm Centurionis, sicut & fides Virginis Mariæ: sed nesciebat eum, id est nō erat illi notus de facie, donec spiritus reuelauit & ostendit Ioanni. Vide quæ in eū scriptum Ioannis locū. Quare uidetur mihi dicendum, Christum cum diceret, Non inueni tantam fidem, &c. loquutum de vulgo Israëlitarum, quorum maior pars neglexit potius Christum, præsertim cum à summatis damnaretur, quàm obseruauit. Aut de ipsa admirandi ratione sentit. Quamquam enim multi pij Israëlita (qui legem & prophetas, rursus Christum prædicantem, & eius miracula habebant) magna præditi essent fide in Christum, tamen multo admirabilius est, quod Ethnicus & miles, quàm quod Iudæus in lege & prophetis uersatus in Christum credat. Obserua tamen præclaram Centurionis fidem extollat Christus, tamen eam quam in Israëlitis pusillam reperit, non reiecit, sed tolerat ac prouehit. Quare admonemur, ne protinus fratrem qui pusilla fide fuerit, reiciamus, considerantes quantum tempore Christus cum Apostolis agens tolerauit imbecillam illorum fidem. Tantò (dicebat illis Dominus) tempore uobiscum sum, Philippe, & non cognouistis me. Rursus aduerte quàm alieni sint à uero, qui putant armis & bello consecratos planè non posse placere Deo, cum uideas hunc Centurionem non solum militiæ adscriptum, sed etiam ducem militum (erat enim Centurio, hoc est decem decuriis præfectus: aut, ut Hilario placet, Tribunus erat) tanta poluisse fide & gratia, ut meruerit etiam cum asseueratione commendari à Christo supra Israelitas. Talis erat & Cornelius ille Centurio, de quo Lucas meminit Act. 10. capit. Cui magna quoque pietas tribuitur, qui & euidentissimis signis Deo placuisse demonstratur. Nec Ioannes Baptista penitentiæ prædicator, rogatus à militibus quid facere deberent, Luc. 3. respondit, eos non posse acceptos esse Deo, sed si pergerent militiæ seruire, simpliciter ait, ne quempiam concuterent, & nemini calumnia facerent. Quod si militiæ seruire impium fuisset, in primis illos admonuisset, ne se duci ad præliandum & militiam exercendam adstringerent. Obiicies. Quid igitur est, quod hoc hominum genus hodie tam malè & uiuit & audit? Certè bona est illorum uocatio & licita conditio, propter quam non male audiunt, sed quod illa male utantur. Est enim à Deo magistratus institutus, qui gladio utatur ad innoxios defendendum, & puniendum malos, doctore Paulo Rom. 13. Obserua: si ad uerbum Græca reddideris dices, Ne in Israël quidem inueni, &c. Vt intelligas Centurionem non fuisse Israelitam, id quod indicant Hilarius & Hieronymus.

Sublimior  
fuit fides  
Centurionis  
gentilis,  
quàm  
vulgi  
Israelitarum.

Non est  
impium  
seruire  
militiæ.

## Dico autem uobis.

Apertè Dominus de uocatione Gentium, quarum hic Centurio quodam modo primitiæ est, & abiectioe Iudæorum uaticinatur.

Quod multi ab oriente, & occidente uenient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.

Vos placetis uobis Iudæi, quod sitis filij patriarcharū quos Deus amauit: quod sitis Deo populus peculiaris, cui salus hæc præcipuè promissa uidetur. Verum illud affirmo uobis, quod ad exemplum huius alienigenæ (qui est ueluti primitiæ Gentium credentium) multi ex gentibus uenturi sunt, qui credent in me, sicut hic Centurio, ex qua fide in me fructum consequentur, nimirum uenient per fidem uiam, Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est: & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob, id est in regno Dei erunt, felicitate & uita æterna donati. Non dicit in regno meo, aut in regno Dei, ut ostendat suscitatos etiam ex lapidibus filios ipsi Abrahæ esse, & spectare ad regnum Dei, quod sinus Abrahæ uocatur, siue sanctorum requies. Et hoc propter fidem in promissionem seminis, quo uniuersæ gentes benedicendæ ueniunt: quam tam eximiam & singularem Abraham habuit, ut qui in simili fide seu fiducia in illius seminis benedictionis promissionem defuncti sunt, in sinum Abrahæ, hoc est regnum Dei, translati dicantur. Quæ promissio cum non ab similibus facta fuerit Isaac & Iacob, ideo cum Abrahamo, Isaac & Iacob recumbent: id est in regno Dei perpetuò beati uiuent. Quo in uerbo, recumbent, obseruanda est metaphora recubitus ad mensam scilicet, qua gaudium & requiem regni Dei Christus hic uoluit exprimere, quemadmodum & Luc. 22. facit. Sic & David psal. 22. Deinde uerbo uenient intellige quæ Paulus Rom. 11. narrat & differit de ramis ex oleastro insertis, & ad Ephes. 2. de eo quod Gentes aliquando procul ac longè abfuerint ab hæreditate Dei. Nō enim Iudæi ad Gentes: sed Gentes ad Iudæos fideles in Christo uenisse dicuntur, quando ad Christū accesserunt per fidem charitati coniunctam. Huc pertinet illud Esaiæ. 2. Ascendamus ad montem Domini, &c. & fluant ad eum omnes Gentes. Proinde his uerbis recumbent cum Abraham, &c. retundit cristas & supercilium Iudæorum, qui propter legem & legis opera aduersus gentes tumescerant, putantes se ex legis operibus & non ex fide uiua habere iustitiam. Non memorat hoc loco Christus Moses, Aaronem, & alios qui sub lege fuerunt: sed Abrahamum, Isaac & Iacob sanctificatos quadringentis triginta annis antequam esset lex: ut ostendat omnes in se credentes etiam citra legem, sicut Abraham, Isaac & Iacob saluandos esse, & recubituros cum Abrahamo, Isaac, & Iacob. Rursus aduerte uoces, ab Oriente & Occidente, quibus regni sui amplitudinem significat, quod per uniuersam terram & totum orbem propagandum ac promulgandum erat. Vos eritis mihi testes (dicebat ille Act. 1. cap.) in Ierusalem, & in omni Iudæa, & usque ad ultimum terræ. Quibus uerbis manifestabat se eum esse regē, in quo debent impleri promissiones illæ, psal. 2. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuā terminos terræ, & psal. 71. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarū, &c. Et adorabunt eū omnes reges, omnes gētes seruient ei. Esaiæ 49. Et sis salus mea usque ad extremū terræ. Quapropter emittens discipulos suos, ait Marc. ultimo, Euntes in mundū uniuersum, prædicate Euāgelium omni creaturæ. Et in Matthæo, Docete omnes gentes. Et Act. 1. ut paulo antè scriptum. Hæc facta sunt prædicantibus Apostolis, quorum sonus exiit in totum orbem terrarum. Rom. 10. ex psal. 18. Impletumque est illud quod Malachias 1. cap. cecinit. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio mundo, quia magnum erit nomen meum in gentibus dicit Dominus Deus exercituum. Hic locus

Gentium  
uocatio  
prædicatur.



& similes monuerunt magnum illum Augustinum scribere aduersus Donatistas, qui uolebāt regnum Christi coartare in angulum Africę: ita ut extra scētam suam, quę uigebat in Africa, negarent uspiam esse Christianos. Certē ubi ubi in Christum credideris, ibi te esse Christianum agnoueris: & recubiturum cum Abrahamo & aliis, si in fide Abrahamę perseueraris. Quos (ut in summa dicam) notanter recensuit, ut ostenderet unum esse populum, eos qui ex gentibus, & qui ex Iudæis in se crediderunt, & credunt. Deinde & unum esse regnum, & unam fidem, & unum mediatorem, se scilicet, inter Deum & hominem. Quod expressisse uidetur, cum ait, & recumbent cum Abraham, &c. Nam si cum Abraham, Isaac & Iacob, hoc est Isrāelitarum patribus & radice coniunguntur qui credunt in Christum: ergo unus est Dei populus ex Iudæis & Gentibus. Vnus est & mediator Christus ipsos Deo coniungens. Vna est fides, nimirum fides uiua, qua Christo inseruitur & fiunt unum cum illo, ut iam siue Iudęi siue Gentes dicantur filij Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi. Cum ergo iam congregentur cum Abrahamo in unum regnum, ergo sub unum Dominum congregantur, nempe Christum. Ergo si regnum illud est regnum Dei, ergo utrobique est unus Deus, Deus scilicet Abrahamę, Isaac & Iacob, & omnium in regnum congregatorum & congregandorum.

#### Filij autem regni eiicientur.

Filios regni uocat Iudæos, eò q̄ ad eos pertinebant promissiones regni Christi, & testamenta. Disputat de his Paulus, Rom. 9. 10. 11. adducens duas huius excisionis Isrāelitarū causas, alterā quę culpā habeat Iudæorū, nēpe incredulitatē, Rom. 11. Propter incredulitatē (inquit) fracti sunt. Alterā quę prouidentia Dei cōcernat, ac misericordiam in Gētes, nempe salutem Gentium, ut inibi dicit Paulus. Sed illo rum delicto salus est Gentibus, ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium: quantum magis plenitudo eorum? Et paulò post ait, Cæcitas ex parte contigit in Isrāel, donec plenitudo gentium intraret. Hoc ut est res ualde stupenda, ita partim consolatur fidem nostram, partim inuitit nobis timorem Dei. Quid enim admirabilius, quàm quod ea gens, qui sunt Isrāelitę, quorum est adoptio & gloria & testamenta & legis constitutiones, & cultus & promissiones, quorum sunt patres, & ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem, à Domino Deo suo & ab hereditate regni celestis abiecta sit, in huius autē locum electa sit gens aliena à Republica Isrāel, extranea à testamento promissionis, nec spem nec Deum in mundo habens? Curigitur & nos ex incircuncisis gentibus simus? agitedum, confirmemus ex hoc Christi uaticinio fidem nostram in omnibus afflictionibus: & certam spem concipiamus, quod nulla aduersitas tam horrenda sit, quę possit nos separare, ab ea dilectione, qua Deus ad accubitum cum Abraham, Isaac & Iacob in regno celorum uocauit. Deinde ex hoc loco discamus timorem Dei, uidelicet, ut in ipso ambulemus obsequio nostro erga Deum grati simus, & uocationi Dei obediamus. Nā si Deus reiecit Iudæos electam suam gentem, propterea quod ingrati fuerunt & fastidierunt beneficij Dei, quantum magis puniet Deus in nobis Gentibus ingrati tudinem, & fastidium donorum suorum?

#### In tenebras exteriores.

Incredulis & lucem auersantibus horrendum minatur exitium, nimirum non solum non recipientur ad fœlix illud conuiuium cum Abraham, sed expellentur quoque in tenebras exteriores, hoc est in cruciatum perpetuum, & damnatorum locum, qui rectè tenebris exterioribus propter horrorem comparatur: sicut beatorum locus luci, propter gaudij æterni amœnitatem. Eiicientur in tenebras, quia à

Iudæorū abiectione ex eorum incredulitate pendet.

Iudæorum prærogatiue

facie Domini, quę perpetuò solum in suis lucet & amica est, expellentur in perpetuam noctem. Aut exteriores tenebras uocat cruciatum & mortem æternam, culpę & reatui peccati (quod est internæ tenebrę) coniunctam. Sunt certè stipendia peccati (ut Paulus ait) mors, mors inquam æterna perpetuis pœnis immerfa. Aut tenebrę dicuntur exteriores (ait Hierony.) quòd qui à Domino foras expellitur, lumen relinquit.

#### Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Metaphoricās damnatorum pœnas & angustias sic exprimere uisum est. Hac metaphora comparat ter infœlicem & miseram illam damnatorum conditionem, & statum, captiuus in loco caliginoso, & horroris pleno sedentibus: quos conscientia mali & iudicij futuri miserè cruciat, & ad fletum & dentium stridorem cogit. Ut membris & rebus corporeis sensiles & corporeæ respondēt pœnæ: ita spiritibus suæ respondent spirituales, & suo modo sensiles pœnæ. Vnde quemadmodum locus caliginosus & fumo plenus oculis lachrymas inducit, & nimio frigore dentium stridorem incutit: ita & in inferno, loco tormentis & molestiis intolerabilibus pleno, reprobis ignem intolerabilem, & frigus sustinebunt. Iob. 24. Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium, & usque ad inferos peccatum illius. Si itaque fletus oculorum est, & stridor dentium ossa demonstrat (ait Hieronym.) uera est corporum, & eorum membrorum quę ceciderant resurrectio. Obserua his tribus nominibus tenebrę, fletus, & stridor, describuntur uniuersæ pœnæ sensus quæ crunt in inferno.

Corpus hominis damnati pœna sensibili & corporea puniuntur.

#### Et dixit Iesus Centurioni, uade.

Dixit Dominus iis quos miserat Centurio, uade, quo uerbo annuit supplicationi Centurionis, remittens illum domum pacatū, & uoti compotem. Usurpatur enim imperatiuus, uade, hic & alibi, pro eo quod est, Sis bono animo & pacato. Non enim simpliciter dicit abitionem ad sua: sed includit quoque in se assensum super eo quod petierat. Nam pro more & in usu habemus, quando facultatem abeundi à nobis ad sua aliquibus damus, & hos uoti compotes significare uolumus, ut dicamus, Uade, bono animo esto. Non ab simili responso est usus David, 2. Re. 14. ad mulierem Thecuam, rogantē pro liberando filio. Uade (inquit) in domum tuam, & ego iubebo pro te. Hoc quid aliud erat, quàm, esto bono & securo animo de filio tuo, cuius gratia noli amplius molesta esse, sed quæta, uade in domū tuā, ego enim expediam, ut quod times non eueniat. Ad hunc modum Christus legitur afflictos impetrata à se consolatione dimisisse, ut Marc. 5. dicebat mulieri à sanguinis fluxu sanata post contactum sabbriarum uestimenti Christi, Uade in pace, & esto sana à plaga tua. Ita, Luc. 17. dixit uni ex decem leprosis, Uade, fides tua te saluum fecit. Et Ioan. 4. ad regulum, Uade (inquit) filius tuus uiuit.

Uade, sis bono animo.

#### Sicut credidisti.

Non dicit secundum iustitiam tuam, aut probitatem tuam ex tuis propriis uiribus partam, sed sicut credidisti, hoc est secundum fiduciam tuam sublimē. Quare admonemur Deum in orationibus piorum præcipuè attentum fiducia. Vnde fit ut frequenter legamus dictum à Christo, fides tua te saluum fecit. Iuxta fidem tuam fiat tibi: & uidens fidem illorum, &c. ut Matt. 9. & 15. Marc. 5. & 10. Luc. 5, 8. & 18. adeò ut talem nobis habeamus Deum, qualem illi certè ueraci & misericordis fidem uel habuerimus uel negauerimus. Proculdubio iure optimo Deum sibi immisericordem aut huiusmodi sentiunt, quotquot illi malè fidunt. Quid enim iniquius dici potest, quàm optimo bono (in quo nulla mali ratio inueniri potest) malè fidere? Omnia bona sperantibus in se promittit, nihil à nobis exigens, nisi quòd ipsi, tanquam ueraci & misericordis, ex animo fidenti & charo adhærea-



mus, ceu qui ab illo toti pendere uelimus. 1. Ioan. 5. Et hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum uoluntatē eius, audit nos. Cur ita? Quia tantæ bonitatis & ueritatis est, ut fallere nesciat sperantes in se.

Fiat.

Maximus gratiarum dispensator, & uelut magnus Imperator (cui cuncta parent) hoc uerbo fiat, supplicationi Centurionis subscribit, manifestans suam bonitatem & omnipotentiam, qua in manu habet, & uitæ & necis potestatem, simul & facultatem solo uerbo expellendi morbos, & restituendi sanitatem huic seruo iam animam agenti. Obserua: non dicit, orabo pro seruo tuo, sed uerbo dominātis utitur, ueluti qui in arbitrio suo habeat, uel assentire petitis, uel abnuere.

Tibi.

Non dicit seruo tuo, sed tibi Centurioni fiat sicut credidisti, ut ostenderet hunc seruum apud Deum, & omnia quæ seruum concernebant, Centurioni non aliter deputari, quàm quemadmodum Centurio per charitatem suam, seruum seruique aegritudinem suam fecerat. Vnde perspicuum est, beneficentiam quam Christus Centurionis seruo præstitit, non tam seruo quàm ipsi Centurioni præstitisse, quandoquidē ipse Centurio causam serui suam fecerat. Quo exemplo monemur quādo per charitatem & misericordiam alienis incōmodis & infirmitatibus condolemus, ad eō, ut nostrā duxerimus, & pro his Deū precari uerimus, illud quoque apud Deum pro nostro incommodo habeatur. Id quod ualde Dei erga nos beneuolentiam exprimit. Ita enim Deus nos amat, ut non solū nostris incōmodis opem sit laturus tanquam nostris, sed etiam alienis, quæ per charitatem in nos trāstulerimus, hoc est, per dilectionē nostrā esse duxerimus. Obserua ex his, quā utile fuerit quempiam uiris piis esse affinem, piorūque habere gratiam & patrocinium. Respiciuntur quidem pijs dum pro alijs orantes, diuinam beneuolentiam & gratiā impetrant: ita ut quæ Deus præstat bona, illis pro quibus orant, illa non minus præstet pijs quàm istis, interim tamen isti beneficentia per pijs impetrata potiuntur. Ad hunc modum ciuitas Scir, precibus Loth seruata est, ne cum alijs ciuitatibus periret, Genes. 19. Similiter illi qui cum Paulo Romam nauigabant naufragium passuri, dabantur quidem omnes Paulo, quemadmodum legimus Act. 27. Ecce donauit tibi Dominus (ait Angelus Paulo) omnes qui nauigant tecum. Interea tamen ipsi potiebantur ea salute, quæ Paulo data erat.

Et sanatus est puer ex illa hora.

Lucas 7. cap. ait, Et reuersi qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum. Audito uerbo fiat, redeunt domū, & ex illa hora experiuntur rem ipsam sequitam uerbum Christi. Siquidem compertum est, eodem tempore subitō Centurionis seruum fuisse morbo liberatum, nequis suspicari possit, casu, aut medicorum ope factum. Nam ut nemo subitō liberatur à lepra iuxta naturæ cursum, ita nec paralytis subitō quenquam relinquit. Hic commendatur Christus, uerbum, & fides, à suo effectu, qui est sanitas: inuenire enim seruum, qui animam agebat, sanum, effectus est potentis uerbi, & Christi per uerbum potenter operantis. Statim iussu Christi annuentis supplicationi Centurionis uerbo fiat, recedit morbus, & redit sanitas in seruum. Sunt certē morbi corporales, milites & ultores Dei. Statuunt sacri doctores, seruum & in corpore & in anima fuisse sanatum. Obserua & admirare uelocitatem, quæ non solū sanare, sed inopinatē & in momento temporis hoc facere uirtute Christi demonstrat.

Et cum uenisset Iesus in domum Petri.

Hoc idem miraculum narrant Marcus 1. cap. & Lucas 4. cap. Cum Dominus predictis miraculis, & dæmoniaco sanato magnificentius inclaruisset, à turba (ut

ferè semper solitus erat) sese paulisper subduxit, & ingressus est domum Simoni Petro & Andrea fratri communem. Primū animaduerte ingentem Christi humilitatem. Cui cum uisum esset ingredi hospitium in urbe celeberrima Galilæe metropoli Capharnaō, in qua iam propter miracula clarissimus habebatur, non diuertit ad diuites, & claros Phariseos, quorum fauorem uel uno uerbo, sibi conciliare potuisset, & qui ipsum nondum exosum, nondum proscriptum, nondum publicis diris deuotum, magna obseruantia excepissent: quippe qui ex tanto hospite non nihil sibi gloriæ (ut hoc genus hominum laudis appetentissimum est) parassent: sed diuertit ad pauperem casam piscatoris, & ut ita nominem, ad nosocomion, id est hospitale languentum, in quo infirma anus lecto decumbebat, id autē fecisse uidetur Christus hoc consilio, non ut significet diuites & nobiles proflus à Deo reiectos esse. Deus enim non est acceptor personarum, sed in quouis hominum statu, qui timet Dominum & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Nec id facit, ut significet impietates pauperum, quas prætextu paupertatis interdum designant, sibi placere: qui enim impiè agit, siue ille pauper, siue diues fuerit, suum accipiet iudicium. Sed diuertit ad pauperē casam, in qua agra anus paroxysmis febrium concutiebat: ut significet paupertatem & aegritudinem, non tantō contemptu coram Deo negligi, quātō coram hominibus laborant. In hoc enim seculo nihil est abiectius pauperibus, nihil neglectius infirmis. Sed Christus ad hos diuertit ut ostendat, ipsos sibi maximè omnī curæ esse. Quare qui paupertate premuntur, & infirmitate affliguntur, non existiment se propter paupertatem & infirmitatem, à Deo reiectos, sed confidant se tantō magis à Deo respici, quātō grauioribus afflictionibus percillantur. Obserua. Marcus dicit non solū Christum, sed & alios cum eo mox è synagoga in domum Petri uenisse. Quod nō repugnat Matthæo. Nam credibile est multos è populo post editum miraculum curati dæmoniaci stupefactos, & cum Christo è synagoga egressos, & ipsum cum magna frequentia deduxisse. Rursus aduerte, quod ait, & uenit in domum Petri, Marcus addit & Andrea. Certè fratres erant, hanc domum habentes communem. Rogabis. Quomodo domus Petri & Andrea erat in Capharnaō, cum scriptum sit, Ioā. 1. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andrea & Petri. Si ciues erant Bethsaidæ, quomodo & domum dicuntur habuisse in Capharnaō? Respondeo. Primo dici potest, ipsos natos & educatos fuisse Bethsaidæ, & adultos habitasse Capharnaum, propter lacum Genezareth uicinū ad piscandum aptum: ita ut parentes illorum illuc diuerterint & habitauerint. Aut dici potest, ipsos illuc diuertisse & habitasse post uocationem suam, eō quod illic Christus habitaret posteaquam à Nazareth eiectus est, Luc. 4. cap. Obserua, quod Christum multi sequantur & deducant domum, ostenditur magna Christi uirtus & potentia, qua ad se multos allicit. Obserua. Si hæc domus erat Petri & Andrea, quomodo conuenit ei quod Petrus dixit Domino, Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te? Hic locus indicat Apostolos non ita reliquisse omnia, ut illis postea non fuissent usi, & quasi derelicta semel omnia sua habuissent: reliquerunt enim sua, facti Christi peculiari discipuli & perpetui comites, non ut antea essent curandis illis additi, & pendentes scilicet per omnia ab ore Christi. Nihilominus quoties res posebat, & per munus ad quod uocati erant, licebat, suis potius rebus quàm alienis utebantur. Vnde uerisimile est, cum Dominus cœpisset Capharnaï habitare, hoc est frequētius uersari illic quàm alibi, ut & Petrus ex Bethsaida domicilium eodem trāstulerit, quod curam suorum, quantum illi per Dominum licere potuit, commodus gereret.

Vidit focrum eius iacentem & febricitantem.

Marcus dicit, Et protinus egredientes de synagoga uenerunt in domum Simonis & Andrea cum Iacobo & Ioanne. Decumbebat autem focus Simonis febris.

Plurimi fa-  
cit Deus ora-  
tionem iusti.

Christus ad  
infirmos di-  
uertit.



citās, & statim dicunt ei de illa. Lucas 4. cap. ait, & rogauerunt pro ea. Qui ergo cum Christo uenerant in has cedes, ut puta Simon, Andreas & alij domestici indicauerunt egrotantem, & pro ea rogauerunt: & Dominus uidit focerū illam iacentem & febricitātem. Non est oscitanter consideranda pietas huius familiae quæ erat in domo Simonis Petri. Nā nutriunt socrum, hoc est matrem uxoris Petri, & annis & febribus grauem. Adhæc rogant pro incolumitate eius. Immanè quantū hæc pietas à moribus impiorum hominum differat. Hi enim magno fastidio contemnunt mulieres anus, & citius petunt, ut anus à Satana auferantur, quàm ut sanitati restituantur. Quid autem tali animo inhumanus? Quid crudelius? Nam senectus etiam inter barbaras & efferas nationes venerabilis est, & tu audes eam in muliere natu grandiori execrari? Inter dona Dei senectus non postremum locum obtinet: ut apud Dauidem, Et uideas filios filiorum tuorum. Et in mandato de honorandis parentibus, ut sis longæuus super terram. Quæ est ergo illa infania, mulierem propter donum Dei diris deuouere? Sed iusto Dei iudicio fieri solet, ut donum Dei quod tu in alio fastidis, nunquam in te consequaris. Quare nisi uolueris immatura morte perire, da operam ut exemplum familiae Petri imiteris. Hi enim socru suæ, tum anui, tum febricitati seruiunt quàm possunt diligenter, ac tantum abest ut mortem eius precentur, ut magis pro illius quàm pro sua ipsorum sanitate solliciti sint. Vnde & Christus ad domum illam pietatis plenam diuertit. Mane igitur in charitate, ut & Christus Dominus Deus noster apud te non solum hospes, sed etiam incola & domesticus maneat. Iam & hoc loco discendum est, id quod charitas postulat, infirmandum cum infirmo, dolendum cū dolente, flendum cum flente, hoc est febricitandum cum febricitate, paralyti laborandum cum paralytico, & alij huiusmodi morbi sufferendi sunt cum agrotantibus. Nam cū familia Petri seruiat anui febricitanti, & roget pro sanitate eius, manifestè significat, hoc demum, uerè esse infirmari cum infirmo, non eundè sibi morbum temerè adsciscere, sed infirmo seruire, infirmū consolari, & pro incolumitate ac salute eius apud Dominum intercedere. Hæc qui facit rectè dicitur alterius onera portare, & legem Christi, quæ est de charitate, implere. Obserua uoces iacentem, & febricitātem, & ut Lucas ait, tenebatur magnis febribus, profectò exaggerant necessitatem & morbum, ut postea magis innotescat potentia Christi, qui potuit tam magnas febres pellere. Rursus aduerte, quomodo rogant pro socru. Exemplum est charitatis, in quo uidemus alienam orationem pro aliis efficacem esse, unde hortamur ut alter pro altero fundat preces. Si quis rogauerit, Quomodo hoc factum est miraculum, quod Matthæus non eo ordine historię recēdet quo Marcus & Lucas? Respondeo. Non est in his anxie insudandum, cū certum sit miraculum hoc factum esse. Nam Euangelistæ non omnino in hoc fuerunt (hæc est una clauis scripturæ) ut quando quodque sit factum commemorarent, satis habentes & contenti, uirtutem Christi orbi proposuisse. Adhæc satis est cū quis aliquid refert, quod id non aduersetur eadè narranti, nec sibi nec alteri. Quia enim nullius in potestate est, ait August. res opportunè cognitæ, quo quisq; ordine recorderetur, satis probabile est quod unusquisque Euangelistarum, eo se ordine credidit debuisse narrare, quo uoluit Deus. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostrā interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet corū tenuerit.

#### Et tetigit manum eius.

Marcus habet, Et accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius. Lucas ait, & stans super illam, imperauit febrī. Hi explicantes apertius modum curationis focrus, non repugnant Matthæo dicenti, & tetigit manum eius, quam apprehendens erexit socrum imperando febrī. Verbis adiungit contractum, ut, quemadmodum paulò antè diximus de leproso, moneret nos à uerbo quidem suo expectandā

Venerabilis  
senectus, &  
donum Dei  
maximum.

Oratio iusti  
pro alio effi-  
cax.

esse salutem, sed non nisi per sacrificium carnis suæ, quam contactus uiuificam demonstrat. Non enim solum contactu febrim depulit, sed & mox toti corpori uigorem suum restituit. Obseruanda est in Christo diuina potentia, quod scribitur febrī imperasse sicut & paulo infra cū narratur imperasse mari & uentis.

#### Et dimisit eam febris.

Magna Christi potentia hîc significatur, qui imperat morbis, qui ad eius imperium cedere coguntur, non ea ratione qua homines medici mederi solent, qui pro imperio non possunt pellere morbos, & si quos sua arte curauerint, hos multò tempore læguor & fastidium à morbo tenet. At ubi Christus tetigit languentem & febrī imperauit continuò rota febris abiit, & alacritas rediit, adeoque ualida redita est, & nullum sui uestigium febris in ea reliquit, ut è lecto surrexerit, & mensis ministrauerit. Huc pertinet quod ait Hieronymus, Natura hominum istiusmodi est, ut post febrim magis lassescant corpora, & incipiēte sanitate, agrotatio- nis mala sentiant. Verum sanitas quæ confertur à Domino, totum simul reddit.

Christus san-  
dando nihil  
molestiæ &  
ignauia re-  
linquit.

#### Et surrexit, & ministrabat eis.

Exaggeratio est, & processus seu intentio fortitudinis & restitutæ sanitatis in focru. Ministrat focus, ministrat & manus quæ tacta fuerat, bonis & studiosis operibus uiuam suam fidem manifestans. Exemplum uide charitatis & gratiarum actionis in socru. Quæ ad cibum & reliquum corporis ministerium atinebant, curauit. Quæ in re notabis opera Domini in hominibus huiusmodi esse, ut inde ad proximos utilitas aliqua redeat. Ergo doni: diuinitus acceptis non ociabimur, sed utemur in ministerio Dei, à quo illa accepimus. Nam si hoc exigunt homines ab illis quos iuuerunt, & nemo est qui neget illos hoc debere, cur non idem deberemus & Deo? Iam quid habes (inquit Paulus) quod non accepisti? Proinde huius exemplo admonemur, qui per uerbum & Spiritum Christi à morte liberati uitæq; & sanitati spiritali restituti sumus, nostro ministerio in Ecclesia Christi erga quosuis hanc gloriā Christi prædicemus, non uerbis duntaxat, sed ipso facto. Et hoc ipsum est quod Christus docet Matth. 5. Sic luceat lux uestra corā hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.

Vespere autem factò, obtulerunt ei multos dæmonia habentes.

Ex Marco manifestum est commotam & stupefactam fuisse uniuersam ciuitatem curato dæmoniacò, quæ sub uesperam cū occidisset sol (eam enim uidetur horam expectasse, quòd pro loci regione & calore opportunum nō fuisset egrotos adhuc solis existente ardore, in publicum educere) omnes suos agrotos ad portam Petri attulit, expectans ut sumpto cibo Christus ad beneficia rediret, & prodeunti offerret quos habebat innumeros uariis morborum generibus obnoxios, atque etiam dæmoniacos. Tametsi noster Euangelista dicat, turbam obtulisse dæmoniacos: Marcus uerò & Lucas dicant, omnes malè habentes, etiam dæmoniacos: non propterea noster dissentit ab illis, cū subiungat, Et omnes malè habentes curauit. Hæc circumstantia temporis, uespere factò siue occasu solis certificat historiam, & simul præscribit quo tempore Christus potissimum iuuare soleat, nimirum tum quando sol occidit, id est rebus prorsus perditis & desperatis. Atque hîc multum relucet Christi benignitas, qua neminem excludit, sed quosuis sanat, idque adeò importunè importuno tempore irruentes. Nihil exprobrat, nihil conuitiatur, nihil reluctatur, nihil causatur, sed ut uenerant, ut adducti fuerant, sanat omnes malè habentes. Et quanquā sciens illos nō nisi corporalia ista querere, tolerat tamen istam ipsorum infirmitatem, ut hoc pacto se animis illorū insinuaret, quòd postea essent ad capiendam animorum curationem aptiores. Satis habebat initio corporalibus beneficiis illos sibi deuinxisse, quòd postea benemerenti faci-



lius credatur. Deinde quod dicit hic, multos deportatos, & alij dicunt, omnes male habentes, sicut & hic postea scribit, & omnes male habentes, &c. significatur Christus medicus pro omnibus. Ergo Euangelium est uniuersalis doctrina, ergo gratia Dei uniuersalis est, ergo misericordia Dei, ergo regnum Dei uniuersale est, ergo fides & charitas, ergo iustitia, ergo remissio peccatorum, ergo uita aeterna, ergo quicquid est in regno Christi, uniuersale est pro omnibus hominibus. Obserua, quod de superioribus miraculis dictum est, hoc idem de omnibus his, quae hic perstringuntur intelligendum est. Omnia enim haec miracula sunt ueluti caelestia sigilla, quibus ueritas Euangelij confirmatur, nimirum quod habemus remissionem peccatorum propter Christum, quando nos totos ipsi consecramus, ac dedimus: & quod Christus uictoriam a Satana reportauerit, ac nos in Christo Satanam uincere possimus.

#### Et eiiciebat spiritus uerbo.

Marcus ait, Et daemones multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Lucas, Exhibant autem daemones a multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum. Exitus daemoniorum effectus est potentiae uerbi, & Christi per uerbum potenter operantis. Profecto quicquid spiritus immundi in nobis est, id est infidelitatis, non eiicitur nisi uerbo Christi hoc est Euangelio credito, & recepto ex animo.

#### Et omnes male habentes curauit.

Non solum daemones, sed etiam quouis morbi genere laborantes sanauit. Nullaque erat tam foeda, tamque horribilis morbi species, nulla tam uehemens aut insanabilis, quae non statim ad iussum Christi relinqueret hominem. Verbo sanabat omnes, gratis sanabat omnes, interim tamen in hisce hominibus praeposterum uisidissimum studium sui, nimirum qui corporum sanitatem tam auide quaerentes, uerba interim quae fundebat, nihil sciebant. In Domino autem mira illa benignitas exosculanda est, quod is nihilominus omnes curauit, & dum spirituum non essent capaces, corporalibus beneficiis affecit. Obserua. Noster Euangelista ait, uerbo sanauit: Lucas dicit, singulis manus imposuit. Proculdubio & uerbo suam potentiam, & contactu efficaciam uiuificae suae carnis (ut paulo ante diximus) demonstrauit. Et ut uerum dicam, manus siue contactus & uerbum, sunt herbae & emplastra quibus Christus male affectos curat, Atque ex his colligimus etiam rationem sacramentorum quae Christus in Ecclesia exercenda & utenda instituit. Habent enim sacramenta a Christo potentiam diuinam, uim & energiam mortis & resurrectionis Christi, quibus confertur gratia credentibus, & rite illa suscipientibus. Impositio manus gestus quidam est quo & alius usus est Christus, ut commendaret nobis media & praesentes occasiones, quae ubi adsunt non sunt negligenda. De impositione manuum diximus in Paulum, & in Ioannem. Obserua, quae admodum hic docemur quod benignus & misericors est Dominus, atque eo fides nostra in ipsum roboratur: ita si uere ipse sumus, ad similem misericordiam & benignitatem, ipsius nos spiritus pariter impellet. Ex eo uero quod tam facilis fuit ad sanandum male habentes quoslibet, docemur multo faciliorem esse, ut sanet morbos animae, id ab ipso ex animo fidenti petentibus.

Vt adimpleretur quod dictum est, per Esaiam prophetam, dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, & aegrotationes nostras portauit.

Ne putaremus, id fortuito contigisse, Euangelista adducit propheticum testimonium, quo intelligamus longissimis ante saeculis praenuntiatum, prauiusumque esse. Remittit nos ad locum Esaiæ cap. 53. omnium selectissimum, quantum ad Chri-

Christus tactu suae mundissime carnis purgat immundum

sti mysterium, nostramque redemptionem pertinet. Etenim hic locus proprie de infirmitatibus morbisque animi, quibus nos morte sua Christus liberauit, loquitur. 1. Petr. 2. Sed quod Matthaeus hoc uaticinium ad aegrotos sanatos accommodat eo respexit, quod cum Christus curans ita morbos quoslibet, idque mirifica & gratuita bonitate, declararet se eum esse qui credentes in se ab omni malo esset liberaturus, non abs re tum impletum hoc esse uaticinium Esaiæ testatur, cum mirificum se adeo Dominus in depellendis morbis exhiberet. Quare ex hoc loco obseruandum est canon Catholicus, per corporalem Christi benignitatem, spiritalem, & per corporea beneficia, spiritalia esse & meditanda & speranda. Rogabis. Quomodo Christus nostras infirmitates accepit, & aegrotationes nostras portauit? De hac re copiose scripsi in Paulum, & in canonicam primam Petri, & in Ioannem. Significauit propheta, Christum fore talem, qui adeo infirmitatibus nostris tangeretur, & per omnia cõpateretur, ut illas in se susciperet, hoc est nostra miseria corde tangeretur, & has auferret, non secus hoc negotium agens ac si res sua esset. A ut dici potest quod Matthaeus Esaiam citat de toto Christo & qualibet eius parte, hoc est non tantum de triduo passionis Christi, sed de tota uita Christi. Tota autem uita Christi fuit suscipere & portare nostra mala, quia propter nos natus, circumcissus, conuersatus, comedit, bibit, dormiuit, & ut Paulus ait Philipp. 2. Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus ut homo. Et hoc propter nos. Ideo si quis Esaiam, de qualibet parte uita Christi allegaret, recte allegaret. Quia propter nos sitiuit, ne sitiremus, ita nostram sitim tulit: propter nostram tristitiam tristis fuit, ita nostram tristitiam tulit, ut laeti efficeremur: ita & hic comparatur obsessis & aegrotis, & fert in corde, corum mala, ut eos liberet, quia omnia propter nos fecit, uixit, duxit, tulit. Et sicut hic corporales morbos hominum compassione tulit, ut corporaliter auferret: ita in passione corporaliter tulit nostra peccata, ut spiritualiter tolleret. Et, ut in summa dicam, Christus noster est, nostra omnia ferre & tollere uoluit siue corporalia siue spiritalia mala, quocumque modo oportuit. Ideo Matthaeus locum Esaiæ recte fecit generalem de toto Christo, & applicat eum ad partem hanc qua tulit & curauit infirmos. Quia Christus est uniuersalis & totalis saluator, corporis & animae. Obserua Matthaeum inducere locum Esaiæ, qui de Christi aduentu praedixit, ut ostendat Iudaeis, hunc esse Christum promissum, & nullum alium expectandum. Quia hic opere probauit & impleuit quae Esaias prophetauit.

Christus tristis & egenus factus est, ut nos letitia afficeret & diuites redderet.

#### Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretum.

Cum Christus uideret etiam iam sanatis aegrotis, & nocte ingruente (occiderat enim sol) turbam non abire, sed magis ac magis undique condensari: uideretque has turbas plus aequo carnales, & carnali admiratione impulsas, & aliquid acturas ac tentaturas, quod seditionis speciem daret: nam & Ioannis 6. commemorantur istae turbae Capharnatae, cum uicinis suis, tale quid tentasse, nimirum uoluisse Christum rapere & Regem facere, unde illic illo s declinavit, praecipitque discipulis, ut appararent nauim transmissuro lacum, quod uel sic a turbis liberarentur. Certè turbas non declinasset si fationi spiritali fuisset locus. Cum enim iam aegrotos curasset, & non nisi terrena quaerent, noluit praepostero illorum studio & stupori diutius inferuire, causamque dare tentandi aliquid sinistra. Atque ideo legitur frequenter declinasse turbas, aut a se dimisisse. Incertum est an istud hoc ipso uespero, aut quoto sequenti die auctis ex rumore turbis sit factum, nam Marcus 1. cap. narrat, Et diluculo ualde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Et persequutus est cum Simon, & qui cum illo erant: & cum inuenissent eum, dixerunt ei, quia omnes quaerunt te, & ait illis: Eamus in proximos ui-



cos & ciuitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim ueni. Lucas 4. cap. præter hæc memorat, Turbæ detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait, Quia & aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagoga Galilææ. Traiectionem uerò in ulteriorem ripam, hoc est in terram Gergesenorum uel Gerasenorum, quam hîc noster Euangelista memorat, Marcus & Lucas alio narrant loco, uerum ita, ut quo tempore facta sit, certò non indicent. Videtur mihi Dominus postridie, cum ad præcedentē uesperā, ita dæmoniacis & morbidis obrutus fuisset, congregata ad ostium domus Petri tota ciuitate, multa adhuc nocte Capharnaog egressus, & desertum orandi gratia pro more suo petiisse. Cùmque illuc & turbæ uenissent, atque detinere illum uellent, migrasse ad alia Galilææ loca, atque illis quoque regnum Dei prædicasse: ac tum demum quæ hîc Matthæus recenset facta esse: quippe iussisse Christum, utique suos, ut abirent in ulteriorem ripam, hoc est traicerent lacum Genezareth. Neque ait noster, Christum illico ubi sanasset tot male habentes Capharnai, traiecisse. Sed cùm uidisset (inquit) Iesus turbas, nimirum die quodam alio, ut ex Luca apparet, & ad uesperam, ut in Marco legimus. Manifestū est (inquit Augustinus) alium esse diem quo iussit ire trans fretum, non cum qui sequitur illum, in quo Socrus Petri sanata est, quo die Marcus Lucas que eum in desertū exiisse affirmat. Obserua Christi modestiam: cùm iubet abeundum, non dicit, recedite, duriuscule enim sonat hoc uerbum, sed ultro iubet discipulos ire trans fretum, spem dans turbæ cundi etiam illuc.

#### Et accedens unus Scriba, ait illi.

Narrat Matthæus quæ inter iusionem Christi & traiectionem gesta sunt. Inter discipulos qui Christum audierant & miracula facientem uiderant, quidam literator & non spiritalis auditor Scriba, hoc est ex hominum genere quos Hebrai suo quodam nomine uocant, quorum hæc erat professio, ut quemadmodum apud Romanos in rebus dubiis ex Sibylla libris per aruspices responsa petebantur, ita isti consulti ex libris prophetarum responderunt, quos & Herodes consuluisse narratur, Matth. 2. Hi quasi librarij dicebantur ab euoluendis enarrandisque sacris libris, qualis fuit Esdras. Hic Scriba accessit animo subdolo, ut ex responsō Christi subodorare licet. Signorum enim magnitudinem uidens ait Hieronymus, sequi uoluit saluatorem, ut lucra ex operum miraculis quaereret, hoc idem desiderans, quod & Simon Magus à Petro emere uoluerat, Act. 8. Hic accessus nō est per eam fidem quam requirit in accedente ad Christum Paulus ad Hebr. 11. cap. Obserua ultro accedit, non ut Apostoli, uocatus: sic solent ultro currere qui sua quaerunt, quales fuerunt Pseudoapostoli.

#### Magister sequar te quocunque ieris.

Hæc Scribæ petitio ualde religiosa uidetur, & tanto ornata fuce, ut qui cor & animum Scribæ non nouerit, non alium quàm sanctissimum duxerit. Primo uerbo captat beneuolentiam magistrum uocans, cuius se declarat discipulū. Deinde offert promptam & continuam adhesionem, nec id simpliciter, sed addit sequar te quocunque abieris. Quasi dicat, relictis omnibus tibi uni ad omnia adero & adhærebo, quocunque tandem abieris. Iam quis auditis his non iudicaret hunc Christi Discipulum? Quid quæso mellitius, quid sanctius proferri potest aut dici ab eo qui agnoscere uult quempiam esse præceptorem & magistrum suum? Hæc profectò sunt perfecti hominis uerba, sed ab hypocrita falsissimè usurpata, ut ex responsō Christi discemus, quia cor eius non est tale. Ideo Christus in exemplum nobis omnibus reiecit: ut discamus non credere uerbis hypocritarum, quæ sonant angelicam sanctimoniam, ut hîc uidet. Atque hæc sunt multorum tum Ecclesiasticorum, tum secularium nocentissimæ pestes. In ore quidem uersant hæc uerba sancti-

Hic Scriba si  
mili auaritiæ  
morbo labo-  
rauit quo &  
Simon Ma-  
gus.

sanctitatē præ se ferentia, Laus Deo, gratias ago Deo: fingunt se uelle sequi Euangelium, & mira iactant, Magister sequar te discipulus ego fidelis, non in aliquam uanam operam, sed quocunque abieris, nihil excipiam. Interim obseruabis huiusmodi laruas, ambientes, neque diu neque noctu quiescentes, huc illuc abeuntes congerendarum opum gratia: quos hoc loco Christus reiecit. Certè qui sua tantum quaerunt, Christum sequi non possunt. Lucas. 9. idem recenset & scribit ambulante Domino cum suis in uia, hunc ipsum ita alloquutum, Sequar te quocunque ieris. Vnde coniectura superior de traiectione confirmatur, Dominū Capharnaog egressum nō illico traiecisse, sed aliquot dies in citeriore Galilææ regione prædicasse, atque interea quæ hic noster & Lucas. 9. scripta reliquerunt, accidisse. Aut ex uerbo, Sequar, sumi potest exemplum carnalis effectus, intentionis, præsumptionis, & securitatis, quod uideatur sibi polliceri se posse Christum sequi, etiam non petito eius fauore: nimirum simpliciter dicit, Sequar te. Hic profectò extra crucē nihil non magni sibi persuadet de sequēdo Christum: sed cùm audit crucem ferendam esse cum Christo, facilè deterretur à sequela. Hic typum gerit eorum qui ex securitate quadam propter libertatem carnis cupiunt sequi Christū, sed crucis tempore recedunt. De quibus Christus loquitur infra. 12. cap. in secundo genere auditorum uerbi, qui ad tempus tantum credunt.

Et dicit ei Iesus, Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Oratio Scribæ digna erat futuro discipulo, si uoci respondisset animus. Ultro se ingessit, & ad omnia semet obtulit, neque quicquam moræ prætexuit. At Iesus absolutæ mansuetudinis exemplar, neque importunitatem hominis repulit, neque animum insyncerum exprobrauit: sed tacitè admonuit, & eius hypocritism acutissimè damnauit, dicens, Vulpes, &c. Quasi dicat, O bone frater, quàm dulcia loqueris, quàm grandia promittis, quum sis nequam intus & in cute: uerbis me uis ludere, sed erras longè. Magistrum me uocas, discipulum te promittis, sequi uis perfectissimè, sed sic, ut gloriam, ut regnum, ut opes, ut quæ tua sunt, inuenias apud me, quem ex tot miraculis clarum, turbis que tam admirabilem, putas secundum carnem regnum inuasurum & regnaturum, unde cupis illius regni confors fieri. Sed dico tibi, aded abest, ut apud me regnum aut opes carnis expectes, ut vulpibus seu bestiis terræ ac uolucris cœli pauperior sim: non habens nimirum quod caput reclinem, cùm vulpes foueas suas habeant, & uolucres nidos. Vide ergo quid dicas, sequar te quocunque ieris, non solum non regnum, sed neque domum apud me, imò nec foueam vulpis, nec nidū uolucris reperies. Tamen si vulpes domos non habent, tamen cauos habent effossos, quibus abstant sese. Volucres in aëre uagantes, tamen nidulos habent uice domicilij, in quibus conquiescant. At filius hominis, id est ego ipse cui loqueris, aded destitutus est omnibus huius mudi præsidij, ut nihil usquam habeat ubi caput istius magistri tui reclinare possit. Quisquis huius mundi commoda spectare & quaerere uellet, stultè huic magistro & filio hominis sese adiungeret, qui nec opes, nec gloriam, nec regnum huius mundi, uel haberet uel quaereret, sed summam paupertatem, summam ignominiam, summam afflictionem amplecteretur: aded ut nec illa suppetent, quæ uolucris & bestiis non deessent. Crux itaque erit regnum o Scriba, & abiectio in mundo erit palatium tuum. Sed ista tu non cupies, scio. Quia qui uolet Euangelium profiteri non potest istis rebus studere, aut quaerere quæ tu quaeris. Sed paratum esse oportet, ut si etiam nec foueam, nec nidum habeat tamen paratus sit ferre. Quia regnum Euangelij non est regnum mundi. Hoc responsum ostendit Christum declarare regnum suum non esse regnum mundi. Et quod oporteat Christianum, si res postulet, etiam pauperiorem fieri, quàm sit vulpes aut

Christianus  
re & nomine  
omnia bona  
externa abie-  
cit, si res po-  
stulauerit.



auis, ut nec nidum certum habitadi, nec foueam refugij habeat. Sed libenter periclitetur omni hora propter Euangelium. Quod faciunt & obseruant uerè Christi-ani, & ad huc modum suis utitur bonis habentes nidos & foueas. Sed ubi opus est propter Christum ista relinquere, faciunt, & libenter carent loco, etiam in quo, tanquam suo, caput reclinare possunt: suntque libenter hospites in mundo, & canunt cum Propheta, Incola ego sum in terra. Et iterum, Quoniam peregrinus sum apud te, sicut omnes patres mei. Pingit ergo Christus hoc responso formam hominis Christiani, qui non debet querere, quæ huius mundi sunt, tanquam regnū eius in his situm sit: sed uti tantum presentibus, tanquam hospes citò migraturus, & paratus esse hæc omnia propter ipsum relinquere. Sed hoc nolebat hic hypocrita suis magnificis uerbis. Sicut nec hodie uolūt, qui ambiūt uideri Euāgelici plusquā ipse Christus. Odibile genus hominū, qui dicūt Domine Domine, Magister Magister, sequar sequar, quocunque quocunque, cum sint auarissimi, cupidissimi, ambitiosissimi, & toto corde mundum, & quæ mundi sunt querentes. Mira certè Domini & suorum tenuitas fuit, & nunquam satis admiranda demissio, quod nihil domicilij habuerit, cum huius ferè prima apud homines cura sit: adhæc apud Indæos persanctè hæreditates custodiri, solitū. Vnde Naboth tanta illi religio erat, ut ne regi quidem suum hortum uendere, quem hæreditate acceperat, auderet. Malebatque sese in capitis periculum adducere. 3. Reg. 21. Non peccant autem ob hanc Domini tenuitatem, hi qui domos & alia iure possident. Dona enim Dei sunt & Dominus possidere ea non prohibuit. Obserua. Cum sese filium hominis, hinc uerò hominē prædicat, mirè suam nobis iuxta & humilitatē & bonitatem commendat, qui nostræ salutis causa, eo usque demiserit sese, ut nihil nisi homo haberetur ceu aliquis plebeius è medio vulgi, id quod docet Paulus ad Philippenf. 2. ut paulò antè diximus. Obserua Christi respōdentis modestiā, qua Scribæ huic non apertè exprobrat animū sinistrū & subdolū, sed ad ipsius duntaxat conscientiā respondet, occulto morbo occultum remedium exhibens. Hac malignitate usus est cum tangeret morbū eorū qui in se confidebāt, ueluti iustos & alios aspernabatur, Luc. 18. Parabolam adduxit de duobus ad templum ascendentibus. Hoc exemplo docemur, ne fratrem occultè peccantem traducamus, sed occultè illi medeamur. Obserua modum expressæ paupertatis Christi, quā tenuem & abiectum seipsum fecerit. Non dixit homines huius seculi habent sua prædia, &c. ego uerò nequaquam: sed bestias producit, ut ostendat se etiam in hac re illis inferiorem, neque magnas bestias, ut urfos, leones, boues & huiusmodi adducit, sed uiles & minores ut vulpeculas & aues cæli, dicens, vulpes foueas habent, &c. quibus me superant in hoc, non habentem in hoc seculo quò caput reclinem. Obserua. Hic nihil legitur Christo respondisse, Scriba enim erat, & Christum forsan pauperem sequi erubuit. Denique exterritus fortè fuit Christi sermonibus, quod summum terrenorum contemptum, ac ueram paupertatem indicarent, quam non potest caro amare. Vide infra conciliationem. In hoc responso Christi obseruandum est, quòd Christus non iudicat (ut dicit Esaias) secundū uisionem oculorum, aut secundum auditum aurium: alioqui meliora apparent in speciem uerba Scribæ uolentis sequi, quàm alterius de quo mox fiet sermo.

Alius autem de discipulis eius ait illi, Domine permittite me primū ire, & sepelire patrem meum.

Audito Christi responso ad Scribam, quidam ex eorum numero, qui iam esse cœperant in numero discipulorum, commotus imbecillitate humana, cum audisset extremam paupertatem Christi, querens ansam aliquo prætextu elabendi à disciplina Iesu, Domine (inquit) Priusquàm totus sequar te, quocunque ieris, sine, ut domum reuersus, sepeliā patrem meum. Lucas. 9. cap. hanc historiā nar-

Non prohibet Christus Domos possidere.

Occultè peccantem, occultè reprehende.

rat, ex quo loco clarius est, quod hic agitur. Hunc discipulum uidetur Christus ad hoc elegisse, ut prædicaret regnum Dei, erātque ille ipsum iam iam cum aliis emissurus ad prædicandum, ut uidere est, Luc. 10. Sed hic non perpendens negotij magnitudinem, carnalem erga patrem affectum uocationi suæ, hoc est spiritali & cœlesti ministerio, præfert, rogans, ut prius uadat, sepulturus patrem. Hic typus illorum est, qui statuunt posteriorem tabulam præponendam esse priori, & eorum, qui respectum habent parentum, magistratus, amicorum, &c. in suscipiēdo Euangelium. Luc. 9. cap. scribit huic à Domino dictum, Sequere me, & tum eum respondisse, Domine permittite, &c. Cui rursus Dominus dixit, Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Apud Lucam additur, Tu autè uade, & annuntia regnum Dei: id est, profiteri Euangelium. Obserua: uoce, Domine, captat beneuolentiam. Vox, primū, ostendit discipulum non prorsus abdicasse sequelam. Ire, & sepelire, &c. est prætextus ex operibus misericordiae, & charitatis pro suscipienda sequela.

Iesus autem ait illi, sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Quale, quæso, est hoc respōsum? An Christus prohibeat, ne discipulus patrem sepeliat? Nonne sepelire patrem, est opus pietatis & misericordiae? Ita sanè. Et cum Deus præcipit parentes honorandos, mandat etiam honore sepulturæ afficiendos, David. 2. Reg. 2. commendat ciues Iabes Galaad, quòd sepelierant Saulem dominum suum, dicens, Benedicti uos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino uestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet uobis quidem Dominus misericordiam & ueritatem. Quomodo igitur in filio non esset cōmendandum, quòd cupiat defunctum parentem sepelire? Cur ergo discipulum suum ab hoc humanitatis officio auocat? Sequere me, inquit. Certè ire post Christum, & ipsum sequi, ut Apostolos uocauit, iussitque se sequi, & post se uenire, perinde est, atque eius comites esse, sectarique illū perpetuò. Hic enim uidemus, quòd hunc noluerit redire domum, sed iussit adherere sibi, atque ire ad prædicandum regnum Dei: quod munus Christus tum obibat: & ad idem Apostolos atque discipulos, præfertim quos simul secum circūducebat, habere comites & cooperarios uolebat. Quare cum hunc auocat, non auocat, quòd condemnet, aut ipsam sepulturam, aut officia humanitatis, quæ sepeliendis mortuis præstantur. Nam & Patriarchæ commendantur, quòd maiores suos honestè sepelierint: & Scriptura testatur religiosos uiros sepelisse Stephanum. Sed auocat, quòd condēnet præposterum studiū. Non est præferenda posterior tabula priori. Homines enim sunt sub Deo, & Deus non sub hominibus. Deus creauit homines, non autem homines Deum creauerunt. Sic enim pater, princeps, frater, est sub Deo, non Deus sub ipsis: & ipse fecit eos, & ipsi non fecerunt eum. Damnat igitur præposterum studiū discipuli uocati ad Euangelium prædicandum. Vulgaris profectò non tam huius discipuli, quàm ferè omnium morbus est, quòd, quæ sunt grauiora legis, relinquunt, minutiora autem studiosè sectantur, &, ut Christus ait, excolant culicem, Camelum autem deglutiunt. Atque aded quæ sunt personalis actionis, ea minoris momenti generali uocatione ducunt. Vult quidem Christus, ut minutissima quæque legis & generalis uocationis faciamus. Sed si ita res sese tulerint, ut necesse sit alterum ommittere, quòd alterum fiat, ibi tum seuerissimè exigit, ut omittamus potius minutiora legis, quàm grauiora: & sectemur magis quæ sunt personalis, quàm quæ sunt generalis uocationis. Verbi gratia, Generalis est uocatio, ut salutemus amicos, est enim charitatis opus: sed si officium impedierit legationem apostolicam, quæ est personalis uocatio, ibi magis exequenda est legatio, quàm officium salutationis. Vnde Christus ad legatos suos dicit, Neminem in uia salu-

Sepelire mortuos, opus plenum pietatis.

Vt noti simus compotes non solum quæ honesta sunt petam à Domino, sed quæ sunt necessaria. In superstitiosos, grauiora fortiter contemnentes, & leniū curiosissimos.

Vocatio generalis & personalis.



taueritis, hoc est, non diuertatis, salutandi gratia, ad amicos uestros, ne legatio uestra & prædicatio Euangelij hac mora impediatur. Sic generalis est uocatio, patribus & magistratibus obedire: sed si acciderit, ut non possimus simul personali uocatione Deo, & parentibus ac magistratibus obedire, ibi tum audimus, Qui patrem & matrem plus amauerit, non est me dignus. Et, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Cùm igitur discipulus ille, de quo nunc nobis est sermo, designatus esset personali uocatione ad prædicandum Euangelium regni Dei, maiorem autem curam haberet sepeliendi patris, quod erat generalis tantùm uocationis, quàm prædicandi Euangelij, iure optimo reprehenditur, & audit, Sequere me, & dimitte mortuos, &c. Tu autem uade, & annuntia regnũ Dei. hoc est, prædica Euangelium, nempe quòd aduenerit regnum Messia, quod dicitur regnum Dei. Hoc dictum Christi rectè accommodari potest ad singulas hominum uocationes tum publicas, tum priuatas, & mox obseruabitur omnes homines admoneri, ut minutiora quidem legis & uocationis suæ non negligant, si commodè fieri potest, grauiora autem uocationis maxime omnium obseruent. Episcopo licet fortassis uenari, & principi adseruare: sed si grex esurierit, & aula, aut uenationis aut alterius rei, etiam non impie, gratia neglexerit administrationem uerbi, & pabuli gregis, ibi tum audit à Christo, Dimitte Aulicos in sua Aula, & ut ferae uentur feræ suas: tu autem ministra gregi tuo, & prædica Euangelium, ad quod designatus es. Cui honestum est arcus & sagittationis officium: sed si præ hoc studio negligat exercitium artificii sui, & curam administrandæ familiæ suæ, ibi tum audit, Sine, ut sagittarii excutiant sagittas suas, tibi autem curæ sit familia tua. Summa huius doctrine est, Vnusquisque grauiora uocationis suæ præponat minutioribus, si hæc cum illis fieri non possint. Porro obserua Christum hoc loco trāfationibus uti: mortuos dicit, qui curam regni Christi (quod est regnum uitæ, & in quo solo uita est) non habent, id est, quibus non est iniunctum prædicandi officium. Non enim oportet Deo mortuos esse, quibus remittitur cura sepeliendi mortuos suos. Ad generalem spectat uocationem sepelire mortuos, & officium est humanitatis, spectans ad bonos, & malos. Cùm itaque ad personalem uocationem spectet prædicatio Euangelij, ad quam vocabatur hic discipulus, debuit dimittere mortuos sepelire suos mortuos, hoc est, relinquere generalem functionem, cui obnoxii sunt mortui, id est, homines, qui omnes moriuntur, imò mortui sunt coram Deo: & sequi uocationem personalem, hoc est, prædicationem, quæ pro eo tempore non ferebat, ut hic discipulus daret operam sepeliendis mortuis & huiusmodi rebus faciendis. Verbum itaque Christi est, Sequere me & per mitte mortuos, &c. ac si diceret, Quid tibi negotii est cum iis, qui mortui sunt, qui ad hoc es electus ut sis in uita, & uitæ seruias? Habebit pater tuus, qui cum sepeliat, & mortuum terræ infodiant. Obserua, quàm debeant serui uocationi suæ inferuire episcopi, pastores, & alii ministri uerbi. Nam si Dominus hunc discipulum bonæ mentis profectò, sed imbecilem, sub pietatis prætextu testamentariis negotiis implicari non permisit, postquam uocatus est, & illi inferuendum fuit prædicationi & Euangelio, quid respondebunt delicatuli ministri, Apostolorum successores, quibus uis nugis ita occupati, ut non liceat ipsis prædicare Euangelium? Rursus aduerte: ob hoc exemplum non est putandum, quòd omnes abire debeant relictis rebus aliis annuntiatum regnum Dei, sed qui ad id uocantur solùm. Pius siquidem sese consecrat Deo, & ex charitate uiuit, facitque quæcunque sua uocatio, qualis qualis sit fert & poscit, semper paratus cum Abraham de sua terra egredi, & cum Apostolis, parentes & omnia derelinquere, cū necessitas postularet. Si itaque uocetur ad annuntiatum regnum Dei, non poterit curare mortuos, neque ministrare mensis, sin minus, hæc & minutiora adhuc charitatis officia, non relinquet. Rursus notanda sunt duo. Primum, si nomine mortui intellexeris infideles, (ut multi interpre-

Vocatio personalis præferenda generali.

Præcipuorū præcipua sit & habeatur cura.

Mortui, qui Christo.

Episcopi si sedulo inferuire debeant suæ functioni.

Non omnium est annuntiare regnum Dei.

nomine mortui intellige infidelem.

tantur) & fide in Christum destitutos, etiam parentes increduli & impij propter Christum deserendi sunt. Alterum, quòd Christi discipuli, id est, fideles, sunt per episcopos à carnis affectibus retrahendi, nec illis permittenda sunt libera, quæ secundum carnem agere concupiscunt. Obserua. Verbum, sequere, ostendit, quòd Christus hunc discipulum uocali uerbo uocauit. Deinde Christus suo responso monet, misericordiæ & charitatis opera postponenda esse nomini Euangelij, hoc est, posterioris tabulæ opera, operibus prioris tabulæ. Vult ergo Christus, ut Euangelium præponamus: & postea misericordiæ & charitati (hoc est operibus misericordiæ, ut dicunt, qualia sunt, ægros uisere, afflictos consolari, & huiusmodi) inferuiamus.

Et ascendente eo in nauiculam, sequuti sunt cum discipuli eius.

Hanc historiã narrant Marcus. 4. & Luc. 8. cap. Marcus scribit, Et dimittentes, turbam assumunt eum, ita ut erat in nauis, & aliæ naues erant cum illo. Lucas uerò, Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descendit procella. Plurimum nobis affert consolationis, quòd Christus ascenderit nauiculam eandem cum discipulis. Significatur enim Christum in eadem uersari cruce nobiscum. Nauicula crucè adumbrat à duabus crucis partibus, quæ sunt immergere in aquam, sed non submergere. Quemadmodum nauicula innat aqua, & tamen non submergitur. Partes illas crucis aliàs apertioribus uerbis uocamus mortificationem & uiuificationem. Quia Christus prior ascendit in nauiculam, igitur sequuntur discipuli. Et sanè si Christus nos non præcessisset in crucem, nemo posset sequi, quia ipse solus uia est ad patrem: & ut ille dicebat, Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Et, Sine me nihil potestis facere. Lucas ait Christum dixisse, Trāsfretemus, quod uerbum magnam affert consolationem: ostendit enim nos non ideo proici in crucem seu tentationes, ut succumbamus & percamus in illis, sed ut emergamus & trāsfretemus. Quòd discipuli sequuti sunt Dominum, exemplum est obedientiæ in discipulis, qui ad uerbum Christi præcipientis ascenderunt in nauiculam.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita, ut nauicula operiretur fluctibus.

Marcus & Lucas addunt, nauiculam ipsam impletam fuisse irruentibus undis. Nihil horum, quæ hinc legimus, casu factum est: sed omnia illo, à quo, per quem, & in quo sunt omnia, prædefiniente aduenerunt, ut Christi potentia, & mira fidei efficacia panderetur. Hic nouus euentus est, in quo Christus institutos in uera doctrina aliquandiu discipulos, nunc probare uult, quid didicerint, nō quòd ignoret, quales sint, sed ut ipsi cognoscant & experiantur quàm longè processerint, siue quantum promouerint in fide erga uerbum. Verum, ut fieri solet, post tam longam institutionem, reperit eos adhuc infirmos & uacillantes. Id quod solari nos potest in nostris infirmitatibus, ne animos despondeamus, si non statim perfecti simus, cū ne Apostoli quidem ilico perfecti fuerint. Estque nobis hinc notandum, Christum non ante, sed post doctrinam immisisse occasionem crucis & tentationis, ut doceat nos debere tentationi crucis resistere uerbo & fide. Huius tentationis causa finalis est, probatio fidei. Nam in hoc affligimur & tētatur à Deo, ut fides nostra proberetur. 1. Petri 1. cap. In quo exultabit, modicum nūc, si oportet, contristati in uariis tentationibus, ut probatio uestre fidei multò pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, &c. Rogabis: cur tam magna tempestas discipulis orta est? Respondeo, ut quæ uiderant alios sentire, Christi beneficia, etiam in seipsis experirentur. Uiderant alios liberari à lepra & infirmitatibus, in se autem non senserant tam manifestam operationem. Ideo uoluit hanc fieri tempestatem, ut per liberationem, manifestiorem accipiant beneficij sensum.

Summa pietas est in negotio Euangelij esse curam.

Christus nobiscum in eadem nauis, hoc est, cruce. Crucis partes due, mortificatio & uiuificatio.

Christus tentari nos finit, sed ut uicemus.

Christus doceat primum, deinde tentationem adhibet.

permisit Christus suos de uita periclitari, ut liberati à nauis. ergo agnoscerent beneficiū acceptū.



## Ipse uerò dormiebat.

En causam, seu potius occasionem crucis, quæ est, obdormitio Christi. Dormit Christus, ut det tempus formidini. Tum enim crux incipit, quando Christus obdormit. Dormit autem Christus, quum suum præsidium & suam consolationem ad tempus nobis subtrahit, sicut ait Ioan. 16. Modicum & non uidebitis me. Aut hic obdormit, ut ex periculis confessione magnitudinem miraculi, a postoli perdiscant. Nam si uigilantem uidissent, aut non ad eum pertinuissent, aut petere ab eo salutem, qui pericula eorum uideret, neglexissent: aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. Idcirco dormit, ut & timoris causa ipsis maior præberetur, & sensus eorum apertior ad uidentia miracula redderetur. Obserua hoc loco graphicè depictam temptationis naturam: unde uidere licet, quo pacto Deus sanctos suos soleat tentare. Tempestatem immittit saeuam, neque hoc contentus, operiri etiam fluctibus nauim sinit. Ad hæc summè periclitantes uidetur prorsus negligere. Illis enim extrema expectantibus securè ipse stratus in puppi dormit. Ad huc modum probantur sancti, ut non solum supra quàm uideantur sibi ferre posse, affligantur: sed simul ita se Deus erga illos, etiam cum iam actum de eis uidetur, exhibet, ut nullam eorum rationem habere existimetur. At non sinit tamen spiritus, utcumque deplorata omnia uideantur, sanctos animum despondere. Ita uideas hic discipulos, & si nihil certius morte expectarent, nequaquam tamen omnem prorsus spem abicisse: Dominum excitant & precantur. Obserua, ut & hic Christus uerè se hominem exhibuerit, dormiens super ceruicem, ut habet Marcus, utque hu mani nihil à se præter solum peccatum, alienum habuerit. Quid ergo negabit nobis, qui usque ad eum nobiscum communia habere omnia dignatus fuit? Est profectò res mirabilis & stupenda, quòd is, qui nunquam dormit neque dormitat, dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, sed uigilabat deitate, demonstrans, quòd uerè humanum portabat corpus, quod mortale induerat. Corpore itaque dormiebat, ut Apostolos faceret spiritu uigilare.

Et accesserunt ad eum discipuli, & suscitauerunt eum, dicentes.

Non sic Dominus illis obdormiebat, ut omnem spem exuissent. Remanserunt adhuc scintilla fidei & spei, qua exciti uenerunt ad Christum: docentes hoc suo exemplo, in his tempestatibus unde petendum sit auxilium. Siquidem hi metu exanimati, Christum uellicant, expergefaciunt. Hic accessus, signum est fidei alicuius, promittentis sibi præsidium Christi. Obserua. Verisimile est discipulos tanto metu fuisse conterritos, & penè animo alienatos, ut & non modèstè ac benigniter excitarent, sed turbulentè suscitarent.

Domine, salua nos, perimus.

Voce, Domine, captant beneuolentiam eius, quem potentè confitentur, & qui possit ac uelit iuuare. Aut, si legeris cum Luca, Præceptor, in idem redit. Sensum hoc loco enthymema illustrat, Dominus siue præceptor es: Ergo decet te iuuare discipulos. Perimus, uerbum est modicæ & subdubitantis fidei, quam parit necessitatis magnitudo, quæ auertit à consideranda magnitudine præceptoris, potentis & uolentis adesse suis, ex animo petentibus. Diligenter autem obseruandum est, quòd tibi curæ, & clamant, Domine, salua nos, perimus. Hic gemitus est (ut hic dicitur) perimus. Sic enim senserunt, quòd iam perirent. Et iste gemitus iam pereütis, & iam iam ferè desperantis, est ipsa infirmitas fidei. Sed quàm infirmus est in nobis, tam fortis est & clamorosus in auribus Dei. Hunc gemitum edebat Moses Exod. 14. cum Dominus dixit ad eum, Quid clamas ad me? quasi dicat, cur ita desperas? Cur perire te putas instante mari, montibus, Pharaone, & tota morte? Non fiet sicut putas.

Soma Christi, quid.

Christus quare obdormit in nauis.

Tentationis à Deo immittit, aut permisit forma.

Christus sese uerum hominem esse confirmat.

In tempestatibus omne genus, à Christo petendum auxilium.

Marcus narrat ipsos dixisse. Nò est hic describitur gemitus ille inenarrabilis, Rom. 8. cap. ubi iam iam desperandi tibi curæ, & perimus. Gemitus in tentatione, fortis & uocalis in auribus Dei.

Sed in infirmitate tua hac, perficietur uirtus mea, & saluus eris. Percute tantum uirga mare, & uidebis salutem, &c. Ideo Paulus Galat. 3. uocat hunc gemitum, clamorem, dicens, In quo clamamus Abba, pater. Nobis non uidemur clamare, sed tantum gemere, imò uix hiscere. Sed hunc gemitum Deus habet pro clamore, sicuti uerè est clamor. Quare hoc totum miraculum accommodandum est ad consolationem infirmorum in fide, & quorum uox est, perimus. Nam sicut in præcedentibus sanauit corporis morbos, ita hic sanat animi agrotationes, quæ sunt, pauor, pusillanimitas, infidelitas, perturbatio conscientia, ut ostendat se posse, & uelle etiam in talibus morbis saluatorem & medicum esse, si inuocemus eum: imò si gemamus & corde clamemus, quantacunque sit infirmitas uiuæ fidei, nulli excluduntur ab eius auxilio, quocunque etiam diabolo uel malo uexentur, modò inquam hac uiua fide etiam pusilla inuocauerint. Ideo proponitur huius rei exemplum, Discipuli intrant nauiculam, nauigant, fit tempesta magna, ipse dormit, denique fluctus obruunt nauiculam, & peruenitur ad punctum mortis. Hic in extremo puncto adhuc emicat una scintillula uiuæ fidei, quæ uix seipsam sentit, quia dicit, perimus. Si enim sese sentiret, non diceret, perimus. Sed sentit perditionem, uix adhuc cognoscens, quòd ipsa adhuc uiuit & ardet. Nam ne sentiret quidem, nisi adhuc uiueret & arderet. Sed ecce Christus hanc scintillam, hoc linum fumigans, hanc arundinem quassatam, non reiecit, sed ita auget, ut fiat incèdium, quo uenti & mare sedentur. Nimirum exaudiuntur Apostoli gementes, & Christum excitantes. Sic facit nobis omnibus pauentibus, modò gemamus, suspiremus, & saltem bono animo in corde dicamus, Iesu Christe fer opem, aut actum est de mea salute. Mox sentietur leuamen, quia per hunc gemitum mouetur Christus ad increpandum uentos & mare. Et sic fit tranquillitas magna, id est, lætitia & pax, deinde laus & gratiarum actio. Hæc accommodari possunt ad Ecclesiam, politiam & œconomiam: quando pericula putantur tanta, ut impossibilis appareat salus, aut cum res ferè in desperationem abierunt. Sicut hodie quoque Ecclesia putatur ruitura propter tot hæreses: Politia propter tot bella & seditiones: Domus casura propter paupertatem uel alia mala. Sed gemitus cordis boni, licet infirmi, omnia serua-bit & agebit, quia ualidè clamat in auribus Dei. Ideo oremus, clamemus, gemamus contra hæc omnia. Et Christus faciet tranquillitatem magnam, ut mirentur homines. Amen.

Quid timidi estis modicæ fidei?

Christus experrectus, & ceruicali adhuc innixus, uolens discipulos aduersus omnes quamuis atrocium malorum insultus, intrepidus & inuictos reddere tantam illorum formidinem increpuit, dicens. Quid sic timetis, ἀλιτρωστοι, modicæ & exiguæ fidei? quasi dicat, Vos tot conspectis miraculis, auditæque doctrina mea, non oportebat ulla re terreri, quasi uos usquam destituat auxilium Dei, si modò uos non defecerit fiducia, quam nondum in uobis tantam uideo, quàm oportet. Si fide, seu fiducia, fortes essetis, nihil uobis obesset hi uenti, nihil mare, nihil uniuersa dæmonum myrmecia. Hoc est, si integrè crederetis, fideretisque, tunc in morte quoque uiueretis, & ipsa mors ad uitam esset uobis utilis. Ioan. 11. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, uiuet. Ergo si etiam mortuus uiuet, etiam in periculis securus erit, etiam in aquis habebit solum seu terram, etiam in uentis habebit sedem & fundum. Quòd si res aliter habet, signum est, quòd non credis, sed fiducia destitutus sis, & per ignauum timorem uerbum potentia Dei amiseris. Aut dici potest, quòd antequam mari imperet, suos confirmat, dicens, Quid timidi estis? Quibus uerbis primùm corda suorum à timore reuocat, & fidei imbecillitatem corrigit, significans id, quod alibi dicit, Nolite timere. Proinde etiam si multa in hoc seculo aduersa uideantur accidere, non tamen sentiendum est do-

M iij

Christus uerè Depulsor malorum, & Alexicacus.

Deus adiuuat & promouet infirmitatem nostram.

Christus, quum iam propè conelamatum est, fert opem.

Fides uiua ac uiriliter, amuletum potentissimum aduersus omnia.

Frangi periculis, argumentum pusillæ fidei.



minum nostrum dormire, hoc est, suos pro derelictis habere, & res humanas negligere. Quod in discipulis ita opinantibus reprehensum uidemus. Quorum non dico fidem, sed incredulitatem, non orationem ad Christum, sed importunitatē, & somni exprobrationem arguit. Dicunt illi, Præceptor, Præceptor, perimus, perimus: uel, ut alius habet Euangelista, Præceptor, nō est tibi curæ, quod perimus: Periclitamur fortassis propter te. Nunquam enim antea tanta maris discrimina te absente sustinimus. Cur igitur tu interim rerum omnium incuriosus suauiter dormis? quin surgis & adiuuas nos? Promisisti nobis uitā æternam, ecce nunc nobis nec uitam corporis tueris. Si maiora largiris, cur in minoribus tam negligens es? Dixisti patrem etiam capillos capitis nostri numerasse, & nos maxima cura ab ipso defendi: ubi ergo manet ille pater tuus, ut & nos & te conseruet? Ad eundem modum etiam nostra cōscientia in grauioribus affectionibus aduersus Deum tumultuatur. Nunc enim exprobramus Deo, quod auxiliari negligat, nunc obiciamus ei suas ipsius promissiones, idque non ex fide, sed ex mera incredulitate. Multa uerbis promittis, sed re ipsa nihil præstas. Iactas te potentem & clementem dominum, sed interim salutem meam strenuè negligis. Hæ sunt cogitationes & uoces increduli cordis, quas uerè possumus uocare blasphemias horribiles aduersus Deum. Non negauro rectè fieri posse, ut & animus credentis siue ipsa fides in grauioribus calamitatibus instet & urgeat, ut est apud Dauidem, Vsq̄quo Domine obliuisceris me, in finem? Vsq̄quo auertis faciem tuam à me? Et iterum, Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finē. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopix nostræ, & tribulationis nostræ? Et Christus in cruce, ait, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Sed hæc orationis uehementia est ex fide & spiritu proficiscens: ideo grata & accepta Deo. Incredulitas autem non orat, sed tumultuatur: non petit auxilium, sed indignatur & consilia Dei execratur. Cur ita? Putat certè incredulitas, Deum esse reprehensibilem, quod aut sinat nos in pericula uenire, aut non statim seruet nos in periculis. At fidelis probè considerat ac meditatur ad hunc modum, Deus iustissimus & innocētissimus est, Nos autem illi sumus, qui propter nostram incredulitatem, execrationes & blasphemias non solum grauisimam reprehensionem, uerum etiam seuisima supplicia meremur. Discipuli hinc audiunt, Quid timidi estis aded? qui fit ut non habeatis fiduciam? Quid ergo audiremus, discipulis in calamitatibus multò infideliores & importuniores? Num ideo derelinquimur à Deo, quia procellæ oriūtur? Quasi uerò non & procellas ciret Deus. Num derelinquimur à Deo, quia morimur? Absit. Est & Deus, mortis Dominus. Breuiter persuasum habeamus cū Paulo, quod neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare ab ea dilectione, qua Deus nos in Christo Iesu Domino nostro completitur. quare ortis calamitatibus & afflictionibus, non est aduersus Deum tumultuandum, sed in fiducia & ex animo pio precādum, ut eam dilectionem, quam erga nos etiam in afflictionibus nostris habet, opportuno ac suo tempore nobis re ipsa manifestet. Obserua: Si quis ita obieciisset discipulis, obbellos & ueros discipulos, qui saluatorem & præceptorem uobiscum habetis, & de periculo timetis? uita uobiscum est, & de uita solliciti estis? Respondissent, ut arbitrator: paruuli sumus adhuc infirmi, ideo timemus. Vnde Christus timidos uocat, modo uina? condemnabitur. Qui enim modicum credit, arguetur quidem, sed non condemnabitur. Qui uerò nihil credit, contemnetur, & condemnabitur.

## Tunc surgens.

Piis consolationem affert, quod audiunt Christum, statim post orationem discipulorum, surgere, ut iuuat etiam ad modicam fiduciam, quid nō faceret ad ma-

Expostulatio cum Deo, trepide & aduersis perturbatē conscientia.

Improbæ & argumentorum plenæ preces animi arummi fatigati.

Incredulitas non orat, sed strepit tantum.

Aduersus de iactionē animi in aduersis.

Precatio tempore calamitatis.

Fides ut ut pusilla, dum modò uina? saluat hominem.

gnam? Et quia Christus admonitus sui officij, in uoce præceptoris, surrexit: momentum quo parte apprehendendus sit Christus, præsidij obtinendi gratia, nimium officio. Cæci secus uiam sedentes, apprehendunt Christum, Matth. 20. Domine, miserere nostri, fili Dauid, id est, qui uenisti in carnem, & filius Dauidis factus es, ut nos in carne miseros iuuares. Obserua. Antequam mari & uentis imperet, & tranquillam reddat nauigationem, surgit: ita resurgens, ut uictor, imperat inferno & omnibus aduersariis, aded ut omnimodam tranquillitatem piis & credentibus, ac in ipsum fidentibus dederit. Aut dormitio Christi, mors eius erat, qua turbati sunt discipuli. Visis etiam tempestatibus circa crucem Domini factis, clamant Discipuli, salua nos resurgēdo, quia perimus turbatione tuæ mortis. Iam uerò resurgens increpat duritiam cordis discipulorum, Marci ultimo, & imperat uentis & mari, hoc est, ligat ac uincit Satanam, & omnes eius alleclas, reddēs magnam tranquillitatem conscientia, expulsa magna tempestate.

## Imperauit uentis &amp; mari.

Vt cognosceremus in Christo diuinam potentiam, non dicit, Christum excitatum saluasse discipulos, sed imperasse mari & uentis, etiam furentibus. Porro sicut ex superioribus cognouimus eum posse in terris purgare lepram, curare paralyticum, fugare febrem: ita & hoc loco intelligimus eum posse saluare in aëre, uentis, aquis, fluminibus, & quamlibet aliis magnis periculis, aded ut uerè dicatur perfectus & uniuersalis Saluator, qui in cælo, terra, mari & in omnibus Abyssis, quæ uult facit, ait propheta. Proinde hoc miraculo suam Christus confirmauit doctrinam: & licet omnia Christi miracula huc præcipuè respiciant, quod sint testimonia maiestatis Christi, hoc tamen miraculum, quo Christus uentos & mare compefcuit, quod etiam multis præsentibus spectatoribus & testibus edidit (dicit enim Marcus, alias quoque nauiculas unā cum Christo stagnum traicisse) maiestatem potentia suæ maximè cōfirmat. Nam si mare & uenti, quibus nemo minus quàm homines dominatur, uerbo Iesu obediunt, quis non iudicet ipsum esse uerum & naturalem Deum, creatorem cæli & terræ? Obediuit & mare rubrum uirgæ Moyfi Exod. 14. cap. Obediuit aqua Iordanis uestigijs Sacerdotum, Iosue 3. cap. & pallio Helix, 4. Reg. 2. Obediuit etiam Sol ipse in firmamento uoci Iosue, & stetit in medio cæli: nec festinauit occumbere spatio unius diei, Iosue, 10. capit. Sed hi omnes ingenuè confessi sunt, se hæc miracula nō sua propria, sed aliena uirtute, nimirum uirtute Domini Dei nostri, edidisse. Christum autem compefcuisse uentos & mare, non aduentitia, sed sua ipsius propria uirtute, testantur resurrectio eius à morte, ascensus in cælum, & missio Spiritus sancti in discipulos, qui & ipsi in nomine Christi miracula fecerunt. Quare manifestum est, quod hoc miraculum declarat, Iesum, non solum esse uerum Messiam, sed etiam uerum esse Deum, creatorem cæli & terræ, & maris & omnium, quæ in eis sunt. Deinde hoc etiam miraculo, declarat Christus clementiam uoluntatis suæ erga eos, qui in uocatione diuina periclitantur. Quod non minus in Christo obseruandū est, quanquam de maiestate omnipotentia eius dicimus, Quid quæso prodesset nobis Christi potentia? Bonitate enim & clementia eius seruamur, Threnorum. 3. Misericordiam Domini, quia non sumus consumpti. Quare cū Christus timidulis, & in fide infirmis discipulis, ualdè tamen periclitantibus succurrit, manifestat se non solum omnipotentem Deum, sed etiam clementem auxiliatorem in necessitatibus. Porro in hac nauigatione proponitur nobis egregium humanarum rerū exemplar. Nā quem admodum discipuli aliàs sepenumerò hoc stagnum, ut sine Christo, ita etiam sine ullo periculo traicerant: nunc autem cū secum uehant Christum, tantus procellarum tumultus oritur, ut animum despondere, ac de uita desperare uideantur. Ita fieri solet, ut qui in hoc seculo, in Christo nondum credit, & uocationi diu-

Fide & officio apprehendendus Christus.

Dormitio christi, mors eius.

Christus ubique saluator.

Elementa obediunt creatura, & peccatori, quanto magis Deo? Virtute Christi maxima quæque patentur.

Potentia Domini terræ, clementia saluamur.

Impij, iuxta mundum se licet.



næ nondum obsequitur, felicissimam uitam sine ullo externo rerum suarum discrimine uiuat. Cum uerò ad se in nauim suam Christum recipit, id est, cum incipit in Christum credere, & diuinæ uocationi obsequi, mox oriuntur omnia genera afflictionum. Exemplum est Abraham, qui cum adhuc apud parentes suos idololatrias ageret, magna huius seculi felicitate abundabat, patria, nempe Chaldaeorum, fertilissima, dulcissimisque amicis fruebatur. At dum contempta idololatria uerum Deum colere inciperet, eiicitur è patria, priuatur hereditate paterna & amicis: ac necesse habet in exilium proficisci, & incertis sedibus uagari. Moses dum in aula Pharaonis gentilitio more uiueret, tractabatur ut filius regis, & haeres regni: sed posteaquam derelicta aula contulerat sese ad suos Hebraeos, ac ueram religionem sectabatur, non solum regio honore destituitur, sed etiam è regione Aegyptiaca, tanquam homicida eiicitur, & ex hærede regis necesse habet fieri pastor ouium. Israëlita in Aegypto magna ex parte idololatra, & ritu gentium uiuentes, & si grauius affligebantur, satis tamen habebant, quod ederent & biberent: sed cum uocationem Dei, quæ eos uocabat in desertum, sequerentur, facti sunt omnium rerum indigi, & interdum nec aquam habebant, quam biberent, ita ut ad Aegyptum respicerent, & allia & cepas Aegyptiacas spirarent. Et apud Ieremiam. 44. cap. palàm se felicius in impietate, quàm in pietate uixisse asserunt. Dicunt enim ad Ieremiam: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne uerbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginae cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, Reges nostri & principes nostri in urbibus Iuda, & in plateis Ierusalem: & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malumque non uidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginae cæli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Occurrit & adhuc exemplum in Paulo, qui adhuc Ecclesie persecutor, multis honoribus afficiebatur, postquam autem conuersus est, & factus Euangelij prædicator, quos non ab impiis hominibus & à falsis fratribus insultus, quæ non incommoda passus est? Vnde ad Timotheum scribens, Omnes (inquit) qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Quid igitur faciendum? Num ideo non sectabimur Christum, quòd ij, qui non sequuntur Christum, feliciter uiuunt? Num ideo eiiciemus Christum è nauì nostra, ac negabimus ipsum, quòd præsentem ipso tantis procellis obruimur? Absit. Nisi enim sequamur Christum, non sumus discipuli eius: & si abiicimus atque abnegamus eum, nostram ipsorum salutem eiicimus & abnegamus. Proinde si uerè salutis cupidi sumus, necesse habemus Christum sequi, & ipsum nobiscum in nauì retinere. Est autem Christus sequendus & retinendus, non iuxta ingenium carnis, sed iuxta ingenium fidei & charitatis. Carnales sectantur Christum, & amplectuntur Christianismum ob hanc unam causam, ut in hoc seculo feliciter uiuât, & externis uoluptatibus fruantur, adeoque liberè agant, quicquid libet. At hoc non est Christum, sed suum Epicureismum sectari. Fidelis autem sectatur Christum, non, ut nullas patiatur afflictiones in hoc seculo, sed potius, ut eas, quas homo Christianus ex conditione sua necesse habet ferre, patienter ferre discat & possit. Nam cum homo sit conceptus & natus in peccatis, certè etiam ad peccatorum stipendia, quæ sunt afflictiones, calamitates, crucces, & mortes, natus est, & ut scribit Iob. 5. Homo nascitur ad laborem. Et cùm hæc sit hominum fors, præcipuè tamen Christianorum est, quibus Satan immisis calamitatibus maximè omnium insidatur hoc uidelicet consilio, ut per calamitates Christum ipsis auferat. Quare Christianismus non in hoc sectandus est, ut afflictionum in hoc seculo expers sis, & iucundam, quantum ad carnem attinet, uitam ducas: sed potius, ut consequaris remissionem peccatorum in Christo per fidem in ipsum, ac perferas quidem in fide uiua calamitates huius seculi, effugas autem

Abraham.  
Deus accedens  
ad illum,  
& illi fiden-  
tes, uariè ex-  
ercet.  
Moses.

Israélite.

Paulus.

Christum per  
aduersa om-  
nia sequi ne-  
cesse est.

Fidelis cur  
sequitur  
Christum.

Homium,  
sed præcipuè  
Christiano-  
rum est, aduer-  
sus afflictari.

Christianis-  
mus quare  
amplecten-  
dus.

futuras, & æternas afflictiones: deinde ut exoriète magna uenti procella, & fluctibus in nauim irruētibus (& si Christus uideatur tibi suauiter in nauì dormire, hoc est aliquantisper te relinquere) clames, Domine, salua nos, perimus. Obserua. Ex his admonemur, in aduersitatibus, quas à mundi tyrannide patitur homo, fortiter persistendum esse, nec statim trepidandum, si non continuò asserat nos Christus in tranquillitatem. Deinde uenti & tempestatis nomine uenit intelligenda tentatio magna. Rursus aduerte: uerbo iuuat Christus, & liberat à tentatione atque cruce.

### Et facta est tranquillitas magna.

En effectus potentiae Christi, per uerbum potenter operantis. Ad uerbum Christi cessat tempestas: ergo Christus Deus est, cui tempestas obedit. Signanter hæc adiicit Euangelista, ut magnæ tempestati magna opponatur tranquillitas. Et ut sciamus, Christum non solum abigere pericula, sed etiam reducere gaudia unà cum tranquillitate. Est profectò tranquillitas, effectus seu res cognata, quæ sequitur præsidium Christi. Iustificatos opera Christi sequitur pax conscientiae, Rom. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Interno à periculo liberatos, sequitur tranquillitas externa. Porro ex hoc loco per Allegoriam adnotare licet, quòd quemadmodum Christo uolente & dormiente, uenit tempestas, quæ demum ad illius cessauit imperium: sic & nunc illo dormiente, id est, cum uidetur nos deseruisse in medio aduersitatum & tentationum, tranquillitas, ad eius imperium uenit, quo solum uolente redit grata ab omni pressura tranquillitas. Cæterum hanc tranquillitatem hi tantum adsequuntur, qui Christo plene fidunt, eandem alioqui nunquam adepturi. Proinde hoc loco Christus non solum confirmat autoritatem & ueritatem epitheti sui, quo dicitur auxiliator in necessitatibus, sed etiam ostendit nobis suo exemplo formam, qua possimus per ipsius spiritum & uirtutem, motus & tempestates conscientiae nostrae compefcere, ac sedare. Christus uerbo suo tumultus maris sedauit: oportet ergo & nos uerbo Dei tempestatem conscientiae nostrae tranquillam reddere. Hæc ut apertius & melius intelligamus, uno & altero paradiamate declaremus. Qui diuitis & rerum omnium opulentia abudat, nauigat in mari ualde periculoso: & si baptizatus est, & credit in Christum, habet in nauì sua Christum presentem. Quicumque enim, ait Paulus Galat. 3. in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed interim, nauigante illo in mari diuitiarum, Christus obdormiscere, & conuiuere interdum solet, donec orto uehementissimo aduersa fortuna uento, maxima diuitiarum pars disiciatur, ut qui paulò antè ditissimus fuerat, nunc pauperrimus uiuat. Ex hoc uento deinceps oriuntur ingentes procellae in conscientia, de cura uictus, de sollicitudine pro liberis & familia: oritur & ipsa salutis desperatio, quæ est procella longè omnium truculentissima. Hinc exurgunt blasphemie in Deum, & postea imposturae in negotiationibus, periuria in extrudendis mercibus, interim & furta, aut latrocinia. Vides maximam tempestatem? Quid igitur faciendum, ut hanc compefcas? habes Christum presentem, sed tamen dormientem. Quid ergo faciendum? Num excitandus est? excitandus quidem est non tamen tumultu incredulitatis, sed fide & piis precibus. Ipse uerò increpauit tempestatem uerbo, & fugit tempestas. Capeffamus & nos uerbum Domini in fide & charitate, uidelicet, Qui custodit ueritatem in seculum, facit iudicium iniuriis patientibus, dat escam esuriētibus. Idem ipse est, qui ait, Nouit pater uester cælestis, quòd opus habeatis his omnibus. Et, Respicite uolatilia cæli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cælestis pascit illa. Nonne uos longè præcellitis illa? Hæc & huiusmodi uerba Domini obiciamus in fide procellis conscientiae nostrae. Tunc enim re ipsa sentiemus tempestatem continuò mitescere. Est alius,

Beneficia iu-  
stificantis  
Christi.

Tranquilli-  
tas, perinde  
atque Tem-  
pestas, nõ ni-  
si à Deo.

Auxiliator  
Epitheton  
Christi.

Verbo Dei  
omnes astus  
conscientiae  
nostrae leni-  
di.

Fide & piis  
precibus pul-  
sands Deus,  
quoties no-  
stri oblitus  
esse uidetur.



qui cum in hoc seculo sanam uitam ducat, in tranquillo mari nauigat. Et quia pie uiuit, habet secum in nauigio Christum: sed Christus obdormiscit, & sinit irruere grauissimam morborum tempestatem, & ipsam mortis procellam. Hic tum oriuntur in conscientia pauores, trepidationes & desperationes. Quod ergo respiciendum? certe ad Christum, qui excitandus est fidei oratione. Et ad exemplum Christi occurrentem est tanta tempestati uerbo Domini, Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne. Et, Ego sum Resurrectio & uita (inquit Christus) Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in aeternum. Hæc sunt, & alia huiusmodi, quæ dum obiiciemus conscientiæ tempestatibus ac terroribus, statim sentiemus maiestatem Dei & uirtutem, qua sedabitur & tranquilla fiet conscientia, & aliud sese propicient terrores & tempestates illæ tam uehementes. Et quemadmodum Moses diuisit mare rubrum uirga, ut Israëlitarum sicco pede transierint: & misit lignum in amaras aquas, ut uersæ sint in dulcedinem. Ita si uirga Dei, quæ est uerbum eius, percutiamus aquas afflictionis in conscientia nostra, & mittamus lignum uitæ, quod est Christus, in amaritudinem tribulationum nostrarum: non solum patebit nobis tutum effugium per medium afflictionum, uerumetiam ipsæ afflictiones nobis dulcescent, & adiumento erunt ad felicitatem. Eiecerunt quondam Nautæ Ionam in tempestate maris, & continuo stetit mare à feruore suo. Eiciamus & nos nostrum Ionam, Iesum Christum in tempestates afflictionum nostrarum: Eiciamus autem eum non per incredulitatem, ut impij faciunt, sed per fidem in ipsum, hoc est, credamus Christum expiisse peccata nostra, & reconciliasse nos patri cælesti, ut qui in Christum crediderit, uiua fide, saluus sit. Sic enim consequemur non solum tranquillitatem in calamitatibus huius seculi, sed etiam perpetuam felicitatem in futuro seculo per Iesum Christum. Obserua. Magnus paulò antè fuit tempestatis motus, nunc rursus magna tranquillitas. Ita pro modo afflictionis, modus esse consolationis solet, ut abundè expanditur, psal. 93. & 2. Corinth. I. cap.

Porro homines mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei?

Quia erant & alia nauiculæ, cum res tam prodigiosa facta est, ut testatur Marcus: Et aliæ naues (inquit) erant cum illo. Noster Euangelista ait, homines mirati sunt. Marcus uerò, & Lucas 8. etiam discipulis hunc sermonem tribuunt, unde uidemus, nondum plenam Christi cognitionem fuisse in Apostolis. Admirantur, dum uisu & somno ipsum iudicant hominem, & sedato mari opinantur maiorem hominem. Propterea admirantur, dicentes, Quantus est hic? Somnus enim, & statura, qua uidetur, hominem ipsum declarat. At uerò maris tanta per eum facta tranquillitas, Deum cum clamat. Moses quidem aliqua ex parte tale quid fecerat: sed ille, ut seruus, hic uerò, ut Dominus, operatur. Non enim uirgam, ut ille, tendit, non manus in cælum sustulit, non precibus indiguit. Verum, ut Dominus seruo imperans, & conditor suæ creaturæ, sic fluctus maris depressit, ut subito cessauerit tempestas, & tranquillitas magna fuerit. Hæc admiratio, effectus est & signum animorum, per fiduciam erigentium se ex timore. Obserua hoc loco usum miraculorum Christi, qui est, homines facere timere & mirari, ut loquantur ad inuicem, Qualis est hic? Ad hæc uera miracula efficiunt, quod potentia Dei & Christi illustratur, ut pij uideant, quam illi tuto sese committant, habenti scilicet potestatem omnium: quantoque timore & reuerentia ut Deum, ipsum suspicere, atque adorare debeant. Rursus aduerte, hæc uerba, Quia uenti & mare obediunt ei, esse ætiologiam admirationis, & horum uerborum, Qualis est hic? sumpta à potentia Christi in uentos & mare, & ab istarum rerum obedientia. Unde signanter obedientiam addit, ut causam præcipuam admirationis. Nam nihil magni est impere

Verbum Domini quædam uelut Hæcione est, nam mare tranquillum exhibet, &c.

Verbum Dei uirga Moysis est.

Christus, Tonas noster, sedat omnes fluctus, & pericula dissipat.

Admiratio hominum in miraculis Christi, quid significat.

Miraculorum Christi effectus.

rare uentis & mari, nisi & obedientia sequatur. Græcis legitur duplex coniunctio, quia & uenti & mare. Vbi prior coniunctio non tantum connectit, uerumetiam auget. Quia mare quoque & uenti, quæ nulli solent obedire, obediunt ei: quasi dicent, non solum morbi, non solum sanitas, illi obediunt, sed & uenti & mare. Collige ex his grandem consolationem: & disce, nihil esse tam arduum, tam fatuum, & desperatum in hoc mundo, cui Christus non possit fauendi finem facere.

Et cum uenisset Iesus trans fretum, in regionem Gerasenorum.

Idem narratur Marc. 5. & Luc. 8. Legunt Græci Gergesenorum. Diuus Hieronymus in locis Hæbraicis prodidit sua etiam tum ætate uiculum extitisse in monte, situm haud procul à lacu Tyberiadis, ubi porcos in mare isse præcipites memorabant. Quanquam apud Marcum & Lucam hic ipse locus Gadarenorum uocatur, à Gadara, cuius multa apud Iosephum mentio, unde colligere licet, eidem urbi, quæ regioni dedit nomen, diuersa fuisse nomina: & eandem dictam Gerasam ac Gadaram, siue, ut idem mox ait, Gergesam, ac uiculum fuisse in regione Gadarenorum. Ad huius agrum hoc traiectu Dominus applicuit, eoque scriptum est à Matthæo, uenisse Dominum in regionem Gergesenorum. Obserua: hæc circumstantiæ locorum certam reddunt historiam, & simul seruiunt coherentiæ, ac simul suppeditant sequentis euentus aliquam occasionem. Noster ait, Trans fretum in regionem Gerasenorum. Lucas interpretatur, dicens, Ad regionem Gadarenorum, quæ est contra Galilæam ex oriente inter Tyberiadem, & Decapolitanos.

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia.

Pergit Euangelista ultimum huius capituli miraculum narrare, quo confirmatur doctrina Christi, atque, ut superioribus manifestauit, cognoscitur Christus esse Dominus maris, terræ & omnium eorum, quæ sub cælo sunt: ita hoc miraculo pingit nobis Christum, etiam super dæmonum uirtutem esse Dominum, & in ipso nobis per fidem in ipsum proponi uictoriam, contra totam & summam potentiam diaboli. Cum igitur traiecto lacu uenisset Iesus in regionem Gerasenorum, ecce nouus fit miraculo euentus, & maioris prodigij materia obiicitur. Occurrunt enim duo dæmoniaci. Occurrunt, non uocati, non adducti: quid enim magis oderunt, quam Christum, quem perditum uellent? Sed, ut uictus quispiam, sentiens uictoris præsentiam, cuius potentiam suo periculo est expertus, magno metu percitus, obuiam ultero ac supplex prodit, magnis illum titulis demulcens, seseque totum dedens uictori, non quod ipsum amet, sed quod omnimodam perditionem, quam se bene meruisse conscientia teste cognoscit, anxie & metuat & auertere studeat, alioqui mallet eum planè perditum. Ita & hi dæmones trahunt miseros duos Gadarenos, ita ut ueniant obuiam Christo, non amore, sed coacti uirtute & potentia Christi, quam sentiunt, & aliàs sunt experti, suo profecto malo. Qua in re obseruabis: primum, dæmones non ideo suo impetu hos duos homines agunt ad Christum, ut saluentur, quos magis uoluissent perditos: sed coegit eos uirtus Christi, quam hoc loco insignem & stupendam uidemus ad saluandum suos. Secundò uide, quod hi duo obsessi non sua sponte obuiam eunt Christo, consequendæ salutis gratia, sed planè à malis spiritibus aguntur. Iam ex his quis non uideat, quam ingens sit Christi philanthropia, quantæ sit eius bonitas, si modò animo aduertat, neque malos spiritus horum obsessorum, neque hos obsessos suam apud Christum querere salutem, ac neque ullos horum aut illorum studio & sponte sua Christo occurrisse. Ergo id factum ex mera Christi potentia ac bonitate, ut illi occurrerent & liberarentur. O egregiam Christi uirtutem & clementiam, qui etiam inimicis suis dæmonibus ita imperat, ut quod rapuerant ad perniciem, reddere cogantur ad salutem. Iam quid hoc loco, pie lector, tibi meditandum uenit? Si

Gadara, Gerasa, & Gergesa, eadem.

Christus nobis uicit Dæmonas.

Simile.

Dæmones inniti uenerantur Christum.

Bonitas christi exposita, & ultionca.



potentia Christi, cum adhuc esset in forma crucis, tam vehementer perterruerit malos spiritus, tantoque pauciori ac formidini ipsis fuerit, quam putas iam post triumphum crucis, esse illis horrendum, iam triumphantem in forma regni & potentiae Dei? Obserua: praesente medico statim adesse infirmos. Marcus & Lucas unius daemoniaci tantum meminerunt. Cur ita? Certè quod in altero eorum aequè atque in ambobus uirtutem Christi potuerint describere. Neque enim de iis, quos Dominus sanauit, sed de Domino sanante historiam scribere susceperunt: satis habentes, quod uirtus Christi, non numerus eorum, qui ab ipso adiuti fuerunt, innotesceret & celebraretur. Et haec est una è clauibus sacrae scripturae. Rursus aduerte, uerbo, occurrunt, &c. nudi, ut ait alius, Euangelistam significare eos, quos infidelitate adhuc detinet diabolus ad uoluntatem suam, qui uestimento gratiae carent. Nudi certè sunt Adam & Eua, sed à Christo, per Christum, & in Christo uestiendi. Obserua: Daemon Latinè peritus, & rerum sciens dicitur, autore Platone in Cratyllo, quem & Lactantius sequutus est libro secundo; Similiter August. li. 9. de Ciuitate Dei. Sic dicitur Daemon *επερ τὸ δαιμόνιον*, id est scio. Eusebius, Daemones putat dictos ab eo quod est *δαίμων*, exterreco, paucifacio, quod spectrorum daemónumque sit proprium. Daemon Hebraeis dicitur Shadaim, id est euerfor, destructor. Nostrae religionis homines, ait Augustinus, appellant spiritus, in caelo à Deo creatos, qui de caelo deiecti, partim in terrae infimo, partim in hoc aëre damnati sunt. Vocantur autem ferè daemones aut daemonia, cum mentes hominum perturbant. Vnde quos ista infestant, daemoniaci dicuntur, id est, acti à daemonebus. Veteres graeca uoce eos *δαιμονίωνες* appellabant. Daemones etiam Paulo appellantur, cum ex idolis ludificant hominum superstitionem. 1. Corinth. 10. cap. Alibi uocat Paulus *ἀρχαίτωνες*, id est, mundanos principes.

#### Exeuntes de monumentis.

Continebant sese Daemoniaci in locis sepulchrorum, quae ueteres ita struxerunt, & plerunque iuxta uias publicas, ut latere quisquam in illis potuerit. Opinatur diuus Chrysostomus hoc loco, ideo factum, ut ingererent hominibus perniciosam opinionem de animabus defunctorum, nempe quod daemones fiant, & quod huc illuc uagentur, maximè apud mortuorum sepulchra. Eò rapti fuerant daemoniaci, currentes praere irrequietudine, & illinc prodeuntes, Christo occurrerunt. Testatur scriptura daemones siue malos angelos cecidisse è caelo & primo suo statu, quorum pars deturbata sit in hunc aërem à concauo Lunae: ideoque dicatur à Paulo Ephes. 2. Secundum principem potestatis aëris huius: Pars uerò in abyssum, & in infimum terra. Apoca. 20. Ad deferta illos nonnunquam relegari, experientia conuincitur. Certè domos nonnunquam infestasse uisum est, neque item negari poterit uehementissimas tempestates, aliaque tum maris, tum aquarum magna pericula, atque occultiores pestes, machinamenta esse demonum, qui ibi denique habitare, ubi potissimum ledunt, non abs re dicuntur. ubi ubi habitant, irrequieti sunt.

Saui nimis, ita ut nemo posset transire per uiam illam.

Exaggeratio est necessitatis, à sauitia & potentia Satanæ in homines obsessos. Spectat autem haec necessitatis exaggeratio eò, ut postea potentia Christi inclarescat, qua potuit tantam calamitatem pellere. Horum tanta erat sauitia, ut nullis catenis cohiberi possent, ut Marcus 5. cap. dicit. Sed frequenter disruptis catenis & comminutis compedibus insilirent in uiatores: sic, ut nemini tutum esset illac iter facere, ac nullus illos auderet ad Iesum adducere, quemadmodum de nonnullis legimus, sed hos inuitos attraxit tacita uirtus Iesu. Discamus ex his naturam & ingenium daemonis, ut quum probè cognitus fuerit, cautius & diligentius ab ip-

sius insidiis & machinationibus caueamus. Nam si Turca totis uiribus suis obsideret urbem, quis non operam daret, ut ingenium & consilium Turcæ exploratissima haberet, quo posset ipsi in tempore occurrere, & sibi salutem parare? Atqui Satan omnibus Turcis potentior est (non enim est super terram potestas quæ comparatur ei) & obsidet, non externos urbis muros, sed unumquemvis hominem, sine intermissione, & obambulat, tanquam leo rugiens, quarens, quem deuoret, tam corpore, quam anima. Quare ne securitas nostra, qua solemus iactare, Satanam non esse tam crudelem, quam pingitur, nos in omnia mala coniciat, natura & ingenium Satanæ diligenter cognoscenda sunt. Primum ergo Satanæ potentiam, deinde studium & uoluntatem aliqua ex parte explicabimus. Solent pictores, Satanæ suis coloribus uarias, & eas horribiles, affingere formas. Sed ne Apelles quidem summè ingeniosus posset adumbrare Satanam, ac ne Satanus quidem seipsum queat dignè exprimere: tantum ipse Spiritus sanctus, cui Satan longè omnium cognitissimus est, Satanam nobis pro dignitate effingit. Primum igitur uide mihi, quo modo Satan crudelem suam potentiam nobis ob oculos ponat in his duobus Gadarenis daemoniacis, de quibus nobis est sermo. Misere ipsos discruciat, & impellit, adeò ut faciam humanam exuisse, & belluinam induisse uideantur. Nudi enim sunt, non habitant in domibus, sed in monumentis, inter ossa mortuorum: neque catenis, neque compedibus coherceri possunt: sed ruptis omnibus aguntur in deferta. Ad hæc lapidibus seipsum concidunt, ac in tantum sauiunt, ut nemini tutum sit illac transire. Quæso, si Satan non esset potentissimus, an posset homines ad tantam insaniam & crudelitatem adigere? An non vires suas & potentiam adumbravit in iis, quæ infixit ipsi Iob? Sabæorum & Chaldaeorum gentem concitat, ut regionem Iob depopulentur, & seruos eius trucident: deicit ignem è caelo, ut consumantur omnes oues Iob, excitat uehementissimum uentum, quo concutit angulos domus, in qua filij Iob conuiuabantur, & opprimit eos. Postremò percutit etiam Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad uerticem eius. An non sunt hæc clarissima argumenta maximarum uirium Satanæ? Christus uocat Satanam, principem mundi, & in Paulo dicitur Satan princeps cui potestas sit aëris. Dicitur & Deus huius seculi, & ad Ephesios 6. cap. Satanæ exercitus his epithetis explicatur, principatus, potestates, Domini mundi, rectores tenebrarum seculi huius, & spiritalis nequitiae in caelestibus. Quibus epithetis quid nobis adumbratur, nisi magna Satanæ in hoc seculo potentia? Habet tantas vires, ut possit modico tempore, non tantum maria concitare, Grandines & fulmina ex aëre demittere, totam terram seditionibus turbare, uerumetiam caelum terræ miscere. Adeoque superat potentia sua corporeas creaturas, etiam si ad unum omnes illæ vires suas conferant. Hactenus de potentia Satanæ: perscrutemur de uoluntate eius. Qui scripturam & sacros doctores legit conuertit habet studium & uoluntatem daemorum, in hoc totam esse, ut hominibus noceant, ac si nequeant pietati, persuadendo quæ impia sunt, saltem animo, corpori, aut rebus incommodent. Animo, cum agunt homines in furorem, quod daemoniaci experiuntur. Corpori, dum aliis atque aliis illud morbis excarnificant, id quod in ipso Iob, atque quotidie in aliis multis manifestum est, in iis autem potissimum, qui à maleficis mulieribus dicuntur lædi. Et ut uno & altero uerbo dicam, quam potens est Satan, tam maleuolus etiam est. Cuius uoluntas nihil aliud est, quam libido mentiendi, decipiendi nocendi ac omnia perturbandi & perdendi. Atque adeò, si quis eius imaginem pingere posset, quid aliud explicaret ac exereret, quam potentissimam uoluntatem nocendi & perdendi omnia? Iam incipiamus ab ipso mundi exordio explicare hanc peruersam Satanæ uoluntatem. Genes. 3. Nequaquam (inquit) moriemini, sed aperientur oculi uestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Hac uoce primùm mentitur, & peruertit uerba Dei: deinde seducit hominem ad perpetuum depici.

Veritas Satanæ ad nos perdendos.

Iocus solennis in Satanam.

Satanam cuius non licet exprimere.

Daemones potestas quantal.

Satanæ malignum erga homines studium.

Satanæ praestigia ac doctri graphicè depicta.



interitum. Liquet ex his, quàm parata fuerit libido Satanæ perdendis filiis Dei. Calumniatur Iobem coram Deo, ut perdat ipsum. 3. Reg. 22. stat Satan coram Domino Deo, & ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab. Et Zakariæ. 3. cap. stat Satan à dextris magni sacerdotis, ut aduerfetur, ne quid prosperi accidat urbi Ierusalem. Plage Aegyptiorum, immisiones dicuntur per angelos malos, Pfal. 77. & 1. Reg. 16. Malus angelus agitabat Saül, Luc. 22. Expetit, ut cribret Apostolos. 1. Petri. 5. Obambulat tãquam leo rugiens. Quid facturus? Querens, quem deuoret. Iam & Christus ipse Ioan. 8. uocat Satanam, mendacem, & homicidam: Cùm (inquit) mendacium loquitur, ex propriis loquitur. Quibus uerbis perspicuè docet in Satana non esse aliam uoluntatem, quàm mentiendi & perdendi. Sed cur aliò abimus, inuestigaturi malam eius uoluntatem, cùm ad uiuam expressam habeamus in his duobus Gadarenis obsessis? Primò ipsos impellit Satan, ut nudi incedant, ut in monumentis uersentur, ut catenas & uincula rumpant, & ad deserta aufugiant, ubi seipfos lapidibus cõcidant, & ad eò in uiatores insiliant, ut nemini tutum sit illac iter facere. Quibus rebus quid aliud significat, quàm se hoc unum uelle, opare, & conari, ut homines perdat? Deinde cùm præceptum huic esset, ut ab hominibus discederet, obserua, ut tergiuersetur, ac sese in omnes formas uertat, ne cogatur cessare à perdendis hominibus. Nunc exclamat, nunc procidit ante Iesum, nunc Iesum reiecit, Quid rei, inquit, mihi tecum? Nunc rursus confitetur, Iesu, fili Dei altissimi: nunc supplex precatur, imò adiurat Iesum, ne, quod sibi maximum tormentum est, ex hominibus eiiciatur: Obsecro te, inquit: uel, ut Marcus habet, adiuro te per Deum, ne me torqueas. Nunc rogat ne extra regionem in abyssum abiiciatur, ubi non sit ipsi integrum homines cruciari & perdere. Hæc certè omnia manifesta sunt argumèta, quibus Satan declarat, se nihil aliud poscere, quàm malefacere & perdere. Ex his cognoscere possumus, qualem & quantum habeamus hostem, cernicibus nostris sine intermissione imminentem. Quò fit ut nobis non sit dormiendum, sed nos excitare debeamus ab ignauia nostra, per quam in tanta carnis securitate uitam ducimus, perinde ac si Satan dormiret, aut planè extinctus esset. Responfabit quispiam. Si tanta est Satanæ potentia quæ & corporalium rerum potentiam superet, & non deest illi malè agendi & perdendi uoluntas, quis huic resistet? Respondeo. Tametsi magnam habeat potentiam Satanus, non tamen est omnipotens. Est profectò alius illo superior, Iesus Christus Dominus noster, omnipotens, sua uirtute & potentia superans omnes Satanæ uires. Cuius tanta est clementia erga creaturas suas præsertim autem erga homines, ut nõ solum ordinârit legiones bonorum angelorum aduersus angelos Satanæ: sed etiam sine intermissione cernicibus Satanæ ita incumbat, ut Satan ne tantillum quidem uel possit uel audeat, nisi quantum ipsi à Domino permittatur. Hoc uerò ipsum experiamur & discamus ex Iob. Satanus circuit terram, & perambulat eam, ac uellet quidem, & quantum attinet ad humanam protectionem, posset etiam Iobem omnino perdere. Sed cohibetur diuinitus: id quod ipse coram Deo confitetur dicens, Iob, 1. capit. Nonnetu uallasti eum, ac domum eius, uniuersamque eius substantiam per circuitum? Deinde cùm permitteret Deus Satanæ, ut pro libidine sua grassaretur in substantiam Iobis, ponit ei certum terminum, intra quem consistere debeat, dicens, Ecce uniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantummodò in ipsum ne extendas manum tuam. Ac mox sauit in substantiam Iobis, crudelissimè opprimens nõ seruos tantum, sed etiam liberos ipsius, & maximè omnium optaret in ipsum etiam grassari, sed cohibebatur hoc uerbo, Tantummodò in ipsum ne extendas manum tuam. Postea cùm etiam potestatem acciperet inuadendi ipsum, etsi percutiat ipsum uicere pessimo à planta pedis usque ad uerticem, mallet tamen ipsum quoque uitâ priuare, quàm corpore tantum affligere, sed audit à Domino, uerumtamen anti-

Dæmonis  
studium in  
hoc omne, ut  
nos perdat.

Satanas po-  
tens, at non  
omnipotens.

Satanas nihil  
potest præter  
nuntium Dei.

Satanæ fines  
ad retandū  
circumscripti

mam eius serua. Vides Satanam cogi intra eos limites consistere, quos ipsi præscribit Dominus Deus noster. In Luca, Satan expetiuit ut cribraret Apostolos, sicut triticum. Optauit quidem, & conatus est omnes Apostolos ad laqueum adigere, quemadmodum adigit Iudam proditorem, sed erat ei certus terminus constitutus, intra quem necesse habuit consistere. Dicit enim Christus ad Petrum: Ego rogauit pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. In his etiam dæmoniis, de quibus est præsens sermo, manifestum est, Satanæ certos terminos à Domino constitui. Acceperat enim Satan potestatem inuadendi hos homines, & perturbandi rationes ipsorum, ut insanirent. Cùm ergo adigat hos homines ad nuditatem corporis, ad monumenta, ad deserta, & ut se ipsos lapidibus concidant, quid est, quòd non adigit etiam ipsos ad suspendendum se laqueo, aut ad suffocandum in aquis? Certè Satan nihil minus in his hominibus, quàm in grege porcorum exoptauit: ac perfecisset etiam, nisi constitutus fuisset ipsi terminus, quem non potuit transgredi. Proinde quantum ad salutem horum dæmoniacorum, licebit dicere & iudicare, quòd nequaquam perpetua damnationi & exitio aeterno addicendi sunt, quia dæmoniaci sunt, & dæmon turbauerit ipsorum rationem, ac redegerit eos ad insaniam. Nam tametsi fieri possit, ut multi horum, quos Satan ratione insanos reddit, perpetua internicione pereant (hæc enim uoluntas est Satanæ, ut non solum insanos, sed etiam sanos in exitium & damnationem perpetuam trahat) hæc tamen damnatio siue hoc exitium non contingit ipsis, eò quòd à Satana priuati sint ratione, sed quòd priusquam priuarentur ratione, fuerint impij, & in impietate sua moriantur. Nam, qui habuerunt uiuam fidem (per quam propter Christum iustificamur) antequam & dum facti sunt dæmoniaci, etiam si morbo insanie moriantur, non est tamen de salute ipsorum desperandum. Licet enim accipiat Satanus, potestatem à Domino ad turbandam rationem hominis: non tamen consequitur, ut propter hoc accipiat etiã potestatem turbandæ & auferendæ uiuæ fidei hominis. In Iob Satan accepit potestatem grassandi in substantiam & corpus eius, coercetur tamen, ne sauiat in animam seu in uitam eius. Quomodo igitur non posset coerceri, ne sauiat in fidem & ueram salutem horum, in quorum humanam rationem sauiendi potestatem accepit? Certè nolenti Satan non auferit fidem uiuam, licet humanam rationem & intellectum perturbet. Hæc enim fides uiua, animæ uita est, nec datur Satanæ potestas auferendi illam. Speciale & supernaturale donum Dei est per Spiritum sanctum. Ratio autem humana inest nobis dono quidem Dei, sed tamen per naturalem generationem. Quare fieri potest, ut ablata ratione naturali, maneat donum fidei uiuæ supernaturale. Luc. 13. producit mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, eratque contracta, nec omnino poterat erigere caput. Hanc mulierem uocat Christus filiam Abraham, & dicit eam alligatam esse à Satana. Si ergo in hac infirmitate mortua fuisset, quis tam inclementer pronuntiaisset ipsam propter corporalem infirmitatem perpetuò damnatam esse? Et uocat tamen Christus infirmitatem eius, uinculum Satanæ. Quare sicut infirmitas corporalis, à Satana immissa, non damnat hominem: ita nec insania rationis turbata à Satana, damnat hominem. Adhæc Paulus, 1. Cor. 5. tradidit Corinthium fornicarium Satanæ, non in exitium, sed ut spiritus saluus fieret. Et, 1. Timoth. 1. cap. tradidit Alexandrum, & Hymenæum Satanæ, non ut perderentur, sed ut discerent non blasphemare. Responfabit quispiam. Solent interdum dæmoniaci blasphemias uoces in Dominum nostrum Iesum Christum proiicere: excluduntur igitur à gratia, qua accepti erant Deo. Respondeo. Quemadmodum Paulus dicit Romanorum sept. de eo, quod agit, non tamen probat, Si autem quod nolo (inquit) illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non operor illud: sed quod habitat in me, peccatum. Scio enim, quia

Satan uexare  
potest, perde-  
re nõ potest,  
nisi uolentes

Fraudibus &  
astu Satanæ  
quinam per-  
eunt.

Fidè & cha-  
ritatem ne-  
mini potest  
inuito Satan  
auferre.

Neque agri-  
tudo, neque  
rationis tur-  
batio immif-  
sa à Satana,  
perdit homi-  
nem.

An energu-  
menos blas-  
phemie in  
Deum suæ  
condemner.



non habitat in me, id est, in carne mea, bonum. Ita de infano dæmoniaco, qui cum fieret infanus, fide uita præditus erat, dici potest, quod & si horribiles blasphemias loquatur, tamen quia neque procedunt ex animo libero, neque illas approbat, neque illis oblectatur, ideo non censetur homo illas loqui, sed inhabitans in homine Satan: quare non homini, sed Satanæ imputantur. Atque hoc sentien-

Deus potentior ad seruandum, quam Satanæ ad perdendum.

dom omnibus est, Dominum Deum nostrum potentiolem esse ad seruandum hominem per fidem in ipsum, quam Satanam ad perdendum per humanam rationis turbationem & insaniam. Colligamus ex superioribus, Quod dæmones, ut ut potentes sint, & malignum sit ipsorum studium, nequeunt tamen uel pilo plus, quam optimus pater noster Deus decreuerit & illis permiserit, nocumēti inferre, aut damni dare. Et ut totus Satanæ non est nisi uoluntas quedam & libido nocendi ac perdendi: ita totus Christus in hoc est, ut beneficiat, & seruet credentes in se. Adhæreamus igitur Domino nostro Iesu Christo, ut per hunc semper à Satana

Quinam in potestate Satanæ.

tuti simus. Non enim ij tantum in potestate Satanæ sunt, qui manifesta insaniam à Satana exagitantur: sed etiam omnes homines, qui in peccatis concipiuntur, & nascuntur, potestati Satanæ subiecti sunt. Et ob hanc potissimum causam permittitur interdum Satanæ, ut hominem ad insaniam adigat, quod in uno aut altero dæmoniaco admonemur naturalis nostræ omnium captiuitatis: uidelicet quod eramus natura filij iræ, Ephes. 2. & traditi in potestatem Satanæ. Quod si permitteretur Satanæ, non unum aut alterum tantum hominem, sed totum genus humanum ad eum modum, quo dæmoniacos, exagitaret. Quod cum ipsi negatum sit, alia tamen uia in homines seruit, & tyrannidem exercet. Audiamus quam nobis

Potestas nobis à Deo ad uersus Satanam, quanta.

aduersus inimicum dedit potestatem Satanæ uictor, Luc. 10. Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus uobis subiiciuntur: sed gaudete, quod nomina uestra scripta sunt in cælis. Paulò antea præmisit Christus, Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem, quod uerbum tametsi insinuet, Christum uidisse, fuisse & adstitisse, quando Satanæ cum suis de cælo deturbaretur, tamen ex his uerbis, Ecce dedi, &c. admodum patet,

Causa Satanae mundo in eunte, præludium fuit sequentium postmodum ruinae.

Christum illud, Videbam, &c. de eo dixisse, quod regno suo ille iam esset deturbandus, cuius præludium fuit, quod etiam à discipulis per nomen Domini dæmonia eiiciebantur. Et quia tam certum erat, quod iam iam deturbandus esset, ideo more scripturæ loquens, factum esse adserēbat, dicens, Videbam, &c. Quasi diceret, Non mirum est, si uobis subiiciantur spiritus mali. Iam uidebam Satanam, aduersariam illam potestatem, de cælo cadere, hoc est, deturbari de sublimi, atque exui sua potestate: fortior enim superueni, qui robustum alioqui & armatum illum, deuincam & exarmem. Iam quia copiosè dictum est de potentia & uoluntate, seu studio dæmonis, forsitan rogabit quispiam, quo modo in his Gadarenis erat legio, & an dæmon inhabitare dicatur corpus alicuius hominis. Respondeo. Cum

Dæmon an corpus hominis inhabitet

nulla corporalis dimensio impediatur spiritum, dæmon per naturæ suæ subtilitatem & spiritualitatem potest naturaliter quodcumque corpus penetrare, cum corpus spiritui obstaculum præbere non possit. Verbi gratia, quemadmodum lumen aërem penetrare potest usque ad profundum, ita spiritus corpus humanum subintrare potest, & in eius interioribus habitare. Vnde dæmon, nisi à Deo prohibeatur, potest humanum corpus substantialiter subintrando obsidere, & inibi habitare, & substantialiter præfens esse & corpori & animæ. Atque ratione naturalis suæ potentia, potest ipsum corpus mouere, turbare, uexare, affligere, sensus & rationem

Dæmon, quomodo obideat hominem.

perturbare: & dum hoc operatur, Deo permittente, dicitur obsidere hominem. Rogabis: an dæmon possit menti humanæ illabi? Respondeo. Vox, illabi, non solum denotat intimam præsentiam rei illapsæ, & cui illabitur, sed etiam plenam præfecturam & dominium illabentis super illapsum, quorum si alterum deest, non

est illapsus. Quod fit, ut solus Deus menti humanæ illabi dicatur, non dæmon, qui non potest plenè præsidere & dominari animæ. Quare dæmon neque uidet cogitationes hominis, neque sua uirtute potest producere in nobis cogitationes & affectiones. Hoc enim solius est potestatiæ cognitiuæ, & omnipotentia diuinæ. Atque licet possit nos mouere & excitare ad eas formādas, non tamen potest simpliciter compellere ad cogitanda mala, ut ut possit offerre obiecta, & phantasmata mouere.

Vnus ac solus Deus menti humanæ illabitur.

Quo modo autem illudere possunt dæmones sensibus humanis, & an possint facere miracula, si scire delectat, legito Augustinum parte 3. lib. De Trinitate 4. ca. 11. Rursus parte 2. & 6. ac plerisque aliis locis. De his tractant Doctores 2. sentent. lib. dist. 8. Obserua: ut ad historiam redeamus, hi Gadareni obsessi, ac mira inquietudinis, eos manifestissimè referunt, quos spiritus ueræ pacis non repleuit, in quibus non nisi turbulentia & inquietudo esse potest. Hinc Isaia 57. Non est pax impiis.

Dæmon quid possit in cogitationes nostras.

### Et ecce clamauerunt, dicentes.

Pergit Euangelista narrare, quid hi obsessi apud Christum egerint, quid dixerint. Marcus ait, quod dæmoniaco uidit Iesum à longè, cucurrit & adorauit eum. Vbi uidere, pro cognoscere seu sentire metaphoricè dicitur. Quod autè procedit, siue adorauerit, gestus est, quo testatur diabolus se Christo inferiorem, & Christum se potentiolem. Dixisse lubens, Quis uos premit? Quid uobis turbulentibus accidit? Sed quis uos uocauit? non uocati ultro occurritis. Cruciabantur certè impij spiritus, nec ferebant uim diuinam, aded ut sibi malè conscij, sentirent nouum quendam & occultum cruciatum, etiam priusquam illis loqueretur Iesus. Sanè metuebant, ne iam instaret ille dies, quo relegarentur in profunda tartari, supplicij æternis afficiendi: neque posthac sinerentur hominibus esse molesti. Cruciatu igitur ac metus ab inuitis extorsit uocem, testem diuinæ uirtutis in Christo. Hoc ut exprimeret Euangelista, non dicit eos dixisse, sed clamasse, seu uociferatos esse. Hæc exclamatio effectus est Christi, potenter urgentis diabolum. Hic enim, quia sentit potentiam Christi, exclamat ac uociferatur per ora miserorum. Hoc loco Christus exhibet se concussorem capitis serpentis, Genes. 3. Quod Marcus ait, clamans uoce magna. Vox, magna, exaggeratione commendat potentiam Christi aduersus Satanam. Obserua, Dæmon mouet obsessorum ora, linguas & labia, & per hos format uoces articulatas. Imò potest angelus disponere in aëre uoces quales arbitramur per angelos prophetis, & uiris sanctis significatas.

Videte pro cognoscere.

Quid acciderat spiritibus malis, quod ultro compellabant Christum.

Dæmon ore à se obsessorum quomodo loquitur.

### Quid nobis & tibi Iesu, fili Dei?

Quia mira intelligendi facultate præditi sunt dæmones, unde à peritia nomen sortiti sunt, utcumque Christum agnouerunt, aut, ut autor est Hilarius, suspicati sunt esse ipsum, sanctum Dei filium, & unctum Regem sanctorum, non tamen illi sese subiiciunt, sua prauitate & malitia, ut & impiis hominibus usu uenit, transfusi acti. Neque cognouerunt diuini consilij dispensationem: si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. August. lib. 9. de ciuitate Dei, inquit, Tantum innotuit illis Deus, quantum uoluit: tantum autem uoluit, quantum oportuit. Innotuit ergo eis, non per id, quod uita æterna est, & lumen, quod illuminat pios: sed per quædam temporalia suæ uirtutis effecta, & occultissima præsentia signa, quæ angelicis spiritibus, etiam malignis potius, quam infirmitati hominum possunt esse perspicua. Cum uidebant ipsum miracula facientem & mirabilem eius uirtutem sentiebant, suspicabatur ipsum esse filium Dei: Quod autem esurientem & sitientem conspiciebant, purum putabant hominem, ait Hilarius. Coniectura itaque ducti, aiunt, Quid nobis, &c. & alibi, Noui te, quis scis, nimirum ille sanctus Dei. Et in Actis de Paulo & Barnaba clamat, Iste homines, serui Dei altissimi sunt, qui annuntiant uobis uiam salutis. Aiunt autem, se neque

Dæmones uel nouerunt, uel suspicati sunt Christum esse filium Dei.

Christus quomodo dæmonibus innotuit.



quidquam habere, ac neque uelle habere commune cum Christo. Profectò non abs re istuc dicunt, cum horum ingeniu ex diametro pugnet aduersus Christi bonitatem & naturam. Natura comparatum est, ut pares sint cum paribus, & mutuo oblectentur consortio. Disparis sunt Christus & dæmones, cum hi sint ueri Antichristi, nihil igitur commune ducunt cum Christo, cum nihil uelint cum Christo cõmune. Et Christus uenit, ut saluator. Proferuntur igitur hoc loco, se nullam sperare nec uelle salutẽ à Christo, sed expertes esse omnino regni Christi. Quòd si nihil inter hos commune habetur, nec fidelis cum infideli quidquam habere debet commune. 2. Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Dolosus admodum & fallax est diabolus: nam interdum uerissima affert testimonia, ut se ueracem iactet, & illi habeatur fides. Rursum ne semper uideatur perdere, sed etiã in periculis seruare & liberare, interdum liberat homines è morbis per incantatrices (quæ sunt organa Satanæ) ut ut tamen uera dicat, & uera faciat, nihil commercij cum illo habendum est. Quia non est, nisi spiritus mendax & homicida, qui, ut manifestum est, ueritate, non nisi ad decipiendum, & liberatione, non nisi ad perdendum, abutitur. Quare sicut Iesus non agnoscit confessionem ueritatis prolata à dæmone, quanquam sanè malitia Phariseorum, dæmoniũ ipsum habere, & per uirtutem principis dæmoniorum, dæmonia eiicere calumniabatur: sed ostendens se nihil commune habere cum dæmone, ipsius testimonium (quamuis uerum) reiicit. Imò potius ipsum increpat, dicens, Obmutescere, & exi ab homine. Sicut & Paulus ægrefert clamorem Satanæ, uociferantis, A ð. 16. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiat uobis uiam salutis: & conuersus, præcepit ei, ut exiret à puella. Ita cum lex iubeat nos in unum Deum credere, & nec Phytones, nec diuinos consulere: magna seueritate præcipitur nobis, ne ullum apud Satanam auxilium quæramus. Proinde cum Dominus prohibet Satanam ferre sibi testimonium, declarat, quàm inuisum Deo sit eorum quoque hominum testimonium, qui item ut dæmones fallaci animo ipsum prædicant. Hoc ipsum est, quod psalmo 49. dicitur: Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Vnde & Paulus ideo potissimum inculpatum per omnia Episcopum requirit, ne uerbum Dei blasphemaretur, aut certè contemneretur. Quòd autem Paulus ad Philipp. 1. ca. scribit se gaudere, quòd Christus prædicaretur etiam per cõtentionem, ex immèso gloriæ Christi desiderio scripsit, quam illustrari uel quocunque modo, ut optabat, ita non potuit non gaudere: licet si ipsi in manu fuisset, longè alios prædicatores Christi substituisset. Ad hæc non ita infamabatur Euangelium, licet per occasionem & non sincero corde falsi Apostoli ipsum prædicarent, atque infamatum fuisset, si Christus passus fuisset præcones sui esse dæmones, qui malis tantum rebus delectantur, nec alias laudare solent. Hortatur ergo nos Christus, ut Euangelium integerrimos uiros præcones sui habeat. Deinde monemur, ne nos impiorum & malorum laudem ac commendationem moremur, satis habentes si Deo & bonis ac piis probati fuerimus. Solus enim uerè commendatus est, quem commendat Deus, 2. Corinth. 11. Obserua, quòd Christum filium Dei hic arreptitius uocauit, non fuit credentis & scientis, sed opinantis, ex eo quòd mirabilẽ in Christo uirtutem signis mirificis agnoscebat. Aut uocat filium Dei, tentatione, quasi inflaturus cum uana gloria. Quasi dicat, O Iesu, quàm magnus es, cui etiam nos dæmones credimus. Solet enim diabolus magnos uiros philautia frequenter tentare, ut quos alioqui non potest, per superbiam deiciat. Ad hæc (ut est spiritus amphibolus, potest filium Dei appellare (ut quælibet sanctum hominem scriptura appellat) quem tamen metuere cogitur propter fidem, aut opinionem, quam

Nihil Dæmonibus cum Christo.

Dæmones ipsissimi Antichristi. Nihil fidelium infideli.

Diabolus interdum simul se seruare, uerum ut perdat. Sagæ organa Diaboli.

Dominus prædicari non uult à quibuslibet.

Paulus quare Christum gaudet prædicari à quibusuis.

Quare noluit Christus se à dæmonibus prædicari. Optandũ nõ est, commendari à malis.

Dæmones quare Christum fatentur.

de illo induit. Nihil igitur certi loquitur Satan: tentat, simulque metuit, ut solent dubij homines, seu in salebra existentes, ut est in prouerbis. Rursus obserua hæc uerba, Quid nobis & tibi, posse in hunc sensum accipi. Dæmon furibundus Christum accusans, quòd inuaderet regnum Satanæ, ait, Quid nobis & tibi, &c? Ac si diceret, Nostri sunt isti homines, peccatis seruietes: nullo iure eripis nobis hanc potestatem, quantumlibet uidearis sanctus. Quia iusti Deo, peccatores nobis debentur. Certè hanc iuridicam actionem multis uerbis egit diabolus, defendens suum regnũ super impios: sed præualuit Christus. Obserua, ut ut potentes, horribiles & formidabiles sint dæmones, tamen solo cõspectu Christi torquentur ipsi, & metuunt, aded ut clament etiam conquerentes, & cõ desperatione dicentes, Quid nobis, &c. hoc exemplo monemur, ut securi simus in Christo, contra omnem futuram Satanæ, quia ipse cogitur trepidare coram Domino nostro uisõ. Cuius uictoria nostra est per fidem in Christum, sicut infra. 10. cap. ait, Dedi uobis potestatem supra omnem potestatem inimici, & nihil uobis nocet. Heb. 11. cap. Sancti per fidem uicerunt regna, &c. 1. Ioan. 5. Et hæc est uictoria, qua uincit mundum, fides nostra. 1. Petr. 3. Cui, scilicet diabolo, resistite, fortes in fide. Et hanc consolationem confirmat ipsa historia, quòd dæmones tam infirmi sunt coram Christo, ut ne in unum quidem porcellum possint quicquam, nisi antea petita & imperata licentia.

Venisti huc, ante tempus torquere nos.

Cum non permittuntur dæmones uexare & lædere hominem, putant tormentum & cruciatum maiorem sibi infligi, ut hic locus submonere uideatur: & hoc ipsum docet August. parte 1. libro uno, de uera religione, cap. 40. Bonorũ, inquit, liberatione torquentur dæmones. Sed quo modo ante tempus, qui ad salutem uenit? Certè patribus non uenit ante tempus, qui multo desyderio aduentum eius expectant, sicut nec piis & fidelibus ante tempus uenit, quem uotis omnibus excipere uolunt, & cum Paulo dicunt, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Piis igitur non ante tempus uenit. Sed dæmonibus hoc loco dicitur ante tempus uenire, quòd existimarent, Christum non ferentem ipsorum immensam tyrannidem & malitiam, non expectaturum tempus suppliciorum, id quod tamen non est aerũ, ait Theophylactus: Nam usque ad consummationem mundi permittentur certare nobiscum. Ex his collige miseriam dæmonum conditionem, qui nihil aliud expectare possunt, quàm damnationem, nihilque aliud optare, quam dilationem seque tum beatos putant (& si miserimi sint, & suas secum ferant pœnas, nunquã interituras) si plusculum detur more ad miseriam infelicitatem. Ad hunc modum omnibus impiis continget, quos iustè iustus iudex torquet & punit, qui & ipsi conscientia ipsorum teste, nihil aliud expectabunt, quàm tormentum in aduentu Christi. Imò etiam frequenter in mortis articulo iis, qui in hoc seculo impie uiuunt, & securè libidinantur, parata sunt tormenta, & ante tempus Christus aduenire uidebitur. Demus igitur operam, dum uiuimus, ne & cum illis adnumeremur Amen per Christi gratiam. Sed potius simus de illis, quibus Christus ueniet expectatus & desyderatus: hoc est, quibus ueniet ad salutem & redemptionem. 2. Timoth. 4. Tit. 2. Luc. 21. cap. Porro hanc torturam, quam metuebãt, Chryostomus & alij intelligunt de futuro illo igne, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Quasi timuerint, ne se in illum iam eiecerint. Aliis uidetur ex Marco hæc formidata fuisse tortura, ne uidelicet extra regionem abigerentur. Videtur mihi hæc tortura fuisse, ne arcerentur à vexandis hominibus. Videbant enim tyrannidem suam & regnum suum minui, regnum autem Christi multũ promoueri, multos item à suis castris ad Christum defecere, nec se posse illud impedire. Vnde torturã illam, id est, inuidiam, & agritudinem, ob Euangelium ubique disseminari ac

Dæmones suam sibi prædam eripi se rant. egit. Nihil metuendus Satanæ, qui Dominum nostrum tantopere metuat.

Infirmas Satanæ quantas.

Torquetur diabolus, cum hominem ledere non potest.

Christus dæmonibus ante tempus uenit, id est, quomodo.

Dæmones se mirari usque ad finem mundi. Dæmonum miseriam conditio.

Mors cuique sua, iudicium est.

Pœna dæmonibus in hoc seculo formidata, quæ.



proficere incipiens (quæ illis multò maxima pœna est) metuunt. Quò enim magis impediuntur à malo inferendo, eò magis uexantur. Vnde apud Marcū 5. cap. ait Dæmon, Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Quod erat hoc tormentū? Respondet Euāgelista: Dicebat enim illi Iesus, Exi spiritus immunde ab homine isto. Tormentum enim illis erat, si ab omni prorsus hominum diuexatione à Christo prohiberentur. Obserua: cùm dicit, ne me torqueas, exponit Satan, quā de Christo habeat notitiam. Nimirum talem, qua agnoscit Christum uenire, ut torqueat eum. Ne me torqueas, supple, iuxta tuum officium. 3. cap. Lucas ait, Et rogauerunt eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent, sine dubio ad cruciatum. Diffiniturus infernum, utitur uoce Abyssus, quæ alioqui aquæ profunditatem, uel potius aquam fundo carentem significat: hic pro inferno accipitur, ad quem relegatæ sunt aëriæ potestates. Quòd autem orârunt dæmones sese non derrudi in abyssum, perinde uidentur orasse, atque si ex hoc orbe non depelli petissent, & ne nocendi hominibus facultas ipsis adimeretur. Quanquam ut in deserta, ita & in abyssos aquarum illos relegari, uerisimile est: quod & ipsum experientia comprobabat. Aiunt Marcus & Lucas Dominum interrogasse, Quod tibi nomen est? Christus interrogat diabolum de nomine, ut presentibus ponat miseriam ob oculos, & potentiam Satanæ, ut postea sua ipsius potentia illustrior fiat, & maiorem habeat commendationem. Deinde cùm de nomine rogatur, ostenditur dæmones habere nomina, quæ plerunque aut à potentia, aut à seuitia trahunt. Respondet dæmon, Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Hoc responso significat dæmon, hoc unum se conari, ut quamplurimum noccat. Legio enim militare uocabulum est, & constitit apud Romanos propriè ex sex millibus peditum, & septingentis triginta equitibus. Satan igitur uocans sese legionem, exaggerat potentiam suam à multitudine simul presentium diabolorum, dicens, Quia multi sumus. Vnde in prouerbio est, Diabolus non est solus. Hic docemur, quo animo sit in homines Satan, qui tametsi tam potens sit, ut ei non comparanda ueniat potestas ulla super terram, tamen quòd maius damnum homini inferat, non unum tantum angelum, sed totam legionem angelorum suorū in hominem immittat. Et ut militaris exercitus in terra hostili omnia conculcat, proterit, & deuat, ita cùm Satan se legionem uocat, significat se hoc unum cupere, curare, & conari, ut omnia proterantur & deuantur. Vnde Christus ita de Satana concionatur, infra, 12. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, tunc dicit, reuertar in domum meam, unde exiui, & ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam & ornata. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se: & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Septenarius numerus significat perfectam & completam multitudinem. Quòd autem dicit spiritus se accipere septem alios spiritus nequiores se, declarat in Satana, tantam esse libidinē nocendi & perdendi, ut collectis totis suis uiribus, tota sua fortitudine ad nocendum & perdendum feratur. Obserua, hunc locum, Quid uenisti ante tempus torquere nos? tractari ab Augustino, lib. de Ciuitate Dei. 8. in fine capitis. 23. Item li. 9. ca. 21. Obserua ex hoc loco, quàm nostræ uexationis & perpetui interitus auidi sint diaboli.

Erat autem non longè ab illis grex porcorum multorum, pascēs.

Adducit Euangelista occasionem sequentis petitionis ad Christum. Non procul ab eo loco, quo hæc gerebantur, pascebat ingens grex porcorum.

Dæmones autem rogabant eum, dicentes.

Dæmones sentientes sese uehementer urgeri uirtute diuina, ne sine noxa abirent, tanta erat ipsorum malitia, deprecabantur Iesum. Consolatorium est piis, quòd diabolus roget Christum, ut abeat, &c. quòd intelligas diabolum nocere non

Abyssus pro inferis.

Dæmonibus sua insunt nomina. Legio Romana.

Diabolus nūquam solus, uulgi parocmia.

Dæmonis ad nos perdendos obstinātū studium.

Septenarius numerus perfectionem significat.

Diabolus rogat Deum, & exauditur, quòd magis nos?

posse, nisi permittente Deo.

Si eiicis nos hinc.

Hæc uox est reclamantis & perturbatæ conscientie malæ. Quis quæso dixit illis, quòd eiicendi essent? Certè timor ex impietate & tyrannide. Quod timet impius, uenit super eum, ait Sapiens. Hæc uox adumbrat illos, qui male possessa ablatum sibi iri timent.

Impio, quòd timet, tandè contingit.

Mitte nos in gregem porcorum.

Si prorsus (inquiunt) non pateris nos manere in hoc domicilio, saltem permittite, ut hinc demigremus in porcos, animalia immunda & abominanda. Quòd rogant, declarant, & confitentur non esse potestatis suæ, uel in porcos ire. Quòd uerò dicunt, mitte, siue permittite nobis, tribuunt Christo potestatem & super se, & super duos illos obsessos, & super porcos. En uides: cùm diaboli non possint nocere hominibus, moliantur aliis creaturis periculum, in damnum tamen hominum. Fortassis non sine consilio petunt diaboli à Christo, ut in porcos abeant, ut perditione uictuum seu porcorum iactura excitent homines ad persequendū Christum, sicut & factum postea audiemus. Voluntate igitur diuina Satan (ut uictus) confusus, nescit quid petere debeat: porcos ergo fortè adstantes petit hospites, sed sese dignos. Diuina enim uirtute diabolus ipse cogitur desinire, quo loco dignus sit, nepe non humano corpore, sed porcino, quòd inter omnia animalia maximè terrenum est, & solūm usui uentri suo, dum uiuit, est porcus: adeò ut etiam nonnulli dixerint hoc animal habere animam pro sale. Nam neque cantu (ut uolucres cœli) neque labore, neque ullo officio homini prodest, sicut profunt equus, uacca, galina, &c. tantum grunnire, & uorare quæ sunt apud homines, didicit. Quamobrem in lege Mosaiica prorsus illius usus & esus interdicatur. Ceterum, disertè significabāt dæmones & subscribebat Christus, quòd diabolus in hominibus habitat tantum porcinis, ut pote, qui uentres sunt, & nulli profunt, inolescunt, & deploratè uiuunt, suillam uitam ducentes, edendo, bibendo, scurrando, scortando, & quorum, ut in summa dicam, Deus uenter est.

Quantulum possunt dæmones.

Dæmonibus, uicinus scopus, ut nocent hominibus.

Sus, animal spurciss. & quoad uiuit, nullius usus.

Dæmon hospes porcorum, hoc est, uoluptuariorum.

Et ait illis, ite.

Permittit Christus, ut in porcos abeant, non quòd à dæmonibus sit persuasus, sed multa hinc doctrina uoluit nos erudire. Hoc enim fecit primò, ut per interfectionem porcorum, salutis occasio hominibus praberetur. Deinde ut perspicuum haberet, quòd nihil possit ex se tyrannus ille Satanas, etiam cum suo exercitu uniuerso, ut qui ne in porcos quidem, animal immundissimum, nisi Christo eis facultatem dante, intrare ualuerint. Querunt plerique, cur Christus permiserit dæmonibus inuadere & perdere porcos. Sunt qui opinantur hos Gadarenos, quorum erant porci, ex Gentibus fuisse, quas rex Assyriorum, capta Samaria, in ditionem regum Samariae traduxerat, ut 4. Reg. 17. legimus. Hi partim Iudæorum leges & ritus amplexi fuerant, partim secundum patrios mores uiuere solebant. Siue uerò ex his Gentibus, siue germani Iudæi fuerint, non debebant uesci carne suilla: quandoquidem lex Mosaiica, recepta illis, id uetabat. Iure ergo pœnas contemptæ legis Dei dederunt, amittendo porcos, quos contra uerbum Dei alebant. Sed donec adhuc ipsos hac in re nihil peccasse, grauiora tamen meruerat illorum impietas, quam de se manifestam fecerunt, repellentes, ob leuiculā adeò iacturam porcorum, saluatorē mundi, ut paulò post uidebimus. Certè cùm ab Euāgelista non memoratur causa, cur hoc Satanæ Christus permiserit, nec ego aliam sum allaturus, nisi quòd sic uisum placitūmq; illi est, quem scio omnia rectissimè, & pro gloria patris fecisse ac curauisse, ut quemadmodū Satanae studium non est aliud, quàm obscurare & perturbare regnū Dei: ita Christi studium & scopus nō alius

Dæmones quare in porcos abire permisi.

Gadareni ob impietatem in Christum, multati porcorum iactura.

Multa fecit, dixitq; Christus quorum rationem taceat Euāgelista.



intelligatur, quàm promouere regnum & gloriam Dei. Permittit ergo diabolis, ut intrarent in porcos, non ut gratificaretur illis: sed ut illis ceu subditis uteretur, ad manifestandam suam potentiam, & gloriam Dei promulgandam. Collige ex his & superioribus, naturalem demonum potestatem super res corporeas coarctatam alligatamque à Deo esse. Quandoquidem petunt à Christo, nec quicquam possunt, nisi Christo permittente. Ergo à Christo legati sunt in porcos. Quòd si in porcos nihil iuris habuerunt, nisi Christo permittente, minus profectò habent in homines, qui multò pluris sunt apud Deum, quàm porci. Obserua: hac permissione Christus declarat, qua amaritudine & odio erga homines ferantur demones: & si potestas eis daretur, & non prohiberentur, peius nos, quàm porcos illos, affligerent.

Et illi exeuntes, abierunt in porcos.

Hoc simul atque permisisset Iesus, cui satis erat humanæ salutis consulere, relictis obsessis demonum multitudo demigrauit in gregem porcorum. Hic exitus, est effectus & opus potentis Christi, commendans nobis uerbi potentiam. Abierunt, id est, relictis obsessis intrauerunt diuina permissione in porcos. Obserua: ut non est unum genus porcorum, ita non est unum genus demonum. Sunt porci bruta animalia, sunt & porci homines, porcinam uiuentes uitã. Atque ut multi & uarij sunt homines porci, ita uarij & multi sunt Satanæ, intrantes in homines porcos. Est enim Satan scortationis, est Satan auaritiæ, est Satan arrogantia. Quis quæso omnia Satanarum genera enumerare possit? Tot certe sunt nobis Satanæ, quot sunt peccatorum genera, qui in porcos homines intrant, id est, eis dominantur: suo enim peccato seruit homo Satanæ, & ipsius captiuus dicitur, 2. Timoth. 2. Conferamus uerbi gratia, nostrum Gadarenum, à Satanæ insaniam obsessum, cum eo qui captiuus tenetur à Satana scortationis. Qui insania tenebatur obsessus à demone, nullo corporis utebatur uestimento, nudus incedebat. Scortator autem demoniacus uestimentis quidem corporis induitur, sed nudus incedit, spoliatus uestimentis gloriæ & famæ bonæ coram Deo & hominibus. Ille quidem nò domi, sed in monumentis habitabat: hic autem scortator, ut maximè interdiu domi maneat, noctu tamen in plateis, uelut cæstro percitus, discurrit, ad fornices abit, & ad meretricum domos, quæ sunt omnibus monumentis foediore, & unde est iter ad inferos, diuertit. Ille, & si compedibus & catenis uinciebatur, discerpebat tamè compedes & comminuebat, nec quisquam poterat eum domare: hic autem eò insanior est, quòd magis uidetur sibi sanus. Neque enim cõtinetur parentum minis, neque domatur publicis legibus, nec constringitur præceptis Dei, quæ sunt ueluti compedes & catenæ. Non obsequitur cognatorum precibus, non amicorum admonitionibus, sed prius Deum ipsum, parentes, cognatos & amicos derelinquit, quàm scortum. Ille lapidibus suum ipsum corpus concidebat: hic autem scortatione interficit etiam animam suam. Quid, quæso hac insania excogitari potest insanus? Nam demoniacus ille, de quo Euangelista scribit, uno tantum uerbo Christi à demone purgatus est: at qui à scortatione Satana captiuus tenetur, & si quotidie audiat uerbum spiritus Christi, Scortatores & adulteri regnum Dei non possidebunt: pergit tamen in scortatione sua impudentissimè sese uoluntate, tanquam sus in cœno. A dduçamus & aliam collationem. Sit alius, qui uexetur à demone auaritiæ, hic insanissimo insanior facilè commõstrabitur. Nam demoniacus ille, de quo Euangelista scribit, uestimenta quidem sua dirumpit, & nudus incedit. Sed quid dici potest magis nudum hominem auaro, cui tam deest, quod habet, quàm quod non habet? Insanus ille in monumentis, non domi habitat, avari autem ipsi semet animus monumentum est, oisibus mortuorum, id est, cupiditate alienarum hereditatum & opum foetidissimum. Insanus ille nullis compedibus tenetur, nullis uin-

Dæmon nihil potest in porcos, nec in homines nihil habet iuris, nisi, &c.

Satanæ pluri mi.

Peccator, seruus Satanæ.

Scortator, at repro à demone similis.

Auarus idololatra, & demoni obnoxius.

Dei timore, nulla honestate, nulla amicitia continetur, quo minus imposturas suas sectetur. Si spes lucri arridet, ibi neque parentibus, neque liberis, imò neque Domino Deo suo parcat. Dæmoniacus ille uno uerbo Christi curatur: Auarus autem Indies seipsum auaritia uincit, etiam si subinde magis ac magis inculcetur ei, ipsissimè uerbum Christi, Nò potestis Deo & mamonæ seruire. Itè illud, Auaritia est idolorum seruitus. Auari regnũ Dei nò possidebunt. Quid ergo demoniacum magis, auaro? His collationibus docemur obnoxios peccatis, conferendos esse demoniacis, imò multò ipsis deploratiores esse: propterea quòd de his adhuc sit aliqua spes salutis, etiam si moriantur in morbo insaniam, ut paulò antè docuimus: de illis autem, hoc est, scortatoribus, auaris, & huiusmodi Satanæ captiuis, nulla sit spes, si moriantur in peccatis suis. Demus igitur operam, ut liberemur à peccatis, quod fiet, si resipuerimus, de peccatis dolentes, & uiua fide Christum amplexantes. Quia tum operabimur & meditabimur in lege Domini die ac nocte. Amen. Obserua hunc locum contra eos, qui insanissima impudentia negant demones esse, affirmantes, quæ de his dicuntur, nugas & spectra esse. Qui cum urgentur huiusmodi locis, quibus commemoratur Christus eiecisse spiritus immundos, respondent fuisse peccata aut morbos. Respondeant quæso, quæ peccata miserit in porcos, aut quæ ægritudo fingi potest, quæ ad eò uexarit totum gregem, ut subito in præceptis abierit, & suffocatus fuerit. Taceant quæso huiusmodi indoctè docti: & discant ex hoc loco testimonium & signum, quòd demones uerè sunt, & Deo permittente uexant homines, & uideant, caueantque, ne aliquando olim in ditionem illorum ueniant, ac tum, cogantur uel experimento discere demones uerè esse.

Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceptum in mare, & mortui sunt in aquis.

Specta in primis potentiam Satanæ, quam habet in creaturas Deo permittente. Deinde ingenium eius, natum, paratum, & cupidum ad perdendum, nisi impediat. Nam ecce protinus totus ille grex correptus furore, è monte per præcipitium ferebatur in lacum, atque illic interiit suffocatus. Horribile est hoc Satanæ officium, quod est profus perdere. Sed quid commodi hinc Satanæ accidit? Fit quidem uoti sui compos in perdendis porcis: interim tamen manifestissimè declarat Iesum Christum potentissimum demoniorum esse Dominum, ac se potestati Iesu Christi ita subiectum esse, ut ne hiscere quidem contra unum uerbulum eius audeat. Singulariter obseruandum est, quòd demones duos illos Gadarenos uexauerunt quidem, sed non occiderunt. Porcos autem simpliciter occidunt & suffocant in aquis: significante spiritu, quòd diabolus potest affligere homines, ad Christum pertinentes, sed non perdere. Sibi uerò deditos porcos perdit, & talem mercedem deditiis suis reddit, qualem licetor seruo suo. Rursus obserua hoc loco diuinam prouidentiam, qua cõseruati sunt duo illi Gadareni, ne studio demonis perirent, qua etiam nostra omnia cõseruantur, & nos ipsi, ne perdamur ab istis malis spiritibus. Rursus admirare bonitatem Christi erga nos, qui pluris facit duos homines multis porcis, imò mauult duo millia porcorum perire, quàm duos homines. Auarus mallet duos porcos, quàm duo millia hominum. Huius ingenij fuerunt ciues Gadareni, qui à desiderio cœlestium rerum ad eò aberant, ut sibiipsis quoque possessionem gregis porcorum potius, quàm doctorem & largitorem uitæ aternæ optarent: ut mox audiemus. Quid, quæso, nò meruisset ultionis tam stupida & fœda auaritia? Iure ergo optimo porcorum suorum iacturam fecerunt.

Pastores autem fugerunt, & uenientes in ciuitatem, nuntiauerunt hæc omnia: & de his, qui demonia habuerant.

Cœpit statim miraculi rumor dilatari. Nam pastores, uiso hoc horrendo spe-

Suprà 6. Ephes. 5.

Peccatores demoniacis infeliciores.

In eos, qui negant demones esse ullos.

Satanas per se sentit christi dominationi subditum esse.

Corporibus Satanæ nocere potest, nobis inuitis: animabus nò item. Prouidentia Christi. Nonitas Christi erga nos.



etaculo, territi fuerunt, & ingressi ciuitatem Gadaram, renuntiauerunt ciuibus quicquid uiderant, & quid accidisset dæmoniacis, quibus restituta erat sanitas, quid item gregi porcorum. Hi pastores typum gerunt eorum, qui ad potentiam uerbi credunt, & ad salutem aliorum illius potentiam prædicant, sed ab aliis contemnuntur, qui uictum pluris faciunt, quàm uerbum.

Et ecce tota ciuitas abiit obuiam Iesu.

Ecce, Quasi dicat, Auditis pastoribus, & tam horrendi spectaculi & magni miraculi rumore propagato, tota ciuitas Gadarenorum, & ex agris undique uicina, animo consternata, exierunt in occursum Iesu, metuentes, ne ad se ueniret. Viderunt porcos extinctos, uiderunt duos homines ex nudis iam uestitos, ex phreneticis sanos, ex rabidis quietos, adeò ut sederent ad pedes Iesu, agnoscetes autorem suæ salutis.

Et uiso eo, rogabant eum, ut transiret à finibus eorum.

Posteaquam Gadareni omnem rem gestam de dæmoniacis explorârunt, nonnullam quidem modestiæ speciem exhibent, quòd Christum rogant, & patiuntur Iesum, gregis sui submersorem, illesum abire: sed in hoc produnt maximam suam, dicam ne stultitiam, an insaniam? quòd magis metuebant uirtutem Iesu, quàm amabant bonitatem, ac plures faciebant iacturam porcorum, quàm salutem hominum. Rogant enim, ut excedat à finibus ipsorum: quem rogare debuissent, cognito miraculo, ut in suam ciuitatem uenire dignaretur, hoc facturus in animis illorum, quod in duobus fecerat dæmoniacis. Mirabile auditu, & conspectu horribile. Crasso admodum ducuntur ingenio hi Gadareni, cum ex tanto miraculo non agnoscunt Christum uenisse ad ipsorum salutem, ut concipiant fidem: sed potius diutius apud ipsos maneat, opera Satanæ non solum iumenta omnia, sed etiam totam & uniuersam annonam sibi perituram: unde & ipsis percundum esset. Hi malè docti sunt, dum Christum pro tyranno, non pro saluatore accipiunt. Magis respiciunt, quòd porcos dæmonibus tradiderat, quàm quòd homines à dæmonibus liberauerat. hæc est generalis cogitatio carnis, quòd plus mouemur pœna, qua puniuntur impij, quàm gratia, qua saluantur pij. Debemus profectò sequi, quod ille Sapientia, i. ait. Sentite de Domino in bonitate. Et, Confitemini Domino: quoniam bonus. O rem deplorandam, quòd Gadareni non bonitatem Domini conspiciunt, imò præsentem timore seruili timent, & è suis finibus exire iubent! Putant se tutiores esse abiecta iustitia, quàm præsentem iustitia. Hi multos hodie adumbrant, etiam magistratus, & Reipublicæ ministros, iudices, & huiusmodi, qui uehementer timent, ne si liberè ipsis annuntietur Euangelium, maximis periculis obiiciantur, nimirum quòd intellecturi sint se multa quæsiisse bona, quæ restituere deberent, & tum in paupertatem uenirent. Sunt & priuati homines, mercatores & negotiatores, qui cum admonentur ad sectandam iustitiam in contractibus suis ciuilibus, hoc unum maximè timere solent, ne si in mercibus emendis & uendendis iustitiam sectentur & imposturas fugiant, ad paupertatem & inopiam redigantur: & non timent neque uerentur obuios quosque imposturis decipere, seruore opprimere, nugari, & peierare: magis optates Christum absentem, quàm præsentem, quem etiam è suis finibus abire iubent. Sed quæ est hæc præpostera formido? An iniustitia nos tutiores seruabit, quàm iustitia? Maiorem ne salutem & securitatem nobis pollicemur in sectanda uocatione Satanæ, quàm Dei Patris & Domini nostri Iesu Christi? Amabo te, quid unquam mali nobis fecit Dominus noster Iesus Christus? Ambulantes in ipso (inquis) & in uocatione ipsius, crucem & persecutiones præsentaneas sustinent. Sed dic quæso, an putas piorum infelicitatem in hoc seculo, quòd dura patiantur, esse perditionem & interitum? minimè

Gadarenorum  
stupida in  
gratitudo.

Caro minimum  
generosa,  
magis  
pœnam horret,  
quàm amet  
gratiam.

Euangelium  
quid est,  
&  
multi audire  
detrectant.

In præposteras  
formidines  
filiorum  
huius seculi.

omnium: quin potius, est exercitium ad felicitatem perpetuam consequendam. Est re uera Deus, pater eorum, qui credunt in Christum, & sectantur iustitiam: Qui fieri igitur potest, ut sineret eos in afflictionibus perire, & non multò magis per afflictiones in ueram salutem adsereret? Homo pater castigans filium suum uirga, non perdit, sed seruat ac erudit filium: & putas tu Deum patrem abicere filios suos in perpetuum interitum, quum ferit eos uirga tribulationis? Solenne est, & id te non laet, ducere exercitus obicere fortiores & expeditiores milites maioribus periculis: & prudentes milites non sibi hoc ignominia, sed laudi, non ignauia, sed uirtuti tribuunt. Cuius igitur est iudicium tam præpostera & peruersum, qui arbitretur eos, qui à summo omnium imperatore afflictionibus obiecti sunt, exitio potius, quàm gloria & saluti destinatos esse? Quæso percurrere & relege totam historiam sacram, & tum ostende uel unum saltem eorum, qui iustitiam sectati sunt, cui Deus non pro momentanea infelicitate, seu afflictione, maximam felicitatem reposuerit? Ioseph continetur aliquandiu in carcere, ut adulter, sed idem mox magno honore educitur, & creatur princeps Aegypti. Iobi auferuntur omnia bona, sed paulò post restituntur ipsi duplicita. Dauid eiicitur à Saule in exilium: sed, ab exilio in regiam dignitatem exaltatur. Daniel obicitur leonibus, sed mox in summum Persarum principem erigitur. Quòd si Dominus Deus noster non repperdit infelicitatem felicitate in hoc seculo: at reliquum est aliud seculum, in quo infelicitas huius seculi tantò maiori felicitate rependitur, quantò grauior est infelicitas, & quantò diutius differtur felicitas. Audi Dominum dicentem, Libera bo populum meum ex omnibus tribulationibus eorum: & putas Deum fore mendacem? Cælum & terra (ait) transibunt, uerba autem Dei non transibunt. Adhuc uideamus Christum filium Dei: hunc enim cum humiliatus esset usque ad mortem crucis, exaltauit Deus in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Iam quod in capite, qui est Christus, gestum est, an non putas idem gerendum in membris Christi, qui sunt credentes in ipsum? Non est caput sine membris suis. Quare & si pij in hoc seculo affliguntur, tantum tamen abest, ut afflictionibus pereant, ut maiorem per ipsas salutem consequantur. Porro contrà prospicito, amabo. Quid unquam benefecit tibi Satã, quòd polliceri debeas tibi maiorem securitatem & benedictionem in obsequio ipsius, quàm in obsequio Dei? Re ipsa (inquis) experior, quòd qui obsequuntur Satanæ, & comparant se ad iniquos mores huius seculi, felicissimam in hoc seculo uitam ducant, & non solum magnam gloriam, sed etiam diuitias & uoluptates consequantur. Profectò longè latèque falleris. Num existimas hanc impiorum felicitatem fore perpetuam? Minimè, ut arbitror. Nam non ignoras totum Satanæ studium totamque uoluntatem in hoc consistere, & huc spectare, ut perdat. Quare si cui benefecit, non benefacit ipsi, ut seruet, sed ut perdat. Quemadmodum enim homines saginant porcos, oues, & boues, non ad diuturnam illorum uitam, sed ad lanienam: ita Satan saginat suos, non ad felicitatem, sed ad infernum. Et fures suspendendi, in altum ducuntur, non ut honorentur, sed ut laqueo deiciantur: ita Satan tollit suos impios in altum, ut lapsu grauiore ruant. In obsequio igitur Satanæ tantò perniciosiorem maledictionem & interitum timeamus, quantò nobis felicior rerum successus in eo affulget. Obserua ex Marco & Luca, Christum, Gadarenorum precibus annuisse, & ab indignis se, discessisse. Nam docuerat porcis margaritas uerbi Dei non spargendas esse, supra. 7. cap. & discipulis præcepit infra. 10. cap. ut ubi non recipentur, nihil prædicarent. Par igitur erat, ut & ipse contemptores istos porcos, & repellentes à se Euangelij thesaurum, ualere sineret. Nihilominus Domini mira etiam in hos, quamlibet ingratos, benignitas & tolerantia obseruanda est: qui postquam eiectus fuit à Gadarenis, non ita discedit, ut prorsus salutem eo-

Aerum piorum  
in hoc  
seculo, felicitates  
sunt  
incomparabiles.

Deus pusillas  
afflictiones  
summis felicitatibus  
remeretur.  
Catalogus eorum,  
quos è summa  
miseria in summos honores  
Dominus euexit.  
Ioseph.  
Iob.  
Dauid.  
Daniel.

Christus.

Felicitas quæ  
obsequenti-  
bus Satanæ.

Christi benignitas,  
etiam  
in ingratos.



rum negligat, sed aliam uiam inquit, qua ipsos seruet. Nam uir ille (ut Lucas scribit) a quo daemona exierant, Gadarenis suis Christum expellentibus ualde dissimilis, rogabat Iesum, ut cum eo esset. Sed ablegauit eum Iesus, dicens, Redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus. Ac si diceret Dominus: Compatriota & populares tui nolunt me audire, fortassis te audient, & salutem consequentur. Me liberatorem timent, ne ob meam presentiam pereant: te liberatum non timebunt. Quare uolo domum redeas, & beneficia Dei publice annunties: ut tui audiant, & respiscant. Hæc certè prudētissima ratio est, propter quam non retinuit liberatum, nempe ut infania Gadarenorum corrigeretur, & ad sanitatem reduceretur. Quare si repulsus Dominus à Gadarenis, illos quidem, ut meruerant in presentia sensu ipse deseruit, quia tamen nondum desperabatur de eorum salute, reliquit illis Apostolū, se illis paulò gratiorem. Quin & ipse illos reuisit, ut est apud Marcū. 7. Per medios namq; fines illorū reuersum à finibus Tyri & Sydonis iter illum fecisse memorat. Et haud scio, an non ex regione illa fuerit surdus ac mutus ille, quē ibidem Euangelista scribit à Domino sanatum, cuius miraculi causa homines illi Christum passim prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Nam in Decapoli Gadarenorum regio sita est, ut ex Marco in historia daemoniaci, de quo agimus, notatur. Liberatus ille à dæmone, fecit, quod iussit Dominus, abiens enim, prædicauit per uniuersam ciuitatem, quanta illi fecisset Iesus. Vnde & illi admodum mirabantur, atque indubiè aliqui Christo crediderunt. Si quis igitur rogauerit, quare rogantem, ut sequeretur, ablegauit: Respondeo, ut Dei gloriam prædicaret. Noluit enim secum retinere illum, quem alibi uidebat in uerbi ministerio fore utilem: ut uideamus, quàm timendum sit, ne quis alios à salutari euangelizandi opere impediatur. Item hoc Domini exemplo monemur, ne mox desperemus, si qui Euangelium à nobis prædicatum non ilico recipiant: sed tentemus potius omnia, tam per alios, quam per nos, ut uel aliquos lucrémur: experturi indubiè & nos, id fructum tandem aliquem allaturum. Non enim eadem est credendi omnibus hora constituta. Siquidem admiraberis forsitan admirabilem rerum dispensationem. Paulò antè uidimus quendam uocatum à Christo, qui uolens domum repetere, ac pietatis officio, in sepeliendo parente, defungi, prohibetur, & audit: Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Rursum alius, ut paulò antè diximus, uolens Christum sequi, non permittitur, sed ablegatur domum, & audit: Redi in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus. Quid sibi uult (quæris) illa uocationum diuersitas? Hoc profectò nihil aliud uult, quàm quòd docemur, sequendum uerbum Dei, reliquis etiam nostræ bonæ intentionis (ut uocant) consiliis, à uerbo uocationis auertentibus. Abrahamo præceptum erat, ut mactaret filium suum Isaac: aliis parentibus prohibitum est. Abraham iubetur patriam suam relinquere, & in aliam terram demigrare: Israëlita autem iubentur Aegyptum alienam terram relinquere, & in patriam suam migrare. Israëlitis ex Aegypto proficiscentibus mandatur, ut spoliarent Aegyptios aureis & argenteis uasculis. Aliis præcipitur, ne omnino furentur. Hæc nos docent, Dominum exigere à nobis, ut respiciamus in uerbum Dei, & in uocationem nostram, non autem tantum in personalia Sanctorum exempla, & alienas uocationes. Nam ut in uno corpore diuersa membra, diuersa etiam habent officia: nec possent salus corporis constare, si pes uellet fungi officio oculi, & oculus officio pedis: ita omnes pij in Christo quidem unum corpus sunt, inter se autem sunt diuersa unius corporis membra, diuersa dona, & ut Paulus ait, diuisiones ministeriorū & operationum. Vnde & is, qui liberatus erat à dæmoniis, & si uidebatur ipsi multò diuinius opus esse, indiuiduo comitatu Christum sequi, tamen iussus domum redire, obsequitur uerbo Christi. Atque cum in Luca 8. cap. dicitur, Redi in domum tuam, mandatum est de curanda uocatione post susceptum

Christus uicariarum substituit alius uisum orificiendis.

Ne despondeat animū Ecclesiastes, cum, non, ut uult, recipitur. Non eodem omnes tempore conuertuntur. Ratio diuersitatis uocationum Christi.

Respicendū in uerbu Dei & in uocationes nostri.

Euangelium. Et narra.) ita inseruendum est uocationi, ut tamen ad aliorum salutem confitearis ueritatem. Et abiit.) exemplū est gratiarū actionis in restituto obfesso, in quo non fuit fides uiua ingrata: sunt enim gratiarum actiones, fidei uiuæ opera. Prædicans.) in aliorum salutem, & ut ipse se gratum pro tanto beneficio exhiberet Christo. Obserua: Gadareni, Christum repellentes, adumbrant nobis illos, qui spiritu Christi carent, & ipsum contemnunt. Nam non possunt cum Christo lubenter manere, neque illius uoluntatem implere, qui non habent spiritum Christi, quo & illi & facta eius agnoscant. Rursum obserua, quòd non prius ab illis discessit Christus, quàm se illum nolle ostenderent, ut scias, quòd nullum deserit, nisi ab eo deseratur. Qui autem Christum deserit, propterea illum deserit, quòd eum minimè agnoscat, & cæcus sit. Ergo carnales sunt, & absque Dei spiritu, qui Christum pellunt.

Gratiarū actio, fidei uiuæ opus.

Deus nō deserit, nisi deseratur. Qui agnoscit Christū, nō deserit Christum.

## CONCILIATIO.

Pugnare uidetur hic locus, à Christo hoc capite pronuntiatus, Filius hominis non habet, ubi reclinet caput, cum iis, quæ David de ipso filio hominis Messia dicit psal. 71. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et alibi, quod Deus subiecerat illi uolucres cœli & terræ. Respondeo: Christus diebus seu tempore carnis suæ abnegauit hanc maiestatem, & suscepit tantam paupertatem, ut indigentia etiā ipsas bestias superaret. Atque cum dicit, Filiū hominis nō habere, ubi caput suū reclinet, perspicuè significat, regnū suū nō esse de hoc mundo. Si enim esset de hoc mūdo, necesse haberet omnes huius seculi diuitias, regiones & agros possidere. Sed non habet, in quo reclinet caput suū. Quis ergo non uideret, regnū eius non esse terrenū? Iam si regnū Christi nō est terrenū, certè non uenit Christus, ut mutet externū statum huius seculi. Sed quia rex est spiritualis, uenit ut mutet statū spirituū, hoc est, ut auferat Satanæ suam tyrannidem, ut expiet peccata coram Deo, ut pacificet Deum cum homine, ut purget conscientiam hominis, ut largiatur Spiritum sanctum ad obediendum uocationi Dei, ut post hanc uitam tribuat uitam & felicitatem sempiternam. Nam quòd ad externum huius seculi statum attinet, quemadmodum in priori aduentu Christi nihil mutatum est in externo illo cœlo & in terra, (ut enim antea sic & nunc Sol, Luna & Stellæ lucent, nox & dies uicissim sibi succedunt, & terra gramina, herbas & arbores producit) ita non hoc agit Christus, ut prætextu Christianismi, ciuili hominū conditio mutetur. Diues est quispiam, non exigit Christus, ut extrinsecus pauper fiat, si modò alioqui possit diuitias cum bona conscientia & pietate retinere. Pauper est quispiam, non uenit Christus, ut reddat ipsum in hoc seculo diuitem. Rex est quispiam: non exigit Christus, ut regnum abiiciat, si modò alioqui possit regnum legitimè retinere. Seruus est quispiam, non uenit Christus, ut creet ipsum dominum aut regem huius terræ. Vir est quispiam, non uenit Christus, ut faciat ex uiro mulierem. Mulier est, non uenit Christus, ut faciat ex muliere uirum. Breuiter, non uenit Christus, ut mutet externam hominum formam, & ciuilem ipsorum conditionem. Exigit quidem, ut unusquisque in ciuili sua conditione Deo obediat: & ferre potest, ut qui non est diues, legitimè diues fiat: & qui non est rex, legitimè rex fiat. Sed ut prætextu Christianismi, ciuili conditio mutetur, hoc certè non exigit. Dicit enim Paulus. 1. Corinth. 7. Vnumquemque sicut uocauit Deus, ita ambulet. Circuncisus aliquis uocatus est, non adducat præputium. In præputio aliquis uocatus est, non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & Præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Nihil igitur minus licet Christiano, quàm in Christo, prætextu Christianæ fidei, externas diuitias, honorem & potentiam ambire. Dices. Cur ergo oramus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Non oramus id carnali, sed spirituali affectu: utpote quia Christus hoc

Christus nō in hunc mūdū uenit regnatus, sed ministratur.

Regnū Christi non huius seculi. Christus ad quid uenit.

Christus externam rerū conditionē nō uenit mutaturus, sed mentes.

Christianū nihil minus deest, quàm ambire, quæ sunt huius mundi.



iussit petere: & quia uitæ nostræ necessarium est, ut habeamus panem quotidianum: & quia Deus promisit, se nostris necessitatibus subuenturum. Si rogaueris: Cur Christus coniecit se in tantam paupertatem? Respondeo, hoc fecit, primum ut declaret regnum suum non esse de hoc mundo, ut paulo antè docuimus: deinde, ut paupertate sua expiaret coram Deo peccata nostra, & redderet nos diuites in futuro seculo: postremò, ut ostenderet, quòd paupertas non ita displicet Deo, quàm admodum displicet mundo. Hic enim mundus, ut sentit diuitias Deo plurimum placere: ita iudicat paupertatem Deo summè displicere. Christus autem pauper factus est, ut re ipsa ostenderet, non tam diuitias, quàm paupertatem Deo gratam & acceptam esse. Quæ cum ita se habeant, reliquum est, ut unusquisque Deo in sua conditione seruiat. Ac diues quidem non sit elato animo, sed in fide Christi, diuitias suas administret. Pauper autem nec diripiat alienas facultates prætextu Christianismi, nec despondeat animum suum in paupertate, sed confidat Deo per Christum, & ambulet in uocatione Dei. Sic enim & diues & pauper, ueram salutem, quod unum maximè omnium quæritur, in Christo Iesu consequentur.

Christus quare tantopere pauper esse uoluit.

CAPITIS NONI

Epitome.

In ciuitate sua paralyticum curat, murmurantes erudit, Archisynagogi filiam suscitaturus, hæmorrhoidisim sanat, duos cæcos, & mutum, & plures alios curat, ac discipulos in moribus & doctrina confirmat.

CAPVT NONVM.

Paralyticus sanatur à corporis infirmitate, & à peccatis.

Marc. 2. a. Luc. 5. d.

Per Christum remissio peccatorum.

Matthæi uocatio. Marc. 2. b. Luc. 5. f.

Misericordia Ose. 6. c. Infr. 12. a.



**H** ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit: & uenit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: hic blasphematur. Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Et cum transiret inde Iesus, uidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et surgens, sequutus est eum. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores, uenientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius: Et uidentes Pharisei, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester? At Iesus audiens, ait, Non est opus ualentibus

† ad penitentiam: Ex Luca additum Matthæo à Græcis. b. Sponsi thalamis nuptialis. c. Comissuram Iassumentum. d. Rudis impedi, uel impediti. e. Plenitudine J supplementi.

Septimum miraculū.

Octauum miraculū.

Nonum miraculū.

Decimum miraculū.

f. facetes] dispersi.

Cum peccatoribus manducat Christus.

medico, sed malè habentibus: euntes autem, discite, quid est, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes, Quare nos, & pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autè tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quādiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit commissuram uini noui in uestimento uetus: tollit enim plenitudinem eius a uestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres: alioquin rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt. Sed uinum nouum in utres novos mittunt, & ambo conseruantur. Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine filia mea modò defuncta est: sed ueni, impone manum super eam, & uiuet. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce, mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius: dicebat enim intra se, Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum uenisset Iesus in domum Principis, & uidisset tibicines, & turbam tumultuantē, dicit illis: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit, Puella surge. Et surrexit puella. Et exiit fama hæc in uniuersam terram. Et transiit in de Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cum autem uenisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis, quia hoc possum facere uobis? Dicunt ei, utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et cominatus est illis Iesus, dicens: videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eieceto dæmonio, loquutus est mutus. Et miratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël. Pharisei autem dicebant, In principe dæmoniorum eiicit dæmones. Et circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docēs in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant uexati, & iacentes, sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij uerò pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Peccatores. 1. Timot. 1. c.

Ieiunia & afflictiones. Marc. 2. c. Luc. 5. f. g.

uinum nouū

Principis filia mortua suscitatur. Marc. 5. b. Luc. 8. f.

Sanatur mulier à fluxu sanguinis.

Tibicines.

Cæci duo, fide in Christum, sanantur.

Prædicat Iesus Euangelium, & sanat infirmos. Marc. 6. c. Luc. 10. a.

Messis. Operarij.



## Et ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit.

**I**esus à Gadarenis repulsus, nolens sanctum dare canibus, neque margaritas obicere porcis, nauem ingressus, rursus lacum traiecit, Marc. 5. & Luc. 8. hoc exemplo docens inuitis non conferri gratia. Quo etiam suos Apostolos instruxit, ut si non susciperentur in una ciuitate, in aliam se reciperent. Sic & Paulus fecit, Act. 16. In hoc abscesu ab ingratis, uide mihi, quam admirabiliter doceat suam mititatem & mansuetudinem! Poterat abiens uel trifulco fulmine Gadarenos percutere, tamen, quae est eius immensa bonitas & mansuetudo, placidè ab illis recedit, non indignatur, non maledicit, non minatur, non ulciscitur.

## Et uenit in ciuitatem suam.

Repetiit Capharnaum ciuitatem suam, ut ex Marco 2. ca. liquet. Vocat autem Matthaeus hoc loco ciuitatem Christi Capharnaum, non quod ibi esset uel natus, uel educatus, aut quod habuerit in ea uel tantulum proprium, quo caput reclinarer suum, de quo iam capite octauo diximus: sed quod frequentius illic habitaret. Hic monemur res terrenas, etiam more Christiano, dici nostras, quatenus nobis obueniunt ad tempus. Alioqui quo modo haec ciuitas, in qua Christus nihil proprium ubi caput reclinarer, habens, diceretur esse ciuitas Christi? Quare sanctissime Paulus monuit, ut rebus utamur terrenis, tanquam non utentes, & possideamus, tanquam non possidentes, seu tanquam nihil habentes. Quod fiet, si usum duntaxat spectauerimus, & illis iuxta necessitatem utamur. 1. Corinth. 7. Rursus obserua, uiro Christiano patriam esse, ubilibet consistere datur, etiam si inibi neque natus neque educatus fuerit.

## Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto.

Huius historiae uidetur haec esse series. Postquam Dominus ingressus est Capharnaum, mox percubuit ipsum domi esse. Confluebant ad illum multi, ut ne uestibulum quidem, & loca ianuae uicina immensam multitudinem caperent. Marc. 2. Nam conuenerant ad eum praeter alios & Pharisei legisque doctores ex omni castro Galileae & Iudaeae & Ierusalem, quos docebat & sanabat omnes. Luc. 5. cap. Tum aduenerunt quidam, adducentes quandam tam uehementi paralytici detentum, ut à quattuor baiulis una cum lecto decumbens, deportaretur, cadauer hominis uerius quam homo. Cumque ad conspectum Christi uenire non possent, & praeter turba nulla esset spes aditus ad ipsum, conscenderunt tectum: ac submotis tegulis, perfoderunt, & per hiatus funibus demiserunt grabatum una cum paralytico, in medium ante pedes Iesu. Quorum fidem uidens Iesus, ait paralytico, Fili dimittuntur tibi peccata tua. Hic obseruare debemus laborem, & periculosum studium horum baiulorum, qui nihil non, quamlibet durum & difficile, audent pro sanitate paralytici. Primum, asportant paralyticum in lecto decumbentem, nec grauitatem & pondus fastidiunt. Deinde cum praeter turba non possent ipsum in domum, in qua Christus concionabatur, inferre, ascendunt supra tectum aedium, & adtrahunt ad se paralyticum, ut erat in lecto iacens. In ea enim regione domus sic aedificabatur, ut tecta essent plana, & uelut plateae, lapidibus strata, in quibus licebat conuenire, conuiuari & ludere, & ne quis forte deorsum caderet, muris per circuitum munita erant iuxta legem, quae est Deutero. 23. Cum aedificaueris (inquit lex) domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne si quis deorsum ceciderit, sanguinem super domum tuam inducas. Postremò nudant & perfodiunt tectum, ac funibus demittunt grabatum, in quo paralyticus decumbebat, quod certè sine magno ipsorum periculo fieri non poterat. Et hic tamè labor periculosus, uidetur carni prorsus uanus & irritus. Nam afferunt hominem

Inuitis non  
conferri gra-  
tia.

Christi man-  
suetudo.

Capharnaum  
quare dicta  
ciuitas Christi  
fuit.  
Res quae  
quomodo no-  
strae.

Omne solū  
forti patria  
est.

Historia pa-  
ralytici cura-  
ti, ex tribus  
Euangelistis.

Tecta aedium  
plana in Pa-  
lestina.

paralyti laborantem. Est autem paralytis, neruorum resolutio, quae hominem in tantum stuporem coniecit, ut & motu & sensu destituatur, ac reciproco tantum oris flatu relicta adhuc uitam significet: in reliquis nihil à mortuo differat. Quis ergo talem speraret pristinam sanitatem recuperaturum? Sed hi quattuor uiri non consternati animo, & hac specie morbi nihil territi, periculosum laborem subeunt, & paralyticum in conspectum Christi demittunt & offerunt. Sed quid quaeaso, aliud declarant, quam quod ardentissimam fidem in Iesum conceperint, & credent ac fidant, quod Christus & possit, propter uirtutem suam, & uelit, propter misericordiam suam, saepenumero aliam, tum uerbis tum factis testatam, paralyticum ipsorum sanare? Haec igitur fides, haec charitas effecit, ut nullum laborem, nullum periculum recusarent, quod saltem paralyticum in conspectum Christi proponere possent.

## Videns autem Iesus fidem illorum.

Cum amici huius paralytici audissent de uirtute atque benignitate Christi, fuere persuasi per Spiritum sanctum, id non modò ut audierant, habere, uerum indubiè se quoque eius bonitatis in aegrotò suo participes fore, si modò illum Dominus uidisset. Hac fide per charitatem operante aegrotum statuunt coram Domino. Neque putandum est aegrotum huius negotij inscium fuisse, quem in fide & euangelio doctum fuisse arbitror. Vnde relatiuum, illorum, non solum refert baiulos, sed etiam paralyticum, fide uiua erga Christum, motum, alioqui quomodo consecutus esset remissionem peccatorum seclusa fide, quae per charitatem operatur? Certè nemo adultus aliena fide saluatur, si propria caruerit. Haec fides Dominum permouit, ut uotis ipsorum annueret, ut sequens euentus comprobatur. Vnde apertum est & clarum, quantum proficit fides aliena. Vtique huic paralytico salutem impetrauit, uti & Paulo impetrasse quidam putant Stephanum, ut ex persecutore fieret Apostolus. Obserua, quanta sit utilitas fidei, per charitatem operantis, & operum, quae ex fide proficiunt. Haec enim non solum credenti & facienti, uerum etiam multis aliis profunt. Loth erat uir iustus, qui ex fide fugiebat Sodomam, & diuertebat ad urbem Segor, Genes. 19. Quare non se tantum & familiam suam, sed etiam ciues & urbem Segor ab incendio Sodomitico tutam seruat. Et paulò antè palam affirmauerat Dominus, se propter decem iustos seruatutum Sodomam. Ad Moysen quoque dicens, mitte me, ut irascatur furor meus contra Israëlitas, & deleam eos, quid aliud significat, quam se propter Moysen Israëlitis parcere? Et in Actis Apostolicis, ait Angelus Dei ad Paulum, naufragio periclitantem. Ne timeas Paule: ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Rursus obserua. Non ait Matthaeus, Videns Iesus illorum uocalem orationem, sed fidem illorum, quae per charitatem operabatur, ut sciamus Christum etiam mutas orationes audire, id est, uorum & affectum cordis, sine uerbo uocali: Et, ut intelligamus, nos posse assidue orare, ut Luc. 11. Oportet semper orare. Nam quando in corde suspiramus, cupimus, & anxie uellemus aliquid accipere à Deo, tandiu oramus, non ore, sed gemitu illo & perpetuo, quo clamat Moyses, Exod. 14. Quid clamas ad me? Rursus aduerte: hoc exemplo prouocamur ad credendum, & sic pro aliis orandum. Hoc familiare est Matthaeo, similiter & Lucae, ut omnis originalibus fidei causis, permittant eam Christo urgendam aut proclamandam, aut finant illam ex effectibus colligendam. Obserua uocem, uidens, metaphoricè per deflectionem accipi pro cognoscere aut intelligere. Vnde cum dicitur, uidens, siue, ut uidit fidem illorum, dixit, &c. quid aliud est, quam quod motus fide illorum, ad eò ardente & sedula, salutem contulit laboranti?

## Dixit paralytico.

Verbo utitur Christus in remittendis peccatis, ergo nec uerbum contemnendum est, quod in absolute audis, ex ore tui parochi, Absolue te à peccatis tuis in

Paralytis, qd

Baiulorū pa-  
ralytici fides

Nemo adul-  
tus aliena fi-  
de tantū sal-  
uatur.  
Fidei etiam  
alienae uis &  
uirtus.  
Paulus.  
Stephanus.  
Exempla uti-  
litatis fidei  
alienae.  
Loth.

Moses.

Paulus.

Christus etiā  
mutas ora-  
tiones audii.

Videre pro-  
cognoscere.

Verbum ab-  
solutionis sa-  
cerdotalis in  
penitentia,  
magnipendē-  
dum.



Ioan. 22.

nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, idque iuxta autoritatē Christi, qui talem dedit suis ministris autoritatem, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Iesus itaque baiulorum importunitate non offensus, sed potius ardorem fidei approbans, quanquam oportuit non minorem esse fidem ægroti, qui sic demitti se uel iusserit uel passus sit, conuersus ad decumbentem, ut circumstantibus fidem etiam atque etiam commendaret, dixit.

Fili.

Lucas ait, Christum dixisse, Homo remittuntur, &c. Certè filium & hominem uerè dixit. Inaudita enim mansuetudine filium uocat. Et, ut tacitè Scribis & Phariseis supercilium & arrogantiam exprobrat, hominem dicit, id est, peccatorem: & talem depingit, dicens, peccata tua, ut fidem & animum ipsius excitet ad agnoscendum se, utraque sui portione calamitosum, atque hac methodo peccatorum pœnitentia correpto, remissio & gratia præstò sunt. Quasi dicat: homo es, ergo peccator, qui opus habes remissione peccatorum. Rogabis. Si peccator est, quo modo dicitur filius Christi, qui est summa iustitia? Quòd si peccator, est filius Christi: ergo Christus est pater peccatorum. Iam per quem ista concordabunt? profectò legisperitus, philosophus, aut quiuis alius, sola ductus humana ratione & philosophia, iudicabit hoc impossibile: sed fidelis dicet, nihil esse uerius. Quandoquidem Deus pater est peccatorum curandorum. Quemadmodum enim filius medici est, ægrotus, cum tamen medicus sit sanus: ita & Christus, cœlestis medicus, pater est peccatorum, sed curandorum. Hæc suauissimâ peccatoribus, remissionem peccatorum sitientibus, asserunt consolationem. Quid quæso mellitius aut suauius audire potest peccatrix & gemens conscientia, aut filius ille prodigus, peccator, omnium bonorum tum corporis tum animæ decoctor, dicens, Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus nominari filius tuus, &c. quàm audire hæc uocem, Fili, &c. qua etiam peccatores hoc nomine Christus dignatur, ut sint filij? Colligamus ex his, ad huius quæstionis solutionem, duplicem esse peccatorem.

Peccator quomodo filius Dei.

Peccator duobus modis dicitur, peccator bonus, peccator malus.

Est enim peccator, seipsum agnoscens, pœnitens sui, & Dei implorans misericordiam. Est & peccator securus, & peccatum non agnoscens, sed iustus sibi uisus: hic est Dei hostis, & diaboli filius, licet creatione sit Dei filius, hoc est Dei creatura. Ille erigitur, iste arguitur, cum his, quos Christus, Ioan. 8. reprehendit, dicens, vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere, ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit.

Confide.

Hoc uerbo fiduciam facit paralytico. Solenne est medicis, & prima in curando cura, ut primùm deiectum ac mœstum ægroti animum solentur, cognoscētes non postremam restituendi ægroti partem, in animo esse sitam. Et id iure fit, nam animus maximè omnium laborat: unde primò omnium illi occurrunt. Hoc loco id facit cœlestis medicus Iesus Christus, in primis occurrens morbo animi, & sciens paralyticum non solum corpore laborare, sed potius animo. Vult ergo primo loco animum restituere. Qua uia? Indita fiducia & spe rerum meliorum, & promittendo his uerbis & auxilium & curationem. Confide, id est, esto bono animo. Aude, esto fortis, fide mihi, medico longè maiora præstituro, quàm credas. Faciunt quidem tua te peccata pusillanimum & deiecto animo, recipito animum, ipsumque erigito, atque tu ne cede malis, sed contrà audentior ito. En uide doctissimum & peritissimum medicum, quàm pulchrè & certò nôrit morbos afflictæ conscientia! Quasi diceret: Video (inquit) pauere te, nec satis audere sperare auxilium: hoc unum moliuntur tua peccata & caro. Sed conentur te pusillanimum & desperandum facere, Tu tamen aliud concipe, quàm peccata: fide mihi medico, & me audi. Obserua magnam Christi & bonitatem & humanitatem, qua afflictio-

Ab animo incipiat curatio.

Animi morbus frequenter causa morbi corporis.

rum animos (apud quos potissimum hominis miseria esse solet) dignatur cognoscere, miserari, & curare, atque hoc suo exemplo nos monere, ut mœstorum animos soleamus, & interim re ipsa ægrotos iuuemus: Quòd si tibi corpus ægroti rebus tuis releuare non licet, uel hoc potes, ut animum eius cõsoleris, dicens cum Christo, bono animo esto. Hoc re uera non parum solatij & releuationis animis afflictorum asfert, cum uidemus proximos nostræ miseriæ condolere, & cupere nos interim bono animo esse. Rursus obserua, quo modo non parum confert ad restituendum & releuandum animum mœstum, spes rerum meliorum. Quam si afflictio amico cupis indere, in primis salutabis ægrotum: & non solum uerbis, uerum etiam rebus tuis, quibus indiget, solaberis. Quòd si morosus fuerit, & talis, ut hoc non sinat te facere, tu tamen ita solator illum, ut primùm condoleas, unde non modica est afflictis consolatio: deinde ad medicum & consolatorem hunc dirigas, de cuius bonitate & fide plurimum tibi illique promittas, nihil ueritus, ne non hoc illi placeat.

Animi ægri medicamentum, oratio.

Hortatio ad spem, plurimum erigit animum lauentem.

Remittuntur tibi peccata tua.

Quid, quæso, sibi uult hoc inexpectatum uerbum? Baiuli petunt paralytico suo sanitatem corporis? Ecquid aliud ægrotus animo concipere potuit, quàm se fore sanandum cum Christus diceret, esto bono animo? Christus autem de sanitate ne ullum quidem uerbum fecit. Certè Christo dicenti, Fili, confide, siue, bono animo esto, Paralyticus impulsu Spiritus sancti totum se concredidit & commisit, ut sanus fieret. At enim sanitas corporis pendeat è salute animæ. Vnde Christus prius animam curat, quàm corpus. Primùm enim omnium, regnum Dei quærendum est, Matth. 6. postea uel sua sponte omnia accedent pro corporis sustentatione. Quasi dicat Christus, Facile est morbum corporis sanare, si morbus animæ tollatur, qui est causa morbi corporalis. Ideo primò sanat & erigit animum: erecto animo, plus iam dimidio erectum est corpus. Est autem emphasis in uerbo, remittuntur, scilicet, quòd non liberatur homo à peccatis, nisi per remissionem, quæ remissio liberalem & gratuitâ condonationem peccatorum per Christum significat. Gratis enim iustificamur, ait Paulus Rom. 3. Vbi, pie lector, obserua particulâ, gratis, & similes exclusiuas, in hoc loquendi genere, non excludere contritionem seu pœnitentiam, sed meritum seu conditionem dignitatis præcedentem. Ut fustus docuimus in primo cap. ad Roma. in dictione, iustificatio, utiturque Paulus, & alij, hac particula, gratis, ut Christo tribuatur honos, qui ei debetur, quòd ipse sit propitiator & mediator, quòd propter ipsum contingant nobis hæc admiranda beneficia, remissio peccatorum, liberatio à peccato & morte, & donatio uitæ æternæ. Et ut promissio uitæ æternæ sit nobis certa, cum illam à Christo pendere audimus, quem certò scimus fidelem esse in promissis. Proinde Christus hac uoce, Remittuntur tibi peccata tua, perspicuè explicat honorem & maiestatem diuinitatis suæ. Remittit enim peccata, sua ipsius autoritate & potestate. Remittuntur (inquit) peccata tua, uidelicet mea non alterius autoritate. Nam uerba sic esse intelligenda significant Pharisei, cogitantes, ad huc modum, Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Et Christus ipse sic interpretatur, ut autem sciatis, quòd filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata. Iam cum remissio peccatorum autoritate propria, sit gloria & potestas, quæ soli Deo competat, & hanc autoritatem sibi adferat Christus, profectò simul & asserit sibi ueram & naturalem diuinitatem. Si ergo Christus uerus & naturalis Deus est, quid relinquitur, nisi quòd sit creator, omnipotens, Dominus cœli & terræ? Secundo his uerbis remittuntur, &c. uendicat sibi Christus maiestatem Messia, & clarè significat se uerum esse Messiam illum, qui patriarchis promissus & per prophetas prædicatus est. Apud Isaiam cap. 43. Messias dicit, Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recor-

Christus ante omnia mœdetur animis

Remissio peccatorum.

Voces exclusiuæ, quæ de iustificatione &amp; fide agitur quid excludunt. Gratis, quid in sacris. Admiranda per Christum beneficia, quæ.

Christus adferit sibi deitatem: Item dignitatem &amp; munus Messia.

Messias erat remittere &amp; tollere peccata.



dabor. Et. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ac mox, Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. His uerbis significat Isaias, quod Christus ille, solus sit agnus, qui tollit peccata mundi: quod ad se pertinet illa tollere, passione sua & sanguine suo:

Quomodo nobis peccata remittuntur gratis.

Christus, solus, mediator: ergo solus remittit, solus placat sua autoritate.

Soli Christiani non falluntur, quod ad remissionem peccatorum attrahunt. Christus quomodo uenit.

Dominatio Christi, quare.

Remittere peccata, precipuum officium Christi.

Euangelij & Christianismi summa.

Ioan. 3.

Omnia uana & uana absque remissione peccatorum.

Remissio peccatorum, felicitas Christiani.

præueniente: ideo id totum Christo debetur: ait enim, Ego sum, qui deleo, non tu, eodem modo, iniquitates: propter me, propter meam clementiam, propter meam passionem, propter meum sanguinem, quem ego uolens effudi. Hæc nos docent, quod potestas remittendi peccata, & placandi iram Dei ad solum Iesum Christum pertinet autoritatiuè, cum unus sit ac præcipuus mediator, teste Paulo ad Timot. 2. Quare qui hanc gloriam & potestatem remittendi peccata ad solam & puram creaturam transferunt, certè idololatras sunt, relinquentes creatorem, & creaturam adscribentes, quod solius creatoris est primariò. Iudæi transferunt remissionem peccatorum in legem, & arbitrantur Deum remittere ipsis peccata propter legem & opera legis. Gentes putant Deum sibi propitium propter sua sacrificia, & virtutes suas morales. Turcæ existimant Deum remittere ipsis peccata propter sacra sua Mahumetica. Nos uerò Christiani, si re & nomine tales fuerimus, credimus expiationem & remissionem peccatorum nobis contingere gratis, propter Christum, per fidem in ipsum. Adhæc cum Christus ad paralyticum accedens, prius dicat remittuntur, &c. quàm sanet ipsum corpore, palam ostendit, quod est præcipuum suum officium, propter quod in hunc mundum uenit. Non enim uenit potissimum hac causa, ut corporaliter agrotos sanet, ut ut ediderit magna & stupenda miracula in sanandis infirmis, euicendis demonibus, & suscitandis mortuis. Nec uenit, ut externa maiestate in hoc mundo dominaretur, pro more regum huius terræ. Dominatur quidem Christus à mari usque ad mare, in cælo & in terra, sed partim inuisibili maiestate, partim externa tantum Euangelij prædicatione, quæ fide comprehenditur. Nec uenit, ut legem soluat, & nouam aliam condant. Explicuit quidem legem Moysi, & docuit, quid in ea requireretur: sed non fuit hoc præcipuum eius officium. Præcipuum eius officium his uerbis, Remittuntur tibi peccata tua, explicatur, significaturque regnum Christi: quod tale est, ut in consolatione & remissione peccatorum consistat, non uerbo solum, sed etiam opere, uti in hoc paradigmatè obseruari potest. Neque huic agrotò uerba hæc in aurem solum ingressit, sed peccata etiam illi sua dimisit, adhibita consolatione. Quare præcipuum Christi officium, & scopus aduentus eius huc spectabat, ut hominibus peccata remitteret, & homines patri reconciliaret. Et hoc est Euangelium, in quo summa Christianismi constat. Non misit (inquit) Deus filium suum in mundum, ut iudicet, id est, condemnet mundum, sed ut mundus saluetur per ipsum. Non potest autem saluari mundus, nisi remissione peccatorum. Ergo còd Christus præcipuè missus est, ut peccata remittat. 1. Timoth. 1. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Non possunt autem peccatores salui fieri, nisi accepta remissione peccatorum. Venit igitur Christus præcipuè ob hanc causam, ut secum afferret remissionem peccatorum. Quid quaeso maius & utilius nobis afferre potuisset remissione peccatorum? Quid, si attulisset nobis glorias humanas, sanitates corporales, diuitias terrenas, imperia huius mundi, & maiestates regias, & nihil præterea? Quid quaeso hæc prodesse sine remissione peccatorum? Sed quid aliud est, gloriosus, sanus & potens uir absque remissione peccatorum, quàm uitulus ad sui ipsius matationem saginatus, & ad occisionem destinatus? Quando uerò Christus secum attulit remissionem peccatorum, attulit una cum ipsa thesaurum omnium bonorum. Vbi enim est remissio peccatorum, ibi est gratia Dei & iustitia & liberatio ex omnibus

omnibus periculis, & perpetua felicitas. Hæc sunt, quæ mouere nos debent ad excipiendum ex animo fidei officium Christi, ut eo ad sempiternam salutem in charitate fruamur. Obserua, in sermone Christi duo illa pronomina, tua & tibi, quibus duo significantur & fiunt. Primò confirmatur te esse peccatorem, quia tibi fit remissio tuorum peccatorum. Secundò, quod non alteri, sed tibi condonari scias, hoc est, ut cogites ad te, te inquam peccatorem, pertinere Euangelicam uocem, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Proinde cum Christus hoc loco prius paralytico peccata remittat, quàm ipsum à paralyti purget, haud obscure uidemus morbos corporis plerumque prouenire ex peccatis, id quod scriptura etiam tam ueteris quàm noui testamenti multis locis declarat: ut Deuter. 28. ex transgressione legis uide quos morbos Deus minitetur. Hinc & Christus, illi, quem apud piscinam probaticam sanauerat, dicebat, Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Et Paulus, 1. Corinth. 11. ob contemptum sacratissimæ cœnæ Christi, testatur multos apud eos morbo laborasse, ac quosdam fuisse mortuos. Et psal. 15. Propter iniquitates eorum multiplicatae sunt infirmitates eorum. Vnde potest in hoc sensu accipi sermo Christi, Laborasti haecenus, Deo, hac paralyti peccata tua puniente. Sed confide, peccata tua iam tibi condono, còque & pœnam peccatorum uolo faceffere, nempe, morbum hunc mox abigam. Copiosè scripsimus in illud uerbum Ioan. 9. Sed ut manifestetur opera Dei, an morbi & afflictiones semper sint propter peccatum afflicti. Obserua, nos hoc paradigmatè admonitos, ut primò omnium, causam ipsam morbi amputemus, hoc est, iram Dei auertamus, & peccatorum remissionem queramus, & uerè ac diligenter queramus à uero medico cœlesti, & meditates audiamus, quæ hic loquitur, Ecce fili mi (inquit) quod ad eò agrotus decumbis, pœna est peccatorum: ex peccatis tuis hoc habes: peccasti contra Deum. Sed bono sis animo, remittuntur tibi peccata tua. Sed quid hic agrotus iudicio tuo postea cogitauit aliud, quàm hæc aut similia, Dabo ergo operam, ut non peccem, ne rursus in huiusmodi morbum incidam. Hoc & nos faciamus, si sapimus: & non sequamur eos, qui præpostero ordine agunt. Cum agrotant, primò omnium medicos accersunt, peccatorum nulla habita ratione. Hoc profectò signum est deploratæ obstinationis, quod agroti non recurrunt ad Deum. Scriptura. 2. Paralip. 16. regi Aza culpatur, quod neque in infirmitate sua conuersus sit ad Dominum. Quasi dicat, in eam deploratam obstinationem deuenerat, ut neque ægritudine sua, eaque mortifera, permotus sit ut ad Deum sese conuerteret.

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphematur.

Luc. 5. legitur. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisei, dicentes, &c. Araneo fel est, quod api mel, ita nihil tam salutare uel fieri uel dici potest, quod impiis placeat. Porro doctrina euangelica plena est offensionibus, non ex se, sed malitia auditorum, ut Paulus. 1. Corinth. 1. dicit, Iudæis scandalum Christus est. Aderat turba plurima plebis, quæ tanto spectaculo præfens, glorificabat Deum. Sed Scribæ & Pharisei inueniebant sua malitia & calumnia, quod culparet. Meminerunt in sacris literis sic loqui Deum: Ego sum qui deleo peccata hominum. Sed cum in tanta frequentia Christo fauentium non auderent palam murmurare, taciti loquebantur apud se. Hic blasphemus est in Deum, qui cum homo sit, Dei potestatem sibi uindicat. Quod enim solius Dei est, non est hominis: Remittere peccata solius Dei est: Et hic est pusillus homo, & abiecta persona: ergo blasphematur, adscribens sibi, quod solius Dei est. In speciem uidetur Phariseorum iusta offensio, imò caro iustissimam & æquissimam iudicat. Primò quod cogitant non esse hominis cuiusquam, quod ad Deum spectat, hoc uerum est. Deinde, quod dicunt neminem esse, qui peccata remittere possit, hoc uerum est. Nec enim homo propria

Morbi corporis plerumque ex morbis & peccatis animi.

Paralyticus apud Martham propter peccata sua afflictus.

Agrotorum mos hodie peccitendus.

Aza rex culpatus, quod neque agrotus reuersus sit ad Dominum.

Araneo fel, quod api mel.

Doctrina euangelica, plena offensionibus.



remittit autoritate, sed ministeriali. Tertio, quod dicunt eum blasphemiam committere, qui sibi ipsi assumit, quod solius Dei est, hoc uerum est. Ut enim reus est læsæ Cæsareæ maiestatis, qui quod Cæsaris est sibi assumit, ita qui quod Dei est usurpat, reus est oblesæ diuinæ maiestatis. Quod autem concludunt hominem blasphemum esse, qui assumit sibi potestatem remittendi peccata propria autoritate, Quis hoc neget? Iam quando aiunt, ergo hic blasphemus est, agnoscant hunc ex operibus & doctrina, non solum hominē, sed & Deum esse: abigant liuorem

Christus ut  
Deus remittit  
peccata:  
homo, ut minister.

Iudæis igno-  
ratæ prophē-  
tiæ de officio  
futuri Mes-  
siae.

Remittere  
uerbum.

Blasphemus,  
quis.

Blasphemia,  
quid.

Christus Dei  
se probat.

In calūnias  
propensi Iu-  
dæi.

ab animis suis, & cognoscent Messiam. Ad hæc audiant, quod non dicit, Fili con-  
fide, remittet tibi peccata tua Deus: Nathan dicebat ad Dauidem, 2. Reg. 12. Et Do-  
minus transtulit peccatum tuum: Aut, orabo pro te Deum, ut remittat tibi peccata  
tua: aut, ego, ego minister Dei te absoluo, more eorum, qui ad hoc munus ordi-  
nati sunt. Sed ait, Remittuntur tibi peccata tua. Iam uideant hi Scribæ & Pharisei  
suam iustitiam. Scriptura perspicuè cōcionatur de Messia, quem promittit, quod  
in ipso benedicentur omnes Gentes: quod Dominus positurus sit in ipsum om-  
nium hominum iniquitates: quod daturus ille sit animā suam pro peccato: quod  
sit medicaturus contritos corde, & prædicaturus captiuis indulgentiam, & clausis  
aperitionem, ut ex suo Isaiā cognoscebant. Cū autem hoc loco Pharisei cogitē  
secum, dicentes, Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? manifestè apparet,  
ipso scripturas ignorare, nec intelligere, quod sit uerum officium Messiae. Hunc au-  
tem Iesum pro Messia recipere, & agnoscere debebant, iuxta hebdomades Daniē-  
lis, designantis tempus aduenturi Messiae: Ex operibus item & doctrina Iesu, iuxta  
Isaiā uaticinium, si ueri fuissent Theologi, & scripturarum professores, Iesum ue-  
rum esse Messiam in lege promissum. Quare suam ipsorum inscitiam & rudita-  
tem, in cognoscenda scripturæ ueritate, produnt. Ad hæc uerbum, remittuntur,  
non indicat usurpatam gloriam Dei, sed nuntiatuum est remissionis. Secus au-  
tem esset, si dixisset, mea autoritate remitto tibi peccata tua, quod dicere tamen  
poterat. Vnde ex uerbo, remittuntur, non habent, quod calumniari possint, cū  
& uiri sancti hoc dicendi genere fuerint sine controuersia usi. Obserua. Vox blas-  
phemus mediam producit: & dicitur is qui suæ autoritati ac dignitati tribuit &  
usurpat quod solius Dei est, aut qui temeraria conuitia & maledicta congerit in  
Deum, in uerbum, & in legem Dei, & autoritati diuinæ legis resistit. Vnde blas-  
phemia, de qua Marc. 3. quæ peccatum ad mortem à Ioanne appellatur, fitque  
quando aperta Dei ueritas uidetur, ita ut uictus sis apud te metipsum, in tuo corde,  
& cōscientia, quod res ita habet, & aliter esse nequit: attamen impie audes dicere,  
& contrā contendere, hoc non esse uerum, non esse à Deo, esse peruersum, esse à  
diabolo. Quia horrenda blasphemia non ueretur gladium Domini contra ipsum  
testantis, quasi etiam impu nē liceat pugnare uoluntariè contra Deum. Hæc ex  
Marc. 3. uidere licet, ubi Iudæi manifestum opus Dei tribuebant contra conscien-  
tiam, ipsi Beelzebub. Blasphemia fit contra secundum præceptum prioris tabulæ.

Et cū uidisset Iesus cogitationes eorum.

Pergit Christus duobus miraculis, quæ sunt testimonia cœlestia, & sigilla Spi-  
ritus sancti, comprobare, quod falsò non asseruit sibi maiestatem diuinitatis &  
Messiae. Alterum est, quod occultas Phariseorum & Scribarum cogitationes co-  
gnoscat. Quis autem potest occulta cordium cognoscere, nisi solus Deus? Tu so-  
lus (inquit Salomon) nosti corda filiorum hominum. Et apud Hieremiā 17. Ego  
Dominus, scrutans cor & probans renes. Cū ergo Christus agnoscat cogitatio-  
nes Scribarum & Phariseorum, uerè Deus est. Nam agnoscere cogitationes ho-  
minum, effectus est diuinitatis in Christo. Potuisset Dominus adduxisse scriptu-  
ras ex Mose, prophetis & psalmis. Maluit illos conuincere signo & miraculo, tol-  
lens calūnias, quibus abundabant, Nam si scripturas adduxisset, mox suggessis-

sent illi, attinent quidem illæ scripturæ ad Messiam nostrum, quem expectamus,  
uerum tu non es ille. Ad hæc, quid ad te ista spectant? Certissimum enim est &  
Iudam, & Theudam, & alios plerosque, qui sese pro Christo promisso uendita-  
runt, scripturas adduxisse, tanquam ad se pertinentes, quod euentis ipsis falsum ap-  
paruit. Quare horum calūnias Christus reperiens, omnium certissimo & fir-  
missimo usus est testimonio, nimirum diuinæ uirtutis & efficaciam, quam nemo  
impostor sibi usurpare potest.

Dixit.

Ratio responsi Christi est gloria patris, qui ab antecedenti contemnitur, con-  
tempo Christo filio. Hoc paradigmate monemur, quo tempore respondendum  
fit illis, qui nos iniuriis afficiunt: uidelicet tum, quando propter nostras personas  
calūnia afficitur uerbum, nomen, & gloria Dei, tum nihil non faciendum est,  
ut obuiemus calumniatoribus, ne quid detrimenti patiatur doctrina & gloria Dei  
propter quod hoc loco Christus indignabundus respōdet ad ea quæ Scribæ & Pha-  
risei tacita secum cogitatione loquebantur.

Calūnatori-  
bus & conui-  
ciatoribus,  
quando re-  
spondendū.

Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris?

Cur tam amaro & liuido estis animo, ut candida in nigra uertatis, & quod bo-  
num est, malum iudicetis, & hominibus etiam gratiam Dei inuideatis, cū ta-  
men nihil inde uobis pereat? Hic suboccultè taxat eorum auaritiam, & idolola-  
triam. Quia sacerdotum hæc erat cogitatio, Quod, si quis uellet Deum placare,  
hoc oporteret fieri per sacrificia legis & intercedentibus sacerdotibus, ut in lege  
Mosi & libris Regum præcepta & exempla sunt; nec aliter posse fieri cogitabant.  
Nunc autem cū Christus sine sacrificiis & illorum intercessionibus pronuntiat  
remitti peccatum, & Deum placatum fide in ipsum: hi metuentes suo uentri, co-  
gitant, Quid istud est, quod, nobis etiam præsentibus, sed inconsultis & neglectis  
sacrificiis, uidemus hunc hominem operari, nimirum adserere peccata remitti fi-  
ducia in ipsum sine nostris sacrificiis? Certè actum est de nobis, perimus funditus,  
si res ita habeat, & huic non restiterimus: Nec hoc solum, sed totus Moses cum  
suis sacrificiis corruet. Quis enim porro sacrificabit, si Deum placare possum per  
fidem charitati coniunctam? Ideo certum est, quod ipse est blasphemus in sacri-  
ficia & Mosen: ergo & in Deum. Hæc sunt mala ipsorum cogitationes. Porro cū  
uerba Christi, Remittuntur tibi peccata tua, ea sint, quæ propheta & Sancti, ex  
spiritu Dei, loquentis, & remissionem peccatorum annuntiantis, uerba esse pote-  
rant, maleuolentia erat, & mala cogitatio in cordibus Phariseorum, blasphemiam  
insimulare Dominum in quo aded nihil uidebatur, quod non ad Dei gloriam fa-  
ceret. Quo exemplo monemur, quæ ex se mala non sunt, in meliorem partem in-  
terpretari. Id enim beneuolentia atque charitatis est, eorumque, qui ipsi quæ uera  
atque sancta sunt, sectantur. Nam hi potissimum aliena insectantur uitia, qui ipsi  
sua negligunt, eoque in uitiiis planè demersi sunt.

Iudæi opina-  
bantur Deū  
placari non  
posse, nisi ex-  
ternis sacrifi-  
ciis.

Ex se nō ma-  
la, boni cōsu-  
lenda.

Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua,  
an dicere, surge & ambula?

Christus interrogat Scribas & Phariseos, ut ipsi sibi uicti in conscientis respon-  
deant. Quid est facilius, &c. Quasi dicat Christus, Quia hæc duo opera æqualia  
sunt, & æqualem diuinitatis potentiam requirunt, si alterum facio, nimirum si  
ægotum istum incurabilem mox uno uerbo, non paululum releuo, sed planè re-  
stituo in momento, nulla etiam præuia oratione ac precatione, nullo item externo  
adminiculo, non dicetis me blasphemare, & tamen hoc opus Dei est. Aut si existi-  
maueritis id humanum esse, uos ipsi iubete, surgat paralyticus: agnosceitis id ue-  
stra non posse fieri autoritate & potestate, ergo diuinitatis est operatio. Iam si sa-



nando hunc uel unico uerbo, non uideor uobis blasphemus, nec cum peccata remitto, blasphemus sum. Argumentum defensionis Christi est ex paribus in hunc modum collectum: Ego potentia uerbi possum sanare corpus, Ergo & potentia uerbi animam sanare possum à peccatis. Aequalem uerbi seu Dei potentiam requirit ambo opera. Ergo si Christus non est blasphemus, uel uno uerbo sanans corpus paralytici: nec erit blasphemus, cum peccata remittit. Huius defensionis scopus est, ut Christus probet se Deum esse, qui habeat autoritatem remittendi peccata. Diuinitatis opus est, ad unum solum uerbum sanare homines in corpore. Quare & diuinitatis opus est in Christo, remittere peccata. Qui ergo habet potestatem unico uerbo, imò etiam solo nutu sanandi, habet & potestatem uitæ & necis. Iam respondete ò Pharisei, cum non minus non sit hominis, uerbo sanare ægros, & uerbo excitare mortuos, quàm peccata uerbo remittere, qui sit, quòd hic uobis blasphemus est, & illic non est?

Christi potestas omnia comprehendit.

Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra.

Pergit Christus probare se non esse blasphemum, sed iusta & sua potestate hoc facere & posse. Iam qui operatur, quod in sua potestate habet, neque malè agit neque blasphemus est. Vt autem sciatis, id est, aperto facto & opere uideatis, quia filius hominis, id est, hæc persona, coram oculis uestris contempta, habet potestatem, uti uerus Deus, quem uos ex abiectione personæ purum hominem iudicatis: in terra, id est, tametsi hic uobiscum in terra uersetur, habet tamen potestatem remittendi peccata hominibus, quandiu hic agant. Quasi dicat, post hanc uitã non erit peccatorum remissio. Aduerte: non dicit, quia, potestatem habet à Deo filius hominis, aut, quia dedit sibi Deus potestatem, sed ait, potestatem habet filius hominis, quasi dicat, æqualem habet cum patre, nec ad gloriam dico, sed ut uobis persuadeam quia non blasphemus, cum meipsum patri æqualem ostendo. Manifestam singulari quadam miraculorum gradatione potestatem suam fecit: in primis cum leproso dixit, Mundus est. Deinde, cum absens Centurionis filium sanauit, cum mari & uentis frenum imposuit & imperauit. Rursus cum dæmonibus imperauit, & dæmoniacos liberauit. Modò cum latentem egritudinem animæ paralytici abstulit, & mox corpus eius morbo deplorato curauit. Obserua: hoc loco nõ dicit, uirtutem, sed potestatem habet. Aliud enim est habere τὴν δύναμιν, & aliud τὴν ἰσχύαν. Virtutem facienti pleraque habet & latro & tyrannus, sed ἰσχύαν, potestatem, id est ius, non habet. Proinde cum Christus hic dicit ὅτι ἐξουσίαν ἔχει, id est, potestatem habet, satis ostendit se non uirtutem iniustam ac tyrannicam prolaturum, sed iustam potestatem, ac ius remittendi peccata. Porro differt potestas remittendi peccata, quam Christus habet, ab ea quàm sancti ab ipso accipiunt, in eo, quòd ipse non tantum, ut sancti, ex spiritu & uerbo Dei, remissa à Deo peccata credentibus in ipsum, pronuntiat, quomodo ministri Christi etiam remittunt: uerum etiam morte sua illa expiat, & spiritum placati patris, atque remissionis peccatorum pignus, summus pontifex & rex noster donat: ut ita sua potestate & merito suæ mortis omnia peccata mundi deleat. Hæc omnia meditari & perpendere debemus dies & noctes, ut toti ab ipso, qui solus nos à peccatis saluabit, pendeamus, mirantes cum turbis, & glorificantes Deum, qui talem potestatem dedit hominibus: nimirum ei, qui est frater noster, nostri sanè amantissimus, qui quæ tribus per omnia fuit similis, & tentatus est, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi, Hebr. 2. Qui non tam morbos, quàm morborum causas, hoc est, peccata, uerbo suo pellit, filiosque Dei saluos & beatos reddit, quotquot in ipsum crediderint, quibus etiam ipsis hanc potestatem remittendi peccata communicat, dum illis ad hoc munus, ut ministris, utitur.

Post hanc uitã nulla peccatorum remissio.

Virtus & potestas diuersi significat.

Aliter remittit Christus peccata, aliter Christi ministri.

Potestas & dignatio Christi nobis assidue perpendenda.

Miraculis in notuit Christus.

Admiratio, stupor, timor, & laus corollæ ferè omnium miraculorum Christi.

Euangelij pars est, timere.

Gratitudo, opus & fructus charitatis.

Tunc ait paralytico.

Vt ex his, quæ uidetis, uobis persuadeatis & illa quæ non uidetis esse uera, & utrunque filio hominis æquè procliue esse, & morbum uerbo tollere, & peccata condonare, signum dabo omnium sensibus conspicuum. Vnde, uidete, nunc, an uerba mea uana sint: & probate ex hoc uisibili signo, quid statuere apud uos debeatis de inuisibili. Alij ad suam autoritatem & fidem probandam literas suas & diplomata exhibent, quibus manifesta fit ipsorum autoritas & potestas: Sed uultis uidere literas meas seu instrumentum meum, fide dignissimum? Attenti estote, audite, & memoria tenete, quæ dicens facio, Surge & ambula.

Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.

Emphatica sunt omnia, ut firmiter probet Christus æquali opere diuinitatis se quoque posse remittere peccata: Diuinitatis autem opus est, restitutio paralytici, quæ ad uerbum Christi statim est sequuta. At nemo hominum medicorum unquam ad uerbum statim restituit infirmum: licet possint quandoque sensum sanare corpus, arte medica. Caterum, Surge, tolle, & uade, uoces sunt, quæ integram paralytici restitutionem circumloquuntur.

Et surrexit, & abiit in domum suam.

Ò Pharisei uidete alterum miraculũ, & literas testimoniales, quibus conuincimini, & uel inuiti iudicetis, Christum non esse blasphemum, cum dicit, Remittitur tibi peccata tua. Surge, dixit, mox obtemperat uerbo, qui resolutione neruorum planè stupidus erat, ac sensu & motu destitutus, surgit incolumis. Tolle lectum tuum. Subleuat in humeros suos lectum, & mutatis rerum uicibus portat lectum, quo hætenus gestabatur. Uade in domum tuam, ut hi, qui te nouerunt ægrotum, ac saluum posse fieri desperabant, uideant te subito factum ualidum, ut pedibus tuis solidè uidearis ambulare, qui paulò antè à quatuor baiulis portabaris. Sublato in humeros lecto abit in domum suam, longè alia pompa quàm paulò antè fuerat exportatus. Quid nunc de Iesu, qui hoc miraculum edidit, sentiendum putatis, ò Scribæ & Pharisei? Certè miraculo isto manifestè comprobauit se, quanuis hominem in terra uersantem, habere potestatem remittendi peccata. Profectò comprobatum est etiam, ipsum uerum esse filium Dei & Messiam. Hoc igitur miraculum reuelat & obsignat nobis maiestatem Iesu, & ueritatem Euangelij: nimirum, quòd Iesus sit uerus filius Dei, & uerus Messias: & quòd per ipsum habeamus remissionem peccatorum, placatum patrem in caelis, & uitam sempiternam.

Videntes autem turbæ, timuerunt.

En fructus miraculi: quod tam euidentem cum uidissent turbæ, & planè intelligerent rem non esse potestatis humanæ, sed diuinæ, admiratæ sunt. Quid? Nimirum talem potestatem datam esse hominibus. Gracis legitur ἰθαυαίτες, id est admiratæ sunt. Ita legit Chrysostomus Homilia 30. & huic concinens Theophylactus, etiam si Hilarius legit timuerunt. Marc. 1. legitur abiit inde coram omnibus, ita ut mirarentur omnes. Luc. 5. legitur, Et stupor apprehendit omnes. Stupor hic filialem habet timorem cum admiratione. Vulgaris que effectus est, sequens ferè omnia miracula, potenter facta. Solatur quidem Euangelium homines, & securos facit, ita tamen ut timere eos faciat, docens nos, ne ad oblatam gratiam superbiamus, sed timeamus, cum Apostolo in timore & tremore uersantes.

Et glorificauerunt Deum.

Conspecto miraculo, Pharisei & Scribæ inuidi, ac cæci, obmutuerunt, sed turbæ glorificauerunt Deum, id est, gratias egerunt Deo. En gratitudinem turbæ. Est certè gratitudo opus & fructus charitatis. Cuius natura est, non posse



non esse gratam. Nimirum charitate ducti admirantur & suspiciunt, laudant & prædicant Deum, affirmantes se nihil unquam tale uidisse gestum ab iis, qui inter Iudæos pro summis uiris habebantur. Scribis autem sic erat impositum silentium, ut magis etiam exacerbarentur inuidia, nimirum magis quæretes suam gloriam, quam gloriam Dei, qua in dies per Iesum illucescente, se uidebant obscurari. Quemadmodum enim Sol obscurat lucernam, ita diuina gloria obscurat, & euanescere cogit inanem hominum gloriam. Sed horum liuor non in aliud profecit, nisi quod Christi gloriam obsistendo reddidit illustriorem.

#### Qui dedit potestatem talem hominibus.

Hæc ætiologia est stuporis, glorificationis, & timoris, sumpta à uiso miraculo, quo non solum cognita est potentia Christi, per uerbum potenter operantis, sed etiam patuit, quod in Christo remissionem peccatorum & uitam æternam, hominibus absque auro & argento annuntiatam, inueniunt omnes: cuius gratia, & hæc reperiatur potestas in hominibus relicta, efficax & firma, ex eò, quod Christus homo, eam uerè habet, & ita, ut & aliis committere potuerit. Rogabis. Quid igitur discriminis est inter Christum & Parochum, cù utrisque hæc potestas sit communicata? Respondeo. Multum certè differentia est. Nempe quantam inter Dominum & seruum legatum. Legati officium ad præscriptum munus est alligatum: & quod ex commisso officio facit & dicit, ratum est, eò quod Christi nomine & commisso hoc faciat. At Christus missus quidem est, sed missus est, ut filius, & Dominus omnium. Parochus uerò missus est, ut seruus & minister. Christus missus est, ut redimeret nos, & ut morte sua & sanguine suo à peccatis liberaret, patrique reconciliaret, & credentes in se, filios Dei efficeret, & in æternum saluaret. Ad hoc Parochus non est missus. Christus missus est, ut spiritu suo corda nostra innouaret & purgaret, fidem & charitatem, & omnia bona daret, ut Dominus omnium. Ad hoc etiam missi sunt Apostoli, sed ut ministri Christi, & ministri spiritus. Intelligamus ergo hanc potestatem non solum Christo, (nisi quod præcipue Christo, non rapinà, sed naturà Deo) sed etiam hominibus, id est, ministris eius, esse traditam. Nec erat hæc potestas alliganda personæ Christi, quatenus in hac uita ad præscriptum tempus agebat, sed potius ipsi dispensationis perpetuitati: cù non secundum Leui, sed secundum ordinem Melchisedech sit sacerdos in æternum. Vnde hanc potestatem apertè suis Apostolis commisit, abiturus in cælum, ad dispensandos cælestes thesauros in orbe terrarum in nomine suo, Luc. 24. & Ioan. 20. quibus in Christo efficitur filii Dei, hæredes Dei & cohæredes Christi. Hac inquam potestate Apostoli absoluunt, & remittunt peccata, uel retinent, quatenus dimittenda uel retinenda iudicant cum forma absolutionis.

#### Et cùm transiret inde Iesus.

Restituto paralytico, Dominus Iesus (ut Marc. 2. ca. scribit) rursus egressus est ad mare, ubi & ualde copiosam turbam sequentem docuit. Christus enim tã philanthropus, adeoque sui muneris obeundi studiosus semper fuit, ut docere nunquam intermiserit, cùm adesset opportunitas.

#### Vidit hominem sedentem in telonio.

Veniens à Galilæa, præteribat telonium, ac conspexit publicanum quendam illic desidentem, unde oblata est occasio uocationis unius Apostoli & Euangelistæ. Sedentem in telonio, id est, ad telonium sedentem, & telonem, seu publicanum agentem, hoc est tributum exigentem. A Domino uidetur & uocatur qui sedet, nihil interim tale cogitans, ut stabilias gratiam & liberalitatè Christi uocantis, & uocati meritù excludas. Non enim meruit Matthæus uocationem sui. Obserua: ubi uidit Christus oculo suæ uirtutis Matthæum, mox respplenduit facies eius

Christus homo non inuidit suam potestatem hominibus.

Differentia inter Christum & curationem.

Potestas tradita capiti, ergo & ministris.

Matthæus uocatus nullo suo merito.

in Matthæo, factusque est Matthæus conformis imagini filij Dei, ut qui præscitus erat ab æterno, iam uocaretur in tempore, iustificaretur, magnificaretur, & tãdem glorificaretur. Obserua. Homo sedens in telonio siue ad telonium periphrastricæ exprimit magnum peccatorem, quod telones plerunque sunt magni peccatores, raptores, deprædatores, fitque hic mentio magni peccatoris, ut commendetur magna Christi potentia, qua sic potuit tam magnū peccatorem conuertere, ut relicto etiam auro multo, cui immerfus erat, pauperè pauper sit secutus. Obserua. Telonium, græcè *τελώνιον*, locus est, in quo sedet Telones, id est Publicanus, exigens tributum, quod Græcis *τέλη* dicitur. Dicitur & teloneum.

Matthæus, magni peccatoris typus.

Telones Telonium Telos.

#### Matthæum nomine.

Admirare fidem huius historiographi, qui de se mentionem faciens, præter nomen, etiam uitam suam & officium ac statum inuulgat: quemadmodum & Paulus se maximū peccatorem, blasphemū & persecutorem Ecclesiæ ostendens, quo animo sit ad prædicandū Christū, ac eius gratiam erga se, manifestat, cõque uoluit nos simul animare, ut peccatorum remissionem ab hoc clementissimo Domino, quamlibet peccatores simus, certò speremus, uel in ipso uidentes, adeò Christum peccatores nõ auersari, ut ex ipsis, etiam gratia suæ nuncios & Apostolos, & quidem præcipuos, ac denique insignes Euangelistas fecerit. Est ergo diligens hæc Matthæi descriptio à nomine & conditione uitæ, ut sciamus peccatorem, uocatum esse à Christo medico & saluatore. Marc. 2. ca. scribit Leui Alphæi nominatim, significans ipsum Iudæū ex tribu Leui. Vulgare fuit Apostolis binomines & trinomines esse. Quod autem Matthæum se se nuncupauit, uulgatiore nomine, quo apud fratres nūcupabatur, est usus. A iunt hoc nominis accepisse, cùm à Domino uocaretur. Matthæus Græcè scribitur *ματθαῖος*, & dicitur à Mathan, quod donum significat, id est donatus. Legito catalogum Hieronymi.

Matthæi, & Pauli cador & ingenua professio.

Christi elementia non auersatis peccatores.

Apostoli binomines & trinomines.

#### Et ait illi.

Christus uocali uerbo uocat ad Euangelium, ut commendet nobis etiam externum uerbum, quod hodie, ut inutile, fugillant Anabaptistæ. Significaturque hæc externa uocatione & interna, quod uox Christi uocantis sit internæ uocationis indicium. Nullus enim, quantumlibet extrinsecus commonefaciat, Christū sequetur, nisi primū intus à sancto spiritu illustretur & exciteretur. Nam etiam si extra sequi uideatur, non nisi ipsissima hypocrisis erit. Proinde ad nihil efficax unquam esset externa uerbi prædicatio, nisi spiritus Domini intus doceret. Plætamus qui pe & irrigamus, dum uerbi ministerium fideliter exequimur. Carterum Deus est qui incrementum dat. Audiamus igitur uerbum Christi.

Verbum externum, necessarium, contra Anabaptistas.

Vocatio externa Christi, indicium interna.

#### Sequere me.

Totus in hoc est Christus, ut declarat se eò uenisse, ut promoueat Euangelium, & ceu medicus, ægrotis peccatoribus medeat. Hoc ut fiat, deligit sibi ministros, quibus utatur in hoc munere, quos post abitum suum ad patrem, emittat in orbem uniuersum. Vnde qui prius Simonem & Andream, Ioannem & Iacobum, ab humili quidem, sed tamen licito quæstu uocauerat ad se, ut palam faceret, se nullum omnino genus hominum fastidire, modò se conuertat ad meliora, Matthæum artem sordidi quæstus exercetem ad se uocat, ac sequi iussit. Sequere me, id est, Esto comes meus, sectare me, nimirum ad annuntiandum regnum Dei. Aduerte: finis uocationis omnium hominum ad Euangelium, est sequi Christum, id est, amplecti Euangelium siue cum fide Christum suscipere, & tam in doctrina, quam uitæ moribus imitari. Obserua. Telonem uocat, & alibi idiotas & piscatores, quibus ad obeundū munus Apostolicum nihil uidetur ineptius, si mundi iudicium respexeris, qui regni sui promotionem per gloriosos, potentes, & nobiles quærit. Sed, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, &

Christus uenit, ut Euangelium promoueret.

Sequi Christum, tota Euangelij methodus. Sequi Christum, quid.



ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu Dei. I. Corinth. I. Negotium mundi uiribus humanis nititur & agitur: contra uerò Christi negotium diuinis agitur uiribus, & Dei uirtute. Vt ergo cõspicua redderetur Dei gloria, hoc est, ut manifestum fieret, hoc negotium Euangelij à Christo susceptum, non geritur humanitus, sed diuina prorsus uirtute, decens erat, tanti ministerij ministros & nuntios tales esse, qui non essent mundo conspicui, potentes & gloriosi, ne mundus gloriaretur tam cœlesti mysterium à suis ministris, & sua potentia fieri. Ad hæc cõsolationem, sed & miraculum quoque adfert, quòd Christus tam indignos se, & peccatores eligat. Sed cur ita? ne illi superbiant de officio tam sublimi, sed facile fratri peccati, etiam septuagies septies, condonent, agnoscentes se peccatores fuisse, & esse ministros illius, qui nulli posceti misericordiam fores occludit. Deinde ne ullus peccator diffidat aut desperet de Christo. Nam in regno illo cœlesti qui sedent? peccatores & publicani. infra. 21. cap. Amen dico uobis, quia publicani & meretrices præcedent uos in regno Dei. Qui modò secundum carnis seu suam iustitiam meritò sederent in centro inferni, relicta mundi, & apprehensa Christi uocatione, regni cœlestis participes effecti sunt. Idoneos igitur elegit suæ gratiæ præcones Christus peccatores, ne sese ex magnitudine officij extollerent, & ne peccatores uel contemnerent uel durius tractarent. Verùm potest ne quicquam uel magnus exercitus, uel confictus rationis humanæ, carnis, & mundi aduersus hanc uocationem, ut ne Matthæus Christum sequatur? Aiunt enim aduersarij: Amice Matthæe, caue, huius Nazaræi uocem audias. Telones habetis optimus, tam stultus es, & cõ dementiæ uis te præcipit dare, ut relinquant diuitias partas, & munus quæstuosum, è quo annuatim ingentem recipis pecuniam, ut interim sequaris hunc pauperem hominem qui (ut ipsius testimonio utamur) non habet, ubi reclinet caput? qui, quò uadat, ignoras? unde non solum tua perdis, & paupertatem tibi concilias, sed & in pericula uitæ te conicias. Nam hic homo apud principes populi audit, hæreticus, seditiosus, seductor, & extremo supplicio dignissimus. Ergo qui huic adhæserit, profectò iudicabitur præsentanea se internecioni exponere, & in suum ipsius exitium festinare. Adhæc domum instruatissimam habes, ille ne domunculam quidem habet: tu diuitias, ille Codro pauperior: tu apparatus prandium, ille sub cœnam adhuc ieiunus mittit suos, ut emant panem: frequentius illi aqua potus est, tibi uerò uinum (ut uis) suauissimum: tibi assident serui compti, & ad omnia parati, illi uerò idiotæ & simplices piscatores. Quid igitur uideris aliud facere, si hunc fueris secutus, quàm tuam ipsius ignominiam, exitium, adeoque mortem sequi? At Matthæus uocatione iam fortis factus miles, accepto gladio quo uincitur mundus, I. Ioan. 5. Et hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra, relicta omnibus, secutus est Christum.

## Et surgens.

Vires accipit Matthæus aduersus carnis suadelas & deliria, & credit uocanti Christo, ipsique ex animo adhæret, quem sentit esse uerum Messiam, in quo habeat remissionem peccatorum, iustitiam, uitam & salutem perpetuam. Surgit è uolutabro telonei, & cœno mundi, ad puritatem Euangelij, fitque ipsi possibile, facile, & iucundum, quod ipsi sequenti mundum erat impossibile, difficile & molestum. Difficile erat carni relinquere diuitias, ipsique impossibile est suis uiribus euenire, ut opes contemnat, cui molestum est, & iniucundum, pauperem & inopem ducere uitam, cum abundet. Sed tamen surgens, relinquit, id est contemnit, & pro stercore habet hæc omnia, Teloneum, pecunias, & huiusmodi Mammonæ arma. Estque tam efficax hæc uiua fides in Matthæo, ut opus, ad quod à Christo uocabatur, fieret ipsi tam possibile, quàm facile & iucundum. Hic monemur,

Aduersa & contempta mundo Christus elegit.

Peccatores & tā uiles quare deligat Christus.

Peccatores & publicani in cœlo regnant.

Voces mundi uocationem Christi molientis impedire.

quid nobis agendum est, ut præcepta Dei fiant nobis possibilia, facilia, & iucunda. Non recurras oportet ad carnem seu prudentiam eius, quoniã prudentia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt: ergo non ad carnis, sed spiritus sapientiam, hoc est, fidem per charitatem operantem, recurrendum est, ut præcepta impleamus. Sumamus nobis exemplum ex uno & altero præcepto. Lex est, Non occidas, qua non solum prohibetur homicidium, sed etiam ira, & concupiscẽtia ultionis, mandatũque, ut non tantum amico, uerum etiam inimico beneficias. Huius (dices) beneficiam inimico, & non ulciscar iniuriam mihi illatam? Mallem profectò omnes dentes sigillatim excuti mihi, quàm uel hunc meum inimicum humano uerbo salutare & alloqui. Certè non hic quaritur, quid tu malles, sed quid Deus postulat, ac facere debes. Postulat Deus, ut non ulciscaris iniuriam tibi illatam, & uocat te ad benefaciendũ inimico. Dices, Nõ inuenio in carne mea, ut hoc facere possim. Rectè respondes. Non tamen animum despondeas, quin potius cape fidei uiuam, & cum Matthæo surge, ac Christum audi & sequere. Quo modo? Audi Euangelium Christi: audi promissiones Dei, in Christo confirmatas. Est autem Euangelium Christi, quòd gratis redempti sumus, & nobis, petentibus in nomine Christi remissionem peccatorum, condonantur peccata propter Christum, qui pro nobis mortuus est, cum adhuc essemus peccatores, & inimici Dei, Rom. 5. Promissiones item Euangelicæ sunt, Matth. 6. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra. Deute. 32. Mea est ultio, & ego retribuam. Hæc qui ex animo audit & recipit, ac seridè credit, statim non solum dilectio inimici, uerum etiam obliuio ultionis fit ipsi possibilis, facilis, & iucunda. Et quanquam reliquæ carnis reclament, & aliò uocent, non tamen imputantur ad peccatum, propterea quòd spiritus fidei dominatur. Secundò, lex est, Non fureris, qua non tantum uocatur ad uitãda externa furta, sed iubemur etiam egenos & pauperes nostris opibus iuuare. Hoc profectò molestum & difficile est carni, nostris opibus iuuare egenos. Sed facile erit & iucundum, si contempta carne audieris Dominum dicentem, Prouerb. 19. fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & uicissitudinem suam reddet ei. Itẽ, Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Iam qui has, & similes promissiones seridè crediderit, is certè magna alacritate egenos & pauperes suis opibus iuuabit. Quare ad facienda mandata Dei surgamus cum Matthæo, & obediamus uocationi Dei, audientes Euangelium Christi, & promissiones diuinas, ex quibus fidẽ concipiamus, & charitate confirmemus. Tunc fiet, ut, quod nostræ uirtuti durũ, difficile, ac impossibile est, hoc uirtute fidei, uiuæ, hoc est, charitati coniunctæ, possibile, facile & iucundum euadat. Obseruandum hoc loco, ut uocantem Christum oremus, ut & nos sua uirtute uocet, hoc est, spiritu suo corda nostra imbuat, consilia rationis nostræ obtundat & extinguat, fidẽ uiuam donet, qua simpliciter & confestim ac promptè uocantem sequamur, mandatis obediamus, & ea impleamus.

## Sequitur est eum.

Lucas 5. cap. ait. Et relicta omnibus, exemplo Matthæi ostendens nomine Euangelij charissima quæque postponenda esse, etiam conditionẽ uitæ, ab eo, qui ad ministerium uerbi uocatur quemadmodum Matthæus, & reliqui Apostoli, ad Apostolatus officium uocati, uitæ conditionem reliquerant. Quod non perinde fieri necesse est ab illis, qui ad cognitionem Euangelij, & non ad prædicandi officium uocantur. Aduerte. Relinquere omnia, surgere & sequi Christum, fidei uiuæ

Fides per charitatem operans, præcepta exhibet facilia & iucunda.

Fides cõtraria carni per suadet.

Euangelium Christi, quid

Promissiones Euangelicæ.

Conditio uitæ ab eo, qui ad ministerium uerbi uocatur, non mortuus tenenda.



sunt effectus, non diu deliberantis de sequela. Qua in re præscribitur nobis uiua uocationis forma. Ex alia atque alia conditione uitæ uocamur, atque tum, cum sumus occupati in nostra uocatione & officio. Quod quemadmodum fiat, audi.

Fides nua hæudquaquã diu est deliberanda. Verbo uocamur, & illo uocali, uocamur inquam ad sequendum Christum, ut Euangelium eius amplectamur, & Christum fide uiua suscipiamus, quem in doctrina & moribus uitæ exprimamus. Cùm ad Euangelium uocamur, obtemperandum est uocationi, sine deliberatione, cum carne & sanguine habita: atque necessitate urgente, charissima quæque, & sic omnia, nomine Euangelij postponenda sunt. Hæc nobis aperta sunt in Matthæo, qui ut audiuit Christum uocantem se, nihil contatus est, sed relictis rationibus imperfectis, nihil disputans apud se (imitatus Abrahamum, uocatum à Domino, ut exiret de patria & cognatione sua) quod esset abiturus cum Christo, homine nihil habente in hoc mundo, relicto quæstu, sequi cœpit Iesum, subito ex publicano factus discipulus. Vox enim Iesu energiam quandam admirabilem habebat, & in vultu eius relucebat uis quædam occulta, qua ad se pelliciebat, quos uolebat, ut magnes ferrum: uolebat autem, quos sciebat à patre donatos. Obserua Matthæum promptè sequutum Christum, nec offensum tenuitate pauperis Christi, nec conditione ea, qua periculis erat obnoxius. Surgit, & sequitur uelociter, nihil moratus, non secus, atque qui ex summa miseria ad summam uocatur felicitatem.

Vocis & uultus Christi energia mirabilis. Alacritas Matthæi, sequentis Christi.

Et factum est, discumbente eo in domo.

Apostoli uocati à Christo, artem tamen uocationis pristina non abdicarunt à se. Matthæus simul atque uocatus fuit, ilicò surrexit, & Christum comitari cœpit, relictis quidem rebus suis omnibus, sed non abiectis, in præsens, quod optimum erat, amplexans, non abiiciens tamen in posterum commodum usum eorum, quæ Dominus dederat, cùm id sua ferret uocatio. Quemadmodum & Petrus reliquerat quidem omnia, sed non ita abiecerat, quin, quoad apostolica patiebatur functio, legitime domo sua (Domino adhuc in Galilæa uersante in Capharna) ueretur, & reti. Sed etiam post resurrectionem ad retia rediit, quod & alij Apostoli fecerunt, quandiu per munus Apostolicum illis potuit licere. Recepta autem plenitudine spiritus, reliquerunt & abiecerunt omnia, facti non Galilææ tantum, sed etiam uniuersi orbis principes. Ac tum iam non priuatam in Galilæa aut alia patria domum, sed quamlibet regionem communem sibi duxerunt, quod salus (cuius nuntij erant) ad uniuersos, sine personarum acceptione, spectaret. Ita & Matthæus, sequutus Dominum, reliquerat quidem omnia, sed non abiecerat. Nam vnde mox ei domus, in quam uocasset Dominum? Vnde tam magni conuiuij sumptus, quibus & Dominum & copiosam conuiuiarum multitudinem excepit? Quando igitur Matthæo integrum fuit per susceptum munus sectandi Dominum, & facultatibus suis Domino conuiuium instruxit: & hoc instructo, rogauit Iesum, ut in ædibus suis conuiuium agere dignaretur. Quod neque recusauit Dominus neque facere est grauatus, ut suos doceret, nec impiorum consortium esse uitandum, si spes sit illos nostra consuetudine fore castigatiores. Iam post acceptam spiritus plenitudinem, cùm Matthæus tum alij Apostoli sua & reliquerunt & abiecerunt, nimirum ut ab omnibus auocatum animum suum ad munus diuinitus iniunctum applicarent, & neutiquam iniuncto muneri decissent, quod munus ubi illos totos uendicabat, non dubitabant metere temporalia, qui fide optima seruebant spiritalia. Obserua in Matthæo conuiuij instructore gratiarum actiones, quæ sunt gratæ fidei effectus. A quouis enim reconciliato requiritur gratitudo & dilectio. Hic Euangelista non exprimit, cuius erat domus, in qua instructum est conuiuium, quod tamen explicat Lucas 5. cap. dicens, Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Vbi uoce magnum, ostenditur liberalitas in Matthæo, quæ charitatis est, nescientis modum. Hoc conuiuium, & idem magnum, à Matthæo appa-

Apostoli etiã post ascensionem Domini temporalia mensuerunt.

tum Christo, priusquam à suis ille abscederet, & eis ualediceret, signum est, quod non animo tristi, sed cum gaudio Matthæus Christum est sequutus. Conuiuium enim esse soler gaudij signum ac symbolum. Atque ita comparatum est, ut per conuiuia lætitiarum nostram exprimamus. Vnde Matthæus significare uolens, se cupidissime & hilarissime hanc uocationem amplectari, conuiuium instruit, & id magnum. Ad hunc modum suum animum erga Christum ac suam lætitiarum explicabant Martha & alij. Hinc est, quod Isaias, 66. cap. seculi futuri lætitiarum & gaudij exprimere uolens, hoc conuiuandi symbolum utitur. Id quod etiam facit Christus Luc, 22. cap. dicens, Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Atque hæc gratia est Domino hoc Matthæi conuiuium, in quo dignatur conuiuari. Nam si gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente magis quàm supra nonaginta nouem iustis, quo putas gaudium Christum hic apud Matthæum conuiuari, qui propter peccatores in hunc mundum uenerat? Obserua: Cõsolatorium est, audire & uidere Christum inuitari à publicano & peccatore, & non grauari, sed delectari uenire & ingredi domum inuitantis. Quod Dominus in aedes Matthæi uenit, quod accumbit, & cum ipso conuiuatur familiarissime, significat Matthæum peccatorem prorsus sibi gratum esse, sic, ut ipse iam prorsus sit illi amicus, nec metuendus, sicuti iudex seuerus: sed colendus amandusque, sicuti pater benignus & sanctus. Obserua, Matthæum sua omnia reliquisse, priusquam fecerit Christo conuiuium. Quo docemur, neminem posse Christo facere conuiuium, qui sua nondum omnia reliquerit, hoc est, seipsum abnegauerit. Quod si rogaueris, quomodo Christo apparabis conuiuium, cùm in cælis sit, & iam nihil horum, quæ in culina nostra apparantur, comedat? Profectò rectè apparabis illi, & tuo delectabitur conuiuium, si teipsum abnegaueris, & illi teipsum consecraueris corde bono, fide uiua, & charitate non ficta. Responsabis: an hic animus, sic apparatus, sit illi conuiuium? Est certè. Audi hunc præsentem Samaritana peccatrice discipulis respondentem, Ioan. 4. Meus cibus (inquit) est, ut faciam uoluntatem patris. Iam quæ est illa uoluntas patris? Ioan. 6. Ut qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Si uis ergo hodie Christo parare conuiuium, crede in illum, hoc est, illi adhærescito & totum te illi consecrato, tanquam filio Dei, & unico saluatori. Ad hæc poteris & illum cõuiuio etiam corporali excipere, si feceris, quæ ille te hortatur ac monet. Matthæi, 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et, quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Quare posteaquam à Deo uocatus es, & ipsam sequeris, nimirum habens remissionem peccatorum, consolationem aliquam spiritalem, aut simile aliquod beneficium, agenda sunt gratiæ Deo hilariter & alacriter. Hoc gaudium exprimes, si Christo apparaueris conuiuium. Hoc autem ut facias, excipe Christum conuiuium: hoc est, uoca pauperes, afflictos, esurientes, & huiusmodi, in quibus Christum certissime pascas. Nam hi testimonium Christi habent, quod illius uicarij sunt. Proculdubio si nostræ uocationis gratiam agnosceremus, nec tam tenaces ac diffidentes essemus, semper Christum conuiuium exciperemus, cum ipso conuiuaremur, & omnia nostra non pluris quàm stercora propter ipsum existimaremur.

Conuiuium, lætitiarum symbolum.

Christus, habens conuiuium Matthæi interfuit.


Relinquit se itaque omnia, qui Christum uult accipere conuiuium. Animus ritè Deo dedicatus, dignum Christo conuiuium.

Qui agit gratias, & charitatem operibus exercet, Christum habet conuiuium.

Et uidentes Pharisei, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?

Hic locus, & quos cum Christo uocauerit Matthæus, & quale fuerit ingenium Pharisæicum, manifestat. Ad conuiuium præter Christum Matthæus multos sui ordinis homines uocauit, publicanos & peccatores, quos exemplo sermonisque suo pettraxerat in admirationem & amorem Iesu. Qua in re iam cœpit suo munere apostolico fungi, quod est uocare & adducere peccatores ad Christum, ut cum ipso conuiuarentur. Marcus 2. & Lucas 5. Scribas Pharisæis coniungunt, hoc est ho-

Matthæus ab ipso statim uocationis sue initio, ministerio uerbi incubuit.





mines, qui cum scientia scripturarum uitæ religionem coniunxissent uidebantur, eoque nomine populo insigniores erant. Qui cum liuore & inuidia pleni essent, & gloria Christi inuiderent, captabant undique calumniandi materiam: totique in hoc erant, ut uel uerba uel facta Christi culparent. Nocebat enim ipsis lux Christi, quod ipsorum hypocrisim detegeret, & absconditam impietatem reuelaret. Istorum namque in primis studium erat, ut Christi uitam, si possent, carperent, & apud populum traducerent. Vnde subinde, cum non aliud possent, ipsum uiolati sabbathi accusabant. At quia nihil procedebat hæc calumnia, reluctante miraculorum splendore, ut scribitur Ioan. 9. cap. quod huic propinquum erat, adferunt, & tanquam peccatorum socium culpant & accusant. Hoc enim peculiare est inter homines, ut quis duobus modis malè audiat. Primo, si quid ipse mali fecerit: altero, si ipse per se non malè fecerit, tamen sese malis coniunxerit, illisque familiaritatem sese exhibuerit. Obseruantes itaque Christum, uiderunt illum cum publicanis & peccatoribus comedere, unde calumniam illi struebant, qua traducerent illum populo. Sed uide, dum suæ maleuolentiæ conscij essent, pudore quodam ducti Dominum coram monere nolebant, ipsumque interpellare non audebant, ne quod nolent, audirent. Vnde apud discipulos seuebant, quos à Domino (quæ proscindebant) auertere conabatur. Nam apud Lucam legimus illos murmurasse aduersus discipulos, atque dixisse, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis: Quod aliud non est, quàm quod & hoc loco & apud Marcum legimus, de Domino istos conquestos fuisse. Et licet uideretur communis culpa, tamen Dominum calumniabantur, ut eius culpæ autorem. Nam si zelo iustitiæ moti fuissent, Dominum monuissent. Sed hoc peculiare est hypocrisis, ut bonis obtrederet, & malos non corrigit. Caritas uerò malos corrigit, & bonos prouehit. Quare, inquit, Magister uester, cui uos hæretis, ut eximie sancto, conuiuium agit cum publicanis & peccatoribus: his non solum se simpliciter iungit, sed etiam cum illis bibit & comedit, quos nos, ut abominandos, uitamus. Desciscite à magistro uestro, ut uero peccatore. Nimirum pares cum paribus facillè congregantur: & tales ferè redduntur, quales sunt hi, quibuscum uiuimus. Magister uester non solum consuetudinem habet cum peccatoribus, sed etiam conuiuatur: est ergo ut peccator habendus. En habetis præceptorem, publicanorum amicum, nimirum uita illorum grata est ipsi: ergo non est amicus Dei. Quod si Dei & legis amicus esset, non amaret istos impios & contra statuta Dei uiuentes. Cum itaque uita ipsorum ipsi non displiceat, manifestum est, quod ipse quoque malus sit. Similes enim similibus gaudent, nec potest fieri, ut homini probo placeant improborum instituta. Iam uidete, quem sequamini, hominem peccatorem, & publicanorum amatorem. Et quos deseratis, nimirum uiros sanctos, Scribas & Phariseos, Dei & legis cultores. Si hic ex Deo, & amicus Dei esset, ut uobis persuasit, neque horum improborum uita oblectaretur, neque hos amaret: sed detestaretur & fugeret ipsorum consortium, iungeretque potius se Scribis & Phariseis, legem custodientibus, & Dei cultoribus. Iam uobis compertum est, quomodo nos legis cultores fugiat, nos infestetur, nobis sit infensissimus, & amet istos peccatores & publicanos. Sequatur illum, qui Deum non amat, qui perire cupit: nos fugiemus hunc hominem, peccatorum socium & amicum. Non enim potest ex Deo esse, qui tãto perè illis deseruerit, quorum tota uita Deo repugnat. Iam nunc uidete & perpèdite, quos deserueritis, & quem sequamini. Magno certè uobis comparatis longum poenitere: sed tandem sapietis. Sed quemadmodum Satanæ faciebat Euæ, mandatum Dei culpando, dicens: Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno, &c: Genes. 3. ita & hæc faciunt isti. Non enim in hoc sunt, ut si quid malè gestum esset, emendaretur: sed toti in hoc sunt, ut Christum populo traducant. Occultè quidem discipulos culpant quæ talè sequerentur magistrum: sed aperto ore Dominum damnant. Quasi

Phariseorū  
inuidia in  
Christum.

Duabus de  
rebus quis  
audit male.

Pharisei, Sa-  
tanæ discipu-  
li.

Quasi dicant, Culpandus est hic uester præceptor, quæ uos seducat suo malo exèplo. Vide Satanæ astutiam, quomodo simplicibus imponat. Nouit enim, quæ facillè suscipiant homines calumniã aduersus alios, dummodo illa non tangatur. Obserua. Pharisei & Scribæ Christo non loquuntur. Cur? Quia timet ceu ferui. Est certè timor, fidelis comes hypocrisis. Rursus aduerte: hoc cõuictu Christi cū peccatoribus mirabiliter scãdalizantur Pharisei, qui peccata & peccatores secundum legis literã ode- rant, & hæc omnia Christi opera in sinistram opinionem & sententiam interpretantur. Contra autem legem quod sit, mouet pius iustissimam (ut ratio humana seu caro dicitur) causam indignandi. Sed faceffat hinc & ratio & omnis caro cum uniuersa hypocrisis. Hypocrisæ enim carent lumine uiuæ fidei: ergo nihil uident, nec purè iudicant de rebus diuinis. Non intelligunt gratiam Dei: ergo non glorificant Deum, sed seipfos mirantur, & sese iustissimos esse arbitrantur, omnesque alios præ se contemnunt. Homo enim non cognoscit ea, quæ sunt spiritus, 1. Corinth. 2. Maleuolus est istorum Scribarum & Phariseorum animus: qui quæ bona sunt, uel quæ certè mala in se non sunt, ad malum interpretantur, ideo non poterat in ipsos introire sapientia. Quemadmodum confidenter ipsis dixit Christus Ioan. 8. cap. ostendens suæ doctrinæ certitudinem, & uitam suam inculpabilem, Quis ex uobis (ait) arguet me de peccato? Ad hæc tam manifestè illos arguebat, ut uel cæcis ipsis manifesta essent ipsorum mala. Reprehendebat enim ipsorum hypocrisim, fastum, auaritiã, immisericordiam, proculcationem mandatorum Dei, Matth. 15. uastationem templi, & domus Dei, spoliationem uiduarum, Matth. 23. & pleraque alia, quorum nihil tamen emendabant, sed obstinatius fiebant: & quicquid Christus operabatur, in malum interpretabantur. Sed cum agnoscerent, etiam inuiti Christum esse inculpatae uitæ, & doctrinæ irreprehensibilis, poterant apud se meditari, & uerè dicere, Cum homo hic, ut uerè est, sit inculpatae uitæ, & comedat cum publicanis & peccatoribus, non animo malo id facit, imò ne facere quidem potest, quandoquidem ea est uitæ innocentia, ut nullius peccati argui possit. Vnde conuiciendum est hunc conuictum esse ad aliquod bonum, & sub eo aliquod boni latere. Sed istorum ea erat infania, ut etiam candida in nigra uerterent, imitari magistrum suum Satanam, qui, quod bene erat à Deo præceptum, malè interpretabatur, ut paulò antè diximus ex Gen. 3. ca. Sicut & ille, homicida ab initio, timorem Dei, quem Iob habebat, coram Deo, in malam uerterebat partem, dicens, Iob, 1. cap. Nunquid frustra Iob timet Deum? Quasi dicat, Quia illi benefacis: uallasti enim uniuersam substantiam eius per circuitum: ideo te obseruat & timeret, aliter facturum, si tu aliter feceris. Age ergo extende paululū manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, & uidebis, quid sit facturum. Huius ergo Satanæ simiæ dicuntur, qui, quod bonum est, sinistrè interpretantur. Colligamus ex his. Euangelium mouet scandalum Iudæis, id est literatoribus, & qui propria nituntur prudentia. Et stultitia uidetur esse Gentibus, id est, Epicureis & Atheis. Illi furiant contra ipsum, tanquam contra summam pestem: isti rident, tanquam uanam & ociosam opinionem hominum. Illi putant esse blasphemias: isti putant esse fabulas, quod credant animam simul cum corpore interire. At mater Ecclesia (quam pij omnes suspiciunt & pro matre habent) transit per medium illorum, & dextra aure blasphemias, & sinistra fabulas eorum contemnit, & uiuit in ueritate fidei uiuæ, qua Deum colit sine blasphemis & fabulis. Hoc loco obseruemus, quomodo Christus ibi sedet, lætus inter publicanos & peccatores, tanquam socius peccatorum, dum Pharisei circumstant, rugantes frõtem, ringentes, indignantes, iudicantes, damnantes, &c. nihil legis, nisi literam spectantes, contra eum qui sub lege non est, nec esse potest, & omnes à lege redimit, insaniētes. Rursus aduerte hoc loco declaratam Christi bonitatem, quæ non solum oblatos curat, ut paulò antè uidimus de paralytico, sed etiam anteuertit, & ultro peccatores ad se conuocat,

Satanæ astu-  
simplicescan-  
ptantis.

Hypocrisæ  
falsò odertit  
uita, & ferio  
uirtutes.

Hypocrisæ  
graphice de-  
picti.

Vitia Phari-  
sæorum quæ  
Christus tra-  
duxerit.

Satanas, ma-  
lignus inter-  
pres.

Euangelium,  
Iudæis scan-  
dalum, Gen-  
tibus stulti-  
tia.

Christi boni-  
tas, ultro ad  
se nos uocã-  
tis.



ut Matthæum, & hos, quibuscum conuiuatur. Cur ita? Ut spem & fiduciam nostram confirmet. Quia in re duplex beneficium Christi obseruandum est. Alterum est condonatio delicti, alterum euocatio è medio cursu delicti. Obserua: dura Scribæ & Pharisei reclamant aduersus bonitatem Christi erga peccatores, ostendunt uerissimum esse, quod meretrices & publicani præcedent eos in regno cælorum. Obserua: Non iidem sunt publicani & peccatores, sed diuersi, quos tamen sæpè coniunctos reperimus, ut hic: & Luc. 7. uocant Pharisei Christum, amicum publicanorum & peccatorum, &c. Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores. Vnde apparet eos diuerso inter se fuisse instituto. Dicuntur publicani, nõ publici peccatores, quemadmodum imperiti interpretantur, sed publicorum uectigalium, tributorum, censuum, & aliarum id genus rerum exactores & collectores: Græcis dicuntur *πλωτοί*. Atque inter Iudæos quidem hoc genus hominum pessimè audiebat, & connumerabatur inter extremè sceleratos ac flagitiosos. Amicus (inquiunt) est publicanorum & peccatorum. Romani uictis gentibus, publica tributa imposuerunt, quæ annuo censu elocârunt personis dignis, & plurimis, ut autor est Cicero. Sic Iudæos, gentem liberam, mira pertinacia temporale super se imperium recusantem, grauârunt. Vnde Iudæi uidebantur de publicanis ad hunc modum iustissimè iudicare. Primò, quia existimabant iniquissimum esse, quod Romani exigent ab ipsis tributa, uectigalia, & alia reipublicæ onera. Sentiebant enim se, quia populus Dei essent, diuino iure liberos, & nulli extraneo ac ethnico regi subiectos esse debere. Quare iudicabât hos Iudæos planè impios, & patriæ suæ proditores, qui à Romanis officium colligendi uectigalia & tributa redimebant, ac Romanam, ut ipsi loquebantur, tyrannidem sua opera adiuuabât. Deinde habebatur odio etiam publicanorum ordo hoc nomine ab hominibus, quod id genus hominum, crudeli sua avaritia plus ferè à ciuibus & inhabitatoribus eius regionis exigebat, quàm à magistratu constitutum erat. Propter hominum igitur iniquitatem, sentiebant Iudæi hypocritæ, etiam ipsum publicanorum ordinem iniquum & impium esse. Sed apud Romanos, & eos qui de ciuilibus hominum ordinibus non iuxta personarum uitia, sed iuxta ipsorum ordinum ac statuum naturam iudicant, longè alia erat opinio de publicanis. Vocantur publicani à Cicero ne in oratione pro lege Manilia, homines & ornatissimi & honestissimi. Neque sanè minoris hodie habentur etiam apud Christianissimos, si titulum spectes. Huic muneri & Matthæus genere Leui, à Romanis suscepto, præfuit: sed ex tali in Euangelistam mutatus est. Cæterùm scriptura interdum peccatores uocat, quorum totus animus malis sese dedit, non qui quouis modo peccatis obnoxij sunt, sed qui tam perfrieta fronte ita sese peccatis addixerunt, ut inde meruerint cognomen, qualis erat illa in ciuitate peccatrix. Et hoc nomine Gen. 13. Sodomitæ &c. Reg. 15. Amalechitæ, peccatores uocantur. Putauerim eos dici à Iudæis peccatores, qui ab ipsis excommunicati fuerant, tanquam infames, ob aperta forsân scelestia: aut eos, qui dissolutiori uita imbuti, quibusvis communicabant Gentibus & publicanis, id quod Phariseis magni peccati loco erat. Verissimile est multos Iudæos Gentibus sese associasse, & ritus legis & traditionum paternarum parum curasse. Idcoque eos à reliquis peccatores cõmuni & publico probro fuisse appellatos. Dauid primo psalmo non alios peccatores, quàm quos & improbos, scelestos atque flagitiosos uocat. Aliàs scriptura etiam peccatorem exteriorum hominum impium uocat, non secundum externa facta solùm (de quibus tantùm mundus iudicat) sed etiam secundum cor.

At Iesus audiens ait.

Cùm Scribarum & Phariseorum sermonem Iesus excepisset, pro discipulis ad huc infirmis patronum agit, cum omni mansuetudine, docens Euangelij præco-

Publicani & peccatores, non iidem.

Publicani, qui.

Iudæi Romanorum iugum iniquissimo animo ferebant.

Publicani quare Iudæis, & hodie uulgo inuisi.

Aduersus eos, qui ordinem & conditionem dant propter eos, qui in ordine perperâ uiuunt.

Peccatores, qui in Euangelio.

Peccatores Iudæis, qui.

Peccatores à Dauide qui uocati.

nes non inquinari conuictu peccatorum, quibuscum non alio animo agunt aliquando consuetudinem, nisi ut illos allecēt ad bonam frugem, & quatenus hoc congressu illorum morbis mederi liceat. Et hic est piorum scopus, dum cum peccatoribus uersantur. At Pharisei non uitant publicanos & peccatores ne malis illorum inquinentur, sed ut ipsi, cùm sint publicanis deteriores, apud homines habeantur sancti. Obserua: ut ut Sycophantæ & uersipelles fuerint Scribæ & Pharisei, histamen aliqua ex parte agere debemus gratias: quod occasione huius calumnie audierunt è Christo tria (sic enim uocare libet) apophthegmata, ut diuinitissima, ita doctrina pietatis & consolatione plenissima, ac perpetua memoria dignissima: nec aliter conseruanda, quàm margarita, uniones & reliquæ sanctissimæ. Et quemadmodum supra, autoritas remittendi peccata hominibus data, non tam potenter probata fuisset, nisi Phariseorum & Scribarum improbitas Christum stimulaffet: ita sanè & hic, occasione ipsorum tres egregias & aureas sententias Christus pronuntiauit. Rursus obserua: Tamen si Christus agnosceret hoc suo responso Scribas & Phariseos nihilò meliores fore, dignatur tamen respondere propter discipulos, ne scandalum paterentur: & obuians murmuri Phariseorum, facti sui rationem reddit, ut hoc exemplo nos subinde aduersariorum calumniis propter auditores uerbi, obuiemus, etiam si cognouerimus huiusmodi sycophantas in sua sententia per mansuros, maximè eos, quos spiritus inuidiæ aduersus ueritatem exagitat. Rursus obserua ex hoc loco: quod magis aduersarij ueritatem extinguere moliantur, eò magis illa ac magis illucescit. Aduerte hoc responsum ualde consolatorium pro omnibus peccatoribus, quorum causam suscipit Christus defendendâ.

Non est opus ualentibus medicus, sed malè habentibus.

Quia accusatio hæc à Phariseis facta non uergit in priuatam personam, sed in officium Christi publicum, & illi à patre diuinitus traditum, Christus generali ac prouerbiali sententia utitur, sumpta à conditione uitæ seu officio suo: ut, Ego medicus sum: ergo decet me infirmorum curam agere. Officium meum est, mederi infirmis. Quid ergo mirum est, me edere cum illis? Ego ueni propter peccatores: ergo iustum est, ut illos mihi associem: uersus ad Phariseos (qui sibi iusti uidebantur, cùm essent præ cæteris peioribus uitis infecti) suum & Matthæi amici sui factum defendit, manifestissimè demonstrans gratiam Dei pertinere ad omnes peccatores respiscentes. Nam gratiam Matthæo communicatam extendit ad omnes peccatores, cùm dicit, Non est opus ualentibus (inquit) medicus, sed malè habentibus. Quasi dicat, Ideo uersor cum publicanis & peccatoribus, quia medicus sum animarum, & salutem humanam sitio. Quorsum autem attinet uersari cum iustis, quales uos uobis uidemini, cùm illis medico non sit opus? Reum me peragitis, quod uobis relictis cõiungam mihi publicanos & peccatores. Quid? Arguetis ne etiam, si medicus ad ægrotos ueniens, sanos deserat? Minimè. Quid enim apud sanos faceret? Hæc sententia, Non est opus, &c. ætiologia est conuersationis Christi apud peccatores, ad quam adducta argumenta, Ego medicus sum, ergo agam apud infirmos, & cætera, apud Rhetores sumuntur à uitæ genere, seu officio. Antecedens suas uires habet ex communi sententia. Porrò hæc suauissimâ afferunt cõsolationem peccatoribus, terrore damnationis & desperatione afflictis, dum cognito peccato, & peccati supplicio despondent animos, putantes se à Deo derelictos, & abiectos, & Christum ad se non pertinere, ipsumque in afflictionibus non adiuturum, nec in morte seruaturum. Quare non audent in Christum credere, in nomine Christi patrem inuocare, conciones audire, sacram Eucharistiam recipere, iam huic timori ac propemodum desperationi Christus medetur, dum hoc dicto, Non est opus, &c. profiteretur se publicum medicum, sed longissimè à corporalibus medicis distantem. Nam hi corporibus tantùm remedia admo-

Pij quare est impijs habentant consuetudinem.

Phariseis nihil debemus.

Respondet Ecclesiastes aduersariorū calumniis.

Veritas agitata illustratur.

Christus peccatorum patronus.

cõsolatio infirmarum & afflictarum conscientiarum.

Christus, me dicit, sed longè alius, atq; cæteri alij.



uent: ille autem medetur animis & consciētis. Hi interdum corporalem uitam aliquot horis aut annis medela sua proferunt: ille uitam in perpetuum profert iis, qui remedia eius accipiunt. Hi non nisi accepta aut certò sperata mercede medicantur: ille autem gratis, & non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum magnam suam misericordiã saluos nos facit. Atque id mirabiliter & præter ordinem ac methodum medicorum corporalium, nimirum qui propter iniquitates nostras vulneratus est, ut vulnus peccatorum nostrorum suo vulnere sanaret, morte sua mortem nostram tolleret, & uitam donaret. Hi medicantur herbis mane uiuentibus, uesperis arescentibus: ille medicatur uerbo Euangelij, quod in æternum uiuet & floret. Hi nonnũquam aut inscitia, aut errore, aut ignauia, ægroto exitium adferunt: ille tam doctus medicus est, ut omnia morborum & remediorum genera exactissimè cognoscat: tam prudens, ut nõ possit falli: tam sedulus, vigil ac promptus, ut, iuxta prophetam, psal. 32. Oculi eius semper super metuentes ipsum, & in eis qui sperant super misericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et Isaiæ 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. Hæc sunt, quæ aperte docent, quàm non debeamus despondere animos de medico, qui possit conscientias nostras sanare. Et quò quis magis animo ægro est, eò certius confidere debeat hunc medicum Dominum nostrum Iesum Christum ad se pertinere: tantum absit, ut propter animi egritudinẽ & peccata, non audeat ipsum inuocare. Quis enim hunc non iudicet infirmum magis insania mentis, quàm morbo corporis laborare, qui de aduocando medico admonitus, diceret, Non audeo medicum uocare, quia ægrotus sum? quandoquidem hæc præcipua causa est, propter quam admo-  
netur, ut medicum uocet: Ita quis non sentiat hunc peccatorem furere, qui de inuocando Christo admonitus, respondeat, Non audeo, quia peccator sum? quandoquidem ob hanc causam Christus inuocandus est, & se inuocari iubet: Venite (inquit) ad me, omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hoc præceptum omnem timorem seruilem potens est pellere, si uis. Esto igitur bono animo, & promissis Christi medici adherescito. Obserua: Christus, qui pro merito generis humani poterat uenire, ut iudex, & damnare, ecce uenit ut medicus. Iam quis infirmorum & sanitatem desiderantiũ fugit, & non magis expetit medicum, qui neque aurum neque pecuniam, sed tantum ægrotorum animos petat? Huic nõ absimile est, quòd Christus Ioan. 6. cap. se uelut panem e celo descēdisse testatur, alludens ad esurientes & famelicos, quibus nihil gratius esse potest cibo. Non absimile item est, quòd se dicit lucem, similiter & uitam, uenisse sedentibus in tenebris, & in umbra mortis, quibus nihil foelicius luce & uita contingere potest. Rursus aduerte: Consolatorium est, quòd filio Dei peccatum pro infirmitate, quam curare uult, & peccatores, quibus cupit mederi, pro ægrotis habeantur. Vnde singulari comparatione peccatores uocat male habentes seu infirmos, quòd peccatũ ipsos male habeat & premat, ueluti morbus ipsum corpus. Atque ut sanitatis recuperandæ gratia currendum est ad medicum: ita ad salutem consequendam, currendum est ad Christum, qui, nisi uocati ad illum cum desiderio consequendæ salutis curramus, non curabit. Quare obnixè orandus est, ut timore Domini qui uelut theriaca quædam est aduersus morbum peccati, & amore iustitiæ, qui desiderium est salutis, donet nos. Id quod profectò faciet, nimirum medicus ut doctus, ita bonus & munificus, nihil magis optans, quàm ut nos totos sanet, tantum absit, ut nos contemnat. Si ergo is, qui peccatum non fecit, & peccati omnino nescius est, condoleat peccatoribus, quantò magis huic pio operi studere debemus, qui & ipsi peccatores sumus? Obserua, Christum in his uerbis, Non est opus, &c. philosophari, id est de natura rerum loqui, & eam philosophiã optimè applicare

Christus quæ-  
tus medicus.Aduersus pu-  
sillanimitatẽ  
& diffiden-  
tiam.

Infr. 11.

Christus ue-  
nit ciuis,  
Lux,  
Vita.Peccator, æ-  
grotus, pecca-  
tum, morb?

ad propositum, hoc est, ad rectum usum philosophiæ cœlestis, & diuinæ, hoc est, ad religionem seu fidem, quæ per charitatem operatur. Rursus obserua: nomine sanorum intelligi possunt turgidi propria sua iustitia, nolentes agnoscere se infirmos esse, cum tamen omnes peccauerint, & egeant gloria Dei. Hi Dei iustitiam ignorantes, suam constituere adnituntur, quales impij isti Pharisei & innumeri Israëlita erant, ut liquet Rom. 8. Malè habentes, nudi sunt peccatores, qui sentiunt se egere medico Christo. Aduerte: Hæc sententia, Non egent, &c. generalis est, & experientia probata. Colligamus ex superioribus pollicitationem quandam, qua Christus peccatoribus omnibus commendat benignitatem.

Sani:

Malè haben-  
tes.

Euntes autem, discite, quid est, Misericordiam uolo,  
& non sacrificium.

Scribas & Phariseos remittit Christus ad locum Osee, ca. 6. ubi legimus prophetam conqueri, quòd cum fide omnis simul humanitas atque beneuolentia in populo Israël interisset. Nam populus Israël enormiter sese per idololatriã polluerat, & à Deo suo defecerat. Deus tamen eos ad resipiscentiam uocabat, & à perditione seruabat: interim uerò populus cum idolis scortabatur, arbitratus se optimè Deo placere per multitudinem uictimarũ & holocaustorum, ita seductus per pseudopphetas, & auaros Scribas ac sacerdotes, quasi Deo placerent hostiæ pecudum citra fidem & charitatem, quas tamen Deus ante omnia requirit. Prophe-  
ta igitur pro suo more diu conquestus, inuitat ad resipiscentiam, & uaticinatur per Christum breui, ut fidem, ita & charitatem ueram restituendam. Misericordia (inquit propheta) uestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiẽs. Quibus uerbis certum est reici confidentiam, quam habebant in oblationes & holocausta, neglecta interim uera resipiscẽtia. Simulque his significare uoluit, quòd postquam nacti essent uiuam fidem, & per resipiscentiam ad Deum essent conuersi, benè illis faceret Deus, simul & in omnis quoque benefici essent: atque orbem fecundarent, cum doctrina tum exemplis uitæ sanctioris, sicut ros agrum. Hæc ceperat impleri tempore aduentus Christi, quo ut aderat regnum Dei, ita derelictis caremoniarum umbris, præcipua ac summa ueritas mutæ dilectionis omnia consummantis (qua sola rectè Deum referimus) obtinere debebat. Phariseis itaque in caremonis istis externis plus æquo curiosis, & solidam iustitiã plus nimio negligentibus, cum idem facerent, quod maiores ipsorum tempore prophetæ Osee, nimirum errantes & seducetes, imò ex pietate quæstum facientes, dum omnem cultum Dei in sacrificia solum externã transferrent, quibus non delectatur Deus, Isaiæ, 1. cap. Hierc. 7. & bonitatem ac misericordiam in iuuandis aliis negligerent, quam unam exigit Deus, magis cupiens salutem peccatorum, quàm holocausta, & pecudum sacrificia, dixit Christus: Quin potius ite, & discite, quid sit illud, misericordiam uolo, & non sacrificium. Quasi dicat, confiditis in sacrificiis uestris pecudibus, & in sacrificiis uestris arbitramini uos placere Deo, & interim erga proximos estis immisericordes: sed ite, & discite, quid sit illud, &c. Mihi non creditis? uel prophetis credite, quorum sepulchra ueneramini. Cur hos peccatores aded contemnitis, ipsis multò sceleratiores? quid sumendo cũ his cibum, aded contaminari sanctimoniam putatis? Si ea uoluntas Dei est, ut uestris nõ oblectetur sacrificiis, sed misericordiam uelit, cum primores sitis (ut uobis uidemini) & quasi pastores in populo, medici, infirmorum curam habentes, & misericordes erga miseros: cur bene moneti prophetæ non obeditis? Verum non solum nõ hoc facitis, sed & contra misericordiam exercentem obmurmuratis, & illum calũniamini. Externæ usque sanctitati studetis, missam facientes charitatem & misericordiam in proximum. Præstaret certè, ut legem, quam tantoperè iactatis, & cuius professores uocamini, tandem propius inspiceretis, & quodnam tempus uobis ad-

Fides & cha-  
ritas p Chri-  
stum restitua-  
ta.



uenerit, perpenderetis. Nam tempus uenit, & nunc est, ut uerus Israël non his ex-  
 ternis uestris caremoniis & sanctitate sese uendit: sed sicut nubes matutina (ait  
 misericordia hominis, ubi & rori matutino simili-  
 uerter Oseas) & ros mane cadens fecundat agros, ita Christus humanum genus,  
 uera misericordia & beneuolentia perfundat. Iam demum uerè pij legem mētē-  
 que Domini cognoscent, qui misericordia semper præ uestris sacrificiis, hoc est ue-  
 rum studium benemerendi de quibuslibet (quo sancti seipos Deo hostiā offerunt)  
 præ uictimis pecudum uoluit atque probauit, & scientiam Dei, nimirum solidam  
 fidem, efficacem per charitatem huc impellentem, omnibus holocaustis pluris fe-  
 cit. Hunc locum uestri prophetæ si intelligeretis, non contemneretis hanc miseri-  
 cordiam meam, & beneficentiam & benignitatem, qua ego meipsum demitto ad  
 fordes horum peccatorum, ut ipsos abluam, & ad meliorem mentem reuocē. Hęc  
 humanitas erga hos miseros non uos offenderet, neque ipsam fastidiretis, quod  
 ipsam agnosceretis hostiam esse Deo gratissimā. Mittite igitur hoc supercilium,  
 tollite hanc libidinem dammandi quiduis. Sed date operam eidem misericordiam,  
 addicite uos simili beneficentiæ, Deo patri gratissimæ. Obserua: uidetur Christus  
 multò minus, quàm par sit, obseruare ac reuereri (si ad mundum respicis) magnos  
 doctores Scribas, & summè religiosos Phariseos. Neque enim modico illos rubo-  
 re suffundit, eo quod haberēt scripturarum expertissimi, dum imputat illis scri-  
 pturæ ignoratiam: Ite, inquit, & discite. Tolerabile erat, si Scriba id dixisset ido-  
 ta: sed quod, qui habebatur idiota, id dixerit doctissimis Scribis, hoc profectò ip-  
 sos malè habebat, quemadmodum Ioannis, 9. dicebant ad eum. In peccatis na-  
 tus es totus, & nos doces. Neque dixit, ite, & legite locū illū Oseæ. Quasi diceret,  
 Scio uos frequēter legisse locū illū, sed nō diligēter perpēdistis. Non fatis est, quod  
 legitis, & uerba numeratis, sed discēda est mēs Dei, & sentētia in uerbis Dei & scri-  
 pturæ: Legere enim & nō intelligere, negligere est. Rogabis, Cur non potius illos  
 docuit sensum illius loci, quā aliud remisit. Primò, quod in tantū liuore acti erāt,  
 ut ipsum sequeretur, nō ut discerēt, sed ut ipsum carperent. Adhęc aded erat ip-  
 sius prophetæ apertus (si uoluisset) sensus, ut ad eorū confusionē dixerit, Ite & disci-  
 te, &c. Cōuenite in unū, & perpēdite, quod dum accūbo cū peccatoribus, impleo  
 prophetiam ab Oseā prænuntiatam. Obstabat igitur obstinatio, cecitas, & perti-  
 nacia ipsorum, ne illis locum illum aperiret, cū tamen aliàs ultrò offerat, ut in-  
 frā, 11. cap. Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde. Et Luc. ultimo in-  
 tellectū aperuit discipulis, ut scripturas intelligerent. Vnde cognoscere possumus,  
 qui sunt illi, qui nequeunt esse Euangelij discipuli. Nimirum qui in primis sibi in  
 magistratu applaudunt, ac seipos pro magistris haberi gloriantur, uoluntque a-  
 liorum doctores esse, dum tamen à quoquam doceri non sustinent. Deinde rei-  
 ciendi sunt, nec dicendi ueri auditores Euāgelij, qui nulla alia ratione doctrinam  
 ueritatis subinde audiunt, quàm ut illam carpant. Vnde non absre dictum est à  
 Christo, Patri, quod doctrinam hanc ueritatis abscondisset à sapientibus & pru-  
 dentibus huius seculi: & reuclasset illam paruulis, Matthæi. 11. capite, ac cibi  
 huius appetentibus. Obserua: uocula, uolo, attentos reddit auditores, & ex-  
 citat ad audiendum, quid est, quod magnus Deus noster uelle se dicit, ac quæ  
 sit uoluntas illius, qui omnia habet in manu, in quo omnis nostra salus sita est,  
 qui uitæ & necis potestatem habet, qui & saluare & perdere potest. Hęc uox, uolo,  
 & ex animo cupio, ut omnibus modis certi sumus de Dei beneuolentia & com-  
 placencia. Quod si studiosissimi sumus intelligere ac cognoscere alicuius principis  
 uoluntatem, ut ipsi placeamus & gratificemur, cū tamen nihil sit uolubilius ac  
 incertius uolūtate illius, nimirum hominis (prauum enim est cor hominis, Hier.  
 17. & inscrutabile, & quis cognosceret illud?) quantò magis studendum est, ut Deo  
 placeamus, cuius certa est & nobis cognita uoluntas, tum per prophetas, tum per

miseri-  
cordia  
hominis,  
ubi & rori  
matutino  
simili-  
lis.

Iudæi legis  
sue uocem  
arrodunt tā-  
tūm, nucleū  
non edunt.

Christus  
non aperuit  
semper Iu-  
dæis sensum  
scripturæ.

Discipuli  
Christi qui-  
nam esse non  
possunt.

Uolo, quid,  
quæ Dei est.

Uolūtas Dei  
summo perē  
discenda, ut  
illi gratifice-  
mur.

filium Iesum Christum, qui est in sinu patris, & nobis illam reuclauit, dicens, Mi-  
 sericordiam uolo, &c. Ut enim non agnoscamus uoluntatem hominis, nisi uerbo  
 hominis: ita nec uoluntas Dei sine uerbo Dei. Est autem Christus uerbum Dei.  
 Audito Christo auditur uoluntas Dei, cui me totum consecrans, & conformem  
 reddens, placeo gratūque sum & acceptus Deo. Proinde Christus uoluntatem pa-  
 tris & suam hoc loco explicat, ut intelligas, quid ipsi gratum & acceptum est, ut  
 nullus sit excusationi locus prætextibus se nescire, quomodo colendus sit Deus.  
 Colitur misericordia & beneficentia: hęc est uoluntas eius. Volo (inquit) miseri-  
 cordiam. Huc pertinent loci illi, Ioan. 6. Hęc est autem uoluntas patris, qui misit  
 me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Rom. 10.  
 Idem Dominus omnium, diues in omneis qui inuocant eum. 1. ad Thessal. 4.  
 Hęc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Porro quemadmodum Dominus  
 urget misericordiam contra summa opera totius Synagogæ, etiam in Mose ordi-  
 nata, scilicet sacrificia. Ita & hanc urgere debemus contra nostra opera, quæ uacua  
 sunt fide & charitate. Ex Augustino lib. de ciuitate Dei. 9. cap. 5. & aliis sacris do-  
 ctoribus uidetur misericordia esse alienæ miseræ quædam in nostro corde com-  
 passio, qua utique, si possumus, subuenire compellimur. Siue, ut testatur Cicero,  
 & experientia docet, est animi dolor & ægritudo de alterius concepta miseria, ad  
 succurrendū illi propensū. Hęc definitio priori consentiens, explicat, quis sit mi-  
 sericordiæ usus. Benefacere proximo in suis miseris seu necessitatibus. Qui sunt  
 miseri & necessitatibus subiecti: Omnes homines, quando in hac ualle miseræ  
 peregrinatur. Atque tot misericordiæ officia sunt, quot necessitates proximi. Qui  
 & in una necessitate multas reperies misericordias. Verbi gratia, qui peccato labo-  
 rat, & in eo sordescit, uenit docendus, monendus, arguendus, tolerandus, con-  
 solandus. En uides aliquot misericordias in una necessitate. Similiter qui tristitia,  
 morbo, aut alio corporali defectu laborat, iuuandus est, huic adsis oportet, si non  
 re, pecunia, opera, obsequio, saltem fauore & bono uerbo: hęc dum facis credito  
 firmiter te audire Deum dicentem, Hęc uolo, hęc mihi placent, in his permane  
 fili, & restē incedes. Rursus quis enumeret, quot officiis iuuare possumus paupe-  
 rem, & eius paupertatem leuare, misericordiam exercentes erga ipsum, pane, ue-  
 ste, potu, & aliis id genus, quæ Matthæi 25. scribuntur, Esuriui, & dedisti mi-  
 hi manducare, &c. Hanc condolentiam, & hunc sensum alienæ miseræ requirit  
 à nobis Dominus. Sic Paulus Colos. 3. Induite, &c. uiscera misericordiæ. Et alibi,  
 quis infirmatur, & ego non infirmor? Hanc igitur condolentiam ab hominibus  
 exigit Deus, ut sciant & cognoscant, quid sit miseria. Miseriam uerò nesciunt, qui  
 non sunt illam experti. Christus ut fieret pontifex misericors, tentatus est per om-  
 nia, Hebr. 2. & 4. Et licet cor misericors sit donum Dei, plurimū tamen ad ac-  
 quirendam misericordiam facit, si fueris ipse afflictus, & miserias expertus. Aded  
 urget ad misericordiam Deus, ut neminem excludat, sed eam omnibus præcipiat.  
 Vnde non dixit, Volo, ut alius alij largiamini pecuniam, cibos, uestes, &c. sed, mi-  
 sericordiam uolo: illud dicens, ac ponens, quod & pauperrimus pro suo modulo,  
 sicut & quisque ditissimus, præstare potest. Quare nemo seipsum excusare pote-  
 rit, quasi propter rerum penuriam, nequeat uoluntati Dei obsequi. Caue, uel sim-  
 plicitate uel imprudentia ductus, accipias sic illud, Misericordiam uolo, ut putes  
 Christianis usum magistratus propterea esse interdictum. Nam Deus nihil hęc  
 de magistratibus & usu gladij differit, sed exigit, ut quisque erga proximum in sua  
 ipsius causa misericors sit. Possunt in eodem esse & misericordia & iustitia, quod  
 sores sint diuinæ & cælestes: alioqui neque Deus ipse diceretur iustus & miseri-  
 cors, sed cogeretur, uel relicta iustitia seruare misericordiam, uel, relicta miseri-  
 cordia tantummodo iustus esse. Iam scriptura utrunque de Deo prædicat, quod est  
 & misericors & iustus. Quare quatenus qui magistratum gerit, imitator est pater-

Dei uolūtas  
agnoscitur  
per uerbum  
Dei, id est,  
Christum.

Deus colitur  
misericordia  
& beneficē-  
tia.

Miseri-  
cordia, quid.

Miseri-  
cordiæ  
usus, & offi-  
cia.

Vna afflictio  
multas exi-  
git miseri-  
cordias.

Tentatus nō  
est, quid sit.

Nemo est, q  
nō queat esse  
misericors.

Miseri-  
cordiæ  
præceptū nō  
excludit so-  
lium punitio-  
nis.  
Iustus & mi-  
sericors sit  
Christianus  
Dei exēplo.



nae misericordiae, in sua ipsius causa condonabit delicta: quatenus uero iudex est, minister sit iustitiae Dei, uindex ad iram illis qui male agunt, ut tueatur innocentes. Roma. 13. Ad misericordiam autem exercendam licet impellat auditus, plus tamen aspectus misericordiae alienae confert ad commiserescendum miseris. Vnde frequens est locutio in scriptura, videns miseratus est. Vt Exod. 2. de filia Pharaonis: Cernens (inquit) infantem uagientem, misera est eius. Et Matth. 14. Et uidens Iesus turbas, miseratus est. Luc. 7. Quam cum uidisset Dominus, misericordia motus super illam. Et licet affectus misericordiae sit donum Dei, tamen eget mediis, maxime conspectu misericordiae.

## Et non sacrificium.

Parit fortassis non parum difficultatis haec sententia, quod uox Sacrificium uariis modis in scriptura accipitur. Est sacrificium, generale nomen omnium, quae inferebantur altari secundum legem, ut erat sacrificium matutinum & uespertinum, cum offerrentur pecudes, & alia id genus. Est sacrificium iustitiae, dum nos ipsos sacrificamus, & exhibemus corpora nostra hostiam uiuentem: & hoc tam in ueteri quam in nouo testamento piis omnibus commune fuit. Nempe cor contritum, & spiritus contribulatus, Psal. 50. Est & sacrificium laudis, dum non solum ore, sed etiam uita innocentia Deum laudamus, & sacrificamus. Est & sacrificium unicum illud Christi, quod in cruce pro nobis oblatum est ad reconciliationem & redemptionem mundi. Iam si rogaueris, de quo sacrificio intelligatur hic locus, profecto nemo pius intelliget de eo, quod Christus obtulit, quodque in sacrosancto sacrificio ex ipsius instituto celebramus, in quo pretiosum corpus & sanguinem Christi sumimus. Neque de eo, quod dicitur cor contritum, cum Dauid dicat, Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Neque de sacrificio laudis, cum Deo dicatur, Sacrificium laudis honorificabit me. Quare de sacrificio pecudum, & aliorum, quae mactabantur iuxta Moysi institutum, intelligendus est hic locus, Et non sacrificium. Certè his uerbis declarat Christus se nolle sacrificium, quod neglecta misericordia praestatur: scilicet nos admonens, ut interim non fidamus nostris, ut in speciem piis & religiosis, operibus, dum impius & immisericors est animus. Proculdubio Deus spiritus est, & spiritum hominis quaerit, non pecudes. Quare in spiritu & ueritate colendus & adorandus est. Est misericordia, uirtus spiritalis, secundum se Deo grata. Sacrificium autem erat res corpora, non secundum se Deo grata, sed ratione fidei & charitatis, uirtutum spiritualium, ipsi annexarum. Vide infra Conciliationem.

## Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores.

Actiologia est, reddens ratione conuersionis Christi apud peccatores, sumpta ab officio Christi. Desinit enim Dominus his uerbis, uocationem seu missionem a patre, nempe ut peccatores uocet, non iustos. Quod, alibi dicitur missus sum, idem est, quod hic dicitur, ueni. Siquidem uenit patre uolente, iubente, & mittente. Ergo patris uoluntatem esse dicit, quod debeat peccatores, non iustos, uocare. Quod si hoc est Christi officium, ut uere est, quid propter peccata tua Christum fugis? Quid ad conspectum eius trepidas? Quid desperas? Nam ut confidenti animo te adiungas Christo, imò patiaris saltem Christum tibi adiungi, praeter hoc Christi dictum, audi & aliud, Filius hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Et iterum, Venit filius hominis quaerere & seruare, quod perierat. Respondebis: Cur ergo dicitur, diligit Dominus iustos, & uias peccatorum disperdet? Hic iusti appellantur poenitentes, & in uocatione Domini ex fide uiua ambulantes. Peccatores autem uocantur hic proprie, impij, qui uerbo Domini ad poenitentiam uocati, nulla profus ratione adduci queunt, ut respiciant, sed pergentes in sua impietate, Domino Deo nostro, & uerbo eius, mediū,

Plus mouent uisa, quam audita.

Vox, Sacrificium, multiplicem sumptam in sacris. Sacrificium iustitiae.

Sacrificium laudis.

Sacrificium crucis.

Animus impurus omnia externa redit ingrata.

Veni, promissus sum.

Christus uenit peccatoribus.

Iusti in facris, sunt poenitentes.

quod aiunt, digitum ostendunt. Hos tantisper odit Deus, dum in impietate sua perseuerant: & odit, non quia perdere uelit si respiciant, sed quia uocati, respicere nolunt. Quare, qui perit, profecto non perit simpliciter, quia peccauit, alioqui enim nullus non hominum periisset, sed quia cum in peccato existens, uocaretur ad poenitentiam, non obediuit uocanti. Vnde suo uitio moritur & perit, qui uocatus ad sanitatem, uenire noluit, & poenitentiam non egit. Dicit enim Dominus, Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Indiuulso ergo hoc adhæreat, & fixum sit animis nostris, quod ministerium Christi est, non ministerium peccati, nec mortis, sed iustitiae & uitae. Hoc ministerium uult pater à nobis credi & amari. Iam agnoscamus in hac sententia, Iesu Christi philanthropiam, ut mirificam inde & suauissimam recipiamus consolationem. Primò non dicit, Veni, uocatus à peccatoribus, sed ueni uocare peccatores. Hac in re longè humanior est nostris medicis: nimirum illi, tametsi sciant infirmorum necessitatem & morbum, tamen non currunt ad aegrotos, nisi uocati: idque solum agunt mercede & pecunia sperata & promissa, putantes satis esse, si animum paratum exhibuerint, dummodo uocentur. Hic uero ultrò accurrit, & curandos ad se uocat, quos gratis medicetur, & sanat. Verbum, ueni uocare, emphasim habet, quo significatur Christi animus ad iuuandum & curandum propensissimus. Quod si etiam ultrò ad se uocat peccatores, qui fieri poterit, ut repellat ad se uenientes? Huc pertinet, quod infra. 11. cap. scribitur, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Isaia. 65. Ecce ego ad Gentes, quae non inuocabant nomen meum: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona, post cogitationes suas. Secundò non dicit, Veni cogere peccatores, sed uocare. Certè beneficium non solet conferri in inuitum. Et caelestis medela non fugienti & nolenti, id est, indigno, cui praestetur, sed esurienti & ipsam sitienti confertur & prodest. Esurientes enim impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: Et, Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Studeamus igitur excipere grato & humili animo, gratiam uocantis. Scientes iusto iudicio perire aegrotum, qui ad certissimam medelam uocatus, uenire recusat. Tertio, uocandi uerbo generalissimam uocationem explicat: Omnes uocat peccatores Christus, nemine excludens. Qui uult (ait Paulus) omnes homines saluos facere, & ad agnitionem ueritatis uenire. Tam perfectus & bonus est hic medicus, ut neque peccatum iuxta rationem humanam incurabile, neque inaudita & maxime execrabilis iniquitas te reuocare debeat, quin potius ad hunc uocantem curras, & te ad ipsum pertinere, ut cures, intelligas. Cuius maior gloria est, quod etiam quosvis incurabiles morbos & potest & uult curare. Exemplo nobis erunt ij, quibuscum in domo Matthaei accumbit, qui non mediocres, sed maximi habebantur peccatores, nimirum tales, qui & infames & reiecti essent. Hoc si diligenter perpenderemus, suauissimam afferret consolationem contra nostram pusillanimitatem & propensionem ad diffidentiam. Obserua: Graeci addunt huic sententiae, ad poenitentiam. Nam & si non addit Hieronymus, apud Chrysostomum tamè, & eius abbreviatorem Theophylactum reperio. Lucas, 5. cap. scribit, Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Quasi dicat, Non ueni uocare iustos, quia nulli sunt. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria mea. Et omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Neque uos iustos, id est, qui in uestra & propria iustitia gloriamini, uobisque placetis, sed peccatores, id est, non obstinatos in peccatis, & pertinaces, sed qui cognoscunt se in peccato esse, & ob id egere meo praesidio & medicina: unde dolentes de peccato, me audiunt, & ueniunt, fide instructi, spe erecti, & amore accensi ad me uocantem, non, ut peccatores maneant, sed ad poenitentiam, hoc est, ut à peccando desistant, pleni contritione, hoc est, dolore & displicentia de peccato, & amore in me. Quo amore facient satis proximo,

Peccata hominem non perdunt, sed cōterpeus poenitentia. Peccator sua culpa perit.

Ministerium Christi, ministerium uitae.

Christus, medicus, aliis longè tum humanior, tum facilior.

Inuitum qui feruat, operam ludit.

1. Timoth. 2.

Nullus morbus Christo incurabilis.

Quos iustos non uenit nocere Christi?

Peccatores uocati à christo, qui.



si quid habet aduersus illos, & confitebuntur iuxta præscriptum meum. Hæ sunt pœnitentiæ partes, contritio, cõfessio & satisfactio: de quibus alibi copiosius scripsimus. Facessant ergo hinc impœnitentes, cum necessaria sit pœnitentia uenientibus ad Christum, & remissionem peccatorum recepturis, ut sint noua creatura in Christo. Sit conuersio animi, & uitæ pristina immutatio. Hinc legitur Luc. ultimo, in nomine Christi prædicari oportere pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Et Act. 2. Petrus prædicans ait, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Marc. 1. Pœnitementi, & credite Euangelio hac pœnitentia iram Dei euadimus. Exemplo nobis erunt Niniitæ: amissa gratia restituitur, iusti que reddimur. Pœnitentes uerè sunt, qui seridè & intus & foris respiscunt. Porrò ironiam afferre uidetur Christus contra Phariseos his uerbis, Non ueni, &c. qui fortè dicerent, nõne & nos docemus peccatores debere conuerti ad pœnitentiam? Quid noui affers tu? An non ministerium Moysi seu legis uocat peccatores ad pœnitentiam? Imò (inquit) uos, cum sitis peccatores, uultis esse iusti, & nihil facitis, nisi quòd iustos esse decernitis tum uos tum alios, quos tamen Deus peccatores horribiles iudicat. Hos iustos ego non uoco ad pœnitentiam, nec ipsi egent pœnitentia (ut putatis) cum uobis iudicantibus sint iusti. Valete ergo uos iusti, cum uestris iustis. Estote sancti cum uestris sanctis: & sinite me cum meis peccatoribus agere, donec & ego eos iustos faciam, non, sicut uos, operibus legis, sed gratia & remissione. Vos uocate peccatores ad pœnitentiam secundum iustitiam legis, ut faciatis duplo peccatores, sicut uos estis. Ego uoco ad pœnitentiam secundum remissionem peccatorum, ut faciam duplo iustos, scilicet gratia & ueritate. Gratia, quòd remissa sunt eis peccata. Veritate, quòd uerè incipiunt boni esse, & operari bona. Vos duplo facitis peccatores, uestra pœnitentia, scilicet culpa & mendacio. Culpa, quòd magis superbiunt de iustitia legis, quàm dum essent peccatores. Mendacio, quòd ficta opera putant esse bona. Ita sunt corde intus magis culpabiles propter incredulitatem & superbiam fiduciam: opere foris, sunt mendaces & hypocritæ, propter falsam speciem operum & gloriam, tales & uos estis, & uobis bellos filios effingitis. Insigniter notanda est appendix, Ad pœnitentiam, contra quosdam peruersos & abutentes gratia Dei, seu, ut sanctus Iudas dicit, transferentes gratia Dei in luxuriam. Nam Christiana libertate abutuntur hodie plurimi, dicentes, Gratia, gratia. Ergo nõ est opus bona facere aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi quæ uolunt: & ex remissione peccatorum, licentiam peccatorum, ut hodie multi nimis, prò dolor, quos existimaueramus uerè orthodoxos, nunc cõperimus uerè Atheos. Sed Christus hinc dicit sese uocare quidem peccatores, non ad licentiam peccandi, neque ad libidinem faciendi, quæ uelis, sed ad pœnitentiam, scilicet ad mortificationem carnis, & peccatorum extinctionem. Sicut Paulus Roma. 6. ait. Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? Quid enim est pœnitentia, nisi antidotum & pharmacum contra peccatum? Vnde peccatores ad pœnitentiam uocari, est remissis quidem peccatis per pœnitentiam, uocari ad studium perpetuum peccata cognoscendi, fugiendi, mortificandi, sepeliendi, extinguendi, ut docet Paulus Roma. 6. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete uos Deo, tanquam ex mortuis uiuentes: & membra uestra arma iustitiæ Deo, peccatum enim uobis non dominabitur. Colligamus ex superioribus, & summam rei dicamus. Non uenit Christus ad uocandũ iustos, id est, eos, qui suæ & propriæ iustitiæ confidunt. Ignorantes enim (ait Paulus Roma. 10.) iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Sed peccatores qui agnoscetes suum peccatum,

Pœnitentia placamus Deum.

Diuersa uocatio Christi & Phariseorum.

Aduersus hæreticos, nihil habentes in ore, nisi gratiam Dei, &c. Pœnitentiam autem fortiter negligit.

Pœnitentia, pharmacum aduersus peccatum.

desperant de sua propria iustitia, & sperant ac fidunt in Christum, ut cum Abrahamo in spem contra spem credant, & reperiantur filij Abraham non iuxta carnem, sed fidem & promissionem. Hoc Paulus fusius tractat in epistola ad Romanos. Officium igitur Christi est, uocare peccatores ad pœnitentiam, id est, ut uocet, & uocati, pœniteant, pœnitentes remissionem peccatorum habeant. Aut uocare peccatores ad pœnitentiam, id est, officium Christi est, pœnitentibus peccatoribus remittere peccata. Ergo, ut ex superioribus uidere est, Euangelium est doctrina, docens Christum esse medicum pro infirmis peccatoribus: & uenisse propter peccatores, ipsosque uocare ad pœnitentiam.

Christi officium.

Euangelium.

Tunc accefferunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes.

Cum superiore sermone Iesus perstrinxisset, & quodammodo derisisset arrogans supercilium Phariseorum qui sibi iusti uidebantur, quum non essent: mox aliam ipsi struunt calumniam. Obiiciunt enim illi Ioannis discipulos, quòd causam illius uel autoritate Ioannis degraunt. Duplices uidetur Ioannes baptista habuisse auditores, & discipulos. Alteros, qui ex concionibus eius uerum Messiam didicerunt, quem postea sequuti sunt, quorum aliquot mentionem facit Ioannes Euangelista cap. primo. Alteros, qui in Ioanne non conciones de Messia & rectæ fidei ac operum rationem, sed nescio quòd durum uiuendi genus obseruabant. Et hi humano quodam affectu subinuidebant Iesu (ut scribitur Ioan. 3.) de magistro suo Ioanne, ueluti de præstantiore gloriantes. Vnde ex hoc loco Marc. 2. & Luc. 5. colligimus conspirasse Phariseos cum discipulis Ioannis, quòd utrique inuidiæ spiritu aduersus Iesum ducebantur. Iuncti itaque, non secus atque Graculus graculo adeunt Iesum, putantes se habere instructissimam & ineluctabilem calumniam, quam Christus abstergere non posset. Obserua: signum pertinaciæ est, rursus fatigare Christum, & nolle ueritati credere, qua quantò apertius prædicatur, tantò magis excæcantur hypocritæ. Sed nõ minimum hinc obseruatur miraculum, quòd Christus ueritatem suam per improborum impugnationem subinde manifestiorem reddere soleat. Quò enim magis conantur ueritatem obscurare, & Christum extinguere, eò magis ueritas elucescit, & Christi potentia ac uirtus fit manifestior.

Ioannis Baptista discipuli, duplices.

Pharisei cum discipulis Ioannis coniuerati aduersus Christum.

Veritas impugnatione aduersariorum magis emergit.

Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui, non ieiunant?

Lucas 5. cap. In hac expositulatione, ieiuniis addit obsecrationes, paulò latius & clarius de hac quaestione scribens. Quare discipuli (inquit) Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Phariseorum? Duabus enim rebus, ieiuniis scilicet & precibus opinionem sanctimoniam, apud populum, Pharisei captabant: itaque cum discipulis Ioannis iungunt hanc expositulationem, imò uerius intentatam calumniam & occasionem calumniandi sumunt duplici potissimum causa. Priore, quòd Dominus cum discipulis suis frequentius inuitatus, conuiuuiis interesset, & iam iam rediret ex ædibus Matthæi, in quibus medius inter publicanos ac peccatores accuberat. Posteriore, quòd dixerat se uocare peccatores ad pœnitentiam. At ieiunium est pars pœnitentiæ, ut notum est in Niniuitis, & aliis, tum exemplis tum dictis scripturæ. Cum itaque uiderentur discipuli Christi non duci pœnitentia, eò quòd non ieiunarent, uocatio eorum uana erat. Vana item prædicatio Christi uidebatur, quòd suos (qui peccatores erant) non uocaret ad pœnitentiam. Habes hinc prætextum calumniæ. Iam sententiam, quam habet istorum expositulatio, explicemus. Heus tu (inquiunt) Nazarene, istud factum tuum, quòd cum publicanis & peccatoribus uersaris (magna profectò reprehensione apud nostros Scribas, omnium doctissimos, & Phariseos religiosissimos dignum)

Preces & ieiunia, arma, sed ficta, Phariseorum.

Ieiunium ad pœnitentiam pertinet.







lari, & paulò splendidius conuiuari? Quis discipulos meos ad obseruationes ieiunij hoc tēpore adigeret, quādo nunc nō lugent, sed in nuptiis uersantur? hac responsione & comparatione maximè perstringit discipulos potissimum Ioannis Baptistæ, à quo mutuatur hanc responsionis occasionem. Vnde intelligere illi poterant, & quid de Iesu, & quid de genere uitæ eius, ac discipulorum eius iudicandum esset, sed hypocriti sua excæcati, harum rerum nihil intellexerunt. Quare Christus eos tacitè hac cōparatione, stuporis & ignauitæ arguit, perinde ac si diceret: Quod discipulis meis iam non luctus, sed gaudij tempus sit, si mihi non creditis, uel Ioanni (quem obiicitis) credite. Huius concionem si diligenter audiuisse, iam nihil mecum hoc tempore de ieiunio exposularetis, sed ex ipsius concione, quam de sponso habuit, animaduertere potuissetis, quam ob causam discipuli mei, nimirum nuptiales, non ieiunant. Vobis narrantibus, ac de me querentibus, Rabi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat & omnes ueniunt ad eum, respondit Ioannes, Ipsi uos mihi testimoniū perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illū. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet, propter uocem sponsi. Hoc autem gaudium mecum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Si ergo uester præceptor Ioannes ostendit me sponsum, quem psalmi uaticinium promiserat, tanquam sponsum processurum de thalamo suo, se uerò sponsi amicum: isti qui sunt, nisi filij, qui in recentis sponsi thalamo uersantur, (ubi lata decet esse omnia) sodales & amici sponsi, atque idè in gaudio nuptiali constituti? Quomodo, ubi ridet & lata sunt omnia, possunt iudaico tristitque ieiunio torqueri, præsertim cum sponsum habeant præsentem? Obserua, sponsum seipsum uocat, quod coopet sibi nouam cōgregationem, id est, Ecclesiam mortua ueteri, id est synagoga. Per sponsi præsentiam ac nuptias intelligimus Christi dispensationem in carne, & corpoream eius cum Apostolis conuersationem. A postolos uocamus filios nuptialis thalami. Sunt etiam, ut diximus, filij sponsi siue thalami, more Hebraico, inuitati ad nuptias. Obserua, Christus ieiunium Phariseorum uocat luctum, dicens, Non possunt filij sponsi lugere, cum tamen illis postulantibus de ieiunio, uideretur respondendum fuisse, Non possunt filij sponsi ieiunare, sicut postea dicit, Tunc ieiunabunt, non dicit, Tunc lugebunt. Certè id uidetur factū, quod significaret Christus, iustitiam legis & hypocritarum esse luctum, id est, tristem. Vnde suprā uocat hypocritas tristes. Fidei uerò uiuæ iustitia, de qua Paulus sæpè loquitur, uiuentium & lætantium est, semper uiuente & regnante Christo, nostra iustitia & uita. Modica & momentanea est piorum tristitia, mox in gaudium uersa: alacri enim & liberali animo omnia propter Christum faciunt. Si quid triste & molestum esset, mors esset: sed hanc pro uita ducunt. Non carceres, non pœnæ, non ieiunia, non tyrannorum minæ lætitiā iustorum interturbare queant. Ibant (ait Lucas) Apostoli gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Intelligunt quidem pij crucem à se ferendam, ut Christum sequantur: sed cum fide agnoscant Christū liberatorem & saluatorem, hilari animo nihil commercij cum tristitia illa Pharisæica habente, nihil non faciunt, quod cruce sua, quod uocati sunt, conscendant.

Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus,  
& tunc ieiunabunt.

Perinde ac si diceret, expectate tantum finem nuptiarum, hoc est, abitum spōsi in domum suam: tunc uel sua sponte sequetur ieiunium, & qui in nuptiis iam optare conuiuantur, hi post nuptias uix olus manducabunt. Nolite eis interim inuidere hanc felicitatem, non diu duraturam: finite illos leniter & suauiter hac

Christus, à  
Ioanne Bapt.  
sponsus di-  
ctus.  
Ioan. 3.

Christus sei-  
pse sponsum  
uocat, & qua-  
re.

Ieiunij Pha-  
risæicum, Lu-  
cas.

Iustitia hy-  
pocritarum,  
tristis.  
Tristitia pio-  
rum, momenta-  
nea.

indulgentia duci ad perfectiora. Habent nunc sponsum, & in hoc sunt toti, non uacat illis ieiunare, & teneriores sunt, quàm ut possint ferre aspera. Grandescunt interim, & ueniet tempus, cum ab illis auferetur sponsus: tunc firmiores facti, non solum ieiunabunt, sed asperioribus etiam ferendis erunt pares. Dies quando auferetur spōsus, dies passionis, similiter & assumptionis eius in cœlum dicitur. Statim enim post receptum Spiritum sanctum, & esurire & sitire didicerunt, ieiunauerunt, & ieiunandum esse docuerunt. Nota: Cum auferetur ab eis sponsus, supple, à corporea & uisibili conuersatione. Nam tametsi in passione sua à discipulis abierit, tamen addit Ioan. 14. Et si abiero, & præparauero uobis locum, iterum uenio, & accipiam uos, ut, ubi sum ego, & uos sitis. Et iterum, Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. ac mox, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et rursus, Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usque ad consummationē seculi. Quare locus ille intelligitur de ablatione corporali uisibili: ascendit enim, ut homo. Non autē abest ab ecclesia, quam sibi desponsauit, quam & suo sanguine formauit: adeo ut longè melius dicatur esse de carne & sanguine Christi Ecclesia, quàm Eua de corpore & costa Adami. Estque perpetuè Christus cum sua sponsa, cuius ipse est caput, à quo sponsa (ut corpus) uires, robur, consilium, lucem, & quicquid habet, accipit. Nobiscum itaque est usque ad cōsummationem seculi, præsentia diuinitatis & maiestatis suæ. Absens uerò est corpore humanitatis suæ, quo in cœlum ascendit: nisi quod præsens est & corpore & anima & diuinitate in sacrosancto sacramento, siue Eucharistia. Sponsus ergo, Christus est: sponsa, Ecclesia. Desponsatio facta est per incarnationem uerbi, qua in una persona, id est, in filio, coadunantur duæ naturæ, diuina & humana. Vnde factum est, ut filius Dei factus sit homo, & uerè dicatur homo, & sit de carne nostra: nos uerò spirituales de spiritu ipsius. De his copiosius scripsimus in Ioan. 3. cap. & in Paulum ad Eph. 5. cap. Post ergo assumptum Iesum in cœlum, & plenitudinem spiritus missam in Apostolos, ceptum est ieiunium Christianum, & planè diuinum, quod nemo pius dubitat exercendum: Spiritus autem sanctus per os sponsæ Christi, quando obseruandum sit, declarauit. Potest hic locus allegoricè intelligi. Nuptiæ significant nobis uinculum uiuæ fidei ac spiritus, quo scilicet copulamur Domino. Quandiu hoc uinculum nuptiarum manet, gaudet pius, non indiget præsentem ieiunio aut aliqua se disciplina ex cruciare: ubi uerò sentit sponsum parare discessum, carnem lasciuiæ, tentationes insurgere, ieiunat, aliâque mortificanda carnis medicamina sibi adhibet, & exercitia pietatis facit, donec dormita sit caro. Hoc tempus non est prorogatum ad aliquot dies, quia quoties sic insolescit caro, castiganda & mortificanda uenit, etiam die Paschæ, & Pentecostes. Tamen quia in nobis frequentius solet præuerti iudicium à carne lasciuiæ, & præualente, vnde plus æquo nobis indulgemus, sanctissimè factum est, ut cuius indiscretū & indeterminate terminatum erat tempus, statis & certis diebus seruandum decerneretur ab ecclesia sponsa Christi, quam Paulus columnam & firmamentum ueritatis prædicat, 1. Timot. 3. Obserua, ieiunium similiter & preces ieiunio annexas, esse opera & fructus spiritus.

Nemo autem immittit commissuram panni rudis in uestimentum uetus: tollit enim plenitudinem eius à uestimento, & peior scissura fit.

Cum Dominus uideret istos superciliosos Pharisæos, & tetricos Ioannis discipulos non recipere hanc exculationem, quod Apostoli siue filij sponsi præsentem sponso non ieiunarent, pergit (quod in ipso est) eximere ad uiuum ex ipsorum cordibus omnes opiniones & sententias falsas, quibus constabat eos ex ueteri per-

R ij

Christi spōsi  
abitio, quæ.

Spōsus Christi  
nunquā  
à sponsa Ec-  
clesia abest.  
Ecclesia san-  
guine Chri-  
sti generata.

Christus to-  
tus semper  
in Ecclesia.

Ieiunij Chri-  
stianum quā-  
do ceperit.

Nuptiæ no-  
stræ cū Chri-  
sto, quid si-  
gnificat.

Quale iei-  
unium etiam  
diebus festis  
seruandum.

Ieiunia &  
preces, opera  
sunt & fructus  
spiritus.



suasione, assuetudinēque detineri, ut ipsos uera ac sincera religione imbuat, ac doceat, qui capaces ac idonei sint auditores negotij ac prædicationis Euāgelicæ. Hoc autem facit per meram allegoriam, siue per binas parabolas, dicente. Luca 5. cap. Dicebat autem & similitudinem ad illos. Hæc prima similitudo petita est ab arte sartoria: Nemo immittit commissuram, id est, nemo assuit assumentum, siue, ut vulgus uocat, frustum panni rudis, id est, noui, cum à pannario recens uenit, in uestimentum uetus, id est, assuit pannum nouum & recentem uesti lacera & diutino usu detrita. Portio enim panni rudis tollit plenitudinem eius à uestimento, hoc est deformat uetus uestimentum: siue, hæc immixtura noui nõ quadrat ueteri. Et peior sit scissura, id est, segmen illud panni aded non facit hiatum siue rupturam, ut maior ac deformior sit futura. Hæc similitudine significat Dominus doctrinam Euangelicam (quæ noua est) non esse assuendam doctrinæ ueteri Pharisæorum. Similiter animos, qui capiant doctrinam Euangelicam, oportere esse nouos & expurgatos ab omni face erroris antiqui. Erit ergo huius similitudinis applicatio ad hunc modum. Summam religionis in crebris ieiuniis ac prolixis præcationibus, uariisque baptisimatibus, Iudæi collocant. Quæ ad tempus obseruata, damnanda non ueniunt, modò non ad uanam gloriam, sed ad pietatem adhibita fuerint. Iam nouum est, quod doceo, & nouæ doctrinæ noua conuenit institutio: spectatque hæc noua institutio longè fortiora ac magis ardua, quàm uetus, ad quæ propterea paulatim meos fingo formoque. Quare non conuenit mihi instituendi ratio cum Pharisæis aut cum Ioannis discipulis. Non enim oportet uetera misceri nouis. Nam ut nullus assuit ueteri uestimento particulam panni noui rudisque, &c. ita nec meos, quos fingo & formo ad fortiora, quæ postulat Euangelium, non assuo ueteri disciplinæ, mox collapsuræ. Hæc similitudo, ex ipsa uetustatis & nouitatis antithesi manifesta, sicut & sequens, non cõ tendit, ut rationem reddat, cur discipuli Christi non ieiunent, sed rationem adducit, cur Ioannes hanc libertatis Euangelicæ doctrinam, uelut uinum nouum aut pannum nouum, discipulis suis non commiserit, non quòd hæc mala esset, & alia, cui assueuerant, potior, sed agnoscebat Ioannes, optimus & non præposterus præceptor, suos discipulos longè imbecilliores esse, quàm quibus ista noua & insueta infundi seu tradi possent.

**Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres, alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt. Sed uinum nouum in utres novos mittunt, & ambo cõseruantur.**

Hanc secundam similitudinem mutuatus est à re uinaria. Quasi dicat, Quòd discipuli Ioannis non sunt hæc mea doctrina imbuti, neque ipse Ioannes, neque hæc mea doctrina est in culpa, sed ipsi discipuli, qui aded uetere uino, id est, ueteribus traditionibus assueuerunt, ut prudenter uisum fuerit hæc doctrinam meam non ipsis concedere, sed tantum illos præparare, ut fierent noua uasa, ad uinum nouum excipiendum. Non oportet uetera misceri nouis. Nam ut nemo prudens, & in re uinaria doctus, uinum nouum utribus uetustis credit, alioqui duplici afficitur damno, dum uinum effunditur, & utres diffunduntur, & pereunt: quin potius uinum nouum infundit nouis utribus, qui ferat uim uini, nec dissiliant effervescente musto. Ita doctrina uetere & corrupta imbuti homines, effervescent & infaniunt ad doctrinam Euangelicam, & perit doctrina sancta, quòd ipsam indignis modis profcindunt, & tum exoriuntur schismata & horribilia offendicula. Addit Lucas huic sententiæ, aliam similitudinem quæ huc maximè pertinere uideatur: Et nemo (inquit) bibens uetus, statim uult nouum, dicit enim, uetus melius est. Quæ sententia significat doctrinam uerè spiritalem non posse persuaderi nondum spiritu renatis, carnalia carnalibus magis placere. Id quod uerissimum est, & compertissimum habemus hodie. Nam qui mēdaciis, erroribus, & supercilio-

Noui animi sint, quos doctrina Euangelica imbuas.

Ioannes Baptista, cur discipulis suis doctrinam Euangelicam non tradiderit.

Bona doctrina in corruptis hominibus perit.

sis superstitionibus assueuerunt, & in ipsis fuerunt educati, pluris errores & impietatem faciunt, quàm ueram purgatamque religionem. Cur ita? Vix quicquam placet cuiquam, diuersum ab eo, cui diu assueuit: protinus enim offenditur ad gustum inuitatæ rei. Quemadmodum qui diu bibit uinum uetus, non statim delectatur musto: requirit enim gustu cui assueuit, & dicit uetus fuisse melius, non ob aliud, nisi quòd ita assueuit. Ita qui assueuerunt Iudaismo, non oblectantur gustu doctrinæ spiritualis, sed requirunt illa crassiora, quibus assueuerunt. Quæ? Circuncisionem, sabbathismos, discrimina ciborum, uestium fimbrias, Hierosolymā, templum, uictimas, lotiones, constitutiunculas Pharisæicas, aliæque his similia, quæ longum esset recensere. Et illa non solum requirunt, uerum etiam præferunt iis, quæ sunt longè potiora, cuiusmodi sunt, animus à prauis cupiditatibus circumsus, animus ab omni malorum affectu tumultu tranquillus, animus fide, charitate, modestia, puritate redimitus, animus hospitium Spiritus sancti, seipsum semper offerens Deo uictimam gratam & puram. Hoc certè est uinum doctrinæ Euangelicæ nouum, quod non ferunt utres assueti vapæ Mosaicæ, & traditionibus Pharisæicis. Oportet certè hæc uasa, hoc est, discipulos, novos fieri, & regenerari, ut expurgati ab omni face erroris antiqui, multi capaces sint. Vnde utres incolumes sunt, & seruator uinum nouum. Quare huc tendunt uerba Christi, ac si diceret, Ego meos totos uolo novos, eosque mihi sic paulatim fingo, ut olim fortes, ac firmi, queant Euangelicæ doctrinæ uim perferre. Ioannes non est ausus uetustis utribus aliud, quàm uetus, uinum committere, sed uoluit admonere, ut præpararentur uasa nouo regi noua formanda. Quantum ad me attinet, ego meæ doctrinæ mustum non credo nisi nouis uasculis. Obserua. Dominus uinum nouum uocat plenitudinem Spiritus sancti, & profunda celestium mysteriorum, quæ tunc discipuli ferre non poterant. Sed post resurrectionem, & spiritus plenam missionem utres noui facti sunt, & in missione spiritus, uinum nouum receperunt. Vnde quidam, licet non intelligerent, quod iuxta spiritum pronuntiabant, dixerunt: Omnes isti musto pleni sunt. Verè musto pleni erant, hoc est, doctrina spiritali effervescente: quòd nisi utres noui fuissent, dirupti fuissent. Hic locus docet, quomodo uerè ac sanè possimus aliqua superstitione imbutos instituere, & sincera religione imbuere. Si uidelicet eximamus ad uiuū ex ipsorum cordibus omnes opiniones & sententias falsas, hoc est, uerbo Euangelij uel dissonas uel cõtrarias, quibus nouimus eos ex ueteri & carnali persuasione assuetudinēque detineri. Quod Paulus diligenter & discretè fecisse uidetur Galatis, dum tanta diligentia ex Iudæorum animis legalia illa, quibus ipsi fidebant, eradicare contendit. Exemplo Pauli curare debent omnes uerbi ministri, ut per synceram ac liberam Euāgelij prædicationem uetera uasa radant, & novos utres sibi parent, quibus committant mustum, doctrinam scilicet Euangelicam puram & synceram: cui non admisceant uetera, & ea quæ non conueniunt: tantum committant quæ ab orthodoxis probata sunt. Sunt qui his parabolis intelligunt Dominum significasse, non oportere mox rudibus adhuc discipulis, grauissima quæque imponere, sed quod uis suo tradi oportere tempore. Primum quidem, quod planum, facile & expositum est: deinde uerò grauiora ac intricatiora. Ad hunc modum discipulis meis (ait Christus) nihil hæcenus de ieiuniis inculcaui, quæ post ascensionem rectius intelligent. Hæc lectio bona est: uidetur tamen mihi prior lectio magis conuenire ad scopum Christi, diluentis obiecta discipulorum Ioannis.

**Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit.**

Hæc illo loquente, id est, Cùm sui instituti rationem Christus ad hunc modum discipulis Ioannis, & Pharisæis redderet, à quibus habebatur pro homine impio, & publicanorum socio, & qui suos ad nullam pietatem formaret, quemadmodum

Consideret, durissimum telum.

Quæ potissimum lectanda.

Vinum nouum plenitudo Spiritus sancti.

Quomodo animus uera sit religione imbuendus.

Ecclesiastarum prima cura, quæ.



Ioannes & Pharisei suos. Ecce particula est attentionis, qua significat Matthæus, similiter & Lucas. 8. ca. se subiecturum & subscripturum magnum aliquem euentum. Mox offertur occasio, qua iam non uerbis, sed re ipsa & Dei uirtute declaratur, uerum esse, quod loquebatur Christus, & utri sanctiores essent Pharisei cum discipulis Ioannis, an Christus cum suis, dum se in filia Iairi ostendit se Dominum mortis esse, & datorem uitæ, etiam ubi nulla est præfens uitæ expectatio. Princeps nomine Iairus, qui, qualis princeps fuerit, paulò copiosius scribitur à Marco 5. ca. & Luca 8. nempe primarius quidam Synagogæ, ex hoc certè hominum genere, qui, quò in populo Dei maiore poterantur honore, hoc Christo erant infiores. Ideo magis mirum est talem principem accedere ad Christum. Accessit tamen, & uenit ad Christum. Accessus huius causas non scribit Euangelista, quæ sunt, uerbum auditum de Christo, & fides in ipsum. Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus remunerator sit: quas tamen præfentes adfuisse, & præcessisse accessionem principis, adoratio ipsius testatur, quæ est, uiuæ fidei effectus seu gestus. Iam ò Pharisei & Ioannis discipuli, apud uos sanctuli, & turgidi uestris ieiuniis, cur hic primas ad uos non accessit, sed ad hunc publicanorum socium, & quem uocatis uoracem? Profectò hic primas synagogæ nihil miratur uestras sycophantias, imposturas, & hypocrises, nihil hac in Christum contumelia est offensus. Vobis derelictis, tanquam mortuis, & nullius frugis uiris, accedit ad eum, à quo uirtutem Dei implorat. Huius exemplo respicite, & Christum cum Iairo adorare. Obserua, quantum huic principi profuerit afflictio. Hic necessitate filia adactus, ad Christum se recepit, & opem illius implorat, alioqui forsitan, ut ut de eo senserit, nihil habiturus cum illo cõmercij propter metum Iudæorum. Iairus suo exemplo monet, non esse impossibile, homines magnos, principes & sapientes conuerti, ut suscipiant Euangelium, quanquam difficile sit.

Et adorabat eum dicens.

Hic gestus, est uiuæ fidei, testans de ardore charitatis Iairi: unde Euangelista ait, Et adorabat, id est (ut Lucas 8. scribit) cecidit ad pedes eius, rogans eum. Et, ut paulò apertius ait Marcus, 5. cap. procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens. Est autem ad pedes procidere, humiliato corpore honorem alicui ferre, seseque illi submittere. Hoc modo Iacob sese frequenter incuruabat ante faciem Esau fratris sui. Hic gestus siue ista corporis prostratio uel incuruatio, etiã apud quasvis nationes, spectat ad animum submissum ac humiliatum, ambiètem gratiam alicuius. Est & adoratio siue incuruatio hæc, cultus, qui soli Deo conuenit, unde oraturi, in genua coram Deo procumbimus. Quòd si hæc incuruatio siue genuflexio sit sine pio cordis affectu, & non in spiritu, certè ludibrium, & irritio diuinæ maiestatis dicitur.

Domine.

Captat beneuolentiam à uerbo, Domine: Dominus enim uox est potentia, qua hic Archisynagogus fatetur Christum potentem, & posse præstare, quod rogat. Non est postrema pars uiuæ fidei orantis, credere Deum posse, & si potest, uelle iuuare.

Filia mea modò defuncta est.

Hæc est necessitatis propositio, & exemplum charitatis in Iairo, qui intercedit pro filia sua, & illa (ut Lucas ait) unica: unde hæc circumstantia, ut causa impulsiva, magis urget ad rogandum.

Sed ueni, impone manum tuam super eam, & uiuet.

Imperfecta est hæc fides, quæ præscribit media Christo ad aliquid operandum. Non opus erat Domino, ut domum proficisceretur, & manu filiam tangeret. Sa-

Principè synagogæ credere Christo, magni quidpiam & nouum.

Afflictio plurimum prodest homini ad salutem. Magnos huius seculi posse conuerti ad Dominum.

Accidere ad pedes, genus quoddam adorationis.

Dominus, hic Archisynagogus fatetur Christum potentem, & posse præstare, quod rogat. Non est postrema pars uiuæ fidei orantis, credere Deum posse, & si potest, uelle iuuare.

nus dixisset, dic tantum uerbo, & sanabitur filia mea. Unde manifestum est, Iairum adhuc fide tenellum, de Christo sensisse tantum, quòd uir magnus quidam, & præcellens propheta esset, qui oratione & interpellatione sua apud Deum multa posset. Sed ut illa uerba, ueni, & impone manum, & c. uideantur extenuare Iairi fidem, tamen si diligenter considerauerimus obseruanda in hoc Archisynagogo, magnam in ipso obseruabimus fidem. Qui tamen si nodum attigerit eum gradum fidei, quem Centurio, qui dicebat, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic tantum uerbo, & sanabitur puer meus: tamè hæc fides magna est, quòd credat Iairus, Iesum posse filiam, manu tantum impositione, sanare. Atque hæc fiducia eò perductus est, ut quanuis esset princeps synagogæ, & uir magni nominis, non erubesceret coram toto populo, ad pedes Iesu procidere, & uirtutem ac maiestatem eius confiteri. Hoc certè peculiare est uiuæ fidei, & hanc habet uera fides energiam, ut ubi ubi fuerit, ibi etiam sit Christi confessio. Quem enim Christi puduerit, eum uiua fide carere manifestum est. Ad hæc licet hic Iairus crederet præsentiam Christi, cum tactu manus, plurimum filia suæ profutura, sicut Martha & Magdalena Christo dicebant, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: Et Naaman ille, 4. Reg. 5. mandatum Helisæi contemnens, eò quòd non descendisset ad eum, & manu lepram tetigisset: Putabam, inquit, quòd egredere-tur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me. Sic & Sunamitis illa, 4. Reg. 4. cogebat quodammodo Helisæum, ut ueniret & tangeret puerum mortuum: Noster tamen Archisynagogus sentiebat de Christo altiora, quàm de puro homine, uiro Dei & sancto, cum dicit, & uiuet filia mea: nimirum certissima fiducia ductus de uiuificatore Christo, quòd Christus is sit, qui uiuificet, det uitam, & faciat uiuere. Unde constanter ait, & uiuet. Iam uita, effectus est Christi seu uerbi. Potrò, animaduerte in Iairo magnitudinem *πατρὸς*, hoc est, affectus paterni in filiolum. Salutem enim filiola suæ tanto ardore affectat, ut præter personæ decorum maluerit publicè fortunam suam deplorare, & Christo coram toto populo exponere, quàm filia suæ deesse: adeoque non obscurè demonstrans, se malle morti occumbere, quàm filia mortem uidere. Et hic est naturalis affectus parentum erga liberos, quem certè Deus patribus indidit: unde per se neque malus neque impius est, sed bona fide creatur à Deo, qui indidit hunc affectum naturaliter parentibus erga liberos suos, solum ob eam causam, ut infantes, quorum educatio constat magna cura, molestia, labore & sumptu, & cum, quòd ad ipsorum ætatem attinet, omni ope destituti sint, habeant qui ipsos sollicitè foueant & educent: sed maximè omnium propter hanc causam, ut in patribus huius seculi haberemus qualescunque exemplar eius affectus, quem gerit in filios suos Deus pater noster cœlestis. Et si Deus unum tantum filium naturalem habet, Dominum nostrum Iesum Christum, is tamen filius obedientia sua impetrauit, ut Deus tradat sese in patrem omnibus iis, qui in Christum credunt, & agnoscat ipsos in Christo suo filios charissimos, & dulcissimos. Hic affectus in filios qualis sit, scriptura explicat, Matth. 7. Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Et apud Isaiam, 49. cap. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen (inquit Dominus) non obliuiscar tui. Et Luc. 11. Si ergo uos, cum sitis mali nostis bona data dare filiis uestris, quòd magis pater uester cœlestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Cum igitur tantum patrem, & adeò tui studiosum habeas, ut tui non obliuiscatur, quid times interim in afflictionibus, in paupertate, in exilio, in morbo, in infamia, denique in morte ipsa? Putasne Deum patrem non agnoscere filium suum, de profundis tribulationibus ex fiducia ad ipsum, Abba, pater, clamantem? Exaudit pullos coruorum inuocantes ipsum, psal. 146.

R. iij

Iairi fides dilata.

Iairi fides non exigua.

Vera fides non potest non confiteri Christum.

Puilla fides multorum de Christo.

Iairi affectus paternus.

Affectum erga liberos quare Deus indidit patribus.

Affectus parentum in liberos expressio in sacris literis.

Deus pater nos per Christum agnoscit, & audit filios suos.



& non exaudiret filios suos per unigenitum filium Iesum Christum auxilium implorantes? Obediamus igitur huic tam magnifico & potenti patri, ut filij. Excitet nos tam uehemens affectus paternus erga nos, ut mandatis eius obsequamur, & ab eius gremio nunquam recedamus, spe uiua interim nitentes, qui cum filij Dei simus, 1. Ioan. 3. nondum apparuit, quid erimus, sed cum ille apparuerit, similes ei erimus. Et omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ille sanctus est. Porro huic affectui paterno Iairi non aduersatur Christus, sed hunc probat. Quandoquidem non obiicit, quod amicis, mortem alicuius flentibus, dicimus: Quid quereris, quod mortua sit filia? An nesciebas eam mortalem fuisse, ut & te quoque? Ad quid eam vis uiuere vitam istam miserabilem? Tu princeps es Synagoga, & tam parum adhuc philosopharis? Vis ne Deo repugnare? Nihil horum obiicit, sed benignè ipsum excipit, & uotis eius acquiescit. Obseruamus & hoc in Dauide, quàm etiam sanctos uiros afficiat liberorum calamitas, 2. Reg. 12. Ideo hodie putauerim esse inhumanos, etiam si sibi ipsi duplo reliquis spiritualiores uideantur, qui neque ad uxorum, neque ad liberorum mortem uel unam lachrimulam effundunt. Cum tamen Christus & uidua, plorantis filium suum mortuum, sit miseratus, Luc. 7. & super mortuum Lazarum fleuerit. Rursus hodie alios reperies, qui liberos suos uel negligunt, uel mori cupiunt, magis bestias exprimètes, quàm homines, imò ne bestiarum quidem sensum imitantes, dū negant liberis suis, quod bestia fœtibus suis summopère procurant ac subministrant. Sunt etiam monendi liberi, ut parentum amorè referant, & ipsis in amore respondeant. Frequens est in scriptura, ut parentes pro liberorum salute & uita interpellauerint: at nusquam legis in scriptura, filios pro parentum uita rogasse. Quin potius plerumque uidebis à quibusdam liberis (sed corruptissimis & deprauatissimis) mortem parentum, cupidè expectari & optari, tantum abest, ut anxie cupiant eos uiuere, aded deprauata sunt natura. Paucos imò nullos audies dicentes, Domine, pater meus modò mortuus est, sed ueni, & imponè manum tuam super eum, & uiuet. Paulò antè cap. 8. audiuius quendam ad Christum dixisse, Domine, permittite me primùm ire, & sepelire patrem meum: nò autem, Domine, pater meus iam mortuus est, ueni, & excita cum: aut, pater meus grauius decumbit, ueni, & cura eum. Hæc à nobis dicuntur, cum propter quosdam, quos huius naturæ deprauatæ offendimus, ut ne patrem aut matrem quidem sepelirent, quò citius hæreditatem inuaderent: tum ut admonerentur iuuentus, ut ab hac sibi caueat inhumanitate. Tantum debent parentibus filij, ut nūquam sint soluendo: Diis & parentibus non reditur æquiualens. Vnde inter præcepta decalogi relatum est de honore parentibus à filiis exhibendo, non autem de filiis à parentibus honorandis, quòd hoc satis sit parentum uisceribus infixum. Interim tamen caueant parentes nimiam seueritatem, & amaritudinè in filios. Vnde Paulus, Ephes. 6. sanctissimè hortatur: Et uos parentes (inquit) nolite ad iracundiam prouocare filios uestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini, ne in hunc deprauatæ naturæ morbum incidant. Nam plerumque uitio parentum successit hic morbus, quòd delicatius aut nimis duriter illos fouent, aut quòd nulla alia ratione liberis consulūt, quàm quòd magnas illis diuitias colligunt, & mortui relinquunt, quarum desiderio sit, ut liberi non admodum de morte parentum dolcant, reliquæ hæreditati cupidissimè inhiantes. Quis ergo fieri possit, ut ueniant ad Christum, clamantes, Domine, excita patrè meum, &c. cum fastidiant parentes, dicantque perditissimi liberi, diutius uiuit pater, quàm sperabamus, imò etiam, quàm uelimus, uel è re nostra sit. Quid hic bonus uir, senio confectus pater meus, amplius commodat mundo? Bene actum sit, si hunc Deus in suum regnum exciperet.

Et surgens Iesus, sequebatur eum.

O ingentem, & ter quaterque magnam Iesu Christi mansuetudinem & phi-

Deo, affectus  
erga liberos  
gratus.

In astorgos,  
& pij affectus  
expectes.

Rara libero-  
rum erga pa-  
rentes pietas.

Liberi nun-  
quā queunt  
facere satis  
parentibus.

Manliana ne  
sint patrèum  
imperia.

In uersa patrè-  
um cura, fã-  
tum de cogè-  
dis opibus lo-  
licitorum.

Liberorum,  
mortem pa-  
rentum opta-  
tium, abomi-  
nabile uoces.

Ianthropiam, qui nihil moratus, sequitur Iairum! Ac licet principes & pontifices synagoga (è quorū numero hic erat) exclusissent eos extra synagogam, qui Christum confitebantur. Ioan. 9. id quod uerisimile est non fuisse factum absque consensu huius Iairi, synagoga principis, tamen Christus hoc loco nihil Iairo exprobrat. Non ait, Quid huc uenis ad me, quem tu & tui similes, principes synagoga, persequimini? Iam non ad tuos Phariseos aut pontifices, sed ad me tadem curris, quando te tuorum calamitas premit. Neque obiicit illi fidem imbecillam, que putabat Christum non posse aliter excitare puellam, nisi coram impositis manibus. Non dicit, Indignus es, cui præstem beneficium, quandoquidem non credis me etiam uerbo posse sanare filiam tuam. Quid opus est me illuc abire? etenim si credideris me, etiam absentè, & uerbo posse præstare, quod petis, curabo filiam tuam. Nihil tale obiicit, nihil opprobrat, sed facilis, benignus ac mansuetus, ilicò surgens, sequutus est Iairum properantem domum, si fortè filiam adhuc spirantem offenderet. Hic locus nos admonet mansuetudinis & beneficentiæ in Christo positæ, qui omnibus sine personarum acceptione expositus erat ad benefaciendum, qui cum simplici fiducia postulabant aliquid, siue pauperes essent, siue diuites, siue Iudæi, siue Græci. Hic ergo duo maximè iis, quibus datum est cæteris plus prodesse, imitanda proponuntur. In primis ne quicquam ullis aut iniuriæ præteritæ, aut mali antè perpetrati, exprobrent, sed mox, ut illius immemores, beneficentiam impendant. Secundò, ut ad imbecillitatem eorum, qui fortassis aliquando minus bene senserint, quàm æquum, erat, conuincant, ita ut placidissimè eos ferentes, nihil tale apprehendisse uideantur. Hæc sanè est non postrema humanitas & mansuetudinis pars. Obserua, uiuam, etiam si modicā, fidem Iairi, impetrasse apud Christum, ut quæ mortua erat, surgeret. Hæc efficacia uiuæ fidei ostendit, quàm uerum sit, quod alibi ait Dominus, Si habueritis fidem, quantum granum sinapis, & dixeritis huic monti, &c.

Et discipuli eius.

Iesum discipuli sequebantur, ut præceptorem. Marcus 5. cap. ait, Et sequebatur eum turba copiosa: profectò partim curiositate uidendi miraculi, partim animo audiendæ doctrinæ. Vnde nemo non fatagebat Christo esse proximus. Quando Christus ciuitates & castella circuibat, docens, sanans, & omnibus benefaciens, plures habuit sectatores ac spectatores, potius quàm pios & iustos auditores: at cruce aduentante, omnes fugerunt, relicto illo.

Et ecce mulier.

Abrumpit Matthæus euentum cum principe Iairo, & alium interspargit, quòd mulieris infirmæ exemplo, & Iairi imbecilla fides corroboraretur, & simul ostendatur, quomodo etiam infirma Deus elegit, quæ ea fide & sanctimonia prominerent, qua sanctos & potentes huius seculi confunderent. Vnde Euangelista uoce, ecce, utitur, ut attentos reddat lectores, quasi de iis rebus dicere uelit, quæ & sunt difficiles & omnipotentiam Christi commendat, nimirum ut declaret magnum illud mysterium, de intercepta per Gentes gratia, quæ propriè ad Iudæos pertinebat. Christus enim, in Iudæa notus, missus erat ad Iudæos: & tamen Gentes ueniunt, & interceptiunt gratiam. Obserua, uox, mulier, emphasim habet à sexu. Magnæ consolationis exemplum legitur in hac muliere pro omnibus mulieribus, quòd non minus pertineat ad Dei gratiam, quàm uiri. Pergebat certè Christus ad Iairum Archisynagogum, uirum magni nominis & dignitatis inter Iudæos, ut filiam eius sanaret. Ne igitur mulieres & abiectiores homines suspicarentur se contemptos à Deo, sit, ut inter eundem lubens Christus mulieris pauperis, immundæ, ac propter immunditiam inhonestæ, miseretur. Atque hoc exemplo omnibus miseris & abiectis hominibus spem faceret, se tanto gratiores esse Do-

Christi man-  
suetudo.

Benignitas  
Christi, om-  
nibus parata

Duo pietatis  
officia, iis,  
qui præsumt,  
in primis ob-  
seruanda.

Uia fides,  
etiam minu-  
ta, quantum  
possit.

Christum pa-  
scentem mul-  
ti, patientem  
pauci sequi-  
tur.

Per infirma  
mundi fortif-  
sima quæque  
eneruat De-  
eccc.

Gratia Iu-  
dæis debita,  
à Gentibus  
intercepta.  
Mulieres nò  
exclusæ à  
gratia Dei.

Christus be-  
nelicus erga  
omnes.



mino Deo nostro, quantò in hoc mundo abiectiones sunt.

Quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.

Quemadmodum leprosi, febricitantis socrus Petri, & paralytici historia paulò antè narrata, ita quoque & hæc fluxu sanguinis laborantis scemina docet, Christum & medicum esse, & Dominum morborum omnium, neque quicquam tam desperatum esse ac deploratum, quod non possit Christi uirtus curare. Ergo quod hic de morbo mulieris narrat noster Euangelista, paulò copiosius attingunt, & multis circumstantiis morbum, seu necessitatem mulieris, exaggerant Marcus 5. & Lucas 8. cap. nempe à circumstantia temporis, quòd integris annis duodecim hoc grauissimo morbo sit uexata. Ecce morbus inueteratus. A circumstantia personarum, curationem promittentium. Multis annis medici de ea solliciti, spem aliquam sanitatis recuperandæ faciebant. A dilapidatione omnium bonorum in medicos, Omnes enim suas opes, & omnem suam substantiam erogauerat, imò effuderat in medicos. Quid enim non facimus sanitatis gratia? Nec tamen quicquam interim sensit auxilij, sed grauius subinde laborauit, & in dies habuit deterius, quàm si medicis nunquam fuisset usa. Ecce morbus deploratus. Non enim dicitur, ab uno aut altero medico, sed à compluribus: quo significauit, quorumuis medicorum operam in hac muliere sananda fuisse inualidam, atque aded in medicos dilapidata fuisse illius bona, ut nihil superferret quod aliis erogaret medicis, unde perditam erat ualetudo, nihil salutis sperabatur, iacta erat alea, nihil præter eam magis inclarescat potentia Christi, qui potuit curare morbum coram hominibus incurabilem. Quare si conferantur omnia, & aptentur iuxta spiritum, proculdubio facient ad ornandam amplificandamque Domini Iesu Christi uirtutem & gloriam, qui uel sola suæ uirtutis umbra morbum deploratissimum & tenacissimum sanat. Præterea ex his agnosces adumbratum, quid uires hominum, quid studia, & artes ualeant, si non adsit uigor diuinæ potentie ac gratiæ. Nec propterea quòd hæc mulier impenderat omnem suam substantiam in medicos, & nihil adiuuenti senserat, sed magis in deterius uenerat, damnanda uenit medicina, siue ars medendi, & ordinarius medicinæ usus. Ut enim uerba Petri, Ioannis 20. per totam noctem laborantes, nihil prendidimus, non damnant laborem. Ita nec ista Euangelistarum uerba de frustrato sumptu in medicos impenso, damnant medicinam, quæ est donum Spiritus sancti. Nam qui medicinæ usum damnant, non sanius agunt, quàm si etiam cibo interdicerent. Cibus enim magni morbi, nempe famis, remedium est. Et quemadmodum cibus & potus organa sunt, diuinitus ordinata ad conseruandam uitam, ita & medicina organum est diuinitus ordinatum ad conseruandam uitam sanitatem, & ad mitigandum morborum dolorem. Ad hæc si res inuisa esset usus medicorum, in lege sua Deus haudquaquam statuisset, ut qui proximum suum percussisset, mercedem medici persolueret, Exod. 21. Neque etiam omnium plantarum & animalium cognitionem, quæ præcipua medicæ artis portio est, tanquam eximium donum Salomoni regi & contulisset & in ipso prædicasset, 3. Reg. 4. Quare Ecclesiasticus rectè scriptum, 38. capite reliquit, Altissimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit ab illa. Vnde & Rex Ezechias, etsi habebat promissionem Dei, se adhuc quindecim annos uicturum, utitur tamen medicina, quemadmodum scribitur, Isaia ca. 38. Doctrina igitur demoniorum est, impium pronuntiare, si quis bona Dei creatura utatur. Responsabit fortassis aduersarius, adducens locum, 2. Paralip. 16. de Asa, quem scriptura propter usum medicinæ reprehendit. Sed reuera scriptura nõ reprehendit Asa ob medicinam, sed quòd Dominum non requisierit, magis confidens in medicinam, donum Dei, quàm in Deum ipsum: ita enim scribitur, Aegrotauit Asa

Christo morbi omnes cedunt.

Christi uirtus, nullis finibus circumscripta.

Ars medicinæ, nequaquam damnanda.

Medicinæ ars a Deo, si que in literis sacris commendata.

Asa rex Israel reprehensus, quòd medicis magis, quàm Deo fideret.

dolore pedum uehementissimo, & nec in infirmitate sua Dominum quæsuit: sed magis in medicorum arte confusus est. Certè quòd Domino medicos prætulit, culpatur, nunquam culpandus, si spe in Dominum in primis collocata, medicorum postea opera, tanquam Dei beneficio fuisset usus. Quare non damnatur usus medicinæ, sed nimia confidentia in medicinam, donum Dei. Utendum igitur medicinæ, tanquam dono Dei, sed confidendum est in solum Dominum Deum nostrum, à quo solo medicina suum incrementum & benedictionem accipit. Dabit igitur operam pius, morbo correptus, in primis, ut cognoscat sese à Domino ideo corripitur, ne cum mudo damnetur, 1. Corinth. 11. Et ad percutientem se patrem conuertens, peccatum suum illi confitebitur, veniamque orabit, & sanitatem precabitur, si ita patri cœlesti uisum fuerit. Deinde in nomine ipsius, quæ ad medellam corporum nostrorum condidit, cum gratiarum actione utetur, omni tamen fiducia in bonitatem patris percutientis (qui idem rursus sanat) collocata. Hoc dum pius fecerit, nunc uidebit Dominum, ministerio rerum medicarum, ualetudinem sibi commodè restituere, & ita in creaturis, patris sui cœlestis bonitatem effusam agnoscet: nunc frustra illis utetur, & ita uidebit Deum suam uirtutem haudquaquam alligasse rebus externis. Colligamus ex his summam rei. Cum nos oporteat non solum nobis, sed etiam proximo uiuere, ergo illi ualetudinem nostram debemus & conseruare integram, & restituere collapsam, quatenus in nobis fuerit, & Dei consilio concessum erit, siue id exhibeat Deus insolitis remediis, siue secus. Quibus enim medicorum opera non potest contingere, quòd neque medici, neque pharmacopola cum pharmacia adsunt, iis non minus à Domino corporum salus speranda est, cum in rem eorum fuerit, atque si mille Aesculapii uterentur. Sed cum dono Dei & medici & medicinæ adsunt, & illarum usum negligunt, ac damnant, non secus peccant, quàm qui cibis à Deo conditis interdiciunt, & bonas esse Dei creaturas negant. Iam ad textum redeamus. Quæ sanguinis fluxum patiebatur, id est, hæmorrhœosa erat, & sanguinis profluio laborabat. En necessitatem morbi, qua mota fuit mulier adire Christum. Propter hunc morbum immunda erat iuxta legem Leuitici, 15. cap. Duodecim annis, exaggeratio est necessitatis, à circumstantia temporis ad quod durauit necessitas, quò inde magis inclarescat potentia Christi.

Pi' ager corpore, quid agat.

Deus nõ semper medicinæ ope sanat.

Aduersus rei medicæ obsoles.

Accessit retrò.

In rebus ita desperatis, uideamus, quid hæc prudens hæmorrhœosa prudenter fecit, & quid uirtus & beneuolentia Christi præstiterit. Desperans de propriis uirtutibus & omni opera medicorum, ut filia Abraham, in spem credidit. Nam tantam sibi fidem & persuasionem ex operibus beneficiisque Christi, tam auditis, quàm uisis, per spiritum Dei parauerat, ut iam planè nihil dubitaret, cõtractum uestimentum Christi longè efficaciorum esse omni medicandi peritia, & omnibus medicamentis. Vnde ea mota est in Christum fiducia, ut nihil dubitauerit accedere ad eum, quæ credidit posse, quibusuis morbis imperare, & eos aliò relegare. Hoc accessu à posteriore parte (qui est signum humiliationis in animo mulieris) Matthæus ostendit, quàm ualdè hæc mulier sese abnegauerit, & infra Christum deiecerit, ueluti apud seipsam ita colligens: Hic tam mansuetus, ac erga omnes benignus est, ut neminem contemnat, quosuis excipiat, & omnibus benefaciat. Tanta eius est potentia & uirtus, ut & morbi, etiam deploratissimi, uerbo eius obediant. Iam nihil opus est ipsam Dei potentiam tantam contingere, imò ne integumentum quidem, ipsam inquam uestem eius: satis fuerit uel fimbriam oramque pallij seu togæ summam tetigisse. Cum itaque summam hanc fiduciam animo concepisset de Iesu, clanculum accessit à tergo, ueluti suffuratura beneficium. Retrò accedere, humiliationis est signum, quam parit propriæ indignitatis cognitio. Certè peccata

Rom. 1.

Hæmorrhœosæ fides.

Peccata probe agnita, qd faciunt.



faciunt nos retrò accedere ad Christum: peccata faciunt, ut nos indignos gratia Dei iudicemus: peccata faciunt nos non audere cum publicano leuare oculos in cœlum. Hæc omnia fiunt, dummodo spe uiua erigamus nos ad misericordiã Dei pro peccatorum remissione, & certò statuamus apud nos Christum posse & uelle iustificare nos. Similia exempla ueræ humiliationis habes in Centurione supra, 8. cap. & Luc. 17. in peccatore non audente leuare oculos suos in cœlum.

Et tetigit fimbriam uestimenti eius.

Derelictis medicis, & ipsis iam uale faciens, quòd opera ipsorum bis misera esset, nimirum malæ ualetudini accesserat inopia, & ingrauescere morbum magis magisque senserat, turbæ sese immiscet, nihilque moratur suam legalem immuniciem, certa de eius bonitate, & clementia, ad quem tanto cum desiderio festinabat, à tergo uestimenti oram contingit, nihil dubitans, se uoti fore compotem, tantus erat fiducia conceptæ ardor. Obserua. Fimbria uestimenti, est gustus bonitatis Christi, per quem liberamur ab affectu impietatis.

Dicebat enim intra se: si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero.

Hæc sunt uerba, hæc sunt cogitationes uehementissimæ & ardentissimæ fiducia. Hanc ætiologiam addit Euangelista, ut necessariam, ne tibi persuadeas hanc mulierem confisam fuisse in fimbriæ contactum, sed quòd tantam habuerit in Christum fiduciam, ut crediderit se posse ad sanitatem pertingere, si tantum daretur illi fimbriam attingere, etiam si non loqueretur ei Christus. Et salua ero, hic est effectus, in quem tendebat fiducia. Ad eò magnam de Christi potentia induerat expectationem, ut nihil dubitaret de salute, modò si uel fimbriam uestimenti Christi tangeret. Et hoc est, ex certa fiducia salutem sperare de Christo, non de fimbria: licet fimbria medium quoddam fuerit per quod ex Dei gratia sensit mulier beneficentiam Christi. Nam quemadmodum umbra Petri, Act. 5. cap. & sudariola Pauli, Act. 19. sanauerunt infirmos, non quoniam fiducia esset in umbram & sudaria, sed ut confirmaretur fides piorum in ipsum Christum, operatam per suos sanctos, aut per aliquid ad ipsos pertinens, ita & in tactu fimbriæ confirmata est mulieris fiducia in Christum. Vnde Hilarius, in hoc (inquit) magna est uirtutis dominicæ admiratio, cum potestas, intra corpus manens, rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & usque in uestium fimbrias operatio diuina procederet. Non enim comprehensibilis erat Deus, ut corpore clauderetur. Assumptio namque corporis non naturam uirtutis inclusit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis uirtus assumpsit. Obserua hanc mulierem longè Archisynagogo præstantiorem. Non enim dicit, Veni domum meam, non apprehendit uestimentum, non quicquam detinuit, digitis solùm tetigit. Vnde cum posterior uenisset, prior tamen curata recessit. Et ille quidem medicum ducebat domum, huic uerò solus tactus suffecit. Nam & si ægritudine tardabatur, fidei tamen uoluntate uolabat. Marcus paulò copiosius narrat: Et confestim (ait) siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore, quòd sanata esset à plaga. Hæc circumstantia temporis (confestim) commendat nobis potentiam fiducia mulieris à suo effectu, quem impetrat, qui est sanitas. Certè neque falli neque fallere nouit Deus. Non sefellit illà fiducia, de Iesu cõcepta: uoti compos facta est mulier, attracta ueste sistebatur profluuium, sensitque mulier natiuum corporis uigorem restitutum, ita ut sentiret iam se ex omni parte sanata esse. Hæc nos admonent manifestè, quòd non sit de salute desperandum, etiam si omnia naturalia deficiant. Exemplo erit hæc mulier, quam uides, nullas amplius habuisse opes, quas in medicos conferret: & quamquã diuitias Cræsi possedisset, ac omnes è toto orbe terrarum medicos conuocasset, eiusmodi tamen morbo laborabat, qui medicina usu magis augebatur, quam tollebatur.

Omnia Christi, admiranda potestatis per Christum.

Mulier uero præstantior.

Fides aduersus naturæ imbecillitatē pugnat.

lebatur. Quid ergo fecit? Num de salute sua desperauit? Minimè omnium. Quod enim apud homines impossibile est, hoc Deo non possibile tantum, sed etiam facilissimum factum est. Si nihil iuuent naturalia & ordinaria, noli animum despondere, sed eleua mentem tuam ad Deum, & inuoca ipsum ex fiducia, tunc ueniet tibi auxilium à Domino. Dominus enim Deus noster non tam inops est, ut non nisi ordinaria & naturalia habeat ad conferendam afflictis salutem. Habet plura extraordinaria, quam mens humana possit: habet supernaturalia, habet cœlestia, quibus ex afflictione liberare potest. Mare rubrum, ad quod Israëlitarum ab exercitu Pharaonis coartabatur, neque pontem neque nauigia habebat, fiebat tamen ita permeabile, ut Israëlitarum sicco pede transierint in desertum: in quo nec erant agri, nec frumenta: inuenit tamen Deus rationem, qua Israëlitas pasceret. In afflictionibus igitur attollamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, qui ut diues est in misericordia propter Iesum Christum filium suum, ita etiam sapientissimus est in excogitandis rationibus, quibus nos in omnibus etiam desperatis rebus seruet.

Dominus, omnipotens ad saluandis.

Deus tū maximè potentiam suā exertit, quum nihil quidquã spei aliunde alligat.

At Iesus conuersus.

Exemplum Philanthropiæ Christi: qui nolens latere tam insigne fidei exemplum, simulque docens non esse celandam Dei gloriam, ut eliceret beneficij confessionem, conuersus est ad turbam. Quæ conuersus egit Christus, paucis quidem perstringit Matthæus, sed paulò copiosius ac plenius Marcus & Lucas referunt his uerbis, Mulier accessit retrò, & tetigit fimbriam uestimenti eius: & confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore, quòd sanata esset à plaga. Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem, quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat, Quis tetigit uestimenta mea? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant, Præceptor turbæ te comprimunt, & tu dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus, Tetigit me aliquis. Nam & ego noui uirtutē de me exiisse. Et circumspiciebat uidere eam, quæ hoc fecerat. Videns autem mulier, quia nō latuit, & sciens, quod factū esset in se, timens & tremens uenit, & procidit ante pedes eius, & ob quã causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quæadmodum confestim sanata sit. Iesus autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua. Hactenus Marcus & Lucas. Hæc pulchrè depingit, quæ sit uirtus Christi diuina, & uis ac effectus uiuæ fidei. Quid est autem, cur Christus tam sollicitè inquirat, Quis me tetigit? Certè ut hac inquisitione mulierem in publicum produceret, ac spectaculum ex ipsa faceret. Profectò facta est spectaculum publicum. Nimirum procidit ante pedes Iesu, & indicauit coram omni populo, ob quam causam tetigisset eum, & quemadmodum confestim sanata fuisset. Quanto existimas pudore, quantaque confusione mulierem affectam fuisse, quòd necesse habuit pudendum morbum suum manifestè coram omni populo confiteri? Sed bene habet. Christus coniecit eam in hanc confusionem, non ut afficiat ipsam ignominia, sed ut illustretur miraculum, & mulieris fides commendetur. Atque hoc Domino Deo nostro solenne est, quòd pudefaciat suos, ut glorificet eos. Ioseph conieciatur in carceres, ut adulter, qua infamia quid potuisset nomini eius turpius accidere? Sed hæc ignominia erat schola Ioseph, qua erudiebatur ad capeffendã gloriam principatus in Aegypto. Dauid expellebatur in exilium, ut seditiosus, & reus criminis læsæ maiestatis regiæ. Quid potuisset ei ignominiosius accidere? Sed hæc ignominia exercebat Deus Dauidem, ad exaltandum ipsum in fastigium regiæ maiestatis. Quid referam de ipso Christo, qui ignominiosissimo mortis genere affectus est? Sed exaltauit illū pater in summam sublimitatē, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Non ergo Christus Hamorrhousam publicè pudefacit, ut perdat ipsam ignominia, sed ut glo-

Nemo est Christi, sine confusione in hoc mundo. Ioseph. Dauid.



ria eam afficiat. Quotò autem honore illam affecerit, mox dicemus, explicâtes, Confide filia, &c. Deinde hæc Hæmorrhousa protrahitur in lucem ad confessionem salutis, idque ad eruditionem non ipsius solùm, sed & astantium etiam, qui inde ad fidem allicerentur. Huius enim exemplo uoluit Christus Archisynagogo, Iudæis item, & omnibus nobis plenæ fidei exemplum statuere ob oculos, ac uirtutem suam maximam illustri mulieris confessione ac reuelatione plenius exponere. Fuit clara & illustri fide præditus Abraham: at mansisset illa hominibus obscura, nisi Deus ipsam insigni illa ac rara tentatione de immolando filio produxisset in lucē. Ita & hoc miraculū, & hæc fiducia huius mulieris latuisset nos, nisi illam in publicum Christus produxisset. Rursum quòd illa uenit timens ac tremens ante pedes Iesu, significat, quàm diligenter retinere debeamus timorem Domini ac tremorem in omnibus, non arroganter, sed reuerenter ambulâtes coram illo in humilitate cordis, ac uitæ innocentia. Certè malè habent multorum conscientia, plus æquo securæ & temerariæ, nullo timore Dei præditæ. Aduersus quos clamat & inuehitur Paulus, sed cum admonitione, Roma. 11. Tu autem fideista: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Et ad Philipp. 2. Cum metu & tremore uestram salutem operamini. Aduerte, quòd mulier dixit, quemadmodum confestim sanata est, &c. Hæc pertinent ad gratiarum actiones: quibus & commendat mulier beneficium Christi, & pro illo simul gratias agit. Sanitatis enim confessio, est quædam species gratiarum actionis.

## Confide.

Christus præcidentem ad pedes, & ingenuè confitentem rem omnem, ut erat, mulierem trepidam, ac metuētē, ne iratus suum beneficium repeteret, consolatus est, dicens, Confide, id est, bono animo esto. Quantum quæso solatium, quanta gloria est, à Christo consolationem accipere, iubente bene sperare?

## Filia.

Quantus quæso honor est huic, dici filiam Christi? quanta item felicitas? Ad filiam enim pertinet patris hæreditas. Christus igitur uocans hanc suam filiam, significat ipsam heredem esse omnium bonorum Christi, quæ sunt, remissio peccatorum, uitæ æterna, & perpetua felicitas. In hac uoce Christi, ô filia, expressum est, quicquid habet totum Euangelium, quod nihil aliud est, quàm doctrina annuntians nos esse filios Dei, atque fieri filios in Christo.

## Fides tua, te saluam fecit.

Fidem intelligit, non historicâ, sed eam, quæ & intellectus & uoluntatis actum comprehendit, hoc est, fidem, quæ charitati iuncta est, quæ per charitatem operatur, qua nos ipsos abnegamus, & totos Christo contradimus. Fides tua, id est, tua fiducia in me summū medicum, fecit te saluam, id est, peperit tibi sanitatem. De hac fide copiosius scripsi in Ioannem. Vide si iuuat: index te docebit locos. Cùm dicit saluam, intelligit & corpore & anima. Obserua, quòd non dixerit, uirtus mea te saluam fecit, sed fides, &c. Tametsi manifestum sit uirtute diuina nos omnes saluos fieri, tamen ita uoluit refellere errorem quorundam, dicentium, uirtute Dei salui sumus, & Christus sua morte peccatum omnium expiauit, & pro omnibus satisfecit, quid igitur necessaria est mea opera? Profectò hi nebulones, scientes errant: idque aliquando sentient, nisi egerint pœnitentiam: propterea Christus, licet omnibus sit expositus, uelutque omnes sua uirtute saluare, uult tamen ut ab ipso petamus hoc beneficium: uult, hanc beneficentiâ sentiamus. Et ut præueniente eius gratia uelimus hanc salutē, & ut necessarius est actus liberi arbitrij, quem tamen præuenit fauor spiritus siue gratia, qua possimus fidere: ideo

Christus, ut hanc mulierem in ea fide siue fiducia confirmaret, & eidem manifestaret uiam acquirēdæ salutis, dixit, Fides tua. Iam si solùm dixisset, Virtus mea, prædicasset quidem uirtutem suam, sed non uiam apprehendendæ salutis, & participandi uirtutem diuinam. Hac enim uiua fide efficiuntur filij Dei. Sciebat quidem mulier se saluam uirtute diuina, sed hoc mysterium & hanc potentiam uiuæ fidei nesciebat. Quid quæso mihi conduceret, si quis diues prædicaret & se magna suis opibus fecisse, id quod alioqui non ignorarem, nisi ostenderet uiam, qua fieri possem particeps potentia & opulentia illius? Colligamus ex superioribus: Tametsi sola uirtus Christi hanc mulierem, sicut & reliquos omnes, saluat, tamen huius uirtutis Christi talis est natura, ut neminem saluet, nisi aduerit uiua hæc fides siue fiducia in Christum, quæ donum Dei est, & non ex operibus nostris, ut ne quis gloriatur, Ephes. 2. licet non sit sine bono motu nostro, qui est à uoluntate & gratia præueniente. Quare totum Christo debetur, licet ea sit Christi bonitas, ut dicat nostrum opus, fidem tuam, aut uestram, non autem meam fidem. Atque hinc tuæ uiuæ fidei mercedem reddit. Hæc uiua fides, siue in Christum fiducia, habet se correlatiuè ad gratiam & misericordiam Dei; ita ut nulla eorum sine altera proficit. Vnde cùm Paulus, Ephes. 2. semel posuisset, Per gratiam estis saluati, ne quis putaret id factum sine fide, mox idem resumēs, dicit, Gratia enim estis saluati per fidem. Marcus & Lucas scribunt Christum, post hæc uerba, fides tua, &c. dixisse, Vade in pace. Pax, res salutis cognata est. Roma. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Nomine pacis intellige conscientia tranquillitatem, unde certum est, mulierem etiam in anima fuisse curatam. Theophylactus ait, Nisi hæc mulier habuisset fidem, nunquam recepisset beneficium, quauis sanctas contigisset uestes. Dicunt autem (ait ille) quòd statuam Domino fecerit, ad cuius pedes nascatur herba, quæ profluuio sanguinis laborantibus medeatur, quam Iuliani temporibus impij contriuerunt.

## Et salua facta est mulier ex illa hora.

Fuerat sanata, quando simbriâ tetigit: referenda sunt ergo uerba iuxta id, quod supradictum est. Ex illa hora, circumstantia est temporis, commendans potētiam Christi iuuantis, & efficaciam uiuæ fidei credentis. Marcus scribit, Esto sana à plaga tua. Esto, hoc loco, uox est consentientis, & confirmantis incolumitatem mulieris. Quo uerbo mulierem adhuc timidulam confirmat, & excitat spiritū eius, ut sciat hanc sanitatem, esse Christi donum, quod potest etiam acceptum auferre. Absoluto hæmorrhousæ miraculo postea redit Euangelista ad integrandam delairo historiam, nouo miraculo interruptam. Priusquam tamen peruenisset Dominus ad aedes Archisynagogi, Lucas ait.

## LVCAS. 8. Adhuc illo loquente uenit quidam ad principem synagogæ, dicens, En mortua est filia tua.

Instabat uehementer Archisynagogus, ut Christus professionem suam acceleraret, uehementer anxius de uita puellæ, & ne accideret, quod mox per nuntios audiuit. Tentabatur ad desperationem de uita puellæ, ita apud se cogitans, Si mortua fuerit filia, ut fortassis est, frustra adduxero magistrū. Dum apud se hac tam graui & molesta tentatione propè conficeretur, qua luctabatur fides cum diffidentia, profectò, quod uerebatur, accessit, nimirum eorum, qui domo uenerant, testimonium, quòd, quæ cogitabat de morte filia, uera erant. A iunt enim: mortua est filia tua. Non est opus magistro, ablata est occasio sanitatis. Hi typum gerunt eorum, qui credunt Christum quidem iuuare posse præsentē occasione, qua tamen adempta desperant de præsidio Christi. Nam in hunc sensum argumentatur hic de morte puellæ nuntius iuxta rationis iudicium: Mortua est filia, ergo noli uexare magistrum. Item filia mortua est, ergo frustra disputatur de sanitate. Rur-

Christus insigni aliqua tētarione insignē suorum uirtutem prodit.

Timor Domini nūquā non mordicus rennendus. In conscientias plus fatiscuras.

Bona Christi, quorum filij hæredes sunt, quæ. Euangelium, quid.

Fides Euangelica, quæ saluat.

Bona sua cui que opera necessaria ad salutem.

Qui iustificatur peccator.

Virtus Christi neque sanatur neque seruatur fide uacuos. Omne bonū, Dei donum est. Christe, quæ in nobis agit, dicit nostra esse.

Pax, salutis comes. Pax est uera animi tranquillitas. Statua Christo ab hæmorrhousa posita.

Esto. Christus sua dona auferre potest.

Rationis humana argumenta, secūdu Deū futilia.



sus, Si puella parum uitæ adhuc haberet, posset restitui sanitati. Sed quia ne minimum quidem uitæ habet, ideo non potest restitui sanitati per Christum. Adempta enim est occasio sanitatis & uitæ. De uiua non esset desperandum: at de mortua nulla relinquitur spes.

L V C. Noli uexare magistrum. M A R C. Quid ultra uexas magistrum?

Hi sentiebant de Christo, ut homine diuino, & medico, nondum planè ac rectè de ipsius diuinitate ac humanitate iudicantes. Siquidem putabant Iesum esse quendam insignem medicum, qui uiuæ quidem filiæ salutem dare posset. Et idcirco superuacaneum esse iudicabant ad exanimem puellam iam accersere medicum quamlibet egregium. Hic adumbratur rationis ingenium & argumentum aduersus prædicationem de poenitentia, in qua audiuntur omnia mortua esse, & mortificata, & ideo currendum esse ad medicum Christum, qui mortuum peccatorem uiuificet. Prædicanti exclamat ratio, Noli uexare Magistrum. Mortua enim est anima, & nihil habet uitæ. Non poterit igitur Christus poenitentem, cum sit mortuus, uiuificare.

Ratio humana cum prædicatione poenitentiae pugnans.

M A R C. Iesus autem audito uerbo, quod dicebatur, ait Archisynagogo.

Pro suo more Christus permittit prius contristari Iairum, & in desperationem auxiliij humani incidere, ut ex desperatione in spem ueniat: hoc est, quod de Abrahamo dictum est, in spem contra spem credidit. Audito itaque uerbo de mortua filia nihil ad istos nuntios, qui è domo Iairi uenerant, nimirum è medio ululantium ac gementium, dixit, quod ad istos potissimum non spectaret mortuæ filiæ calamitas: sed ad patrem conuertitur, ipsumque consolatur, confutans argumentum rationis, & diffidentij luctantium contra fidem Iairi: & ostendens se posse iuuare etiam sublati occasione presentibus, hoc est se posse mortuum uiuificare. Quo responso insinuat se Christum esse Dominum mortis, id quod postea restitutione puellæ declarat. Obserua hoc loco Christi benignitatem ac curam, quam de erigendis pusillis & infirmis habet. Deinde ipsum non ignorare infirmitates at tentationes nostras, nec negligere suos, sed mox, atque necesse fuerit, opem ferre, etiam non rogatam.

Ex desperatione spes.

Christus, Dominus mortis. Christi benignitas erga nos.

M A R C. Noli timere, tantummodo crede. L V C. Et salua erit.

Summa Euangelij his uerbis, Noli, &c. comprehenditur, quod Euangelium annuntiet pacem & tranquillitatem cum uictoria aduersus carnem, diabolum, & peccatum. Quasi dicat Christus: O Iaire, quia filia tua mortua est, noli timere, id est, noli dubitare de præsidio meo, tibi promisso: tantum crede, id est, contra de te mihi. Certò statue apud te, me ueracem esse, crede me esse Dominum mortis, qui & morti & omnibus aduersariis imperare possum. Obserua. Verbum timere hoc loco opponitur uerbo credere. Estque hic timor signum infidelitatis. Dicit ergo, tantummodo crede. Quasi dicat, Et si non habeas magnam fidem, tu tamen duntaxat ne diffidas. Et salua erit, id est, uoti compos euades, nimirum uiuet filia tua. Vox tantummodo crede, uidetur hoc insinuare, ac si diceret, Tametsi alij aliter de me sentiant, & de mea potestate ad suscitandam puellam, desperent, ac neque intelligant neque credant me posse filiæ tuæ mederi, tu tamen crede, hoc est, in me fidito, & uiuet filia tua, quam tibi mox uiuam reddam. Obserua. Verbum, & salua erit, promissio uitæ est, etiam in ipsa morte. Qua in re agnoscitur Christi potentia.

Timor, modice fidei argumentum.

Promittere uitam, etiam si media morte, potentiam Christi arguit.

Et cum uenisset Iesus in domum principis.

Cum iam uentum esset ad domum præfecti synagoge, non permisit (ait Lucas)

intrare secum quenquam in locum, ubi iacebat funus, sed omnes eiecit, ut mox diceretur, præter Petrum & Iacobum & Ioannem, primarios in suis discipulis, & patrem & matrem puellæ, quos secum assumpsit, & hos certos ac numeratos testes introduxit. Quod hos tres ex discipulis secum, ab aliis separatos, deduxerit, sicut & infra, 17. cap. quando transfiguratus est, & cum esset luctaturus cum mortis angustia in orto, antequam raperetur ad crucem, significat se delectum habuisse in instruendis & formandis discipulis. Ita ut quosdam uoluerit latere, quæ cæteris patefaceret. Atque hos tres ueluti potiores ad ista secretiora spectanda elegit. Vnde admonemur in ecclesia seruandam esse discretionem quandam in administranda Christi & regni sui cognitione. Sicut & ipse Christus non pari ratione mysteria regni sui vulgo promiscuo & discipulis suis tradidit, sed vulgo per parabolas, discipulis uerò secretò & apertius. Certè pro captus nostri ratione dispensanda est Christi & regni eius cognitio: quemadmodum fit in ludo literario, ubi non statim audit tyrunculus sublimia philosophiæ præcepta, sed omnia certo ordine pro captu discipulorum traduntur. Vnde Paulus, 1. Corinth. 3. tanquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. Et Augustinus libro de catechizandis rudibus pulchrè docet, quomodo in cognitione sacramentorum aliter rudiores, & aliter doctiores sint instruendi.

Christi tres ex discipulis suis quare ceteros fecerit secretiorum suorum operum.

Dispensatio nis mysteriorum Christi ratio habenda.

Et cum uidisset tibicines.

Qualis fuerit luctus, ex eo manifestum fit, quod Matthæus narrat tibicines adfuisse, hoc est conductos aliquos auletas, qui cantu lugubri reliquos ad ploratum & eiularum incenderent. Conducebatur enim etiã, sicut & hodie apud quosdam, personati quidam, qui ceremonias illas luctuum exequerentur. Sic tempore Chrysofomi uocabantur ad agendum luctum quaedam mulierculæ (quales & his temporibus uidi in Vasconia hoc lugubri fungentes officio) quæ in hoc fectè lugendi ac plorandi artificio exercitate erant & instructæ. Ad quem usum uidemus hoc loco uocatos tibicines, uelut requiem cantantes. Certè uidentur Iudæi à Gentibus suos illos tibicines mutuati esse. Indicat enim Plato, 3. dialogo de republica, siue de iusto, ueteribus fuisse quatuor harmoniæ genera, Ionicam uidelicet, Lydiã, Doricam & Phrygiam: & hisce concentibus uariè illos commouisse animos hominum uel ad iram ac indignationem, uel ad misericordiam atque luctum. Dorica quodam modo referebant clamorem uiri fortiter ineuntis prælium, Lydia sonabant quiddam lugubre ac funebre, cuius generis & hos nostros tibicines cecinisse certum est.

Auletae & autletrides.

Præfice.

Cantus septilcheales à gentibus ad tuos de fluxit se.

Et turbam tumultuantem.

Vox, tumultuantem, & uerbum ex Marco, Quid turbamini, indicant luctum istorum, qui uenerant comitaturi funus puellæ ad sepulchrum, immodicum, superstitiosum, & ethaicum fuisse, quem ob id Christus reprehendit. Non solum tumultus hic erat, nec duntaxat flentes erant, sed & eiulantes, quod est sine modo ululantium. Si te delectet agnoscere, quam absurda in luctu mortuorum passim Gentes olim admittebant, legito Lucianum de luctu. Hic luctus planè interdictus est Christianis, nec permissus, ut more Gentium luceant. Quod pulchrè docet Paulus, 1. Thessal. 4. dehortans à luctu, quo Gentes utebantur, spem non habentes. Non tamen adimendus est omnis luctus, ne Stoicis ipsis stupidiore uideamur, qui in mortibus suorum nullam prorsus compansionem, ne naturæ quidem erga suos ostendunt. Gratus erit Deo luctus moderatus, atque dolor de morte fratris & necessariorum, qui naturæ & charitatis est. Fidei autem erit, ut non dolcamus supra modum. Alioqui, cur Christus dicitur misertus mulieris uiduæ, quæ filium suum mortuum flebat, Luc. 7. Deinde cur fleuerit etiam, quando ad Lazari sepulchrum ducebatur, Ioan. 11. Item cur Paulus Philipp. 2. scribit de Epaphrodito,

Luctus in p̄sa funebri, gentibus solennis, Christianis interdictus.

Luctus quatenus Christianis permissus, Stoica apathia.

Luctus in sacris laudibus eius. Christus, Paulus.



Nam & infirmatus est (inquit) usque ad mortem: sed Deus misertus est eius, non solum autem eius, uerum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Pater Iacob impendit luxit super Iosephum, cum discerptum à bestia putaret: uicissim mortuum ipsum filius magnifico & sumptuoso luctu prosequutus est. Mors enim suapte natura (ut quæ cum peccati nostri, tum iræ Dei nos admonet) luctuosa est: & desiderium eorum, quos habemus charos, non potest non esse molestum. Neque Deus *ἀντιθετός*, hoc est, indolentiā, & sine affectu ac compassione animum, requirit, de qua Stoici disputarunt. Certè diuina percipiuntur spiritu, qui & animam ad illa trahit. Veruntamen pro isto statu & modo, qui uitæ præsentis competit, in qua & anima adhuc carni & sensibus immersa est, sensus ipse adhuc urget iudicium, quod affectus ipsi sequuntur. Vnde cum nihil æquè atque mortem natura horreat, non potest non moueri, cum mors rapit quæ chara habemus. Putauerim ego euidens argumentum & testimonium esse raræ admodum erga uiuos charitatis, quod id genus homines nihil compassionis erga mortuos sentiunt. De sepultura & pompa funebri aliàs in Ioannem scripsimus. Superba & sumptuosa pompa funebris abrogetur, decens curetur, qua fidem resurrectionis testemur. Opes in pauperes (quos semper secum habent) diuites infumant, quorum bonum numerum si pullatis uestibus gratis induerint, nõ improbauero. Hoc enim pius & spiritale est, nudos uestire, qui funus comitentur, & preces ad Deum fundant in gratiam eorum, quorum diuitiis uestiuntur.

Dicebar, Recedite.

Iubet & tibicines & turbam recedere à funere, & ab instituto deducendi funus. Lucas scribit Christum dixisse, Nolite flere: id est, ne sitis increduli, quasi iam profusus actum sit de uita puellæ. Vnde hoc loco non flere, siue cessare à luctu & lachrymis, est credere Christum esse Dominum mortis, & posse dare uitam etiam in ipsa morte. Obserua. Hæc uoces, Nolite flere, hoc loco sunt euangelicissimæ, nimirum promittentes uitam, ubi nulla est amplius uitæ spes, hoc est, ubi mors est, & nihil uitæ. Hoc loco, flere aduersatur, credere. Meditare, pie lector, & discite, quo tempore iuuare soleat Christus, nimirum etiam tum, quando omnia sunt desperatissima.

Non est enim mortua puella.

Actiologia est cur sit recedendum à funere puellæ, & non sit flendum, non desperandum de uita puellæ, & non esse dubitandum de filiæ restitutione, sumpta à potentia Christi & Euangelij, cuius potissimus effectus est uita, seu uita dare. Ille enim Dominus est mortis. Euangelium uirtus Dei est in salutem omni credenti. Doctrina est de uita, & quod Christus est Dominus mortis. Turbæ tumultuanti, naturæ & rationi puella erat uerè mortua, non item Christo filio Dei, cui omnia uiuunt. Non negat Dominus puellam uerè mortuam esse secundum naturam, sed cum ita loquitur, narrat, ut res habet in oculis suis, non autem, ut habebat in oculis eorum, qui mortuam lugebant. Obserua in his uerbis, Nõ est mortua puella, totam Euangelij uim exprimi, quod nihil aliud est, quàm lætum nuntium, quod nuntiat uitam, etiam in ipsa morte, uel mortuis peccatoribus.

Sed dormit.

Deflexione quadam siue molliore metaphora, scriptura mortem uocat somnum. Sicut duce natura in omnibus linguis uidet ea quæ uel nimium sordent, uel horri sunt aut pudori, periphrasi, aut alio, non suo nomine appellari. Neque enim (ut quidam adserunt) sola mors sanctorum (quæ uerè somnus quidam est, cum ad uitam illi resurgant) somnus uocari solet, sed etiam impiorum: qui, ut resurgant maximè, resurgunt ad iudicium nõ ad uitam. Aequè enim de impijs re-gibus legimus, Obdormiuit cū patribus suis, atque de pijs. 1. Reg. 14. & 15. item

Isaie, 14. Propter futuram ergo resurrectionem mors à scriptura somnus appellatur. Sic Stephanus Act. 7. dicitur obdormiuisse in Domino. Et Christus, Ioan. 11. dicit Lazarum mortuum, dormire Paulus, 1. Corin. 15. uocat Christianos mortuos, dormientes in Christo. Item, 1. Corinth. 11. cap. Et dormiunt multi. 1. Thessa. 4. No lo uos fratres ignorare de dormientibus. Et, Eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum illo. Et, Nõ præueniemus eos, qui dormiunt. Augustinus tractatu. 9. super Ioannem, pulchrè dicit: Vnusquisque cum causa sua dormit, & cum causa sua resurget. Hic locus suauissimam uiris Christianis affert consolationem, cū audiunt Dominum dicere, mortem esse somnum. Et cum non dicat solum, hanc puellam mortuam dormire, sed factò quoque ipso ostendit mortuam dormire, quia alloquitur eam facilibus uerbis, uelut dormientem excitans. Hanc sapientiã nulli philosophi assequuti sunt. Et cum apud ipsos infinitæ sint opiniones, hæc uno uerbo soluuntur omnium quæstiones, scilicet, dormit. O dormit! Mors ubi es? Absorpta est mors in uictoria, ait propheta. Iam mors non est mors, sed dormitio apud Christianos, qui pro more habent locum suorum sepulchrorum *κοιμητήριον*, id est, dormitorium uocare, quod uoluerunt iuxta ædes Dominicas, siue templa esse, & ut sacrum haberi, ut eò conuenientes & dormientium memorias agant, quales & magni illi Apostoli in tremendis illis mysterijs obseruandas sanciuere, & futura recordentur mortis, ac Christianè mori siue dormire discant, ut dormientes dicantur propter futuram resurrectionem, non autem quod stupidi & nihil sentientes sint usque ad resurrectionem. Siquidem horum dum funus est in sepulchris, anima in sinu Abraham quiescunt beatæ & felices cum Christo, cuius sunt. Ad hæc publica Gentium testimonia significant, mortem, non posse esse mortem, sed somnum. Hebræi enim uocant sepulturam, domum uiuentium. Græci cœmeterium, id est dormitorium, & uariæ nationes uocant agrum Dei, uidelicet in què tot gratia, fructum in perpetuam uitam productura, seminantur & sparguntur, quot illic homines in Christo obdormiscunt, sepeliuntur. Qui ergo peccatores sunt, respiciant. Portent in uinea & uocatione Domini laborem dici & æstus, & obediant Domino tam in ferendis malis, quàm faciendis bonis, ut ad hunc tandem modum dormiant. Sic nõ possunt Gentes appellare sua sepulchra. Soli Christiani dicunt, sepulchrum meum est, meus lectulus, meum dormitorium, non morior, sed dormio. Ioan. 11. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Porro in iis, quæ in suscitanda puella geruntur, ostenditur, quæ sunt impedimenta huius fidei de uita aeterna in quolibet fideli. In primis est desperatio uitæ, quasi non sit uiuendus in æternũ. Ad id consonant turbæ (id est exempla totius mundi) quæ dicunt: Quid tu unus dubitas, cum sis sicut omnes nos, in æternũ mortuus? Secundo, Tibicines etiam ridet promissiones uitæ, hoc est, lex, & sapiëntia carnis dicat, mortem esse mortem: contra, promissiones uitæ aeternæ, esse quædam spectra, & nihil aliud, quàm mera somnia. Quia lex occidere nouit. Sic enim conscientia, carnem & magnam suam rationem sequuta, sentit. Ideo hoc istud uerbum Christi (dormit) tot turbis & scandalis obrutum, est acriter attendendum, & pro clypeo sumendum contra legem & omnia argumenta mundi: ut ori Christi adherentes & attenti, dicamus, Ecce hic magnus propheta Christus, dicit, quod dormiat puella, non curo, quid obstrepant uniuersæ cogitationes. Nihil audio inter tot turbas, nisi illum unicum, qui obscure auditur præ turbis, sed mihi clarè sonat, dicēs, Recedite, dormit puella, imò non est mortua. Hæc sunt uerba digna tali doctore, & ipse dignus, cui credant fideles. Narranti, & nobis dicenti, Mors mihi mors non est, sed somnus: mihi nemo moritur, sed omnes dormiunt tantum, respondere debemus: Amen, Iesu Christe. Neque mētiris, neque mentiri nouisti. Tantum da, ut ego mihi non mentiar, & fortiter credam, ac in te fidam me non moriturum in æternũ: & quod morior, nihil sit aliud, quàm quod ad tempus dormiam. Age, Domine, tu da mi-

S iij

Mors Christianis, non mors, sed dormitio.

Cœmeteriũ Christianũ quare sacrosanctum.

Sepulchreta uariè à uarijs appellata

Impedimẽta fidei.

Christus un⁹ audiendus, per què spes resurrectionis.



hi hanc fiduciam in te, & dic istis turbis & tibicinibus, recedite, ut recedant, & cessent meam hanc fidem in te, turbare & ridere. Nisi iusseris, ac dixeris, ut recedant, non potero illis resistere. Interim tuum sequutus uerbum, credam, me morientem non mori, sed sopiri & dormire, & me mortuum etiam uiuere: quia tibi uiuo, in quem credo, & tu uiuificas me, qui dicis de me, Non est iste mortuus, sed uiuit mihi, dormiens interim, donec eum suscitem, ut etiam sibi uiuat in me. O utinam hæc sententia & hæc fama uirtutis Christi suscitatoris, in orbem diffusa, ab omnibus exciperetur, & ipsi indiuulsi adhererent omnes, credentes, & certò apud se statuentes, Christum esse talè, qui nos mortuos, habet pro uiuis, & à somno excitandis. O quàm læti contemneremus mortem, securi, quòd ipse non mentitur, excitaturus nos, qui nobis uidemur mortui, cum illi dormiètes simus. Obserua, Mors habentibus uerbū non est mors, sed potius larua mortis, qua, ubi detegitur, nihil deterret pios, & credentes.

Mors Christianorum, non mors, sed similitudo tantum mortis.

Et deridebant eum.

Cum sermonem Domini de dormitione puellæ non intelligerent familiares & amici præfecti Iairi, deridebant eum, uidelicet certò scientes puellam esse mortuam, quam ipsi morientem uidissent. Præfectò animalis homo, 1. Corinth. 2. non percipit, quæ sunt spiritus Dei: Stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Hoc Pauli dictum pulchrè expressum est in hislugentibus, qui cum rident Christum, genium rationis explicant. Mundus & mundi sapientes ductricem habent rationem, præfectò in rebus Euangelicis cæcam. Offensi enim abiectiõne personæ Christi, uerbum contemnunt, quo contempto, neque credere neque apprehendere possunt, Christum esse Dominum mortis, & autorem uitæ. Nec Euangelium esse doctrinam uitæ, & in qua sit uita. Eamobrem sicut nunc mundus non credit, sed opus Christi putat stultitiam, sic neque Christus neque Euangelium mundo sit uita. Ratio nunquam credit, nisi quod uidet & palpat. Ideo quia uiderant isti mortuam, ut ait Lucas, scientes, quòd mortua esset, nec uident aut palpant illam ambulantem, & seipsam mouentem, ideo non credunt illam dormientem. Suo risu nihil aliud exprimere uolebant, nisi Christum esse insanum, qui mortuam puellam diceret uiuere. Omnem quidè Christi doctrinam ratio humana ridet: sed potissimum offenditur articulo de resurrectione carnis. Exemplo erit, quòd Athenienses, Act. 17. sancti Pauli doctrinam irriserunt, dum perhibuisset fore, ut mortuorum corpora reuiuiscerent. Ergo quoniam salutarem consolationem & aspernabantur & irridebant, abegit ipsos Dominus à cadauere mortuo. Quòd derisum Christum ob hoc uerbum, Nõ est mortua, &c. Euangelista scribunt, arbitror id factum, ut miraculum Christi clarius fieret, qui eam in uitam reduxit, quæ tam certò obierat diem suum, ut rideretur Christus, quòd dormire illam dixisset. Disce ex hoc loco discernere iudicium rationis de uerbo, à iudicio piorum ex uerbo per fidem comparato. Et quemadmodum hîc iudicant irrisores Christi de uerbo, ita totus mundus iudicat de omnibus rebus spiritualibus & operibus Dei. Huc pertinent loci, 1. Corinth. 1. Sermo crucis, iis quidem, qui pereunt, stultitia est: at nobis, qui salutè consequimur, potentia Dei est. Item, Christus crucifixus Iudæis offendiculum est, gentibus stultitia. Cur autem est ipsis aut scandalum aut stultitia? Quia prædicat afflictiones esse uoluptates, paupertatem esse diuitias, ignominiam esse gloriam, & mortem esse somnum, hoc est, requiem ab omnibus malis, & refocillationem ad ueram uitam. Queniam admodum somnus est requies ab omnibus laboribus, qui & hominem ita refocillat, ut remittat ipsum, multò quàm acceperat, aptiorem & alacriorem ad opera sequentis diei, ita & mors maximè piis est requies ab afflictionibus huius seculi, in qua mortui ita recreantur, ut ex ea resurrecturi sint longè omnium felicitissimi.

Ratio humana in negotio Euangelico cæca.

Ratio humana, & fides opposita.

Resurrectionem mortuorum ratio humana nõ potest credere.

Christus scâdalu & stulticia carni, & cur. Mors, quies.

non in hanc caducam, ut sit à somno, sed in perpetuam uitam. Corpora mox ad iudicij diem excitabuntur, & animabus reiuigentur. Interim animæ piorum uiuunt apud Deum cum Christo & in Christo: impiorum uerò miserimè habent.

Et cum eieccta esset turba.

Eiecit turbam, ut indignam uidere mirifica Domini opera, ne daret sanctum canibus, & margaritas ante porcos spargeret: incredula enim erat. Docuit hoc exemplo Christus se nihil agere, nisi eiecctis incredulis. Nam Euangelij uirtutes non nisi credentibus profunt. Interim manēt fideles tres illi præcipui discipuli, relicta alia discipulorum turba, antequam domum ingrederetur, & parentes puellæ, pater & mater, de quibus paulò antè diximus. Vnde Marcus ait, Ipse uerò eiecctis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediūtur, ubi puella erat iacens.

Euangelium non nisi credentibus salutare.

Intrauit, & tenuit manum eius, & dixit.

Si hæc consideraueris, & cum superiori dicto Christi (Non est mortua, sed dormit) contuleris: faciliè cognosces Christi actionem respondere uerbo, dormit. Pro more habet, qui quempiam excitaturi pergunt, ut intrent cubiculum: Christus intrat, ubi iacet puella. Manum apprehendunt: Christus manum puellæ capit, quasi adhuc esset in ea tactus sensus. Clamant illi, surge: Christus uoce inclamat, tanquam adhuc in illa esset sensus audiendi: quæ omnia in mortuis nõ sunt.

Puella surge.

Verbo sanat Christus. Magna & admirabilis uirtus Christi. Mortuis loquitur perinde atque si dormirent, & à somno excitandi essent. Audiunt, & uerbo obediunt. Marcus ipsa uerba Domini copiosius recenset, Et tenens manum puellæ, ait illi, Tabitha cumi, quod est interpretatum, puella (tibi dico) surge. Marcus hæc duo uerba, tibi dico, scripsit, quòd significantius redderet & sensum uocantis, & auctoritatem imperantis. Et hoc ipsum testatur Hieronymus ad Pammachium, in libello, cui titulus, De optimo genere interpretandi. Græci scribunt Talitha per *ταλιθα*, nõ Tabitha per *ταβιθα*. Harum uocum, altera, Cumi, germanè hebræa est, & surge significat: & Tabitha siue Talitha, Chaldaea est uel Syriaca, & significat puellam: qua uoce utitur Targum, hoc est, Chaldaea paraphrasis libri Ester, ca. 2. Videtur Marcus peculiariter oblectatus in referendis uerbis Domini, quibus in edendis miraculis est usus. Nam septimo cap. narrans surdi & muti sanationem, ait Dominum dixisse surdo, Ephphetha, quod est, adaperire, quo uerbo aures & os surdo reserauit. Voces præfectò humiles, & è medio vulgi sermone desumptæ, à Christo autem pronuntiatæ, tantam uirtutem habuerunt. Fortè illas uoluit Euangelista scribere, ut meditaremur & proficeremus in illis. Est & huius Euangelistæ, sicut & aliorum, (qui toti in hoc fuerunt, ut Christi uirtutem & potentiam nobis magnificè commendarent) signum humanitatis, quòd dignatus sit nobis hebraeam uocem interpretari.

Talitha siue Tali-atha.

Marcus uerba Domini, edentis miracula, libens retulit.

Christus humilibus uocibus usus.

Et surrexit puella.

Marcus scribit, Et confestim surrexit puella. Lucas, Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò. Hæc omnia faciunt ad exaggerandam amplificandamque Christi potentiam. Nam non solum puellam mortuam suscitauit, & præter morè prophetarum, morti imperat, & iubet spiritum, id est, animam corpori restitui, siue in corpus reuerti, sed etiam ita suscitauit, ut seclusa omni mora subito uiua facta sit puella. Et non solum uiua, sed & omni expulso & abactò morbo, surgens ambulat & manducat. Nam, ut Lucas ait, & iussit illi dare manducare. Cur iubet hoc? Ne humana media ad confirmandam sanitatem negligat. Quare uerbo sanatur, non ut postea omnia media & præsentia in hac uita occasiones contemnamus,

Non ideo, quod uerbo sanamur, media contemnenda.



sed ut illis portò in augmentum & conseruatione sanitate utamur. Secundò iussit dari, quod ederet, ad certificandam suscitationis ueritatem, ne uideretur esse phantasma. Vnde & suscitatum Lazarum, conuiuam habere uoluit. Nam eius non solum est corporis uiui indicium, sed & bene sani. Porro quemadmodum hic argumentum est uitæ & sanitatis, quòd puellæ datur cibum, & quòd comedit: ita & in iis, qui spiritaliter excitati ad uitam sunt, argumentum est ueræ uitæ & sanitatis, si comederint uitæ cibum, nimirum sermonem uitæ. Nota diligenter uerbum Lucæ, Et reuersus est spiritus eius, non alius spiritus siue alia anima, sed illa anima, quæ ab illo corpore exiit, in illud corpus informandum rediit. Hic locus militat contra quosdam Atheos, qui dicunt animas simul cum corporibus interire. Hic pestilētissimus error de animæ mortalitate repleat, imò preualuerat, in Arabia tempore Origenis. Atque huius erroris extirpandi gratia coactum est conciliū disputante contra istam hæresim Origene, & illam extirpante. Huius rei mentionem facit Eusebius in historia Ecclesiastica, lib. 6. ca. 27. Vnde Augustinus in libro de quinque hæresibus, ad Quod uult deum, hæresim istam Arabū uocat. Quinetiam nostris temporibus eadem rursus (uel certè ea, cuius Cicero meminit in Tusculana. quæst. lib. 1. dicens, quosdam sensisse eam uim, qua uel agimus aliquid uel sentimus, in omnibus corporibus uiuis æqualiter esse fusam, nec separabile à corpore, quippe quæ mortuo corpore nulla sit, nec sit quicquam nisi corpus uiuum ac simplex, quorum errorem refellit Cicero) apud multos inualefcere cepit. Certè & in concilio Romæ decretum est, animam esse immortalē. Constanter ergo credendum est, & satis manifestum ex Bibliis, Animas hominum morientibus corporibus superstites relinqui, quæ, cum Dominus ad iudicium uenerit, suis restituentur corporibus, ante tribunal Christi magni iudicis sistendæ. Obserua, cū dicitur, Et surrexit puella. Quasi dicat, Surrexit, & surgens, omnibus approbavit Christum, & uitæ & mortis esse Dominum. Deinde, surgit illa, quia Christus iubet. Marcus ait, Erat autem annorum duodecim. Confirmatio est illius, quod præscribit, Et ambulabat, ne putaretur esse infans, cui nondum fuerit ambulandi usus, & atas. Posteaquam enim dixit, Et ambulabat, mox subdit rationem, Erat autem annorum duodecim. Lucas subiungit, Et stupuerunt parentes eius. Et Marcus, Et obstupuerunt timore magno. Hic stupor est affectio, seu res cognata, quæ sequitur potentiā uerbi ac Christi, ipsam mirū in modum cōmendans. Est etiam quædam admirationis, species ex magnitudine miraculi proueniens, ita perstringens & occupans mentē uidentium, ut etiā impediatur inuestigationē causæ miraculi apparentis. Hæc enim suscitatio, magnæ & diuinæ uirtutis erat argumentum. Rogabis: Stupent cū uident eam, quæ mortua iacebat, ad uitam uerbo Christi rediisse: cur non etiam stupebant parentes & alij, cū eadem ipsa puella primū in utero matris conciperetur, & nasceretur, prodiretque ex matris utero, in quo antea nihil huius erat? Certè id fit, quia consuetum hoc scilicet est, & quòd quotidie ob oculos nostros uersatur. Rogabis: An ideo minus habet miraculi? Certè non. De his legito Augustinum Epistola. 49. ad Deo gratias presbyterum. Marcus & Lucas scribunt Christum iussisse parentibus, ne alicui dicerent, quod factū erat. Cur ita? Primò, ut doceret nos fugere auram popularem, & uanam gloriam, sic ut satis haberemus iuuisse proximū, gloriam autem hinc nullam quæreremus. Et pater (inquit) qui uidet in abscondito, reddet uobis. Aut putauerim id prohibitu parentibus, quòd parentes essent, quibus de propriæ filie suscitatione testimoniū perhibentibus, minus ceteri credidissent, sed magis carnis illud affectui imputassent. Aut fortassis id celandum iussit, ne fama tam celebri aduersarios magis irritaret, uolens, non pompa mundana celebrari, sed gloriam suam magis custodiri ad id temporis, quo uictor resurgens aduersarios confunderet. Vnde & infra cū discipulis uertit, ne se manifestum facerent, hoc est, ne cui dicerent uisionem de

Eius, uita uel  
substantis,  
uel reddita,  
indiciū.

Animas esse  
immortales

Origenes hę  
refim de mor  
talitate ani  
mæ profliga  
uit.

Stupor homi  
num post mi  
racula Chri  
sti.

Miracula so  
lita, quanuis  
māiora no  
uis, tamē de  
fierunt affi  
cere homi  
nes.

Christus ue  
nit sua mira  
cula euulga  
ri, & quare.

transfiguratione in monte Thabor, donec ipse resurgeret, rationem hanc addit: Oportet enim filiū hominis multa pati, & reprobari à principibus & senioribus, &c. Cur autem aliquando uoluerit, & aliquando noluerit miracula sua promulgari, nihil temerè adsero. Præcepit obfesso supra, ut narraret, quanta illi fecisset Deus: hoc loco uetat de puella suscitata. Sequamur uoluntatem eius, quando nobis manifesta fit aut scriptura, aut certa reuelatione. Nemo ergo posthac miserè mortem metuat: sed fide uiua eamus ad Christum & uitæ & mortis Dominum. Is enim nos è morte in uitam transponet, Ioan. 5.

Et exiit fama hæc in uniuersam terram illam.

Commendatur potentia Christi, quæ protinus per totam Galilaam ac Syriam innotuit, ac plurimos ad Christum exciuit. Hæc fama, quæ exiit, est prædicatio philanthropiæ Christi.

Et transeunte inde Iesu.

Relictis ædibus Archifynagogi, ueniens domum suam, noui miraculi nouam ex priore miraculo occasionem habuit. Vnde nouo experimento nouoque beneficio demonstrauit, uniuerso orbi, quòd nullus sit morbus aded deploratus, cui non imperet, ut Dominus, & qui illi, ut Domino, non obediat. Ostendit præterea nos suorum beneficiorum participes fieri, fide, non qualibet, sed firma ac solida, quæ per charitatem operatur.

Sequuti sunt eum duo cæci.

Perpicuum est, & piis omnibus peruium ac manifestum fit, omnem Christi uitam, hominum necessitatibus releuandis impensam fuisse. Quia Deus uult (ut paulò antè dixit) misericordiam & benignitatem, nō sacrificium. Vnde cū duo cæci rumorem miraculorum accepissent, atque ex eo cōcepissent spem adipiscendæ sanitatis, præsertim cū audissent, Christi beneficentiam nulli non patere, quantum uis humili, accingunt se itineri, scipione innixi, ut sequantur Iesum. Hi cæci, sunt cæci uidentes, propter quos uenit Christus, Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant, & qui uident, cæci fiant. Non uident oculis carnis, sed fidei. Ita agnoscamus nos peccatores, nos ipsos abnegemus, & ille, quem sequimur, illuminabit intellectum, & inflāmabit cor nostrum, tollens & intellectus & cordis cæcitatem. Qui enim sibi applaudunt, & cæcitatem suam non agnoscunt, imò cæteris uolunt oculatiores uideri, ideòque pro ducibus cæcorum habentur infra 15. uerè cæci sunt, & cæcitate laborant, qua inexcusabiles sunt: de quibus Ioan. 9. Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uerò dicitis, quia uidemus, peccatum uestrum manet. Deinde alios seducunt, & in foueam præcipitant, ut infra 15. dicitur. Nostri uerò cæci cæcitatem suam agnoscunt, cupiuntque illa liberari, atque ideo ueram lucem sequuntur.

Clamantes.

Cū cæci neque cernere neque adire Iesum possent, tamen ingenti clamore (quem sanitatis amor, & ardor fiduciæ in Christum, exprimebat) procul appellat Iesum, & ipsum inuocant. Hæc sequela cæcorum, clamor, & inuocatio, tanquam effectus testantur fiduciam cæcorum in Christum, ut causam.

Et dicentes, Misere nostri.

Iesum clamore ualido appellantes, inuocant ea fiducia, qua & ipsius fiduciæ obiectum, hoc est misericordiam non ociosam, sed efficacem, nimirum quæ ipsorum miseriam tolleret, & re ipsa ipsis succurreret, ablegando cæcitatem, & conferendo uisum. Ipsorum miseria erat, quòd luce carebant. Vnde auxilium & misericordia erat, dare eis & præbere uisum.

Vita Christi,  
tota necessi  
tatib' nostris  
releuandis  
impensa.

Cæci, quibus  
uenit Chri  
stus.

Verè & infe  
liciter cæci.

Fides clamo  
rem parit.

miseriordia  
uiuata est,  
quæ miseria  
tollit.



## Fili Dauid.

Blandimentum & benevolentiae captationem precibus adiungunt, Fili Dauid, quod esset propria Christi periphrasis, & ipsum non solum pro simplici quodam propheta, sed pro Christo filio Dei in prophetis promisso haberent. Vnde colligitur, vulgò Dominum tum pro Christo habitum. Expectabat enim tota Iudaeorum gens in id tempus Christum. Vnde & de Ioane opinionem conceperat, cum Christum esse, Luc. 3. Ex quo perspicuum habes, quam inexcusabilis fuerit Pharisaeorum obstinatio, qui tempus uisitationis suae, tot signis & iudiciis admoniti, noluerunt cognoscere. Docent sua oratione hi caeci, qua parte apprehendus sit Christus, uidelicet à promissione ueniendi in hanc carnem. Quasi dicerent, Qui in lege & prophetis promissus es uenire in carnem, ut medearis adfluctis, miserere nostri, medendo huic nostrae caecitati, quam tollere potes, & uisum ac lucem conferre. En effectus fiducia & uiuae fidei, nimirum inuocare & clamare saluatorem in necessitate. Diuus Hieronymus ad hunc modum adnotauit: Audiant Martion & Manichaeus & ceteri haeretici, qui uetus laniant instrumentum, & discant saluatorem appellari filium Dauid. Si enim non est natus in carne, quomodo uocatur filius Dauid? Obserua: Caeci clamant (miserere) ut Deo: ut homini autem dicunt, fili Dauid, eò quod apud Iudaeos receptissimum esset, Messiam è semine Dauid uenturum. Mirabilis ardor charitatis, & fiducia uehementia in his duobus caecis, qui nihil cogitant, quantum uitae aut periculi discrimen subeant, dum tanto clamore imperterriti uias replent, & tam ingenuè pleno ore fatentur, Iesum esse Messiam & filium Dauidis: cum tamen scirent decretum à maioribus Iudaeorum, ut extra synagogam eiiceretur, qui fateretur hunc Iesum esse Christum filium Dauidis, Ioan. 9. Sed hi nullo huius decreti metu tenentur. Cur ita? Quia licet iuxta carnem caeci essent, non tamen iuxta mentem & spiritum quo ductabantur, & ob id uidentes erant. Hoc exemplo monemur, quod qui carne uident, & mente caeci sunt, nihil agunt in iis, quae sunt fidei, imò quod oculatiores sunt iuxta mundum & seculi sapientiam, eò meticulousiores sunt in negotio Christi & Euangelij. At qui in sapientia seculi non ita oculati sunt, quin oculis mentis ualeant, illi uelut oculis clausis, etiam quae periculosa sunt, in negotio fidei aggrediuntur. Quare quod quis plus mentis & spiritus, quam carnem habet, eò aptior est ad fidei confessionem. Vnde nihil pestilentius quam in rebus fidei luce solius rationis humanae uti ac niti. Erudiuntur & carnis & rationis humanae oculi, hoc est postponendi ueniunt, & accipiendi mentis oculi, cum rebus Euangelicis accingimur. Nam quae impossibilia, stulta, absurda, inutilia, & periculosa uidentur carni, ea fidei oculis uidentur possibilis, sapientia, recta, utilia & tuta. Certè cum Paulus conuerteretur, & ad regnum Christi promouendum, & ad innumera pericula Christi nomine perpetiendi pararetur, primum luce carnis priuatus, illi minabatur oculis mentis. Deinde ueluti scamae ex eius oculis ceciderunt, opera Ananiae ministri Christi ipsum docentis. Quo exemplo significatur, oportere eum, qui uult regnum Christi promouere, iuxta carnem caecum, & mentem uidentem esse. Rogabis: Ergo in rebus fidei agendum crit sine prudentia & consilio. Certè probo & consilium optimum & rationem bonam in rebus ciuilibus, in rebus autem Euangelicis nihil habent uirtutis ex se, nisi adsit uis fidei: alioqui stulta iudicabuntur. Vnde quod Luc. 14. scribitur de supputando sumptu, optimum quidem est consilium, quod certè non est è sapientia carnis, sed ex fide petitum. Pij profectò suum habent consilium, quod est fides ac spes in ueritatem & bonitatem Dei. Iam cum mundus sit tenebrae, proculdubio & consilium eius, ut ut sit ex ratione solum humana progrediens, est tenebrae, & ipsissima stultitia. Consilium autem fidei & spei (quibus superna & caelestia attinguntur) est lux & uera sapientia. Operapretium est igitur, stultum iuxta hoc seculum fieri, ut caelestis sapientia (quae sola uera sapientia est) apprehendatur. I.

Iesus, Christus  
vulgo  
Iudaeorum  
cre  
ditus.

Caro igno-  
rat, quae sunt  
fidei.  
Caro & ratio  
humana cae-  
citant, ut  
spiritus uim  
suam exerat.

Paulus occie-  
tus, ut uide-  
ret.

Prudentia &  
consilio qua  
li & quando  
opus est in  
negotio Eua-  
gelico.

Stultos oportet  
fieri seculo,  
qui sapientes  
Deo uelint  
esse.

tur. 1. Corinth. 3. Si quis uideatur inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.

Cum autem uenisset domum.

Clamorem caecorum Dominus in itinere non audit, sed patitur illos post se clamare, donec domum uenisset. Cur ita? Certè quod desiderium ipsorum accenderet, & probatam ipsorum fidem nobis in exemplum proponeret, ac spectatam redderet.

Accesserunt ad eum caeci.

Cum illorum etiam piis clamoribus nihil in uia responderetur, & uiderent ad primam auxilij implorationem se non euasisse uoti compotes, non tamen fide infirmiores sunt, sed pertinaciores spe, quam concipiebant ex philanthropia Christi, neminem patientis pudefieri & confusibilem reddi, domum (quam Iesus ingressus erat) constantes ac seduli pergunt, nihili facientes consilium carnis & rationis humanae, reclamantis ac dicentis, Frustra proficiscimini ad Iesum Nazarenum: nimirum si uoluisset uel potuisset uobis uisum praebere, hoc in uia fecisset. Iam quia hoc non fecit, adempta & frustrata est uestra omnis spes. Desistite ergo huc sequi, & ipsius auxilium implorare. Has tentationes, ut tenebras & imposturas, negligunt, & à se abigunt caeci, sumentes scutum fidei, galeam salutis, spem ac fiduciam charitati coniunctam, & gladium spiritus, uerbum Dei. Atque animosiores facti, ingrediuntur domum, eandem pronuntiantes orationem, Miserere nostri fili Dauid. Quasi dicerent, En miser & calamitosus, nimirum caecos, uides: tu es, qui promissus es Dauidi, & de quo cecinit Isaias, quod cum aduentares, caecorum oculos aperires: tu, tu inquam fili Dauid, uera lux mundi, precamur te, illumines hos nostros oculos, nobis tam charos, & teneros, qui te iam omnibus ad eò beneficium exhibuisti, ut neminem ad te uenientem (modò fiduciam in te habuerit) repuleris, quae est tua immensa bonitas. Obserua: Accessus ad Christum fit per fidem in ipsum, doctore Paulo ad Hebra. 11. cap. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se, remunerator est. Rursus obserua: Christus non statim hos caecos sanat, sed sinit eos sequi, clamare, & domum accedere: ut doceat, fidem seu fiduciam oportere esse pertinacem, perseverantem, inuerecundam, improbam, importunam: sicut ipse laudat Luc. 18. improbitatem mulieris coram iudice iniquo. Gaudet nostrae fidei improbitate & pertinacia, hoc est, uehementi feruore, assidua fide, ut, quemadmodum est apud poetam, labor improbus omnia uincit, ita & fides uiua & assidua exuperet omnia. Non uult nos dubitare de sua bonitate, neque defatigari & frangi impatientia, cum statim non fert opem, sed uult, ut insequamur per uiam, ut clamemus, & irrumpamus in domum, ad ipsum, ut fecerunt hi duo caeci. Vnde fide, supple, uiua, caelum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Hoc modo nostram, sicut illorum caecorum, fidem tentat.

Et dicit eis Iesus.

Consolatorium est, quod Christus tandem non solum hos excipiat & audiat, sed etiam benignè ipsis colloquatur. Hoc nobis erit in exemplum, ne despondeamus animos, si prima, secunda aut tertia oratione non exaudiamur: sed certò statuemus, Christum nos tandem, hoc est, tempore opportuno, & cum nobis usui erit, exauditurum.

Creditis, quia hoc possum facere uobis?

Docet hic locus, cum oramus, quid sentiendum est nobis. Imprimis credendum est, hoc est, habenda est fides, cuius obiectum est Deus: habenda est fiducia in promissiones Christi, quem apprehendamus, & posse & uelle dare petita iuxta suam uoluntatem: ipsumque à patre & propositum & expositum, ut omnibus benefaciat. Haec omnia in meam gratiam à Domino facta esse credo: & ob id ex animo

T

Fides specta-  
ta.

Caecorum  
fides non  
caeca.

Per fidem ac-  
ceditur ad  
Deum.

Fidei neces-  
saria epithe-  
ta.

Orans qua si  
de esse de-  
beat.



non ficto, sed ardenti cum fiducia in ipsum, peto & rogo. Hoc ipsum, quod est, ro-  
gare cum fiducia & credere illa facta esse in meam gratiā, est sentire in se beneficiū  
Christi: qui sensus spiritalis est, & ab ipso spiritu Domini. Interrogat ergo Ie-  
sus, quid sentirent de ipso cæci: Non quod ignoraret, quid animo conceperant,  
sciebat enim ipsos pertinaci spe ad se in domum accessisse, sed ut doceret nos, gra-  
tissimam Deo esse uocalem orationem, internæ meditationi correspondentem:  
Nec satis esse, animo sanctissimè de Christo concipere, & meditari, nisi & ore  
(quum opportunum fuerit) confiteamur. Prius igitur stipulatur ab eis fiduciam,  
Quasi diceret, Si quid uultis à me cōsequi, oportet in primis, ut credatis, & in me  
fidatis nimirum quod postulata possum facere. Non dico, credatis me posse impe-  
trare, id est, quod non possum uos iuuare, nisi mea oratione id à Deo impetrem.  
Necessarium est, credatis me quoque id mea autoritate posse facere, hoc est, ut cre-  
datis, me Deum. Ex his colligimus nullum fructum præsidij Christi fore, nisi in  
ipsum tendat fides nostra, ea potissimum ratione, quod & possit & uelit iuuare.

## Dicunt ei, utique Domine.

Cæci constanter respondent, Credimus, Domine. Domine, uox est potentia,  
qua captant beneuolentiam, & fatentur Christum esse potentem præstare, quod  
rogant. Credunt, quod rogauerunt. Iā oratio indicat ipsos rogasse misericordiā,  
ueram & efficacem, hoc est, quæ re ipsa miseriam tolleret. Miseria autem erat  
cæcitatē cæcorum. Huic miseriæ succurrere, erat tollere cæcitatē. Hoc præsta-  
re non humanæ uirtutis erat, sed diuinæ. Quare apertè sua oratione demonstra-  
bant se uerè credere, Christum, non solūm filiū esse Dauidis, in lege promissum,  
sed etiam esse Deum, qui etiam nulla præmissa oratione, sed sua ipsius autoritate  
poterat hanc cæcitatē tollere. Vnde uerè fatentur ipsum Deū, qui potest & uult  
ipsis benefacere, tollendo cæcitatē.

## Tunc tetigit oculos ipsorum.

Audita fidei cæcorum confessione, Christus manu tetigit oculos cæcorum,  
quo gestu & aliis cū agrotos sanaret, est usus. Cur autem tangit? Ad præstandū  
uisum, non quod non potuerit cæcorum oculos aperire, nisi digitis tetigisset, cū  
& solo uerbo potuerit mortuos ad uitā reuocare: sed quia ita placuit, uoluit enim  
hoc medio, hoc est, contactu sanare: qui licet non fuerit necessarius, non tamen  
frustraneus erat. Nimirum percommodus ipsis cæcis, ut fides ipsorum, quæ exi-  
gebatur, in ipso opere iuuaretur. Tetigit ergo manu sua Christus oculos cæcorum  
id est, locum illum, in quo deficiebant ea membra, quæ curata & restituta tanto-  
perè affectabant cæci. Id quod certè non mediocriter ipsis cæcis fiduciam ac spem  
recipiendæ lucis corroborabat. Qua in re apertè cognoscimus bonitatem Christi,  
qui imbecillitatem nostram in eo ipso, quod fidem exigit, expendat & adiuuet. Est  
igitur rogandus assidua oratione, ut dignetur mentis nostræ oculos, ad iuuandum  
fidem nostram (ut firmi in fide consistamus) suo spiritu contingere.

## Dicens.

Contactui Christus uerbum addit, quo sanat cæcos: in hoc docens & aperiens  
usum sacramentorum, quo sponfam suam, hoc est Ecclesiam ornauit: Adde uerbū  
ad elementum, ait Augustinus, & sit sacramentum.

## Secundum fidem uestram fiat uobis.

Quò nos ad se pelliciat, uideatur non sibi uindicare redditi luminis officium,  
sed cæcorum fiduciæ adscribere, cū tamen fides illa uiua, sit donum Dei, & quæ  
Deo debetur, cuius autor est. Sed pro sua immensa bonitate hoc pro more habet,  
ut etiam bona opera & meritoria, uocet nostra, ut quibus mercedem uelit reddere,  
cū tamen quicquid illud est, sit reuera ipsius. Ita & hîc, secundū fidem uestram,

Christus qua-  
re à sanandis  
fidem exege-  
rit.

Felix Christi  
contactus.

Tactui uer-  
bum iungit  
Christus.

Deus in nobis  
sua dona co-  
ronat.

dicit, cū tamen sit illa fides ab ipsius spiritu impulsore & ductore cæcorum. Cur  
ita loquitur, & fiduciæ hoc beneficium refert? Certè ut declarer incredulitatem  
præcipuè nos indignos reddere beneficiâ diuina, alioqui nulli non exposita præ-  
pauit. Hæc docent nos tantum aquæ misericordiæ haurire è fonte salutis, quan-  
tam habemus situlam, hoc est, fiduciam & fidem in Christum: atque tantum nos  
assecururos donorum Dei, quâ tum diuinis promissionibus fide uiua adhæseri-  
mus. Rursus hîc docemur solida & uiua fide à Deo omnia petèda esse, neque quic-  
quam frustra pios credentes à Domino petituros, modò id sit ad salutem. Nam hi  
petunt, à spiritu illuminati & impulsî, qui nouit, quæ Dei sunt. Consolatorium  
est, quod hîc uideamus Christum misericordiam rogatum, intelligere & cognos-  
cere, quid uera misericordia exigit, nempe opem efficacem, hoc est, sublationem  
miseriæ. Vnde facillè coniectamus, apud Christum esse quendam sensum, seu co-  
gnitionem nostrarum miseriarum. De quo scriptura prædicat, quod Christus sit  
nobis datus misericors pontifex, Hebr. 2. & 5. Et ex prophetis, paulò antè audi-  
uimus, Deum misericordiam amare, naturæque misericordem esse. Cū igitur  
suapte natura Deus misericors, imò ipsa misericordia sit, misericordiâ amans, qua  
miseris succurrere nouit, ex fiducia & fide uiua misericordiâ Dei implorare debe-  
mus, nihil dubitantes, Deū scire, quid nostra miseria exigit, & quomodo nostræ  
miseriæ sit succurrendū. Nimirū supra 6. cap. ait, Scit pater uester, quia his omni-  
bus indigetis. Simus igitur inuicem misericordes, si germani filij Dei sumus, ut &  
misericordiam à patre cœlesti consequamur.

## Et aperti sunt oculi eorum.

Mox ut loquutus est Iesus, aperti sunt oculi cæcorum, sic ut clarè uiderent. En  
effectus potentia uerbi, cui qui credit, & se totum committit, accipit, quod se ac-  
cepturum confidit. Omnis enim, qui credit in illum, non confundetur, Rom. 10.  
Isai. 28. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Om-  
nis enim, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

## Et comminatus est illis Iesus, dicens, Videte, ne quis sciat.

Tamet si gloria suapte sponte rectè factum comitetur, tamen Iesus uolens nos  
per imaginem admonere, gloriam à nobis fugiendam, potius quàm affectandam,  
uehementer interminatus est cæcis, ne factum hoc quisquam rescisceret. Nec sim-  
pliciter eos admonuit, sed cum comminatione & diligenti iussione, ne cuiquam  
hoc dicerent, ut uerbum ipsum indicat, quod non est *κατακρίσειν*, quod aliquando  
interpret uertit increpare, aliquando comminari: sed *κατακρίσειν*, quod propriè  
significat acriter ac uelut iracundè comminari cum austeritate, uox à fremitu dicta:  
Quòd interminatus est cæcis, ne quis, quod beneficiū accepissent, rescisceret, quidam  
aiunt, hæc uerba præceptū Christi fuisse nolētis hoc factū in præsens prædicari. At  
qui gloriam Dei hac iussione nō promouisset, saltè per hos cæcos, quos uideretur his  
uerbis noluisse fungi prædicationis munere, & ad id idoneos facere. Alij putant  
hanc Christi interminationem, ne cui hoc dicerent, non esse præceptum, sed mo-  
destiæ tantum gratia factam esse, nempe ut admoneremur, ne gloriemur aut hono-  
rem quærat, qui benefacit, sed hilariter & liberaliter in Dei gloriam faciat, nec,  
sicut mundus & caro, uel retributionem seu gloriam quærat, uel ingratitude of-  
fensus, cesset benefacere. Hanc posteriorem sententiam communiter sequuntur  
sacri doctores: cui subscribo.

## Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.

Cū Dominus superiore uerbo, Et cōminatus, &c. non prohibuerit gratitudi-  
nem & confessionem, sed magis commendauerit humilitatem ac modestiam, ne  
de acceptis Domini beneficiis insolentius gloriemur: Quid enim habemus quod  
non accepimus? 1. Corinth. 4: non peccant cæci, diuinum opus quàm latissimè

Incredulitas  
hominem be-  
neficiis diui-  
nis prouat.  
Tantum affe-  
quimur, quā  
tum credimur?

Pi nihil fru-  
stra petit à  
Deo.

Christo no-  
ta, atq; adeo  
experte misere-  
riæ nostræ.

Verbi Dei  
uirtus.

Bonum opus  
suum quor-  
diuulgari ue-  
tuerit Chri-  
stus.  
Iuanis glo-  
ria uitanda.



spargentes: ita enim docent omnem gloriam Deo tribuendam, & gratiam pro beneficiis rependendam. Charitas Christiana, quanuis, ob fugiendam priuatam gloriam, nolit prædicari, tamen, quum accepit beneficium, tacere nõ potest, imò non debet, ne ingratitude labefactetur. Sic in psalmo dicitur, Credidi, propter quod loquutus sum. Diuulgatione igitur nominis Christi non malè faciunt qui cæci fuerant, sed ostendunt se Christo gratos, & operantur charitatis opus, quò patefacta gloria ac fama Christi, & alij ad eundem Christum adcurrant, cùmque pro medico suscipiant. Diuulgatio famæ Christi, effectus est uiuæ fidei, ostenduntis se gratam pro acceptis à Christo beneficiis. Huiusmodi effectus fidei scriptura uocat sacrificia laudis & labiorum nostrorum. Fama Christi, id omne boni est quod de Christo dici potest, & maximè de eius philanthropia, seu bonitate erga homines. Responabit quispiam: Gloriam Christi promouendam esse nemo negat, sed uoluntati diuinæ obtemperandum esse nemo dubitat. Cùm ergo his cæcis interminatus sit, ne quis sciret hoc miraculum, peccauerunt illi inuulgantes gloriam Christi. Rursus dices: Gratitude beneficii Christo præstandam esse non nego: sed hoc rogo (ais) an ea sit uera gratitudo, quæ cõtra benefactoris mentem, imò expressam inhibitionem impèditur? Quis mortalium ad eum sibi modum obsequi uellet? Respondeo, uerbum Christi non fuisse uerbum præcepti, sed humilitatis humanæ, qua docuit, quàm debeamus, auram popularem & uanam gloriam ex rebus bene gestis fugere. Atque, ut argumento satisfaciam de uoluntate Dei, cui obtemperandum est, dico, quòd diuinæ uoluntati beneplaciti, qua Deus uult aliquid esse uel fieri, non semper obligamur uelle conformes esse. Vt cùm domus proximi ardet, non uritur domus nisi Domino uolente: non tamen obligor uelle hanc domũ comburi, cùm & proximo teneat subuenire aqua & alijs ad ignis extinctionem. Sed uoluntati diuinæ signi, qua uult aliquid agendum aut fugiendum à me, hoc est, qua præcipit aut prohibet aliquid, teneor me conformare. Volebat quidem Christus gloriam Dei promoueri: sed nolebat priuatam quærere gloriam ex opere miraculoso. Hæc diuulgatio signum erat gratitudinis in cæcis. Cùm rogabantur, cuius beneficio uidentes essent, proculdubio summè ingratos sese præstitissent, tacentes, aut negantes nomen Iesu Christi, cuius gratia uisum recepissent. Quare gestientes noua felicitate, sparserunt famam Iesu per uniuersam illam regionem apud omnes, quos habebant pristinæ cæcitate testes.

Egressis autem illis.

Vix cæcis egressis domo, in qua beneficentiam Christi acceperant.

Ecce.

Attentionis est particula, qua nos attentos facit Euangelista ad grande & potentissimum miraculum contemplandum, in quo subitò & potenter Christus demonium eiicit, & in uno quatuor miracula facit: obsessum liberat, cæcum, surdum, & mutum sanat. Hoc dum scribit Euangelista, & sic nos attentos reddit, nihil aliud agit, quàm ut ipsa curandorum sedula uicissitudine & accessione, agnoscamus perennem diuinæ bonitatis & ueræ salutis in Christo fontem fluere, & omnibus peruium esse. Nam sanato paralytico, accedit præfectus synagogæ: deinde hæmorrhœoosa, mox cæci, modò alius longè deploratissimus. Quo nouo euentu admonemur de efficacia famæ de Christo per cæcos sparsæ.

Obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

Quidam alius sanatur, longè miserimus, & ipse auxiliij indigus, nimirũ dæmonio obnoxius, quod illi linguæ usum adimebat, ut homo nec mētis esset compos, ut salutem optaret, nec linguæ ut postularer. Hic igitur, quoniam aliena fiducia habebat opus, oblatus est Iesu. Qua in re obseruamus fontem salutis quibusuis

Charitas acceptum beneficium celare non potest.

Sacrificium laudis & uerbi labiorum pro acceptis beneficiis.

Uoluntas Dei duplex.

Cui uoluntati Dei debent consentire.

Quatuor miracula in uno homine à Christo facta. Miraculorum Christi cæcena.

apertum, & inexhaustum, unde hauriant, ac saturètur, nõ solum qui ultrò opem implorantes ueniunt, sed etiam, qui non sua, sed aliena uoluntate adducuntur. Hæc qui obseruant, & quales fuerint, qui ad Christum curandi uenerunt, non sine fructu illa meditantur. Nobis itaque meditantibus quadruplex istorum genũs occurret. In primis quidam sponte sua ad Iesum, opem imploraturi, uenerunt, ut cæci, de quibus paulò antè diximus, & leprosi. Alij fuerunt, ad quos Christus per alios adductus est, ut filia præfecti synagogæ: uel pro quibus rogatus est absentibus, ut seruus Centurionis, & filia Cananæ mulieris. Alij fuerunt, quos ipse ultrò non uocatus adit & curauit, qualis fuit is, qui morbo deplorato decubuerat in grabato. 38. annis, Ioan. 5. Deinde filius uiduæ, Luc. 7. Quarti sunt, qui nõ solum ultro non ueniebant, sed uel inuiti adducebantur, qualis fuit hic dæmoniacus mutus: in quo nobis conspicua fit Iesu Christi bonitas, & singularis ad sanandum procliuitas, cum quadam eius philanthropiæ gradatione. Nam magna quidem reluxit Christi bonitas in curandis iis: qui ad ipsum ueniebant, opem postulaturi: maior apparuit in illis, quos uocatus adit & curauit: deinde maiorem declarauit in iis, quos absentes rogatus curauit: ampliorè rursus manifestauit in iis, quos non rogatus curauit: multò tamen maiorem, imò maximam in iis declarauit, quos inuitos, nedum salutis suæ nihil cupidos, curauit, quod uidemus in hoc dæmoniaco mutò. Certè tam procliuus est ad benefaciendum Iesus Christus, ut quouis modo, loco, tempore, ac ubi ubi sese offert occasio, benefaciat, & beneficentiam impendat. Quemadmodum pater liberis suis impensè fauens, in eo totus est & delectatur, ut liberis bene consulat & benefaciat: nec addicit se statis aliquot horis, aut certè alicui regulæ, sed omnibus horis, ubique & modis omnibus ad benefaciendum liberis appositus est: ut, si rogatur à filio, & ad succurrendum imploratur, paratus est: si quispiam alius pro absente filio rogat, paratus est: si tales sunt liberi, ut opem implorare nesciant, imò etiam auerſentur, non animum uel linguam, sed magis ipsam eorum necessitatem considerans, pro uiribus opitulatur. Ita & talem esse Christum Euangelistæ nobis depingunt. Rogatus, exaudit & adiuuat: uocatus, accedit. Non accedentes adit ipse: & ultro curat, non rogantes. Attractos ab alijs, ac nihil opis rogantes, quin etiam auerſantes, non minore facilitate, quàm si opem ipsi rogassent, curat, & sanitati restituit. Offerunt itaque hunc à dæmone obsessum (Quid sit obsidere, & quàm habeant uirtutem dæmones, superiore capite fusius declarauimus.) Christi fama impulsus & commoti. Huc pertinet dictum Isaia, 55. de potentia uerbi: Verbum meum, inquit Dominus, non redibit ad me uacuum. Verbo offerendi Matthæus inclusit causas præcedentes miracula, scilicet uerbum auditum de bonitate Christi, & fidem illud apprehendentem, simul & fiduciam in ipsum. Est ergo hæc oblatio, effectus uiuæ fidei, ex certa fiducia apud se statuentis de exauditione & restitutione dæmoniaci. Cùm dicit dæmoniacum mutum, proponit necessitatem, & uoce, mutum, exaggerat Euangelista necessitatem, & peius dæmonium intelligit: sed hoc facit ad commendandam potentiam Christi, qui potuit etiam mutum dæmonium eiicere. Ademptus erat seruius Satanæ, occupare & auditum & linguam hominis: ne homo in quo Dei opificium commendatur, quòd audiat loquatur, uideat, & intelligat, ea quæ sunt uera, salutaria & recta audiat: inde uerò & linguam impedit, & corrumpit sermonem. Ad eoque inuidet Satanæ homini, ut dona, quæ diuinitus habet homo, ad hoc, ut in cognitione Dei crescat, & ad gloriam Dei uiuat, audiendo, uidendo, loquendo, intelligendo, ipse pro uiribus supprimat reddatque hominè planè mentis inopem. Nam nemo non nouit Satanam gloriæ Dei & salutis humanæ infensissimum esse. Cùm igitur ita res habeat, nequeunt eius machinamenta omnia aliò tendere, quàm ad hoc unum, ut & Dei gloriam deturbent, & nos in

In Christo solis beneficentia inextinguitus.

Quatuor genera sanatorum à Christo.

Affectus misericordie, & beneficentia sitis in Christo, mirabilis.

Christus pietissimo cuiusque patri simillimus.

Satanæ ingenium & moline aduersum nos.



præceps deiiciant. hoc ipsum est dæmonis ingenium.  
Et eiecto dæmonio.

Noster Euangelista tacet medium, per quod Christus eiicit dæmonium, quod tamen subintelligendum est, ut intelligas Christum per potentiam uerbi dæmonium eiicisse. Verbo enim pellitur Satanus, & uerbo sanat Christus. Match. 8. Et eiiciebat spiritus uerbo, & omnes malè habentes curauit. Liberauit igitur Dominus hunc à dæmone obsessum uerbo suo. Neque obsessus dicit, sicut & aliis, cōfide fili, aut, potes credere, &c. sed mox neglectis istis omnibus, dæmoni imperat, & adductum liberat, respiciēs magis, quid ipsa miseri calamitas dicat, quàm quid lingua, uel animus à malo spiritu obsessus, non dicat. Sed quis pater hoc non facit filio suo? Quantò magis Christus? Cùm ergo agnoscamus Christi bonitatem tam propensam ad miseris succurrendum, non despondeamus animos de illis, qui salutis suæ parum cupidi, nescio quo dæmonio uexantur, sed nostris orationibus adducamus eos ad Christum, nihil dubitantes, auxilium affore. Magnum profectò hoc loco legimus miraculum, cùm hunc obsessum, cæcum & mutum, etiam nullam fidem habentem, curatum uidemus. Fidem non habebat, quãdoquidem nec uisu, nec auditu, nec loquela, fortè etiam nec olfactu ualuit, adeò ut nec uerbo nec factu aut moueri potuerit aut moneri. Ut enim nō potest dici, quòd uiderit ullum signum à Christo fieri, ita nec quòd unquam de eo audierit aliquod signum. Ac planè est iste cæcus ferè tantum massa, truncus, seu corpus sine uisu, sine auditu, uelut informe, quod tantum nouerit tactu & gustu uiuere. Sicque à diabolo obsessus erat, ut nec, quid gustus aut tactus esset, intelligere aut noscè potuerit. Et, ut in summa dicam, tantum figurà homo uidebatur, sibi ipsi ignotus, ac nescius, an aliquid esset, an uiueret, aut quid ageret. Adeò ut Christus, hunc liberans & curans, idem fecisse uideatur, ac si hominem nouum ex nihilo fecisset: sicut Adam & Euam ex luto & costa, & omnes homines ex semine, &c. Nec dubium est, quin iste cæcus post acceptam sanitatem cogitãrit sese antea non fuisse quicquam in mōdo, sed ab eo puncto inceperit fieri, quia nihil priorum meminerat: sicut Adam non potuit aliter sentire, quàm se antea non fuisse. Ideo grandissimum est hoc miraculum, gratia & potentia Christi factum. Non deest tamen aliorum fides, qui eum offerunt, inuocantes & orantes Christum, quorum fiducia exaudita est: ut scilicet alliciamur ad orationem fidei, etiam pro aliis, de qua re paulò antè diximus. Proinde ualde hoc consolatorium est iis, qui timent, sibi rationis usum sub tempore moriendi ademptum iri, atque ita futurum, ut nequeant animas suas fidenti atque ad misericordiam suspirante corde cōmendare. Vnde animos despondent frequenter, putantes se ob id, hoc est, propter alienatam mentem (si ita contingerit) misericordia Dei priuãdos. De hac re superiore capite, cùm de obsessis tractarem, mentionē fecimus, & adhuc pauca dicere non pigebit. Huiusmodi homines non bene expèdunt ingenium & naturam diuinã bonitatis, tam manifestè in hoc exemplo declararam. Magnum profectò est, spiritum seu animam suam in extremis agentem, Domino Deo commendare, cùm adhuc integra mente fueris. Sed si res eò deuenerit, ut te cōmendare non possis, ob mentis inopiam, non propterea à Dei misericordia & cœlesti beatitudine excluderis, modò ante mentis inopiam fueris fidelis, & te fidelem occupauerit alienatio sensuum, etiam opera dæmonis facta, qui & linguæ & sensuum usum ademerit. Nam non est iudicium dæmoni aduersum nos decretum ad mortem propter mentis inopiam, aut super eam blasphemias per dæmonem in te obsesso prolatas, cùm non sint uoluntariæ, & tibi cognitæ, sed super incredulitatem & infidelitatem, si quam habebas, quando delirare, aut obsideri cœpisti. Imò potius ipsa mentis inopia diuinam misericordiam imploraret, & clementiam ad se pelliceret. Rogabis: An hoc miraculum sit idem

Virtus uerbi Christi.

Salutis suæ oblitus ad Christum adducendi.

Hæc expeditur, qui metuunt sibi sub mortem rationis usum ademptum iri.

Pis nihil obicit in morte alienatio aut consternatio mentis.

cum illo infra 12. cap. ubi surdus & obsessus curatur, & turbis Dominum laudantibus, Pharisei blasphemant, dicentes, In principe dæmoniorum eiicit dæmonia? Respondeo, diuersa hæc esse miracula. Euangelista enim idem miraculum nunquam ferè repetunt. Atque quemadmodum Christus sæpius eundem sermonem bis fecit, & eadem uerba sæpè repetiuit, & eosdem eadem docuit: ita multa miracula similia sæpè fecit: adeò ut etiam in textu dicatur, quòd multos etiam ab omni genere morborum sanauit. Et cùm infra 11. cap. locus Isaia affertur, non dicit, Vnus cæcus, unus mortuus, &c. sed in plurali, cæci uident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, &c. Ita & huius cæci miraculum, licet sit simile cum cap. 12. tamen aliud fuisse credendum est. Eiicit ergo dæmonium Christus ab hoc cæco, quo demonstratur Iesus Christus esse Dominus & uictor Satanæ, quem & fideles in Christo uincere possunt quotidie.

Loquutus est mutus.

Fugato dæmone, qui cæci & linguam & sensum obsidebat, restituit Christus donum sermonis suo loco, ut uindictor gloriæ Dei in creaturis & operibus suis, qui non uult hominem esse mutum. Restituit autem linguæ usum, maximè propter duo, ut scilicet gloriæ Dei & proximorum commoditati seruiat. Atque ista ita sunt seria, ut Christus dicat infra 12. cap. nos reddituros esse rationem de quolibet uerbo ociofo in die iudicij. Et Paulus Coloss. 3. Omne quodcunque facitis in uerbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Ad Ephes. 5. Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos: aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Quod uerò attinet ad affabilitatem erga proximum, uult Christus supra 5. ca. nos, non solum amicos, sed & inimicos salutare. Quin ipsa tota Christi uita etiam hac in re exemplar quoddam nobis proponit. Certè uult Paulus hominem nō lupum, sed comem esse erga homines. Coloss. 3. Atque hodie Christus opera spirituum immundorum, superbiæ & inuidiæ, item incredulitatis & ignorantia dissoluens, spiritu suo, spiritu fidei non solum corda nostra, sed & ora resoluit ad laudem Dei. Vnde Dauid ait, Credidi, propter quod loquutus sum. 2. Corinth. 4. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod loquutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Ita & spiritu charitatis tam oram quam corda nostra, eiecto spiritu superbiæ & inuidiæ, ad affabilitatem & comitatem resoluit. Obserua. Hæc loquella in eo, qui fuerat mutus, est effectus potentia uerbi testans aperto signo eiectum esse dæmonium.

Et miratæ sunt turbæ, dicentes, Nunquam apparuit sic in Israël.

Hucusque ab initio. 8. capitis Matthæus undecim miracula Domini, magna profectò, diuina, & stupenda, exposuit. Vnde quoniam non parum facit, ad res bonas pro dignitate æstimandas, pius & magnus in Dominum affectus, mirari & quarere quis poterat, quomodo affecti erant homines erga doctorem tantum: & quomodo exceperint salutem ac potentiam tantam sibi missam cœlitus. Miracula hæc omnino in se bona erant, & apertissima indicia regni Dei: & tamè uidemus, quam non eodem modo exponantur. Et hoc breui perstringit Euangelista, assignans duo fuisse hominum genera. Alterum simplex, bonum ac probum, vulgus scilicet, affectu præditum simplici & minus uitiatu, nullo infectum inanis gloriæ, nullo inuidiæ spiritu. Proinde miratur hæc opera Domini, quæ puris oculis intueretur, ac sui temporis felicitatem, & quod uerum erat, ingenuè fatetur, Israëlitico populo tantam nunc gratiam diuinitus esse concessam, quantam unquam à gentis huius origine: imò nunquam apparuisse sic in Israël, scilicet, quòd aliquis tam claris miraculis innotuisset, & qui tam faciliè potuisset eiicere dæmonia, mor-

Christus plurima eiusdem generis miracula edidit.

Satanam & Christum nobis uicit, & nos per Christum quotidie uincimus.

Linguæ usum Christus restituit mutis propter duo.

Linguæ usus quorsum nobis cōcessus.

Christus suo spiritu cōtraria Diaboli opera dissoluit.

Piè affectus piè iudicat.

Vulgus simplex candidè iudicat.



tuos suscitare, & omnes morbos curare. Vnde nimirū gratias Deo egerunt, & ue plenitudinem omnis gratiæ, Christum Dominum, magno cum desiderio amplexi sunt, dicentes, Nullus unquam exortus est in gente Israëlita, qui tam multa prodigia tam facillè patraret. Hæc turbæ cōfessio subindicat animū, potentia uerbi tactum, quod agnoscit, tacere non posse, quod certè signum est fidei & charitatis uehementis. Ex hoc & similibus locis habebimus nobis commendata miracula, quæ Deus in animis seu conscientis auditorum, uerbi potentia operatur.

## Pharisæi autem dicebant.

Auditorum alterum genus est hypocritarum, qui propria sanctitatis iustitiæ, quæ opinione inflati, gratiam Domini aspernantur. Huiusmodi erant Pharisæi, qui iam in dies gliscente liuore cæci, conuertuntur ad calumnias. Atque cum, quæ gerebantur in oculis omnium, inficiari non possent, quin bona & sancta essent, tamen ut animos turbæ Christum suspicientis ab eo alienarent, calumniantur ipsum eiicere dæmonia, non uirtute diuina, sed opera Beelzebub, dæmoniorū principis. Hoc exemplo nobis manifestum fit, quàm nequeant de rebus bonis benè iudicare, qui excæcatis sunt mentibus per inuidiam & liuorem: non secus atque iis, qui palato sunt corrupto & amaro, etiam dulcissima, amara sunt. Et, quod hic uidemus, etiam hodie usuuenire nostris corruptissimis tēporibus, perspicuum est. Simpliciter & vulgus interdum minus corrupto est iudicio quàm primores aliqui delicatuli, & aliquando melius de ueritate iudicant, & suo uiuendi exemplo uerius docent puriter uiuere, quàm ipsi primores. Prætereundum non est, quod hic opponit inter se Euangelista turbam admirantem, & Pharisæos iniquos de operibus Christi iudices: ut demonstrat, qui potissimum sint, in quibus fructificet uerbum, & in quibus contrā pereat. Aduerte, non esse nouum, quod hodie Ecclesiasticæ conciones etiā ab auditoribus tam uariè actā sinistrè iudicantur. Hic habet, quod carpat, cum iste idem laudet: & quod hic laudat, iste uituperat. Quid causæ est quod d tã uariè eadem res iudicatur? Certè quod diuersis auditur affectibus. Sunt enim audiendæ conciones amore simplici, fideli & obediente, & attenta, non ad personam loquentem, sed ad uerbū ipsum, cum animo parato ad excipiendum uerbum. Sed hoc uitium, quo candida in nigra uertuntur, & bona sinistrè exponuntur, non solum in causa fidei fit, & corrigendum est, sed etiam in aliis siue publicis siue priuatis negotiis. Vnde autem tanta iudicij corruptio? Certè à spiritu inuidiæ, qui non habet aliud ingenium. Nam si non habet apertè malum, quo trahat, conatur, etiam quæ bona sunt, conspurcare, & suspecta sinistris interpretationibus reddere. Rursus aduerte: Tametsi ueritas ita dilucidè oculis hominum sese suffundat, ut non possint non eam agnoscere, tamen aded malè feriati sunt, ut illam non ad salutem usurpent, unde proculdubio inexcusabiles sunt. Hic locus nobis hoc apertè demonstrat. Nam turba agnouit aduentum Christi, confessa est nunquam talem in Israëlita gente apparuisse. Et hoc beneficiū accepit post crucem Christi, quando conuersa est ad Dominum. Sed Pharisæi cognitione illa abuti contendunt, & sinistrè omnia iudicant. Aduersus quos loquitur Christus Ioannis, 15. Si non uenissem, & opera fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Iam uerò excusationem non habent de peccato suo. Iam quod hic loquitur Dominus, quid aliud est, quàm quod hoc loco plebecula clamat. Nūquam apparuit sic in Israël. Cum Dominus ait, Feci opera, quæ nemo alius fecit: ergo nūquam sic apparuit aliquis alius ab eo in Israëlita gente: iure igitur bono iudicium istorum erit ex suo ipsorum ore. Rursus obserua: ferè usuueniet, ut ubique prædicabitur Euangelium regni Dei, ibi quoque erunt boni aliquot, ac uerè simplices homines, quibus thesauri loco erit ueritas: erunt & hypocritæ ac prauis homines, qui opera Domini, eius gratiam, beneficia promissiones & iudicia fugi-

Pharisæorū liuor.

A plebe non nunquā melius exemplū uicæ, quàm à primatibus.

De Ecclesiasticis concionibus uariū auditorū iudicium.

Liuor nō potest aquis oculis res ut sunt, uidere ac censere.

Ubique &amp; boni &amp; mali.

labunt: & ut uno uerbo absoluā, semper Abel habebit suū Cainum. Quod si hoc Christo prædicante, & in carne apparente, contigerit, quo nemo unquam maiores designauit uirtutes, nemo spectabiliore apparuit autoritate, nemo unquam scilicet uirtutibus & efficacis proposuit negotiū pietatis, haud dubiè ministris eius prædicantibus id ipsum adueniet. Aduerte: Misericordiæ diuinæ opus est, turbam admirari uerbum, & recipere illud: iudicij uerò Dei est, non conuerti Pharisæos, ut perdat Deus sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium, 1. Corinth. 1. ex Isai. 29. & Abdia, primo capite.

## In principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Cum non auderent Pharisæi negare factum ipsum, id quod maluissent, quemadmodum & Ioan. 9. conabantur in cæco nato, neque ipsum, tanquam in seipso, culpate, quemadmodum reprehendebant, quod cum publicanis māducaret, neque dicere illud opus factum uirtute humana, sed neque cōtradecere possent, quod tam conspicuum esset, ut neminem lateret, fatentur quidem quod uident, sed aliā uia struunt calumniam, conantes Christo summam ignominiam ex hoc ipso facto inurere. Totum ergo factum principi dæmoniorum adscribunt, ut intelligat turba, Christum nullum sua potestate, sed solum dæmonis uirtute fecisse miraculum, & ut traducat ipsum pro homine diabolico, ut qui non vulgari dæmone, sed ipso dæmonum principe agatur. Quid hac calumnia poterat esse demētius? Quasi dæmon exigit dæmonem, aut quasi Beelzebub, hostis humani generis, conferrat mortuis uitam, ægrotis sanitatem, cæcis uisum, mutis linguam. Ab dæmonibus ea mala proficiscuntur plerumque, quæ Iesus sua bonitate, misertus hominū, rollebat. Ad hæc morbos & peccata quomodo soluebat, & regnum Dei prædicabat Christus, si omnia uirtute dæmonis agebat, cum modo cōtrario dæmon morbos augeat, & à Deo separet? Obserua: Principis uocabulum obliquè significare uideretur quosdam gradus esse inter diabolos, ut in eis quidam uocentur principes à maiori nocendi potestate, quam habent. Christus hic tacet, & non confutat istos blasphemos, sicut infrà, 12. cap. fortè quod Pharisæi non fuerint coram, sed absentes, audito hoc miraculo, sic blasphemauerint. Quemadmodum etiam Ioan. 5. & 9. dicebant de absente, Non est hic homo à Deo, qui sabbathum nō custodit: Et, nos scimus, quod hic homo peccator est.

## Et circuibat Iesus omnes ciuitates, &amp; castella.

Quasi dicat Euangelista, Quia sigillatim & per partes exprimere longum esset, & pro rerum gestarum copia & dignitate impossibile est explicare, quæ docendo & sanando circunquaque fecit Iesus, in summa dico, nullum in Galilæa locum, nullum etiam in Iudæa, siue ciuitates spectes, siue uicos, quem non diligenter inuiserit bonus ille pastor, doctor, & medicus: neminem uspiam negligens, omnes ubique diligentissimè inquirens, tam nobilibus quàm ignobilibus, diuitibus quoque & pauperibus, doctis & indoctis, omni denique sexui sese totum impendens, prædicans inquam & sanans, atque hoc isto facto ostendens ad quid esset in hunc mundum à patre missus. Obserua sedulitatem Christi in expediendo officio, ad quod diuinitus erat missus. Hic feruor Christi, & incomparabile studium proficendi muneris sui, hoc est, docendi & sanandi, nihil aliud erat, quàm beatum uelle efficere genus humanum corpore & anima. Obserua. Quemadmodum agnoscis ex 1. Petr. 3. Satanam peripateticum & circumeuntē, ac quarentem, quem deuoret. Ita hic locus ostendit Christum circumire, & quærere, quem sanat. Cuius exemplo, studio & feruore, moneri debent Euāgelij ministri, & qui pro Christo legatione funguntur, ut ciuitates & uicos suæ ditionis inuisant, non in magno fastu & luxu delitiantes, sed in simplicitate, ne uicum quidē unum intermittētes, quem non inuisant, semper apud se reputantes, quod Rex cœli & terræ, quem tre-

Ministris Christi prædicantibus idē contingeret, quod &amp; ipse Christo.

Christus quā sit cōtrarius dæmoni.

Inter dæmonas principatus quidam.

Quamgnaniter Christus munus à patre demandatum obit.

Studia Christi &amp; Satanæ ex diametro pugnantia. Christi ministri Christi inueniuntur.



munt angeli, nonaginta nouem relictis, vnam ouem errantem non neglexerit. Spe-  
tat & hoc ipsum ad eos, quibus commissa sunt regna, credite ditones, & regio-  
nes. Ut quemadmodum Apostoli, hoc est, Episcopi, circumire debent suas eccle-  
sias, ita qui Magistratus sunt, mittant eos, qui ubique populum instruant, & pacē  
publicam feruent. Ita fecisse legitur Iosaphat 2. Paralip. 17. **Qui** sacerdotes &  
Leuitas, adiunctis ministris suis in omnes ciuitates & uicos regni sui emisit, ut cir-  
cunquaque docerēt populum, idque simul in id itineris assumpto uolumine legis,  
diatur.

## Docens.

Vox, docens, officij est uocabulum, non imperij. Aliud enim est docere consci-  
entias, aliud nomine docendi imperare conscientias. Apostolus imperandi suspi-  
tionem à se amorem uult, cum ait, 2. Corinth. 1. Ego uerò testem uoco Deum in a-  
nimam meam, quod parcens uobis, nondum uenerim Corinthum. Non quod  
dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij uestri: nam fide  
statis. Certè multò præstantius & generosius est, docere, quàm imperare, i-  
mò & maioris utilitatis, siquidem dignitatem doctrinæ in primis considere-  
mus, in eo, quod doctrina non potest administrari sine rerum, quæ docendæ  
sunt, cognitione. Quid enim docebit rerum omnium ignarus? Doctor ergo opus  
habet rerum illarum, quas docet, cognitione. **Qui** uerò Dominum agit, nihil  
curans, quomodo imperet, sed dicens, Sic uolo, sic iubeo, rem agit, quam quilibet  
stultus agere potest. Quantò itaque præstantius est id, quod omnes præstare  
non possunt, quàm quod uel stultissimi possunt, tantò præstantius & generosius  
est munus docendi, quàm imperandi & superbiendi. Quod autem maioris uti-  
litis docere, quàm imperare, uel hinc constat, quod imperio non dicitur quis sal-  
uari, sed doctrina, cui quum obeditur, contingit salus. Propterea Isa. 3. compa-  
rantur doctores pastoribus, & doctrina pabulo. Dabo uobis (inquit) pastores iux-  
ta cor meum, & pascent uos scientia & intellectu. Et Ioan. 17. Hæc est uita æter-  
na, ut cognoscant te, &c. Atqui istud non fit imperando, sed docendo.

## In synagogis eorum.

Ne quis putaret Christum docere, more seductorum & impostorum heretico-  
rum, qui subintrocantes, irrepunt in latebras, & nocturnis tenebris zizania semi-  
nant. Cum enim lucem publicè ferre nequeant, & sua publico iudicio omnium of-  
ferre non audent, tenebras captant ad seducendum incautos: id quod est indicium  
falsæ doctrinæ. Euangelista expressim commemorat de Christo, Et circumibat om-  
nes ciuitates, &c. Deinde subdit, in synagogis, hoc est, loco publico, in quem con-  
ueniebant audituri legem. Veritatem docebat, lucem amans, & fugiens tenebras,  
doctrinam suam publicè cunctis audientibus proponebat. Nam, Ioan. 3. Omnis  
qui malè agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguatur opera eius. **Qui** autem  
operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut manifesta fiant opera eius, quia in Deo  
sunt facta. Vnde Christus suam apud pontificem doctrinam defendens, respondit  
Ioan. 18. Ego palàm loquutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga & in  
templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil. Non ab-  
simile legitur in circuitu Pauli & Barnabæ, Act. 13. 14. 15. 16. etiam in oratorijs  
Gentium, 17. Hoc ubique ferè inculcat Lucas, dicens, Et docebant in synagogis.  
Atque ut Christus fecit, & doctrinam suam hoc pacto defendit, Apostolis quo-  
que suis, ut ita facerent, præcepit. Matth. 10. Quod dico uobis in tenebris, dicite  
in lumine: & quod in aure auditis, prædicare super tecta. Hoc studiosè fecerunt  
Apostoli ad exemplum pariter & præceptum magistri sui.

## Et prædicans Euangelium regni.

Postquam ostendit Euangelista scholam & locum in quo docebat Christus,  
pergit declarare, quid docebat, Non Sabbathata, non circumcisionem, uel traditio-

Magistrati-  
bus cura fit,  
ut popul⁹ in  
lege Dei eru-  
diatur.

Imperandi fa-  
stus procul  
absit à Chri-  
sti legatis.

Docere nobi-  
l⁹, quàm im-  
perare.

Imperare uel  
stult⁹ queat,  
docere non  
item.

Doctores, pa-  
stores sunt.

Clanculati⁹  
doctores, se-  
rè falsi.

Christus &  
Apostoli pa-  
lãm docue-  
runt.

nes seniorum, sed, prædicans Euangelium regni. **Qui** uenerat ad saluandum  
quod perierat, salutis doctrinam prædicat. Est profectò, ut Paulus ait Roma. 1. ca.  
Euangelii, uirtus Dei, in salutem omni credenti. Nihil aliud spirat Euangelium,  
quàm salutem, bonum scilicet nuntium. Non quoduis bonum nuntium, sed tale  
nuntium, quod rem omnium latissimam & saluberrimam adfert, eamque non  
priuatam, sed communem & uniuersalem, qua soli contemptores & increduli pri-  
uantur. Rogabis: De qua re fit hæc Euangelica prædicatio? De regno. Prædicans  
(inquit) Euangelium regni. Iam cuius regni? Regni Dei, regni cælorum, hoc est  
de redemptione humani generis. Hoc certè uocat regnum Dei, siue Euangelium  
regni. Marcus Euangelista formam huius prædicationis exprimit, 1. cap. Postquàm  
autem traditus est Ioannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium re-  
gni Dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum  
Dei. Penitemini & credite Euangelio. Rogabis: Quare uocatur hoc mysterium  
dispensationis Christi, Regnum? Cum regnum à regnando dicatur, & regimen  
hic oportet esse & regem, & populum, & protectionem ac conseruationem popu-  
li. Alioqui non erit regnum, sed tyrannis. Cuius est regnum? Dei. **Quis** est rex?  
Christus. **Quale** est regnum? Cæleste & spiritale. Regnum meum (inquit) nõ est  
de hoc mundo. Cum ergo Christus regnum prædicat & regnum Dei, operapre-  
tium est, ut ipsissimam salutem prædicet, quæ sit uniuersalis. Iam ubi prædicatur  
hæc salus, siue illud regnum Dei? In mudo, inter mortales, peccatores, &c. 2. Co-  
rinth. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis deli-  
cta ipsorum, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Reconciliatio uerò exigit  
peccatorum remissionem, & omnimodam concordiam cum Deo & summam be-  
neuolentiam. Rogo te, pie lector, hoc quid est aliud, quàm prædicare perfectissi-  
mam beatitudinem & felicitatem? huius regni est rex Christus, rex iustitiæ. At-  
que hæc omnia præuiderunt prophete, de hoc regno prædicantes, Isa. 11. ca. Hier.  
23; Ezechiel. 34. psal. 71. Et Luc. 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris  
sui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et supra, 1. cap. Ipse saluum faciet po-  
pulum suum à peccatis eorum. Ergo prædicare Euangelium Dei est prædicare re-  
conciliationem, remissionem peccatorum, instaurationem omnium, Ephes. 1. Co-  
los. 1. & æternam beatitudinem. Vnde Christus ait, Beati pauperes spiritu, quo-  
niam ipsorum est regnum cælorum. Hæc qui prædicat, annuntiat captiuis libera-  
tionem, Luc. 4. Et Ioan. 8. Si uos in sermone meo manseritis, liberi eritis, & ue-  
ritas liberabit uos. Gala. 5. Vos in libertatem uocati estis fratres. Colligamus ex su-  
perioribus commendationem doctrinæ Christi. Primò, quod illam Euangelista  
uocat Euangelium, non tristem aliquam annuntiationem, qualis aliquando erat  
prophetarum. Deinde, quod non cuiusvis vulgaris boni nuntium, sed regni, id  
est, liberationis de seruitute & tyrannide, & uniuersalis cuiusdam salutis. Tertio,  
neque cuiusvis regni, sed Dei, quod tam diu antea promiserat. Quarto, quod ipse  
Dei filius, regni huius rex, ultrò aduenit, prædicationem huius regni per se ad-  
ministrat, sitque sup̄ius præco. Proinde qui prædicat Iesum Christum, unicum  
saluatorem, hoc est, in cuius nomine oporteat nos saluos fieri, is uerè indicat re-  
gnum Dei. Act. 4. Et non est aliud nomen sub cælo, datum hominibus, in quo  
oporteat nos saluos fieri. 1. Timoth. 2. Vnus est Deus, & unus mediator Dei & ho-  
minum, homo Christus Iesus. **Qui** prædicat Euangelium, prædicat penitentiã  
erga Deum, id est, conuersionem à regno Satane & peccatorum, annuntians pec-  
cata populi, magnatum, & omnium, ut ab illis respiscat per fidem in Christum.  
Vnde Christus dicebat, Luc. ultimo, Oportebat Christum pati, & resurgere tertia  
die, & prædicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum in o-  
mnes gentes. Et Paulus, Act. 20. Vos scitis, &c. testificans Iudæis simul & Græcis  
eam, quæ erga Deum est, penitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Chri-

Euangelium  
quid contra-  
lit mundo.

Euangelium  
regni, & re-  
gni Dei.

Regnū Chri-  
sti, cæleste &  
spirituale.

Reconcilia-  
tio.

Regnū Dei  
prædicare,  
quid.

Doctrinæ  
Christi com-  
mendatio.



Prædicare, quid. Prædicare, quid. Idonei ministri uerbi nō rem, ut est, nudè annuntiant. Idonei uerbi ministri, qui. Qui aliud, quàm uerbū Dei prædicauerit, anathema.

sum. Et quia in prædicando non parum refert, quales animi, qui affectus, & quis spiritus exigatur. Euangelista non dixit, loquens, sed prædicans regnū Dei. Prædicare Latinis, quemadmodum & Græcis κηρύττειν, est rem aliquam collaudare, celebrare, multisque & palam apud omnes commendare. Quod ergo Euangelista dicit, Christum, prædicasse Euangelium regni Dei, intellige eam quæ tum offerebatur, reconciliationem humani generis: & instaurationem omnium, plenis buccis & magno spiritu apud omnes celebrasse, laudasse, & commendasse. Vnde ex hoc loco colligere licet, quàm parum sint accomodi prædicatores, id est, præcones Euangelij regni Dei, qui simpliciter ad populum narrant, quæ scripta sunt, cū opus sit, ut magno animi gaudio & totis uiribus ista gratia prædicetur, & magnificetur. Licet enim uera dicat narrans more historico, quæ scripta sunt, tamen non uidetur idoneus prædicator, nisi prædicantis referat conditionem: hoc est, nisi aperte, palam omnibus magno gaudio, non tantum narret, sed prædicet, celebret, commendet, ex affectu moueat auditores, & extollat iucundissimum illud Euangelij nuntium. Nec sint enarratores, ueluti qui tantum curent, & ad horam dicant ad populum utcumque, quique ita dicant, ut nescias an aliquo sint affectu ad ea quæ dicunt: quorum quidam ita dicunt, ut quasi ex libro legere uideantur: quidam de composita industria uoce eodem accentu uerius canunt, quàm prædicant: quidam ita frigidè, ut totum auditoriū tepescere faciant. Nonnulli neglecta Euangelij materia, toti in hoc sunt, ut phalerata dictione suspendat magis, quàm ædificent auditorem. Sed huiusmodi non sunt idonei prædicatores. Iam, ut non cuiusvis est uerè prædicare Euangelium regni, ita non cuiusvis est illud ritè audire, & ut decet, accipere. Exigit enim regnum Dei talem auditorem, cui Euangelium sit Euangelium, id est, quem hoc nuntium summo perè adficiat, & exhilaret in eo, quod prædicatur. Porro cū uideamus Christum regem illum cœlestē tanto feruore Euangelium istud regni Dei prædicasse, atque suis apostolis nihil aliud, quàm id prædicare iniunxisse, alioqui Paulus uult talem esse Anathema, arbitror satis manifestum esse, cum non esse ministrum Christi, nec gloriam Christi querere, qui aliam doctrinam prædicauerit.

Et curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Morbus à languore quid differet. Christus ideo Spiritu sancto unctus, ut sit Saluator omnium.

Eleganter Matthæus connectit officia Christi. Post medelam conscientiarum (prædicare enim Euangelium regni Dei pertinet ad conscientias) medelam corporibus adhibita declarat: Nā curare ad corpus pertinet. Hoc officium Christi adducēs, cōfirmat nos ne de illo dubitemus, & declarat Christi potentiam in eo, quod quemuis morbum, & languorem curauit. Est autem inter morbum & languorem ea differentia, quod morbus, ut pote uehementior, hominem correptū in lectum proiicit: languor uerò, id est, imbecillitas quædam corporis, hominem, etsi non permittat esse sanum, lecto tamen non affigit. Quod autem omnem languorem & omnem infirmitatem, hoc est, morbum, curat, argumentum est, quàm sit philanthropus, & quàm magna eius bonitas, quæ quibusvis ad succurrendum, etiam leuiter uexatis, parata est. Hanc potentiam & liberalem bonitatem declarauit Petrus, prædicans, Act. 10. quomodo Iesum Nazarenum unxit Deus Spiritu sancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo & sanando omnes, etiam oppressos à diabolo. Quoniam Deus erat cum illo. En uides, quomodo Spiritus sanctus per os Apostoli Petri usum istius loci aperiat, ostendatque quid ex eo debemus capere, & colligere: nempe Iesum, qui ita circuit, benefaciendo & sanando, à Deo unctum esse Spiritu sancto & uirtute, ad hoc, ut saluator esset omnium. Et quod his ueluti testimoniis declaratum sit, Deum fuisse cum eo, imò & ipsum Deum esse, 2. Corinth. 5. Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians. Et Christus ipse Ioan. 5. cap. Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quod pater miserit me.

Ecclesiæ quoddam Nofodochium: solum:

rit me. His ergo testimoniis confirmetur nostra fides in ipsum. Et quū uideamus hanc nostram Ecclesiam esse, uelut quoddam Nofodochium, in quo uarij sunt ægroti, partim planè decumbentes & morituri similes, partim imbecilles & languidi: oremus Iesum Christum unicum nostrum saluatorem, quatenus pro sua innata bonitate, non solum uehementer in Ecclesia ægtotos curet, sed & utcumque languidos plenè sanitati restituat. Amen.

*Cætera, quæ desunt huic capiti, enarrantur in fronte sequentis.*

## CONCILIATIO I.

sacrificia cū Deus uel exigit uel reiciat.

Si clausula illa, & non sacrificium, intelligatur de legali, refutato & repulso, uel ingrato sacrificio: quomodo Deus se id nolle dicit, cū tamē ipsum sapissimè legatur Deo placuisse? Et ipse quoque populo suo, licet ad tēpus, tamē offerre illud præcepit. Abel obtulit Deo, & placuit, Hebr. 11. cap. Obtulit Noë, & odoratus est Dominus sacrificium eius, quasi odorem suauē. Obtulerunt Abraham, Isaac, & Jacob, & reliqui patres, & placuerunt illorum sacrificia. Deinde inter reliqua legalia statuta etiam sacrificia præcepit Deus. Quomodo ergo se sacrificia nolle dicit? An ideo, quod mala sint? Si mala sunt, cur aliquando placuere, & cur populo suo illa sibi offerre præcepit? Si mala non sunt, cur ea se nolle dicit? Respondeo. Quemadmodum Deus sacrificia, non propter seipsa, tanquam bona, in seipsis exigit ac præcepit, quomodo fidem & charitatem & nominis sui cultum exigit: ita ea rursus hoc loco non ideo reiciit, quod in seipsis mala sint (alioqui enim nunquam ea præcepisset, nec illi unquam grata fuissent) quomodo incredulitatem & crudelitatem, ut mala reprobat: sed ut ea propter fidem & charitatem alēdam præcepit, ita ea sine fide & charitate præstita reprobat & damnat.

## CONCILIATIO II.

Non conuenit, quod Matthæus narrat de Iairo, dicente, Filia mea modò defuncta est, cum iis quæ Marcus 5. de eodem, Filia mea in extremis est: & Lucas 8. Et hæc moriebatur, narrant. Respondeo, nihil pugnantia esse. Nam cū Iairus domo ueniret ad Christum, filia eius iam animam agebat, ueneratque ad extrema. Hoc ipsum agebat affectus patris, filiam, & adeo puellā, duodennem uidelicet, unicè amantis. Et hunc affectum explicans pater, dicebat, Modò defuncta est. Nam natura luctuosior adultæ uirginis mors est. Vnde Iuuenalis Satyrā 15. Naturæ imperio gemimus, cū funus adultæ uirginis occurrit. Seruomone calamitatem augere solemus, ut medicum ad nos facilius pelliciamus. Iairus sic animum desperat de uita filię, ut pro mortua illam haberet. Hoc Iairi iudicium explicat Matthæus: Marcus uerò & Lucas statum morbi, cū filiam lecto decumbentem, & animam agentem Iairus reliquisset.

CAPITIS DECIMI  
Summarium.

*Discipulos potestate accinctos mittit: corporis occisores timere prohibet, prædicationem uerbi iubet, & omnia Deo postponenda demonstrat.*



Apostolis da-  
tur gratia fa-  
nitatum.  
Marc. 3. b.  
Luc. 6. b. c.  
apostoli qui.



Apostoli mit-  
tuntur ad pra-  
dicandū Eua-  
gelium.  
Marc. 6. a.  
Luc. 9. & 10.

Anrum & ar-  
gentum.

Apostoli in-  
gressi do-  
mum.  
Luc. 10. e.  
1. Timot. 5. e.  
In reiciētes  
Euangelium  
Excusio pul-  
ueris de pe-  
dibus.  
Act. 13. g.  
Luc. 10. a.  
Prudens.  
Simplex.  
Afflictio.

Luc. 11. b.  
Act. 2. b.

Perseuerare.

Fuga.

**D**UO CONVOCATIS duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem<sup>a</sup> spirituum immundorum, ut eicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnē infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomaeus, Iacobus Zebedaei, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthaeus publicanus, & Iacobus Alphaei, & Lebbeus, qui cognominatus est Thaddaeus, Simon Cananaeus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim misit Iesus, praecipiens eis, dicens: In uiam Gētium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quae perierunt, domus Israēl. Euntes autem, praedicate, dicētes, Quia appropinquauit regnum caelorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris: non peram in uia, neque duas tunicas, neque calceamēta, neque uirgam. Dignus enim est operarius cibo suo. In quacunque autem ciuitate aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. Intrans autem in domum, salutate eam, dicētes, Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, ueniet pax uestra super eā. Si autē non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos. Et quicumque non receperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes foras de domo uel ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quā illi ciuitati. Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes: & simplices, sicut columbae. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad reges & praesides ducemini, propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Tradet autē frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgēt filij in parentes, & morte eos afficiēt, & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Cum autem persequeretur uos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates Israēl, donec ueniat filius hominis. Non

a. Spirituum  
immundorum  
i. supra re-  
aduersa  
spirituum  
mundorum

c. Separare  
Iudeos  
re facere.

f. ex mini-  
mis Je-  
sus uel  
parus.

b. Simplices  
i. i. i. i.

c. Nolite  
cogitare  
ne loquamini

d. Perse-  
uerare  
i. i. i.

est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si paterfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reueletur: & occultum, quod nō sciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, praedicate super terra. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passerēs assueunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos. Omnis ergo, qui cōfitebitur me coram hominibus, cōfitebor & ego eū corā patre meo, qui in caelis est. Qui autē negauerit me corā hominibus, negabo & ego eum corā patre meo, qui in caelis est. Nolite arbitrari, quia pacem ueni mittere in terram. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Veni enim<sup>e</sup> separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus focū suam: & inimici hominis, domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quā me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam. Et qui perdidit animā suam propter me, inueniet eam. Qui recipit uos, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit uni<sup>f</sup> ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, Amen dico uobis non perdet mercedem suam.

Discipulus  
Magister.  
Luc. 6. 1. 5. 6.

Timor.

Passeres duo.

Capilli.

cōfiteri Chri-  
stum.

Marc. 8. d.

Luc. 9. c. & 12.

b.

2. Timoth. 2.

b.

Gladius.

Pax.

Luc. 12. f.

Disidia.

Mich. 7. b.

A mor.

Luc. 14. f.

Perdere ani-  
mam.

Ioan. 12. d.

Recipere eu-  
angelistam.

Luc. 10. c.

Ioan. 13. c.

Marc. 9. f.

### Videns autem turbas.

Sequentia superioribus connectit Euangelista. Christus conspecto populo, & eius statu & conditione animaduersa, cum ciuitates & uicos circuiret, uidens turbas (inquit) promiscue incedentes, & undique confluentes, ac indies frequentiores, tam auidas salutis ac doctrinae melioris, hoc est, Euangelicae, quam tamen nondum intelligerent, tamen non auersabantur. Contra uerò uidens Scribas & Phariseos, qui licet tenentes prophetas & scripta legis, tamen obsecatos mundanis cupiditatibus, oblectari etiam Euangelicae doctrinae. Atque cum ab his populus haecenus pependisset, tamen hunc nihil curabant, toti seruietes non Dei, sed suae gloriae, seruietes inquam lucro suo, seruietes uentri, uoluptatibusque suis, in quibus si quid religionis uideretur, hoc ipsum erat aded fucatum, ac simulatum, ut officeret etiam uerae religioni. Haec infelicitas populi Christo uehementem miserationis affectum excitauit.

Infelicitas te-  
porij, quibus  
uenit Chri-  
stus.

### Miseratus est eis.

Optimus pontifex, & pastor misericordissimus, qui ed uenerat, ut agrotos sa-



naret, & dispersos colligeret, tactus est affectu misericordiae, & super dissectione, ac dispersione populi commota sunt uiscera eius intima, ueluti solet affectus commoueri paternus, cum ob oculos famas filiorum acerbissima obuersatur. Obserua. Non dicit Euangelista, Iesus audiens, sed uidens: plus enim ad commiserendum tangimur uisu, quam auditu. Nec dicit, audiens querelas vulgi: tantum ait, Videns turbas: declarans Christum ipso duntaxat conspectu populi, miserrime habentis, permotum esse ad misericordiam & commiserationem. Ad eodem res ipsa misericordiam exprimebat, ut nullo opus fuerit, qui tantam declararet calamitatem. Non legitur Samaritanus querimoniis & longa oratione Iudaei vulnerati, sed solo conspectu permotus. Damnatus est uicissim diues ille epulo, quod Lazari iacentis ante fores suas, non est misertus.

#### Quia erant uexati, & iacentes.

Aetiologia commiserationis Christi, sumpta a miseria, & calamitate turbae, non habentis ueros pastores in tanta pastorum turba. Voluit enim Euangelista ob oculos ponere, quam miser fuerit populi status, & quae miserem habentem inuenit populum Christus in isto suo circuitu. Itaque duobus utitur uerbis, quae hoc ipsum lucius declarant, *καταλυμένοι ὑπὸ ἰσχυρίων*, quorum prius idem est, atque dissoluti & dissipati, quemadmodum sunt, quae extra iustum ordinem diuisa uidentur, ita ut nulla pars alteri cohaereat. Alterum significat disiectos uel sparsos, id quod de illis rebus dicitur, quae negligenter, & sine ordine sparsae sunt ac proiectae. Quibus sane uerbis conspicuum est, quam miser & calamitosus erat populi status, quem, per ciuitates & uicos circueiens Christus, reperit dissolutum, dissipatum, disiectumque, hoc est palabundum, & plane eorum cura, a quibus debebat regi, destitutum ac neglectum. Haec est grandis illa miseria populi, ob oculos Christi posita, quam licet turba non consideret, Christus tamen magna commiseratione expendit, quippe uerus pastor. Non minores commiserationes gestant in animis suis omnes ueri pastores exemplo Christi. Quod ad turbam attinet, adhuc miserem fluctuantem sub ipsis pastoribus, huc afferi possunt Ezechielis loca de falsis & auaris pastoribus, qui uentris alendi gratia non parcunt suis ouibus.

#### Sicut oues, non habentes pastorem.

Ad euidentiore sui instituti declarationem, subiungit similitudinem, ab ouibus sumptam. Quemadmodum (inquit) pastores mali & negligentes permittunt oues palabundas errare in montibus sine omni custodia, unde omni periculo illas exponunt: ita turbas Christus pastorum custodia & doctrinae pabulo destitutas inuenit. Obserua hac uoce, Oues, significatur simplicitas turbae, non considerantis fraudes suorum pastorum, regnantium usque in suas oues mera impietate ac hypocrisis, donec misereatur Christus. Mira sunt, quae de ouibus Aristoteles, 9. libro de animalibus, cap. 3. prodit. Genus ouile, inquit, amens, & moribus, ut dici solet, stultissimum est, quippe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit. Prorepat in deserto nulla de causa ac saepe numero hibernis mensibus foras a septis egreditur: cumque a niuibus occupatum fuerit, nisi pastor compulerit, discedere non uult, sed relictum cessansque perit, nisi pastores, mares adduxerint: nam ita demum consequuntur. Caprarum ex grege si quis unam uillo mento dependente, quem arum uocant, apprehenderit, ceterae stant ueluti stupidae, suos in unam illam oculos conuicentes. Ex iis uero mirifice adumbratur stoliditas inepta, ideoque infantia insipida carnis, & populi rarissime recte sapientis, carentis sale uerbi diuini, & uitae magistris siue moderatoribus. Non habentes pastorem, supple, ueris paescuis pascentem: interim enim habebat turba multos pastores in specie. Taxatur interea & Pharisaeorum & Iudaicorum sacerdotum incuria, quod patrum suorum exempla imitantes, se pascerent, non gregem. De quo & Ezechiel. 34. cap. con-

Oculus magis mouet, quam auris.

Turba simplex & fraudis opportuna.

Oues.

Ouilem & caprarum ingenium ex Aristotele. Aruncus.

querens, clamat, Vae pastoribus Israel, qui paucorum seipsum. Nonne pastorum est pascere gregem ipsum? Pinguedinem comeditis, & lana induimini, & quod crassum est macatis: oues autem ipsas non pascitis, dolore correptam non consolidastis, aegrotam non sanastis, contractam non ligastis, propulsatam non reduxistis, & perditam non quaesistis: quin & cum duritia & sauitia dominati estis eis. Horribilis oscitantiae & negligentiae exemplum, a quo ne alieni quidem hodie sunt plerique nostri pastores, qui non misentur turbae in tanta Ecclesiae dissipatione, & aduersitate. Miserum profecto spectaculum fuit cordi Christi, uidere tot animas, a pastoribus & doctoribus suis derelictas. Hoc triste & miserandum spectaculum depingit Christus & amplificat, sub figura ouium desertarum. Iam hoc unum te rogo, meditare, & apud te sige, quam triste sit uidere gregem istum, per se miserum, in primis fame & siti consumptum, ut cui neque pabulum, neque potus ministratur, sed finitur fame & siti tabescere. Secundum, nullo stabulo aut septo custodiri, aut curari, sed errabundum, uagum, & omnium uoracitati expositum relinquit. Haec duo necessariò contingunt gregi, qui caret pastore, neque seipsum potest alere aut tueri. Ita anima, sine uerbo Dei relicta, fame & siti pereunt, dum non est qui pascit & alit. Deinde disperguntur & dissipantur, dum nullus est custos & nullum ouile, in quo curentur. Haec duo uastant Ecclesiam & populum Dei. Primum scilicet, quando priuantur uerbo Dei, quo alitur Ecclesia. Secundum, cum non defenduntur contra impia dogmata. Vnde fit, ut amissa pietatis doctrina (quae fide catholica conseruatur) conscientiae tristes & exhaustae uagentur, & discurrant in infinitas sectas & superstitiones, quarentes sanari. Vnde his duobus uerbis uexati & dissipati copiose Euangelista expressit uniuersum chaos malorum, quibus animae pereunt, quando sine uerbo sunt, nec potest utrumque satis explicari & amplificari. Proinde si tam horribile est gregem sine uerbo relinquere, quid putas erit, esse uel fieri ex pastore lupum? Quales sunt, qui non solum negligunt uerbum, sed etiam contraria docent, & deuorant ipsimet oues. Huc si accedat, ut etiam tyranni fiant, & propter uerbum occidant pios, quod in prima Ecclesia contigit, iam nihil potest esse pastor huiusmodi, quam ipse diabolus. Tales fuerunt Pharisei & scribae. Talis iam Turca est, magnus ille Antichristi praebulo. At ex opposito Ezechiel loco adducto mox boni pastoris officium describit, in persona Domini loquens: Ego (inquit) pasca oues meas, & ego faciam accubare eas, dicit Dominus Deus. Perditam requiram, propulsatam reducam, contractam sanabo siue ligabo, infirmam roborabo, pinguem uerò & fortem exterminabo, & pascam eam in iudicio. Porro hic locus Matthaei non loquitur de externa & mundanae potestatis administratione derelicta, quod uidelicet ea tunc temporis caruerint (nam erant sub Imperio Romano) sed de pastorum in uerbo negligentia. Si itaque hoc loco uidemus, quanta sit populi disiectio & dissolutio ex defectu boni pastoris, uicissim coadunatio & stabilimentum est populi bono praeditum esse pastore. Apud Paulum, ad Ephesios. 4. uidere est, quis sit in populo Dei, usus boni pastoris, quomodo ad adificationem corporis Christi faciat, ad unitatem fidei, ad agnitionem ueritatis, atque stabilimentum certum ac firmum, ne uelut oues palantes oberremus, expositi seductoribus.

#### Tunc dicit discipulis suis.

Christus considerans in Phariseis lupos agentibus, non pastores, nullam esse spem gregis, iamque populum miraculis utcunque praeparatum ad accipiendam doctrinam Euangelicam, tunc, in illa commiseratione, dicit discipulis suis, quos iam multos collegerat, ut eos ad commissi officij administrationem a penuria praedicatorum, & copia auditorum prouocet. Hic locus est querela pathetica. Nam deficientibus praedicatoribus synceris & fidelibus non saluantur homines: fides e-

In pastorum fociordia, & negligentia.

Gregis, pastore destituti, miseria duplex.

Interneccio gregis quum ex pastore quis sit lupus & tyrannus.

Turcarum princeps Antichristi praebulo. Boni pastoris partes ex Ezechiele. Alias, custodiam.



nim uiua, ex qua salus ex auditu est: auditus uerò per uerbum Dei.

### Messis quidem multa.

Peruenusta admodum metaphora à re rustica, nomine mēsis significat multitudinem siue populum, appropierantem, ac uelut maturum, id est, sitientem uerbum Euangelij. Nam ut in agricultura, sua sunt tempora & necessarij progressus, donec fruges maturescant, & mēsis adueniat: primò enim ager proscinditur aratro, deinde seminatur, postea semen in gramen erumpit & in aristam excrefcit, ad extremum fructus maturefcit, succiditur, & in horreum conuehitur. Ita cultura dominici agri sua habet tempora, suos progressus, & sua incrementa. Principiò Moyses proscidit agrum Domini aratro legis: deinde prophetae seminauerūt: post tempora Ioannis Baptistæ, apparuerunt aristæ: postremò cum aduenisset Christus, & emisisset Apostolos, aduenit & mēsis, & incepit triticum conuehi in horreum Dei. De hac messe Christus discipulis est loquutus, Ioan. 4. Nōne uos dicitis (inquit) adhuc quatuor menses sunt, & mēsis uenit? Ecce dico uobis, Leuate oculos uestros, uidete regiones, quia albæ sūt iam ad mēsem. Et qui metit, mercedē accipit, & congregat fructum in uitam aeternā: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est uerbum uerum, quia alius est, qui seminat, & alius, qui metit. Ego misi uos metere, quod uos non laborastis: alij laborauerūt, & uos in labores eorum introistis. Huc pertinet, quod Ioannes Baptista concionatur, Matth. 3. & Luc. 3. Ventilabrum (inquit) in manu Christi, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Cum igitur tempus, quo prædicatur Euangelium regni Dei, sit tempus mēsis, uideamus, quæ sunt frumenta illa, quæ conuehantur in horreum Dei. Frumenta haud dubiè sunt, partim homines ipsi, qui per prædicationem Euangelij congregantur in horreum Ecclesiæ Christi, partim ea sunt bona, quæ homines ex Euangelio per fidem charitati coniunctam colligunt. Et quæ sunt illa? Num tale triticum aut hordeum, quo uenter pascitur? Huiusmodi frumenta sunt, quæ quærebant Scriba ille, cui Dominus dixit, Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidus, filius hominis nō habet, ubi reclinet caput suum. Talia quærebant is, qui dicebat, Anima mea multa bona habes, &c. Et alij passim in Euangelio: qui cum admonentur ad sectandum Euangelium Christi, impudenter affirmant se contentos esse, modò frumenti, uini & olei copiam habeant, atque, ut uili pretio emant & uiuant. Sed hi uicissim Paulum audiant, dicentem. 1. Corinth. 6. Esca uentri, supple, destinata est, & uenter escis. Deus autem & hunc & hanc destruet. Rom. 14. Non est enim regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Frumenta igitur, quæ pij in messe Euangelij colligunt, spiritualia sunt, uidelicet primò iustitia coram Deo & hominibus, quorum alterum fit per fidem in Christum, iustus enim ex fide uiuit: alterum, per obedientiam & fructus uiuæ fidei: deinde aeterna uita & gaudium cœleste. Hæc sunt frumenta illa, quæ ex messe Euangelij colliguntur. Sed ut in messe corporali, frumenta non sine magno sudore & labore in horrea conuehantur: noctu enim diuque uigilandū est, ardor solis tolerandus, manus callis obdurandæ sunt: ita dum frumenta spiritualia colligas, multa aduersa toleranda sunt. Quantò autē plus laboraueris, & quātò maiora aduersa tuleris, tanto plura frumenta in horreum tuum conuehes. Quare, cum nunc sit tēpus mēsis nostræ, neque ociemur, neq; stertamus, sed mēsis labores alacri animo capeffamus. Qui cōgregat, inquit Salomon, Prouer. 10. in messe, filius sapiens est: qui autē stertit aetate, filius confusionis. Et Prouer. 6. ca. Vade ad formicam, ò piger, & considera uia eius, ac discite sapientiā, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in aetate, cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Obserua: uocabulo, mēsis, Christus subindicat bre-

Collatio culturae agri spiritualis & terreni.

Fruentum Euangelicū, quod.

Iustitia duplex.

Labor Ecclesiasticus, etiam improbus, necessarius.

ue tempus, ut declaret Euangelij prædicationem, esse occasionem ad consequendum regnum Dei, quæ cum hodie sit capillata, retinenda seruandaque est, quia fieri potest, ut cras sit calua. Rursus aduerte. Cum dicit mēsem multam, operarios uerò paucos, apertè declarat huius iacturæ spiritualis culpam, non fuisse populi, sed pastorum & doctorum: quando quidem populum comparat mēsi ad falcem iam maturæ, cui nihil defuerit, nisi manus metentium & colligentium. Quæ admodū & in priore similitudine, non dicit, quòd erant, sicut oues, non ferentes pastorem, sed, sicut non habentes.

### Operarij autem pauci.

Per allegoriam uocat operarios, qui uerbo, ceu falce, ex mundo homines demessos, in horreum, id est, Ecclesiam Dei, recondunt. Hoc est, operarij sunt, qui rectè metere possunt, & qui ita prædicant, ut rectè secent uerbum, & non euellant fruges unà cum radicibus, hoc est, sua indigesta & inordinata prædicatione non perdant conscientias. Debet profectò prædicatione uerbi ita esse comparata quemadmodū collectio frugum in horrea tēpore mēsis. Messores sunt prædicatores, qui rectè nōrunt abscindere & colligere fruges, hoc est, qui intelligūt Dei uerbum, & alijs rectè prædicant, ut auditores uerbi colligantur in manipulos, in usum Domini. Fruges uerò iam collectæ in manipulos, tamen non statim cedūt in cibum, aut perueniunt ad eam requiem, ad quam ordinatæ sunt: oportet enim eas prius trituri, mola conteri, postea comedī. Ita & pios collectos iam per prædicatores, in manipulos in usum Domini, oportet per multas tribulationes in uitam aeternam ingredi. Paucos dicit, declarans, quàm rari sunt boni pastores, quum tamen numerus laruatorum in Ecclesia magnus sit: quòd, ut Paulus ait, Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.

### Rogate ergo Dominum mēsis, ut mittat operarios in mēsem suam.

Quia suprà humanā uirtutē est, huiusmodi operarios in hanc mēsem ablegare, præcipit Dominus orare Dominum mēsis, utique Deum patrem, ad quē spectat tota mēsis, ut ipse mittat operarios, id est, ueros prædicatores, qui & intelligant rationem metendi, & uerè metāt, in mēsem, id est, in Ecclesiam suam. Hæc uox, suam, emphasim habet. Quasi dicat: mēsis est Domini, ergo non licet prædicatoribus dominari ac seruire in conscientias. Atque hac uoce, accusat Christus temeritatem pseudoprophetarum, qui immittunt falcem suam in alienam mēsem, neque uocati neque iussi à Domino. Vnde Paulus de hac re ipsa loquens. 2. Corinth. 3. ait. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra, id est, quicquid idonei sumus, ex Deo est, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Loquitur autem de ministerio suo erga Corinthios, quos fecerat prædicatione sua epistolam Christi, spiritu in cordibus scriptā, hoc est, uerè Christianos. Operatur autem Deus omnia in omnibus suo spiritu, 1. Corinth. 12. Significat igitur hic locus concionatores Euangelij non decuti (ut aiunt) ab arboribus, sed necesse esse, ut cælo precibus impetrentur. Rectè itaque Roma. 10. Paulus ait, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Quasi diceret, Non est possibile, ut Euangelium quisquam annuntiet, nisi à Deo in hoc destinetur: nihil itaque tale potest quisquam sine Dei impulsu uel cogitare, ut iā ex Paulo ad Corinthios adduximus. Ergo ne, inquires, nullam dabimus operam literis? An nō est opus erudire adolescentes in sacra scriptura? Nimirū, Cum opus habebimus Ecclesiæ, fundemus publicas preces, & mox de cælo mittetur nobis. Scio imperitos quosdam, quibuscum sum loquutus, ita iudicare, sed docti & catholici longè aliter sentiunt. Nam cum Christus iubet nos petere Ecclesiastas seu concionatores

Operarij probi, qui.

Messores, prædicatores.

Pastores germani pauci, laruati multi.

Mēsis est Domini, in imperiosos & feroculos Ecclesiastas.

Sincerum Euangelicū prædicare, res haud leuis negotij.

Ecclesiastæ, tū formandū tum implorandi.



Euangelij à patre cœlesti, Domino melsis, non reicit, sed præmittenda intelligit humana nostra officia, studia in sacris literis, uirtutum exercitia, morum optimorum compositionem, & huiusmodi, quibus parantur, idoneique probantur Ecclesiastæ, & addendas his preces, ut ea quæ nos agimus, suum habeant incrementum, Est enim tum episcopi, tum magistratus, tum priuatorum parentum officium, ut quoquomodo possint, iuuetuti consulant, & adolefcetes parent, qui in literis sanctis erudiantur, & ad ministerium prædicandi Euangelij præparentur. Non existiment autem se omnes officij sui numeros absoluisse, etiam si iuuentus probè erudita fuerit, sed necesse habent preces addere, ut Dominus det incrementum, & quos nos erudiuerimus, ac in ministerium Ecclesiasticum debito ordine uocatos uiderimus, eos spiritu suo illustret, quo Euangelium synceriter annuntient, & Ecclesiam Domini fideliter administrant. Ego, inquit Paulus. 1. Corinth. 3. plantauit, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Ergo nec est plantandum nec rigandum? Absit, ut hoc sentiamus. Mox enim sequitur, Vnusquisque propriam mercedem accipiet iuxta suum laborem. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Quare cum uocantur Ecclesiæ ministri & concionatores ab iis, quibus hoc munus incumbit, ita orandum est, ut interim episcopus aut ij, quorum hæc est cura, suum faciant officium, atque ita faciendum est, ut interim etiam fundantur preces ad patrem cœlestem, ut dignetur incrementum, & benedictionem impartiri uocatis electis, ministris, & concionatoribus. Obserua uerbum, mittat, quo significatur, quod nullus seipsum debet glorificare aut intrudere, sed quilibet debet uocari. Primum facta est uocatio immediatè à Deo, qualis est uocatio Apostolorum & prophetarum. Secunda fit per homines, autoritate & ministerio Christi fungentes, sicut Apostoli suos successores uocauerunt, & ipsorum successores alios elegerunt. Rogabis an seipsum offerre ad uocationem sit licitum. Respondeo: si fiat carnali sensu, id est ambitione uel auaritia, prorsus non licet. Verum si sic quis intret, & postea conuertatur in aliam uiam, ut mentè ad meliorem scopum traducat, bonum est ei, sic manere. Si uerò fiat studio seruiendi Deo, proficiendi Ecclesiæ, & promouendi Euangelium, hoc licet, & est bonum opus, teste Paulo. 1. Timoth. 3. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sic & in Deuteronomio Moses præcipit recipi eum Leuitam, qui ex aliqua regione ueniat ad locum domus Dei, ad seruiendum Domino. Proinde à Grecis hic legitur, ὅπως ἐκείλῃ, id est, emittat & extrudat, ut intelligamus uel celeriter mittendos, ac uel inuitos & cõtantes extrudendos in opus Dei. Nemo enim, qui intelligit gratiam uocatum ministerij prædicandi uerbum Dei, sua sponte illud ambit, sed necesse habet à diuino spiritu impelli, ac etiam cogi. Vnde & Hieremias agnoscens, quàm difficile esset obire hoc prædicationis munus, cum ad prædicandum uocaretur, dixit, Ah Domine Deus, Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Ex his intelligimus Dominum nolle operarios seu ministros titulos tantum. Exigit certè hoc ministerium laborem nõ otium & ambitionem: postulat Dominus operarios, quod habeat messem demetendam, id est, uult operarios & messorum, qui portent onera terræ, hoc est, peccata populi. Quia in re non est opus otio, sed magno labore. Est profectò pastura omnium, res magni laboris, & negotiosissima. Deinde melsis exigit, non ignauos, sed fortes operarios. Adde, quod ministerium hoc agriculturae & plantationis (quæ laborem exigunt) comparatur cum doctrinæ ministerio, quod laborem efflagitat, ut fiat, quod iussit Dominus, Ite docete omnes gentes. Facessant ergo hinc delicatuli, & oremus Dominum, cuius est melsis, cuius sunt messorum, qui sumus melsis eius, & uelut oues errantes, ut messorum falsos extrudat, & pastores immittat, qui nos ad unitatem fidei colligant, & pabulo uitæ fideliter pascant, ad gloriam Dei, ad promotionem regni Christi, & in Christo ætet-

Vocatio duplex à Deo, ab homine.

Offerre sese ad uocationem an licet.

Nemo se obtrudit prædicando uerbo Dei, nisi qui ignorat, quàm magni momenti sit opus.

Dominus se uos otiosos respuit.

num Amen. Obserua uerbo, rogate, præcipit Christus omnibus ætatibus ac seculis hominibus, rogare ac petere synceros & fideles prædicatores. Etenim precibus oportet synceros ac fideles prædicatores impetrare. Domini uocabulo Christus utitur, ut ostendat Deum potentem esse, qui mittat prædicatores synceros, & fideles, qui sunt dona Dei, & melsioni suæ Deus aptos facit illos, quod synceriter & fideliter prædicent. Vult ergo Dominus suæ melsi operarios, quorum animi dispositi sint ad metendum, hoc est, ad functionem subeundam, quique ut Dominum, ita & messem eius ex animo diligant, benèque curatam & purgatam cupiant & curèt. Præmisit Dominus mandatum precandi, ut operarij intelligant se (cum mittuntur) diuinitus mitti, & in opus & messem Domini amandari, tanquam operarios Domini, id quod summoperè agnoscendum est ab operariis Domini. Qui planè omni carebunt philautia, & omni inuidia, & quæstus amore in hoc opere: nihil ita in uotis habentes, atque hoc unum, ut promoueatur regnum Christi, quàm felicissimè per quoscunque: ita gaudebat Paulus, Philipp. 1. ca. eò quod Christus annuncibatur. Tales operarij erant Apostoli, ut in Actis legitur, cap. 6. Dicebant enim, Non est æquum nos derelinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, uiros ex uobis boni testimonij septem, &c. Nos uerò orationi & ministerio uerbi instantes erimus. Atque hoc exemplo prodesset etiam rebus publicis curandis & administrandis, deligere tales uiros, qui non, quæ sua, sed quæ reipublicæ essent, quærerent, qui simul essent & circumspecti & amatores populi, quibus nihil esset gratius, quàm ut reipublicæ benè cõsuleretur. Adhuc possunt in exemplum Moses, Iosue, Samuel, & plerique alij. Qui & ipsi seferunt sese à Domino extrusos in messem, & quicquid laboris insumpserunt, in gratiam Domini, insumpserunt.

Quos sibi ministros Dominus uelit.

Reip. prospiciendi prouidi atque boni uiri.

### Et conuocatis.



Osteaquam Matthæus commemorauit, quousque Christus sua prædicatione, & miraculorum potentia, exordia regni Dei prouexisset, nimirum eò usque, ut iam ad falcem copiosa appareret melsis maturata, & ipsa tanta, ut multorum operariorum desideraret manus: Nunc ostendit quàm felix sit dispensatio regni sui: imò quomodo Dominus ipse, & regni sui rex, Christus, præsentis necessitati, hoc est, turbæ desertæ & derelictæ, ex suo officio succurrerit. Ipse enim uerus pastor, diu antè in prophetis promissus, ut Ezechiel. 34. Et suscitabo pastorem unum, qui pascat, &c. incipit de ueris pastoribus prospicere, & ad se, quos diuina sua prouidentia iam antea selegerat, uocare, & instructos, ad functionem prædicandi regnum Dei, emittere. Neque arbitrandum est, quod Dominus hos hic primum uocauerat, propterea quod primum hic ipsorum nomina scribit Euangelista. Nam iam antea ipsos uocauerat, ut uidere est Ioannis primo & supra. Voluit certè ipsos aliquandiu antea in futuram legationem, præparare, ut præparati commodo tempore ad opus prædicationis amandarentur. Iam nunc ex suis, quos sibi peculiare fecerat, instituit duodecim præcipuos, quos Apostolos nominauit, & in symyctas suos cooptauit, hisque, ut eruditioribus ac firmioribus docendi munus cum autoritate delegauit, ut Euangelium regni Dei, inter Iudæos (ad Gentes enim, non nisi post missionem Spiritus sancti emisi sunt) annuntiant. Ad eum modum & illis hodie, quibus populi cura demandata est, prouideter agendum est, ne in futurum desint necessarij Ecclesiæ & Christianæ reipublicæ administrari. Ad hoc enim instituta sunt scholæ: atque hoc sine instituta collegia canonicorum, quæ & uerbi diuini, & sanctioris uitæ exercitia, ac totius perfectionis exemplaria esse debent, Marc. 3. Et ascendens in montem, uocauit ad se, quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum, &

Scholæ, & canonicorum, quos uocant, conuentiones, ad quid instituta.



fecit, ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Luc. 6. Cum dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Hos uocasse necessarium erat, quòd futura esset mutatio totius Ecclesie, scilicet synagoge, in gentium Ecclesiam, & ob id facta est insignis uocatio & electio eorum, qui tantam nuntiaturi essent mutationem. Nam legem & regnum legis abrogare & antiquare, fuit mutatio non dissimilis ipsi diluuiò, quo mundus in nouum mundum uersus fuit. Et reuera, Euangelium fecit nouum mundum. Ideo & uocari oportuit ab ipsomet Domino nouos noui regis ministros, & fideles dispensatores. Obserua ex superioribus, nulla re perinde opus esse Ecclesie, atque sanctis ministris: deinde tales fidelibus precibus poscendos esse à Domino: & quod hos oporteat iusta ordinatione constitui, neque alios ordinari, quàm delectissimos, uariâque facultate instructos, ut mox uidebimus.

Nihil còmodius aut magis ex usu Ecclesie, atque fugi ministrum.

### Duodecim discipulis suis.

Posteaquàm Christus aliquandiu solus prædicauit & sanauit, interim non immeritorum futuri, selegit sibi duodecim, quos secum haberet indiuiduos comites, & discipulos, & ad futuram legationem instrueret. Vbi obseruandum est, quòd non quouis, sed duodenario numero elegit Apostolos. Hunc numerum pro sacro habet sacra scriptura, & ex claris operibus Dei illustrem esse docet. Videntur autem hi duodecim Apostoli tanquam fermentum veri, id est spiritualis, Israëlitis, per prædicationem apostolicam ex omnibus Gentibus congregandi. Quemadmodum enim Deus Abrahamum ex gentibus assumpsit, & hunc in duodecim Patriarchas & duodecim tribus Israëlitis per Iacob multiplicauit: ita rursus ex Israëlitis sumpsit Apostolos duodecim, qui essent uelut fermentum spiritualis Israëlitis, undique ex Iudæis & Græcis colligendi, ut esset unum ouile & unus pastor. Ex quibus multò copiosius impleteretur multiplicandi Israëlitis promissio Abrahamæ facta, quàm ex filiis illis Iacob. Atque quemadmodum ex duodecim Israëlitis filiis carnali generatione, Iudæorum multitudo prouenit: ita ex duodecim Apostolis spirituali natiuitate progressa est multitudo credentium iuxta multitudinem arena, quæ est in litore maris. Secundum quod dictum est Abrahamæ, Roma. 4. ex Genes. 15. Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli, & arena maris. Nam si Paulus eos, quos ad fidem Christi instituit, 1. Corinth. 4. Ad Galat. 4. & ad Phile. genuisse se rectè dicit: quomodo nõ & de reliquis Apostolis illud diceretur? De hoc numero duodenario

Discipuli Christi dicti omnes credentes.

Figura ex lege duodenarij apostolorum numeri.

Ex nouo testamento.

Plures testes duobus uel tribus nõnquam necessarii.

Diuis Augustinus parte octaua suorum operum in psal. 59. & de alijs numeris passim in suis operibus philosophatur. legito indicem. Obserua. Discipuli initio prædicationis Christi non 12. duntaxat Apostoli dicti sunt, sed omnes auditores Euangelij, & studiosi nominis Christi (à quo ceu à præceptoris imperio pèdebant) uocati sunt discipuli. Obserua: ut præfiguratum adduximus duodenarium Apostolorum numerum ex filiis Iacob, ita adumbratè obseruabis per 12. tribus Israël, Exod. 24. per 12. fontes in Helim, Num. 33. per 12. lapides in Rationali Aaron, Exo. 39. per 12. panes propositionis, Leuit. 24. per 12. exploratores à Mose missos Numer. 13. per 12. lapides, unde factè est altare. & 12. lapides sublatos de Iordane, Ios. 4. In nouo etiam testamento per 12. stellas in corona sponsæ, Apoc. 12. cap. per 12. fundamenta Ierusalem, quæ Ioannes uidit Apoca. 21. & per 12. portas, Apoc. 21. ca. Rogabis: Qui sit, quòd Christus nec plures nec pauciores Apostolos elegit, quàm duodecim? Respondeo: quanquam lex dicat, In ore duorum aut trium stat omne uerbum, hoc est testimonium: in iustis tamen rebus, quæ certissimæ ac firmissimæ esse debent, maior testium numerus adhiberi solet, & id seruatur ius Romanum & ciuile, quod ad ordinatum testamentum septem testes adhibet. Iudaica autem consuetudine duodenarius testium numerus sacro-sanctus est, qui proculdubio autoritatè suâ inter Israëlitas è numero duodecim patriarcharum,

filiorum Iacob, accepit. Vnde quòd Nouum testamentum, per Iesum Christum consummatum, sit res longè omnium certissima ac firmissima, elegit Christus Apostolos numero duodecim, ut emitteret eos tanquam publicos testes in orbem terrarum, qui testificarentur resurrectionem Christi à mortuis, & prædicarent nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Elegit itaque eos, ut testes testamentarios, hoc est, qui uoluntatem testatoris publicè testificarentur, & exequerentur. Sunt enim, ut intelligas, duo testamenta, quæ Deus in populo suo condidit. Alterum uocatur Vetus: & hoc est pactum illud, quod Deus inuit cum Abrahamo, quando promisit se multiplicaturum Abrahamo semen: Semini Abrahami terram Canaan daturum, & politiã in ea instauraturum: adeoque semen Abrahamo daturum, in quo benedicerentur omnes gentes terræ. Alterum uocatur Nouum testamentum: & hoc est, quod Deus per Iesum Christum filium suum condidit, in quo in primis promisit se placaturum fore patrem, omnibus in Iesum Christum credentibus, & remissurum ipsis peccata propter Christum: deinde se adoptaturum in filios & hæredes bonorum suorum quotquot in Christum credent: postremò se seruaturum in afflictionibus & morte ipsa omnes in Christum credentes, atque felicitate perpetua donaturum. Vocatur autè testamentum, nouum, non quòd antea non fuerit promissio prædicata in mundo, sed quia Christus nouissimis temporibus in carne uenerit, & Euangelium eius toti orbi terrarum reuelatum fuerit. Vnde Paulus ad Hebræos. 9. uocat Christum noui testamenti mediatorem, sponsores, intercessorem, seu conciliatorem, propterea quòd hoc testamentum sit per ipsum à Deo patre suo conditum, perfectum, & impletum. Quare hac causa Christus elegit suos Apostolos, ut per ipsos tanquam per testamentarios nouum testamentum toti orbi inuulgaret, ac publicè testificaretur. Ait enim Iesus ad eos, Act. 1. Eritis mihi testes usque ad extremum terræ.

Diodecim Apostoli, testes Christi testatoris.

Testamenta duo.

Vetus.

Nouum.

Christus, noui testamenti mediator.

### Dedit illis potestatem.

Quia Apostoli habebantur homines idiotæ & ignobiles, ne planè contemnerentur & exploderentur, fortiter illos munit & armat Christus, priusquam illos emittat. Nimirum imbuit eos tali potestate, qua animos populi, cum in stuporem, miraculorum potentia, tum ad amorem, sanandorum morbidorum beneficentia, permouerent. Oportebat certè primos Euangelij concionatores magna signorum uirtute instructos esse. Nam doctrina (quam afferebant) uidebatur noua: ipsi uerò doctores, quamuis iam diu instituti essent à Domino, apud imperitum tamen uulgus idiotæ erant & piscatores: unde non habebant aliquam autoritatem apud populum. Præterea cum Moses legem promulgaret, multis prodigijs ac miraculis ipsi autoritatem parabat Dominus. Ergo idem nunc quoque Euangelij sui prædicatoribus fidem parat ex uirtutibus. Certè citra doctoris autoritatem elumbis uidetur omnis doctrina, quantumuis aliàs egregia sit ac illustris. Habent autem hæ Apostolorum uirtutes usum suum in Ecclesia uel hodie. Ideo enim doctrinæ Apostolicæ credimus, quòd didicimus, uel horum signorum testimonio iudicioque, doctrinam ab autore Deo, ministrisque eius Apostolis, esse profectam. Nam ut ad Mosem olim Dominus dixerat, Ego ueniam ad te in densa nube, ut audiat populus me tecum loquentem, & credat tibi in perpetuum. Ita his quoque signis Dominus fidem suis Apostolis apud nos parare uoluit, ut ipsis quoque crederemus in perpetuum. Porrò potestas Græcè *ἰσχύς* est, hoc est, ius aliquid faciendi. Quæ potestas licet nõnquam inter homines suo careat effectu, quando caret *ἀρχή*, id est uirtute & facultate exequendi iuris, nõn tamen ita habet in diuinis. Nam *ἰσχύς*, id est potestas, & *δύναμις* apud Deum sunt coniuncta, ut Lucas. 9. *ἔδωκεν*, inquit, *αὐτοῖς δυνάμιν καὶ ἰσχύαν*, dedit eis uirtutem siue facultatem & potestatem. Quia ergo Apostoli à Christo, uero Dei filio, potestatem hæc accipiunt, accipiunt simul

Suos, emissurus Christus, munit & armat.

Prædicatoris neglecti doctrina macta.

Doctrinæ Euangelicæ assentimur propter signa.

Ius & potestas aliquid faciendi nõnquam apud Deum disiuncta.



& facultatem seu uirtutem effectricem. Porrò duplex legitur, potestas. Altera si-  
bera & absoluta: altera ministralis & definita. Prior nulla lege, nullo superioris ar-  
bitrio coerceri potest. Hæc solius Dei, non autem creaturæ est. Hæc habuit Chri-  
stus Iesus, unigenitus Dei filius, uerus quidem homo, sed uerus etiam Deus. De  
qua ipse Matthæi ultimo ait, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Al-  
tera est ministralis & determinata: quæ aliunde accepta, subest maioris potestatis  
arbitrio, quæ & ipsa quidem ius habet & facultatem faciendi, sed ea duntaxat,  
quæ in cõmissis habentur, ultra quorum limites non ualet accepta potestas. Hanc  
potestatem hoc loco, siue post resurrectionem, à Christo acceperunt, ait Lucas, 9.  
super omnia, non super omnia simpliciter, nimirum non super angelos, non su-  
per homines, sed super omnia dæmonia, & super omnem morbum & languorem.  
Nec absolutam acceperunt potestatem, ut mox illis licuerit agere erga dæmones  
quicquid placuerit pro arbitrio: additur enim, ut expellerent ea. Similiter, non  
ut infligant morbos hominibus, sed ut egrotos sanent, & ex ægrotis sanos reddat.  
Rursus Ioannis. 20. post resurrectionem acceperunt potestatem ligandi & soluendi,  
de qua Math. 18. uerum non absolutam. Neque enim ideo mox potestatem  
habuerunt ea ligandi, quæ in cælis sunt, & ea soluendi, quæ in inferno sunt. Non  
enim dicit, Quæcunque ligaueritis in cælo: sed, Quæcunque ligaueritis super ter-  
ram. Nec dixit, Quæcunque solueritis in inferno, sed super terram. Neque etiam  
super terram licuit quenuis ligare aut soluere: nam ut credentem & poenitentem  
apostolus aut apostolicus non ligat, ita impoenitentem non soluit. Acceperunt etiã  
potestatem docendi, sed non quiduis. Ea, inquit, docentes eos, quæ ego præcepi  
uobis. Proprium legati munus est, ut ea, quæ in commissis habet, fideliter nuntiet,  
ultra uerò de suo nihil addat, ait Chrysostomus super epistolâ ad Romanos, ho-  
milia. 2. Et committitur potestas non ad destructionem, sed ad ædificationem, non  
aduersus ueritatem, sed pro ueritate. Solet Dominus potestatem suis dare, longè  
aliter quàm imperatores potestates super integra regna conferre soleant. Con-  
suetudinis est apud Imperatores, etiam apud plerosque Ecclesiæ præfectos, ut conse-  
crant potestatem super regna, aut paroccias, non in gratiam populi ut præficient  
bonos reipublicæ administratos, aut ut parocianis uerbo & doctrina proficiant: sed  
potestatem dant in gratiam eorum, quibus illam conferunt, ut habeant, unde splen-  
didè, magnificè & delicatè uiuant. Deus uerò non ita. Nam quancunque super  
alios potestatem cõmittit, committit eam, non tam in eius, quem præficit, quàm  
eorum, quibus eum præfecit, commodum. Vnde potestatem committit, nõ per-  
dendi sed curandi. Sunt enim ministri, medici spirituales. Vnde & Lucæ. 9. rogan-  
tibus Dominum, an orarent, ut descenderet ignis de cælo, & cõsumeret illos, &c.  
Respondit, ipsosque increpauit, dicens, nescitis, cuius spiritus estis: filius homi-  
nis non uenit animas perdere, sed saluare. Verbi gratia, Qui in magistratu sunt, in  
potestate sunt, quam à Deo habent non ut dominantur, & libidinentur: sed ut po-  
pulo profint, populum pascant, noxia pellant, commoda procurèt & prouehant.  
Rursus uir potestatem habet super uxorem: In potestate, (inquit) uiri eris, &c. &  
ipse dominabitur tibi. Verum non ut pro libidine sua abutatur uxore, sed magis  
eam habet potestatem in gratiam uxoris. Atque ideo iubetur uxorem diligere. Ni-  
mirum ut amoris impulsu, officio & potestate sua erga uxorem (alioqui abusus)  
rectè in commodum uxoris utatur. Ad eum modum & ministris suis Christus po-  
testatem commisit, non ut magnificè & splendidè uiuant & dominantur, sed ut  
ministrent, quæ à Domino acceperunt. Alioqui non placebunt supremo pastori,  
qui & de falsis pastoribus conqueritur Ezech. 34. quod austerè gregi misero impe-  
rauerint. Vide, quæ scripsimus (si iuuat) 1. Pet. ultimo, Non dominantes in clero,  
&c. Non est igitur mens Christi, ut feramus parochum aut similem in Ecclesia,  
qui sibi omnem potestatem adscribat, qua audeat quiduis pro sua libidine. Obe-  
diamus

Potestas du-  
plex.Potestas apo-  
stolis data,  
certis limiti-  
bus cohibita

Legati munus

Potestatem  
suis dedit  
Christus ad  
salutem po-  
puli.Abusus horum  
temporū in  
potestatibus  
& præfectu-  
ris conferen-  
dis.In pastores  
dominabun-  
dos & depa-  
stros.

diamus tamen iis, quibus nos subicit hoc est, quos sua potestate munitos nobis  
præfecit. Obserua: Tribuit eis potestatem, & uirtutem faciendi miracula, quod  
maximè fuit necessarium in tanta rerum nouitate seu mutatione: non autem dat  
eis arma, ut notum esset regnum Christi esse spirituale, non corporale. Ideo dat  
eis arma spiritualia contra spirituales nequitas, Ephes. 6. id est, contra Satanam,  
peccata, mortem, morbos, & contra omnia, quæ diaboli sunt, &c. Rursus aduerte  
benignitatem & bonitatem Christi magistris, qui non inuidet seruis atque discipulis  
potestatem & uirtutem suam, quandoquidem hanc ipsis dedit aduersus potesta-  
tem inimici Satanæ, &c.

## Spirituum immundorum.

Dedit potestatem Apostolis aduersus omnes spiritus immundos, impuri autem  
dicuntur, non à natura, sed à sua superbia, qua in impietatem delapsi sunt. Simi-  
liter & impuri sunt, ab effectu seu officio, quia immundos faciunt, qui eis parent.  
Et profectò spiritus isti potentes sunt. Vnde in uerbo potestatis exaggeratur poten-  
tia spirituum immundorum. Nam potentes à potentioribus eiiciuntur: nisi enim  
potens esset Satanus, frustra dedisset Christus Apostolis uirtutem & potestatem su-  
per dæmonia. Et cum Satanus sit spiritus, difficile est illum cauere. Proinde pote-  
stas hæc discipulis à Christo data, extendit se tam ad eos spiritus, qui conscientias  
captiuas tenent impietate, ad eos, qui reuera obsident homines. Obseruanda est  
potentia Christi in eo, quod Apostolis & ministris suis (quibus usus erat ad de-  
structionem regni Satanæ) tribuit potestatem aduersus dæmonas, non aliquos  
tantum, sed aduersus omnes, nullo excepto. Id est, quod omnes aduersarios spiri-  
tus subiicit Apostolis. Quare quid significatur, nisi quod regnum Dei uenit, quod-  
que ligatus est Satanus, immundorum spirituum princeps? Vnde Christus infra,  
12. cap. dicit, Quod si ego digito Dei eiicio dæmonia, ergo peruenit ad uos regnum  
Dei. Alioqui quomodo potest aliquis intrare domum potentis, & uasa illius di-  
ripere, nisi prius uinxerit seu ligauerit potentem? & tunc domum illius diripiet.  
Colligamus ex his, diuinam Christi potentiam maximè exprimi in eo, quod non  
solum ipse Christus omnes spiritus immundos habet sibi subiectos, sed etiã quod  
& aliis illos subiicere potest. Multi enim sunt, qui etiam si præstare aliquid præ-  
teris possunt, illud tamen non poterunt mox aliis præstare.

## Vt eiicerent eos.

Finis & usus potestatis, est eiicere spiritus impuros, & sanare omnem morbum  
& languorem. Cæterum eiicere dæmonia, & languentes curare, & similia præsta-  
re miracula, singularia Dei ac peculiaria dona sunt. 1. Corinth. 12. Alij uerò dona  
sanationum per eundem spiritum.

## Et curarent omnem languorem, &amp; omnem infirmitatem.

Dedit Apostolis Christus potestatem & uirtutem, qua impuros spiritus abiice-  
rent, & omne genus morbi, & omne corporis uitium sanarent. Significanter uer-  
bum, curarent, addit, ut significaret in Apostolis uirtutem effectricem esse. Neque  
enim quidquam eximium esset habere potestatem aliquid faciendi, sine effectu.  
Obserua hic gradus miraculorum: Quædam eiiciunt dæmonia, quædam sanant  
morbos, quædam languores. Morbus genus, languor species est.

## Duodecim autem nomina Apostolorum hæc sunt.

Cum magni illi Apostoli, fuerint maximi nostræ religionis antistites, uerita-  
tis catholice testes, & orbis lumina, nõ decuit ipsos manere obscuros, sed ipsos suis  
nominibus exprimi oportuit. Primum ne quis pseud'apostolos pro ueris Apostolis  
amplecteretur: deinde, ut disceremus non quolibet idoneos esse ministerio uerbi,  
sed uiros graues & illustres, in quibus nulla hæreat infamie macula: quemadmo-  
-

Arma Chri-  
sti, spiritua-  
lia.Spiritus, qua  
re immundi.Dæmonum  
potestas ma-  
gna.Potestas apo-  
stolis deman-  
data in dæ-  
monas.Deus & po-  
test, & aliis  
dat posse.Apostoli per  
Christum &  
poterant &  
præstabant.Apostoli  
quare ex no-  
minibus no-  
ti.



dum & Apostolus Paulus ad Timotheum repetiit. Tertiò, ut disceremus consuetudinem scripturæ, quæ solet nominatim eos explicare, quorum opera Deus ad suum ministerium usus est. Ad hæc dignum & congruum est, ut iuxta illud, In memoria æterna erit iustus, maneant in hominum memoria, qui Deo fideliter ministrarunt. Ad hunc modum Moses, Exod. 35. ponit nomina eorum, quorum industria factum est tabernaculum. & 1. Paralip. 15. commemorantur eorum nomina, qui arcam Dei in tabernaculum à Dauide factum reduxerunt. Et passim, 3. Regum etiam ex nomine commemorantur qui ad ornatum templi egregia opera perficiebant. Quantò igitur dignius est, ut eorum nomina sint in memoria apud credentes, quorum ministerio domus Dei, quæ nos sumus, in uniuerso orbe fabricata est? Rectè etiam fecerunt, qui certos quosdam festos dies his nominibus insignierunt, & liberis suis eadem nomina imposuerunt, ut & illos imitemur, & admoneamur doctrinæ Apostolicæ, super quam fundata est Ecclesia Christi. Obserua, hoc loco hæc nomina scribi simplicissimè, ac sine magnificentissimis, reuerendissimis, illustrissimis, religiosissimis, deuotissimis, & huiusmodi titulis, ut discamus semper uersari in humilitatis & simplicitatis schola, quibus tamen si cum humilitate utamur in alicuius excellentis personæ commendationem, non putauerim reprobandum, quòd his usos fuisse uideam Hieronymum & Augustinum in epistolis suis cum omni simplicitate, sine omni adulatione. Aduerte, Matthæum in scribendis nominibus, incedere per paria, ceu iuga. Nam & Marcus dixit, Cœpit emittere binos. Iugum uerò coniunxit, quòd, iuxta Salomonis sententiam, difficilius rumpatur funiculus duplicatus, aut triplicatus. Et quòd per initia ipsos propter infirmitatem coniungi oportebat, quòd uincti essent robustiores, ualentioresque in opere Domini. Rursus obserua, hæc nomina recensita ob certitudinem historiæ. Elegit ex omni discipulorum suorum numero duodecim, quos nominauit Apostolos, hoc est, emissos (uerbum enim apud Græcos ἀποστέλλειν, unde nomen Apostoli descendit, emittere & amandare significat) nuntios aut legatos: Ut emitteret eos (inquit Marcus) ad prædicandum.

Nomina sanctorum indies festis, & infantibus laudabile.

In cupidos & fatores titulorum splendidorum.

Apostoli, binum à Mathæo nominati.

Apostoli.

Primus.

Hæc uox uidetur subindicare quandâ Petri præminentiam, qui primus & ante alios firmiter de fide respondit, cui & cuius nomine aliis promissæ sunt, deinde, datæ clauces regni cœlorum.

Simon, qui dicitur Petrus.

Simon cognomento Petrus, qui aliàs uocatur Bar-iona, hoc est, filius Ioannis, & à Christo nominatur Syriacè Cephas, quòd Græcè & Latinè petram significat. Hinc Simoni nomen Petri uenit, Tu uocaberis (inquit Christus) Cephas, quòd sonat, si interpreteris, lapis. Vocatur autem Petrus, hoc est lapideus, aut saxeus, propterea quòd Christus fundauerit Ecclesiam super Petrum, nò dico personam, sic enim solus Christus Ecclesiæ fundamentum est, sed super Petri tum ministerium, quòd est prædicatio Euangelij, tum confessionem. Hoc enim ministerium firmum, & tanquam saxum fundamentum est, quòd nulla humana potentia destruere potest. Vnde ad Petrum dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram, id est, super me, qui sum petra, aut super petram, quæ est ministerium Euangelij, ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum nò præualebunt aduersus illam. Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, cæterasque confines prouincias, Iudæis duntaxat prædicans, circumfisse legitur, & ad ultimum in urbe Roma commoratus, ubi & crucifixus est. Hactenus Eusebius lib. 3. cap. 2. Ecclesiast. historiæ.

Nomina principis apostolorum Simon, Bar-iona, Cephas, Petrus. Ecclesiam super Petrum fundatam quo modo intelligas. Christus fundamentum Ecclesiæ. Petrus ubi prædicauerit.

Nomina diuersa quare hominibus imponuntur.

Quia hanc nomenclaturam Simoni impositam, sicut & Iacobo & illius fratri Ioanni imposita fuisse nomina Boanerges, commemorant Euangelistæ: non pigebit imponendorum nominum rationem referre. Prima ratio generalis est, ut alios ab

aliis discernamus, propter multitudinem indiuiduorum, alioqui cõfusio magna esset in mutuo colloquio. Altera, ut rei alicuius præteritæ memoria indito nomine conseruetur, ut ex ipso nomine sit admonitio rei gestæ simul & conseruatio. Sic à Deo uocatus est Adam, id est terreus, eò quòd de terra esset sumptus. Sic Genes. 16. datur puero Agar, adhuc in utero existenti nomē Ismaël, ex re uidelicet gesta, propterea quòd Dominus audisset uocem & calamitatem Agar. Quia enim iste puer futurus erat caput magnæ posteritatis, separandæ à populo fœderis Dei, uoluit Dominus, ut uel ex autoris nomine, à quo Israëlita dicendi erant, admonerentur eius Dei, qui matrem generis, in calamitate constitutam, audisset, & adiuuisset. Item, ut ex ipso nomine redderentur inexcusabiles istius gētis abominatio-nes, & idololatriæ. Similiter & nobis impositum est nomē à Christo, quòd Christiani uocamur, ex quo nomine admonemur, cuius religionis & fidei sumus. Et Genes. 41. posteaquam luctatus est Iacob cum angelo, & præualuisset, immutatum est illi nomen, ut uocaretur Israël, id est, præualens contra Deum, nimirum ex re gesta, & ut gesta rei memor, confidentior esset in posterum, & timorē illum inanem, quo patrem timebat excuteret. Deinde factum hoc est, ut posteri ipsius, Israëlita dicti, admonerentur paternæ fidei. Hæc nos docent, quo studio fuerint pij qui nomina suis imposuerunt, ut conseruarent rerum gestarum, maximè beneficiorum Dei, memoriam. Huc pertinet, quòd quidam memorias patrum per nomina liberorum studiosè conseruant, quòd etiam in usu fuisse uidemus in natiuitate Ioannis Baptistæ, Lucæ. 1. quem uolebant in circumcisione Zachariam uocare. Hunc morem etiam hodie quidam, maximè nobiles, studiosè conseruant, ita ut aliquando duo nomina cõiungant: quòd non reprobò, si id fiat propterea quòd ea parentis uita fuerit, & conditio, ut ex memoria paterni nominis habeat filius causam sectandæ pietatis, nò alicuius mali exemplum. Alia ratione quandoque imponitur nomen, utpote ad significandum rem aliquam futuram. Sic Eua uocata est uxor Adæ, eò quòd futura esset mater omnium uiuentium. Sic Abraham pater multarum gentium, & Sara, eò quòd multi principes egressuri erant ex ea, Genes. 17. Sic Ioannes, quia futurus erat præcurfor gratiæ. Sic Iesus, quia futurus erat saluator populi sui. Sic & Simoni impositum est nomen Petrus, quo significatur, quàm constanti fide Petrus Euangelij præco esset. Alia ratio est eorum nominum, quæ ex religione imponuntur, ita ut quisque religionis suæ, uel ex nomine, quo censetur, admonetur. Ita ceptum est Antiochiæ, ut illi, qui in Christum credunt, uocentur Christiani, ex autore suo, quem colunt. Neque putandum (ut quidam arbitrantur) nomen professionis nostræ Christianæ obscurari, quòd quidam dicuntur Augustiniani, quidam Franciscani, Dominicani, Benedictini, aut Bernarditæ, quasi testari uideantur ipsis nominibus, defecisse se à Christo, posteaquâ suæ religionis autorum nomina sibi uendicauerunt. Quandoquidem fuerunt Sancti illi patres exemplaria ad imitandum Christum. Sicut & Paulus hortatur Philipp. 3. cap. imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Vnus quidè Christiani scopus est. Christiani sunt enim Bernarditæ, Christiani Franciscani, &c. sed diuersa sunt media ad eum finem, ad què alius sic, alius autem sic, contendit, unusquisque secundum proprium donum, 1. Corinth. 2. cap. Ad hæc uoluit Christus alios Apostolos, alios Euangelistas, alios doctores, alios diaconos, alios episcopos, alios presbyteros, alios aliis nomenclaturis ornari, quibus & Paulus & alij scripturæ interpretes ac scriptores usi sunt, quæ neque fidem Christiani neque nomen obscurant, sed illustrius reddunt.

Adam.

Ismaël.

Christiani.

Iacob dicitur Israël.

Memoria uorum in nominibus nepotum excitata.

Eua, Abraham, Sara.

Ioannes.

Iesus.

Christiani.

Nominari à sanctorum probatorumque uirorum nominibus, nihil obest rei Christianæ.

Et Andreas frater eius.

Andreas penultima correpta, ἀπὸ τῆς ἀνδρός, id est à uiro dicitur. Primus cum Petro fratre à Christo uocatus, Ioan. 1. qui Achaïam prouinciam Euangelio repleuit,

Andreas.



& in ea cruci affixus, magistro suo Iesu spiritum reddidit.

## Philippus.

Philippus Apostolus.

Philippus, Græcis *Φίλιππος*, Latinis equorum amator, & bellicosus dicitur, quo nomine dictus est hic Apostolus, qui viginti annis regnum Dei per uniuersam Scythiâ prædicauit. Apud Hierapolim occubuit. Fuit & alter Philippus, diaconus, qui primus Samaritanis uerbum Dei prædicauit, & apud Cæsaream signis & prodigiis clarus, obdormiuit. Philippus, os lapidis interpretatur: uocatus enim à Domino, mox inueto Nathanaëli lumen, quod agnoscebat, prædicauit, dicens, Ioan. 1. Quem scripsit Moses in lege, &c.

## Bartholomæus.

Bartholomæus.

Bartholomæus Syrum est non Hebraëus (ait Beda) & interpretatur filius suspendentis, hoc est filius Dei, qui prædicatorum suorum mentes ad contemplanda cælestia suspendit. Grauis & illustris fuit Apostolus, quâuis non multa fiat eius mentio in sacris. Indiam citeriorem ad prædicandum uerbum sortitus est, Indorū qui dicuntur fortunati, Apostolus, quod apud illos prima fidei semina condiderit, & Matthæi Euangelium, Hebræis scriptum literis, interpretatus fuerit & dereliquit. Legito Eusebium libro. 5. capit. 10. Hist. Eccles. Dormiuit autem Albanopoli oppido maioris Armeniæ, ait Hierony. in libro de scriptoribus Ecclesiasticis.

## Iacobus Zebedæi.

Iacobus maior.

Iacobus penultima longa, filius, supple, Zebedæi: hic est, ille Iacobus maior siue senior, quem occidit rex Herodes Agrippa gladio, ut scribitur Act. 12. Cuius gratia nunc non pauci Compostellam Galitiæ peregrini adeunt. Dicitur maior, quod prior uocatus sit à Christo, aut quod Christo familiarior, aut quod primus inter Apostolos suo sanguine Euangelio subscripsit. Is duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, prædicauit Euangelium Domini nostri Iesu Christi. Iacobus interpretatur supplantator.

## Et Ioannes frater eius.

Ioannes Zebedæi.

Ioannes dictus est gratia, Zebedæi filius, & Iacobi maioris frater: conscripsit Euangelium, quod legitur secundum Ioannem: totas Asiæ fundauit rexitque Ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est. Hi duo fratres, Ioannes & Iacobus, cognominantur à Christo. Marc. 3. cap. Boanerges, hoc est filij tumultus seu tonitru, ueluti magno & horrissono tonitru totum orbem concussuri essent, ac pietatis aduersarios ita exterrituri, ut nequaquam consistere possent. Vnde Ioannes è cælestibus intonans, uocem illam theologiam, quam nemo prius edere nouerat, emisit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, &c.

## Thomas.

Thomas.

Thomas, qui dicitur didymus. Hebræis enim Thom, idem est, quod Græcis *Δίδυμος*, Latinis gemellus. Perperam igitur aliqui non satis literati affecerunt uocari didymum, ob id, quod dici uolunt incredulum. Nam Thoma Hebraicè, & didymos græcè, idem est quod geminus latinè. Hic Apostolus, (quemadmodum traditum est nobis, ait Hieronymus in catalogo scriptorū Ecclesiasticis). Parthus & Medis & Persis & Germanis & Hyrcanis & Bactris & Magis prædicauit. Dormiuit in ciuitate Calamina, quæ est Indiæ. Hactenus ille.

## Et Matthæus publicanus.

Matthæus dicitur donatus, à Mattan, quod donum significat: uocatur & Leui, quod Hebraicè sonat additum siue applicatum, ex publicano Apostolus factus: adeo non nocuerat ipsi crimen, quod fideli ac sincera eluerat pœnitentia. Primò quidem post receptum Spiritum sanctum, uiua uoce, sicut & alij Apostoli, Domi-

ni Euangelium Iudaicæ genti prædicauit. Dehinc uerò, ubi Domino uisum est, & oraculo Deus iussit Apostolos aliis quoque nationibus, adeoque omnibus per orbem Euangelium prædicare, primus quod hactenus uiua uoce annuntiat Euangelium, non sine Domini iussu, & inspiratione, literis commendauit, inque Hebræorum gratiam Hebraica lingua conscripsit. Nam Papias autor uetustissimus, Matthæus (inquit) scripsit Hebræo sermone. Et quum, ut ait Eusebius, pararet ire ad Gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea quæ prædicauerat, comprehendens, dereliquit, his ad memoriam, à quibus proficiscebatur, ut gentibus prædicaret. Sed & Hieronymus, ueterum inharens uestigiis, Matthæus (inquit) primus in Iudæa, propter eos, qui ex circuncisione crediderant, Euangelium Christi Hebraicis literis composuit, quod quis postea in Græcum translulerit, non satis certum est. Diuus Athanasius ac Eusebius in chronicis iudicant Euangelium hoc à Matthæo editum esse octauo aut nono anno ab ascensione Domini. Quorum sententiæ subscribo libentius, quàm Irenæi, cuius supputatio ultra trigessimum ab Ascensione Domini annum progreditur. Non est silentio prætereundum, quod Matthæus probrosum illud ueteris uitæ cognomen suo nomini addiderit, dicens, Et Matthæus publicanus. Poterat simpliciter nomen suum scribere, & cum unus esset, non erat opus nota, qua discerneret ab aliis: & si opus fuisset, habebat & alterum nomen, nempe Leui, tamen addit, publicanus. Profecto insignis est Matthæi *καταπροσών*, id est, animi modestia, humiliatio & sui demissio, qua se gratum ostendit erga ineffabilem Christi misericordiam, qui publicanum in gratiam accipere non est dedignatus. Deinde hoc fecit, ut suo exemplo admoneremur, ne gratiam Dei, quæ nobis liberaliter omnia præstat, silentio obscuremus, sed prædicemus, etiam si illud fiat nostro probro, quoties id agnoscimus ad gloriam Christi pertinere. Gloria Dei est, quod ex publicano Apostolum fecit. Vnde hoc nominis Matthæus retinuit. Sic seipsum deiecit latro ille in cruce, sic & mulier peccatrix, sic Paulus hoc ipsum non tacet, 1. Timoth. 1. capite.

## Et Iacobus Alphæi.

Iacobus, filius Alphæi dictus, nimirum ad differentiam Iacobi filij Zebedæi. Hinc frater ipse, Simonis & Iudæ Thaddæi, cognominatus est minor, ad differentiam maioris, hoc est senioris, qui Hierosolymis occubuit, de quo paulò antè. Hic Paulus, Galat. 1. cap. uocat fratrem Domini, uel quod Christo simillimus fuerit, uel quod cognatus & consobrinus: huius enim mater, soror virginis matris Domini fuit, dicta Maria Cleophæ, uel à patre, uel familia Cleophæ, quæ & Iacobi nunquam dicitur, Iacobi inquam mater. Iacobum hunc Iustum sacre literæ nuncupauerunt, qui de matris utero sanctus fuit: uinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Cui soli licitum erat ingredi sancta sanctorum, ut refert Hegesippus, uicinus temporibus Apostolorum. Vestibus lancis non utebatur, sed lineis: tam frequens flexibus genibus pro populo orabat, ut camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Alia multa dicit Hegesippus, quæ longum esset numerare. Post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum episcopus est ordinatus. Vnam tantum scripsit epistolam, quæ inter canonicas siue catholicas annumeratur. De hoc Apostolo, fratre Domini refert S. Athanasius, quod Euangelium secundum Matthæum Hierosolymitanæ Ecclesiæ enarrauerit. Venerabilis Beda in 1. capite Acto. eos redarguit qui tertium quendam confinxerunt Iacobum, quasi is, qui Iustus & frater Domini appellatus fuit, alius fuerit à Iacobo Alphæi. Ostendit enim unum tantum eum fuisse Iacobum, qui & Alphæi filius, & Iustus, & Iudæ Thaddæi, & Domini frater nuncupatus est, qui tandem, cum præcipitatus de pinna templi, cōfractis cruribus, adhuc semiuuius, tendens ad cælum manus, dicebat, Domine,



ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste, quo rudia uestimenta contorqueri solent, in cerebro percussus, interiit. Triginta annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum, & iuxta templum, unde & precipitatus fuerat, sepultus est. Vir, tantæ sanctitatis & celebritatis in populo fuit, ut propter eius necem creditum sit subuersam esse Hierosolymam: quem admodum ipse quoque Iosephus Antiquit. lib. ultimo, cap. 20. aperitis uerbis prodidit. Alphæus interpretatur millesimus, uel doctus, aut dux, pater Iacobi minoris, Marc. 2. Lucæ. 6.

Alphæus.

## Et Thaddæus.

Iudas Simonis, Trinitus.

Thaddæum uocat Iudam Apostolum, dictum Iudam Iacobi, supple, minoris, non utique patrem aut filium, sed fratrem. Hic apud Euangelistas trinomius est. Lebbæus enim dictus est, quod interpretatur, corculum. Et Iudas Iacobi minoris frater, & Thaddæus, à nomine suæ familiæ. Huius dicitur esse epistola, quæ ultimo loco ponitur inter canonicas.

Iudæ episto.

## Simon Cananæus.

Simon, qui &amp; Cananites &amp; zelotes. Cana.

Simon Apostolus, & ipse Iacobi, & Iudæ Thaddæi frater, ex eadē matre Maria Cleophæ suæ Iacobi, matertera Domini, natus, dictus Hebræis Cananites siue Cananæus, Græcis Zelotes, à Cana, ut autor est Hieronymus, uico Galilææ, ubi Dominus aquam in uinum conuertit. Cana enim significat zelotem seu amulatorem. Aut Cananæus dictus, quia hoc familiæ illius cognomen fuit.

## Et Iudas Iscariotes, qui &amp; tradidit eum.

Iudas Iscariotes.

Iudas Iscariotes, qui postea prodidit Iesum, in cuius locum post ascensum Christi in cælis surrogatus est Matthias, quemadmodum in Actis apostolicis, cap. 1. scriptum est. Iudas interpretatur confessio. Cognomentum habet Iscariotes uel à uico aut urbe, in qua natus est, uel à tribu Isachar, uel à facinore. Nam Isachar sonat Hebræis mercedem, & pro mercede quidem iniquitatis hic uendidit Dominum, non tunc quidem, cum primùm ad Euangelij prædicationem emitteretur, sed postea demum, cum effuso in caput Domini unguento indoluisset, homo imputissimus, sibi suffurandi occasionem esse præreptam. Prædictum erat hunc futurum discipulum, ut adimpleretur, quod prædixit, David psal. 40. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Nec solus fuit discipulus, sed etiam, in sacro-sanctum istum duodenarium numerum admissus, & hoc dignitatis prætextu abusus, maiorem proditoris occasionem quæsiuit, tanta etiam similitudine pietatis specie subornatus, ut omnibus sodalibus imposuerit. Quauis enim fur esset, & loculos haberet, tamen furtum suum ita tegebat operculo & prætextu pietatis, ut nihil in eo appareret fraudis. Vnde Ioã. 12. dicebat, Quare hoc unguentum non ueniit. 300. denariis, & datum est egenis? Typum igitur geret Iudas eorum, qui sub pietatis prætextu Christum uendunt, id est, gratiã Christi produnt ac uendunt, & quæ pauperibus data sunt, furantur. Proinde miscetur Iudas Apostolus proditor inter sanctos, necessario exemplo scilicet cõtra Donatistas, & multos alios, qui negant sacramenta, seu gratiam Dei conferri per malos ministros, Qui error est pessimus. Nam si uirtus Sacramenti, penderet ex dignitate ministri, omnia essent incerta, quum nullius dignitas & idoneitas nobis sit euidentis, doctore Paulo. 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Hic agit Paulus de idoneitate ministri, & ministrorum iudicio. Pendent autem omnia ex ordinatione & uocatione Dei, qui operatur omnia in omnibus, per dignos & indignos, ideo per Iudam operatur Christum eadem, quæ per sanctum Petrum. Hic locus omnibus ministris diligenter notandus obseruandusque uenit, ut certi sint ministerium suum esse tale, id est, tam diuinum, ut nullius sanctitate melius reddatur, nullius indignitate peius efficiatur. Hoc modo conseruatur pax

Isachar.

Iudas, proditor Domini propter cupiditatem.

Iudas præuisus à prophetis.

Iudas, hypocrita.

Iudas, fur.

Iudæ proditoris typum qui gerunt.

Contra Donatistas, Malos ministros etiam conferre sacramenta.

& concordia in Ecclesia, quæ alioqui ualde turbaretur, si ministrorum dignitas semper spectanda ueniret. Obserua: hoc loco docemur, Ecclesiam generaliter sumptam, ex bonis & malis, uerè credentibus & hypocritis constare. Deinde significat hic locus Euangelium suos hypocritas & proditores pati, & uix aliquam societatem adeo sacro-sanctam esse, quin in ea sit aliquis Iudas. Quare studendum est, ne externa larua ueritatis, aut specie, imò ne miraculis quibusuis externis finamus nos decipi, cum uideamus Iudam accepisse potestatem aduersus immunidos spiritus, & sine dubio edidisse miracula. Obseruandum tamen uenit, ne unius mali gratia reliquos bonos abiiciamus.

Ecclesia, facta est, homines omne genus complectitur.

Decipimur specie recti.

## Hos duodecim.

Hæc sunt nomina duodecim Apostolorum, hoc est, eorum, quorum ministerio Ecclesia Christi in toto orbe terrarum fundata est, & qui sunt publici testes, quòd non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum magnam suam misericordiam Deus saluos nos fecit, hoc est, propter Iesum Christum, & per fidem uiuam in ipsum. Iam uide mihi quæso quàm abiectus, quàm inhonestus sit hic duodenarius testium numerus coram mundo, si externam tantum speciem consideres. Quidam enim sunt piscatores, quidam publicani, unus ex ipsis fur & proditor, omnes certe indocti, inglorij, & coram mundo contempti. Rogabis: An non potuit Dominus Iesus celebriores uiros inuenire, quos in Apostolos eligeret? Certè si ita illi placitum uisumque fuisset, inuenisset multos sapientes, principes & reges, quibus hoc ministerium demandasset, sed ita uisum est ipsi, ut deligeret, quæ stulta erant secundum mundum. Quare? ut pudesceret sapientes (ait Paulus) & deligeret, quæ erant in mundo ignobilia & contempta, & ea quæ non erant. Quam ob causam? ut ea quæ sunt, obliteraret, & ut (quod maximum est) non gloriaretur ulla caro, coram ipso.

Dominus cõtempnibilia mudi elegit.

## Misit Iesus.

Hoc uerbum magnam & ingentem Iesu Christi philanthropiam subindicat, quòd non rogatus mittit ad homines, qui, eos uelut errantes, & nihil de salute cogitant, & in caulas Domini ut salui fiant, cogant. Huiusmodi erant homines, qui profectò omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Atque quemadmodum oves, à stabulis errantes, non quærunt ipsæ pastorem, sed nisi pastor eas quærat, & ad stabulum compellat, subinde longius ac longius uagantur, donec à lupis comprehensæ dissepantur: ita homines, postquam coniecti sunt per Adam in omnia errorum genera, non quærunt ipsi saluatorem, sed nisi saluator ipsos quærat, ab errore non reuertuntur, donec perpetua internecione percant. Iam mihi uide philanthropiam Iesu Christi, qua homines etiam errantes complectitur, qui salutis humanæ tam sitiens est, ut non expectet, donec legati urbium Asia, Africa, aut Europe postulent ab ipso parochos aut ecclesiasticos, qui annuntient ipsis Euangelium, sed sua sponte emittit, & cum mandatis ablegat Apostolos suos, qui nihil tale expectantibus, ac ne requirentibus quidè, summam salutem afferant. Scriptura hæc misericordiam Dei frequenter nobis commendat, ut nos ad mutuum amorem Dei inuiter, & ad præstanda obsequij officia tam clementi salutis nostræ amatori accendat. Dominus in Isaia. 65. dicit, Inuentus sum à non quærentibus me: dixi, Ecce ego, ecce ego: inuentus sum à gente, quæ nomen meum non inuocauit. Hanc gratiam significauit Christus in parabola de homine relinquente nonaginta nouem oves in deserto, & quærente unam, quæ perierat, quam inuentam magno gaudio in humeris suis reportat. Et ad Apostolos ait: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, &c. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Rogabis. Quando, & quomodo nos quærat Dominus? Quando reuelat

Homines, propter stoliditatem comparati ouibus.

Christi charitas erga genus humanum.

Christus inuentus à non quærentibus.

Dominus quærit nos quærere.



nobis uerbum suum, & promittit clemētiam suam, ut respiscamus. Itaque si non finamus nos inueniri in promissione clemētię, necesse habebimus paulò post inueniri in seueritate irę, & grauitate supplicij. Querebat quondam priscum mundum per prædicationem Noë, querebat Sodomitas per Loth, querebat Israëlitas per prophetas ante deuastationē Hierusalē: querebat postea Iudęos per Christum & Apostolos: quæsiuit tandem & uniuersum mundum, per Apostolos & uerbi prædicationem. Sed quum multi nollent inueniri per misericordiam, necesse habebant inueniri per iudicium & crudelitatem. Demus igitur operam, ut inueniamur à misericordia Dei, ne pereamus grauitate suppliciorum. Audiamus Euangelium, quod Apostoli prædicarunt. Et hoc tanta obseruātia audiamus, ut si Angelus de cœlo aliud Euangelium prædicet, anathema sit. Ceterum cum Apostoli emittuntur, ut publici legati (Apostolus enim Latinis legatum significat) necesse etiam est, ut à Christo pro more publicarum legationum instruantur. Ad legationem autem requiritur, ut legati instruantur, primùm mandatis, hoc est, ut suę legationis capita habeant, ut sciant, quid nomine legantis agere debeant. Capita legationis, apostolis demandata, sunt, ut prædicent regnum Dei aduentasse: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et ne uiam gentiũ intraueritis, sed ite potius ad oues quę perierunt, domus Israël. Deinde munit illos literis fidei, quas vulgò uocant, literas credentię, quibus præparent sibi fidem apud eos, ad quos legati sunt. Sunt autem literę credentię, quas Dominus legatis suis dedit: Dedit (inquit Lucas) illis potestatem super omnia dæmonia. Et paulò antè, Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Hęc sunt illę fidei seu credentię literę, quas Christus legatis suis dedit. Solent huius seculi principes literis legatorum suorum sigilla annorum aut nobilitatis suę, nimirum signacula aut buffonum, aut liliorum, aut leonum, aut aliarũ id genus rapacium bestiarum appēdere. Rarò enim uideas nobilium insignia esse agnum aut columbam, sed eò se nobiliores putant, quo horribiliores imagines pro insignibus usurpant, uidelicet armorum suorum figuris publicè plerumque significātes, quo ingenio præditi sunt. At Christus, & si fuerit princeps cœli & terrę, non usurpauit tamen ulla armorum insignia, pro more principum huius seculi, ad confirmandam autoritatem legatorum suorum, sed usurpauit illa insignia, quę reportauit à patre suo cœlesti in hunc mundum. Hęc autem sunt, potestas super omnia dæmonia, morbos & languores, & potestas omnis in cœlo & in terra. Vice igitur literarum credentię, Christus communicauit potestatem edendi miracula suis legatis, ad confirmandam illorũ autoritatem, & creandam apud auditores fidem illorum prædicationi, nempe quòd uerissimum sit, regnum Dei iam appropinquasse. Huc pertinet, quòd Christus superiore capite respōdit Scribis & Phariseis, malè interpretantibus hanc potestatem in morbos & aliud genus. Ut autem (inquit) sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, uade, & ambula. Sequitur. Turbę glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Rursus instruit illos uatico, commeatu, & aliis id genus, ad profectiōem & legationem necessariis, longè aliter quàm huius seculi principes suos legatos. Nam nihil (inquit) tuleritis in uia, neque uirgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Hostantum munuit suo spiritu, qui suppeditaturus erat omnia, ut nihil horum, quę ad uictum faciunt, essent solliciti, quòd illa daturus sit. patet abundè, qui enim etiam coruos pascit, & uestit lilia, quantò magis suos legatos?

Præcipiens eis, & dicens.

Incipit oratio Domini satis proluxa, de uariis rebus, singulis tamen ad ministerium ministròsque uerbi pertinentibus, instituta: & ideo partim præceptiua, par-

Præstat inueniri à Deo clemente, quod uideat.

Capita legationis apostolicę.

Imagines gentilitiæ nobilium, rapacibus bestiiis insignes.

Insignia Christi, quibus suos munuit.

Christus instruit suos commeatu.

tim uerò hortatoria, ac consolatoria. Primo igitur loco mandat ac præcipit (quæ sunt ueluti capita legationis) ut intelligant legantis uoluntatem, & ab ea non recedant. Et hæc est forma missionis, una cum scopo officiorum Apostolorum. Tota uerò officiorum farrago consistit in his tribus, ut contemptoribus uerbi nõ prædicent, quales tum erant Gætes & Samaritani. Deinde, ut prædicent instare Euangelium seu regnum Dei populo Israëlitico, cui promissus erat Christus. Tertio, ut hanc prædicationem miraculis, & charitatis operibus confirmet, idque gratuitò. Et ex his forma mittendi prædicatores, petenda est habita ratione temporis.

In uiam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.

Nationum, quibus prædicaturi erant, limites in primis præscribit, uetâtque, ne Iudæam egressi, conferant sese uel ad Gentes finitimas, uel in ciuitates Samaritanorum, qui iidem Gentes erant, licet legem Moyfi recepissent, quam integrè tamen non obseruabant, 4. Reg. 17. Volens primùm Euangelium annuntiari Iudęis filijs regni, ad quos peculiariter facta fuerat Euangelij promissio. His ergo primùm oportebat prædicari regnum Dei, sed mox cū se illo indignos fecissent transferrè ipsum ad Gentes debuit, ut dicitur Act. 13. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim nobis præcepit Dominus, Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Hoc igitur pro illo tempore sic oportuit fieri: Christum enim iuxta conuersationem huius uitæ temporalem, solùm Iudæis promissus fuit, ut Paulus Roma. 15. ait. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circūcisionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Id perficit, donec lex per passionem Christi fuit abrogata: & sic nouo præcepto nõ solùm ad Iudęos, sed in uniuersum mundum missi sunt Apostoli. Habet profectò cursus & promotio regni Christi sua tempora, ab æterno disposita, suumque propagandi ordinem. Non enim mox omnibus Euangelij Dei cognitio impertienda erat, sed sensim & per ordinem dispensanda: in primis certo & selecto populo, nimirum Iudaico, propter promissiones, quòd salus ex Iudęis esset, & ex ipso, quasi sumpto fermento, ad alios demum progredieretur. Quod indicauerant Paulus & Barnabas loco paulò antè citato. Ad hæc, hoc præscripto usus est Dominus, ne Iudæis daret anam causandi, se spreto fuisse, sibi que Gentes & Samaritanos fuisse prælatos. Et ne quis esset exultationi illi locus, quòd prius iuisset ad Gentes, ablegat suos prius ad Iudæos, ut omnibus perspicuum sit, eos suapte peruersitate submotos à regno Dei, & Gentes sua simplici credulitate & obediōne fuisse receptas. Posteaquam uerò uenit plenitudo temporis ministerij de uocandis gentibus, hoc est tempus recessus Christi ad patrem, & Spiritus sancti missi, discipuli à Iudæa in totum orbem abierunt, & prædicauerunt uerbum. Obserua: uidetur Dominus suos uoluisse Apostolos prius ad Iudæos mittere, ut in Iudæa, ueluti in quadam palæstra, exercitarentur, & exercitati facilius ad agones orbis terrarum intrarent: & ut eos, uelut quosdam debiles pullos, ad uolatum exerceret. Obserua: hic profectò locus unus est secretorum iudicij Dei. Quandoquidem uides Gentes & Samaritanos oportere tantisper priuari luce Euangelij per apostolos prædicandi, donec malitia Iudæorum finem suum sortiretur, & quædam hinc inde sparsa omicula colligerentur. Vnde obseruare possumus ex hoc loco, secreto Dei consilio fieri, ut quibusdã regni Dei ad tempus negetur cognitio, quibus tamen non in uniuersum negata est, sed ab æterno præordinata est diuinitus. Ad hunc modum legimus. Act. 16. Paulum à Spiritu sancto prohibitũ, ne uerbum Dei prædicaret in Asia, & tamen postea act. 19. Legimus illum magno fructu prædicasse in Asia. Præter hæc, hic

Summa eorũ, quæ Christus suis à se dimissis, mandauit.

Euangelium quousque iudæis fuerat prædicandũ.

Euangelium paulatim dispensandum mundo.

Christus suos misit primũ ad Iudæos solos.

Vocatio Gentium post Iudæos, ad arcum Dei iudicij pertinet.



locus nos docet, non statim in uniuersum priuatos esse uerbo Dei, qui illo ad tempus priuantur. Incognitum erat Apostolis, salutem Gentibus promissam esse. Tandem recepto spiritu, & uerbo ac signo, nimirum linteo cœlitus demisso coram Petro, agnouerunt Gentes, ad Euangelij consortiū sese uocatas esse. Obserua: Gentes, dictio est usitatissima in sacris Bibliis, opposita his uocibus Iudæi & Israëlita: ut Ecclesia gentium, & Paulus gentium Apostolus contra Iudaicam Ecclesiam, celestri autoritate & usu frequenti dicitur. Psalmus nonus gentes uocat, quotquot non credunt Deo, & uerbi persecutores, ut quum dicit, Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum. Et, uia Gentium, mores eorum sunt & instituta negotia, incepta opera, in quibus, quasi in uia, gradientes, uersantur. Metaphora est, qua non solum ratio certa uiuendi, aut negotij gerendi, aut successus, sed & rerum quarumlibet conditio & adfectus significatur.

### Sed potius ire ad oues, quæ perierunt domus Israël.

Vehemens & grandis est hæc deploratio Christi, ueri Israëlitis, super Israëlitas, quos perditas oues uocat, quia instar ouium, non habentium pastores, dispersi erant per impios prædicatores. Quia in re manifestum est, quàm tenax suæ promissionis sit Christus præcipiens discipulis, ut Iudæis prædicent, relictis gentibus, alienis à promissionibus & testamentis Dei. Ad Ephesios. 2. Rogabis: Quare non dicit, Ire potius ad Israëlitas aut ad domum Israël, ut uniuersum Israël comphenderet, sed ad oues, quæ perierunt, hoc est, ad oues perditas? An nõ uniuersi Israëlite perditæ? Erant certè omnes perditæ paucis exceptis. Sed nõ erant omnes ad uitam præordinati. Mittit ergo suos Dominus ad electos, seu ad uitam præordinatos. Vocat oues perditas domus Israël, electos ex Iudæis, Dei cognitione adhuc destitutos. Quod electi erant oues uocauit: Quod ignari adhuc Dei, oues perditas. Sic Ioannis. 10. ait, Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, &c. Hoc quid aliud est, quàm, Et alios electos ad uitam habeo, ex Gentibus scilicet, qui, quod patrem & me adhuc ignorant, nondum uocati, non sunt ex ecclesia eorum, qui me modò receperunt, Iudæorum. Adducam autem illos, misso & ipsis Euāgelio, quod recipient, uocem meam audituri. Rogabis: Quid uocat domū Israël? Vocat pastores Israëlitis, qui ab Iacob descenderant. Huius domum & posteros elegerat sibi Deus in populum peculiarem, scædus cum illis inierat, & illos, quasi hæreditatem suam, quam haberet in terris unnicam, summo studio coluerat. Isa. 1. Vnde toties Israël uocat hæreditatem suam, uocat dilectum suum, uocat filium suum, & id genus multa. Dederat illi uiuendi leges, præscripserat certum cultū, dederat sacerdotes, miserat prophetas, promiserat saluatorem: quibus omnibus quomodo usi sint Israëlita, testatur scriptura. Præter hæc, nunc dat tantam prerogatiuam Dominus, ut antè quàm ad gentes, ad Israël uocaretur, mittat Apostolos. Quæ omnia licet diuinitus hic populus acceperit, tamen his omnibus ita pertinaciter abusus est, ut nulla unquam natio fuerit, quæ, iuxta uerbum Stephani, Act. 7. tanta obstinatione Spiritui sancto uocationique Dei reluctata sit: ut & meritò in prophetis uocatus sit populus incredulus & contradicens. Rogabis. Quomodo erant perditæ, & qualis erat hæc perditio? Non erat corporalis perditio, ut quod essent in carceribus, aut desertis: sed spiritualiter perditæ erant. Enimuerò multò maxima perditio est, quum quis ueræ & futuræ uitæ coram Deo perditus est, etiam si hinc apprimè floreat, hoc est, quum uera ac solida Christi cognitione careat, & extra ueri & unici pastoris ac saluatoris custodiam positus in tenebris & umbra mortis errat. Cum itaque extra Christum non sit solida ac uera Dei cognitio, multò minus uita & salus. Iam cum Apostolis prædicantibus Israël populus Christum recipit, tollitur perditio, & inuenitur Israël in Christo uita & salute, cuius & pabulo fruitur, & custodia ad salutem potitur. Col

Gentes, dictio.

Iudæi, oues perditæ.

Christus promissorum à se seruauitissimus.

Oues Christi.

Israël, hæreditas Dei.

Israël quātum præposuit Deus Gētibus.

Populus Iudaorum præcunctis aliis rebellis luminis.

Perditio quæ eadem uera.

Extra Christum non est salus.

ligamus ex his: perditas oues Israëlitis appellauit populum Israëliticum, & peccatis corruptum, & iustis ac fidelibus pastoribus destitutum.

### Euntes autem, prædicate, dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum.

Præcipit ac docet, qualem doctrinam debeant prædicare, & quonam suos omnes sermones referant, ad regnum uidelicet Dei, seu cœlorum, ergo primum Apostolorum officium (cui omnia alia, quæ coniunguntur, auxiliantur) est prædicare regnum Dei. Hæc est noui testamenti prædicatio, prædicare regnum cœlorum, in quo includitur uerbum Dei de iustitia, gratia, remissione peccatorum, uictoria mortis, carnis, mundi, diaboli, & omnium malorum. Quia regnum cœlorum est regnum iustitiæ, uitæ, salutis æternæ: ubi nullum peccatū, neque mors, neque infernus erit. Hæc prædicatio regni cœlestis de gratuita remissione peccatorum in Christo, prorsus contraria erat Iudæis, qui ignorantes gratuitam Dei iustitiam, propriam ex operibus legis quærebant, ad Roma. 16. ca. Porro regnum Dei in genere, idem significat, quod Euangelium, ad quod pertinet & hæc species, fides in Christum, remissio peccatorum, iustitia, uita æterna, atque ad eò quicquid ad regnum Christi, seu Euangelium pertinet. Vel uocat regnum Dei, ipsum uerbum, quo regnat in nobis Deus, & nos regnamus per illud in omnes spirituales hostes illius regni. Vocatur Euangelium, regnum cœlorum ab effectu, quod per illud euehantur pij ad cœlum: aut quod per illud cœlestes & spirituales fiant: aut quod per illud uictores sint aduersus omnem potestatem inimici. Quemadmodum enim præconi solenne est in primis nuntiare aduentum regis, antequam leges regis nuntiet: ita Apostoli primò nuntiauerunt aduentum regis cœlestis, dicentes, Appropinquauit regnum cœlorum: hoc est, nunc adest regnum cœlorum, olim promissum. Quandoquidem Christus in lege & prophetis promissus præsens est: siue adest regnum, quod Deus per prophetas orbi terrarum in Messia suo promisit. Iam hos legatos legatis terrenis conferamus. Quod si hos spectaueris, nihil est, quod terrestres legatos laudes. Terreni regis legatus negotium terreni & transituri regni agit. Apostoli regnum prædicant cœleste & æternum. Et quod ad splendorem & insignia regni attinet, legatus terreni regni, prædicat gloriam regis sui in auro, argento, aulæis, domibus, palatiis, serico, & aliis rebus perituris: Apostoli uerò prædicant suum regem, & proficiscuntur cum potestate omnium splendidissima, quæ totus orbis dare nequit: nepe tollendi morbos, mūdandi leprosos, eiicendi demones, suscitandi mortuos. Hæc sunt insignia, quibus muniti Apostoli manifestant sui regis splendorem. Quis, quæso unquam, etiam potētissimorum Regum aut Cæsarum, tale quicquam legato suo dare potuit, ut inuocato regis nomine, uel cæcum illuminare, uel leprosum mundare, uel infirmum alioqui curare potuisset? Quare licet iuxta carnis oculos Apostoli pannosi, humiles, & sine apparatu emissi sint, tamen longè omnium legatorum ornatissimi, splendidissimi & instructissimi fuerunt. His siquidem, dum sua fungerentur legatione, nihil defuit, dicente Domino, Quando misi uos sine sacco & pera, &c. Num quid defuit uobis in uia? Responderunt illi: Nihil defuit nobis. Responsabis: Quomodo appropinquauit hoc regnum Dei, cum nihil uideamus in cōditionibus regnorum huius seculi mutatum: adhuc enim bellatur & peccatur, adhuc homines inuicem opprimunt & opprimuntur, adhuc esuritur & algetur, adhuc agrotatur & morti succumbitur. Quis igitur sibi persuaderet, aduenisse vnà cum Christo in orbem terrarum regnum illud Dei, de quo propheta tam magnifica uaticinati sunt: Sed agnosce duos esse Messias aduentus, alterum in humilitate, alterum in gloria & maiestate. In priori aduentu, quo emisit legatos suos ad prædicandū regnum Dei, ut aduenit humilis, ita aduexit etiam secum, regnū illud Dei, humi-

Apostolorū præcipue partes, Prædicare Euangelij.

Prædicare regnum cœlorum uel Dei, quid. Iudæi, iustitiam.

Regnū Dei, quid.

Euāgelium, quare regnū cœlorum.

Apostoli, legati Domini, cum regum terrenorum legatis conferuntur.

Legati Christi, omnium longè eū splendidiſſimi, tū potentiſſimi.

Messias aduentus duo.



Regnū Chri-  
sti duobus  
modis mani-  
festum.

Regnū Dei  
suo tempore  
reuelabitur  
piis.

Quānā ex-  
terna miracu-  
la fieri in rē  
erat regni  
Christi.

Miracula no-  
ui testamen-  
ti, qualia.

Regnū Dei,  
etiam quæ ui-  
dentur impu-  
gnare, adiu-  
uant.

Omnis perni-  
cies uel à pec-  
cato, uel à Sa-  
tana.

le quidem illud, uidelicet ut hoc regnum non constaret iam externa maiestate in hoc seculo, sed constaret publica prædicatione Euangelij de Messia: & comprehenderetur, non exteriori sensu, sed fide in Messiam. In posteriori autem aduentu quemadmodū Christus adueniet in maiestate, ita aduehet etiam secum regnum Dei in maiestate, ut quod nunc in priori aduentu uerbis Euangelij publicè prædicatur, & fide apprehenditur, id tūc manifesta maiestate sentiatur, & perpetua fruitione possideatur. Quare hoc nunc nobis agendum, ut Apostolicæ legationi adhibeamus fidem, & respiscamus, resiliamúsque à peccatis. Sic enim fiet, ut re ipsa in nobis suo tempore regnum Dei reueletur, quod nunc fide percipimus. Hoc satis apertè explicuit Ioānes, 1. Ioan. 3. Charissimi nunc filij Dei sumus, & nōdum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cū apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ille sanctus est. Obserua: Gracis legitur uerbum præteriti non futuri temporis, appropinquauit, non appropinquabit. Quod uerti poterat, adest, siue instat, siue in propinquo est, scilicet præsentē Christo, quo præsentē patefit regnum cœlorum.

Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate.

Suos armat Christus Apostolos aduersus omnem inimici potestatem: & miracula ab illis faciendā prædicat, & charitatis opera exercenda, quibus nouam doctrinam Euangelij confirmat: simul ut magnificis & portentis & operibus hæc doctrina uitæ toti orbi commendetur, non minus insigniter, quàm lex fuerat commendata Iudæis, & ut declaretur, regnum Christi animabus pariter atque corporibus salutem adferre. Vnde non quæuis miracula regno Dei præmittūtur, sed talia, quæ naturam etiam huius regni, imò ingenium ipsius regis expriment. Non enim hoc loco legis de baculo in serpentem uerso, de manu lepræ maculis tacta, neque de fluuio sanguineo, nec de ranis, nec de grandine & huiusmodi, quæ aliquando facta, aded magnum in cutiebant terrorem, non solum hostibus, sed & populo Dei. At quæ hîc fiunt, nihil minus, quàm horrorem præferunt, ideo cunctis sunt gratissima. Nam nihil magis spirant, quàm semel effusam Dei gratiā in miseris & afflictos homines: quæ non solum à naturalibus & incurabilibus siue uiuorum siue mortuorum malis, sed à Satanæ ipsius tyrannide liberat, & saluat. Quid, quæso, humanius, quàm infirmos curare? Quid acceptabilius, quàm mortuos suscitare? Quid plausibilius, quàm leprosos mundare? Quid potētius, quàm Satanam deturbare, & ceu communem omnium hostem eiicere? Quid hæc præuia miracula aliud præferunt, quàm quale sit regnum Dei, & qualis sit eius regni rex? Nimirum gratus, beneficus, liberalis, & potentissimus. Cuius dispensatio tam mirabilis est, ut quæ uel ex peccato & transgressione, uel ex Satanæ tyrannide hominibus ad perniciem acciderunt, cogantur materiam & argumentum præstare illustrandi regni Dei. Vnde morbi, imò mors ipsa, unde lepra, unde satanica obsessio, nisi partim ex transgressionibus, partim ex tyrannide Satanæ? Nisi enim peccatum per unum hominem intrasset in hunc mūdum, neque morbis, neque satanicæ tyrannidi obnoxium fuisset genus humanum. Et ecce, dum hæc obediunt uerbo Dei, dum sanātur morbi, curantur leprosi, excitantur mortui, fugantur & abiguntur demones, hæc omnia seruiūt gloriæ Dei, & manifestant regnum Christi, ac qualis & quantus sit huius regni rex, annuntiant. Obserua: sub his paucis enumeratis miraculis, infirmos curate, &c. intelligit Christus omnia alia miracula, quæ tam ad corpus, quàm ad animam trahi possunt, sicut & infirmitates utriusque esse possunt. Indicat & hic locus tempus aduentus Messie ab Isaia. 35. cap. prædictum. Deus ipse ueniet (inquit) & saluabit eos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Marcus hunc locum narrans, memorat Apostolos unxisse oleo multos ægros, ac sanasse. De qua unctioe copiosè scripsimus in, 5. caput.

Gratis

Gratis accepistis, gratis date.

Quoniā Dominus sciebat semen uerbi Dei suffocari à diuitiis, & præuidebat futuros quosdā impios, qui omnia, etiā ipsissima spiritalia, propter solum quæstum & dicerent & exercebant & administrarent: deinde, quoniam sciebat istam legationem summopere ad quæstum facere posse: Quid enim non daret ægrotus pro recuperanda sanitate? Quid non darent parentes, pro suscitandis liberis suis? Sciebat & humani cordis peruersitatem, quæ prætextu religionis & pietatis lucrum & gloriam ambire solet: Ideo disertè expresso mandato prohibet uitium Auaritiæ, Simonis & Ambitionis: id est iubet, ut syncerè doceat, non propter gloriam, lucrum, fauorem, sed gratis, propter Deum ista Dei beneficia, infirmorum curatiōne, & huiusmodi, hominibus impertiant. Quia & ipsa ipsis Apostolis & Euangelij ministris gratis contigerunt. 2. Corinth. 11. Gratis Euangelium Dei euangelizauit uobis. Hanc artem medendi & prædicandi non ab hominibus, sed cœlitus didicerunt Apostoli, & neque à seipsis, sed à Deo acceperunt, idque nullo pretio, nulla commutatione, sed gratis. Quasi dicat Dominus, Quod si ista beneficia in miseris diuinæ liberalitati adscribenda, uendi deberent, quis ea iustius uenderet, quàm ego, qui ex me ipso ea possum, & uobis administranda confero? Iam si ego illa gratis dedi, qui uendere possum, quantò magis æquum erit, ut uos ea gratis detis, qui à me gratis accepistis? Quæstus autem huiusmodi maximè Deo displicet. Giezi ac Simon Magus medendi uirtutem cœlestem in lucrum ex auaritia conuertere cogitauerunt. Ergo hic audit à Petro, Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. Ille uerò lepra infectus est, 4. Reg. 5. Certè Euangelium non est lueri causa prædicandum. De honesto uictu & amictu paulò post tractabimus in uerbo, Dignus est operarius, &c. Abicienda est omnis auaritiæ, ambitionis, & Simonis labe à legatione Apostolica, imò & à quauis alia. Quid quæso magis conspurcare potest regiā legationē, quàm cū legatus sibi lucrosus, subditis uerò sumptuosus facit, quod gratuita regis liberalitate gratis administrandū suscepit? Nam sic liberalitatis & beneficentiæ regie inuertitur ordo. Quandoquidē donū non est donū. Quod enim liberaliter datū est, uenditur, & gloria beneficentiæ, quæ à subditis ad principem redire debebat, impeditur & subuertitur. Quare nihil est, quod magis auertat gloriā liberalitatis regie, quàm legati ambitio, & quæstuosus animus. Date, inquit. Quod si uendis, si commutas, si gloriam, aut aliquid huiusmodi uenaris, non tu das, sed aut uendis aut commutas. Quod si quis memor beneficij, respondere quippiam uelit, certè non prohibeo, sed impendat pauperibus: non tamen eo animo, quasi uelit suis donis æquare accepta: sed tanquam qui animū gratum cupiat ostendere in eo præstando, quod Christus iussit. Porro æquitatis & charitatis est, gratis expendere quod gratis acceperis. Quid enim (ait Paulus) habes, quod non accepistis? Et (ut paulò post audiemus) licet Christus Apostolis præcipiat, ut gratis administrarent, quæ gratis acceperunt, tamen illis tantum inde sumere permittit, quantum exigit corporalis necessitas. Vnde illis copiam & potestatem fecit sumendi aliquid ab iis ad sustentamentum uictus, quibus seruituri erant. Videtur, gratis dare, hoc loco non esse aliter accipiendum, quàm pro, itaque quæque dispensare, & administrare, ut inde nihil lucri & quæstus aucupemur, nisi hoc unum, ut uictum habeamus & amictum. Est enim, ut Christus inquit, hoc loco, operarius dignus cibo seu mercede sua. Quare ponderanda sunt uerba, Gratis accepistis, gratis date, quibus non prohibemur accipere uictum & uestitum, pro necessitate. 1. Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Quia mox sequetur, Dignus est operarius mercede sua. Ergo mercedem nobis accipere concedit, & operarios uocat mercede sua dignos. Tantum avaritiam prohibet, & fastum eorum, qui de bonis Ecclesiæ superbire & lasciuire uo-

Y

Euangelica  
negotatio,  
quæstuosissi-  
ma.

Giezi & Si-  
mon, caupo-  
nantes opera  
Dei.

Quæstuarij  
beneficia Dei  
auktionantur  
& uendunt.

Per Christū  
licet serenti-  
bus spiritalia,  
merere tē-  
poraria.



**lunt.** Quare autoritate Christi licet uiuere de Euangelio. Tantum avaritia, fastus, & luxus damnantur, quia non sinunt istac docere pure & syncere uerbum.

**Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris, non peram in uia, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque uirgam.**

Christus haecenus docuit, quibus praedicent Apostoli, quid item doceant, addidit miraculorum uirtutem ad euidenciam, & ut ipsis pararet autoritatem: deinde prohibuit, ne dona Dei conuertant in negociationem. Iam uero quia solliciti esse poterant de comaeu atque uiatico, idcirco eam anxietatem nunc eximit, & ita de uictu & amictu, hoc est, de omnibus ad uitam necessariis rebus differit, ut & modum in his seruire doceat, avaritiam & luxum, non autem moderatum usum & frugalem iustamque possessionem prohibeat: interea consolationem adducens, dum pollicetur, suis nunquam quicquam defuturum, tametsi ipse nunc eis nihil horum largiatur. Docet itaque, quomodo Apostoli se gerere debeant, ne ipsi impediatur a praedicandi officio, & suis moribus impediatur alios, & offendat, quominus suscipiant Euangelium. **Qua** in re uidetur optimum medicum imitatus, dum traditis sanis pharmacis, & praescriptis officiis, praemonet, quid faciendum sit: & commonefacit res esse fugiendas, quae praedicationem Euangelij impediunt, quales res sunt, aurum, argentum, pecunia, pera, tunica, calceamenta, & uirga, quibus rebus qui studet, is strenue expedire non potest praedicationem Euangelij: huius rei causas supra posuit Christus capite sexto. Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Item, Nemo potest duobus dominis seruire, uidelicet diuersa praecipientibus. Istis ergo uerbis damnat ac prohibet simpliciter studium, amorem, uoluptatem, avaritiam & sollicitudinem harum rerum, siue pro rebus: non autem res ipsas, quas ut bonas Dei creaturas, priuatas habere possunt praedicatores, sicut & alij Christiani. Nam si omni Christiano cura uitae praesentis tota optimo patri caelesti commendanda sit, quantum magis id necessarium est ei, qui debet regnum Dei, uelut dux aliorum Christianorum, annuntiare? Hoc tamen aegrum & molestum sibi esse minus, plerique satis indicant, flagrantis praepostera sollicitudine rerum necessarium, qua ostenditur, quam parum uel principi uel susceptae causa fidatur. Vnde non solum uerbo, sed & facto & experimento quodam, hanc securitatem, & in Deum patrem fiduciam, ut pleraque alia, uolens Christus suos Apostolos docere, comaeu, uiatico, armis, atque omni aded instrumento uiatorio nudos & destitutos, ad praedicandum Euangelium in praesens amandat, non permittens illis gestare secum quicquam auri, argenti, aut aeris, non peram, non binas uestes, ut sordidatis alteris, alteras induerent. Hoc quid aliud significat, nisi quod in officio uerbi debent esse simpliciter nudi iis omnibus? id est, affectu pecuniae, gloriae, rerum, &c. debent carere in docendo seu ministrando, nihilque dicere aut facere propter pecuniam, gratiam, aut honorem. Sicut mundus necessariò cogitur in suo regno ista quaerere, & libenter etiam nimium quaerit. Sed hoc uerbi officium aliud quaerit, aliud spectat, scilicet aeternam salutem, & Dei gloriam, interim tamen uerit hoc mundo (ut Paulus ait) tanquam non utatur. Sic ergo in uia non portant aes, id est, in docendo non quaerunt pecuniam nec abundantiam: sed nec baculum, id est, potentiam dominandi: nam reges gentium dominantur, uos autem non sic, ait Dominus. Sed nudè & syncerè Dei uerbum portant, sine affectu & studio gloriae, aut potentiae, quia aliud spectant, nempe regnum Dei. Quare hoc loco Christus affectum erudit, & docet solum uerbum spectare: interim usum necessarium rerum approbat, dicens, Edite, quae apud illos sunt. Et, Dignus est operarius, &c. Obserua: Possidere, est cordis uerbum, adherentis auro & argento, aut cogitantis de

Anxiam cupiditatem siue sollicitudinem rerum damnat Christus, non res ipsas.

Affectum non possessionem rerum temporalium damnat Christus.

Aes portare. Baculum.

Possidere, uerbum cordis.

illis rebus. Rursus aduerte: per aurum, argentum & aes, pecuniam intelligit, ut & alij Euangelistae, Marcus. 6. & Luc. 9. & 10. ponunt: propterea quod (ut quidam adnotant) ex istis metallis fiat pecunia, quae primum fuit aerea, deinde argentea, tertio facta est aurea: ut contrarium acciderit monetae, & moribus. Nam illi primum fuerunt aurei, deinde argentei, postea degenerarunt in aereos, imò ferreos. Cum dicit, in zonis uestris, id est, cingulis, iuxta morem ueterum loquutus est: estque castrensis loquutio, sumpta à militibus, qui si quid erat eris, id in zonis gestabant. Hinc castrensi prouerbio in eum, qui nihil numerum habet, dicitur, Zonam perdidit. Pera uocabulo prohibet studium reponendi & condendi thesauros in certa loca & cistas, quod studium & impedit praedicatorum in suo officio, & simul cognitum in praedicatoribus, offendit alios. Cum dicit, duas tunicas, prohibet studium amictus praedicatoribus: qui si ipsi non fidant Deo de amictu, quomodo quæso auditores fiderent? Et quemadmodum prohibet binas tunicas, ita & calceamenta, id est amictum superfluum, hoc est, alia praeterea, quae iam tum pro more suis in pedibus habebant. Cum dicit, neque uirgam, quasi diceret, ne uideamini uelle imperare aut dominari in conscientias, à quo uitio & Apostolus se alienum esse testatur Corinthiis, 2. Corinth. Nam uirga seu baculi nomine intelligitur imperium seu regimen. Iam ambitio regnandi ac imperandi aliis, occasio est non suscipiendi Euangelium, & ipsis praedicatoribus obstaculum est, quod minus recte current praedicationis officium. His ergo significat Christus se uelle suos legatos absque omni cura & sollicitudine rerum necessarium liberrimos & expeditissimos in istam legationem abire, nihil dubitantes affatim adfore, si qua re opus fuerit ad absoluenam legationem. Vnde prima legatione uoluit Christus suos experiri, quam nihil esset defuturum ministris suis, si fideles fuerint, & syncerè uocationem suam secuti fuerint: atque ideo omnibus istis, quibus principes huius seculi omnes legatos suos ornant, destitutos ac nudos emisit, idque ad tempus. Nam in Petro reperitur gladius. Et Paulus legitur ad iter penulam accepisse, imò & legimus quasi loci istius & ueluti mentis Christi interpretationem & expositionem, Luc. 22. Quando misit uos, inquit Christus, sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum tollat, &c. Quibus uerbis perspicuum fit, istam praedicationem temporariam fuisse, atque ob id institutam, ut discipuli experirentur, quod dictum est, nihil deesse uerbum syncerè praedicantibus, & fidelibus Christi ministris. Quare haec uerba, Nolite possidere aurum, &c. habent suas manifestas promissiones, tam de defensione ab hostibus, quam de uictu & amictu. Nam de ipsorum defensione infra dicitur, Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri est, qui loquitur in uobis. Et iterum: Nolite eos timere, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeret asse ueneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri autem capilli capitis numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos. His promissionibus munit Christus Apostolos suos fortius, quam si adhibuisset ipsis exercitum innumerabilem ac fortissimorum militum. Legito infra conciliationem.

**Dignus enim est operarius cibo suo.**

Per occupationem necessaria aetologia adicitur à Christo, Dignus est operarius  $\tau\eta\varsigma$   $\sigma\theta\phi\eta\varsigma$   $\omega\upsilon\tau\eta\varsigma$ . Est autè  $\sigma\theta\phi\eta$ , non tantum esca, sed & uictus, alimonia & comaeu, etiam & potus: omne uidelicet, quo sustinetur homo. Lucas. 10. cap. ait, Dignus est mercede sua. Mercedem appellat praemium, uidelicet laboris, quod merenti penditur. Dignum posuit pro, aequum & conueniens: scilicet quod diu-

Y ij

Moneta, aerea primum, deinde argentea, &c. Mores primum aurei, abierunt in ferreos. Aes in zona gestare, militum erat. Zonam perdere. Pera. Tunicae duae

Virga. Baculus.

Christus iubet suos periculum facere, num quid deesse possit strenue obsequi tibus munus suum. Precepta quaedam Christi pro tempore tantum facta.

Cibus.  $\sigma\theta\phi\eta$ . Merces. Dignus.



Anaritia im-  
primis Chri-  
stus prohibet  
suis.  
Iunt. Quare autoritate Christi licet uiuere de Euangelio. Tantum auaritia, fastus,  
& luxus damnantur, quia non sinunt istae docere pure & syncere uerbum.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in  
zonis uestris, non peram in uia, neque duas tunicas, neque  
calceamenta, neque uirgam.

Christus haec docuit, quibus praedicent Apostoli, quid item doceant, addi-  
dit miraculorum uirtutem ad euidenciam, & ut ipsis pararet autoritatem: deinde  
prohibuit, ne dona Dei conuertant in negotiationem. Iam uero quia solliciti esse  
poterant de comestu atque uiatico, idcirco eam anxietatem nunc eximit, & ita  
de uictu & amictu, hoc est, de omnibus ad uitam necessariis rebus differit, ut &  
modum in his seruire doceat, auaritiam & luxum, non autem moderatum usum  
& frugalem iustamque possessionem prohibeat: interea consolationem adducens,  
dum pollicetur, suis nunquam quicquam defuturum, tametsi ipse nunc eis nihil  
horum largiatur. Docet itaque, quomodo Apostoli se gerere debeant, ne ipsi im-  
pediantur a praedicandi officio, & suis moribus impediant alios, & offendat, quo-  
minus suscipiant Euangelium. Qua in re uidetur optimum medicum imitatus,  
dum traditis sanis pharmacis, & praescriptis officiis, praemonet, quid faciendum  
sit: & commonefacit res esse fugiendas, quae praedicationem Euangelij impediunt,  
quales res sunt, aurum, argentum, pecunia, pera, tunica, calceamenta, & uirga,  
quibus rebus qui studet, is strenue expedire non potest praedicationem Euangelij:  
huius rei causas supra posuit Christus capite sexto, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum.

Item, Nemo potest duobus dominis seruire, uidelicet diuersa praecipientibus. Istis  
ergo uerbis damnat ac prohibet simpliciter studium, amorem, uoluptatem, au-  
aritiam & sollicitudinem harum rerum, siue pro rebus: non autem res ipsas, quas  
ut bonas Dei creaturas, priuatas habere possunt praedicatores, sicut & alij Christia-  
ni. Nam si omni Christiano cura uitae praesentis tota optimo patri caelesti comen-  
danda sit, quantum magis id necessarium est ei, qui debet regnum Dei, uelut dux  
aliorum Christianorum, annuntiare? Hoc tamen agrum & molestum sibi esse mu-  
nus, plerique satis indicant, flagrant praepostera sollicitudine rerum necessarium,  
qua ostenditur, quam parum uel principi uel susceptae causae fidatur. Vnde non so-  
lum uerbo, sed & facto & experimento quodam, hanc securitatem, & in Deum  
patrem fiduciam, ut pleraque alia, uolens Christus suos Apostolos docere, com-  
meatu, uiatico, armis, atque omni adeo instrumento uiatorio nudos & destitutos,  
ad praedicandum Euangelium in praesens amandat, non permittens illis gesta-  
re secum quicquam auri, argenti, aut aëris, non peram, non binas uestes, ut sordi-  
datis alteris, alteras induerent. Hoc quid aliud significat, nisi quod in officio uer-  
bi debent esse simpliciter nudi iis omnibus? id est, affectu pecuniae, gloriae, rerum,  
&c. debent carere in docendo seu ministrando, nihilque dicere aut facere propter  
pecuniam, gratiam, aut honorem. Sicut mundus necessariò cogitur in suo regno  
ista querere, & libenter etiam nimium querit. Sed hoc uerbi officium aliud que-  
rit, aliud spectat, scilicet aeternam salutem, & Dei gloriam, interim tamen utitur  
hoc mundo (ut Paulus ait) tanquam non utatur. Sic ergo in uia non portant aë, id  
est, in docendo non querunt pecuniam nec abundantiam: sed nec baculum, id est  
potentiam dominandi: nam reges gentium dominantur, uos autem non sic, ait  
Dominus. Sed nude & syncere Dei uerbum portant, sine affectu & studio gloriae,  
aut potentiae, quia aliud spectant, nempe regnum Dei. Quare hoc loco Christus  
affectum erudit, & docet solum uerbum spectare: interim usum necessarium re-  
rum approbat, dicens, Edite, quae apud illos sunt. Et, Dignus est operarius, &c. Ob-  
serua: Possidere, est cordis uerbum, adhaerentis auro & argento, aut cogitantis de

Affectum no  
possessione  
rerum tempo-  
ralium dam-  
nat Christus.

Aes portare.  
Baculum.

Possidere,  
uerbum cor-  
dis.

illis rebus. Rursus aduerte: per aurum, argentum & aë, pecuniam intelligit, ut &  
alij Euangelista, Marcus. 6. & Luc. 9. & 10. ponunt: propterea quod (ut quidam  
adnotant) ex istis metallis fiat pecunia, quae primùm fuit aërea, deinde argentea,  
tertiò facta est aurea: ut contrarium acciderit moneta, & moribus. Nam illi pri-  
mùm fuerunt aërei, deinde argentei, postea degenerarunt in aëreos, imò ferreos.  
Cum dicit, in zonis uestris, id est, cingulis, iuxta morem ueterum loquutus est:  
estque castrensis loquutio, sumpta à militibus, qui si quid erat eris, id in zonis ge-  
stabant. Hinc castrensi prouerbio in eum, qui nihil numerum habet, dicitur, Zo-  
nam perdidit. Pera uocabulo prohibet studium reponendi & condendi thesauros  
in certa loca & cistas, quod studium & impedit praedicatorum in suo officio, & si-  
mul cognitum in praedicatorum, offendit alios. Cum dicit, duas tunicas, prohibet  
studium amictus praedicatoribus: qui si ipsi non fidant Deo de amictu, quomodo  
questo auditores fiderent? Et quemadmodum prohibet binas tunicas, ita & calcea-  
menta, id est amictum superfluum, hoc est, alia praeterea, quae iam tum pro more  
suis in pedibus habebant. Cum dicit, neque uirgam, quasi diceret, ne uideamini  
uelle imperare aut dominari in conscientias, à quo uitio & Apostolus se alienum  
esse testatur Corinthiis, 2. Corinth. Nam uirga seu baculi nomine intelligitur im-  
perium seu regimen. Iam ambitio regnandi ac imperandi aliis, occasio est nõ susci-  
piendi Euangelium, & ipsis praedicatoribus obstaculum est, quò minus rectè cu-  
rent praediciandi officium. His ergo significat Christus se uelle suos legatos absque  
omni cura & solitudine rerum necessarium liberrimos & expeditissimos in istam  
legationem abire, nihil dubitantes affatim adfore, si qua re opus fuerit ad absol-  
uendam legationem. Vnde prima legatione uoluit Christus suos experiri, quàm  
nihil esset defuturum ministris suis, si fideles fuerint, & syncere uocatione suam  
secuti fuerint: atque ideo omnibus istis, quibus principes huius seculi omnes lega-  
tos suos ornant, destitutos ac nudos emisit, idque ad tempus. Nam in Petro reperi-  
tur gladius. Et Paulus legitur ad iter penulam accepisse, imò & legitur quasi loci  
istius & ueluti mentis Christi interpretationem & expositionem, Luc. 22. Quan-  
do misi uos, inquit Christus, sine sacco & pera & calceamentis, nunquid aliquid  
defuit uobis: At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculum  
tollat, &c. Quibus uerbis perspicuum fit, istam praedicationem temporariam fuisse,  
atque ob id institutam, ut discipuli experirentur, quod dictum est, nihil deesse  
uerbum syncere praedicationibus, & fidelibus Christi ministris. Quare haec uerba,  
Nolite possidere aurum, &c. habent suas manifestas promissiones, tam de defen-  
sione ab hostibus, quàm de uictu & amictu. Nam de ipsorum defensione infra di-  
cetur, Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabi-  
tur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis, qui loquimini,  
sed spiritus patris uestri est, qui loquitur in uobis. Et iterum: Nolite cos timere, qui  
occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed metuite magis illum,  
qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeris aëre uen-  
neunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri autem capil-  
li capitis numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos.  
His promissionibus munit Christus Apostolos suos fortius, quàm si adhibuisset  
ipsis exercitum innumerabilium ac fortissimorum militum. Legito infra conci-  
liationem.

Dignus enim est operarius cibo suo.

Per occupationem necessaria aetiologia adiicitur à Christo, Dignus est opera-  
rius *ὁ δὲ σὸς ἐστὶν ἐσθλὸς*. Est autē *σὸς ἐστὶν*, non tantum esca, sed & uictus, alimonia & com-  
meatus, etiam & potus: omne uidelicet, quo sustinetur homo. Lucas. 10. cap. ait,  
Dignus est mercede sua. Mercedem appellat praemium, uidelicet laboris, quod  
merenti penditur. Dignum posuit pro, aequum & conueniens: scilicet quod diui-  
Y ij

Moneta, aë-  
rea primùm,  
deinde argē-  
tea, &c.  
Mores pri-  
mùm aërei,  
abierunt in-  
ferreos.  
Aes in zona  
gestare, mili-  
tum erat.  
Zonam per-  
dere.  
Pera.  
Tunica duæ

Virga.  
Baculus.

Christus iu-  
ber suos peri-  
culum face-  
re, num quid  
deesse possit  
strenue obeū-  
tibus munus  
suum.  
Praecepta que  
dam Christi  
pro tempore  
facta.

Cibus.  
*σὸς ἐστὶν*.  
Merces.  
Dignus.



no, communi & naturali iure ab auditoribus debetur uictus ipsis prædicatoribus. Quasi diceret Christus: Nihil de curando cōmeatu attinet ad laborantem, sed ista prouincia incumbit ei, cui laboratur: curate potius, ut fideliter laboretis, nihil solliciti de cibo. Nā is ultro aderit subministratus ab illis, ad quos diuertetis: eruntque ubique homines cordati & benigni, qui ipsa regula naturæ (quæ dicitur quemlibet operarium sua mercede esse dignum) docti, intelligent indignissimum esse, ut quis suis militet stipendiis. Quare uobis gnauiter in uinea Domini laborantibus dabuntur uictus necessarii, tantum hoc præ oculis habetote, ut seduli, alacres & strenui sitis, nihil solliciti de uictu aut amictu, sed potius qua fide & uigilantia regnum cælorum prædicabit. Communi sententia satis intelligitur, oportere laborantem uictum sumere ab eo, in cuius bonum laborat: atque ita Apostolos ab iis, quibus regnum Dei annuntiant. Quod apertis uerbis demonstrat Christus Lucæ 10. dicens, In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Et, In quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint uos, manducate, quæ apponuntur uobis. Hunc locum non aliter intellexit magnus ille Gentium doctor & prædicator Paulus, qui, 1. Corint. 9. ait, Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altario deseruiunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit, iis, qui Euangeliū annuntiant, de Euangelio uiuere. Obserua. Signanter addit Christus, cibo suo, hoc est, qui conuenit prædicatoribus. Boui trituranti, in cibum datur palea aut scenum. Hæc prædicatoribus, in cibum non conueniunt. Durus rusticus casco, lardo, lacte, & aliis huiusmodi crasis alimentis, etiam in summa sanitate utitur: At alia ratio est uictus in prædicatore, qui ex studiis sæpè immodicos ac intolerabiles fluxus & languores sibi conciliauit. Docet itaque hæc causa qualitate cibi, quo alantur ministri uerbi, quos non decet fordide alere, sed liberaliter. Et, sicut Apostolus inquit ad Galat. 6. Communicet autem is, qui catechizatur uerbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. Vbi nota, in omnibus bonis: & non dicit, in uilioribus.

In quamcunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete, donec exeatis.

Hic locus præsumptio est, multas continens occupationes. Occurrit enim multis, quæ obicere potuissent Apostoli, dicentes: Nudos omnium rerum extrudis ad ignotos, addens, operarium cibo suo dignum. Sed utcunque digni cibo fuerimus, operaturi in messe patris, quis illū nobis ministrabit? Quis nos excipiet hospitio? Quoniam hospitis improbitas frequenter ministerio Euangelij plurimum incommodat. Adde, quod etiam cōsortium ac cohabitatio multum semper ualuit in rebus hominum. Vnde apparet etiam prouerbio datum esse locum, cuius meminit David, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Proinde Dominus præcipit de hospitio, docens, cauendum esse ab improbo hospite, & ab inconstantia & morositate ministrorum, quæ plurimum cursui Euangelij obstant. Cum in ciuitatem aut castellum seu uicum (ait Dominus) fueritis ingressi, non est opus, ut diuertatis in diuersoria meritoria: inquirete potius, quis in ea sit dignus, id est, dignus, cōmodus, aptus & idoneus instituto uestro: hoc est, inquirete, num quis sit illic, probitate uitæ commendatus, veritatis & puritatis studiosus, & audus regni cælestis, cui mundus hic tædio sit, qui piis querimoniis subinde suspiret, promissum Messiam, qui simplicitate morum, qui beneficentia in pauperes, maioris etiam profectus spem de se præbeat. Is enim futurus est uobis idoneus hospes, & uos illi uicissim hospites gratissimi. Quod si talem inueneritis, in eius ædes diuertite: & ibi manete. Quod si obiecissent Apostoli, Licebit ne ad alium subinde

Cibus Ecclesiasticus suus debetur.

Cibus nō fordidus decet ministros uerbi.

A bono & cōmodo hospite bona & cōmoda multa.

Dignus Euangelio, quis.

hospitem diuertere? fortassis enim graue futurum est nos, tales legatos, perpetuò eosdem habere hospites. Responder Christus: Ibi manete, non mutantis hospitium, donec Euangelij negotium hortabitur in aliam demigrare ciuitatem, uno hospitio contenti estote. Et ut Lucas, hunc locum interpretatus, ait, Nolite transire de domo in domum. Honestissimum præceptum, quo Christus admonet Apostolos, primum ne in hospitem peccent, uidelicet ne discessu suo coniciant hospitem in infamiam, quasi aut sordidus sit, aut impius. Deinde ne & ipsi hospitiorum frequenti mutatione uideantur leues aut morosi, aut præbeant de se suspicionem, quod fastidita forsā primi hospitis tenuitate lautiores quærant, & magis sectentur delicias & uoluptatem gulæ, quàm pietatem & uocationem Dei. Vnde apud Lucam Dominus, in quancunque ciuitatem, ait, intraueritis, & susceperint uos, edite, quæ apponuntur uobis. Quasi dicat: ne sitis palato delicatiore, sed in uictu faciles ac temperantes. Obserua: Dominus subiicit personas, à quibus iure accipiunt prædicatores uictum, tãquam illorum operarij. Vnde dicit Dominus, Ibi manete, in hoc, ut accipiatis corporis necessaria, quæ auditores Euangelij iure uobis debent, ut suis operatiis. Hæc uox, manete, exprimit mandatum, quo certi sunt prædicatores se iure & bona conscientia accipere posse corporis necessaria à suis auditoribus. Et inde ne exeatis. Quia iure debent uobis uictum, quibus prædicatis Euangelium: & ne putetis uos cum mala conscientia ab illis accipere uictum. Rursus, aduerte Christum docere uitandas uagationes & discursiones. Quia hoc est studium pseudoapostolorum & fanaticorum, qui circumueunt domos, & seducunt mulierculas, ut Paulus ait, qui etiam suum quæstum sectantur. Certè ipsa uagatio signū est incertæ mentis, & inconstantis doctrinæ. Vnde dicit Dominus, Nolite ire de domo in domum. Nam hoc solent facere uagi & instabiles prædicatores. Rursus, obserua Christum ualde laudare hospites ministrorum, quia dicit, si dignus sit. Quasi dicat, magnum donum, & grandis honos est, si quis dignus sit meos ministros recipere, & hospitio excipere. Quia talis, hospitio suscipit me & patrem meum: est quæ eius domus tunc, uerè domicilium cælestis, in quo Deus cum omnibus suis moratur. Quantum, quæso, excedit hæc dignitas omnium regum gloriam? Et tamè mundus (quia indignus hac gloria) persequitur ministros, ideo fit hospes omnium diabolorum. Rursus aduerte, non dicit, Si quis in ea diues sit, aut habeat bonum hospitium, sed si quis sit dignus: ut quoniam uocatus est ad regnum cælorum, & ad id electus, uideatur etiam esse idoneus hospes, & rationale sit, ab ipso uos excipi hospitio, qui regnum cælorum annuntiat.

Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes,

Pax huic domui.

Posteaquam admonuit de diligenti inquisitione eorum, qui digni essent hospites nuntiorum regni cælestis, præoccupat, & tacite obiectioni respondet. Fortè enim obiecisset aliquis, Quis talem mihi in urbe, hætenus incognita, demonstrabit hospitem, qualem sacro-sanctum Euangelij sacramentum requirit: præsertim cum hominum indicia iudiciæque de aliis hominibus non rarè fallant ac fallantur, ac pessimus ferè sit, qui putatur optimus esse? Respondet Dominus, quasi dicere, Nolo uos temerè ac sine certa experientia de dignis, aut indignis iudicare, ne fiat, ut sola suspitione ducti prateratis, quod ego iubeo inquirere de dignis. Quod si diligenter fueritis percontati eos, qui & urbis, & hominum in urbe ingenia nōrunt, atque hi domum, id est, familiam aliquam, indicarint synceriores, iam uestrum erit explorare huiusmodi familiæ uirtutem. Porrò priusquam illos in domos emittat, uult illos instituere in ciuilitate morum, quos apud hospites suos, ad quos diuertent, obseruare debeant, ut sciant, non solum, quid prædicandum sit publicè, sed etiam qua morum honestate uiuendum sit priuatim cum ho-

Y ij

Hospes ministri uerbi nō temerè mutandus.

Palationes & excursiones uitandæ ministris uerbi.

Excipere hospitio ministros Dei, donum Dei.

Ecclesiastæ maxima dos, candidè omnia interpretari. Candor morum & honestas cum primis decet ministros uerbi.



spiritibus, dicens, Intrabitis, &c. Intrabitis ergo domum illam, ac salutabitis eam. Quod plerique de vulgari salutandi modo exponunt, quo utuntur Latini dicentes, Salve, Græci *χαίρει*, Hebræi Syrique Scholom lecho, id est, Pax tibi. Et hoc est signum benevolentiae & dilectionis, qua uidelicet optima quæque precamur illis, ad quos accedimus. Alij de prædicatione Euangelij exponunt: ut sit sensus, Salute domum illam, id est, salutem prædicate familiæ illi. Atqui salus nostra, iustitia, pax & redemptio Christus est. Dicite ergo, Pax huic domui: quod perinde est, ac si dixerint, Dominus huic familiæ certo erit propitius: ipsaque pax, salus & incolumitas ad nos peculiariter pertinet, si credideritis. Hac autem pacis salutisque prædicatione uoluit suos indagare, explorareque, idonea ne sit domus illa suscipiendi Apostolo, an minus. Vbiunque enim corda hominum pia sunt, & honesta, ibi oblata sibi mox honestatem agnoscunt, & recipiunt. Vnde ait Dominus, Et siquidem fuerit, &c.

Et siquidem fuerit domus illa digna, ueniet pax uestra super eam: Si autem non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos.

Hac nota deprehendetis (inquit Christus) qui reuera sint idonei hospites Apostolorum: illi nimirum, qui receperint prædicationem uestram. Et qui receperint uolo (ait Dominus) ut ueniat pax uestra, id est, salus à uobis prædicata, super ipsos. En uides, pie lector, Dominum habere ratum, quod legati eius nomine cum hominibus paciscuntur. Si autem non fuerit digna, id est, si offenderitis eos indignos & ingratos, nolite despondere animum, quasi frustra insumptus sit uester labor, & sine fructu: quia tamen si uanus apud illos fuerit uester labor, tamen ideo plus gloriæ apud Deum consequimini. Nempe pax uestra reuertetur ad uos: id est, non frustra oblata erit illis: uobis enim hæc oblatio erit in cumulum meritorum & gloriæ. Nam quod aspernantur illi, redibit ad uos. Sic boni ministri nunquam inutiliter laborant, docendo: quia uel aliis profunt, qui credunt: uel sibiipsis, dum alij non recipiunt uerbum, & non credunt. Hic locus militat contra eos, qui iactant, uerbum prædicatoris, ideo non esse uerum, quia multi non emendantur: cum hinc Christus confiteatur, quod multi non recipient uerbum, & erunt indigni, & pacem non capient. Obserua: cum dicitur, & si fuerit domus illa digna, id est, si ibi fuerint filij pacis, seu electi, requiescet super illam pax uestra, hoc est, similem uestræ paci pacem habebunt. Nam ego, qui sum uestra pax, eorum quoque pax ero. Sin minus, id est, si non fuerint ibi electi, pax quam illis optastis, ad uos reuertetur. Spiritus enim mei actione, uestra pax augebitur.

Et quicumque non receperit uos, neque audierit sermones uestrorum: exeuntes foras de domo uel ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris.

Posteaquam suos instruxit Apostolos, quomodo declinatis indignis hospitibus, accedere debeant ad dignos, subiunxit modum, quo quaerendi sunt digni, nempe oblatione pacis, addito simul euentu pacis apud quos illa sit mansura, uel non mansura. Iam planius sese exponit, ac suis indicat, quid agant, si uel hospes uel interea aliqua urbs repellat Euangelij prædicationem: Exite (inquit) ex ædibus, aut ciuitate illa, & excutite puluerem de pedibus uestris, Marc. 6. ca. & Luc. addunt, In testimonium illis, supple, quod nullam occasionem habuerint à uobis non suscipiendi Euangelium. Est autem hæc prophetica quædam Chria, seu quædam commemoratio, celerem habens demonstrationem ipso actu, & loquens & significans, quales apud prophetas multæ sunt. Principio suo testari uoluit Apostolos adeo nihil terreni commodi ab his uenari debere, quibus uenerant prædicatum Euangelium, ut ne puluerem quidem uilissimum (qui pedibus adhæserat)

Saluatio  
Euangelista-  
rum, quæ.

Nihil perit  
synceris uer-  
bi ministris,  
utunquæ se  
habeant au-  
ditores.

Pax uestra,  
pro, pax simi-  
lis uestræ.  
Reuenti, pro  
Augeri.

Chria.

Excudere pul-  
uerem de pedi-  
bus.

uelint sibi uedicare. Deinde uoluit suos, etiam tacitos ipso suo facto sic loqui, ac si illis dicant: Quia sanctum Dei uerbum repulistis, omnia, quæ à uobis habemus, etiã pulueres ipsos, abiicimus. Veruntamen ne impunè uos id crimen admisisse cogitetis, estote memores, quod idem uerbum, uobis prædicatum, non susceperitis. Nam quemadmodum pulueres uestros à nostris pedibus excusimus, ita uos ipsi ab electorum consortio, & à facie terræ, tanquam puluis, proiciemini. Hæc phras, Excute puluerem de pedibus uestris, maximam iram significat. Estque hæc Icon apud prophetas uulgatissima. Vbi que enim, Impij (aiunt) disiciuntur à facie Domini, ut solet puluis à facie uenti. Exemplum excusisionis pulueris habemus Act. 18. Corinthi contradicentibus Iudæis & blasphemantibus, excutens uestimenta sua dixit Paulus ad eos, Sanguis uester super caput uestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes uadam. Similiter cum Athenienses eiecissent de finibus suis Paulum & Barnabam, Act. 17. Abierunt illi excusso puluere pedum suorum in eos. Ligarunt autem hoc modo illos Apostoli, quos ex ore & sententia Domini, cælo excludere, ac diabolo tradere uoluerunt.

Impij pulue-  
ri similes.

Excudere pul-  
uerem liga-  
re est.

Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.

Si quis forsitan dixerit, Quod hoc genus ultionis? Hæccine satis sufficiens est pœna impietatis, uidelicet, excutere puluerem in impios & Euangelij contemptores? An non impij, uidentes tale spectaculum, magis irridebunt, quàm respicient? quid enim incommodi afferret ipsis puluis, ex aduerso proiectus, nisi quod fortè tenebras oculis ad tempus offundat? Satis quidem ridiculum est spectaculum, si externa tantum conspicias. Sed Christus aliud addit horrendum supplicium, idque cum iuramento: Amen (inquit) dico uobis. Quibus uerbis non tam denuntiat, quàm amplificat supplicium, contemptoribus uerbi Dei paratum diuinitus. Vnde primo illud per iusturandi sacramentum & religionem aggrauat, ne quis longanimitatem Dei, cessationem esse crederet. Pro certo (inquit) habetote, non impunè aspernabuntur nebulones isti meos ministros. Et hanc grauitatem supplicij per collationem indicat. Tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c. in futuro illo magno iudicij die, in quo excusationem fortassis aliquam illi habebunt, cum non ita patenter neque tantis signis ad respicientiam fuerint uocati, sicut ij Iudæi, siue ciuitas illa, cui apertè oblata fuerit Euangelij prædicatio, & illa gratuita. Quamquam de futuro illo iudicio, in quo Deus pœnas commeritas exiget, hic locus intelligitur: tamè per collationem potest hunc sensum facere: Tolerabilius erit, &c. Ac si diceret Christus: In die iudicij, quod uos manet, quum per Romanos ultionem de uobis Pater sumet, ita affligemini & cruciabimini, ut uastatio Sodomorum uestro excidio collata, futura sit tolerabilior. Nã hi subito igne exusti & aboliti fuere, uos lentis & indicibilibus cruciatibus conficiemini. Soler autem scriptura exemplo & commemoratione excidij Sodomitici sociarumque urbium, grauissimum & ineffabile, modis que omnibus horribile adumbrare supplicium: tumque maximè illius meminit, quando minatur singularem aliquem & horrendum populis interitum, ut Deut. 29. Isa. 13. Hier. 23. 49. Thren. 4. Ezech. 16. Sopho. 2. Moses, Genesis 19. Sodomorum excidium descripsit. De quo apud Ezechielum 16. Dominus inquit, Ecce hæc fuit iniquitas Sodoma, superbia, saturitas panis, & luxus, securitasque. Hæc habuit ipsa, & filia eius, & manum pauperi ac egeno non porrexit. Eleuata itaque sunt, & fecerunt abominationem coram me: ideo abstuli eas, sicut mihi uisum est. Quid his quæso ad damnationem dici poterat horribilius? Colligamus nunc peccata Sodoma in unum fasciculum, & habebis peccata stupèda. Sodomitæ peccauerunt superbia, luxu uitæ, supina & impia securitate, duritia, ferocia, immisericordia, & abominandis rebus coram Domino,

Dies iudicij  
Iudæorum,  
uel extremus  
dies mundi,  
uel excidium  
Hierosoly-  
mitanum.

Sodomorum  
interitio,  
pro horrendo  
supplicio.

Sodomitæ  
peccata.



tyrannide & homicidiis, quapropter radicitus excisi sunt. Quid his peccatis & ferulibus potest aut maius aut horribilius excogitari? Veruntamen cum Christus dicat, tolerabilis erit, &c. aperte significat, quod grauius iudicium impendet illis, qui ad predicacionem Euangelij non respiciunt, quam Sodomitis. Vnde perspicue ostendit hos atrocius peccare, quam Sodomitarum peccauerint. Durum hoc uerbum est, sed uerum, & ex ore ueritatis profectum. Videant ergo quid agant non solum contemptores Euangelij, & ministrorum uerbi, sed etiam, qui audiunt uerbum, & non respiciunt: atque apud se cogitent frequenter, si uelint sustinere iudicio cum Sodomitis connumerari, imò durius iudicium aduersus se audire. Infrà, 11. cap. & Luc. 10. uidere licet collationem huius peccati cum idololatria, his uerbis, *Vae tibi Corozaim, vae tibi, &c.* Iam cõfer, quid proderint isti ciuitati, in die iudicij, tam luculentæ diuitiæ, tantus urbis splendor, & regis fauor. Nihil sanè. Quid tum proderit regnum Dei admisisse, & nihil promouisse, imò contemptissimè? Obserua ex hoc loco contra Stoicos & alios hæreticos, peccata non esse paria, neque pœnas. Hæc sunt, quæ hætenus Christus discipulis ad prædicandum Euangelium primùm delegatis mandauit, ut ea quidem tam hæc, quam apud Marcum, 6. & Lucam, 9. Act. 10. leguntur.

Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum.

Quemadmodum solent militiæ gnari, & militum duces suos præmonere, ac illis prædicere pericula & uarios belli euentus, quòd sint cautiore ac constantiores, Iacula enim præuisa, ut est in prouerbio, minus lædunt ac feriunt: Ita Dominus, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt, & qui nihil hæc dissimulat, imò singula tam exactè describit, pingitque, ut persecuciones, carceres, uincula, cruce & tormenta coram cernere uideatis, suis exponit pericula, quibus ob prædicatum Euangelium, & ueritatis præconium, prædicat illos inuoluendos: addens & consolationem, ne à cœpto opere desistant. Hic (inquit) quasi dicat, attenti estote. Rem enim nouam, uobisque inexpectatam sum expositurus, sed non oportet uos animis consternari. Ego emitto uos, uelut oues in medio luporum, id est: Oues estis uos mei Legati: inter lupos crudeles agetis. Iam quid uobis à lupis expectandum sit, uidetis. Itaque parate & formate uos ad luporum tolerandam tyrannidem. Est autem hic locus intelligendus de periculis, quæ subierunt Apostoli post receptum Spiritum sanctum. Prima nanque profectio non absque periculo modò, sed & multa cum commoditate fuit, ut nihil omnino illis defuerit, ut notū est ex Luca, 22. cap. Item cum gaudio, 70. discipulorum, qui & ipsi prædicatum ablegati fuerant, cum reuerfi gloriarentur, sibi subiecta fuisse dæmonia, ac nihil quererentur se perpeffos persecutionis. Prima ergo legatione (ait Christus) mitto, quasi dicat, iubeo uos nullo uiatorio instrumento munitos abire, ut experti iam nunc curam patris de uobis, porrò agatis tantò confidentius: atque licet indulgentissimus pater semper omnia, quibus opus fuerit, suppeditaturus sit abundè, uos tamen nihilominus ingentia pericula adibitis. Quorum uolui uos præmonere, non ut animi uobis concidant, sed ut magis confirmetur fiducia in patrem. Oquàm iniqua. (dicet aliquis) conditio, ubi oues lupis prædicant, & dant iura leones! Certè leones aut alias bestias ferociore oportuit mitti in medium luporū. Sed hæc sunt, ut ait Paulus, 1. Corinth. 2. ut fides nostra non sit ex uirtute humana, sed diuina, quæ Deus etiam inter lupos & hostilissimos hostes uult suas oues saluare. Et licet durum sit hoc uerbū, Ecce ego, &c. tamen necessariò dicendū fuit Apostolis & discipulis, ne putarent regnum Mesiæ corporale & temporale esse. Verbo addit Christus satis magnificas promissiones, quibus fidem suorum conseruet, & in uocatione Dei retineat, quæ & à sanctis prophetis prænuntiata sunt. Multiplicabitur, inquit Isaias, 9. ca. eius imperium, & pacis non erit finis. Et iterum, Habitabit lupus

Gravis damnatio contemptorum uerbi, & poenitentia.

Peccata paria non sunt, neque paribus poenis luenda.

Vivo Christo apostolis legatio sine persecutione cessat.

Fides nostra non ex uirtute nostra, sed diuina.

Predictis periculis suorum Christus addit promissiones.

cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Ac mox, Delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in cauernam reguli, qui ab lactatus fuerit, mittet manum suam: non nocebunt, & non occident in uniuerso monte sancto meo. Cum itaque suos emisit ad prædicandum, regnum cœlorū appropinquasse, monuit illos de futuris afflictionibus ac persecutionibus, ne arbitrarentur illud regnum esse terrestre, & ne existimarent prophetas in iis locis, in quibus de regno Mesiæ uaticinantur, loqui de externa pace ac tranquillitate, sed de spiritali & perpetua maiestate, nunc quidem per Euangelium prædicata, in nouissimo autem die toti orbis sensibiliter manifestanda. Porrò cõstat oue animal esse, omnium infirmisimū, sic & stultissimum, teste Plinio lib. 8. cap. 49. Ad hæc quia oues naturâ, placida sunt animalia, igitur oues dicuntur Apostoli, homines placidi, atque benigni, qui nemini noceant, seruiant ac profint omnibus: coram mundo stulti ac deliri, sed coram Deo sapientes. Lupos intelligit falsos prædicatores, & ipsum mundum, à natura, & effectibus luporū, qui sunt, rapere, perdere, & dilaniare. Haud dubiè, sic à Christo dicti sunt propter ferum & insanum studium proprii commodi, cuius causa nulla iura æquitatis aut humanitatis non uiolant. Vnde lupi uocabulo exaggerat Christus cruce prædicantium, ac profitentium Euangelium. Item eodem docet Euangelium esse, doctrinam mundo contrariam. Quare disertè notandum est, quòd nos, qui sumus in officio docendi, persuasissimi esse debemus, nos agere & docere inter lupos: & opus nostrum, quod est, & aliud esse non debet quam prædicatio regni Christi, est uelut, si ouis lupos iudicet, arguat, irriter: idque agat, ne illi porrò sint lupi, sed ex lupis fiat oues. Quia igitur uerbo Dei, quod est signum & testimonium Christi, contradicitur, quisquis illud syncerè annuntiari, se quasi ouem in medio luporum agnoscat necesse est. Quòd si lupos, id est, aduersarios, minimè habes, te neque ouem esse, neque uerba Dei syncerè pronuntiare, apertum indicium est. Semper enim Abel suum habet Cainum: & Euangelium, suum mundum & Satanam. Ad huius loci amplificationem faciet, si recenscamus naturalia luporum officia, quæ sunt nullo iure rapere, perdere, laniare innocentes oues. Propterea à mundo nihil aliud expectet uerbi prædicator, quam sui ipsius lacerationem certissimam, hoc est, potetium, auarorum, luxuriosorum, flagitiosorumque hominum odia, persecutiones perbera, dirasque dilaniationes. Ceterum quod Christus Apostolis concionatur, idem etiam concionator priuatis hominibus, uerbo Apostolorum credentibus. Mittitur enim & hi pro sua uocatione, sicut oues inter lupos. Nam & ipsi necesse habent per multas afflictiones ingredi regnum Dei, Act. 13. Et, ut Paulus ait, 2. Timoth. 3. Omnes, qui pie uiuere uolunt, persecutionem patientur. Quòd si ueri tam Apostoli, quam Apostolorum discipuli emittuntur, uelut oues inter lupos, quantum ergo peccant, qui prætextu apostolatus aut Euangelij, non uelut oues inter lupos, sed uelut lupi inter oues aersantur? Quorum alij impia doctrina, & crudeli tyrannide oues diripiunt: alij simplices quosque prætextu Euangelij, mutuum postulando, expilant: alij prætextu charitatis, sed non ueræ, Sardanapalicam ducunt uitam, & Nicolaitæ sunt. Obserua: quasi quadam summa omnes insidias, omnia pericula hac luporū & ouium similitudine complectitur. Et valde emphaticè dicitur, in medio: multum fuisse ad confinium luporum mitti ouiculam, nedum in illorum medium. Obserua: his uerbis, ego mitto, &c. satis aperte declarat, quis fuerit Ecclesiæ Dei, tum temporis in populo Israël status, nimirum talis, ut qui populo præficiebantur, & fauere debebant, cum debuissent pastores esse, in lupos conuersi, lupos agerent. Nam de illis hoc loco loquitur, sub quibus oues domus Israël perditæ erant: ad quos, suos emittebat Apostolos, ita ut huius legationis apostolicæ ratio non aliter habuerit, quam ut eriperentur miseræ ouiculæ ex ipsis luporū faucibus. Vnde necessarium est, ut Apostoli in medium luporum sese cõiciant, non propter

Regnū Mesiæ, internum & spirituale. Ouis.

Lupi.

Euangelista in mundo, ouis inter lupos.

Ouis nō est, cui non insidiatur lupo.

Nullus, qui sit syncerè Christianus, non inter lupos.

Plures hodie lupi inter oues, quam oues inter lupos uersantur.

Luporum huius temporis genera multa.

Ouium & Ecclesiæ, tempore Christi, miserimus status.



lupos, quos magis cauendos Christus iubet, sed propter eripiendas & liberandas ouiculas. Et quia Christus è caelo descendens, in medio luporum stetit, & per medium luporum transit, liberans oues, quarum gratia huc uenit, operæpretium est oues Apostolos, sequi pastorem ouium, & eò ire, quo iubet magnus ille pastor, oues eripendi gratia è luporum faucibus. Huc pertinet Pauli exhortatio, Act. 20. Ephesiis facta: Attendite (inquit) uobis, & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in uos, non parcetes gregi.

Christus bonus pastor & scit egere suas oues, & tempore adiutat.

Christus nihil uerit est titulos aut auctoritatem hypocritarum.

Rursus aduerte magnam consolationem in uerbis Christi. Cum enim uideas ipsum prædicere futura pericula, signum est, quòd scit futuram suorum conditionem. Quòd si futuram nouit, quantò magis præsentem? non ergo simus anxij, ne nos deserat. Quis enim pastor oues, quas scit in medio luporum constitutas, deseret? Maximè is pastor, qui animam suam pro ouibus posuit? Rursus, aduerte Christum non inescari aut moueri titulis magnatum, ut religiosissimi putarentur Pharisæi, & doctissimi uocarentur Scribæ, & pro pastoribus vigilantissimis haberentur. Hos ipse nūcupat lupos, etiam rapacissimos. Ex uita enim & animi affectibus æstimat Christus homines, nec sinit se falli titulis ampullatis, & sesquipedalibus.

### Estote ergo prudentes, sicut serpentes.

Ac si diceret Christus, Quia futurum est uobis negotium cum hominibus, quos lupos esse pronuntio, quibuscum perpetua geretis bella: Nolo tamen, ut uosmet imprudentes coniciatis in pericula, aut imprudentia uestra remorem in cursum Euangelicum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes. Quæ sit hæc prudentia, à serpentibus mutuanda, uariè traditur. Multæ enim sunt huius animantis astutiæ, ut Genesis 3. scriptura uocat serpentem, cunctis animantibus callidiorum. Et quide animantium natura scribunt, uaria tradunt. Sed oportet certam quandam prudentiam serpentis à Christo respici. Aiunt quidam serpentes capiti suo prudenter cauere, & totum corpus ictibus obicere, tantum ut caput saluum retineant. Habent & hoc prudentia, quod cum homines natura dissideant cum serpentibus, diligenter cauent serpentes, ne cicurentur, & ne cum hominibus domesticum contubernium agant. Intelligunt enim natura, sibi inter homines planè nihil salutis relictum esse. Hanc prudentiam iubet Christus Apostolos suos imitari, ut quauis pericula subeant, quòd caput, quod est Christus, saluum conseruent: & quia sciunt impiis naturale esse odium, aduersus uerbum Dei, nunquam ita cicurentur, ut cõtrahant familiaritatem cum impiis: nec aliter sibi ab ipsis caueant, quàm serpentes ab hominibus, & à uoce incantantium sapienter, quemadmodum psalmus 77. loquitur. Estote ergo prudentes, &c. Nihil aliud est, quàm, agite circumspectè & cautè omnia, posteaquam in medio luporum agitis, ne quid peccetis, & incommodi aliquid accipiatis. Et quemadmodum serpens colligit se in gyrum, ac circumini caput, hoc est, fidem in Christum, cuius legati estis. Et sicut serpens in angustam quãdam cauernam circungyrat se, ut trãitu angusto ueterem pellem exspoliet, ita & uos per angustam portam & pœnitentiam incedite, ut ueterem exuatis hominem. Et quia serpens noxius est, iubet nos esse simplices sicut columbas, ut dicemus. Potest hæc allegoria referri in hanc sententiam, quòd debeamus esse contra malos cauti, id est, inoffensibiles seu irreprehensibiles, ne quid contra nos iusti iuris habeant: & sic tuta conscientia possimus dicere, His turbis & scandalis ego non dedi causam. Deinde simus benefici erga omnes, ut per Christum gloriari possimus. Mali non habent, quòd iure contra nos querantur. Boni uerò & omnes habent, quod iure gratias agant. Hoc est prudentem esse contra malos, & eorum insidias, & syncerum erga omnes. Hanc sententiam Paulus Rom. 16. cap. aliter tra-

Serpentis calliditas.

Serpenti prudentia.

A serpenti discant ministri uerbi prudentiam.

Prudens qui sit concionator, & qui uis Christianus.

stare uidetur: ubi iubet nos esse prudentes in bono, & simplices in malo. Quo quidem Paulus non loquitur de malo ab aliis uitando, sed de malo non faciendo aliis. Quasi diceret, Debent Christiani cauere diligenter, ne aliis nocent, & non discernant inter dignos & indignos. Sed hoc loco Christus loquitur de malo ab aliis uitando prudenter, id est, ne occasio illis detur. Imò diuersa est illic significatio mali, scilicet, passiuæ & actiuæ. Hoc est, quòd ipse mox exponit istam prudentiam, dicens, Cauete ab hominibus, id est, uidete ne uos fallant insidiis, & occasionem iustam inueniant contra uos, & illiciant ad malum. Quia scitote ipsos hoc agere unice, ut tradant uos. Ergo serpentes estote, custodientes caput uestrum: id est, ne conscientia pallefacatis datæ occasionis seu scandali. Conscientia enim seu fides illa, quæ charitatè operatur, est caput & gloria nostra coram Deo per Christum, quòd synccriter (ut Paulus) uixerimus in hoc seculo, nulli dantes ullam offensionem, sed exhibuerimus nos, sicut Dei ministros, tã doctrina quàm uita, 2. Corinth. 6. uide locum Pauli. Quia ergo diabolus & mundus nostram doctrinam student seditiosam & hæreticã facere, uitam uerò impiam & sceleratã, ideo sic est docendum & uiuendũ prudenter, ut nulla iusta causa, nec doctrinã nostram nec uitam possint reprehendere: & si reprehendant, mendaciter, confundantur in tẽpore inspectionis, seu uisitationis: sicut, 1. Petri 3. scribitur, Ut in eo, quòd detrahunt uobis, confundantur, qui calumniantur uestram bonã in Christo conuersationem. Item ad Tit. 3. Verbum sanum & irreprehensibile, ut aduersarius nihil habeat contra uos. Hoc est igitur prudenter docere & uiuere, ut in conscientia nostra nulla sit culpa, si mundus & lupi nos damnarint uel occiderint.

Malum duplex, uitandũ

Fides uita caput nostrũ, quòd, more serpētis, uiuendũ.

Prudenter uiuatur, tũ doceat Christi minister.

### Et simplices, sicut columbæ.

Ne Apostoli existimarent superiore sententia de prudentia, concedi sibi potestatem negligendi suam uocationem, aut acuendi linguas suas, ueluti serpentes, in aduersarios, statim addidit Christus, Et simplices, sicut columbæ. Scribunt quidam, columbam animal esse innoxium, & tantæ simplicitatis, ut imperiosum mare, subinde etiam iniquum, patitissimè ferat, nec relinquat domum suam, nisi aut cœlebs aut uidua. Vide Plinium lib. 10. cap. 34. Ad hanc igitur simplicitatem uocauit Christus suos Apostolos, ut & si multis malis adficiantur ab aduersariis, non tamen derelinquant suam uocationem, nec malum malo referant, sed ita sibi caueant ab impiis, ut nihilominus officium legationis iuste perficiant. In primis igitur studendum est, ut serpentina insit nobis prudentia: deinde ut columbinus sit candor, ac synceritas. In persecutione enim necessarium est prædicationem uerbi habere hæc duo, scilicet, ut cautus sit contra falsos & insidiosos, & tamen sit syncerus & apertus erga bonos & pios. Nempe diabolus & mundus mille artibus quærunt occasionem contra iustos, ut meritò uideantur eos persequi. Ideo cauendum est prudenter, ne ulla eis detur occasio iustæ persecutionis, sed semper cogantur coargui à propria iniustitia, quòd gratis oderint Christum. Sic serpens astutissimè custodit caput suum, & diligentissimè uitat, quæ sibi nocere possunt, ut est astutissimus sua natura. Porro cum malis non dederimus scandalum aut occasionem, & sic prudentes in malo fuerimus: requiritur tunc, ut etiam simplices in bono simus, id est, ut nullis iniuriis quempiam afficiamus: sed doceamus, seruiamus, adsimus tam gratis quàm ingratas, non accipientes cuiusquam personam, sicut columba pro sua simplicitate educat indifferenter fetus tam suos quàm alienos. Obserua, Christum hoc loco suam doctrinam nobis ob oculos ponere, per similitudinem ab animantibus sumptam, notis quidè, sed quorum ingenia non statim cognoscuntur. Profuerit certè animalium & rerum naturalium naturam aliqua ex parte non ignorare. Vnde Augustinus li. 2. De doctrina Christiana, cap. 16. dicit, quòd ignorantia rerum naturalium multos

Columbæ simplicitas.

Columbinus sit prædicator.

Ecclesiastes nullius respiciat personã. Rerum naturalium scientia non mendocriter iuuat.



scripturæ locos reddit obscuros. Rursum obserua, Christum epitheto simplicitatis respicere ad patientiam, qua ornati esse debent prædicatores, quando à lupis exagitantur: deinde, uocare pios ac simplices natura, columbas, quòd datam fidem sponso Christo non uiolant.

### Cauete autem ab hominibus.

Clarius seipsum exponit, & explicat de quibus loquutus sit lupis, ad quos oues mittat: & quomodo ipsas oporteat moderata uti prospicientia. Non hortatur omnes homines obseruare, sed malos, de quibus mox dixerat, ac paulò post loquitur. Et hoc declarat articulus Græcus. Cauete, inquit, ab illis hominibus: ab illis, inquam, quos prius appellauit lupos. En modestiam Christi: tacet illorum cognomina & titulos. Erant enim satis noti discipulis, qui doctrinam Christi auerlabatur, nimirum Scribæ, & Pharisei, sacerdotes, senioresque populi. Cauete, id est, uideate, ne uos fallant homines isti, & occasionem iustam inueniant contra uos, & illuciant in nassam suam. Mirabilis est hæc admonitio, Cauendum esse ab hominibus, Quid igitur sunt homines? An dæmones? Respondeo: In hac causa, scilicet Euangelij, prorsus nudè fidendum est primariò soli Deo, Quia omnis homo mendax, solus Deus uerax. Est certè omnis homo mutabilis, quasi alius Vertumnus, quèadmodum psalmus 147. dicit, Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Hoc enim sit uobis de hominibus persuasissimum, quòd si hodie fauerint, cras persequentur: nusquam tuta fides. Lupi sunt, ideo sic parate animum, ac si soli essetis in mundo, tanquam oues in medio luporum. Qui uos audierint, erunt uobiscum oues. De reliquis, cogitate, quomodo ab illis cauendum fuerit, potissimum iis qui sunt homines, id est, sapientes: qui non sunt stulti, sicut fideles & simplices: sed homines, id est, sapientia humana potentes, qui uel contemnunt fidei doctrinam, uel simulant se credere. Nam hi semper oderunt prædicatores, ut Herodes Ioannem. Rogabis. Vnde hæc furia, ut in Christianos & uerbi prædicatores sauiatur? Certè à principe mundi, cui nihil est æquè inuisum, atque pietas: qui quos captiuos tenet ad suam uoluntatem (tenet autem, quotquot non sunt per Christum renati, & oues facti) in sanctos Christi concitat.

### Tradent enim vos.

Cautionis ætiologia est ab occasionibus, quibus conabitur mundus synceros prædicatores à uera doctrina abstrahere. Atque hac Christus exponit lupinam rabiem, indicans, quid sui sint passuri propter functionem Euangelicam. Quia rem (inquit) nouam mundo nuntiaturi, abitis, & quæ nihil commercij cum carne & mundo habet, profectò excitabit uestra doctrina magnos in orbe tumultus, ideo cautiore uos oportet esse, ut caueatis ab istis hominibus, siue uerius, lupis: futurum est enim olim, ut pertrahant uos, tanquam maleficos, in concilia sua. Hæc mala non ad præsentem legationem pertinent, sed ad eam potius, quam post Christum glorificationem, & receptam plenitudinem spiritus, obituri erant Apostoli. Nam in ista nihil tale legimus Apostolis accidisse, uerum trāquilla omnia successisse, ut uidere est, Luc. 22. Quando misi uos sine sacco, &c. nunquid defuit uobis aliquid? Responderunt, nihil. Et, ut est apud Lucam, redierunt gaudentes, & Christo congratulantes, quòd etiam dæmonia sibi subiecta essent in nomine ipsius. Rogabis. Cur iubet Christus cauendum esse ab improbis hominibus, cum mox subiungat, Tradent enim uos, &c. adferens certissimè, quòd non solum conabuntur tradere pios, sed etiam tradent, & trahent in concilia, & flagris cædēt. Si enim impij tradituri erant, & tracturi Apostolos in concilia, & flagris cæsuri, quid opus erat admonitione ut ab illis cauerent? Respondeo, non uana est exhortatio, qua monet suos Christus, ut attendant & caueant à lupis. Nō enim ideo hoc ait, quòd uelut illos securos simpliciter à persecutione, cum aliter dictum sit ab eo, & re ipsa futurum est, quòd multa patientur

Christi modestia.

Homo uita-dus. Homo Proteus quidam & Vertumnus.

Satanas suos continenter in securos Christi impellit.

Primo legatio Apostolorum, plena pacis & quietis.

patientur ab impijs. Sed eò tendit admonitio, ne imprudenter se in manus impiorum coniciant, & ut nullam improbis dent sauiendi occasionem ante tēpus. Hoc ipsum Dominus aliquando fecit, Iudæorum furorem declinans, cum tamen sciret se à Iudæis occidendum. Vult certè Dominus suos quidem paratos esse ad malorum tolerantiam, sed nō uult ipsos imprudenter ac temerè cum improbis uersari, & dare occasionem sauiendi, uerum prudenti consilio illorum malitiam fugere, licet sint parati ferre omnia propter Christum. Huc spectat exhortatio Pauli ad eos, qui inter Gentes uiuebant. Ephes. 5. Videte fratres, quomodo cautè ambulatis, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tēpus, quoniam dies mali sunt. Et ad Coloss. 4. In sapientia, inquit, ambulate erga extraneos. Et. 1. Petr. 2. Conuersationem uestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quòd detrectant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum, in die uisitationis. Colligamus ex superioribus, impiorum insidias prudenter fugiendas, ne aliquo modo ipsos ad insaniam & furorem imprudenter prouocemus: deinde præparemus nos fortiter per Christum ad malorum tolerantiam, si piè uixerimus. Sensus uerborum, Tradet uos, &c. est, Quòd in speciem apparebit iustum, quòd tradentur Apostoli pro nomine Euangelij, flagris, & alii penarum generibus. Quid enim aliud prædicat Dominus, nisi Apostolos, & pios eorum successores olim iudicandos, publicèque potestati, ut puniantur, tradēdos? Vnde uidebuntur consultò ac iusti iudicij titulo & specie condēnandi: atque ita condemnandi, ut nemini liceat contradicere. Quis, quæso, contradicet concilio Seniorum, maxime Scribarum doctissimorum, & Phariseorum religiosissimorum? Ad hæc, quis synagogæ populi reclamauerit, si quid illa condemnarit, & punierit? Rursum potestati principum & regum quis obstitet? Sed confidere iubet & non despondere animos, quandoquidem satis uirium & consolationis in illa hora dabitur illis, ut uictores euadant aduersus lupos & bestias truculentas, sub hominis rectorio delitescētes.

### In conciliis.

Hæc est prima species crucis, qua irritantur piorum prædicatorum animi. Pertrahent (inquit) uos in concilia sua, *ἐς συνέδρια*, hoc est in confessus iudicum ac senatorum, quasi Christum, qui in uobis erit, sua potentia, autoritate, & sauis minis facillimè abstrahere possint. Synedria sunt concilia & confessus seniorum & primorum populi.

### Et in Synagogis suis flagellabunt uos.

Hæc est alia crucis species, aliquantò grauior præcedenti. Cum autem non uideatur tantum de templis Iudæorum loqui, per synagogas intelligit conciliabula, seu conciones hominum, promiscuè omnium. Pertrahent (inquit) uos in sua concilia, & in conciones hominum, in quibus dogmata, à uobis asserta, discutientur, ac damnabuntur ceu erronea, seditiosa, & hæretica. Tum uos, tanquam schismaticos & seditiosos, in conciliis condemnatos, in synagogis populi communi consensu castigatos, publicæ potestati puniendos & condemnandos offerent, quòd suam impietatem pallient, & prætextu iustitiæ ueritatem obscurent, ac personas perdant seruato hoc ordine. Ad concilia tradent, in conciliis accusabunt, & in conciliis condemnabunt. Deinde publicæ potestati puniendos tradent: eò uidelicet, ut non solum homines perdant, sed magis, ut ueritatem obscurent. Ad hunc modum cum Christum ipsum cepissent per suos satellites, potuissentque per uolentiam occidere, iustitiæ prætextum quaerunt. Hoc enim peculiare habet ipsa hypocrisis: non uult uideri cuiquam iniuriam inferre, sed magis omnia amore ueritatis, pietatis, & iustitiæ facere. Maluerunt illum primùm concilio seniorum sistere, ibique condemnare, deinde autoritate concilij condemnatum, præsidi offerre puniendum.

Z

Pericula quatenus ministro Christi aduenda.

Etiam specie optimi iuris, daturus pij.

Synedria.

Synagoga, p. conciliabula.

Iustitiæ suis secleribus impij prætextum.



Vnde Luc. 22. scribitur, Et ut factus est dies, cōuenerunt seniores plebis, & princi- pes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in cōcilium suum, illicque innocen- tem condemnarunt, atque ita condemnatum præfidi Pilato sistunt. Et rogati, re- spondent, Nisi hic esset malefactor, Ioann. 8. non tibi tradidissimus illū. Ad hanc formam rapti sunt Petrus & Ioannes. Act. 4. Et Apostoli omnes Act. 5. Et Stepha- nus Act. 6. & 7. Obserua: magnum est constantiæ donum, non desistere à pia do- ctrina, propter copiam ac præsentiam hominum, ab Euangelio euocantium.

Et ad reges & ad præfides ducemini.

A conciliis & synagogis, ut reipublicæ subuersores, producemini ad reges & præfides. Hæc dicit, quod Iudæi non haberent eo tempore potestatem exercendi iurisdictionem ad mortem, ut testantur, Ioan. 18. Nobis non licet interficere quen- quam. Quare non contenti flagellis, uolentes uos occidere, trahent ad præfides & reges, uita & necis potestatem habentes. Hæc species crucis eò uehementior est, quantò personæ sunt maiores, à quorum iudicio, autoritate, potentia, &c. plerun- que omnes pendemus. Hæc pericula primus subiit Christus, deinde Apostoli: ipse enim Christus à satellitibus captus ad Annam, ab Anna ad Caipham, & cōcilium ductus, tandem ad præfidem Pilatum productus est. Mirabile auditu: Sunt & sy- nagogæ & magistratus à Deo, quos tamen erga suos ministros Apostolos malè propitios habuit. Sed hæc operatur Satanæ tyrannis, quæ in hoc mundo obtinet, & omnes uires mundi, omnēq; potestatem excitat aduersus Christum: idque ea a- stutia & peruersitate facit, ut eam potestatem quæ est ad uindictam malorum, & ad impios reprimendos data, & ob id ministra Dei est, ad sui regni defensionem, & regni Christi impugnationem excitet. Et, quod omnium est astutissimū, ita suos, siue præfides, siue reges, regit, & ea cæcitate irretit, ut dum pios & uerbi præcones persequuntur, putent se probè seruire Deo, & defendere actueri pietatem repro- bata impietate, quum tamen prorsus contrarium faciant. Tam potens malum est cæcitas, ut per ipsam Satanæ principatum in mundo obtineat. Sentit certè ille ad- uersarius, quantum suo regno ueritas ipsa incommodet: & se non posse regnare, nisi in tenebrosos mētibus, propterea ex diametro ueritati aduersatur, & illius est hostis iuratisimus. Huc pertinet, quod Paulus scribit, 2. Corinth. 4. Quod si etiā opertum est Euangeliū nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Iam si in hoc sita est regni Satanæ tyrannis, ut mentes hominum cæcitate percussas in sua potestate detineat captiuas, ut & Pau- lus, 2. Timoth. 2. commemorat, Quis non cognoscit, quantum habeat uirium in eos, qui cæcitate percussi sunt, & potiuntur mundana potestate, qua impietas co- hiberi deberet? Rectè profectò Paulus consulit, 1. Timoth. 2. & obnixè admonet, ut Deū oremus pro iis qui in sublimitate constituti sunt. Cur ita? ut tranquillam & quietam (inquit) uitam agamus in omni pietate & honestate. Obserua: in his enarrandis periculis Christus tacet pericula mortis, ne infirmos absterreat.

Propter me.

Ne putarent Apostoli hæc omnia mala & pericula accidere propter sua merita, ait, propter me, id est, scitote hæc uobis euentura nomine meo, siue propter no- men meum, quod annuntiabitis, non autem propter merita uestra, sed mea tan- tum causa: hoc est, hoc titulo & nomine hæc patiemini, quia estis Christiani: unde de nō tam uos, quàm ego in uobis à Satana patiar. Totus enim in hoc est Satanæ, ut Christum impugnet, & de terra tollat. Quod fecisse putabat, cum per suos mi- nistros ipsum cruci affixit. Sed Christus uictor euasit, & uictum se agnouit Sata- nas: pertinaciter tamen pergit in Christi seruire ministros, hoc tantum nomine, quod Christiani sunt, & se Christi esse confitentur: propter hoc tormenta & ne-

Iudæis non erat ius mortis inferende.

Potestas, quæ à Deo est, Deū in suis persequitur.

Cæcitate Sa- tanas inmit- tit mundo, ut latius & liber- rius regnet. Satanæ ma- ximè omniū ueritate odit.

Satanas pri- mō captat magistratus, & potentat. Paulus quur monet impi- mis orandū, ut Deū oremus pro iis, qui publicis mu- neribus fun- guntur.

Christus in suis patitur.

cem uariis modis ipsis per suos infligit. Legito Apologeticum Tertulliani cap. 3. & 4. Obserua pro eodem accipi, propter Christum pati, nomine Christi pati, & propter uerbum Christi pati.

In testimonium illis, & Gentibus.

Occupatio est: Possẽm impedire & prohibere, inquit, ne traderemini in manus impiorum, & sic cum ouiculis solūm esset uobis negotium. Sed hæc fieri patiar, ut inexcusabiles sint & Iudæi & Gentes, nec possint negare sibi esse prædicatū Euan- gelium, & ut omnibus testatum sit, ac perspicuum, illos suo pte uitio perire: nimi- stra simplicitate, lenitateque prouocati, tam odiose reiecerint salutem oblatam. Certè uincula Apostolorum cesserunt tam Iudæis quàm Gētibus in testimonium quod Dominus ipsis misit uerbum suum, ac eos sanare uoluit, ipsi uerò renuerunt: unde iam sunt inexcusabiles, & hæret in ipsis culpa perditionis eorum. Atque dum persequabantur Euangelium, hæc ipsa persequutione clarius reddebant Eua- gelium: & notum fiebat mundo, hoc esse uerum, pro quo audebant prædicatores mori. Audiamus Paulum ad Philipp. 1. cap. hæc exponentem: Scire autem uos uolo (inquit) fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum uenerunt Euan- gelij: ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæ- teris omnibus, ut plures è fratribus in Domino, confidentes in uinculis meis, abū- dantius auderent sine timore uerbum Dei loqui. Obserua: in testimonium illis, supple, Iudæis, quod promissum & oblatum Euangelium de suo Mefsia contem- pserint, neque receperint. Gentibus in testimonium, quod idem Euangelium, ex gratia oblatum, non receperint. Aduerte, hac duplici uoce, illis & Gentibus, om- nes comprehendimus. Rursus aduerte, quod Apostolis propter Christum, & pro- pter annuntiatam ipsius resurrectionem euenit, idem & aliis fidelibus Euangelij ministris, quandiu hic mundus erit, euenire curabit. Nemo ergo propter uincula & carceres, Martyres Christi cōtemnat. Nam ista perpessi sunt propter Christum & iustitiam, non propter dolos, malas artes, scelera & fraudes.

Cum autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini.

Posteaquam de magnitudine periculorum, quæ imminebant, monuit, nunc declarat, cuius uirtute, illa superaturi sint, salutem & uictoriam promittens, non qua uita ipsorum in tuto sit, sed qua, inuicta stet, atque triumphet gloria Euan- gelij. Hoc itaque faciens occurrit cogitationi, qua fortassis excidissent animi Apo- stolorum. Auditis enim tam horrendis periculis, quod in confessibus non solūm accerserentur capitalium rerum, sed etiam ut disputetur de doctrina & concioni- bus ipsorum: poterant non parum animis deiici Apostoli, propriæ ruditatis sibi probè conscij, & mox cogitare, Qui fieri potest, ut nos, cum simus idiotæ, præter lacum & pisciū capturam nihil scientes, disputadi artem parum instructi, tantam causam Euangelij ante reges, præfides, & concilia defendere actueri ausimus? & nos, literarum ignari, congregiamur cum Rabinis, & eruditissimis Iudæorum, exercitatisimisque in omni disciplinarum genere Philosophis? Hoc certè metu & hac solitudine teneri poterant. Sed his occurrit ac medetur Dominus, magnā adducens consolationem & erectionem animorum imbecillium contra crucem, ne aut propter illam, prorsus ueritatem denegent, aut de ueritate addubitare inci- piant, aut desperent de præsidio diuino in cruce. Hæc consolatio est ab infirmitate & impotētia aduersariorū & persecutorū ueritatis. Quum ad tam multos (inquit) pauci, ad tā potentes, infirmi & inermes, ad tam eruditos, idiotæ producemini, ut in synagogis & scholis suis inquirent aduersus doctrinā uestram, Nolite cogita- re, &c. id est, nolite esse solliciti, quomodo causam meam sitis acturi, aut quomo-


Iudæi inexcusabiles.

Iudæi & Gē- tes inapte cul- pa pereunt.

Euangelium Euangelista- rum morte illustrius & certius reddi- tum.

Quod sibi Christus uoluit, idem & suis uult acci- dere.

Dominus ad- dit animum suis aduersus cunctos futu- ras.





do uos iudiciorum, legum, forique rudes & imperiti, sitis responsuri illorum ac cufationibus, calumniis & obiectionibus, non erit opus, ut ad ea confugiatis praesidia, quibus hominum vulgus in iudiciis solet uincere. Adhibet periculum & benelinguacem patronum, adulantur iudicibus, supplices se prouoluunt ad genua, fauores redimunt pecunia: absint haec a uobis. Tantum prodite uocati, omnem anxiam curam abiicientes, & respondete simpliciter ac fortiter, etiam oratione non meditata, sed quae fortitudinem praeseferat, cum prudentia modestiaque coniunctam. Atque ut uictus uobis citra sollicitudinem uestram ubique suppetet, ita supeditabitur oratio. Aut: nolite cogitare, quomodo, &c. id est, nolite inniti uestra prudentia uestrae praesidio, quasi uos possitis in cruce, istarum rerum uestrarum auxilio, consistere. His uerbis sane non praecipit supinam quandam oscitantiam & indiligentem securitatem: sed anxiam excludit excruciantem diffidentemque curam siue sollicitudinem. Nam *μη μεμνησθε*, ait, ne sitis, uidelicet, anxij: quo uerbo supra 6. cap. usus est. Haec apud Lucam significantius leguntur, cap. 21. Pone ergo in cordibus uestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis: id est, nolite anxie praemeditari apologiam siue defensionem. Obserua, quid hic locus nos docet: Christum scilicet non deserere suos, quorum opera usurus est ad promouendum regnum suum: ipsumque expendere, quibus rebus opus habeant. Nouit certe suorum tenuitatem & imbecillitatem, non ignorans, quam nihil esse tuti sint, nisi sua illis uirtute adsit. Rursus obserua, Christum addere amarum dulcia, hoc est, admiscere cruci insignes consolationes. Prima est a praesidio Spiritus sancti. Haec in genere opponitur praecedentibus crucis speciebus. Rursus aduerte, hunc locum esse promissionem, qua Christus munit discipulos aduersus pericula, quae propter confessionem & praedicationem Euangelij in publicis iudiciis subituri erant.

Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini.

Actiologia, cur non debeamus esse solliciti in defendenda Christi causa, nec inniti nostro praesidio in cruce. Ea uero sumpta est ab officio Spiritus sancti, cuius est, conseruare nos, atque defendere in cruce. Siquidem sic fortassis cogitare poterant Apostoli, Quare de re maxime necessaria non debemus esse solliciti? Necessarium enim erit omnino, scire, quid respondeamus, ante reges & praesides constituti. Iam hac cogitatione illos leuat, & causam aperit, cur abigenda sit sollicitudo responsionis: Dabitur enim uobis in illa hora, id est, opportuno tempore, & cum potissimum opus fuerit, quid loquamini: pater enim uester scit, quid uobis, rebus ita habentibus, sit opus. Anxie enim istae meditari non est eius, qui totus pendet ab auxilio diuino. Etiam nihil praemeditatis dabitur in tempore oratio, non ornata, sed prudens & efficax, dignaque Euangelio. Apud Lucam 21. paulo significantius hic locus scribitur. Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij uestri. Quasi dicat: non est humanum hoc negotium, quod geritis, sed diuinum, cuius uos non autores estis, sed organa. Cum admiratione fortassis quispiam his reclamabit, dicens: Quomodo Christus tantam promittat spiritus sapientiam, ut non possint ei omnes aduersarij contradicere? Quid igitur est, quod aduersarij non solum discipulis, uerum etiam ipsi Christo frequenter ita resisterunt, & contradixerunt, ut multo pertinaciores discesserint? Respondeo. Non est una Christi promissio. Nam Christus non promittit, aduersarios mutos fore, sed significat potius eos loquaces futuros, siue contradicturos, & pertinacissimè omnibus sapientiae & eloquentiae suae uiribus repugnauros. Promittit autem nullam aduersariorum sapientiam, aut eloquentiam fore, quae possit subuercere ueritatem Euangelij. Aduersabuntur quidem impij, sed non praeualebunt: contradicent, sed non obtinebunt in causa: resistent, sed non uincunt. Re-

Aufert Christus suis Apostolis confidentiam in seipsum.

Christus ubique adest & praecipit suis.

Christus crucis futuram promissionem consolationum condit. Promissio.

Spiritus sancti est, solari in cruce.

Non restimulos ethnicos Apostolis, quo modo accipias.

sponsabis fortitan: Quomodo non erant uicturi, cum & Christum & Apostolos opprimerent atque trucidarent? Trucidarunt quidem corpus, sed non extinxerunt ueritatem Euangelij: Opprimerunt uitam eorum corporalem, sed non oppresserunt praedicationem eorum de Christo Iesu. Quamto enim Apostoli crudelius a Iudaeis & Gentibus trucidati sunt, tanto latius sparsa est Euangelij praedicatione, donec peruenit in totum orbem terrarum. Imò res ipsa declarat, quod iuxta promissionem Christi, tanta uiguit in Apostolis spiritus sapientia, ut nec eloquentia, nec etiam tyrannide poterint aduersarij Euangelium eorum (quod de Iesu Christo confessi sunt, & praedicauerunt) opprimere. Porro hanc praemonitionem de Spiritu sancto frequenter inculcat scriptura a Domino factam, non solum hoc loco, sed etiam Marc. 13. Luc. 12. & 21. Atque uidemus ita ubique factum, etiam in ueteri testamento, Exod. 35. cum uellet Dominus uti opera Bezeleel filij Huri, ad conficiendum tabernaculum, instruxit eum suo spiritu, sapientia & industria, quantum ad perficiendum opus poscebat ipsa necessitas. Item Numeri. 11. cum iussisset Moysen eligere de senioribus populi 70. uiros, in quorum humeros diuideret onus moderandi populi, statim dat illis de spiritu suo, quo essent ad regendum populum idonei. Et in libro Iudicum, cum uellet populum de manu hostium liberare, atque ad liberationem uti ministerio alicuius iudicis, dabat illi mox per spiritum suum & industriam & mentis fortitudinem. Ita & Iosue spiritu Domini repletus est: & Saul, quando illius opera utebatur Deus. Sic & Dauid & Salomon, 3. Reg. 3. Quis quae potensimorum regum uel principum hoc suis potest praestare ministris? Ex his & superioribus docemur cauendum esse, ne iuxta quorundam errorem hallucinemur, putantes hanc Spiritus sancti adfuentiam debere facere ipsum Christi ministrum securum & negligentem, ita ut iam non sit opus studio, lectione & alijs purioris uitae exercitijs. Deinde dicentes, quod cum non deceat nos esse sollicitos de praemeditanda apologia, eò quod Spiritus sanctus daturus sit quicquid necessarium fuerit in illa hora, ideo negligenda sit sacra lectio, & nihil profitur studium sacrae scripturae. Adhaec facit quod vulgus obiicit: Ad quid (inquiunt) docemur religionem tot & tam uariis concionibus, quando, ut Christus hoc loco de doctore Spiritu sancto, ita & Hieremias de tempore reuelari Euangelij scribit, Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum, dicens, cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus. Si nullus proximum docbit, cur pueri in catechismo erudiuntur? Cur nos natu maiores in Euangelio institui mur? Respõdeo: Ignauos odit Spiritus sancti gratia, amas cupientissimos pietatis promouendae. Nec prohibet Christus laborem & diligentiam, sed anxietatem & sollicitudinem, seu curam anxiam. Nec uult hoc ut uel Apostoli nullam operam sumant in meditanda apologia, uel nos nullam diligentiam adhibeamus in discenda sacra scriptura: quandoquidem ipse dixit, Attende te a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis, seu impia doctrina. Haec autem qui cupit attendere, multam certe diligentiam exhibere debet. Sed rogo aduersarium, an credat Spiritum sanctum etiam in Timotheo loquutum esse? Puto fatebitur. Quid ergo opus fuit Paulo scribere, 1. Timoth. 4. Dum uenio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinae. Item, 2. Timoth. 3. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c. Quis, haec legens, non uideat tantum abesse, ut studium legendae sacrae scripturae gratiae Spiritus sancti repugnet, ut magis ille Spiritum sanctum negligat, qui lectioni sacrae scripturae uigilanter non attenderit? Atque hoc apertum est ex admonitione Paulina, 1. Timoth. 4. Cum enim dixisset, Dum uenio, &c. subiunxit, Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Haec exerce, &c. Quis hic non ui-

Solenne est Deo, & promittere & dare spiritum suum, quorum opera est uisurus.

Spiritus sanctus non sinit hospites suos, desides esse.

Christus non prohibet laborem, sed anxiam studium.

Spiritus sanctum negligat, qui sacras literas non colit.



det, neglectus Spiritus sancti accusandum esse ministrum Christi, non attendentem lectioni sacræ? Certè uidere est Paulum, 2. Timoth. 1. dicentem, Propter quam causam admono te, ut refuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum, pulchra similitudine ostendere, non esse negligendam gratiam Dei, sed excitandam, quemadmodum excitatur igniculus quidam flatu & impositis lignis, uel alterius generis alimoniis, ut alatur, nisi uelis ipsum neglectum & extinctum. Quare certum est gratiam Spiritus sancti amare studia & exercitia legendarum sacrarum scripturarum, atque illis quasi igniculis quibusdam quædam excitari & alii. Non quod his studiis opus habeat Spiritus sanctus, sed quod non amercorda ignaua, uerum magis sancto studio collaborantia. Atque dum in hoc exercitio prohibet Christus sollicitudinem præmeditandæ apologiæ, non prohibet aut diligentiam præmeditationis, aut studium sacrarum literarum, sed prohibet desperationem, quæ solet nos ad abnegandam ueritatem Euangelij sollicitare. Nam qui in persecutione propter confessionem Euangelij captiui tenentur, uariis cogitationibus occupantur. Quid faciam? aiunt: & si enim agnosco confessionem fidei meæ, ueram esse, tamen quia rudis sum & indoctus, nõ potero tam doctis, tam sapientibus, tam eloquentibus resistere. Cedam igitur ore, & interim retinebo ueram fidem in corde. Sed absit (inquit) hæc sollicitudo, absit hæc desperatio. Tu quidem dum tempus habes, da operam sacræ scripturæ, meditare apologiam, compone responsionis orationem, ne ignauia & torpore Dominum Deum tuum tentes. Sed cum constitutus fueris in publico iudicio aut concilio, noli diffidere, noli desperare, dabit Dominus, quod loquaris. Si præmeditata non fuerint commoda, dabit Dominus com modiora, tantum modò ne aduersariorum uel sapientia uel eloquentia ita terrearis, ut à ueritate deficias, & Euangelium abneges. Male ergo argumentantur, dicentes: Cum tradiderint uos, nolite solliciti esse, quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini: ergo ministri Christi nõ debent legere sacras scripturas, neque ex sacris literis loqui, sed expectare quid oportu suggeret ille Spiritus Christi promissus. Quemadmodum nõ sequitur, Matthæi 6. Nolite solliciti esse, quid manducetis, quid bibatis, aut quid induatis: Ergo Christiani non debent laborare, neque ex labore manuum suarum uiuere. Obeliam consequentiam! scilicet illis uerbis non prohibet Christus laborem, studium & diligentiam querendi uictum & amictum, cum alibi præcipiatur, ut unusquisque seruiat diligenter suæ uocationi: & patrumfamilias uocatio sit, familie uictum & amictum querere. Sed prohibet impiam curam, qua quis, derelicta uocatione Dei, sectatur illegitimam, quod corpori suo cõsulat. Sed de his supra, 6. ca. disseruimus. Proinde si diligenter perpenderit, non solum quid uetat Christus, sed & causam, propter quam uetat, non ad uerbi ministros duntaxat, sed & ad omnes reliquos Christianos ista doctrina pertinebit. Nam si in genere, nõ debet in tempore necessitatis anxius esse pro re maximè uocationi necessaria, qui opera & beneuolentia diuina fruitur, propterea quod cœlestis pater talem nequeat deserere: quid aliud sequitur, quàm omnes filios Dei non debere quacunquē in re necessaria esse anxios, & cura ac sollicitudine affligi? Quare hæc admonitio, Nolite solliciti esse, &c. ad omnes pertinet. Porrò quod ad Hieremiam attinet, cum Dominus ait, Non docebit ultra uir proximum suum, non abrogat in Christianismo externum ministerium prædicandi Euangelij. Christus enim dixit, Ite, prædicatē Euangelij omni creature. Et Paulus, Fides ex auditu est, auditus autē per uerbum. Necessarium igitur est in Ecclesia Christi externum ministerium prædicandi Euangelij. Sed Dominus his uerbis, Non docebit ultra uir proximum suum, confirmat potius externum ministerium Euangelij, & explicat perspicuam & publicam eius reuelationem, ac docet, quod postquam Christus aduenerit, Euangelium salutis tā dilucidè, tamque perspicuè manifestabitur, atque sic ubiuis prædicabitur,

Gratiam Dei euoluendis facis literis non parum foueri.

Spiritus sanctus bonam spem fouet in nobis.

Studio sacrarum literarum erudimur ad resistendum insultibus aduersariorum

Causam præcepti nõ minus quã præceptum ipsum spectare oportet.

Locus ex Hieremia explicatus, nõ docebit uir proximum suum.

ut iam nemo indigeat priuato præceptore ad discendam pietatē, quales præceptores Iudæi habebant, quod publicè tum annuntiabitur Euangelij, quod omnes ueritatem Dei cognitionem discant: non quod opera priuati præceptoris contemnenda sit: sed quod citra illam poterit quis Christianismum discere, modò diligēs & beneuolus fuerit publicæ concionis auditor.

Non enim uos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis.

Non est, cur tam anxij & solliciti esse debeatis de præmeditanda apologia. Quandoquidem non est humanum negotium, quod geritis, sed diuinum, cuius uos non autores estis, sed organa. Nec enim uos illic loquemini, sed Spiritus Patris uestri loquetur per ora uestra. Quasi dicat, Causa non est uestra, unde neque patrociniū eius uestrum erit: quare neque uos pro defensione sollicitos esse conuenit. Causa, Patris est, patronus Spiritus sanctus, qui in uobis loquitur: is citra anxiam uestram curam uel studium, causam euincet. Deponite ergo inanem sollicitudinem responsionis, quando sistemini coram regibus & præsidibus. Obserua: donum & uirtus est Spiritus sancti, nos posse in cruce subsistere. Etenim officium eius est, seruire in cruce, ne uincamur, & efficere, ut de testimoniis Dei, exēplo Dauidis, psal. 118. loquamur, & non confundamur: huius præsidio fretos non oportet ullis malorum procellis commoueri. Rursus, obserua hunc locum ostendere, ad quem autorem referamus doctrinam Apostolorum, ad ipsum scilicet Spiritum sanctum, qui loquutus est per Apostolos, sicut olim per Prophetas. Item aduerte, Si respondendum fuerit pro Euangelij defensione, respondendum erit simpliciter ac fortiter, non oratione præmeditata, elaborata, affectata & rhetorica: sed quæ fortitudinem, simplicitatem, puritatem, sinceritatēque præ se ferat, cum prudentia modestiæque coniunctam. Colligamus ex superioribus. Videtur ita dicere Christus: Fortasse solliciti eritis, quid responsuri sitis, & ideo meditates parabitur orationes in corde, sic & sic dicturi, &c. Sed nolite de his anxij esse. Primum docete uerbum, uobis mandatum, uerbum, quod habetis, & datum est uobis. Deinde ponite sollicitudinem, quomodo respondeatis uel accusatoribus uel calumniatoribus. Hic dabitur uobis os & sapientia, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij uestri. Ratio huius consilij est hæc. Quia Satan est mille technarum & stropharum artifex, semper nouas subinde calumnias comminiscitur. Ideo uix ulla regula certa possit prædicator satis moneri, quid uel quomodo sit Satanæ ministris respondendum. Paratus enim semper est ex omni occasione & sermone nouas deprauationes extorquere, & malitia est incomparabili. Ideo fit, ut præmeditata omnia eius conatu infirmetur, & frustrentur, nisi adsit uirtus eius, qui ligauit ipsum mille annis, ut est in Apocalypsi 20. cap. Obserua: uocat Spiritum sanctum, Spiritum patris, quod à patre procedat. Ait enim Christus, Spiritus, qui à patre procedit. Est & Filius spiritus, dicente Christo, Ille de meo accipiet. Sunt ergo Pater & Filius unū principij Spiritus, hoc est, à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, qui est nexus siue amor Patris & Filij. Vnde idem est in scriptura Spiritus sanctus, Spiritus Dei Spiritus Patris, & Spiritus Christi.

Trader enim frater fratrem in mortem, & pater filium:

& insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

Cum Christus uellet nihil celare suos Apostolos eorum, quæ propter Euangelium, siue nomen suum passuri erant, sed exactè omnia prædicere, per epanodum siue regressionem ad id reuertitur, cum singulari auxesi in genere, ut mirè pathetica oratione mala & labores futuros amplificet, exaggeretque; crucē, à personis eam excitaturis. Vnde nihil in mūdo illistutum fore significat, qui Euangelij uolent propagare, ne à fratribus quidem, filiis aut parentibus. Quod explicat triplici gra-

Publicæ conciones citra operam priuati præceptoris erudire possunt Christianum.

Spiritus sanctus autor doctrinæ Apostolorum, ipsi organa tantum.

Quali Apologia uti debeant ministri uerbi.

Satanæ in cõcinnadis fraudibus industria.

Idē spiritus Patris & Filij.



du personarum, se inuicem infectaturarum propter ueritatem. Primus fratrum est, leuissimus, aliorum respectu. Secundus parentum est contra filios, hic grauior est. Tertius filiorum in parentes, qui grauiissimus est, & omnium molestissimus. Hæc potentissima est tyrannis, quæ futura legitur inter has, sibi tam affinitatis quàm consanguinitatis iure coniunctas personas, pulchrè ab Euangelista collectas. Sed huius mali & odij plusquam uatiniani principium est ab illo homicida.

**Satana furēti inuidiæ nulla naturæ iura que sit obfistere.** Satana: cuius furori nulla naturæ iura ualent obfistere. A deo que uehemēs est eius odium aduersus regnum Christi, tamque potenti tyrannide dominatur inter filios huius seculi, ut etiam fratrem in fratrem, patrem in filiū, filios in parentes armet. Iam quid in suos non potest, qui hoc potest, ut frater, oblitus germanæ charitatis, nulla etiam adfectus iniuria, fratrem nihil mali meritum adacturus sit in mortem? ut pater oblitus pietatis naturalis, filium (à quo nihil est læsus) quem genuit, quem habet successorem, ac bonorum suorum hæredem, accersat capitis? ut filij, abiecta omni reuerentia, confurgant aduersus patrem & matrem, & eos morti tradant, à quibus initium uitæ sumpserunt? Et, quod omniū est mirabilissimum, licet regeneratio, quæ per baptismum fit in Christo, humanissimos, benignissimos, & mansuetissimos ferè reddat eos, qui Christum profitentur, & in ipsum credunt, ad eò ut nihil queat æquè reddere fratrem fratri, patrem liberis, & liberos parentibus morigeros & obsequentes, atque in Christum credere: nihilominus tanta est uiolentia Satanicæ tyrannidis, ut suos armet, non solum contra communem naturam, sed & contra regeneratam & amabilissimam naturam, quæ nihil, præter comitatē & amabilitatem spirat & præ se fert. Captiuos habet Satanas, quos læte odij corrumpit, & contra Christianos armat & inflammat: & ad eò ueneno nato odij spiritu ipsos imbuit, ut non solum alius alium oderit, sed etiam odio digni sint. Subiungit, In mortē, hoc ad exaggerationē crucis facit: postremus enim crucis effectus est mors. Porro Michæa .7. cap. hæc uerba ferè leguntur, unde putant ea Dominum mutuatam esse: Nolite credere amico (inquit Michæas) & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri: & filia confurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Hactenus ille. Sed enim apud Michæam calamitas populi Hebræi describitur, qui eò relapsus erat, ut similitudine, odiis, & inimicitias, dolis & insidiis se mutuo cōficeret, haberet scissa, dissecta, dispersa omnia, nec ulla fœdera uel iura sancta seruaret. Hic autem Christus prædicat suos, ab aliis ista passuros. Subiicit enim: Et eritis odio omnibus hominibus: quibus uerbis satis significauit ad suos hæc pertinere.

### Et eritis odio omnibus hominibus.

**Omnes pro multi.** Pergit Christus exaggerare crucem, progrediens à singularibus ad omnes in genere homines, in uoce, omnibus, synecdoche est, id est, multis. Odium, communem & vulgatiorem speciem crucis, ponit Christus pro aliis omnibus. Iam tamen meti qui uerè Christiani sunt reuera amabiles sint, & nihil agant, quod odio dignum sit: nihilominus contra eos Satan odium excitat omnium, quasi sint digni, quos omnes odio prosequantur. Non leue sanè est istud odium, quo Satan, huius mundi princeps, pugnat ex diametro cum Christi officio. Nam Christus iustificat, Satan autem in peccatis detinet: Christus uiuificat, Satan mortificat: Christus seruat, Satan perdit: Christus tribuit cœlum, Satan infernū. Quare Satan primum quidem se opposuit, quantis potuit uiribus, Christo adhuc in terris uersanti, ut omnem gloriam eius extingueret. Posteaquam uerò Christus euasit per mortem in summam maiestatem, adoritur nunc Satan omnes credentes in Christum, atque modò excitat reges & principes, organa sua, ut persequantur: modò Gentes & populos, ut trucident: modò etiam propinquos, amicos, cognatos, fratres, ad eòque

**Mors, ultima crux.**

**Impotens Satana odium, odij semina, & clades ubique spargit.**

**Fides in Christum candidos, morigeros, & benignos reddit.**

**Nomen Iesu multis olim commune.**

**Nomen Iesu ipse Iesus, & officium eius.**

**Filios Dei, etiam suos, filij seculi persequuntur.**

**Mundus odit, qui illum arguunt.**

**Christi nomen quàm inuisum mudo.**

parentes, ut prodant suos ipsorum liberos, in Christum credentes, & obiciant eos extremis suppliciis: & tam atrox est inuidia atque impietas, ut maior excogitari nequeat. Nam aliis in rebus, si quid aduersi acciderit cognatis aut liberis, etiam si homicidæ, latrones & proditores patriæ fuerint, amici tamen & parentes cupiunt eos à suppliciis liberare. In professione autem Christi, Satan tantum odium inspirat parenti impio & infideli erga filium Christianum, ut sentiat se præstare cultum Deo, si suum ipsum filium, alioqui honestissimum & innocentissimum, ad supplicia tradat. Publici illi scelerati, latrones, homicidæ, fures, incendiarij, & id genus alij, si publicis afficiuntur suppliciis, habent qui cōmiserentur, & uicem ipsorum doceant: Satan uerò tantam inuidiam erga Christi discipulos excitat, ut homines manibus præ lætitia plaudant, si uiderint eos ad supplicia rapi, ac iudicent terram, horum suppliciis, expiari. Sic Christo insultarunt aduersarij, de quibus ipse in psalm. 39. conqueritur, dicens: Ferant confestim cōfusionem suam, qui dicunt mihi euge, euge. Et isti acclamant ei in cruce pendenti, Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reedificas illud! Et Paulus, de Apostolis ait, 1. Corinth. 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsēma usque adhuc. Nec id tantum contigit discipulis Christi eo tēpore, quo Iudæi nondum deleri erant: sed etiam postea Gentes existimabant Christianos omnis publicæ cladis autores, & tanquam hostes humani generis, è medio tollendos. Si Tyberis ascendit in pomeria, uel in mediam urbem exundat, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum fremuit, si terra mota est, si grando segetes percussit, si fames, si lues grassata est, statim Christianis ad bestias, ad palos, ad farmēta, aut ad leones acclamabatur. Legito Tertullianum in apologetico.

### Propter nomen meum.

Causam adducit propter quam naturalis etiam affectus parentum erga liberos, dissoluitur, & propter quam parentes fiant suorum liberorū proditores, ac etiam interfectores. Quænam causa? Propter nomen meum, inquit. Multi nomine Iesu uocati fuerunt, ut Iosué successor Moyfi, & pontifex Iesus, cuius mentio fit in Zacharia. Sed propter hoc nomen externū, & literas sic scriptas, nemo passus est persequutionem. Nomen igitur Christi, de quo in præsentī sermo fit, est ipse Iesus Christus, ac officium eius. Eò huc ipse missus est, ut omnes in ipsum credentes, iustificet & seruentur. Non misit Deus (inquit) filium suum in mundum, ut iudicet, id est condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui uerò non credit, iam condemnat est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Huius ergo odij causa nomē est Christi, non propter se aut ex se: Christus enim nullius disidij autor est, sed princeps pacis: sed hominum malitia rebellioque turbas excitat. Nam filij Dei non ex uoluntate carnis aut uiri, sed ex Deo & spiritu nati sunt, Ioan. 1. & 3. Ideo parentes & amici carnis, nisi & ipsi ex Deo nati sint, natos ex Deo filios, etiam usque ad mortem, sæpenumerò persequuntur. Propterea ipsi filij Dei, inuisi sunt carnalibus, propter Christi nomen, quod profitentur, & ob cuius confessionem filij Dei uocantur. Huius tam magni odij causam Dominus Ioan. 7. adducit, dicens, Non potest mūdus odisse uos, me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sint. Ecce causam odij, Quia arguit mundum de peccato, iustitia & iudicio. Hic mundus, à Satana, suo principe, imbutus ambitione, superbia, auaritia, libidine, ceterisque terrenis cupiditatibus undique corruptissimus, non recipit nomē Christi, seu eius doctrinam cœlestem, nimirum aduersantem studiis ipsius. Tam inuisum est nomen Christi, & eius officium, ipsi mundo & Satana, ut atrocius iuxta mundum crimen sit, quempiam esse Christianum, quàm patricidam, ueneticum aut incendiarium. Obserua uox, nomen, similiter & meū, designat, quic-

Quantā immanitatem in hominibus seculi odium in Christum excitat.

Christiani ab Ethnicis habitis, hostibus & peste humani generis. Christiani olim cathar mata & hostis piaculares.

Nomen Iesu multis olim commune.

Nomen Iesu ipse Iesus, & officium eius. Ioan. 3.

Filios Dei, etiam suos, filij seculi persequuntur.

Mundus odit, qui illum arguunt.

Christi nomen quàm inuisum mudo.



Nomē Christi est, quicquid de Christo dicitur.

quid de Christo dicitur. Propter nomen meum, id est, propter uerbum meum, & meam doctrinam, propter summa bona, propter summam uirtutem, propter ueritatem, propter iustitiam, propter uitam aeternam: & ut in summa dicam, propter nomen meum, id est propter id, quod de me praedicatis & docetis. Ego sum causa (inquit) sed per occasionem tantum acceptam, uestrorum malorum & tribulationum: non quod illis dem causam, sed illi sua malitia & impulsu Satanae accipiunt scandalum, & occasionem mali, uertentes candida in nigra. Si de mundo essetis, dicebat Christus, Ioan. 15. mundus, quod suum est, diligeret. Sed quia de mundo non estis, & ego elegi uos de mundo, ideo uos mundus odit. Haec suauissimi afflicti propter nomen Christi afferunt consolationem, quando certi sunt, quod non propter facinora & flagitia, sed propter Christum affliguntur. Et hoc docet Paulus, 2. Corinth. 1. Nam gloria nostra (inquit) haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo: id est, quod sine causa affligimur & patimur. Nulli enim nocuimus, imò cunctis proficimus, mala pro bonis accipientes: propter nomen Christi erga omnes benefici, & in quibus nulla agnoscere potest causa odij.

Consolatio Christianorum, quod nulla sua culpa uexantur, sed tantum, quod Christiani sunt.

**Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.**

Ne quis ob magnatum totiusque mundi dira odia à diuino & eo perutili ministerio sese subduceret, aut in medio cursu concideret, animos suorum confirmat, appositum simul ingenti & magnifico premio. In tantis enim scandalis, & tribulationibus perpetuis firmandus est animus ad perseuerantiam. Nam aliquando in principio uidetur, etiam carni, doctrina Euangelij esse amabilis, & multi eam amplectuntur spe gloriae, diuitiarum, fauorum, qui pietatem esse quaestum putant. Sed ubi sentiunt nihil, nisi odia, persecutiones, tribulationes, pro mercede reddi, deserunt eam, & fiunt plerumque hostes. Significat ergo Christus multos aggredi doctrinam caelestem, sed paucos perseuerare. Cur ita? Quia incipiunt affectu carnis, id est, quarunt, quae sua sunt, non, quae Dei sunt. Ideo quando illis omnia non succedunt pro uoto, mutant sententiam, & non perseuerant. Huc pertinet parabola, de semine inter perrosa seminato, & inter spinas suffocato. Siquidem hilariter incipiunt, sed inter spinas suffocantur. Quare sequenda est exhortatio Christi: Qui perseuerauerit, hoc est, sustinuerit in fine, hic saluus erit. Quod idem est cum eo, quod Lucas scribit cap. 21. In patientia uestra possidebitis animas uestras. Non enim satis est coepisse rem sanctam, neque satis est prorepisse aliquod, imò nec permultum quidem ac diu fideliterque laborasse, nisi operi addas colophonem. Perseuerantia praeque constantia operis cuiusque & uirtutis, colophon & absolutio est. Dum certe hic sumus, non pensandum, quandiu peregrinati sumus, sed semper ad finem respiciendum est. Qui aestimat, quantum perfecit itineris, contingit frequenter, ut aut superbiat, aut lassetur: qui uero solum ad finem, ad quem properat, respicit, is neque superbiat, sciens sibi adhuc multa deesse: neque cessabit, donec apprehenderit praefixum scopum. Vnde Paulus. 1. Corinth. 9. Sic currite, ut comprehendatis. Et Hebr. 12. Manus remissas & soluta genua erigite: item recogitate eum, qui talem sustinuit contradictionem, ut non fatigemini, animis uestris deficientes. Item Hebr. 3. Cuius domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque in finem firmam retineamus. Adhuc quam utilitatem pullulatio seminum potest habere, si cum usque ad flores creuerint, postea exaruerint? Huic labori addit splendidam mercedem, hic saluus erit, id est, liberabitur à malis, praesentibus quidem, quae interrim & per uiam fidei fortitudinem, & consolationem Sancti spiritus facilius feret: imò in futura gloria coronabitur seruo uitae ac immortalitatis perpetuae. Hoc praedicat Paulus dicens, 2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Do-

Paucis datur in bene coepris perseuerare.

Constantia ac perseuerantia, cuiusque boni operis coronis est.

Saluum esse, quid.

minus, iustus iudex, in illa die, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius. Et 2. Timoth. 1. Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum, meum seruare in illum diem. Obserua hoc loco, uirtutem patientiae, qua in omnibus aduersis uictores euadimus. Exemplis plena est scriptura, in qua occurrunt Iacob, Dauid, Ioseph, Prophetae, Christus, Apostoli, &c. Deinde, non esse ueram patientiam, quae non durat ad finem usque. Quod si dixeris, Ecquis potest perpetuo ista tolerare? Respondeo: Quisquis propter Christum patitur, fiducia in ipsum poterit ad finem usque etiam in grauissimis tormentis durare & pati. Rursus obserua haec uerba: Qui autem perseuerauerit, &c. esse certam promissionem liberationis à cruce: sensumque huius promissionis esse, eos liberatum iri à cruce, qui in ferenda cruce non recesserint à ueritate.

Christiani patientia uiuunt.

Fiducia in Deum, patientiam perpetuat.

**Cum autem persequerentur uos in ciuitate ista, fugite in aliam.**

Occupatio est. Ne perseuerantia abiret aut degeneraret in audaciam aut contumaciam, uult, ut modus sit in constantia, & certa ac iusta ratio in perseuerantia, monens nos, ne temerè & praefractè coniciamus nos in pericula. Quasi dicat, Nolite uobis persuadere, non licere ex ea ciuitate discedere ac fugere, in qua contigerit oriri persecutionem, ex rabie & ferocia luporum aduersus uos. Vobis non est prouocanda malorum saeuitia, nec accersenda persecutio, nec uiribus repugnandum: sed licebit uobis salutis uestrae fuga consulere, & periculum declinare, non solum, ut uos sitis incolumes, uerum etiam ut hac occasione lauius spargatur rumor Euangelicae doctrinae. Itaque si quando uos aduersarij impetent in una aliqua ciuitate, date locum insanie, & fugite in aliam, dum modò iudicij & experimentis satis efficacibus deprehenderit uos gloriam meam porro nihil promouere posse, neque aliud restare, quam ut caedamini ab impijs. Quare, si fortassis Apostoli obiecissent, Praecipis nobis perseuerantiam: quid si nobis non licet perseuerare, eò quod lupi isti nolint nos ferre in sua ditione? Respondet. Hoc non impedit perseuerantiam. Quia non de perseuerantia corporali hic loquor, sed de perseuerantia spiritali: id est, ut non frangatur animus uester, neque moueatur ad cessandum, & deserendum uerbum & officium. Sed perseuerate & docete, si non in hoc ipso loco, saltem in alio. Tantum durate, & uosmet rebus seruate secundis, nec desinite docere. Hanc doctrinam & hoc praecceptum seruauerunt Apostoli, in primis uero Paulus, sicut testantur Acta Apostolorum. Putauit Tertulianus hoc praecceptum Christi, de fuga in persecutione, omnino temporale fuisse sicut & alia quaedam praeccepta, quae hic dantur Apostolis. Sed scripturae, & exempla Christi & sanctorum martyrum, manifestè euincunt, praecceptum illud Domini ad omnes aetates pertinere. Vnde sanctus Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, Tertuliani uolumina enumerans, librum ab eo, de persecutione, nominatim aduersus Ecclesiam scriptum testatur. Interea fateor turpe esse fugere, quando per intempetiuam fugam subuertuntur Ecclesiae, & gloriae Dei plurimum incommodatur. At quoniam sunt euentus rerum uarij, & circumstantiae multiplices, nemo opinor queat numeratis legibus comprehendere aut discernere, quando fugere liceat, quando non liceat. Ipsa potius rei praesentis qualitas, ueraque pietas certissimè quid optimè honestissimèque feceris, docebunt. Regnum Christi quaerendum est Christi ministris & omnibus fidelibus. Si ad illius profectum facit ut fugias, fuge: si proderit, ut maneat, mane. Obserua, hoc loco Dominum refutare opinionem Donatistarum, olim poscentium à Deo crucem, & ut morte trucidarentur, inquam opinionem & hodie Anabaptistae lapsi sunt.

Cedendum nonnunquam persecutoribus.

Perseuerantiam animi Dominus requirit potius, quam corporis. Act. 9.

Praecceptum Christi de fuga persecutionum, non temporale.

Fugere quando liceat, quando non, difficile est praescribere.

Amen dico uobis.

Iuramento confirmat Christus Apostolos, ne dubitent certo praesidio.



Non consummabitis ciuitates Israëlis, donec ueniat filius hominis.

Obscurus est hic locus, & uariè expositus à patribus pariter & recentioribus. Chryostomus & eius abbreviator intelligunt de persecutione facta ante Christi crucem: & uerbum illud, Donec ueniat filius hominis, non de secundo aduentu, sed de exhibita illis à Christo consolatione, antequam pateretur. Misi enim ad prædicandum, iterum ad eum redierunt, & cum eo conuersati sunt. Quasi diceret, hoc nunc tantum uobis agendum est, ut per omnem Palestinam spargatur Euangelij fama. Quod si persecutor non permisit uos eodem in loco diutius sedere, nolite timere: in proximo enim est regnum Dei. Illud confirmo uobis, priusquam consummaueritis, id est, perambulaueritis omnes ciuitates Iudææ, exercendo uobis à me cõmissa officia, ut pote prædicando, & faciendõ miracula, iam filius hominis se proferet, & aderit uobis periclitatibus. Diuus Hilarius de secundo aduentu Christi interpretatur, nimirum ad extremum iudiciũ. Quasi dicat Christus, non consummabitis id est, ad fidem meam non cõuertetis uniuersas Israëlis ciuitates, donec filius hominis ad iudiciũ ueniat. Nam expellimini ad Gentes: illæ credent. Israëlis reliquæ non credent, donec rediero. Alii interpretantur per occupationem, ut si quis obiecisset Domino, Decret tandem locus in quem fugiant: respondisset ipse, priusquam uos eiecerint ex omnibus suis locis Iudææ, aderit filius hominis. Id quod in malam partem interpretandum est. Venit enim filius hominis, non tantum cum suis fert auxilium, sed etiam cum suos hostes puniat. Ergo priusquam uos eiecerint, & nullus uobis, ad quem uos recipiatis, locus superferat, ego perfidorum ingratitude & rebellionem euocatus, bellum ipsis inferam, atque excindam: uos autem emittam ad Gentes. En discite hinc, quid uerbi Dei contemptoribus sit expectandum, & qualem finem fortiantur impij. Auferuntur ab ipsis regnum Dei, & excinduntur hinc stirpitis. Quidam sic interpretantur, Donec ueniat filius hominis, id est, donec regnum filij hominis appareat, & declaretur uirtus illa regni Christi, quæ à resurrectione, spiritusque sancti missione cepit. Quo sensu accipitur id quod infra ca. 16. Marc. 9. & Luc. 9. legitur, Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis, uenientem in regno suo cum uirtute. Videtur itaque ad hunc modum loqui: Nolite anxie cogitare de uestra fuga, si de una ciuitate in aliam uos persecuti fuerint, ne in uanum abeat uester labor. Pro certo habetote, quod non perambulaueritis ciuitates Israëlis, exercendo, quæ uobis demandauit, quum filius hominis uenerit, id est, declarauerit se uenisse iuxta promissiones prophetarum. Aut, quum curauerit, ut inueniatis amicos Euangelij, qui uos recipient, & patrocinabuntur uobis.

Non est discipulus super magistrum: nec seruus super Dominum suum.

Elegans est hæc consolatio, mixtam habens adhortationem, à duplici similitudine de discipulo & seruo, ut his, ceu duobus exemplis, discipuli omnibus persecutionibus conuictis, iniuriis, ipsa denique morte, & quibuslibet periculis contemptis, constanter pergant ueritati Euangelicæ ferre testimonium. In primis metum infamiae, deinde mortis tollit. Nam receptissimum fuit semper apud seditiosos, & nihil aut parum Euangelicos, fideles uerbi Dei ministros appellare seditiosos, hæreticos, sacrilegos, maleficos: deinde aduersus hos acclamare, ad furcas, ad farmenta, ad crucem, ad bestias, &c. Sed ne his calumniis discipuli impedirentur, Dominus suum profert exemplum, ac ipsum adaptat per cõparationem. Cogitate (inquit) quid mihi usuueniat, & uel hoc tantum meditemini, quando hæc uobis continget, nempe quis ego sum, magister & Dominus uester, sanctus & fidelis: mox nõ tepescet uobis animus, imò cor ipsum uobis dicet, idque impulsu animo,

Verbum Domini, Donec ueniat filius hominis, quomodo intelligendum in Euangelistis.

Aduentus filij hominis aliis seuerus, aliis laetus & felix.

Verbi Dei contemptoribus quid expectandũ.

Infamiae metum prohibet Christus discipulis.

mo, Si Dominus meus pro me ob istam causam crucifixus est, quid me, uilissimum seruum, non oportet pati? Cur attonitus & mirabundus intueor mihi tot mala accidere, cum præceptor longè maiora & grauiora contigerint? Causa est optima, propter quam patior: exemplum est incomparabile, ad quod patior. Quod si spectem, quis sit ille magister meus, quis ego: quid ille passus, quid ego patior: Tam hæc meditatus, uidebor, patiens, in delictis esse, imò nihili pendam hanc passionem. Nihil erit mea passio, ad tanti præceptoris passionem collata. Magnus igitur, in hac collatione Domini & discipuli, obseruabitur impetus, & ingens energia ad consolandum & exhortandum, dum urget Christus necessitatem crucis à suo exemplo, ut consoletur Apostolos communi sui magistri sorte: quemadmodum olim apud philosophos, coniurati discipuli in uerba licuius philosophi, simul ferebant eiusdem sectæ fortunam. Obserua argumentum Christi esse ab eo, quod communi mortalium sensu, æquum aestimatur, & cuius contrarium apud omnes pro absurdo & insolenti habetur, non est discipulus super magistrum, & non est seruus maior Domino suo. Quæ sententiæ, tanquam prouerbia uulgatissima, in ore & corde ministrorum uerbi uersari debent. Vt si quid acciderit propter uerbum & Euangelium, in promptu sit, quod regeratur, ac dicatur, Discipulus non est supra magistrum, &c.

Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius.

Argumento, à uulgari sententiâ petito, argumentatur Dominus, Sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor ipsius, &c. Quasi diceret: uulgò creditur & dicitur, satis bene agi cum discipulo & seruo, si habeatur sicut suus præceptor & dominus. Sit ergo uobis persuasum, si cõtingat uos haberi, ut ego quidem habitus sum & habebor, nihil adhuc neque mali neque noui uobis accidisse. Considerate me, dilectum Patri filium, cui indubiè Pater & bene uult & benefacit, quomodo tamen me exercet per malos, ita ut multa patiar passurumque sim, sed hoc pacto, ut dum illi putant me lædere, promoueant meam felicitatem. Idem uobis usuueniet, ubi perseueraueritis mei esse discipuli. Nam propter nomẽ meum persecutionem patiemini. Sufficit igitur discipulo, ut uersetur in eadem fortuna cum magistro suo. Hoc argumentum ualet à digniore ad indignius, propter æqualitatem eiusdem professionis. Obserua: Exemplo Christi, 1. Petri 2. Petrus suos consolans, ait, Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Similiter & Paulus, 1. Thessal. 2. admonet & consolatur etiam exemplo Christi.

Si patrem familiãs Beelzebub uocauerunt, quantum magis domesticos eius?

Alterum exemplum à persona Christi digniore ad Apostolos inferiores. Videte, quid mihi usuueniat, quo nihil inculpatius uideri & esse potest. Et famam & nomen contumeliis impetunt, appellantes me Beelzebub. Quod conuicti genus, Christi & Apostolorum seculo fuit omnium ignominiosissimum. Semel enim hac uoce complectebantur quicquid erat impuritatis Satanicæ, nequitiaque diabolica. Quod si ulli sanctorum debebatur reuerentia & honor, ipsi patrum familiãs & sancto sanctorum Christo debebatur. Sed huic non solum non est redditus honor meritis, uerum etiam uocatus est Beelzebub. Quantum facilius & magis domesticos eius, in eadem domo uersantes cum patrum familiãs, uocabunt Beelzebub. Obserua: Beelzebub ex etymologia significat Dominum aut Deum muscarum, Grecis dictus *μύαρος*. Idolũ fuit, quod Palestina, præcipue autem Palestinorum præcellens urbs Accaron, fortassis contra muscarum insectorumque omnium diuexationes coluit, ut scribitur, 4. Reg. cap. 1. ex quo quidẽ capite colligere licet, Beelze-

Christus suo exemplo urget necessitatem crucis.

Nõ est discipulus supra, &c. reum ministri uerbi in persecutionibus.

Beelzebub uocari, summa olim ignominia.

Beelzebub muscarum Deus, uel muscarum idololum.



bub rogatum edidisse oracula. Apparet ergo Accaronitas Idolum habuisse, per quod mendax spiritus oracula ediderit consultus: quemadmodum hodie quoque dicuntur quidam magi familiares habere spiritus in vitro aliquo, specie uel muscæ, uel araneæ, inclusos, ex quorum reuelationibus uaticinantur. Vt ut autem de isto fædo Idolo res habeat, certum est Iudæos per conuictum Beelzebub intellexisse hominem diabolicum, magum, & ex diaboli consortio scientem quædam, sed eundem Deo & hominibus abominabilem. Vocauerunt Iudæi principem dæmoniorum, Beelzebub, id est, Dominum muscarum, uel quod iudicauerint Idolum illud Accaronitarum fuisse maximè omnium abominabile, uel quod Dæmones sint ueluti muscæ. Sicut enim harum examina circunuoilitare solent capita nostra in æstate & molestiam inferre, ita illorum exercitus semper nos circundant, quærentes, quem perdant ac deuorent. Obserua pie lector, & hoc loco perpende pia mens, quid nostra causa Christus, ipsa iustitia & sanctitas, pertulerit. Quid ergo ab illo sperare nõ debemus? quid nobis negabit, quomodo nos deseret, pro quibus tanta perferre uoluit?

Dæmones  
muscæ sunt.

### Ne ergo timueritis eos.

Epiphonema, hoc est ad rem narratam acclamatio, est, cum adhortatione ad animositatem aduersus crucem. Nolite (inquit) in afflictione animos despondere, nec sitis anxij de præsidio & liberatione. Non durabit afflictio, sed mox euanesceat. Nam cum uideatis eos hac cæcitate impelli, ut præter omnem rationem odio prosequantur immeritum, imò benemeritum, & amore pariter & honore dignum: neque solum odio prosequantur, sed & Beelzebub uocent, non est quod eos timeatis, ut pote quorum insania imbecilla, & breui peritura sit. Confidite, ueritas breui reuelabit & uestram uirtutem, & conuictorum malitiam.

Epiphonema.

### Nihil enim est opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur.

Hæ sunt generales regulæ & gnomæ, quæ possunt ad uarios usus accommodari. Sed ut in Luca 12. cap. ita & in hoc loco usurpantur ad exhortandum discipulos, ut diligenter obseruent, & alta mente reponant doctrinam (non Pharisæorum, sed Euangelicam, quæ est uirtus Dei in salutem omni credenti) orbi per ipsos prædicandam & inuulgandam. Et hunc sensum indicant sequentia, Quod dico uobis in tenebris, &c. id est, futurum est, ut quod modò auditis, aut quod nunc in tenebris, hoc est, loco obscuro in domuncula, dicitis, aut in parua regione Iudææ prædicatis, hoc postea reueletur, hoc est, in toto orbe prædicetur. Est profectò hic locus, iuxta hunc sensum, uaticinium de spargendo Euāgelio in totum terrarum orbem. Quod quidem agnoscimus impletum, quum iam unicè Christum colamus & adoremus. Cæterum licet & hanc sententiam, Nihil enim est opertum, &c. in hunc transferre usum, primùm, ut admoneamur, ne spe impunitatis occultæ peccemus. Nam non desunt, qui arbitrantur se oculos Dei fallere, si hominum oculos fallant, psal. 83. Quomodo scit Deus? nõ intelligit Deus Iacob. Habacuc. 3. Latatur, sicut qui deuorat pauperem in abscondito. Imò non solum sperant impunitatem, sed adeò insaniunt, ut, quod purulentiæ cordis sui foras erumpere nõ sinunt, ideo putent se obsequium præstare Deo. Qua persuasione fit, ut pessima quæque scelera occultè designent. Sed vulgò dicitur, & à Christo, nihil esse opertum, quod non reueletur: Tantum enim abest, ut occultis peccatores oculos Dei fallant, ut etiam coram uniuersis creaturis peccata illorum aliquādo patefiat. Proinde iuxta hunc sensum uidetur Christus hoc prouerbio usus per occupationem, ut significet hypocrisim omnem, quanuis in speciem Euangelio cognatā, tandem olim euanituram, tum scilicet, quum reuelabitur ueritas. Tamen si (inquit) omnis pietatis hostes, æstimati à mundo sanctissimi & probatissimi, uos, ut sceleratos,

Dei oculis omnia, etiam penitissimam, patent.

Omnia tandem reuelat Dies.

hæreticos ac sacrilegos, persequantur, imò occidant, putantes de uobis actum esse: tamen ueniet tandem dies, & non tardabit, in qua & uestra uirtus ac innocentia, & hostium uestrorum nequitia & iniuria detegetur. Persuasum esse uobis puto id quod in omnium ore tritissimum est, nihil opertum, quod non reueletur. 2. Timoth. 3. cap. Insipientia eorum manifesta erit omnibus. Quod Paulus dicit, manifesta, significat eam insipientiam fuisse & esse ad tempus absconditam. Tertullianus in apologetico suo contra gentes capit. 8. indicat hoc adagium, maioribus fuisse decantatissimum, dicens: Bene autem, quod omnia tempus reuelat, testibus etiam uestris prouerbis ac sententijs ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non diu distulit. Quod autem prouerbio celebratur, id ipsum uerissimum esse, ipse rerum euentus experientiaque approbat. Cain occultè occidit Abelem: sed nunc toti mundo nihil hoc fratricidio notius. Filij Iacob occultè uendidertint fratrem suum Ioseph: sed nunc totus terrarum orbis tantam perfidiam etiamnum execratur. Prophetæ à sanctissimis & maximæ autoritatis hominibus (quemadmodum tunc de ipsis iudicabat mundus) tanquam patriæ proditores, ac publici religionis hostes, cæsi sunt. Apostoli quoque Domini & multæ martyrum myriades à diuis (ut his applaudebat mundus) Romanorum imperatoribus, principibusque, à deorum sacerdotibus, & religiosissimis quibusque Gentiliis, ducebantur damnabanturque pro impijs, sacrilegis & consceleratissimis in orbe nebulonibus. Nunc uerò tempus ipsam ueritatem aperuit, cessatque post tantam infamiam liuor, ut nunc rectè iudicare queamus, uiderèque ministros Christi fideles fuisse, innoxios, & de Republica & Ecclesia optimè meritos: aduersarios uerò ipsorum, fuisse homines nequam, superstitiosos, impios, parricidas, & religionis ac reipublicæ non hostes tantum, sed pestes. Præterea sanctos Christi martyres per corporeā temporariamque persequutionem & ignominiam peruenisse ad æternam gloriam & immortalitatem. Persecutores uerò protinus à morte corpora in tartara præcipitatos, sempiternam pœnam ac ignominiam luerunt. Ergo quemadmodum istorum laus & decus floret perpetuò, sepulta omni infamia, imò infamie etiam suspitione: ita horum opprobrium & dedecus uiget semper, deleta interim conuulsaque inani, de ipsis aliquando concepta, foelicitatis uirtutisque opinione. Nihil ergo absconditur, quod non reueletur. Quare fugiamus peccata, non manifesta tantum, uerum etiam occulta. Aut si humana imbecillitate iam perpetrata fuerint, respiciamus. Sola enim pœnitentia seu respicientia fit, ut peccata in conspectu Dei non occultentur solum, uerum etiam in uniuersum delectantur.

Occulta tandem profetia, probat exentis.

Postetitas sine liuore ac metu syncretius iudicat de maioribus.

Sola pœnitentia omnia peccata delectat.

### Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Pulchra antithesi & schemate prouerbiali ornat præceptum de promulgando Euangelio. Opponit enim tenebris lucem, opponit sibi ipsis & hæc duo, in aurem uel audire uel dicere, & in tectis prædicare. In tenebris dicere, significat, secreto colloquio aliquid committere. Ergo in luce siue in lumine dicunt, quum aperte coram toto mundo, palam & disertè efferunt, quod acceperunt. Quo fit, ut Euangelium sit aperta & manifesta prædicatio, non clancularia, qualis est hodie furtiua Anabaptistarum & multorum hæreticorum doctrina, quæ quia lucem fugit, merito suspecta nobis esse debet. In aurem uel audire uel dicere, est priuato congressu aliquid excipere, uel silentio committere. Translatum id uidetur ab iis, qui propius adiuncti, ad aurem insusurrant, quæ nolint ab alijs exaudiri. Ergo in tectis prædicare, siue super tecta, periphrastica quadam notatione ponitur pro eo quod est, palam in vulgus spargere commissum, & quàm significantissimè, latissimèque euulgare, quod tibi est concredutum. Hæc autem prouerbialiter dicuntur, ut

Euangelium non amat tenebras.



Prædicare su-  
per tecta. non oporteat inharere literæ, & è tecto concionari. Vnde super tecta prædicare di-  
ctum putant, more illius regionis, in qua ita constructa sunt tecta, ut in illis ha-  
beantur confessus & stationes. Atque ideo Deuter. 22. ita legitur, Cum ædifica-  
ueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in  
domo tua, & fias reus labente alio. Et Iudicum 16. Ludete coram principibus Phi-  
listæorum Samsonem, in tecto ac solario domus illius fuisse scribitur tria ferè uiro-  
rum ac mulierum milia Samsonis ludum spectantium. Huiusmodi sermones sunt  
nobis vulgares hodie. Sensus igitur uerborum est: Non est quæ metu deterrea-  
mini, quominus liberè prædicetis Euangelium regni. Euangelium enim nihil ha-  
bet pudendum aut celandum. Imò etiam si quid à me auditis in tenebris, id est uo-  
bis priuatim loquente, uos prædicare palàm & clara in luce. Et si quid uobis dixe-  
rim in aurem, id est quæcunque quantum libet secretò à me dicta percepistis, præ-  
dicare super tecta, id est, quàm maximè palàm prædicare orbi. Certè Euangelium  
nescit fucos, nihil tenebrarum habet. Vult in lucem & aures omnium proferri,  
neque cuiusquam ueretur conscientiam, ad omnes pertinet. Vniuersalis est do-  
ctrina, cuius autor cõmunis & uniuersalis est saluator, apud quem neque Iudæus,  
neque Græcus, neque dominus, neque seruus ualet, sed noua creatura, Galat. 6.  
Obserua hoc loco, quàm uelit & exigat Christus, doctrinam suam magna fidu-  
cia & optima conscientia publicè & in luce coram omnibus prædicari.

## Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.

Quoniam ad res arduas obcundas, nihil est quod magis impediatur, quàm me-  
tus rerum aduersarum, quem tum Apostolis subministrare poterat consideratum  
periculum, tam uarium, & horribile, quod de Domino audierant subeundum esse  
in administranda functione Euangelica: postquam hæcenus disputauit Dominus  
cõtra metum infamiae, nunc timorem ignauum, etiam dixit & probrofa mortis,  
illis adimit, quò alacriores sint, in prædicanda ueritate: iubens illos esse infra-  
& imperterrito animo, & ut quod in aurem audierant, cõstanter, & intrepidè pa-  
làm prædicarent. Primò igitur, argumento ab impotentia tyrannorum sumpto,  
pusillanimitatem ipsorù abigit. Possunt (inquit) aduersarij in corpus solum age-  
re, anima illæsa, neque id possent, nisi Deo permittente. Iam uos dixi amicos, di-  
xit illis post hæc Christus, Amicorum autem bona sunt cõmunia. Efficemini er-  
go (inquit) meorum bonorum participes. Vos autem agnoscetis me uictorem om-  
nium, non periculorum tantum, sed etiam mortis, ac inferni. Nimirum uidebi-  
tis me, non posse à morte detineri, sed per mortem euadere in perpetuam, adeo-  
que felicissimam uitam. Quid his significabat Christus, nisi quòd etiam Aposto-  
li, si in Christo occiderentur, magis consequerentur uitam per mortem, tantum  
aberat, ut in morte perirent? Nolite ergo (ait) metuere homicidas, qui fide uia in  
Deum ornati estis, quibus nihil plus in uos permittitur, quàm ut in solum corpus  
agant, & ipsum forte occidant, quod alioqui deponendum est, ut ad immortalita-  
tem perueniatis. Valde extenuat Christus, & uilem, ac debilem reddit mundi fu-  
rorém, & uim, quasi irridens eius ferociam. Quid quæso, isti possunt, qui uos oc-  
cidunt? Scilicet occidere corpus istud ærumnosum, fragile, calamitosum, caducum,  
& infinitis obnoxium morbis, malisq; , quod etiam per se erat moriturum. O gran-  
dem potentiam scilicet, occidere id, quod iam moriturum est, ac planè iam ex se  
tantum accelerare mortem, ac mortem solum eius partis, quæ aliàs moritur? No-  
lite ergo metuere eos, qui non possunt animam occidere. His uerbis non abigit à  
nobis omnem timorem, quum postea doceat timendum eum, qui potest animam  
perdere. Sed eum dissuadet, quem ex prima transgressione concepit homo, qui in-  
star cæcorum metuit non metuenda, & quæ uerè metuenda sunt, nò metuit. Vn-

Minimè est,  
posse obesse  
corpori.

Si Christus  
omnium ui-  
ctor, & qui  
Christi sunt,  
per Christum  
uincunt om-  
nia.

de uerus timoris usus non est, timere ea, quæ certam perditionem afferre nò pos-  
sunt, cuiusmodi est mors corporalis. Iam si mortem hanc timere, nò est Christiani-  
ni hominis, nec etiam bonorum temporalium iacturam pro defensione ueritatis.

## Animam autem non possunt occidere.

Durissima homini uidetur mors, uerùm huic considerandum est, se constare  
corpore, & anima: & altera quidem sui parte mortalem, altera immortalem esse.  
Corpus obnoxium est morti, moriturque, cum ab anima deseritur, siue id fiat na-  
turali, ut uocant, cursu, siue per uiolentiam. Anima uerò immortalis est, quæ,  
postquam Dei beneficio cœpit uiuere, nunquam desinit uiuere, etiam à corpore  
separata. Mori tamen spiritualiter dicitur per peccatum, per quod desinitur  
gratia, gaudio, luce, Christo, & gloria Dei optimi maximi. Atque hanc manent  
propter peccatum dolores, & gemitus æterni cum infamia, & ignominia nūquam  
terminanda. Iam Christum suos consolatur, apertè confitens, suos fideles uiuere,  
nec posse occidi in æternum, etiam tunc cum corpore occidantur. Viuitis (in-  
quit) anima uestra. Imò uos uiuitis, etiam in ipsa occisione corporis uestri, quia a-  
nimam (inquit) non possunt occidere. At anima est uita corporis. Quid ergo pos-  
sunt occisores? Animam, id est, uitã separare possunt à corpore, sed occidere pla-  
nè non possunt. Velint, nolint, anima occidi nò potest. Quemadmodum si Cæsar  
morte ciuili occidat ciuem (ut Quidium) id est, in exilium mittat: hic Quidius  
non occiditur persona secundum substantiam, sed secundum corpus, id est secun-  
dum conuersationem politicam, id est, separatur à domo, coniuge, liberis, & ami-  
cis. Domus est mortua, ei non est Quidius ciuis: Domus est deserta, sed Quidius  
uiuit. Sic Paulus, Philipp. 1. dicit, se cupere peregrinari à corpore, & esse cum Do-  
mino, id est, uelle, esse corpore mortuū, & cum Christo secundum animam uiue-  
re. Cum igitur res ita habeat, quid timent mortem uerè pii, & fideles, qui mori  
nò possunt, sed immortales sunt, & nihil interim aliud in ipsos homicidæ possint,  
quàm animam ipsorum, id est, uitã, separare à domo sua, id est, à corpore, & eam  
expellere ex hoc mundo, tanquam ex carcere, in locum suum, ubi in Deo semper  
uiuit? Quare pij, & fideles imperterriti, & infracti sint, contemnescentes huiusmodi  
tyrannos, qui minantur plusquam possint, scilicet mortem, cum tamen, non pos-  
sint mortem inferre, nec uitam auferre, nisi Deo permittente. Et id dum faciunt,  
tantum uitam transferunt in aliam domum. Huc pertinent egregia apophthegma-  
ta, & responsa Apostolorum, & aliorum martyrum in cruce existentium: ut An-  
drea, gaudentis quòd cruci affigeretur, Laurentij clamantis, prunas sibi refrige-  
ria esse, ac dicentis tyranno, Versa has meas carnis, & assas manduca. Et Ignatij  
uidentis bestias, quibus exponendus erat, O salutareis bestias, quæ mihi præparan-  
tur, quando uenient, quando emittentur, quando ipsis frui licebit carnis meis,  
ut citius ad Dominum meum euolem? Atque dum leonum dentibus discerpere-  
tur, ardore martyrij dicebat: Frumentum ego sum Dei, bestiarum dentibus ego mo-  
lor, & subigor: ut panis mundus efficiar Christo. Certè hoc lucrum est piis, dum  
bona Dei uoluntate, & pro Euangelio corpus amittunt. Aufertur enim corpus mor-  
tale, & redditur tandem immortale: aufertur uita paucorum aunorum, & resti-  
tuitur uita sempiterna. Tyrannus trucidat corpus, sed Deus suscitatur corpus, unã  
cum anima in perpetuam felicitatem. Quid hac permutatione utilius? in lucro  
igitur deputandum est, si in uocatione Dei uita corporis auferatur. Lucas, 12. ca.  
huic sententiã addit, Et post hæc non habet amplius, quid faciant. Hæc uerba per-  
tinent ad extenuationem, quæ certè per contemptum adiecta est, ostendens imbe-  
cillitatem uirium, & potentiae persecutorum ueritatis. Obserua Christum his uer-  
bis, animam autem, &c. significare perspicuè, animam occisi, aut alioqui mortuo  
corpore, superstitè esse, id quod aliàs etiam indicat, Hodie, inquiens ad latronem,

Metus mor-  
tis, indecorus  
Christianis.

Mors corpo-  
ris.

Mors animæ

Anima, im-  
mortalis.

Mors ciuilis,  
Exilium.

Virorum san-  
ctorum, mor-  
tem contem-  
nentium Apo-  
phthegmata.  
Andreas.  
Laurentius.  
Ignatius.

Lucrum &  
commodum  
à morte quã-  
tum piis.



mecum eris in paradiso. Et iterum: Pater in manus tuas commēdo spiritū meum. Falsa de anima opinio- nes, explosae. Quare uana, & explodenda est eorum opinio, non solum qui mortalem animam dicunt, sed etiam, eorum qui sentiūt illam post mortem euanescere, donec in nouissimo die unā cum corpore resuscitetur. Obserua: hoc loco nolite metuere siue terreri, uox terreri, aut metuere, non est simpliciter accipienda, cum à terrore siue metu uix possit aliquis in cruce alienus esse. Est igitur metuere, siue terreri, in cruce, (quum uetatur) ita affici metu, ut de ueritate addubitare incipias, de cura Dei erga te fluctues, indigneris Deo & ueritati, ut caulis tuæ crucis. Terreri cruce aut in cruce, quid.

**Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.**

Hic locus, inter primos nostræ religionis consignandus, paucissimis quidem Domini nostri Iesu Christi uerbis efficacissimis comprehendit maxima religionis, fideique nostræ capita, & mysteria uitæ potissima. A nimarum uidelicet immortalitatem, corporum resuscitationem, æterna gaudia, atque supplicia, quibus facile confutari possunt, quæcunque contra nostram religionem afferunt & philosophi, & hæretici, adde & Epicuri de grege porci. Corrigit & hic locus uanum illum metum, de quo paulò antè diximus, & adducit usum ueri & pij timoris: qui est, timere eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehenna: qui uerè, & perpetuò damnare potest, qui omnem nostrā salutem habet in manu sua. Stultum certè & uanum fuerit, timere eum, qui non dat, sed accipit lædendi potestatem, & eum non timere, qui illam dat: qui enim dat, quādo uult dat, & cui uult, & quod uult, & quousque uult. Qui uerò accipit, nō accipit quod uult, nec quando uult, nec in quemuis. Timeamus igitur filiali timore Deum, ut patrem, cui obedire æquum est non seruili timore ex metu pœnæ, à potenti Deo infligenda, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Timeamus uerò, non propter ipsam gehennam, sed quia quisquis in gehenna ponitur, à Deo optimo maximo separatur. Hic timor expellit peccatum: est initium sapientiæ, permanet in seculum seculi, Nam facit, ut semper humillimus, Deoq; uero subiectus sit homo, ac illius gloriam toto corde requirat. Huius pij, ac religiosi timoris exemplum habes in Susanna, quæ cum audisset minas duorum senum, dicebat, Angustiæ sunt mihi undique: si hoc egero, mors mihi est: si non, non effugiā manus uestras: sed melius est mihi absque opere incidere in manus uestras, q̄ peccare in conspectu Dei. Hoc exemplo pium, ac Christianum amorem ob oculos expressum habes. Metuendus igitur Deus, in cuius manu mors & uita sunt posita. Vnde Deut. 32. de ipso legimus, Ego occido, & ego uiuere facio. Et 4. Regum 5. dicebat Ioram rex Israël. Num ego Deus sum, ut occidere, & uiuificare queam? Quibus uerbis sanè fatetur, ne in regis quidem manu esse, non solum uiuificare, sed nec occidere, sed utrumque in solius Dei potestate positum. Huc pertinet, quod dicebat Christus Pilato, Non haberes potestatem ullam aduersum me, nisi tibi datum esset de super. Et Anna, 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & uiuificat: deducit ad inferos, & reducit. Vnde ut ostendatur hæc lædendi potestas in tyranno, esse solum permissiua, in Deo uerò, ut in autore propria: cum loquitur de tyrannis, non ait, Nolite metuere eos, qui habent potestatem, uel qui possunt occidere corpus, sed simpliciter, qui occidunt corpus. De Deo uerò non dicit, qui, & animam, & corpus perdit, &c. sed, qui potest: uel, ut Lucas scribit, 12. cap. qui habet *uoluntatem*, id est, uim, & potentiam efficacem perdendi in gehenna. Quibus uerbis perspicuum est, tyrannis occisionem quidem corporum, potentiam uerò, & potestatem non illis, sed Deo tribui. Hanc sententiam loco allegato Lucas explicat, dicens: Ostendam autem uobis, quem timeatis. Quasi dicat, Germanus, & uerus timoris usus, est, ut filiali amore timeas Deum, qui, ut totum hominem condidit, ita potest totum

Timor uerè pius & salutaris, quis.

Gehēna quare metuenda

Susanna timor ingenuus

Nulla nō potestas à Deo.

hominem æterno damnatum exitio tradere gehennæ. Obserua exaggerationem potentia Dei, cum non dicat, qui potest occidere: sed ait, perdere corpus, & animam in gehennam æternæ damnationis. Plus certè significat perdere, quàm occidere. Cum dicitur gehenna, significatur perpetua pœna. Gehenna, ait Theophylactus, dicitur à semper nascendo. Obserua: Sunt, qui timent Deum, non timore, quo obseruatur, & amatur, ut pater: sed seruili, præcipuè propter pœnas uitandas. Hic timor seruorum est, non filiorum, de quo, Roma. 8. cap. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorū Dei, in quo clamamus, abba pater, 1. Ioan. 4. Timor non est in charitate. Secundò, non desunt, qui timore Dei, ed adiguntur, ut uoluntati diuinæ aduersentur per prudentiam, cuiusmodi sunt, qui zelum quidem Dei habent, Roma. 10. sed non scientiā Dei. hi facile mouentur, & perturbantur. Certè nisi timori Dei coniuncta sit diuinæ uoluntatis cognitio, frequenter uidetur obesse, quod debebat prodesse. Quemadmodum autem freno & calcaribus regitur equus, ut obediat seffori, & hic usus est rectus: ita & nunquam uerè pius, nisi timore Domini regitur, sed eo timore, qui pertinet non ad Antichristi, sed Domini uoluntatem. Colligamus ex superioribus, amputandum esse peruersum abusum timoris, ut bono bene utamur. Deum, & magistratus propter Deum timeamus, in uocatione Dei perseueremus, à qua timore hominum non recedamus, scientes, & in ore semper uersantes, quòd Petrus in concilio impiorum pronunciauit, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Perdere plus est, quàm occidere. Gehenna.

Timor & zelus Dei non secundū scientiam.

Timor Domini eū Domini uoluntate conueniat.

**Nōne duo passerēs asse uaneunt?**

Accommodatissimis utitur exemplis, ut euidenter quod suadet, probet, & iis, quæ tamen ipsa fide opus habent. Atque huc tendit Domini concilium, ut suos animet, atque confirmet, ne uel mortem metuant præproperam, uel malis, ipsaque morte circūuenti, arbitrentur Dominum ipsorum neque curare labores, neque aliquam curam habere. Singulari ergo comparatione, & argumento à uirtute, & natura diuinæ prouidentia, docet, Dominum habere de ipsis curam, & esse sollicitum adducens in medium talia, & tam minuta animalia, quæ sine contouersia longè sunt infra mortalium, etiam abiectissimorū æstimationem, ut posteaquam in minimis diuinam cognouerimus prouidentiam non dubitemus nos multò magis illa potiri: Neque solum minutissimum animalculum, & id uilissimum, & notissimum inducit, uerum etiam pretium commemorat, idque tale, ut, unus solus passerulus nequeat certo pretio æstimari. Atque ideo duos coniungit, qui simul uilissimo pretio profant. Et hanc tantillam æstimationem, & prætij attenuationem Lucas uolens significare, quinque numerat passerculos, qui duobus minutis assibus comparantur. Sensus uerborum est, Quid uilius passerulis, quorum par emitur asse, minimo minuto? Assis, numulus erat uilis, ut terunciolus.

Prouidentia Dei quanta erga omnia, etiam minutissima.

**Et unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro.**

Argumento à minori ad maius, hoc est à passerulis animalculis ad homines, & à communi, atque generali prouidentia Dei, ad singularem, ac peculiarem, qua Deus prouidet piis, sic argumentatur. Tam latè patet diuina prouidentia, ut cum seruet passerulos, nec sinat ipsos interire, atque expirare citra suam uoluntatem, permissumque, quantò magis curæ illi erunt ministri Euangelij Iesu Christi unigeniti filij eius? Seruat Deus passerulos, ne cadant in terram, sine uoluntate sua. Ergo Deus seruabit credentes in se, ne quid periculi eis accidat ab aduersariis Euangelij sine uoluntate sua. Hæc suauissimam piis afferunt consolationem, cum audiunt Deum, sic fauere & prospicere confessoribus ueritatis, ut non possint persequutores aliquid incommodi illis addere, sine uoluntate, & permissione ipsius. Vnde agnoscunt, quòd si piis aliqua crux cōtingat ab aduersariis Euangelij, ea non

Consolatio ingens piis, quòd nihil nisi uolente Deo patiantur.



nisi permissu Dei contingit. Obseruandum est, duplicem esse confidentiam erga Deum, alteram communem, & generalem, qua Deus, ut creator, prouidet omnibus creaturis, sustentat, & conseruat illas. Alteram, qua singulariter, & peculiariter custodit, & seruat pios, & illis, ut amicis, prospicit. Dat enim his legem scriptam, spiritum suum & fauorem specialem, fidem, spem, & charitatem ac beatitudinem aeternam, non item irrationalibus, de quibus ipsi non est hæc specialis cura, dicente Paulo, 1. Corinth. 9. Nunquid Deo cura est de bobus? Aduerte: in terram cadere posuit iuxta dialecton Hebraicam, pro interire, & speciem pro genere, hoc est, pro quibusuis auibus. In terrā igitur cadere est, occidi, capi, aut interire: Quòd huiusmodi auicula, siue ultro moriantur, siue sagittis percutiantur, in terram mortuæ cadunt, alioqui sublimia incolunt. Rursus obserua Christum dixisse, sine patre uestro, ut his uocibus, pater, & uester, inuiter te ad fiduciam in prouidentiam Dei, & Deum, in oculis semper habere ut patrē, quia omnia agit in utilitatem, ac gloriam filiorum suorum: qui item nuspiam dormit, nuspiam cessat, sed ubique, & semper, & in omnibus salutem procurat liberorum. Verus ergo Dei filius omnem curam suam conicit in Dominum, parum, aut nihil se superuacancis curis affigit, sed hoc potius cogitat, quomodo Deum amet, quomodo eius fauorē retineat, ac in præceptis eius ambulet, reliqua omnia Deo cōmendans.

### Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.

Altera consolatio cōtra crucem argumento ab eadem prouidentia Dei, sed illa singulari erga pios. Quid in homine uilius, & abiectius est capillis capitis? Sunt tamen & hi Deo ita curæ, ut & omnes numeratos teneat: & sine uoluntate eius, ne unus quidem de hominis capite decidat. Quòd si pili numerati sunt, quandò magis aures, oculi, nasus, sensus, denique caput totum, corpus item integrum, adeoque ipsa mors hominis, & uita! His significat Dominus nihil tam esse uile, exiguum, & contemptibile in homine, quod ignoret Dei prouidentia. Obserua conjunctionem, & siue, etiam, non esse otiosam, quòd occultam faciat diminutionē. Quasi dicat: non solum uita, corpora, & quæ uobis pretiosa sunt, sed pili quoque, ut ut uiles & abiecti sint, tamen apud patrem uestrum in numero habentur. Ita nihil in uobis est, cuius ille non habeat rationē. Aduerte: vox, omnes, plenariam, & omnimodā diuinæ curæ diligentiam ostendit, sicut & vox, numerati, singularem, & præcipuam curam inculcat. Nec dicit, numerabuntur, sed, iam numerati sunt: ut significet, nos iam esse in ipsam Dei patris nostri prouidentiam assumptos.

### Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis uos.

Concludit confidenter, ne metuamus tyrannos, facitque epilogum huius argumenti à prouidentia Dei cum exhortatione, ut pij erigant animos, & certi sint, Deum illorum habiturum curam in cruce. Quasi dicat, Si de passeribus, quibus meliores estis uos, id est, pluris aestimamini (à dignitate hominis, ut nobilioris creaturæ, argumentatur) & de brutis, imò de capillis, rebus abiectissimis, illi cura est, multò magis de uobis, qui estis ministri Euangelicæ doctrine, idcirco nolite timere, id est, diffidere, sed confidite: quòd illi homines nihil in uos possint, se-cus quàm patri uestro cœlesti uisum est, qui uestri iugem agit curam. Colligamus ex superioribus, Quòd Christus Apostolis suis concionatur, hoc idem per apostolicum uerbum, in Christum credentes sibi dictum existiment. Apostolorum uocatio fuit, prædicare Euangelium de Iesu Christo. Aliorum alia est uocatio, uidelicet, aut in persecutione confiteri Euangelium, aut agere magistratum ciuilem, aut alia negotia ciuilia administrare. Porrò in quouis genere uocationum solent multa incidere, quæ à sectanda Dei uocatione absterrent. Crudelis mors, exiliū, aut direptio bonorum auocat confessorem à uocatione Christi. Magistratum, & iudicem auocat à recta officij sui administratione, potentia partium. Quod ergo

Fiducia in Deū duplex.

Deo peculiariter cura sunt pij.

Cadere in terram.

Piorum unicuique studium, & quod.

Nostra omnia Deo numerata & curæ.

In unaquaque uocatione in sunt multa, quæ terreat etiam pios.

Apostolis hæc dicitur, ita omnibus prædicatur, ut magis timeant Deum, quàm homines, & non intermittant uocationem Dei, propter hominum crudelitatem.

### Omnis ergo.

Argumento à præmio, suos, præcipuè nominis sui, confessores consolatur, quòd nullo metu crucis territi apertè, & fiducialiter profiteantur ueritatem, & sinceram doctrinam. Omnis (inquit) qui, id est, sine respectu, aut exceptione. Nihil certè hoc argumento crebrius occurrit in scriptura. Nec uideo aliud præsentius, aut fortius ad erigendos animos, contra scandala crucis: ut certiores reddamur, futurum aliquando, ut liberemur à cruce, ad aeternam gloriam. Non ab simili argumento usus est Paulus, ad Roma. 8. & alibi sæpè. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passionibus huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Argumenti summa, hæc est: Qui imperterriti sinceram doctrinam, id est, Euangelium, confitebuntur coram mundo, habebunt gloriam in aeterna uita coram Deo.

### Qui confitebitur me.

Hic locus agit contra Helchetas hæreticos, qui contenderunt in cruce fidem tacendam esse, & sufficere corde & animo ueritatem non negare. Neminem certè pudere decet Christi. Apostolus Roma. 1. de se ait, Non erubescio Euangelium: uirtus enim dei est, in salutem omni credenti. Hæc ut explicemus, obserua: Confiteri, est apertè loqui, sine metu, coram illis, quibus loqueris, dicente Dauide psal. 118. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundabar. Interim tamen hæc confessio non recipit tæmeritatem, & audaciam illam effrenem in prædicando uerbo, qua quidam gloriæ cupidi, & ambitiosi, sine omni Dei metu, utuntur. Hæc proculdubio, neque clamosa, neque contentiosa est, sed omnem sine supercilio præ se fert modestiam. Me, sonat personam Christi, quæ pro omnibus rebus ad Christum pertinentibus, ut pro Euangelio, fide, spe, charitate, iustitia, & huiusmodi posita est. Cōfiteri Christum, non solum est, nomen eius simpliciter confiteri: sed hoc est Christum confiteri, coram hominibus disertè, & constanter doctrinam eius confiteri, & omnia, quæ fides Christiana, ac mater nostra Ecclesia, eius dilecta sponsa, iuxta uerbum Dei, de illo tenet, ac prædicat. Cuiusmodi est, Confiteri Iesum Christum, uerum Deum, & hominem, unicam esse orbis salutem: per eum iustificari homines, & in ipso habitare etiam corporaliter omnem plenitudinem: quòdque sit filius Dei, in cuius manu pater omnia dedit, & posuit: quòd sit unicus mediator redemptionis inter Deum, & homines: quòd sit saluator: quòd sit uia, ueritas, & uita: quòd morte sua nos redemerit: quòd fides uiua in ipsum, nos iustificet, ac saluet: quòd extra ipsum nõ sit salus. Et quicquid est huiusmodi, quod nos oporteat cōfiteri. Hanc Christianam confessionem fecit Petrus, à Christo rogatus, infra 16. Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, Tu es Christus filius Dei uiui. Et iterum, Ioan. 6. Domine, ad quem ibimus? (Rogarat enim discipulos suos, Nunquid & uos uultis abire?) uerba uitæ aeternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Idem stans coram senatu, & collegio sacerdotum Hierosolymitano, Christum Dominum, quem isti condemnarant, & in crucem adegerant, confitens, ait Act. 4. Hic est lapis, qui reprobatus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est in Christo, cuius crucem prædicat. Absit (inquit ille) mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ex his concluditur, necessarium esse ad salutem, cōfiteri & ore, & animo, disertè, & constanter Iesum Christum, & ea, quæ fides catholica de ipso prædicat. Nec solum oportet confiteri illa: uerum simul necesse est, nihil negare eorum, quæ illius

Promissio & spes uitæ aeternæ, fortissimum propugnaculum in cruce.

Helchetas hæretici.

Confiteri.

Confessores Christi imprimis decet modestia. Cōfiteri Christum, quid.

De Christo quæ prædicanda.

Cōfessio Petri & Apostolorum.



habet doctrina, sed quum expedierit, illa narrare, testificari, & prædicare. Obserua, non satis esse ferre crucem, nisi & Christum, seu ueritatem confitearis. Nec satis est credere in Christum, nisi & confitearis eum in cruce, quæ confessio, donum Dei est. Ad Philipp. 1. Quia uobis donatum pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo pariamini. Theophylactus legit, qui confitebitur in me, id est, in mea uirtute: quod hæc confessio nõ fiat sine superna uirtute. Postea cum de negante loquitur, non dicit, in me, sed me, quod qui negat ex se, & negat, & peccat.

## Coram hominibus.

Cum Euangelium nihil habeat pudendum, & sit doctrina uniuersalis, quæ ad omnes pertineat, non est, cur oporteat illud celare homines: imò omnibus prædicandum est, ut quod unum certam omnibus salutem afferat. In genere dicit, coram hominibus, id est, coram omnibus sit hæc confessio, non delicata, sed solida, ut, qui me confitebitur, contemptis etiam hominum probris, profiteatur me Dominum, & saluatorem omnium hominum: declaret quoque uita & conuersatione, se meis credere dictis. Obserua, quod hæc dicitur, coram hominibus, apud Marcum 8. legitur, in generatione ista adultera, & peccatrice. Quod uerbum Euangelium annunciari oporteret, & quibus in lege, & prophetis identidem promissum fuerit, in omnes tamen impios pronuntiatum est: propterea que noster Euangelista simpliciter posuit, coram hominibus.

## Confitebor &amp; ego eum, coram patre meo.

Confessionem nostram apud homines opponit confessioni suæ apud patrem: unde ingenuè & constanter contentibus seipsam apud homines, pollicetur beneficium ingens, & præstantissimum, quod uidelicet hos, pro suis uelit agnoscere coram patre cœlesti. Nam quid aliud esse uidetur, confitebor & ego eum, &c. nisi, agnoscam & ego eum pro meo? Quos autem & quando agniturus est coram patre? Verè Christianos, & Christianæ pietatis confessores pro suis habet: in iudicio coram patre, & omnibus angelis confitebitur illos, & suos agnosceret, ut illis reddatur corona iustitiæ.

## Qui est in cœlis.

Quasi dicat, coram quo sunt cœlestia gaudia, longè maiora omnibus terrestribus tripudiis. Non solum coram patre cœlesti, sed etiam, ut Marc. 8. Et filius hominis confitebitur, cum uenerit in gloria patris sui, cum angelis sanctis, Luc. 12. Et filius hominis confitebitur coram angelis Dei. Quid quæso gloriosius, manifeste dici, audiriue potest, quàm hoc elogium audire, quo Iesus Christus, æterni Dei filius, uerè Christianum confitetur in conspectu patris, & in corona omnium angelorum, consessu item omnium patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, denique in cœtu uniuersæ creaturæ, & sanctorum omnium, & hunc pro fidei ministro agnosceret, & eius fidem, confessionem ingenuam, uirtutem, constantiam, uigilias, & diligentiam toti creaturæ prædicat? Si prædicari à filio regis coram rege, homine terreno, gloriosum uidetur, quantò gloriosius iudicabitur, cum id fiet à Christo, Deo & homine, coram Deo, & sanctis eius? Habet igitur hæc confessio sua hæc commoda. In primis uerè Christianus tantam nominis sui gloriam consequitur, ut ea superet omnium huius seculi regum amplitudinem, & maiestatem. Ad hæc, quem Christus commendat patri, cum pater in filium adoptat. Pater enim (inquit Ioannes) diligit filium, & omnia dedit illi in manu. Hæc est autem uoluntas Christi, ut omnes, qui credunt in ipsum, & contententur ipsum ex fide per charitatem operante, adoptentur in filios Dei. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri: id est, ut liceret eis, filios Dei fieri. Quare quem Christus Deo patri comen-

Preclarum uirtutis & beatitudinis sanctorum testimonium à Christo.

Verè confessio de Christo, quæ amplius sunt præmia.

dauerit, is sine omni tergiversatione in filium Dei adoptatur. Tertio quem Christus commendat angelis, ei magna sollicitudine seruiunt angeli, psal. 33. ait immitteret (uel ut alius habet textus) immittitur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et ad Hebr. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis? Postremo, quem Deus adoptat in filium, is summam, & perpetuam salutem consequitur. Quare manifestum est, quod qui confitetur Christum, & uicissim commendatur Deo patri per Christum, summam habeat salutem. Vnde Paulus, Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc sunt, pie lector, confessionis Christianæ præmia.

## Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo &amp; ego eum coram patre meo, qui est in cœlis.

Comminatio est ab antithesi, in eos, qui metu crucis deterriti, tacent ueritatem, ostendens supplicia & pericula, quæ ferent post hanc uitam illi, qui metu crucis negabunt ueritatem. Qui negauerit me, id est, personam, doctrinam meam, fidem in me, negabo, &c. Id est, nisi hic negator ductus fuerit poenitentia, non erit particeps uitæ æternæ, neque consortij angelorum in cœlo. Quid æquius dici potest, quàm eum seruum à Domino tempore gloriæ suæ negari, qui herum suum negauerit tempore belli? Variè abnegatur Christus, & fides Euangelij. Primo quidem simpliciter, cum nec ipsum pro uerò Deo, & homine, nec pro nostro saluatore, iustificatore, & redemptore, neque ipsius doctrinam, pro ueritatis doctrina, agnoscamus: imò illius nos & piget, & pudet, idque uel ex malitia & contemptu, uel ex trepidatione aliqua, & metu pudendo. Ex contemptu & malitia abnegauit Iesum Christum impius rex Iulianus: ex metu diuus Apostolus Petrus. Hodie ex malitia negant Dominum Turcæ & Iudæi, non ignorantes Euangelij mysteria. Ex pauore negant, qui metu mortis, tormentorum, exilij & proscriptionis, postulati à magistratu, negant se Euangelij studiosos esse.

## Nolite arbitrari, quia uenerim pacem mittere in terram:

## Non ueni pacem mittere, sed gladium.

Hactenus uariè differuit, quomodo sit ferenda crux, nunc singulari occupatione anteuerit cogitationes Apostolorum, ne, quia uident propter ueritatem oriri dissidia, tumultus, persecutiones, scandalizentur, aut suspectam habeant doctrinam Euangelij, quasi interurbatricem communis pacis, & tranquillitatis. Insuperat certè animis Apostolorum, ex carnali Iudæorum interpretatione expectatio copiosissimæ pacis, sub futuro Messia, quam conceperant ex dictis prophetarum, qui de regno Christi prophetantes, maximam futuram pacem, cum aduentu Messias, uaticinati fuerat. Vnde Apostoli, audientes Christum Dominum, tot cruce & pericula prædicentem & pollicentem, obstupuerunt. Siquidem poterant hæc cogitare, Quid audiimus? Qualia nobis prædicis? Nihil audiimus, præter calamitates, omnium odia in nos, fulminum, & malorum immisionem contra ueritatis prædicatores. Longè alia te duce fore sperabamus, hoc est, tranquilla, prosperrima, & pacatissima. His cogitationibus Apostolorum medetur Christus, ostendens necessitatem dissidiorum, tumultuum, & persecutionum, præsentem Euangelio: Et quàm uerè de ipso prædixerat Simeon, Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. Ait ergo nunc Dominus: Nolite arbitrari, &c. Quod dicendi genus uchemens est, & urget non mediocriter: perinde atque cum dicimus, Nolo unquam speres, aut unquam uel in animum inducas, id aliquando futurum, quod expectas. Id enim sonat oratio. Nullo modo, & nullo unquam tempore, id consequeris, quod speras. Ita Dominus, Nolo quisquā meorum (inquit) putet me ideo ue-

Christus quomodo abnegatur.

Pax summa in terra, expectata tempore Messias.



Pax mundi. nisse, ut talem in terris pacem seram, hoc est, talem inter homines concordiam faciam, qualem optat mundus, securam, supinam, uoluptuariam, luxuriosam: & qua pulchrè conueniat animis iisdem morbis uitiisque laborantibus. Certè Christus neque peccati minister est, neque scelerum patronus, & propagator. Hoc ut significantius explicaret, subiungit, Non ueni pacem mittere, sed gladium. Est reuera Christus, princeps pacis: & regnum Christi, regnum pacis. Pacem enim dat suis, pacem suis relinquit: sed pacem, quam dare nequit, imò quam odit, & execratur mundus. Est enim Christi pax, pax conscientiarum, qua benè nobis cum Deo conuenit, quem credimus propter Christum nobis poenitentibus esse placatum, atque idcirco ambulamus in præceptis eius, fugimus, & execramur mundanas concupiscentias, conuenimus cum bonis omnibus & dissentimus à prauis, ac peruersis. Christus est pax perpetua, non desinit, non rumpitur, eius non erit finis. Est mūdāna, siue terrestris pax, quæ mundum in maligno positum respicit, de quo scribitur, 1. Ioan. 2. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Pace ergo mundana consentiunt scortatores, ebrij, potores, lurcones, milites sanguinarij, ambitiosi, libidinosi, & quicumque æqualibus, similibusque impietatis delectantur studiis. Horum omnium turbator uenit Christus in mūdum, non missurus pacem, aut firmitus, arctiusque connexus, concordēs alioqui in studio uoluptatum, sed immissurus potius gladium uerbi Dei, quo corruptelæ illæ mundanæ amputentur & ad uiuum refecentur à malis boni. Chrysoctomus hunc locum interpretatus, ait, Præcipua, singularisque pax tunc præstatur, quando quod tabo uel sanie corruptum est, abscinditur, atque proicitur: quando factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur. Sic certè cælis terra coniungi potest. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conseruat facile, si, quod reduci ad sanitatem non potest, ceciderit, atque abiecerit, &c. Hactenus ille. Non contentus Dominus dixisse, se, non huc uenisse ad mittendam mundo pacem, quod significantius hoc dissidium, & diuisionem hanc explicaret, non bellum, sed gladium dixit, qui apud Lucam, 12. uocatur separatio. Gladio enim refecimus superuacua, & diuidimus, ac separamus, quæ nolumus coherere. Vnde Paulus ad Heb. 4. uim huius diuisionis, & separationis per uerbum Dei explicans, nomine gladij, & illius ad uerbum comparatione utitur. Viuus est (inquit) sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagumque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Duo itaque dicit hoc loco Christus. Primum, non putandum, quod huc uenerit missurus pacem. Secundum, quod uenit ad mittendum gladium, & dissidium. Non quod huius dissidij, & talium rerum malarum propria causa sit Christus, seu Euangelium, sed quod filij huius mundi, non ferentes cælestem, ac ueram pacem, omnia pacis & concordie uincula odio Christi, & propria malitia rumpant. Caro semper concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem Galat. 5. Hirmael semper persequitur Isaacum, & Esau Iacobum, Cain Abelum. Et quæ conuentio Christi cum Belial? 2. Corinth. 6. De hac pace uide, si iuuat, quæ scripsimus in eum locum Ioan. 14. Pacem meam do uobis. Euangelium enim, doctrina est, quam odit diabolus. Et Christus, persona est, cuius calcaneo insidiat serpens, Genes. 3. Huius igitur dissidij causæ remouendæ sunt ab Euangelio, & transferendæ in diabolum, osorem ueritatis, & in mundum, aduersantem, ex instinctu sui patris diaboli, ipsi ueritati. Adhæc Euangelium aduersatur mundo, nec probat rationem humanam in negotio pietatis: mundus uerò rationis iudicia in omnibus sequi uult. Hinc fit, quod dissidia, tumultus, & persequutiones oriātur. Rogabis: Quid faciendum est, cum uidemus talia fieri, & ad præsentiam Euangelij suboriri? Num poterit humanus animus à scandalo sibi temperare? Num poterit

Christus, turbator pacis mundanæ.

Gladius & separatio pro eodem.

Verbum Dei, gladius, & plusquam gladius.

Pax Christi, mundo odio fa.

Satan & mundus causam dederunt dissidio, exorto cum Euangelio.

terit non suspectam habere Euangelij doctrinam? Respondeo: Cum ad prædicationem Euangelij uidemus prodire dissidia, tumultus, & persequutiones, consolationem accipere debemus, hac Christi occupatione, Nolite arbitrari, scientes propter prædictas causas gladium necessariò ibi futurum, non pacem, supple, terrenam, ubi Euangelium præsens fuerit. Item huic scandalo opponendum est illud Petri in Act. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Id est, oportet maiorem respectum habere synceræ doctrinæ, quàm omnium dissidiorum, tumultuum, & persequutionum: modò nos, qui Euangelium prædicamus, nõ præbeamus tantis malis iustas occasiones. Obserua. Christus gladium hunc immittens, est instar medici, qui, dato pharmaco, totum corpus perturbat, dum malos humores excitat, ut bonos separet, ac extrudat, ne peruersa quiete, ac tranquillitate tandem omne corpus incipiat letaliter ægrotare, & planè mori. Quis quæso hanc perturbationem prudens damnarit, & nõ malit hac perturbatione corporis sanus fieri, quàm letali concordia peccatorum humorum perire? Rursus cum hanc, & sequenteis Christi sententias legis, obserua mirabilia paradoxa, quæ tota philosophorum schola neque intelligit, neque explicare potest: & tamen credenti sunt notissima, Pax est bellum, dissidium, tumultus, seditio, ignis, & gladius acutissimus. Non quod Christus, aut sermo eius, qui est pax, sit per se bellum, aut seditio, &c. sed aliorum, hoc est, malorum, uitio concitatur seditio. Quemadmodum pharmacum per se res est salutifera, sed interim in corpore mouet tumultum, dum consulit omnium membrorum tranquillitati. At enim felix est hoc dissidium, quod syncera prouehit, & putria refecat: felix gladius, qui noxias cupiditates omnes ab animo recidit.

Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.

Præcedentium etiologyam adducit, cum distributione, qua partitur Christus gladium, & dissectiones in suas species. Atque ut explicet, non fore vulgare dissidium, gladio spiritus excitandum, adducit coniunctissimos naturæ gradus, quos hic gladius tam anceps, & utrinque secans, separaturus erat. Nempè patrem, & filium: matrem, & filiam: socrum, & nurum. Parètum ergo, liberorum, & domesticorum appellatione, intelligit coniunctissimos quosque, qui etiam plus negotij faciunt agnatis suis, fidelibus, ut eos abstrahant à uerbo. His certè significatur, tantum fore Euangelij studium simul & odium, ut cognatissimi, illius gratia, à se inuicem sint dissensuri, nedum reliqui ciues, amici, & exteri. Quum itaque doctrina Euangelica diabolo & mundo sit res adedò inuisa, & tam ardēs sui studium requirat, ut oporteat illi humanos affectus, quantumuis impotentis, cedere: fieri non potest, quin magna dissidia inter coniunctissimos etiam exoriantur: dum & hi, qui mundum deamant, citius se uent in sibi charissimos, quàm uitia, quibus assueuerunt, relinquunt: & quos semel attingit ardor Euangelicæ charitatis, nullis affectibus patientur se auelli ab eo, quod cœperunt amplecti. Ergo cū filius Euangelium recipit, Christum recipit: ergo errores abiicit, & scelera fugit. Pater uerò adhuc his innexus, & corruptelæ mundi adhuc addictus, non potest non odisse filium, quem uidet secus esse animatum, ac diuersa sectari studia: augeturque ira, cum pater uidet filium obstinatè in suo instituto pergere, neque quicquam patri credere. En uides modum, pie lector, quo Euangelium patrem cum filio committit. Similem habes rationem in sequentibus iugis. Vnde huc res illa recidet, ut qui olim fuerint domestici, hoc est, amici intimi, coniunctissimique, porrò futuri sint longè inimicissimi, alienissimique. Obserua; non simpliciter dicit necessariū esse, ut filius à patre, filia à matre, & nurus à socru dirimantur: sed dum non conducunt, & impediunt salutem.

Mūdus non potest nõ odisse Euangelium.

Christianos non debere terret: scandalis ortis est Euangelio.

Christus, medicus.

Paradoxum, Pax est bellum.

Felix bellum.

Euangelij studium & odium.

Patrem à filio &c. quomodo separatur Christus.



## Et inimici hominis, domestici eius.

Communi hac sententia concludit, eò rem uenire, ut per prædicationem Euangelij infideles seiungendi sint à fidelibus: & fidelis filius, domesticus, inimicus fiat patri infideli: & filia fidelis, matri: & nurus, socru. Et ut uno, aut altero dicam uerbo, nullus est naturæ aut amicitiae nexus tam tenax, quem gladius uerbi non queat dirumpere, nullos tam domestica consuetudo fecit homini cõiunctissimos, quos per inimicitiam subitam non diuellat. Proinde piis magna opus erit prudentia & cautione, dum inter illos uersantur, apud quos nihil erit tutum: ut hinc maxime oporteat ad diuinum confugere auxilium. Huc enim sanctos periculosis, mis pressos temporibus uocauit Michæas, 7. cap. è quo sumptus est hic locus, sic dicens, Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui: quia filius contumeliæ facit patri, & filia confurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum, saluatorem meum: audiet me Deus meus. Hactenus Michæas. Ad hæc prophætæ uerba Dominus alludens, fortassis comonere uoluit auditores, ut cõsulerent scripturas propheticas, ex quibus deinceps consolationem, & spem acciperent, Roma. 15. idque maxime in maximis illis turbis postea ob Euangelium exortis. Potest & hic locus intelligi de conflictatione impiorum inter se. Dissidium enim, de quo hic fit mentio, est impiorum, & ab impiis ortum: aduersus quos hæc uerba diriguntur, Veni enim separare hominem, &c. Nam tamen pij ferant, ut à se dissideant alij, atque contra se infurgant, ipsi tamen bono malo perpetuò uincunt, neque infurgunt aduersus quenquam, quantum in ipsis est, pacem habentes cum omnibus hominibus, Roma. 12. Impij autem pios persequuntur, & in mortem tradunt, ut paulò antè diximus. Pij autem pro illis etiam anathema esse cum Paulo, Roma. 9. exoptant, Colligamus ex superioribus, Christum positum fuisse in ruinam, & in resurrectionem multorum. Luc. 2. Hoc est, piis pacem afferre, & impiis gladium & turbationem, eò quòd hi impatientes sint ueritatis, nolentes ferre iudicium spiritus, arguentis ipsos de peccato, iustitia, & iudicio. Nolunt sua damnari. Vnde excacati, seditiones commouent ad opprimendū Christum, concitant alios aduersus ueritatem, ne uictrix ueritate ipsi confundantur. Omnia, quæ loquitur populus iste, coniuratio est, Isa. 8. Fremunt, & conueniunt aduersus Christum Domini, Psal. 2. Sed Dominus irridet eos, & nihil proficiunt. Non est prudentia, & consilium contra Dominum, Prouerb. 21. Dominus dissipat cogitationem eorum, quoniam uanæ sunt. Et dissipat impios rex sapiens, Prouerb. 20.

**Qui amat patrem, aut matrem, plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me.**

Occupat Christus, ne, quia dixerat, Veni separare hominem aduersus patrem suum, &c. quis forsitan pietatem obtenderet, ac reuerentiam parentum præferret fidei, ac obedientiæ euangelicæ. Et, quemadmodum supra docuit, quis uerus sit timoris usus, ostendens seruilem timorem auocare à rectè obeundo munere prædicandi Euangelij: ita quia non minus auocat à rectitudine Euangelij peruersus amor, & affectus: docet quis sit rectus amoris usus, & in parentes affectus: qui facile corrumpitur, quòd gratificemur omnium facillimè illis, quos ardentius amamus: hoc est, nos illis placemus, & uoluntati illorum nos accommodamus, moremque illis gerimus, siue per fas hoc fiat, siue per nefas: ad eò nos excacat affectus ille carni annexus. Corrigit ergo hunc amoris affectum, non simpliciter, in quibusuis turpibus (quæ plerunque sectatur animalis homo) sed in gradu omnium honestissimo, nimirum inter consanguineos, & parentes, ut cum uinculum atctissimum nominat, in hoc comprehendat amantissima quæque, gloriam, hono-

Gladij uerbi  
efficacia.

Dissidiū ob  
Euangelij,  
impiorū est,  
& ab impiis  
ortum.

Christus rui  
næ fuit & re-  
surrectioni  
multis.

Impij quare  
ringunt ad-  
uersus pios.

Affectus car-  
nis, quantum  
Tyrannus.

res, amicos, necessarios, parentes, liberos, uxores, opes, & quicquid nobis extrinsecus euenit. Hæc proculdubiò sunt, quæ maxime impediunt uerbi profectum, & à uerbo ab Euangelij amore suapte natura dimouent. Qui amat (inquit) patrem aut matrem, &c. id est, quod Luc. 14. dicitur. Si quis uenit ad me (id est, credit in me) & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Id est, qui ad Christum accedit, abneget semetipsum: id est, parentes, amicos, & omnia huius mundi bona gloriæ Christi postponat, & propter Christum, ut stercora, habeat. Neque hic iubet Christus simpliciter & absolute contemnere parentes, sed cum conditione addita, plusquam me, qua admittit (contra Anabaptistas, qui putant hodie Christianū esse non posse, nisi qui relicta domo, uxore, ac liberis aufugerit: quasi duo contraria sint, amare Christum, & uxorem, ac liberos habere, & curare) amorem parentum, & liberorum. Qua in re summo studio cauendum est, ne priorem tabulam preposteram faciamus. Conditionem ergo addit, ueluti si res ita se tulerit, ut uel Deus, uel parentes sint deserendi, nequeant autem utrique retineri: hic potior nobis esse debet religio diuina, quàm pietas in parentes. Non tamen, cum deseritur pater, est asperè spernendus, sed blandè, reuerentèrque monendus, ut non repugnet Deo. Atque ita cum cæteris agendum est quibus ex natura, morèque ciuili debemus officium humanitatis, & obedientiæ. Proinde Christus non abrogat naturæ legem, quam perficit. Danda profectò est opera modis omnibus, ne per nos Christi discipulos, quantum in nobis erit, turbetur communis reipublicæ status: & ne desimus officio, quod filius patri, quod filia matri, quod frater fratri, quod maritus uxori, quod affinis affini, quod amicus amico, quod familiaris familiari debet ex lege naturæ. Ergo in omnibus obtèperandum est publicis magistratibus, nisi cum præscribunt impia. Tum enim oportet Deo magis, quàm hominibus obedire. Nec tamen sunt conuitiis irritandi, sed sobriè reddenda est ratio, cur magis debeat obtemperare omnium principi Deo, quàm humana potestati. Porro hic locus aperit, quàm non uulgatè sui amorem Christus exigit, sed planè summum, & qui nos totos in ipsum rapiat, paratos etià, pro eius gloria non solum parentes, & omnia bona relinquere, sed sanguinem etiam & uitam propriam profunderè, alioqui nequimus illius ueri discipuli dici. Neque hoc insolens uideri debet, quandoquidem & id ipsum in ueteri testamento exatè præstitumque esse legimus. Moses enim, Exod. 32. dicit, Si quis est Domini, iungatur mihi. Hæc dicit Dominus, &c. Occidat unusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Mosi. Non absum ille factum legimus Num. 25. ubi ait Moses, Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et Deuter. 13. Si tibi uoluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, uel filia, &c. clam dicens: eamus, & seruiamus diis alienis, &c. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum, sed statim interficies, &c. Cum hæc occurrat tibi legenda in ueteri testamento, ubi non tam aperta erat Dei cognitio, quid mirum si hic supremus amor in nouo testamento requiratur? quanquam hic locus non exigit, ut occidas dissentientes parentes, uel liberos, sed ut illos Christo non præponas, uerum posthabeas. Singularem hinc amorem docuit, & exhibuit Abrahamus, filium immolaturus. Colligamus ex superioribus, quenque nostrum se talem debere parentibus exhibere, ut neque deserturus eos, neque neglecturus sit, nisi unius Christi Domini ac saluatoris gratia, quem omnibus præferre, & præponere debet.

**Non est me dignus.**

Quemadmodū nemo uel in militiam adscribitur, uel in cõmunionem ciuitatis admittitur, uel in seruitutem conducitur, uel in discipulatum officij assumitur,

Bb ij

Parentum cõ-  
tempnū qua-  
tenus permit-  
tit Christus.  
Aduersus A-  
nabaptistas.

Parentes nõ  
cum asperita-  
te aut contem-  
ptu deserendi.

Christianus  
ne sit publicæ  
paciæ turbator.

Amari se iu-  
bet Christus,  
sed plusquàm  
omnia.

Etiã in uete-  
re testamēto  
patres licuit  
odisse, nõ ob-  
sequentes le-  
gi.

Nihil neque  
odisse neque  
amare licet,  
nisi propter  
Christum.



nisi præscriptis antea paſtorum conditionibus, quibus unusquisque suæ uocationis officium cognoscat. Ita Christus leges discipulis suis præscribit, è quibus facile intelligant rationem regni Christi, quas si receperint, agnoscent se uerè eius esse discipulos. Primo (inquit) loco statuo: quòd quicumque uoluerit esse discipulus meus, necesse habebit omnem huius seculi felicitatem odisse. Felicitatis est, habere parentes, uxorem, fratres, & sorores quibuscum iucundam agas uitam, habere denique uitam ipsam corporalem, qua commodis huius mundi utaris. Iam autem ego propono hanc legem, ut omnem hanc felicitatem odio prosequatur. Vbi aduerte odisse hoc loco non est mala animi inuidentiæ parentes, fratres, uxorem, & liberos prosequi, non est, malis eos afficere, non est, conuitiis proscindere, aut trucidare: sed est ita erga hos affectum esse, ut Christum filium Dei super omnia diligas: ac propter parentes, liberos, uxorem, fratres, aut etiam conseruandam uitam corporalem, à Christo non deficias, Christum, ac Euangelium eius non abneges, nec alioqui aduersus uerbum Dei pecces. Omnino enim parces honorandi sunt, & uxor diligenda, & liberi. Præterea uita corporalis non est ita contemnenda, ut exponas eam temerè extremis periculis, aut, ut tibi ipsi uim inferas: sed super omnia: Christus diligendus, & sectandus est. Habes huiusmodi sancti odij exemplum in Abrahamo. Hic unigenitum habuit filium Isaac: quem præcipiebat Deus, ut in holocaustum offerret. Aliò uocabat Abrahamum charitas erga unicum filium, etiam in senectute habitum. Quid fecit Abraham in hac concertatione præcepti diuini & paternæ pietatis? Abraham maluit crudelis in filium uideri, quam Domino Deo suo inobediens esse. Quod dicit, non est me dignus, exponit Luc. 14. cum dicit, non potest meus esse discipulus, id est, non potest me dignè sequi, nõ est idoneus auditor scholæ meæ. Nam nemo duobus Dominis seruire potest aquali seruitio.

Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me: nõ est me dignus.

Posteriorem adducit legem, quam proponit acceptandam, & excipiendam, ei qui uolet germanus, ac uerus esse ipsius discipulus. Et qui non accipit, &c. Quasi dicat. Apud uos statuite, & persuasum habetote, neminè prorsus idoneu esse meæ philosophiæ discipulũ, nisi qui semetipsum prorsus euacuat & abnegat, adeoque totũ se cruci & morti consecrat, imitatus me ipsum, quem uidet contempta hac uitæ temporaria contendere ad æternam. Aut qui non accipit crucem suam, id est, qui detrectat crucem ferre propter ueritatem, aut qui negligit ueritatẽ ex metu crucis. Et sequitur me, meo exemplo ueritatem confitendo, & ferendo crucem propter ueritatem, non potest me dignè sequi. Non dicit simpliciter accipiendam esse crucem, sed, cuique suam. Est profectò crux cuiusque propria, quicquid Dominus causa Euangelij ferendum dispensauit. Nec satis est ferre crucem, nisi & sequamur Christum, qui accepta sua cruce nos præcessit. Aspiciendus est dux, & sequendus. Sequamini (inquit Petrus) uestigia eius. Ad Hebr. 12. Aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusionè contempta. Nihil maledicti in uia crucis, quòd per Dominum uitæ & gloriæ sanctificata sit. Respondebit quispiam, Horrendum est audire has duas leges, quis potest eas tolerare? An non est hoc potius à Christi discipulatu deterrere, quam ad ipsum inuitare? Durum quippe est huiusmodi in parentes affectus (quos natura nobis penitus inseuit) uincere, & exuere. Deinde, ut, qui uelit germanus esse discipulus Christi, non polliceatur sibi externam, & corporalem in hoc seculo felicitatem; sed suam ipsius crucem baiulet. Respondeo. Heroas requirit Euangelij professio, forteis, ac masculos, qui que nullis affectibus dimoueantur à cœlesti negotio. Hanc uiam Christum ingressum uides, eadem ipsum sequaris oportet, si uelis haberi in numero discipulorum Christi. Ad hæc si de his iuxta carnalem sen-

Leges discipulis à Christo præscriptæ.

Odisse parentes, uirã, &c. quid.

Sancti odij exempla.

Dignum esse christo, quid.

Crucem suã accipere, q. d.

Sequi Christum.

Crux cuiusque sua.

In cruce nihil horredũ.

Heroas requirit Euangelium.

sum iudicaueris, fateor leges illas durissimas esse. Sed si consideres, quis eas proponat, & quid promissionum adiciat, & quid beneficiorum uicissim reddat, ibi tum tantum abest, tibi ut sint duræ, ut etiam fiant iucundissimæ. Nam ad priorem legem pertinet ea promissio infra 19. cap. scripta, Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, uel sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Quid hac promissione liberalius? centuplum nunc in tempore hoc, & post hanc uitam, æternam felicitatem accipere? Ad posteriorem legem pertinet promissio scripta, Ioannis 16. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego uici mundum. Et tamen Christus non semper adiuuet afflictos externo, & uisibili auxilio, afflictionibus tamen eorum (qui in ipsum credunt) ita afficitur, ut quia ipse uicit mundum, mutet etiam afflictiones piorum, in summam ipsorum salutem. Vnde Paulus Roma. 8. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et ibidem, Sci mus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Porro hoc tantum beneficium non percipitur quidem externo sensu in hoc seculo, fide autẽ iuncta charitate non solum cognoscitur, uerum etiam, aliqua ex parte (ut ita dicam) intus palpatur, & per Spiritum sentitur, donec futurum seculum reueletur: tunc enim, quod ex parte est euacuabitur. Et quod nunc credimus, re ipsa perpetuò sentiemus. Cum enim ille apparuerit, 1. Ioan. 3. similes ei erimus. & Philipp. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori charitatis suæ.

Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Pergit Christus confirmare discipulos, ne animo concidant, & ab Euangelio deficiant: uigetque sensum, ac sensum à rebus dilectissimis, donec ad omnium rerum charissimam peruenit, quæ est hæc ipsa uita, quæ seruari non potest æterna, nisi postponatur Euangelio, manifestè indicans, uitam his amitti rationibus, quibus mundus retinere contendit: teneri uerò iis, quibus putat deperdi. Qui deserto Euangelio, & abnegato Christo placauit iudicẽ, effugit carceres, uitauit crucem, & mortem euasit, quum uideatur hominibus lucrifecisse uitam, uerè iacturam uitæ fecit, quam reuera perdidit, cum indignationem summi Dei incurrit, exciditque uita cœlesti, & incidit in mortem æternã. Rursus, qui constanter adhæret Christo, & intrepidè Euangelicam confitetur ueritatem, & propter hanc fortiter sese periculis omnibus, ac mortibus obicit, & occumbit, uidetur hominibus subire uitæ dispendium, & interiisse, cum is demum uerè uitam lucrifecerit. Nam is, ut Christi manibus ipsam commendauit. Ita uerè illam inueniet, id est, solida cum felicitate possidebit. Quisquis enim propter Christum, & salutare eius Euangelium cœditur, in æternum seruatur. Quod Christo committimus, & pro eius nomine expendimus, putat mundus perditum: sed certi sumus nos omnia ab illo in futuro seculo recepturos. Est enim potentissimus, & fidissimus omnium. Cum itaque simus alioqui amissuri omnia, omninoque perdituri, etiam si nihil planè nomine Christi impenderimus: certè & stulti, & insani fuerimus, nisi nos nostraque omnia pro Euangelio contradiderimus, & commendauerimus Christo, custodi fidelissimo, apud quem, tantum abest, ut quicquã nostrum pereat, ut id ipsum etiam cum fenore recepturi simus. Ad hanc spem thesauri conseruandi apud Christum hortatur Petrus. 1. Pet. 1. Regenerauit nos (inquit) in spem uiuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis: in uobis, qui in ueritate Dei cu-

De afflictionibus afflictur suorum.

Vitam mundus iis artibus amittit, quibus retinere nititur.

Mortuò mundo, uiuere incipit Christo.

In Christo omnia possidemus, recipimus & retinemus.



flodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tēpore nouissimo. Obserua: tropo scripturæ, inuenire animam significat hic uelle seruare animam, & esse alienum à cruce, ac detrectare crucem. Perdet eam, id est, non poterit me sequi, & carebit futura illa uita, ac gloria æterna. Nam si simul cum Christo crucē tulerimus, unā quoque cum illo glorificabimur, ad Roma. 8. Rifu planè dignum in rebus ciuilibus uideretur, si quis uellet eorundem præmiorum particeps esse, qui non esset eiusdem fortunæ socius. 2. ad Timoth. 2. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Et qui perdiderit animam suam, id est, se, suaque omnia morti, & periculis exposuerit, propter me, id est, causa Euangelij: hoc est, qui propter nomen meum non detrectauerit crucem, seu qui pro ueritate aliquid passus fuerit: inueniet eam, id est, habebit futuram uitam, & gloriam, recipiet, nempe glorificationē, & gaudium. Obserua: non dixit simpliciter, qui perdiderit animam suam, sed addidit, propter me. Nam crucifigitur, & moritur latro: similiter & seipsum strangulās, moritur, sed non propter Christum. Innumeros reperias, qui uitam suam (prò dolor) pauculæ pecuniæ gratia ueniam exponant, ne pedem quidem pro Christi gloria moturi. Rursus non paucos offendas, qui eam sibiipsis quoque, aut laqueo, aut submersione, aut præcipitio in æternum perdituri auferant. Et pauci sunt, qui eam Christo non dubitent impendere, in æternum recepturi. Sunt rursus pauci, qui uitam suam, ne Christi quidem gratia sustinerent amittere, illam perditē amantes. Offenduntur tot deplorati homines, qui tanta leuitate uitam suam proiciant, perditē, illam odio habentes. Rogemus ergò Deum, ut det nobis uitam nostram uerē, & legitime amare, uerē, ac rectē odio habere, hoc est ut nos totos ipsi cōseruamus, & conseruandos committamus. Colligamus ex superioribus, hunc locum nos admonere, eos carituros æterna gloria, ac uita, qui in hac terra detrectant ueritatis nomine crucem. Quare si quis uitam suam uerē diligit, consecret eam Christo, impendat eam illius uoluntati, paratus amittere eam, si ita tulerit ipsius uoluntas. Hoc quisquis fecerit, uitam seruabit, siue per tyrannos illi hāc auferatur, siue non auferatur.

#### Qui recipit uos, me recipit.

Suos consolandi gratia occupat, annectens superioribus promissiones, quibus benedictionem, & præmia promittit tam illis, qui ministri uerbi idonei & digni fuerint, quā illis, qui omnibus aliis piis benefecerint. Discipulis suboriri fortassis poterant hæc cogitationes, si uerbum Dei prædicātes, reiciimur, ab omnibus odio habemur, ab omnibus explodimur, imò ita ad mortem petimur, ut putetur obsequium præstari Deo, si quā atrocissime occidamur: nemo erit, qui testum, & uictum suppeditet, quod ab omnibus odio habiti, etiam à parentibus, cognatis, affinibus, & amicis destituemur. Huic morbo mederi, & antidotum aduersus hoc scandalum afferre uolens, ait, Qui recipit uos, &c. Quasi dicat, potestas, qua donamini, dotes item, quibus uos instruo uestraque synceritas parabit uobis ubique domos, parentes, filios, cognatos, & amicos. Tot enim habebitis fratres, ac filios, quot habebitis discipulos. Atque ut nunquam defuturi sunt, qui uos persequantur & aspernentur, ita nunquam non erunt qui uos sincero refocillent affectu. Ut ut igitur insaniat mundus contra uos, qui cum uos perdidisse uideretur, seruauit, pergendum est in confessione, & prædicatione ueritatis. Satis hospitalitatis, & uictus suppeditabit uocatio prædicationis. Cuius ministri quanquam sunt contemptæ personæ, tamen illarum dignitas magna est propter Christum præceptorem, & Deum patrem, qui misit Christum. Consolatur igitur illos, ac si diceret, Quantumlibet mundo futuri sitis odio, atque omnium reiectamenta habendi, tanti tamen mihi, patri, atque electis omnibus futuri estis, ut qui uos receperit, &

Vita fusa alter, quā propter Christum, mortem parit, & animam perdit. Erga uitam suam uarij uarij afficiuntur.

Vita nostrā quomodo peruenire retineamus.

Inuenire animam, aut perdere, quid.

uerbis uestris fidem habuerit, & uobis beneficia impēderit, me recepturus sit. Hoc loco recipere est profugos, & exules aut afflictos propter ueritatem, hospitio dignari, illis benefacere, & iuxta hospitalitatis beneficentiam pacificè tractare. Vos (inquit) id est, qui habetis uerbum meum, qui estis membra mea, qui uersamini in cruce propter nomē meū. Cum dicit, me recipit, inuitat ad omnia charitatis opera exercenda, ut piis beneficiamus: idque ab æqualium spe præmiorum, quod non minus fecerit, nec minus præmij accipiet, qui piis charitatis operibus inferuerit, quā qui simul cultum, aut Christo, aut Deo patri præstiterit. Christus his uerbis, curam omnem suis lenit & eximit, ac ipsis magnam cōciliat autoritatem apud homines propter uerbum Dei, ut uidelicet ipsi cum doctrina sua promptius, faciliusque recipiantur.

#### Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.

Gradatio est, qua transit Christus ab effectibus ad effectum, donec peruenit ad causam, hoc est à discipulis ad se præceptorem, & à se ad patrem, qui misit illum. Est huius gradationis sensus simplex. Charitatis opera in pios afflictos & egentes propter ueritatem, sunt Deo gratissima: eaque Deus non minoribus præmiis reponere uult, ac si sibiipsi fierent. Peccant igitur nō vulgariter, qui prædicatores, & legatos Iesu Christi aspernantur, repellunt, & affligunt. Nam redundat ea contumelia in illum, qui legatum misit, quemadmodum is, qui recipit legatum, eum recepisse dicitur, qui legatum misit. Communi enim sensu uerum, & indubitatum habetur, in misso recipi eum qui misit. Iam si Christus in suis legatis & Apostolis recipitur, ergo & pater in Christo, patris legato, recipitur. Recipientur ergo in Apostolis & pater & filius, & contemptis Apostolis contemnentur & pater & filius. At grauissimum est in huius incidere manus ultrices: contra plenissimum est suauissimis fructibus, uita, & omni bonitate, Christum benedictum Dei filium saluatorem mundi recipere, & in pectoribus nostris inhabitantem habere. Hac igitur gradatione colligitur, Deum ipsum toties contemni, quoties eius ministri contemnuntur. Propter hæc Paulus Galatis congratulatur, 4. cap. Testimonium enim perhibeo uobis, quia si fieri posset oculos uestris eruissetis, & dedissetis mihi, & paulò antè, Non me respuestis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. 1. Thessal. 1. Cum accepissetis à nobis uerbum auditus Dei, accepistis illud, non ut uerbum hominum, sed, sicut est, uerè uerbum Dei, qui operatur in uobis, qui credidistis. Et 2. ad Corinth. 5. Pro Christo ergo legationem fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obscramus pro Christo reconciliamini Deo. Singularis igitur, & excellens est hæc ministerij uerbi Dei dignitas, cum apertissime audiamus, ministros legatione Christi fungi, imò Deū, & ipsum Christum hortari, & rogare homines, per ora, ac uerba ministrorum. Quare non est præcipue spectanda ministri persona inter docendum, sed ipse potius Dominus, cuius uerba proferuntur. Nā quanuis homo sit qui loquitur, interim tamen Christus, & sua esse, qua dicuntur, & pro suis agnosci uult. Vnde signanter dicit, recipit uos, nos inquam, Apostolos utique meos, & meum uerbum ex ore, & spiritu meo proferentes: & Apostolorum similes, ueritatis doctores, non impostores, non audaces, non mercatores, non uerbum Dei cauponantes. Non enim hos mittit Dominus, sed auaritia, libido, & affectus corruptus. Colligamus ex superioribus, Christum commendare autoritatem & dignitatem suorū, & obiter præcipere, ut Euangelium ex sua dignitate, non ex personis contemptis iudicemus. Quæ quanquam sunt contemptæ coram mundo, tamen magna est illorum dignitas coram Christo præceptore, & Deo patre, qui illorum curam agunt.

Qui recipit prophetā in noīe prophetæ, mercedē prophetæ accipiet. Christus ornat, & copiosè exponit præmium eorum, qui legatos suos hospitali-

Recipere, quid.

Ministri uerbi præmij feret, qui uerbum ministrū receperit.

In misso recipitur qui misit.

Homo loquitur, Deus suggerit. Ministri uerbi, legati Christi.



tate, & beneficentia dignabuntur, idque studiosè, & consultò facit, ut maiorem apud homines gratiam suis ministris concilieret. Et ad quos paulò antè, in genere prophetarum dixit, vos nunc per distributivam distribuit in personas. Est propheta, qui per revelationem docet alios in Ecclesia, uir profectò diuinus, Dei minister, peritus mysterij regni Dei, doctor Euangelij, ac gratiæ Christi. Qui recipit prophetam, non quia homo consanguineus, aut amicus est: sed in nomine prophetæ, hoc est, quia uenit ut propheta, minister Dei, & præco regni Christi, à quo mysterium regni Dei audire, ut in gratiam cū Deo redeat, & hæres beatæ uitæ sit, cupit, is mercedem prophetæ accipiet, cū à propheta mercedem accipiet, quam ipse dare potest, nimirum institutionem in uerbo, quæ merces omnium copiosissima est: tum mercedem accipiet à Deo, quam promittit pro charitatis operibus, hinc corporale, & spiritalem benedictionem, & post hanc uitam, beatitudinem æternam. Proinde hic est sensus uerborum, & promissionis Domini. Quicumque uerbi præconem, & prædicatorem recipit, & eo quidem animo, & sine recipit, quia minister est mysteriorum Christi, ideòque ab ipso discere cupit mysteria regni Dei, is haud dubiè intelliget negotium salutis: atque pro temporaria beneficentia, & hospitalitate, quam propter Christum in ministrum Christi confert, particeps fiet omnium bonorum, ac meritorum illius prophetæ, & accipiet bona in cælis nunquam peritura. Pronuntiabit enim Dominus, cū uenerit in maiestate sua: Situi, & deditis mihi potum, &c. Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi, &c. Apertè declarat hic locus, mercedem, & præmia reddi bonis operibus. Quæ quia à gratia præueniente, & informante (ut ita dicam) sunt, dicuntur meritoria, non ex dignitate operum nostrorum in se, sed ex illis cum fide, & Dei gratia coniunctis, per quæ, ex Dei bonitate ita nobiscum paciscentes, etiam & salutem mereri dicuntur. Et hæc est secunda iustificatio, qua iam iustificatus, iustior fit: hoc est, qua iam accepta fide, in iustitia proficior. Et iam, per fidè uiuam gratis iustificatus, rursus iustificor, id est, amplius iustus efficior. De hac mentio fit Apocal. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, sanctus sanctificetur adhuc. Legito, si iuuat, quæ de his copiosius scripsimus in primo cap. ad Roma. in dictione Iustificatio. De promissa mercede bonis operibus, scribit diuus Augustinus, epistola. 105. ad Sixtum presbyterum contra Pelagianos. Item de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum, cap. 6. & 7. & plerisque aliis locis.

Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

Diuus Hieronymus arbitratur hæc appendicè apposita, ueluti superioris sententiæ exegesis. Quia enim Dominus dixerat, Qui prophetam recipit, &c. ne quis intelligeret, quosuis, sese prophetarum nomine uenditantiū, promiscuè audiendos esse, ut excluderet pseudopphetas, adiecit: Et qui recipit iustum, & uerum prophetam, iustitiam omnem in Christo docentem, iustificabitur certè per Christum. Quid si prophetæ figuram gerat, opere autem non idem præstet, tūque ut prophetam susceperis? Certè operam non perdidisti: Deus enim quasi iustum suscepisses, tibi retribuet, eò quòd audieris ex confessione, cum esse amatorem uerbi, & credideris iustum. Hic animus, quo illum ut talem (licet talis non esset) excepisti, gratus est Domino. Mercedem (ait Hieronymus) non perdunt suscipientes: licet indignus fuerit, qui susceptus sit. Mercedem iusti accipiet, primò à persona iusti, cuius conuersatione potest fieri eruditior in uerbo: deinde à Deo, cui receptio iusti est opus gratissimum.

Et quicumque potum dederit.

Occupat Christus, ne quis prætexat paupertatem, dicens se non posse abundè dare prædicatoribus, quòd res angusta illi sit domi, aut ne credant minima opera

charitatis in pios, non esse grata Deo. Habent & hæc uerba mirabilem amplificationem, qua docetur, quàm cumulatè redditurus sit hominibus Dominus, si quid beneuolentiæ, beneficentiæque in ipsius contulerint ministros. Dicit ergo, Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ. Quasi dicat, Nihil est, quòd doleas. si propter inopiam non possis magna dare: si nihil præter aquam frigidam ad cõfolandum prædicatorem habueris, & hanc bono animo obtuleris, gratum feceris opus Deo. Arbitror certè eum, qui se usque ad frigidam offerendam demittit, nihil præter hanc habens, quo se compatientè pio ostendat, non reiici, sed gratum esse Domino, qui in opere ipso præcipuè animi intentionem respicit. Exemplo erit pauperula illa uidua, quæ in gazophylacium minutum æs proiciens, plus proiecisse dicitur, sententia Domini, quàm quotquot diuites erant. Certè uidua illa facta, magna gratia Dominus remuneratur. Pauzilla per charitatè facta, magna gratia Dominus remuneratur.

Uultusque ait Paulus. 2. Corinth. 9. prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Non eò hæc scribo, quasi regna, & Luculli uel Crassi opes illis dari flagitem, sed ut moncam id saltem his tribuere, quod Iesus Christus omnium Dominus hoc loco submonuit, & post hunc Paulus, 1. Corinth. 9. Si nos uobis spiritalia seminauimus, magnum est, si nos carnalia uestra metamus? Rogabis: quantū prædicatoribus uerbi, & pauperibus Christianis impendendum est? Respondeo: pietas, gratitudo, modestia, ac humanitas, ipsa, denique æquitas syncera facillè suggeret, quantum cuique sit pendendum.

Vni ex minimis istis.

Valde emphaticè pronuntiandum est. Sunt enim hæc uerba, ueluti quædam exaggeratio ad augendum consolationem, qua asserit hæc, quæ dicta sunt, non solum ad Apostolos, & prædicatorem hospites, seu præconum uerbi receptores pertinere, sed & ad minimum quenque suorum: ita ut mercedem sit habiturus, non solum qui Apostolos, sed etiam, qui unum ex pusillis suis receperit: infr. 25. Quicumque uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.

Calicem aquæ frigidæ.

Periphrasis est tenuis & minuti operis, quod etiam bono ac pio animo exhibitum fidei, gratissimum est Deo.

Tantum.

Quasi dicat, & si ex necessitate amplius, aut plus dare non potest, tamen acceptum est Deo, qui pro hac beneficentia, tenui quidem in speciem, sed magna ex intentione, & diuite fide distribuentis, amplissimam reddet mercedem.

In nomine discipuli.

Omittit Euangelista correlatiuū, ipsum scilicet præceptorem Christum. Correlatiuè enim dicuntur præceptor & discipulus. In nomine discipuli, id est, quem ex confessione audit esse discipulum, siue eò quòd nominatur discipulus.

Amen dico uobis.

Quia parum admodum credibile uidebatur, propterea quòd nihil magni fecisse putatur, qui potum aquæ frigidæ (qui bestiis quoque dari solet) dederit, iuramentum addit Christus promissioni, ne dubitemus de mercede beneficentiæ, ut ut minutæ, etiam nihil sumptus facientis, tamen in afflictos Christi discipulos collocatæ.

Non perdet mercedem suam.

Non ait, recipiet, sed non perdet, ut nostræ pusillanimitatis cogitationi occurrat, qua putamus (ad eò infirmi sumus) Deum respicere magis magnitudinem ope

Propheta  
dixit, vos  
nunc per  
distributivam  
distribuit  
in personas.  
Est propheta,  
qui per  
reuelationem  
docet alios  
in Ecclesia,  
uir profectò  
diuinus, Dei  
minister, peritus  
mysterij regni  
Dei, doctor  
Euangelij, ac  
gratiæ Christi.  
Qui recipit  
prophetam,  
non quia homo  
consanguineus,  
aut amicus est:  
sed in nomine  
prophetæ, hoc  
est, quia uenit  
ut propheta,  
minister Dei,  
& præco regni  
Christi, à quo  
mysterium regni  
Dei audire, ut  
in gratiam cū  
Deo redeat, &  
hæres beatæ  
uitæ sit, cupit,  
is mercedem  
prophetæ accipiet,  
cū à propheta  
mercedem accipiet,  
quam ipse dare  
potest, nimirum  
institutionem  
in uerbo, quæ  
merces omnium  
copiosissima est:  
tum mercedem  
accipiet à Deo,  
quam promittit  
pro charitatis  
operibus, hinc  
corporale, &  
spiritalem benedictionem,  
& post hanc uitam,  
beatitudinem æternam.  
Proinde hic est  
sensus uerborum,  
& promissionis  
Domini. Quicumque  
uerbi præconem,  
& prædicatorem  
recipit, & eo  
quidem animo,  
& sine recipit,  
quia minister est  
mysteriorum  
Christi, ideòque  
ab ipso discere  
cupit mysteria  
regni Dei, is  
haud dubiè  
intelliget negotium  
salutis: atque  
pro temporaria  
beneficentia, &  
hospitalitate,  
quam propter  
Christum in  
ministrum Christi  
confert, particeps  
fiet omnium bonorum,  
ac meritorum  
illius prophetæ,  
& accipiet bona  
in cælis nunquam  
peritura. Pronuntiabit  
enim Dominus,  
cū uenerit in  
maiestate sua:  
Situi, & deditis  
mihi potum, &c.  
Quod uni ex  
minimis istis  
fecistis, mihi  
fecistis. Matth. 25.  
Venite benedicti  
patris mei, possidete  
paratum uobis  
regnum à constitutione  
mundi, &c. Apertè  
declarat hic locus,  
mercedem, &  
præmia reddi  
bonis operibus.  
Quæ quia à gratia  
præueniente, &  
informante (ut ita  
dicam) sunt, dicuntur  
meritoria, non ex  
dignitate operum  
nostrorum in se, sed  
ex illis cum fide, &  
Dei gratia coniunctis,  
per quæ, ex Dei  
bonitate ita nobiscum  
paciscentes, etiam &  
salutem mereri dicuntur.  
Et hæc est secunda  
iustificatio, qua iam  
iustificatus, iustior  
fit: hoc est, qua iam  
accepta fide, in  
iustitia proficior. Et  
iam, per fidè uiuam  
gratis iustificatus,  
rursus iustificor, id  
est, amplius iustus  
efficior. De hac mentio  
fit Apocal. 22. Qui  
iustus est, iustificetur  
adhuc, sanctus  
sanctificetur adhuc.  
Legito, si iuuat,  
quæ de his copiosius  
scripsimus in primo  
cap. ad Roma. in  
dictione Iustificatio.  
De promissa mercede  
bonis operibus,  
scribit diuus Augustinus,  
epistola. 105. ad Sixtum  
presbyterum contra  
Pelagianos. Item de  
gratia, & libero arbitrio  
ad Valentinum, cap. 6.  
& 7. & plerisque aliis  
locis.

Mercedem  
prophetæ accipere.

Bona opera  
quomodo  
meritoria.  
Iustificatio  
duplex.

Benè quod  
fit, peric  
nunciam.

Exempla  
pusillæ  
clementiæ,  
magna  
mercede  
honoratæ.

Libenter &  
pro facultate  
& fortunis  
dandum  
egregis.

Hominis  
tenuis &  
egeni  
cor magni  
uolū  
Domini  
pro magno  
habere &  
probat.



ris externi, quàm piam, & studiosam intentionem, ac fidem uiuam: & pro paruis operibus nihil mercedis fore apud Deum, si quid tale collocauerimus in afflictos Christi discipulos, quod nihil magni sumptus habet.

Et factum est cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis.

Verba sunt Euangelistæ Matthæi, qui, ueluti epologo, repetit, quæ hætenus scripsit hoc capite. Quasi dicat: Hætenus quidem præcepta recensui, quæ Dominus suis de propagando regno spiritali tradidit. Porro enarrabo, quæ post ista sunt gesta. Lucas 10. cap. præter ablegationem duodecim, memorat Christum mandasse septuaginta alios, quos binos miserit ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse uenturus. His eadem mandata dedit, ut nihil uideatur iis, quæ dicta sunt, adiuuendum.

Transiit inde, ut doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.

Redit Euangelista ad id, quod cœperat narrare in fine noni capituli. Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum. Facit hoc ad commendandum circuitum Christi, & prædicandi, sanandique studium ac diligentiam. Et factum est, cum fecisset finem mandandi duodecim Apostolis, transiit inde, à loco Iudææ (in quo tum uersabatur, quum præciperet discipulis) ut doceret, &, pro id est, prædicaret, altera uox, altera uoce declaratur. Aut, ut doceret colloquiis priuatis, & prædicaret palàm ac publicè. Hic docemur, quàm non fuerit Christus otio & quieti deditus, qui tamen si plureis ad prædicandum ablegasset, tamen ipse nihilominus pergit & docere & prædicare.

Christus nihil minus, quàm otio elâguit.

## CONCILIATIO I.

Qui sit, quod Matthæus hoc loco, & Lucas 10. cap. scribunt quædam prohibita esse à Christo, quæ Marcus concessa esse commemorat? Quandoquidem Matthæus & Lucas scribunt, neque uirgâ: Marcus uerò è contrario dicit, nisi uirgam tantum. Rursus Matthæus dicit, Neque calceamenta: Marcus uerò, sed calceatos sandaliis. Ad hanc controuersiam quid respondendum est? Imò & ad factum Christi, huic prædicationi collatum? Et ad Paulum, & Petrum? Nam Dominus binis tunicis tectus fuisse legitur, Ioan. 19. cap. Item quæstorem ararium habuisse dicitur Iudam, Ioan. 13. Paulus & pallium, & succinctorium possedit, ut est notum ex Actis Apostolorum, & Epistolis eius. Sæctus Petrus sandaliis usus est, ut scribitur, Act. 12. Præterea possessio iusta, & moderatus usus rerum externarum nullibi prohiberi leguntur. Quomodo igitur hæc conueniunt cum enumeratis hoc loco, Nolite possidere aurum, &c. Diuus Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 30. ita respondere uidetur, ut eadem dictio in hoc Euangelista sine figura, in altero figuratè sit accipienda. Ad hunc scilicet modum, ut baculus apud Matthæum & Lucam sit purè baculus: apud Marcum sit potestas, per baculum siue uirgam figuratè designata. Ac si diceret Christus, Nihil ad iter uobiscum nec magnum, nec paruum sumatis, sed tantum uirgam, id est, potestatem istam (quam uobis tribuo) prædicandi, & sanandi, qua fiet, ut affatim, & abundè omnia sint ad futura. Similiter sanctus ille doctor intelligit Matthæum de calceamentis ueris loquutum: Marcum uerò de mysticis, nempe quibus significetur, nec Euangelium tegendum, nec terrenis fidendum: propterea quod sandalia supernè pedem non tegant, infernè tellurem nudè contingere nõ permittant. Huius sancti uiri sententia cum honore excipienda est. Non pigebit tamen, exercendi ingenij gratia aliam subscribere non contrariam. Quod Matthæus & Lucas de uirga scribunt, intelligi potest de baculo, qui à uiatoribus quibusdã ad defensionem gestari solet, qualis est, quem à nuntiis portari uidemus. In Marco uerò intelligitur baculus siue

Consensus Euangelistarum.

Virga siue Baculus pro potestate.

Sandalia siue calceamenta mysticè quid.

uirga, quæ ad sustentationem à uiatore sumitur, sed ad defensionem inepta: ita ut & baculus, & calcei præcipiantur simpliciter, & externè. Primò, ut alacres accingantur itineri, id quod significatur per baculi sumptionem, & calceorum inductio nem. Nam qui in procinctu stant, & iam ipsum iter ingressuri sunt, baculum tollunt. Rursus, qui calceos induunt pedibus, profectioi sese quasi dedicant. Unde de factum est, ut uirgam tollere, & sandaliis calceari Dominus apud Marcum profuerit pro eo, quod est, expedite ad iter accingi. Secundò, ut contenti sint paupertate, significata per baculum, seu uirgam, & sandalia. Atque id moris fuisse legitur patriarchis, & prophetis, quod talcis uirgas gestauerint. Est enim huiusmodi uirga, signum pauperum, & nudorum. Unde Iacob, iam diues factus, dicebat, Genes. 32. Cum baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabusturmis regredior. Similiter & Moses, Exodi 4. & Helisæus. Hoc sine dubio est, quod eadem sæpè docuit Christus, deinde etiam diuersis figuris alio, & alio tempore. Ideo non pugnant baculus prohibitus in illo loco & tempore, & idem præceptus hoc loco & tempore: cum diuersa sit ratio, & tamen eadem sententia. Quia utrobique damnat studium auaritiæ in ministris suis, ita, ut nec baculum quidem permittat auaritiæ & cupiditatis causa: & rursus solum baculum admittit ferendum, sed contra auaritiam. Sic eadem sententia diuersis figuris docetur, ut sæpè aliàs. Nam alibi docet relinquere patrem, & matrè: & tamen uituperat eos, qui patrem, & matrem non honorarent prætextu sacrificij, & doni, infra, 15. capit. Hæc aperte ostendunt, quamobrem uoluerit Christus suos, omni terreno splendore destitutos, ad præconium regni sui emittere. Nempe quod præter omne decorum fuisset, si, qui cœlesti splendore conspicui, & diuitiarum cœlestium distributores erant, rebus terrenis & caducis inhiassent, ueluti illas cœlestibus coniuncturi. Quod autem obiectum est de tunicis Christi, pallio Pauli, & sandaliis Petri, non habet locum aduersus Christi præceptionem, quæ ad Apostolos duntaxat pertinuit, & fuit temporaria, quemadmodum & illa, In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum: cum tamen postea in uniuersum orbem ad omnem creaturam eos miserit. Unde in his præceptis studiosè obseruandum est, quod tamen illud externum de non tollendis pecunia, pera, baculo, & id genus aliis apparamentis itinerariis, & de aditu ad genteis, & Samaritanos, fuerit temporarium, & neque ad nos, neque nostra tempora pertineat, imò neque ea Christus seruauit, neque postea Apostoli extra istam perfectionem: præceptionis tamen illius nucleus perpetuò gustandus, & ratio omnibus seruanda uenit. Ratio igitur uerborum Christi siue apud Matthæum siue Marcum est, quod nihil diffidendum est omnibus, qui fideliter regno Dei seruiunt, quin abundè omnia illis suppedientur: perinde ac si diceret Christus, nolite possidere, &c. hoc est, Nolo uos esse sollicitos, quomodo paretis uobis uictum, & amictum, aliisque ad hanc functionem sustinendam necessaria, nolo, ut istarum rerum cura anxia uos impediatur, & remoretur: Unde à Matthæo scriptum legitur μή κτίνετε, id est, ne acquiratis, quod magis significat parare, quàm possidere, siue magis sonat studium acquirendi, quæ non habentur, quàm præsentium possessionem. Nam & Marcus ait. 6. ca. Et præcepit eis, ne quid tulerit in uia. Et Lucas, ne quid tuleritis in uia. Ad iungitur mox causa planè euidentis, & clara. Nam dignus est operarius cibo suo, siue mercede sua, hoc est, præmio laboris, quod merenti penditur.

Calceamenta & uirgâ quæ gestari à suis præcepit Christus.

Baculus siue uirga, & Sandalia, gestamina pauperum.

Eadem semper docuit Christus, sed pro tempore diuersis figuris adumbrata.

Rerum externarum contentum suis præcipit imperat Christus.

Præcepta quædam Christi, temporaria.

## CONCILIATIO II.

Videtur multum esse pugnantie inter hunc locum. Qui me confitebitur coram hominibus, &c. Et eum qui legitur supra. 7. cap. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas proicere ante porcos. Respondeo. Nihil disidij inter hos locos offendes si diligenter sensum, & scopum illorum prospexeris. Hic enim locus hortatur, ne timor humanus auocet nos à confessione ueritatis, sed ut intrepidè, con-



temptis etiam hominum probis, Christum confiteamur. Septimo capite non dicit, Nolite doctrinam uestram, &c. sed, sanctum dare canibus. Per sanctum pulchre eos admoneans, quam religiose debeant administrare mysteria regni caelorum: qua cura, diligentia, & reuerentia regni Dei sancta, & margaritas dispensare: quomodo non sint haec quibuslibet proicienda, nec indignis communicanda. Vnde non dubium est, quin illic Christus (ut pro more habet) Phariseos, & id genus hominum notet, ut quibus nihil sit communicandum de mysteriis regni caelestis, eod quod illa non solum non agniti sint, aut latiri, sed & conculcaturi, illiusque assertores persecuturi, & laceraturi, nimirum qui omnino affectibus sint, & carnalissimis, nihil caelestia curantes, & mordacissimis, nempe ad lacerandum ueritatis assertores parati.

Doceri uult omnes Christus, sed non omnibus crediti mysteria regni.

CAPITIS VNDECIMI Epitome.

Christus Ioannis praeconia discipulis eius enuntiat: ciuitates, quae, uisus uirtutibus, poenitentiam negligunt, increpat, & poenitentes ad quietem inuitat.

CAPVT XI.

Prædicat Christus, ubi prædicauerat apostoli.

Ioannes Baptista mittit suos discipulos ad Christum ut sciret Messiam uenisse.



Testimonium Christi de Ioanne.

Malach. 3. a.

Luc. 16. d.

Lex & pphe-  
ta.  
Malach. 4.

Luc. 7. c.

FACTVM est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. Ioannes autem, cum audisset in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui uenturus es, an aliū expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes, renuntiate Ioanni quæ audistis, & uidistis. Cæci uident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis in desertum uidere? arundinē uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? prophetam? Etiam dico uobis & plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Amen dico uobis: non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo. A diebus autem Ioannis Baptistæ usque nunc, regnum caelorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Omnes enim prophetae, & lex, usque ad Ioanem prophetauerunt: & si uultis recipere, ipse est Elias, qui uenturus est. Qui habet auris audire, audiat. Cui autem similem existimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes, coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus uobis, & non saltaſtis: lamentauimus, &

a. In uinculis in carcere.  
b. Tu es, qui uenturus es.  
c. Audistis, & uidistis.  
d. Euangelizantur.  
e. Scandalizatus in me.  
f. Plusquam prophetam.  
g. Angelum.  
h. Coæqualibus.  
i. Lamentauimus, & non saltaſtis.

non

non planxistis. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: demonium habet. Venit filius hominis, manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo uorax, & potator uini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. Tunc coepit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ uirtutes eius, quia non egissent poenitentiam. Væ tibi Chorozaïm, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent uirtutes, quæ in uobis factæ sunt, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam uobis. Et tu Capharnaum, nunquid usque in caelum exaltaberis? Usque in infernum descendes: quia si Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ in te factæ sunt, fortè mansissent usque in hanc diem. Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi. In illo tempore, respondens Iesus dixit, Confiteor tibi Pater Domine caeli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.

k. Vorax edax.

l. Cilio facco.

m. in caelum exalta. &c. usque ad caelum exaltata.

n. Confiteor: gratias ago.

o. Placitum bonuolentis.

p. Reficiam recreabo, uel reficiam labo. q. Suauis, comodu, uel blandum.


Testimonium populi de Ioanne & Christo.

Exprobrat Christus ciuitatibus, quæ non crediderunt. Luc. 10. c.

Paruulis cognitum Euangelium. Luc. 10. d.

Iugum Christi. Hier. 6. a.

Et factum est, &c. Ioannes autem, cum audisset in uinculis opera Christi.



Vnc nouum euentum de Ioanne Baptista, suæ historię annectit Matthæus, & ueluti per digressionem in gratiam discipulorum eius, adducit, idque facit certis de causis. Prima est propter commendationem potentia: suam enim potentiam, ut confirmaret Christus, tam discipulis ipsius Ioannis, quam turbæ, sequutus est hic euentus. Secunda est, propter necessitatem, nempe ut Christum, & eius officia cognoscamus, quæ nunquam uerè, & cum fructu intelliguntur, nisi potentia præcesserit. Præcipuus enim gradus accessus ad Christum est, sui abnegatio. Tertia est, ut ex ipso Christi responso, discipulis Ioannis factis, intelligamus, unde, & quibus ex rebus agnoscendus sit Christus, & ad quos potissimum spectent officia Christi, Nimirum ad discipulos Ioannis, hoc est, ad homines, poenitentia conterritos, ut inde consolationem accipiant, & in conscientis confirmentur. Porro cum audis Ioannem, magnum prophetam, in uincula coniectum, memineris, quàm hæc congruant cum superioribus, in quibus de regno Dei prædicando, & ministris predicationis tractatum est. Cum audisset, supple, à discipulis suis, Ioannes opera Christi, id est, filium uiduæ suscitatum, Luc. 7. cap. Accepit autem omnis timor, & magnificabant Deum dicentes, Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus uisitauit plebem suam. Et exiit hic sermo in uniuersam Iudæam de eo, & omnè circa regionem. Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. De uinculis Ioannis infra 14. cap. dicemus.

Verè Christum agnoscere non potest, nisi qui reuerentia.



## Mittens duos de discipulis suis.

Quaquam superuacanea uideatur quæstio, ut quæ ad pietatem nihil faciat, an Ioannes nescierit Iesum, Christum fuisse, id est regem, & sacerdotem, & saluato- rem illum mundi, quem omnes sancti à condito orbe, cum desiderio eatenus expectarant, tamen non nihil torfit etiam sanctos patres. Diuus Ambrosius censet Ioannem ex nulla dubitatione, aut ignorantia, sed pio, & Christiano animo hanc quæstionem Christo proposuisse, quod magis etiam ipsius oraculo confirmaretur ipsius fides. Gregorius scribit eum de aduentu suo ad inferos rogasse, an nimirum etiam illic eius debeat esse præcurfor, quod certè parum proposito conuenit. Nam hæc uerba, Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus? apertè admodum de aduentu inter homines, quem solum præcipuè Iudei norant, loquuntur. Alioqui dicere oportuisset, an expectant illi apud inferos alium? Ad hæc cum Christus sua opera obiiciat, quibus nimirum probet, se aduenisse, satis patet de aduentu eius in carnem Ioannem rogasse, quippe cum ita Christus ipse intellexerit, atque de hoc aduentu responderit. Descendisse autem eum etiam ad inferos, ut in fidei symbolo expressum est, nemo fidelis inficiatur. Quare in confesso est, Ioannem haud ignorasse Iesum Christum aduenisse, ut quem baptizaret, testatúsque sit, agnum esse, qui peccata mundi tollat: denique uiderit Spiritum sanctum super eum sedentem, ac paternam uocem audierit, dicentem: Hic est filius meus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Nemo autem miretur, quod nihilominus rogauerit: hoc enim non sine urgente causa fecit. In primis agnosces, si singula expenderis, quod mittit Ioannes, discipulorum suorum causa, ad Christum, de quo nõdum sicut oportebat, sentiebant. Iam Ioannes non sibi, sed Christo discipulos collecturus uenerat, ut cui uiam parare debebat, & plebem perfectam. Discipuli autem Ioannis, quaquam de Christo, à suo magistro multa præclara audissent testimonia, ipsum agnum Dei, & dilectum filium esse, quem crescere oporteret, se uerò minui, adhuc non credebant, neque, quæ audiebant de Christo, capiebant. Vnde cū populo longè pluris Ioannem, quàm Christum faciebant, & Iesu inuidebant, uidentes eum & baptizare, & discipulos sibi adiungere, populúmque post se trahere, ut de hoc, magistro suo Ioanni quererentur, quemadmodum legitur, Ioan. 3. Duæ autem adducuntur causæ, propter quas tam malignè de Iesu opinantes, omnia magistro suo Ioanni tribuerent. Prior est, quod nondum fama Iesu cognita erat, nullú adhuc ediderat Iesus celebre miraculum: sed solus Ioannes apud omnes in pretio erat, & in ore omnium uersabatur. Quare insolens eis uidebatur, quod Ioannes à se eos, & quoslibet ad alium mitteret, quum præter eum nemo in pretio esset. Altera, quod Christus contemptim adeò, & simpliciter uersaretur, pauperis fabri, & tenuis mulierculæ filius creditus, non ex genere sacerdotali, aut eruditorum, sed planè laicis, & ex vulgo opificum ortus. Ideo secundum faciem iudicantes, nõ poterant uidere, quomodo tam magnificum Ioannis testimonium de Iesu, competere posset in tam abiectam & contemptibilem personam. Atque licet uera dicere magistrum suum non dubitarent, tamen animo suo non poterant persuadere, huc tam pusillum Iesum, esse omnium instauratorem. Cogitabant apud se: fortassis alius quispiã est, de quo loquitur, eruditus in lege, sacerdos, aut magnificus, certè, ac gloriosus rex. Cùm igitur cœpisset Iesus signa edere, eòq; insigniori iã fama celebrari, tempestiuú arbitrabatur Domini præcurfor discipulos suos à se ad Iesum ablegare, (cui posthac adhererent) ut iam non solùm suo testimonio, sed ipsius quoque admirandis cùm uerbis, tum operibus, mouerentur ad ipsum suscipiendum: & ad agnoscendum, quod præter eum nullus esset Christus uenturus, & nequaquam necessarium esse, imò ne licere quidem, ut magnifica pompa, & seculari strepitu adueniat, ut cuius regnum non sit nisi spiritale, sed conuenire magis, ut cùm spiritali uirtute, & gratia regnum suum auspicetur, non unguis equorum

Ioannes an ignorarit Iesum esse Christum.

Ioannes quare misit discipulos suos ad Christum.

Ioanè Christo quare Iudæi præferrebant.

Christus rex spiritualis, nihil indiget pompa & strepitu mundi.

quatiat terram, & calcet pretiosos tapetes, sed ut suscitet magis mortuos, uisum redat cæcis, auditum surdis, & mala semel omnia profliget. Ista pompa hunc regem, & huiusmodi aduentus decebat, quem in minimo horum signorum, & operum æquare non possent summi reges, & quicumque in orbe doctissimi, & ditissimi sunt. Summa horum est. Mittit Ioannes discipulos suos ad Christum, ut reddantur certiores, & confirmentur à Christo. Siquidem prædicatio Ioannis ex se frigida est, quæ non nisi frigida facit pectora, & frigidos discipulos: qui ne frigore pereant, opus habent Christo calefactore, uiuificatore, redemptore, iustificatore, & confirmatore. Quem ut talem oportet credant, fide uiua, & sentiant, quotquot salui esse cupiunt. Proinde quemadmodum Christus interrogabat de Lazaro sepulcro (ait Hieronymus) ubi positus esset, ut qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, ut uiderent mortuum resurgentem. Sic & Ioannes, interficiendus ab Herode, discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem illi uidentes signa atque uirtutes, crederent in eum, & magistro interrogante sibi discerent. Hæc igitur est uerborum sententia: Cùm audisset, &c. Quali diceret, Auditis ipsi modò charissimi discipuli, huius Iesu (de quo uobis testatus sum, quod ipse sit Christus) magnifica opera, quorum sanè nullum tale à me, uel à patris editum unquam fuit. Deponite igitur falsissimam illam uestram opinionem, quod Christus cum seculi maiestate uenturus esset. Accedite ad eum, & ipsi interrogate: Tu es, qui, &c. Iam uidetis impleri, quod prædixi. Crescit enim, ego uerò imminuo, & obscuror. Mea finem accipient, quæ autem ille agit iam, & molitur, sine carebunt. Quare, & uos à me, ad illum debetis deficere, si uultis, quam apud me, ut autorem, frustra expectatis, consequi salutem. Hoc semper prædicaui, & modò opus est, ut mea monita sequamini. Ipse est, in quo uno omnes salutem, & benedictionem adsequemur. Cuiusmodi alij, ut saluatori, adhaeritis, in morte eritis, & maledictione. Obserua insignem Ioannis lenitatem, & mansuetudinẽ, quæ suos discipulos tam rudes, atque ægrè adeò suo ipsius testimonio fidem habentes, nequaquam repulit, aut increpuit duriter. Verùm tulit etiã fide infirmos, & fouit, donec confirmarentur. Rursus aduerte: Quod discipulos ad Christum mittit, admonemur omnes ad Christum esse ablegandos. Et quum uidemus Ioannem uidentem, & proximum morti, suorum salutem, & Christi gloriæ consulere, hoc exemplo admonemur, ut ad mortem usque, quæ regni Christi sunt, & quæ ad salutem eorum (qui nobis adherent) spectant, curemus.

## Ait illi.

Ioannes, sciens Iesum melius infirmitati, & morbo discipulorũ medicaturum, ait Christo per discipulos: hoc est, iubet discipulos ad hunc modum loqui, & interrogare Christum.

## Tu es qui uenturus es, an alium expectamus?

Lucas, 7. cap. ait, Cùm autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Ioannes Baptistæ misit nos ad te, dicens, Tu es qui uenturus es, &c. Videntur autem discipuli neque intellexisse, neque olfecisse consilium sui præceptoris, qui rogat de Messia, ut sui doceantur. Hac interrogazione alludit, uel ad prophetiam Iacob, Gene. 49. ubi ita uaticinatur Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Aut: donec ueniat Schilo, ut habet alia trãslatio. Et Schilo quidẽ Chaldæ? interpres simpliciter uertit Messias, alij fortunator, sospitator, ac felicitas. Alij (ut iacet ipsum postremũ mēbrum) Donec ueniat qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium. Prior uersio nostro magis instituto congruit. Exod. 4. Orat Moses Dominum mittentem se ad Pharaonem, atque dicentem: Perge igitur, & ego ero in ore tuo docebóque, quid loquaris. At ille, Obsecro Domine (inquit) mitte quem missurus es: quasi di-

Ioannis doctrina, Præparatoria tantum.

Ioannis Baptistæ lenitas, erga suos.

Vsq; ad mortem, quæ iusta sunt, agenda.

Scriptura, de uenturo & mittendo Christo testimonia. Schilo.



cat, Pollicitus es patribus nostris, missurum te ipsis redemptorem: quandoquidem ergo illum missurus es, nunc maximè opportunè tēpus fuerit ueritatē tuam confirmandi, mittendique filij tui in mundū. Ex his & similibus sacre scripturæ locis, Messias expectatus, ueritate à prophetis nominatus Patres uocauerunt Christum, siue Messiam sibi promissum, uenientem, uenturum, expectatum, expectationem gentium, desiderium gentium. Alludens ergo Ioannes ad hæc hac interrogatione uidetur ita proponere: Tū ne ille Messias es filius Dei, rex, & redemptor, quem omnes patres nostri expectarunt, credideruntque mittendum in mundum à Patre: an is non es, ut alium expectemus Messiam? Expectare. Expectare uocabulum spei est, certa fiducia expectantis promissum Christum. Accerrimè de hac quæstione inter Iudæos, & Christianos disceptatum est. Sed dimissis Iudæorum fabulosis inuentis, prolixis item, ac intricatis, & laboriosis illis concertationibus, audiamus à Ioanne per discipulos propositam quæstionem, An Christus Iesus, Mariæ virginis filius, sub Augusto Cæsare natus, & sub Tyberio reuelatus, crucifixus, mortuus, & sepultus, idēque resuscitatus, sit promissus & expectatus ille Messias, an post ipsum alius sit expectandus: Ad quæstionem respondet sequens textus.

Et respondens Iesus, dixit illis.

Cūm quæstionem proposuissent discipuli Ioannis, & responsum expectarent, non multo tempore suspensos detinet Dominus, sed euidentissima docendi, demonstrandique ratione illis satisfacit. Et tametsi illos non ignoraret inuidia, liuore, & multis scaterere erroribus, tamen ad quæstionem propositam, primū factis, deinde uerbis respondens, ipsos benignissimè recipit.

Euntes, renuntiate Ioanni, quæ audistis, & uidistis.

Post propositam quæstionem, & dum expectaretur quæstionis solutio, Christus in eadem hora, ut scribit Lucas 7. cap. multos curauit à morbis, plagis, ac spiritibus malis: & cæcis uisum, surdis auditum donauit. Deinde his mirabilibus, & irrefragabilibus præmissis, uerba adiecit, nō ignarus certius esse testimonium, quod à factis proficiscitur, quàm quod à uerbis, præsertim si quis ipse sit sibi testis. Validius testimonium à factis, quàm uerbis. Ait itaque: Euntes renuntiate, &c. Hoc responsum ita attemperatum est, ut manifestissimè uaticinij prophetalis commoneat. Quasi dicat, Nihil opus est, ut de me, qui sum, pronuntiem: nec arbitror multis uerbis aut proprio meo amplius opus esse testimonio. Quandoquidem ipsi testes estis rerum, quæ à me geruntur tantum ite, & renuntiate Ioanni, quæ uestris oculis uidistis, & quæ uestris auribus audistis. Iam in memoriam reuocate, quid Isaias, 35. & 61. de futuris Messia temporibus prædixit. Et quoniam hæc hodie palam per me impleri uidetis, colligite, & confirmemini me illum esse expectatum hætenus Messiam, nec alium post me expectandū. Maluit Christus factis, quàm uerbis, quæstioni satisfacere, quod à discipulis Ioannis, opera, non uerba, desiderabantur. Certè res arduas & graueis nō tantum uerbis, quantum uis euidentibus, sed factis potius illustribus, irrefragabilibusque demonstrare oportet: id quod Iesus manifestissimè fecit. Certè hoc loco Dominus alludit ad uaticinium Isaiæ, 35. cap. Deus ipse ueniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. Item, 61. quod etiam Luc. 4. reperitur, ac de Christo Domino nostro dictum, ac in eo completum esse manifestè asseritur, Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, &c. Proinde hic locus diligentissimè obseruandus est, quod doceat ueram, & præcipuam rationem eorum miraculorum, quæ Iesus Christus edidit. Miracula Christi quorum sum edidit. Nam præterquam quod miracula Christi priuatas quasdam utilitates continent, in hunc usum maximè omnium edita sunt, ut declarent, & testificentur, hunc

Iesum Mariæ filium, esse uerum Messiam, ac filium Dei. Et hunc miraculorum usum Christus ipse non tantum in hoc loco, uerum etiam multis aliis in locis commendat. Ioan. 5. Ego testimonium habeo, maius testimonio Ioanis. Opera enim, quæ dedit Pater, ut perficiam ea, ipsa inquam opera, quæ ego facio, testificantur de me, quod Pater miserit me. Et. 10. cap. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Et mox eodem capite, Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me, & ego in Patre. De hoc usu miraculorum, Christus Ioannes scribit cap. 20. Multa & alia signa fecit Iesus, &c. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est filius Dei: & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. Verus ergo, & legitimus usus miraculorum Christi est, ut nobis aperiant, quod Iesus, filius uirginis Mariæ, est Messias: & confirmet nos, quod cū credimus in Christum, habemus uitam, & felicitatem propter ipsum. Responsabis, An non, & propheta ediderunt miracula, & tamen non sunt Messia: Certè miracula sunt sigilla doctrinae. Prophetae miracula ediderunt, sed, ut ministri, & aliena uirtute: Christus uerò, ut autor, & propria uirtute. Vnde miracula, quæ ediderunt prophetae, confirmant uocationē ipsorum, uidelicet quod sint diuinitus in prophetas electi: & quod uaticinia eorum, de regno Israël, & futuro Messia, uera sint. Nunquā autem Elias, & Elifæus & alij docuerunt se esse Messias. Quare nec miracula, ab ipsis edita, tribuunt ipsis maiestatem Messia. Sic & miracula, quæ Iesus Christus edidit, probant, & confirmant uocationem, & doctrinam eius. Is autem docuit se ipsum esse Messiam, ex uaticinio Isaiæ iam adducto, Spiritus Domini super me, &c. Et, quum diceret, ego sum panis uitæ: Ego sum uia, ueritas, & uita: Ego sum resurrectio & uita. Et alia innumera, quibus significauit se uerum esse Messiam. Cū igitur miracula sint sigilla doctrinae, & Iesus docuerit se esse Christum: profectò confirmant etiam, & probant consequenter Iesum esse, uerum Christum, tot seculis expectatum. Ad hæc patriarchæ, & prophetae uaticinati sunt, quod eo tēpore, quo Iesus inter homines uitam egit, uenturus esset Messias. Hoc significauit Iacob Genes. 49. Nō auferetur sceptrum de Iuda, &c. Et Daniel suis hebdomadibus, quæ tempore Iesu cōpletæ sunt. Et sceptrum Iudæ abstulerat alienigena Herodes. Miracula igitur Iesu testantur, hunc ipsum esse Messiam, qui patriarchis promissus, & per prophetas prædicatus est. Obserua Christum hoc loco pulchrè reducere discipulos Ioannis, interrogantes de persona Messia, à persona ad ipsa officia, ne in persona hæreant, quæ sine officiis nihil prodest nobis. Rursus aduerte hoc responso Christi nos commoneri quid sit, unde Christus uelit cognosci, nimirum ex uerbo & eius effectis. Audire, ad uerbum respicit: uidere, ad miracula effectus uerbi.

Cæci uident.

Aliquot miraculorum farraginem adducit, è quibus facilè cognoscitur, Messiam adesse. Hæc enim Christi miracula, & officia prædixit Isaias 61. cap. ubi duo obseruanda sunt: infirmitas, quæ est occasio officiorum Christi, & tam ad animum, quàm ad corpus referri potest. Et effectus, qui sequitur Christum exercentem suum officium. Nam cæcitas, infirmitas est, & occasio Christo ad exercendum suum officium. Visio reddita est effectus Christi, suum officium exercentis. Hæc miracula fuerunt aperta gloriæ Christi testimonia. Vnde ob has mirificas sanationes, turbae demirabantur. Restituit igitur uisum cæcis. Hoc si quis ad allegoriam transferre uoluerit, nihil fuerit aberratum, cū sit consuetudo scripturarum, ut capiant, per cæcos, non cognoscentes ueritatem. Et tum hi, cæci uident, dum spiritus Christi munere ueritatem agnoscunt.

Cc iij

Verus usus miraculorum Christi.

Miracula, sigilla doctrinae.

Miracula edita à prophetis nō arguebant eos esse Messias.

Miracula Christi cum cæteris, Christi esse Messiam confirmabant.

Christus nihil nobis pro fuisset otiosus? Christus unde uelit agnoscere.

Cæci, à uero alieni.



## Claudi ambulant.

**Claudi, qui.** Pergens Christus probare se esse à patre missum mundo, claudis reddit gradiendi, & ambulandi facultatem. Allegoricè claudi sunt, qui carnis desyderia sequuntur. Sed ambulant dum ab obliquis carnis gressibus expiati, secundum rectissima Domini iussa gradiuntur.

## Leprosi mundantur.

**Christus leprosum gen<sup>o</sup> humanum suo sanguine purgavit. Miracula sua Christus in morte perfecit.** Leprosos decem, & plerosque alios à lepra curauit. Mundaturus uenit genus humanum à lepra peccati. Ad lepræ purgationem non mediocriter confert pueri, & innocentis sanguis. Christi uerè innocētis (in quo non est macula) sanguis nos lauat à quauis lepra animæ. Obserua: miraculorū operatio, initiū est eorū operum, quæ Christo dedit Pater, ut perficiat ea, Ioan. 4. Rogabis: quādo perfecit? Respōdeo. In morte & resurrectione sua, quando mortem nostram moriēdo destruxit, & uitam resurgendo reparauit. Ita ut iam non moriatur, mors illi ultra non dominabitur, Roma. 6. Et dato Spiritu sancto perficit illa opera. Dono enim fidei uiuæ, rectè ambulamus, audimus, à peccatis resurgimus, à lepra peccati mundamur: & pauperes facti spiritu, omnium ditissimi sumus, & euangelizamur.

## Surdi audiunt.

**Surdi Deo, qui.** Alio miraculo confirmat Isaiæ vaticinium, & manifestat Messiam præsentem esse. Surdis restituit auditum. Allegoricè scriptura intelligit per surdos, eos, qui audire nolunt, & quibus non placent eloquia Dei: qui audire dicuntur, dum ueritati credunt, & acquiescunt. In quem sensum accipitur illud Isaiæ. 29. Et audient surdi in illo die uerba libri.

## Mortui resurgunt.

**Mortui.** Commendant nobis hæc miracula potentiam Christi, ostenduntque eum (dum talia in carne operatur) esse, qui mittendus erat. Ipse enim est qui mortificat, & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit, 1. Reg. 2. Mortuos dicit, & corpore & animo. Et hi opera & clementia Christi resurgunt è peccatis uiui, & à temporali etiam morte.

## Pauperes Euangelizantur.

**Pauperibus annūciari & offerri afferrique Euangeliū, quāmagnum sit.** Alludit ad uerba prophetæ, Isa. 61. narrata, Luc. 4. Euangelizare pauperibus misit me. Hoc scilicet Euangelium pauperibus prædicari, omnium maximum, & optimum: post alia omnia, nimirū cæcos uidere, surdos audire, &c. ponitur. Quæ certè leuia sunt, si huic, quod est, Euangelium pauperibus annūciari, contuleris. Quandoquidem idem sonat, atque quod pauperibus annūciatur diuina promissio, qua tibi, si in Christū credideris, omnis gratia, & consolatio in Christo promittitur, & offertur, ac planè proponitur. Nempè tibi sicut oportet credenti, omnia peccata esse remissa, lex impleta, est conscientia liberata, &, ut summatim dicam, uita æterna donata. Quod certè longè maius, meliùsque beneficium est, quàm uisum oculis, & auditū auribus restitui. Quid (amabo) queat cor afflictum, & perturbata conscientia audire lætius? Quomodo queat hominis pectus reddi animosius, ac confidentius, quàm huiusmodi latis, tam solida consolatione, & opulentissimis promissionibus refertis, uerbis? Peccatum, mors, gehenna, Satanas, mundus, & mala omnia non pilo æstimantur, ubi cor contritum, & afflictum tantam diuinæ promissionis consolationē perceperit, & senserit, ac crediderit. Obseruandum, quod dicit, pauperes Euangelizantur, id est, pauperes lætum accipiunt Euangelij nuntium, quasi id solis pauperibus annūciatur, quum oportuerit tamè in uniuerso orbe omnibus creaturis, Marc. ultimo, prædicari. Vnde profectò liquet, hinc Christum haud quaquam loqui de pauperibus illis mēdicis, quibus nulla, aut perparca est res familiaris: sed de pauperibus spiritu, hoc est, qui nō cupiūt, aut amant hunc mundum, & non adherent animo bonis præsentibus: ut pote, qui

ita contrito, & afflicto corde sunt, ac ob cōscientiæ propriæ occultos cruciatus, ita desyderant iis per Dei fauorem, & gratiam liberari, tamque ardentibus uotis ad peccatorum remissionem obtinendam anhelant, ut nulla apud eos opum, nominis, aut cuiusuis rei externæ ratio habeatur: nihil aliud cupientes, uel quærentes, quàm, si possint, propitium habere Deum. Atque hæc demum illa uera, spiritua-  
lisque paupertas est, quam hic Dominus significauit. Hi illi pauperes, quibus prædicatio Euangelij, id quod est, sapit: quam ubi audiunt, transferri sibi uidentur ex inferno in cælum, ex morte transponi in uitam æternam. Proinde licet toti orbi, Euangelū annūtiatur, hi tamen, hoc est pauperes spiritu, soli sunt, qui illud amplectuntur. Et nemo diuitum illud percipit, neque quisquam percipere potest, nisi antea pauper spiritu euaserit. In nullis enim uerbum Christi fructus suos profert, nisi primū pauperes spiritu fiant. Quemadmodum supra. 9. cap. ait, Nō ueni uocare iustos, sed peccatores: cum tamè omneis uocet. Sed uocatio eius est huiusmodi, ut soli peccatores eam possint amplecti, oporteatque planè peccatorem fieri, hoc est se peccatorem agnoscere, & seipsum abnegare, quicumque uolet illam amplecti. Id quod nolebant facere Pharisei, qui iustos, & diuites sese arbitrabantur. Ideo turgidi manentes, à Dei illa uocatione, & Euangelio excluduntur. Pauperes autem spiritu, & qui seipsos agnoscunt peccatores, uocationem sequuntur, & recipiunt Euangelium. Quò fit, ut toti orbi sanctissimè prædicetur, quòd Deus solum humilibus dat gratiam. Huc pertinet, quòd Christus in hoc cap. sanctissimè orabat, Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

## Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Pulchrè finem suo responso faciens, addit epiphonema quòd subtaxat inuidiam discipulorum Ioannis, qui sola ducti humana ratione, scandalizabantur ciuili, & humili Christi conuersatione: adeò iuxta mundum sibi aduersabantur humillima hæc Christi conditio, & magnificum de Christo Ioānis testimonium, ut nulla sanè ratione potuerint à natura coniungi: Nam neque Christum, neque doctrinam eius potest quispiam agnoscere, nisi ad id fuerit è Spiritu sancto illustratus. Tota scriptura Christo ferebat testimonium, ut difficile potuerit, si quis hanc consulerit, ignorari. Rursus cōsiderata Christi humillima cōditione, & paupertate, nihil minus potuit, quàm à natura, & ratione humana cognosci: que uisa tāta abiectione, apud se dicebat, Quid illū Christū esse? Regē illum celsissimū, cui Ioannes indignus sit corrigiā soluere calcamenti? que equidē haud dignū ducere qui mihi meos calceos extingeret. Quare nō vulgaris est gratia, in Christo nō offendī. Alius contemnit Christū, quia non uidet ipsum, cum æterna maiestate regnare. Alius reiicit Euangelū Christi, quia uidet illud potentissimorū & sapientissimorum hominū persequutioni patere. Alius fastidit opera ciuilis uocationis illius. Sed incredula caro sibi ipsi hæc offendicula fingit. Nam, quòd ad maiestatem Christi attinet, regnat quidem ille in summa, & omnipotēti maiestate, tam in cœlo, quàm in terra. Dedit enim illi Deus nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine eius, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorū. Sed interim affirmat ipse Christum, regnum suum non esse de hoc mundo. Et Petrus Act. 3. dicit, Iesum oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Dominus per os sanctorum suorum à seculo prophetarum. Significat igitur Dominus hoc epiphonemate, Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, tantundem, atque si diceret, Beatus, qui crediderit in me. Et non tantum testari uoluit, se esse Messiam, saluatorem mundi, sed adiciere insuper, quomodo mundo salutaris sit futurus, nempè si in ipsum credamus, & non offendamur eius humilitate, exinanitione, incarnatione, & cruce. Hoc item uerbo alludit ad uer-

Pauperū felicitium affectus uerè diuines.

Verbū Christi solis pauperibus spiritu, utile.

Solis peccatoribus uenit Christus.

Humilib<sup>9</sup> tantum gratia Dei exposita.

Christus humilis, haud facile à mundo cognosci potuit.

Caro sibi ipsi somnia fingit, ne agnoscat Christū.

Non scandalizari in christo, & credere Christo, eadem.



ba prophetarum, uaticinantium, plurimos Christi temporibus futuros, qui sint in hunc lapidem scandali grauius impacturi. Et ad id, quod iustus ille Simeon dixit, Ecce hic positus est in ruinam multorum. Beatus est, &c. ac si ita discipulis Ioannis responderet, Sentio quidem uos non nihil offendi, quod non exigam uitam meam in eremo, quod non tantam sanctitatis speciem præ me feram, quanta in præceptore uestro elucet: at enim beatus est, qui in me ita non offenditur, ut magis iudicet de me secundum testimonia, quæ mihi dat Dominus Deus meus per miracula, quàm secundum externam meam conuersationem, qua inter homines uersor, & dego. Quare si & uos sapitis, ac si uultis beati esse, abiicite præposterum uestrum iudicium: & sentite de me, quod miracula, & scripturæ testantur, non quod externus uitæ habitus solùm ostendit. In hac disputatione Christus duo egregia de se testimonia adducit, alterum miraculorum operum, alterum in declaratione scripturarum. Verè mirabilia testimonia hæc, & ideo scrutari ea debet anima nostra, psal. 118. Rogabis, cur Euangelium Christi tam atrocibus, & diris afflictionibus pateat? Respondeo: Nihil mirum uidebitur, si quis consideret ueritatem semper pessimè in hoc mundo audire: & Satanam mendacij patrem esse, & huius seculi principem, qui cum non possit ferre ueritatem, commouet omnes gentes aduersus Euangelium. Et Christus ipse hoc illum facturum affirmauit, Ego mitto (inquiens) uos sicut oues in medio luporum. Si ipsum Patrem familiars uocauerunt Beelzebub, quantò magis domesticos eius? Et, Non ueni ut mitterem pacem, sed gladiũ. Et alia innumera, his similia, quibus monemur, Euangelium de Iesu Christo, tantò magis uerum esse, quantò acrius ab hominibus huius seculi impugnatur. Proinde in Christo, & omnibus quæ ad Christum attinent, sensus carnis offenditur: ideo sensus Christi ad salutem necessarius est, de quo, 1. Corint. 2. Nos autem sensum Christi habemus. Neque enim potest non offendi caro, cum Christus positus sit in eius ruinam, & in signum, cui ab ea contradicatur. Quare quæso, Christus Iudæis factus est scandalum? eò quod ipsi neglecta doctrina, & officii Christi, à prophetis diligenter, ut certissimis signis præsentis Messias cõscriptis, ad personam exinanitam, & contemptam respexerunt. Gentibus autem factus est stultitia, quod gentes neglecta doctrina, & officii Christi, persona decepti, Christum pro stulto iudicauerunt, 1. Corinth. 1. Obserua: Cõmune est uitium inhiare personis, & negligere doctrinam, & officia. De duplici scandalo actiuo scilicet, quod dicto, uel facto præbet proximo occasionem ruine: & passiuo siue Pharisæico, quod propria accipitur malitia, alibi, & in Paulum, & in Ioannem diximus. Obserua: hoc loco Christus nos remittit ad testimonia scripturarũ de se, & aduentu suo. Commendantur enim opera, & miracula Christi prophetis testimoniis. Cur? Ne uidelicet extra scripturas, quæcunque de Christo suscipiamus. Vnde docet Augustinus discendum esse Christum in scripturis. Quare autem Christus discipulis Ioannis, potius operibus, quàm factis respondit? Respondeo: Facit, quod cum decet, qui de seipso testimonium dare possit. Deus enim est, quem magis decet opere, quàm uerbis testari. Quòd ad nos attinet, & ad confirmationem nostræ doctrinæ, nostrum non est, qui eam prædicamus, ut miraculis istis eam confirmemus. Christi hoc erat, qui his probauit se à Patre missum mundi saluatore. Quòd si hoc negotium nostrum esset, aut nostrum illud esse profiteremur, meritò à nobis miracula exigerentur. Cum uerò sumus ministri Christi, satis fuerit confirmatam illam de Christo doctrinam, purè, ac simpliciter proponere, & afferre Christi miracula, seu sigilla doctrinæ eius, qui dabit nobis uirtutem maiora operandi, si necesse fuerit. Ex superioribus colligimus responsionem planam, ad quæstionem propositam. An Christus Iesus Dominus noster, sit uerus Messias, an alium expectemus? Ostemus Iesum esse Christum, & post hunc, non alium esse expectandum. Reiectis igitur Iudæorum nugis, firmiter credamus Christum Iesum, esse salua-

Euangelium tot afflictionibus cur patet.

Euangelij ueritas ex atrocitate afflictionum in clarescit. Christi sensus necessarius. Christus Iudæis quare factus scandalum: Quare Gentibus stultitia. Scandalum duplex.

Christus agnoscendus in scripturis.

Deus pauciloquus, sed magnificus.

Miraculis in opus non est ad confirmatam doctrinam Euangelicam.

tozem, regem, & principem nostrum, quem propheta prædixerunt uenturum in mundum, qui & hoc uirtutis, fidei uiuæ dedit, ut fide in ipsum nobis salus, & omnes cœlestes thesauri per ipsum eundem parati, communicentur.

Illis autem abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.

Necessaria occupatione Ioannem commendat, ne turba, quæ istam discipulorum Ioannis legationem audierat, Tu es qui uenturus es, &c. posset ob id in sinistra illa de Ioanne opinione, & contemptu corroborari. Prædicat quidem laudes Ioannis Dominus, sed posteaquam recesserunt discipuli Ioannis: ut doceret nos cauere omnem adulationis suspicionem, & interim tamen neminem sua laude esse fradandum. Magna gloria est, si quis à bono & proba uiro commendatur: tamè hic etiam uiri boni, & probi falli, & fallere possunt. Quanta ergo gloria est, ab ipso Christo filio Dei, qui nec falli, nec fallere potest, commendari? Audiamus igitur attentè tantum encomiasten Ioannis. Est uerò in primis obseruandum, quòd, qui laudantur, solent partim à bonis fortunæ, partim à bonis corporis, partim à dotibus, & uirtutibus animi laudari. Sed non est magna apud probissimos ueros ratio earum laudum, quæ à bonis fortunæ, & corporis ducuntur. Quæ autem ducuntur à uirtutibus animi, hæc dæmum ueræ laudes putantur. Quare etiam Christus non commendat hoc loco Ioannem, à proceritate staturæ suæ, nec à nobilitate parentum ipsius, sed, quæ est uera laus, à dotibus animi. Et quum quatuor sint præcipua uirtutum animi genera, uidelicet fortitudo, iustitia, temperantia, & prudentia: ab his etiam singulis Christus Ioannem (audiente turba) commendat. Occupatione igitur Christus it obuiam suspicioni, ne turbæ suspicentur, Ioannem ideo misisse discipulos suos ad Christum, quasi dubitaret Ioannes ipse de sua ipsius doctrina. Christus ergo confirmat doctrinam Ioannis, & simul commendat personam, à constantia, & officio.

Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitata?

A iustitia, & fortitudine animi Christus Ioannem commendat. Suprà 3. cap. legimus, quòd longis, & laboriosis itineribus ad Ioannem in deserto prædicantem, egressa sit Ierosolyma, tota Iudæa, totaque regio undique finitima Iordani, Pharisæi, milites, publicani, & innumerabilis hominũ turba. Ad hos dicit Christus, Quid existis uidere in desertum? num arundinem in deserto agitata uento, quales multæ in Iordane, & uestris paludibus nascuntur? Si putatis Ioannem mutasse sententiam de testimonio quod de Messia perhibuit, leuem ipsum arbitramini. Sed si leuis, & inconstans uobis uidetur, cur tanto labore contendistis hunc uisere in desertum? Accursu uestro tam frequenti, & crebro, testati estis, uos agnoscere Ioannem, pro uiro sancto, ac propheta Dei cõstantissimo. Quis enim ad leuè, & inconstantem hominem, uel extra limen prodierit? Figurauit argumentum schemate rhetorico, quod uocant ἀνωτιστον, siue communicationem, ac paræmia. Arundine enim, ad quemlibet se uenti impulsus, nunc huc, nunc illuc inclinate, significatur leuius, & inconstantium hominum ad quamlibet occasionem uacillatio, rerum item quarumlibet reciprocatio, & inconstantia. Nam, 3. Reg. 14. de regno Israël loquens propheta, Percutiet (ait) Dominus Israël, sicut cum arundo mouetur in aqua: id est, ipsum regnum nihil habebit firmitatis, stabilitatisue, sed continuis bellorum motibus concutietur. Christus igitur hac metaphora explicat iustitiam, ac constantiam Ioannis. Magno (ait) concursu uos in desertum recepistis: ubi non reperistis, qui partim aliena sibi usurpet, partim aliud sedens, aliud stans loquatur: qui ex eodem ore calidum, & frigidum efflet: & qui, uelut arundo agitata uento, nunc ad hanc, nunc ad illam partem, sese applicet. Sed talem reperistis, qui nulla hominum gratia, nullo honore, nullis minis, nullis terroribus, nullis denique mortibus eò adigi potuerit, ut aut honorem Mes-

Iesus, Messias promissus à prophetis. Fide uia in Christi saluamur.

Ioannes Baptista à Christo laudatus.

Vera tãdem laus, quam animi uirtutes pariunt.

Ioannem Christus commendauit à quatuor uirtutibus, quas uocat cardinales.

Arundo pro inconstante.

Ioannis Baptiste fortitudo & constantia.



fiæ sibi delatum usurparet, aut testimonia sibi non probè constantia, de uero Messia proferrer. Has profectò uirtutes præstitit Ioannes, in primis apud Iordanem, cum Christus peteret ab Ioanne baptismum: imò (respondit Ioannes) deo, à te baptizari, & tu uenis ad me? Deinde quando Concilium Ierosolymitanum publicam misit legationem ad Ioannem, & detulisset ei honorem Messia: Etenim con-fessus est, quia non sum ego Christus, Ioan. 1. Rursus in omnibus suis cõcionibus, tam priuatis, apud discipulos, quàm publicis apud turbas, ingenuè testatus est nõ se, sed Iesum, esse agnum Dei, tollentem peccata mundi. Habes, pie lector, testi-  
Hominũ in-  
iustitia. monium Christi de iustitia, & constantia Ioannis. Porro sunt homines tam iniu-  
sti, ut ubicunque occasionem nacti fuerint, sua commoda, aliorum incommodo  
augeant: & tam imbecilles animo sunt, ut obiectis minis mox negent, quod prius  
asserunt, & affirmant, quod prius negarunt. At enim alius est Ioãnes, qui tan-  
ta iustitia, ea uidelicet, quæ unicuique tribuit quod suum est, tantæque animi for-  
titudine præditus est, ut nec commodo, nec incommodo suo alienum honorem  
sibi usurpare, & ueritatem abnegare uoluerit. Hic locus docet, ut qui Deo proba-  
ri, & Ecclesiæ prodesse cupiunt, constantes sint, puri, simplices, & synceri, in ne-  
gatio Euangelij Christi: caueant uerfutiam eam in primis, quæ docet hominem  
duabus sedere sellis. Obserua. Allusit huc Apostolus, ad Ephes. 4. dicens, iam non  
simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia  
hominum.

Cãdor & for-  
tudo in pri-  
mis decent  
Ecclesiãstas.

Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui  
mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.

Pergit Christus commendare Ioannem baptistam à continentia, & temperan-  
tia, partim etiam iterum à constantia. Noctis Ioannem uitæ fuisse continētissimam,  
nec ullo usum luxu, uel in uictu, uel in amictu. Quid enim (inquit) uisuri concur-  
rebatis tum in desertum? Num hominem uestibus indutum sumptuosus, sericis,  
holosericis, damascenis, argento & auro intertextis? Hoc spectaculum non con-  
ueniebat eremo. Siquidem qui uestiuntur lineis, & holosericis, in palatiis regum  
sunt, quibus luxus, uitæque delicia conueniunt. Vos igitur uocauit in desertum  
uita Ioannis, sancta, temperans, & innocens, qui tam austeræ, & continentis uitæ  
fuit, ut non inter homines, sed in deserto uixerit: nec usus est consuetis indumen-  
tis, sed habuit indumentum è pilis camelorum: & zonam pelliceam circa lumbos  
suos. Præterea non uixit usitatis hominum cibis, sed cibus illius erant locustæ, &  
mel siluestre: tantumque abfuit à deliciis aulicis, ut quod ad uictum, & amictum  
attinet, magis beluinam, quàm humanam uitam duxerit. Et quātum abfuit à de-  
litiis aulicis, tantum etiam abfuit à moribus aulicis. Ergo oculati testes estis, Ioan-  
nem esse idoneum, & sanctum testem, quem uidistis in carne uitam uiuentem an-  
gelicam. Vidistis in ipso seueritatem, & grauitatem, autoritate plenissimam, ut  
nemo uestrum uel suspicari possit, uirum tam grauem, tam seuerum, quicquam  
in cuiusquam hominis gratiam fecisse, neque quicquam per simulationem, aut  
asseruationem (cui uitio alioqui molles & delicatuli homines obnoxij esse solent) ce-  
gisse. Quid? Num & Ioannes aliquando apud aulicos uersatus, contraxit aliquid  
aulicarum adulationum? Minimè omnium. Maluit certè extremis uitæ suæ peri-  
culis obiici, quàm adulari. Nihil profectò adulationis præ se ferebat responsum  
ad Phariseos, & Sadduceos (penes quos summa erat autoritas inter Iudæos) ad  
baptismum uenientes. Progenies (inquit) uiperarum, quis monstrauit uobis fu-  
gere à uentura ira? Quanto hic putas uitæ suæ discrimine istorum impietatem,  
& hypocrisim reprehenderit? Ad Herodem Tetrarcham quidem Galileæ, raptorem  
autem coniugis fratris sui, & publicum adulterum, liberrimè dixit: Non licet  
tibi habere uxorem fratris tui. Potuisset Ioannes, si uoluisset, ad hoc facinus conni-

Ioannes in  
aula non au-  
licus.

Ioannes, qui  
fuerit ab om-  
ni assentatio-  
ne alienus.

uere, & principi assentari, magnum honorem in aula habere, sed tantæ fuit inte-  
gritatis, ut maluerit, tanquam seditiosus, in carcerem conici, & capite truncari,  
quàm adulari. Oportebat igitur uos tam incorrupto testi, de me testanti, adhibere  
fidem. De uita aulica lectu dignissima scripsit Lucianus in eo libello, quem edi-  
dit De iis qui mercede conducti, in diuitum familiis uiuunt. Sed ueeor, hodie in  
aulis quorundam magnatum, longè dissolutiora, corruptioraque opera esse, quàm  
ut ea ullus dignè persequi possit Lucianus, quantumuis ad carpendum hominum  
mores instructus, & exercitatus. Audiant hinc Dominum, qui electi ministri ad  
prædicandum uerbum, relinquunt & uerbum, & gregem, ut ministrent mensis.  
Ecce, particula attentionis est. Qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt.  
Quasi dicat: meis ministris nihil commune est cum strepitu, pompa, & luxu mū-  
dano, cum aulicis ineptiis, & hominum corruptela, inter quos locus est incōstan-  
tiæ, & adulationi, ut dicant cum gnatone Terentiano, Quicquid dicunt, laudo:  
uegant, nego: aiunt, aio. Obserua: cum dicit, Qui mollibus, &c. non simpliciter  
tollit omnem ornatum: conceditur enim modestus ornatu. Verum ad quid tam  
passim inauratus, atque gemmatus? Modestus est, si non fuerit lasciuianti, & pere-  
grino artificio singularis, ac conditioni tuæ inconueniens. Nihil enim diffiteor,  
uariis statibus uarium cõpetere ornatum, ut aliter reges, & summi principes, ali-  
ter magistratus, & nobiles, aliter populares uestiantur. In his tamen simplicitatis  
Christianæ semper meminisse oportet, de quibus certam dare regulam nemo po-  
test. Nam quis uarios omnium regionum mores, & omnium hominum tam ua-  
rios status nouit? Solus Spiritus sanctus cūctorum similitum regula certissima est.  
Nulla ratione Christianis tutum putauerim, curiosa exquirere indumenta, & au-  
ro, gemmisque, curiosus circumtegi. Nam tametsi cuncta, in Christo iuxta spiri-  
tum facta, sint libera fidelibus: sic tamen liberi sunt, ut non faciant contra uerbum  
Christi. Nimirum non sunt liberi, nisi ut melius uiuant. Demum cum ipse opti-  
mus Saluator diuum Ioannem, uestimentorum molliciem reiicientem, laudauit,  
illi contraria agentes damnauit: at illi cõtraria agunt, non qui melioribus uestiun-  
tur, quàm ille uestitus fuerit, sed qui ex uestibus carnis delicias, ac mundi super-  
biam quærunt, quas ille sum moperere deuitauit. Verum regibus, & summis princi-  
pibus, quod maiestatem Dei referant, aliquid præ cæteris licet habere, & pretio-  
sius uestiri: sic tamen decorem habeant in ornatu & cæteris, ut immoderatas in-  
eiufmodi concupiscentias frēnent. Magis autem solliciti sint super populo, cui præ-  
sunt, & misericordiis pauperum se magnificos ostendant. Qualem deceat orna-  
tum, & amictum esse, susius scripsimus in secundum caput Ioannis.

Lucianus so-  
phista, mor-  
daciſſimus.  
In seruos au-  
licos, & a-  
ſinos bipedes

Ornatu uiri  
boni, mode-  
ſtus.

Spiritus san-  
ctus, un⁹, mo-  
deſtiam do-  
cet.

Veræ liberta-  
tis scopus, iu-  
ſtè & piè ui-  
uere.  
Veſtiũ molli-  
tiem damnat  
Chriſtus.  
Præſepes qua  
in re magnifi-  
cos & lautos  
eſſe oporteat.

Sed quid existis uidere? Prophetam?

Hæc commendatio est à prudentia, & sapientia, non quidem humana, sed diui-  
na. Nam ordo prophetarum maximè omnium admirabilis est nomine diuinæ sa-  
pientiæ. Prophetæ enim præceptore Spiritu sancto uaticinantur: ac præuidēt iram  
Dei, immisiones, pestem, bellum, famem & huiusmodi: quæ non solum ipsi a-  
uertunt à populo (id quod Moyses, Samuel, & Dauid, declarauerunt) uerum etiam  
docent alios uiam, & rationem, qua possint supplicia, & calamitates effugere, ac  
ueram & perpetuam salutem consequi. Hæc est sapientia, qua ornatus est Ioãnes,  
quam nemo satis explicare possit. Vnde Christus, Sed quid existis, &c. ac si dicat,  
Certum est, uel ex uestris ipsorum testimoniis, in desertum uos ad Ioannem con-  
currisset, tanquam ad prophetam, nempe ceu ad uirum sapientem, diuinum, re-  
rum diuinarum peritum, ac testem ueritatis. Cum igitur ille testificatus sit me ef-  
ſe Messiam, quid est, quod illi honores Messia tribuitis? Is propheta est, ergo ue-  
rax est, ergo testimonium eius de me recipere debetis. Obserua. Hæc interrogatio,  
Prophetam? commendat Ioannem ab officio. Est enim propheta nomen officij.

Prophetæ sa-  
pientiæ laus  
potissimum  
data simul &  
prudentiæ.

Ioãnis Bapt.  
ſapientia &  
Prudentia.

Propheta, of-  
ficij nomen.



Etiā dico uobis, & plusquam prophetam.

Exaggeratio laudum Ioannis. Etiā, siue, utique, affirmantis est particula. Pro certo habetote Ioannem, non solum prophetam, sed præstantius quiddā esse propheta. Nam hastenus propheta dicti sunt, qui, diuinitus inspirati, aduentū Messie prædixerunt. Cæterum Ioannes nihil prædixit de futuro, sed aduentū Messie iam esse Messiam testatur: & digito illum ostendens, ait, Ecce agnus Dei, &c. uel quia proximè, & antè faciem præcedit Christum, quem alij propheta longè antè præcesserunt. Et quemadmodum multæ sunt stellæ, quæ lucem præcedunt, aduentum illius nuntiantes, nulla tamen illarum luciferi nomen meretur, nisi illa, quæ cum ipsa luce procedit: ita omnes propheta ante Christum, fuerunt aduentum illius nuntiantes, sed è longinquo: Ioannes uerò cum ipso propè Christo uenit: unde præcursoris nomen obtinuit: & maior reliquis prophetis dictus est.

Ioannes plus quam propheta.

Simile. Ioannes dignior ceteris prophetis.

Hic est enim, de quo scriptum est.

Aetiologia est commendati Ioannis ab autoritate scripturæ, qua probat Christus, Ioanem plus quam prophetam esse. Probatio procedit à proxima antecessione Ioannis, & officio, hoc est, à testimonio præsentis Christi, quem præsentem ille testatur. Certè prophetarum dignitas, & præcellentia, prophetiæ pretio æstimatur. Quare cum nullius prophetia potior fuerit ea, quam attulit Ioannes, iure Christus Ioannem, præstantissimum omnium pronuntiauit. Quòdque Christi orbis saluatorem Ioannes prædicauit reliquis prophetis plenius & expressius, hoc fuit omnibus præstantior, ac supra quam propheta: ad quod probandum adducit Christus Malachia scriptum.

Ecce.

Propheta attentos reddit auditores, quod de re graui & magna dicturus sit: nimirum de præcurfore, & nuntio Dei magni, qui aduentum saluatorem mundi nuntiat, & digito ad ipsum dirigit.

Ego.

Valde emphaticòs, pronuntiaandum est, ego: ego, inquam, Dominus exercituum, & non alius.

Mitto.

Tollitur suspicio de propria Ioannis ingessione: Ioannes ipse non est de numero uenientium, quos fures uocat scriptura. Quotquot (Ioann. 10.) uenerunt, id est, non mittebantur, fures sunt, & latrones. Hierc. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Ioannes neque uenit, neque cucurrit, nisi iussus: neque seipsum ingessit, uerum missus est diuina uocatione. Ad Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron.

Ioannes Baptista uenit.

Angelum.

Angelus hic, siue nuntius Dei, Ioannes est Baptista, à Deo in mundum missus. Angelus nomen est officij, non naturæ. Quòd nuntiauit Christum, Angelus dictus est, similiter, quòd angelicam duxerit uitā. Scriptura Angelum dicit, quem aliàs nuntium uocamus. Non uerò nuntium, qui tantum absentis literas afferat, sed qui nomine eius, à quo mittitur, negotium agit. Estque nomen hoc, Angelus, commune omnibus, qui mandata Dei perferunt, siue spiritus illi cælestes sint, siue propheta aut Apostoli in terra. Malach. 2. de officio sacerdotis scribitur, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & ex ore eius requirunt legem Dei, quia Angelus Domini exercituum est. Qui ergo mandata Domini perferunt, & uerbum eius annuntiant, Angeli eius sunt, & legati. Vnde & Euangelium bonus nuntius dicitur. Spiritus quoque illi cælestes, ideo Angeli uocantur, quòd nuntiorum Dei supremi sunt.

Angelus.

Sacerdos, angelus.

Angeli & legati Dei. Euangelium.

sunt. Ad hunc modum Ioannes nuntius, & legatus Dei dicitur.

Meum.

Id est, à me missum, & uoluntatem meam expedientem. Ioannem præcurrere, & nuntiare Christum, est singularis uoluntas Dei, & consilium singulare.

Ante faciem tuam.

Id est, ante te, filium meum, ibit hic nuntius, ut te præsentem demonstrat. Hoc enim fecit Ioannes, quando Christum digito ostendit. Præsentem ergo ostendit. Quòd ipsum uocabulum, faciem, indicat, significans præsentiam, ut psal. 37. A facie iræ tuæ, id est, à præsentia iræ tuæ, quam sentio.

Facies præsentia.

Qui præparabit uiam tuam ante te.

Autoritate scripturæ, Christus officij Ioannis confirmat. Qui præparabit, &c. id est, qui remouebit obstacula, quæ tibi Christo saluatori essent impedimèto. Qualia sunt, fiducia in semetipsum, sanctimonia sibi uindicta ex propriis operibus, &c. ex se sanctis, & similia. Quam obrem clamat Ioannes, Isa. 40. Omnis uallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Malach. 4. Et ipse conuertet corda patrum in filios, id est, ab infidelitate abstrahet filios: & docebit eos, exemplo patrum credere in Messiam. Cum igitur ilico post hunc nuntium Ioannem, Christus adfuerit, prædicans Euangelium regni, & saluatorem sese uariis signis demonstrans, certè ante faciem Christi fuit ille missus, præparans baptismo pœnitentiæ, & prædicatione populum Christo. Nam post pœnitentiā sequitur remissio peccatorum, quam Christus dat. Parare uiam, est è uia abiicere quicquid ingredienti Domino posset offendiculo esse: quemadmodum & vulgò serui ante dominos suos gradientes, lapides, ligna, & quicquid huiusmodi uiam dominorum temerari, aut in expeditam reddere possit, remouent. Quid iam id est, quod Ioannem oportuit è uia abiicere, & remouere, ne Christo esset offendiculo? Profectò multa, & uaria peccata: ideo prædicauit pœnitentiā, qua Christus remittit peccatum. Non absimile testatus est Zacharias, pater Ioannis, Luc. 1. Et tu puer propheta altissimi uocaberis: præbis enim ante faciē Domini, parare uias eius. Ad dandam scientiā salutis plebi eius, in remissionē peccatorū eorum. Per uiscera misericordiæ Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriēs ex alto. Illuminare iis, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uia pacis. Obserua: cum dicit ante te, id est, te præsentem in carne, & corpore. Aduerte: post hunc textum continuò apud Malachiam sequitur, Et statim ueniet ad templū sanctum suum Dominator, quem uos quæritis, & Angelus, id est, nuntius, testamenti, id est, fœderis, quem uos uultis. Ecce uenit, dicit Dominus exercituum. Mox à prædicatione Ioannis, Christus in templum suum uenit: ad suam inquam populam, uerum Dei templum. Idem Ioannes est nuntius fœderis, seu testamenti. Christus hoc fœdus constitutum inter Deum, & hominem, suo sanguine confirmauit, ac consummauit. Ideo uerò desideratus est à patribus, quòd crediderunt, per hunc omnes promissiones Dei esse cognoscendas, 2. Corinth. 1. salutemque fidelium per hunc plenè perficiendam. Ex hac autoritate formant syllogismum, Hic est (ait Christus) de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelū meū, qui præparabit uiam tuam, ante faciem tuam. Sed (ita enim assumit Christianus) sequitur statim in eodem propheta, Et statim ueniet ad templum sanctum suum Dominator, quem uos quæritis, &c. Ergo iam non est expectandus alius: certissimè enim iam uenit, qui expectabatur uenturus Dominator, quem uos quærebatis, o serui Domini. Obserua: hunc aduentum huius præcursoris, & functionem uoluit Dominus propheticò uaticinio, longè antè prædicere, ne qua ab incredulis prætexeretur ignorantia & excusatio. Vnde hæc ipsa satis nos mouent, quanto studio Dominus fategerit, ut Messia aduentus in carnem agnosceretur, & humiliter exciperetur. Quando non

Quam impediunt aduentum Christi in nos.

Ioannes parauit uiam Domino.

Explicatio uerborū Malachie de aduentu Christi.

Ioannes, nuntius testamenti.

Christus quare desideratus patribus.

Syllogismus.

Quantopere noluerit Deus filium suum aduentum agnosci & recipi.



solùm per suos prophetas longo antè tempore prædixit, quæ ad ipsius Christi aduentum, personam & officium pertinebant, sed & ante faciè Christi legauit nuntium, & cum non vulgarem, sed tanto splendore, & nomine, ornatum, ut quosuis in sui admirationem induceret, idque in hoc unum, ut aduentus Christi agnosceretur, & uia illi pararetur.

**Amen dico uobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.**

Iurat Christus in re seria, & certa, ac pro auditorum necessitate, quibus necessarium erat, & commendationem Ioannis, & testimonium eiusdem de Christo excipere. Cùm enim talis, & tantarum rerum nuntius fuerit Ioannes, meritisimò subiungit Dominus commendationem Ioanis, à singulari gratia, cuius Deus participem fecit Ioannem: & ab officij dignitate: quia Dominus insigni laude exexerat Ioannem, dicens, ipsum esse plus quàm prophetam. Modò dicit, Non surrexit, &c. Qui locus ex Luca. 7. cap. exponendus uenit. Dico enim uobis (ait Christus) maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Non uidetur esse hoc loco Christi institutum tam Ioannem commendare, quàm eius officium, & doctrinam necessariam ad apprehendendum Christum: vnum enim Ioannem (ut Lucæ locus docet) cum omnibus prophetis committit, & illos omnes lógè excellere pronuntiat: nimirum in ministerio Euangelico, siue prophetandi euidencia, quòd nemo sanctorum ante Ioannem tam disertè annútiavit uenisse regnum Dei, & regem regum Mesiám, remissa esse peccata, & omnibus satisfactum Dei promissis, quàm Ioannes Baptista. Hoc igitur dicto Christus confert dignitatem, & officium Ioannis, cum officio & dignitate aliorum prophetarum: Sanè in primis uidetur alios uincere prophetas, quòd hi quodam modo fuerunt ministri Ioannis, & prophetauerunt de Ioanne: Isaias de Ioanne uaticinans, ait, Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Malachias de Ioanne ait, Ecce ego mitto angelum meum, &c. Secundò, alios uidetur superare prophetas, quòd præcipuus inter ipsos, uidelicet Elias Thesbites, fuerit umbra Ioannis. Legitur enim apud Malachiam, Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus, & horribilis. Hunc autem Eliam esse Ioannem testatur, tam angelus, qui apparuit Zachariæ parenti Ioannis, quàm Christus ipse, Si uultis (inquit) recipere, ipse est Elias ille, qui uenturus erat, &c. dico uobis Eliam iam uenisse, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eum quæcúque uoluerunt. Tertio, in hoc uincit alios, quòd alij longè antè uaticinati sunt de Christo uenturo: Ioannes autem fuit primus omnium publicus de Christo iam præsentate prædicator, & primus omnium Christianismi instaurator, ut paulò antè diximus. Quòd si ad alios hoc dictum referre uelimus, & de uirtutibus, quas morales dicunt, nobis dicendū sit, Certè reperiemus Ioannè alios præcellere, tã Iudæos quàm Ethnicos. Iustum pronuntiant Abrahamum, qui noluit quicquam de præda regis Sodomorum sibi retinere, hinc mentionem facio de iustitia, quæ unicuique, quod suum est, tribuit. Apud Ethnicos, Aristides etiam iusti cognomentum habuit, sed in hac uirtute longè excellit Ioannes, qui in tantum ab alienis abstinuit, & unicuique sua tribuit, ut maiestatem Mesiæ (quæ omnem regiam dignitatem superat) à Iudæorum primatibus sibi oblatam, respuerit, & uero suo Domino Iesu Christo detulerit. Apud Iudæos constantes animo fuerunt Moses, Dauid, Daniel: Apud Ethnicos Marcus Regulus, Mutius Scæuola, Horatius Cocles, & non pauci alij. At constantia animi in Ioanne multò admirabilior, quippe qui nec sanctitate sanctissimorum hominum, nec potentia potentissimorum principum euinci potuerit, ut testimonium suum de Christo mutaret, & aliud stans, aliud sedens loqueretur. Apud Iudæos commendatur continentia Moyfi, quòd maluerit inter Israël-

Ioannes omnibus prophetis prælatus.

Propheta Ioannem præcipientem.

Elias Ioannis typus.

Ioannes primus Christi animi præceptor.

Abraham.

Aristides.

Ioannem bonis animi doctoribus sic confert uiris præclaris, ut præferat.

tas suos sordidè, quàm in aula regis Pharaonis splendidè uiuere, Hebr. 11. capite. Apud Ethnicos commendatur Marcus Curius Romanorum Imperator, quòd neglectis delitiis ligneo catino cœnarit. Et Agatocles, quòd fistilibus, cœnans, uteretur, & famio luto abacum ornaret. Sed multò continentior Ioannes, qui contempra aula Herodis, locustas, & mel syluestre ederit, ac indumentum è pilis camelorum habuerit. Quòd si de sapientia dicendum sit, cùm hac uirtute superarit omnes Iudæorum prophetas, quantò magis superauit omnes Ethnicorum philosophos: iuxta igitur hanc explanationem sensus uerborum erit, Amen dico uobis, &c. id est, illud affirmo uobis, tãtam esse Ioannis constantiam, tantasque uirtutes, quas illi Deus manu neutiquàm parca cumulauit, ut, inter uniuersos, quos ulla fortuna produxit in lucem, nemo sit illo maior. Hic enim Mesiám ostendit, & doctrinam prædicauit cœlestem, quam patriarcharum typi, quam uatum oracula, per enigmata quædam promiserant. Obseruat Theophylactus, quòd cùm Christus dicit, mulierum, seipsum exceptit. Christus enim à uirgine natus, non muliere quæ uirum passa esset.

M. Curius.

Agatocles.

Ioanne maior natus nemo, si à Christo discesseris.

**Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.**

Correctio est per occupationem, qua se excipit Christus, etiam ex muliere natus, uocans se hoc loco minimum in regno cœlorum. Minimum quidem non re ipsa, sed opinione. Hæc ut intelligamus, regnum cœlorum hoc loco accipitur pro negotio prædicationis Euangelicæ in hoc seculo, siue pro præsentis Ecclesiæ, in qua Deus regnat, & pios regit. Hic usus frequens est in Euangelio, Colligent de regno eius scandala. Non enim in regno beatorum sunt scandala. Ergo de Ecclesiæ præsentis intelligitur. Item infra, Assimilatum est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Quod quid aliud est, quàm si diceretur, In prædicatione Euangelij accidit idem, quod homini seminanti bonum semen in agro suo. In quibus & multis aliis locis, nisi pro regno cœlorum intelligas ipsam Ecclesiæ præsentem, siue regimem in ea, & negotium Euangelicæ prædicationis, nullam habebis aptam sententiam. Quin & propheta, de Mesiâ prophetans, uocant id tempus, & spiritale illud negotium, regnum Dei, seu cœlorum, quo & ipse Mesiâs, ac Apostoli eius, ac omnes Apostolorum successores, Euangelium, de remissione peccatorum, & uita æterna, in terris prædicant. Porro Christus se minorem dicit, Ioannem uerò maiorem, iuxta vulgi opinionem. Hoc ut intelligas, Cùm Christus cepit uoluntatem patris aperire, & in terris prædicare Euangelium: duo tantum magis præcipui, & cæteris omnibus celebriores in negotio Euangelico habebantur, uidelicet Ioannes Baptista, & Iesus, filius (ut dicebatur) fabri. Iesus multò minor habebatur Ioanne Baptista. Nam populus excipiebat Ioannem Baptistam, ut Mesiám, & uerum huius mundi saluatorem, quòd prognatus esset è nobilibus parentibus, ageretque durissimam, & sanctissimam uitam in deserto: Iesus autem putabatur humilibus parentibus ortus, adhæc agebat uitam non eremiticam, sed ciuilem: conuiuabatur enim familiariter cum hominibus, etiam cum publicanis, & peccatoribus. Quare multò minor Ioanne Baptista putabatur. Volens itaque occupare obiectionem, qua dixissent, Tu Christe igitur minor es Ioanne: natus enim es ex muliere: sed inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne: ergo minor es, aut saltem ille tibi æqualis est: addit hanc correctionem, Atamen qui in regno Dei, id est, in Ecclesiâ præsentis, quæ in terris nunc uersatur, minor est, id est, præ Ioanne contemnitur, is maior est illo, natura, gratia, & dignitate. Filius enim Dei, Deus & homo, ipse, non Ioannes, uerus Mesiâs est, cui Ioannes ipse testimonium perhibuit, Ecce agnus Dei, &c. Habetur quidem hic filius hominis minor iuxta populi opinionem: sed Ioannes ipse minorem se pronuntiat dicens, Qui post me uenit, fortior me est, cuius nõ sum dignus, ut soluam corrigiam calcamenti.

Christus, in regno cœlorum minimum.

Regnum Dei pro negotio Euangelico.

Ioannes à modo prælatus Christo.



Iste ergo minor in regno cœlorum, id est, in præsentē Ecclesia uisibiliter uersans, Christus est, qui factus est hominum nouissimus. Isa. 53. & omnium seruus, qui se humiliavit, & exinaniuit, formam serui accipiens, Philipp. 2. Minutus item paulominus ab Angelis, ille enim uerè minoratur, qui à maiore statu descendit.

Nemo magis se deiecit, q̄ Christus

Quis autem magis descendit, quàm ipse saluator, dum carnem pro nobis assumpsit, in qua & mori dignatus est? In qua sic descendit, ut tamen diuinitatis sublimitatem nūquam dimiserit. Sanctus Hieronymus hunc locum interpretatus, ait, Multi de saluatore hoc intelligi uolunt. Quòd qui minor est tempore, maior est dignitate. Nos autem simpliciter intelligamus, quòd omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc consistit in prælio. Aliud est enim coronam uictoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare. hætenus ille. Sunt qui hunc locum interpretantur de iis, qui in nouo Testamēto facti sunt ministri mysteriorū Euangelij. Nam si Ioannes propterea maior fuerit antecessoribus prophetis, quòd præcurfor Christi uenerit, nuntiarit mox aduēturum, præparauerit illi uiam, & præsentem ostenderit, quomodo non maior est Apostolus, aut alius minor Christi minister, qui non solum aduenisse Christum prædicat, sed regni illius mysteria nuntiat, & uniuerso orbi proponit? De his iudicabis, lector. Quantum ad me attinet, magis mihi arridet prima interpretatio. Colligamus ex superioribus, primò Christum uoluisse demonstrare, Ioannem, omnium, qui ab orbe condito illi fuerunt testes præstantissimum, & uerè maximum esse. Deinde commendationem & laudem Ioannis eò tendere, ut intelligamus, & inde colligamus, quòd si aliorum, qui in mundo fuerunt testimonia, & doctrinæ meruerunt fidem, ut reciperentur, quantò promptius Ioannis excipiendum erit testimonium? Testatus est autem Iesum esse Christum. Hoc itaque pronuntiatum, saluificum omnino, & ab omnibus recipiendum, & indubitanter credendum est.

A diebus autem Ioannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud.

Argumento, ab aliorum exemplo, Christus pertinacem Iudæorum impœnitentiam arguit, quam iam tertio reprehendit. Primùm enim arguerat eam Dominus à studio ipsorum erga Ioannem, quem, ut prophetam, & non tanquam arundinem, aut mollibus uestitum, adierant: & tamen non habuerant ei fidem. Deinde à dignitate, & diuinitate prophetiæ Ioannis, quam usque tamen contemnebant. Tertio à prophetiæ ipsius præstantia, cæteris omnibus amplioris, quam etiam persequebantur. Iam hinc quarto istam Iudæorum impœnitentiam arguit à fide, studioque promiscui populi, præsertim gentilis, qui cupidissimè in regnum cœlorum irrumpebat, quem illi interim execrabantur. Deinde his uerbis plenius ostendit Ioannem, primum & maximum esse prophetam, imò, & excellentius quiddam propheta, ut qui animos mortalium, ad regnum cœlorum sua prædicatione inflammauerat, ita, ut magno seruore, & quasi uiolentia quadam, in ipsum regnum passim irrumperent. Et hic seruo à prædicatione Ioannis, & illius baptisate primùm coeperat. Nam antea omnia frigebant sub ministerio legali, Scribis, & Phariseis. Sensus uerborum est: Nouistis quòd à diebus Ioannis Baptistæ, id est, ab eo tempore, quo Ioannes uniuersalem Dei gratiam omnibus hominibus, siue Iudæis, siue Græcis, in Christo prædicare coepit, usque nunc. Quasi dicat Christus, ne nunc quidem cessauit, neque cessabit etiam, donec hoc regnum steterit. Aut, usque nunc, id est, quandiu dicitur nunc: siue, ut apostolus ait Hebr. 4. dum dicitur, hodie si uocem eius audieritis, &c. scilicet ab illis diebus Ioannis, usque ad consummationem seculi. Similem phrasim reperis apud Paulum Roma. 5. Usque ad legem peccatum erat in mundo, id est, etiam adhuc præsentē lege, regnum cœlorum, id est, uera Ecclesia, quæ tunc apud solos Iudæos erat, uim patitur, id est,

ex quo tempore Ioannes prædicare coepit pœnitentiam, usque in hunc diem, magno uidetis impetu peccatores, publicanos, milites, meretrices, Ethnicos, & calamitosissimos quosque, ceu acie instructa, ac impetu quodam facto, ueluti uiolenti, irruere, & regnum cœlorum, hoc est, Euangelicam gratiam ueluti diripere, id est, audivissimè haurire. Nemo, uel mediocriter in factis uersatus, ignorat prophetas prædixisse Christum, futurum desiderium, & expectationem gentium, peccatorum, miserorum, & maximè afflictorum hominum. Itaque in huiusmodi aduentu, & reuelatione Messia magno cum ardore, ad regnum Dei ceu rapiendum, non tantùm recipiendum, acceleraturos prænuntiarunt. Nam Michæas ex Isaia imitatione, Futurum est (inquit) in nouissimo dierum, & erit mons domus Domini præparatus in uertice montium, eleuabiturque ipse supra uertices, & confluent ad eum populi. Ibunt gentes multæ, & dicent, uenite, & ascendemus in montem Domini, & ad montem Dei Iacob, &c. uidetis itaque (ait Christus) quod prædixit Michæas uester propheta, uidelicet magno impetu turbas ad oblatam sibi gratiam, & diu adeò expectati Christi Ecclesiam sese conuertere, ac ceu ui irrumperent. Et certè uiolenti rapiunt illud, id est, qui regni cupiditate adeò flagrant, ut uitam, & omnia neglectui habeant, modò participes sint Euangelij, & ciues regni cœlorum: vos autem ut oblatam gratiam contemnitis: ita ardens hoc populi studium irridetis. Hoc certè ex ipsis scribis, & Phariseis etiam cognoscimus, qui indignè ferebant, quòd liber pateret ad Christum aditus publicanis & peccatoribus. Hæc indicauit Lucas septimo capite, qui post illud, Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo, subiūxit, Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem, & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ex his inferre licet, Quòd totus mundus agnoscere potest Iesum esse Christum, nec alium porro expectandum Messiam: illa item tempora, in quibus Christus hæc proponebat, ipsissima esse Messia tempora, & in his oriri regnum Dei, quod per temporum successione, & Apostolorum prædicationem per totum orbem est propagatum. Obserua: vis iuri contraria est: & uiolenter dicitur agere, qui sine iure agit, aut præter ius. Ius ad hoc regnum uidebantur habere Iudæi, quòd scribit Paulus ad Ephes. 2. ut, circumcisum esse in republica Israël, habere testamenta, promissionis spem, & Deum habere. Idem ius describit Apostolus ad Romanos, 3. habere commissa oracula Dei: & ad Romanos. 9. habere adoptionem, gloriam, testamenta, legis cōstitutionem, cultum, promissiones, patres, esse populum Dei, ex quibus natus est Christus secundum carnem. Ius ab antithesi dicitur, quæ prædictum ius pro se non habet. Vnde uiolenti, qui ueluti ius, non habentes, irruunt in ipsum regnum, sunt gentes, incircumcisi, abalienati à republica Israël, extranei à testamentis, promissionis spem non habentes, Deoque carentes in mundo, non habentes oracula Dei. Et, ut summam dicam, uiolenti dicuntur gentiles, ad quos regnum cœlorum iure, id est lege non pertinebat. Quod autè iure non erat gentibus, id ex gratia illis contingit, & quia ex gratia contingit, meritò ab illis ingentes habendæ sunt gratiæ. Sunt qui aiunt hæc dicta, propter Phariseos, & huiusmodi ueritatis aduersarios, ac derisores. Nam usque ad Ioannem ipsi impij legi Dei, & prophetis contradixerunt, ut passim in scriptis ueteribus reperimus. Similiter Euangelium regni Dei, & quicumque ex eodem regno sunt, à Ioannis tempore (quum uidelicet primùm à Christo fuit prædicatum) uim, persequutionem, contemptum, & derisionem à quouis impio sufferunt. Attamen propter eorum persequutionem, nec legis, nec prophetarum, nec Euangelij, Christi ueritas euacuabitur. Ideo ait, cœlum & terra transibunt, uerbum autem meum manet in æternum. Nam quantumlibet à ueritatis hostibus impugnetur uerbum, suo tamen tempore implebitur. Plus mihi arridet prior interpretatio. Violenti illi sunt, qui uim in regnum cœlorum faciunt,

Regnum cœlorum uim pati, quid.

Violenti regnum cœlorum possidēt

Pharisei, regni Dei contemptores, atque adeò oseres.

Vis.

Ius quodnā Iudæi habebat in regno Dei.

Persecutio aduersus regnum cœlorum, & huiusmodi heredes.



ac ui ipsum rapiunt. An non ui rapere uideatur, qui, ut illud consequatur, capitis periculū adeat? His certè significatur thesaurum Euangelij non contingere, nisi iis, qui summo, & flagrantissimo ipsum desiderio quaesierint, pròque eo nihil non periculi subire, & amittere ament. Hanc Euangelij aestimationem commendant parabola infra. 15. de thesauro, & margarito. Obserua: grandis est uolentia terrenos homines fieri caelestes: corpus, (quod natura in terram descendit) in caelum euehi: carnales fieri spirituales: impios, pios: & homines, deos. Quae est tam uolenta uis, ut tam inauditam metamorphosim faciat? Respondeo: Fides in Christū. Hac respiscimus, regeneramur, renascimur, recreamur: & abiecta, & abnegata tota ueteris Adami regeneratione, noua sumus creatura in Christo. Cōsidera quae so, quā magna, & instructa sit haec acies, uidelicet, uniuersa caro, Satan, mors, infernus, tota impietas, & huiusmodi, quanta armorum uolentia, & impetu irruant, & insurgant aduersus hanc fidem uiuam: quae tamē uel ad grani sinapis men suram habita, totam illam aciem, & tantum exercitum tanta uolentia & impetu praecipitat in abyssum, ut nusquam apparere audeat, si in ea perstiteris. Obserua: Tempore prophetarū promissa sunt regna Canaanorū, & alia quae ui, & uolentia acceperunt Israelitae. A diebus autem Ioannis coepit praedicari, & promitti regnum caelorum, ad quod ui tendunt homines, hoc est, contendunt ire fide, penitentia, & operibus bonis. Erant quidem temporibus prophetarū uiri iusti, ac pii: sed his non tam aperte manifestatum fuit regnum caelorum, atque à diebus Ioannis. Et quia homo ex se non est habilis ad obtinendum regnum caelorum, quod fide, spe, & charitate acquiritur ab homine, ideo ipsum regnum uim pati dicitur. Patitur autem à uiolentis, id est, ab hominibus, qui fide uiua, & obseruantia mandatorum rapiunt illud, non ex dignitate operū ex se, sed ex gratia Dei, ita sua misericordia paciscentis nobiscum, & ex ui spiritus ductantis filios regni, & habentis potestatem super regnum caelorum. Rursus, Quia opus est uirtute multa, si quis uult sequi Christum, relinquendo patrem, matrem, fratres, imò &, si necessarium fuerit, uitam propriam, quam perdentes in hoc mundo, seruamus in uitam aeternam: dixit, & uiolenti rapiunt illud. Quanta uis est, relinquere patrem, matrem, imò nihil non periculi subire, propter regnum caelorum? Adhuc magna fuit uis, & uolentia ab Elia caelo facta, quando sua oratione adeo compressit caelum, ut caelum ipsum, ueluti spongia manu expressa, pluuias terrae dederit. Vis Iosue conspicua facta est, quando uim soli intulit, nimirum Iosue, 10. capit. scribitur. Stetit itaque sol in medio caeli, & non festinauit occumbere spatio unius diei. Non fuit antè, & postea tam longa dies, obediente Domino uoci hominis, & pugnante pro Israel. Rursus magna fuit uolentia orationis Ezechiae regis, cuius gratia dictum est à Domino, Isaiæ. 38. Ecce ego reuerti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Acham, in sole retrorsum decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis, per gradus, quos descenderat. En uides caelum uim, & uolentiam magnam à sanctis uiris passum. Quod si res ita habuit, ut uerè habuit, etiam tempore umbrarum, & legis, quantò maior erit uolentia tempore reuelati Euangelij? Magna ui Paulus auertit à se praefecturam ab Ierosolymitanis sibi in Christianos datam, in inimicos crucis Christi. Non minore est usus, quando fratres secundum carnem, arguit, Christum per synagogas praedicans. Magna item ui caelum rapuit, quando usque ad tertium caelum raptus est. Stephani protomartyris ingès fuit uolentia, qua fudit caelos, dicens, Ecce uideo caelos apertos, & Iesum stantē à dextris uirtutis Dei. Patitur itaque uim caeli ipsum à uiris piis, & fidelibus: idque dono, & beneficio Christi, qui uiam ad caelum strauit, donans credentibus fidē, spem, & charitatem, quae sunt uis, & uolentia aduersus obstacula uiae. Obserua uerbum rapiunt, quo significatur, non solum, quod ui & uolentia arripiendū est regnum, sed etiam, quod non iure, & merito nostro proprio, sed gratia Christi datur, alio-

Summū desiderium ad regnum caelorum qui adfert, uim magnam adfert. Regnum caelorum non nisi in quaeritur. Fides robusta, eadem & uiolentia. Fides uincit omnia.

Homines uiam rapiunt regnum caelorum.

Uim caelo fecerint. Elias.

Iosue.

Ezechias.

Paulus.

Stephanus. Charitas, fides & spes, arma Christianorū, qui bus rapiunt caelum. Rapiunt regnum, quia non debitum iure.

qui; si iure debitum esset, non foret rapiendum.

Omnes enim prophetae, & lex, usque ad Ioannē prophetauerunt.

Aetiologia est eius, quod dictum est, Caelum uim patitur à praedicatione Ioannis: qua simul confirmat non esse expectandum alium Messiam à se, & iam adesse tempus Messiae, de quo, & lex, & prophetae antea praedixerunt. Item praeteriisse tempus paedagogiae, typorum, umbrarum, uaticiniorum, & expectationis eorum, quae praedixerant sacri prophetae. Per legem intelligit omne illud tempus, quod in lege, hoc est, quinque libris Moysi describitur: hoc est, ab Adamo, usque ad Iosue. Per prophetas autem intelligit omne illud tempus, quod fuit à Iosue, usque ad Ioannem Baptistam. Sensus uerborum est, ac si diceret Christus: Quae uobis narraui de Messia, & Ioanne eius praecursore, uolo uobis explicatius dicere: hoc uobis persuaedete, non aliam prophetiam expectandam de futuro Messia. Omnes enim typi, quibus lex designat Messiam uenturum, omnia prophetarum uaticinia, quae promittebant Messiam uenturum, simul atque uenit Ioannes, deserunt rem futuram promittere: nam Ioannes attestatur hunc Iesum esse Christum, filium Dei, & agnū Dei, qui tollit peccatum mundi. Praedicante Ioanne coepit gratia annunciari uniuersaliter ab omnibus. Dicebat enim: De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia, & ueritas per Iesum facta est. Coepit item abrogari lex, coepit Ecclesia etiā abire ad Gentes. Alia certè multò diuiniore lux exorta est Ioanne praedicante, ad quam collatum quicquid claritatis lex, & prophetae habent, umbra magis, quā lux censenda est. Locus cōmunis hinc tractari potest de abrogatione legis, quae ad praedicationē Ioannis abrogatur. Est enim lex paedagogus ad Christum, Galat. 3. Huc referri debet. 3. cap. posterioris epistolae ad Corinthios, de abrogatione legis, & abrogationis autore Christo, qui suo aduētu uelum tollit. Prophetae testes sunt legis, & proclamatores. Unde cessante lege (quae doctrina cohaerens erat usque ad Christum ad Galat. 3.) & prophetae cessant. Obserua. Non dicit, usque ad me, uel de me, qui tamen est finis legis, & prophetarum, quod fortassis rusticitas auditorum non boni consuluisset, adeo adhuc tarda & impotens erat, tamen idem significasset, sed magis uoluit auditorum captui sese accommodare, satis habens docere, hoc tempus à Deo destinatum regno suo, ut sensim auditorum animos excitaret ad excipiendam lucem, & ueritatem, relictae tenebris, & umbris. Obserua: cum dicitur Omnes prophetae, & lex usque ad Ioannem prophetauerunt, intelligito, prophetauerunt, supple, de primo aduētu Christi siue regni Dei. Aut ualet idem hoc uerbum, ac si dicas: Quod Ioannes praedicat, id ipsum est, de quo lex, & prophetae praedixerunt. Nam quae complenda dixerunt illa ipse completa esse, atque in dies compleri attestatur. Est igitur Ioannes confinium, non utique in totum, omnem legis prophetarumque usum abrogans, & lectionem eorum prohibens: sed dirimens legem cum legis figuris, & prophetas cum prophetarum promissis, ab Euangelio, quod reipsa illud exhibet, & quod lex ipsa umbris suis designat, & quod prophetae uenturum praedixerunt. Dies ergo Ioannis omnia legis, & prophetarum docentiam uel completa esse, uel compleri.

Et, si uultis recipere, ipse est Elias, qui uenturus est.

Ex prophetia. 4. cap. Malachiae Christus tacitè hortatur turbam, ut hinc certò cognoscant se, uerum Messiam, praesentem esse, quia Elias praecursor eius praesens est. Et, si uultis recipere uestrum Malachiam, & illi credere, dicenti, 4. cap. Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: Ne fortè ueniam, & percutiam terram anathemate. Ipse, supple Ioannes Baptista, est Elias, à Malachia promissus, qui uenturus erat, id est, qui debebat diem Domini

Dd iiij

Lex.

Prophetae.

Ioanne occipiente praedicatione, umbrae desinere coeperit, &c.

Ioan. Baptist. limes utriusque testamenti.



Dies Domini magnus, Euangelij tempus.

magnum, & horribilem præcedere. Hic dies Domini magnus, & horribilis, est tempus Euangelij gloriosum, & ob diuinam præsentiam, mirificam adeo & clarum, cum timore, & tremore suscipiendum. Aut dies Domini comprehendit totum illud tempus, quod ab incarnatione ad iudicium usque Domini currit. Antequam igitur morte filij orbem redimam, ait Deus, antequam urbem sanctam, & populum meum terribiliter excindam, & repudiem, orbemque iudicem, mittam prius Eliam. Hoc antequam increbresceret, missus est hic Ioannes spiritu & uirtute Eliæ, qui incredibili scilicet seueritate, & incomparabili autoritate impietatem insectas, conuerteret cor filiorum ad patres eorum, hoc est, doceret filios, fidem patrum Abraham, Iacob, Isaac, Dauid, &c. & ipsos communi studio respicientem, atque Euangelij clucescentis fide uiua conglutineret, ne Dei hac gratia contempta, anathemate percussa, inaudito scilicet exterminio destinati, iram Dei experirentur. Proinde quia nouum ipsis forsitan uidebatur, quod Christus Ioannem uocaret Eliam, quem ante magnum diem Domini uenturum prædixerit Malachias, hoc dictum præfati uicula præmollit, dicens, Et si uultis recipere, ac si diceret, intelligo durum, & inauditum uobis uideri, quod dicturus sum: sed si probe omnia expendieris, ipsi concedetis Ioannem hunc Eliam esse; illum inquam, quem propheta dixit præcessurum aduentum Messias. Hoc inquam si recipitis, recipite & illud, uenisse Messiam ipsum, quandoquidem confitemini uenisse illum, qui proximè præcedit aduentum Messias. Sed cum Elias iste, nempe Ioannes, disertè testatus sit, me esse Christum, benedicti Dei filium, à patribus expectatum, & desideratum, debetis fateri & tempus Messias aduenisse, & me esse Messiam, & non alium expectandum: quandoquidem non alium hic Elias digito monstrauit. Tempus proculdubio erat, ut loco legis, & prophetarum, huic Ioanni, alteri scilicet Eliæ, auscultarent: ut qui, quæ lex & prophetæ continent, apertius, & spiritu potentiore iam explicabat, prædicans præterea aduenisse modò regnum Dei, regnum gratiæ, & salutis. Sed hoc contemnentibus Scribæ, & Pharisei, & in impietate persistentes, anathemate percussa sunt & inauditum exterminium experti. Hoc uerò regnum populus, & publicani senserunt, & eo ipso insecati, ceu ui irruerunt. Hanc huius prophetiæ interpretationem approbare confirmareque possumus uerbis archangeli Gabrielis, ad Ioannis patrem Zachariam, Luc. 1. cap. dicentis, Vxor tua pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem, &c. ubi simul exponit cur dicatur Ioannes, Elias: quia, inquit, præcedet Christum in spiritu, & uirtute Eliæ. Non quidem persona Ioannes, Elias Thesbites est, sed est Elias officio, spiritu, & uirtute: quippe, ut conuertat corda patrum in filios, & cor filiorum ad patres. Hic igitur Ioannes ille est, quem Malachias per antonomasiam, siue metonymiam, sub Eliæ nomine, quem uictus & amictus austeritate, quem libertate in arguendis regibus retulit, uenturum esse prædixit, antequam ueniret Messias. Huc pertinet, quòd Hieronymus ait: Elias Ioannes dicitur, non secundum stultos philosophos, & quosdam hæreticos qui *μεταψύχασιν* introducunt, sed quòd, iuxta aliud testimonium Euangelij, uenerit in spiritu & uirtute Eliæ: & eandem sancti spiritus, uel gratiam habuerit, uel mensuram. Sed & uitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt. Ille enim in eremo, iste in eremo: ille zona pellicea cingebatur, & iste simile habuit cingulum: ille, quoniam regem Achab, & Iezabel impietatis arguit, fugere compulsus est: iste, quia Herodis, & Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. Hactenus Hieronymus.

Qui habet aures audiendi, audiat.

Adiicit Christus epiphonema ceu summam rei acclamationem, qua solitus est uti, quoties singularem animaduersionem requirit. Hoc loco excitat auditorum animos, & hortatur hac acclamatione turbam, ne certissima signa præsentis Mes-

epiphonema  
ta, familia-  
ria Christo.

sia negligant, aut contemnant. Ac si diceret, Tam abundè & apertè uobis ueritas aperta, explicatæque est, de tempore uisitacionis uestræ, & oblato regno Dei, ac uita æterna: de Elia item, qui restitutus est omnia, ut arbitrer, non pluribus opus esse uerbis. Nil ergo superest, nisi ut is ueritatem admittat, cui aures sunt, & sensu Euangelium exaudiant, ut ei credentes, anathema, & iram Dei non experiamini. Si quis hic aures suas obturauit, sibi ipsi non mihi imputet exterminium, & exitium. Obserua: vulgare admodum est hoc epiphonema in historia Euangelica, quo perpetuò animos auditorum ad diligentissimam attentionem excitat. Et certè arrigenda sunt aures, dū de regno Dei agitur. Aures fidei uiuæ & cordis postulat Dominus. psal. 24. Audiam, quid loquatur in me Dominus. Tropo scripturæ, audire, accipitur pro credere, & corde suscipere. Luc. 11. Maria audiebat uerbum illius, hoc est, credebat Christi uerbis, & diuinæ eius promissioni fidem habebat, conferens nimirum uerba ipsius in corde suo.

Aures cordis  
ac uere uiuæ  
que fidei exi-  
git Christus.  
Audire, pro  
credere.

Cui autem similem æstimabo generationem istam?

Posteaquam magnis, & uariis encomiis Ioannem Christus commendauit, ab austeritate loci, & uitæ: dignitate item, & autoritate officij plus quam prophetici, quam confirmauit à locis propheticis. Item ubi docuit legem & prophetas, usque ad Ioannem pertigisse, quibus omnibus allicere uoluit Iudæos ad credendum Ioannem testimonio, ut tandem reciperent seipsum, credentes ipsum esse Christum, omnem mouens lapidem, & nihil intetatum relinquens, ut tempus suæ uisitacionis agnoscerent, accidit, quod his à Luca, 7. cap. adicitur, nempe, quòd omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem, & Iurisperiti, Scribæ, & seniores consilium spreuerunt aduersus semetipsos, &c. Vnde acerbe nunc inuehitur Dominus aduersus ipsorum duritiæ, & impenitentiam, aduersus (inquam) deploratissimos homines, quibus frustra omnia occurrunt: quorumque corda marmore, chalybe, & adamante duriora sunt. Profundissima est illorum cæcitas, qui nullis signis, etiam apertissimis commouentur ad recipiendum oblatum uerbum, & olim promissam, nunc uerò præsentem, gratiam: atque, quomodocumque uerbo Dei tententur, in impietate tamen perseverant, neque id solum, uerum inueniunt simul, quo ueritatem & gratiam Dei blasphemant. Hic locus elegantissimam habet antithesim, quæ demonstrat diligentiam Dei, nimirum ipsum nihil carum omisisse rerum, quæ ad salutem Iudæorum promouendam pertineant. Rursus ipsos, ceu sumpta cum Deo contentione, nihil omisisse, quòd modò ad impediendam eorum incolumitatē, & repellendam diuinam erga se curam, ac beneuolentiam pertinuerit. Vnde iam non Dei morositate, sed sua ipsorum culpa, & malitia percunt. Nomine generationis, intelligit Scribas, & Phariseos, ut ex loco Luc. 7. adducto, uidere est. Vox, ista, ualdè emphaticè pronuntianda est: istam, istam inquam cæcam, incredulā, duram, pertinacem generationem, quæ nullis, neque scripturis, neque signis, neque miraculis, neque doctrina pura, neque puris doctrinæ moribus ad suscipiendum uerbum commouetur. Cui autem similem æstimabo, &c? Qualem esse dicam generationem hanc: aut qua similitudine possim illam adumbrare?

Iudæi in me-  
ridie cæci.

Iudæi inex-  
cusabiles.

Similis est pueris, sedentibus in foro, qui clamantes, coëqualibus dicunt: Cecinimus uobis, & non saltaſtis: lamentauimus, & non planxistis.

Tota hæc similitudo, allegorica est, & aperit Iudæorum morositatem. Quam ut intelligamus, obseruandum est, Iudæis, & ueteribus uariis fuisse harmoniarum modos, & diuersas in canendo consuetudines (ut ex Platone, 3. dialogo de republica, seu de iusto, patet) quibus uarios mouerunt auditorum affectus. Harmonia

Varij harmo-  
niæ modi an-  
tiquis.



Ionica uidelicet, Lydia, Dorica, & Phrygia. Lydia sonabat quiddam funebre. Iudæi cantauerunt tibiis, non solum in publicis gaudiis, ut in nuptiis, diebus festis, & triumphis: uerum etiam in publico luctu, ut in funeribus: id quod apud nos pulsu tintinnabulorum, fieri solet. Vnde supra, 9. cap. in funere filiae cuiusdam principis, præter turbam etiam tibiicines adhibiti sunt. Quod enim nobis sunt tintinnabula, quæ uocamus campanas, hoc Iudæis fuerunt tubæ. Deinde quod inter nos uidemus in diebus festis pueros ludere, carminibus alternis certare: hoc etiam non tam ex hoc loco, quàm ex prophetis apparet apud Iudæos solenne fuisse. Et plateæ ciuitatis (ait Zacharias. 8. cap.) complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius. Tempore autem, quo Christus inter Iudæos agebat, soliti sunt pueri in plateis ludere, carmen, hoc argumento constans, quod nemo possit quicquam tam benè, tam aptè, tam prudenter, agere, ut omnibus placeat. Ad explicandam igitur Phariseorum & Iurisperitorum impietatem, Christus à pueris mutuo accipit hoc carmen. Videturque ad hunc modum dicere: Cur hæc tam magnifica de Ioanne, & de tempore uisitationis uestræ uobis induratis occino, quum nostrum omnia uobis frustra esse exposita, ut quibus nihil satis est ad respicientiam, quibus omnia carpuntur, qui non solum, quod bonum est, non acceperitis, sed & sinistra traducitis? Profectò uideo uos similes esse istis pueris morosis, rebellibus, contumacibusque, quibus studia, & instituta suorum sodalium nunquàm probantur perpetuò aliud contententibus approbationibusque. Nam si conentur alij læta quæpiam in re illis gratificari, continuo ocllamant, malle se nunc lugubria: Sin eligant illi lugubria, mox displicent, quæ modò placuerant, clamantque, se malle lætiora. Huiusmodi ergo cerebrosis pueris solebant alij in foro, loco publico, (quia Euangelium doctrina est publica, & uniuersalis) occinere. Coæqualeis dicit, cum quibus uiuunt in pari consortio, & æquali loco, &c. Cecinimus uobis, supple læta. Verbum canere notat placidam Euangelij prædicationem. Saltare insinuat suauissimum illum Euangelij fructum, remissionem peccatorum, & rem cognatam huic, gaudium, seu pacem conscientie. Et non saltastis, id est, Euangelium, placidè uobis prædicatum, non suscepistis, nec fructus Euangelij percepistis. Lamentauimus, hoc est, ad penitentiam uos prouocauimus. Lamentare, inclusam habet alteram Euangelij partem, prædicationem penitentiae. Plangere enim penitentiae pars est, uidelicet ipsa contritio, qua damnamus impietatem nostram ad suscipiendum uerbum: & commonefaciens nos ueræ pietatis, & admonens credendum in Christum. Scipos olim manibus cædebant, qui in luctu erant, quæ planctum propriè dicimus. Apparet autem uulgare fuisse cantiunculum, quàm pueri inter se canerent. Quemadmodum & Pyttacum consultorem suum ad pueros, trocho lufitantes mittit, ut audiat, *περὶ τῆς τῆς ἑσπέρης ἡλῆς*, id est, Secundum te ducito, uel æqualem ducito, subaudi uxorem. Hoc abundè declaratur in adagio Aequalem querere. Similes igitur sunt pueris morosis, quibus sodales uulgata cantione procul acclamant, Tibiis cecinimus uobis læta, nec saltastis: lugubria cecinimus uobis, nec planxistis. Diuersis uis idem tentatum est à nobis: neutra profectum est apud quosdam incredulos ac morosos.

Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.

Hic locus ætiologia est, ab innocentia uitæ sumpta. Vnde per accommodatorem similitudinis Christus desceat à doctrina, ad uitæ mores: ut ostendat Iudæos non fuisse impeditos uita Ioannis, quod minus susceperint doctrinam eius. Et ut nunc Iudæi non fuerunt, uita Ioannis præcurforis offensa: Ita nec Christus suæ uitæ moribus præbuit Iudæis occasionem negligendi, aut non suscipiendi. Euangelium. Singularem hyperbole cum dicit, neque manducans, neque bibens, maximam

Tibiis etiam in luctu usti Iudæi.

Pueris lustrare & cantillare, ubique solenne.

Euangelium læta res & placida, saltatio, & modis musice comparatur.

Planctus & contritio, penitentiae pars.

Pyttaci Sapiens consilium.

Æqualibus conuocandis.

designat Ioannis sobrietatem, & temperantiam, & insignem austeritatem. Aut neque manducans, neque bibens, supple, cibum, & potum, communem omnibus. Quod enim Ioannes neque ederet panem, neque biberit uinum, id ideo factum est, ut sua uita testaretur suam doctrinam grauem esse, arctam & admirabilem. Non edere, neque bibere uinum, opera, & mores uitæ sunt conuenientis doctrinæ Ioannis de penitentia stricta, & austeri, qua Dominus Iudæorum animos ad fidem uoluit attrahere, quando libentius credimus iis, quos uitæ sanctimonia nobis commédant. Nam cum uniuersum penè hominum genus admiretur abstemios, & sobrios homines, ac suspiciat duriciem uitæ: ideo opportuno Dei consilio factum est, ut Ioannes, Euangelium de remissione peccatorum, & uita æterna docturus, eam uitam duceret, quæ hominibus admirationi foret, adeoque is esset, qui lugubria caneret: hoc est, neque panem uesceretur, neque uinum biberet, neque mollibus indumentis uestiretur: sed in eremo durissimam exigeret uitam. Prodiit ergo Ioannes (inquit) ueluti lugubri cantu nationem hanc ad penitentiam, ac fidem excitaturus. Prodiit (inquam) insignis austeritate uitæ, ieiunans, & abstinens ab omnibus delictis ciborum, abstemius, & aquæ potor. Nā locustis uicitauit, & melle syluestri, uictu planè parabili, & duro. Amistū quoque toto nihil habuit splendoris, aut molliciei. Tota denique uita, non homo, sed prorsus angelus esse uidebatur. Tanta uerò sanctimonia illustris doctor prodiit, penitentiam docuit, & me saluatorem mundi, & Messiam expectatum hætenus esse ostendit, ut nihil sanctius, ne uoto quidè, excogitari potuerit. Sed neque doctrinam, neque testimoniū eius receperitis, nihilque uos permouit uita hominis insigniter sancta, imò, dæmonium habet, dixistis, tantum abest, ut iis omnibus uel tantillum sitis commoti. Et dicitis, dæmonium habet, id est, doctrinam, & opera Ioannis adscribitis dæmonio: quasi alioqui fuisset ipsum audituri, & accepturi, si communi uictu usus esset. Hoc conuictij quidam exponunt, quasi Ioannes obsessus fuerit à Satana: sed arbitror hos dementatos uoluisse insimulare Ioannem magiæ, ueritatem inuincibilem ita calumniantes, ipsūque habuisse spiritum, quem uocant, familiarem, siue affessorum, cuius consilii, & auxilii adiutus sit, atque ita illuserit dementatæque populū. Obiter dixerim, & hoc inter cetera crimini datum fuisse Socrati, nempe, quod genium haberet peculiarem, qui uocabatur Socratis dæmonium.

Venit filius hominis, manducans & bibens: & dicunt, Ecce homo uorax, & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus.

Sunt & alij, quibus ingratisima est, dura, monastica & eremitica uita, quique iudicant multo cōsultius esse familiariter & ciuilitate inter homines uersari, ac pro ciuili more uitam ducere, quàm ad hunc modum, instar Timonis cuiusdam, secedere. Venit igitur filius hominis, id est, Iesus Christus, edens & bibens, ueluti suis tibiis canens læta: hoc est, familiariter cum hominibus conuersatus est, ad nuptias & conuiuia accessit, experturus, an uel hac ratione, tanquam humaniore & tolerabiliore, ad penitentiam possent & amorem Dei pellici: siue, ut ipse & Ioannes, his, diuersis quidem, uitæ suæ institutis, concordi tamen doctrina, ingenio huius nationis Iudæicæ sese accommodarent, & homines ad fidem Euangelij allicerent. Se igitur omnibus facilem præbet filius hominis, neminem aspernatur, uescitur quibuslibet uulgari & non aspero utitur uestitu. Et tamen inueniunt (tanta est istorum impietas) quod in Iesu calumniantur, & suæ incredulitati prætexant. Sparserant de Ioanne, quod magicus & dæmoniacus esset: de Christo, quod helluo, liguritor, uinipotior, comedo, & qui, qualis sit, consortio suo, publicanorum uidelicet & consccleratorum hominum, prodat. Præposterū sanè & inuersum est Phariseorum iudicium, qui doctrinam iudicant ex uitæ moribus, aut ex personis: cum

Ioannes Bapt. neque maducans neque bibens.

Vita & doctrina Ioannis patet.

Ioannis uictus & uestitus.

Ioannes Bapt. Iudæis energumenus & magus.

Dæmonium Socratis.

Omnia tentata, ut Iudæi Messiam suū agnoscerent.

Doctrina nō est uita estimanda, sed ex uerbo Dei.



iudicari & aestimari debeat ex seipsa, aut ex uerbo, quod non fallit: Mores autem uitae unã cum personis ex doctrina. Edere, & bibere, & esse amicum publicanorum & peccatorum, nihil officit doctrinã, nimirum tali doctrinã, quã est in professione publicanorum & peccatorum ordinata, ut conuertantur & salui fiant. Doctrinã ergo non fit conuersatione peccatorum peior, neque inde personã peiores fiunt, quã prædicant. Obserua: Manducare & bibere, opera & mores uitae, ea sunt, quae testantur de philantropia & de doctrina Christi: His enim se facile omnibus exhibet, ut doceat, & ad fidem alliciat.

Et iustificata est sapientia à filiis suis.

Insigni sententia Christus adductam similitudinem claudit, & proponit Pharisaeis ac sapientibus mundi absurditatem, quã omnium maxima est, iudicare, scilicet sapientiam, id est, uerbum: & nolle iudicari à uerbo: cum tamen spectet ad uerbum, iudicare nos, an simus ex Deo, nec ne. De hoc iudicio loquitur Christus Ioan. 16. ubi promittit Apostolis, Spiritum sanctum iudicaturum mundum per uerbum, de peccato, quia non credit in Christum: de iustitia, quia ad patrem ipse uadit, & meretur iustitiam ualentem coram Deo: & de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Per ironiam autem hoc sensu pronuntianda est hæc sententia. Sapientia diiudicata est à filiis suis, hoc est, à Pharisaeis & iurisperitis Iudaeis, qui erant filij Dei. Constituunt hi se iudices uerbi, à quo iudicandi sunt potius. Similes in suo genere sententiã huic Euangelicã extãt & apud scriptores gentiles, quales sunt, Insuperisissimi sapientiam docent. Sus Minerua docet. Sus cum Minerua certamen suscipit. Ouum gallinam docet, discipulus præceptorem. Hic spectari potest causã, cur Pharisaei & sapientes huius mundi nõ recipiant uerbum. Quia ipsi constituunt se iudices in uerbum, & nolunt à uerbo iudicari. Sed quoniam in scripturis uix legitur iustificare, aliter acceptum, quã pro iusto censere & laudare, huius loci sensus uidetur mihi, hic esse, Vtunque uos superciliosi Iudæi in perditionem uestram Euangelium & sapientiam Dei contemnatis, tamen sapientia, id est, uerbum Dei, est iustificata, id est, ut uera Dei sapientia, susceptu & obseruatum à filiis suis, id est, à piis & credentibus, qui illud approbant, & laudant tum in Ioanne, tum in filio hominis, ut quotquot illius participes sint, à patre existant electi, ab aliis autem nequaquam: quin potius illi modis omnibus contradixerunt. Nimirum credentes diuinã sapientiã filij sunt: increduli uerò non eiusdem sapientiã, sed stultitiã, mendaciã, & perditionis filij sunt, à quibus Dei sapientia pro iusta non habetur. Quidam intelligit filios sapientiã, omnes siue electos siue reprobos. Et illud iustificata est, positum arbitratur, pro uicem in iudicio, quod nihil illa omiserit erga filios suos, quod ad ipsorum salutem faceret, ut libera & excusata sit ab omni perditionis ipsorum culpa. Quasi dicat, Fecit quod in se erat: fecit, quod quouis modo prodesse poterat. Nihil omisit eorum, quã ad omnium salutem faciunt, ita ut nos simus inexcusabiles. Vnde nec electi nec reprobi habent, quod querantur. Et qui percunt, iam propria malitia & stultitia, nulla autem Dei morositate percunt. Nam Deus illos uoluit seruare. Vult enim omnes homines saluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire, 1. ad Timoth. 2. Ipsi autem salutem oblatam respuerunt. Ioan. 5. Et non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Et alibi, Et hoc est iudicium, quia dilexerunt magis tenebras, quã lucem, ergo sua culpa & non Dei negligentia (quã nulla est) percunt.

Tunc cepit exprobrare ciuitatibus, in quibus facta sunt plurimã uirtutes eius.

Generalem quandam nunc Christus instituit exprobrationem, seu expostulationem, aduersus cum uerbi contemptores, tum ingratos, qui iam uerbum audierant, & aliquandiu habuerant. Hoc loco exprobrare est ingratitudinẽ (rem etiam ciuilitate

Verfari cum  
sceleratis nõ  
inquinat do-  
ctrinam.

Verbi est, iu-  
dicare.

Spiritus san-  
ctus iudicat  
mundum.

In uerbum in  
diciu iudico-  
rum.

Iustificare in  
facris, pro iu-  
stis censere.

Credentes, si  
lij sapientiã.

Iustificari, p  
uincere iudi-  
cio.

Homines  
suapte culpa  
percunt.

Exprobrare.

ciuilitate turpem) erga uerbu obicere. Ciuitatibus, supple, quã ad tẽpus habuerunt uerbum. Sunt autẽ ciuitates Corozain, Bethsaida & Capharnaum, lacui Genesareth adiacentes. In ea enim Galilaeã portione Dominus frequenter egit, ut supra, 4. capit. diximus. Virtutes uocat miracula tam foris, quã in conscientis per uerbum, quod certẽ omni gladio ancipiti est penetrabilius, & pertingens usque ad diuisionem animã ac spiritus, Hebr. 4. cap. Virtutes testantur, ut effectus, de uerbo prædicato ut causã.

Quia non egissent pœnitentiam.

Huc uenit Christus, & omnia superiora ad hunc finem dicta sunt, ut illas ciuitates (in quibus magnifica fecit) obiurget, quod post uifas & habitas multas uirtutes, scelerum suorum non pœnituerint, nec solùm illarum sed multarum pariter urbium peruiacem culpam impœnitentiam: uario dicendi genere utens in docendo. Vt enim diuersa sunt in scripturis tum iustitiã tum misericordiã exempla, ita diuersa quoque sunt prædicandi rationes. Nam alia blandior & suauior est, quã docilibus & Deum timentibus congruit. Alia uerò acerbior est, malẽ gratis & durioribus destinata ingeniis, sicut duro certẽ nodo durus cuneus adhibendus est. Hoc duro genere utitur Christus hoc loco. Hoc omnibus uerbi Dei ministris insignẽ erit exemplum, quomodo cum his agant, quibus diu ac multum, sed citra omnem fructum uitã melioris, prædicarunt ueritatem Euangelicã. Duris ergo utitur uerbis, quia non egissent pœnitentiam, id est, non credidissent uerbo, damnantiam impietatem, ac infidelitatem nostram: hoc est, non exiissent ueterem Adamum, ut induerent nouum, hoc est, non mutassent uitam priorem in melius. Rideliculus est ergo definire pœnitentiam, esse mutationem uitã exterioris tantum. Cum Ioannes supra, 3. cap. dicens, Agite pœnitentiam, moncat, iubeatque, ut totam uitam priorem mutemus in melius, eam scilicet, quam uiximus ante cognitionem Euangelij. Obserua, quanto desiderio salutem nostram optet Dominus: qui ut nostrã salutem sitiens, & non gloriã propriã cupidus uideatur, nõ dicit, quia non laudauissent magna sua facinora, & ea non admisissent: quod spectatores & admiratores ipsius nõ fuissent: sed quod scelerum ipsos minimẽ pœnituisset. Hoc exemplum intelligat sibi propositum, quisquis uerbi Dei minister est.

Vã tibi Corozain, vã tibi Bethsaida.

Christus, ueluti demiratus inuincibilem istorum ciuium malitiam, & pertinacem impœnitentiam, cepit, ut duris & deploratis hominibus, horrendum vã occinere, imò intonare. Quã uox, vã, exprobrantis est particula, qua non tam animi quã corporis, & externarum facultatum, & fortunã mala comprehendit: quibus omnibus subiiciendos fore minatur, quotquot post auditu uerbum, impuram & impœnitentẽ uitam uiuunt, nec respicere uolunt. Corozain & Bethsaida illustres & nõ ignobiles fuerunt Galilaeã urbes, ad lacum sitã Genesareth, siue Tyberiadis: in quibus Dominus diligentissimẽ regnũ Dei prædicauit, & magnifica fecit miracula, ceu certa certã & sanctã uerãq; doctrinã testimonia. Id quẽ edẽ fecit, ut respicerent, uitã emendarent, & Euãgelio crederent. Sed surdis (ut dici solet) canebat. Ciues admirabantur quidẽ non autem respicerebant. Timeant hic urbes Euãgelicã, quibus præ aliis ueritas Euãgelicã illuxit, nisi gratiã Domini bene collocent. Ex his colligere possumus, quod nõ grauisimum illud sit peccatũ, quod urbes euertat & regna. Haud dubie illud peccatum est contẽptus reuelati Euãgelij, & uita impia, ac pœnitentiã neglectrix & contemptrix. Rursus si rogaueris, Quis sit finis prædicationis euãgelicẽ. Respondẽ: Nõ est tanere Euãgelium, aut disputare de Euãgelio, sed uiuere secundum Euãgelium: hoc est, mutare pratum uendi genus, ac uiuere porrò sanctẽ. Nam nisi uita pura, & Christiano homine digna post Euãgelij prædicationem sequatur, prædicatio adeo nobis non prode-

Ec

Virtutes.

Diuersa præ-  
dicandi ratio-  
nes.

Ecclesiastes  
ne uereatur  
per occasio-  
nem subacer-  
bus esse.

Pœnitentia  
ne sit exter-  
na tantum.

Vã.

Corozain,  
Bethsaida.

Neglectus  
uerbi Dei &  
pœnitentiã  
urbibus pe-  
nẽ adfert &  
internecionẽ  
Finis Euãge-  
licẽ prædica-  
tionis.



rit, ut grauius etiam nos damnet. Quod & apud Lucam. 12. expressius scribitur, Seruus, qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non se preparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna, plagis, uapulabit paucis. Bethsaida ciuitas, è qua fuerunt Andreas, Petrus & Philippus Apostoli: & interpretatur domus frugum. Corozain interpretatur hoc secretum: hoc oppidum est nunc desertum, inquit Hieronymus in ecloga, in secundo lapide à Capharna.

Quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere, pœnitentiam egissent.

Aetiologia est exprobrationis, sumpta ab extrema ingratitude, & cœcitate prædictarum urbium, quarum amplificat peccatum per collationem cum gentibus peregrinis & barbaris, quibus Euangelium nondum erat prædicatum. Ad eam autem ingrata est Christo ingratitude illarum, ut ne quidem cum gentium ingratitude & cœcitate conferri possit. Tyrus & Sidon urbes sunt maritimæ, in confinio Galilææ sitæ, in Phœnicia, magnis emporiis celebres, & proinde, propter uarias importatas merces, & homines peregrinos, moribus corruptissimis. In his morabantur non Iudæi, sed Ethnici incircumcisi, & Idololatræ. Atque horum hic libenter meminit Christus, ut per homines, gentes ab omnibus promissionibus Dei alienas, confundat Iudæos, qui se populû Dei iactabant esse, & filios Abrahamæ, esse in fœdere Dei, habere uerum cultum Dei: atque ita eò pertinacius in malis suis, falsa securitate præditi, perdurabant, nec respicebant. Cùm tamen Tyrus & Sidonij, etiam si deploratissimi fuerint, citius conuerti potuissent, si in Tyro & Sidone hæ uirtutes editæ fuissent, quæ in Corozain & Bethsaida factæ sunt. Ro-

Tyrus.  
Sidon.

Quæ Deus  
hunc, & non  
illum uo-  
cet, ne uelis  
quærere, nisi  
uelis errare.

Cilicium, ci-  
nis & fœcus,  
argumenta  
pœnitentiæ.

Puluis.

Saccus olim  
prophetarû.

Cilicium.

gabis: Cur ergo non & illis ciuitatibus Tyro & Sidoni suo splendore succurrat? Respondeo cum Paulo ad Rom. 9. O homo, quis es, ut respondeas Deo? Et alibi, Noli altum sapere, sed time. Certè prouidentia diuinæ sapientiæ non est in ius uocanda. Tamen deploratissimi, & maximè Iudæis execrabiles essent Tyrus & Sidonij: tamen Christus illis Iudæos deteriores pronuntiauit, quibus cum tantis iam miraculis & frustra diu ad eò prædicauerat. Atque id persuasum esse uoluit, ut qui inter eos essent sanabiles, respiceret: qui uerò indurati, inexcusabiles essent. Colligamus ex his, diligenter perpèdendum esse à nobis, Deum non secus facturum: quippe eos, quibus regnum Dei peculiari uirtute annuntiatum fuerit, si non respiciat, peius habituros, quàm habituri sunt Tyrus & Sidonij. Cùm dicit, In cilicio & cinere pœnitentiã egissent, hoc est, externis & apertis testimoniis declarassent suam internam respicientiam, simul & carnem mortificassent. Nam cilicium & cinis, similiter & fœcus signa sunt pœnitentiæ cordis. Vel iuxta August. lib. de pœnitentiã. Sicut pœnitentiæ comes est dolor, ita lachrymæ testes sunt doloris. Olim sacco uestiri, & cinere spargi solebant peccata lugentes, ac seridè pœnitentes, perinde ut nos consueuimus in mœrore uestiri pullis. Deiciabant isti sese præterea in terram, uolutes sese in puluere, ac conspergentes cinere. Ita enim animum plane deiectum, & sese excruciantem prodebant, & semetipsos suæ commonebant fortis: quòd uidelicet ex puluere exorti, in puluerem essent redigendi. Vt de Dauid & Nininitis legimus. Psal. 101. Quia cinerem, tanquam panem, manducaui, & potum meum cum fletu miscebam. Saccus nõ tam pro cilicio, quàm prophetalis ueste accipitur, quæ propter uilitatem, sacci nomen induit. Isa. 20. Vade, & solue saccum tuum de lumbis tuis. Saccus & cinis symbola sunt pœnitentiæ, Daniel. 9. Saccos & culeos induere, Hebræa locutio est, significans uilè & abiectum habitum gestare, atque sine omni ornatu uestium incedere, quemadmodum illi faciunt, qui mœrent, & propterea pullati inambulant. Saccus fiebat ex canabe. Hic ponitur, non pro culeo, sed pro strictiore ueste, quam aliàs uocant cilicium.

Fiebat autem cilicium ex hircorum & caprarum pilis, & eiusmodi materia, à Cilicibus ita dictum, apud quos (ut inquit Varro) cilicia primùm confecta sunt. Adhibebantur cilicia (ut Vegetius inquit) ad excipiendum impetum sagittarum. A Scionius scribit cilicia tegumetra esse ex pilis, in castrorû usum atque nautarum. Inde cilicina uestis. Scriptura, ciliciû induere, usurpat tam pro lugere, quàm pro pœnitentiã agere. Legimus, Genesis 37. de Jacob, Scissisq; uestimentis, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Solet alicubi scriptura per habitum significare affectum, & symbolum ponere pro re significata: alioqui enim nullius momenti apud Dominum erit externa illa species, nisi animus uerè pœniteat, animique mœrorem sequatur uitæ emendatio.

Cilicium induere.

Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm uobis.

Horribile dictum, Impœnitentibus obiicitur dies iudicij futurus. Cuius certè oportet eò maiorem nos habere rationem, quòd hoc pronuntiatum audiamus non à quouis gregario & uano homine, sed ab ipso Iesu Christo, qui est ipsa ueritas, in cuius ore nunquam inuentus est dolus. Quis ergo de ueritate huius sententiæ dubitaret? Deinde, ad huius maiorem explicationem, obseruemus, quòd Christus loquitur, non de quibusuis ciuitatibus aut hominibus impœnitentibus, sed de iis hominibus, qui cùm audiant Euangelium de Christo, non tamen respiciunt, sed manent impœnitentes. Postremò amplificat Christus impœnitentiã eorum, quòd ad prædicationem Euangelij non respiciunt, per collationem cum Idololatris Tyris & Sidoniis. Tyro (inquit) & Sidoni remissius erit in die iudicij. Si Tyrus & Sidonij minorem pœnam sustinebunt in die iudicij quàm qui ad prædicationem Euangelij non respiciunt: manifestum est minus etiam Tyrios & Sidonios peccasse, quàm Corozain & Bethsaidam, in quibus tam insignes factæ sunt uirtutes. Hoc loco discernit inter grauitatem pœnæ. Quemadmodum & Lucas 12. eo loco, in quo docet, seruum habentem cognitã sui heri uoluntatem, acrius puniri, quàm seruum nesciẽtem heri sui uoluntatem. Hic locus & apud Luc. 12. confundit Stoicos, & eorum imitatores Ionianistas hæreticos, qui adserunt omnia peccata esse paria. unde remissius illis erit, supple, quia tam apertam uerbi prædicationem non habuerunt. Obserua, emphaticè dictum, quàm uobis, qui audiistis uerbum Dei, & uidistis uirtutes eius: & adhuc audistis, & uidetis, & tamen contemnitis. Obserua: uetus Tyri iudicium describitur apud Ezechielem. 26. 27. 28. Collusio uerò similistractata est paulò antè 10. cap.

Dies iudicij multò antè nobis præiudicanda.

Min⁹ peccat alieni ab fidei auditu, quàm impij Christiani.

Et tu Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis?

Apostrophe est, qua se Christus conuertit ad Capharnaïtas, cum mira epitali seu uehementia & exaggeratione aduersus illorum ingratitude, qua uincebãt adhuc omnes alias urbes, in quibus multa Christus ediderat miracula. Quemadmodum si tu cœtum aliquem perditissimorû & deploratissimorum nebulonum obiuges, tandem uerò omnibus aliis præteritis in certum aliquem, grandi impietate insignem, seraris, dicens, Commisistis grandem impietatem omnes. Quare omnes quoque dabitis pœnas acerbissimas: attamẽ tu perniciosissime nebulone, præ aliis longè grauius subibis supplicium, qui peccando alios omnes longè superasti: Ita & tu Capharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es, id est, quæ præ reliquis Iudææ urbibus, & apertiore & frequentiore Euangelij prædicationem habuisti, plura miracula uidisti, & experta es, singularẽque præ aliis urbibus gratiam à Deo accepisti, Christum hospitem habuisti (unde & eius ciuitas dicta est hæc ciuitas nominatissima, ac apud remotas etiam Syriæ gentes facta fuerat laudatissima) Tu tamen & uerbum & diuitias gloriæ Dei contemnitis, & obstinata manes. Valde emphaticè hæc pronuntiat. Est enim pathetica querimonia cum expro-

Gratissima in Capharnaum inuectio.

Capharnaum ciuitas Christi.



bratione, in qua uidemus Christum dolere nostrum interitum. Hieronymus hunc locum tractans, ait, In altero exemplari reperimus, & tu Capharnaum quæ usque in cœlum exaltata es, usque ad inferna descendes.

Usque in infernum descendes.

Tu exaltata, id est, elata, ac laudatissima facta es, & superba tibi places, nimium attollens cristas, nec curans gratiam tibi gratuitam oblatam. Detraheris ergo ad inferos. Periphrasis est extremæ ac maximæ pœnæ, in hac uita incipientis, in certissimum signum omnium maximæ pœnæ post hanc uitam futuræ. Iustum enim iudicium Dei uult ingratos erga oblatum, auditum, & susceptum Euangelium, in extremam cæcitatem irruere hic in terris, & post hanc uitam in æterna supplicia.

Terrificum Dei iudicium in ingratos Euangelio.

Usque ad infernum descendes: ac si diceret, Fama tua cadet, gloria tua commaculabitur ingenti ignominia, uastaberis & excindèris funditus per Titum & Vespasianum: & tandem post hanc uitam perpetuis addicèris cruciatibus & suppliciis. Qui desiderauerit cognoscere quæ contra Galilæam gesserint Vespasianus & Titus, legat Iosephum lib. 3. de bello Iudaico. Arrigamus aures ad hæc Domini uerba, ne post auditam & receptam Euangelij prædicationem, simus ingrati diuinis beneficiis.

Quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem.

Aetiologia est exprobrationis, sumpta ab ingratitude Capharnai erga uerbum. Si Sodoma & reliquæ quatuor urbes, aded corruptæ, ut uobis Capharnaitis uiderentur irreparabiles, aut incurabiles, olim habuissent uerbum uobis prædicatum, cum uirtutibus apud uos factis: & si tam aperta ac frequens Euangelij prædicatio illis contigisset, fortè ita ingrata non fuissent: & fortè mansissent usque in hanc diem, id est, non periissent sulphure & igni, Genes. 19. Nota quod à Christo additur, fortè: ut intelligas urbes, quæ propter gratitudinem erga Euangelium, etiam præmia suæ gratitudinis acceperunt, tamen perire posse, nisi ad finem usque gratæ permanserint.

Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.

Pro modo scelerum dabitur pœna.

Per comparisonem, & pœnæ & sceleris exaggerationem subiungit, discretionem faciens inter grauitatem pœnæ ex diuersitate & grauitate sceleris. Ut enim peccata peccatis grauiora sunt, ita pœnæ pœnis futuræ sunt atrociores. Cauendum igitur, ne peccata peccatis cumulemus, & uerbum contemnamus: ne impœnitentia laboremus, peccato omnium grauiissimo. Si igitur Sodomitæ in die iudicij non tam graui pœna punientur, quam Capharnaitæ, Euangelij contemptores, grauius hi committunt peccatum, quam Sodomitæ, qui olim horrendo supplicio scelerum suorum dedere pœnas. Videamus ergo, quæ sunt Sodomitarum peccata, ut ex his cognoscamus magnitudinem huius peccati, quod designant, qui audito Euangelio manent impœnitentes & obstinati. Ex Genes. cap. 13. & 19. & ex Ezechiel. 16. colligere possumus Sodomitarum horrenda peccata. Peccauerunt Sodomitæ crapula, ebrietate, superbia, fastu, contemptu pauperum, uiolentia, stupris neque nominandis neque scribendis, tyrannide ac homicidiis. Iam quid his peccatis & sceleribus potest aut maius aut horribilius excogitari? Attamen Christus pronuntiat Sodomitis remissius fore, hoc est, plectendos mitiore damnatione & pœna Sodomitas, quam hos Capharnaitas, seu impœnitentes post auditum & apertè prædicatum Euangelium. Ergo istorum uerbi contemptorum & impœnitentium scelus, grauius est, quam peccatum Sodomitarum, imò quam totus ille peccatorum cumulus, ex Genesi & Ezechiele collectus. Quid igitur sceleratius & grauius excogitari potest, quam impœnitentia eorum, qui audiunt quidem Euangelium, sed il-

Sodomitis peiores Capharnaitæ.

Iud contemnunt, & non respiciunt? Vide, quæ scripsimus supra capit. 10. in eum locum, Amen dico uobis, tolerabilius erit, &c.

In illo tempore respondens Iesus, dixit.

Post exprobrationem factam illis, quibus sine fructu prædicatur Euangelium, rectè subiungit exemplum contrarium, nempe superesse alios interim, qui promptis animis doctrinam recipiant. Vnde subindicatur, qui sint philosophiæ Euangelicæ auditores idonei, & qui minus: differentia item inter ueram & falsam sapientiam. In illo tempore, supple, cum Christus sic exprobrasset ciuitatibus Galilææ, & ut Lucas, 10. cap. memorat, cum reuersi septuaginta discipuli, gloriarentur, se multos curasse, & sibi dæmonia subiecta fuisse. Rogabis, quomodo Iesus hic dicatur respondisse, cum nullus quicquam interrogarit, nisi fortè ideo responsum dicitur, quod superiori sermoni subiiciatur. Alii malunt hoc esse idiomatis Hebraici sermonis, ut respondere ponatur pro dicere.

Respondere in Euangelis, quid.

Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ.

Huic uerbo Lucas, 10. cap. præponit, In ipsa hora exultauit in spiritu Iesus, & dixit, &c. In ipsa hora, post exprobrationem factam impœnitentibus: & post receptos septuaginta discipulos, qui uenerant à curandis infirmis, Exultauit in spiritu, id est, serio gaudio fuit adfectus: non in carne, hoc est, non iuxta carnem, sed in spiritu, hoc est, intus serio gaudio adfectus est: quod paruuli, hoc est, discipuli sui, ut uiles & contempribiles essent personæ, tamen non solum credebant, sed simul feliciter Euangelium propagabant. Vnde exiliit præ lætitia, ac gestiit animus eius, erumpens ilico in gratias erga patrem, gloriam eius mirificè aded, sed secundum prophetarum uaticinia, prouidentem. Quemadmodum enim Dominus in aduersis orat: ita nunc in prosperis exultat, & agit gratias Deo pro beneficiis suis. Nam Deus quidem est, sed & uerus homo est tentatus per omnia pro similitudine absque peccato, Heb. 4. Ut uerus igitur homo, adfectibus uiuis, sed ad gloriam Dei comparatis, exultauit. Hunc adfectum humanum Christus assumit: & commendat patrem, quod Euangelium suum paruulis & abiectis mundo hominibus reuelauerit, & per hos mirificè promouerit, quodque in reuelando Euangelio pater non sit *προσωποληπτικος*, qui respectum personarum habeat, aut Iudæorum aut gentium. Gratiarum actio pertinet ad genus demonstratiuum. Confiteor tibi,

Christus in aduersis orat in prosperis gratias agit.

Confiteor.

Hebraismus est, pro eo, quod est, gratias ago, uel prædico te. Atque hic uidetur tapinosis, hoc est humiliationem Christi. Domine, hac uoce utitur, ad ostendendam potentiam Dei patris. Cœli & terræ, periphrasis est omnipotentiæ patris. Suntque hæc uerba, Pater, Domine cœli & terræ, insinuat, constans commendatione potentia Dei patris, qui in cœlo æquè potens est, atque in terra. Cœlum & terra, ut generaliora, comprehendunt sub se quicquid ubique est. Suntque hæc uoces, Pater Domine, &c. signa & indicia animi, sancta uoluptate perfusi, diuinæque quadam lætitia gestientis, tum Dei potentiam & maiestatem dignè admirantis. Hos affectus Paulus non ignorauit, & norunt omnes, quibus gloria Dei chara est. Nam qui nihil æquè, atque nomen Domini, sanctificari oportet, is etiam summa lætitia exulter, necesse est, cum uoti compos, sanctificari illud uideret. Scilicet hinc profluebat tantum illud gaudium, illa diues gratiarum actio in Paulo ex profectu fratrum, & rursus dolor ille & cruciatus intolerabilis ex ipsorum scandalo, & casu. Deinde hoc egius Dei (quo uocatur Dominus cœli & terræ) quod pronuntiat Christus, non solum fit ad hoc, ut boni cõsulamus, laudemus, & acceptemus, quæ iudicio illius fiunt, ut ut carni absurda sint: sed etiam ad hoc, ut non dubitemus nihil posse fieri in cœlo & in terra sine ipsius nutu & prouidentia. Vide infra conciliationem.

Cœli & terra pro uerbo.

Affectus pius erga Deum & fratres.

Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.

Aetiologia est gratiarum actionis, sumpta ab opere potentia patris, quo abscondit. Ec iij







Carni aniam  
omnem glo-  
riandi Chri-  
stus uoluit  
detractam.

Sapientes &  
potentes seculi  
quando Euan-  
gelij confort-  
tes fiunt.

Cōsilia & iu-  
dicia Dei nō  
esse anxie di-  
squiranda.

Domini est  
imperare, ser-  
ui, parere, nō  
causari aut  
discutere.  
Ante, in fa-  
oris quid.

Christus, quā-  
tus.

Omnia Chri-  
sto tradita à  
patre.

do tractantur. Postremò elegit imbecilles homines in Apostolos, & peregit in terris, per ministerium ipsorum, negotium longè omnium optimum & diuinissimum, ut non gloriaretur coram ipso ulla caro, quemadmodum, Paulus ait, 1. Corinth. 1. Cùm hoc gratissimum fuerit Deo patri, ut reuelaret Euangelium paruulis, per quos manifestaret Christum toti orbi terrarum: intantum etiam hoc Dei consilium Christo filio eius placet, ut exulet in spiritu, & commēdet nomen Dei magna gratiarum actione. Quòd si quis obiecerit: Ergo sapientes & potentes non pertinent ad Euangelium Christi? Certè pertinent. Non enim est personarum respectus apud Deum. Et Paulus ipse fuit profectò uir sapientissimus. Adhæc Cornelius Centurio, & Paulus Sergius Procōsul, quorum fit mentio in Actis Apostolorum, ac multi alii potentissimi, crediderunt in Christum: sed ita tum ad Euangelium pertinent, si & ipsi stulti abiectique fiant. Si quis (inquit Paulus. 1. Corinth. 3.) uideatur esse sapiens inter uos in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens: Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deū. Hoc autè non est ita intelligendū, quasi uti homo non debeat dono sapiētiæ suæ in negotiis suis, aut discedere illū oporteat extrinsecus à principatu suo. Necessè est enim, ut unusquisque suæ seruiat uocationi, omni qua possit sapientia, diligentia, & potentia. Sed exigitur, ut nec sapientes nec potentes sperent se posse humana sapientia Euangelium adsequi, aut carnali potentia morti resistere, & uitam æternam consequi: ut semetipsos abneget, & totos se Christo consecrent, per quem uerè sapientes & beati erunt. Obserua: hic admonemur non esse discutienda consilia Dei in operibus & iudiciis illius, (nisi istuc ita faciendum ex uerbo didicerimus, & reuelatum acceperimus) sed magis laudanda illa & prædicanda esse, tātūm hac ratione, quòd Deo placeat quicquam ita uel ita fieri. Non enim ad discussionem operum Dei, sed ad adorandum Deum conditi sumus. Nec sumus iudices actorum Dei, sed serui præceptorum eius. Ad bonum dominum spectat, prouidere quæ agnoscit usui esse seruo. Partes boni serui sunt, bene & fideliter operari in gratiam sui heri, & non discutere actus domini sui. Sic Job post amissa bona omnia, nullam rationem exigebat, cur sic Dominus ageret: sed exultans, dixit, Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Obserua: ante te, id est coram te, siue in oculis tuis. Hoc peculiari uerbo significat scripturæ fauorem & beneuolentiam Dei erga nos, tribuendam esse gratuita bonitati ipsius.

#### Omnia mihi tradita sunt à patre meo.

Quia ingenti gaudio exultauit, quòd pater Euangelium paruulis reuelarit, & accepit (ut Lucas. 10. cap. narrat) à legatis suis, hoc est, à septuaginta duobus discipulis, nomen suum, etiam eiectione demonum illustrari, & Euangelium suum per paruulos & abiectos homines egregiè promoueri: aperit nunc, quantus ipse sit, ut omnes paruuli, abiecti, & miseris onusti homines discant, quid sibi de ipso polliceri, & ab ipso expectare debeant. Itaque dicit, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Meritò & iure optimo gratias ago patri, & cur non agerem, cùm omnia mihi in manus tradiderit, & per me dispensari cuncta uoluerit? En habes, quātus est Christus. Si ad diuinitatem aspexeris, Omnia tradita sunt à patre filio. Quia pater generando filium omnia sua filio tradidit, non illa deferendo, sed eadem cōmunicādo. Significat certè Christus his uerbis, Omnia mihi, &c. se esse expressam imaginem substantiæ Dei, ac distinctam quidem à patre personam, ceterum eiusdem cum ipso essentiæ. Sed de his fusius scripsimus in 3. & 8. capit. Ioannis. Aut; Omnia mihi homini tradita sunt à patre meo, propter exinanitionem, & assumptam serui formam, qua humiliatus, merui nomen super omne nomen: Omnia dicit, non omnes, ait Chrysostomus. Strictius enim & angustius loquutus fuisset, quàm ut exprimere potuisset amplitudinē domini sui. Omnia ergo dicit, id est, omne ius, omnem potestatem, omne dominium cœli & terræ pater mihi tradidit.

Et hoc ipsum est, quod Paulus Hebr. 2. cap. ex psal. 8. commemorat, Christo omnia esse subiecta. Mihi, inquit Christus, mihi inquam, ut ut uili & abiectæ personæ coram mundo, mihi stulto coram gentibus, mihi, in quo scandalizantur sua malitia Iudæi, nescientes neque patrem neque me, mihi data est illa suprema potestas, quam uobis ego ipse communicauit, in cuius nomine uobis etiam discipulis meis demonia subiiciuntur. Iusta igitur est Christi potestas, quam non rapuit, sed traditam à patre accepit. Cùm dicit, à patre meo, ostenditur potestas Christi firma & potens, cùm sit iure hæreditario sumpta à patre omnipotente. Similiter significatur & primogenitura ipsius, ex qua illius est regnum, & sacerdotium. Est ergo Christi potestas, plenissima, iustissima & firmissima. Ipse omnium rerum Dominus, omnia in manu, id est in pleno dominio habens, Deus uerus, æternus, iustus, uiuus, omnipotēs, omnisque boni fons inexhaustus. Proinde probat Christus ab exemplo suæ personæ, Deum patrem delectari paruulis. Nā tameris Christus esset iuxta mundum abiectæ & contempta persona, tamen erat diuinæ uoluntatis ueluti proclamator & buccinator, docens uiam ad patrē, imò ipsa ad patrem uia. Iam cognoscere filium esse talem, non est humanarum uirium, sed donum Dei, qui tam magnum reuelat mysterium. Ut ne ergo excludamur ab hac agnitione rogemus Christum dicentem, Omnia, scilicet consilia & opera Dei patris, nota & cognita mihi sunt, etiam hoc iudicium Dei, de reiectis sapientibus & prudentibus. Imò, ut apertius dicam, his uerbis significat, quòd Deus pater effuderit in ipsum omnes affectus & omnem uoluntatem suā. In hunc uidelicet modum, quod quencunque filius in gratiam suam recipit, & amat: eum etiam recipiat in gratiam suam, & amet pater. Cuicumque remissionem peccatorum, salutem, & sempiternam fœlicitatem filius promittit, idem & pater promittat: adeoque nihil uelit filius, ut non & idem non uelit pater. Si ergo placet scire uoluntatem patris, à filio reuelatore pete. Si placet scire, quomodo erga te Deus pater adfectus sit, à Christo pete. Si fidem habere placet, à Christo pete, &c. Omnia tradita sunt Christo: ergo extra Christum non est patris cognitio, non est salus, non est remissio peccatorum, unde ait filius.

#### Et nemo nouit filium, nisi pater.

Receptissimum habent sacri doctores, quòd inter Dei & patris cognitionem hoc interest, quòd Deum naturaliter nouimus, Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & multò magis Angeli Deum naturaliter nouerunt. At patrem, ut patrem seu personam, neque Angeli neque homines naturaliter nouerunt. Quoniam mysterium trinitatis, ad quod spectant Pater Filius & Spiritus sanctus, supra naturalem cognitionem omnium creaturarum est. Propterea dicitur, Nemo nouit filium, quia notitia personæ seu trinitatis reseruat soli Deo, licet notitia Dei sit naturaliter cōmunicata. Particula, nisi, excipit Patrem simul & Spiritum sanctum, quòd Pater & Spiritus sanctus noscant filium. Ad huius difficultatis & nodi explicationem, obseruanda est regulā theologica, Dictio exclusiua seu exceptiua, addita termino personali in essentialibus non excludit alteram personam diuinam: ut huius propositionis, Solus pater est omnipotens, sensus est: Pater est omnipotens, & nihil aliud à patre est omnipotens. Iam neque Filius, neque Spiritus sanctus est aliud à patre. Nemo ergo nouit Filium nisi Pater. Sensus est: Pater nouit Filium: & nihil aliud à patre nouit Filium. Spiritus sanctus nouit Filium, qui est alius, sed non aliud à patre, cùm sit eiusdem substantiæ cum patre. En habes hic extremam humanarum uirium infirmitatē egregiè depictam, quæ nihil ex se possunt, in rebus Dei mysticis & Euangelicis perfectè intelligēdis. Nemo igitur nouit filium, id est, nemo scit, quis scit, filius Dei naturalis, proclamator diuinæ uoluntatis, uia ad Patrem, salus nostra, iustificatio, sanctificatio, redemptio, cur uenerit, quid nobis suo aduentu attulerit, quomodo erga nos adfe-

Potestas christi, rapina nō est.

Potestas christi quæ & quantā.

Patris & filij eadem uolūtas & idem affectus.

Nihil agit pater, nisi per filium.

Deus aliter cognoscitur, atque pater.

Cognoscere Trinitatem, seu personas, solū Dei est.

Regula theologica de particulis exclusiuis in diuinis personis.

Noscere filium, quid.



etus sit, & similia. Nam hæc scire, est noscere quis sit Christus, nisi pater, hoc est, si noueris Christum talem esse, uti nunc diximus, hoc donum Dei est patris, qui tibi reuelauit. Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. sed pater meus, qui est in cœlis.

### Neque patrem quis nouit, nisi filius.

Si quid de patre cognoscere desideraueris, hoc certè per filium, cui omnia tradita sunt, cognoscendum est. Quare filius audiendus est, & uerbis filij fides adhibenda, ut pater uel aliquo tantùm modo cognoscatur. Deum (Ioan. 1.) nemo uidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Deinde ad eum Pater seipsum in filium effudit, ut & Patris & Filij una sit uoluntas, una essentia, una potentia. Vnde quemadmodum nemo tam probè cognitam habet uoluntatem Filij, quàm Pater, ita uicissim nemo tam probè cognitam habet uoluntatem Patris, quàm Filius. Rogo te, quomodo reuelatur animus meus proximo? Dicis, per uerbum. Certè sicut uerbum est imago animi, & uerbo reuelatur quod in animo concepi: ita Christus Filius Dei est imago & uerbum Patris. Nemo igitur patrem nouit, nisi reuelatore filio, qui interdum per uerbum, interdum per inspirationem internam reuelat. Sensus uerborum est, uoluntatem, bonitatem, philàthropiam, misericordiam patris, & quòd nobis sit pater placatus, reconciliatus, &c. nemo neque certò nouit, neque statuit, neque experitur sine Christo filio reuelatore. Colligamus ex superioribus, duplicem esse cognitionem Dei, alteram generalem, quæ per creaturas Dei colligitur, de qua loquitur Paulus, Rom. 1. Hæc est omnium, & quodam modo naturalis. Non est hæc ex se sufficiens, ut immutet animū ad Christianismum. Altera est singularis & præcipua, qua non solùm potentia & bonitas illa Dei uniuersalis (qua repleta est terra) sed & consilium illud de saluandis per Christum mortalibus, à seculo absconditū, cognoscitur. De hac loquitur hic Christus: & ideo non dicit, nemo nouit Deum, sed patrem & filium. De hac etiam est illud Ioan. 17. Pater sancte, mundus te non cognouit. Et Ioan. 8. Cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Solet autem hæc uiua Dei cognitio habere adiunctum pietatis negotium. 1. Ioan. 2. Qui dicit se Deum nosse, & mandata eius non seruat, ueritas in illo non est. 1. Ioan. 4. Qui nõ diligit, non nouit Deū, quoniam Deus charitas est.

### Et cui uoluerit filius reuelare.

Ex misericordia & bonitate filij est, ad notitiam patris peruenire. Licet enim Pater, Filius & Spiritus sanctus reuelēt, quòd opera trinitatis ad extra sint indiuisa, & reuelare sit opus externum, tamen appropriatur (ut ita dicā) ipsi filio. Quia filius, factus homo, manifestauit hominibus mysterium trinitatis, Ioan. 17. Pater, manifestauit nomen tuum hominibus. Reuelat filius pro suo arbitrio, reuelat quando uoluerit, quibusdam maturius, quibusdam serius. Reuelat, quātum uult, quibusdam multum, quibusdam minus, omnibus tamen, quòd satis est. Non est igitur hæc cognitio patris, & mysterij absconditi à seculo, ex carne & sanguine, infra. 16. non est ex operibus creationis, non ex litera scripturarū, & magna scientia, sed est ex reuelatione, &c. 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Huius reuelationis medium uulgatissimum, est Verbum. Rarius siquidem sit reuelatio à Spiritu sancto solo, sine uerbo. Obiter ex superioribus discamus, Deum per filij uelut ministerium uelle innotescere mundo: imò nõ amplius de Deo nobis reuelati, nisi quantum nobis per filij ceu ministerium elucescit. Deinde neminem de patre quicquam certi intellectionem, nisi reuelante filio, qui suo spiritu uerè, & sanctè eruditus facit. Obserua: cum paulò antè legis patrem reuelare parutis, & hic, filium reuelare, cui uoluerit, agnosce patris & filij unam esse uirtutem & potentiam.

Vna potentia personarum.

Cognitio patris, &c. ex sola reuelatione.

Reuelatio per uerbum.

Vnius est filij, reuelare.

Cognitio Dei cum pietate.

Quæ cognitio Dei necessaria Christiano.

Cognitio dei duplex.

Uerbo patris cognoscitur pater.

### Venite ad me.

Hic aures arrigendæ sunt diligentissimè, atque summa hic opus est animi attentione, quòd in hac re tota salutis nostræ ratio consistat. Continent autem hæc amantissimi saluatoris nostri uerba, quouis melle mellitiora, tria: primùm suauissimam illam uocationem ad se, laborantium & oneratorum, quibus pollicetur refocillationem, hoc est, & corporis & animæ requiem. Deinde docet methodum assequendæ illius requiei. Postremò, adducit rationem, quare scilicet ex iugo suo sint, qui uolent, requiem inuenturi, dicens, Iugum enim meum suauis, &c. Verbo, uenite, uocat, & inuitat ad se. Sed quo pede ad ipsum ambulandum & ueniendum est? Fide, quæ per charitatem operatur. Hebr. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Iam rogabis, Quis est qui uocat nos? Christus Iesus, unigenitus Dei filius. Sed necesse est, ut potens sit, qui auxilium alijs pollicetur, & id præstare possit ad se uenientibus. Nihil uerius. Paulò antè huius gratia audiisti, Omnia mihi tradita sunt à patre meo: hoc est, ut alibi dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Rectè igitur ad se inuitat, postquam omnia tradita à patre accepit: & cognitionem patris solus dat. Nihil igitur disputandum de Christi potentia, quæ omnino plena & perfecta est, iusta & firma. Deinde uerbo, uenite, ultro se offert, & cunctabundos, animo propensiore ad se allicit. Vnde hic exprimitur, quanta sit huius inuitantis & potentissimi Domini bonitas, quàm propensa, & ad auxiliandum parata. Non enim dicit, si quis uenit ad me, &c. sed, uenite. Quo uerbo aperè manifestat, se patris æterni imaginem ferre, illam, quam propheta cõmendant, & de qua scribunt. Isaia, 55. Omnes sitientes uenite ad aquas, &c. Et toties repetitur illud, Conuertimini ad me, & salui eritis. Hier. 2. Labora, cum benefecero eis. Hinc illè querimoniam, Tota die expandi manus meas, Roma. 10. & Hier. 2. Me dereliquerunt, fontem aquæ uiuæ. Et 32. Verterunt ad me terga. Iam si ista duo coniunxerimus, nempè quòd omnem habet potestatem, & quòd paratissimo est animo ad iuuandum nos, quæ excusatio esse poterit. Imò quid prætexere poterimus, ut excusamur, si ad Christum uenire detrectauerimus? Imò quid molestius in Christo designare, cum ita diligit, ut gaudeat benefacere? & ultro ad se quous uocet, Obserua: uox, uenite, manifestat, mandatum ac præceptum esse, recipere Euangelium, & Christo credere & fidere. Vnde non recipere Euangelium, & non credere Christo, peccata sunt contra illud præceptum, uenite ad me, &c. Rogo te, pie lector, quid habemus, si æternam uitam nõ habemus? Hanc iam si solus Christus suis donat, dementes sunt, quotquot non pronis animis ad ipsum, benignè ad eum inuitantem, accurrunt. Rursus aduerte, hoc uerbo, uenite, &c. significatur, quòd uim ille & facultatem ad se ueniendi dat, ne quis de auxilio desperet. Rursus, obserua uocem, ad me, quasi dicat, ad me potentissimum Deū & hominem, in quo pater æternus sibi complacet. Huc nos dirigit Paulus, & causam dicit, cur eò abire debemus. Coloss. 1. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnes in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.

### Omnes.

Est Euangelium, uniuersalis promissio, quæ sine acceptione personarum ad omnes pertinet. Nullum hominem, nullum genus hominum uult Christus à se repellere. Nam non uocat unum aut alterum, non Iudæos tantum: non doctos, aut nobiles, aut opulentos duntaxat: sed omnes uocat, tam uiros, quàm mulieres: tam pueros, quàm senes: tam pauperes, quàm diuites: tam priuatos quàm Reges, tam inhonestos, quàm honestos: tam seruos, quàm Dominos: tam incircumcisos quàm circumcisos: tam Barbaros, quàm Græcos. Breuiter cuiuscunque professionis, sexus, nationis, & ætatis homines sint, neminem prorsus ab hac uocatione expellit, omnes uocat.

Fide ad Deū uenitur.

Christus quæcunque pollicetur, præstare potest.

Christus, imago & exemplar patris.

Inexcusabilis Christianorum negligentia.

Recipere Euangelium, & credere, & fidere christo, præceptum est.

Quod præcipit Christus, iuuat, ut exhi beatur.

Euangelium ad omnes pertinet.

Christus de omnibus idè.



## Qui laboratis, &amp; onerati estis.

Expolit & corrigit Christus uocem, omnes, ut intelligamus Euangelium esse, ceu morborum medelam: & ad pœnitentes, ac agnoscentes sua peccata, pertinere, & non ad homines securos, qui suo uitio obdurati, non sentiunt se laborare morbo peccati, neque oneratos illis esse, aded sensum peccatorum amiserunt. Sunt & hæc uerba, per occupationem dicta. Obiiciet quispiam: si Euangeliū solis parulis datur, & solus Christus huius cognitionis reuelator est, certe in magno discrimine conscientia mea uersabitur, priusquam audiam & cognoscam Euangelium ad me pertinere. Perditus ego peccator sum, & Euangelium fortè ad me non attinet: quid si ego indignus sum? Respōdet Christus. Venite omnes, qui laboratis, &c. Quasi dicat, Non est, quod propter morbos cum corporis tum animi, animos despondeatis: Non est, quod ullis à me abstrahamini morbis, anxietatibus, laboribus, sarcinis, grauaminibus, atque peccatis: nam hoc potissimum nomine adueni, id quod præmonuit Isaias, quum meo nomine 61. cap. ait, Spiritus Domini super me, ad annuntiandū mansuetis misit me: ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion. Idem legitur Luc. 4. cap. Ideo uos uoco, quod laborare, atque oneribus premi uos uideam. Adeste ergo, ad me concedite. Quicquid uos urget, apud me deponite. Certè ex hoc loco perspicuum est, Christum, eam potestatem, quam Christus, in hunc mundum missus, à patre accepit, non tam sui, quàm afflictorum gratia accepisse, scilicet, ut paratum afferret laborantibus auxilium. Non enim hoc solum agebat pater, ut filium ostenderet omnium rerum Dominum, quemadmodum solent principes huius seculi, qui nihil aliud quærunt, quàm ut uel ipsi uel filij rerum potiantur, & in omnibus pro uoto dominantur: sed magis hoc agebat, ut miseris & pereuntibus succurreret. Ideoque misit filium suum Deus in mundum, ut mundus saluaretur per ipsum, qui potestatem in hoc accepit, ut miseris succurreret. Exemplum hic accipiant magistratus, quibus à Deo data est potestas, scilicet nō ut priuatæ libidini liberius obsequantur, sed in gratiam laborantiū & afflictorū, ut ipsis succurrant & auxilientur. Obserua: hac oratione, Qui laboratis, & onerati estis, significatur, quicquid est curatū, afflictionem, & uitiorū, quibus homines uel animo uel corpore discrucari solēt, nempe legis onus, peccati iugum & afflictio, & quicquid aliud conscientiam turbare potest. Ideo nominatim hoc exprimit. Siquidem non dicit, hac uel illa calamitate tentati, sed simpliciter, qui laboratis, & onerati estis. Vniuersa hæc apud se deponere iubet omnes homines.

## Et ego reficiam uos.

O uerè uocem Euangelicam! Quicquid Euangelium continet, id torum hac uoce expressum est. Est enim reficere, præcipuus Euangelij effectus. Sonat quippe reficere idem, quod tranquillare. Promittit omnibus laborantibus, at neque simpliciter omnibus laborantibus, sed laborantibus simul & ad se uenientibus: promittit, inquam, summam animi tranquillitatem, securitatemque, adde & omnium bonorum satietatem, defensionem promptissimam, liberationemque à malis omnibus, ac consolationem in omnibus afflictionibus, & curis amplissimam. Verbum ἀναπαύω significat idem, quod reficio, & ut sic dicam, quiesco aut interpiro, & referendum est ad lassitudinis, remedium. Perseuerat enim adhuc in allusione, quæ dixerat, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Hinc respondens, ait, Ego reficiam uos, ego exonerabo, interspirare faciam, requiem à laboribus præstabo, æstumque animi leuabo. Diuus Chrysostomus, hunc enarrans locum, ait, Ego requiem uobis retribuam, Non dixit, uos saluos faciam: sed quod multò maius

maius est, in omni quiete uos constituam. Hæc ut amplius explicemus, his uerbis significat Christus, se omnes corpore infirmos & afflictos sanaturum & consolaturum. Christus enim ueniens in hunc mundum, & nolens in hoc mundo iuxta externam maiestatem regnare, accepit tamen hanc potestatem & uirtutem, non ad captandam quidem auram popularem diebus carnis suæ, sed ad confirmandam prædicationem Euangelij: ut quotquot infirmi sanitatem ab ipso, uel per se, uel per alios peterent; hos uerbo suo sanaret. Vnde Petrus Gentibus de Christo ita concionatur, Act. 10. Pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem. Et in Matthæo dicitur, Adduxerunt illi dæmoniacos multos: & eiecit spiritus uerbo, omnesque malè habentes sanauit. Primò igitur uerbis illis, Et ego reficiam, &c. ostēdit se uelle omnes, infirmitatibus corporali- bus laborātes, & ad se ueniētes, sanare. Sicut & uaticiniū Isaiæ 61. & apud Lucā, 4. demonstrat. Quod quidem uerbo expressit, & re ipsa tempore carnis suæ impleuit. Deinde hoc uerbo significat se uelle quoque mederi omnibus animi afflictionibus & oneribus. Nā sanatione corporis testificabatur, se præcipuè uenisse ad tollendos animi labores & onera. Maxima autem animi onera sunt peccata, ira Dei, Mors, Satan, & infernus. His oneribus nihil nec grauius nec molestius est. Quare cum omnes peccauerint, Rom. 3. onerati sunt omnes. Accedat igitur ad Christum, sine personarum acceptione uocātem, eundemque paratissimum, quod pollicetur, præstare. Oneratus est quispiam peccatis? Christus expiat & remittit ea. Oneratus est ira Dei? Christus fauet, & patrem placat. Oneratus est morte? Christus uita, uitam confert. Oneratus est tyrannide Satanæ? Christus Satanam opprimat & conculcat. Oneratus est inferno? Christus transfert in cælum. In summa quacunquē quis afflictione oneratus est, hæbet Christum refocillatorem. Huc enim tota uoluntas eius confertur, ut afflictos refocillet. Obserua: nostri medici nō absolute sanitatem pollicentur: dicunt enim, Conabor, uidebo, tentabo, experiar, num queam te refocillare & sanare. Sed hic summus medicus, qui uult & potest, sanare simpliciter promittit. Et ego reficiam uos, Ego, ego (inquam) solus, mea propria autoritate & uirtute. Ergo in me fidite. Operabuntur quidem & has uirtutes ministri mei, sed mea autoritate & meo nomine. Obserua ex his, extra Christum & gratiam illius, nihil aliud quidquam esse, nisi laborem & afflictionem, quicquid homo tentet. Item, quàm turpe sit homini Christiano dicere, Nescio quod eam, cui adhærē, cui credā. Discat uerò hic tenebrius, quid faciendum. Quo ibo, inquis? Ad Christū. Cui adhærēbis? Christo. Cui credes? Christo. Iam mihi uide, quid nominis feras: Christianus uocaris, & dubitas, quod eas, cui credas, cui adhærēas? Abi ad antesignanum, ducem inuictissimum, uictorem mūdi, carnis & Satanæ. Non ergo diuites, & huiusmodi, quietem desiderantes, currant ad suas diuitias, aut uoluptates & delicias carnis, in quibus neque Croesus ditissimus, neque Alexāder magnus, neque Xerxes rex regum, illam inuenerūt. Ad Christum igitur, qui nos inuitat ad hanc quietem, eamque uult & potest dare, fide uiua confugiamus, & curramus omnes. Huc igitur referri debent alia, his uel paria uel euidentiora, loca, ut Ioan. 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui crediderit in me, flumina de uentre eius fluent aque uiuæ. Item, quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quæ ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ, salientis in uitam æternam. Paulus act. 13. ait, Quia per hunc uobis remissio peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moyfi iustificari. In hoc (id est per hunc) omnis, qui credit, iustificatur. Ergo uani sunt, & uanitatis doctores, qui docent requiem & incolumitatem animarum, præterito Christo: ut pote qui solus sit salutis autor, & per quem salus nobis contingit. Nō enim est nomen aliud sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Itaque si rogabis, Quomodo

Euāgelium, quorum est.

Christo potestas data, propter nos.

Magistratus imprimis miseris respiciant.

Recreare &amp; reficere, præcipuus Euangelij effectus.

Reficiendi uerbo, quid continetur.

ἀναπαύω.

Christus corporis &amp; animæ medicus, sed præcipuè animæ.

Oneribus animi nihil grauius.

Christus onera omnia deicit.

Christus, me dicus bonus &amp; incōparabilis.

Extra Christum nihil, nisi labor.

Christiani nō est, incertum unquā esse, quod se uertat.

Nullibi, quā in Christo, quietes.

Quies cōscietis quomodo paranda.



id nobis contingit, ut quieta simus conscientia? Respondeo. Prædicatur tibi Evangelium. Huic prædicationi credis. Cum primum ergo huic fidem habes, & Christo te addicis, ac pœnitentem te peccasse, & Christum amplexaris, adest ilico Spiritus sanctus, qui tranquillat tuam conscientiam de remissione peccati, testimonium reddens spiritui tuo, quod tu es filius Dei. Hoc uerè est reficere & refocillare eos, quorum conscientia est perturbata, quum scilicet senserint, peccata esse remissa, seque regni Dei hæredes euasisse. Et ut supra adnotauimus, non solum Spiritus ille in peccati lucta & tentatione refocillat, uerum etiam in aliis calamitatibus & ærūnis nobis adesse uult. In fame, ut patriarchæ Iacob per Iosephum filium: in bello, ut Dauidi, &c. & aliis huiusmodi, si ad eum recurrerimus, nunquam sua ope nos destituet. Fidelis enim est, seipsum negare non potest. Promisit, uerax est, stabit promissis.

Spiritus sanctus aduersus omnes calamitates præsto est.

### Tollite iugum meum super uos.

Totus hic locus, cum sequenti textu, pertinet ad genus deliberatiuū. Et est adhortatio ad crucem à pietate, quia crux mandatum Dei est: à facili, propter ultro oblatam gratiam: & ab utili, scilicet ad refrænamandam carnis lasciuiam. Quia uocauerat & inuitarat omnes ad refocillationem, seu quietem, & communionem omnium boni, nunc explicat, quid uicissim à nobis postulet: hoc est, quid facere debeamus, ad hoc, ut requiem animarum, quam pollicetur, inueniamus. Tollite (inquit) iugum meum super uos: hoc est, seruite Domino Deo, ipsumque colite perpetuò. Est profectò iugum, seruitutis symbolū. Vult igitur significare per iugum, ut nos ipsos disciplinæ magisterioque suo subdamus, & concredamus: amplectentes ipsum, ceu magistrum, dominum, ac præceptorem. Præceptum est ferre crucem, quam ne quis portare detrectet, extenuat illam Christus, & facile esse ostendit, si exemplo Christi portetur, hoc est, nomine ueritatis, nõ autem quemadmodum fur aut latro, illam portat. Porrò gentes in rebus aduersis ac persequutione consolationem acceperunt à cõscientia recta. E contrario quid iniquius mala conscientia, quæ, ut est mille testes (ut ait Cicero) ita sanè ob meritã crucẽ mera est carnificina? Tollite igitur iugum meum, hoc est, impositam crucem patienter suscipite: uocationem uestram æquo animo portate, & exercete. Iugum meum nullum affert homini dispendium, nihil præcipit imponit ue inhumanum. Et quanquam uideatur carni inhumana esse mea religio, & onus asserere impportabile: portabile tamẽ, minimèque asperum est aut seuerum. Nam uiuere secundum Euangelium, non modò conducit ad consequendam uitam æternã in futuro seculo, sed in præfenti quoque uitam nostram reddit iucundam. Scottari enim, potare, & uoluptatibus huius seculi indulgere, optimam & suauissimam uitã nostræ partẽ corrumpt, & irreparabilibus implicat calamitatibus: cum tamen nihil cõtrã magis congruere cum natura hominis uideatur, quàm philosophia Christi, quæ ferè nihil aliud agit, quàm ut naturam collapsam suę restituat innocentie ac sinceritati. Ad hæc nihil tam amarum est, quod non condiat, condulcètque charitas. Quæ facit ut onus Christi, ueris Christi cultoribus leue esse uideatur. i. Ioan. 5. Hæc enim est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus: & mandata eius grauiã nõ sunt. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, uincit mūdum: & hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Obserua: Quoniam huc tota uoluntas Christi tendit, ut afflictos refocillet, hoc est, ut requiem inueniamus, ideo adiecit modum adsequendæ illius requiei, dicens, Tollite iugum meum super uos, quod est commodum: & opus meum, quod est leue. Tollere iugum Christi, est credere uiua fide in Christum, quod propter ipsum habeamus remissionem peccatorum (operantes in charitate) placatum patrem, & uitam æternam. Cum ita credimus, uocationem nostram seu crucem nostram post Christum suauiter ferimus.

Iugum.

Crucis accerbitas temperatur exemplo Christi.

Nihil magis naturam hominis neque uiuat, neque ornat, quam Euangelium.

Charitas omnia condit & lenit.

Tollere iugum Christi, quid

### Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Discite à me, scilicet formam ferendi crucem, & propter quid ferenda sit. Hoc loco mitis significat pacificum & patientem, qui de suo iure cedit, & patienter fert iniuriam. Humilis est, qui contra persequutores non insurgit. Discite à me, qui maledicentibus mihi non remaledico: qui malis adficientes me, non retalia. Petri. 2. Debent discipuli Christi discere humilitatem & mansuetudinẽ, ut requiem, quam pollicetur Christus, inueniant. Atque in hũc sensum hæc uerba Diuus Augustinus accipit. Qui tamen si probè doceat, uidetur tamen mihi Christus his uerbis nos blandè inuitare ad suam doctrinam. Ac si dicere uellet: Quia ego dixi me natura pro uultuoso & tetrico rigidòque homine me habet: sed nõ sum talis ingenij, imò mitis & humilis corde sum. Ego homines non, ut Moses, perterrefacio. Prædico remissionem peccatorum: nec quæro, mihi ut detur aliquid, nisi animus fiducia comitatus: sed potius, ut quicquid boni est, accipiatur. Nõ mihi Pharisæorum ambitio & supercilium adest, qui se magnificari cupiunt: sed totus mansuetus sum & humilis corde, paratus ad excipiendum peccatores. Quos, si rursus in peccata recidunt, tamen à me non reiciio, si modò ad me confugiunt, & solatium ac auxilium à me certa fiducia expectant. Non, Pharisæorum exemplo, homines diris deuoueo, qui etiam ob suas institutiunculas, & humana commenta, anathemata homines faciunt, citius permiffuri, omnia præcepta Dei negligi, quàm unum ex suis statutis & placitis non obseruari. Proinde singulari significato Christus dicit hũc, se mitem esse, ac si diceret: Ego noui, quomodo peccatores tractandi sunt: ipse periculum feci, quæ sint infirmitates humanæ (Epistola ad Hebræos. 5. testatur, ipsum tetatam per omnia pro similitudine, absque peccato) Quare nemo me abhorreat. Ego placidè & amicè omnes tractabò, nihil furioso uultu dicam, ne mini terrorem incutiam, ut non cum fiducia omnes (si uolent) & intrepidi me ad-eant, apud me animabus suis requiem inuenturi. Quare cum uideatis me tanta mansuetudine & humilitate præditum, ut nullum abiiciam, quantumcunque miserum, nullum fastidium, quantumcunque peccatorem, agite, uenite, credite, præcepta mea seruate, & inuenietis requiem animabus uestris.

Mitis, quid.

Humilis.

Christus, nihil minus, quàm (qui putabatur) rigidus

Christi mores, ab omni fastu alienissimi.

Omnibus licet Christum adire.

### Et inuenietis requiem animabus uestris.

Argumento ab utili, adducit fructum & effectum crucis, ut eam exemplo suo portare discamus & eam spiritualẽ. Quasi dicat, Forinsecus quidem in corpore afflicto & persequutio uobis accidere potest. Calamitates premere uos possunt. Verum hæc omnia leuiter ferre debetis. Hoc ipsum monebat & quũ diceret apud Ioannem, In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram. Quapropter etsi extrinsecus omnia nobis aduersa obtingant, perinde atque opprimere & deuorare nos uelint, nihili tamen facienda sunt. Si quidem intus in conscientia, id est, in animabus seu animis nostris, pacis sensum habemus. Atque hic est primus fidei ueræ fructus, ut Paulus ad Rom. 5. ait, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum. Iam enim conscientia nostra pacata cum sit, & cum Deo pacem habeat, nihil nos mouere poterit, nihil etiam nobis incommodabit, quamlibet in speciem malum & aduersum existat. Colligamus ex his, quod ait Christus, Quanquam foris crucem feratis, sentietis tamen in ipsa cruce consolationem in animis: & hanc sentire, est inuenire requiem animabus.

Pax cõ Deo & conscientia, fructus primus fidei.

### Iugum enim meum suauè est, & onus meum leue.

Aetiologia est, quamobrem tollenda sit crux, ab utili & facili. Iugum quidem & onus, est, seipsum abnegare, quod durum carnalibus uideretur, non autem sanctis & credentibus, cum spiritu ducantur, & uiuant, eoque sciant Deo se curæ esse, & pro omnibus quæ Dei causã relinquunt, centuplum in hoc quoque seculo, &

Crux, iugum, nõ filiis Dei sed seculi.



æternam insuper uitam recepturos. Tum denique & momentaneam leuēque afflictionem nostram, mitē supra modum, æternum pondus gloriæ parere. 2. Corinth. 4. Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsentī est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ uideatur, sed, quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporalia sunt, quæ autem nō uidentur, æterna. Cū dicit, Iugum meum, &c. confert per antithesin iugum, hoc est, Euāgelium suum, cum iugo legis, quam portare non poterant Iudæi. Ne igitur detrectent Euāgelium, aut laborantes & onusti fugerent, sed ut inuitantem adirent, ab eo exonerandi, ait, Iugum meum audacter accipite & portate: facile est & commodum ac utile, nemini afferens dispendium. Aliud est ab eo, quo dominantes in hoc seculo premunt suos. Nam qui hīc præsentibus rebus, iuga subditis imponunt, non ad hoc, ut illis pareatur requies, sed ut sibiipsis liceat pro libidine uiuere, ut ut habeant subditi. Christus uerō non ita, sed iugum meum (inquit) non adfliget uos, sed requiē præstabit. Deinde qui dominantur, curant, ut graui onere premant subditos, ne reluctentur, ita ut uix illis respirare liceat. Exempla sunt in sacris literis Pharaonis, deinde Roboam, 3. Reg. 12. & ceterorum. Obserua: mundo quidem graue & intolerabile esse apparet iugum Christi, sed secus res habet, quandoquidē nusquam non adest, qui onustos adiuuet: & vulgò dici solet, Cum commodo sodali, graue non est cantare. Vos duo, (inquiunt) onus faciliē gestabitis, etiam si alter, non admodum fortibus humeris subnixus sit.

Iugum principum huius seculi.

Onus Christi leue facit ipsius auxiliū.

## CONCILIATIO I.

Quid est, quod hoc capite Christus confitetur, laudat & commendat nomen patris, ob absconditum Euāgelium sapientibus & prudentibus huius seculi, & reuelatum paruulis, cū Luc. 19. fleuerit ipse super Ierusalē, in qua erant sapientes & prudentes, quod non agnoscerent tempus uisitacionis suæ, seu suæ salutis? Respondeo iuxta Chrysostomi doctrinam. Non exultat Christus propter ignorantiam sapientum: sed utitur in hac loquutione vulgari modo loquendi. Cū enim quis ex horribili casu sibi frāgit crur aut brachium, solemus dicere, Gaudeo, quod crur frēgeris, & non toto corpore quassatus fueris. Hic non intelligimus fractionem cruris nobis gaudio esse, sed significamus nos id demum gaudere, quod cū tam horribilis casus minatus sit interitum totius corporis, euaserit tamen, fracto duntaxat crure. Eadem forma loquendi etiam Paulus utitur Rom. 6. Gratias ago Deo meo, quoniam fuistis serui peccati, obedistis autē ex corde, in quam traditi estis, formam doctrinæ. Nō agit gratias Paulus, quod peccauerint, sed agit gratias, quod cū magna peccata perpetrauerint, è peccatis liberati sint, & obedierint Euāgelio. Sic & Christus hoc loco non gaudet de cæcitate sapientū: sed cū sapientes & prudentes huius seculi, abiiciant, contemnant, & persequantur Euāgelium, exultat & gaudet, quod Deus Pater uel saltem abiectis & imprudentibus hominibus, hoc est, simplicibus & spiritu pauperibus reuelauerit Euāgelium, & elegerit ipsos, ut per ministerium ipsorum, Euāgelium in toto orbe terrarum promoueat.

Christus an gaudeat, Euāgelium absconditū prudentibus seculi.

## CONCILIATIO II.

Quomodo iugum Christi suaue est, & onus eius leue, afferens requiem animabus, cū uideatur nullum unquam grauius extitisse, & maiorem turbam in conscientia excitare? Dixit enim supra, 5. cap. Ego autem dico uobis, nō resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alterā. Item: ego autem dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite iis, qui oderunt uos: & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Et multa alia, his non solum

similia, sed & grauiora præcepit Christus. Quid autem hoc iugo grauius? Et quis sibi ex his seuerissimis legibus non citius prōmitteret damnationē, quā requiem & salutem, quando additur, eum, qui hæc præcepta non obseruauerit, obnoxium esse gehennæ incendio? Respondeo: durissimæ & seuerissimæ sunt hæc leges carnalibus, non autem spiritualibus, quos hīc instituit Christus. Quæ autem supra capite. 5. & 6. leges scribuntur, non nouæ quidē sunt, nec recens à Christo lata, sed sunt ueteris legis expositio, nec alia expositio, quā quæ ab ipso Mose & prophetis indicata, à Pharisæis autem humanis traditionibus obscurata fuit. Lex igitur nō est iugum Christi. Et cū Christus legem recenset & explicat, non imponit discipulis aut suum aut nouum iugum, sed ostendit tantum ipsis, quanto iugo & onere à lege premantur qui secundum carnem obseruant. Aduentus autem Christi in hūc mundum fuit, potius, ut homines à iugo legis liberaret, quā ut nouo legis iugo oneraret. Ad Galat. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Galat. 3. Christus nos redemit de maledicto legis (quæ est iugum) factus pro nobis maledictum. Quare cū Christus dicit, Iugum meum suaue est, & onus meum leue, nō loquitur uel de lege Moyfi, uel de sua expositione, qua legem Moyfi explicuit: sed de proprio suo officio loquitur, propter quod in hunc mundum missus est, uidelicet de Euāgelio suo. Suaue est profectò & leue seu facile credere in Christum, neque minus delectabile, quā per hanc fidem tum pareatur requies in animis nostris, tum annūtiatur nobis libertas à peccatis, morte & inferno. Cū igitur Christus legi perfectè satisfecerit, peccata expiauerit, promittat & ostendat gratiam & clemētiā Dei, quid hoc iugo suauius, præcepta seruantibus? Feramus igitur hoc iugum: id est, credamus in Christum, quotquot laboramus & onerati sumus, & dabit nobis requiem, remittendo peccata, ac placando iram Dei. Graue erat iugū lex Mosaica. Proinde his uerbis, iugum meum suaue, &c. Idem significare uidentur Christus, ac si diceret, Lex multa & magna exigit, quibus caro non potest quidem perfectè satisfacere. Sed ego, quia satisfeci perfectissimè toti legi: dono & cōmunicō meam satisfactionem omnibus, qui in me credunt, ut non aliter ea in conspectu Dei fruantur, quā si ipsi legem perfectè impleuissent. Quid hoc ergo iugum suauius? Obserua: iugum hoc non est iugum, onus item hoc non est onus. Nimirum iugum hoc, siue onus, uerius est exoneratio, atque alleuatio à fasce.

Lex euangelica, carnalibus prædura

Lex, non est iugum Christi.

Euāgelium iugum Christi.

Christus & legi satisfecit, & satisfactio nem suam cū omnibus cōmunicat. Iugum non iugum, onus non onus.

Quid quæso grauius ponderosius uel peccato, quod hoc iugum siue onus tollit? Est igitur hoc iugū & hoc onus diligenti assumptum, remissio peccatorum, anti quatio mortis, condonatio uitæ & beatitudinis æternæ. Hæc reuera, & commoda & suaui sunt. Quis ergo, nisi demens, iugo huic submitti, & huic oneri subesse recusat?

## IN CAPVT XII.

## Epitome.

Confutatis Pharisæis de euulsione spicarum in sabbatho, manum aridam sanat, & demoniacum, eosque signum petentes arguit, & qui sint filij Dei, demonstrat.



Discipuli esu-  
riētes spicas  
in sabbatho  
uellunt.  
Marc. 1. d.  
Luc. 6. a.  
2. Reg. 21. 6.  
Nume. 28. a.



Misericor-  
dia sacrificiū  
Osc. 6. c.

Arida man-  
sanatur in  
sabbatho.  
Marc. 3. a.  
Luc. 6. b.

Isa. 42. a.

Gentiū spes  
Christus.  
Dæmoniac-  
sanatur.  
Marc. 3. c.  
Luc. 21. b.

Blasphemia.

Regnum di-  
uinum.

Spiritus Dei  
Regnū Dei.

**N** illo tempore, abiit Iesus per sata sabbatho: discipuli autem eius esurientes, cœperūt uellere spicas, & manducare. Pharisei autem uidentes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciūt, quod nō licet eis facere sabbathis. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domū Dei, & panes propositionis comedit, quos nō licebat ei edere, neque iis, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut nō legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum uiolant, & sine crimine sunt? Dico autem uobis, quia templo maior est <sup>b</sup> hīc. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam uolo, & nō sacrificium, nunquam condemnassetis <sup>c</sup> innocentes. Dominus enim est filius hominis, etiam sabbathi. Et cum inde trāsisset, uenit in synagogam illorum. Et ecce homo manum habens aridam: & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbathis curare: ut accusarent eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex uobis homo, qui habeat ouem unam, & si ceciderit hęc sabbathis in foueam, nōne tenebit, & leuabit eam? Quāto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbathis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera. Exeuntes autem Pharisei, cōsiliū faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens, secessit inde: & secuti sunt eum <sup>d</sup> multi, & curauit eos omnes, & præcepit eis ne manifestū eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans nō extinguet, donec eiiciat ad uictoriā iudicium. Et in nomine eius Gentes sperabunt. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus: & curauit eum, ita ut loqueretur & uideret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant, Nunquid hic est filius Dauid? Pharisei autem audientes, dixerunt: Hic non eiicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuinum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas uel domus diuisa contra se, non stabit. Et si Satanā Satanā eiicit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnū eius? Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filij uestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices uestri erūt. Si autem ego in spiritu Dei ei-

a. Sine crimine  
uel, nisi  
eis impa-  
tur.  
b. Hic est  
uobis  
loci est.  
c. Inno-  
tes) ius-  
xion.

Vnde  
mum  
raculum

d. Multi  
turbæ  
ta.

Duo  
mum  
raculum

cio dæmones, igitur peruenit in uos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domū fortis, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet? Qui non est mecum, contra me est: & qui nō congregat mecum, spargit. Ideo dico uobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus <sup>e</sup> spiritus autem blasphemiae nō remittetur. Et quicumque dixerit uerbum contra filiū hominis, remittetur ei. Qui autē dixerit cōtra Spiritum sanctum, nō remittetur ei, neque <sup>f</sup> in hoc sæculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies uiperarū, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro cordis p̄fert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem uobis, quoniā omne uerbū otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationē de eo in die iudicij. Ex uerbis enim tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condēnaberis. Tunc responderunt ei quidā de Scribis & Phariseis, dicentes: Magister uolumus à te signū uidere. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signū querit: & signum nō dabitur ei, nisi signū Ionæ prophete. Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terre, tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cū generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas <sup>g</sup> hīc. Regina Austri surget in iudicio cū generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hīc. Cū autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domū meam, unde exiui. Et ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam & ornatam. Tūc uadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, querentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres foris stant, querentes te alloqui. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

Marc. 3. d.  
Luc. 12. b.

Arbor bona  
aut mala.

Luc. 6. g.

Viperæ.

Verba bona  
ex bono cor-  
de.  
Verba testā-  
tur de homi-  
ne.

Signa que-  
runt Iudæi.  
Luc. 12. d.

Ionæ.  
Resurrectio-  
nis signum,  
Ionas.

2. Petr. 2. d.

Christū uult  
mater allo-  
qui.

Marc. 3. d.  
Luc. 8. c.

Mater Chri-  
sti, frater,  
Soror.





Formula est connexionis historice. Posteaquam enim Matthæus de uera Dei cognitione, fide & pietate, hoc est, de cultu Dei interno, & ipsa religione rectè differuit, nunc initio duodecimi capitis commodè differit de externa religione corrigenda seu constituenda. Atque huius disputationis occasio oritur ex obseruatione Sabbathi, quod Christus à Iudaica superstitione repurgat. Bonam enim partem Iudaicæ religionis Sabbathum comprehendit.

## Abiit Iesus per sata sabbatho.

Huius disputationis, seu sequentis euentus occasio, talis est, Dominus Iesus sabbathis proficiscebatur, & iter faciebat per segetes. Luc. 6. cap. legimus sabbatho secundo primo. Quidam cum Hilario, & ita Græci, *σάββασι*, legunt, sabbathis, eò quòd Iudæis nonnūquam toti septem dies essent feriat. Totum ergo illud tempus uocabatur sabbathum, & singuli dies, sabbatha. Iudæi (inquit Theophylactus) omne festum, sabbathum uocabāt. nam sabbathum requiem sonat. Sepenu- merò igitur incidebat festum in parasceuen, & uocabant parasceuen, sabbathum, propter festum. Itaque quod propriè sabbathum erat, nominabant secundo pri- mum, quod secundum esset ab altero festo, & à sabbatho, quod præcesserat. hactenus ille. Chrysostomus homilia in Matth. 40. indicat hoc esse sabbathum, à Luca appellatum *δευτέρου*, id est, secundo primum, quando scilicet quies atque oc- cium duplex erat, tam sabbathi Domini, quàm solennitatis succedentis: hoc est, prima festiuitas, quæ proximè sabbathum secuta fuisset, sabbathum secundo pri- mum uocabatur. Quidam opinantur, quòd primus solennitatis dies dicebatur pri- mum sabbathum: ultimus uerò dies, qui æquè celebris erat, secundo primū. Ad- notauit sanctus Ambrosius nouè dictum, secundo primum, pro eo, quod est, pri- mo secundum, id est, primum sabbathum, ipsam diem utique Pentecostes mox se- cundo loco insequens. Cùm uerò oporteat hoc secundoprimum sabbathum circa messem fuisse, nempe cùm iam spicæ esui aptæ erant, uideri potest uel ipsum diem Pentecostes sic uocatum esse. Nam circa festum hebdomadarum falcem mittebāt in segetem, quemadmodum legitur Deutero. 16. Ideo uerò & festum messis pri- mitiuorum appellatur, Exod. 23. Et oportuit hæc circa messem esse gesta: alioqui enim nullas inuenissent spicas discipuli. Alij uocant secundoprimum, quòd dies celeberrimus esset. Phrasis enim est, qua aliquid præcellens designatur, quemad- modum & dum quis dicit, Hoc est bis pulchrum, id est, ualde pulchrum. Ita illud sabbathum Lucas uocauit secundo siue bis primū, quòd dies præclarissimus erat. Cuiusmodi erat Pasche, Pentecostes, aut similis. Sed de his nolo cū quoquam con- tendere. Satis est indicasse, diem fuisse sacrum, in quo nefas esset operis aliquid fa- cere.

Discipuli autem eius esurientes, cœperunt uellere spicas,  
& manducare.

Qui etiam quinque milia hominum modico pane paut, poterat discipulos suos abundè satis pascere. Sed non sine peculiari dispensatione Dei factum est, ut sabbathis potissimum ita discipuli esurirent, & per segetes iter facerent, & id præsentibus Phariseis, qui omnia Christi opera calumniabantur. Necessarium enim erat dari Domino occasionem prodendi, quid de sancta & magnifica sabbathi religione statueret. Cùm dicit, Esurientes cœperunt, &c. Euangelista necessi- tatem uiolati sabbathi signanter addit: ne quis opinaretur discipulos ex temeritate aut contemptu uiolasse sabbathum. Confricant manibus spicas, & in eisdem con- solationem accipiunt: hoc signo ostendentes, uitam suam austeriorem, qui nec simplicem cibum, nec præparatas haberent escas. Qua in re admirari licet discipu-

Sabbathum, bona religio nis Iudaicæ pars.

Sabbathū Iudæis pro feriis. Sabbathum, quid. Sabbathum secundoprimum.

Sabbathum primosecundum.

Multiplicat' numerus ad excellentiam facit.

los, qui nullam rerum corporalium curam habent, sed contempta carnali mensa, & si fame oppugnentur, non tamen auertuntur à sequendo Christum. Deinde reliquit Dominus suos esurire, ut ferendæ fami affucscerent, discerentque modicis esse contenti. Futurum enim erat, ut post abcessum eius, famem experturi essent: de qua re legitur Paulum, 2. Corinth. 11. In fame & siti, in ieiuniis multis, &c. Et ipse Dominus Luc. 22. admonens illos, Quando (inquit) misi uos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram. Præterea tanto desiderio promouendi Euangelij tenebatur Dominus, adeoque totus erat in prædicando, ut nullum tum reliquerit tempus uentri curando. Marc. 6. Erant enim, qui ueniebant & redibant, multi, & nec spatium manducandi habebant. Quòd si per otium licuisset, multos habebāt, qui lubenter ipsos hospitio exceperunt, & laute tractassent ac cibassent, sed prius erat Domino Euangelij propagandi studiū cura uentris alendi. Hic locus arguit delicatulos, qui curandi uentris gratia, prædicationem Euangelij deserunt, atque ita uentri saginando student, ut nihil plane famis sentiant, & se nulli tolerantia idoneos reddant. Præstaret profectò ad exem- plum Christi in tempore institui, & exerceri ad futura. Paulus profectò hoc didi- cerat, Ad Philipp. 4. dicens, Ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. Vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia posui in eo, qui me cõfortat. Cùm dicitur, Cœperunt uellere spicas, supple, coacti necessitate famis. En opus neces- sitatis, propter quod scandalizantur Pharisei, qui libertatem Christianam non in- telligunt. Et manducare, iste est finalis usus, propter quem discipuli uellerent spi- cas. Et hac manducatione demonstratur necessitas famis.

Pharisei autem uidentes, dixerunt ei.

Quemadmodum antea inuida Phariseorum exprobratio nobis optimè pro- fuit, propterea quòd occasione eius didicerimus de Christo, quod sit uerum ipsius officium, & quæ sit uera Pharisæarum traditionum ratio. Ita nūc nobis magnam affert utilitatem, quòd Pharisei expostulant cum Christo de uiolatione sabbathi: hac enim occasione explicat Christus, quid rectè sentiendum sit de obseruatione, non solum sabbathi, sed etiam omnium legum tam politicarum, quàm caremo- nialium. Quare si nobis recta publicarum legum cognitio curæ est, diligenter ani- maduertamus, quod hoc loco scribitur. Vide autem mihi (prò facinus) impia hy- pocrisis, maximorum suorum uitiorum oblita, semper inuenit in altero, quod fa- stidiat, calumniatur, arguat, & reprehendat.

Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbathis.

Offenduntur Pharisei, neque personas, neque necessitatem in opere conside- rantes. Ecce, attentionis est particula, qua significant Pharisei, se nunc iustam ali- quam habere causam damnandi Christum. Discipuli tui faciunt, accusatio discipu- lorum est, de uiolatione sabbathi, quòd, quia mandatum Dei præ se habet, iustif- sima creditur esse accusatio. Quod non licet, scilicet diuina lege. Hic locus & alij, aperiunt, quomodo Pharisei, uelut uehementer iusti, Christum comitabatur in- ter reliquam turbam, non ut ab illo discerent, sed ut obseruarent illius dicta & fa- cta: haberentque quod carperēt, tanquam diuinæ legis custodes, quibus quasi pe- culiariter, hoc demandatum esset officij, ut singulorum uitam & religionem ob- seruarent & arguerent. Non exprobrant, quòd alienas segetes discipuli uellant. Hoc enim iuxta legem, Deuter. 23. licebat. Si intraueris segetem amici tui, fran- ges spicas, & manu conteres: falce autem non metes: sed id exprobrant, quòd id fa- ciant die festo. Audiamus sententiam expostulationis, qua Pharisei exprobrant Christo, quòd discipuli eius uiolent festum diem. Condonare (inquiunt) & tole-

Discipuli pa- rientes in- die.

Quæsti Chri- sto studium promouen- di Euange- lium.

Iudæi lace- scetes Chri- stum, nobis profuerunt non parum.

Hypocrisis, crimè horre- dum.

Pharisei, alie- næ uitæ spe- culatores.



Sabbatum  
quàm reli-  
giosum Tu-  
deis.

rare quidem possumus, ut edas cum peccatoribus, ut Pharisæas cōstitutiones non obserues: at tolerari non potest, ut lex diuina uioletur. Huius autem diei obseruatio est ab ordinatione diuina. Voce enim diuina dictum est, Nullū opus seruale facietis in eo. Quibus uerbis perspicue significat Dominus, quod nō minori religione hunc diem festum obseruari uelit, quàm ipsum septimi diei sabbatum. Quid quæso religiosius obseruari præceptum est, quàm sabbatum? Nam quòd Deus post creaturas recens conditas, septimo die quiescit, argumentum est manū festum, nihil operis seruilis sabbatho faciendum. Quid? huius diei obseruatio, an nō etiam miraculo confirmata est? Nam quum Israëlita ex Aegypto in desertum proficiscerentur, pluit Dominus manna de cælo singulis diebus, & cum referuaretur usque ad mane alterius diei, cœpit scaterere uermibus, & computrescere. Sexta autem die dedit Dominus duplices cibos, qui usque in sabbatum referuati, non computruerunt. Voluit igitur hoc signo Dominus demonstrare, diem sabbathi summa sanctitate, otio sancto & quiete obseruandum esse. Vnde quum filij Israël (Numerorum. 15.) deprehendissent hominem in sabbatho ligna colligentem, & Moses nesciret, quo supplicio hic homo afficiendus esset: respondit Dominus, Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Et, ut huius diei obseruatio maiori religione inculcicaretur, præceptum de sabbatho relatum est in catalogum decem illorum uerborum, quæ totius legis summam continent: & sortitum est tertium locum, ut quò illustriori loco positum esset, eò sanctiori religione obseruandum significaretur. Cum igitur hic dies sit sabbatum, nec solum sabbatum, sed & sabbatum secundo primum, hoc est, dies septima festi solennis, non minori obseruatione seruanda, quàm sabbathū, apertissimum est discipulos tuos tantò grauius aduersus Deum peccare, quantò præfractius legem Dei uiolant. Profectò prorsus intolerabilis est tanta peccandi licentia. Vobis ne solis impune erit, tam humanas quàm diuinas leges uiolare? Nihil minus feremus. Quare diligentem da operam, ut discipuli tui legem Dei obseruent: alioqui breui curabimus, ut potè non liceat uobis tam præfractè peccare. Hæc potuit esse hypocritarum expositio, qui uidentes festucam in oculo fratris, nō animaduertunt se trabem in oculo suo gestare. Quid autem huius cæcitatē est causa? Toti madebant liuore, inuidia, auaritia, arrogantia, contemptu proximi & impietate. Hi typum eorum gerebant, qui nihil hodie aliud obseruant in auditoribus & prædicatoribus Euangelij, quàm unde aucupentur translationem eorum, qui Euangelium docent. Non obseruant, quid illi doceant, sed qui uiuant: ut si concionator quicquam deliquisse putetur, nusquam non coram auditoribus suis traducatur, ut illorum mentibus suspectus reddatur. Certè hi Pharisæi typum gerebant istorum inuidorum hominum, omnia calumniantium.

In arcanos  
insidiatores  
Ecclesiastarum.

At ille dixit eis.

Dignatur Dominus discipulos suos defendere duobus exemplis, & duabus sententiis, quibus inter se collatis refellit Pharisæos aduersarios suos, & legem Dei de sabbatho exponit.

Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

Exemplum Dauidis patriarchæ (cui nusquā aduersari uellent sanctissimi scilicet illi Pharisæi) adducit ex. 1. Reg. 21. Christus: Non legistis, &c. Quasi diceret. Nota est uobis historia de Dauid: qui, quum, paucis comitatus seruis, fugeret Saulem persecutorem suum, diuertit ad urbem Niobe, in qua habitabat summus sacerdos, nomine Achimelech. Et quum esuriret, postulauit à sacerdote pa-

nes. Sacerdos autem respondit: Non habeo panes laicos, sed tantum panem sanctum, seu panes propositionis. Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, manducant. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt uasa puerorum sancta. Porro uia hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in uasis: hoc est, scimus quidem non licere ex lege laicis manducare panes propositionis, sed quia & fame cogimur, & mundi sumus, & mundis omnia sunt munda, ideo licebit & nobis his panibus uesci. Porro de his panibus lex Leuit. 24. ita dicit, Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinfecus super mensam purissimam coram Domino statues: & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula sabbatha mutabuntur coram Domino, suscepti à filiis Israël scedere sempiterno: eruntque Aaron & filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto. Lex inquit, erunt Aaron & filiorum eius. hoc est, non liceat aliis hominibus manducare hos sanctos panes, qui coram Domino per totam hebdomadam positi erant (unde & panes propositionis dicti sunt) & pertinent tantum ad summum sacerdotem, & filios eius: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. Iam si conferantur hæc ad euulsas & comestas spicas à discipulis in sabbatho, reperient Pharisæi nihil peccatum esse à discipulis. Nam in lege non minus præcipitur, ut laici non uescantur panibus propositionis, quàm ut sancta religione obseruetur hoc sabbathū. Lex extat de sabbatho, Non facies opus seruale in sabbatho. At discipuli uellicant spicas in sabbatho, sed postulante necessitate, & excusante eos fame. Dauid & socij eius ederunt panem prohibitum, discipuli ederunt, non prohibitum quidem cibum, sed communem, prohibito tamen tempore illum sibi pararunt. Atqui famas & necessitas Dauidem & socios excusauit, absoluit & discipulos à crimine legis uiolatae, famas & necessitas, præsertim cum hic quoque nulla accesserit irreuerentia. Obserua: non simpliciter exemplum Dauidis proponit, sed primum rogat, an non illud legerint. Eò certè fit ut cogat eos agnoscere, aut, etiam si non agnouerint, incurrere notam aut ignorantia sacratum literarum, aut animi excæcati & maligni. Non legistis, ait: Quasi dicat, Qui uide mini peritissimi, imò qui apud plebeculam iactatis uos, legem & prophetas memoria tenere, & scire: quid hoc rei est, quòd ignoratis adhuc id, quod in scripturis uulgatissimum est? Qui fieri potest, aliorum ut sitis doctores, quum tam apertè uestram prodatis ignorantiam? At, forsitan legistis. Si legistis, quomodo fit quòd cum Dauidem non incusetis, discipulos meos in factio pari cōdemnatis? Vnde est uobis ista iniquitas, nisi ex liuore, contemptu proximi, auaritia & ambitione uestra? Sanè bellum & honestum fuerit, excæcatos homines & ambitiosos ac turgidos, fieri aliorum mortalium doctores & iudices. Rursus obserua, quòd licet magna sit famis prerogatiua etiam in præcepta diuina, tamen non simpliciter tueretur Christus discipulos, obiecta famis necessitate, dicens, Esuriunt, famem patiuntur: quod faciunt, non id agunt legis contemptu, sed necessitate famis. Sed alia defensione, Nimirum quia inhumanis ac saturis respondebat, qui ista ratione sine autoritate alicuius exempli non fuissent cōtenti. Fieri enim solet, ut qui nunquam expertus est, quæ sit famis uolentia & necessitas, nequeat esurientibus condolere, id quod contingit diuitibus. Vnde diues ille epulo Euangelicus, nesciebat Lazaro esurienti compati. Obserua. Obiter dixerim hos panes propositionis sanctos, qui erant duodecim, & quotidie proponebatur sex in dextera parte, sex in sinistra, adumbrasse Euangelium, quod est per duodecim Apostolos in orbem terrarum uulgatum, & est panis cælestis, cor hominis cōfirmans, potentia nimirum Dei, ad salutem omni credenti, semper in Ecclesia Domini prædicandum, & subinde repetendum, iterandum & inculcandum esse, ac propriè pertinere ad fi-

Famē, durū  
telū, quia nō  
experiuntur di-  
uites, ideo a-  
speri sunt esu-  
rientibus.  
Panis propo-  
sitionis Eua-  
gelium signi-  
ficabant.



Abiathar. 2. cap. scribit, hoc factum sub Abiathar principe sacerdotum. Certè is Abiathar filius erat ipsius Achimelech, & in sacerdotio successor: vnde mirum non est, quòd pro patre ipsum Euangelista posuerit, qui etiam tunc cum patre sacerdotio indubiè functus est. Hic Achimelech, exemplum est prudentis ac fidelis dispensatoris, qui, in necessitate constituto Dauide, locum dat charitati, legemque cedere docet. Talis dispensator legis erat etiam Moses, qui propter peregrinationes & molestias deserti, circumcisionem omisit, annos quadraginta, cum tamen à Deo data esset Abraham in fœdus sempiternum, Iosue. 5. Perpendamus igitur, qua præditi debeant esse prudentia, qui aliis præfecti sunt: quàm debeant perpetuò obseruare, ut, quod caput & summa est omnium legum, cuius gratia conditæ sunt leges, ubique ac in primis promoueatur. Hoc qui ignorant, dum summum ius seruant, summam committunt iniuriam. Legibus opus est, & ordinationum statutis, propter temerarios & imperitos. Sed interea opus est & Mose in magistratu, & Achimelech in Christi ministris, qui omnia moderentur ad normam charitatis. Auriga suas leges habet, quibus in disponendo, uehendo, & reliquis, quæ sui sunt officij, utitur. Verùm nisi fuerit prudens, ut cogente necessitate, deserto præscripto, hoc facere sciat, quod eorum utilitas exigit, quos uehit, illo uectore non libenter utar. Ita & de magistratu sentiendum est. Rursus obserua, hoc ualde consolatorium esse Apostolis & piis omnibus. Si Dauidi, typum Christi gerenti, & persecutionem à Saule, & famem patienti, Dominus panes indulsit propositionis, ut comederet, quando magis Apostolis, & piis Christum sequentibus non est defuturus? Rursus hinc pij consolationem accipiant, si quâdo fame laborent: cogitent se posse famem ferre cum Christo, uero Dauide, cum focij Dauidis illam ferre potuerint cum Dauide, typo Christi.

Dominus suis  
deest nūquā.

**Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum uiolant, & sine crimine sunt?**

Secundum argumentum, ab exemplo ductum, à maiore ad minus, quod ualet, propter similitudinem æqualis transgressionis in æquali lege. Hic obserua, Matthæum simpliciter argumentari suo more, & tacere in hoc posteriori argumento causam uiolandi sabbathi ab sacerdotibus, quæ tamen aperta est in discipulis ex præcedentibus. Non legistis, id est, ignoratis morem legis, qui in lege exercetur? Lex uerat, nequis ullum in sabbatho opus seruire faciat. Cæterum sacerdotes Domini non in syluis aut agris, in macello, aut priuatis ædibus, sed in ipso Domini templo, & tota spectate Ecclesia, sabbathum uiolant. Quandoquidem hoc ipsum exercent in templo, quod lanij in macello solent. Nam iugulant pecudes, detrahunt pelles, dissecant membra, lauunt, purgant, congerunt ligna, componunt lignorum pyras, coquunt, aliâque his similia opera multa faciunt. Et tamen inculpabiles sunt. Hæc scitis fieri, & probatis hoc nomine, ut ut contra legis literam fiat. Et tamen nemo uestrum illos, ut sabbathi transgressores, damnat. Ergo si sacerdotes in tam operosis negotiis sabbathum non uiolant, quomodo putatis discipulos meos illud in re tam minuta, tam facili & necessaria, uiolasse?

**Dico autem uobis, quia templo maior est hîc.**

Occupat, ne regerant, & prætexant, quòd sacerdotes in templo die sabbathi operantur quidem, sed ad cultum Dei, qui per sacrificia adimpletur. Discipuli autem operantur extra templum, idèd sacerdotes excusantur propter templum à uiolato sabbatho, non autem discipuli. Dico, id est, constanter affirmo uobis, quòd si templum excusat sacerdotes, excusantur & mei discipuli: quandoquidem dico uobis, hîc maiorem esse templo, hoc est, in hoc loco sanctiorem esse uestro templo. Diuus Hieronymus admonet particulam, hîc, aduerbium esse demonstratiuæ, non

non pronome. Proinde si templi religio sacerdotibus patrocinetur, & ipsos reprobet à crimine, cur idem ego, qui templi dominus sum, non potero? Templo seruiunt sacerdotes: mihi templi domino seruiunt mei discipuli, & Ecclesiæ, uerissimo Dei templo. Si non profanant sabbathum, qui laborant in sacrificiis Mosais, multò magis excusandi sunt, qui seruiunt Euangelio, quæ uictima longè Deo est gratissima.

**Si autem sciretis, quid est, misericordiam uolo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.**

Satis durè istos (qui uolunt uideri doctissimi & sanctissimi, cum tamen nihil aut eruditionis aut sanctitatis habeant) arguit, & duplici nomine culpat, nimirum ignorantia & criminationis innocentum. Acerbum profectò hoc erat auribus eorum, qui sibi clauem scientiæ uindicabant. Si sciretis: Quasi dicat, Fortassis legistis apud uestrum Oseam ultimo cap. sed non attenditis spiritui. Vultis de quouis negotio haberi iudices, sed cæci estis: nam de religione sabbathi, imò de rebus omnibus ad religionem pertinentibus, perperam iudicatis. Quid uerò causæ hîc habetis? Quia perpetuò & nimium in hæretis literæ, quæ occidit, & rebus externis, quibus, plus quàm uera ferat pietas, tribuitis: interim neglectis & præteritis fide in Deum, timore Dei, charitate & misericordia, quæ sunt ueræ & internæ pietatis partes. Potuerat uos uel unicus Oseæ locus, rectè expensus (si essetis curabiles) reuocare in uiam, ac rectè informare ad melius, rectiusque iudicandum de religione uera, nedum de sabbatho. Verba prophetæ docent, uerum Dei cultum in spiritu esse, ac consistere in fide, uitæ puritate, innocentia ac charitate siue beneficentia. Sed hæc negligitis, & tantum externa aspicitis, admiramini, & probatis. Sed attendite uerbis prophetæ meo nomine dicentis, Misericordiam uolo, &c. Id est, Hæc est uoluntas Dei, ut credatis me, Messiam esse superiorem & maiorem omnibus uestris externis sacrificiis, & ceremoniis, quæ necessitate salutis proximi, urgente, & charitate postulante, possunt uiolari hoc est omitti, ut urgentior pietas exerceatur. Vide huius loci copiosorem expositionem supra ca. 9. Si ergo, ô Pharisei, iuxta spiritum, non iuxta corticem literæ tantum, generalem hanc regulam Oseæ, rectè expendissetis, nunquã insontes meos discipulos, nihilque uel in Deum, uel in fidem ipsam, ac charitatem peccantes, condemnassetis. Sunt certè quædam rectè instituta, non quòd per se bona sint, aut mala, sed quòd aliquo modo conducant ad pietatem. Sunt & quæ magis præstant sanctimoniam, quàm significant: quod genus sunt, cibi genus, uestis color, aut forma materiæ uel, ieiunium, festi dies, & huiusmodi, quatenus sunt res externæ. Harum rerum neminè oportet aded superstiosè tenacè esse, ut ob has uel omittat, quæ per se sempèq; bona sunt, aut faciat, quæ per se, sempèque sunt mala. A dulterium, homicidium, obrectatio, liuor, & his similia uitia, nullo non die mala sunt ac nefaria: & tamè qui Pharisæica religione sunt imbuti, minus abhorrent ab his, quàm à uiolando sabbatho. Subuenire proximo egenti, nullo non die pium & sanctum est: & tamè Pharisæi, seruandi sabbathi prætextu, patiebantur affligi proximum. Hanc superstitionem perniciosissimam Iesus Christus studuit penitus ex animis suorum eximere.

**Dominus est enim filius hominis, etiam sabbathi.**

Ad huius loci cognitionem intelligamus oportet, quæ sit huius nominis, filius hominis ratio. Apertissimum est in sacris, quòd Christus sapiensimè sese filium hominis uocet. Quidam arbitrantur Christum, ideo dici filium hominis, quòd cum alijs homines sint filij duorum hominū, patris uidelicet & matris, Christus unius tantum hominis in terra filius sit, nimirum uirginis Mariæ. Malo alios sequi, qui dicunt Christum dici filiū hominis (quo nomine Hebræi simpliciter hominè intelligunt) per antithesim ad Adam primum hominem. Fuerunt enim tantum duo

Inferuire  
Euangelio,  
uictima longè  
gratissima  
Deo.

Verus Dei  
cultus, quis,  
& in quo consistit.

Ceremoniæ  
& externa  
charitati cedant.

In superstitionem  
Pharisæorum &  
pharisæorum.

Christus filius  
hominis  
quare se uocat.  
Filius hominis  
Hebræis  
homo est.



Homines pre-  
cipui duo.

præcipui homines in toto orbeterrarum, unde totum genus humanum pendet. Adam, à quo pendemus generatione carnali: & Christus, à quo pendemus generatione spirituali. Factus est, inquit Paulus, 1. Corinth. 15. primus homo Adam in animam uiuentem: nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis. Hęc expositio filij hominis ualde commoda est. Antequam tamen ulterius progrediamur, obseruandum uenit, quòd Hebræi more suo hominem uocant, filium Adam seu hominis: sicut morti obnoxium uocant filium mortis: pacificum, filium pacis: perditum, filium perditionis, & multa id genus alia. Deinde nõ solus Christus uocat se filium hominis, sed etiam propheta Ezechiel filius hominis sapissimè uocatur. Et generaliter quiuis homo, filius Adam seu hominis appellatur. Iob 25. ait, Stellæ non sunt munde in conspectu eius, quantò magis homo, putredo, & filius hominis uermis? Et Isaias, Quis es tu, inquit, ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi scænum arefcet? Et Hieremias de uastatione Idumææ, Non habitabit ibi (inquit) uir, & non incolet eam filius hominis. In his, & multis aliis scripturæ locis, filius hominis non pro Christo, sed simpliciter pro homine, iuxta Hebræum idiotismum accipitur. Vnde cum Christus se filium hominis uocat, non usurpat sibi nouum quoddam & insolitum cognomen, sed significat se hominem. Aut si singularem causam quesierimus, cur se filium hominis dixerit, profectò hanc potissimum esse

Filius eum  
substantiuo  
gignendi ca-  
su pro adie-  
ctiuo nomi-  
nis eiusdem.

Filius homi-  
nis, nomen  
contemptus.

Isa. 53.

Sabbatum  
propter ho-  
minem insti-  
tutum.

Iegesomnes  
hominis cau-  
sa condita.

Sabbathi in-  
stituti ratio.

puto, quòd hoc cognomine humilitatem & contemptum sui coram mundo significare uelit. Nam Hebræi cum aliàs pro homine, filium Adam seu hominis dicant, tum præcipuè hoc faciunt, cum uolunt hominis miseriam & calamitatè, ab Adamo in ipsum transmissam, exprimere: ut sit filius hominis, quasi dicas, miser & calamitosus homo, qui à primo suo parente Adam in omnium genera afflictionũ cõiectus est. Quid est homo, inquit Dauid, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo uanitati similis factus est, dies eius, sicut umbra, prætereunt. Et iterum, nolite confidere in principibus, neque in filiis Adam, in quibus non est salus. Vocat igitur Christus se filiũ hominis, ut hoc cognomine significet, omnes calamitates, ab Adam propter peccatum meritas, in se cõiectas: ac se hunc hominem esse, qui, iuxta uaticinium Isaiæ, sit despectus & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus, in quem Deus omnium peccata reiecerit. Ergo cum hoc loco dicitur, Dominus est filius hominis etiam sabbathi, intelligi potest filius hominis, dici non tantum Christus, sed & quiuis homo. Nam Marcus 2. cap. perspicuè hoc ipsum indicat, apud quem Christus ita dicit, Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque hæc sententia, Dominus est filius hominis etiam sabbathi, potest bifariam exponi. Primo, de ipso Christo filio hominis, qui omnium rerum est Dominus, etiam sabbathi. Qui ergo sabbatum instituit, idem potest & sabbatum tollere: & qui sabbatum instituit, hominis gratia instituit: non contrà, sabbathi causa condidit hominem. Sensus uerborum est, filius hominis Christus, cum omnium Dominus sit, etiam sabbathi Dominus est. Nam ut omnibus legibus quas condidit, hominis incolumitatem spectauit quæsiuitque Deus: ita hac quoque lege, de sabbatho lata, hominem seruare non perdere uoluit. Hoc certè explicant Marci uerba. Hac sententia Dominus Iesus Christum se prædicauit, cui esset in cæremonias Dei ius & plena potestas: sed superbus Phariseus hoc Euangelium percipere non potuit. Aut locus hic potest intelligi de quouis homine, ut ex adducta Marci sententia facillè cognoscitur. Cum enim sabbatum institutum sit propter hominem, æquum est, ut obseruatio sabbathi cedat hominũ utilitati, non ut homo, sabbathi causa, pereat. Nam si tantum tribuitur sacrificio, ut qui illi seruit, impunè uiolet sabbatum, cur non & illum habemus excusatũ, qui necessario beneficio subleuat proximum in sabbatho? Quandoquidem hoc sacrificium (ut Oseas ait) Deus sibi fatetur esse

gratius, quàm si quis immolet pecudè. Marci sententia uidetur desumpta ex Deuter. 5. cap. ubi uacatio ab opere in die sabbathi ideo præcipitur, ut seruus & ancilla, æquè sua quiete atque herus fruantur. Quamquam, præter hanc, scriptura duas alias causas instituti sabbathi adsignat. Prior est, quòd Deus, creaturis per sex dies perfectis, septimo uacauerit seu quieuerit, Exod. 20. Altera est, quòd Deus fecisset suos uacare à seruitute Aegyptiaca, Deuter. 5. In his ergo apparet sabbathũ propter homines esse institutum, nimirum ut Dei beneficia aliis negotiis uacui, diligentius pensarent, & religiosius gratias agerent. Si igitur sabbatum propter hominem constitutum erat, debuit sabbatum necessitati discipulorum cedere. Proinde quicquid creatum & ordinatum est in utilitatem hominis, huius rei homo constitutus est dominus, & id totum necesse habet utilitati humanæ cedere. Sed non solum animantia terræ, maris, ac cæli in utilitatem humanã creata sunt, uerum etiam sabbatum in utilitatem humanam diuinitus ordinatum est. Ergo manifestè consequitur, hominem esse dominum, etiam sabbathi. Quòd si homo est dominus sabbathi, quid reliquum est, nisi ut liceat ei etiam sabbatho pro iure dominij sui uti? Nemo non nouit, quod ius habeat dominus in possessiones suas: habet enim potestatem administrandi eas pro suo commodo & utilitate: ac ipsas possessiones necesse est utilitati domini sui seruire. Præterea discipuli Christi sunt cum Christo domini sabbathi. In promptu ratio est, Omnes quorquor sunt membra Christi, cum capite in huiusmodi rebus potestatem habent, quando Dominus omnia sua discipulis per communionem spiritus communicat. Hęc uirtus Christi in creditibus sic existit, spiritu suo eos ad eò uerè doctos, & id quidem scientia sanctorum efficit, ut rectè de omnibus iudicent & sentiant. Nõrunt enim, quid & quantum, ac quo tempore sibi sit operandum. Nempè ipse, cuius spiritus est lex uiua in corde eorum, in eis regnat & triumphat in omnibus. Ideo rectè dicit, Dominus est filius hominis etiam sabbathi. Ac si diceret, isti sunt mei, & in eis ego uiuo & regno, ac omnibus etiam quibusuis diebus impero, ita nihil acturi sunt contra sabbathismum, lege spiritus in eorum pectoribus integra manè. Obseruatio sabbathi uox est petita ab Hebræis, quæ requiem significat, & pro ea die usurpatur, quæ consecrata est quieti. Vetustissima est quietis illa obseruatio, non per ipsum Moysen primùm lata, lege prodita, & inuenta. Nã in decalogo, Memento, inquit, ut diem sabbathi sanctifices: hinc uerbis ceu ueteris commonefaciens constitutionis. Allegat & antiquam esse obseruationè, dicens, quoniam sex diebus fecit Dominus cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & quieuit die septimo, & idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificauit eum. Est igitur uetusta & celebris, septimæ diei siue sabbathi obseruatio. Præcipit autem Dominus diem sabbathi sanctificare, non quòd dies per nos, uel sanctior reddatur, uel impurius, sed quòd iubemur ea opera sancta in sabbatho facere, quibus sanctificantur homines. Et tamen si dicatur, non facies omne opus, hoc est, quòd nullum opus faciendum sit in sabbatho, tamen ita munitũ est hoc uerbum circumstantiis, ut non possit intelligi indiscriminatim de quouis opere, alioqui ne incedere quidem, aut manum leuare, aut loqui, aut uigilare, aut etiam dormire sabbatho liceret, sed de opere seruorum & opificum, quod genus sex diebus in agris aut officinis fieri solet. Pharisei præter hæc addiderunt traditiones suas, hoc est, uanissimas nugas de operibus. Dixerunt, sabbatho non ambulandum super herbam, ne pedibus eam euellas. Nec conscendendam arborem, aut aliquid in ea suspendendũ, ne ramum aliquem frangas. Poma sabbatho decerpta, non comedenda, non ascendendum in equum, uestem, uino aut oleo madefactam, non exprimendam aut eluendam, si nãpin die sabbathi non commiscendam aqua aut uino, nec pomum ad ignem asfandum, non uenandum pulicem huc illuc saltatè, nisi te pungat, non legendum ad lucernam, nisi duo simul legant. Dies me deficeret, si pergerem enumerare.

Discipuli  
Christi, atq;  
ad eò sancti  
omnes, do-  
mini sabbathi.

Sabbatum.

Sanctificare  
sabbatum,  
quid.

Traditiones  
Phariseæ  
de sabbatho.



re omnia Phariseorum somnia de sabbathi operibus. Nam quae erant grauiora legis, de recte administrando iudicio, de misericordia praestanda misero, de fide uel in Deum habenda, uel proximo conferuanda, ea iam, non dicam obseruatione, sed, saltem expositione sua, uix summis, quod aiunt, digitulis attingebant. At quae erant caeremonialia, de oblationibus, de sabbatho, & id genus aliis, ea ut superstitiosissime explicabant, ita etiam maximo studio urgebant, culicem uidelicet, quod alias Christus ait, excolantes, camelum autem deglutientes. Proinde tradit duplex esse sabbathum, internum, siue spirituale, & externum, siue corporale. Spirituale & internum est perpetua poenitentia, & cessatio ab opere seruili, à peccato uidelicet: dum scilicet aduigilamus summa diligentia, ne inueniatur in nobis nostra & propria uoluntas, sed ut iuxta Dei uoluntatem & auxilium omnia operemur, qui & totus uiuat in nobis. Erit igitur spirituale sabbathum, perpetuum pietatis studium. Et secundum hanc rationem Isaias cap. 66. dixit, sabbathum ex sabbatho consequatur, id est, Christianos perpetuum uicturos sabbathum, & perpetuas ferias celebraturos. Sequitur autem hoc internum sabbathum requies quoque aeterna in aeterna patria. De qua pluribus Paulus ad Hebr. 4. differuit. Corporale siue externum sabbathum est ordinatio externa, diuinitus in hoc tradita, ut externa religio internae respondeat, & Dei cultus in eo exerceatur. Vbi enim interna & uera religio est, in animis piorum, ibi se prodit confessio & opere externo. Neque potest externus Dei cultus esse sine tempore & loco. Ideo haec suis designauit Dominus. Visum enim illi est, ut homo, qui corpore constat & anima, aliquo saltem destinato tempore, & corpore & animo interquiescat, totus laudi, contemplationi, ac uenerationi Dei intentus: ut & corpus labore fatigatum, alterna requie non careat: & mens ipsa, externis laboribus distracta, diuinæ legis meditatione, ac diuinorum beneficiorum recordatione reficiatur, sagineturque. Vnde consequens est, nedum apud Iudaeos, sed & apud Christianos iuris esse diuini, ut saltem aliquo destinato tempore, caeremoniae instituta ad audiendum uerbum Dei, & ad uacandum precationibus, aliisque spiritualibus sacrificiis retineantur & conseruentur. Deinde constat externum sabbathum, in hoc datum & praecipuum esse, ut esset certum signum inter Deum & homines Deum agnoscentes. Nam Exod. 21. scriptum est, Videte, ut custodiatis sabbathum: quia signum est inter me & uos. Hic autem Dei cultus uersatur circa haec quatuor potissimum capita, Lektionem siue doctrinam sacram, orationem Ecclesiasticam, circa sacrificia, & collectam. Sabbathis ergo praeegebatur coetu sacro, & ad cultum Dei congregato, Lex diuina. Concionabantur prophetae, legem interpretantes, & adhortantes Ecclesiam ad studium pietatis. Orabant item in coetibus publicis pro uariis necessitatibus: laudabant Deum de acceptis beneficiis, quemadmodum uidere licet in psalmis aliquot, compositis pro sabbathinis coetibus. Ad haec sacrificabatur, non in synagogis quibuslibet, sed tantum in tabernaculo siue templo Domini. In sacrificiis autem fiebat, Paulo testante ad Hebr. 10. commemoratio peccatorum, & expiatio: id est, per symbola sacra representabatur toti Ecclesiae, quod peccato omnes obnoxij, potuissent iure occidi à diuina iustitia: uerum intercedente misericordia, transtulisse Deum mortis supplicium in filium suum, qui morte sua omnibus in se credentibus restituit uitam. Communicatione autem participationeque sacrorum significabatur, fideles reuera participare merito uenturi Messiae. His aliquoties coniungebantur collectae: hoc est, colligebatur à coetu pecunia (qua res sustentarent Ecclesiasticas) maxime in festo tabernaculorum. Nam Dominus praeter sabbatha, etiam aliquot ferias siue festa, maximam uidelicet rerum memoracula, instituerat, quorum mentio fit Exod. 23. Leuit. 23. Num. 28. & apud Nehemiam. 8. Caterum ubi Christus Dominus uenit in mundum, sabbathum nullibi uiolauit temere, quia uenerat legem implere, non dissoluere. Imò repurgauit ipsum ubique Iudaicis superstitionibus. Interim dubium non est, quin

Præpostera  
Phariseorum  
religio.

Sabbathum  
duplex.  
Spirituale.

Sabbathum  
externum.

Dies quidam,  
etiam iure di-  
uino, Chri-  
stianis ad ua-  
candum Deo  
decreti.  
Sabbathum  
externum qua-  
re iustum.  
Sabbathi reli-  
gione qua-  
tuor compre-  
henfa.

Collectae.

Festis dies Iu-  
daeis plurimi

Sabbathum  
perficit chri-  
stus.

antiquarit & abrogarit festa illa, futurarum rerum Messiae praenuntia. Stultum est enim expectare, quod aduenit: stultius est umbras mirari, & mordicus retinere, cum ipsum teneas in manibus corpus. Itaque Apostoli nusquam urserunt legalem feriarum obseruationem, quin damnarunt potius, ut uidere licet apud Paulum, Galat. 4. & Coloss. 2. Obseruauerunt tamen illi ipsi iustum ordinem, in exercenda religione externa. Et quae fidei ac charitatis sunt in lege, per Christum non abrogantur. Neque Dominus noster, confusionis Deus est, sed ordinem approbat in omnibus. Porro dubium non est diuinitus statim post abitionem Christi ad patrem mutatum esse sabbathi tempus in sequentem seu octauam diem, ut caeremonia nostra dispensationi operum Christi respondeat. Deus enim quodammodo bis condidit mundum, & in hoc hominem, imò mundum propter hominem. Primò creauit, quod non erat utique per filium: deinde per eundem incarnatum restituit, quod perierat. Atque tum bis requieuisse dicitur ab opere, condendi scilicet & restituendi. Christus enim ab operibus dispensationis requiescens, dum corpore requiescit in sepulchro, uelut abrogat Iudaicum sabbathismum: dumque octaua diei diluculo resurgit immortalis, sabbathum Euangelicum (quod Apostolica scriptura iuge appellat, Hebr. 4.) nobis commendauit, eoque is dies Dominicus dicitur, de quo canit Ecclesia cum Dauide, Haec dies, quam fecit Dominus. Itaque post Christi resurrectionem sabbathum Iudaicum deinceps celebrari desit, quod Christus eo die in sepulchro requiescens, re ipsa indicaret, antea requiem quidem mortuorum fuisse, sed non glorificatam: uerum resurrectione sua aperte declarabat, iam aditum factum esse ad requiem sempiternam, ac nunquam finendam, quam die dominico recolimus. Dies ergo dominicus ex resurrectione dominica declaratus est, & ex illa coepit habere festiuitatem suam, statim post Christi abitionem, ab ipsis Apostolis institutus. Vnde Apocal. 1. scribitur, Ego Ioannes fui in spiritu in Dominica die. Constanter ergo fatendum est, eam, quam hodie nominamus, celebramusque, Dominicam diem in memoriam dominicae resurrectionis, pertinere ad tertium praecipuum, imò esse praecipuum, per quod non licet in ea opus seruile facere. Nec putandum est solum hoc iuberi, ut tantum hic dies sanctificetur, sed accipi debet praecipuum de diebus festis, non solum quos Apostoli instituerunt, cuiusmodi sunt Pascha, Ascensio Domini, & Pentecoste, sed etiam de iis qui communi consensu Ecclesiae recepti sunt. Nam quum Deus omnino uelit, ut aliquo saltem tempore ab omnibus operibus seruilibus abstinemus, & ipsi soli uacemus, is recte dies sabbathi putandus est, quem ad hoc Ecclesia communi consensu destinauit. Nec ullus est, qui sit in ueteribus & Latinis & Graecis scriptoribus uel mediocriter uersatus, qui ignoret praeter dies dominicos, ab ipsis ferme Apostolorum temporibus in Ecclesia celebres, etiam plurimos alios fuisse ad recolendum mirabilia Dei opera, in uirgine matre, in sanctis Apostolis & martyribus exhibita. Et cur hoc non liceat Ecclesiae in natalibus martyrum, qui cum Christo de hostibus triumphantes, regnant, quod licuit synagoga, in dedicandis diebus, ob quaspiam insignes uictorias, Dei ope per illustres uiros aut mulieres, ueluti per Hester, Iudith, Iudam Machabaeum, ac similes, partes? Quantum ad caeremonias, quibus uniuersalis utitur Ecclesia, cauendum est, ne eas abiciamus, sed studiosè, ceu diuinitus institutas, excipiamus, quod nos ad pietatem prouocet. Nam quod aquam aspergi die dominico uidemus, quid aliud est, nisi quod, nos baptismi, per quem Christo in spiritualem requiem consepulti sumus, commemoramus, ac ueluti signo monemur, nos oportere subinde mortificare carnem, & cum Christo quiescentes, obedire Deo? Quod item processiones celebrat Ecclesia, in quibus populus signum crucifixi, & uexilla ueluti trophaea quadam resurgentis Domini, comitatur, quid aliud est, nisi pia quaedam caeremonia, qua admonemur quod nos potissimum ea die toti intenti simus, ut per omnem uitam Christum crucifi-

Caeremoniae  
Iudaicae, reli-  
ctae.

Sabbati dies  
mutatus Do-  
minico.

Mundos bis  
conditus.

Sabbathum ut  
græcè & Euange-  
licè à Chri-  
sto introdu-  
ctum.

Dies Domi-  
nicus ab  
Apostolis  
institutus.

Dies festi in  
Ecclesia ad  
praecipua Dei  
pertinent.

Caeremoniae  
Ecclesiae neu-  
tiquam contem-  
nendae.

Aque bene-  
dictionis  
stratorie my-  
sterium.

Processiones  
sue supplica-  
tiones ad quod  
instituitur.



xum sequamur, ut carnem unā cum uitiis & concupiscentiis suis, cum Christo cruci configamus: ut parati simus (si res ita postulauerit) pro Christi nomine, & in carcerem & in mortem ire ac omnem crucem tribulationis, undecunque nobis impositam, patienter post Christum portare. Deinde quod thure infunduntur altaria, quodque thus ad psallentes defertur, quid aliud designat, nisi quod externo signo excitamur nos, ut corda sursum habeamus ad Dominum, in laudem & gratiarum actionem & preces, profusa? Quid signant altaria, nisi corda nostra? Quid ignis, nisi feruor charitatis? Quid thus, nisi orationes sanctorum? Quæ ad modum Dauid dixit, psal. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo. Apocal. 8. legimus, Angelo (cum impleuisset thuribulum de igne altaris) data esse incensa multa, ut offerret de orationibus sanctorum. Quis ergo negauerit huiusmodi ceremonias esse pias, modò ad eum finem adhibeantur, ad quem sunt instituta, & in illis non putemus salutem consistere? Sanctæ sunt, & piæ, ac obseruanda iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quam qui pro lege nõ habuerit, hunc Anathema dicit Paulus, 1. Cor. 11. Non est omittendum, quod etiam Apostolorum temporibus obseruatum legimus, Cultum dominicum uersatum circa quatuor capita. Conuenit enim Ecclesia etiam temporibus Apostolorum ad audiendum uerbum Dei, ad precandum, & ad preces supplicationesque Domino faciendas, ad sacrificium & sacram communionem exercendam, & ad conferendam elemosynam, ut testatur acta Apostolica. Obserua. Exigitur sabbatum, ut unum illud necessarium, quod est, audire uerbum Dei, & ueram religionem discere, publicè obseruetur & conseruetur. Hunc diem Dominicum maiestas legum ciuiliū ita ueneratur, ut cogat ei cedere non solùm opera ciuilia, sed etiam publica iudicia, & quicquid est contentionum forensium. Omnes (inquit) iudices urbanaeque plebes, & cunctarum artium officia, uenerabili die solis, quiescāt. Et iterum: Dominicum diem semper honorabilem decernimus uenerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, &c. Hactenus de sabbathi & festorum institutione.

## Et cum inde transiisset.

Connectendi est particula. Posteaquam disputauit cum Phariseis de sabbathi obseruantia, nec satis illam Iudæis persuasisset, adhibuit miraculum, cui testimonium patris, quo fidem illis faceret, recta se & pia docere. Nec enim eo sabbatho, quo ob euulsas spicas disputatum est, facta est sequens historia: sed alio sabbatho, ut narrat Lucas 6. cap.

## Venit in synagogam eorum.

Locus ad docendum accommodus, synagoga, confirmat munus & professionem Christi. Qui quia doctor est, locum quaerit, ubi doceat, & munus suum diligenter obeat. Proprium uidelicet locum eorum, qui factum discipulorum nuper condemnauerant, quasi sabbatum uiolassent. Horum ergo intrat synagogam Christus, ubi ipsi planè regnabant improbi Pharisei, nihil ueritus palàm comparere, ut qualis esset sua doctrina, manifestaret: & haberet eos testes, quos superstitionis morbo obnoxios sciebat: & hos si curabiles sese præstarent, à superstitione perniciosissima purgaret.

## Et ecce.

Hac particula attentos reddit lectores Euangelista, exprimens nouum euentum, & occasionem, quæ oblata fuit, ut nouo miraculo totam præcedentem defensionem contra Phariseos probet & confirmet. Urget pariter necessitatem & charitatem ut causam, propter quam nõ solùm in collectione spicarum die sabbatho, sed etiam in omnibus externis, pia quadam dispensatione à litera legis & seueritate non nihil receditur.

Charitas  
& necessitas  
uim legibus  
sue potius  
interpretamē  
tum adferūt.

## Homo, manum habens aridam.

Ecce statim, & ubi primùm ingressus est Christus synagogam, sese offert occasio miraculi: nimirum, conspiciendum sese præbet homo quidam, dextram (ut Lucas ait) mancam & arefactam habens. Qui, ut in Euangelio Nazaraeorū (sicut indicat Hieronymus, hunc enarrās locum) legitur, istiusmodi uocibus auxilium postulauit, Cæmentarius eram, manibus uictum quaritans, precor te Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Hic utrisque oblatam occasionem ostendit Euangelista, cum Christo manifestandi suam uirtutem, tum Phariseis exerendi suam & improbam & obstinatam cecitatem. Manum habens, &c. Propositio est necessitatis, quæ, quia per se satis magna est, à Matthæo non exaggeratur. Obserua hoc loco, quomodo Deus omnia certis prouidentia legibus disponat. Neque enim huic temerè manus exaruerat, neque ad hoc tempus sine peculiari Dei uoluntate aderat.

## Et interrogabant eum, dicentes, Si licet sabbathis curare, ut accusarent eum.

Neque apud Marcum. 3. neque apud Lucā. 6. legitur, quod interrogarint Pharisei: sed contra, Dominus interrogat. Scribit Marcus: Et obseruabant eum, si sabbathis curaret, ut accusarent illum: & ait homini, habenti manum aridam, Surge in medium. Et dicit eis, Licet sabbathis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Lucas 6. ait. Obseruabant autem Scribæ & Pharisei, si in sabbatho curaret, ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse uerò sciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam, Surge, & sta in mediū. Et surgens, stetit. Ait autè ad illos Iesus: Interrogo uos, si licet sabbathis bene facere, an male: animam saluam facere, an perdere? Matthæus scribit, Et interrogabant eum, &c. Videntur itaque Euangelistæ inter se discrepare. Respondeo: In huiusmodi obseruadum est, nullum Euangelistam omnia scribere, quæ à Christo sunt uel dicta uel gesta. Sed id pro obseruatione tenendum est, ut quod alter tacuit, alter intelligatur posuisse. Vnde Matthæus commemorat Phariseos interrogasse Dominum, quod Marcus & Lucas tacent. Licet igitur id tacuerint, interim tamen uerum manet quod Matthæus ait, ipsos ad hunc modum proposuisse questionem, Si licet sabbathis curare? Neque, quod Lucas ait, Ipse uerò sciebat cogitationes eorum, ita intelligendum est, atque si questionem illam tantum in animis uoluerint, & palàm non illam proposuerint. Sed his uerbis significat, quod Christus astutas ipsorum cogitationes & prauum consilium, ipsis profectò, ut solet, huiusmodi consultoribus etiam pessimum, cognouit: hoc est, intellexerit, quo animo, quæ fraude questionem istam mouerint. Nam questionem nudè & simpliciter proposuerunt, An licet sabbathis curare? Calumniam uerò & fraudem celabant. Calumniam tamen detegunt Euangelistæ, dicentes, ut accusarent eum. Huius enim interrogationis finis non est, ut interrogando instituantur Pharisei: sed uenantur, nonnullam, in speciem honestam, causam accusandi Christum. Marcus & Lucas scribunt, Et ait homini illi, qui habebat manum aridam, Surge, & sta in medium: & surgens stetit. Cum hoc iuberet Dominus, uolebat omnibus palàm facere questionem Phariseorum non ex religione proficisci, sed ex inuidia. Deinde iussit Marcum prodire in medium, ut uitiū manus esset omnibus conspicuum, & uel misericordia spectatores miraculi mox futuri, commouerentur erga calamitosum, qui membrum, omnium maximè necessariū pauperi, mortuum & inutile circumferebat. Ac priusquam sanaret hominem, non inscius, quid cogitarent Pharisei, commodissimè interpretari uoluit, quod Pharisei in sua questione uocauerunt *ἰατρὴν*, id est curare: manifestans, suum curare, esse benefacere, & animas hominum saluare. Atque ita, quod in questione Phariseorū obscure,

Consensus  
Euangelista-  
rum.

Pharisei ca-  
lumniam  
struunt.

Curare Chri-  
sti, est salua-  
re.



rum poterat esse auditoribus, uicaria sua quaestione planè reddit clarum ac manifestum, ita ut imprudentiæ fuerit, negare. Quis enim dubitat sabbathis benefacendum esse, animasque saluandas? Hæc Christi quaestio & interrogatio est dilemma, ad quod utrumlibet respondeant Pharisei, capti sunt. Interrogabo uos, (sic habet Lucas) si licet sabbathis benefacere, &c. Quasi diceret, Videtis hunc miserum, cui nemo bonus non optet bene consultum esse, & quem, qui negligendum duxerit, nihil humanitatis, nedum religionis, habeat, necesse est. Ad quid ergo putatis, o Pharisei, institutum esse sabbatum? ad malefaciendum, ut negligantur, quos iuuare possitis, an ad benefacendum? Exemplum hinc habemus pertinaciæ & malitiæ in Phariseis, qui neque precedenti exemplo de Dauide, sine dubio in conscientiis uicti, uolunt subiici sapientiæ, ut illa iustificetur (pertinaciæ enim est, nolle cedere post uictoriam, & malitiæ est, obseruare Christum, ut accusent, atque ita ipsum penitus perdant) neque miseria huius morbidi, ob oculos ipsi posita, neque æquitate causæ, tam luculenta & aperta potuerunt à tam nefaria crudelitate immutari. Cùmque nihil haberent, quod responderent, maluerunt tacere, quàm fateri, quod uerum sentiebant. Animaduertebat enim, si negassent sabbathis benefacendum, saluandasque esse animas, se notandos impudentiæ crimine: si uerò cõfessissent, an sam calumniandi sibi amissam esse. Visu audituque mirabile. Obmutescunt, & interrogati tacent illi, qui sibi etiam solis uendicant autoritatem respondendi de lege, de iusto & iniusto, de licito & illicito. Non abs re igitur Christus cum iracundiâ illos circumspectabat, ut Marcus. 3. cap. scribit, Et circumspectans eos (inquit) cum ira, contristatus super cæcitate eorum. Quis nõ indignatus fuisset illis, qui non tam apertè, quàm insanè insectabantur adeo manifestissimam Dei ueritatem & bonitatem? Significauit autem præterea his affectibus, se uerum esse hominem, sed per omnia ad Dei uoluntatem comparatum. Ira illa fuit zeli, pro gloria patris, condolecentis, & dilectionis erga bis miseros Phariseos, sibiipsis tan toperè infestos.

Itam cepit Dominus aduersum Phariseos.

Malitia præfracta Phariseorum.

Dilemmatibus ferè uictur Christus.

Ipsè autem dixit illis.

Exemplum philanthropiæ est & ardentissimæ charitatis in Christo, qui suis aduersariis, & illis pertinacibus, mederi pergit, ut ex ueteribus utribus, nouos faciat, & eos ad cognitionem Christianæ libertatis perducat. Quaestio quaestionem soluit, & sensum Christus progreditur ad causam, quam uult esse occasionem operandi in sabbatho, quæ est necessitas & charitas: quibus uergetibus dispensatur de externa legis obseruantia. Summa igitur cum mansuetudine quamlibet obstinatis Phariseis quaestionem proponit: & rationem reddit, propter quam hic mancus, sibi sanandus est.

Quis erit ex uobis homo, qui habeat ouem unam: & si ceciderit hæc sabbathis in foueam, nõne tenebit & leuabit eam?

Quanto magis melior est homo oue?

Hæc Christi quaestio, quæ est ceu dilemma, includit argumentum & speciem inductionis à comparatis, & à minori ad maius, seu ab indigniori ad dignius. Si quidem his uerbis responderet Christus tam apertè, ut ne uerbo quidè possint Pharisei contra hincere, arguens ipsos stultitiæ, auaritiæ, & crudelitatis, adde & impictatis. Non dicit, quis mortalium, aut Iudæorum, sed quis ex uobis? Quasi dicat, tam rigidis censoribus, tam accuratè sabbathi religionem obseruatis: Quid alij agant, non iam infero, sed quid uos agatis, uestras ipsorum actiones & conscientias appello. Dicite, Quid ita stupetis? Quid est quod uos piget respondere, & pro uero agnoscere, quod iustum esse uos uestro ipsorum exemplo comprobatis? Sabbathis si quidem ipsis benefacitis, & quidem iumentis atque pecoribus uestris, quantò magis ergo licebit homini, tanto præstantiori, quàm sit ouis? Homo adeo

omnibus præstat & antecellit animantibus, ut nulla inter se possint collatione conferri. At sabbathis si periclitentur uel pecora uel iumenta uestra, omnes confestim confestimque adestis, iuuatisque strenuè, ne pereant. Ergo hominem periclitantem sabbatho iuuare licet. Sed alieni estis (ut dixi) ab omni dilectione, & uestra tantum curantes: unde auarissimi estis, nec intelligitis, quid sit, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Ideo erga pecus, sed uestrum, plus propensi estis, quàm erga fratrem. Nam inuiolata religione sabbathi, pecora uestra ipsi curatis, fratrem à me curari non permittitis. Quod dicit, Nõne tenebit & leuabit eam, fiduciam habet inuicti argumenti. Quasi dicat, Negate si poteritis: & certè non potestis, quandoquidem ita operamini, etiam sabbatho. Iam si uos, quæ uestra sunt, curatis, idque non sine labore & opere, ut ouem seructis, in die sabbathi: quomodo me iure culpabitis, qui non quod meum sit, quæro, sed per charitatem proximis seruiuo, animas saluans, non oues, atque id sine aliquo laborioso & operoso negocio, sed uno uerbo? Si ergo apud uos tantum ualet auaritia, ut malitis uiolare sabbatum, quàm unam pecudem interire rebus uestris, quantò magis hoc debet impetare charitas, ut proximum (qui melior est oue) subleuetis etiam die sabbathi?

Itaque licet sabbathis benefacere.

Apertissimum est, etiam uobis iudicibus, & conscientis uestris testificantibus, quòd fas est beneficio iuuare proximum sabbatho.

Tunc ait homini.

Cùm Iesus, ne his quidem interrogationibus, exemplis, & argumentis sentiret illorum inuidiam mitescere, nec illos hominis miserandi conspectu, nec ratione tam euidenti commoueri, circumferens oculos suos in signum, quòd essent uicti in conscientis, & obseruans, num quis illorù, quopiã uerbo contradicere auderet, indignabundus & indolescens, ut Marcus narrat, de tanta cecitate cordis illorù, iungit factum uerbis, ostendens benefacendum etiam sabbatho. Et uertens se ad eum, qui manum aridam & contractam habebat, perguit facere, quod se deceat. Curat miserum, & licet crepent & rumpantur Pharisei, nihil illorum improbitatem moratur. Sed uerbo sanat.

Extende manum tuam.

Uerbo, & non alio medio, est usus, quo minus illi causam haberent contra ipsum insanendi. Extende, uerbù est iubens ac præcipiens, & quod iubet, euenit.

Et extendit: & restituta est sanitati, sicut altera.

Simul cum dicto Christi protendit manum suam qui mancus erat, scilicet iustus à Christo per uerbum. Exemplum est obedientiæ in homine erga uerbum iubens: & est illa obedientia effectus uiuæ fidei & fiduciæ, certam sibi sanitatem promittentis. Et restituta est manus sanitati: hoc est protendit manum, sanam & agilem, non minus, quàm erat altera. Restitutio manus, effectus est potentis uerbi, & Christi per uerbum potenter operantis. Effectum uerò illum restitutionis impetrat fides uiua. Hoc factum pulchrè congruit quaestioni de sabbatho. Nam manus est symbolum operis. Docemur ergo sabbathis bona opera operari, omnemque boni operis laudem & gloriam Deo transcribere, quia, aridam alioqui, manum nostram sua uirtute reddit vegetam.

Exeuntes autem Pharisei, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum.

En fortunam uerbi, quam experitur propter sua beneficia quæ cõfert in mundum, qui pro beneficiis uerbo reddit ingratitudinem. Nequitia mūdana ferre non potest puritatem & simplicitatem Euangelicam. Vnde ministris Euangelij mirum in modum insidiatur, in omnes formas, ueluti Vertumnus quidam, se uertit, & consilia caprat, quomodo constringat ipsam ueritatem unà cum ministris, & per-

Inuictis christi argumentis resistere perhibet inuicta malitia Phariseorù.

Fides sanat.

Mundus erga suum conditorem ingratus.



dat. Nā Pharisei, cū uiderent hanc anam accusandi Iesum sibi ereptam, (non enim culpā poterant factum, quod euidentem & apertam Dei uirtutem referret: ac neque negare, quæstionis ueritatem, quæ ad eam se ingererat, ut non haberent, quid responderent, & contradicerent) deinde cū uiderent gloriam Christi crescere, suam uerō minui, non poterant quiescere præ nimis inuidiæ stimulis, quibus agitabantur: sed digressi è synagoga, relictaque turba, quam intelligebant esse propensiore studio in Iesum, repleti sunt amentia (ait Lucas) ad morem eorum, qui furis agitantur: & conuertuntur cum Herodianis (ut Marcus scribit) id est, cum magistratibus, ab Herode in Galilæa institutis (etenim apud Herodem erat Galilææ imperium) ad praua consilia, nimirum de occidendo Christo. Inter ea tamen summo actu, quod moliuntur, agunt, nulla temeritate irruentes: sed cum consilio, quod cupiunt, adornantes, dum cum Herodianis coeunt, & quomodo Christum perdant, deliberant. Legimus, Numer. 15. in quendam grauisimè animaduersum, quod ligna sabbatho collegisset. A quo nimirum exemplo argumentantes Pharisei, grauitè Herodianis persuadebāt, Christum diuino iure cædi posse, ut qui uiolasset sabbathum longè impudentius, quàm is fecerat, qui sabbatho collegerat ligna. Non autem adiciebant istius factum, de quo sumebatur in lege supplicium, ex contemptu tam Dei quàm diuinæ legis esse profectum, quocirca nihil faciebat contra Dominū. Sed iste est inuidiæ genius, ut de nullis rebus rectè iudicet, peruertat & conturbet omnia, tandem & semetipsam conficiat. Vide pie lector, iam adesse homicidij uoluntatem: nec quicquam deesse, præter occasionem idoneam. Obserua, Phariseos sibi adiunxisse Herodianos, qui commercium habebant cum discipulis Ioannis, subinuidentibus gloriæ Iesu. Annotat hoc loco Chryostomus, nihil facere miracula ad illuminationem animorū inuidia laborantium, contra eos, qui clamant, oportere fieri miracula, quemadmodum facta sunt à Christo & Apostolis. Horribile uisu auditūque est Phariseorum factum, qui uicti in conscientia, certissimis argumentis, quibus se nullis neque scripturis neque rationibus opponere possunt: tamen refragātur & aduersantur uerbo, clamantes incunctes consilium, qua uia Iesum tollerent è medio: apertè declarantes Christi superius dictum, uerum esse, nempe, utres ueteres non esse capaces noui uini: nec bibentes uetus, statim uelle nouum. Imò quantò apertius prædicatur Phariseis Euangeliū, tantò magis excæcantur & dementantur, non ab Euangelio, sed propria malitia, qua cæci facti cæciores fiunt.

Iesus autem sciens, recessit inde.

Non ignarus Iesus, quid molirentur, quorum uesaniam & ingratitude olferecerat, non coniecit se temerè in periculum, sed subducit sese ab eo loco ad tempus, melioribus se seruans rebus, ne furentibus anam aliquam dedisse uideretur ad exitrema ueniendi. Et ut suis exemplum daret, quod ipsi quoque prudenter discant hostium declinare insidias, tum maximè, quum illorum periculo nec hostes possunt fieri meliores, neque ipsa ueritas reddi uel amplior uel illustrior. Poterat illos odiosè retundere, poterat miraculis obruere, poterat & perdere, sed ostendere uolens Euangelicam mansuetudinem, cedit illorum furori, si fortè mitescant aut respiciant. Obserua: Recedit Christus nō ex metu crucis, sed quia uidet se nihil posse apud illos efficere. Rogabis. Quò recessit? Respondet Marcus. 3. cap. Iesus autem cum discipulis suis recessit ad mare.

Et sequuti sunt eum multi.

En potentia uerbi: multos ad se pellicit. Tametsi enim Christus multos habuerit antichristos & aduersarios, tamen semper habet suos, qui sequuntur eū. Marcus nominatim memorat, unde conuenerant, dicens, Et multa turba, à Galilæa & Iudæa, sequuta est eum. Et ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans-Iordanem,

Pharisei perniciem Christum intentant

Lignilegus in sabbatho quare punitur

Inuidiæ mos.

Inuidiæ nihil profunt neque miracula neque uirtutes.

Iesus subducit se periculo mortis, & furori Phariseorum.

& quæ circa Tyrum & Sydonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, uenerunt ad eum. Multorum hic accessus est, id quod urebat Phariseos: siquidem hoc ipsum amentes metuebant, quemadmodum alibi dicunt, Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Cæci isti non cogitant, an hic multorum concursus sit à Deo, uel non sit: sed hoc unum cogitant, quomodo populum non amittat. Non quòd illorum salutem sitiant, sed quòd potius quæstum ex illis quaerant. Obserua: Hæc sequela signum est & effectus uiuæ fidei.

Et curauit eos omnes.

Vox, omnes, commendat Christi potentiam. Non significat Euangelista, omnes, qui sequebantur, ægrotos fuisse, sed his uerbis non tam hoc agit & studet, ut ostendat simpliciter, ægrotos aliquos à Christo sanatos esse, quàm ut propensam illam, & nunquam satis aestimatam Christi bonitatem, & beneficiendi facilitatem, quibusvis obuiam, exprimat: & doceat magis, qualis sit Christus, bonitate, quàm sanandi uirtute.

Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent.

Duplicem sensum habent hæc uerba, Ne manifestum eum facerent. Aut enim idem est, atque, ne ipsum, ubi locorum agat, inimicis reuelaret, quasi in latebras quasdam sese abditurus esset. Sed hic sensus non uidetur quadrare proposito. Aut idem est, atque ne manifestum facerent aliis, quis esset, nempe filius Dei, & uerus Messias. Et hic sensus quadrare uidetur. Idem enim scribit Marcus dicens, Et uehementer comminabatur, ne manifestarent illum: sed hoc peculiariter ad dæmones pertinet, quibus, cū proidentes dæmoniacci clamarent, ac dicerent, Tu es filius Dei uiui, uehementer fuerat interminatus, ne se manifestum facerent. Si hæc prohibitio cū dæmonibus, tum omnibus, qui aderant, facta fuerit, eò pertinebat, quòd hoc tempore humilitatis & seruitutis suæ Christus noluit supramodum inclarescere. Aut quòd noluit in negotio pietatis, priuatam gloriam quaerere. Aut quòd esset alius, qui ipsum in tempore manifestaret, nimirum pater æternus. Si autem solis dæmonibus facta est hæc prohibitio, in promptu causa est, quòd noluit laudibus malorum infamari.

Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetā, dicentem.

Bono ac pio zelo Euangelista studet docere, quæ per Christum acta sunt, diuinitus ordinata & prædicta esse (quæ profectò futura non sunt quia prædicta, sed prædicta sunt, quia futura) ut cognoscamus & credamus Iesum esse Christū, in prophetis promissum, uidetes scripta prophetarū de ipso, in ipso, & ab ipso adimplera. Præsertim hoc loco, cū post memoratū secessum prohibuit, ne se manifestū facerent. Quasi dicat, Ideo nolo, ut uos reddatis me manifestum, quia alius est, qui promissit meam manifestationem & glorificationem coram toto mundo. Hic uerò Deus est, qui inquit per prophetam Isaiam 42. cap. Ecce puer meus, &c. Hæc prophetia multa complectitur. Primo continet glorificationem Christi per patrem. Secundò statuit Christum eam personam, in qua Deus pater complacentiam habeat. Tertio agit de uocatione Gentium, & de officiis, quæ obiturus erat Christus in Gentes. Quarto proponit mansuetudinem Christi erga suos persecutores. Quintò monet de philanthropia Christi, erga omnes infirmos peccatores, & de officiis eius in illos. Summa huius prophetiæ est, Commendat admirabilem illam Christi mansuetudinem & modestiam: qua & aduersariis suis cessit: cū perdere illos posset: & omnem gloriam & strepitum mundi reiecit, per patientiam expectans, donec eieceret ad uictoriam iudicium, ipsa sese ueritate ad lucem clarius atque clarius exerente, aduersariorūque malitia ad summum pergressa. Obserua: licet paulò aliter habeant Hebræa, aliter 70. aliter citatio Matthæi, nemo tamen huius lectionis diuersitate offendatur. Nam quòd ad sensum attinet,

multos sequi Christum docent Pharisei

Christi bonitas omnibus accessibilis.

Christus quare prohibuerit seipsum manifestari.

Sensus scripturæ expendendus magis quam uerba.



probè conueniunt omnes uersiones. Boni autem uiri nihil solliciti sunt, quibus uerbis utantur apud hos aut illos prophetæ ac Euangelistæ, dum modò conueniunt in ipsis rebus ac sententiis. Magis autem studuerunt Euangelistæ (cùm scripturam citarunt) sensum scribere, quàm uerba numerare. Discutiamus huius prophetiæ singula.

## Ecce.

Attentos hac particula facit auditores. Quasi dicat: Rem inauditam & maximè admirabilè propono. Hanc non alio quàm fidei oculo, uidete, & ad eam aures arripite in hunc solum attendite, tanquam in eum, qui ex populo non Dei, populum Dei facere queat. Defixos in eum (quem describo) habetote oculos, & agnoscite qualis sit, docendo agendòque, cum hominibus futurus, quàm benignus, mitis, clemens, & humanissimus.

## Puer meus.

Quem hic Matthæus puerum seu filium dicit, Isaias 42. (unde sumptus est hic locus) uocat seruum. Sed in idem recidit. Nam Dominus noster Iesus Christus est Dei patris filius naturalis. Sed propter nos humiliavit se & factus est seruus, dicitur Paulo ad Philipp. 2. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem esse Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Contemnitur (inquit Deus pater) quem propono uobis audiendum, tamen puer meus est, in quem mea omnia infudi, non illa deferens, sed illa eadem communicans: ideo meus, hæc uox meus emphasim habet. Et hoc uult pater notum esse mortalibus. Nam in eo sita est illorum salus. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti.

## Quem elegi.

Elegit eum Deus pater iuxta suam uoluntatem. Vox elegit, tam ad Deum, quàm ad eos, qui debent suscipere Christum respicit. Deus elegit sibi Christum in suum seruitium, scilicet ad opus, quod nemo alius poterat facere. Nobis uerò à Deo electus est peculiariter, ut electitia persona, quam suscipere debemus. Electi sumus in ipso, ut ipsum eligamus, & simus sancti in ipso Ephes. 1. cap. Electus est, ut seruus, nuntius, & Apostolus Dei, in hunc mundum ad nostram redemptionem faciendam, & parandam nobis salutem missus.

## Dilectus meus.

Vox dilectus nomen est, plus quiddam significans, quàm dilectus participium: ueluti si dicas, unicè charissimus, electus & pretiosissimus. In uaticinio Isaiæ ponitur Bechir, id est electus. Quo quidem commendatur nobis maiestas & dignitas Christi, qui patri coniunctissimus & charissimus est. Hanc autem coniunctionem & hoc ineffabile amoris uinculum nobis expressius exposuit Dominus Ioannis 17. Deinde uox dilectus nobis insinuat inexplicabilem Dei in homines charitatem, qua in nos pretiosissimum suum thesaurum effudit. Vnde Paulus ad Roma. 5. Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Hanc dilectionem impensissimè in nos demonstrauit, dicente Paulo ad Ephes. 1. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum uoluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. Idem planius significatur per uerba sequentia.

## In quo bene complacuit animæ meæ.

Complacencia hæc Dei in Christo, Græcis dicitur *διδουα*, qua significatur animus

animus intimè propensus in aliquem, bona item uoluntas & affectio propensissima, ab omni ira & affectu sinistro remotissima. Huius uocis uim expressit Lucas 2. cap. in eo carmine natalitio saluatoris, ab Angelis decantato, Gloria in altissimis Deo: Et in terra pax, &c. Hanc uocem interpretis græci, Ioan. Chrysoft. in explicatione epistolæ ad Coloss. uertit reconciliationem. Per incarnationem igitur filij Dei canunt angeli Deum nobis reconciliari. Hebræi certè utuntur suo Razon. Significat autem placatum & sedatissimum uoluntatis affectum in aliquem, cui iam bene uolumus, omni animi conturbatione seposita. Anima metaphoricè ponitur pro affectu, qui tametsi in Deo non sit, affingitur tamen ei propter nostram imbecillitatem, quæ diuinas res per collationes ad res nostras, rectius intelligit. Dixerat autem Dominus: poenitet me fecisse hominem: incandueratque prorsus aduersus genus humanum. Quod cùm inspiceret cœlitus, inquisiturus, num supereset intelligens aut requirens Deum, nihil aliud in tota illa uniuersitate inuenit, quàm corruptionem & conuulsionem & abominationem. Nunc uerò cùm cœlitus respicit filium innocentissimum & sanctissimum, in quo nihil est, quod non possit placere Deo maximè & impensissimè, fit beneuolus erga genus humanum, & seposita omni ira, placatur propter Christum nobis omnibus, quos & pro filiis habet, dilectis propter dilectum, cui sumus insiti, ceu membra capiti, & fratres Christi, adoptitiueque filij Dei. Porro ut hæc reconciliatio plus autoritatis haberet apud omnes homines, ipsissima Dei patris uoce pronuntiata, & à propheta prædicta est. Hanc reconciliationem eandem hisce uerbis significauit expressitque Paulus ad Coloss. 1. cap. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinè crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt. Hoc ergo est, quod testimonium patris significat, dati in Christo hominibus, reconciliationem, redemptionem, satisfactionem iustitiam, lucem, uitam æternam, denique omnia diuina, cœlestia & salutaria dona, ut eorum fiat particeps, quisquis in Christum credit. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. 1. Ioan. 5. Hoc est autem testimonium, quod ipse testatus est de filio, quòd in ipso sit nobis placatus & reconciliatus, quòdque in dilecto nos iam impensè diligit, & propenso in nos sit animo, tanquam in filios charissimos. Obserua. Cùm dicit, complacuit animæ meæ, periphraus est uehementissimi adfectus Dei patris erga Christum.

## Ponam spiritum meum super eum.

His uerbis respicitur ad incarnationis mysterium. Nam filius, secundum naturam diuinam, patri coæternus & coequalis est, qui secundum humanam inferior est, & accipit spiritum, quem pater ponit super ipsum: id est, efficit, ut uirtute Spiritus sancti agat, quicquid agit: adest illi in omnibus, quæ acturus est, ordinando eum ad parendum uoluntati suæ: hoc est, datus est nobis saluator, redemptor, lux, & doctor. Ad huius loci explanationem pertinet, quod Ioannis primo capite scribitur, Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Vidi spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Super eum, supple, puerum meum. Quidam legunt, Ego suscipiam eum. Est uero suscipere Christum, sustentare eum, glorificare, & magnificare. hoc modo pater filium suscipit.

## Et iudicium gentibus nuntiabit.

Impartiam, inquit, puero meo spiritum meum mansuetum & lenem, cuius instinctu iudicium annuntiabit, non solum Israëlitico populo, uerùm etiam omnibus Gentibus. Christi officium, ex uirtute Dei acceptum, est, Gentibus prædicare Euangelium, quod damnat & iudicat omnem carnem iustitiam, ostendit omnes

Anima pro affectu.

Graphica explicatio modi reconciliationis nostræ erga Deum.

Quàm propitius factus sit nobis Deus per Christum.

Christus homo accepit spiritum.

Christi officium.



esse peccatores, & indigere gloria Dei. Hoc est, quod scribitur Ioann. 16. Arguet mundum de peccato, de iustitia, & iudicio. Ad Roma. 1. Reuelat iram Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, eorum, qui ueritatem Dei in iniustitia detinent. Obserua. Iudicium est effectus Euangelij, sed hic ponitur pro Euangelio, siue doctrina & cognitione ueritatis, quæ per regnum Christi, cum repudiata esset à Iudæis, ad Gentes peruenit.

Iudicij pro  
Euangelio seu  
ueritate.

**Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius.**

Propheta modum explicat, quo usurus est Messias in prædicando iudicio, siue Euangelio. Non contendet, non ager contentionibus, non erit morosus, iracundus, & rixator. Non clamabit: id est, non erit clamorosus, nõ debacchabitur immodestus in peccatores, sed moderatus erit ubique, pacificus, placidus & mansuetus prædicator, qui non turbabit respublicas, non erit tumultuosus, non uindex illata iniuriæ. Neque audiet aliquis, &c. id est, foris non faciet audiri uocem suam, non erit ostentator aut iactator, qui uel omnes uires suas semel proferat, uel in suo ministerio, donisque uideri & laudari cupiat, sed fugiet omnem auram popularem & ostentationem.

Messias de-  
scriptio ex  
Isaia.

**Arundinem quassatam non confringet.**

Duabus allegoriis ab arundine comminuta, & lino fumigante sumptis, pergit propheta docere, quàm mitis, benignus, lenis & mansuetus futurus esset Dominus. Arundini (quæ omni uento mouetur) similes sunt homines inconstantes, infirmæ item conscientia, publicani, meretrices & peccatores. Et hæc arundines comminutæ & confractæ sunt, quia omnibus sceleribus corruptissimæ. Tamen Messias non confringet, hoc est, non in desperationem adducet, non perdet, sed diligentissimo quodam studio quæret saluare. Hoc est, nihil erit tam debile, tam confractum, tam abiectum, in quo uel aliqua spes sit salutis acceptanda, quod non curaturus & seruaturus sit. Erit *φιλάνθρωπος*. A mantiu enim genius est, ut quæ amat, studiosè colligant, ad exemplum eorum, qui nummos colligunt. Aut non confringet arundinem quassatam, id est conscientiam perterrefactam, aut cor cõtritum. Non desunt, qui per comminutum calamum intelligant Scribas & Phariseos, quorum potentia (qua innocentem persequébantur) non fuerit maior aut fortior, quàm arundinis concussæ & comminutæ. Aut arundinem comminutam uocat aduersarios, iam coram Deo confractos & iudicatos, quos noluit confringere, id est, uel amplius irritare, uel publico iudicio percutere, cum potuisset.

Arundo, in-  
constancia est.

Christus aru-  
dinem quas-  
satam nõ cõ-  
fringet.

**Et linum fumigans non extinguet.**

Lino fumiganti siue caliganti similes sunt, qui perditioni proximi sunt, qui sceleribus grauissimis, ceu fumo quodam, oculos bonorum offendunt, & ueluti fœtore corruptæ suæ famæ nares piorum infestant. Verùm ut illos arundini similes non conterit, ita istos non extinguit & deperdit, sed longanimitate sua tolerat, & expectat ad pœnitentiam. Extinguere est prorsus reicere imperfectos, & damnare, quasi despondere animos debeant, & conuerti non possint.

**Donec eiiciat ad uictoriam iudicium.**

Diuus Hieronymus in 42. cap. Isaia, unde sumptus est hic locus, putat uitio scriptoris hic apud Matthæum in huius medio uaticinij quædam omissa esse: qui (quod sæpenumerò fit) ea uerba, quæ intercesserant inter iudicium & iudicium, oblitus, & cæcutiens, omiserit. Sequuntur, quæ omissa sunt, In ueritate educet iudicium, non erit tristis neque turbulentus, neque festinabit. Hæc indicant, quàm fidelis & diligens fuerit Dominus in docendo Euangelio. In ueritate (inquit) educet siue proferet iudicium: id est, Euangelium uerè, rectè, legitimè, & ita, ut decet, præ-

Præterita a-  
pud Matthæum  
ex Isaia.

dicabit. Ergo non erit tristis siue turbulentus: id est, obscurus in docendo, sed facilis & expositus: non inutiles difficilisque subtilitates proferet, sed docebit lucutissime. Ita non festinabit, sed tradet omnia grauitè, cunctanter, maturè & absolutissime. Id uerò non tantum faciet in diebus carnis suæ, & in tempore dispensationis suæ: sed donec eiiciat iudicium ad uictoriam. Qui diebus carnis suæ uisus est humilis & benignus doctor, adert aliquando iudex. Iudicabit enim totum orbem terrarum: ac tum utetur potentia absoluta, & damnabit hostes suos, qui recu-sauerint iudicium Euangelij recipere. Interim tamen frequenti utetur iudicio, quando in hostibus suis punit inobedientiam, ingratitude & perfidiam. Aut donec eiiciat ad uictoriam iudicium, id est, donec prædicatione Euangelij uictoriam obtineat in conscientis, hoc est, donec ueritas agnoscat. Iudicium, agnitio est peccati. Certè propheta exaggerat difficultatem, quam subire cogitur Euangelium in expugnandis conscientis, ut à propria iustitia desistant, in Christum credant & confidant, consolationem accipiant, & perfecti fiant. Hæc omnia in conscientis habita, propheta uocat uictoriam.

Christus do-  
ctor primū,  
post iudex.

Iudicij pro  
agnitione  
peccati.  
Victoria Ec-  
clesiasticæ, est  
expugnatio  
conscientia-  
rum.

**Et in nomine eius Gentes sperabunt.**

Vaticinij conclusio. Quamlibet placidus, humilis & clemens fuerit hic puer, electus à Deo, tamen per uerbum crucis, occulta sua potentia, ita restituit & euexit iudicium seu Euangelium, ut iam Deus uerè cognoscatur, & adoretur: & in nomine eius sperent insulæ seu Gentes: id est, uerbo ipsius sese subiiciant, ipsūque auidè excipiant. Hoc quotidie fit, & fiet, donec gloriosus redeat & terribilis, ad iudicandum uiuos & mortuos. Obserua hic uocationem Gentium, quæ cadente Israël, ingressæ sunt. Vide mihi. Urbem sanctam iusto iudicio Christus excidit, Gentem Iudaicam repudiavit, & Gentes sibi adiunxit. Vnde facilè obseruabis, rebelles & contumaces aduersus Euangelium, & interim benignitate & clementia Christi abutentes, tandem nõ impunè mansuros. Quare cauendum est, Domino obmurmurare, quòd uideatur aliquando cum indulgentia tractare rebelles. Est profectò Deus longanimis, expectans peccantium pœnitentiam, quam si tandem egerint, liberabunt animas suas: sin in impietate sua perrexerint, sentient iustum & seuerum iudicem, qui tarditatem supplicij grauitate compensabit. Hunc locum ueritatis doctores diligenter meditentur, & ob oculos frequentius uersent.

Gentium uo-  
catio.

Christus ali-  
quando ul-  
tor erumpet  
in impios.

**Tunc oblatus est ei dæmonium habens.**

Eleganter prædictæ prophetiæ subiectus est hic euentus de muto dæmoniaco sanato, quo manifesta facit Christus sua officia, quæ prophetia proponit. Licet enim cessent furori hostium ipse lenis ac mansuetus, potius quàm ipsos potenter oppreserit, interim tamen pergit quibuslibet benefacere, & ueritatem defendere contra aduersariorum impias & contumaces blasphemias, idque apologia non leni, sed satis acerba, moderata tamen. Tunc, scilicet post datam doctrinam, oblatus est ei dæmonium habens. Qui adducunt & offerunt, non sine fiducia multa id agunt. Hæc adductio testatur adductores uerbum audiuisse, cui credentes magnam sibi spem & fiduciam de philanthropia & potentia Christi cõceperant. Offerunt igitur cum fiducia ipsi Christo, hominem habentem dæmonium, id est, dæmoniacum, hoc est, obsessum à dæmone. Qua in re obseruanda est maleuolentia & potètia Satanæ, qui noctu diūque nihil aliud meditatur, quàm quomodo hominem in totū perdat & occidat. Quòd faceret momento, nisi Dominus impediret. Nihil enim potest dæmon, magnus ille aduersarius, nisi quantum illi à Domino permittitur.

Satanæ mi-  
sericordia.

**Cæcus & mutus.**

Exaggeratio est necessitatis, ut porrò illustrior appareat potentia Christi, qui pessimè habentem restituere potuerit, & tam infestum dæmonium fugarit, cuius tyrannide & uiolentia hic miser & cæcus & mutus redditus fuerat.



Et curauit eum, ita ut loqueretur, & uideret.

Satanæ uim tyrannicam depulit Christus ab hoc obfesso: & qui mutus & cæcus erat, uidit & loquutus est. Curatio, effectus est potentia uerbi: loqui & uidere, si-  
Christi ele-  
mentia & po-  
tentia.  
 gna sunt perfectæ curationis. Obserua hic tum clemētiam, tum potentiam Christi super Satanam. Clemētia est, quod miseretur hominis tam afflicti, & longè omnium miserimi: Potētia est, quod expellit Satanam uerbo suo, & dæmoniacum, mutum ac cæcū, sanitati ita restituit, ut & loquatur & uideat. Satanæ nobis semper inuidet hanc gratiam, & inuidens, insanit: Christus tamen miseretur, & con-  
Tria miracu-  
la in uno ho-  
mine sanato.  
 git Satanam cedere. Diuus Hieronymus ait: Tria signa simul in uno homine perpetrata sunt, Cæcus uidet, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Ad-  
Regnū Dei.  
 iicit idem & tropologicum sensum, dicens: Quod tunc carnaliter factū est, quotidie completur in conuersione credentium, ut expulso dæmone, primū fidei lu-  
Veritatem ta-  
cent manci-  
pia Satanæ.  
 men aspiciant, deinde in laudes Dei tacētia prius ora laxentur. Hæc ille. Hoc miraculum haud dubiè significat Iesum, esse Christum, & regnum Dei uenisse. Nam diabolus, Dei aduersarius, expellitur, & omni potestate & imperio suo spoliatur, idque per Christum, qui post eiectum aduersarium, ipse in suis fidelibus regnat. Obserua. Quod obfessus tacet, liberatus autem loquitur, significat eos non profiteri ueritatem, quos Satanæ suis uinculis tenet, quales sunt, qui spiritum Christi non habent. Porrò ubi trālati fuerint in Christi possessionem, mox per Spiritum sanctum eius gloriam profitentur & annuntiant. Hinc palàm fit, eos à dæmonio uinctos esse, qui ueritatem, quam nouerunt, tacent.

Et stupebant omnēs turbæ, & dicebant, Nunquid hic est filius Dauid?

Declarat Euangelista, quomodo spectatores, hoc miraculum excipiunt. Propo-  
In turba, quā  
admirantur.  
Pharisæi ca-  
lumniantur.  
 nitque tres hominum ordines, qui de hoc miraculo iudicant, prout in eis aut car-  
Impij illud  
ac ridet.  
 nis, aut spiritus iudicium erat. Alij stupebant: Hi pij & ueri Christiani sunt, qui-  
Scopus mira-  
culorū Chri-  
sti.  
 bus scilicet Dominus cum suis etiam operibus tam magnus est, ut inde etiam stupeant. Alij calumniabantur miraculum: Hi erant Scribæ & Pharisæi, quos malè uerebatur, quod paria non possent, timentes scilicet, ne apud vulgum uilescerent, & pluris ipsi Christus haberetur. Alij autem ridebant, ac promittebāt se credituros in ipsum, si non tantum terrenum, sed etiam cæleste miraculū ederet: Hi signum poscunt, & ut ipsorum stultis ac impie curiosis uotis inseruiri, sitque eis uice spectaculi, qualis Herodes fuit. Primi obstupescunt. Hic stupor est effectus uerbi, qui commendat potētiam uerbi in conscientis auditorum, & eorum qui cognoscunt, miracula uerbi. Huius præsentis historiae scopus & usus est, manifestare & confirmare doctrinam Christi, & quod Iesus est Christus: id est, rex ille & sacerdos, in lege ac prophetis promissus, cum quo reuelatur regnum Dei. Hic usum, qui ad-  
Tantum spi-  
ritu Dei præ-  
diti, rectè de  
euangelio sen-  
tiunt.  
 sunt, agnoscunt, & ex diuino facto colligunt Iesum esse Christū, & Messiam uenisse, dicentes, Nunquid hic est filius Dauid? Quod non putauerim ita accipientem esse, quasi dubitanter id dictum sit. Hæc enim oratio magnā præ se fert asseru-  
 tionem, ueluti illa apud Ioannem 7. cap. eiusdem turbæ oratio, Christus cum uenerit nunquid plura signa faciet, quàm hic facit? Ita hic quoque, Nunquid hic est, &c. ac si dicerent, Quis tam cæcus, & iudicij inops fuerit, qui nolit ex tantis colligere uirtutibus, hunc, illum Dauidis esse filium, quem in folio partis regnaturum prophetarunt sancti prophete? Non absurdè istud colligebant ex tam insigni miraculo, & aliis, quæ & ipsa in prophetis erant de Christo prædicta. Unde & Christus illa superiori cap. 11. discipulis Ioannis obiicit, Cæci uident, surdi audiunt, muti loquuntur. Et alibi dicit, Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Obserua: Solus Dei spiritus rectè sentit de iis, quæ ad Euangelium pertinent. Proinde ij soli, qui per eum iudicant, rectum iudicium habēt. Hi ob Chri-

sti mysteria lætantur, & demirantur, ac ea reuerentur, etiam si non omnia plenè intellexerint.

Pharisæi autem audientes, dixerunt.

Pharisæi & Scribæ, & quidem, ut Marcus 3. cap. scribit, qui uenerant ab Ierusalem. Quasi dicat, qui uidebantur omnium præstantissimi, doctissimi, & religiosissimi, calumniantur miraculum: & statim omnem mouēt lapidem, quod turba impediatur, ne credant, & conuertantur. Scilicet cum aliud nō possunt, calum-  
Pharisæi, ho-  
mines nigri,  
& interpretes  
maligni.  
 niantur & damnant uerbum. Insignis est istorum malignitas, qui quàmlibet aliquid candidum fuerit, in atrum uertunt. Væ uobis, inquit Isaias, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.

Hic non eiicit dæmones, nisi in Beelzebub, principe dæmoniorū.

Mirabiliter Pharisæi suam ipsorum produnt calumniam & sycophantiam, aduersus cuius morsum, ut prouerbialiter dicitur, non est remedium. Quandoquidem nihil tam bonum, tam diuinum proponi potest, quod non in pessimā interpretentur partem. Iam Christus stupendum & magnum edidit opus, quod natura sua nec aliter uidetur, nec aliter iudicari potest, quàm diuinissimum. Quia eiicit dæmonem magna potentia, & sanauit dæmoniacum, ac restituit ei uisum, & loquendi usum, quod est beneficium longè optimum. Attamen quod optime & diuinissimè factū erat, hoc Pharisæi sycophantæ pessimè adeoque satanicè, factum deblatterant. Horum sycophantia in hunc modum uidetur instructa fuisse: Vos (inquiunt ad plebem, rectè de Christo sentientem) arbitramini Iesum istum, esse Christum, Dauidis filium, idque colligitis ex factis eius miraculosis: sed aberratis toto cælo. Insipientes, & nimis creduli estis, ueluti ad omnem uentum & auram ducti vos consilij inopes estis, & ignari. Nos uerò in lege doctissimi, qui nihil magis in uotis habemus, quàm uestri conseruationem: sumus enim è principibus synagoga, à quibus pender totus reipublicæ cardo. Cauete ita iudicare de hoc Iesu: nam cum uerus Messias, germanus Dauidis filius ueniet, diuina uirtute instructus ueniet. Ergo quæcunque designabit, uirtute digitòque Dei designabit. Hic uerò uester ille Iesus, quæcunque facit, non Dei, sed diaboli uirtute facit. Habet enim Beelzebub, familiarem spiritum, exercet magiam, & necromanticis artibus demorat imprudentem ac rudem populum. Hoc profectò intolerabile, & nec coram Deo, nec coram hominibus excusabile est, quod quis rem optimam, optimam quoque specie præditam, pessimè interpretatur. Hoc uerè est peccatū in Spiritum sanctum, hoc peccatū & opus Satanæ. Et qui hoc designant, magis obfessi sunt à dæmone, quàm is dæmoniacus fuit, de quo nunc nobis sermo est. Satan mendax est, & mendacij pater. Calumnia autem tantò perniciosius mendacium est, quæto honestiori specie ornatur. Horū damnatio (quæ procedit à posteriori ad prius, id est, ab effectibus ad causas) extendit se ad tria, nimirū damnant uerbum, Spiritum sanctū, & opus Spiritus sancti, quod operatur per uerbū. Hisque tribus opponunt Satanæ præsidium, & eius uerbū falsum, uerbo Dei cōtrariū. Item ipsum Beelzebub cum opere, quod potest per suum uerbū operari. Qui enim opus Christi damnat, & ipsum Satanæ adscribit, simul dānat & Satanæ adscribit & personā, & uerbū, & Spiritum sanctū, cuius præsidio operatur Christus. Non absimilia conuitia, nec minus certè horribilia didicerunt in hac schola impiorū, præside in cathedra pestilentia magistro & doctore Satana, quotquot in sequentibus temporibus Christum blasphemarunt, & Euangelium Christi caninis lacerarunt dentibus. Sanè  
Lucianus Sa-  
mosatenus, ho-  
mofatenus, atheos, im-  
pius, impur-  
& apostata.  
 Lucianus, Sophista Samosatenus, ob mores impios, Atheos cognominatus, homo impius, impur-  
 bus, ea dixit, quæ contra religionem nostram euomuit. Sed miser ille & infelix, tandem sensit Domini Dei manum fortem, cuius religioni falsis insultauerat di-



Lucianus à steriis. Nam Suida autore, à canibus est laceratus & interfectus. In eadem schola instituti fuerunt Porphyrius philosophus Tyrius, & Iulianus Augustus, homines impurissimi & impiissimi, quibus vicissim repensum est à Domino nostro pro meritis, & resposum editis libris à nostris hominibus doctis, piis, & uere Christianis. Non absimiles fuere usque in hodiernum diem, qui successum Euangelij & constantiam martyrum Christi ad diabolum referunt autorem. Sed sequenti disputatione Christi potentissimè confutantur. Obserua: Beelzebub fuit idolum in Accaron, quemadmodum scriptum est, 4. Reg. 1. Et significat magistrum seu principem muscarum, aut præcipuam muscam. Zebub enim muscam, Baal uerò siue Beel maritum uel herum significat, quæ cum coniungis, principem muscam habes, id est, regem muscarum, aut grandem fucum uel uespam. Vnde Iudæi uocant principem demoniorum Beelzebub, hoc est Dominum muscarum, uel quod iudicauerint idolum in Accaron fuisse maximè omnium abominabile, uel quod dæmones sint ueluti muscæ. Sicut enim harum examina circunuolitare solent capita nostra in æstate, & molestiam inferre, ita illorum exercitus, nos circundant, quærentes, quem perdant ac deuorent. Et quia impius huius idoli cultus cæteris omnibus celebrior fuit, pro dæmonum principe habitus est. Obserua: Voce, principe, obliquè significatur, quosdam gradus esse inter diabolos, ut quidam uocentur principes, à maiori nocendi potestate, quam habent.

Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis.

Argumentum & certum indicium est Christi diuinitatis, quia scit cogitationes Phariseorum, & cordium occulta intelligit. Sciens, &c. id est, cum sciret, quod ueritate uicti essent in conscientiis: tamen damnarent opus Dei, & adscriberent Satanæ, respondit eis. Hæc memorabilis apologia, ob uberes fructus ex ea proferminantes, tanquam maximè necessaria, ab hominibus Christianis obseruanda est. Rogabis. Quid est, quod Euangelista dicit, Sciens cogitationes eorum, cum Pharisei non tantum ista cogitarent, sed etiam aperte dicerent? At Pharisei (inquit) cum audissent, dicebant, hic non eiicit dæmonia, &c. Si aperto uerbo dixerunt blasphemiam, quid opus est scrutari cogitationes, quæ ore expressæ sunt? Respondeo: nihil hic redundat, nihilque frustra positum est: sed res ita habet atque hic & apud Lucam. 11. cap. scripta narrataque est. Nam Pharisei istam blasphemiam non solum cogitarunt, sed etiam falsè expuerunt: & multa astuta consilia, techinas & imposturas cogitarunt, quibus auerterent plebem ab opinione sancta, quam de Christo induerat. Has cogitationes celabant intra se. Sciens ergo cogitationes eorum, id est, sciens malitiam & astuta consilia illorum. Quibus uerbis significat Euangelista Phariseos istud conuictum: dolo malitioso fabricasse, & in vulgus contra suam ipsorum conscientiam sparsisse: quare subindicat Christum ad hanc apologiam magis callida Phariseorum malitia motum esse, quam impudenti isto conuictio: magisque spectasse, quid malitiosè quæreret, quam quid impudèter blasphemaret. Quia uerò cogitationes illæ eò institutæ erant, ut populo nocerent, & à fide auocarent, & plus nocumenti allaturæ erant populo, quam blasphemiam illa Christo, magis spectauit Christus, quid populo utile esset, quam quid sibi gloriosum: magisque studuit auertere astum Phariseorum, populo noxium, quam impudentiam sibi probrosam. Opprobria enim passus & flagella, nos ab opprobriis & flagellis liberauit. Obserua autem, quam mansuetè ad hanc execrabilem blasphemiam, & astuta consilia responderit Dominus: sine iracundia & furore loquitur, qua re, hoc est: mansuetudine & modestia, Chrysostomus putat non minus innocentiam Christi declaratam fuisse, quam ipsi miraculis. Si igitur opus fuerit & necessarium, conuicti aduersariorum respondere, imitemur nos & istam Iesu Christi mansuetudinem. 1. Petri 3. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus uestris:

Christus magis salutis populi, quam suæ gloriæ prospexit. Mansuetudo Christi.

Notitia cogitationum, Christi deitatem arguit.

Beelzebub, quare demoniorum princeps.

Gradus quidam inter dæmonas.

parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem, de ea, quæ in uobis est, spe, & fide: sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt uobis, confundantur, qui calumniantur uestram bonam in Christo conuersationem.

Omne regnum contra se diuisum desolabitur: & omnis ciuitas uel domus diuisa contra se, non stabit.

Incipit Christi apologia, qua defendit se non eiicere dæmonia in Beelzebub. Huius totius disputationis scopus eò dirigitur, ut ostendat Dominus se non uirtute Satanæ, sed diuina adeoq; propria uirtute facere diceretque, quod dicit & facit. Eoque amplius quiddam colligit, Dei scilicet regnum uenisse, & se regem esse regni Dei, qui principem huius mundi Satanam expellat: ipse potens regnet, & suos asserat. Hac defensione consolatur nos Christus contra iudicia sapientum mundi, de Christo, uerbo, utriusque operibus, & Spiritu sancto. Quæ licet damnet mundus, & adscribat diabolo, tamen à Deo sunt, simul & tales personæ ac res, quæ possunt eiicere Satanam, & per quas, potest ipse eiici, imò personæ illæ & res superiores sunt Satana. Secundo monemur circa hanc defensionem, quando liceat se opponere hostibus ueritatis, nimirum tum, quando blasphematur ueritas. Primum argumentum dialecticus uocat ex reatiuè oppositis: & sumitur ex personis, Christo & Satana, naturæ inter se oppositis. Quæ cum inuicem adeo pugnent & contrariæ sint, tendunt quoque ad diuersa seu opposita officia. Exprimuntur autem hæc oppositio & personarum & officiorum, Genes. 3. his uerbis: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Syllogismus est in Darij. Cuius dispositio hæc est, Maior est ex loco communi, experientia probato. Minor certa est ex damnato Christo per Phariseos. Syllogismus est, Omne regnum contra se diuisum desolabitur, imò desolatur & interit, nec uires ullas habet reliquas: sed si Satanas Satanam eiicit, aduersus se diuisus est. Ergo Satanæ regnum desolabitur. Item, Omnis ciuitas uel domus diuisa contra se, non stabit: Dum ciuis ciuem & domesticum domesticum eiicit aut persequitur, ciuitas est, uel domus inter se diuisa. Ergo ciuium & domesticorum mutuo se eiicientium & persequentium, ciuitas uel domus non stabit. Omne regnum, &c. Necessaria profectò sententia, qua pax, unitas & concordia mirè commendantur. Enim uerò etiam in externis, quod aliqua sunt magis unita, eò quoque sunt fortiora, ut in parietibus ac tignis domorum uides. At diuisa, facile corruunt. Diuisa ergo regna desolari, ac domos, id est, familias, supra, id est, iuxta domos cadere, id est, deficere, necesse est. Certum ruinæ signum est, diuisio. Ex maiore illius adducti argumenti patet, quantum sit malum, intestinum disidium, nimirum tantum, ut & domos & urbes & regna destruat. Natura enim comparatū est, ut regnum in seipsum sic diuisum, ut ex eo alius aliū pellat, uel desolatur citra externum hostem, usque adeo ut nihil necesse sit instituere bellum contra tale regnum: quippe quod sua ipsius opera longè peius uastetur, quam si extrinsecus oppugnetur: sic nec domus opus habet externo uastatore, in qua inter sese domestici disideant. Huius rei multa sunt exēpla cum in gentium, tum in facris historiis. Vnde & ab historiographo Sallustio uerè dictum est, Concordia res paruæ crescunt: discordia magna dilabuntur. Isa. 3. Cum uellet propheta casum regni Iudaici prophetare, prædicebat intestina fore disidia. Iam antequam funditus euerteretur & rueret Ierosolyma, maxima intestina disidia præcesserunt. Partita ac diuisa erat in tres exitiales sectas, quarum capita erant Simon, Ioannes & Eleazarus. Legito Iosephum li. 6. cap. 1. 3. Intestino disidio decidit Carthago, similiter & urbis Romæ regnum collapsum est. Nam duorum Imperatorum Constantinorum disidio uia facta est Turcico imperio, & labefactioni imperij Ro-

Consolatio aduersus iudicia sapientum mundi.

Quando licet reluctari hostibus ueritatis. Christus & Satanas ex diametro disidentes.

Diuisio, certum ruinæ signum.

Quanta perniciis ex intestino disidio.

Exempla urbium & imperiorum per intestinas discordias euulsorum.



mani. Et regnum Vngariæ, Rhodus item, & pleraque regna uim huius mali experta sunt. Quare facile est diuinare, cur tandiu durent nostri temporis bella intestina: in promptu enim causa est, diuisio & intestinum disidiū: quod quia præcipuè inter primores & capita Reipublicæ, & magis in ipsorū manibus est ipsum sedare, quàm in tenuibus & plebecula, ideo studere & moueri debent ex his ad concordiam. Quando enim in capitibus nõ bene conuenit, statim est hinc metus mortis & periculi. Quemadmodum in naui, si naucleri, & qui nauis moderamen sustinent, non consenserint, sed mutuò inter se pugnent, præsens timetur submersio & interitus. Vnde maiores obseruare studuerunt, ne radix aliqua disidij tolleretur in Senatu. Colligamus ex his, nullum firmiter esse uinculum concordia: quippe qua, etiam alioqui inter se pugnantissima, constant. Item nihil esse perniciosius, neque inter priuatos homines, neque inter magistratus, ipsa discordia, quippe qua & honestissimæ familiae & potentissima regna pereunt. Porro quid putas habuisse blasphemos, quod ad rationem tam manifestam & certam responderent? Os planè illis obturatum fuit, sed corde tantoperè fuerunt indurato, ut nihil inde fuerint moti. Pectus enim obstinata malitia obfirmatum, sui simile esse perseuerat, quicquid ei dixeris, & quàmlibet clarè ueritatem obieceris. Piis tamen inde fidei robur accedit, dum uident, quàm firmo & certo fundamento nititur. Horum certè causa obstinatis respondendum, & os obturandū est. Tametsi enim ipsi nec conuertantur, nec etiam se sustineant cõpesci: ad id tamen conducit eos reprehendi, ut interim stultitia ipsorum manifestetur, dum continuò stultius respondent, quò uel hoc modo etiam pueris dementia ipsorum innotescat, & nullam habeant speciem ueri aut recti. Id est quod Sapiens, prouerb. 26. scribit, Responde stulto, ne sibi prudens uideatur: hoc est, responde ad stultitiam eius, ut cõfusioni pateat, propter profectum aliorum, ne ipsum sequantur, & decipiantur, existimantes rectè loquutum. Alioqui si aliorum saluti & necessitati non consulatur, præstiterit tacere, uti & ibidem Salomon docet: Noli respondere stulto, secundum stultitiam eius, ne euadas illi similis.

Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filij uestri in quo eiiciunt?

Secundum argumentum defensionis Christi, quòd in uirtute Beelzebub non eiicit dæmonia, ducitur à pari. Christus enim hinc Iudæus confertur cum Iudæorum filiis, qui eiiciebant dæmonia per uerbum & Spiritum sanctum: sicut credebant Iudæi, & pro certo habebant, ex traditione Salomonis: legito Iosephum in antiquit. lib. 8. cap. 2. Habèrque simul inclusa media, per quæ pellit Christus dæmonia. Ea autem sunt, Verbum & Spiritus sanctus, & c. Hoc argumentum dilemma est cum interrogatione, qua utitur Christus, ut Phariseos propria confessione uincat. Vtrumuis enim respondeant, capti sunt. Nam si dicant, filios suos eiicere dæmonia in Beelzebub, habent accusantes conscientias. Si uerò dicant filios suos eiicere dæmonia spiritu Dei, accusabuntur de iniusta calumnia & accusatione aduersus Christum. Siquidem Christus erat quoque ex illorum filiis. Veniamus ad textus expositionem. Et si ego in Beelzebub, & c. Quasi diceret: Nunquid manifestus furor est, quod in filiis uestris laudatis, id ipsum in me, maledictis incessere? Nam cum filij uestri eiiciunt dæmonia, dicitis hoc ex Deo esse: Cum uerò id facio, dicitis ex Satana proficisci. Sed filij uestri, id est, discipuli mei, eiiciunt in nomine meo dæmonia in uirtute Dei, ut uos fatemini: Ergo & ego in nomine meo eiicio. Quòd si illi in nomine meo dæmonia eiiciunt, quid opus est, ut ego alieno præsidio illa eiiciam? An ego non possum meapte uirtute, quod discipulis meis tradidi, præstare? Quomodo discipulis suis dederit potestatem expellendi dæmonia, legimus supra. 9. cap. Luc. 9. & 10. cap. Hoc argumentum enthymema est, in hæc formam: Filij uestri, uobis sic certò credentibus, eiiciunt dæmonia per uerbum &

Concordia nullum uinculum firmitus.

Piorum salp exigit, ut malitie impiorum oblitatur.

Iudæi exortis abigere se putabāt dæmonia.

Spiritum sanctum. Argumentum propter præposterum ordinem implicatum est. Potest tamen sic erui per syllogismum in Darij, Filij Iudæorum eiiciunt dæmonia uerbo & Spiritu sancto. Ego Christus eiiciens dæmonia, sum filius Iudæorum. Ergo & ego Christus eiicio dæmonia uerbo & Spiritu sancto. Maior nota est ex confessione Iudæorum, confitentium filios suos eiicere dæmonia uerbo & Spiritu sancto. Hos filios quidam intelligunt exorcistas fuisse, quorum publica professio inter Iudæos fuit, ut ad inuocationem nominis Dei, dæmones expellerent. Alij autem per filios intelligunt Apostolos & discipulos Christi, qui & ipsi à Christo potestate accepta, dæmones eiiciebāt. Minor argumenti nihil habet difficultatis. Est enim Christus secundum carnem filius Dauid ex Iudaico populo. Videtur argumentū procedere similiter atque hoc, Si ego tibi uideor esse hæreticus quid quæso de diuo Hieronymo Iudicas? Ille tibi Hæreticus nē, an orthodoxus esse uidetur? Sic autem relinquis ex his colligendum. Quando uerò Hieronymum credis orthodoxum esse doctorem Ecclesiæ, non potero ipse uideri hæreticus, qui eadem cum Hieronymo sentio atque credo. Aut uidetur argumentū simile esse, atque si quis dicat, Ambo sumus eiusdem ministerij, ergo eisdem utimur instrumentis. Ambo sumus factores, ergo paribus instrumentis utimur ad faciendas uestes, ut acu & filo, & c. Obserua, quale sit impiorum sycophantarum Phariseorū ingenium. Hi, quod amicis, quos fauore complectuntur, laudi ducunt, hoc idem iis, quibus inuidet, summo probro adscribunt. Et quod in alio, Spiritui sancto, in alio Satanæ attribuunt. An non tanta iudicii diuersitate manifestè proditur, non immundantatum in Phariseis, uerum etiam impius animi affectus: Quare? quia implacabili odio contra Christum insaniebant. Alioqui sciebant Satanam non pelli à Satana: atque ideo non rem ipsam, sed personam Christi odiosè impugnabant, ita ut quæ in aliis non culpabant, in Christo, tanquam Satanica, calumniarentur. Hic morbus, uel potius hæc obstinata malitia, etiam hodie communis est, ut subinde, quæ, quia bona sunt in se, & in aliis, nõ culpamus, in quibusdam culpamus odio personarum: uel etiam quæ mala sunt quidē, sed in aliis à nobis non arguuntur, in illis arguimus, quos odimus: non odio mali in se, sed odio personarum. Atque hoc ideo fit, quòd satisfacere uolentes concepto odio, toti in hoc rapimur, ut quem odimus, omnibus etiam aliis odiosum siue meritò siue immeritò reddere cupiamus. Vnde fit, ut omnia illius taxemus, notemus, sinistrè interpretemur, nulla habita ratione, an uerum sit uel falsum, quod impingimus.

Inuidi eadē iam laudant, iam vituperant.

Ideo ipsi iudices uestri erunt.

Comminationem subiungit, ut ostendat eos, iure damnandos, qui scienter ueritatem impugnant. Ideo, id est, Quia opera mea iniuste adscribitis Satanæ, quæ ad Spiritum sanctum & uerbum referri debent, non erit opus, ut alios inter me & inter mea opera & uestram accusationem, constituam iudices, qui pronuntient qualia sint opera mea, & qualis accusatio uestra, quàm filios uestros, hoc est, discipulos meos, qui hinc uestri iudices erunt, & pronuntiabunt uos iniquè iudicare de meis operibus: ego ad illos prouoco de uestro iniquo & præpostero iudicio. Hi iudicabunt me à uobis blasphemari, & me meapte uirtute miracula facere, & nihil cum Beelzebub commune habere.

Si autem ego in spiritu Dei eiicio dæmones: igitur peruenit in uos regnum Dei.

Obiter interspergit enthymema, ductum à signis, seu à medio ad medium, hoc est à Spiritu sancto ad uerbum, quo probat Christus præter institutum, accepta occasione à medio, per quod & ipse, & discipuli eiiciunt dæmonia, Euangelium seu uerum uerbum, diu expectatum, Iudæis prædicari, quod hæc signa certo certius comprobant. Quasi dicat, Videte in quod præcipitium uestra malitia caditis,



quod non credatis. Si spiritu & digito Dei, non potentia dæmonum, dæmonia eiicio, ut planè res habet, peruenit profectò in uos regnum Dei, & adest Christus uobis, & Euangelium tam diu desideratum. Hunc locum illustrat hoc entymema: Ego eiicio dæmonia digito Dei: ergo regnum Dei ad uos peruenit. Si reducatur in syllogismum, dicemus: Vbi spiritu Dei eiiciuntur dæmonia per Christum, ibi uerum uerbum prædicatur: Apud uos Iudæos eiiciuntur dæmonia per Christum spiritu Dei: Ergo apud uos Iudæos uerum uerbum seu Euangelium prædicatur. Et quia ad uos peruenit, & uobis prædicatur, debetis illud suscipere, & non blasphemare neque cõtemnere. Obserua: cum hîc Euangelesta de Christo loquutus, dicat ipsum in spiritu Dei eiicere dæmonia: & Lucas 11. ipsum in digito Dei, &c. satis constat, digitum Dei uocari Spiritum sanctum: similiter & donum ac potentiam & uirtutem eius. Hoc loco regnum Dei non est intelligendum de imperferutabili illa maiestate, qua Deus regnat in cælo & in terra, sed illud, quod promissum est per Mesiã, in hoc mundo reuelandum & administrandum. De hoc enim regno prophetatum est, quod semen mulieris sit contrituum caput serpentis. Hoc est, quod Mesiã cõculcaturus sit omnem potentiam Satanæ, & sublaturus omnes maledictiones eius. Nunc autem aduenit Iesus, ille Mariæ filius, qui manifestis miraculis Satanam expellit, & potentiam Satanæ conculcat. Quid ergo aliud reliquum est, quàm nunc illud ipsum tempus esse, de quo uaticinati sunt prophætæ, quo & ipse Mesiã præstò adest, & regnum Mesiæ aduenit? Breuiter hoc loco Christus hæc sibi uoluit. Si debet ad uos peruenire regnum Dei, necesse est, antè esse expulsum Satanam, cuius regnum ipsos uos fateri oportet, pugnare cum regno Dei. Iam Satanæ per Satanam non expellitur, multò minus per hominem ex se, aut per humanam uirtutem, sed per solam Dei uirtutem & spiritum. Hinc sequitur, ubi digitus Dei Satanam non pellit, illic adhuc regnum Satanæ uigere: ubi autè hoc uiget, ibi non posse esse regnum Dei. Obserua Christi uerbum, quo Satanæ tantum regnum tribuit, quod, non nisi spiritu Dei, queat expelli: quod nisi cælesti & diuina potentia disperdatur, nõ possit nobis regnum Dei aduenire. Aduerte. Adueniente regno Dei, regnum Satanæ corrumpit. Nimirum in his tantum Satanæ regnare desinit, qui ad Christi regnum transferunt. Quod tum fit, dum syncerissimè in Christum credis, & te totum illi cõtradis. Quod ex his, quæ sequuntur, confirmat.

• Aut quomodo quisquam potest intrare in domum fortis, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet?

Demonstrat Christus, simili ab experiẽtia mutuato, quod aded nullum habeat cum Satana cõsortium, ut hostis potius sit, atque debellator Satanæ. Aut quomodo, &c. Ac si diceret, Vos impudenti blasphemia calumniãmini, me præsidio Beelzebub eiicere dæmonia. Ego autem probabo Beelzebub potius esse captiuum, & à me uinctum, quàm adiutorem meum. Nam cum expello ab obsessis angelos Beelzebub, quid aliud ago, quàm quod ego incurro in fines regni Beelzebub, & diripio arma eius, ac diuido spolia eius? Iam propter peccatum homines sunt Satanæ regnum, in quibus ob peccatum regnat, ut pote obsessis à suis angelis. Ego autem libero homines ab angelis Satanæ, & restituo eos pristinæ incolumitati, fugatis dæmonibus, quod est spolia diuidere. Iam nemo potest fortis & armati uiri arma auferre, & spolia diuidere, nisi prius uicerit & uinxerit eum. Alioqui fortis ille armatus ita strenuè sua defendet, ut omnia quæ possidet, tuta sint ab hostibus. Cum igitur ego ditipiam arma Beelzebub, qui est princeps dæmoniorum, & cõnitiã in fugam angelos eius, id quod miracula testantur, perspicuè est me, & uicisse & uinxisse ipsum Beelzebub principem dæmoniorum, tantum abest, ut mihi

Digitus Dei Spiritus sanctus. Regnũ Dei.

Satanas non uincitur neque expellitur alia, quã diuina uirtute. Satanæ regnũ, magnũ & forte.

fit auxilio. Hic locus apertè demonstrat dæmonem & uictum esse, & uinctum tene-ri à Christo. Quod si princeps uictus est, profectò & ministri seu angeli eius uicti sunt. Si igitur Christum habes, quid trepidas? Quod si ille dixerit tam constanter, Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniã tu mecum es. Licebit & pio ac Christiano uiro audacter & constanter dicere, Si ambulauero in medio omnium dæmoniorum, non timebo mala. Cur? quoniã Christus Dominus noster mecum est. Respondebis, Satan adhuc tumultuatur per angelos suos, & horrenda minatur: imò tanquam leo rugiens circuit, & quærit, quem deuoret. Respondeo, nihil hoc esse certius. Nam hodièque illius fortitudinem magnam esse prædicat Iob, 40. cap. Sed nihil potest, nisi permittente Christo uictore, tãtum quicquid molitur & conatur, fulgur est (ut prouerbio dicitur) ex pelui: uana est & sine uirtibus ira, ut ille ait. Quare fortis esto in bello, consta, & persistito in fide charitati coniuncta, contradicere animum tuum Christo, & tutus eris inter omnia Satanæ mala. De potestate dæmonis supra, 8. cap. scripsimus. Obserua, & ex superioribus collige syllogismum ex relatiuè oppositis, Qui eiicit diabolum fortem, fortior est illo, qui eiicitur: Christus eiicit diabolum fortem: Ergo Christus fortior est illo. Aduerte: Quemadmodum angeli & homines dicuntur uasa Dei, ita rectè dicuntur uasa Satanæ spiritus immundi. Aut uasa, more linguæ Hebraicæ, posuit pro omni possessione, instrumento & suppellectili, adeoque & pro eo, quod Isa. 49. cap. appellat rapinam, dicens, Nunquid auferetur à forti rapina, & nunquid captiuitas iusti soluetur? Cui sententiæ alludit parabola, hoc loco proposita. Fortis ille tyrannus, Satanæ est: rapina uerò, quam abduxit, genus est mortaliũ, mortis propter peccata obnoxium, & in diaboli potestatem traditum. Sed Deus misit filium suum in mundum cum uirtute & potentia, qua confracta est mors, diabolus fufus, & rapina è faucibus draconis, & regno tenebrarum in regnum lucis trãslata est, dicente Isaia inibi, in persona Christi ad Ecclesiam, Ego cum eo, qui tecum litigat, litigabo. Quasi dicat, Putat Satanæ iure se retinere genus mortaliũ in morte. Sed ego, ego, inquam, uerus Deus, & filius Dei, cõequalis patri Deo delitigabo causam hominum, tuebor eos contra Satanam, & saluabo filios tuos, id est, fideles, & qui in me credunt. Hæc uerba diriguntur ad Ecclesiam. Ecclesiæ filij sunt, qui credunt in Christum, Ecclesiæ sponsum. Ad hæc, inquam, uerba prophætæ Isaie, alludit Dominus. Fortis quidem est tyrannus (inquit) qui abripuit & obtinuit hætenus rapinam. Verum ego robustior ille gigas sum, qui uenio in mundum, ut illum uincam, uinculis meis uinciam, & spoliem, eripiens ab eius faucibus meos, ut hîc sanctè & innocenter uiuant: in futura autem gloria, uita perfruantur æterna. Ad Coloss. 2. Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso, &c. Ex his collige, quale sit regnum Christi, spirituale scilicet & cælestic. Regnum Christi est iustitia, pax, liberatio à peccatis: innocentia in præsentis sæculo, & perpetuum gaudiũ in futuro: Cives huius regni Christiani, sunt homines fideles, qui in Christum omne suum præsidium collocant, Satanæ reclamant, huius instituta perpetuo oppugnant bello, Christo in sanctitate & iustitia seruiunt, & cum Christo æternum uiuunt. Obserua: Quando Christus afferit uenisse regnũ Dei, id maximè afferit, liberari nunc à potestate diaboli peccatores, ad se per fidem uiuam confugientes, recipi eos in consortium Dei, infringi diabolo suas artes, proteri uanitatis studia: rursus autem excitari ac coli omnem iustitiam, uiamque referari ad cælos. Obserua, filios Dei à filiis Satanæ discerni dilectione, ut scribitur. 1. Ioan. 3. Quam apertissimè docuit Christus infra. 25. Esturij enim, &c. Obserua: uirtute & potentia fortis est diabolus. Iob, 41. Non est potestas, quæ ualeat huic comparari. Fortior autem fit per cõsensum. Qui enim consentit, dat uires in seipsum. Sed Dominus hunc ligauit: iam uinculis cohibetur potestas ligati, aded ut nihil possit, nisi permittente eo, qui ligat. Tempore tamè An-

Dæmon à Christo uictus & uinctus. Nihil in contubernio Christi formidandum.

Satanas nihil potest inuito uictore Christo.

Immundi, uasa Satanæ. Uasa, quæ quouis instrumente. Satanæ, fortis tyrannus.

Regnũ Christi quidnam est. Cives regni Christi.

Regnũ Dei uenisse, quid

Dilectio, discerniculum est inter filios Dei & filios Satanæ. Satanæ nostro torpore & tepore fortis est.



Satanas in fine seculi aliquid soluetur Satanus, Apoca. 20. sed mox mittetur in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

Qui non est mecum contra me est.

Epiphonema est, ex contrariis collectum, quo Christus concludit suam defensionem, ostendens ex personarum & officiorum oppositione, se nihil comune habere cum Satana, imò Satanæ aduersarium esse. Cum enim personæ inter se sint contrariæ unà cum officiis: idcirco altera alterius interitum quærit: non aliter atque hostis hostem insequitur. Esse cum Christo, est pari cū eo sensu & animo esse. Illustratur hic locus syllogismo, Qui non est mecum, contra me est. Satan non est mecum. Ergo Satan cōtra me est. Iam quorum sunt contraria officia & opera, eorum alter alterum iuuare non potest. Sed mea & Satanæ officia ac opera sunt contraria. Ergo iuuare me non potest Satanus ad depellendos dæmones. Hæc sententia maximè pronuntiata est contra diabolum, & ex contextu sermonis ad ipsum diabolum refertur. Illustrior autem redditur per ea, quæ sequuntur.

Esse cum Christo.

Et qui non congregat mecum, spargit.

Hæc pars conclusionis, allusionem seu similitudinem habet. Congregare seu colligere cum Christo, est ad exemplum eius benefacere proximis per dilectionem, & bonis abundare operibus ad quoslibet. Colligere dicitur, qui rem aliquam pari studio in unum aliquod corpus compingunt. Spargunt siue dispergunt, qui compacta dissolunt & disiciunt. Ex contrariis igitur studiis, & operibus conuincit Scribas & Phariseos, quod non habet Satanam socium aut amicum, sed insensissimum aduersarium, quippe qui omnibus uiribus, demoliri & proterere cogit, quæ ipse extruit. Certè tam longè & latè à se dissident Christus & Satanus, quam ortus solis & occasus, cælum & terra. Quare qui non est mecum (ait Christus) id est, qui non habet eadem mecum officia, is nō potest mihi esse adiutor. Et qui non colligit mecum, is certè dispergit: & cum dispergat, aduersarius meus est. Quare fieri non potest, ut Satan sit mihi adiumento in expellendis dæmonibus. Vt autem palàm fiat, quàm immane dissideant Christus & Satanus, quæ sequuntur, subiungere uisum est.

Congregare seu colligere cum Christo quid.

Antithesis Christi & Satanæ.

Table with 2 columns: Christus and Satan. Rows list contrasting traits such as 'Nos nexu indissolubili cum Deo cōstringit' vs 'Contēdit studiosè nos à Deo auellere', 'Studet omnes sanctos in unum corpus per charitatem coniungere' vs 'Nititur cōpactos in charitate, per discordiam dissoluere', etc.

Ex his

Ex his manifestum est, Belial nihil commune habere, nihil congregare cum Christo: sed potius quod Christus congregat, illum nihil non facere, ut disperdat & dissoluat. Proinde ut est inter hos duos principes intestinum odium & dissidium, ita & aduersissima studia consistere reperimus etiam ab exordio mundi, inter ciues ciuitatis & regni cœlestis, & inter ciues ciuitatis & regni Satanæ. Abel pius est, benignus, lenis, tractabilis: Cain impius, irritabilis, asper, crudelis & rigidus. Ciues urbis diabolicæ colunt Idola, sectantur carnem, & corruptionem mundi: Ciues urbis Dei execrantur Idola, Deum adorant in spiritu, sectantur impulsam boni spiritus, carnem crucifigunt cum uitiiis & concupiscentiis, contemnūt mundum cum omni vanitate sua. Quare constanter confitendum est, ut manifestissimum, quod nullum est consortium Christi cum Belial, piorum cum impiis, cum partes inter se sint dissitissimæ, & sibi aduersissimæ. Proinde si Philosophorum & Prophetarum siue Apostolorum doctrinam inter se composueris, signa item Magorum & Christianorum, facile inuenies, quàm longè latèque dissideant: & quod doctrina & facta nostrorum Prophetarū & Apostolorum, in primis autem Christi & Moyfi, nequaquam possint referri ad diabolum autorem. Nam diabolus ab illis unice fuit expugnatus, & ab illis omnia eius studia constat esse confracta. Mentiti ergo sunt impiissimi & impudētissimi canes Porphyrius & Iulianus: mentiuntur hodie Iudæorum Rabbinus & Iudæi, hostes Christi Domini, quando doctrinam & miracula Christi & Apostolorum, uirtute diaboli & per artem magicam facta, & ex tartareo fœdere dicunt esse profecta. Concertarunt Magi Aegyptiorum cum primariis nostræ religionis philosophis & professoribus, Moise & Aarone, atque tandem cedere, & herbam porrigere, ac disertè confiteri coguntur, adesse ipsis Mosi & Aaroni digitum Dei: ac ipsum digitum Dei, siue minimam, quam in Deo posimus concipere, potētiam, esse ualidiorem omni arte diabolica, inani, infami, & inuiti. De Simone quodam Samaritano, insigni & instructissimo Mago, quo uix alius in orbe, post Zoroastrem & Appollonium Thyaneum, illustrior in illa arte extitit, tradūt Iustinus Martyr & Irenæus, quod magicorum miraculorū uirtute, tantus Romæ euaserit, ut pro deo sit & receptus & adoratus, posita ipsi in flumine Tyberi inter duos pontes, ingenti & splendida statua, hunc habente affixum Latinis literis titulum, Simoni deo facto. Addunt Iustinus & Irenæus mox, impostorem illum turpissimū, doctrina euangelica & uirtute Christi tādē prorsus esse subuersum. De his & huiusmodi legito Acta Apostolorum, Egesippum lib. 3. de excidio Ierofolymitano, ca. 2. Eusebium de preparatione euangelica, lib. 5. cap. 1. Et passim August. in lib. de ciuitate Dei. Porro non pigebit memorare ex Actis Apostolorū & prophanis scriptoribus, Ephesum urbem Asiæ nobilissimā claros habuisse in magia uiros: sed ubi primū Ephesini ciues audierunt Paulum prædicantem, comportauerunt libros à magicis doctoribus scriptos ad pedes Pauli, & omnes exusserunt, quorum pretio supputato repererunt pecuniæ quinquaginta milia. Quam summā eruditissimus uir Guillemus Budæus 5000. aureos Francicos, quos coronatos appellamus, ualere contendit. Quod si Christianorum religio & uirtus niteretur auxilio dæmonū, & hi ab illis euocarentur in obsequia & ministeria per artem magicam, profectò magiæ studiosi, non tantam fecissent suæ artis iacturam recepta religione Christi. Regnat ergo rex Christus Dominus noster, in æternum. Obserua. Has sententias: Omne regnum, in se diuisum, &c. Et qui non est mecum, &c. Et qui non congregat mecum, &c. esse prouerbiales, quæ uel experientia hominum comprobantur, ut & illa, Nemo potest duobus dominis seruire. Item, Nihil manet occultum, &c. Mala arbor non fert fructus bonos, &c. & similes, quibus Dominus cum vulgo agens, ad suum institutum libenter usus est.

Inter Ecclesiam Dei & Eccle. Satanæ ab ineunte mundo usq; perpetuata dissidia.


Fidei nostræ mysteria ad diaboli, ceu autorem, referri non possunt.

Magi cedūt nostris.

Simō Magus, quantus per magicen habuit.

Ephesij magi ces studiosi. Act. 19. Ephesij libr. de magia cōbussuerunt.

Prouerbia uulgaria à Christo liberata.





Ideo, ac si diceret, Hæc cum ita habeant, iamque multis & irrefragabilibus argumentis constet tam dicta quam facta mea non à diaboli uel consensu uel auxilio sed à diuina proficisci potentia: & tam apertam Spiritus sancti operationem blasphematis: & quod agnoscitis uerum, etiam uestris reclamantibus conscientis, negatis: Ego, ego inquam, filius Dei, & uerus Deus, hoc uobis calumniatoribus & blasphemis pro certo assero. Adicit profectò minas, easque satis terribiles, ut quos sua benignitate & lenitate non attraxit, minis, & his horribilibus, perterrefaciat. Rem seriam Christus hic tractat, ideo diligenter expendenda est. Marci. 3. cap. specie quadam iurifurandi Dominus figurat orationem suam, quò plus fidei ac roboris haberet, dicens, Amen dico uobis, &c.

Christus minus agit, ubi nihil benignitate proficit.

## Omne peccatum &amp; blasphemia remittetur.

Ad huius loci declarationem notanda est uis uocum. Peccatum (autore Augustino) est dictum uel factum uel concupitum contra legem Dei, siue quicquid delinquitur contra iustitiæ rectitudinem. Blasphemo media longa. Idem est quod execror, maledictis calumniam infero, ac dignitati honorique alterius detraho. Vnde blasphemia, est maledicentia, & conuitium, quo fama proximi læditur & denigratur, & cum aliquid execramur & detestamur. Peccatū est genus: blasphemia est species. Omne ergo peccatum simplex & conuitium ex infirmitate aut ignorantia, pœnitentibus remittetur. Blasphemabant seu execrabantur Iudæi, dicentes Christum, Samaritanum, filium fabri, socium publicanorum, comedonem. Blasphemia non est simplex peccatum. Hæc fit & committitur, quando non solum contra quod rectum & æquum est, delinquitur, sed etiam uituperatur illud; contra quod delinquitur. Ut qui magistratui non obedit, peccat: qui uerò non solum non obedit, sed & conuitiis illum infestatur, blasphemus est. Filius, qui patri non in omnibus obedit, peccat, nondum tamen in illum blasphematur, nisi & conuitiis eum proscindat. Vnde satis apertum est, blasphemiam habere quiddam in se, quo excelat simplex peccatū. Atque hoc est, quod hic Christus, cum dixisset, Omne peccatum (tanquam minus) subiunxit, Et blasphemia seu conuitium (tanquam maius) remittetur hominibus, supple, pœnitentiam agentibus. Hæc ueluti leuia quodam modo præmittit, ut exaggeret & ostendat magnitudinem blasphemie in Spiritum sanctum, ex eo notandam, quòd sit irremissibilis.

Peccatum, quid. Blasphemo.

Blasphemia, quid.

Blasphemia, peccatum non simplex.

## Spiritus autem blasphemie.

Superioribus addit grauius peccatum, quod est blasphemia, non ex ignorantia, aut ex passione iracundiæ, sed quæ est ex spiritu humano, promptitudine mentis, ex inclinatione & uitali impulsu supremæ partis animæ aduersus ueritatem agnitam: immediatè hoc conuitium seu iniuria & blasphemia, est in Deum. Exempli gratia. Peccat in Spiritum sanctum, seu spiritum blasphemie: habet, aut blasphemiam spiritus agit, qui post agnitam ueritatem, ipsam spiritus illuminationem & operationem negat esse illuminationem & operationem spiritus, sed contendit & impudenter asserit imposturam esse captiosam, seductionem Satanicam, & uirtutem magicam. Itaque blasphemia est uituperatio aduersus spiritum seu Dominum & uerbum cognitum. Dum enim spiritus, & uis Dei esse ignoratur, blasphemari & uituperari propriè non dicitur. Sicut ille nequaquam regi conuitium dixisse conuinci poterit, qui ei, ignorans ipsum regem esse, fuerit conuiciatus. Ergo necesse est, ut Spiritus sanctus siue diuina uirtus sese exerat, ut qui illum, euidenter sese profertentè, blasphemauerit, & non solum nullo in honore habuerit, sed & (infandum) probro & contumelia asperferit, inexcusabilis sit, & pœnas subeat nunquam remittendas.

Blasphemia in Deum.

## Non remittetur.

Non dicit, non est remissibilis, siue non potest remitti. Nam neque diuina potentia neque Dei bonitas & misericordia alligata est ad non remittendum spiritus blasphemiam, siue spiritum blasphemie. Quacumque enim hora (inquit) ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum eius, Ezechiel. 18. Satisfecit Christus pro omnibus omnium hominum peccatis: & quicumque in Christum sicuti addecer, crediderit, redditur particeps huius satisfactionis, quantuncunque magnum & atrox peccatum uel in homines uel in Deum ipsum designauerit. Ipse enim est (inquit Ioannes) propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autè tantum, sed & etiam pro totius mundi. Et alibi, Omnis, qui credit in eum, non perit, sed habet uitam æternam. Ad hæc non potest negari, quòd hæc blasphemia originem habeat à peccato originali ueluti è fonte. Christus autem expiavit morte sua non solum actualia peccata, sed etiam ipsum originale peccatum, doctore Paulo ad Romanos. 5. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uite. Quare manifestum est, quòd etiam spiritus blasphemie peccatum grauisimum expiatum sit morte Christi in iis, qui Christo sese totos consecrant, & ipsum fide uiuam amplectantur. Quid ergo est, non remittetur? Certè non remittetur ut plurimum & frequenter: quia hic blasphemus exigentibus meritis suis malis ad pœnitentiam non est uenturus. Huic non ab simile est, quod Ioan. 10. occidit, propterea non poterant credere. Item præmonuit Isaias, 61. cap. Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

Nullum peccatum Deo irremissibile

Christus satisfecit pro omnibus omnium hominum peccatis.

Peccatum in Spiritum sanctum quomodo irremissibile.

## Et quicumque dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei.

Docet blasphemiam in filium hominis, non solum aliam esse à blasphemia spiritus, siue in spiritum sanctum, sed esse longè inferiorem illa. Hoc loco, offensa in filium hominis dicitur ea esse, quæ fit in Iesum, ut hominem. Offendebantur Iudæi humiliatione Christi, quem cum uiderent manducantem & bibentem, ac uersantem cum publicanis & meretricibus, aliisque omnia more filij hominis facientem, arguerunt eum, ut comedonem, & uini potorem: ipsum contempserunt, & honorificè non sunt de ipso loquuti. Sic Paulus blasphemauit Christum: sed propter ignorantiam, inuenit ueniam, 1. Timoth. 1. Petrus negauit Christum ex infirmitate, & peccauit in filium hominis. Iudæi tradiderunt ipsum Pontio Pilato, clamantes, crucifige crucifige eum: sed Christus ait in cruce, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Petrus, Act. 3. uolens eos, qui filium hominis blasphemauerant & crucifixerant, ad pœnitentiam, fidem Christi, & remissionem peccatorum percipiendâ adhortari, dicebat: Et nunc fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Pœnitementi igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra, &c. Hæc ignorantia, aliqua ex parte, hoc est, ut dicunt doctores, à tanto, non à toto, excusabat. Quia enim Christus tam abiecta specie inter homines ambulauit, ut non apparuerit, tantam maiestatem in ipsum cõpetere, iuxta exterram speciem, quantam propheta de Messia uaticinati sunt, nonnullam coram hominibus excusationem uisus est habere, is, qui Christum eo tempore, quo inter homines ambulauit, non pro Messia agnouit. Quare peccatum in filium hominis dicendum est, quòd etsi magnum sit, habet tamen quãdam excusationis speciem coram hominibus. Remittuntur ergo peccata, etiam grauisima: & est locus pœnitentiæ iis qui contra filium hominis peccauerint. Collige ex superioribus, blasphemiam in filium hominis esse remissibilem, & eam dici, quæ in humanitatem Christi per ignorantiam, & errorem committitur. Remittetur enim hoc peccatū,

Offensa in filium hominis.

Ignoratio Christi quatenus excusabilis.

Peccatum in filium hominis.



agnitum in hac uita: idque exemplo Petri, qui post uerbum, dictum in filium hominis, abiit foras, & fleuit amarè.

### Qui autem dixerit uerbum contra Spiritum sanctum.

Quidam hunc locum interpretantur de peccato, quo quidem malè sentiunt de Spiritu sancto, ut qui illum minorem faciunt, quàm patrem & filium: cum tamen reuera coequalis & consubstantialis sit patri & filio. Diuus Augustinus alicubi docet, peccatum in Spiritum sanctum, esse finalem impenitentiam: alicubi, obstinatam impugnationem gratiæ Dei. Haud dubiè quod dicit Augustinus, uerum est: sed hinc nominatim & specialiter Christus de illo loquitur, quo Pharisei ueritatem agnitam impugnabant, dicentes, Christum habere spiritum immundum. Quod apertis uerbis declarat Marcus. 3. cap. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant, Spiritum immundum habet. Peccatum in Spiritum sanctum, tale dicitur, quod immediatè in Deum committitur, ut qui non per ignorantiam, ueritatem cognitam, scienter contra conscientiam propter inuidiam obstinatamque malitiam blasphemant. Et hoc peccatum tam manifestam habet impietatem, ut nullus pateat excusationis locus, nec coram Deo nec coram hominibus. Officium enim Spiritus sancti, est diuinas res manifestare & confirmare. Fides certè à spiritu donatur, donum enim Dei est, Ephes. 2. Docetur spiritu ueritatis, doctrina pietatis, & uirtutibus siue operibus diuinis solidatur. Sic Spiritus sanctus reuelauit & confirmauit auctoritatem Mosi & decalogi in Exodo. Sic reuelauit & confirmauit auctoritatem prophetarum in Elia & Elifæo. Sic reuelauit & confirmauit auctoritatem Euangelij in Christo & Apostolis. Vnde dicitur, Cum uenerit paracletus, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Est ergo peccatum in Spiritum sanctum, quod in manifestam & omnibus approbatam ueritatem committitur, & quod ita apertam habet impietatem, ut nulla ratione excusari queat. Obserua. Tametsi nomine Spiritus sancti intelligatur tertia persona in trinitate, cui hoc nomen est proprium & personale: tamen hoc nomè dici potest, essentialè tribus ex æquo personis conueniens. Pater enim spiritus est, & sanctus: similiter & Filius, similiter & Spiritus sanctus. Ideo appellatione Spiritus sancti significari potest hoc loco, Deus, secundum quod officium Spiritus sancti exercet: hoc est, secundum quod spirituales & sanctificatos efficit animos hominum, illorumque fructus & opera sanctificat. Vnde dicere uerbum contra Spiritum sanctum, est uerbis impugnare Deum, negare ipsum esse, qui sanctificat homines, & adferre opera diuina, esse à dæmone. Dicere uerbum in filium hominis, est dicere in ipsum, ut hominem. Sed dicere in Spiritum sanctum, est in ipsum Deum immediatè peccare. Magister sententiarum lib. 2. dist. in 43. Dicuntur (inquit) in Spiritum sanctum peccare, qui contra appropriata Spiritui sancto, peccant. Cuius modi sunt bonitas, illuminatio, fides, amor, charitas, & huiusmodi. Et, ut summam dicam, qui ex pertinacia & uicta conscientia ueritatem agnitam damnant, & impugnant, peccant peccato irremissibili, quod immediatè est contra Deum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Qui Spiritus sanctus, quia habet pro officio ducere ad agnitionem & illuminationem, hanc quum impugnas, directè impugnas & offendis Spiritum sanctum.

### Non remittetur ei.

Marcus. 3. cap. scribit, Non habet remissionem in æternum, hoc est, est irremissibile, id est, difficulter remittetur. Nò enim irremissibile dicitur, quòd remitti nò possit per pœnitentiã & fidem in Christu. Nam summa Euangelij in hoc cõstat, quòd omnia peccata, siue parua siue magna, per pœnitentiã & uiuam fidem in Christum remittantur. Quare igitur non remittetur hoc peccatum? Respondeo,

Tu impugnator ueritatis, scis neminem saluum fieri, nisi qui in Christum crediderit. Hanc uiuam fidem confert Spiritus sancti illuminatio. Quare quandiu non credis hanc illuminationem, esse illuminationem, sed imposturam & obtenebrationem, nulla tibi fides conceditur. Iam impossibile est sine fide placere Deo, Heb. 11. Ergo displicent Deo, & manent in suis peccatis qui conuittantur Spiritui. Ad hæc hoc peculiare est reprobis, ut nesciant amare ueritatem cognitam, sed illã contra conscientiam damnent. Aguntur certè toti à Satana. Huc pertinet, quod Paulus ad Hebr. 6. scribit, Impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestè, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutesque seculi uenturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiã, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui habentes. Impossibile dicit pro ualde difficili. Quandiu enim hic uiuit, uocat Dominus, & uocanti obedientem non reicit. His Paulus elegantem addit similitudinem, quæ certè nostro seruit instituto. Terra enim (ait) sepe ueniẽtem super se bibens imbrem, & germinans herbam, opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reprobata est, & maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem. Ac si dieeret, Terra deprehenditur esse maledicta, quòd, cum culta, & bene pluta sit cœlitus, non tamè fructum commodum, sed spinas, & tribulos gignit: cum contra terra sit benedicta, quæ his beneficiis acceptis fructum bonum adferat. Rogabis: Cur igitur hi obstinati ueritatis oppugnatores, docentur ueritatem? Respondeo: ut sint inexcusabiles, propria conscientia damnati. Atque ideo plerunque aliquantò lucidius ueritatem cognoscunt, quàm ipsi electi, ut maiore & grauiore iudicio damnentur. Aliquando etiam illam profitentur, si uel commodum illis sit, uel gloriosum, uel lucrosum. Et hinc quoque denuo relabuntur, si uel aduersa ingruerint, uel aliqua alia ratione à Satana abrepti fuerint. Dominus miseretur nostri, ut cognoscamus in terra uiam eius, in omnibus gentibus salutare eius, ut agnita ueritate, cum timore Domini uerseremur, amorem ueritatis recipiamus, receptum contineamus: & oremus Dominum, ut nos omnes à tanto malo, hoc est, impugnatione ueritatis, defendat & conseruet, ceu sua uasa, non iræ, sed gratiæ.

### Neque in hoc seculo, neque in futuro.

Id est, nunquam remittetur. Sed pro illo peccato & in hoc seculo & in futuro impij punientur, ait Chrysostomus. Hoc peccatum uocat Ioannes, prima sua canonica, peccatum ad mortem, propterea quòd certè in perpetuum interitum eos demergat, qui in finem usque hoc peccato fuerint obnoxij. Et pro quibus (ait) dico, ut non roget quis. Non quòd nulla salus eiusmodi peccantibus ad mortem reliqua sit, si respuerint, aut quòd non sit orandum, ut respiscant, & salutem consequantur. Sed quòd tales peccatores non sint ferendi in Ecclesia, & non sint admittendi in publicam communionem orationis & sacramentorum, donec respiscant. Et orandum quidem est priuatim, ut hi agnoscant peccata sua & conuertantur ac uiuant: sed non est orandum, ut Deus remittat ea, si mancant & perseuerent in huiusmodi peccatis. Huc pertinet, quòd Dominus apud Ioannem ait, Amen amen dico uobis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Ergo qui sermonem Dei non seruauerit, sed contempserit, uiolaueritque & impugnauerit, mortem uidebit, id est, experietur & sentiet, æternã. Proinde hic locus confutat errorem Origeni adscriptum, quòd omnes in futuro seculo aliquando consequentur remissionem peccatorum. Videtur autem hic locus significare, quòd aliquod peccatum in futuro seculo remittatur. Nam si in eo seculo nullum remitteretur, uanum & superfluum esset, dixisse & addidisse, neque in futuro: sicut si peccatum remitteretur in hoc seculo, non dixisset, neque in hoc seculo.



Peccatum in Spiritum sanctum quam atroc.

lo. Cum igitur simili contextu seorsum & distinctè utriusque seculi mentionem faciat: significauit aliqua peccata remitti in hoc seculo, & aliqua in futuro, in quo Ecclesia prædicat esse purgatorium. Hanc interpretationem amplectantur Gregorius & Venerabilis Beda. Porro peccatum in Spiritum sanctum, atrocissimū quidem est: & quia manifestam & inexcusabilem habet impietatem, superat atrocitate sua omnia alia peccata, ut & meritò præ omnibus aliis peccatis dicatur, neque in hoc neque in futuro seculo remissibile. Sed si quis ad Christum per uiuam fidem & poenitentiam conuersus fuerit, ibi tum uerè fieri solet, quod Paulus ait, Vbi abiit peccatum, ibi superabundauit gratia.

**Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Si quidem ex fructu arbor cognoscitur.**

Calumniatores arbori malæ comparati.

Posteaquam præmisit, ad terrendos hos calumniatores, generali sententia, iudicium, quod manet, quotquot Spiritum sanctum blasphemant: nunc, quò nihil omittat, quod quouis modo facere possit ad hoc, ut respiciat, adducit exemplum bonæ & malæ arboris, quod ad uarios usus accommodari potest. Nam eodem supra 7. cap. usus est Christus, ad significandum, quomodo doctrina pseudoprophetarum cognoscenda sit: A fructibus (inquit) ipsorum cognoscetis eos. Hoc autem loco, & apud Lucam 6. cap. utitur Christus ipso ad detegendos & illustrandos calumniatores & obrectatores. Vt autem probè intelligamus, quid sibi uelit Christus exemplo arboris bonæ & malæ, obseruandum est, quòd sicut in arbore ex fructu iudicatur radix & medulla, ita in homine ex operibus iudicatur cor: Et quod in arbore est fructus, hoc in homine est sermo, & quicquid est externorum operum. Iam ut una quæque arbor è suo fructu cognoscitur, sic & è sermone cognoscitur homo, bonus ne sit, an malus: bonum ne habeat cor, an malum. Chrysostomus, Hieronymus & Hilarius hanc sententiam referunt ad præcedentia. Versari enim uidetur adhuc Christus in eodem argumento, demonstrans opera sua non esse à malorum colluue, Satana: sed ab omnium bonorum fonte perenni, Deo. Quò enim obstinatio & licentiosior est hominum temeritas in res diuinas, tantò refellenda est operosius. Vt ergo manifestetur, Euangelium non esse conspirationem compositionemque Christi cum Satana, copiosissimè refellit Christus impuras & horrendas istas blasphemias, adducens probationem à re omnibus nota, à re scilicet rustica, à re naturali, nimirum ab arbore. Huius argumenti basis, hæc est. Cum iudicare uultis de arbore, bonam ne, an mala sit, spectatis fructus ipsos, quos profert. Cur non idem in me quoque diiudicando facitis? Iam quæ facio, talia sunt, ut ex ipsis facile sit iudicare, quis sim. Scitis opera mea, quæ facio: uidetis me subleuare miseras hominum, neminem lædere, nec quicquam facere ad inanem ostentationem aut quæstum, sed ad beneficentiam & opitulationem. Ego enim Satanam eiicio, oculos cæcorum aperio, mutorum linguas relaxo, claudos restituo, leprosos repurgo, mortuos exuscito, Euangeliumque regni de poenitentia & remissione peccatorum annuntio. Hæc esse bona, nemo potest negare. Gratiis benemereri de afflictis, bonum esse, nemo inficiabitur. Nolite itaque hanc beneficentiam, & hos suauissimos fructus, malæ arbori, hoc est, malo auctori tribuere. Bonus enim fructus coarguit bonam esse arborem. Aut euincite iustis argumentis, non conuitis, contumeliis, & blasphemis, opera illa mea, esse mala. Sed hoc non potestis, cum beneficentia non sit malum, sed bonum opus. Ergo bona illa mea opera, ex Deo, & non ex Beelzebub, neque ex omnium scelerum colluue, Satana proficiuntur. His addi possunt, quæ ad doctrinam Christi pertinent. Poenitentiam & uitæ immutationem docuit Christus, ut derelictis tenebrarum operibus amplectamur regnum lucis, ut abnegata omni impuritate carnali sanctè & iu-

Opera & sermones Christi nullo prætextu potuerunt tribui Satanae.

stè uiuamus. Promisit in se credentibus uitam æternam, & liberationem è regno Satanae. Iam cælum non tanto interuallo à terra distat, quantum inter Christum & Belial: inter huius suggestiones, & illius prædicationem publicam, & internam inspirationem. Quare non à Satanae schola & malitia profectum est, quicquid Christus fecit & docuit. Quò fit, ut pro indubitato habeamus, ac teneamus, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Quidam Neoterici referunt hanc sententiam ad sequentia, quibus seuerè ac durè pro sua autoritate Iudas increpat, perinde atque dicat, Calumniamini me, & quæ bona sunt, mala esse dicitis: sed estis malæ arbores, id quod ex fructibus uestris agnoscitur. Hæc calumnia & blasphemia in Spiritum sanctum, manifestat, quales arbores sitis, profectò malæ, putres, & letales: neque expectandus est alius à uobis, quam malus fructus, qui nihil ueri loquimini, nihil boni facitis. Obserua hinc potentiam Christi in confutandis blasphemis. Siquidem fulmine quodam, latè circumquaque ferientis, pestes istas percutit, ita ut non solum apertis argumentis suam tueatur innocentiam, sed & illorum traducat & prodat calumniam & nequitiam. Vterque sensus bonus est. Nihilque uetat, quominus utroque sensu dicta capiamus.

**Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?**

Post sui defensionem pronuntiatam & Pharisaorum detectas calumnias, iam deinceps Christus pergit, sed non sine acrimonia & seruire spiritus, retorquere accusationem in ipsos Phariseos calumniatores & impostores callidissimos, ostendens ipsos & omnes ipsorum sequaces, omnia, quæ aduersus Euangelium dicunt, moluntur & faciunt, ex Satanaica impulsione & dicere & facere. Hac increpatione urget Christus causas malitiæ Pharisaicæ naturales, quæ donec adfunt, non possunt Pharisei aliter sentire de uerbo, effectibus eius, & Spiritu sancto, atque sentiunt. Progenies, &c. Quasi dicat: Pessimus estis, siquidem uiperarum progenies estis: id est, pessimorum hominum non solum estis filij, sed etiam ipsorum ferociam & uitam malitiam referitis, more uenenatarum bestiarum. hanc malitiam didicistis à Satana & pessimis doctoribus. Vbi uide mihi, pie lector, quam aptè introducat, non simplicem ferociam, sed uenenatam animantis uenenosissimi similitudine usurpata. Patres (inquit) uestri aduersus prophetas ferocissimi fuere, & uenenatam malitiam in ipsos fuderunt, quos non solum falsitatis insimulabant, unde doctrinam Dei suspectam reddebant, uerum etiam occiderunt. Hos imitamini, qui dicitis, In Beelzebub principe demoniorum eiicit demonia. Quid, quaeso, pestilentius proferre potestis, quam doctrinam ueritatis, ipsosque doctores per sinistram interpretationem suspectos reddere? Verè referitis parentes uestros, uiperas, & uenenatos. Tales sermones profertis, quales estis. Diabolici & Satani estis, diabolicos, Satánicos, & uenenatos sermones profertis. Nec mirum est, quòd calumniamini, & malè loquimini de me. Nam cum sitis mali, supple, natura, & uitiosi, hoc est, nati uiperæ & uenenosi, quomodo potestis benè loqui? id est, quomodo candidè de meo uerbo & effectibus eius sentire potestis. Hæc interrogatio magnam ostendit in Christo confidentiam. Vbi obserua, quòd non dicit, non loquimini, sed, quomodo potestis, quasi dicat, non potestis loqui bona, supple, ex ea radice malitiæ, nisi exueritis imbibitos parentum uestrorum mores, & sustuleritis uenenatam cor, ambitione & iracundia plenum. Malitia plenum est cor uestrum, ea necesse est per uerba redundet. Responabit aliquis: Boni hominis non est, malè loqui, etiã Christo hinc teste. Et, ut ille in Tusculanis quaestionibus ait, Non est cum hominibus conuicio decertandum, ne tantisper compar illorum fias, dum paria & consimilia reddere queas. Respondeo: Cum ueritas blasphemis incessitur, & petitur, Euangelio repugnatur, & honori Dei uis infertur, non est silendum. Responde, inquit, pro uerb. 26. stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur. Profectò non sta-

Iudæi natura impij & mali.



tim est maledicus, qui pro ueritatis defensione calumniatores ueritatis & blasphemos suis depingit coloribus, & uocabulis malitiæ illorum cõgruis appellat: ut qui mansuetudine præconis uerbi nolunt flecti, duritia uerborum ex feruore spiritus arguti, rumpantur, mollescant & resipiscant. Profectò ut est in adagiis, Duro nodo durus cuneus adhibendus est. Obserua huius accusationis summam, Malos nõ bene de rebus bonis loqui. Deinde aduerte, quòd non solùm propria malitiæ ipsos arguit, sed & opprobrat uitam & paternam, quã ut exaggeret, similitudinem usurpat ab animante uenenosissimo, cuius naturam retulimus supra cap. 3. Obserua: hic locus ostendit, quibus maiorum improbitas debeat obiici. Certè iis, qui uitam malitam induerunt, referunt & exprimunt, quæ non punita in maioribus, plerunque in minoribus, iisdem uestigiis ambulantiibus, punitur. Qui uerò malos parentes non sequitur, sed iustè uiuunt, speciali amore digni sunt: nec debent ignominiam portare paternam.

Quinã au-  
tas & pater-  
nas culpas  
præstare de-  
beant.

### Ex abundantia enim cordis, os loquitur.

Singulari gnome siue sententia prouerbiali confirmat, & rationem adducit, cur Pharisæi nequeant candidè de Euangelio sentire: Quia (inquit Christus) ex abundantia cordis, os loquitur. id est, ut quisque affectus est in corde suo, sic foris loquitur. Sunt enim sermones, indices animi, non aliter atque vultus index est cordis. Profertis blasphemias: ergo affectus habetis blasphemos. Regeritis pro benefactis calumnias & maledicta: ergo captiosum & maledicum cor habetis. Obserua. Cor appellat Dominus, thesaurum bonorum & malorum, id est, locum & repositorium, unde promuntur bona & mala. Nam infra. 15. ait, Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Proinde scriptura simplicissimè cor hominis, affectuũ sedem facit. Licet philosophi uim irascibilem in pectore, & concupiscibilem subter præcordia locent. Sed hæc parum momenti habent. Nec propter hoc cum quoquam ducendus est funis contentiosus, cum inueniatur, scriptura etiam renes assignare concupiscibili uirtuti. Porro Persius, Satyra 5, sententiam hanc allegoria textit, cum ait,

Index animi  
oratio.

Cor, thesau-  
rus boni &  
mali.

Cor, affectuũ  
sedes.

*-Pulsu dignoscere cautus,*

*Quid solidum crepet, & picta rectoria lingua.*

Nimitum innuens, haud aliter animum hominis oratione spectari, quàm uafa dignoscuntur crepitu, quem reddunt, digito pulsata. Idem in Satyra .3.

*-Sonat uitium percussa, malignè*

*Respondet, viridi non cocta fidelia limo.*

Idque prouerbij non solùm locum habet, cum improbum aut probum uirum arguit oratio, uerùm etiam cum ex stylo perpendimus ingenium cuiusque, omnemque mentis habitum ex ipsa dictionis ratione coniectamus. Etenim tumidi stylus, turgidus: abiecti, humilis & exanguis: asperi, scaber: amarulenti, tristis ac maledicus: delitiis effluentis, picturatus ac dissolutus. Breuiter omne uitæ simulachrum, omnis animi uis, in oratione, perinde ut in speculo, representatur, ac uel intima pectoris, arcanis quibusdam uestigiis deprehenduntur. Itaque Seneca Mecænatibus delicias ac mollitiè ex ipsa hominis dictione colligi scribit. Huc pertinet, quòd Socrates apud Platonem iubet loqui Charmidem, ut eum uideat, nimirum hominem ex oratione æstimaturus. Animus igitur hominis ex oratione perspiciatur. Vnde obtrectator, maximus sui ipsius proditor est, propterea quòd alienæ famæ detrahendo palàm declarat, se maximum in sinu nebulonem gestare. Si enim ex abundantia cordis os loquitur, multò plura continet cor, quàm os proferat. Emittit enim & loquitur, quod superabundat. Similiter & bona dicens, plura habet in corde.

Oratio homi-  
nem ipsissi-  
mum nobis  
exhibet.  
Mecænas &  
Charmides  
ex oratione  
cogniti.

### Bonus homo de bono thesauro profert bona: Malus autem homo de malo thesauro profert mala.

Exegesis est prouerbialis sententiæ prædictæ copiosior, ut illius expolitionem afferat, sumpta à similitudine illustrante effectus utriusque naturæ bonæ & malæ in homine. Huius, id est, malæ, per uerbum & Spiritum sanctum non purgata: Illius, id est, bonæ, per uerbum & Spiritum sanctum regeneratæ. Bonus hic homo spiritalis est. Malus homo is est, quem Paulus. 1. ad Corinth. 2. vocat animale. Bona de bono thesauro, id est, de corde uiri pij & boni, sunt, quæ Paulus ad Galat. 5. scribit: Fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hæc est abundantia & thesaurus cordis boni. Malus autem homo, hoc est, carnalis & animalis, de thesauro suo, id est, de carnali suo corde & animo, profert mala, quæ infra. 15. enumerantur. De corde autem exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias. Hunc thesaurum sese possidere demonstrat is, qui de proximo suo pessima quæque scelera spargit & amplificat. Porro includit hæc sententia argumentum ab effectu ad causam, ut quemadmodum risus effectus est latitiæ, & sic argumentamur, hic ridet, ergo lætus est: ita hic uideatur ad hunc modum argumētari Christus: Vos blasphemias & mala loquimini, ergo estis mali & blasphemii. Nam malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Vos profertis mala de malo uestro thesauro. Ergo estis mali. Obserua. Reprehenduntur hoc loco Pharisæi non vulgaris cuiusdam, sed insignis & pestilentis malitiæ, qua non poterant, quod bonum erat, commendare, & de bono bene loqui. Ergo bonorum ingenium est, de omnibus, quantum licet, bene loqui: & malorum ingenium est, etiam de bonis malè loqui. Colligamus ex superioribus: quòd cum maledictis petemur, simus patientes. Hoc scientes, quòd de malo thesauro non exeunt, nisi maledicta. Quòd si responderimus his & hostibus ueritatis doctrinam ueritatis blasphemantibus, dicamus: Progenies Antichristi, filij tenebrarum, quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali? Quomodo potestis amare ueritatem, cum diligatis mendacium? Quomodo amplectimini lucem, cum tenebras ametis? Obserua. Cordis bonorum, id est, piorum & credentium, pretiosus thesaurus est Spiritus sanctus: Cordis uerò malorum reprobus thesaurus, est caro.

Fructus bo-  
næ arboris.

Arboris ma-  
læ fructus.

Argumentũ  
ab effectu ad  
causam.

Filij lucis  
modestè fe-  
rant filiorum  
Satanae bla-  
sphemias.

Thesaurus  
bonorũ, Spi-  
ritus sanctus:  
Malorum, ca-  
ro.

### Dico autem uobis, quoniam omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij.

Rem seriam, & quam uult audiamus attentè, & diligenter perficiamus, pronuntiaturus, ait, Dico: hoc est, Ego, ego inquam, filius Dei, & Deus, uobis affirmo, quòd, qui liberè blasphemant, & quæcunque in buccam ueniunt impudenter expuunt, tanti sceleris pœnas luent, non effugient supplicium æternum: in tremendo illo & magno Dei iudicio damnabuntur, sentientes & uidentes, quem blasphemauerunt, pupugerunt, & calumniis affecerunt. De tantis grauibus peccatis reddent rationem supremo & iustissimo iudici Deo. Hanc sententiam exaggerat & grauiorem ponderosiorèmq; reddit per comparationem à minore ad maius. Cuius sensum breuiter ad hunc modum complectitur Diuus Hieronymus. Hoc hæret (inquit) cum superioribus: & est sensus, Si otiosum uerbũ, & quod nequam ædificat audientes, non est absque periculo eius, qui loquitur, & in die iudicij redditurus est unusquisque rationem sermonum suorum, quantò magis uos, qui opera Spiritus sancti calumniimini, & dicitis, me in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia, redditori estis rationem calumniæ uestræ? Idè Hieronymus ait: otiosum uerbum, est, quod sine utilitate & loquentis dicitur & au-

Uerbum otio-  
sum, quod.



dientis, si omisissis feriis, de rebus friuolis loquamur & fabulas narremus. Ceterum qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic, non uerbi otiosi, sed criminosi, tenebitur reus. Non absimilia his seruus Iesu Christi Paulus ad Ephes. 5. precipit dicens, Non nominetur in uobis, sicut decet sanctos, aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas: quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Et ad Colloff. 3. Nunc deponite & uos omnia, ita, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore uestro. Et. 4. cap. Sermo uester semper in gratia sale sit conditus, &c. Si pie & Christianè uolumus uiuere, obseruauerit meditabimur qui simus, cuius simus, undè uenimus, quò abeamus, quid Deo debeamus, qualis esse debeat uita nostra, quam non sit satis, non facere mala, nisi & bona faciamus. Nam ut exciditur arbor, non solum, quæ malos, sed & quæ non fert bonos fructus: ita & iusto Dei iudicio excidetur, nisi bona fecerimus, ut ut à malis abstinuerimus. Exemplo erit, qui talètum, à Domino acceptum, abscondit, & tandè sine fructu reddidit Domino, siquidem is proiectus est in tenebras. Exigitur certè, ut quisque pro dono suo prosit reliquis.

Quid debeat  
expendere  
Christianus.

Pusilla delicta  
qui negligit,  
paulatim  
decidit.

Nota similia

Quomodo  
sibi caueat  
homo aduersus  
peccatū.

Si de uerbo  
otioso, quid  
de pernicioso?

Quanta in rebus  
humanis  
uanitas.

Otiū duplex.

Caueamus igitur non solum magna, sed etiam parua delicta, ne paulatim in maiora incidamus, si maiora fugere neglexerimus. Sed demus diligentem operam in uitandis minoribus, ut eò cautiores simus & in maioribus. Nam quemadmodum qui bonæ ualitudini student, non solum magnos, sed & modicos quosuis morbos, atque ipsas etiam morborum utcumque suspectas causas fugiunt. Et quemadmodum auari non solum magnos pecuniarum cumulos, sed & modicum assen studiosè colligunt. Illi, propterea quòd cupiant perfectam conseruare sanitatem: isti, quòd cupiant omnino ditescere. Ita pij & uerè Christiani affecti sunt in causa iustitiæ & bene collocandæ uitæ. Præsentissimum ergo fuerit remedium, dicere cum Dauide, In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Item audire uerbum Dei, credere uerbo Dei, Deum timere ex animo, honestatè amare, testatè uelle, quæ contexit natura, hoc est, illa in lucem non proferre, quæ occultata cupit natura: item sapè animo reuoluerè quod semel es dicturus, & cogitare prius, in quæ finem sis dicturus, loqui cum Deo, tanquam homines audiant, uiuere sic cum hominibus tanquam Deus uideat. Hæc sunt, quæ nos à magnis & paruis peccatis, defendent. Obserua: Non dicit, de aliquo uerbo malitioso, sed de otioso. Quòd si de otioso, quid de malitioso & pernicioso? Nò dicit de aliquo otioso, sed de quocumque. Prò! quid sunt nostra tripudia, nostri cantus, nostræ delitiæ, nostra prandia, & gaudia, in quæ plerūque resoluimur? Quæ, quæso, est uanitas uitæ nostræ? Quot, quæso, in his otiosa & facta & uerba? Hæc ut sanctè dispensemus, hoc est, ut conuiuia & cantus & gaudia & alia huiusmodi Christianè agitemus, & exerceamus, proposito uerbo Dei agnoscamus uocationem nostram, quæ iuxta uerbum se quamur: & tum sanctè uiuemus, cum metu & tremore nostram salutem operantes, Philipp. 2. Obserua: cum hîc iudicij extremi mentionem facit & minatur hoc futurum, constringit leuitatem nostram, & uitæ reformandæ nos admonet. Age, hanc uitæ nostræ inanitatem expendamus. Quid est in omni uita nostra, cuius rationem minus habeamus, quàm uerborum? Et tamen de illis, etiam otiosis, rationem reddituri sumus. Si de otiosis, quid de noxiis? Quid de mendaciis? Quid de maledictis? Quid de irrisionibus? Quid de periuriis futurum est? Obserua, duplex otium esse: Alterum ignauum, quo inertes parant se non ad negotia, sed ad delicias & uoluptates. Est profectò hoc otium, indicium malitiæ, de quo ait Salomon, Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Alterum, est honestum & necessarium, quo boni uiri reddunt se aptiores ad negotia, & uocationes suas sectandas.

Ex uerbis enim tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis cõdemnaberis. Actiologia est, communi sententia è foro huc adscita, qua concludit Christus

præcedentem disputationem cum Phariseis. Sensus autem huius ætiologiae est, Quia iam antè præmonitum, & pro confessio habitum est, cordis animique sordes agnosci ex sermone, per quem despiciantur: & cum nihil certius sit, quàm exquisitissimum de omni uaniloquio, in primis autem de conuitiis, atque blasphemis, contra Deum & ueritatem eiuculatis, iudicium fore habendum, in quo conuitiatores perpetuis condemnabuntur cruciatibus: persuasissimū habeto, quòd Ex uerbis tuis (si ea ostenderint animum tuum esse iustum) iustificaberis: id est, absolueris à pœna, siue iustus & innocens pronuntiaberis. Et ex uerbis tuis condemnaberis: id est, malus declaraberis, & ideo supplicio addicèris, si uidelicet ea profanum & impium redarguerint animum. Hactenus & factò, quo tã potenter expulit diabolum, surdumque & mutum restituit: & persuasissima apologia tam euidenter demonstrauit Christus, quòd dicta & facta sua, neque ex Satana neque ex ulla arte impura proficiscerentur, sed ex diuina potètia, qua ipse, ceu uerus Messias, instructus, uenerit annuntiaturus regnum Dei, & liberaturus mundum à tyrannide diaboli, ut omnes palàm deprehenderent, atque crederent, Iesum esse Christum, & expectatum illum Messiam. Hæc, inquam, tam clarè & dilucidè proposita sunt à saluatore, ut omnes aduersarij non haberent, quod opponerent, sed planè muti obstupescerent. Lucas. 11. capite, his subscribit, & refert mulierem quandam è turba, tam uiuaci ualidoque Christi sermone captam, exclamasse, Beatus uenter, qui reportauit: & hubera, quæ suxisti. Ita nimirum exclamabat, ut efficacem & admirandum Christi sermonem laudans, canere epinicium, seu ignem gaudij (ut dicunt) facere uideretur: & ueritatem palàm commendans, eam omnibus patefaceret.

Christus  
obturat os  
Phariseis bla-  
phemantib⁹

Phariseis bla-  
phemantib⁹  
credit muliercula.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Phariseis, dicentes.

Quomodo respondent Scribæ, cum interrogent? Hæc interrogatio est uice responsionis introducta, ad ea, quæ Christus ad blasphemiam Phariseorum respondit. Et hic euentus, post absolutam Christi apologiam, ostendit, quales erant arbore Scribæ & Pharisei. Mala profectò, quòd non simplici, sed malo & astuto animo responderent: ut ex Luca discimus, Et alij (inquit) tentantes, signum de celo quærebant. Tentandi itaque gratia, non discendi, Christum interpellant, signum quærentes. Ecce, quantum uis efficacis fuerit Christi sermo, nihil tamen permouit Scribarum & Phariseorum animos, qui tamen uicti essent, nolebant tamen uel ueritati cedere, uel uideri uicti. Ideo nouam nunc cõtexunt quæstionem. Et ne herbam porrigere, & se uictos fateri uideantur, mira uafricie pollicentur, se non nihil credituros, si modo editis signis probet Dominus, quod dixerat, se Messiam esse. Obserua: Admirabundus Euangelista adposuit, tunc. Quasi diceret, Mirabile uisu auditūque: cum obedire illos oporteret propter signa præcedentia, tunc, signum petunt, non pœnitentes, sed tentantes.

Iudæi uafri  
& dolosi.

Magister.

Vox insinuationis est, dolosa profectò, & assentatoria. Appellat magistrum, cuius nolunt esse discipuli. Hic est & Scribarum & Phariseorum genius, ut sibi placentes, uelint omnium optimi & religiosissimi haberi.

Magister,  
uox subdola  
Iudeorum.

Volumus à te signum uidere.

Marcus. 3. cap. his addit, è celo. Ideo non quoduis signorum genus quærebant, sed cœlestè. Si è celo (inquiunt) uenisti, ut Satanam expugnares, & ab eius tyrannide oppressos liberares, & Deo redderes: si, quæ operaris, non facis ex Satana, sed diuinitus & cœlitus, ex uirtute Dei: age, signū aliquod cœlestè ostende nobis, unde certò sciamus, & ex cœlesti opere colligamus, te de celo nobis aduenisse præceptorem & Messiam. De celo petunt signum, putantes quòd signa super terram potestate Diaboli (qui rector mundi dicitur) faceret. Nec dubium est, quin cum signum de celo peterent, ad Mosen respicerent & Eliam, qui, ut manifestarent se,

Signa petunt  
Iudæi è cœlo



à Deo missos esse, de cælo signa dederunt: propterea & Ioan. 6. dicebant, Quod ergo signum tu facis, ut uideamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, Panem de cælo dedit eis, &c. Ita & hic potuerunt dicere, Testimonium habebat Moses, quod à Deo esset missus, ex tonitruis, igne, fumo, uocibus & buccina cælesti in monte Sina: Tu aliquid tale exhibe, ut credamus tibi. Quæ hæcenus fecisti, solum terrena sunt & curandis corporibus accommodata. Volebant certè uel ad imitationem Eliæ, ignem de sublimi uenire, uel, sicut olim ad preces Samuëlis, contra naturam sereno tonare cælo, coruscare fulgura, imbres decidere: uel huiusmodi aliquid fieri, ut Solem stare in medio cæli, ut Iosue. 10. Aut solem retrocedere, sicut Isa. 38. Obserua. Postquam opus Christi, Beelzebub adscripserunt, incidunt in aliud peccatum. Nam non contenti simplici uerbo, præter illud petunt externa miracula & signa. Haud dubiè summa est impietas, non esse contentum simplici uerbo, nec solum hoc impium est, uerum & magnæ infidelitatis signum, uelle per externa miracula de certitudine Euangelij confirmari, quasi ipsum, quod est potentia & uirtus Dei, non satis efficax, dignum & certum per se sit. Iam qui uerbum seu Euangelium inefficax, indignum, & incertum iudicat: is nec potest aliter iudicare de internis miraculis & effectibus uerbi, quàm quod sint nihili, inefficaces, indigni & incerti. Si quidè contemptis causis, contemnitur & effectus. Ceterum uerbo & effectibus eius internis contemptis, non aliud restat, nisi ut, exemplo Scribarum & Phariseorum, externa signa quæras: hoc est, cupias rebus maioribus certificari, quàm sunt uerbum & effectus eius interni. Responsabis. In quem igitur finem Christus & Apostoli fecerunt miracula? Dico: Apostoli fecerunt quidem miracula, cum primum spargerent Euangelium, & seminarent uerbum in mundum: Et Christus miracula fecit, sanè in confirmationem Euangelij, nouæque & eatenus incognitæ doctrinæ. Responsabis. Quid igitur peccant Scribæ & Pharisei? Quid item hodie peccarent homines, petentes externa miracula ad confirmationem Euangelij? Dico: Peccant Scribæ & Pharisei, & his similes, in hoc, quod externa signa petunt, & quia illa externa signa pluris faciunt, quàm uerbum, & effectus eius internos. Deinde non contenti sunt simplici uerbo, quasi uerò uerbum Dei non sit uirtus siue potentia Dei in salutem omni credenti, nisi simul habeat & externum miraculum. Neglecto enim uerbo, negliguntur & effectus uerbi in conscientiis. Qui effectus uerbi in conscientiis, morte & resurrectione Christi, ut certissimis signis, confirmati sunt, adeò ut, qui nunc uerbo per mortem & resurrectionem Christi confirmato, non credit, is neque effectibus uerbi in conscientiis credat: qui effectus, sunt, tranquillare conscientias, pacificare, ac reddere certas, ut apud se certò statuunt, quod per mortem & resurrectionem Christi habeant placatum patrem. Qui huiusmodi est, nimirum impius est, & Scriba, & Phariseus. Facebant igitur, qui post mortem & resurrectionem Christi de ueritate & efficacia uerbi dubitant. Facebant, qui externa miracula flagitant ad confirmationem uerbi. Beati autem sunt, qui cognoscunt & fatentur cum Apostolo, Roma. 1. Christum esse declaratum filium Dei cum potètia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo, quod resurrexit à mortuis Iesus Christus Dominus noster. Aduerte signum esse naturæ corruptæ & uitiosæ, quærere miracula, nec esse contentum uerbo & internis uerbi effectibus. Deinde infidelitatem esse, præter uerbum & uerbi effectus petere miracula. Rursus, post mortem & resurrectionem Christi nullum amplius miraculum quærendum ad confirmandas conscientias de ueritate uerbi. Ergo contenti sumus signis illis, hoc est, septem sacramentis, quibus uis mortis & resurrectionis Christi, nobis credentibus in ipsum, applicatur. Obserua Scribarum arrogantiam in uerbo, uolumus. Quasi dicant, ita nobis placet, ut si uis, tibi credamus, facias cæleste signum. Volumus aperto aliquo signo & miraculo certificari de doctrina tua, num ex Deo sit, nec ne.

Signa qui quærunt, iniuriam faciunt uerbo.

Miracula quorundam edita à Christo & Apostolis.

Quid peccabant Iudæi, signa petentes.

Verbi effectus in conscientiis.

Mors & resurrectio Christi satis signorum dederunt, quod uerbum Dei uerum est.

## Qui respondens, ait illis.

Paulò ante diximus tres hominum ordines eiectioni dæmonis præsidè adfuisse. Alij admirabantur: alij calumniabantur: alij non contenti hoc miraculo, aliud signum de cælo expectabant. Calumniis à Christo responsum est. Nunc autem respondet iis, qui signum de cælo petebant, quò certò cognoscerent, hunc Iesum, uerum esse Messiam. Atque hoc responso uaticinatur imminere grauissima exitia, adeoque totius gentis interuersionem, opprobrians illis uitam quandam & peculiarem simul & obstinatam prauitatem, quæ isti genti peculiariter inhaerit.

## Generatio mala.

Hos Iudæos, signum de cælo petentes, uocat generationem prauam & adulteram. Mala seu praua est, & ut Græcis legitur, *πονηρῆς*, qua dictione notatur non vulgaris malitia, sed singularis quædam improbitas, & pronitas ad omne genus malitiæ. Sic legitur, Sed libera nos à malo. Hic malus dicitur *πονηρῆς* Satan, ut cuius ingenium perpetuò sit subdolum, peruersum, nunquam integrum, sed ubique & in omnibus malæ fidei, ut summæ molestiæ sit quicquam cum eo agere. Ita & huic genti obiicit peculiarem & genuinam quandam prauitatem, qua laborat. Nam plerunque sit, ut peculiarem quandam malitiam deprehendas in gente aliqua, quæ non adeò obtineat in alia. Ut Cretensibus Paulus, Tit. 1. obiicit consuetudinè mentendi: Cretenses (inquit) semper mendaces, uentres pigri, malæ bestiæ. Ita & hic populus habebat hoc peculiare, ut esset durus ceruice, prauus, pertinax, & ad credendum uerbo Dei cessator maximus. Rarè enim admodum fuit sincero animo & bona fide ad Deum, ut ut illum Deus magnis ditauerit beneficiis. Moses hanc prauitatem illis obiicit, Deuter. 32. Generatio (inquit) praua & peruersa. Et capit. 9. Cum sis populus duræ ceruicis. Similiter Stephanus Act. 7. Dura ceruice & incircuncisi corde, uos semper resististis Spiritui sancto: quemadmodum patres uestri, ita & uos, &c. Ita & Christus hoc loco illis obiicit consuetam & uitam incredulitatem & malitiam. Sanè hæc generatio corruptæ mentis est, quæ non uult credere uerbo, nisi externis miraculis, sensu & ratione perceptis, confirmetur, licet interim sæpè uicta sit in conscientiis. Grandis profectò nequitia est, quæ ueritatè uerbi ex miraculis externis, & non ex natura uerbi, æstimamus. Siquidem sic agere, est se iudicem in uerbum constituere, nec uelle à uerbo iudicari. Ergo non leue est peccatum, quærere signa & miracula. Certè animi est diffidentis de bonitate Dei, & non credentis uerbo.

## Et adultera.

Impios & calumniatores Iudæos uocat Christus generationem adulteram: hoc est, filios ex adulterio aut fornicatione genitos, propterea quod, cum gloriarentur filios se esse legitimos Abraham, non tamen haberent eam fidem, quam Abraham habuit. Quasi dicat: adulterina estis soboles, minimè respondens uel Deo ipsi uel Abraham, quos iactatis esse patres uestros. Refertis autem ingenio & affectibus diabolum, genuinum nimirum patrem uestrum. Vos sectamini impietatè maiorum uestrorum, qui fornicati sunt post deos alienos, & consecrauerunt filios suos per ignem, Moloch, Hiere. 32. 3. Reg. 10. Nam tameris Iudæi, qui fuerunt tempore Christi, non adorabant externa idola, tamen adorabant opera manuum suarum: & sicut patres eorum confidebant alienis Dei cultibus, ita ipsi confidebant humana sua iustitia, & operibus legis externis. Quod profectò conferri potest idolorum cultui. Quare recto cognomine uocantur generatio adultera, seu filij fornicationis, quippe quod sectabantur non legitimam religionem Abraham, sed illegitimam superstitutionem, & impietatè maiorum suorum. Vnde non simpliciter dicit illam adulteram seu mœcham, sed *μοιχευμένη*, inclinata uidelicet ad adulterium. Fieri siquidem potest, ut quæ nupsit, & uirum habet, semel atque iterum adulterium committat,



nec tamen admodum habeat animum ad hoc facinus propensum. Verum quæ huic crimini ita dedita est, ut singulari quodam ingenio nata uideatur ad adulterium, utpote cuius omnia spirant adulterum animum, oculus, incessus, sermo, gestus, omnes mores, ea non simpliciter mœcha & adultera, sed magis *μωχελὴς* uocanda est, eò uidelicet peior simplici adultera, quòd nulla sit spes, ab ista improbitate illam aliquando auocari posse. Hoc ingenium, hanc inclinationem, & adulterum hunc animum quantum spirarit hæc generatio aduersus uerbum & uerbi nuntios, uidere est in Mose, Iosue, Iudicibus, & aliis prophetarum monumentis. Non rectum igitur erga Deum habet animum hæc generatio, quòd nullo Dei timore capiatur aliis affectibus mundi occupata. Quemadmodum si, quæ nupsit, mulier animo sit erga uirum impuro, erga alios adultero, ea certè nullo pacto poterit flecti per maritum, quouis modo conetur eam ad animi puritatem reuocare. Ita & hi corruptis animi affectibus & pertinaciæ mentis inuidiæ innutriti, ad sanitatem haud quaquam poterant reduci, scetus scilicet degeneres & adulterini. Responsabit quispiam: Nūquid hoc cõuitium est, uocare honestos homines, religiosos item Phariseos, & doctissimos Scribas, generationem malam & adulteram, seu filios fornicationis? Respondeo: Minimè omnium. Christus enim designatus est à Spiritu sancto publicus concionator circumcisionis seu Iudæorum. Concionatoris autem officium est, peccatores arguere, & in agnitionem peccatorum ducere. Ducuntur autem homines in peccatorum agnitionem, si peccata eorum propriis nominibus perspicuè explicentur & producantur. Quare sicut magistratus non designat homicidium, occidendo latronem legitimè: ita concionator nõ designat conuitium, reprehendendo malos, iuxta rationem suæ uocationis.

Christus, Iudæorum Ecclesiastes.

Vicia hominum profertens Ecclesiastes, non peccat.

### Signum quærit.

Quasi dicat: Hęc generatio ductatur solo rationis impulsu, ut petat signa. Animalis est, non potest credere, nisi quæ uidet, & palpat, & quatenus palpat & uider. Perpetuò laborat diffidentia & incredulitate, adeò ut nunquam sustineat ueritati locum dare. Tot signa uidit, tot miracula & portenta ac prodigia per me facta experta est, & adhuc signum quærit, quasi non satis signorum uiderit, alioqui non creditura. Sed ut Moyse, magnis portentis diuinitus commendato, nõ crediderunt istorum maiores: sic nec credunt mihi, licet uiderint, à me fieri, quæ nemo unquam ante me fecit.

### Et signum non dabitur ei.

Non dabitur signum, quale quærent. Quare? Tentant, & quærent, ut nouam calumniandi occasionem inueniant. Verè & doctè scribit Sanctus Hieronymus. Quasi non possint (inquit) & cœlestia calumniari, & dicere, ex occultis & uariis aëris passionibus accidisse. Nam qui calumniaris ea, quæ oculis uides, manu tenes, utilitate sentis, quid facturus es de iis, quæ de cœlo uenerint? Vtique respondebis, & Magos in Aegypto multa signa fecisse de cœlo, Exo. 7. Hęc ille. Marc. 8. scribitur, Et ingemiscens spiritu, ait, Quid generatio ista signum quærit? Amen dico uobis: si dabitur generationi isti signum. Quia hæc signorū petitio non erat, nisi hypocritica, & subdola contra ueritatis agnoscendæ lucem tergiversatio. Multis iam editis portentis non credebant, imò nulla eorum, quæ fiebant, erant illis signorum loco, per quæ ad ueritatem inducerentur, quia uidelicet nolebant induci. Infœlix generatio nullo signo, quamlibet portentoso, abducta fuisset ab incredulitate ad fidem & charitatis fœcunditatem, similis telluri arenosæ, quæ nulla imbrium assiduitate fœcundari potest: & illis, qui perpetuò discunt, nunquam uerò quæ docentur, capiunt: aut certè illis, qui, quæ non libenter audiunt, etiam si millies audiant, nihilo tamen amplius tenent, quàm si nunquam audissent.

Nulla signa obstinatis Iudæis profuerunt.

Iudæi quibus similes.

### Nisi signum Ionæ propheta.

Hoc signum signatum, hoc est, mors & resurrectio Christi, est omnium miraculorū maximū & efficacissimū. Quod inter cætera satis est omnibus ad salutem & conscientiarum confirmationem & tranquillitatem, si modò iustè applicetur. Hoc ipsum est, cum potenter & gloriosè per potentiam & gloriam Dei patris resurrexit Christus, in quo confirmatur uerbum & Euangelium, uim habens & uirtutem in salutem omni credenti. Certè qui non credit uerbo, ad hoc signum resurrectionis, nunquam credet. Quæ enim potuerunt dari maiora signa, quàm fuerunt mors & resurrectio Christi? An non uerissimum sit illud uerbum, pro quo quis non dubitauit mori? Ad hoc signum allusit Simeon Euangelicus, Luc, 2. ca.

Signum Ionæ, mors & resurrectio Christi.

Resurrectio Christi, maximum omnium signorum.

Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Actiologia est, qua Christus explicat typum suæ mortis & resurrectionis, cuius signum fuerit Ionas propheta, & quale signum ipse Iudæis futurus erat: uaticinās, quantæ calamitates obuenturæ essent impiis & crudelibus Iudæis in hoc seculo: postea dicturus, quid illis accideret in futuro, Luc. 11. cap. ita scribit: Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti. Discimus hinc, Ionam fuisse signum in eo, quòd tres dies & tres noctes fuit in uentre ceti. Deinde iuxta historiam Ionæ. 1. & 2. cap. descendum est, quomodo & ad quid fuerit signū Niniuitis, nimirum ad interitum Niniuitarum, nisi penitentiam egissent: ita & Christus uaticinatur de deuastatione & abiectioe Iudæorum, quæ facta est quadraginta annis post resurrectionem ipsius, duce Tito Vespasiano. Porro hæc intelligemus per collationem cõcionis Ionæ cum tempore, quod fuit intra resurrectionem Christi, & deuastationem gentis Iudaicæ. Missus est Ionas Niniuem prædicatum penitentiam: abiit in mare, & absorptus est à ceti. Cum autem post tres dies exponeretur in terram, abiit in Niniuitas, absoluturus suam legationem, & prædicauit, Niniuem post quadraginta dies subuertendam esse. Sic & Christus, tertio die resurgens à mortis, discipulis suis (quos donis Spiritus sancti instruxit) apparuit quadraginta diebus: & impetrauit, ut respublica Iudæorū staret adhuc incolumis quadraginta annis, intra quos diuulgaretur signū Ionæ, hoc est, Euangelium de morte & resurrectione Christi: & qui uellent, respiceret. Post hos autem annos Iudæi ita deuastarentur, ut non solùm dispergerentur in omnes fines terræ, uerum etiam abiicerentur, ne essent ultra, populus Dei. Iudaicæ ergo genti Euangelica prædicatione & diuina longanimitate concessi sunt quadraginta anni, iustum penitentia spatium. Et quoniam intra hos non sunt conuersi ad regem Christum, ideo gladio Romanorū funditus sunt excisi. Matt. 22. Rex autè cum audisset iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, &c. Atq; hoc signū (ait Christus) dabitur impiis Iudæis, uidelicet deuastatio gentis, & excæcatio populi, post quadraginta annos futura. Et quia neque Euangelij promissionibus neque minis, neque miraculis testificantibus Iesum esse Messiam, nolunt fidem adhibere, sentient, sentient tandem afflictiones & calamitates, ex quibus certificabuntur, Messiam non solùm iam uenisse, sed etiam se ipsos planè ab hereditate omnium bonorum Messia exclusos & abiectos esse. Hęc ueniunt nobis obseruanda, uiri Christiani, ut Christum Dominum agnoscamus, Regem nostrū adoremus, obedientia & fide cum charitate concedamus in regnū eius. Cauemus perere experimentum deitatis illius, ualeat apud nos signum Ionæ propheta. Equidem efficacax est mors Domini, multis signis & prodigiis testata: illustris & gloriosa fuit resurrectio, quam patres, à mortuis excitati, & multis Ierosolymitanis conspicui, testati sunt. Tantis item cõfirmata consistit testimoniis, quantis non aliud Christi

Ionas, signū Niniuitis & Iudæis.

Collatio Ionæ & Christi

Quadraginta anni à Christi passione, Iudæis concessi ad penitentiam.

Omnia Christi, testatissima.



mysterium. Testatissima ascensio, in cœlum enim uidentibus suis eleuatus est: mox spiritum misit in discipulos, & infinitis signis prodidit, probauitque se regē esse regum, cui omne debeatur imperium, cui omnes nationes & linguæ sunt subiectæ. Amplissimum est regnum, & ineffabilis regis nostri potentia. Hanc Iudæi experiri maluerunt, quærentes signum de cœlo, quàm se in clementissimi regis fidem, curam & tutelam conuicere. Itaque fenferunt non imbellem principem, sed qui totum quasi orbem in hostes suos nullo cōcitatui negotio, quos & stirpitus excidit, ac pauculas illorum & ualde calamitosas per totum orbem reliquias dispersit. Obserua. Quod Christus post diem tertium rediuita in carne gloriosus surrexit, signum fuit Iudæis, quod ipse à Deo missus fuerat in resurrectionem & glori-

Iudæi hodie que perfidias sue pœnas luunt.

Testamentum uetus, typus noui. Cor terræ & cor maris.

Niniuite in Ionæ submersione; & Iudæi in Christi morte, dei propositum ignorabāt.

Afflictio piorū, signū iræ Dei, breui sese proditūre. Christ⁹ quomodo tribus diebus & tribus noctibus in sepulchro.

riam fidelium: & in ruinam incredulorū. Aduerte, atque ex hoc loco disce ulum ueteris testamenti, quod typus fuit noui & Euangelici. Obserua. Cor terræ, & cor maris, hebraismi sunt, pro medio terræ & maris, in quo nulla est spes uitæ aut reditus. Cū de hoc signo Ionæ tractamus, utile fuerit expendere scandalum crucis Christi. Submersio Ionæ, submersoribus & Niniuitis simplex factum esse uidebatur, hoc est, interitus Ionæ. Sed non agnoscebatur ab illis esse signum rei, quæ gerebatur: hoc est, non agnoscebant Ionæ liberationem post triduum, neque uirtutem & iudicium Dei, neque quid ista præfigurarent. Sed magis uidebatur illis ira Dei scire in Ionam, quàm in Niniuitas, quum ille submergebatur, ut reliqui euaderent. Ad eum modum & Iudæis mors Christi ob oculos erat. Iudicium uerò & propositum Dei, & quale signum esset Iudæis, interituris, nisi respicerent, nō erat adfigendū. Nihil tale cogitabant: sed securi erant, putantes iram Dei esse aduersus hunc hominem, quem mori uidebant. Cuius mors mortis fuit destructio, & omnium credentium uitæ reparatio. Huius resurrectionem post tres dies non uidebant, neque animaduerebāt futuram breui totius gētis suæ subuersionem. Obserua: Cū in aliqua ciuitate probi ac pij affliguntur, signum est iræ Dei aduersus impios. Unde Christus crucem ferens, & ad mulieres flentes conuersus ait, Nolite flere super me, sed super uosmetipsas, & super filios uestros flete, &c. Si enim hoc fit in uiridi, quid fiet in arido? Ad eundem modum afflictio illa Israël in Aegypto, signum erat adfigendæ Aegypti. Captiuitas Israël in Babylone, signum erat destrucndæ Babylonis. Adflitio Lot in Sodomis, Sodomitis signum erat futuræ euerisionis & interitus. Rogabis: Quomodo fit, quod tribus diebus & tribus noctibus Christus fuerit in sepulchro? Synecdoche est, pars pro toto. Fuit corpus in sepulchro, & anima apud inferos in limbo cum patribus, feria sexta, sabbatho, & Dominica.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hīc.

Postquam uaticinatus est Christus, quantæ miseræ & calamitates obuenturæ essent impiis & obstinatis Iudæis in hoc seculo, uidelicet, quod post 40. annos res publica eorum deualtaretur, & ipsi aut crudeliter trucidarentur, aut ducerentur captiui in omnes fines terræ: Nunc autem prædicit, quid in futuro seculo ipsis accideret: ibi enim perpetuò condemnabuntur, & sempiternum cruciatum sustinebunt: idque non simpliciter, sed (quod uehementissimè dolebūt) cum magna omnium insultatione & exprobratione. Grauius hoc negotiū exaggerat, ad hoc adducens bina exempla, quorum prius est ab historia Ionæ. Et in utroque alludit ad iudicia forensia, in quibus discutuntur causæ: ibi sunt accusatores ac rei, testes item & iudicia forensia. Iudex uniuersorum Christus. Qui cū uenerit in maiestate sua discussurus & inquisiturus accusatos siue reos, qui in hac actione sunt Iudæi, Christo rebellantes, Niniuitæ ceu accusatores ac testes resurgent cum generatione ista Iudæica, & condemnabunt eam, supple, ut incredulam & contemptricē uerbi: quia

pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Actiologia est condemnationis, à suscepto uerbo. Quasi dicat: Qui, quoniam ad unius peregrini hominis prædicationem, uitam suam emendarunt, uel tacentes ipso facto suo accusant Iudæorum perfidiam, qui efficacissima Christi Mesiæ doctrina, & tot miraculis non sunt ad pœnitentiam commoti. Testabuntur item iustissimam esse damnationem eorum, qui tanta pertinacia rebellant Deo, cū tamen Iona maiorem & illustriorem haberent coram adstantem: nimirum Christum qui est plusquam Ionas, quia est filius Dei, quia plusquam propheta, quia ad ipsum omnes prophetæ, ut ferui illius, respiciunt, quia efficacior prædicator.

Niniuitæ quomodo cōdemnabunt Iudæos.

Obserua, propter quæ Iudæi præ Niniuitis reprehensibiles & condemnabiles fiunt.

Niniuitæ.

- 1 Gentes extra œconomiam Dei.
- 2 Ionas ignotus ad eos uenit.
- 3 Ionæ aduentus, à nullo prædictus.
- 4 Ionas nullum edidit miraculum.
- 5 Ionas neminem beneficiis sibi conciliauit.
- 6 Ionas nihil magni promittebat.
- 7 Ionas tantum comminabatur exitiū.
- 8 Ionas solum triduo prædicauit.
- 9 Per unum duntaxat admoniti.
- 10 Tantum unius prædicatione.
- 11 Pœnitentiam egerunt ad prædicationem ferui.

Iudæi.

- 1 Populus in fœdere Dei.
- 2 Notus in Iudæa Deus.
- 3 Christ⁹ oraculis prophetarū pmissus.
- 4 Christ⁹ miraculis & doctrina clarus.
- 5 Christus multos gratuitis beneficiis adiuuit.
- 6 Christus ultro pollicetur remissionē omnium peccatorū, & regnū Dei.
- 7 Christus scuas nō intonabat minas.
- 8 Christus multo tēpore docuit, & doctrinā suā miraculis confirmauit.
- 9 Per tot proph. Ioan. deinde & Christum ipsum.
- 10 Tanto tempore admoniti.
- 11 Ipsum Dominum crucifixērūt, tantum abest ut pœnitentiā egerint.

Eam ob rem Niniuitæ meritò insultabunt impietati Iudæorum in iudicio Dei, propterea quod ipsi conuersi sunt ad pœnitentiam prædicatione Ionæ, Iudæi autem pœnitentiam sectari neglexerint etiam si eum audirent, qui non tantum Iona, sed omnibus prophetis maior est. Magna profectò fides, & parata obeditio Niniuitarum, qui tamen neque legem Dei, neque prophetas habuerint, neque aliquod etiam ex Iona miraculum uiderint, sed tantum audierint, Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur: tamen non rogauerunt Ionam, quis esset: Et Iudæi rogauerunt Christum, Quis es? Quid de te ipso dicis? Hi sciebant quales essent ipsi: Iudæi phylautia ducti, nesciebant quales essent. Hi nullum signum quæsierunt, satis signorum illis erat, quod malitia creuisset, unde facillè moti sunt, ut quæ Ionas minabatur, futura crederent: Iudæi non contenti multis miraculis, signū petierunt de cœlo, & obstinatiores manserunt. Hi non expenderunt uetustatem urbis, quæ fuerat mox à diluuiò condita. Non dicebant, Hęc ciuitas tot annorum centurias stetit, est omnium antiquissima, putas iam subuertetur? Non dicebant multus est populus in hac ciuitate: nunquid perdet Deus tantum populum? Sunt etiam, & si non omnes, tamen aliqui in illa probi & iusti: nunquid illi interibunt? Nihil horum prætexebant, simplici uerbo crediderunt, & pœnitentiam egerunt. Iudæi uerò neque multis miraculis, neque uerbo & sancta doctrina contenti, semper aliquid suæ malitię prætexerunt & prætexunt, iure optimo à Niniuitis condēnandi. Colligere possumus ex superioribus, Niniuitarū respicientiā, à nobis imitandā: obstinatam uerò Iudæorum perfidiam, fugiendam: propter quam multæ calamitates & damnationes manent ipsos. At enim quod Christus concionatur & uaticinatur Iudæis,

Comparatio Niniuitarū cum Iudæis



hoc idem etiam cōcionatur nobis Christianis. Nam si perrexerimus uerbum Dei contemnere, & in impoenitentia perdurare, primū quidem abiiciet nos Deus etiam in hoc seculo, in omnia genera afflictionum. Si enim non pepercit naturalibus ramis (ut Paulus ait) quomodo parceret nobis alienis? Deinde in futuro seculo iniiciet nos in perpetuam damnationem, cum magna omnium gentium insultatione. Surgent enim gentes idololatrarum, & exprobrabunt nobis nostrā impietatem: quōd cum multi ex ipsis maluerint uitam suam presentaneo mortis periculo exponere, quā fidefragi esse, nos tamen tam leues & inconstātes fuerimus, ut ne tantillam quidem rationem datæ fidei habuerimus. Surgent & maiores nostri in iudicio Dei, & condemnabunt nos impietatis nostræ: quōd, ut exemplo suo nos mouerent, ritus sacros, in Ecclesia sanctè obseruandos, docuerint, multa in pauperes expendierint, multa in conferuanda studia religionis cōtulerint: nos autē uidentes clarissimam Euangelij lucem, neque sanctos ritus diligenter obseruamus, & neque pauperum neque religionis curam habeamus. Quare si ad tanta supplicia & tam graues exprobrationes horremus, multō magis horreamus ad impoenitentiā nostram, & respiciamus, ut in primis Deo seruiamus, & supplicia effugiamus.

**Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam. Quia uenit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quā Salomon hīc.**

Adducit alterum exemplum de Regina Austri, ex rebus Salomonis petium. 3. Reg. 10. Quo probat Christus, eos nullam habituros excusationē, qui Euāgelium non suscipiunt. Utitur autem Christus gentium & Ethnicorum exemplis. In primis, ut confundat Iudæos, qui uolunt esse populus Dei, nec tamen uerbo Dei credunt. Cum gentes nihil non laboris pro audiendo uerbo susceperint. Secundō ut prouocet Iudæos exemplis gentium ad suscipiendum uerbum & si non uideāt externa signa, aut miracula, quæ gentes non curarunt. Tertio commendat Christus hoc gentium exemplo, eos qui simplici uerbo contenti sunt, & illi credunt, non quæsitis externis miraculis. Arbitrantur hāc reginam ex Arabia foelice, siue è pargo Sabæorū, cuius regio thurifera, Saba cognominata est, uenisse. Alij contēdunt uenisse illam ex Aethiopia, in qua nobilissima est insula, Nilo circumflua, Meroë dicta. Ceterū est urbs in Meroë uetustissima, Saba, quam postea Meroën denominauit Cambyses Rex in sororis memoriam, quod pariter & Iosephus & Strabo annotarunt. Plinius li. 2. cap. 73. Meroën appellat caput gentis Aethiopum. Idem 6. lib. cap. 29. Regnasse hīc (ait) scēminam Candacem, quod multis iam annis nomen ad reginas transit. Vnde & locus ille, qui Act. 8. ca. de eunucho Cādaces extat, rectius intelligi potest. Putant itaque reginam hanc, quam scriptura appellat reginam Saba, siue Sabæam, ex insula Meroë Ierofolyma uenisse, & eius regiam Meroën posterioribus seculis, prioribus autem Sabā cognominatam fuisse. Noster Euangelista eandem uocat reginam Austri. Vergunt enim ad Austrū Aethiopia & Aegyptus. Et Iosephus indicat eam tam Aethiopiæ quā Aegypti præfuisse. Vtunque uerò res habeat, siue uenerit ex Arabia foelice, siue ex Aethiopia, & ex regia sua Saba, utraque sanè regio longissimo itinere ab Hierofolymorum urbe distat. Hæc regina non uenit à terræ finibus, hoc est, longinquissimo itinere, ad Salomonem, nisi ut per eum audiret uerbum & sapientiam Dei. Venit enim ad illum in nomine Domini. Et quoniam Dei sapientiam è longinquo tam diligenter ab homine requisit, condemnabit eos, qui neque in proximo ipsam Dei sapientiam, ab unigenito filio eius, in carne apparente, audire uoluerunt. Ex his habemus argumentum, quōd hi qui cum ingenti labore, ueritatis participes fieri querunt, eos in iudicio condemnabunt, qui ipsam sese offerentem aspernantur.

Admonitio ad poenitentiam.

Idololatrarum condemnabunt impios Christianos.

Maiores nostri nos peragent reos in iudicio.

Christus utitur Ethnicorum exemplis.

Regina Sabæa, quæ & uenit de.

Meroë insula & urbs. Candace, nomen reginis Aethiopum commune.

Auster pro Aethiopia aut Aegyptus.

Collatio Regine ad Iudæos.

Regina Austri.	Iudæi.
1 Mulier ethnica.	1 Viri Iudæi.
2 Longum iter emensa.	2 Domi & in presentia.
3 Nullis sacramentis Deo iniata.	3 Populus Dei, lege ornatus.
4 Venit.	4 Audiunt.
5 Cum periculo.	5 Sine periculo.
6 Labore magno.	6 In quiete.
7 Grandi sumptu.	7 Gratis & sine impensa.
8 Ad Salomonem.	8 Christum.
9 Auditura sapientiam.	9 Contemnunt.
10 Afferens munera.	10 Auferunt, quæ possunt.

Hos profectō condemnabit Regina Austri, qui tot modis ad poenitentiam uocati, respicere noluerint. Cum enim in die iudicij uiderint reginam tanta fide & diligentia tantōque zelo, Salomonem, minorem & inferiorem Christo, ad audiendam & discendam sapientiam, quæsiisse, facilè colligent se tantō grauius puniendos, quantō contemptius summum Dei donum fastidierint, ipsum item Dei filium, & gratis oblatos cœlestes thesauros contumaciter & pertinaciter repudiarint, ipsum habere spiritum Beelzebub dixerint, capitalibus insidiis & odiis appetierint, tantum aberat ut flexi fuerint ad poenitentiam. Quid quæso in die iudicij respondebunt, quibus hodie prædicatur Euāgelium, & offertur uita sanguine Christi parta, à quibus interim nihil aliud postulatur, quā obedientia, puritas & honestas uitæ, ut calcatis prauis affectibus rectè sapiant & uiuant. Sed uideas omnia præpostero quodam ordine agi. Quorū enim interest prædicare uerbum, relictis mensis, ut pascant gregem, illi tacent, relictōque grege aliō abeunt, ministraturi mensis, & uitam, suæ uocationi nihil admodum respondentē, acturi. Quin & fastidiunt tam uerbum, quā eos, qui uerbum prædicant, adē, ut non putent hoc munus ad se pertinere, sed ad mendicos referunt, & uiros pauperes, quasi hoc fungi munere, sordidum sit, & parum ipsorum dignitati respondens. Alios uideas plebeios, agricolas, & altioris gradus uiros, pessimè transigere dies, diuinitus sapientiæ audiendæ & discendæ consecratos, nempe dies festos, in quibus alius mauult uentri indulgere, ut farcimina deuorare, uinum potare, & rebus se oblectare uanis & noxiis, ludo, & iocis adesse, quā sacrificiis & prædicationi, quā uenire in cœtum sanctum, & supplicia uota, & gratias omnipotenti cum tota per sacrificium offerre Ecclesia. Videas & alios ciues & oppidanos non minori impietate laborare. Nam die etiam dominico, cum tractatur uerbum Dei, merces suas componunt, negotiatum abeunt, uel domi occupantur rebus prophanis, conciones sacras negligunt. Eodem morbo ductantur plerique aduocati, & qui causis præfunt forensibus, uix ab illis datur horula sacrificio & sacrae lectioni, audiendæ, adē animus quæstui est attentus. Quōd si huiusmodi ciues semel & iterū templa Christi ingrediantur, domi mercibus, diuitiis, aut saccis inclusum deuindūmque relinquunt animum. Non enim, dum uerbum Dei tractatur, perpendūt quæ ipsis dicuntur de uita christianè instituenda, de iustitia, & charitate, de contemnendo mundo, de uiua fide, poenitentia & beneficentia. Vbi si concionator grauius contrectet ( ut negotium postulat ) ipsorum ulcera, auaritiam, usuram, furta, rapinas, oh quā hīc saluunt imō exiliunt molles isti mercatores, impositores, & publicani! Si adulteris, scortatoribus & potoribus, uitam opprobret porcinam, mores plus quā brutos, & sceditates plus quā diabolicas, mirum, quā hīc grunniant porci, latrent canes, quā impudenter & confidenter ualedicant Christi Euāgelio & prædicatoribus, Plerique nobiles, & nō pauci aulici,

Kk iij

Iudæos condemnabit regina Austri.

Præpostero ordine omnia hodie agi, præcipue quod ad uerbum pertinet.

Abusus circa dies festos

Verbi Dei quantus hodie contempnus.

Veritas odiū parit & fugā.



uix homines, ut sibi uidentur, sed semidei, ad eò sibi placent, ut quasi dicam Deo scribant, tum ij maximè, qui militiam profitentur, & qui rapto frequentius uiuunt, & adulantur, indignū se putant, probrosūque suæ illustrissimæ nobilitati (fortassis rectius dicerent, densissimæ obscuritati, ac extremæ uanitati) audire conciones factas. Et in suis pagis & parceciis aut alibi, concionatori præscribunt, quid & quatenus doceat, moneat, & accuset. Imò uideas illos, quò citius uenatum abeāt, præscribere atque edicere sacrificio, ut breuiter & citra uerbum ad populū, absoluat sacrificiū. Timeant hi salutis suæ hostes, ne participes fiāt illius increpationis, quæ apud Isaiam cap. 30. legitur his uerbis: Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt uidentibus (id est episcopis & prædicatoribus) nolite uidere, aspicientibus, nolite aspiceret nobis ea, quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores, &c. Sunt & hodie docti quidam, & quorum aures ex Ciceroniana phrasi, molliores & delicatiores factæ sunt. hui quàm hi offenduntur ad scabrum istum & parum suauitatis habentem stylum bibliorum! His admodum graue & molestum est audire agrestem, simplicem, & probum aliquem concionatorem, nihil aliud proponentem, quàm simplices istos & incultos (ut dicūt) Prophetarum & Apostolorum sermones, eadem subinde chorda oberrantes, & nihil aliud inculcātes, quàm fidem, spem, charitatem & innocentiam. Interim, si Deo placet, dum uerbum prædicatur, legunt hi doctuli poetas, libros amorum, Pantagruellem, & huiusmodi librorum fordes, qui mirum quàm auocant ab amore Dei, & ad Ethnicismum prouocant. Nisi ergo & episcopi & sacerdotes, parochi & monachi, principes item & nobiles, mercatores & agricolæ, nōsque ad eò omnes diligenter operam demus audiendis concionibus, & zelo pio ac bono, iuxta uerbum Dei auditum, uiuamus, profectò surgent in iudicio Niniuitæ, & regina Austru, & condemnabunt nos, dabimúsque grauisimas nostræ impietatis & ingratitude pœnas ultori Deo.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine.

Lucas. 11. cap. hunc locum subiicit responso Christi, Pharisæis facto, quòd Satanam non eiiceret in nomine Beelzebub. Videtur autem hic locus exaggeratio esse potentia & insidiarum Satanæ, fortis & armati illius uiri, quem nemo superare potest, nisi fortior illo fuerit. Proinde hoc exemplo probat Christum auditores uerbi, & postea contemptores, iusto Dei iudicio in extremam cæcitatē ruere, ex qua reuerti nequeant. Timendum igitur nobis est, ne cognito Euangelio, aut superbire incipiamus, aut illud fastidire. Item hic locus est uaticiniū supplicij, quod futurum est super Pharisæos ac totam ferè gentem Iudæorum. Cum immundus spiritus, id est, Satan, dictus immundus, quòd sua culpa datam diuinitus puritatem amisit, & quoniam immunditia delectatur, immunditiam in mundo fouet & plantat, omnemque persequitur sanctimoniam. Exierit ab homine, mancipio Satanæ propter peccata. Exierit inquam potentia uerbi, & fide in Christum coactus. In baptismo enim & in sacramēto pœnitentiæ seu cōfessionis, ac quoties ad Deum conuertitur homo audito uerbo & credito fide uiua, pellitur Satan. Et Petrus. 1. e. pist. ca. 5. hortatur, ut resistamus Satanæ, fide, supple, quæ per charitatē operatur.

Ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.

Quasi dicat: Errat Satan, ceu exul, & regno suo pulsus, inops consilij & omnium pariter rerum indigus. Et ob id circuit sicut leo rugiens, estque regni deperditi stientissimus, unde perpetua agitatur consilia de illo recuperando. Quæ nos maxime incitare debent ad preces & uigilias, cernentes, quàm strenuum & infatigabilem habeamus hostem. Verbum, ambulat, vox est sedulitatis & diligentia, qua & Petrus loco adducto paulò antè utitur. Hinc discet, Satanam non dormire, & si nos dormiamus. Cum dicitur ambulare per loca arida, & ut Lucas scribit, in aquosa,

quærens requiē, significatur Satanam neque ferari neque dormire: perpetuò enim occasiones captat, quomodo hominem occupet. Circuit enim loca arida, id est, corda uerbi & fidei cupida, & sitientia iustitiam, ut illa expugnet, & illa expugnata occupet. Nec loquitur hinc Christum de impiorum cordibus, aridis, & priuatis gratia Dei & cognitione uerbi. Si quidem in his cordibus facillè inuenit requiem Satan. Aut sunt uasta & adusta loca passim obuia in regionibus, in quibus nulli habitant homines, ut sunt profundi saltus, magnaque deserta, quò fugit præ ira & indignatione, quòd pulsus est ex hominibus. Sic legimus Christum in deserto à dæmone inuentum. Iam in Iudæa pauca aqua sunt. Huc respexit cum dixit, in aquosa, eiusmodi enim sunt Iudæa deserta. In aliis autem regionibus, ubi etià deserta a quis abundant, habitant etiam dæmones, in desertis paludibus & fluminibus, ubi & subinde homines submergunt qui illic lauant uel nauigant, inueniuntur etiam in fluminibus quibusdam & aquis aliis monstra, quæ pueros in ripa fortè lustrantes alliciant in aquam, & demergant. Hæc uocantur Noxæ à quibusdam: sunt autem dæmones. Expellitur igitur in loca arida, hoc est in deserta, ubi non quiescit, obambulans undique, si uel in ipso deserto damnum dare queat. Nam hæc sola requies, hoc solum refrigerium eius est, ut damna inferat. Quid autè damni dare posset in locis arenis, & inhabitabilibus? Hoc donemus, exurat ibi terram fulmine, sed nullus inibi est, qui agrum colat. Depopuletur illic segetes grandine, sed ne gramina quidem illic reperies. Immittat pestem, sed inde absunt tam homines quàm bestia, quos infectus aër perdere possit: adeoque nullam planè opportunitatem nocendi habet in locis desertis. Quare nec ullam ibi requiem inuenit. Quid ergo? Num desperato animo descendit in abyssum? Minimè omnium. Sed cum sit spiritus totus compositus ad inferenda damna, tunc dicit, reuertat, &c.

Tunc dicit, reuertat in domum meam unde exiui.

Mille artibus & dolis plenus ad nocendum, rugit, & super terram repens, suæ maledictionis uires exerit, moliens ac comminiscens, quomodo noccat. Regni enim deperditi sitientissimus est. Unde perpetua agitatur consilia de illo recipiendo. Consultat igitur, qua uia poterit redire ad eum, à quo potentia uerbi exire coactus est. Non libenter recedit Satan, sed coactus recedere, tamen redit. Unde facillè cōiicimus, quàm magnum imminet periculum uiris piis conuersis, quibus etiam metuendum est à Satana. Horribile est Satanam uocare pios conuersos, suam domum, fortassis ea spe, ut rursus occupet ad tempus dimissam. Ferre quidē potest Satan, ut ad tempus eiiciatur, modò pateat illi postea reditus. Quemadmodum electi ipsius Dei, ita reprobi malignorum spirituum sunt habitacula, etiam si fores obsideri haudquaquam uidentur.

Et ueniens, inuenit eam uacantem, scopis mundatam, & ornatam.

Redit Satanam, & inuenit eam domum, id est, conscientiam hominis, uacantem, supple, uitiis, mundatā, & purgatam scopis, id est fide uiua, & pœnitentia: & ornatam, supple, fructibus Euangelio dignis, sine quibus non consistit, sed moritur fides, Iacobi 2. cap. Quasi dicat, inuenit hominem iam sanctificatum, & egregius spiritalibus dotibus ornatum, ut facillè uideat, se prioribus artibus illum non posse obtinere, quòd artes illæ ipsi notæ sint.

Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se.

Cum uidet, quem prius occupauerat, conuersum, & donis spiritalibus ornatū, studet rursus occupare ipsum. At rursus agnoscens se uiribus imparem grauius urget adiungens sibi omnes spirituales nequitias, quas significauit Christus per septenarium numerū, omnibus uiribus annitens, ut ereptum sibi regnum recuperet. Ideo resistendum est fortiter in fide, ait Petrus. Pugnandum est cæsim, punctimque,

Nobiles ignobiles, sibi indecorū putant, concionibus adesse

ciceronianis putet incultū scripturarū sermo: nempe subibus amaracus.

Satanas, spiritus quare immundus.

Satanas quomodo eiicitur.

Satanas, hostis quantus.

Ambulare.

Satanas semper infomnis

Arida perterritat Satanam.

Corda impiorum arida.

Dæmones ubique incommendant.

Satanas etiā pios aggreditur, ut inhabitet.



Satanas for-  
tis, forti ani-  
mo repellen-  
dus.

Iudæis simi-  
les, qui.

Oscitantia  
nostra & ne-  
gligentia uer-  
bum & amor  
Dei pereunt  
in nobis.

Contemptor  
salutis suæ  
inhabitar  
à diabolo.

Tyrannis Sa-  
tanæ quanta  
in homine  
sub iugū re-  
misso.

Infelici-  
sima gentis re-  
curit condi-  
tio, & porten-  
tiosa malitia.

cum instat pugna. Et profectò semper instat pugna, quæ fortes deposcit viros, alioqui uincit Satanæ, & reuera recuperat regnum sibi ereptum, nobis securè in-  
terim conscientias nostras tuentibus, & uerbum Christi cum fiducia non ample-  
xantibus. Haud dubiè Satanæ desperatissimis quibusq; malis malè gratos impli-  
cat & opplet: ut tandem non possint non perdi cœlitus, ac noua quadam crudeli-  
tate à iustissimo Deo excindi funditus: id quod Iudæis, uerbum & presentem Mes-  
siam negligentibus & contemnentibus usu uenit in famoso illo lachrymabilique  
urbis & gentis per Romanos excidio. Quemadmodum enim excæcatio tum sic  
excreuerat, ut solitè esset maior se ipsa septuplo: ita oportebat ipsos quoque Iudæos  
multiplici flagello cædi, malisque extingui cumulatissimis. Cum Iudæis expe-  
ctent idem supplicium, qui nolunt regnare Christum super se, qui cum Iudæis cla-  
mant, Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Senserunt sanè isti se non tantum  
Cæsarem, sed & inclementissimum habere cæsorem. Sentient etiam hi, quos cle-  
mentissimo principi Christo præferant. Obserua: cum dicit, Assumit septem spi-  
ritus, &c. Magnum quidem significat laborem & magnam Satanæ potentiam re-  
quiri ad recuperandum homines euangelicos ad tempus: tamen postea Satanam  
uincere, nisi perstiterint fortiter in fide, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.  
Obserua. Hic locus nos inuitat ad timorem & uigilantiam, ne Satan nos securos  
& dormientes rursus occupet. Aduerte: ut sancti spiritus sunt septem dona, ita  
maligni spiritus sunt septem malitiæ.

### Et intrantes habitant ibi.

Intrant, propter nostram oscitantiam, & negligentiam, quibus rebus cognitio  
uerbi in nobis obfuscat, & amor Dei extinguitur: his autè amissis nō possumus  
resistere Satanæ, & exercitui eius nequissimo, & ad nobis nocendum paratissimo  
simul & concitatissimo. Habitat Satan ibi, id est in homine, ut suo mancipio,  
propter peccata, quæ sunt uis & potentia Satanæ tyrannica, qua occupat hominē.  
Obserua: dum quis suæ salutis & negligens & contemptor est apertius signum ha-  
bet, quòd sit dæmonum habitatio, quàm si obsessorum more seipsum diceret, ac  
totos dies & totas noctes succlamaret & insaniret. Sic Satanæ habitaculum fa-  
ctus est Iudas, dum in eum intrauit, Ioann. 13. Intrat: quia uult peccator, & Sata-  
næ fenestram aperit.

### Et sunt nouissima hominis illius, peiora prioribus.

Restitutus Satanæ in regnum deperditum, hoc est in hominem, scilicet in cle-  
mentius, unde scædiorem uiuit homo uitam, ueritatem oppugnat impudentius,  
superstitionem & impietatem feruentius exercet, surdus audit uerbum, obscurius  
ueritatem cernit, nulla uirtus siue palato siue olfactui illius sapit, breuiter omnia  
sinistrius illi habent, quàm antea. Obserua pœnam, qua puniuntur redeuntē ad  
uomitum, ut magis ac magis excæcetur, &c. Operæ precium ergo est non obliuisci  
eius dicti, quod Dominus ad paralyticum dixit, Iam sanus factus es, Noli ergo  
amplius peccare, ne quid tibi grauius contingat, Ioan. 5. Ne itaque simus inertes  
& socordes, si in nobis regnare cepit Christus, sed uigilemus, ubique & semper  
orantes Dominum, ut regnum ipsius adueniat, liberetque nos à malo.

### Sic erit & generationi huic pessimæ.

Accommodat Christus, adductum exemplum ad impios Scribas & Phariseos:  
atque hoc nomine notat pertinacem malitiam Israëliticæ gentis, subinde relaben-  
tis ad suos mores. Olim uitis & cupiditatibus dæmoniis seruiebat: per legem ac  
prophetas utcunque liberata est, sed subinde rediens ad ingenium, redibat ad ido-  
la, sacrificabat in lucis, occidebat prophetas, emendabatur afflictionibus per Pha-  
raonem in Aegypto, per Nabuchodonosor in Babylone, per Philistinos & Moa-  
bitas bello & aliis uariis calamitatibus. Tandem à filio Dei tot modis prouocata,

nimirum à quo palàm demonstrata est uera salutis ratio, ut omnis qui crederet in  
Christum, haberet uitam æternam, non solum renouauit, uerum etiam multis par-  
tibus omnem impietatem maiorum suorum superauit. Non solum omni genere  
contumeliarum, Christum, Euangelium & miracula Christi uirulentissimè ca-  
lumniati & execrati sunt, uerum etiam ipsum innocentissimum Iesum Christum  
ad crucem falsis criminibus adegerunt. Vnde prodigiosa quædam cæcitas, & sep-  
tuplo miserabilior, quàm fuerat maiorū, cepit animos illorum. Et ita afflicti sunt,  
ut nulla grauior calamitas potuerit eis accidere. Primum respublica eorum ad in-  
teruentionem usque deleta est. Deinde ita excæcati sunt, ut hodie non solum aper-  
tam lucem non uideant, sed etiam apertissimis mendaciis suorum Rabinorum fi-  
dem adhibeant. Postremò quia excisi sunt à Christo, sunt & excisi ab omnibus cœ-  
lestibus bonis, & obnoxij perpetuæ damnationi. Iam quid hac calamitate uel hor-  
ribilius uel calamitosius? Hoc demum uerè est, postrema hominis peiora fieri pri-  
mis. Porro tunc tua res agitur (ut est in prouerbis) paries cum proximus ardet.  
Quod impiis Phariseis ob ipsorum obstinatam impietatem uaticinatus est Chri-  
stus, idem nobis & uaticinatum esse agnoscamus. Nam, ut Paulus ad Titum. 3.  
cap. scribit, Apparuit nobis benignitas saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ,  
quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per Iesum  
Christum saluatorem nostrum: ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum  
spem uitæ æternæ. Si autem, quemadmodum admonemur, 2. Petri. 2. ca. postea-  
quàm refugerimus ab inquinamentis mundi, per agnitionem Domini & saluato-  
ris nostri Iesu Christi, tamen his rursus inuoluti, superamur, sunt certè & nobis  
postrema peiora primis. Satius enim fuisset, non cognouisse uiam iustitiæ, quàm  
ubi cognouerimus, cœuerti ab eo, quod traditum est, sancto præcepto. Tum enim  
accidere solet, quod prouerbio dicitur, Canis reuersus ad suum ipsius uomitum:  
& Suslota, reuersa ad uolutabrum luti seu cœni. Demus igitur operā fratres, ut  
per fidem & charitatem conferuamus nobis Christum: & declaremus nos gratos  
obedientia fidei uiuæ, ut credentes, exultemus læticia inenarrabili & glorificata. r.  
Petri. r. reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum nostrarum, per Iesum  
Christum, qui sua misericordia dignetur nobis aperire oculos, & animos inflam-  
mare, ut cum ipso æternum uiuamus. Amen.

### Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres sta- bant foris, quærentes loqui ei.

Nondum plenè apologiam suam absoluerat Christus, qua docebat, & apertè  
manifestabat, se, non præsidio Beelzebub eiicere dæmonia, sed propria uirtute,  
quum, ecce mater eius, uirgo Maria, & fratres eius, ad fines & cognati Christi, sta-  
bant foris extra turbam, quæ præmebat Christum, ut audiret uerbum, quærentes  
loqui ei. Pertinet quidem hoc exemplum Christi ad omnes homines, in primis ta-  
men ad uerbi ministros: quòd scilicet & alibi tam beatæ uirgini matri & cæteris  
cognatis suis, quàm aliis, de eisdem legimus Christum asperius loquutum, quàm  
cetero expostulet. Porro in suis responsionibus, suum ad uerbum & opus Dei, ad  
quod missus erat, nempe ad nostram redemptionem, ostendit affectum: ut nos eru-  
diat, quòd omnia uerbo & uoluntati Dei cedere debent. Nimirum ille maledictus  
est, qui Dei opus facit fraudulenter, Hiere. 48. Opus enim Dei, est, quicquid ipse  
uult & mandat. Denique nullum affectum carnis habuit Christus, neque ostendit  
ut sciamus, quòd ille Dei opus, id est, uoluntatem, neque syncerè annuntiare, ne-  
que adimplere unquam poterit, qui carnis affectum habet. Nam affectus carnis &  
spiritus sibi inuicem aduersantur. Profectò dum tractamus Euangelium, spiritu,  
non affectu cognitionis seu carnis, duci debemus. Vnde cognati foris stabant, quòd  
ad illud negotium, quod tunc tractabat Christus, nihil attineret affectus cognatio-

Pœna à Iu-  
dæis data.

Phariseis quæ  
dicit christus  
dicit & no-  
bis.

Verbi mini-  
stris carnales  
affectus ante  
omnia ampu-  
tandi.

Verbo & uo-  
luntati Dei  
omnia cede-  
re addebet.  
Opus Dei.

Cognati Ec-  
clesiastæ so-  
ris stent.



nis. Vt enim anima corpori preferenda est, ita plurius facienda est animorū, quam corporum cognatio, quæ uirtute non sanguinis propinquitate conciliatur. Iam uerò quia locus sese offerens de matre Christi & eius fratribus, paucis absoluemus, quæ sit mater Christi, & qui sint fratres Christi. Maria uirgo, Annæ & Ioachim filia, concepit de Spiritu sancto, & peperit Iesum, Messiam, filium Dei, Deum uerum, & hominem uerum, saluatorem & redemptorem mundi, ante & post partum manens uirgo, & intacta usque ad mortem. Quam (iuxta dotes à Christo filio illi donatas) credo orare pro me peccatore Iesum filium suum. Nec puto Christianum quempiam dici, qui dixerit impium esse, illam & honoribus & nominibus sanctitatis salutare, & precari. Mutuò se iuuant membra corporis, illa est de corpore Christi mystico, habente bonorum communionem, ut est in symbolo apostolico. Ergo suis precibus iuuare potest me & alios. Hoc ego quum credo, nihil honori Christi detraho, imò id ipsum abit in honorem Christi, quem adoro. Mariam autem interea honoro & supplex rogo: & hæc de illa firmiter credo, & constanter assero. Huius uirginitatē negauit Heluidius impudicus, aduersus quem disertè scribit Sanctus Hieronymus. Alij, ut Marcion & Manichæus, negauerunt ipsam matrem esse Christi, ita ut per illos natus de phantasmate putari potuerit. Sed scriptura passim hos confutat, appellans uirginem, matrem Domini, ut quæ filio ueram carnem dederit ex se ipsa, non aliunde fecundata, quàm à Spiritu sancto, etiam testimonio scripturæ, Ioan. 2. Et Matthæus in exordio sui Euāgelij sic habet, Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater Iesu Maria, &c. En matrem eam appellat, ideo quod Dominum peperit & ipse ex ea natus est. Luc. 1. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce aperta confessione uocatur mater Domini ab Elizabeth. Tamen remurmurabit aduersarius, dicens, hoc pronuntiatum esse ex affectu muliebri. Respondeo. Illic præmittitur, Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth. Spiritus ergo ueritatis appellat Mariam matrem Domini. Respondebunt Marcionista. Hoc condono, peperit Dominum: nō tamen consequitur, quòd substantiæ eius quicquam contulerit. Coelitus enim in ipsam delapsus, resedit in utero eius, ueluti in thalamo, donec emittendus esset. Respondeo: à spiritu docta Elizabeth, ait, Et benedictus fructus uentris tui. Iam cùm Dominus sit hic fructus, profectò est & de substantia Mariæ, alioqui non diceretur fructus uentris uirginis. Audiamus adhæc Paulum occinentem, Rom. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnē. Item ad Galat. 4. Misit Deus filium suū, factum ex muliere, factū sub lege. Potētia ergo Dei, hoc est, obumbratione Spiritus sancti, sine uirili semine, ex substantia matris, & in utero matris, conceptus est filius Dei, & natus ex matre Maria uirgine. Vnde uerè mater, & non hospita est filij Dei. Et quia factus siue genitus est illi ex semine Dauid, ut ait Paulus, & spiritus non est semen Dauidis uel Abraham: Virgo autem est semen siue filia Dauidis & Abraham. Ergo ex uirginis substantia, citra semen uiri, fecundante ipsam Spiritu sancto, conceptus & natus est Dominus noster. Iam ueniamus ad alterum Heluidianorum errorem, ex hoc loco colligentium, quòd uirgo Maria post enixum Iesum saluatorē plures Iosepho uiro suo liberos peperit. Scilicet hi tam obtruso sunt ingenio, ut apertè ostendant se non intelligere scripturam, quæ quatuor modis fratres appellare solet, Natura, Gēte, cognatione, & affectu. Natura fratres sunt, qui ex eodem patre, eadem uel matre, aut ex utrisque iisdem nati sunt, ut Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes fuerunt fratres, & huiusmodi fratres nullos habuit Christus. Gente, omnes inter se Iudæi fratres appellantur. Deuter. 17. Cōstitues ex fratribus tuis Regem. Cognatione uerò fratres uocantur, qui sunt de eadem familia. Ita Lot dicitur frater Abraham, qui reuera fuit patruelis Abraham, filius, inquam, Aram, fratris Abraham. Ad hunc modum Christus nuncupatur frater Iacobi & Ioseph & Iudæ & Simonis, Marc. 6. qui reuera erat cōsobrinus Iacobi, filius inquam Mariæ

Mater Christi quæ, & fratres, qui.

De beata Maria, matre Christi, quid sentiendum.

Maria, mater Iesu dicta ab Euangelistis

Aduersus Marcionistas defenso Mariæ.

Aduersus Heluidianos, de perpetua uirginitate Mariæ. Fratres in factis, quatuor modis dicuntur. Natura. Gente. Cognatione.

Mariæ uirginis, quæ erat soror Mariæ Iacobi. Legitur enim Ioan. 19. capit. Stabat iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror Matris eius Maria (supple filia) Cleophæ, & Maria Magdalene. En uocat Ioānes Mariā Cleophæ, nimirum filiam (Alphæo enim nupserat, unde Iacobus cognominatur etiam Alphæi, uidelicet filius) sororem Mariæ uirginis. Porro affectu dicuntur fratres uel spiritualiter, uel communiter. Spiritualiter, quemadmodum omnes Christiani appellantur: communiter, quia omnes ex uno & eodem nati sumus patre. Diuus Hieronymus copiosius de his disputat in lib. contra Heluidium.

Maria Cleophæ. Iacobus Alphæi. Fratres affectu.

Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.

Voce quasi per manus tradita, quidam interpellans sermonem Iesu, renuntiauit illi, adesse pro foribus matrem & fratres ipsius, qui postularent eius colloquium. Enimuerò parum ciuile & ualde importunus interpellator erat hic, qui publicè & in magna turba hominum uocabat Christum concionantem & in graui argumento uersantem, ad curam & memoriam priuatorum negotiorum. Potuit fortassis esse è numero eorum, de quibus Marc. 3. cap. scribit, Et cùm audissent sui, (id est, qui ad illum attinebant) exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem uersus est. Et mox Marcus scribit, quæ ad calumniam Phariseorū Christus respondit: quibus absolutis, resumit, quæ de fratribus Christi, siue de iis, qui ad Christum attinere uidebantur, dicere cœperat. Et ueniunt (inquit) mater eius & fratres: & foris stantes, miserunt ad eum, uocantes eum. Inter eos, qui uenerat, fuerunt fortassis quidam malo animo: quod satis subindicat durum Christi respōsum, per interrogationem factum. Arguit enim interpellatorem. Certè qui renuntiant Christo, adesse fratres, typum gerunt eorum, qui inter confitendum & docendum uerbum, sentiunt habendum esse respectum honestatis cognatorum hominum. Item qui præferunt præcepta posterioris tabulæ præceptis tabulæ prioris. Ac sic sentire est prærogatiuam in carne statuere, quasi quæ debeat pro respectu circumstantiarum regere uerbi confessionem & doctrinam.

Cognatorū & carnis ratio nulla habenda in docendo uerbū

At ipse respondens, dicenti sibi, ait.

Huic ignoranti, & fortassis male affecto, ut dixi, Christus mederi uult, docens, ne sinamus nos impediri quacunque honestate ciuili, & quibuscūque circumstantiis, quò minus amplectamur, confiteamur & doceamus uerbum.

Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

Cautè & prudenter interpretandus est hic locus, ne immorigeris uel superstitiosis detur occasio negligendi & contemnendi parentes, fratres, sorores, cognatos, uxorem ac liberos. Non enim hoc loco Christus negat simpliciter matrem suam & fratres suos, sed reprehendit importunitatem, cui resistit, ueluti offensus, quòd euocaretur à negotio patris, ut seruiret carnis cognationi. Ad eum modum legitur Luc. 2. respondisse: Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quòd in iis, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Illic tamen surgens, sequitur parentes: erat enim subditus illis, ut scribit Euangelista. Hic uerò non ita: nam totus erat in promouendo regno Dei. Quasi diceret, Quid mihi matrem & fratres obtenditis? In negotio regni Dei exequendo non oportet ullam carnis necessitudinem spectare, imò ueritati & regno Dei posthabere omnes necesse est affectus. Scio honorādam matrem, & diligendos fratres, sed super omnia Deum obseruare oportet: cuius mādātum plurius mihi esse necesse est, quàm quorumlibet necessariorum affectus. Hic ergo cùm agam patris negotium, nullius hinc charitate, uel cura debeo auocari. Filius Dei sum, talem referam me addecet: eoque eos, qui mihi, ut filio Dei, diuina cognatione coniuncti sunt, ut hi sunt qui uerbum Dei audiunt & faciunt,

Cognatio diuina infinitis modis potior ac fortior humana.



longè pluris facere, & propinquiores mihi agnoscere debeo, quàm qui ex carne & sanguine ad me attinent. Huc pertinet, quod Diuus Augustinus libro uno de sancta uirginitate, cap. 3. scribit, Scriptum est (inquit) in Euangelio, quòd mater & fratres Christi, hoc est consanguinei carnis eius, cum illi nuntiati fuissent, & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba ille respondit, Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos ait, Hi sunt fratres mei, ipse mihi frater, & mater & soror est, quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spiritale præponere: nec inde beatos esse homines, si iustis & sanctis, carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus, obediendo, atque imitando, cohærescunt? Beatior ergo Maria, percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, Beatus uenter, qui te portauit, ipse respòdit: imò beati, qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt. Denique fratribus eius, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? sic & materna propinquitatis nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset. Hæc Augustinus.

cognatio carnis, etiam cum beatissimis, neminem redit beatum. Maria, beatior, percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi.

Et extendens manum in discipulos suos, dixit.

Ad maiorem asseuerationem facit, quod dicebat protensa manu in discipulos suos, qui iuxta sedentes, auidè tacitè que combibebant doctrinam salutiferam. Extendens manum, id est, apertè demonstrans, qui sint ueri consanguinei & cognati: subindicat ingens præmium, obsequentibus uidelicet, & regnum Dei constanter persequentibus, paratum, nempe Dei consortium, & sui quoque generis communionem, nobilitatem cælestem, uerè generosam & illustrem.

Præmiū Deo obsequentium.

Ecce.

Demonstratis est particula, quasi dicat, Estote attentī, si uultis uerè cognatos meos nosse, còsque, qui mihi sunt charissimī.

Mater mea, & fratres mei.

Qui meo exemplo omnia postponunt euangelio, qui ex aqua & spiritu sunt nati, qui ex Deo sunt, & spiritu Dei ducuntur.

Quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Aetiologia est, cur discipuli uocentur mater & fratres Christi. Quia, inquit, faciunt uoluntatem patris. Est autem facere uoluntatem patris, se Christo consecrare & dedere, & in ipsum credere, quem pater, ut dilectum filium suum, in mundum misit, & uult, ut illi credamus: iuxta illud Matth. 17. ipsum audite. Respondabis: Nemo scit, quæ sit uoluntas hominis, ait Paulus, 1. Corinth. 2. nisi spiritus hominis. Ergo nemo scit, quæ Dei sunt, siue, quæ sit Dei uoluntas, nisi spiritus Dei. Respondeo: nihil est certius: ideo huc missus est filius, qui est in sinu patris, ut nobis reuelat uoluntatē patris. Et hanc nō occultauit, sed omnibus manifestam fecit, dicens, Ioan. 6. cap. Hæc est uoluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et Matth. 3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ergo credere in Christum filium Dei, & audire uerbum Christi, est facere uoluntatē patris, qui in cœlis est. Ioan. 8. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Iam ex Deo esse, est Christo cognatum esse. Et Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Hoc loco extensa manu, circumspicebat, ait Marcus, 3. cap. eos, qui in circuitu ipsius sedebant, discipulos suos ostendens, & hos pronuntians fratres suos. Quid autem aliud discipuli faciebant, quàm quòd audientes erant uerbum, & illi obtemperabant? Magna profectò dignitas est

Facere uoluntatem patris, quid.

Filius, index uoluntatis patris.

Esse ex Deo.

Dignitas patrum Christianorum, magna.

Christianorum credentium, & uerbo Dei adherentium. Efficeris frater, mater, & soror Christi, imò ipsi Christo propinquior, quàm si solum iuxta carnem frater esses Christi, cum ex animo audis uerbum, uerbo adhaeres, & totus à uerbo pendes. Hic enim locus manifestè ostendit, discipulos Christi præferri carnalibus cognatis, ob eam causam, quòd uerbum audirent, crederent, & sequerentur. Quicumque ergo, siue masculus, siue femina, siue dominus, siue seruus, fecerit uoluntatem patris mei, ille meus frater, &c. Imò parum id uidetur, si consideres, quòd uxor Dei es, caro de carne Christi, & os de osibus Christi, dicente Paulo, 2. Corinth. 11. cap. Respondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Et Ephef. 5. Nemo suam carnem unquam odio habuit, sed nutrit eam, sicut Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius & osibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. En maiorem hîc legis dignitatem, quàm sit uel matris, uel fratrum, uel sororum Christi. Hanc cognationem, qua Christi fratres & cognati sumus, admirantur angeli, hanc nobis supramodum inuident, & aduersantur dæmones. Obserua quo loco & honore habere debeamus eos, qui studiosè audiunt & faciunt uerbum Dei: qui uerbum syncerè prædicant, & perseuerant in fide & puritate uitæ: procul dubio maximo, cum sint membra & fratres Christi. Hoc si frequenter expendemus, à tam frequenti fratrum læsione caueremus. Obserua: cum dicit, qui est in cœlis, tantundem dicit, atque, qui omnia uidet, & prospicit, quem nihil latet. Potens est suæ uoluntatis obseruatores defendere & seruare. Cælestis & spiritualis est, qui hominum more non habet personarum respectum. Obserua duplicem cognationem: carnalem, quæ ducitur ex eodem sanguine & semine: spiritualement, quæ ducitur ex communicatione eiusdem spiritus ac seminis. Seminis, inquam, immortalis & incorruptibilis, iuxta id, quod scribitur, 1. Petri. 1. Renati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per uerbum Dei uiui, & permanentis in æternum. Hoc autem semen exerit uim suam, sibi simile progignens, scilicet sanctitatem & puritatem in animis obedientium Deo, Ut renati hoc semine, faciant uoluntatem patris, sicut Christus fecit, cuius fratres sunt spiritus participatione: quòd si fratres, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Iesu Christi, Roma. 8. Diuus Hieronymus hunc locum enarrans, ait: Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei. Colligamus ex hoc Christi responso, Christum non simpliciter repellere parentes, quos coluit & quibus subditus fuit, Luc. 2. ut suo exemplo seruemus mandatum de honorandis parentibus. Sed cum hîc de religione & religionis affectu agat, docet, in negotio pietatis ac regni Dei oportere pietatem in Deum præcedere pietatem in parentes. Alioqui enim non uenit Dominus soluere legem, sed implere. Manet igitur confutatus error illorum, qui, huius loci præsidio freti, putant, se in re qualibet parentum mandata impune contemnere posse. Et manet mandatum illud, Honora patrem, &c. illæsum, aded ut religionis causa grauissimè in Deum pecces, quoties parentes aspernaris, duriusve excipis, uel negligentius illorū subleuas egestatem & inopiam extremam. Secundò, hoc responsum docet, quòd facere uoluntatem Dei, est uerbum Dei audire, credere, & iuxta illud operari. Quòdque uerbum Dei exigit fructus uiuæ fidei: ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Voluntas igitur Dei fit, cum mandatis Dei obediunt, & bona opera ex fide facimus, unde cum Christo coalescimus, & pater pro filiis nos habet in suo germine & naturali filio Iesu Christo.

Anima, uerbo Dei mori gera, sponta Dei est.

Vnū aliquè ex minimis, &c qui ledit, uideat, què laudet. Pater, qui est in cœlis.

Cognatio duplex.

Cognatio siue natiuitas spiritualis.

Pietas in deū pietatem in parentes antecar.

Voluntatem Dei facere.



CAPITIS DECIMITERTII Argumentum.

Regnum Dei sub quadruplicis seminis in agro, & margarita figura, aliisque parabolis declaratur.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.



Parabola quatuor seminum.

Dominus in parabolis quare locutus est turbis.

Execratio Iudeorum.

Apostoli beati.

Declaratio parabole seminum.

Seculi sollicitudo & diuitie suffocant uerbum.

IN ILLO die exiens IESVS de domo, sedebat secus mare. Et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in nauiculam ascendens, sederet: & omnis turba stabat in littore. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit, qui seminat, seminare. Et dum seminat, quaedam ceciderunt secus uiam: & uenerunt uolucres caeli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terre. Sole autem orto aestuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinae & suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens, ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Ut adimpleatur in eis propheta Isaiae, dicentis: Auditum audieris, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non uidebitis. In crassatum est enim cor populi huius, & auribus grauitur audierunt, & oculos suos clauferunt, nequando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanentur. Vestri autem beati oculi, quia uident: & aures uestrae, quia audiunt. Amen quippe dico uobis, quia multi prophetae & iusti, cupierunt uidere, quae uidentis, & non uiderunt: & audire, quae auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis, qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus, & rapit, quod seminatum est in corde eius: hic est, qui secus uiam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter uerbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui uerbum Dei audit, & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant uerbum, & sine fructu efficitur. Qui uero in terram bonam semina-

Marc. 13. Luc. 8.2.

Marc. 4. d. Luc. 8. d. c. Omnis seminis omnium minimum.

Isa. 6.6. Marc. 4. Luc. 8. b. Ioann. 1. Act. 1.8. Rom. 1.14.

Luc. 10. a.

Marc. 4. b. Luc. 8. b.

Tempor. h. i. i. c. r. i. u. s.

tus est, hic est, qui audit uerbum, & intelligit, & fructum affert, & facit, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud uero tricesimum. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? & ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut uolucres caeli ueniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, dicens: Aperiam in parabolis os meum, & eructabo abscondita a constitutione mundi. Tunc dimissis turbis, uenit in domum Iesus: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Ediffere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens, ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum uero semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam. Inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus. Messis uero, consummatio seculi est. Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & pra gaudio illius uadit, & uendit uniuersa, quae habet, & emit agrum illum. Iterum, Simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas. Inuenta autem una preciosa margarita, abiit, & uendidit omnia, quae habuit, & emit eam. Iterum, Simile est regnum caelorum sagenae, missae in mare, & ex omni genere

Parabola de zizaniis, si perfeminatis bono semini.

Parabola grano sinapis.

Parabola de fermento.

Per parabolas quare Iesus locutus.

Declaratio parabola de zizaniis.

Parabola thesauri, in agro occulti.

Parabola negotiorum.

Parabola sagenae.



piscium congreganti:quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam Domine. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. Et ueniens in patriam suam, docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph & Simon & Iudas: & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua: & non fecit ibi uirtutes multas, propter incredulitatem illorum.

In illo die exiens IESVS de domo.

**R**osteaquam de ministris uerbi Dei, & quibusdam primariis religionis Christianæ capitibus dictum est, sequitur iam de uerbo Dei, eius uirtute, fructu & pretio, copiosior tractatio, quæ in hoc capite septem parabolis illustratur. In illo die, quo disputatum & manifestatum est, Christum, non in Beelzebub eiecere dæmonia, sed sua diuina potentia restituisse dæmoniacum, surdum, & mutum, creuit miraculorum splendor, & hoc crescente, accreuit & populi concursus: adeo ut de ciuitatibus ad eum properarent, Luc. 8. Et, ut Marcus, 3. cap. ait, ita ut non posset panem manducare. Egre ditur ergo domum, in qua, quæ præmissa sunt, differuit. Hæc domus ex fine huius capituli uidetur fuisse in patria Christi. Egre ditur autem ut locus esset commodior promouendo regno Dei. Videbat certè locum non esse tantæ multitudinis capacem.

Sedebat secus mare.

Egressus domo, concessit ad lacum, quod cum uenisset sedit in ripa, dispensans prudenter multitudini, salutis suæ sitibundæ, diuitias regni Dei.

Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.

Confluit ad Christum undique hominum multitudo, insatiabiliter inhians doctrinæ ipsius. Docebat enim eos, ait Marcus, 4. cap. in parabolis multa. Obserua Christum, uerbum, auditores uerbi & prædicatores frequenter agere circa mare, id quod signum est, dictas res & personas multum commercij habere cum cruce.

Ita ut nauiculâ ascendens federet. Et omnis turba stabat in littore.

Cum Dominus uideret multitudinem adeo condensari ut premerent ipsum, quod liberior esset à turba, & ab ipsa audiretur, ac rectius intelligeretur, conscendit nauim, atque ex ea, uelut è suggesto, loquutus est multitudini stanti in littore, sicut quodam ambiente nauim. Sic enim commodius à multis, & uideri poterat & audiri, quod arena littoris paulatim insurgens, & ipsa littoris ora speciè quandam præberet amphitheatri. Obserua, commoditatem, si qua haberi potest, exemplo Christi non esse repudiandam. Aduerte: Christus in nauim ingreditur, ut per-

Doctus ad regnum cælorum.

Christo non credunt sui Nazarzi.

Marci, Luc. 4. Ioan. 4. Ioan. 6.

fectior: turba, ut imperfectior, manet in littore.

Et loquutus est multa in parabolis.

Quoniam uaria erant auditorum genera, & in ea multitudine non erat eadem mens omnibus, ideo unam & eandem Euangelij & regni Dei doctrinam multis & uariis similitudinibus populo tradit. Mirabile auditu: conueniunt, ut audiant aliquid magnum: sed ecce, dum expectant admiranda quædam, & cælestia, Christus concionatur ipsis de seminatore rustico. Num ignorant, quid de seminibus, in agrum iactis, eueniat? Num Christus de cælo descendit, ut rem rusticam doceret? Sed non est, quod fastidias Christum propter tam humilem, ut apparet, docendi rationem. Potuisset certè Christus angelorum lingua loqui, si uoluisset, tamen quia noluit priori suo aduentu regnum suum pro externa maiestate administrare, elegit etiam rationem docendi, humilitati suæ aptam. Deinde, quemadmodum prudentibus quibusdam uiris apud Ethnicos magni nominis solenne fuit, auditores & discipulos suos per apologos docere: Ita Iudæis familiare fuit, parabolis aut similitudinibus dogmata sua inculcare. Cum igitur Christus inter Iudæos uitam duceret, ciuilitate admodum facit, quod etiam utitur genere docendi, apud Iudæos usitato. Multa (inquit) docebat in parabolis. Quasi dicat, aliquando parabolis, aliquando alio genere dicendi (prout conueniebat, & prudenter sciebat thesauros cælestes dispensare) utebatur. Est parabola, collatio seu similitudo quædam, qua res uel personæ duæ inter se conferuntur, ad certum aliquid significandum, quod demonstratum uolumus. Parabola uox græca, interpretatur, iuxta sententiam. Sumi solet similitudo ab iis, quæ fiunt, aut quæ natura casu rebus adiuncta sunt. Rogabis, quare Christus populo proponit multa per parabolas siue similitudinum inuolucra: Respondeo parabola & similitudines miram quandam energiam habent, rem, de qua est sermo, illustrandi & explicandi. Christus igitur, ut, quod de regno Dei docebat, dilucidius explicaret, & memoriæ hominum tenacius infigeret, usus est parabolis. Primò ut commodius institueretur populus. Secundo, ut scirent Apostoli, & alij, interrogantes Christum, quum parabolis ageret, uerbum esse parabolam & mysterium, quod nostris uiribus aut intellectu non capiatur, sed esse donum Dei, intelligere uerbum. Tertio quod hoc genus orationis familiare sit prophetis, siue quod accommodatissimum est ad docendum, & ad flecendos animos populi, quod collatio sumpta à rebus, omnium, etiam idiotarum, sensibus notissimis, statim permoueat unum quemlibet: siue quod hac illecebra & iucundius irrepunt in animos hominū, quæ dicuntur, & hæret tenacius: siue quod hæc admonitio, nullum traducens, sed tacitè per imaginem taxans cuiusque conscientiam, minus offendere solet. Obserua, accommodationem parabolarum Euangelicarum sepe omitti, sepe adici: ceterum ubi omissa est, diligenter explorari debent circumstantiæ & natura rei, à qua ducitur parabola, ne per accommodationem absurda applices.

Ecce exiit, qui seminat, seminare semen suum.

Nudam proponit auditoribus parabolam. Cuius summa & sensus est: Quemadmodum non est culpa seminis, si non semper ferat fructum: ita non est culpa Euangelij, si non in quouis auditore suum fructum producat, sed est uitium auditoris. Simul & subindicat non parem gigni fructum in iis qui audiunt: sed ut quisque adfert animum à mundanis curis & cupiditatibus uacuum, ita sermonis auditi esse fructu. Ecce, uox attentionis est, ut qua parat sibi attentos Christus turbæ animos ad parabolam talem propositam. Egressus est (inquit) quidam seminator in agrum, ut seminaret semen suum. Seminatore est summus ille agricola Deus summus. Ergo sum uitis uera (ait Dominus) & pater meus agricola est. Huius agricolæ, conductitij seminatores, sunt prædicatores, qui primùm grana frumenti spargunt. Christus suo spiritu rigat, & pater incrementum dat. Semen uerbum Dei est, quod

Christus cælestia sed per humana exemplum docet.

Parabola, quid.

Christus quare parabolis usus.

Parabolarum usus, familiaris prophetis.

Cruce nūquā abest à uerbo.

Commoditates, Ecclesiasticæ non reputandæ.

Ioan. 15. c. Agri, seminis, satoris & arborum rusticorum sensus mystic.



sensum ac sensum excrefcit, & augetur in auditorum animis. Agri, sunt auditores uerbi, qui prout sunt culti, ita ferunt fruges. Aratrum & sulcus, quo paratur ager, est ipsa pœnitentia, per quam coluntur agri, auditores uerbi. Accommodatio parabola hæc est. Verbum Dei cõfertur cum semine, quod, seminatore proicit in agrum, ea spe, ut cadat bene, & crescat feliciter, ferens fructum magnum & numerosum. Verum ut semen à seminatore proiectum, non æqualiter cadit, neque æqualia occupat loca, aut æquè excrefcit: nam aliud iuxta uiam, aliud in saxosa loca, aliud inter spinas, aliud tandem in bonam terram cadit: Ita & uerbum Dei prædicatum, in alia atque alia corda cadit, & aliter atq; aliter suscipitur, atque seruatur ab illis.

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus uiam: & uenerunt uolucres cœli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terre. Sole autem orto æstauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia uerò ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud ceterisimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.

Non hîc loquitur Christus de iis, qui uerbum persequuntur, aut qui minime auscultant, sed de iis qui audiunt, & uolunt Christi discipuli haberi, Christianoque nomine uerè censerî, inter Christianos haberi, baptismum & omnia sacra nobiscum habere communia. Sunt tamen atque permanent eorum corda, carnalia, quæ uerbum non admittunt, iuxta prouerbiu, Aurem alteram ingreditur, altera rursus egreditur. Non necesse habeo hanc explicare parabolam, quod mox illam Dominus est interpretaturus.

Qui habet aures audiendi, audiat.

In re seria, & in designanda re mystica, ut & auditores credant se audire rem seriam & mysticam, utitur epiphonemate seu ad rem prolatam summa acclamatione, Qui habet aures audiendi, audiat. Quod perinde sonat, ac si dixisset, ô quàm pauci sunt ueri Christiani! Non est credendum omnibus, qui Christiani uocantur, & audiunt Euangelium: pluribus adhuc & maioribus opus est ad hoc, ut uerè sint, quod dicuntur. Non est oscitanter audiendum Euangelium, sed cum tui abnegatione. Audi quid per uerbum loquatur in te Dominus: Crede & contradente uerbo loquenti, facito & operator creditum. Aures audiendi, sunt aures mentis, supple, ad intelligendum & faciendum, quæ præcipiuntur. Sunt aures spirituales aliæ prorsus à carne, quæ nihil spiritale audit. Surda est spiritui pulsanti, huic nūquam aperit, hoc est, obedit caro.

Et accedentes discipuli, dixerunt ei.

Quia hætenus tam crebris parabolis Christum uti non audissent discipuli, & ipsis hoc dicendi genus uideretur rarum & insolens, audierunt quidem Christum Marc. 4. sed cum esset singularis, interrogauerunt eum ij qui cum eo erant, duodecim, parabolam.

Quare in parabolis loqueris eis?

Exemplum ignorantie in discipulis, qui adhuc ignorant causas, quare Christus parabolis loquatur turbæ. Non enim simplex est hæc discipulorum quæstio, quæ hoc tantum rogare uideatur cur Christus parabola, id est, hoc genere schematæque orationis uratur, sed hoc unum potius interrogant, Quare mysteria regni cœlestis inuoluat ænigmatis, & ea proponat obscure, & non potius clarè, & citra figurarum inuolucra loquatur turbæ & simplici populo. Interrogant ergo Christum

discipuli, non propter se, quibus iam datum erat noscere mysteria regni, sed propter imperitam turbam.

Qui respondens ait illis.

Hoc suo responso Dominus manifestè ostendit, quibus conueniant ænigmata & obscura doctrina Euangelij, quibus clara: & qui idonei sunt Euangelij auditores, qui minus idonei: quodque causa parabolica loquutionis, est, quorundam, qui aderant, obstinatio. Illi autem potissimum erant Scribæ & Pharisei, Sadducæi & Sacerdotes, qui Christum, obseruandi & carpenti tantum gratia, sequebantur. Vnde meritò illis uelabantur mysteria regni Dei.

Ferè ppter obstinatos Christum parabolis utebatur.

Quia uobis datum est, nosse mysterium regni cœlorum: illis autem non est datum.

Potentissimè Christus ostendit his uerbis, neminem posse intelligere mysteria regni Dei, quæ in scriptura sacra referuntur, præter eum, cui ad id spiritum donauerit Deus. Ergo summè errant, qui Dei eloquia, secundum carnis prudentiam enarrare præsumunt. Nimirum eorum intelligentia non est à sapientia hominis, sed à Spiritu sancto, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 1. Corint. 2. Vox, uobis, emphasim habet, uox item, datum est, ostendit intellectum uerbi, esse donum Dei: similiter cum dicitur, mysterium regni cœlorum, periphrasis est uerbi seu Euangelij, & earum rerum, quæ sub uerbo seu Euangelio latent. Mysterium significat secretum aliquod, quod remotum est ab oculis atque absconditum, præcipuè uerò in uerbis: ut cum aliquid dicitur, quod obscurum est, & intellectu difficile, solemus dicere, hoc mysterium est, subest his uerbis rectè aliquid & abstractum. Dei igitur mysteria (quorum Apostoli sunt œconomî) non alia sunt, quam fides & Euangelium de Christo, inò Christus ipse uocatur mysterium, quod res spiritualis sit, & omnino tecta manet, nisi spiritus ipsam reuelat. Quæcūque enim Euangelium prædicant, à sensibus & ratione sunt remota, adeò ut totus orbis terrarum ea nequeat capere neque à quoquam discantur, nisi fide & reuelatore spiritu, adeò res est carni abstracta & abscondita, attestante Christo superiore capite, Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti, &c. Et D. Paul. 1. Corinth. 2. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam uerò non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum huius seculi cognouit. Diuus Chrysostomus excellentiâ prædicationis uocat mysteriū. Sic enim cõsuevit appellare scriptura, quæ præter spem, & præter humanam sūt opinionem. Ecce mysterium uobis dico, Omnes quidem, &c. Multos etiam hodie uideas, qui prædicant & audiunt, Christum pro nobis traditum nos redemisse, sed in ore illis ista uerba sunt duntaxat, non etiam in corde. Nam neque ipsi suis uerbis credunt, neque gratiam hanc aliquatenus sentiunt. Cur ita? Respondet Paulus, 1. Corinth. 2. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: Stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Propterea Christus hoc loco ait, uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, uobis, inquam, & uestri similibus, etiam in turba consistentibus, amantibus uidelicet, sitientibusque ueritatem, piis, religiosi, & zelo pio affectis. Hoc est spiritus donat uobis, ut hæc non solum audiatis & uideatis, sed & animo iam sentiatis, & iam pernoscat & credatis: cõque iam non est uobis mysterium, hoc est, res occulta, sed reuelata salus & ueritas. Illis autem, seu, ut Marcus scribit, illis autem, qui foris stant, non est datum: id est, aliis qui æquè ac uos iuxta aurem externam audiunt, uacant autem fide, parum curantes ueritatem, suam potius, quam Dei gloriam, sua magis compendia terrestria, quam animæ cœlestes thesauros, sitientes. Siquidem irreligiosi, impij, torpentes, & frigide mysteria regni Dei inquirentes, ea non possunt perui-

Non nisi per spiritum Dei uerba dei intelliguntur.

Mysterium.

Mysteria dei

mysteria dei, carni ignota.

Differentia auditorum uerbi Dei.

Pauci, germanè Christiani.

Aures audiendi.



Tales sermo-  
nes Christi,  
quales animi  
auditorum.

dere & intelligere: eoque sunt & manent ipsis hæc mysteria res testæ & occultæ, quas cum audiunt, tam ignorant, ac si ænigma aliquod, & inexplicabilem parabolam audirent. Collige ex superioribus, quod quales Christo adferunt animos auditores ad audiendum, tales illis proponit sermones. Et propterea quum, quæ manifestissima sunt, nolunt intelligere: ideo Christus tenebris inuoluit sermones, ut uel sic prouocet eos ad discendi uestigadique studium. Quia uerò discipuli, quod datur, simpliciter auideque accipiunt, digni sunt, quibus secretiora quædam Euangelicæ philosophiæ communicentur. Obserua: sicut misericordia & donum Dei est, aliquos audire & intelligere quod audiunt. Ita iudicium est Dei, quod aliqui non audiant, quæ audiunt, &c. Si quidem habent dabitur, &c.

**Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.**

Ex prouerbio vulgari & usu humano ætiologiam adducit, cur discipuli credant & intelligant: alij uerò uerbū non intelligant, habentes in cordibus suis uelamen. Quasi dicat: uidetis quid pro more suo mundus facit: diuitibus libenter dat, pauperibus nō ita. Et, Quilibet æquoreas semper fuit amnis in undas, Pauperiora cullex testæ rotundus adit. Imò à pauperibus tolluntur, quæ habent, ut planè sint egentes. Quàm igitur mundus malè facit! Sic cum pauper in hoc regno Dei modicam habet gratiam, & hanc negligenter exercet, imò oblatam repudiat, iure fit, ut quod habet, auferatur ab eo, tanquam talenti abscondere, & agriculturam aut spiritalem fenerationem negligenti & contemnti: detur autem diuitibus, qui cupidi sunt cœlestis gratiæ, ut abundant magis. Hoc loco habere dicitur, qui recta exercitatione utitur rebus habitis, ingenio, appetitu, fide, ac reliquis bonis, siue naturalibus siue gratuitis. Opposito modo definitur is, qui non habet. Hæc autem ostendunt, uitium obscuritatis & ignorantia non in ipsum Dei uerbum esse regendum referendumue, sed in humani ingenij ignauiam malitiãque, quod ideo non intelligit, quia uires suas non exerit. Responsio: Quis fieri potest, ut homo uires suas exerat ad fructum & profectū bonum, cum nascatur filius iræ (eramur enim, ait Paulus, Ephes. 2. natura filij iræ, sicut & ceteri) corruptus planè & cæcus, ipsaque Dei & rerum diuinarum ignorantia percussus, ut scriptura ait, ab utero matris? qui cum in honore esset, non intellexit, cōparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Respondeo. Nihil est certius: nascimur omnes filij iræ. At tam bonus & philanthropus est Dominus, ut unicuique nostrum ex gratia & propensa in nos uolūtate pater propter filium Iesum Christum Dominum nostrum impartitus sit donum suum, ne inanes & uacui simus cœlestis luminis: hoc est, Dedit nobis potestatem filios Dei fieri, hoc est, dedit nobis, ut liceret filios Dei fieri. Præter illud lumen naturale (quo cum nascuntur omnes, & cuius unius adiutorio non possemus respiscere) dedit nobis scintillam luminis cœlestis, qua potentes sumus, ut bene uelimus & operemur, non quod illa scintilla necessariò nos impellat ad bene operandum, sed quod sumus idonei ad bene operandū per illam gratiam. Iam Dominus non uult ut ociosi uiuamus, sed iubet, ut hanc scintillam cœlestis luminis, seu semen diuinum, nostris iniectum pectoribus, excitemus & colamus exercitiis piis quibus promoueamus in donis spiritualibus, & in ipsis augmentum faciamus, ne oscitantes, & scintillam illam non excitantes meditationibus & exercitationibus spiritualibus, torpescamus: & desideria facti, quod cœlitus recepimus, amittamus. Hoc ipsum nobis abundè significauit Dominus infra. 5. parabolam afferens de talentis distributis. Similiter & hoc iam proponit & explicat sententia ænigmate inuoluta. Qui enim habet, dabitur ei, &c. Perinde ac si dicitur, Ideo uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, quia scintillam illam cœlestem, siue lumen illud, uobis inditum cœlitus, non extinguitis: quia pio ac bo-

Habent dabitur, quid.

Obscuritas, non uerbo, sed ignauia malitiãque nostrę tribus da.

Ex uas iræ quomodo faciat Deus uasa misericordia.

Apostolis quare datū, nosse mysteria regni dei

no animo & uestri abiectioe ipsum fouetis, dum ex uobis tanquã ex uobis nihil putatis uos posse, ueritate indagatis, quæ uobis grata uidentur, & quam in uobis augeri quotidie desideratis. Datur uobis nosse, ut ueritas in uobis, iam scintillam illam cœlestem habentibus, accessione multam faciat & ditiores efficiamini. Alij uerò, quia donum, sibi cœlitus concessum, parui faciunt, oscitater & otiosè uiuentes, nihil de ueritate interrogantes, & minus de ea solliciti: nec scintillam illam luminis, à Domino concessam, fouere satagunt, nec donum illud cœleste, sibi à Deo concessum, curant, aut locupletant, imò egrè illud, quod ante pedes iacet, subleuant. Ideo aufertur ab eis, aufertur hoc modicum donum: id est, Dominus subtrahit illis suam fauorem & suam gratiam, tanquam indignis tanto beneficio. Ideò sua culpa, & inertia, ea, quæ alioqui satis intelligibilia sunt, non intelligunt. Tandem & omni amissa gratia occæcantur, & indurantur. Nam qui hoc exili dono, seu modica hac scintilla donatus est, habet unde illi crescat & inflammetur animus bonus, nimirum hoc talento sibi credito, quo locupletior & ditior reddatur, si fideliter negotiatus fuerit. Huic sanè feneratori & fideliter negotianti, & habenti, dabitur abundantius & locupletius. Solet enim Dominus uiris piis, ac rerum spiritualium studiosis, augere dona sua, idque gratis. Rursus qui non habet, qui, quia exile donum à Deo habere se putat, ideo aut contemnit, aut non arbitratur se quicquam diuinitus habere, quia modicum illi & exile est, quod habet, & propter doni tenuitatem putat se nihil habere, licet reuera grande donum habeat, tūc hoc, quod habet, tolletur ab eo. Rogabis: quo modo, qui nihil habet, auferetur ab eo quicquam? Respondeo: ingratus nihil habere dicitur quia, quod habet, nihili, aut quasi profus nihil habeat, iniquissimè æstimat. Vitio ergo suo & optimo iure, nulla autem Dei morositate, difficultate aut tyrannide, huiusmodi homines suis relinquuntur erroribus & ignorantia crassa, recedente ab ipsis Dei spiritu, quem negligunt atque contemunt. Placet his subiungere Chrysoptomi interpretationē, sic scribentis: Hic locus non parua caligine obductus est, & ineffabilem diuinę maiestatis iustitiam aperit. Huiusmodi enim est, quod dicitur. Cum enim quispiam desiderat (ait) & magno studio atque cura inquirat uirtutem, tunc ei ex Deo cuncta præstabitur. Cum autem nullo studio nullaque uoluntate ad rectè faciendum pronus est, tunc ei diuinum auxilium non conceditur, quin & quod habet, etiam auferetur ab ipso. Non aufert certè Deus, sed non prabet indignis fauorem & patrocinium suum. Hoc ipsi quoque nos factitamus. Cum enim negligentem aliquem ad audiendum perspeximus, adhortamur & admonemus, ut diligentius attendat: quod si crebrò id facientes, non persuaserimus, silentio utimur, præsertim cum uideamus ex maiore cura in maiorem illum deuolui desideria: attentiores autem discendi cupidos attrahimus libenter, & complura docemus. Hactenus Chrysoptomus. Porro Dominus hac sententia uidetur ad res & negotia hominum alluisse. Nam uidemus industrios & laboris patientissimos agricolas aliquando ex modico & petricoso aruo, fideliter culto, uberrimum percipere fructum. Rursus otiosos & segnes ex simili profus agro, ne pugillum quidem demetere, quod agrum ipsum sterilem esse putant, atque ideo labore improbo & cultura diligenti fertilem illum reddere nolunt. Videas & alium, qui modicam quidem sortem accipit, sed ea negotiatur gnauiter, unde breui ultra illam sortem exilem, lucrum facit ingens. Alius uerò, quia modica illi fors obtigit, nullam instituit negotiationem, ut quam sibi nihil putat futuram, è tam modicis scilicet prodeuntem initiis: itaque breui sic dilabuntur illius ignaui hominis res, ut neque sortem amplius uellam, neque lucrum ullum habeat, uerum ad extremam redactus inopiã, intereat. In aliis facultatibus, tyrannicum quidem & crudele est spoliare egentē: at in hoc Euangelij negotio, quoniam inopia nascitur ex uitio egeni: iure aufertur, quod habet ingratus. Iam Christus gratis offert aliqua cœlestis philosophiæ rudimenta,

Scintilla luminis diuini unicuique fouenda.

Igniculus gratiæ, nobis à Domino inuito præstite, quam iuuat.

Ei, qui nihil habet, quid auferas?

Torpidis & ingratis perit etiã quod acceperant.

Deus, quum nō iuuat, plectere dicitur.

Similibus parbar desideris iure optimo bonis omnibus exui.



ueluti semina iaciens, pro capacitate simplicitateque animorum. Quæ si quis audis animis imbiberit, prouocat Christum, ut plura illi credat. Cõtrà, si, quod gratis datum est, reiecerit, sibi que uerterit in occasionem maioris malitiæ, nõne dignus est, ut eo spoliatur, quod indignus habebat? Propter hanc autẽ causam Christus ita loquitur illis, quod ueritatem apertam aut nullo fructu, aut suo malo audierent. Laborandum igitur est in negotiatione talenti, nobis à Domino crediti: & excitanda est scintilla spiritus, ut in nobis ardeat, & omnis carnis putorem extrudat, & prorsus adurat: ut toti spiritu uiuamus, donec ueniamus in unitatem fidei, uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4.

**Ideo in parabolis loquor eis: quia uidentes, non uident: & audientes, non audiunt, neque intelligunt.**

Alia adducitur causa, cur Christus parabolis utatur, & inertibus mysteria regni Dei semper uideantur obscura. Iusto siquidem Dei iudicio fit, ut magis excæcentur, quod oblatam gratis lucem recusent. Audiunt enim uerbum, & tamen neque intelligunt, neque intelligere uolunt. Loquor illis in parabolis, quia si nuda & aperta illis proponeretur ueritatem, aut nullo fructu, aut suo damno audierunt. Quod si rogaueris, unde id accidat, profectò fit, illorum peruersitate & propria malitia. Habent certè oculos, & manifesta signa cernunt, sed luore & inuidia excæcati, quod cernunt, non uident. Non enim diuinam uident uirtutem in operante miracula: habent item aures, & audiunt ueritatem irrefutabilem: sed audientes non audiunt corde, neque intelligunt: id est, neque ex operibus meis uisis, neque ex doctrina mea audita, neque ex testimonio Ioãnis uolunt intelligere, regem cœlorum me, in me, & per me adesse. Audita enim non expendunt, neque ea, quæ audierunt, reponunt in animos: adeoque sua malitia intelligere nolunt, quod reuera intelligunt, & rectius subinde intelligerent, si modò rectè intelligere cuperent. Hoc modo uerbum, intelligunt, exponet mox Dominus in explicacione parabolæ.

**Vt adimpleatur in eis prophetia Isaia, dicentis: Auditus audietis, & non intelligetis: & uidentes, uidebitis, & non uidebitis.**

Autoritate Prophetiæ Isaia. 6. cap. confirmat, hypocritas & obstinatos magis excæcari aperta uerbi prædicatione. Simul & notat nescio quos sciolos & sanctulos, qui se uidere & audire putant omnia. Hæc uerba Isaia tantæ autoritatis sunt, ut in scriptura noui testamenti frequentissimè inculcentur. Allegat enim ea Mattheus hoc loco, Marc. 4. Luc. 8. Ioan. 12. & Paulus in Act. 28. Non paruum sanè est offendiculum, quod maior & præcipua pars populi, nec requirat Euangelium, nec intelligat, nec ex prædicato Euangelio respiciat. Hoc profectò signum est, quod isti indicant Euangelium, non esse uerbum Dei, sed figmentum hominis & nugas uanissimas. Ad medendum igitur huic offendiculo, citatur locus Isaia de excæcatione Iudæorum, in quo Dominus perspicuè docet, non prædicationẽ Euangelij, sed impietatem hominum in causa esse, quod tam pauci Euangelium intelligant, & ex Euangelio respiciant. Cùm enim homines suapte impietate Euangelion fastidiant & contemnant, iusto Dei iudicio fit, ut in tantum stuporem & obdurationem labi sinantur, ut nec intelligant magnitudinem maiestatis Euangelij, nec respiciant per Euangelium. Iusto igitur iudicio completur in ipsis prophetia Isaia de excæcatione Iudæorum, qui tempore prophetarum excæcati & obstinati, nec prophetis minis, nec plagis Domini euidentibus permouebantur, ut ab Idolis suis, & nimia illa malitia respicerent. Porro quemadmodum tam præfractus erat populus Iudaicus tempore prophetarum, ut neque persequutionibus, neque sanctis prophetarum admonitionibus respiceret, etiam post cæsa ex Iuda centum uiginti milia hominum, & ducenta millia mulierum & puerorum captiua abducta, 4. Reg. 15. & 2. Paral. 28. sed in obstinatione persisteret. Ita cùm Dominus per

Parabolis tum loc<sup>o</sup> est, ubi nuda & simplici ueritate oclusæ sunt aures.

Prophetia Isaia in obduratos, & ingratos, frequenter in nouo testamento citata.

Quid, quod tam pauci, auditio respiciunt

Iudæorum præfracta malitia tempore prophetarum.

signa euidentia & sermones efficaces, mysterium regni Dei Iudæis proposuisset, in hunc certè finem, ut ipsi audirent, intelligerent, crederent, & saluarentur: tamen maluerunt ueritatẽ agnitam impugnare, quàm amare & suscipere. Propterea accommodans hanc prophetiã Christus, inquit, Auribus audietis: id est, prædicabitur uobis quidem uerbum Dei: & uidentes uidebitis, id est, uobis etiam certentibus edentur signa spectabilia: sed neque intelligetis, neque uidebitis, id est, neque credetis, neque recipietis ea, quæ uobis uerbo & signis proponentur.

**Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauius audierunt: & oculos suos clausurunt.**

Ætiologia est sublatis intellectus & ademptæ cognitionis, continens translationem culpæ à Deo in hypocriticum populum Iudaicum, durum & blasphematẽ sincerum uerbum, quo explicatur uera iustitia. Quæ in re obseruabis nostram duritiem in causa esse, non Deum, quod non intelligamus ueritatem. Deserimus Deum, priusquam ille nos deserat. Ideo permittit nos incrassari, id est, obtenebrari, hoc est, fauorem & lucem subtrahit iis, quos prauideret futuros blasphematores uerbi. Cor dicit, sine quo auribus auditum uerbum non intelligitur. Qui cupit saluus esse, in primis aperiendum est illi cor, & permouendum ad auditum uerbi Dei. Quod si fuerit incrassatum, non potest fieri, ut aures audiant. Cor & uoluntatem & intellectum cõprehendit: & utrũque ipsis Dominus aperit. Quod tamen ipsi sua malitia uitiant & corrumpunt. Nam affectus prauis, in hominibus delitescens, illud lumen Dei, quod illucescit ipsis, obtenebrat: & nisi fide uiua & pia uigilia compescantur, non sinunt quemquam sincere iudicare de mysteriis regni Dei. Cor populi huius, id est, Pharisæi & hypocritici, qui uult populus Dei esse, & non facit uoluntatem Dei, sed affectibus suis prauis habenas laxat. Vnde auribus grauius audierunt, & oculos suos clausurunt, id est, ex incrassato illo corde duo sequuti sunt in ipsis effectus: nempe grauedo aurium, & cæcitas oculorum. Grauedo quidem, quæ aperte à Domino proposita mysteria Dei habebant ingrata: ideo sese difficiles præbuerunt erga uerbi Dei prædicationem, ac ira ipsi sua culpa corda sua incrassarunt. Clauso enim auditu, & corde incrassato, non potest fieri, ut aures audiant, & cor ipsum intelligat, & fiat ad salutem conuersio: hinc Act. 16. de Lydia purpuraria legimus, Et aperuit illi Dominus cor, ut attenderet uerbis Pauli. Nec solum isti grauius audierunt, sed etiam oculos suos clausurunt suo uitio & malitia. Quandoquidem oculos habuerunt per Domini gratiã, sed propria malitia uicti, his uti noluerunt, quin etiam eos, ne uiderent, occluserunt. Ideo Dominus apud Ioan. 3. cap. Et hoc est iudicium: quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.

**Nequando oculis uideant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.**

Ecce impietatis pœnas, & finales effectus incrassati cordis, grauedinis aurium, & cæcitas oculorum in Iudæis, & ipsorum similibus. Estque hic locus, occupatio, ne credas populum Israëliticum non uidisse aut non audisse uerbum. Audierunt quidẽ, & uiderunt etiam nolentes, sed non in hoc audierunt & uiderunt, ut uiderent & audirent: & ut intelligerent corde, & conuerterentur. Haud dubiè ad remissionem peccatorum necessaria est cõuersio & pœnitentia: ad quam prædicandam Christus Apostolos misit: Imò à patre ipse missus, eò uenit, ut prius prædicaret remissionem peccatorum, deinde faceret. Cùm ergo fides ex auditu sit, & charitas, cordis sit ornamentum: neque occludendæ sunt aures, neque grauandi sunt oculi, neque incrassandum est cor. Nam conuersio & pœnitentia haberi non potest, nisi illuminetur & aperiatur cor, & intelligens reddatur. Intellectus autem cordis, qui est reuelatio ueritatis, non est nisi per auditum uerbi: Propterea exiguntur

Mm

Desertus de nos, nostra culpa, deserit, & in tenebris finit esse

Cor primùm excitetur ad audiendum uerbum.

Iudæi, auribus decurati, & oculis orbati



Iudæi suapte  
culpa percipi,  
imò accersit  
sibi pedib' &  
manibus exi-  
tium.

Cor Iudæis  
etiam nū ue-  
larū, & Mo-  
ses obscurus.

Cæcitas in lu-  
mine uerbi,  
instatis per-  
nitenti præfa-  
gium.

Beatitudo p  
agnitione ce-  
rum cele-  
stium.

Oculi Apo-  
stolorū bea-  
ti.

aures audiendi cupidæ, & oculi ad uidentium audi, nempe qui uelint uidere & intelligere, quæ ad salutem faciunt. At enim cum oculis uidere & audire auribus recusant, atque intelligere corde nolunt, minimè conuertuntur ad Deū, animarum medicū, ut sanentur. Pereunt ergo in peccatis suis, ac merito suo maximo reiciuntur à iustissimo Deo, subtrahente gratiam & fauorē, quo illos donauerat. Quia ergo tam præfractus est hic & tā incrassatus populus, ut nō solūm nō recipiat, sed & cōdemnet Euangeliū, traditur tātæ excæcationi, ut neq; intelligat quæ se putat intelligere, neque uideat, neque respiciat. Nolunt benedictionem: elongatur igitur ab ipsis benedictio. Reiciunt lumen: fiunt igitur cæci. fastidiunt iustitiam: uiuunt ergo in iniustitia. abominantur uitam: pereunt igitur in morte. Non habent, quod conquerantur: quod uolunt, quod cupiunt, hoc accidit eis: iustissimum igitur est, ut nec Euangelium intelligant, nec ex Euangelio sanentur, sed in reprobam mentem tradantur, & suo malo pereant. Hæc prædixit de Iudæis Isaias. 6. ca. quæ tempore Christi completa sunt in Iudæis, & adhuc complentur cum in Iudæis, tum in plerisque aliis, qui ob id traduntur in reprobam sensum, ut faciant, quæ non cōueniunt, meritō habentes uelamen super oculos suos, ut non uideant. Huc pertinet quod scribitur. 2. Corinth. 3. usque in hodiernum diem id ipsum uelamen in lectione ueris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur: sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad Deum, auferetur uelamen. De piis autem sic subiungit Paulus, Nos uerō omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Obserua: nequando, &c. quo sermone significatur omnium præmissorum pertinacia. Significatur enim: quod clausurunt oculos, non ad horam, nō ad mensam aut animum, sed ne aliquando uideant, audiant, & corde intelligant, & conuertantur ad ueritatem: adeo enim perniciosa pertinacia occalluerunt illis corda, ut tanta duritia oppressi, non respiciant. Obserua. hæc excæcatio reprobōrum, occasione uerbi facta, signum est perditionem adesse pro foribus. Ad hūc modum duo filij Heli. 1. Reg. 2. non audiebant uocem admonentis, quia uolebat illos occidere Dominus. Similiter excæcati & indurati Israhælitæ ducti sunt in Assyriam: Iuda & Beniamin in Babylonem. Sic post ascensum Christi ad patrē, prædicatione Christi & Apostolorum excæcati Iudæi sua malitia, uastati sunt per Romanos. Ioannes Baptista huius excidij illos præmonerat, dicens: Iam securis ad radicem posita est. Ergo & hodie iis, qui ad prædicationem Euangelij obstinati & duriores facti sunt, nihil aliud expectandum est, quàm perpetuum excidium, & horribilis interitus.

Vestri autem beati oculi, quia uident: & aures uestræ, quia audiunt.

Totus hic locus, collatio est eorum, qui audiunt uerbum & intelligunt, & illorum, qui audiunt, & non intelligunt. Post enarratam infelicitatem, & pronūctiam excidium rebellium & inobedientium Euangelio, felicitatem explicat eorum, qui audito uerbo credunt, & audire Euangelium excipiunt, appellans nunc beatitudinem, quod prius nuncupauit donum cognoscendi mysteria cœlestia, ut intelligamus beatitudinem præsentis uitæ consistere in assequitione mysteriorum cœlestium. Vnde hæc periphrasis, Vestri autem beati, &c. tantumdem pollet, ac si quis dicat, Vos beati estis & felices, quia gratiam Dei non aspernamini, sed donū eius exercetis, & oculis mentis, hoc est, spiritalibus, utimini & uidetis, & auribus spiritalibus auditis, mysteria regni Dei: & beati sunt oculi uestri, quia non sunt excæcati, & beatæ aures, quia non obscuruerunt, sed cupidæ fuerunt audire mysteria regni: & externo internōq; oculo uidetis, externa & interna aure, auditis Messiam, cui creditis, & uos totos consecratis. Christus his uerbis nō beatificat ipsam

per se externam oculorum uisionem. Multi enim impij homines, ut Caiphas, Pilatus & Herodes, imò & bestia uiderunt Christum in carne, nihilo tamen feliciores fuerunt. Sed Christus explicat his uerbis, cum sequente sententia collatis, felicitatem eius temporis, quo ipse in carne reuelatus est, de quo tam præclara & magnifica uaticinati sunt sancti prophetae Dei. In primis enim promissum fuit semen mulieris, quod contritum esset caput serpentis. Postea promissum fuit semen Abraham, in quo omnes gentes benedicendæ, essent. Deinde promissus est Dauidi Messias, qui in æternum regnaturus esset, & ad dexteram Dei patris sui sederet. Postremo uaticinatus est Isaias & alij prophetae, quod Messias esset nasciturus de uirgine, & imperium eius multiplicandum, ac per totum orbem terrarum dilatandum. Quis talem ac tantum prophetam, Messiam, Deum, non desideraret oculis suis coram cernere? De felicitate huius temporis loquitur hic Christus. Vnde subiungitur:

Amen quippe dico uobis, quia multi prophetae & iusti cupierunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.

Uiderunt quidem fide hoc tempus Abraham, Dauid Rex, & prophetae, & gauisi sunt. Sed longè maiore gaudio exultassent, si præsentem in carne uidissent Messiam. Quare hoc loco Christus discipulis suis commendat tempus illud, quo in carne reuelatus est is, in quæ tota lex & prophetæ respexerunt. Vnde Paulus, Rom. 13. Nūc enim (inquit) propior est nostra salus, q̄ cum credidimus. Nox præcessit, dies autē appropinquauit. Et, 2. Cor. 6. Ecce nunc tēpus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Christus antea oculis mundi absconditus, nunc mundo ita reuelatus est, ut etiam potuerit corporalibus oculis uideri. Certè Simeon iustus hoc nomine sibi uehementer gratulatur: quod ipsi daretur cernere & uisus complecti Dominum. Responsabit quispiam. Fuerunt igitur infelices patriarchæ, prophetae, iusti & pij reges, qui fuerunt ante Christum, quod non uiderunt Christum, in carne reuelatum? Respondeo: Minimè omnium. Nam quantum ad reuelationem Messiae attinet, aliud quidem tempus alio felicius dicitur, quod Christus hoc aut illo tempore manifestius annuntiatur & reuelatur, quàm alio tempore. Sanè huius felicitate temporis, quo in carne uidetur Christus, Patris opera faciens, & legationem suam exercēs, & huic creditur, non fuerunt donati prophetae & reges, qui aduentum Christi præcesserunt. Sed quod ad felicitatē pertinet, quæ fide uiua in Christum habetur, nullis fuerunt illi inferiores. Iesus enim Christus heri, & hodie, & in secula. Et qui ex promissione, ad Adam aut Abraham aut Dauidem de Christo dicta, in Christum uenturū credidit, non minus felicitatis in Christo consequutus est, quàm ille qui credidit in Christum iam præsentem in carne, aut qui nunc credit in Christum, iam in cælo sedentem ad dexteram patris. Audiamus Christum Phariseis dicentem: Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. Et ad Thomam: Quia uidisti me Thoma, credidisti: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Sensus igitur uerborum Christi est, Quàm putatis beatos & felices se aestimassent prophetae & reges, Abraham, Isaac & Iacob, & similes, qui cupierunt uidere, id est, serio optarunt. Specta studium patrum ueteris testamenti erga Christum Messiam, & regni illius manifestationem, scilicet, ut uiderent & cernerent præsentem in carne Messiam, apertam item regni Christi prædicationē, & similia, quæ uos humiles Deo obedientes, uidetis, supple, ex singulari gratia Dei: & tamen nō uiderunt, intercepti atque impediti morte. Obserua. Oculus intellectus, est, quem scriptura appellatione luminis multoties proponit. Viso autem illa, qua fideles Christum & eius eloquia norunt, non ab eo naturali lumine, sed à sancti spiritus illustratione proficiscitur. Lumen quippe no-

Felicitas tem-  
poris Christi

Prophetae &  
iusti, qui præ-  
cesserunt Chri-  
stum, etiam  
beati.

Beati, nō qui  
uiderunt, sed  
qui credide-  
runt.

Ioan. 8.  
Ioan. 22.

Non lumine  
naturali, sed  
spiritus Dei  
uidetur Chri-  
stus.



strum à Dei lumine perficitur, sine quo est admodum fuscum & tenebrosum. Ergo cognitio, quam ipse spiritus credentibus suggerit, est ista uisio seu inspectio, qua mysteria Dei agnoscuntur, & credita intelliguntur. Non desunt, qui interpretantur Dominum per prophetas non intelligere sanctos suos prophetas, sed sapientes philosophos, quos scriptura aliquando uocat prophetas. Per iustos autem intelligere illos, qui mundo uidentur esse iusti & boni, cuiusmodi fuisse dicuntur Socrates, Xenocrates, Aristides, ac reliqui multi, qui cupierunt intelligere, quodnam sit summum bonum, qua uia catur ad uitam & felicitatem, sed non potuerunt, eò quòd non eo in loco, & ea ratione bonum ac felicitatem inquirebant, ubi erat, & unde poterat hauriri. Humanæ enim innitentes sapientiæ, dorsum uerterunt Deo. Plato item, Apollonius Thyaneus, & multi alij, periculosas, remotas, necnon & sumptuosas susceperunt peregrinationes, pro assequenda uera sapientia, quam tamen non sunt assequuti. Hos igitur, & solos, meritò beatos dixeris, qui in unico Dei filio omnem sapientiam ueram, supremum bonum, & ueram felicitatem habent. Plus mihi arridet prior interpretatio, quæ est ex diui Hilarij sententia.

Vos ergo audite parabolam seminantis.

Hæc sententia non sine emphasi est: ut sit sensus, Vos ergo, supple, qui habetis, id est, talentum uobis creditum non absconditis, sed exercetis, dum cupidi estis audire & intelligere mysteria regni Dei, audite parabolam seminantis. Ac si diceret: Ideo uobis habentibus dabitur apertior & ditior parabolæ intelligentia. Quod Dominum uidemus facere discipulis, idem quoque expectemus, quotquot ex animo sincero Dominum querimus. Docemur præterea non modò uerbum Domini, sed uerbi quoque Domini sensum & intellectum ex Dei gratia profluere. Ad parabolæ expositionem in primis obseruandum est, quòd hic nulla fiat mentio eorù, qui contemnunt aut persequuntur Euangelium, sed tantum sermo sit de auditoribus Euangelij. **Seminator** Christus est, qui ab æterno à patre exiit, hoc est genitus est, Deus de Deo: & exiit ad nos, homo factus, & à patre missus, ut qui in sinu patris est, nobis reuelaret uoluntatem patris. Huius conductitij seminatores, sunt prædicatores, qui feminare quidem possunt, sed semen uiuificare non possunt, doctore Paulo. i. Corinth. 3. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. **Viuificant tamen & miracula faciunt uerbo uiuifico, & summi seminatores** autoritate. **Semen** (inquit Lucas. 8. cap.) est uerbum Dei. Id est, semine adumbratur nobis uerbum Dei, & natura eius: quòd sensim ac paulatim excrescit, & augetur in auditorum animis. **Agri**, sunt auditores uerbi, qui prout sunt culti, ita ferunt fruges. **Aratrum**, quo paratur ager, est ipsa penitentia, per quam coluntur agri, auditores uerbi. **Satio prædicationem uerbi adumbrat**: propterea quòd idem illi accidat dum prædicatur, quòd semini dum feritur. **Quemadmodum enim ex uerbo Dei, Genesis. i. cap. Germinauit terra herbam uirentem, & facientem semen, &c. Semen autem habet uim uegetatiuam, ex qua oritur motus, cupiens sui simile progignere, & eo sine feritur, ut sui generis fructum proferat.** Ita & uerbum seu Euangelium Dei, habet in se uirtutem uegetatiuam spiritualem. Ipsum enim, dum prædicatur operante sancto spiritu, uirtutem & agitationem habet perpetuam ad edendum fructum suæ naturæ, & sui ingenij: & hoc, in agro, id est, in homine, in quo seminatur. Eòque sine prædicatur, ut suæ speciei natureque fructum in homine proferat. Est autem natura uerbi Dei, simplex, pura, pacifica, sancta, diuina, uerax, & optima in omnibus & per omnia. **Seminatum igitur in homine, parturiet & enitetur** modestiam, simplicitatem, ueritatem, & sanctimoniam omnem. **Huic tamen accidit dum prædicatur, quòd semini dum feritur.** Nam quantuis in se bonum sit semen & ad bonam frugem aptum, multum tamen refert, in quam tellurem iaciatur. **Ad eum modum & uerbum Dei, licet bonum sit, & ad**

Etiam prophetas & iustos suos habuit ethnicifimus.

Philosophi prisci iustitiam, sapientiam & felicitatem frustra quaesierunt.

Christus, seminator, & gressus.

Verbum dei, semen.

Seminis spiritualis cum externo comparatio.

Verbi Dei natura.

pietatem promouendam accommodum, plurimum tamen refert, quem auditorum fortiaur. Quoquòd proiciatur uerbum Dei, semper uerax est, & efficax, & simile apud omnes & in omnibus. Sed quòd fructum non profert in omnium peccatoribus, id non uerbi uitio fit, sed terræ, id est, hominis, cui iniicitur & prædicatur. Nam quemadmodum in re rustica reperiuntur arua diuersi generis, quæ pro ingenio suo semen sibi concreditum uel fertile uel sterile reddunt: ita uaria sunt auditorum genera, qui pro suo quisque ingenio, uel bono uel prauo, semine uerbi Dei ac uirtutem eius, uel ad fructificandum proliciunt, uel corrumpunt. Nò quòd uerbum Dei putrescat & corrumpatur: sed quòd nostri respectu, id nobis corrumpi dicitur, quòd nostra culpa & nostro uitio suam uim non exerit, neque fructum suum profert. Itaque Dominus in explicatione parabolæ facit quatuor genera auditorum Euangelij.

Omnis, qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus, & rapit quòd seminatum est in corde eius: Hic est, qui secus uiam seminatus est.

Accommodatio parabolæ est, in qua dictum est, & dum seminat, quædam cæderunt secus uiam, & uenerunt uolucres cæli, & comederunt ea. Explicantur primi ordinis auditores Euangelij, qui audiunt quidem, sed nulla mente, nulla animaduersione, sed aliò per Satanam detorto ipsorum animo: quo fit ut nulla omnino auditi uerbi adhæreat illis cogitatio, ad sua ilico studia raptis & relapsis. **Omnis, qui audit uerbum regni, id est, uerbum, quòd regnare facit, sic dictum ab effectu.** Et nò intelligit, id est, corde non recipit ut saluificum, ut per illud uiuat & saluetur. **Venit malus, id est, diabolus, sic dictus, quòd malus sit, & faciat alios malos, inclinè que ad omnia mala.** Et rapit, quòd seminatum est. Hinc discite, quàm difficile sit, auditores uerbi coram Satana subsistere. Nimirum bona pars eorum, qui sedent in concionibus, audiunt, quæ dicuntur, sed nullo affectu tanguntur eorum, quæ audiunt, ideòque neque intelligunt. Mox à concionibus in uias suas abhæreat. **Ambulant iuxta ueteres iniquitatis suæ mores, & sequuntur tritam peccatorum uiam.** Dederant paulò ante operam ebrietati, sed adhuc eam, & si Euangelium audiunt, sectantur: scortati sunt, & adhuc scortantur: nomine Dei ad maledicta & execrationes fuerunt abusi, & adhuc abutuntur. Breuiter ueteres impietatis mores, ut antea, ita nunc quoque sequuntur. His etiam si sanctissima prædicentur, tamen quia accommodant uerbo Dei aures tantum, & corde aliò peregrinantur, uenit Satan, & uiolentiã facit uerbo: (Rapere enim, uox est uiolentiæ) id est, Satan aufert uerbum Dei, ut neque credant, neque fructum afferant. Nã hæc uis diaboli non solum efficit, ut corda, sensu & uita prophana indurata, uerbum nò admittant, & quòd audiunt, nò intelligant, neque uerbum Dei agnoscat: sed simul in locum eius immittit doctrinas falsas, quibus & corda comprimuntur, ne uerbum Dei recipiant: & ipsum quoque uerbum Dei concalcatur & cõteritur summo contempu. Sunt enim proculcata mente, corrupti affectibus, leues & prophani, protriti in scelerum assuetudine, qui quibusuis malis ineptissimæ impurissimæque carnis cogitationibus, suggestionibus Satanæ, & lasciuissimorum corruptissimorumque hominum corruptissimis sermonibus, contra uerbum Dei, & omnem honestatem institutis, oculos, nares, cor, sensus, aures & seiplos totos pandunt: nihilque firmitatis habentes, quibusuis Satanicis impulsibus cedunt. **Causa huius corruptionis est, quòd non intelligant uerbum.** Non quòd nihil intelligant eorum quæ proponuntur ipsis per uerbum. Intelligunt enim: alioqui quomodo raperet malus, quòd in corde eorum seminatum est? Ergo in intellectu peruenit, quòd seminatum est. Cor certè, affectuum, uoluntatis, & intellectus est sedes. Sed non intelligunt, id est, corde non retinent firmiter, neque

Verbum Dei semper efficax, quocumque perueniat.

Verbum dei, uerbum regni.

Malus, diabolus.

Satanas quid operetur in supinis auditoribus uerbi Dei.

Desides auditores intelligunt & non intelligunt uerbum.



Volucres, stulti  
dia hominum  
inania.

Infelicitas  
neglectum ac  
cipientium  
uerbū Dei.

Accessuri ad  
concionem sa-  
cras, quid a-  
gant.

Angelis Do-  
mini in pri-  
mis placent  
& curae sunt  
seduli audito-  
res Euange-  
lij.  
Miserandum  
caelibus spe-  
ctaculum ex-  
hibent, qui  
negligunt  
uerbum.

gnauiter excolunt, quod Dei bonitate reuelationeque acceperunt. Nam Satanae suggestionibus non obstiterunt, & ideo suapte culpa & inertia depositum Dei perdidit, thesaurumque caelestem diabolo & prauis hominibus diripiendum obtulerunt. Proinde per uolucres significantur curae uolaticae, homines leues, adeoque ipsi Daemones, qui uerbum tollunt, & uorant. Id quod faciunt, cum audientium corda auertunt & excacant, ut neque percipiant rectè illud, neque expendat. Auertunt enim, ut Paulus ait, 2. ad Timoth. 4. cap. auditum à ueritate, ad fabulas autem conuertuntur. Per conculcationem autem hominum, intelliguntur doctrinae falsae & uanae, quae pro uerbo Dei, in cordibus primas tenent. Id & Math. 5. significatum est, cum Christus testatur insipidum sal proici foras, & ab hominibus conculcari. Iure enim fit, ut mendaciis credant, ut Paulus ait, 2. Thess. 2. qui ueritati noluerunt obedire. His adnumerantur omnes haeretici, factiosi, & turbatores spiritus: qui Euangelium accipiunt carnaliter, & pro suo sensu torquent atque inuertunt. Hi omnes Euangelium quidem audiunt, sed tantum abest, ut fructum ullum ferant, ut durius inde à diabolo uincti teneantur. Horribile & terrore plenum est, quod hic dicitur à Christo, diabolum rapere uerbum ex cordibus ipsorum, quo utique significauit, diabolum cordibus ipsorum potenter dominari, tamen Christiani dicantur & uerbum audiant. Nec minus miserum est, quod dicit, conculcari eos ab hominibus, hoc est, subiici & uinciri perniciosis ipsorum doctrinis, quae cum titulum & speciem Euangelij praeseferant, sub eis, non inuaduerentibus miseris, diabolum uerbum Dei surripit, ut id nunquam intelligat, neque salui fiant, sed in aeternum pereant. Quid ergo his faciendum, ne pereant? Primum accedentes ad concionem, inuocent nomen Domini, ut detur illis uerbum purum, & illud recipiant & seruent, uerboque aperiant auidè animū & cor. Deinde qui ad concionem accedit, ante omnia cogitet sibi infestum fore diabolum, uelut furem ac latronem, qui, si queat obtinere, ut ab auditu uerbi, & Ecclesiastico conuentu planè auocet, & abstrahat, studiosè hoc facit. Sta igitur fortis in fide, & esto animo attento. Discant huiusmodi auditores ex uerbo Domini aperire oculos mentis suae, ut uideant, quam turpe spectaculum Domino Deo & omnibus angelis eius praebent, & in futurum timorem Dei concipiant. Nam Dominus ita ordinauit ut angeli eius circunualent timentes Deum, & circudent Ecclesiam Domini. Immittet (inquit Dauid) angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Hi autem, qui in ueteri sua malitia perdurant, & sacram Euangelij concionem auribus tantum corporis audiunt, angelos Domini, quantum quidem in ipsis est, ex Ecclesia Domini eiiciunt, & daemones suos secum adducunt. Si enim liceret spirituales astutias, & rectores tenebrarum corporalibus oculis aspicere, uideres in quauis concione Euangelica, in qua huius ordinis auditores sunt congregati, daemones super capita ipsorum saltare, & choreas ducere, nimirum exultantibus, quod tot inueniant libidini illorum seruientes, & uerbum Euangelij negligentes. Quid autem hoc spectaculo magis horribile? Quid magis stupendum? Quisquis igitur es, qui ad auditum Euangelij, ueterem impietatem nondum exuisti, hoc diligenter age, ut ponas tibi ob oculos sceleratam eius spectaculi: quod impietate tua toti caelesti exercitui, exhibes, & concipe timorem Dei, quo etiam cordis ac fidei aures uerbo Domini adhibeas. Deinde omnino tibi parendum est admonitioni Pauli, qui, ad Romanos. 13. scribens, ait, Et hoc scientes tempus, quia hora est, iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & amulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Huiusmodi passim reperies exhortationes apud Paulum.

Qui autem super petrosa seminatus est, is est, qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione, & persecutione propter uerbum, continuo scandalizatur.

Secundus ordo auditorum uerbi, de quibus in parabola dicitur, Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt: quia non habebant altitudinem terrae. Sole autem orto aestuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Hos auditores uocat Christus temporarios & *οὐκ ἔχοντες*, qui ad omnem uentum mouentur. Præmaturi sunt, & animos habent præcocios. Audiunt, & cum gaudio recipiunt uerbum: sed non perseverant. Horum magnus est numerus. Probè quidem uerbum percipiunt sine haerese aut praua interpretatione: gaudent quoque se illud ita recepisse, & ueritatem puram agnouisse. Sed ubi propter ueritatem ad eundem est periculum rerum, famae aut corporis, ubi damnum accipiendum, perferenda ignominia, iactura facienda uita est, recedunt, & quam cum gaudio ueritatem perceperant, pernegant. Nondum enim receptum uerbum Domini altas fidei & charitatis radices in cordibus ipsorum egit, non altè satis demissum est semen: neque irrigatum fecundis sancti spiritus fluitis: sed ex admiratione nouitatis recepta est religio, & uerbum, ad tempus. Obserua. Non habere radicem est nondum seriò adfici uerbo, non esse obfirmatum aut confirmatum ueritate uerbi per Spiritum sanctum, quem qui non habent, ut custodem, in tentationibus non subsistunt. Proinde assimilantur semini in petram iacto & fato, quod alacriter quidem in herbam erumpit, ut pulchrè uidentibus adblandiatur, bonamque de se spem pollicetur: sed simulatque aestu solis fuerit percussum, arefcit: deest enim terra & succus. Ita & hi, ubi saeuire incipit persecutio, uel palam uerbum negant, uel certè tacent, facientes, loquentes & perferentes, quaecunque persequutores postulant, qui paulò ante, ubi aberat aestus persecutionis & palata omnia erant, liberrimè de uerbo loquebantur, & tale exhibebant specimen futurae segetis, ut seminatori magnam spem facerent cum scenore rediturae frugis: id est adeò animosè de uerbo loquebantur, ut spes esset illos multum fructus & utilitatis apud homines reliquos allaturos. Rogabit quispiam ex his auditoribus: Quid remedii superest? Respondeo: Noli aestimare satis esse, audiuisse & recepisse uerbum, nisi in finem usque perseveraueris. Ut autè perseveres, confirma fidem tuam frequenti auditu Euangelij, piis orationibus fidei, exercitiis & operibus charitatis, ut per fidem, charitati coniunctam, durissimam humani cordis petram excindas, adeoque consequaris, quod Dominus per Ezechielem. 36. cap. pollicetur. Dabo uobis (inquit) cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri: & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio uestri. Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini, &c. Colligamus ex superioribus, spiritum ac fidem ueram nonnunquam esse in hominibus, sed ea hominum uitio ac culpa amitti: initia item pietatis concedi non rarè hominibus, sed ipsorum inertia aut malitia non deduci in perfectum opus, sed ex integro extingui ac deperdi. Exemplo sunt Saul, Iudas, Demas, & alij multi, quorum scriptura meminit. Obserua: scandalizatur, id est, adueniente persecutione incipit dubitare de ueritate uerbi, utrum scilicet hæc doctrina sit uera, quae tot procellis & tentationibus exposita est. Contra hoc scandalum Christus subinde consolatur suos discipulos, præcipuè Ioan. 14. 15. 16. 17. Et Apostolus ad Roma. 8. Christus ipse identidem reuocat suos ad uerbum, & monet de cruce, ut re necessaria ad gloriam aeternam, interim proponens crucis dulcissimos fructus. Apostolus uerò consolandi occasionem accipit plerumque à spe futurae uitae.

Auditores tē-  
porarij.

Non habere  
radicem.  
Sine spiritu  
tentationib⁹  
nō resistitur.

Antidotus  
aduersus te-  
porem audi-  
torum.

Malitia no-  
stra spiritum  
bonum, iam  
dari coepit,  
extinguim⁹.

Christus &  
Paulus cele-  
stis & horta-  
tatores ad  
crucem.



Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui uerbum Dei audit, & sollicitudo istius seculi, & fallacia diuitiarum suffocat uerbum, & sine fructu efficitur.

Christus tertium genus auditorum Euangelij his uerbis adumbravit, Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Tertij auditores uerbum Dei recipiunt, sed ab eo ad uoluptates, uitæque tranquillitatem, & externa commoda deficiunt, quorum magnus est numerus. Quamquam enim nulla aliena doctrina uerbi sinceritatem fermentet aut oppugnet, ut primi faciunt, sed purum uerbum retineant: neque tententur à sinistris per aduersa & persecutiones, ad negandum uerbum, ut secundi: cadunt tamen à dextris: & est perniciosa ipsorum, rerum tranquillitate frui. Vnde fociordes redduntur, & uerbum suisque deque habent, immergentes se curis, diuitiis, honoribus & uoluptatibus presentis uitæ, ut penitus euanescant, & nullam frugem adferant. Ideo similes sunt semini, quod inter spinas cecidit: ibi enim & si nulla petra sit, sed terra commoda: neque uia, sed fatis altè proficissus fundus: spinæ tamen semen enatum suffocant & disperdunt: ita isti in uerbo habent quæcunque ad salutem faciunt, sed non utuntur illis, uerùm computrescunt & pereunt, dum carni indulgent: & eius cupiditatibus obsecundant. Huius gregis sunt, quicumque uerbum Dei audiunt, & carnem non castigant. Sciunt quidem uerbum, at non sequuntur illud uita & opere. Docent, quod ipsi negligunt, manent assidue sui similes, semper homines uetusti & carnales. Per spinas significatur sollicitudo seculi, quæ & gloriæ studium habet, & anxiam curam ac diligentiam conficiendi, quæ dicitur libido, & studium huius seculi idque ab effectu, qui est instar spinarum. Voluptates certè & diuitiæ turbant & pungunt siue excarnificant conscientiam. Deinde miserè conficiunt corpus. Augent etiam ut spinæ, incendium gehennæ. 1. Timoth. 6. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desyderia multa, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, &c. Voluptarij, uoluptatum studio, gula, ebrietate, scortatione & intemperantia sua eneruant sibi corporis uires, & incolumitatem siue sanitatem iustam euertunt. Sallustius in Catilina scribit homines ex auaritia molles reddi. Item quid non facit ambitio? Hæc non solum pungit cor, uerum etiam dementat. Neque uerò omnis cura & sollicitudo damnatur, sed cura huius seculi, hoc est rerum mundialium, & ad mundum pertinentium, quæ pelliciunt ad malum: hæc sunt nimirum, quibus uetamur toti adhærere. Vnde significanter dicitur, fallacia diuitiarum, id est, quæ ex deceptione colliguntur, uel quæ hominem decipiunt, atque abusu & nimia sui admiratione seducunt. Eleganter (inquit Sanctus Hieronymus) addit, fallacia diuitiarum suffocat uerbum. Blandæ enim sunt diuitiæ, aliud agentes, & aliud pollicentes. Certè Christianismus approbat honores, quales sunt magistratus, similiter & diuitias. Sed requirit, ut si ista contigerint dono Dei, ita possideas, tanquam non habeas: ac si quid habueris, bene his utaris: si non habueris, sapienter careas: si miseris, moderatè feras. Diuitiæ si affluent (inquit Dauid) nolite cor apponere. Paulus. 1. Timoth. 6. Diuitibus huius seculi præcipè non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo: (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facillè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant bonam uitam, id est æternam. Lucas addit his, uoluptates, quibus intelligimus, comessationes, ebrietatè, scortationem, supra, adulteria, & si quæ his sunt similia, aut impuriora, quæ & ipsa suffocant enatum fructum. Videas enim hodie multos aliquandiu egregiè fauèntes Euangelio, qui malunt interim Euangelium deserere, quàm adamato scortillo, aut ebrietati & cõpotationi intemperatissimæ, uale dicere. Obserua: ab Euan-

Auditores uoluptarij.

Spinæ, sollicitudo seculi.

Non omnis sollicitudo danda. Diuitiæ seculi, fallacia & fallaces.

Circa diuitias & honores qui te gerat.

Voluptatis studium etiã Euangelicos transuersos rapit.

gelij auditore exigitur animus liber omnibus curis ac uoluptatibus huius uitæ, si quidem fructum referre uelit. Huc pertinet admonitio Christi, Matth. 6. cap. & Pauli. 1. Timoth. 6. Habentes alimèta, & quibus tegamur, his contenti simus. Obserua: Suffocari est, nimia quadã copia obrui. Vnde nimia sollicitudo suffocat uerbum, id est, obruit seu reddit inutile & infrugiferum.

Qui uerò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit uerbum, & intelligit, & fructum affert: & facit, aliud quidem ceterisim, aliud autem sexagesimum, aliud uerò tricesimum.

Accommodat, quod dixit in parabola, Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Quartus auditorum Euangelij ordo, est eorum, qui (ut Lucas. 8. expressius ait) in corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia, id est, qui corde, per spiritum filiorum uerè immutato, atque ad Deum tracto, Euangelium audiunt, auditum intelligunt, & retinent. Retentio, omnium operosissima est, habens irremissas meditationes uerbi Dei, quibus animus credentis renouatus, exercetur in mortificatione ueteris hominis, & renouatione noui hominis: dum, sicut primus psalmus habet, in lege Domini uoluntatem habet, & in lege Domini meditantur die ac nocte: dum, instar ligni plantati iuxta decursus aquarum, ferunt fructum suum in tempore suo. Hi fructum adferunt, Alij tricesimum, alij sexagesimum, &c. Id est, alij aliis copiosiore, secundum quod alij aliis spiritu locupletius donantur, & in hoc dono alacrius operantur, & seipos in opere bono studiosius exercent, reportantes finè fidei uestræ, inquit Petrus. 1. Pet. 1. salutem animarum uestrarum. Et hoc, in patientia, ait Lucas. Nam per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Per multa pati necesse est propter uerbum, uidelicet ignominiam & opprobrium ab hæreticis & spiritibus perturbatoribus: odium, & damna corporis & rerum à persecutoribus: præterea, quæ à spinis, hoc est, diuitiis, ambitione & propriæ carnis têtationibus perferenda sunt, ut rectè uerbum crucis dicatur, quod si uelis seruare, crucè & omne genus incommodorum per patientiam seu tolerantiam ferre & superare est necesse. Quemadmodum enim fieri nequit, ut semè in agro fructum afferat, & maturitatem apprehendat, nisi constanti patientia & hyemis frigora, niues & imbres, atque estatis ardorem ferat & uincat: Ita reuera non poterit auditor Euangelicus, suscepto uerbo Dei, fructum facere, nisi patientia uincat omnes tentationes. Atque ideo Christus ait, In patientia uestra possidebitis animas uestras. Et Paulus, Roma. 5. ait, Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationè, probatio uerò spem, spes autem non confundit. Et, ut ille ait, Virtutes animi patientia dirigit omnes. Omnes, qui piè uolunt uiuere in Christo Iesu, ait Paulus. 2. ad Timoth. 3. persecutionem patientur. ergo semper est opus patientia.

Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superfeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamiliæ, dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis

Auditores, pbi & sinceri.

Retinere uerbum, sicuti opus est, operosissimum.

Amor uerbi crucem, et ceteras nubes trahit.

Uerbum def, uerbum crucis.

Dura omnia per patientiam uincenda christiano. Patientia nūquam deserenda.



simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Hæc parabola, in genere docet, opus esse in negotio Euangelico, uigilantia, & sedulitate, ne contaminetur uerbum, & pro uera pietate, ingerat se in Ecclesiam impietas, & pro piis impii, prædicans, purum & impurum uerbum, pietatem & impietatem, pios & impios mansuros usque ad finem mundi, sed hos ad supplicia, illos ad uitam. Regnum cælorum in hac parabola non accipitur pro uita beata, qua perfruuntur in cælo beati: sed totum mysterium siue negotium Euangelii & regni Dei comprehendit. Ergo & doctrinam significat, quæ dicitur uerbum siue sermo regni. Comprehendit & ipsos pios (qui uocantur filii regni) hoc est totam congregationem & rempublicam credentium siue sanctorum, adhuc in hac uita uersantiū, quam in terra inuisibiliter Deus regit & inhabitat. De regno cælorum legito Cyprianum martyrem in explanatione illa orationis dominicæ, admodum egregia. Superiore parabola facta est mentio eorum, qui uerbum Dei non suscipiunt. Hic autem de iis, qui suscipiunt, sed corruptum, falsam scilicet ueri imaginem, quam nonnulli ueritati Euangelicæ, ceu lolium tritico, miscent & inferunt. Hoc autem fit, cum Satan eos, quos hætenus à puritate Euangelicæ, neque uanis cogitationibus, neque persecutionum procellis, neque illecebra uoluptatum detorquere potuit, per hæreticorum blandiloquentiam aggreditur & à ueritate abducere contedit. Hoc modo inuadit uitium seu corruptio agrum siue auditorem, & semen. Rectè confertur zizaniæ, quam Græci *αἰζων* siue *θύραρον*, Latini appellant lolium, ut est apud Dioscoridem) corrupta & hæretica doctrina. Lolium enim Plinius iam morbum frugum, iam pestem, ut pote suo complexu triticum enecans, & Virgilius infœlix appellauit: quemadmodum & Ecclesia, doctrina corrupta & hæretica nihil habet neque pestilentius neque infœlicius. Corruptum enim ca nonnunquam fœlicia & egregia ingenia: & quos non corrumpit, indefessè tamen diuexat. Hodie enim pestifera dogmata, & uirulentæ opiniones ab hominibus impurissimis introducuntur, & fiunt cœtus contentiosorum hominum, qui non minore studio & uigilantia falsum tuentur, quàm Ecclesiastici uerum. Mirram enim uim habet doctrina erronea: sicut de lolio quoque ferunt, quod in panè coactum & sumptum, somnum inducat grauissimum, uertiginem item atque uomitum, corpus etiam fœdis oppleat ulceribus. Idem nocet oculis quamplurimum, caliginem ipsis concilians, unde nimirum iocus prouerbialis petitus est, Lolium uiscitant, in eos dictus, qui lusciosi & cæcutientes sunt. Doctrina enim corrupta & erronea excæcat, uertiginem & animi ulcera gignit, totumque statum sanæ mentis subuertit, & tandem enecat. Diuus Ambrosius lib. *Hexameron*. 3. capite 10. zizania paulò latius extendit. Nam lolium, ait, & reliqua adulterina semina, quæ frugibus sæpè miscuntur, zizania nuncupari Euangelii lectione cognouimus. Quin Græci *ζιζάνιον* appellârunt, quasi *πικρὸν, πικρὸν ἔστι καὶ αἴτιον*, quod uide licet tritico noceat. Verùm non nocet duntaxat lolium, sed & carduus, lappa, & tribulus, aliæque nonnulla, quæ inter morbos & pestes frugum recenset Plinius. Copiosiora de lolio leges apud Theophrastum, etiam apud Ioan. Ruellium de natura stirpium lib. 2. cap. 30. Explicationem huius parabolæ ad præces discipulorum Christus paulopost addet. Tantùm hic obserua admonitionem, qua in hac parabola admonemur non offendi, si quando etiam iis, qui frugiferi sunt in agro regni cælorum, uiderimus immixtos reprobos, & multa quotidie in Ecclesia Dei succrescere offendicula, cum tamen bonum semen sit per Euangelii doctrinam seminatum.

Pios & impios inueniet finis mundi.

Regnum cælorum, pro toto negotio Euangelico.

Lolium pro doctrina corrupta, & falsa.

Ex lolio nocentia.

Lolio uiscitare.

Zizania pro quolibet adulterino & noxio semine.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cælorum grano sinapis: quod accipiens homo, seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus.

Hoc loco regnum cælorum non intelligitur de illa beatitudine, qua sancti in cælis fruuntur, sed de negotio & prædicatione Euangelij, quod Ioannes inchoauerat, & Christus absoluebat. Quia autem prophætæ prædixerant hoc regnum expectatum, illustrissimum omnium fore, ne Apostoli, auditores uerbi, & qui ad hoc regnum uellent accedere, offenderentur, quod quæ per Christum in initio gerebatur, uideretur humillima in oculis mundi, licet in se essent augustissima, nimirum diuina & cælestia: unde accedentibus, & in regno uersantibus uiderentur non planè respondere, nec consona esse splendori regni cælorum, qualem descriperat & prædixerant prophætæ. Nam qui uocabatur, erat personæ abiectæ & humiles, doctrina & religio dispar splendori Iudaico: nullus aderat opus, potentiæ & regalis gloriæ fulgor. Huic offendiculo uolens Christus mederi, adducit hanc parabolam, qua comparat regnum cælorum grano sinapis. Quod ut minimum est, ita & regnum cælorum in initio uidetur humillimum & abiectissimum: sed ut simul adsit consolatio, declarat illius abiecti regni uires ex collatione uirtutis grani sinapis, quod natum, arboris instar exurgit in altum. Ita hoc regnum ex humillimo tandem euadit supremum & illustrissimum. Spectat ad hanc parabolam primum cap. prioris ad Corinth. quod multis argumentis docet sermonem crucis, pereuntibus quidem stultitiam esse, hoc est contemni, & pro nihilo ab illis haberi: iis autem, qui salui sunt, Dei uirtutem esse. Cur uerò uoluerit Deus uerbum suum esse, ueluti granum sinapis, in oculis carnis, respondet Paulus ex Isaia cap. 29. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Simile est regnum cælorum, id est, sic se habet uerbum seu prædicatione de regno Dei instituta. Granum humile & abiectum uidetur: prædicatio de regno principio uidetur uilis & contempta esse, adeoque nulli philosophiæ generi conferenda, quippe quæ uideatur habere absurdam & ineptam quamplurima, & pugnantia ex diametro cum maximorum philosophorum receptis dogmatibus. Per Euangelium enim prædicatur Deus uerus, incarnatus, captus, & uinculis constrictus, confusus, flagellatus, crucifixus, mortuus & sepultus, quæ omnia philosophiæ candidatis & magistris uidetur planè absurda esse. Ad hæc utitur doctrina euangelica & apostolica stylo minimè elaborato, negligit planè omnem eloquentiam, & apparatus secularè: ideo ab istis damnatur ceu barbaries mera, & ueluti ineptissima uocum & rerum congeries. Verbum item seu prædicatione uerbi per similitudinem dicitur granum sinapis, ab acore, qui alteram uerbi partem notat, nempe ipsam pœnitentiam. Deinde à mendendo. Quia sinapis uariis est usus in medicina, & hoc effectu sinapis notatur altera uerbi pars, quæ est per spem remissionis peccatorum mederi per pœnitentiam territis & tremulis conscientis. Quemadmodum autem in grano sinapis non feceritur acor à medendi effectu: ita in uerbo oportet pœnitentiam & remissionem peccatorum coniungere. Item sicut granum sinapis non medetur, nisi iis quos idè granum suo acore affecerit, sic nec uerbum medetur conscientis, nisi pœnitentia cõtritis. Et hic est præcipuus sinapis usus. Rursus fieri potest, ut acor sinapis melle aut alio dulcore supprimatur aut tollatur, sed tunc inane & insipidum fit granum. Et sicut Christus supra 5. cap. de sale mentionem faciens, ait, quod cum sal acorem suum amittit, infatuatur, & ad nihilum ualet, nisi ut eiiciatur foras, & pedibus conculetur: ita & inane est uerbum sine prædicatione mortificationis carnis & pœnitentiæ. Cognita huius leguminis natura (de qua Plinius li. 20. cap. 22.) multa possunt huic negotio accommodari, ut quod, si cum Beda senseris, quemadmodum sinapis uenena expellit, ita uerbum Dei omnia prauitatis dogmata, sua simplicitate & humilitate fugat & expellit. Obserua. Quidam scrupulo moti,

Regnum cælorum pro negotio Euangelico.

Regnum cælorum ex parte uis in itis mirabiliter creuit.

Verbum granum.

Doctrina euangelica quare mundo sordet.

Quæ uerbi partes per sinapim significata.



aiunt: Quomodo granum sinapis omnium est minimum: quum semen papaueris & ruta minus sit illo? Imò cupressi semen adeò minutum est, ut uisum etiam fallat. Certè Dominus in genere loquitur, & ipsum granum sinapis cum seminibus olerum numerat. Atqui papauer non censetur inter olera, sicut nec ruta, quòd utraque herba in medicinis usum habet uerius, quàm in culinjs.

Cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus.

Consolatur pios Christus, adumbrans his uerbis potentiam Dei, operantem & uincentem in fidelibus, ut ut caro iudicet hoc regnum cœlorum humile esse & perituum. Granum sinapis ita specie sua abiectum uidetur, attamè in hortum proiectum, in tantum caulem, seu (ut scriptura loquitur) in arborem excrescit, ut & uolucres cœli nidulentur in ramis eius. Quo enim femina minora sunt, eò etiam fertilia esse solent. Facilius enim augescunt, & celerius aëris qualitati obtemperant. Sic & Euangelium Christi uidebatur eo tempore, quo Christus in terris uitam egit, abiectum & internationi proximum, quippe quod impotentius iudicabatur, quàm ut posset aduersus potentiam tot persecutorum consistere. Sed Christus hac grani sinapis similitudine uaticinatur, hoc Euangelium ad tantam amplitudinem in toto terrarum orbe euasurum, ut non Iudæi tantum, sed etiam Gentes in eo salutem consequuturæ sint. Et quod Christus uaticinatus est, hoc iam reipsa impletum esse uidemus. Quanquam enim totus orbis terrarum restiterit Christo & Euangelio eius, & Iudæi gentilesque à principio Christum ipsum occiderint, deinde Apostolos & Ecclesiam crudelissimè persecuti sint, tamen quòd magis illi restiterunt, eò latius Euangelium propagatum est in quatuor usque plagas cœli.

Et hoc, uisericordie fide uia, seu quæ per charitatem operatur: inseruit enim omnibus, excipit exules, benefacit omnibus. Vnde accelerant ad hanc doctrinam, ceu summam & absolutissimam sapientiam, amplexandam optimi quique in mundo homines, Isaiã testante, ca. 49. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios suos in uisnibus, & filias suas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lugent, &c. Testantur item ueteres historiae Ecclesiasticæ, doctissimos quosque in philosophia uiros, deserto philosophiæ studio ad Euangelicam doctrinam se contulisse, & huic uni, ceu ueræ & supremæ sapientiæ sese mancipasse. Huc accedit, quòd in cruce & resurrectione Domini nostri Iesu Christi, in uerbo, inquam, gentilibus stulto & absurdo, uerissimam & purissimam mundo proponitur sapientia. Illic enim tanquam in clarissimo speculo, relucet peccatorum remissio, ostium ad cœlum, pabulum animarum, iustitia, misericordia, ueritas, hominum iustificatio, restitutio, integritas, salus & uita. Quæ quidem rectè noscere & sentire in se, meritò absoluta esse putatur sapientia, ut uerè est. Rectè igitur dictum est, quòd quanuis sinapi minimum sit omnium feminum tamen ubi excreuit, maximum est inter olera.

Quòd si quis obiecerit: Satanæ suos habet per uniuersum orbem. Respondeo: uerum est: sed regnum Satanæ non consistit in una religione, sed diuersis, & in odio mutuo. In regno autem Christi aliter habet, in quo est unitas pietatis, una fides, una religio, & mutua charitas. Ergo nulla est religio amplior ista religione Christiana, quæ totum occupat & obtinet orbem. Nam scriptum fuerat, In omnem terram exiuit sonus eorum. Et, Prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso mundo. Obserua: Cùm autem creuerit, supple, per fidem, intellectum, & per charitatem exercitatum augetur uerbum, id quod & paulò antè promissit Christus dicēs, Habenti dabitur. Quod autem dicit, Maius est omnibus oleribus, commendatio est uerbi à potentia quam exaggerant & amplificanc sequentia uerba, Et fit arbor: in hoc, ut ferat fructum, alium centesimum, alium sexagesimum, &c. Obserua, Nemo repente summus. Auditores uerbi non statim esse arbores: ergo non mirum est, si statim non ferant fructus

Euangelium, quomodo granum sinapis.

Fides uia uicit mundum.

Euangelium, toto orbe receptum.

In uerbo omnigena felicitas omnibus proponitur.

Christiana religio uel amplior aut latior.

Nemo repente summus.

fructus. Primum discendum est: & simul amandum, quod didicimus, ut sensim, profimus & proficiamus.

Et fit arbor, ita ut uolucres cœli ueniant, & habitent in ramis eius.

Amplificat uerbi potentiam: significat enim, quòd licet Euangelium eo tempore, quo Christus prædicabat, impotens, & humile, ac paruum uidebatur: tamen ad tantam amplitudinem in totum orbem terrarum euaderet, ut in eo nidos, & quietem tranquillissimam consequuturi essent cùm Iudæi, tum gētiles. Vnde congruè, & aptè comparatur incrementum Euangelii patulis arborum ramis, qui & auibis sedem, ac sustentaculum nidorū præbent, & hominibus defessis umbram exhibent, ac præterea fructus ad cibum proferunt. Quemadmodum autem aues, licet aliquoties à ramo, & nido suo aberrent, semper tamen ad nidum suum cogitationes suas reflectunt, & reuertuntur: ita omnis sensus, & cogitatio hominum, ad Euangelium tanquam ad nidum, in quem se tuto recipiant, semper intendere debet. Atque sicut labore lassus homo, aut æstu solis percussus, suam in arboris umbra recreationem quærit: ita si quis afflictionum æstu laborat, non potest, nec præfentiorum, nec commodiorè recreationē inuenire, quàm in Euangelio Iesu Christi. Quem defatigat agnitio peccatorū, hunc refocillat Euangelium. Quem adurit sensus mortis, & inferni, hunc obumbrat Euangelium. Breuiter Euangelii umbra refocillatio est in omnibus tā corporalibus, quàm spiritualibus afflictionibus. Volucres ergo cœli nobis adubrare uidentur credēs, & pios, qui in uerbo seu Euangelio nidificant, quod est cœleste, aut quod rapit ad cœlestia. Aut pii dicuntur uolucres cœli, quòd nidos suos non ponant in terra, exemplo Abrahæ, qui ne uestigiū quidem pedis de terra habuit. Huc spectat locus Apostoli ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Multa hinc à natura auicularum sumpta conuenient, & accommodabuntur ad pios & credentes. Et scriptura libenter meminit auicularum, quas subinde nobis pro doctoribus proponit, ut Iob. 12. & Matth. 6. Videtur Lucas. 13. cap. hanc parabolam obliquè deflectere in hanc partem, quòd Christo crediderit vulgus citius, quàm qui supra vulgi captum sibi sapere uidebantur. Postquam enim offensos uidisset Christus hypocritas doctrina sua, vulgum uerò amplecti eam, subiunxit hanc parabolam, dicens, Simile est regnum cœlorum grano sinapis, &c. Obserua: quia tam corruptè audio pronuntiatam uocem, sinapis, non pigebit admonere, mediam producendam: siue dixeris hoc sinapi, siue hæc sinapis, siue, cum Columella, hoc sinape.

Aliam parabolam locutus est eis.

Ad eundem scopum refertur hæc parabola, qua Christus idem, quod superiori similitudine, uaticinatur: uidelicet, quòd etsi Euangelium suum infirmius ac impotentius iudicetur, quàm ut diu constare possit, tamè tantæ uirtutis est, ut totum orbem terrarum peruagaturum sit. Proinde in hac parabola, sicut & in reliquis omnibus, diligenter consideranda est natura rerum, à quibus parabolæ ducuntur. Item circumstantiæ omnes, quæ in res illas incidunt.

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Fermentum est temperatura aquæ, & farinæ, aliquid habens farinæ simile, & aliquid conspersionis: atque, ut Augustinus ait, & in bonum, & in malum accipitur. Apud Paulum semel, & iterum inuenitur in malam partem usurpatum: Hic in bonam. Huius natura est, aciditate quadam frigida, & caliditate ex putredine nata, paulatim totam farinam fermentatam reddere, quæ postea mediocriter tum & calefacit, & digerit. Sic uerbum pedetentim immutat totum hominem,

Succesus Euangelij, similis arborum ramis. Auibis.

Arborum umbris.

Pii, uolucres cœli.

Sinapis.

Fermentum.



Verbum, fermentum.

in hoc ut calidior, & digestior fiat, accedente Spiritu sancto, & igni, quo rursus uiuificatur. Fermenti enim natura, de qua diximus, parteis poenitentiae, & renascentiae adumbrat. Res admodum uilis, & abiecta uidetur esse fermentum, atque ad nihil aliud utilis quam ut ante porcos proiciatur: attamen si commisceatur in tria sata farinae, tantae est efficaciae, ut fermentet totam farinae massam, & in suum conuertat saporem. Hic autem sapor, haec uis fermenti quauis acida sit, reddit tamen panem gratiorem, suauiorēque, qui alioqui sine fermento futurus erat insipidus. Rursus exerit fermentum, tum maximè, suam uirtutem, cum maximè uidetur absorptum. Pari modo euangelium apparet uilissimum mundo, ipsū tamen propositum, ex insipido, & fatuo efficit sapientissimū hominem, adeoque ferè in suas parteis attrahit, & in suam naturam transformat. Ut ergo primò paruum, & abiectum uisum est Euangelium, tamen totum peruasit orbem & in omnem terram exiuit sonus Euangelistarum, illud publicè, annuntiantium. Iam autem ubi intra cor hominis absconditum, & fide uiua acceptum, atque agitatum fuerit, totum hominem ita fermentat, ut fiat sapidissimus panis, dignus mensa regni caelestis. Haec planè diuina est uirtus, quae grauius increpat, & pungit scelera, adeò ut obiurgatio illa stolido mundo uideatur satis acerba, & minimè ferenda. Sed nisi doctrina Euangelij talis esset, id est paulum acida, computresceret haud dubiè in suis fordibus homo. Et licet mundus persequatur Euangelium, adeò ut illud omni studio sublatur, & extinctum cupiat, eò quòd doctrina Euangelij suis aduersetur studiis, & cupiditatibus prauis: serpit nihilominus uirtus Euangelica per mortalium pectora, & regnat tum maximè in mundo, cum uicta, & oppressa uidetur: insinuat se hominū animis, ac sensim taciteque his illabens ex corruptissimis integerrimos reddit. Sumamus nobis unum, & alterum exemplum. Fermentum est: Qui credit in Christum, habet uitam aeternam. Recepta hac doctrina in animo cum charitate, ita fermentatus est animus, ne sit inuidus, sed omnibus beneficus: fermentatur lingua, ne loquatur malum aduersus proximum suum fermentatur manus, ne malefaciat proximo: ita denique totus homo fermētatur, ut & inimico beneficiat. Rursus fermentum est haec doctrina, ne solliciti sitis, animae uestrae quid māducetis, neque corpori uestro quid induamini. Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis: qui cum nutriat uolatilia caeli, & uestiat gramen agri, multò magis id uobis faciet. Hoc fermentum, per fidem, & charitatem in corde conceptum, primū expurgat auaritiā, deinde imposturas, ac nugas, postremò reddit hominem liberalem tam erga benefactorem, quam malefactorem. Quid hoc fermento efficacius? Abscondamus igitur fermentum, non hypocriteos, quod Christus fugiendum & abominandum docuit, sed sincere doctrinae Euangelij, in corda nostra, ut efficiamur sapidus panis in conuiuium regni caelorum. Obserua. Chrysostomus putat non uanè tria sata posita esse pro multis. Nam ostendit Dominus modicæ fermenti particulæ esse magnam uim agendi in multam farinae copiam, uerbo, inquam, Euangelij in totum hunc orbem, quem maxima ex parte in suam transformauit naturam. Aut tria sata farinae, id est, quicquid est in homine naturalium uirium, uerbum natiua sua uirtute immutat feliciter, ac pro sua disponit qualitate. Aduerte. Satum mensuræ genus est aridorum, quemadmodum batus liquidorum. Vnde rectè quidam monuit sata non hinc participium esse, à serēdo, sed uocem Hebraeam, siue Syram, significantem mensuræ genus, capientis sesquimodium, iuxta morem prouinciæ Palestinae, autore Diuo Hieronymo, qui id haud dubiè mutuū accepit ex Iosepho, dicente. Satum fert modium unum & semis Italicum. lib. antiq. 9. cap. 4. Iuxta Hebraeorum mensurandi rationem, satum cōtinet mensuram centum quadraginta quatuor ouorum. Vnde tria sata faciūt mensuram Eph. Obserua in scriptura triplex doceri fermentum: vnum Apostolicum, de quo hoc loco: alterum est Pharisaeorum doctrina, de

Doctrinam Euangelicā sine acore esse non debere.

Verbum Dei quomodo rotam massam hominis afficit.

Sata tria.

Satum.

Fermentum triplex.

quo infra. 16. Cauete à fermento Pharisaeorum. Tertium est malitiae & nequitiae, 1. Corint. 5. Colligamus ex superioribus: Mulier, Ecclesia est: fermentum, uerbum Dei: Farinae modij tres, id est, multi, homines. Ternarius namque perfectionis est numerus. Et haec parabola uim uerbi adumbrat, ipsū scilicet, fermentum esse, quo conditur hominis animus. Quare ubi desierit hoc fermentum, necesse est insipidos esse animos nostros. Quod additur, donec fermentaretur totum, significat subinde nos purgari & instaurari, donec absoluaatur iustitia, & fiamus noua creatura. Hoc est, uerbum Dei in credentibus ueterem hominem quotidie mortificat, & crucifigit, illòsque renouare non cessat, donec tandem in Christum plenè transformentur.

Haec omnia loquutus est Iesus in parabolis ad turbas & sine parabolis non loquebatur eis.

Turbæ loquitur Christus in parabolis, ut pij commodius instituatur, impii uero illis magis excæcentur, non à uerbo, sed sua ipsorum malitia. Et sine parabolis non loquebatur eis, supple, tum, cum ageret in nauicula, prædicans turbæ: quòd simul & animos illorum, obscuritate sermonis ad discendi studium excitaret, nec ansam tamen daret, occasionem uenantibus, calumniandi, Marc. 4. cap. ait. Et talibus multis parabolis loquebatur eis uerbum, prout poterant audire. Sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis differebat omnia. Scriptura interdum sententias grauiore uocat parabolas, quod illè ferè cum collationibus efferantur. A ut pro sententiis simpliciter usurpat, forsitan ideo, quòd sententiarum est, habere in se aliquid quasi reconditum, quòd nō cuius obuium sit, ut ita, imperitioribus possit haberi aliquo modo ænigmatis loco.

Ut impleretur, quod dictum est per prophetam, dicentem.

Adeò nihil temerarium facit Christus, aut sine præscripto uerbo, ut ne parabolas quidem, sine autoritate uerbi loquatur. Sensus uerborū est, Adeò parabolis est usus, ut impleretur, &c. id est ut quadrarit in eum, ac meritò de eo dici potuerit, quod propheta Dauid in psalmo, 77. dixit.

Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi.

In hoc psalmo, 77. Asaph propheta loquitur de mirabilibus facinoribus, quæ Deus cum populo suo gessit, cum in Aegypto, tum in deserto, deinde & in terra Canaan usque ad tempora Dauidis. Vnde hic psalmus est deliberatiui generis, quòd horretur ad fidendum Deo, propositis in hoc imitatoriis exemplis, & operibus Dei, quæ olim præstitit Israëli. Ad imitationem ergo ueteris exempli parabolas dicit Dominus ut impleretur, &c. Quasi dicat Euangelista, Quod olim in psalms fecit Asaph, in erudiendo populo, commendandisque Dei operibus: idè nunc facit Dominus, uariis parabolis commendans suis uerbum Euangelij. Asaph autem in psalmo ait, Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem uestram in uerba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Quasi dicat Dauid: hæc beneficia Dei, quanquam aperta & certa, tamen à multis non considerantur, imò ne ab ipsa quidem carne, cui omnia opera Dei abscondita sunt. Vocat Matthæus *κεκρυμμένα*, id est, abscondita, quæ uidelicet attentum requirunt auditorem. Et ænigmata dicuntur, quæ in se habent sensum acutum, & latentem, siue abstrusum, quæ denique ipsa sui acutie excitant auditorem ad diligentiore peruestigationem. Non itaque insolens est res gestas, uerba item mystica uocare parabolas, propterea quòd non hoc tantum, quod foris patet, sed & aliud quid per eas expèdendum traditur. Quemadmodum Asaph, commemorando ea, quæ Deus cum populo suo gessit, & exponēs uetera patrum suorum exempla. Quanta audiuiimus (inquit) & cognouimus ea, & patres nostri narraue-

Christi quare locutus in parabolis.

Parabola.

Sententia.

Parabola uariarum antiquum.

Abscondita.

Ænigmata.



runt nobis. Non sunt occultata filiis eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & uirtutes eius, & mirabilia quæ fecit, &c. Filii, qui nascuntur, & exurgent, enarrabunt filiis suis. Sed in quem finem hæc dicit? ut ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum eius, & mandata eius exquirant. Ne fiat, sicut patres eorum, generatio praua, & exasperans. Ita & Christus, cum tractaret ingenium, conditionem, uires, & precium regni cælorum, parabolicis hoc egit, similitudinibusque, & exemplis usus est, ut animos acueret auditorum, simul & uerbum Euangelii omnibus quàm diligentissimè commendaret. Aperiã (inquit propheta in persona Christi) os meum, siue per linguam, siue per res gestas, siue per scripturam, siue per meos Apostolos: & loquar parabolas, & ænigmata: atque sub huiusmodi ænigmatũ inuolucris ego de plenitudine omniscientiæ meæ eructabo, proferamque hominibus admiranda, & occulta Dei consilia, abscondita à constitutione mundi, hoc est, quæ ab æterno pater meus fieri decreuit. Decens enim est, ut tam sacrosancta mysteria non nudè, sed parabolis, & grauissimis sententiis proponantur, ut maiore honore excipiantur, & attentius audiantur, ut credentes, ac pij intelligant, & increduli sua malitia excæcentur, quando magis diligunt tenebras, quàm lucem, omnibus gratuita oblatam. Obserua, quæ scripta, factaque sunt, cedere in posteritatis exemplum & admonitionem. Roma. 15. Et. 1. Corinth. 10.

Discipulis  
prioris poste-  
rior dies.

#### Tunc dimissis turbis uenit in domum.

Tunc, id est, finita hac concione, parabolis instructa, subduxit se à turba aliquantisper, & uenit in domum. Turba non est sequuta Dominum quòd nec intellexeret, quid hic secessus sibi uellet, Quod autem neque Scribæ neque Pharisei sequuti sunt Dominum, signum est, ipsos non illuc alio animo uenisse, quàm ut caperent Dominum in sermone.

#### Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes.

Cum esset Christus domi, adierunt illum discipuli & familiares, rogantes, ut explanaret ipsis parabolam. Confidentius modò interrogant, quia audierant dicentem, Vobis datum est nosse mysteria, &c.

#### Ediffere nobis parabolam zizaniorum agri.

Præceptor bone precamur te ut parabolam illam de zizaniis in agro superfeminatis tritico, nobis suo ordine digneris exponere. Obserua: etiã Apostolis uerbum Dei manet parabola, nisi Christus explicet. De grano sinapi, & fermento nihil dubitant. Clarè enim intelligebant illis adumbrati latentem, & ingèrem uim uerbi Dei. In parabola zizaniorum erant quædam, quæ non usquequaque assequerentur. Rogant ergo Dominum, ut ipse agat interpretem. Exemplo discipulorum oremus & nos Dominum, ut nobis explicet abstrusa in uerbo suo mysteria.

Verbum Dei  
etiã Aposto-  
lis parabola  
est, nisi Chri-  
stus aperiat.

#### Qui respondens, ait.

Bonus præceptor delectatus discipulorum studiosa diligentia, & animo discendi cupido, annuit illorum supplicationi. Consolatorium est Christum imperitis discipulis explicare parabolas, & mysteria.

#### Qui seminat bonum semen, est filius hominis.

Bonus interpret ait, Qui seminat bonum semen, id est, Euangelium è quo nascuntur filij Dei. Obserua: Ait, seminat, quasi dicat, seminavit quidè, cum uenit in mundum, filius Dei, factus homo, non tamen cessat suo spiritu seminare, & spargere semen in corda hominum, donec steterit hoc regnum cælorum.

Quotidie se-  
minat Chri-  
stus.

#### Ager autem, est mundus.

Ager Christi, est mundus, id est, homines, in hoc mundo existentes, quorum cultor, & Dominus est, non habens respectum personarum. Est profectò Euange-

gium, uniuersalis quædã promissio: ideo in parabola dicitur in agro suo: ubi uox, suo, ualdè emphaticos pronuntianda est. Quasi dicat Christus, lure quidem meus est hic mundus, pro cuius salute missus sum ego: ego inquam, qui, ut illum colam, & fertilem reddam, me, meaque omnia expendo, sanguinem, & animam meam, ut uitam mei habeant, fundo: & iterum sumo eam, ut æternum uiuant, nisi diabolus sua zizania intermiseret. Prædicatores ergo, ministri Christi, non minus curare debent agrum, hoc est, homines, suæ fidei per uerbum commisso, ac si essent proprii agri Domini.

Mundus, Chri-  
sti est.

#### Bonum uerò semen, hi sunt filij regni.

Hoc semen bonum hi sunt filij regni, nati è sermone regni, è sermone immortalis, id est, è uerbo uirtutis Dei, & permanentis in æternum. 1. Pet. 1. Iesus enim Christus, æterni, & summi Dei filius, uenit in mundum, ut cœlesti sua doctrina uera, & salutari, omnibus imbuat, & cõsorte faciat uitæ æternæ. Et hoc est semen, quod filius hominis, id est, ipse Iesus Christus, seminavit in agrum, id est, in peccata hominum, toti mundo annuntians penitentiam, & remissionem peccatorum. Et hoc semen ex animo qui excipiunt, nascuntur, & sunt filij regni. Regnat enim in ipsis Christus fide, charitate, puritate, omnique iustitia, & uirtute, quibus omnibus sancti florent, & gratissimo odore coram Deo & hominibus, cœu ager plenus suauissimis pulcherrimisque fructibus, suauiter fragrant.

Filij regni.

Pij, ager sũr,  
ut odoratissi-  
mus, ita bo-  
norum fru-  
ctuum feraci-  
ssimus.

#### Zizania autem, filij sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.

Inimicus, id est, diabolus, natura cõtius, est, insidiari calcaneo Christi, Gen. 3. hoc semen bonum, in agro seminatum, hic inimicus inuido cernens animo ad nocendũ sese accinxit, cum dormirent, & oscitanter agerent homines. Occasio enim aduentus Satanæ, & impietatis, est oscitantia, & otium. Harum enim rerum præsentia irrumpunt impij in regnum cælorum, deprauatur purum uerbum, exurgit impietas. Itaque ferre nõ potens inimicus Dei, & salutis nostræ, omnique iustitiæ, Satanæ bonum Dei semen apparat & ipse semen suum, zizania, hoc est, doctrinam falsam, atque impiam: & instructis suis seminatoribus, id est, pseudoapostolis, & hæreticis, curat per istos sycophantas, & impostores, zizania, suam scilicet impiam doctrinam, seminari media intra triticum, unde mox enascuntur filij diaboli, homines hypocritæ, impij, & scelerati, Dei gratiam crucemque Christi calcantes, contentiosi insuper, impuri, & omnibus, quibus queunt, modis societatem Ecclesiæ disungentes. Non seminaret zizania paterfamiliã, seu filius hominis, quoniam fecit hominem rectum, & absque omni iniquitate. Diaboli uerò inuidia, peccatum in homines primũ introiuit, nec cessat huc usque ad omne malum homines inducere. infelix hoc lolium unã cum semine bono, & tritico, excreuit: sed hoc interim uenenato suo amplexu ferè enecat. Nam prauis, & impuris hæreticorum colloquiis, & cõtinua assuetudine cõrumpitur ferè integritas bonorum hominum, ac mox & ipsi etiam detorquentur in hæreseos præcipitiũ. Hæc est illa pestilentissima lues, à qua suos, tum multis aliis locis, tum in præsentem maximè uult sibi metuere Christus, ne & ipsi impia doctrina seducantur. Obserua, tum primũ prodire Satanam, quando bonum semen seminatum est, ipsũmque non profus tollere filios regni, neque purum uerbum, neque ueram pietatem: sed tantũ interseminare zizania: non, ut parcat, sed ut magis incommodet, & cõrumpat. Rursus aduerte, quòd zizania citius excreunt tritico, & breui in tempore latissimè serpunt: ita & hi, quorum conscientia à Deo auersa est. Pij autem seu filij regni sensim, ac paulatim ad perfectionem excreunt, & subinde fiunt perfectiores, donec ueniant in unitatem fidei in uirum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi, Ephes. 4. Nam primũ sunt semen, ut diximus: deinde fiunt herba,

Oscitantia &  
otium fene-  
strã aperit  
diabolo.

Zizania Sata-  
næ, quæ.

Satanæ astus.

Malum ce-  
lerrimè suc-  
creuit, Bonũ  
non item.



Triticum.

ut est in parabola, quod ut nulla herba potest esse, cuius usus non possit esse in medicina, sic filii regni, sani, & firmi, aliis etiam uerbo mederi student: charitas enim ædificat. 1. Corinth. 13. Postea sunt triticum, quod, teste Paulo Aegineta medico, libro de ratione uictus, elixum, coctum difficile est, & inflat: redactum uero in panem, inflandi uim, & coctionis difficultatem deponit, ut pote cum fermento, salæque participans: ita homo ante receptum salem sapientiæ, & fermentum, quod est Euangelium (ut paulò antè dictum est) inflatur, & superbit, coctumque difficile est, id est, non facile morem gerit: sed ubi Euangelio est fermentatus, & sale uerbi conditus, ualētissimam præbet alimoniam. Porro ut bona, & sancta doctrina originem habet à Deo: ita impia doctrina oritur à diabolo. Ioan. 8. Diabolus homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius, supple, mendacii. Rursus hinc docemur, quæ sit fors sanctorum in hoc mundo, scilicet, ut sint semper afflictionibus expositi, ut ipsi semper insidietur Satanas, & malis suis artibus supplantare contendat. Deinde quod inter pios usque ad finem mundi uersabuntur hypocritæ, Ecclesiæ proditores, corruptores, atque latrones. Proinde hæc nos omnes excitare debent ad diligentem uigiliam, & sobrietatem, ut aduersario nostro, insidiatori Satanae, & eius affeclis, fortes in fide resistamus. Dent in primis diligentissimam operam Dominici gregis pastores, & caueant, ne sua oscitantia, & ignauia, pestis frugum, lolium, Dominicam corrupat segetem. Quare maturè, atque in tempore caueant, & laboranti medelam adhiheant, memores illius consilij Ouidiani,

Sanctorum fors in hoc seculo.

Diligentia pastoribus necessaria.

*Principiis obsta, serò medicina paratur,*

*Cùm mala per longas conualuere moras.*

*Vidi ego, quod fuerat primo sanabile, vulnus,*

*Dilatatum longæ damna tulisse moræ.*

*Dicimus assidue, cras quoque fiet idem.*

*Interea tacite serpunt in uiscera flammæ,*

*Et mala radices altius arbor agit.*

Et mox,

Porro Dominus non hinc reddidit omnes parabola parteis: uidelicet, Cùm autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem excreuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: vis imus, & colligimus ea? Et ait, non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere, &c. Quanquam filij Dei, sint filij regni, tamen hinc nihil est omni ex parte beatum: homines sunt libero donati arbitrio, sunt & uolubiles: unde aliquando dormiunt & labuntur, cessantque oscitantes, tam ipsi pastores gregis, quam ipse grex, nimium quandoque securus, cùm prouerbio iactatum sit, Quandoque bonus dormitat Homerus. Hac igitur occasione irrumpit Satanas, inimicus salutis nostræ in agrum Domini, falsam interserens doctrinam, hypocrisim, scādala, scelera, & prauas artes. Dùmque illa in lucem proruperint, miramur omnes, unde lolium illud infelix exortum sit: cùm apertum certumque sit patrisfamilias non aliud, quàm bonum semen in agro seuisse. Petunt serui, si eradicabunt zizania. Respondet Dominus, Non. Dominus non dicit simpliciter, non: sed, non: ne simul eradicetis cum illis & triticum. His significans, interdum simulandum esse, quando scilicet plus incommodaremus, quàm esse commodo, Ecclesiæ: uolentes mulctare pœna impios. Unde uidemus frequenter multitudini parci. Idque sit ratione finis, qui semper spectandus est, maximè in hoc negotio. Finis correctionis est, pax, & tranquillitas sanctorum, denique assertio diuinæ gloriæ, scan-

Pœna impiorum nõ semper acceleranda uel urgenda. Correctionis finis.

dalique excidium. Iam si Ecclesiæ perturbaretur incolumitas, & nomen Dei blasphemaretur, atque innumera excitarentur scandala, per importunam & intempestiuam cõsceleratorum pœnam, & multam: fatius esset paulisper dissimulare, quàm grauius animaduertere, ut faciliori compendio perueniretur ad optatum finem. Sed ubi periculum in commodi Ecclesiæ non est, quis quæso prohibeat colligere zizania, non expectata etiam messe? hoc est, hæreticos & cõsceleratos coërcere opprimeretque homines, præsertim cùm hoc ipsum aliis, & infinitis scripturæ locis præcipiatur, nullibi autem prohibeatur.

Messis uero, consummatio seculi est.

Messis, est dies iudicij extremi, & seculi consummatio: in qua utrunque regnum, & cœlorum, & Satanae, unà cum utriusque regni subditis, manifestabitur. Et sicut tempore messis secernuntur zizania à bonis frugibus, locoque distinguuntur, & usu, quæ prius erant commixta, sic quantum ad bonos, & malos, tum fiet, ueniet enim Iesus Christus in maiestate sua, separans impios à piis, non fecus, atque pastores, hæc ab ignis.

Messores autem, angeli sunt.

Messores sunt angeli, tuba canentes, Venite ad iudicium. Nam cum angelis ueniet Christus ad iudicium: & congregabuntur ad eum omnes gentes. Vbi angeli ministri erunt iustitiæ, & executores sententiæ tunc ferendæ per iudicem.

Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi.

Quemadmodum zizania in messe colliguntur à messoribus, & in fasciculos collecta, in ignem mittuntur, sic erit cùm aduenerit filius hominis in consummatione seculi. August. de quæstion. Euangel. Tribulatione præcedente (inquit) separabuntur impij à piis, quod per bonos angelos intelligitur fieri, quia officia uindictæ possunt implere boni bono animo: quomodo lex, quomodo iudex. Officia uero misericordiæ mali implere non possunt.

Officium uindictionis diuine commissum angelis.

Mittet filius hominis angelos suos, & colligēt de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

Filius hominis, æquissimus Iudex, eo tempore consummationis, in iudicij forma, & gloria manifestandus, mittet angelos suos, qui de agro, & regno suo, hoc est, præsentis Ecclesiæ, siue de mundo isto colligent omnia offendicula, falsa, & impia dogmata: id est, homines obnoxios hæresibus & sceleribus, & malo nexu colligatos præcipitabunt in tartareum ignem, ut in eo ardeant semper igne inextinguibili, sed & frigore torqueantur intolerabili. His duabus speciebus comprehendit grauisima quæque supplicia, & ineffabilia tormenta. Illic audietur grauis ululatus, & terribilis dentium stridor, pro amissis æternis bonis, & inuentis æternis malis.

Ignis et frigus damnatorum pœna.

Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum.

Vix hinc deprehenditur differentia piorum ab impiis, 1. Ioan. 4. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: sed cùm ille apparuerit, similes ei erimus, & uidebimus eum, sicuti est. Longè tunc alia erit retributio, ait Christus. Impij enim in obscurissimas tenebras præcipitabuntur: pij uero qui per me patris mei facti sunt filij, in me, & per me splendidissima gloria fulgebunt in regno patris mei supra claritatem solis. Hic locus alludit ad id, quod scribitur Daniel. 12. Et multi (inquit) de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobrium, ut uideant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle

Premia in alio seculo diuersissima.



in perpetuas æternitates. Obserua: fulgor est effectus uitæ æternæ. Item solis uocabulo commendat Matthæus magnitudinem, & maiestatem gloriæ filiorum Dei. Regni autem, & patris mentionem facit, ut ostendat iustos regnatos, & ut filios adoptiuos, possessuros suam hæreditatem, ad quam adoptati sunt.

### Qui habet aureis audiendi, audiat.

Epiphonema est, quo acclamat, & declarat Christus se loqui de re magna, & certa. Vnde vult attentissimos esse auditores, & parulas præbere aureis spirituales, ut hæc secum expendant: magis que eligant studium iustitiæ (cui responderet, & comes est salus, uita æterna, & illustris corporum clarificatio) quam studium impietatis, & hypocrisis, quod consequitur miseria perpetua, mors æterna, incendium, & opprobrium sempiternum. Frequens autem est hæc acclamatio in scriptura, præsertim in Apoc. Si quis habet aurem audiendi, audiat. Quasi dicatur: Hæc uerba fidelissima sunt, & uera, omni que attentione dignissima, quibus æquum est, intendat, quisquis aureis habet. Nam hæc quisquis audierit, & custodierit, fructum consequetur magnum. Audiet autem, si intellectum habuerit, & animum discendi cupidum. Sunt enim huiusmodi aures spirituales, necessaria: quia hæc omnia mystica sunt, & mysticè intelligenda.

### Simile est regnum cælorum thesauro.

Hac parabola de thesauro abscondito, & sequente de margarito (quas solus Matthæus memorat) Christus vult ostendere pretium Euangelii, & quanto desiderio oporteat ipsum suscipere & custodire. Obseruata thesauri natura & considerationis circumstantiis ad thesaurum pertinentibus, facilis intellectu fiet hæc parabola, omnium iucundissima, in eo, quod regnum cælorum comparatur thesauro. The-saurus, copia est facultatum, ad omnem euentum iam parata. Quicquid enim nondum paratum est, & ad manum non habes, non dicitur thesaurus. Iam in regno cælorum, est omnis felicitas, bonorum omnium abundantia, pax, gaudium, uita, &c. Ergo rectè regnum cælorum thesauro confertur. Et diuites sunt, quotquot regni cælorum ciues sunt. Vnde. 1. Corinth. 3. Paulus ait, Omnia uestra sunt, &c. Et. 2. Corinth. 6. Sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Ephes. 1. Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo. Et Roma. 8. Quomodo non eriam omnia nobis cum illo donauit? Porro thesaurus appellatur uerbum, à pretiositate, & quia uerè diuites, id est beatos, ac felices facit in Christum credentes. The-saurus non ex uno aut altero numo constat. Sic uerbum Dei multa in se habet bona. The-sauris omnes studemus: sic omnes uerbo studere debemus. Nihil non facimus, etiam charissima postponimus gratia thesauri accipiendi: sic nomine uerbi omnia postponere, etiam charissima quæque, debemus. The-sauros repertos, solidis feris & munitionibus obfirmamus: sic uerbum diligentissimè custodiendum est, ne aut securitate, aut oscitantia nostra tollatur à nobis. Cum magno thesauro accrescunt simul & pericula, & cura magna, iuxta illud, Quamto quis ditior est, tantò magis sollicitè uiuit. Ita sollicitos oportet nos esse de uerbo, quod mox uno periculo præsentè centum alia euenient, & pro uno diabolo accedent septem fortiores, tanta est horum inuidia, & tantus furor aduersus uerbi auditores, & credentes. Obserua: regnum cælorum thesauro, seu rebus terrenis simile fertur, ut ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita, ut per hoc, quod scit notum diligere, discat ignotum amare.

### Abscondito in agro.

Non omnibus patet hic thesaurus, neque palam expositus: sed absconditus est. Nam non in regia, & aula, ubi mollibus uestiuntur, reperitur: sed in agro, ubi simplicitas, & fecunditas est, ac ubi non statim queritur: nimirum in abscondito est. Mysterium enim est: ergo non cuius cognitus thesaurus, siue hoc regnum non o-

Solis fulgori gloria cælorum similis.

Aures ad audiendum.

Aures spirituales, necessariae.

Regnum cælorum comparari cum thesauro, inuendissimum. The-saurus.

Regnum cælorum uerè thesaurus.

Verbum, the-saurus.

mnibus obuium & cognitum est. Atque hæc est causa, quod à paucis ambitur. Quis enim amplectetur thesaurum incognitum? Verbum haud dubiè carni, & naturæ incognitum est, & absconditum prudentibus, & sapientibus huius mundi, ut supra, 11. cap. & opus habet reuclatore, scilicet Christo. Reuelatur autem paruulis. Abscondus dicitur hic thesaurus, quod summa cura sit inquirendus: totus hic thesaurus est in Christo, quem cum consequutus fueris, habes eum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, Coloss. 2.

### Quem qui inuenit homo, abscondit.

Hunc thesaurum (ait Hilarius) inuenisse est gratissimum. Proculdubio sicut Sauli, similiter & Dauidi nihil tale cogitantibus oblatum, & acceptum est ab eis regnum: Mulieri item Samaritanæ, uenienti ad hauriendam aquam, & nihil de gratia Dei cogitanti, oblata, donataque (consentienti) est gratia. Ita nobis nihil tale de prima gratia cogitantibus offertur cõtingitque illuminatio affectus, & amor lucis, quem abscondimus, non quod inuidia, & liuore id agamus, sed more seruantium, & nolentium perdere quod habent, abscondimus uerbum in corde, timentes, ne nobis ab aliquo eripatur.

### Et præ gaudio illius.

Quia in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ait Paulus Coloss. 2. & estis in illo repleti. Hic, qui inuenit thesaurum, uehementer gaudet: non iactat apud alios, ne quis sibi præripiat, sed in sinu gaudet, sibi que congratulatur, sentiens in hoc uno haberi omnia, quæ ad ueram pertinent felicitatem: & extra hunc nihil ueræ felicitatis esse: rursum eos omnibus numeris felicissimos esse, qui Deum uerè cognoscunt, & habent in se regnantem. Hoc gaudio gaudebat Dauid, dicens, Dominus regit me, & nihil deerit mihi: in loco pascuæ ibi me collocauit. Et alibi, Beata gens, cuius est Dominus: & populus, quem ille sibi elegit in hæreditatem. Obserua: gaudium est effectus uerbi reperti. Describit autem hic summam totius Euangelij, quæ in hoc consistit, ut faciat tranquillitas & gaudentes conscientias. Rursum obserua: thesaurum inuenire, est tangi spiritu charitatis, & rapi amore cælestium: qui amor efficit, ut gaudeamus uendere, hoc est abdicare omnia nostra propter Christum.

### Vadit, & uendit uniuersa, quæ habet.

En studium hominis, salutis suæ cupidi, & fides erga uerbum. Is non diu delibet de recipiendo uerbum. Credit, nec curat charissima quæque uerbo postponere. Adumbrata, & ad uiuum depicta est huius hominis fides iuxta fidem Abraham: qui Genes. 12. cap. relicta patria acquiescit uerbo, quod longè præfert patriam. Similiter & in Paulo, qui præ gaudio reliquit synagogam, & magnos magistratus: imò Philipp. 3. ait, Propter Iesum omnia detrimentum feci (id est omnium iacturam feci, siue, præ Iesu omnia mihi damnosa uisa sunt) & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Hoc faciens, uendit omnia, quæ habebat, hoc est, seipsum abnegauit. Nam qui semel ex uerbo Euangelij intelligit omnia se in Deo per Christum habere, omnia, quæcunque habet, in hoc impendit, ut Christo fruatur: ubi autem ipse uerè frui cõperit, ea quæ aliquando uidebantur illi pretiosissima, nunc pro rudibus & fimo habet. Sentit enim Christum, cuius odor non patitur mundi, & deliciarum eius fetorem: vadit igitur, id est, à mundo deficit, & non grauatim uendit omnia, id est, seipsum abnegat. Qui enim propter regnum cælorum non sustinet terrenam substantiam, imò & uitam propriam, si necessarium fuerit, expendere, is profectò nondum thesaurum hunc cælestem agnouit. Haud dubiè natura comparatum est, ut libenter, quod minus est, impendamus, ut acquiramus, quod maius est. Huius thesauri natura est, ut acquiri non possit ab illis, à quibus lato terrestri postponitur. Vnde & adolescens ille, infra. 19. cap. qui à Domino

The-saurus uerbi absconditus.

In Christo the-sauri omnes.

The-saurus ubi repertus, exhilarat. Gaudium. Summa Euangelij.

Verbum inuenire, quid.

Fides per uerbum.

Vendere omnia propter uerbum.

Regnum cælorum non emittit, qui non nouit.



abibat, tristis, quòd dictum esset ei, ut uenderet omnia, & daret pauperibus, & Christum sequeretur, sua mœstitia fatis apertè docuit, quàm non agnouerit pretium regni cœlorum.

### Et emit agrum illum.

Cōflata, quāta potuit, pecunia, ex diuēditis omnibus suis possessionibus, emit agrū, qui uoluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinā cœlestis custodiā calcat: non tamen tam emit agrū, quā thesaurū. Agrum emit, hoc est, renuntiat carni, & mūdo, ut habeat thesaurū. Ager illi charus est propter thesaurū: alioqui non tanti fecisset agrū. Imò, ut hic textus habet, non emit thesaurum, qui incomparabilis est, nihil dat Domino agri pro thesauro: sed hoc dat, id est, spoliat, & abigit ueterem hominem, offerens cor, & animum Domino. Et statim in corde habetur & possidetur thesaurus. Quòd si ager terrestris est, & uilis, oportet meminisse eius, quod ait Paulus, 2. Corinth. 4. Habemus autē thesaurum istum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis. Roma. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, pater. Proinde uidentur mihi sacra scriptura, prædicatio, inopia, & reliqua, quæ infra 25. cap. expenduntur, ea esse, in quibus reperitur Christus. Sitiui (inquit) & dedistis mihi potum. Esuriui, & dedistis mihi manducare. In carcere erā, & uisitastis me. Ergo ubi ubi officia charitatis exercuerimus, & fecerimus, ememus agrū, in quo tantus reperietur thesaurus, Iesus Christus. Obserua clauem scripturæ: Non omnia in parabola, siue non omnes similitudinis partes ad mysticum sensum semper referendæ sunt, sed sufficit, quæ instituto seruiunt, afferre, & accommodare. Ut quòd is, qui inuenit, non reuelarit thesaurum, ne Dominus agri pluris uēderet agrum, aut retineret, aut alteri uenderet. Hoc esset fallere. Satis est hac parabola cognoscere, quanto studio uerbum Dei recipiendum custodiendumque sit: & ex illa accipere, quod ad scopum pertinet.

Iterum, simile est regnum cœlorum homini negotiatori.

Ad eundem refertur scopum præsens parabola margaritæ quæ significat, Euangelio seu uerbo dei, regnūque Dei negotio non esse ullum in orbe pretiosorem, aut præstantiorem thesaurum. Propterea que manibus, pedibusque enitendum, acco-  
nandum omni studio, ut uel omnium bonorum nostrorum iactura incomparabilem hunc thesaurum (omnia bona continentem) inquiramus, & inuentum adsequamur, assequutum summa fide ac diligentia custodiamus. Simile est, &c. Id est, si negotiatoris optimi parteis, & studium diligenter consideraueris, qui rem pretiosissimam empturus abit, & emere querit, uidebis uerè, & ad uiuum expressum esse uerbi, seu Euangelij negotium, ipsumque regnum cœlorum. Hic regnum cœlorum accipitur pro præsentē Ecclesia, cuius membrum est, negotiator homo, qui iam uerbo negotiari cœpit, sed opus habet, ut excitet urgeatque, quod cœpit.

### Querenti bonas margaritas.

Studium huius negotiatoris eò respicit, ut inueniat margaritum pretiosissimū. Otioso autem, & nihil querenti non contingit margaritum. Videtur hinc species pro genere poni, hoc est unio pro omnibus gemis, seu pretiosis lapidibus, pro smaragdo, saphiro, topazio, chrysolito, ac reliquis. De margaritis plura Plinius tradit, lib. 9. ca. 35. Ibi, Principium (inquit) culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent. Obserua: dicitur hoc margaritū penultima producta: similiter hæc margarita, margaritæ, & margarites. Seruius declinat margaritis margaritidis.

Inuenta autem una pretiosa margarita, abiit, & uendit omnia quæ habuit: & emit eam.

Adumbratur nobis ingenium eorum, qui margaritas cœmunt: quo labore, quo studio, quibus periculis eas regiones adeant, in quibus margaritas uenales inue-

niat: quo sumptu illas emat, quibus itē curis distrahat. Est optimi negotiatoris nullis grauari laboribus in exercēda sua negotiatione: nullis, quāuis oppidè quāmultis, parasangis, & quantumuis longis peregrinationibus, nullis item periculis à negotiatione distrahi & deterreri. Talē negotiatorē describit poeta quidā dicens,

*Impiger extremos currit mercator ad Indos,  
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

Studio suæ negotiationis magnus ille negotiator Paulus nihil non cūm periculis laborum sustinuit. 2. Corinth. 11. Ministri Christi sunt, & ego. Ut mihi nus sapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundatius, in plagis supramodum, in morribus frequententer. A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore, & erūna, in uigiis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Ita oportet quemuis studiosum uerbi Euangelici, nullum non mouere lapidem, nihil non periculorum, & laboris subire, ut gemmā uerbi Domini, adeoque ipsum Dominum Iesum Christum (quem margarita Euangelica, & docet & repræsentat) requirere, & inuentum complecti. Deinde boni negotiatoris est, occasionem emendi, & rursus uendendi merces obseruare. Ita & negotiatoris Euangelici, hoc est, hominis pij, est occasionem oblatis uerbi obseruare, & aliis studiosè impartiri, uigilareque, ne sua oscitantia amittat oblatum uerbum. Dum lucem habemus, hanc excipiamus, ne quæ fronte nunc est capillata, post hæc occasio calua sit. Tertio negotiator libenter agit cū negotiatoribus. Ita hunc negotiatorē Euangelicum non pudebit fratrum suorum, sed cum illis de uerbo aget, & conferet, &c.

Porrò hic negotiationes sunt uariæ, respectu uariarum mercium. At una est certa negotiatio, quæ de margaritis agitur. Hunc negotiatorem uocant iubilatorem, qui re quapiam ad eò exultat, & gaudet, ut nequeat suum gaudium neque continere, neque satis explicare. Hic iubilator eò egreditur, ut emat margaritas, nihil curans de aliis mercibus: imò & si plureis uiderit margaritas, tamen unam pretiosam, relicta aliis, non ita pretiosis, emet. Nam etiam si uiderit oblatum aliud uerbum, forsatis in speciem pretiosum, tamen nō illud curabit, sed eo relicto, sequetur purum uerbum, & pretiosum, quod solum præferet, & commendabit, & in quo solo lætabitur. Et quia hic negotiator iubilator est, emit margaritam illam summa cura, omnia enim sua uendit, ut illam emeret. Hoc autem fit, cū abnegatis nobis ipsi, & calcato uniuerso mundo, ex animo fidēque uiua Christū, ac ueritatem eius, seu Euangelium recipimus, & huic ceu primo soli que bono, ac æternæ ueritati innitimur, adhærentes Christo: redemptori. Hoc sua doctrina, & exemplo docuit bonus ille negotiator Dauid, psal. 118. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Et eodem psalmo, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo, psal. 118. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multū, & dulciora super mel & fauum. Huius parabolæ summa docet, occasionem oblatis uerbi non esse negligendam, ut, quemadmodum mercatores maximo studio margaritas præstanteis inquirunt. Ita & quisquis est cupidus suæ salutis, summa cura gemmam uerbi Dei, imò ipsum Iesum Christum requirere, & inuentum amplecti, & in sinu charitatis custodire, & meditari in lege eius die, ac nocte, ut det fructum in tempore suo, consuescat. Obserua, uero & uiuo uerbo omnia esse postponēda. Rursus aduerte uocem, una, quasi dicat, non plureis margaritas, sed unam, hoc est, unum Christū, unam legem, unam fidem, unam Ecclesiam catholicam querito: extra hanc margaritam non est salus, nulla ueræ diuitiæ, nulla uera uita, sed labor,

Negotiatori est in primis esse impigros. Horat.

Paulus, negotiator nobilis.

Omnis in unius margaritæ comparatione cura fit.

Vendere omnia sua unius margaritæ amore, quid.

Dauid probus negotiator.

Nulla occasio proficiendi ad pietatē, negligenda.

Thesaurus cœlestis omnino pretio maior

Ubi nō Christus reperitur.

Multa ferè in parabolis præteritur sine mysterio.

Euangelium, margaritam est pretiosissimum.

Regnum cœlorum.

Margaritæ, omnium rerum pretiosissimæ.



& languor perpetuus. Est quidem doctrina ciuili iustitiæ, margarita: similiter & medicina, aut alia huiusmodi, sua æstimatione digna, ut ematur. At non est pretiosa illa margarita, uiuens æternum, & conseruans in uita æterna, & beatitudine perpetua quotquot illam, non dico possident tantum, sed & pio seduloque affectu tum amant, tum inuestigant, ut aliquando possidere possint.

**Iterum simile est regnum cœlorum, sagenæ missæ in mare,  
& ex omni genere piscium congreganti.**

Hæc parabola (quæ ordine septima est) idem declarat, quod superior illa de zizaniis: esse scilicet & bonos, & malos, pios, & hypocritas in Ecclesia, quos, quia secundum externam speciem nemo commodè separare potest, in fine seculi separabunt angeli, uerè pios ad uitam æternam colligentes, hypocritas uerò ad æterna supplicia. Regnum cœlorum & sagenæ, Ecclesiam & uerbum Dei significant, quod est simile sagenæ iactæ in mare, extrahenti bonos & malos pisces: hoc est uerè pios, & hypocritas. Mare adumbrat mundum, plenum fluctibus, & procellis, ipsosque homines in hoc mundo uiuenteis, & uariæ obnoxios fortunæ. Pisces uocatur promiscuè homines omnes in generali Ecclesia. Sed inter hos pisces, boni quidè alij, alij autem mali sunt: sic in Ecclesia promiscuè & boni homines, & mali sunt. Boni sunt bifariam, primùm metu pœnæ: sed hi boni sunt in speciem, & titulo tenus, iuxtaque externam faciem. Hi enim, nisi lege coercerentur, peccaturi essent, iuxta illud, Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Hæc iustitia dicitur simulatiua & hypocritica, prima fronte splendida, sed intus affectibus pietati repugnantibus conspurcata. Et hi thesaurum ignorat, hi legem oderunt, & dolent se non posse explere cupiditates suas: tantum abest, ut gaudeant de thesauro inuento. Boni uerò spiritu charitatis, hi sunt ex animo boni, qui ex animo fastidiunt cupiditates suas. Horum iustitia non est simulatiua, sed uera, & solida, & superior affectibus carnis. Hi sunt, qui oderunt peccare uirtutis amore. Proinde ut omnes pisces frigidiori, humidiorique temperatura sunt: ita omnes homines per se sunt frigidi, & humidi, nisi aliunde calidioris naturæ fiant: sic homines spiritu sancto, & igni efficiuntur per uerbum (illud opere sequentes) boni, & calidi, & aliam naturam ab ea, quam habent ex natura, induunt: id quod fit in baptismo, & renascentia. Hypocritæ, frigidi & humidi manent, quia non renascuntur. Ideo sua humiditate crescente submerguntur. Ad hæc ut magna est uarietas piscium in mari, alij enim alijs sunt melioris succi. Ita inter uerè pios, unus quidem est scopus, & finis: sed magna est uarietas, quantum ad illorum usum atinet. Sagenæ (σαγήνη) penultima producta Latinis dicitur uerriculum, seu paruum rete, à uerrendo mari dictum, quod ingens longissimis funibus circumducitur. Quia sagenæ rem cognatam habet, nimirum aquam, siue mare, quo significatur crux: ideo adumbrat ipsum Euangeliū, quod non per seipsum prædicat, sicut nec sagenæ seipsam mittit in mare, sed per pisces uult mitti. Ita & Euangeliū uult non per angelos, sed per homines, & hos pisces, pauperes, & humileis prædicari. Huc pertinet, quod Christus ait supra 4. ca. Petro, & Andrea, Venite post me, & faciã uos fieri pisces hominũ. Vnde impletum est quod prædixit Hier. 3. ca. Et dabo uobis pastores iuxta cor meum, ut pascãt uos scientia & doctrina. Adde, quod ut pisces spe piscium capiendorum sagenam iaciunt: ita & prædicatores Euangeliū prædicant, ut homines euangelico reti irretiant. Sed ut nõ semper est in potestate piscatoris capere pisces: ita nec in potestate prædicatoris, conuertere auditores Euangelij, quod hoc fiat benedictione Dei. 1. Cor. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. Præterea sicut uariis afflictionibus marinis afficiuntur pisces, ita & cruci prædicatores sunt subiecti. Sua piscatione pisces uictum nanciscuntur, ita

Sagenæ, uerbum.

Mare, mundus.

Pisces, homines.

Bonorum genera duo.

Horatius.

Germanus & ex animo boni.

Sagenæ.

prædicatores pisces sunt.

ita prædicatores à suis auditoribus nutrir debent. Ut pisces non despondent animos, nec suam abiiciunt piscationem, quod non magnam aliquando piscium copiam acceperint: ita prædicatores nec animos demittere, nec suam uocationem deserere debent, licet non statim multos ad Euangeliū conuerterint. Quemadmodum sagenæ perforata est, & foraminũ plena, per quæ minutuli pisces erumpunt, uel potius excidunt: ita nondum confirmatis spiritu sancto de uerbo, facillè occasio contingere potest relinquendi Euangelium: quanquam elapsi pisces, si in littore manserint, facillè iterum capiuntur à piscatoribus, qui uerò in mare, & profundum prolapsi sunt, non itidem: ita lapsi ex infirmitate aliqua & peccato leui, possunt à prædicatoribus capi: redeunt uerò in mundum, & in mundo, seu profundo mundi natantes, non possunt, nisi magna admodum cum difficultate sagenæ euangelicæ irretiri. Quæ ut contrahit omne genus piscium: ita Euangeliū colligit omnis generis homines, siue Iudæos, siue Græcos: & hoc sine respectu, & acceptione personarum. Vult enim Deus omnes homines, saluos facere, ait Paulus. Et omnes inuitat Christus uenire ad se, ut uisum est superiore capite. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Vnde hac similitudine, & hoc uerbo, ex omni genere, &c. declarat regni cœlorum prædicationem non in unius Iudææ angustiis concludendam, sed dispergendam in uniuersum orbem, & omnis generis nationes, & homines comprehensuram.

**Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserunt.**

Comprehendit quidem sagenæ pisces omnis generis, sed nõ omnes æquè in uasa piscantium reponuntur. Nam cum impleta est sagenæ, hanc trahunt pisces ad littus, iamque sedentes in sicco, seligunt pisces bonos, & utiles humano usui, ab illis, qui nullius sunt usus, & pretii apud homines, bonos quidè in uasa reponentes, malos uerò foras proicientes, tanquam nulli bono usui seruietes.

**Sic erit in consummatione seculi.**

Accommodatio parabolæ est, In consummatione seculi sic erit. Quandoquidem sagenæ trahetur ad littus, id est, prædicatio euangelicæ cessabit, traditum erit tunc regnum Deo & patri per filium. 1. Corinth. 15. & finis erit.

**Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.**

In iudicio per ministerium angelorum separabuntur mali à bonis. Exibunt enim angeli, dispecturi, quid trahat rete euangelicum: nec sinent amplius malos bonis admixtos intra eandem sagenam: sed ex meritis, nõ ex professione quam existimabant, & malos semouebunt à consortio iustorum. Vox, separabunt, indicat reuelationem filiorum Dei, de qua scribit Apostolus Roma. 8. Nam expectatio creaturæ (inquit) reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non uolens: sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Dicit, malos de medio iustorum, quod hypocritæ in hoc mundo, sic pijs & bonis impliciti, & coniuncti sunt per externam quandam pietatem, & participationem sacramentorum in Ecclesia, ut non uideantur, & separentur, nisi iudicio Dei, siue particulari in morte, siue uniuersali. Ut enim neque cognoscuntur neque secernuntur arbores steriles, aut mortuæ, à frugiferis, nisi uere prodeunte: ita in hoc mundo, ceu in hyeme, non agnoscuntur boni & mali distincti, donec aduenerit uer, hoc est, iudicium illud, in quo boni à dextris, & hypocritæ à sinistris uidebuntur, inter se seiunctissimi.

**Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dētium.**  
Pij congregabuntur cum suo capite, cum quo regnabunt uiuentque in æternũ: impij autem & hypocritæ addicentur perpetuis cruciatibus. Hunc cruciatum per-

Euangelicæ sagenæ contrahit homines omne genus.

Separatio malorum à bonis per angelos.

Reuelatio filiorum Dei.





petuum explicant caminus, id est, fornax, ignis, fletus, & stridor dētium. Cauent igitur sibi hypocritæ, quibus tunc non proderit, quod modò in cœtu sacro sacras audiunt conciones, quod orant publicè cum sanctis, quod in Ecclesia non arceantur à sacramentorum communione: quod denique nomine & titulo tenus recensentur in numero sanctorum. Certè præter hæc opus est solida pietate, fide, charitate, & innocentia, ac uitæ puritate. Resipiscant igitur, dum tempus habent: & deposita hypocrisis, ingenuè & ex animo requirant Deum, apud quem misericordia est, & copiosa redemptio.

## Intellexistis hæc omnia?

Conuersus ad discipulos Dominus Iesus, & uolens eorum excitare animos, proponit hanc interrogationem, & utilem quæstionem: ostendens, in quem finem has produxerit parabolas, & quid in ipsis obseruare oporteat, non modò ut rectè intelligantur, & ut commendatiora sint nobis mysteria regni Dei: sed ut ministri quoque uerbi Domini hoc exemplo discant, parabolis & omnigena eloquutionis gratia erudire populum. Rectè ne (inquit) ea, quæ modò loquutus sum, intellexistis? an ampliorem dictorum quæritis declarationem? Intellexistis, id est, creditis, & animo amplectimini, quæ modò dixi? Opus est fide ad intelligentiam, doctore Isaia dicente, Nisi credideritis, non intelligetis. Vnde non dixit, audistis, sed intellexistis. Audiunt quidem, qui corporaleis habent aureis, sed non intelligunt, nisi spiritus talis adsit auditoris.

## Dicunt ei, etiam.

Respondent Apostoli: Satis hæc, quæ hæcenus dixisti, intelligimus, tua declaratione adiuti. Rerum spiritualium nondum erant periti, nec in illis uersati: ideo datum illis est, ut paulò antè audiuius, noscere mysteria regni Dei.

## Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum.

Hæc parabola ed tendit, ut doceat omnis generis eruditionem ac probitatem, ut ex piscibus bonis ex sagena collectis docetur, requiri in uero doctore Christiani populi. Scribæ Hebræis, nō scriptores, sed scripturarū legisque periti dicebatur, qualis Esdras prædicatur fuisse. Regnū cœlorū hīc uocat, Ecclesiā credentium, in qua solum uerè docti Scribæ. Scriba doctus in regno cœlorū, uocatur solidè intelligēs uerbum, & simul aptè docens ac faciens. Siue qui ad prædicandum Euangelium doctus sit, id est, instructus per Dei spiritum, & uocatus, ut Aaron, Hebr. 4. ut regnum cœlorum magnoperè promoueat. Paulus. 1. ad Timoth. 3. uult episcopum *δοκίμου* esse, id est, qui aptè doceat, qui uerbum aptè secet, qui methodicam illā, & certam, quæ ex methodo est, uiam inter docendum seruet. Imperiti putant eum esse scribam, siue Ecclesiasten doctum in regno cœlorum, qui multos scripturæ locos, ut scriptos, repetit aceruatim, & sine delectu inducit. Et si quem audierint, qui non multos usurpet, sed rem ipsam clarè & per similitudines dicat, prout putauerit exigere captum auditorum, eum putant non esse doctum, cum tamen hoc ipsum sit hominis, docti in regno cœlorum.

## Similis est homini patrifamiliās, qui profert de thesauro suo noua &amp; uetera.

Qui destinatus est doctor populi, ut doceat mysteria regni cœlorum, confertur prudenti & opulento patrifamiliās, qui sibi parauit domi thesaurum quendam de omni genere frugū, ac inde hospitibus suis fructus omnis generis & uina noua siue horna, id est huius anni, & uetera, id est, superiorū annorū, pro cuiusque palato proferre potest. His uerbis tantundem significat Dominus, ac si diceret, Quia instituedi estis per me prædicatores & doctores orbis, & dicitis, uos hæc, quæ hæcenus sum loquutus, intellexisse, hæc & huiusmodi uobis multa discenda sunt, & in memoria penario reponenda, quæ mox ad omnem occasionem possitis de-

promere, siue præmiis alliciendus sit auditor, siue suppliciorum metu territandus. Operapretuū est pectus ecclesiastæ seu prædicatoris Euangelici esse quendam mundum, ac diuitem, & opulentum thesaurum sapientiæ diuinæ, & uarietate eruditionis: è quo in auditores dimānet suauis & instructissima pietatis doctrina, nunc parabolis exornata, nunc exemplis culta, mox sententiis cum ex ueteris testamenti, tum ex euangelica philosophia libris, illustrata, reliquisque eloquutionis speciebus distincta attemperataque, prout auditorum utilitas exegerit. In unum certe conspirant uetus, & nouum testamētum: unam pronuntiant ueritatem, utrunque unum Christum docet. Ab utroque peti debet ueritas, licet diuersus sit modus atque habitus orationis, qua ueritas proponitur. Proinde sit plerunque, ut ineptia cōcionatoris hispida & ignari, auditoribus reddatur ipsa ueritas exosa. Quod frequenter & in aliis disciplinis euenit. Paradigma sumamus in medicina. Quemadmodum enim frequenter medicina, quæ ægrotis grata & non amara uideretur, non grauatim sumeretur, si temperata offerretur: sed quoniam imperitia, & stupiditas medici medicinam ineptius condit, & gustum ei addit ægrotis ingratiissimū, fit, ut & ægrotus haustā reuomat, & percat medicina inefficax & inutilis, satis alioqui futura salubris, nisi sua ineptia hanc uitiasset imperitus medicus. Ita fit in prædicatione ueritatis, quæ pluribus non sua culpa, sed prædicantium ineptia, audacia, proteruita, aut incommoda lenitate leuitatēque nimia parum sit salutaris. Væ igitur illis, quorum uitio contemnitur uerbum Dei. Satius esset taleis agere pastores porcorum quàm populorum. Ad hunc locū pertinet, quod scribitur. 1. Corin. 4. de dispensatoribus, & uirtutibus ad dispensationem spectantibus. Verum dispensatorem spiritalem & hunc patrem familiās proximè retulit Paulus, cum ubique, tum apud Ephesios, quibus dicebat, Act. 20. Quapropter contestor uos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiauerim omne consilium Dei uobis.

## Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas.

Pergit Euangelista, quæ Christus gessit, imò quomodo in patria acceptus est, describere, idque facit succinctius, quàm Lucas. 4. ca. & Marcus. 6. cap. qui satis apertè docent, quæ hīc Matthæus narrat, non multum ab initio prædicationis Christi, certè antequam prædicatum ablegasset discipulos, gesta esse. Lucas uerò scribit, Cum Dominus uenisset Nazareth, secundum consuetudinem ingressus est synagogam, atque, ut legeret, surrexit: mox accepto libro, & explicato, inuenit locum Isa. 61. Spiritus Domini super me, &c. De quo supra, 9. ca. diximus. Quod subinde scribit Lucas, quosdam dixisse, Nōne hic est fabri filius, &c. id de peruersis, ac quærentibus, unde admirabilem Christi doctrinam calumniarentur, accipitur: qui iidem offendebantur in eo, ut Matthæus, & Marcus habent.

## Transiit inde.

Posteaquam parabolas istas coram turbis palam proposuisset, & coram discipulis secretò exposuisset, mutauit locum, quò latius spargeretur doctrina Euangelij.

## Et ueniens, in patriam suam.

Natura comparatū est, ut dulci & suauis affectu patriā nostram amplectamur. Et quanuis à nostratibus malè interdū accipiamur, tamē patriæ nō possumus nō meminisse. Christus autē, qui nostrā naturā induerat, induit & nostros affectus pro similitudine absq; peccato, ait Paulus. Ideò Christus hūc quoque affectū, uidelicet amorē patriæ induit, & relicta Capharnaō urbe celebri, uenit Nazareth, ait Lucas, obscurā quidē ciuitatū, patriā tamen suā, in qua non natus, sed nutritus fuit, ut popularibus & ciuibus suis regnum cœlorum afferret. Exemplo Christi docemur benefacere omnibus, in primis uerò patriæ: cui si quis uolēs, & data opera nocue-

Hypocritarū spes, uana.

Qui credit, intelligit.

Scribæ.

Regnum cœlorum. Scriba doctus in regno cœlorum.

Ecclesiastæ pectus uina quædam scaturigo sit, unde omnia pmanur in uisum Ecclesiæ.

Utrunque testamentum unum &amp; idē docet ac promittit.

Veritas prædicata parū nonnunquā prodest uitio prædicatorum.

Paulus, ipse simus paterfamilias.

Soli natalis amor natura infusus unicuique.

Nazareth, ciuitas nutritia Christi.



rit, non uideo, quomodo hominis nomine dignus sit. Vbi uerò, quando, quid, & quomodo apud Nazaros docuerit, discito ex, 4. Luc. qui singula describit exactius.

### Docebat eos in synagogis eorum.

En Christi doctoris & regis officium. Lucas. 4. hunc locum apertius scribit, Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et ut reuoluit librum, inuenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, &c. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro. Et sedit, & omnium in synagoga oculi erant intendentibus in eum. Cæpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Tametsi Christus non fuerit subiectus humanis synagogarum ordinationibus, & uocationibus, quippe qui paulò antè, uoce cœlesti, & Spiritu sancto è cœlo delapso ad officium docendi uocatus & sanctificatus fuerat, tamen quia hominem induit, humanis quoque legibus, & ordinationibus obediit. Ex quo apparet, ipsum non, nisi obseruata synagogæ ordinatione, ad legendum assurrexisse. Quare si quis uolebat apud Iudæos legere, docere, aut concionari, licebat, obseruata interim publica, & legitima synagogæ ordinatione, nimirum si ad locum lectoribus, & doctoribus dedicatum à principibus uocaretur, & ibi sederet. Alioqui si unicuique licuisset sine ordinata uocatione in medium prorumpere, & concionari, quæ turba fuisset magis confusa? Vnde in actibus Apostolicis, cap. 13. Lucas scribit, quòd Paulus & Barnabas ingressi sunt in die sabbathorum synagogam Antiochiæ Pisidiæ, & sederunt, supple, in loco, qui lectoris aut concionatoris præscriptus erat. Post lectionem autem legis, & prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos dicentes, Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Ita & hodie seruari debet legitima ordinatio, ut nemo concionatoris honorem sibi sumat, nisi uocatus, ut Aaron, & missus sit ab episcopo, aut talem habente potestatem, sicuti uidemus in Ecclesia catholica obseruatum. Publicæ ordinationes in conuentibus populi propter decentem honestatem, concordiam & debitum ordinem institutæ, non sunt profanæ, sed diuinæ ordinationes. Quare qui temerè sibi usurpant officium docendi in Ecclesia, aut publicam concionem in Ecclesia interrumpunt, hi peccant in Dominum, & inter seditiosos numerandi sunt. Nam non est Deus dissensionis autor, sed pacis, ait Paulus in prioribus ad Corinthios. Et mox addit, Omnia decenter, & secundum ordinem fiant. Obserua: Si Christus sabbathi diem hoc studio custodiuit, ut scribatur hoc illi fuisse consuetudini, cum tamen nihil ipsi opus esset lectione Moysi, quid excusationis habebunt hodie, qui uel nimio fastu uel contemptu Ecclesiam Dominicis & festis diebus negligunt, in qua non legis obseruatiuncula, sed doctrina uite traditur? Quis non uidet hinc Christum, bonæ consuetudini sua præsentia seruisse?

### Ita ut mirarentur, & dicerent.

Declarat Euangelista, quomodo Christus exceptus fuit in patria sua, & quomodo populus affectus fuit ad prædicationem uerbi Dei. Propter duo in Christo, pariebatur in illis grandis admiratio. In Christo enim relucebat incòparabilis quædam in sermone sapientia. Secundò diuina & admirabilis uirtus in opere, quæ quos uis sanabat. Mirabantur quidem omnes, unde tanta docendi gratia, uirtus, atque potentia: non autem mouentur ad pœnitentiam, quia non intelligunt illa sibi doctrina opus esse: neque credunt eum esse Christum, quanquam se Christum esse & sermone, & miraculis ostendebat.

### Vnde huic sapientia hæc, & uirtutes?

Vox, huic, emphasim habet. Debuisse hæc ipsis Nazareis satisfuisse, ut cõuenterentur, & respicerent, audito sermone admirabilis & salutiferæ sapientia, & ui-

Christus homo, humanis ordinationibus paruit.

Ordinationes ritè factæ, non profanæ sunt, sed diuinæ.

Christum & doctrinam & uirtutem admirabilem reddebat.

sis miraculis: sed malunt considerare, unde petant offendiculum, nimirum ex humilitate generis, quàm quæ ad salutem faciebant. Vnde (aiunt offensi) habet hanc doctrinam Iesus, & an amplius aliquid sit, quàm purus homo: hi nihil uident, suam malitia occæcati. Offendebantur in Christo, quòd ipsis notus esset, & apud ipsos educatus: deinde quòd uideretur conditione humili & contempta esse, nempe fabri filius, unde dicunt.

Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius, nónne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.

Superiore capite. 12. declarauimus, qui essent fratres Domini. De Iosepho patre putatio mentionem fecimus supra. 1. cap. Vnde huic (aiunt isti) de pauperibus & indoctis parentibus nato, in familia ignobili educato, cuius tota progenies, neque literas nouit, neque mira operari, unde inquam ista omnia? Tanta uidelicet sapientia, tanta facundia, tanta confidentia, ac denique tam magnifica potestas edendi prodigia? Paulò antè, multitudo Christum honorificè exceperat, & subinde mox refrixit. Sed iste est plebeculæ genius, ut vulgò neque mobilis, neque inconstantius quicquam reperias: imò ut iudicio eius nihil est præcipitatus, ita nullam unquam mediocritatè seruat. Aut enim extremè laudat, aut perditissimè execratur. Et què modò in cœlù, si queat, posuisse cupit, eum mox diris omnibus deuouet. Primò non mediocri fauore illù exceperunt, nec fastidiebant generis humilitatè. Sed ubi calor ille tẽporarius refrixit in ipsis, tãto maiore fastidio ipsum contemunt, quãto honoratius ipsum prius exceperunt, & tractarunt. In primis autè fastidiunt ipsum propter generis abiectionem, deinde propter ignobilitatem artificij, quod exercuerat cù nutritio suo. Nónne hic est (inquiunt) filius fabri, &c. Hæc est humana sapientia, quæ sentit, quòd qui in hoc seculo ob generis, & artificij uilitatem, non magni reputatur, is nec coram Deo pluris æstimetur: & qui in hoc mundo contemptibilis est, is nec apud Deum gloriosus sit. At hæc sapientia mera est stultitia, imò impietas. Tantò enim magis apud Deum nobilis est quicumque timet Deum, quãto in hoc seculo contemptior est. Quis (inquit psalmus) sicur Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Magna haud dubiè in his regnat tum cæcitas, tum impietas. Habent oculos Christi admirabilem sapientiam, & uirtutem conspicuam, qua debebant respicere, & ad fidem promoueri: sed prò dolor, relicta, & contempta utraque, malunt desistere oculos in personam, ut quòd sit humilis & abiecta: & hac impingi & offendi, quàm sapientia & splendore illustrari, & sublimitate ad fidem promoueri. Habent, quod prætexant, scilicet, ne credant, & respiscant. Primò prætexunt, quòd sit fabri, & pauperis hominis filius: quasi uerò credidissent, & non fuissent offensi, si non fuisset uisus fabri filius. Cur ergo ò Nazareni non credidistis Ioanni, de Iesu testimoniù perhibenti, quòd Messias esset, in lege, & prophetis promissus? Clarus erat Ioannes & genere, & profapia: is non erat fabri, sed sacerdotis filius, cuius natales apud Iudæos minimè erant obscuri. Secundò offenduntur, quòd sciant, unde sit natus. Vnde Ioan. 7. dicebant Ierosolymitæ, Sed hinc scimus unde sit: Christus uerò cum uenerit, nemo sciet, unde sit. Sed enim creditur in eum si fuisset ignotus? nequaquam. Nam ita legitur Ioan. 9. Nos scimus, quia loquutus est Moysi Deus, hunc autem, nescimus unde sit. Hi scandalizantur, quòd nesciant unde sit: alij, quòd ipsis esset cognitus. Hæc profectò ferè est natura reproborum, & malignantium, ut quacunque uia ad ueritatem pelliceantur, semper offendantur, & habeant, quod prætexant. Hos imitantur hodie non pauci, qui in concionibus obseruant, non quid sit, quod docetur, sed qui sint illi, qui doceant.

O o iij

Humilitas generis Christi offendiçulo est Nazareis.

Vulgi inconstancia erga Christum.

Sapientia humana stolidum iudicium.

Hodie, ut olim, maior ratio ministro habetur, quàm uerbi.



Obserua: quia rationis iudicium tantum hæret in externis, ideo statim rapitur in admirationem, & talia suppeditat offendicula. Quare hic docemur, ut doctrinam ex se ipsa, non ex personis metiamur. Contemptis enim personis, facile cõtemnitur & doctrina, facile contemuntur & officia personarum.

Iesus autem dixit eis.

Incredulitatem & duritiam cordis Nazaræorum Christus increpat, qui hominem non ex ipsius uirtutibus, sed ex fortunis, generisque splendore æstimarent.

**Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.**

Apud Luc. 4. huic sententiæ adiūgit Dominus exēpla Eliæ, & Elizæi, huc pertinentia, q̄ gentiles sanctius iudicārint, de Iudæorū prophetis, ac plus reueriti sint prophetas, quā Iudæi ipsi. Vnde hanc obiurgationē ab antea actis ducit Christus. Quasi dicat, Contēnitis me, prophetā missum uobis: sed hoc non nouū est uobis, & uestro generi, quod nūc facitis, qui contēpistis eos quoq; qui ante me uenerūt. Patres, & maiores uestri, quorum mores, & genium induistis, omneis prophetas, quos ex ipsis excitauit Dominus, contempserunt. Hoc ipsum facitis, adeo, ut nulli perinde prophetas contemni uideamus, atque in prophetarum patria Iudæa. Potest aliter intelligi hic locus, ut sit communis sententia à natura hominū sumpta, cuius tanta est morositas, ut domestica fastidiat, & peregrina appetat, multo- que pluris faciat, qui peregrini sunt, quā qui domestici, etiam si hi eruditiores, & prudentiores sint. Familiaritas enim (ut dici solet) parit contemptum. Et vulgò aiunt ultroneas merces putere. Sed hoc parit nescio quis liuor, ex quadam ambitione (qua uis maior uideri) excitus. Nihil est autem quod Dominus Deus noster minus inultum ferre possit, quā contemptum suorum prophetarum, & eorum, qui uerbum Dei annuntiant. Nam qui prophetam reiicit, certè uerbum Dei reiicit, & porrò Deum ipsum reiicit. Ad Samuelem ait Dominus, Non te abiecerūt, sed me, ne regnem super eos. Ad Apostolos quoque Christus ait, Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Proinde ex hoc loco, discant Ecclesiastæ fideles animo ferre moderato, & patiente, si & ipsorum contemnatur doctrina etiam ab iis, à quibus debebat gra- tantissimè suscipi. Solentur se exemplis prophetarum, adeoque ipsius filij Dei: quo ut nemo munificus, & beneficus magis fuit, ita nemo uicissim in iis, quibus benefecit, maiorem expertus est ingratitude.

Prophete Iudæorum pluris habiti apud Gentes, quā apud Iudæos.

Ferè præ exoticis domesticis, quāuis potiora, contemnimus.

Deus nihil fert grauius, quā contemp- tum suorū.

Ecclesiastæ ne concidant animo, contem- pti.

Et non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatem illorum.

Cum alibi promptam fidem reperisset, multis floruit miraculis. Hic apud Nazareth nulla edidit, nisi quod impositis manibus (ut ait Marcus. 6. ca.) paucos sanauit ægrotos. Atque id beneficij præstitit suis contreraneis, ne uideretur non bene uelle patriæ suæ: Et ne locus esset excusationi, si nullas ab eo uidissent fieri uirtutes: ideo paucas & non multas ibi fecit. Idque (ut aiunt Chrysostomus & Hieronymus) ne maiori condemnationi eos redderet obnoxios. Et Matthæus hic cur coram Nazaræis non multas fecerit uirtutes, id est, miracula & externa, & interna, rationem reddit, dicens, propter incredulitatem illorum. Non ergo pauca egit, quod illius esset uel contracta potestas, uel mutata uoluntas: sed quod obliteret illorum incredulitas. Nam quemadmodum medicus non potest benefacere ægrotto, qui reiicit pharmacum: non quod ars medici sit inefficax, sed quod in culpa sit ægrotus: ita quoniam fides (præcipuè qua nos Christo credimus) est, cui dantur miracula, incredulitas obstat, quominus possit ea promere: Cui uirtus alioqui nõ deest, nisi prohiberet aliena culpa. Quare malitiam illis exprobrans, uidetur, ita dicere (ut ex Luca licet conuicere.) Non est nouum, quod mihi nunc accidit: idem olim contigit sanctissimis prophetis Eliæ & Elisæo, quorum sepulchra nunc colitis. Nam cum non pluisset annis tribus, & mensibus sex, & ob id ingens fames re-

Christus apud suos quare pauca signa edidit.

Fides operatur miracula

gionem uniuersam occupasset, Elias fame periclitās, ad nullam uiduam iussus est ire, quum plurimas haberet Iudæa, nisi ad alienigenam illam Sareptanam, in regione Sydoniorum. Apud hanc unam receptus, fidem inuenit, & miraculum edidit. Adhæc uiuente Elisæo complures erant leprosi in gēte Israëlita, nec ullus tamen ab hoc sanatus est: sed solus Naaman Syrus, cuius fides à propheta miraculū extorsit. Respondebatur quispian: Ergone abbreviata, & definita est potentia Christi, ut queat cohiberi mortalium incredulitate, ne sit efficax? Ergo non est omnipotens: Respondeo. Bifariam debemus considerare potentiam Dei. In primis ut est absoluta & infinita, quam nemo queat impedire, & quam ipse Dominus exercere possit ubiuis. Et de hac non loquitur Marcus, dicens, Et non poterat ibi uirtutem ullam facere. Secundò consideranda est iuxta dispensationem susceptam, in qua cum uersabatur, uolens omnia fieri ordine iusto, & per media à se instituta, inter quæ est ipsa fides, quæ requiritur ab iis, qui uolunt beneficiorum Dei participes fieri. Erat quidem uirtus Christi parata ad sanandum omneis, uerum ingratitude, & incredulitate mortalium, poterat impediri: non quod impossibile fuisset Christo, etiam incredulos, sanare: sed quod indignitate incredulorum fiebat, ut riuus iste diuinæ uirtutis sese non effunderet. Obserua: Bonus quidem Dominus est, omnibus benefacere paratus, uerum iis, qui esuriunt, & sitiūt iustitiam. Vnde hic admonemur, quod, ut frequenter uidemus dona Dei reddi inefficacia per ingratitude & contemptum alicuius: ita non rarè fit, ut donum uerbi Dei, feruor spiritus, & si quod aliud est donum in Ecclesia, prorsus obtundatur & reddatur inefficax, uitio, & culpa populi. Obserua. Miracula fiunt in confirmationem eorū qui credere debent, & qui credunt. Obserua: his uerbis, Nemo propheta, &c. & sequentibus, cum exemplis à Luca adductis, Christus quasi per transennam allusit ad uocationem gentium, quæ sine personarum aut contemptu, aut offendiculo debuerunt Euangelium suscipere. Obserua ex superioribus doctrinam: Si à fratre, filio, cognato, aut aliàs noto, aut cõciue Dei sermonem audieris, hoc etiam atque etiam uideas, necesse est, ne personam, sed Dei eloquia quæras. Alioqui ipsa eloquia, non nisi in tuam perniciem, & interitum audies. Seponendus est ergo omnis carnis affectus, & à cognato aut alio quocunque, perinde atque à Deo ipso, ipsa ueritas eius, est syncerissimè audienda.

Potentia Dei dupliciter putanda.

Deus potentiam suā ueluti astrinxit uoluntati nostræ.

Vitio nostro, dona Dei ne possint nobis, facimus.

Eloquia Dei à quibusuis syncerè accipienda.

CAPITIS DECIMIQUARTI

Epitome.

Interfecto Ioanne, Christus in deserto quinque milia hominum satiat. Super aquas ambulans, Petrum mergi incipientem, erigit. Atque in terra Genesareth plurimos, etiam s̄mbria uestimenti sui tactu, sanat.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.



In illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait a pueris suis: Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo uirtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiam uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes, Non licet tibi habere eam. Et uolens eum occidere, timuit populum, quia sicut

Herodis iudicium de Christo.

Marc. 6. b. Luc. 9. a.

Ioannes quare uinctus. Marc. 6. c. Luc. 9. d.



prophetam eum habebant. <sup>b</sup>Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcumque postulasset ab eo. At illa praeconita à matre sua, Da mihi (inquit) hinc in disco caput Ioannis baptistae. Et contristatus est rex. Propter iusiurandum autem, & eos, qui pariter recumbant, iussit dari. Misitque, & decollauit Ioanem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellae: & illa attulit matri suae. Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & uenientes, nuntiauerunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbas, sequuntur eum pedestres de ciuitatibus. Et exiens, uidit turbam multam, & miseratus est eis, & curauit languidos eorum. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Desertus est locus, & hora iam praeteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. Iesus autem dixit eis, Non habent necesse ire: date illis uos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic, nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super foenum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in caelum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes: discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque milia uirorum, exceptis mulieribus & paruulis. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Nauicula autem, in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius uentus. Quarta autem uigilia noctis, uenit ad eos ambulans super mare. Et uidentes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes, Quia phantasma est. Et praetimore clamauerunt. Statimque Iesus loquutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit, Domine, si tu es, iube me ad te uenire, super aquas. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum. Videns uero uentum ualidum, timuit, & cum coepisset mergi, clamauit, dicens: Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi, Modicae fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit uentus. Qui autem in nauicula erant, uenerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es. Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genesar. Et cum cognouissent uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, ut uel fimbria uestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

Caput Ioannis petitur, pretium salutarioris.

Caput amputatur Ioannis. Sepelitur Ioannes. Iesus in desertis. Luc. 9. d. Marc. 6. d. Ioan. 6. a.

Gratiarum actio. Quinque panibus, & duobus piscibus saturantur 5000.

Marc. 6. f. Ioan. 6. b. Orat Christi

Fiducia.

Petrus insidelis demergitur in mari.

Fides.

Marc. 6. g.

Fimbria uestimenti.

Die autem cum saltauerit natalis.

Decimam tertiam nauiculam.

Decimam quartam miraculum.

a. Quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

In illo tempore.

**P**

ost parabolas, quibus declarata expressaque est natura & potentia uerbi, simul & descriptum auditorum uerbi uarium genus, cum circumstantiis, & uirtutibus uerbi, consultò subtexit Euangelista historiam de Ioanne Baptista, & miserabili eius nece. Nam in Ioanne & Herode nobis uia boni, & mali feminis exempla proponuntur. In hoc item capite aperte demonstratur, quomodo mundus erga uerbum, & praedicatorum sit affectus, quodque etiam si hi unà cum uerbo contempti sint coram mundo: tamen (ut Christus miraculo docet) uerbum sit potentia Dei. Siquidem Christus uirtute uerbi, idemque uerbum Patris, quinque panibus, & duobus piscibus quinque hominum milia pascit. Tandem post longam discipulorum institutionem in uerbo haecenus per praecedentia capita factam, incipit Christus ipsorum fidem explorare. Haec uoces, In illo tempore pertinent ad connexionem historicam, nullum interim iudicantes tempus, perinde ac si dicas, Et quodam quidem tempore.

Verbum, uirtus Dei.

Audiuit Herodes tetrarcha.

Fuit hic Herodes, illius magni Herodis Antipatri, A scalonitae à nonnullis cognominati, & regis Galilaeae trans-Iordanem, qui infantulos trucidarat Bethlehe-miticis, filius, homo tyrannus, & adulter, proculdubio è malo ouo pessimus prognatus coruus. Hunc quidam Antipam cognominant. Is ipse est, qui & saluatorem nostrum à Pilato ad se missum, candida ueste amicituit, & diuinæ sapientiae illum sit, totique illam aulae ridendam obicit. Haec nomina tetrarcha, & tetrarchia usurpata sunt à scriptoribus Romanis, sed petita à Graecis, uocantibus τετραρχία quatuor, & ἀρχή, curiam regiam, siue principatum. Sunt igitur tetrarchae, principes, quartam aut aliquam regni portionem obtinentes, ut iidem sunt, qui & toparchae, locorum uidelicet praesides. Romani enim regna findentes, quod minus ad rebel-landum uirum haberent, ipsa certis discreuerunt limitibus, datisque singulis partibus praefectis, hos toparchas, seu tetrarchas, ipsas regiones appellarunt toparchias, siue tetrarchias. Id uidere licet apud Plinium libro .5. cap. 18. Tradunt Syriæ administrationem primò quadripartitam fuisse: atque inde tetrarchias ipsas regiones suis limitibus determinatas, ac ideo & praesides earum tetrarchas appellatos fuisse. Deinde illis amplius diuisis, & aucto portionum numero, uetus interim & primò datum nomen mansisse.

Herodes A scalonita & Antipas.

Tetrarcha. Tetrarchia.

Toparchae.

Syria quadripartita.

Famam Iesu.

Cum fama nominis Iesu, uirtutumque, & doctrinae eius iam inualesceret, & per uicina circunquaque loca diffunderetur, tandem & ad Herodem tetrarcham ex aliorum relatione peruenit. Sed mirum, cur tardius ad hunc peruenit fama Iesu, & non statim ab exordio. Certè, ut Chrysostomus sentit, id regio imputatur facti, propterea quod huiusmodi res parum admodum curent, qui factu nimio ebrij sunt, & rerum superbarum fumo afflati. Hoc loco pulchre depingit Matthaeus, quomodo mundus affectus sit erga Christum, tam miraculosum praedcatorem, & quid de illo iudicet. Cum enim mundus audit tam magnificam Christi doctrinam, & miracula ultra humanum captum magna, admiratur: & fortassis Christum unà cum doctrina susciperet, scilicet, nisi offenderetur abiectio, ac contemptu personae, qua contempta non potest non postea mundus de Christo uaria iudicia spargere. Si quidem persona contempta, foris non apparet tam potentis doctrinae, & tam magnorum miraculorum effectrix. Proinde hic locus admonet, quam uaria, & mutabilis semper sit fama, quae uires quidem acquirit eundo, sed magis ficta, quam uera nuntiat. Obserua hoc loco, famam, de Iesu multa quidem spargere, sed nondum certa, & solida. Nam Iesus ab aliis dicitur Ioannes, ab aliis Elias, ab aliis propheta quispiam, à mortuis excitatus. Quotusquisque autem est,

Mysteria regni caelorum aulicis non admodum curant.

Mundus splendida tantum & strepitum miratur. Fama inconstantia.



Christus magnatibus uel sero, uel parum feliciter innotescit. Ministri regii aureis tuias cum regis ocludunt ueritati.

qui dicat ipsum esse Christum, seu Messiam? Hic fama, cum ueritas dicenda esset, pisce magis muta est. Quare cauendum, inconstanti fame credas: sed, ut recte iudices ueritatem inquire. Obserua hoc loco, quam sero Christus cum sua ueritate magnatibus innotescat, quamque parum feliciter. Huius rei causa est, non solum, magnatum fastus, sed & ministrorum improbitas, qui res uirtuti cognatas, ad aures regias, aut nunquam, aut maligne deportant.

Et ait pueris suis.

Cum super auditis de Ioanne admiraretur Herodes, tantum recolens Ioannis sanctitatem, dixit suis ministris. Quod de his agat Herodes cum famulis suis, & non cum aliis, apparet, quod timuerit Baptistam.

Hic est Ioannes Baptista.

Eadem habet Marcus. 6. cap. Videtur Lucas. 9. cap. dissentire cum Matthaeo. Nam Matthaeus, & Marcus aiunt Herodem, Ioannis suscitatione adfirmasse, Lucas scribit Herodem dubitasse. Et haesitabat (inquit) eod quod diceretur a quibusdam, quia Ioannes surrexit a mortuis. Respondeo. Haud dubie primo (ut ait Lucas) Herodes de eo dubitauit, quod demum (ut alij dicunt) asseruit. Corroborata enim miraculorum cognitione, descendit in opinionem eorum, qui dicebant, Ioannem surrexisse ex mortuis. Quasi diceret, Hic, de quo tam mira narrant, non est Iesus, qui iam pridem perit, interfectus a patre meo magno Herode in turba puerorum Bethlehemiticorum: sed est Ioannes, qui surrexit a mortuis: & ideo factus diuiniore, clarescit miraculis. Obserua. Quia mundus & Christum & Euangelium, non e uerbo, aut ex natura uerbi, sed ex euentu metitur, diuersa iudicia fert de Christo, & eius Euangelio.

Ipsa surrexit a mortuis.

Palingenesia siue regeneratio.

Quidam putant Christum esse Eliam. Alij unum ex prophetis. Herodes ductus errore gentilitio de palingenesia, arbitratur ipsum esse Ioannem, a se antea decollatum, qui surrexerat. Hac uerba, Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit, &c. collata cum iis, quae apud Lucam referuntur, Et ait Herodes, Ioannem ego decollauit: Quis autem est, de quo talia audio? & quarebat uidere eum: ostendunt Herodem magno percussum fuisse timore, & tanto mentis horrore comprehensum fuisse (consciens enim sibi erat suae tyrannidis, & iniquissimae necis Ioannis) ut iam gladium ceruici suae impendere putaret. Cum enim dixit, Ipse surrexit a mortuis: & Ego decollauit Ioannem: uidebatur despondere animum. Quasi diceret, Putabam actum esse de Ioanne, ideo securus in utramque aurem dormiebam, pro nihilo peccatum meum ducens. Deus certe nunc suscitauit Ioannem, ut uindictam iniuriam sibi a me tyrannicissime illatam, & me non solum regno, uerum etiam & uita priuabit. Quod nunc me recipiam? Quod me uertam? Quem implorabo? Quod confugiam? Ne exteri quidem me recipient. Excitatus est a mortuis Ioannes, huic omnes fauebunt, & nusquam mihi tutus erit locus. Vide, quam grauitate peccent, qui securos se faciunt, adeo ut peccatorum suorum obliuiscantur, aut quae grauissima sunt crimina pro leuissimis ducant, sibi nimium placentes! Hac securitas in magnis solet esse peccatoribus, priusquam iudicio Dei tangerentur. Exemplo nobis erit hic Herodes, qui post tam scelestum scelus commissum aduersus innocentem Ioannem Baptistam, contemnit suum peccatum. Propterea enim quod ferè fit, ut temporis lapsu homines negligant & obliuiscantur, tam sua quam aliorum peccata, Herodes, putat Deum etiam illius sui sceleris oblitum. Hoc genere securitatis, & uitij laborauit Cain, contempit fratricidij sui. Quam ille fuerit securus, audi quid Domino responderit, Nunquid custos (inquit) fratris mei sum ego? Sic Dauid designato adulterio cum uxore Uriae, & homicidio ipsius etiam Uriae, 2. Reg. 11. securus erat: Varius (inquit) est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit

Herodes me tuebatur Ioannem.

peccator quod grauius, hoc & securius peccat.

Securitate peccantium nihil periculosius.

gladius. Sic Iudas uendito Christo negligebat peccatum suum pra securitate, dicens, Nunquid ego sum, Rabbi? Rogabis: An quia caro secura est, & negligit peccatum, Deus etiam negliget? Respondeo. Nihil minus. Nam Cain Dominus ait, Genes. 4. Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Id est, Nonne si bene egeris, erit oblatio? sin autem male, peccatum quiescet, donec reueletur. Et Ecclesiastae. 9. cap. ait Salomon, Attamen peccator (inquit) ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quod erit bonum timentibus Deum, qui uerentur faciem eius. Non autem sit bonum impio, nec prolongentur dies eius: sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. Deinde Herodis, & aliorum exemplo docemur, & agnoscimus quam timida, quam formidolosa, & quam iniqua sit mens, sibi male conscia, postquam iudicio Dei percussa est. Si audisset Herodes magnum hostium exercitum in fines sui regni incurrisse, non uehementer permotus fuisset. Sed ubi persuasit sibi Ioannem a mortuis suscitatum, mox audiit reuelatum sibi Dei iudicium, quo apprehenso, tanto percussus est timore, & tremore, ut de salute sua actum esse in animum induxerit. Sic Adam ad uocem Dei in paradiso fugit. Sic Cain ad iudicium Dei, uagus & profugus in terra oberrat, & ad quousque strepitum, tanquam gladium ceruici suae imminens, exhorrescit. Sic Archithophel, sic Iudas iudicio & reuelatione peccatorum suorum, in conscientia ita exterrantur, ut seipsos suspendant. Sic & apud Mosen Leuitici. 26. cap. de peccatoribus dicitur, Dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium. Terrebunt eos sonitus folij uolantis, & ita fugient, quasi gladium. Cadent nullo sequente, & corrudent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes. Rursus Deuter. 28. Dabit tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam merore: & erit uita tua quasi pendens ante te. Sed quid remedij in tantis periculis? Cauendum est ne post agnitum peccatum, ibi maneat: sed per intimum dolorem & poenitentiae affectum propositumque emendatum in posterum uiuendi, cum fiducia diuinae misericordiae, erige animum, & a peccato tuo iam auertens te, respice ad faciem Dei placati, hoc est, ad Christum, peccati expiatorem, & clamantem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c. Huic uocanti totum te concredito, & conseruato non solum remissionem peccatorum propter Christum, uerum etiam uincas omnes terrores conscientiae, & iudicium, saluus euades. Proinde hic considerandum est, quam impotens, quamque imbecillis sit iniquitas, etiam si regia maiestate munita sit. Nam tamen Herodes fuerit potens tetrarcha, & principali exercitu stipatus, tamen quia iniquitate fuit obrutus, quam in Ioannem designauerat, ita exarmatus est, ut non potuerit constanter leui rumi sculo de Ioanne, resistere. Nec id mirum uideri debet. Quandoquidem iniquitas exarmat hominem omni diuino praesidio. Iam absente diuino fauore & praesidio, quid quae so est humana potentia, nisi umbra, & (ut quidam sapienter dixit, quod multo uanius est) somnium umbræ? Caue igitur iniquè agere, sola fretus humana potentia, ne simul & diuina prudentia priueris. Sentiet sanè olim Herodes, quam potens fuerit Ioannis innocentia, etiam si (ut ita dicam) sepulta iacuerit. Innocentissimus Ioannes, occisus quidem est ab Herode, & a discipulis sepultus: tamen sanguis eius ita Herodem affligit, ut & si magno exercitu munitus sit, ad nomen tantum eius expallescat, & mortem ipsam sibi iam iam impendere existimet. Sic & sanguis innocentis Abel iam mortui, ita affligit Cainum, ut nusquam ipsum securum ambulare permittat. Tanta est uis innocentiae, ut habeat a se stantem non solum omnem angelos Dei, uerum etiam Deum ipsum, omnipotentem rerum gubernatorem. Iam quid potentius & fortius eo, qui habet Dominum Deum adiutorem? Quare si iniuria affectus fueris, & desideras iuxta spiritum Dei aduersarios

Mes sibi male conscia semper meticolosa & iniqua.

Antidotus aduersus terrores conscientiae.

Iniquitas sepe imbecillitas, etiam in fastu regio.

Potentia humana sine praesidio diuino, umbra est somnium.

Innocentiae uires, quae...



ulcisci, non referas iniuriam iniuriæ, non rependas malefacta malefactis, non proscindas inimicos conuictis: sed uiuas innocenter, reddas bonū pro malo, & intercedas pro aduersariis apud Deū. Quo genere ultionis potētius conuincas aduersarios, quàm si omnia bellica tormēta admoueris: & eris per innocentiam terribilis, non solum regibus, & principibus huius seculi, uerum etiā ipsis dæmonibus. Proinde quod Herodes dicit Iesum esse Ioannem, qui resurrexerit à mortuis, sequitur errorem eorum, qui dicunt animas in corpora remigrare. Huius opinionis fuerunt Iudæi, qui rogati uenerant, Ioan. 1. Num Elias, uel propheta esset, Baptista, id est, an reuelatus esset ille Elias, qui sub rege Achab fuerat, aut quispiam aliorum prophetarum, qui antè uixerant. Herodes credit animam Ioannis in corpus remigrasse Saluatoris, uirtutesque eas, quas in corpore Ioannis prius egerat, nunc per corpus agere Saluatoris. Ferunt nonnulli Pythagoram nonnihil huius tradidisse, de quo nunc disputare, non est animus. Iudicabat Herodes quàm simplicissimè mortuorum resurrectionem, existimans Ioannem, diuina uirtute excitatum, rediisse, & tum maiori uirtute incalescere. Aut fortassis consuetio loquēdi more Herodes dicit Ioannem à mortuis resurrexisse, quod Ioannis mores, & ingenium totiusque uitæ habitus in Saluatore nostro ceteraque pleraque, ceu renata, reparataque (quæ tamen in Ioanne extincta uidebantur) conspicerentur, & reperirentur: dicimus enim uel hodie in illis eos resurrexisse, quos proximè uidemus eorum exprimere ingenium, quorum uicem, & locum iam obtinere putantur. Quia ergo gratia, & libertas docendi, dicendique, & sanctimonia uitæ talis in Saluatore conspiciebatur, qualis olim fuerat in Ioanne (id enim per famam Iesu intelligere licet) ideo Herodes putauit Ioannem in Christo resurrexisse. Atque hic sensus uidetur omnium simplicissimus.

#### Et ideo uirtutes operantur in eo.

Quasi dicat: Quia in uita Ioannes Deum timuit, & pro iustitia occubuit: ideo nunc mirabilia diuinæ uirtutis opera uigent in eo, & efficiuntur per eum. Hoc dicto Herodes tribuit aliquid Ioanni: quasi dicat, Ioannes operatur in hoc, de quo tanta audio. Antequam decollaretur Ioannes, nullum fecerat miraculum, ut scribitur Ioan. 11. cap. Post decollationem uerò existimatus, quod redierit ad uitam, putatur esse maioris uirtutis, tanquam attulisset ex alia uita, & ex prioribus meritis uirtutem faciendi miracula, quam prius non habebat. Obserua. Putabat Herodes actum esse de Ioanne, & ob id neminè postea incestas eius nuptias accusaturū: uerum cæso Ioanne adest nunc ipse Dominus unà cum duodecim Apostolis, qui omnes uno ore puritatem uitæ docent, impuritatem condemnant. Propter quod uerè dixit Apostolus. 2. Timoth. 2. Verbum Dei non est alligatum. Capi, cædi, & occidi possunt ministri uerbi, uerbum uerò & uerbi ministerium immortale est & perpetuum. Vno uerbi ministro occiso, centum alij excitantur & resurgunt.

Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris sui.

Quia Ioannis meminerat Mathæus, obiter historiā necis ipsius subtexit. Non enim proprium est Euangelistæ aliorum extra Christum res gestas, ac mortes describere. Hanc necem ut intelligamus, operæpretium duxi tū ex euangelistis, tum aliis scriptoribus præsertim Iosepho lib. antiquit. 18. capit. 9. hinc, quæ de uitis, & sceleribus, deque aliis huius Herodis rebus ad propositum nostrum pertinentibus, uerè tradita sunt, adscribere. Posteaquam Herodes, Bethlehemitarum infantium homicida, defunctus fuerat, & in ultimo testamēto reliquisset successorem regni, non hinc Herodem Antipam (de quo nunc nobis est sermo) sed fratrem huius natu maiorem, Archelaum nomine, indignissimè id ferens Herodes Antipas, uxorem habens filiam Aretæ regis Arabum, ad Cæsarem Romam profectus est, apud quem

Metempicos Pythagorica etiam si dem inuenit apud Indeos. Herodes quo modo dicebat Ioannem resurrexisse in Christo.

Verbum Dei non est alligatum, neque unquam precone caret.

Herodis Antipæ res & gesta.

quem traduxit fratrem Archelaum, & accusauit multorum, & grauissimorum criminū, ceu impietatis in templum, latrocinij, crudelitatis, & contemptus Cæsaris, idque, ut à Cæsare maiestatem regiam impetraret. Iam in Herode uide liuorem & odium in fratrem primæuum. Quod si fratri suo non pepercit, quid obsecro flagitiorum non designauit, uel in subditos suos, uel in alienos? Deinde, cum iterum Romā euocaretur, diuertit in itinere ad Philippum fratrem suum tetrarcham Ituræ, & Trachonitidis regionis, fratrem (inquam) ex eodem patre, non eadem matre. Hic enim Philippus ex filia Simonis sacerdotis, Mariamne uidelicet, fuerat procreatus, ut docet Iosephus, antiquit. lib. 11. cap. 17. Huic Philippo legitima uxor erat Herodias filia Aristobuli, soror autem Agrippæ maioris. Audet Herodes cum muliere Herodiade de nuptiis ineundis miscere sermonem, illius amore ardentem captus. Herodias auscultat, postulanti acquiescit, & pacta confirmat: ut cum ille Roma reuersus esset, conubij iura susciperet: at ea lege, & præcipuo pacto seruato, ut legitimam uxorem, filiam regis Aretæ, excluderet. Talibus pactis firmatis, Romam aduehitur: ubi peragens, propter quæ fuerat euocatus, reuersus est in ædes Philippi fratris uiuentis, cuiusque uxorem Herodiadem abduxit secum, & loco uxoris habuit, eiecta legitima uxore, filia Aretæ regis Arabum. Paucis hæc abfoluimus. Sed uide, quàm ingentem nefandissimorum scelerum aceruum his paucis comprehendimus.

Herodes uolat ius hospitij, abducens uxorem sui hospitis: Ius matrimonij frangit, nulla causa uxorem suam eiiciens: Adulter est, iungens se uxori alienæ: Incestas facit nuptias, copulans sibi uxorem fratris uiuentis, contra præceptum Domini, iubentis per Moysen, Leuit. 18. Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudine fratris tui est. Quodlibet autem horum criminum satis per se atrox est. Quid ergo sentiedum est, de ipsis in unum aceruum accumulatis? Ex his apertè satis colligere possumus, qualia sint ingenia, ac studia, & tyrannorum & impurorum hominum, quorum animi scæda libidine infecti, nihil iam moderati habent. Principiò fiunt in memores legum Dei, & naturæ, omnis denique humanitatis, & amicitia, belluarum instar rabidi eò feruntur, quò rapit affectus. Violare ius hospitij, & fratris uxorem abducere ingens & graue est scelus, legi diuinæ, & naturali repugnans: & id præcipuè in principe, & rege longè turpissimum scelerissimūque uidebatur. At ratio uiucitur in Herode à beluina libidine, perumpitque hæc, & quod libet, facit. Hoc alioqui malum, & graue est scelus, sed auget huius grauitatem rebellio quædam, imò crudelitas magis. Huiusmodi enim hominum malitia, & corruptio tanta est, ut nolint argui uel increpari, aut à cæpto malo retrahi: sed omnino cupiunt quod male optant, pessimè perficere. Quod si quis se tanto facinori opponat, & scelus accuset cum sceleroso, suadens pœnitentiam, mox seu capitalis hostis petitur, capitur, cæditur, occiditur. Solent tamen arte mirifica tyranni malitiam suam integere, cum non omnibus vulnus suum retegunt, neque quid uerè doleat, dicunt, sed prætexunt aliud, quod uel plus habeat fauoris, uel nonnullam etiam ipsis opinionè sanctimoniam conciliare possit. Quod fecit hic Herodes, ut mox uidebimus.

Dicebat enim illi Ioannes, Non licet tibi habere eam.

Cum Ioannes esset concionator Herodis: frequensque præsentem Herode palam prædicaret, & Mesiā doceret, audiens tam magno scelerum aceruo onustum esse Herodem, qui perfrecta fronte, tam nefanda scelera pro nihilo haberet: noluit tam sanctus uir, & propheta, ad tam impia scelera eius conuiuere, & illa silentio suo approbare: sed ad exēplum Eliæ, qui, Achab Regem increpauerat, magna animi fortitudine Herodem corripuit. Nam ut Chryostomus in homilia super Apostoli uerba, Modico uino utere, scribit: Ioannes corripuit Herodem in

P p

Philippus frater Herodis secundi.

Herodes cum Herodiade fratris uxore, nuptiarum fœdus pangit.

Nihil est, quod non austeritatis & libido.

Tyrannorum astus.

Herodem Ioannes increpauit.



medio foro, & frequentia populi, apertè, Non licet tibi habere uxorem fratris tui: Vide mihi, quæso, qua castigandi dexteritate ac libertate utatur homo Dei: nimirum qui audeat increpare tantum tyrannum, etiam in faciem, & hoc non in secreto, sed apertè, & in publico: idque discretè, & singulariter, nõ confusè: nõ enim enim dicebat, In iustum est si quis ducat uxorem fratris: uel, Quisquis fratris uxorem ducit adhuc uiuentis, peccat, faciens quod non licet: sed constanter, & in faciem, absque figura, & uerborum inuolucro, manifestè, & discretè opprobrat, & quàm se indignam rem faciat, ostendit, dicens: Te alloquor, ò Herodes, Non licet tibi neque iure naturæ neque diuino habere uxorem fratris tui Philippi uiuentis, cuius gratiã incestas ducis nuptias, & legitimam uxorem eiecisti: indignissimum est regem, caput & principem populi (qui sanctissimæ uirtutis exemplar uiuum esse debebat) scdissimum, & infamæ scortationis, impuritatis, adulterij, & incestus profatæ exemplum. Proinde si rem te dignam, iustam, & honestam facere uolueris, repudiabis illam, quam scdò tibi coniugij uinculo copulasti. Non enim rectè & firmiter coheret, quod contra legem Dei, & naturæ conglutinatum est. Sed nõne Herodes correptionem Ioannis, eo, quo facta est, animo accepit, & respuit? Nihil minus. Tantum enim absuit, ut respuerit, ut super omnia mala etiam hoc addiderit, & inclusit Ioannem in carcerem. Loco citato Iosephus ait, Cùm ad audiendum Ioannem frequens multitudo concurreret, ueritus Herodes, ne fortè doctrinæ eius persuasione, populi à suo regno discederent (uidebat enim quòd præceptis eius, ac monitis, parata esset plebs in omnibus obedire) melius credidit, priusquam noui aliquid fieret præuenire hominem nece, quàm postmodum turbatis rebus seram pœnitentiã agere. Ex sola hac suspitione Herodis uinctus in castellum Machermita abducitur Ioãnes, ibiq; obrucatur. Hactenus Iosephus. Mar

De Herodis tyrannide uerba scripta in Euangelio, quàm Iosephus.

Ioannes Baptistæ contra quam commisit Herodes, nimirum omnium seditionis.

Detrectans correptionem p uerbis, quatum peccet.

Affinitatis nexus nõ solui per libertatem Euangelicam.

thæus uerò, & Marcus propius attingentes cõtractantèsq; Herodis uulcus, in carcerem (inquiunt) coniecerat Herodes Ioannem, propter Herodiadè, uxorem Philippi fratris sui. Iosephus itaque eam causam posuit in historia sua, quam rex publicè prætexuit neci Ioannis: Euangelistæ ipsam rem & ueritatè, & quod in animo Regis deliruit, prodiderunt. Sed cur seditionis dicitur Ioannem ò Herodes? Respondes. Quia seditionem excitat. Euge, ò bone, dic, obsecro, ecquis seditionem excitat? Tù ne, qui scelerata fatanico opere designas, an Ioãnes qui scelera uerbo Domini arguit? Tù ne, qui flagitiis Deum ad iram accendis, iniquè iudicas, populum tyrannide opprimis, delicias scdæ, & subditos tuos satellitibus impiis, ueluti lupis ac uulturibus, diripiendos obiciis, an Ioannes, qui correptione horum scelerum te ad pœnitentiã inuitat, qua ita Dei placatur? Profectò si rectè iudicare uis, ò Herodes, tu seditionis autor es, Ioannes uerò pacis, qui arguendo scelera hoc agit, ut Deus per pœnitentiã propitius reddatur, & publicam pacem largiatur. Grauius quidem peccauit Herodes, uinciens Ioannem: grauius multò peccauit, nolens in uiolatione legis diuinæ corripit. Nolle autem in peccato legitime ex uerbo Domini corripit, quid aliud est, quàm non solum peccatum suum non agnoscere, sed etiam uelle & contendere, ut peccatum suum habeatur pro iustitia? Qui uerò sciens ac prudens peccatum suum pro iustitia habet, haberique contendit, quomodo is unquam ad remissionem peccati per pœnitentiã ueniet? Profectò hoc peccatum est in spiritu sanctum, quod neque in hoc seculo neque in futuro remittetur: imò pro quo (ut Ioannes ait) non est orandum. Ex his colligimus interim gradus, quos uocant, consanguinitatis, & affinitatis Euangelicæ prædicatione & libertate non esse abolitos aut deletos. Audiuius enim Ioannem prædicantem, Non licet tibi, &c. Proinde nemo sibi hic prætextu Euangelij nimium permittat: sequatur autem quod diuina, & naturæ lex, præterea Ecclesia, ac decorum Christianum iubent.

Et uolens eum occidere.

Hæc est occasio, qua perire solent pij in mundo: uidelicet tum, quando uerita-

tem prædicant, odiosam toti mundo, qui sibi placens, non uult argui. En præmiu tam sanctæ monitionis, in carcerem retrudi, & obrucari. Cur uult occidere? Quia liberius à Ioanne corripitur. Duplici libidine Herodes tenebatur, regnandi uide licet, & mulieris non suæ. Herodias malè sibi conscia, metuebat diuortium: unde uterque castigatoris necem quærebat. Nam & Marcus. 6. cap. hoc propositum mulieri dat: Herodias autem (inquit) insidiabatur illi, & uolebat occidere eum, nec poterat. Obserua hoc loco, sortem eorum, quibus commissum est munus arguendi peccata mundi, maxime diuitem, ac potentem.

Timuit populum.

Herodes metuebat turbam, de Ioanne sentientem magnificè, ne illam in se cõcitaret, si præfractus & crudelius quippiam in caput Ioannis decreuisset. Vehementer offensus erat hac correptione Herodes, aded ut fuerit illi interfesturus, ni metuisset tumultum populi, apud quem nouerat Ioannem uehementer esse gratiosum, quòd & baptizasset plurimos, & compluribus haberet discipulos, & à plerisque crederetur esse Messias: sed hunc metum Herodis postea excusit luxur, & insanus erga puellam fauor. Hic metus commune medium est, quo sæpè arcentur tyranni à persecutione piorum. Hæc suauissimam nobis afferunt consolationem, quum uidemus amicos Dei curæ esse Deo: ac tyrannos non posse uitam ministris Dei eripere, quoties libet, quum etiam uidemus tyrannos à terroribus & metu nunquam uacuos, ac liberos. Rogabis. Quare nõ dicit, Et metuebat Deum? Respondeo. Hæc est miserima, & stultissima impiorum conditio: metuunt non metuendos: & metuendū non metuunt. Quid opus erat metuere turbam, quæ ipsa potius tyrannum metuebat? Et si non timuisset, tamen ita est inconstans, ut à nemine metui debeat. Huius exemplo monemur, quid expectandum ueniat ab hoc genere hominū, qui populum magis metuunt, & obseruant, quàm ueritatem Dei: qui uerbi Dei præcones uidentur libenter audire, auditisque aliquid in gratiam illorum facere, quibus tamen nihil aliud in corde fedet, quàm, ò si liceret per populum, quàm uellemus nebulones istos egregie tractare: Et hoc forsatis sine Herodes obseruabat Ioannem: sicut meminit Marcus, dicens: Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum, & sanctum: & custodiebat eum, &c. Hæc præstabat Ioanni, & sepe temporari accõmodabat, nimirum gratificaturus populo. Erat enim vulpes, atque ita illum appellat Christus ipse, Luc. 13. Et hinc est, quòd in gratiam Iudæorum Iacobum occidit, & Petrum quoque occidere conatus est.

Quia sicut prophetam eum habebant.

Turba magnificè sentiebat de Ioanne, tanquam propheta, docete uerbum Dei, & iuxta illud uiuente. Vnde illum multi, ut magnum illum prophetam expectatum & desyderatum, habebant & sequebantur. Magnificabat ab Herode Ioannes, ut testatur Marcus. Hic autem obseruabis Herodi uoluntatè occidendi Ioannem non desuisse, etsi à cæde propter certas causas prohibebatur. In aliud ergo tempus distulit necem Ioannis: nimirum donec opportunum inueniret tempus. Hic uides, quàm sit Satanas irrequietus, quàmque uigilet, ut quærat, & inueniat, in quo semper piis nocere possit.

Die autem natalis Herodis.

Marcus paulò copiosius hæc explicat. 6. cap. dicens, Et quum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cenam fecit principibus & tribunis, & primis Galilææ. Quærebat undecunque occasionem occidendi Ioannem Herodias, & tandem pro opportuno die ad perficiendum conceptum facinus habuit natalem diem Herodis, in quo, ceu lupa, sceleriter monstrum quod alebat in pectore, proderet, & tandem pareret, quod iam diu parturierat. Considerabat, quòd in hoc natali gentilitio multa offerrentur media, ad necem sancto uiro struendam opportuna: ni-

Pp ij

Nex uiolenta pro præmio sinceris Ecclesiasticis à mundo repeditur.

Metuere & odio haberi, tyrannorum est.

Metus tyrannorum, præposterus.

Herodes uulpes.



mirum conuiuium luxuriosum, dissolutissima hilaritas, iucunda magnatum presentia, tripudium, & lasciuia saltatio, quam per puellam fieri curaret, & huiusmodi, in quibus uiuum nobis exhibetur exemplar omnium conuiuiorum, & pomparum, in quibus impij & luxu perditii homines impurissimas suas cupiditates explent. Sunt & alioqui honesta conuiuia, in quibus nullius laeditur fama, nullae bonis immeritisque struuntur insidiae, in quibus denique nulla obscœnitas, nulla libido, aut ebrietas conspicitur, sed humanitas, decus, & gratiarum actio. Hoc conuiuium Herodianum certe omnibus numeris impurissimum, multam habet similitudinem cum luxurioso Baltazaris Babylonici Regis conuiuio, de quo meminit Daniel. 5. cap. Et cum Antoniano siue Verrino illo, de quo uidere licet Tullium in Philippicis, aut Verrinis. Insignis erat uanitas in Herode, quod cum esset Rex Iudæorum, Ethnico more diem natalem celebraret. Et hic cernis captatam occasionem interficiendi innocentem, & iustitiæ prædicatorem. Iam uide mihi, quid sit, nasci Regem ac principem impium: profectò nihil aliud est, quàm nasci pestem omnis pietatis, ac iustitiæ, & interitum eorum, qui iustitiæ student. Et hunc diem ortus celebrem crapula & lasciuia faciunt gentiles, quem plerunque obseruabis notatum quibusdam de caelo portentis, signis uidelicet iræ Dei. Quid enim aliud est, regnare impium, quàm bellum indictum esse omni iustitiæ, &c. Beatus Marcus subindicat hæc natalitia non nisi magnatibus, tribunis, chiliarchis & nobilibus esse exhibita: in quibus splendorem, id est, uanitatem, & superbiam huiusmodi magnatum conuiuiarum cernere licet. Qui tamen si frequenter sint propudiosi & obscuro, quemadmodum & Herodianum itemma omnibus modis erat infame, inglorium, & fedissimum: tamen nullam popularium, & pauperum suorum rationem habent: imò hos mirificè contemnunt, se deos illorum esse credunt, inque uanis nobilitatis titulis gloriantur: cum plerunque istud hominum genus facinorosissimum sit, & ne micam quidem scintillam ueritatis, aut uerè uirtutis habeat, sed duntaxat inani tumore elatum turgat. Præterea huic conuiuio adfuit apparatus insignis: nimirum uini præstantissimi copia, nobilis crapula, & compositio spurca, & hæc ad æqualeis haustus, quam libenter sequitur impudica saltatio & nobilitant chori spurci cum omni lasciuia, obscœnitate, & immunditia, de quibus mox dicendum est.

## Saltauit filia Herodiadis in medio.

Herodiano conuiuio non defuit saltationis genus lasciuum & petulans, quale & hodie Græcis & gentilibus est in delitiis. Olim huiusmodi saltatio Ionica ab Athenæo dicta, quod Iones molles essent, perinde atque Sybaritæ. Valerius libro memorabilium secundo prodidit, Iones, primos uingenti coronarumque in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ consuetudinem (haud parua luxuriæ irritamenta) reperisse. Maximus Tyrius in dissertatione, cui titulus, Quis sit philosophiæ finis, Crotoniatis (inquit) olympiarum oleastrum adamat, Spartiatis armaturam, uenationes Cretensis, luxum Sybarites, Ion choros. Hinc Horatius in Odis, Motus doceri gaudes Ionicos matura uirgo. Lasciuas saltationes, & parum decoras gestulationes significas. Species saltationis enumerat Iul. Pollux in suo Onomastico, lib. 4. cap. 14. Herodias, mater impia, lasciuia, adultera, crudelis, non habens satis sua ipsius dedecorari temeritate, nisi & puellam germanam sibi similem adfingat, & instituat, ut in filia discas, qualis fuerit mater, sciebat, & frequenter fuerat experta, nihil delicatius acceptiue esse luxuriosè conuiuantibus, quàm spurcā, & lasciuam saltationē, quæ huius choreæ genius sit, eripere hominibus rationem, ne amplius sint homines, eaque ipsis impensè placeant, quæ sana utentes ratione abominantur. Mittit ergo filiam suam, omne lasciuæ genus à se doctam, ut lasciuia gestulatione ad mensam regiam saltaret, & inuerecundis choreæ gesti-

Ionica saltatio.  
Iones molles Sybaritæ.

Studia quarundam gentium propria.

In spurcas & propudiosas saltationes.

bus spectatorum oculos ad se pelliceret. Indecorum sanè, imò turpissimū erat iuuenulam (quam nihil magis decet quàm uerecundia: hac enim amissa, etiam pudicitia, quæ maxima est puellarum uirtus periclitatur) in tot principum uirorum confeslu saltare: sed impudicæ lupæ, impudens catulus, germana scilicet Herodiadis filia, lasciuia gestulatione totiusque corporis salaci motu, impurissimos conuentium oculos pascit, animos irritat ad maiorem immunditiam.

## Et placuit Herodi.

Regi stulto, impuro, incesto, & iam uino incalenti placent hæc, tam putida & impura: cui quanuis plures assiderent principes & consultores, nullus tamè regem uel decori, uel honestatis admonuit. Exaltato enim rege impio, & impuro non audiuntur aut amantur alij consultores, quàm impuri & impij. Approbant igitur conuiuæ saltationem, seipsos, quales sunt, manifestè prodentes. Nam si contra animi sui sententiam, tantum ad retinendum Herodis fauorem, saltationi applaudunt, quos dicas ipsos esse? an non meros sycophantas, & adultores? Si uerò ex animi sui sententia approbant saltationem, an non suo iudicio produnt, se gesta re animum libidine plenum? Cui enim arrident indecoræ, fractæ, & molles chorearum saltationes, mirum si non eidem arrideat & ipsa mollicies & turpitude. Quid autem dicit scriptura? Qui uiderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Et, Neque scortatores, neque adulteri, neque molles hereditatem Dei accipient. Quantum igitur peccant saltatrices mollibus suis gestibus, tantum peccant spectatores, approbando, & concupiscendo. Sed quid placuit Herodi? Puella saltans. Quæ? Filia Herodiadis, inquit. Quare non filia Herodis? Quia erat ex fratre. Ergo placuit Herodi puella, testis nuptiarum incestarum? Placuit. Qui fieri potuit, ut non meminerit fratris, cuius hæc erat filia, & contumeliæ fratri illatæ, ut pœnitentiam ageret Herodes? Certè hoc est lasciuorum & uoluptuorum ingenium: Gloriantur in eo, de quo erubescere debent. Amor cæcus, & cupidido mox suo arcu erunt mentis oculos, & absorbent rationem, ut uidentes non uideant. Placet igitur filiola, sed qualis? Orans? nihil minus: saltans placet, ut simileis habeant labra lactucas. Qui fieri enim potest, ut lasciuo, & incenso regi, placeant quæ castitatem, & pietatem referunt? Lasciuo igitur placent, quæ lasciuia sunt. Obseruandum uenit in his, quod sit ingenium carnis nostræ, quomodo caro huiusmodi conuiujs hilaribus affecta reddatur, nimirum ita ut reiecto omnino timore Dei, præceps ruat in omnis generis flagitia. Iob, uir sanctus. i. cap. magna cura tenebatur, si quando liberos suos sciebat conuiujs indulgere, ne quid contra Dominum delinquerent. Numer. 25. capite, dum Israëlita accedunt ad conuiuia Moabitarum, tandem etiam ad fornicationem, & idololatriam, postquam genio indulserant, abducti sunt. Ezechielis. 16. legitur peccatum Sodomorum fuisse otium, abundantiam, & saturitatem panis, &c.

Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcunque postulasset ab eo.

Marcus habet Regem, his addidisse, Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quis temeritatem Herodis satis explicare possit? Iure iurando promittit se daturum puellam, propter elegantem saltationem, quicquid peteret etiam si dimidium regni sui peteret. O elegantem promissionem! Si egenus quispiam, fame iam moriturus, fragmentum tantum panis propter ipsum Dominum Deum nostrum petiisset, uix impetrasset ab Herode. Et, ô impietatem! saltatrici propter mollem quandam saltatiunculam iuramento promittit, dimidium etiam regni sui. Exemplum hîc habemus carnalium hominum, qui, quod Domino Deo nostro exhibendum est, ignauissimis exhibent: quod autem Satanæ dandum est (si quid tamen dandum est) promptissimè dant: imò nihil non pro-

Pp iij

Verecundia in puella profigata, nihil saluum.

Regis impij & ministri impij.

Quid deceat non uidet uel lus amans.

Carnis indoles.

Proxima uerè genitalia.

Largitioni præcipue principalium abutis.



fundunt in gnatones & parasitos, interim tenacissimi erga honesti studiosos. O quam hic Herodes Antipas dissimilis est patri Herodi, qui eius regni gratia tot modis affixit miseros Iudæos, idque tot annos, deinde & uxorem Mariamnem, & proprios liberos occidit propter suspicionem affectati regni. Quin Christum recens natum huius rei gratia ad necem quærebat, & tot infantes circa Bethlehẽ occidit, ut securus esset in regno suo: Et hic filius eius pollicetur daturum se puellam saltatrici dimidium regni, unius choreæ, quæ est effusio quædam eius uanitatis, quæ lateat in animis, gratia. Leuissima est hæc & insana prodigalitas dum pollicetur Herodes impudicæ saltatrici uel dimidium regni sui, id est, præmium uerè magnificum & munus per omnia regium. Vide, quæso, hic quò lingua eat in conuiuio! Pollicetur dare, quicquid petet. Quid est hoc, quicquid? nimirum hoc est, siue iustum siue iniustum, siue æquum siue iniquum, siue bonum siue malum: nisi enim sic intellexisset suam pollicitationem, non dedisset caput Ioannis. Pollicitationi adicitur iuramentum, quod certè est periurium, cum sit iuramentum temerè susceptum. Quale enim uidetur hoc iuramentum? profectò nõ solum impudens & temerarium, sed etiam impium: quòd impiè præstet Rex uæcors, quòd impiè petebatur. Causa profectò debet esse iusta, grauis, & honesta, non leuicula, & turpis, ob quam suscipitur iuramentum: expendendum quoque, quid iures, an conueniat sic iurare, & an possis, debeasque, quod iuras præstare: deinde, ut cum iuras, animus tuus sit liber, & nullis uel corruptus, uel turbatus affectibus. Ad hæc iuramenta non sunt suscipienda inter pocula. Obseruandum est in emittendo iuramento, ut sit pro re necessaria, salute proximi, & honore Dei: ut ritè fiat, & ritè obseruetur. Herodes leui, imò turpi occasione adducitur, ut iuret. nec scire potuit, an quod petitura erat saltatricula honestum esset an inhonestum, an in sua potestate situm, an minus: tamen dicit, Quicquid petieris, &c. Quo promisso nihil unquam imprudentius, stultius, proteruius, arrogantius excidit ex ore hominis. Quis enim hominum, omne id præstare potest, quod ab eo postulatur? Peccauit item, quòd sine omni necessitate in re ludicra iuramento usus est: debebat timere, ne quid, quod cum Deo pugnaret, peteretur. Vide animum Herodis temulenti. Cur Herodes uis etiam dimidium regni tui puellæ dare? Quia placuit (ais) cum mihi, tum conuiuio. Quia in re tãto perè placuit? Saltatione. Ergo quæ egregiè saltat, & choreas ducit, digna est regni administratione? An ita bene consules tuis subditis? An saltatrix poterit probè, acceptum regnũ gubernare? Quin credibilius est, fore dissipatricem regni, quàm altricem. Sed enim uideas plerunque ditiones pessimis nebulonibus dari, quibus uix dari debet casula gubernanda.

## At illa præmonita à matre sua.

Puella, ne tantam perderet occasionem, & ut statim hac regij pectoris abuteretur libidine, cõsuluit matrem, quid esset petendũ. Illa uerita, nequando Ioanni, reconciliatus regis animus, dirimeret incestas nuptias, sua sit filiæ, ne quid peteret, nisi ut absq; mora sibi daretur in disco caput Ioãnis Baptistæ. Hoc habet omnes adulteræ, ut è medio sublato esse cupiãt, quotquot sentiunt libidinis suæ uel testes uel aduersarios. Hic, siquidẽ uires non defunt, nemini parcitur, neque marito, neque liberis, nemini prorsus, ne sanctissimo quidem. At uide mihi, an non impiã Herodis temeritatem longissimè superat crudelis impietas Herodiadis. Hæc enim non contenta deseruisse maritum suum, & adhærere adultero, latrocinium & homicidium insuper designat, & una suastione tam se quàm filiam suã, & Herodem ac omnes ministros eius, latrones, & homicidas efficit. A deò rectè dictum est, Ecclesiastici. 25. cap. Non est caput nequius super caput colubri: Et non est ira super iram mulieris. Et mox, Breuis omnis malitia super malitiam mulieris: fors peccatorum cadat super illam. Obserua. Herodias & Herodes suis exemplis ostendunt

Herodes, impiè uanus ac prodigus.

In iureiurando quæ obseruanda.

Regna sæpè iis committi, quibus ne calatificum quidem pomorũ crederes.

Herodias Herode truculentior.

Muliere ferua nihil feruius.

prædicationem ueritatis acerbissima odia ciere, quæ non nisi sanguine piorum deleantur. Vide, quid cupiat animus, adulterio, libidine, & incestu occæcatus, caput istius, qui cupit omneis in uiam iustam, & ad puritatem uitæ reducere.

Odiũ, quod ueritas ciet, non nisi sanguine restinguitur.

## Da mihi (inquit) in disco caput Ioannis Baptistæ.

Accepto sceleratæ matris consilio puella prodiit in conuiuium, & expectantibus omnibus quid nam esset optatura, petiit ilico sibi dari caput Ioãnis in disco: simul & discum, quem in hoc paratum in promptu habuit, proferens, & mirum in modum regem urgens, & in cruenta postulatione festinans: iamque tum & citra dilationem ullam caput petens, ne quid uidelicet morarum interueniens, nefariũ infringeret consilium. Impietas est in filia Herodiadis, ac quiescere matri contra uerbum iubenti: sed, Matrem sequitur sua proles.

Qualis mater, talis filia.

## Et contristatus est rex.

Affectus plenus hypocrisis: dolorem simulauit paricida, quòd posset commodius innocentis sanguinem fundere. Et (ut Hieronymus ait) dissimulat mentis suæ malitiam artifex homicida, cum tristitiam in facie, & lætitiã haberet in mente.

Herodes, hypocrisis uasum.

## Propter iusurandum autem.

Suum scelus Herodes iuramento excusat, ut sub prætextu pietatis impius fieret. Hoc mali peperit inanis & uana gloria. Nolebat uideri iurifurandi contèptor, sed religiosus obseruator. Hac specie pietatis conatur Herodes placare conscientiam, non aliter quàm Pilatus suarum manuum lotione uolebat sceleris innocentis sanguinis Christi sceleratissimè effusi, purus uideri. Non debebat Herodes iuramentum hoc seruare, cum scriptũ sit, Non habebit in fontẽ Dominus eum, qui assumpserit nomẽ Domini Dei sui frustra. Scio iuramenta magno Dei timore & tremore obseruanda esse: sed pia, iusta, æqua, addo & quãdoque iniqua: non autem impia, & uerbo Domini ex diametro aduersa. Aliud est iuramentum iniquum, aliud impium. Iniquum est, quod alius quidem nullo iure à me extorquet, ego autem sine peccato præstare possum: ut exempli gratia, Si quis iniusta uolentia cogat me in nomine Domini iurare, quòd uelim ipsi de facultatibus meis centum aureos dare, is iniquè quidem agit, quòd me ad tale iuramentum cogat, sed opus ipsum, scilicet dare centum aureos, non est peccatum aduersus Deum: quare tale iuramentum omnino obseruandum est, impium autem est, quod sine peccato non potest præstari, quale est iuramentum Herodis, qui, ut iurando peccauit, ita multo magis peccauit seruando: ac rectius fecisset, si de impietate sua pœnitentiam egisset, & iuramento non steteret. De temerario iuramento si quid desideraueris, legito Lombardum. 3. sentent. distinct. 39.

Iuramenta quæ, obseruanda.

Iuramentum impiũ aliud ab iniquo.

Consentit facinori qui, quòd in ipso est, nõ it obuiam. Affigitur iustus iniustis delitiantibus.

## Et eos, qui pariter recumbebant.

Aliam adducit causam, quæ occasionem occidendi Ioannem præbet. Vult Herodes accumbentes in participatum paricidalis criminis rapere. Qui certè uidetur omnes in necem innocentis consensisse, cum ne unus quidem in tãto numero reperiat, qui funestissimo & indignissimo se opposuerit facinori. Vnde facildè coniectare licet, qualeis habuerit principes conuiuas, Herodes rex ebrius, paricida, & incestus. En assentatores delitiantur cum rege impio, Ioannes interim captiuus est in carcere, & rapitur ad mortem. Sic propheta olim ueri affligebantur, & in speculuncis latitabant: cum falsi interea pascerentur mensa regia, ut in domo Achab.

## Iussit dari.

Impius Herodis animus partim cecitate, partim peruersa religione, deinde inanis gloriæ uinculis irretitus spiritu itè uanitatis, & fornicationis, obsessus quasi bos ad arã: ita ad impetrandã effusionẽ sanguinis innoxij contra conscientia, trahitur: adeò ut iusserit fieri, quod optarat puella. Huc pertinet, quod rectè dicit Pau-



Hypocrita  
fratri semper  
est damno.

lus. 2. ad Timoth. 2. Satanam suos captiuos tenere ad suam ipsius uoluntatem.  
Oserua, finē hypocrifcos tēdere in perniciem & extremum proximi interitum.  
Mittitque.

Spiculator.

Militēs olim  
lictores erāt  
& carnifices.  
3. Reg. 2.

Marcus ait, Miffo spiculatore, præcepit afferri caput eius in disco. Mittuntur ab impio rege spiculatores. Sunt autem spiculatores, principum stipatores, & regij corporis custodes, à spiculo gerendo sic denominati. Fuit autem illis temporibus mos receptissimus, homines conclamatos, & morti obnoxios, condemnatosque militum opera occidere. Quemadmodum & Christus Dominus à militibus flagellatus, coronatus, & in crucem sublatus est. Et Banaias præfectus rerum capitulum regis Salomonis, Adoniam fratrem regis, mox Ioab militiæ principem, gladio percussit.

### Et decollauit Ioannem in carcere.

Cadit obruncatus Ioannes per impias cruentissimorum hominum manus. Et hoc fit in carcere. Certè leuius fuisset occidi publicè, ut licuisset uel aliquo pacto testari innocentiam, declarare tyranni impietatem, alloqui plebem, illam docere, & huius petere intercessionem. Verùm hæc omnia denegantur uiro sanctissimo. Occiditur in carcere nulla ex more formula iuris. Examine causæ supplicium prælatum est. Tantùm ex libidine regis dānatur, sine sententia publica, nemine præfente, nemine consolante, nemine condolente & plorante, tyranni que impietatem & crudelitatem detestante. Quòd si idem mortis genus cuiquam fuerit inflictum, meminerit huius tam sancti uiri, & aliorum, qui hoc pacto interfecti sunt occultè. Illis quidem, qui occiduntur propter malefacta, acceptius est clanculum occidi, quàm cum publico dedecore: non autem iis, qui & infontes sunt, & vulgò pro infontibus habentur. Discamus hoc exemplo patientiam in afflictione, si quando à peruersis hominibus contigerit affligi immeritò. Hic etiam considerandum uenit, quanta bonitas & longanimitas Domini Dei fuerit, quòd hoc conuiuium, impium & sanguinarium, non mox uel terræ hiatus est absorptum, uel igne cœlesti consumptum. Oserua hic, fructum conuiuiorum, fructum saltationis, fructum denique illiciti amoris: nimirum his artibus occisum fuisse sanctissimum uirum Ioannem Baptistam, contra Dei, & naturæ iura: eodemque tempore, quo etiam nocenti impunitas sperari debuerat: nempe in natali principis, quo publica lætitia uolebat omneis exultare. Rursus obserua, quod ait, in carcere, ne si publicè fieret, tumultus oriretur. Metuebat enim Herodes populam, ut dictum est supra.

Ioannes Ba-  
pist. toleran-  
tia & uirtutis  
exemplar.

Ioannes in-  
nocens tum  
causis, quam  
etiam fontibus  
scelerum  
fit gratia.

Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ,  
& illa attulit matri suæ.

Decussum caput componitur in patinam ut hostibus suaue præbeat spectaculū. Datur in manus turpis, & crudelis puellæ. Puella infert in conuiuium, & hoc spectaculo inescantur oculi conuiuarum, uino incalētium. Illa adponit sanctum hoc caput matri, ter quaterque paricidæ, & totius tragœdiæ architectrici, quòd oculos in nece uiri sanctissimi pascit, animūque impurissimū diu optata nece exaturet. Certè mirabile uisu auditūque fuerit, si hæc crudelis & impura mater pepercerit linguæ sanctissimi hominis, quòd minus illam terebello perforarit: quod historie de Fulua Antonij uxore, in linguam cæsi Ciceronis scruiente, tradunt. Legimus in historia Romana (uerbis sancti Hieronymi utor) Flaminium ducem Romanū (quòd accumbenti iuxta meretriculæ, quæ nunquam se uidisse diceret hominem decollari, assensus sit, ut reus quidam capitalis criminis in conuiuium truncaretur) à censoribus pulsus curia, quòd epulas sanguini miscuisset, & mortem, quanuis noxij hominis, in alterius delicias adhibuisset, sic ut libido & homicidium pariter miscerentur. Quantò sceleratior Herodes, & Herodias, ac puella, quæ saltauit? In pretium ludicri tripudij caput postulat prophetæ, ut habeat in potestate linguā.

Fulua Anto-  
nij, linguam  
Ciceronis ce-  
si acu pupu-  
git.  
L. Flaminius  
ob crudelem  
libidinē se-  
natus à Ca-  
tone amotus.

quæ illicitas nuptias arguebat. Hactenus ille. Hic uide intestinum odium in Herodiade sanguinis sitibunda, quo flagrabat in sanctum uirum. Nam non ei satis erat, audire de nece illius, nisi & præfens interfecti caput cernat, & ludibrio habeat, non domi & in occulto, sed publicè, & in conuiuio. Ita solent se gerere impij erga hostes suos, potissimum uictores facti. Tum demùm quiescunt hypocritæ, & ofores ueritatis, cum uident piorum sanguinē. Hæc est, quæ penditur merces Ioanni, & omnibus fidelibus uerbi Dei ministris, ab impio, & ingrato mundo. Nec est quòd quisquam sibi meliorem promittat, donec hic immundus mundus fuerit mundus. Hoc consolationis in nece sua habent. sancti, quòd norunt corpora tantùm permitti à Deo tyrannis, animas securas & scelices requiescere in manu Dei, sed & corpora casta suo tempore excitatum iri. Oserua. Obruncatus est Ioannes in arce Macheronte, anno 16. Herodis, cuius exilium accidit anno primo Caij. Punitio, & uindicta in Herodem legitur satis copiosè apud Iosephum Antiquit. libro. 18. cap. 9. & 14.

Consolatio  
piorū, dum  
necantur.

Herodes a-  
mandatur in  
exilium.

Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud.

His auspiciis dedicatus est ille scelix natalis Herodis. Hoc spectaculo pasti sunt oculi conuiuarum, quos rex sua mensa dignos iudicarat. Caput Ioannis celsis insectæ. Corpus uerò asportarunt discipuli Ioannis, ac sepelierunt illud. Misericordiæ est opus, sepelire mortuos: & apud Ethnicos inter humanitatis officia numeratur. Hoc certè erat supremum munus dilectionis, quòd discipuli magistro suo impendere debuerunt & potuerunt. Et hoc est, quòd ex ordinatione Dei debetur mortuorum corporibus, etiam sanctorum, uidelicet ut sepeliantur, & terræ, unde sumpta sunt, restituantur: iuxta illud, Terra es, & in terram ibis. Christiani uiri pij sancta religione dicant sua cœmeteria huic pio operi. Vbi pro defunctis orare, & supplicationes fundere, sanctum & pium est. Quòd discipuli accedunt ad sepeliendum magistrum suum, signum est magnæ constantiæ & amoris erga magistrum. Hoc exemplo nos docebant, non oportere animis frangi ac cœcidere, ob persecutionem, motam in sanctos: sed nihilominus sanctis adherere, in primis autem doctrinæ sanctorum.

Sepultura  
suorum etiā  
ethnicis ma-  
ximè cura  
fuit.

Cœmeteria  
Christiano-  
rum.  
Persecutio-  
nes nulli de  
bent alienare  
ab amore &  
doctrina san-  
ctorum.

Et uenientes, nuntiauerunt Iesu.

Hoc tam immane & crudele facinus discipuli eius, uel Ioannis uel Christi Domini, qui primò fuerant Ioannis, postea Domini, uenerunt nuntiatuiri Iesu Domino nostro, ad quem missi fuerant, Ioanne adhuc in uinculis existente.

Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in locum desertum seorsum.

Huius secessus in desertum occasionem hic scribit fuisse auditum Ioannis martyrium, cum tamen Marcus aliam afferat rationem, dicens: Et convenientes Apostoli ad Iesum, renuntiauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim, qui ueniebant & redibant, multi, & nec spatiū manducandi habebant. Videtur itaque Marcus scripsisse, Christum secessisse in desertū, ut liceret discipulis paulisper requiescere ab ea molestia, quam ex populi frequentia capiebant. Ad hæc dico, non esse inconueniens unius facti plures esse causas, cum inter sese non repugnant. Alteram huius rei scribit Matthæus, alteram Marcus. Frequenter enim fit, ut quod unus Euangelista tacet, alius exprimat. Nec putandum est in ea causa, quam Matthæus assignat, fuisse speciẽm animi, mortem timentis. Secessit certè Christus in desertum post auditam Herodis tyrannidem: suo exemplo docens, ut furori impiorum ad tempus cedamus, nullamque occasionem scruendi demus: & ex una ciuitate fugiamus in aliam, cum nos persecuti fuerint impij. Itaque licet im-

Vnius effectus  
multè aliquā  
do causæ.

Christus ali-  
quando seces-  
sit, propter  
nos.



Fugere interdum licet, atque adeo necesse est, cum piis.

Fugae quædam temporis in ecclesiis.

Quies nonnulla & cessatio, necessaria piis.

In abusu dierum festorum.

Christus idem nobis semper, qui olim

Secessus christi, qualis.

Fugere ut tate pericula prudens est.

pios, ad eadem paratos, vitare, ut postea maiore fructu liceat inferuire piis. Hoc secessu condemnatur sœuitia Herodiana, quæ tanta erat, ut tutius fuerit habitare cum bestiis in loco deserto, quàm in illius urbibus. Hoc factitatum est à multis Christianis tempore primitiæ Ecclesiæ, cum undique immineret periculum sub impiis principibus. Deinde hoc præstiterunt anachoretæ, quando uiderunt seculum corruptum. Siquidem detestantes pseudochristianorum facinora, præcipuè eorum, quorum intererat, præluere, & docere: receperunt sese in loca deserta, potius eligentes uitam cum bestiis, quàm cum Herodibus, Sardanapalis ac Epicuris. Eleganter Euangelista non ait, fugit, sed secessit, ut persecutores (ait Hieronymus) uitaſſe Christum, magis quàm timuisse constaret. Porro hic locus consolationem affert ex humanitate Christi, qui suorum imbecillitatem agnoscentes, & irremissorum laborum molestiam, spatium, & locum dat illis requiescendi. Ergo hic seſolentur, qui continuis laboribus in functione suorum munerum fatigantur, siue sint in magistratu, siue in ministerio uerbi. Similiter & qui irremissis & diuturnis morbis premuntur, in Christi factis conſolentur sese. Auriga nouit equis suis indulgere spatium respirandi & quiescendi, & Christus non sciet aliquantisper indulgere suis? Aurifex considerat, quantum ignis ferre ualeat argentum in camino fusorio: & Christus, ceu otiosus & suorum negligens, scilicet, non considerabit, quid sui in passionibus ferre ualeant? Audi Paulum, dicentem, Non finet uos Deus tentari, supra id, quod potestis: sed dabit cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Atque ut uidemus Dominum, cum discipulis secessisse, ut paulisper quiescerent, ita & Domini seruos & domesticos suos eadem indulgentia tractent. Ad hoc instituta olim sunt sabbatha, Exodi. 20. ut requiescat seruus tuus, &c. Verum uidentur, ne hæc refocillatio temeritati aut uanitati detur, sed corporæ relaxationi, & talis, ut cum ea Christus ipse sit iunctus, neque sit præter Christum. Quiesce, Christiane, diebus festis, & cessa ab opere seruili, & totus serui & uaca Deo. Sed hodie sabbatha, siue festi dies, non dantur quieti: dantur ludis, luxui, & turpitudini, ita ut planè consumatur quietis tempus in uitii laboriosissimis, & reiciatur Christus. Secessit quidem Christus in desertum, sed ad tempus. Ad auditores enim fideles denuo prodiit, boni pastoris officio functus, dum afflictos cõsolatus est doctrina, & medicatus ægrotis. Hisce rebus declarauit Christus se omnino delectari sedula & docili auditorum mète, at ipse neque segnius, neque frigidius uel hodie tangitur affectu misericordiæ erga nos, quàm tangebatur, cum hic uisibilis uersaretur, quando quidem sacerdotium eius perpetuum est. Et Christus heri, & hodie, ipse & in secula, Hebr. ultimo. Colligamus ex his: Christus assumptis discipulis, ut porro eos institueret, & miraculis confirmaret, uel ut paulisper refocillarentur, & quiescerent, uel propter alias causas, secessit nauigio trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, id est, lacum Genesareth, ut scribitur Ioan. 6. Et hoc, ne uideretur ad ostentationem docere: quia non expediebat de solido cibo apud infirmam turbam loqui: uel ut uires repararent fessas, uel ut loco alluderet ad sequentem euentum de quinque panibus. Secessit ergo Christus, non ad ignauum otium, sed sectatus sibi iniunctum negotium, ut hoc secessu sese ad maiore laborem capessendum, & sufferendum pararet. Hoc otium honestum & necessarium est, quod boni uiri reddunt sese aptiores ad negotia, & uacationes suas sectandas. Non ergo hic secessus est metus mortis, sed prudentia singularis, nempe uitare pericula mortis, cum legitime id potes facere: ut enim fortis uiri est, illatam mortem constanti animo ferre: ita cauti & prudentis est, non se temerè periculis mortis exponere.

Et cum audissent turbæ, sequutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. Non multum quietis sibi indulſit Dominus. Nam simul ut auditum est Christum, uitatis ciuitatibus, in desertis agere, ob metum (ut putabant) Herodis, turbæ,

relictis ciuitatibus, adibant eremum: & recondentem sese in abditis secessibus, quoniam nauibus, aut uehiculis ob impedita loca peruenire illò non poterant, pedestres sunt insequutæ, nec itineris difficultate, nec inediæ aut famis periculo deterritæ: adeo iam doctrinam euangelicam cõperant esurire. Certè non poterant non congregari aquilæ, ut dici solet, ubi erat cadauer. Obserua: Euangelium, etiam cum maxime opprimitur à potentibus & sapientibus, tamen habet suos amicos & sectatores. Aduerte uox pedestres, ostendit studium turbæ in audiendo uerbo. Et hæ turbæ sequutæ sunt. Sequi, est uitæ fidei effectus, quæ nihil non molestiarum subit, ut audiat uerbum. Magnus profectò huius populi feruor erga Christum ostenditur, qui adeo cupidè Christum sequitur, ut relictis urbibus (ubi quæ ad uitam sunt necessaria, in promptu habebantur) in desertum post Christum icrit, quo in loco erat omnium rerum necessariarum penuria, præter reliquas eius loci molestias. Sed quid hanc turbam in hunc feruorem inflammauit? Respondet Diuus Ioannes, Quia uidebant eius signa, quæ faciebat super iis, qui infirmabantur, &c. Mirabile est, quomodo hæc turba meticulosa non auocabatur ab hac profectioe, quum putaret Christum metu Herodis in desertum fugisse. Non dicunt, Ut quid hunc sequemur, qui fugit, qui meticulosus est, qui mortem timet, id quod forsitan ideo facit, quòd sibi inani cuiusdã cõsciis est? Nihil tale cogitant, aut dicunt, sed simplicitate sua ambulat, & uirtute miraculorum mouentur. Et hoc reuera signum erat animi candidi, pij, & fidentis, qui tanto desyderio audiendi Christum ardet, ut cibi desyderium huic studio posthabeat. Certè ubi gratia Christi sentitur, illi nihil non posthabetur.

Sequi Christi, uita est fidei.

Studium populi erga Christum.

Gratiã Christi qui sentit, facile cetera alia contemnit.

Et exiens, uidit turbam multam.

Cum Christus sensisset turbam uenisse prodiit, & occurrit audis, qui se subduxerat impiis. Lucas habet, Et excepit eos amice & cum gaudio. Excipere enim uox est euangelica, commendans nobis philãthropiam Christi & Euangelij. Legis potius est deterrere, quàm excipere, dicente Paulo, Lex iram Dei operatur. Addit Lucas, Et loquebatur eis, supple, iuxta suum officium, de regno Dei, id est, de Euangelio, & rebus omnibus ad illud pertinentibus. Doctrina pulchrè præcedit uictum, quia prius anima saturari debet, qua saturata, de corporis sustentatione agendum esse nullus dubitat. Suprà. 6. cap. Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adicientur uobis. Turbam multam dicit, quia erant circiter quinque milia uirorum, absque mulieribus & paruulis, Vox, multam, indicat uim & potentiam uerbi, quæ tam copiosam multitudinem ad se pelliciat.

Excipere, uox Euangelica.

doctrina præcedat uictum.

Et misertus est eis.

Cum uidisset Christus confluisse frequentem hominum multitudinem, qui secum adduxerant multos, uariis morbis obnoxios, misericordia commotus est, siue, tactus est affectu misericordiæ: nõ solum, quòd multi morbis & uariis ægritudinibus afflicti essent, sed etiam, quòd ignorantia, & cæcitate laborarent: nimirum ut supra in fine. 9. cap. quòd essent uexati, & iacentes, id est, destituti ac desperati, uelut oues, non habentes pastorem. Inter uirtutes animi non minimum locum obtinet misericordia, qua quis aliena, perinde ac sua ipsius calamitate afficitur. Nec putandum est Christum nunc minori erga nos moueri affectu, quàm cum huic turbæ prædicaret. Semper sui simillimus est. Heri & hodie est, ut paulò ante diximus. Et noster est sacerdos, rex, & pontifex: non temporarius, sed æternus. Non enim (ut Hebr. 4. scribitur) habemus pontificem, qui non possit committi infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Ad eam ergo cum fiducia, ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Misericordia non potest uirtutum.

Christus semper sui simillimus.

Christus nunquam obliuiscitur miseri.



## Et curauit languidos eorum.

Antequàm sanaret aegros (ut Marcus ait) cepit illos docere multa. Et Lucas. 9. cap. Et loquebatur eis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat. Doctrina regni Dei, salutis & medicina est animarum, quàm sanata faciliè sanatur & corpus. Affectus cõmiserationis simul & effectus in Christo, erat, miseros & aegros iuuare. Vnde ex itineris difficultate Christus perspectam habens fidem illorum, ultro sanauit, quotquot habebant aegros, & quinque panibus omnes paut, ut mox legemus.

*Veri pastoris est,*  
Ab errore reducere,  
Pascere,  
Aegrotas oues sanare.

*Falsi pastoris est,*  
Seducere,  
Morbidas negligere,  
Sanas uocare.

*Diuina uirtus*

Docet omnes, Ioan. 6.  
Sanat omnes, psal. 36. Homines & iumenta saluabis, &c.  
Misit uerbum suum, & sanauit omnes.  
Pascit omnes, psal. 104.

Seruiunt ergo diuinæ uirtuti, quotquot docent, sanant, & pascunt alios.

## Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli.

Circumstantiæ temporis & loci exaggerant necessitatem turbæ, ut postea innotescat potentia Christi. Huius miraculi summa est, Christum non tantum animarum curam agere, sed etiam corporis. Nos ergo ipsi quæramus, exemplo turbæ, primum regnum Dei, audiamus Euangelium, & omnia adiiciuntur nobis. Ad huius historiæ cõmendationem plurimum facit, quod ab omnibus euangelistis tractatur, præsertim, quod Ioannes non omiserit illam, cum tamen post reliquos scribens, sciret eam iam à reliquis scriptam. Certè cum Ioannis scopus præcipuus fuerit, afferre, quæ Iesu Christi diuinitatem exprimerent, signum est, quod in hac historia de multiplicatione panum, probè diuinitatem Christi obseruare possumus. Cum itaque appeteret nox, & stomachus stimuletur fame: cumque nõdum satis perfectè sentirent discipuli de Iesu, etiam iam tot perceptis miraculis: Sic enim uisum est diuinæ sapientiæ, paulatim illos ad perfectionem fingere: quod firmior esset rerum gestarum fides, simulque ipsos doceret, quibus rationibus aliorum infirmitati mederentur, accedunt ad præceptorem.

Dicentes, desertus est locus, & hora iam præterit, dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

Explicatur hic ingenium infirmitatis, & incredulitatis in Apostolis, qui rationis iudicio tantum innixi, non credunt Christum in deserto cibare posse turbam sine præsentibus uictus occasionibus, molitoribus scilicet, pistoribus, furno, farina, & aliis id genus, ad comæatum pertinentibus. Ad hunc enim modum argumentabatur ratio, Dies incipit declinare. Ergo dimittenda turba, ne fame pereat. Item, Locus est desertus: ergo huic turbæ pereudum est fame. Ablata est uictus occasio, nimirum in deserto: ergo non potest sequi uictus: ergo fame illis pereudum est. Cum tamen fiducia in Christum aliter argumentaretur: Etiam si dies declinet, etiam si uictus, & sufficiens occasio desit, tamen potens est Christus cibare in deserto desertissimo. Ad eunt itaque suum præceptorem discipuli, consulturi, quid esset agendum. Sed hic parcendum ignorantia discipulorum, prudentia carnis aëtorum. Bone præceptor (inquiunt) nos uidemus te ad eundem intentum instituedis for mandisque animis auditorum, ut nullam de uentre curam habere uidearis: sed quid profuerit, si mens satiata sit, & corpus interim fame intereat? Num expectabunt

Multiplicatio panu diuinitate christi in primis arguit.

Ratio humana & fiducia in Christum ex diametro contrariæ.

bunt hic in deserto donec columbæ assæ in ora ipsorum deuolent? Vespera est, locus desertus est, populus durus est: nimirum hi sunt minores eorum, qui simili occasione uoluerunt lapidibus petere Mosem in deserto. Præterea egrotos secum pueros non paucos habet hæc turba: adsunt & mulieres, & hos omnes diuexat fames, ipsorum corpora debilitans. Quare, uidetur nobis consultissimum, ut dimittas turbam, ut omnes abeant in finitima castella, & coëmant sibi cibos, cras, si libet, ad concionem tuam reuersuri. Hæc si extrinsecus consideres, uidentur prudentissimè dicta: sed si introspexeris, nihil hic leges, præter prudentiam carnis, & Apostolorum ignorantiam. Sua enim opinione ducti, arbitrabantur Christum ad eundem ingrantem esse, ut nullam haberet curam salutis populi sui, & necesse esset, ut ipsi Christo leges rerum agendarum præscriberentur. Sed dum hæc faciunt, incredulitatem suam produnt, nimirum paulò ante audierant, Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiiciuntur uobis. Et quædiu iuxta hoc uerbum uocationi Christi seruiuerunt, nihil defuit ipsis. Nunc autem & si uidebant populum querere regnum Dei, oblitum tamen diuinæ liberalitatis, existimant populum in deserto fame moriturum. Videbant item eo ipso tempore, Christum, non solum prædicare regnum Dei, sed etiam infirmos sanare, ut Lucas ait. Qui ergo abigebat morbos, & agritudines à corporibus, an is nõ poterat etiam famem à stomacho abigere? Qui maiora præstabat, minora non poterat? Ad hæc sciebant Israëlitas in deserto, sequentes suam uocationem, manna etiam cœlitus depluto, pastos fuisse. Quare hoc consilio suo Apostoli, & suam infirmitatem & ignorantiam produnt.

Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire.

His extenuat Christus necessitatem, quam ita multis amplificauerant Apostoli, reuocaturque illos ad potetiam uerbi: ut sciant ibi non defuturum uictum, ubi ipse sit.

Date illis uos manducare.

Hic dialogismus Christi cum discipulis, de cibandis turbis, quod ipsos iubeat eis cibum dare, quod Philippum peculiariter interroget, ut Ioan. 6. ca. memorat, hæc omnia ad id faciebant, ut magis attentis, miraculum (quod facturus erat) cõmendaret. Hanc historiã copiosius explicuimus Ioan. 6. vide si delectat. Mirabile auditu, iubet Apostolos facere hoc, quod facturus est, cum tamen illis esset impossibile: sed probat illorum fidem, ut sensum illos ad maiora promoueat.

Respondent illi: non habemus hic, nisi quinque panes, & duos pisces.

Manifesta confessio infirmæ fidei in Apostolis, qui relicto uerbo, solum respiciunt ad præsentem occasionem. Certum erat uerbum, Nõ habent necesse ire. Quasi dicat Christus, Curabo, & prospiciam illis de uictu. Ex quo manifesta fit ignorantia discipulorum, qui, ne admoniti quidem à Christo, credunt, quod nulla adsit necessitas, ubi Christus sit. Hic locus docet, quàm sit difficile, credere, simplex uerbum esse potetiam Dei ubi adempta est occasio. Hac in necessitate dum fueris, est tibi necessaria fides Abraham, Roma. 4. qui contra spem in spem credidit, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promissit Deus, potens est & facere. Huc referenda sunt exempla Israëlitis, difficulter credentis in deserto uictum sibi non defuturum. Sed hæc copiosius tractauimus in cap. Ioan. 6.

Qui ait eis, Afferre mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discubere super scœnum: acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis panes: discipuli autem dederunt turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duo-

Q 9

Apostolorum pusilla fides.

Nihil deest, ubi Christus est.

Fides, in rerum necessariarum penuria, in primis necessaria.



## decim cophinos fragmentorum plenos.

Tractata sunt hæc omnia Ioan. 6. Afferte, &c. Iubet afferri modicam occasio-  
nem, quam oblatam non negligit. Aspiciens in cælum: de hoc gestu diximus in  
Ioan. 17. Hoc gestu declaratur affectus Christi erga patrem. Benedixit, diuina po-  
tentia adauxit, & fecundauit. Et fregit, in signum, quod benedictio Domini di-  
stribuenda sit. Et dedit discipulis, in signum ministerij, quo aliis seruire debent.  
Et manducauerunt omnes & saturati sunt. En effectus potentiae uerbi, & bene-  
dictionis Domini. Edunt pij, & saturantur: edunt aliquoties impij: sed non satu-  
antur, tantum onerant uentrem. Hæc saturitas commendat miraculi ueritatem.  
Nam magica signa, cibum quidem præbent, sed non alunt, aut saturant quenquam.  
Et tulerunt reliquias, &c. Exaggeratio potentiae uerbi, & benedictionis Domini.  
Tanta est Dei munificentia, ut super sit quoque semper plurimum. Deus enim non  
ieiunè nutrit, sed copiosè. Ne ergo simus solliciti, quid edamus, aut quo uestiamur.  
Adeò enim non deerunt seruis Dei necessaria, ut multò plura relicturi sint, quam  
inuenerint. Quis enim opes cæli, & thesaurum illum Dei exhauriri posse credat?

Manducantium autem fuit numerus quinque milia uirorum.

Ad epitasim exaggerationemque miraculi, & ad excitandam fidem nostram  
facit hæc circumstantia numeri, in quo analogia seruat. Nam quinque dicuntur  
fuisse panes. Iam uerò numerantur uiri quinquies mille. Proinde uno pane pauit  
mille uiros. Eadem Dei potentia quotannis è modico, & unico tritici semine per  
culmum in spicam deportatur grana tritici quamplurima: & ex illo aruo aliquot  
frumenti plaustra onerantur, in quod modicum seminis sparserat agricola, semen  
illud in agrum non curru conuehens, sed modico impositum sacco humero infe-  
rens. Similiter prædicatorum uerbum, tantum parua quædam occasio est ad satu-  
randum auditores uerbi: At Christus uerbum prædicatorum benedicit, hoc est,  
efficax reddit, dum addit incrementum. Panem benedictum frangit, hoc est par-  
titur, & digerit, prout uidetur auditorum ratio postulare: fractum dat discipulis, in  
hoc, ut illud uerbum distribuant in auditores, quo hi refocillentur ad satietatem  
usque in conscientijs. Porro quanquam uerbum largissimè prædicatum est, & distri-  
butum in alios, tamen de uerbo semper superest, quod in cophinos, hoc est, in alios  
atque alios auditores recondatur: donec & ipsi plenè saturantur.

Exceptis mulieribus & paruulis.

Hæc circumstantia anxiosam seu argumentum miraculi demonstrat. Non solum  
quinque milia uirorum quinque panibus pauit, sed & mulieres, quæ aderant cum  
paruulis. Qui numerus certè non minor fuisse credendus est, quam uirorum, nisi  
non fuerit eadem tum, quæ nunc est, mulierum, non dicam, curiositas, sed uerbi  
diuini audiendi auiditas.

Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam,  
& præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

Posteaquam satisfactum est uentri, & necessitati turbæ, nõ ad lasciuia, aut som-  
num, edito tanto miraculo in confirmationem fidei discipulorum, compulit Chri-  
stus discipulos suos (ægrè enim à dilecto Domino distrahebantur) ut nauim præce-  
derent se Bethsaidam (ut habet Marcus) postremus manens apud turbam, quia ei  
curæ erat. Discipuli simpliciter iussis obtemperant, quanquam inuiti à Domino  
diuellerentur, non obmurmurant, non causantur imminentem noctem, non ro-  
gant, quando ipse sequuturus sit, sed abeunt, quod præcepit Dominus. Obserua hic  
eximiam curam fidelissimi pastoris erga suas oues. Deus enim suos perpetua exer-  
cet disciplina. Compulit suos discipulos, ut conscenderent nauim, quò uidelicet  
ipsos periculis obiceret, fidem ipsorum exerceret, tandem & eriperet, atque hoc  
exemplo totum mundum erudiret.

Et dimissa turba.

In Ioanne. 6. cap. aperte causa scripta est, cur uoluerit Christus turbam mature  
amotam, nempe quòd uellent ipsum regem facere. Iam terrenum regnum uole-  
bat, qui rex erat cælorum, & in serui, non regis figura uolebat à mundo conspici.

Ascendit in montem solus orare.

Dimissa turba, cui modis omnibus satisfecerat, ascendit in montem: ut illic o-  
raret solus. Hoc suo exemplo monens nos, non ad ostentationem orare, & omnia  
facere, ne in oratione impediamur. Dominus nõ semel, & iterum, sed sæpius, diu,  
& instantissimè Patrem orauit, ut summus pontifex, sanctus, purus & innocens,  
non pro suis delictis, à quibus planè erat immunis, sed pro nostris. Hic orauit, pro  
felici regni sui successu, uel pro discipulorum fide, quæ adhuc infirma erat. Vbi  
uide mihi, & diligenter obserua, quomodo inter conuiuium & periculum tempe-  
statis (quod mox audietur) medius interponitur oras Christus; suo nimirum ex-  
plo nos docens, pro acceptis beneficiis agere gratias: interim nullam nobis ex  
nobis securitatem polliceri, sed ad futura nos pericula præparare precibus, indefessè  
que obsecratione. Vox, solus orans, exprimit naturam priuata orationis, quæ a-  
mat secessum.

Vespere autem facta.

Paulò antè dictum est, uespere autem facta, siue cum appetisset uespera. Et ab  
ea uespera compulit discipulos abire, deinde dimisit turbam, & conscendit mon-  
tem. Modò ait, uespere facta solus orat: an hoc dictum, quasi antè non aduenerit  
uespera? Respondet, Vesperam uocari totam eam partem, quæ à tertia hora est  
pomeridiana, ad noctis usque tenebras. Habet certè uespera initium suum, & fi-  
nem: ut rectè paulò antè dictum sit, uespere facta, seu cum appeteret nox, id est, in-  
clinare cepisset dies. Et modò, uespere facta, id est, cum iam incumberent noctis  
tenebræ.

Solus erat ibi.

Iam satis superque explicuerat Euangelista, Christum solum mansisse in deser-  
to, cum scripsit discipulos coactos nauigio abiisse, deinde, & turbam dimissam.  
Sed magis eò respexit Euangelista ut explicaret, quòd omnibus dimissis discipu-  
lis, & iam aliquandiu in mari periclitantibus non adfuerit, sed adhuc in monte,  
ubi orabat, manserit solus.

Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.

Aduersa tentatione uult Christus suos erudire, atque animorum ipsorum cras-  
situdinem pertundere, ut tandem animaduertant, quem habeant magistrum, in cu-  
ius scilicet agnitione ipsorum omnis salus sit sita. Excitari igitur ipsis passus est tem-  
pestatem, satis formidabilem.

Erat enim contrarius uentus.

Aetiologia est tempestatis seu tentationis, à causis, quæ tempestatem seu tenta-  
tionem excitant. Periclitantur in undis discipuli. Nam illis ingressis lacum, sta-  
tim obortus est uentus aduersus: ac nauis intumescens fluctibus, non sine peri-  
culo iactabatur. Aduersaria Satanæ potestas, qua discipuli Christi in hoc mundo  
iactantur, adumbratur per uentum contrarium. Qui non solum cursum nauis im-  
pedit, sed & nauim cum nauigantibus planè subuertere molitur. Ita ut præterquã  
quòd in dubio, incerti, quòd rapiantur, fluctuant, mortem etiam ante se uideant,  
de uita periclitantes ac desperantes. Ad hunc planè modum facit Satanæ. In pri-  
mis contra cursum Euangelij magna sauitia luctatur, irèque uetat, quò Christus  
iussit. Iussit autem Euangelium prædicare in uniuerso mundo. Deinde molitur  
incertum reddere Euangelij profectum, ut illius aliquando ministri dubitare co-

Q 9 ij



gantur, quò sint promoturi, & an sint aliquid effecturi. Adde, quòd in periculum mortis rapit præcones Christi. Hunc uentum còtrarium sensit Paulus. 2. Corint. 1. fenserunt & Apostoli mox Ierofolymis. Suprà. 8. cap. periclitantibus discipulis præfens quidem erat Christus, sed dormiebat in naui, hinc studiò abfens est. Certè diuina dispensatione hæc tempestas disposita est, ut post illam sedatã agnoscerent discipuli, Christum esse filium Dei, & interim tolleretur ab ipsis crassities illa ingenij, & tarditas ad credendum, atque hac occasione in fide solidaretur, & firmiores fierent. Deinde hac tempestate Christus typum quendam exhibuit earum aduersitatum, quas discipuli erant in mundo passuri, iuxta id, uos in mundo pressuram habebitis.

Quarta autem uigilia noctis uenit ad eos.

Formidabilis, & errore plena erat hæc tempestas metum incutiens, quem & nox duplicabat. Quid facerent? Urgebat periculum: nec aderat, cuius implorarent opem. In hoc periculo totam ferè noctem Iesus suos reliquit, ut paulatim duraret eos aduersus omnes formidines, doceretque nunquam defuturam opem diuinam periclitantibus, etiam si paulò serius obtingat. Quarta igitur demum uigilia noctis penè desperantibus illis, ac iam iam despondentibus animum, uenit Iesus. Quarta uigilia, id est, paulò antè diluculum matutinum. Vnde colligitur ipsos ferè per totam noctem laborasse. Nox diuiditur in quatuor uigilias. Duæ priores mediã noctem præcedunt: posteriores sequuntur. Dicuntur uigiliae, quòd toties custodiã nocturnã mutarentur. Obserua, non esse desperandum tibi, etiam si in profundis periculis fueris, & Dominus non statim adsit. Aderit tempore opportuno, quemadmodum & his adsit, quando ita uisum est, nempe quarta uigilia.

Ambulans super mare.

Cùm putarent discipuli de se actum esse, & desponderent animos, quòd iam cum undis totam ferè noctem còstitati essent, & iam nauigassent stadia ferè uiginti quinque aut triginta, Iesus aduenit ad eos, non cimba uectus, sed ambulans super aquas, & mare ipsum procellosum, & sæuiens, & furens, ut ipsos magis terret, & post sedatos fluctus, agnosceretur ab ipsis esse Dominus, etiã sæuiens maris, hisque adumbraret, nullã aduersariã potestatem posse impedire, quo minus opem ferat suis. Reiciat nos potestas Satanæ, impediatur cursum, rapiatur in mille discrimina uitæ, non poterit tamen neque uento suo aduersario, neque excitationis fluctibus, imò omnibus suis furiis infernalibus, prohibere Iesum Christum saluatorem, quin occurrat & adsit suis.

Et uidentes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, quia phantasma est.

Nox metum quidem incutiebat. Sed quum uidissent per tenebras ambulantem aliquem, nec satis agnoscerent Iesum, turbati sunt, hoc est magis exhorruerunt. Malis enim & tēpestate circumuēti, infirmitate sua ita dementati & debilitati sunt, ut præsentem salutem uix agnoscerent, imò inter se dicerent spectrũ esse quod uiderent, non hominẽ. Vulgus autem nauatarum putat huiusmodi uisa præfens exitium portendere nauigantibus. Solent maligni spiritus assumptis creaturarũ corporalium formis, siue in solitudine, siue in maris tempestatibus, noctu errantibus & laborantibus molesti esse. De qua re August. li. de spiritu & anima. cap. 26. 27. 28. Et psal. 90. fit mentio timoris nocturni, & pestis ambulantis in caligine. Ad huiusmodi spectra propè naturaliter omnes homines exanimantur & horrent. Phantasma uisum seu spectrũ sonat, & est effectus τῆς φαντασίας, hoc est imaginationis. Nam spectra siue uisa obici hominibus non uana est opinio. Imaginatur quidem homo nonnunquam præ corruptis cerebri humoribus, ea se uidere, quæ non uidet, & quæ nusquam sunt. Interim uerò obiciuntur hominibus non raro

spectra quædam, non citra iustum Dei iudicium, per ministerium bonorum maiorumque spirituum erudientia uel admonentia homines, aut etiam imponentia hominibus incredulis, & tenebras amantibus. Sed non est animus hic differendi de huiusmodi, de quibus tantoperè apud eruditos rixatum est. Augustinus huius non nihil attingit ad Nebridium, Epist. 72. In præfenti phantasma quoddam, uisum simpliciter ac spectrum sibi apparuisse putant apostoli, idque per humanam imbecillitatẽ. Obserua, quanta sit imbecillitas humana, propter quam hic agnosce quid possit opinio mali, quàmque affligat animos pusillos, etiam ubi nihil est mali. Certè Christus non erat spectrum. Atque ideo per se non dabat timori causam. Quòd sit, ut hæc discipulorum turbatio non acciderit, nisi ex sola spectri opinione: usũque uenit frequenter, ut inani metu uexemur, dum putamus adfore malum, quod non aderit, uel certè nocere non poterit, etiam si uenerit. Ea profecto nobis inest peruersitas, ut quæ uerè mala sunt, non timeamus: & ea, quæ nocere non possunt, formidemus: id quod nihil aliud facit, quàm inanis ista malorum opinio. Orandũ igitur est, ut spectra huius mundi, & inania terriculamenta, quibus Satanas pusillos animos à ueritatis sententia absterret, cognoscere & contemnere det: & iuxta timere ea, quæ uerè timenda sunt.

Et præ timore clamauerunt.

Tantus terror illos inuasit, ut uelut impotentes sui facti, præ formidine exclamauerint. Vide, quòd cæca opinione ducti sint, ut ob eam rem, quæ ad summam erat instituta consolationem, & in qua uirtus diuina declarabatur, statim, uelut desperabundi, exclamauerint. Hoc certè malum habemus, ut non solùm inaniter metuamus aliquando, quæ nocere non possunt, sed peruersè etiam horreamus ea, quæ ad salutem faciunt. Ad hunc modum Herodes & omnis Ierofolyma turbabatur post auditam Christi natiuitatem, quæ non erat cuiquam per se formidabilis, sed, si fuisset agnita, supramodum amabilis. Herodi tamen, & eius affectis Christus natus, erat spectrum formidabile. Hanc sortem habet Christi doctrina, dum aliud est, & aliud putatur: dum ad aliud uenit, & ad aliud peruersitate mortalium abripitur. Mundo Euangelium est perpetuò spectrum, quod illi pro hæresi habetur & semper damnatur. At in culpa sunt nocturnæ tenebræ, uidelicet ignorantia Dei & fluctus impurorum affectuum, quibus uoluntur mortalium peccata & excæcantur per potentiam Satanæ, ut Christum non agnoscant.

Statimque Iesus loquutus est eis, dicens.

Iesus non passus est suos diutius periclitari, sed adest illis, aded ut miseros, & metu propè malorum exanimatos, consoletur, & contra omnia mala tueatur: loquens illis, ut quem per caliginem uidere non poterant, indicio uocis agnoscerent. Hoc profectò nobis fidentibus sperandum est, & expectandum à Christo, quòd suos, in angustiis constitutos, deserere nequeat. Sed uide bonitatem Christi, qui illis succurrit, & consolationem adfert, antequam tempestatem sauientem, & uentum aduersum sedet, & cùm adhuc in medio tempestatibus laborant. Hęc omnia traſtauius Ioan. 6. ubi eadem narratur historia. Vox, dicens, ostendit, quòd Christus uerbo illos consolatus est.

Habete fiduciam.

Hoc uerbo eximit illis mentis angustias, & metum, quo affligebantur. Habete fiduciam, hoc est, bono animo sitis, id est securo, & fidenti. Vide. Primò non ignorat suorum metum & anxietatem, sed illam probè nouit. Hebr. 2. & 5. Secundò, ei parti primùm succurrit, & medetur, quæ potissimùm in afflictione laborat. Ea est mens, anxietate & metu pressa. Obserua potentiam Dei, qui non habet necesse aduersas res tollere, ut suos reddat securos & pacificos: cùm hinc uideas apostolos,

Q 9 iij

Deus finit, sed non obliuiscitur suos in periculis.

Nox in quatuor uigilias scinditur. In periculis non relinquitur animus.

Auxiliũ Dei nulla uis aduersa remoueri potest.

Spectra nocturna.

Phantasma.

Opinio mali quàm possit.

Falsæ opinionones sepe perdunt.

Imbecillitas hominũ, formidantium, quæ admodum optabilia sunt, & contrã.

Euangelium, mundo spectrum est.

Christus suos deserere non potest.

Deo nihil est necesse tollere aduersitates suos, ut illos consoletur.



etiam in medijs tempestatibus laborantes, animæ quiores fieri & securos esse. Non abfimiliter factum est tribus illis in medio incendio liberatis. Daniel. 3. Hoc genus pacificandi, & consolandi afflictos non agnoscit mundus.

Ego sum, nolite timere.

Consolatur suos, argumento à causa ad effectum. Ego sum, ergo nolite timere. Quia præsens sum, do vobis potestatem expellendi, & excutiendi ex animis uestris timorem, ut non credatis me spectrum esse. Certè non sufficit Christum præsentem nobis esse, nisi fide uiua in ipsum ducamur, alioqui nobis spectrū erit. Dominus est essentia aeterna, uerè subsistens, omnibus uitam conferens, omnipotens, diues & benignus in omne inuocatis illum. Sed requirit, ut hæc firmo animo credamus, & nos totos in ipsius tutelam & curam coniciamus. Hæc qui agnouerit, & firmiter apud se stabilierit, firmus & immotus stabit cōtra omnium malorum assultus. Quòd si etiam aliquando infirmitas carnis recurrerit, & nō nihil nos deiecerit, erigit tamen perpetuò uiuæ fidei uirtus. Hæc dicit Dominus, Ego sum: non solūm, ut opinionem & errorem spectri ex animis discipulorum eximat: sed etiam, ut ipsos ex afflictis & meticulosis reddat securos & confidentes.

Christus, quibus spectrū tantum est.

Uiuæ fidei uirtus semper surrigit hominem.

Ego sum, cuius uox.

Cuius est hæc uox, Ego sum?

- Dei,
- Dei & hominis,
- Saluatoris, qui in quauis necessitate succurrere potest:
- Eius, qui non solūm potest, sed etiam gaudet succurrere:
- Eius, qui eò occurrebat, ut succurreret:
- Qui ita loquitur, ut suis metum adimat, & fiduciam det.

Obserua, Christum nō dixisse, Ego sum Iesus Nazarenus, sed simpliciter, Ego sum. Quæ uox est familiarium ad notos, eorum, qui ex familiari commercio adeò noti sunt, ut uel ex uoce agnoscantur, etiam si ex conspectu sint ignoti. Cū ergo suis conuictoribus loqueretur Iesus, hæc uoce usus est: non item ad Saulum persequentem Ecclesiam: sed, Ego (inquebat) sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Ergo Christianorum est ex uoce agnoscere Christum, ut illis satis sit, loqui Christū, ad hoc ut consolationem accipiant & animi fortitudinem. Sic Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt.

Christiano rō est ex uoce agnoscere Christum.

Respondens autem Petrus, dixit.

Petri erga Christum dilectio.

Ad hanc uocem, Ego sum, illico redditus est illis animus. At Petrus, qui semper singulari quodam amore flagrabat erga Iesum, nihil omnino credens difficile, quod ille iuberet, ait.

Domine, si tu es, iube me uenire ad te super aquas.

Fides.

Non miratur Petrus Christum ambulare super aquas, qui credit id quoque sibi licere, si Dominus dederit. vbi uide fidem Petri. Primò, uoce, Domine, captat beneuolentiam, & eum credit potentissimum. Deinde non ait, Ora patrem tuum, in hoc, ut det mihi, &c. sed, iube. Quasi dicat, Si tu iusseris, possibile erit, ut faciam, quod uires meas excedit.

At ipse ait, ueni.

Iesus modis omnibus fingens ac formans Petri imbecillitatem ad robur perfectæ fidei, ait, ueni. Noluit Dominus feruorem Petri extinguere, sed uisum est, per experientiam, fidem illius alere & fortiorem reddere. Ideo ait, Ueni. Obserua consolationem. Siquidem hoc exemplo Christus tētatis dat subinde apertius uerbum, quo in fide confirmantur. Esto igitur bono animo, quisquis es pius, quia si mori-

bundus, & proximus morti, dixeris cum Petro, Domine, iube me uenire ad te, audies Christum dicentem, ueni. Et mox traicies hoc mare, hoc est, præsentem mundum pedibus calcabis, seu prorsus cōtemnes, & ad Christum recipieris. Obserua, uoce, ueni, alludit ad id, quod superiori capite dixit, Venite ad me omnes, qui laboratis.

Consolatio piorum etiā mediā mor te.

Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, ut ueniret ad Iesum.

Fidei ardor in Petro erat, alioqui non cupiisset in apertum se conicere discrimen, hoc est, deserta nauis sese marinis committere fluctibus. Audita itaque uoce Christi, Petrus, nihil contatus, deiecit se de nauicula, cœpitque properare ad Iesum. Atque hæc fides efficax est. Nam Petrus ambulat super aquas. Et quādiu nihil uacillabat illius fides, subserviebat illi liquidum elementum. Obserua fidei exemplum in Petro, qui ad uerbum audet se mortis periculo committere. Nam quid præsentius morte, ubi sine nauis in mari fueris?

Petri fides.

Videns uerò uentum ualidum, timuit.

Vbi dimotis paulisper oculis à Iesu, cœpit circumspicere uentorum uehementiam, undarum tumultum, suamque imbecillitatem: rursus consternatur animo, & timeret: quemadmodum nos quoque fidem habemus, dum extra teli iactum cōstitimus: at ubi in nos irruunt undique mala, concidimus & fide & animo. Hic discamus, unde nobis insit timor & diffidentia in rebus aduersis. Quia Petrus plus attendebat impetum venti, quā uirtutem uocis Christi dicentis ueni, cœpit diffidere & timere. Proinde cū in periculis uersabimur, cauendū est ne attendamus, quanta sit aduersaria potestas, tentans nos impedire ne ad Christum accedamus: sed magis respiciendum est ad uirtutem Christi, uocantis ac dicētis, uenite ad me. Ad quam si respexeris, nihil est, quòd uerearis ac timeas aduersariam potestatem. Alioqui terreberis, ac diffidere incipies, exemplo Petri, qui, ut hīc dicitur, uidens uentum ualidum, id est, considerans tentationem, relicto uerbo, ueni, timuit, id est, diffidere, seu fides eius infirma fieri cœpit. Timor enim dubitationis & infirmitatis est signum.

Timor & diffidentia in aduersis unde.

Timor dubitatis & debilitatis index.

Et cū cœpisset mergi.

Hæc est incredulitatis, imò oligopistia, siue parua fiducia pœna, submersio. Merus ex uentorum uehementia nascebatur, periculum ex metu, metus ex diffidentia. En uide. Nonnunquam aduersaria potestati succumbimus. Cur id? Quia illam timemus, & de Christi uirtute dubitamus, aut certè promissioni & uerbo eius nos non planè committimus. Obserua. Merguntur quidem aliquo modo pij, sed non pereunt prorsus. Incipiunt quidem in crucem incidere, sed in cruce non desperant. Nam clamauit Petrus dicens.

Aduersaria potestati quare non nunquam succumbimus. Pij submergi incipiunt, sed non submerguntur.

Clamauit dicens.

Quoniam non omnē prorsus fidem Petrus reiecerat, sed oligopistia, seu modica & infirma fide laborabat. Nam, Domine, salua, &c. Vox est fidei. Magnitudine periculi excitatus est rursus fidei igniculus, adeò ut Petrus, penè undis obrutus, cœperit clamare. Hic clamor signum est uiuæ fidei, quæ postea inuocat. Petri exemplo docemur, quò nobis periclitantibus confugiendum sit.

Clamor in oratione uiuæ fidei argumentum.

Domine, saluum me fac.

Domine, uox est potentia, qua confitetur Petrus, Christum iuuare posse. Saluum me fac, petitio est, ex animo fidentis. Tantūm, ait, Domine, serua me peruentem. Hoc exemplo discamus nihil murmurare, si propter Euangelium in tribu-

In tribulationes propter pietatem lapsus non murmurandum.



lationes inciderimus. Nam Petrus non dicit, quare permittis, ut demergar: sed, Domine salua me. Nihil opprobrat Christo, sed simpliciter auxilium ipsius implorat.

Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum.

Christus que contulit uisibiliter uiuēs, inuisibiliter conferre nō cessat.

Explicatur magna Christi philanthropia, & prompta ad auxiliandum uoluntas. Nam adest continuò inuocanti, & apprehensa subsidentis manu, erigit eum, ac in maris superficiem statuit. Quòd hīc uisibiliter fieri uides, aliās geritur inuisibiliter. Quodocunq̄ enim ex afflictionibus & periculis eripimur, quid aliud sit, quā̄m quod hīc legimus? Sic Dauid psal. 17. Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis. Psal. 72. Tenuisti manum dexterā meam, & in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Obserua: uox, continuò, circumstantia temporis est, denotans, quā̄m libenter iuuet Dominus, etiam eos, qui infirma fide præditi sunt. Rursus aduerte effectum fiduciā esse ipsam liberationem.

Et ait illi, Modicæ fidei, quare dubitasti?

Pericula nostra ferē ab imbecillitate fidei.

Non *ἄπιστος*, id est, infidelem & sine fide, sed *ὀλιγόπιστος*, id est modicæ fidei uirum, siue modicè fidentem Petrum uocat Christus. Atque admonens periculum, quod metuebat, non esse ab undis aut uentis, quæ prius subseruiebāt, sed ab imbecillitate fiduciā, porrecta manu corripuit illum, ac subleuauit, dicens, O parum mihi adhuc fidens, quare uacillabas? Hæc interrogatio emphasim habet. Quasi dicat, Cur dubitas? Quid causæ est, cur hæsites? An non habuisti præsentiam meam? An dubitasti de fide seu promissione mea? An de potentia? Cū̄m huc uenisti, & in aquam descendisti, magno fidei seruiore tenebaris, qui mox tepuit, ut uideo. Non satis est habere fidem uehementem ac temporariam, sed oportet habere perpetuam ac constantem. Neque dispicere, quantum sit periculi, aut quid tuæ uires possint ferre, sed quid ego fidenti possum præstare. Obserua: exemplo Petri nemo fidat sibi nimium, & tamen sentiat se habere fidem, cogitet tamen subinde, quanta sit uniuersæ carnis nostræ imbecillitas, ac clamet, Domine, salua me. Certè hīc admonemur, constanti fide opus esse in his fluctibus, qui nobis ad Christum properantibus, interitum minantur. Hos superabimus uiuido intuitu in Christum.

Fides fortis sit & peritina.

Nemo sibi fidat nimium.

Et cū̄m ascendisset in nauiculam, cessauit uentus.

Christus & solatur in aduersis, & ipsa aduersa tollit. Christus pacis omnimoda dator. Confensus Euangelistarum.

Mox ut Christus ingressus est nauim, uenti cōquieuerunt. Mirabile uisu auditūque est. En mare sauiens, uenti & omnia elementa Christo ac membris eius pro uoluntate Christi, subduntur. Hīc, quæso, agnosce & studium Christi erga suos, & uirtutem eius, qui non solū̄m corda suorum in mediis periculis solatur, & eos conseruat, uerū̄m etiam ipsam aduersitatem, & quæuis externa pericula tollit. Ergo ex his collige, Christum esse, qui tam externam quā̄m internam pacem præstare potest suæ Ecclesiæ. Obserua: Ioannes 6. cap. dicens, Voluerunt ergo eum recipere in nauim, & ilico nauis appulerat in terram, &c. non repugnat Matthæo & Marco, aperte affirmantibus Dominum ingressum esse nauim: nec negat Dominum ingressum esse nauim, sed dicit tantū̄m: Voluerūt ergo accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram, ad quam ibant. Non addidit, priusquam eum recepissent. Fieri enim potuit, ut inter recipiendum ipsum, uel simul atque receptus esset, ipsi eum adorarent, & tempestas resederit, & nauis terram contigerit.

Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum.

Experti uirtutem & præsens auxilium Christi in rebus extremis & periculosiss.

simis, statim ex tam diuino opere collegerunt discipuli, hunc hominem esse hominem quiddam maius: hoc est non solū̄m hominē, sed & uerū̄ Deum, filiū̄ Dei uerū̄: ac idcirco, prociderunt ad pedes eius, & adorauerunt eū̄, hoc est, summo cultu dignum esse facti sunt, & gestu externo, & animo. Liberatos è tentatione decet gratias agere, & agnoscere beneficia Christi. Fuit in his uera animi sinceritas (profectò hodie rara) quòd nihil indignati leguntur Petro, qui solus relictis aliis ad Christum properauerat.

Sinceritas animi Apostolici hodie rara.

Dicentes, uerè filius Dei es.

Quam animo conceperant de Christo fidem, uoce explicant, & confitentur Iesum esse Christum, agnoscentes eum ex suo illius officio, quod est iuuare: & non offensi abiectioe eius, credunt, & confitentur ipsum esse filium Dei, hoc est, credunt Christum à Deo missum, ut iuuet ac liberet æquali potentia cum Deo. Discamus & nos ex operibus agnoscere & fateri diuinitatem Christi, atque adorare gloriosum illum Dei filium, Deum de Deo, æqualem & consubstantialem patri: facessant autem hinc, & erubescant Arrius & homouisionistæ Arriū̄ sequuti, blasphemantes filium Dei, negantē̄que ipsum, eum esse, qui est, ac dicitur coæternus, consubstantialis, & potentissimus Dei filius, adorandus in secula, Deus uerus, qualem agnouit uera, & orthodoxa Petri fides.

Officiū̄ christi, iuuare.

In Arrium & Homouisionistas.

Et cū̄m transfretassent, uenerunt in terram Genesâr.

Hæc regio adiacet stagno Galilææ, quod dicitur Genesareth, ubi prius multa e-

Et cū̄m cognouissent eum uiri loci illius.

Cognouerunt ex fama, rumore, miraculis, & audito uerbo. Sentiamus hoc loco, quid efficiat cognitio Christi, quòque nos ducat, & promoueat.

Miserunt in uniuersam regionem illam.

Engaudium Genesarenorum propter uerbum. In uniuersam regionem, exag-

Charitatis est, quæ sua sunt impartiri aliis. Pagani homines hodie plerique christi nō admōdum nōrunt.

Et obtulerunt ei omneis malè habentis.

Obtulerunt, &c. Quo uerbo significatur, quòd crediderunt, & firmiter apud se statuerunt restitutionem ægrotorum per Christum exhibendam. Vide supra, 8. cap.

Et rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent.

Rogare effectus est uiuæ fidei, quæ postulans, impetrat, Roma. 10. cap. Quomodo inuocabunt, in quem nō crediderunt? Fimbria ex se non sanat malè habentis: sed qui certò credunt, attingentes fimbriam Christi, tantam esse potentiam eius, ut sibi non opus sit loqui, modò detur attingere fimbriam uestimenti illius, & statim secuturam sanitatem, hi sanantur.



Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

Cōtempna in  
Christo, po-  
tentiōra uni-  
uerso mūdo. Christus Dominus non tantūm ex aquarum liberat periculis, sed omnia semel mala, omneis morbos tollit, & curat, modō in ipsum credamus, & ipsi supplicemus, imō fimbria uestimenti eius, id est, id, quod in Christo & minimum est, & extremum esse uidetur, potentius, & ualidius est uniuerso mundo. Offerentes rogant. Et non sefellit eos sua fiducia: Nam quotquot attigerant, sanati sunt. Obserua. Quōd undique afferuntur ægroti, indicium est, Christum esse Saluatorem, qui potentissimam afflictis & miseris opem ferre gaudeat: id quod nobis & fidem in ipsum & dilectionem erga proximos augere debet, ut & nobis eadem ab ipso expectemus, & fratribus pro nostra uirili eadem præstemus.

De

tactu fimbriæ supra. 9. capite, in historia mulieris, quæ profluuio sanguinis laborauerat, diximus.



SECUNDVM MATTHAEVM.  
CAPITIS DECIMIQUINTI  
Epitome.

372

*Phariseorum traditiones, diuinis aduersas, improbat: Cananæe filia, & plerisque aliis, à dæmonio liberatis, quatuor hominum milia cibant.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.



**I**NC accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisei, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & uos transgredimini mandatū Dei, propter traditionem uestram? Nam<sup>a</sup> Deus dixit, Honora patrem, & matrem: Qui male dixerit patri, uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri

*Quod man<sup>o</sup> non lauent, reprehenduntur Apostoli. Marc. 7. a. b.*

*Mandata hominum.*

*Exod. 20. c. Deuter. 5. b. Ephes. 6. a.*

*a. Deus dixit iurcepit.*

*b. Munus quodcunque uel, quicquid doni à me profectum erat, sibi in planu.*

*Aut, quicquid deo uel Deo, uel ceteris uoluntati, & sic tue non succurrat, egerit.*

*c. Populus hic, appropinquat mihi populus hic ore suo.*

*d. Non intelligitis, uel non intelligitis.*

*e. Blasphemia, uel contumacia.*

*Decimicum, uel taculū.*

uel matri,<sup>b</sup> Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram. Hypocritæ, benè prophetauit Isaias dicens:<sup>c</sup> Populus hic labiis me honorat, cor autem longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit: Audite & intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis, quia Pharisei, audito hoc uerbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur: sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus, dixit ei, Ediffere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc & uos sine intellectu estis? Non<sup>d</sup> intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in uentrem uadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemia. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Et egressus inde Iesus, secessit in parteis Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Cananæa, à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio uexatur. Qui non respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes. Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi

*Isa. 29. d.*

*Doctrina hominum. Marc. 7. c. Impurū redentia hominem.*

*Plantatio, quæ eradicatur. Ioan. 15. a. Luc. 6. f.*

*Cor.*

*Cananæe filia sanatur. Marc. 7. c.*



Christus propter quos missus. Supr. 10. a. Ioan. 10. c.

Panis filiorum Canes. Fides. Sanatur filia Cananæ. Sedes in monte Christi? facta in infirmos. Marc. 7. d.

Satiat. 4000. hominum. Marc. 8. a.

Discipuli erant mediores inter Deum & populum: sicut nunc sunt. ut 2. Corinth. 5. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

ad oves, quæ perierunt, domus Israël. At illa uenit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Et cum transisset inde Iesus, uenit secus mare Galilææ: Et ascendens in montem, sedebat ibi, & accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Ita ut turbæ mirarentur, uidentes utros loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes: & magnificabāt Deum Israël. Iesus autem conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerat mecum, & non habent, quod manducent. Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt, septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor milia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba, ascendit in nauiculam, & uenit in fines Magedan.

Tunc.



Connectendi particula, Tunc, id est, quando famam Iesu miraculorum gloria promouebat, & reddebatur ipse Christus illustrior.

Accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisei.

Quod maiore cum gloria Dei restituebantur apud stagnum Genesareth, quotquot malè habebant, eò magis urebantur inuidia Scribæ & Pharisei, uidentes hac ipsa agrotorum restitutione, & tam salubri doctrina, suam obscurari gloriam, qua se hætenus uenditârant apud homines. Ducti itaque spiritu inuidentiæ calumniatores, accedunt ad Iesum, obscuraturi (si quo modo fieri possit) hanc Christi lucem. Quod si rogaueris, qui sint hi, tanto liuore tumentes: Euangelista dicit, Scribas & Phariseos esse Ierosolymitanos. Sanctos uiros scilicet, & præcipuos in populo Israël, multum sibi arrogantes, quia maiores honores in repub. Iudaica consequebantur. Qui tamen primi & audivissimè debebant ueritatem amplecti. Diuisa erat Scribarum & Phariseorum secta in omnes Iudæorum tribus. Sed qui propter Ierosolyma, locum sanctum, aliis Scribis & Phariseis ex alia tribu, siue non Ierosolymitanis, præluere debebant, erant insolentiores, nequiores & arrogantiores. Neque prophetæ neque Christus infensiores unquam habuerunt Ierosolymitis. Ideo Christus ait, infra 23. Ierusalem, quæ occidis prophetas, &c. Non unus, sed plures Christum adeunt, qui numerus fidem astrueret calumnia. Quasi dicerent: Nos sumus magni doctores in lege, & uiri religiosi, magno numero co-

Scribarum & Phariseorum inuidentiæ.

Nulli Christo & apostolis infensiores, quam Ierosolymitæ.

acti, & in unam legem à Deo datam, & per prophetas probatam, conuenientes, non ignari, sed habentes clauem scientiæ. Quod pronuntiamus, pro arresto & placito habendum est: alioqui qui nobis & doctrinæ nostræ aduersabitur, pro hæretico & schismatico habendus. Haud dubiè uenabantur undique calumniam: sed quò magis impetunt Iesum, hoc magis traducunt suam cæcitatem, ad eò manifestam, ut populo esset perspicua.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?

Quemadmodum ab Ierosolymis legati ad Ioannem, noua, ut ipsis uidebatur, molientem, uenerant, inquisituri in doctrinam illam nouã, qui sibi inter Iudæos censuram in omnem doctrinam usurpabant: ita & hi, multo supercilio turgentés ueniunt ad Christum, non tam interrogaturi, quàm correpturi: nec tam discipulos quàm magistrum, quem uolebant haberi pro hoste, ac degenerante à uestigiis patrum, adeoque & hæretico & fugiendo. Si hos uidisses accedere, quid aliud expectasses, quàm enorme facinus obiectum iri Christo? tantus istorum erat liuor. En uides: non quærunt, Quare tu & discipuli tui transgredimini legem & uerbum Dei? Quare non doces illos uoluntati Dei obedire, omnemque in illam fiduciam collocare? Certè intelligebant Christum ista in primis curare. Id quod dolebat sacerdotibus auarissimis, quippe cum in dies & autoritati ipsorum, & quæstui decederet plurimum. Sed de traditionibus humanis uiolatis queruntur, Christumque accusant, Quare discipuli tui maiorum nostrorum instituta, traditiones siue decreta non seruant? Obserua: Sunt traditiones seu leges, ab hominibus quidem scriptæ & pronuntiatæ, sed quæ habent originem suam è legibus naturalibus: & sunt, quæ diuina ordinatione ad conseruationem publicæ tum Ecclesiasticæ tum ciuilibus politia ponuntur & constituuntur. Et quia duplex est politia, altera Ecclesiastica, altera ciuilibus: duplex quoque est ordo legum posituarum. Aliæ sunt Ecclesiasticæ, quas uocant caremoniales: & sunt, quæ instituuntur ad docendam & conseruandam fidem seu religionem in Ecclesia. Harum multæ sunt in lege Moisi, ut de cultu Leuitico. Sunt etiam in nostro Christianismo. Hoc certè habet potestatis mater Ecclesia uniuersalis, firmamentum & columna ueritatis (ut Pauli uerbis utar) cui profectò Christus, ut suæ sponsæ, dat os & sapientiam, cui non licet resistere. Huiusmodi sunt institutiones & ordinationes ad porrigenda & sumenda sacramenta, & ad exercendum peragendumque ministerium uerbi. Huiusmodi traditiones & institutiones, etiam sola consuetudine uniuersalis Ecclesiæ obseruata, pro diuinis habenda & obseruanda ueniunt. Hæc enim energiam & uim habet sancta consuetudo, ut Pauli uerba ostendunt. 1. Corinth. 11. Ad hæc, quæ à patribus & maioribus sancita sunt, ut omnia fiant in Ecclesia decenter, & secundum ordinem, hæc pro diuinis habenda sunt, ut ut ab hominibus dicta statutaque fuerint, propterea quòd Deus requirat à nobis publicam decentiam, ordinem, honestatem, & modestiam. Vnde cum Paulus Ecclesiam Corinthiorum honestè ordinasset, & uiris ac mulieribus sua cuique officia in Ecclesia præscripisset, addit, 1. Corinth. 14. Si quis uidetur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat, quæ scribo uobis, quia Domini sunt mandata. Quamobrem? Quia Dominus uult & præcipit, ut omnia decenter & secundum ordinem fiant. Contra has sacras institutiones non potest afferri hic Matthæi locus. Huiusmodi enim traditiones humanæ quidè sunt, quòd per homines eduntur, non autem, quòd ab hominibus natae sint. Sed diuinæ traditiones sunt dimanantes scilicet ex lege dilectionis, capite mandatorum Dei. Sed hic agitur de iis, quæ ab hominibus uel contra scripturam uel citra scripturam ex bona uel stulta potius intentione superstitioneque, aut alio quopiam affectu prauo natae, conditæ atque confirmatæ sunt. Traditiones hominum, aduersus quas inuehitur hoc loco Christus, sunt merè inuenta hominum, pro libidine & placito hominis, prætextu quidem cuiusdam pietatis, tamen sine spiritu Dei. Cum enim

Phariseorum & Scribarum uel spelle eò filium.

Traditioni siue legu differentia.

Legum posituarum ordo duplex.

Ecclesiæ licet ac licebit leges ponere.

Ecclesiæ decreta & consuetudines, p diuinis habenda.

Patrum sancta, obseruanda.

Traditiones quomodo & cur humanæ. Quæ humanæ traditiones non magni astimantur.



Traditiones  
Pharisaicae,  
additiciae.

Moses Deutero. 4. uetisset, dicens, Non addetis ad uerbum, quod uobis loquor, nec auferetis ex eo: Pharisei tamen & Scribae, quod uiderentur ipsi legum non interpretes modo, uerum etiam conditores, minuta quaedam adiecerant. Quod genus sunt illa, Ne quis cibum capiat, manibus impuris, impuras autem appellabant illotas, quasi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quasi liquor aquae sordes animi abstergeret. Item, Ne quis a foro reuersus, & in promiscua turba uersatus, cibum capiat, nisi prius abluto corpore, perinde quasi cotactus hominum inquinaret hominem: aut quasi purus sit, qui lotus sit. Rursus, ut subinde lauaretur urcei, pocula, aramenta, sella, lectica, reliquaque supellex, cuius usus erat quotidianus. His atque huiusmodi traditiunculis onerabant simplicem plebem: quibus tantum tribui postulabant, ut harum praecipitularum gratia, non nunquam ea negligerent, quae praeeperat Deus.

**Non enim lauant manus suas, cum panem manducant.**

O sanctulos uiros! o uere hypocritas! Haec scilicet transgressio est, qua putatis o doctissimi Ierosolymitani, culpanda esse. Singularis quidem & eximia est scilicet, quae exhibeat ac exigat curam tatorum uirorum. Quid statuitis o religiosi uiri? Nulla dedit uobis Moses potestatem condendi has superstitiosas leges. Statuite igitur, quod ad pietatem, & Iudaismi uestri integritatem spectat, ut religio & pietas conferuentur. Vos, non seniorum uestrorum, sed propria agitis causam, uolentes seniorum autoritate, ut dicitis, sed reuera uestra malitia, innocentem Christum grauare. Quasi uerum id uobis liceat, quod primas in causa religionis teneatis. Proinde uultis uideri probi ac genuini sectatores maiorum, interim uerum Christum contra pro hoste haberi. Vide, pie lector, ingenium hypocritarum quale sit. Amat puritatem, sed corporis non animi. Lauat uestes, sed habent conscientias pice nigriores, & sordibus sordidiores. Amant lucem, sed quae oculos carnis illuminet, non mentis. Umbris adumbrata sacramenta nolunt, sed tenebricosa corda amant. Cum ergo non haberent, quod impingerent discipulis Iesu, praepitorem fugillant, quod pateretur discipulos negligere constitutiunculas, non quod eas contemnerent, sed (ut Chrysostomus ait) quod rebus seriis intenti non nunquam illas pro nihilo ducerent. Obserua: non queruntur de omnibus traditionibus, sed de una duntaxat, nempe de non lauando manus. Obserua, certa Dei dispensatione factum esse, ut discipuli, communibus, id est illotis (commune enim profanum in scripturis dicitur, ut Act. 10. cap. aperte docetur) manibus coram censoribus istis, cibum sumerent, sicut & supra, 12. cap. cum discipuli sabbatho esurirent, & per segetes iter facerent, ut sic Christo daretur occasio differendi de humanis traditionibus, quae ad transgressionem mandatorum Dei pertinebant.

**Ipse autem respondens, ait illis.**

Nolens Christus ferre tam malitiosam de re nihili criminationem, percutit aduersarios atrociori recriminatione, ceu per antistrophum, hoc est uice uersa in ipsos regetens, quod in ipsum eiulabantur. Nec reddit rationem, quare discipulis permisit seniorum traditiones negligere, sed umbone umbonem repercutiens, aliam opponit quaestionem, ut sensim ac paulatim Pharisei & Scribae sibi ipsis respondeant prodita ueritate. Neque enim decem neque honestum est, ut, qui magnis sceleribus laborant & sunt obnoxij, examinent eos, qui nulla in re alia accusari possunt, quam quod traditiones humanas negligunt. Imo conuenientius est, ut retundantur, & scelerum suorum admoniti confundantur. Ideo ipsos Deus hoc loco fortissimè retundit.

**Quare & uos transgredimini mandatū Dei propter traditionem uestram? Dicite o Pharisei, Si discipuli mei peccauerunt tantoperè leges maiorum siue patrum transgrediendo, quantoperè delinquant, obsecro, qui diuinam legem prauaricantur? Sed qua fronte me interrogatis? Si iure me in-**

Natura hypo-  
critarum.

Discipuli an  
Pharisaicas  
constitutio-  
nes contem-  
pserint.

Commune  
pro profano  
in sacris.

Iudaeos suis  
ipsorum ar-  
mis conficit  
Christus.

terrogatis, cur discipuli mei transgrediantur traditiones patrum, Ego multo iustius a uobis causam postulauero, cur uos transgrediamini legem Dei, idque propter traditiones uestras. Obserua extenuationem in pronomine, uestram: quasi dicat, uestra traditiones diuinis legibus cedere debent. Aut, uestram: quasi dicat, quaestuosam, nullo modo pendentem a uerbo, ideo inutilem & perituram. Nam uerbum Dei manet in aeternum: & Omnis plantatio, quam non plantauerit pater caelestis, eradicabitur. Hic locus distinguit mandata Dei a traditionibus humanis, quae Dei mandatis cedunt. Rursus aduerte. Non solum ideo culpatur illos, quod praepita Dei transgrediantur multo facilius, quam traditionem aliquam seniorum: sed quod etiam traditionibus suis praepita Dei irrita faciat. Qua re quid grauius sceleratiusue committi potest ab iis, qui sese pro ministris Dei uenditant? No mine Dei contra Deum abutuntur: & cum uelint uideri ministri Dei, & gloriam Dei promouere, inueniuntur aduersarij Dei, cuius gloriam & cultum suis uanis traditionibus uel obscurant, uel ludificantur.

**Nam Deus dixit.**

Christus Deum & praepita Dei, senioribus & ipsorum traditionibus opponit: Estque haec oppositio causarum & effectuum. Dignior causa praefertur indigniori, sicut & effectus digniores, indignioribus. Graecis dicitur *επιλατο λεγων*, id est praepitit dicens. ut respondeat ad id, quod praepisit, *οτι οτι*, mandatum siue praepitum.

**Honora patrem & matrem.**

Scribas & Phariseos transgressionis diuinæ accusauit. Accusationem sequitur probatio, ab exemplo omnium clarissimo, & de quo nemo Iudaeorum, imò ne Gentium quidem, dubitare potest, quin sit praepitum Dei, & illud sumptum ex tabulis Moysi, quas Iudaei receptissimas, & in summo pretio habebant. Quae & tabulae foederis dicebantur, ad declarandum, quod qui praepita, in illis inculpta, transgredierentur, foederis Dei transgressores dicerentur. Videtur autem ad hunc modum incipere probationem, quasi dicat: Nonne lex Dei palam praepitit, Exo. 20. ut quisque parentes siue patrem & matrem, a quibus proximè post Deum, uita beneficium habet, honoret, foueat, & si necesse sit, alat? Non negabitis, opinor. Ad huius loci maiorem explicationem obserua Graecis legi *τιμα* quod significat, honorem habere. Verum, iuxta proprietatem Hebraici sermonis, magis pertinet ad subfidium, quam ad honorem, hoc est, ad salutationem ac ciuilia illa uita officia. Id quod etiam adnotauit in hunc locum Diuus Hieronymus. Praepitit enim Deus, id quod gentilium, quoque legibus cautum est, ut liberi parentibus uel aetate defectis, uel inopia laborantibus, uel alioquin afflictis, opitulentur. Ad eundem modum Paulus usus est. 1. Timot. 5. Honora uiduas, quae uerè uiduae sunt. Ac rursus, Presbyteri duplici honore digni sunt. Quin & apud Latinos, honor pro praemio gratiaque usurpatur, quae pro merito refertur. Et apud Graecos *τιμη* a *τις* deductum est, quod quoties in bonam accipitur partem, significat depedo siue persoluo. Obserua: tacti Scribae & Pharisei circa praepita prioris tabulae foederis ac impiissimi errarent, tamen Christus accipit praepitum secundae tabulae, duplici ex causa. Prior est, ut ostendat Scribas & Phariseos grauissimè peccare, quia parentes negligant, quorum honorem longè felicissima promissione ornauit Deus: & inobedientiam erga illos horribili poena uetuit. Quibus omnibus contemptis, humanas isti & suas traditiones praefertunt tanto praepito. Posterior causa est, ut declaret Scribas & Phariseos potius uelle exuere humanam naturam, quam ferre, ut traditiones suae contemnuntur. Rursus aduerte, non dicit parentes, sed patrem & matrem nominatim, ut illorum memineris, & casti matrimonij, ac honorabilis conubij. Obserua: hoc genus hominum non inculcat Christus de minorum aliquorum tem-

Tabulae Mo-  
ysi, tabulae fo-  
ederis dictae.

Honorandi ac  
iuuandi pare-  
tis lex natu-  
rae & diuinis-  
sima.

Honor pro  
pensatione.



porariorum ac cerimonialium præceptorum Dei, id quod tolerabilius fuisset, sed de primariorum transgressione, nimirum quod sancta Dei præcepta, in tabulis diuinitus scripta, & ore Dei iussa, suis traditionibus postposuerint.

Et qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur.

Hæc pœna immorigeris filiis indicta ex Leuit. 20. cap. desumpta est. Adeo districte præcepit Deus honorare parentes, idque ita serid, ut si quis iniurius, etiam uerbo tantum, sit parenti, morte debeat puniri. Maledicere uerbis quidem sit, sed grauius punientur, qui facto patrem aut matrem læserint.

Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri uel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrem suam.

Ac si dicat, Iam componite huic legi Dei de honorandis parentibus, uestram traditionem. Vos, consulentes auaritiæ uestræ, quod, quod subleuandis parentibus erat impendendum, uertatis in lucrum uestrum, docetis populum, quod melius sit inferre munera templo, & templum donariis locupletare, quibus iuuari debebant parentes, quàm opitulari parentibus egenis. Vos profecto technam & imposturam commonstratis, qua parentibus opem flagitantibus illudant filij. Nimirum ut ita loquantur patri aut matri, Munus, quod ego filius tuus offero templo, tibi collatum puta. Siquidem non tam meo, quàm tuo, nomine impendo, ut iam non minus tibi impenderim, cum Deo offero, quàm si in tuam necessitatem insumpissim, quod enim Deo offertur, summo parenti, rectè collocatum est: ac filij pietas proderit & parentibus. Nam præmium, quod à Deo expecto pro munere, mecum commune habes. Atque hac arte sub prætextu falsæ pietatis, contra præceptum Dei deferitur pater, ut melius habeatis, ô Scribæ & Pharisei. Res ad uos redit: ad parentes subleuandos, præter uerba, nihil redit. Proinde non simpliciter eos culpatur, quod donaria templi exegerint à populo: sed quod docuerint ea, quæ templo dabantur, cum essent Deo data, ideo templo dare longè esse melius, quàm parentibus, etiã egenis, succurrere: quod qui templo dederint, dederint simul & parentibus, sed non contra. Hæc oratio uidetur ἐκλαστική, id est defectiua, Quicumque dixerit, &c. Ideo aut addendum aut subaudiendum est aliquid in fine, scilicet, benefacit. Videtur locus sic ordinandus: Vos dicitis, scilicet docendo liberos uestros, ut habeant, quod respondeant parentibus, sustentationem petentibus à liberis, Munus quodcumque est ex me, subaudi, Deo dicatum siue deuotum, proderit tibi, uidelicet magis quàm si dicatum non esset templo. Quasi uerò peccatum sit, conferenda in templum propter usum parentum uel retinere, uel non offerre. Et non honorificabit, id est, non adiuuabit patrem aut matrem, sed illis relictis dederit templo hoc munus, quo iuuandi erant parentes. Is filius benefacit. Hæc est doctrina uestra, ô Pharisei, rectè & ex diametro pugnans cum mandato Dei, de honorandis parentibus. Atque hanc ob rem liberi, hoc modo à uobis docti, nō honorant parentes, quemadmodum honorare debent, & lex Dei exigit, non præcipiens sic templo offerre, sed parentum necessitatibus subuenire. Non prohibet Christus offerre templo. Sed non uult, ut quo releuandi sunt parentes, egestate & necessitate pressi, id offeratur templo, & parentes pro derelictis habeantur.

Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram.

Nunc concludit Christus, quod probandum sumpserat, uidelicet Pharisæica traditione legem Dei irritam fieri, id est, dissolui & conculcari. Vbi obserua coniunctionem, & hoc loco poni pro ergo uel igitur, sicut passim in scripturis accipitur, ut adnotauimus in primum cap. Ioan. Nam per illationem dicit, Hinc consequitur uerum esse, quod mihi probandum sumpsi, uestris traditionibus legem

Philargyria  
Pharisæorum.

Ecleiphi sub-  
inde ueritur  
Christus.

Et pro ergo.

Dei spurcari & dissolui. Quid magis arrogans & superciliosum, quàm uestras traditiones anteponere præceptis Dei, & harum prætextu sanctissimum Dei præceptum abrogare? Iniquum erat istiusmodi traditiunculis onerare populum, satis oneratum legis onere. Sed impietatis est non ferenda, uestris commentis antiquare legem diuinam, cum ipsa natura congruentem. Ista nimirum est uestra, ista futura religio, quæ nihil est minus, quàm quod uideretur.

Hypocritæ.

Veritatis solidæque pietatis adfertor Christus, suo illos nomine ex spiritus grauitate & autoritate, Hypocritas appellauit, quod non sint ueræ pietatis hostes nocentiores, quàm inuectores & uindices traditionum humanarum sub prætextu pietatis, cum mandatis Dei pugnantium, ac nihil nisi uanissimi hypocritæ: qui se isto pacto pro uiris religiosis ac Dei cultoribus uenditant: cum corde sint à Deo quàm alienissimi. Ideo nominatim & palam uocat illos hypocritas. Quasi dicat, Arbitramini me ignorare, qui sitis, quid quæritis? Habemini pro iustis, & amicis Dei, propterea quod mundus, solum iuxta faciem iudicans, audit, quod in ore uestro multa est mentio cultus Dei. Ego uerò scio, qui sitis. Hypocritæ estis: religiosissimi quidem habitu externo & iuxta faciem, sed quibus animus plenus est liuore, auaritia, impietate, & superbia.

Pharisæi &  
Scribæ, hypo-  
critæ.

Bene prophetauit de uobis Isaias.

Testimonium prophetæ Isaiæ Christus adducit, ut plus roboris & autoritatis habeat increpatio & assertio in aduersarios, propter hypocritism & studium traditionum cum uerbo pugnantium, ostendens hanc hypocritism non recens natam, sed iam inueteratam, nec iam à se primùm reprehendi, sed reprehensam olim à prophetis, & talem quæ summè displicuerit Deo. Vnde illud *ἡμετέριον*, non est idem, quod uaticinatus est: sed hoc loco tantum sonat, ac si diceret, iam olim loquutus est, iam olim uos arguit. Nec putaueris hanc prophetiam solum ad eos, qui tempore prophetæ Isaiæ erant, aut aduersus quos Christus hic inuehitur, dirigi, sed ad uniuersum genus hypocritarum, quocumque tempore fuerint. Non enim hoc loco Christus, ait, Pharisei rectè de uobis prædixit Isaias: Sed, hypocritæ, bene de uobis, &c. ut intelligatur locus prophetæ non ad quosdam separatim pertinere, sed in genere ad omnes hypocritas. Bene igitur prophetauit de uobis Isaias. Quasi dicat, Similes estis per omnia patribus uestris, ut quæ in patres uestros Isaias dixit, uobis prorsus conueniant, uiderique propheta possit hoc de uobis uaticinium contexuisse. Nam repudiatis uerbum Dei, quod pater per me ad uos misit: corrumpitis scripturam legis & prophetarum, negligitis legem Dei. Vestras traditiones iniquas certè proponitis populo, & quodam prætextu pietatis ornatis, ut pro diuinis excipiantur. Interim uidemini uobis sanctuli esse, & egregij cultores Dei, cum reuera sitis hypocritæ.

Hypocritæ  
olim mūdū  
occupauerunt.

Dicens.

Verba prophetæ cap. 29. iuxta nostram translationem sunt, Et dixit Dominus, Eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius: & intellectus prudentium eius abscondetur. Nulla est in sensu, etsi in uerbis parua sit, uarietas, apud prophetam & hunc Euangelistam narrantem locum prophetæ. Consueuerunt Euangelistæ locum ueteris testamenti citantes, sensum scribere, non uerba numerare. Satis est recensere, hos Phariseos laborasse non dissimili hypocritism, qua laborabant ipsorum maiores tempore Isaiæ.

Euangeliste  
prophetarū  
mentē, non  
uerba, plerū-  
que citant.

Rr iij



Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.

Hæc est Dei querimonia, qua intelligere potes, & quod sit ingenium hypocritarum, & quam Deo displiceat. Nam cum animo sint quam longissimè à Deo, id est uacui sint timore ac dilectione Dei: sintque toti in eo, ut uel gloriam suam uel questum promoucant, tamen uolunt uideri sanctuli, qui summopere Deum colant: atque ideo omnia instituunt ad externam solum sanctitatem, & ore nihil aliud sonant, quam Deum, & cultum Dei, corde interim alienissimo ab omni pietate. Hic locus notat zelum & studium quoddam, sed sine scientia fuisse in his Pharisæis. Ad Roma. 10. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei & suam quærentes statuere, iustitiæ non sunt subiecti. Vbi obserua, Apostolum notare in primis zelum sine scientia: deinde finem, scilicet, & suam quærentes statuere iustitiam: idque unde quaeso, nisi ex lotione manuum, & similibus traditionibus? Obserua: Cum meminit cordis & labiorum, subindicat Deum quoque intelligere & queri non aded de mediocribus hypocritis, quam de præcipuis, qui perpetuò de Deo loquuntur, quasi ex abundantia cordis os loquatur, cum tamen animo & spiritu alienissimi sint ab ipsa pietate: nimirum quærentes suam constituere iustitiam.

Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & madata hominū.

Quia non habent suum cultum in uerbo Dei, sed solum iuxta externam speciem ipsum curant: ideo ceu inuisum sibi & tãquam hypocriticum Deus damnat, quod timor sui & cultus apud populum Iudaicum, nihil nisi huiusmodi mandata hominum esset, quibus tandem ex doctrina hominum tantum adseuissent. Nam corde non docebantur diuinitus. Ideo præcepta Dei illa externa, quæ de ceremoniis data erant, tanquam humana amplectebantur, iuxta institutionem scilicet sacerdotum & parentum. Id autem est hominibus & non Deo seruire: & cum sic res habent: homines semper sua commenta adiiciunt. Propterea colunt me sine causa, id est, frustra & sine fructu, quippe qui missam faciunt fidem & charitatem, & omnem suam fiduciam collocant rebus externis, sequentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum, non fundata in uerbo Dei. Cum autem Deus suis legibus & uia fide delectetur, quicumque cultui externo fiduciam adhibent, & neque super hoc iussum Dei, neque promissionem habent, non possunt Deo placere, quandoquidem fide carent. Frustra igitur hoc cultu Deum colere dicuntur. Deus profecto spiritus est, & tales quærit cultores, qui adorent eum in spiritu & ueritate.

Et conuocatis ad se turbis.

Cum grauis illa accusatio Christi aduersus hypocritas Pharisæos tam manifesta esset, ut conuicti tacerent, non enim habebant, quid responderent, nisi quod forsitan inter se tantum musitabât, & ut maleuoli solent, quædam murmurabant. Dominus illos, utpote insanos incurabilisque humanarum inuentionum assertores, & nihil aliud aucupantes quam ansam calumniandi, reliquit, & ab illis auersus, ad simplicem populum conuertitur: cui hanc controuersiam explanat de lotionem manuum, & non solum de hac, sed & de quauis re externa, quod scilicet nihil coinquinat hominem, nisi quod à corde malo procedit, ostendens scopum, & summam iustæ legis & sanæ doctrinæ, nimirum huc tendere leges bonas, & hoc conari doctrinam sanam, ut cor rectè sit institutum, rectè sapiat, recta uelit & efficiat, hoc est, ut animi pietas uigeat. Nam uera religio uersatur in interna pietate, in fidei, inquam, uiuæ integritate, ac corde Deum uerè amate: quibus rectè dispositis, externa quoque uitæ officia ritè consequentur. Nam, ut. 1. Timoth. 4. scribitur, Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ, quæ nunc est, & futuræ. Obserua, Christum auersum

In Iudeis zelus, sed non secundum scientiam.

Cultus Dei apud Pharisæos qualis.

Maleuolorum est murmurare.

Scopus legum bonarum.

Vera religio in quo consistat.

à Pharisæis, ut incurabilibus, & conuersum ad simplicem turbam. ut intelligas, ad doctrinam Euangelij exigi animos obedientes, simplices, candidos, ductiles, ueritatis studiosos, & timore Dei præditos, non autem superbos & quæstuosos, non liuore turgentis: & astutos. Profecto simplicitas, ut rudis, digna est fauore, ergo astutia & uafricies odio digna.

Dixit eis.

Has ad se uocat, & blandè alloquitur, quod sciat illas accepturas uerbum, & suam doctrinam illis cordi futuram. Eadem narratur historia à Marco. 7. cap. Habes hic exemplum, ad quos doctor Euangelicus sermonem suum dirigat, quibus doctrinam Euangelij impertiat, & quos debeat derelinquere, tanquam ueritatis hostes.

Audite & intelligite.

In re magna & seria, qualis reuera est, scire & intelligere, quid maculat cor, & quid proprie sit peccatum, Christus turbam attentam parat. Hic locus ostendit Christum exigere à nobis studiū ueritatis cognoscendæ. Tacti autem ignorantes, rudes, & simplices essent hi, & simplices amet Christus, odit tamè oscitantiam, ignorantiam crassam, & negligentiam cognoscendæ ueritatis, unde hic rudes docet, ut intelligentes reddantur. Christus hoc exigit non solum, ut ueritatem audiamus, sed & ipsam intelligamus: hoc est, ut uerbum & aure excipiamus, & cognitum corde ac animo concipiamus, hoc est, sentiamus fide uiua. Christus enim uult in nobis cognitionem ueritatis promoueri. Hæc ut fiant, audiamus Christum dicentem, Audite, &c. Ac si diceret, Audite & intelligite, quam sint friuola, quæ uobis præscribunt Pharisæi, de minimis anxij, maxima negligentes.

Non, quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

Ad hæc doctrinam uocat omnes Dominus, quod ad omnes pertineat. Quæ uerò est tam generalis doctrina? Impuritas hominis non est à re externa, tanquam à radice: siue, peccatum non dicitur peccatum ab actione externa, sed à cupiditate siue ab animo impuro, à quo res externe impuritatem accipiunt, & peccata sunt. Rectè igitur definitum est peccatum à magno illo doctore Augustino, dictum uel factum uel concupitum contra legem Dei. Siue, ut hic dicitur, quod procedit ex ore, hoc est ex corde, contra uerbum Dei, hoc peccatum est, & coinquinat hominem. Non igitur peccatum est, non lauare manus, cum manducatis panem, & cum transgredimini traditiones illas Pharisæicas, quas hypocritæ putant cultum diuinum. Cum sint contra uerbum Dei, & à malo & quæstuofo animo. Hypocritæ sunt & iniquitatis doctores, qui hæc docent, præpostero iudicio summam pietatis collocantes in rebus externis, ueluti in lotionem manuum, & solum in externo ciborum delictu, interim ea, quæ ad animum spectant, negligentes. Nam cyathos horrent illotos, & animos impuros negligunt: manus & cutem subinde lauant, animum patiuntur omnibus uitiiis scedari. Non quod intrat in os, coinquinat, id est, non tam expendit Deus, quid extra agas, siue quo uescaris cibo, aut quam re alia utaris, quam quo animo, à quo pendet bonitas aut malitia actionis externæ. Quare quum cibo interdicto uteris, huius cibi ingressus in os, ex se non est peccatum, sed propter animum inobedientem. Procedit enim hæc immisio cibi in os ab ipsa uoluntate mala & inobediente, quæ uim habet imperandi facultatibus & potentiis, localiter motiuis. Vnde actiones illarum potentiarum (ut ita loquar) bonæ uel malæ, à uoluntate bona uel mala dicuntur. Sicut, qui sub lege comedissent carnem porcinam, illi non fuissent immundi propter carnem porcinam, quia creatura Dei bona est, sed propter contemptum & infidelitatem cordis, qua neque credidissent, neque obediissent uerbo præcipientis. Obserua: coinquinat hominem, hoc est conspur-

Doctrina Euangelica cuiusmodi animos exigat.

Studium ueritatis cognoscendæ requirit Christus.

Externa declarant, qui sit homo, non faciunt hominem esse, quod est.

Peccatum quid Augustino.

Animorum scrutator deus.

uoluntas creat peccatum.



cat hominem, & efficit peccatorem, & arguit impietatem cordis. Porro eò tendit institutum Christi, ut probet Scribas & Phariseos esse peccatores, quia suis traditionibus docent & faciunt contra uerbum Dei: contra, discipulos suos non esse peccatores, quòd manus non lauent, cum non agant contra uerbum Dei.

**Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei.**

Discipuli non intelligentes sermonem sui præceptoris Iesu Christi, dum expectant opportunitatem secreti, & illius declarationem, quòd crederent illi inesse ueritatem, accedunt ad præceptorem, ut eum commonefaciant eius, quòd uiderant. Viderant certè Phariseos ira efferuiscere, & inuidia rumpi aduersus Christum, quòd tam egregiè & apertè conuicti & traducti essent. Non audent quærere sermonis explanationem præsentis turba. **Quare postea Petrus eum domi interrogat seorsum.**

**Scis, quia Pharisei audito uerbo hoc scandalizati sunt.**

Præceptor bone, non te latet, quomodo Pharisei isti audito hoc tuo responso, & uerbo de coinquinatione, grauissimè offensi sunt, & ægerimè uerbum acceperunt, propterea que tibi grauem parant calumniam, quòd tu ueluti discretionem omnem ciborum, quam in lege Deus præcepit per Moysen, abstuleris atque confuderis. Nemo haud dubiè unquã diligentius scādala cauit, quàm Dominus Iesus Christus: hoc est, dicere quidpiã aut facere, quò quisquã posset à pietate & salute uel reuocari, uel impediri: id enim scandalizare est, hoc est, dare occasionè ruinae proximo. Tamen non effugit, quin ex dictis & factis suis impij frequentissimè sibi ipsi scandala obiicerent. Sed id fiebat culpa & malitia impiorum. Et hoc est, quòd uocamus in scholis nostris, scandalum passuum seu Phariseorum: ut, quòd uirginis Mariæ & Iosephi filius ac Nazarenus haberetur, quòd humilis esset, peccatoribus conuiueret, sabbatho curaret, se Christum prædicaret, traditionem Pharisaicam & superciliosam antiquaret. Quid? cuncta ferè dicta & facta eius, Iudæi improbi scandala sibi fecerunt: hoc est occasiones acceperunt sua malitia, unde alieniores sese ab ipso uitæ autore facerent, & ueritati infensiores euaderent. Certè ut Christus in resurrectionem multorum, ita & in ruinam multorum positus erat: nec ulla molestia destitit ab officio & legatione sua, ut ueritas apud electos promoueretur.

**At ille respondens, ait.**

Iesus uolens docere offendiculum improborū, aliquando ex rebus nihili sumi, & fortiter esse cum suis autoribus contemnendum, dignatur respondere: ut intelligamus, doctrinam ueritatis propter malos & excæcatos non esse tacendam, neque habendam esse rationem eorum, qui malunt esse hostes ueritatis, quàm discipuli.

**Omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus cœlestis, eradicabitur.**

Singulari allegoria, mutuata à re rustica, confirmat Christus discipulos suos, ne Pharisaico scandalo dimoueātur à sua doctrina ac uitæ sinceritate. Plātauit pater cœlestis quòd è uerbo Dei enascitur, ac Spiritus sancti gratia uirtutè que irrigatur. Siue, omnis doctrina aut uita, cuius non est autor spiritus, inutilis est plantatio. Non autem plantauit, quòd ex hominibus, ut hominibus, profectum, & à uerbo Dei non petitum, spiritu humano & fūco hypocriseos uegetatur conseruaturque. Hæc infirma & inualida est plantatio, eò quòd spiritu caret. Plantatio itaque patris cœlestis est doctrina scripturæ, tradens fidem uiuam in Deum, & dilectionem erga proximum, & quæ ex his sequuntur, officia uitæ iustæ, opera uidelicet fidei & charitatis. Inuenies interdum in prophetis, plantari aliquos à Domino, pro eo, quòd est, per Dominum in suum populum aliquos afcisci & constitui, ut Isaiæ. 5.

Scandalum adferre quid

Scandalum Phariseorum

Veritas tacenda non est, quilibet obstrepant eius osiores.

Plantatio patris cœlestis, que

capite. Hier. 2. & 12, & Amos. 9. Quo loco ita per Dominum populo Israëlitico promittitur, Et plantabo eos super terram suam, & non euellentur amplius de terra sua: quam dedi eis, dixit Dominus Deus uester. Sic in regnum cœlorum plantauit quosdam pater, quos nimirum filio ad uitam iustificandos donat. Offert quidem omnes pater filio, Nam uult omnes homines saluos fieri, ait Paulus. Sed quare non omnes plantantur, & salui fiunt? Respondet Christus Ioan. 3. Et hoc est iudicium (ait) quia dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Plantat pater & res & personas per uerbum, quòd à personis uult & audiri & intelligi: ut in uerbo (quòd manet in æternum) permanentes, non eradicentur, sed cum uerbo uiuāt æternum. Obserua, unde sit stabilitas uera & solida eorum, quæ in hoc mundo aguntur. Certè si quid est solidū, ex Deo est. Qui solus dat robur ad persistendum. Reliqua uerò omnia caduca sunt & pereuntia, quòd ex Deo nō sint. Ex hac ratione Gamaliel sumpsit sibi (ut est in Actis. 5. cap.) quòd in concilio sacerdotum respondit, Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: Si uerò ex Deo est, non poteritis dissoluere. Sensus igitur uerborum Christi est: Quicquid à patre meo non proficiscitur, uel ab eo fundatum & plantatum non est (procedit hæc confirmatio à necessario) non habet stabilitatem: caro enim est (nam omne, quòd nascitur, aut à carne, aut à spiritu nascitur) ideo radicitus euelletur ac destruetur. Hęc doctrina Pharisaica de coinquinatione & aliis traditionibus, à patre cœlesti neque profecta neque plantata est, sed conficta ab ipsis Phariseis. Ergo mea prædicatione, & plantatione, debet euelli. His non aduersatur, quòd Paulus. 1. Corinth. 3. ait, Ego plantauit, &c. Plantauit Paulus, non solus, sed ut cooperator Domini, qui solus sua bonitate, dat incrementum.

**Sinite illos.**

Dehortatio est à Phariseis & illorum doctrina atque operibus, Sinite, id est dimittite illos scandalizari, & offendi, ut uelint. Non ego illos, sed ipsi se scandalizāt sua malitia. Ego eò huc ueni, ut testimonium perhibeam ueritati, & falsitatem destruam: ergo mei officij est, quæ sunt ueritatis, semper docere, & falsitates ac uitia redarguere. Si illi propter malitiam & cæcitatem suam, unde profectum accipere debebant, inde scandalum sumere malunt, habeant sibi, nō est, cur mihi indignetur: suo malo pereunt, & in ipsis sita est omnis culpa. Quare cum iam sacrosanctæ philosophiæ initiati sitis, Sinite illos, nihil rei sit uobis cum fucatis illis Phariseis, qui talibus traditiunculis promittunt absolutā sanctimoniam, in quibus aut nihil est, aut quàm minimum pietatis. Obserua, in uerbo, sinite, emphasim. Quasi dicat, Cauete quicquam commercij cum illis habere: prorsus excutite à uobis omnem Pharisaicam eiusmodi traditionē, ac ne minimū quidem huius apud uos relinquantur. Sic enim loquimur, quoties significamus, non magnoperè dolendum de lucri occasione amissa & ablata, quoties reiectum ac repudiatum maiori est utilitati, quàm acceptum si esset.

**Cæci sunt, & duces cæcorum.**

Causam adducit, cur omittere debent discipuli Phariseos. Iactant sese doctores, ac duces ad ueram religionem, quum ipsi nesciant, quibus in rebus sit sita uera religio. Sunt ομνοδοι, quos hic interpres uertit duces, proprie, qui commōstrant uiam: ab οδος uia, & ἄγω duco, siue ἡγώμαι, præcedo. Hoc pulchrè quadrat doctoribus, qui ueluti uia simplici plebeculæ monstrāt. Hi dicuntur cæci, cum nō uident Domini uia, id est, non intelligūt uerbū Dei. Est proculdubio uerbū Dei, illustris siua lux, unica & certissima uia, quæ ad uirtutes & uitā uirtute Christi in cordibus operante, perducit. Psal. 118. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Ergo qui pro uerbo Dei traditiones similes humanitus inuentas ducit, & docet alios, is reuera cæcus est dux, & dux cæcorum. Dicitur uulgus cæcū

Plātare in facris.

Quare nō omnes salui fiunt.

Nihil solidū uerū aut stabile, nisi à Deo.

Lucrū in tempore contemneret, lucrum est non pernitendum.

Uerbum dei, una ad uitā uia.

vulgus cæcū



ratò sapiat, & ignoret, qua pateat ad cœlos uia, aut quam ratione placeat Deo. Venit ergo ad doctores, ut discat, intelligat, & rectè sapiat. Aut quemadmodum legimus, cœlos cœlorum poni pro supremo cœlo & extimo, ita fortassis positum est, cæci cæcorum, pro cæcisimis.

Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

Cæci ipsi sunt, & duces cæcorum, unde quid aliud expectandum, quàm ut & se, & quos ducunt, in foueam (ut prouerbiū habet) dent præcipites, id est, deducant in gehennam? Atque hic est exitus falsæ doctrinæ & seditionis. Hoc adagio, Cæcus cæco dux, uti licebit, quoties indoctus indoctum docere, inconsultus imprudenti consiliū dare conabitur. Discite ergo, sed à doctis: consiliū pete, sed à consultis. Proponamus nobis unicum Christum, aut alios in Christo formatos, quem non solum, quòd uixit purissimè, imitabimur, sed etiam, quòd ille solus doceat iustam bene uiuendi formam, & uires suppeditet, dum mittit nobis Spiritum sanctum, qui formam mundi in nobis explodit, atque spiritalem & iustam in nobis format. Christus is est, qui tam uerè, perfectè, & perspicuè tradidit sensum legis. Cuius plantatio uiua est, & fructum affert copiosum: ut fieri non possit, quin ij, qui Christo ceu caudici, non inferunt suam plantationem, & aliter interpretantur legem, sint steriles fatores, cæci & imperiti interpretes. Quare qui uoluerint feliciter plantare, & rectam legis sententiam perspicere, ac noluerint in profundam cæcitatē foueam collabi, necesse habent cauere hos Scribas, Phariseos, & pseudo-prophetas, quia ducunt ad interitum. Discamus ex his, nullam esse rationem habendam scādali, quoties nobis corrupta, & cum Euangelio pugnans, traditur doctrina, sed hanc semper, ut uenenum, esse fugiendā, & doctores, ut doctores mendaciorum, habendos, & ob id contemnendos, & prorsus fugiendos. Quorum iudicium incipit, hic in conscientiis, & quum feriuntur cæcitate, duratque post hanc uitam in æternum. In quam cæcitatē cadere, & in ea cum impostoribus perire, est in foueam cadere. O mirabile & damnandum hominum ingenium qui immaculatis Dei sermonibus nequeunt lætari, quin potius dolent & rumpuntur maximè suāque figmenta, traditiones, & mendacia illis postpositis annuntiant. Unde cum suis, quos seducunt, percunt, nisi, dum tempus habent poenitentiam egerint.

Respondens autem Petrus, dixit, Ediffere nobis parabolam istam.

Cum in domum uenisset Saluator seorsum à turba, Petrus unā & reliqui discipuli, non planè intelligentes, & nondum sibi persuadentes, quòd absque periculo possent negligi eiusmodi constitutiones, cum à maioribus traditæ essent, non aui amplius refragari sermonibus Iesu, blandè rogant, ut quod inuolutè dixerat apud populum, de his quæ intrant & exeunt os, hoc est, de esca non coinquinante, dignetur explanare, quòd eis parabolicum intellectuque difficile iudicabatur. Cedit nobis in bonum, quòd Petrus petit explicari sibi parabolam, id est, sermonem, non nihil mysterij in se continentem. Obserua, Petrum ex consuetudine habuisse, ut pro suo seruore, si qua cum Domino agenda essent, reliquorum uelut os, primus loqueretur, & interrogaret. Quod facit hoc loco, ut doceret responsum Christi, qui non ait, Adhuc & tu, &c. sed adhuc & uos sine intelligentiā estis, &c. Rursus ad uerte, in Petro exemplum animi ueritatis cupidi, & ignorantiam nō dissimulantis, ad hoc, ut ueritatem edifcat.

At ille dixit, Adhuc & uos sine intellectu estis?

Iesus uolens acuere studium suorum (quos oportebat iam in coniectandis parabolis esse peritiores, & ex aliis alia diuinare) ipsosque reddere ad sua uerba, corū que intelligentiam attentiores, obiurgati uincula illos ferit, priusquam parabolam aperiat, dicens, Adhuc & uos caretis intelligentiā? ubi uox, adhuc, emphasim habet,

bet. Quasi dicat, Post toties & tandiu iam auditam ueritatis doctrinam, ignoratis sermonem meum? Et uos. Quasi dicat, Vobiscum ago, qui diu uersati estis in meo auditorio, ad quos familiariter sum loquutus, & quibus plura enarraui, quàm aliis, qui illam ita non audierunt, tantūque occasionis cognoscendæ ueritatis non acceperunt. Adhuc uos caretis intelligentiā in rebus iis, quæ pertinent ad causas seu fontes peccati?

Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in uentrem uadit, & in secessum emittitur?

Christus parabolam accommodat, qui quauis crassitiem & indiligentiā suorum obiurgaret, plenius tamen exponit dissertationē illam, qua supra confutauit Phariseos, ostendens hominem nulla re externa pollui posse, si animus fuerit integer. Non pro nondum positum est. Græcis enim legitur *ἔτι*, id est, nondum, ut respondeat ad id, quod præcessit, adhuc. Nondum intelligitis, quòd cibus, qui manibus, siue lotis siue illotis, sumptus, intrat in os, demittitur in stomachum, deinde quod crassius est per aluum in secessum reicitur? Corporalia sunt hæc, nec afficiunt nisi corpus. Animum nec iuuant nec lædūt, nisi si quis abutatur. Si quis autem abutitur, non ciborum, sed abutentis uitio fit. Cum ergo nihil, qualecunque sit, quod in os hominis ingreditur, cor hominis attingat (in quo omnis immunditia nascitur) sed in stomachum & uentrem mittitur: ac deinde quod superfium fuerit, & ad nutritionem corporis minus sufficiens, in secessum expellatur, non potest, quicquid hominis est, impurum reddere hominem coram Deo qui non uentris, sed cordis est scrutator & æstimator.

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

Discernit Christus inter peccatum & non peccatum, inter iustitiam & non iustitiam. Quæ progrediuntur ex ore, sunt illa, quæ loquuntur homines. Oratio nascitur, non ex uentre, sed ex corde, in quo fontem suum habet noxiæ cogitationes, quæ impurum reddunt hominem coram Deo, quòd mandatis Dei aduersantur. Iam mala illa, quæ de ore procedunt, de corde etiam proficiuntur, ubi & gignuntur, & ea sunt, quæ coinquinant hominem. Sunt enim à mala uoluntate, & ob id impurum coram Deo reddunt hominem.

De corde autem exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemias.

Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.

Subiectum ostendit, è quo nascuntur noxiæ cogitationes. Primò omne malum seu peccatum in genere ponit, cum dicit cogitationes. Deinde aliquot species enumerat. Hæc si non prodeant per os, tamen impurum reddunt hominem, & abominandum in oculis Dei. Si prorumpunt, uelut è putri cloaca pestilens halitus, ut declarant hominem esse impurum, ita contagio afflatūque suo etiam alios inquinant. Haud dubiè hominis mūdicia uel immundicia secundum eam partem considerari debet, quæ præcipua est, id est, secundum cor & spiritum, non secundum corpus aut carnem, quæ est uilior pars hominis. Obserua: Christus coniungit cogitationes & externa facta, ut declaret facta externa non tantum esse actualia peccata impij cordis, sed etiā cogitationes & adfectus, quales sunt, diffidere Deo, non timere Deum, dubitare de promissionibus Dei.

Non lotis autem manibus manducate, non coinquinat hominem.

Quemadmodum lotio manuum ante cibum non sanctificat, ita nec manducare cibum illotis manibus inficit hominem, quum hoc tantum corporalem quandam



inferat immunditiam, nec ad spiritum pertingat. Nec potus, ex illoto calice sumptus, inquinat hominē, modò modicè sumas ad usum, non ad luxum. Itidem insidere illotæ fellæ, nō conspurcat animum hominis, uti nec lota sella puritatem addit sedenti. Cùm igitur has ineptias & friuolas superstitiones doceant ac seruent Pharisei: tamen non exhorrent ea, quibus uerè inquinatur animus. Nam benemerenti insidiantur, subornant falsa testimonia, obtestant famæ proximi sui: & ita suæ consulunt gloriæ, ut intuideant gloriæ Dei, calumniantes opera, quæ illius spiritu geruntur, & attribuentes ipsi Beelzebub, quæ uerè conuicti agnoscunt esse à Deo. Profectò hæc erant illis abominanda, si saperent. At quoniam omnia illis prorsus inuersa erant, ideo habentes manus lotas, iudicant se puros & sanctulos esse, & nihili faciunt, quòd mentem simul ac linguam uariis & horrendis sceleribus corrumpit.

Phariseorum  
nefaria reli-  
gio.

Et egressus inde Iesus.

Ab ingressu in terram Genesareth hucusque, Dominus Iudæos docuit, negligere traditiones hominum, inutiles ac noxias, & colere suspicerèque uisum, uerum, & æternum uerbum Dei. Item, hominem nulla re externa inquinari, si animus sit integer. Sed praua & indurata gens Iudaica maluit sese oblectare nugis, & sua studia impendere cultui uanitatis, quàm ueritatis. Propterea iusta indignatione commotus Dominus docuit, cæcos illos omittendos, imò ipse relictis illis ad Gentes concedit.

Secessit in partes Tyri & Sidônis.

Iudæos, qui salutaribus Christi operibus indignos sese faciebant, Christus reliquit, ad Gentes concedens: uelut ipso facto uaticinans, Iudæos ob superstitionem suarum traditionum expulsiuros euangelicam doctrinam, quam Gentes essent per fidei sinceritatē sibi uindicaturæ. Siquidem Tyrus & Sidon ab idololatriis incolebantur. Cùm igitur per uicos & castella, quæ erant circa Tyrum & Sidonem, ambularet, non ut prædicaret (Christus enim minister erat circumcisionis, & missus peculiariter ad oues, quæ perierat, domus Israël, quare supra 10. cap. monuit suos, ne in uiam gentium abirent, nōdum enim tempus aduenerat) sed ut lateret. Nam Marcus. 7. ait, Et ingressus domum, neminem uoluit scire, & non potuit latere. Latentem certè fama prodidit. Proinde cùm tempus immineret, quum Gentes reiectum à Iudæis Christum reciperent: noluit Pater uel tum Gentibus penitus abscondi. Hæc gratia primum oblata est Iudaicæ genti, ut in inuincibili malitia laboraret, ne queri possent sibi prælatas nationes impias & profanas. Quòd si obieceris illic miracula facta esse: certè multa respondeo non fuisse, ut in Iudæa, deinde non affectata, sed casu oblata, imò Christus propemodum extorta uideri ca uoluit. Tyrus metropolis Phœnicia quondam insula, septingentis passibus diuisa à continente, mari præalto, sed uix credibili opere, comportatis aggeribus per Alexandrum magnum adiuncta continenti. Hanc urbem Phœnices ante bellum Troianum condiderunt: ubi serui dominos aliquando omnes interfecerunt, præter unum Stratonē: cui seruus misericordia pepercit. Igitur cùm inter eos conueniret, ut is Rex esset, qui primus orientem solem, uidisset, reliquis omnibus in orientem conuersis: Strato delitescens à seruo præmonitus, in occidentem respiciens, primus solis radios uidit. Tyrus est in tribu Nephthali, uicesimo fermè miliario à Cæsarea Philippi. Iosue. 19. Isa. 13. Sidon urbs in Phœnicia, situm habens in pulcherrimo continentis portu, ait Strabo, ad mare est sita in termino Iudæ, à Sidon, filio Chanaan, condita. Ios. 11. quæ sorte ducta, tribui A ser obuēnit, Ios. 19. In has urbes non peruenit Christus, ut diximus, sed in partes Tyri & Sidônis, quas Marcus plenius & significantius exponens, ait, Et inde surgens, abiit in fines Tyri & Sidônis, haud dubiè in Syrophœniciam. Nam trans-libanum quicquid Phœnicie

Christus, mi-  
nister circum-  
cisionis.

Miracula a-  
pud Gentes  
quonam mo-  
do Christus  
edidit.  
Tyrus.

Serui Tyri  
heros occide-  
runt.

Sidon.

Syrophœni-  
ces.

est, Syria circumfundit, eoque terrarum confinio factum est, ut qui iuxta habitât, uoce cõposita Syrophœnices dicti sint: perinde ut aliis locis sæpè, ceu in Asia Gallogræci, in Africa Libyæthiopes. Et Phœnicia quidè fermè maritima est, cõtigua Galilææ, quoadúsque Libano monti approximat.

Et ecce.

Ecce, particula attentionis est, qua uult Euangelista nos admirari studiū Gentium in suscipiendo Euangelio: proponens in sequenti miraculo duo exempla. Alterum fidei & charitatis in Cananæa muliere. Alterum Philâthropiæ & charitatis in Christo. In hac muliere expressam inuenies naturam uiuæ fidei, Quæ omne bonum sibi de Christo promittit, Quæ non offenditur dilatione petitorum, Quæ non desistit omne bonum à Christo expectare, Quæ non est otiosa, Quæ agnoscit suam infirmitatem, Quæ accipit tandem, quod petit.

Cananæ mu-  
lieris uirtu-  
tes.

Mulier Cananæa, à finibus illis egressa.

Cùm rumor latè sparsisset adesse Iesum, cuius fama paulatim gliscens, Iudææ terminos exierat. Ecce mox Cananæa quædam muliercula. Cananæi erant Gentes, quas Dominus iusserat Iudæis eicere ex ea terra, hoc est, è Palæstina. Hi erant inter Iordanem & mare Syriæ Syriamque & Arabiam Petram, Gene. 15. Sed inter aliquas tribus remanserant reliquæ Cananæorum, è quibus erat hæc muliercula, dicta Syrophœnissa, à regione, in qua habitabat. Suprà in Phœnicia fuit oppidum Cana, cuius etiam mentio fit Iosue, 19. Maior cognominata, ad differēciam, nimirum alterius Canæ, quæ in Galilæa sita est, in tribu Zabulon, atque idcirco dicta & Cana Galilææ & Cana minor, in qua Dominus ex aqua uinū fecit. Ex maiore autem Cana quæ in Phœnicia est, oriunda erat prodieratque mulier, quam hic Matthæus ab urbe Cananæam appellauit, Marcus. 7. à genere siue gente, Syrophœnissam & Græcam, ubi non oportet Græcam intelligere, pro è Græcia oriundam, sed Græcam, id est, alienam à repub. Israëlitis & Ethnicam. Gentilem ergo appellauit Græcam, Apostolicum & eo seculo vulgarem modum loquēdi imitatus, Paulus enim ad Roma. 1. Iudæos & Græcos sibi opponit, per Iudæos intelligens peculiarem Dei populum, per Græcos profanas gentes quæuis. Cananæa ergo dicta est à Cana ciuitate Phœnicia. A finibus enim illis egressa est. A quibus: à finibus Tyri & Sidônis, è Syrophœnicia, inquam, in qua erat Cana urbs, unde & illa nomen accepit. Proinde cùm audieris Cananæam, non poteris non memisse iniquissimarum illarum gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ funditus euerse fuerant, ait Chrylsto. Quod cùm memoria repetieris, uirtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita. Qui enim eiccti sunt, ne Iudæos peruerteret, hi adeò ipsis Iudæis meliores fuerunt, ut terminis suis relictis, ad Christum accederent, cùm Iudæi ad ipsos uenientem extruserint. Obserua: Mulier, infirmum uas, & ipsa gentilis, proponitur hic ad confusionem Phariseorum, hominum sapientum in hoc mundo. Obserua: hæc mulier typum gerit eorum, qui ad pœnitentiam accedunt. Sicut enim illa de finibus gentium idololatrarū exiuit, ut Christo conciliaretur, ita & necessarium est, ut exeamus è peccatis, & carnis amore, ut Christum adeamus.

Cananæi.

Cana oppidū  
duplex.

Græci in no-  
uo testamēto  
pro Gentib⁹.

Gentiles olim  
à Deo explo-  
si, meliores  
denique Iu-  
dæis.

Mulier Ca-  
nanæa respici-  
entium ty-  
pus.

Clamauit.

Fides ex auditu est, Rom. 10. Verbum, rumor, & fama Christi præcedunt fidem erga Christum & inuocationem Christi. Audita igitur fama Iesu, ut Marcus ait, mox mulier illa, alienigena, & scripturarum ignara, &c. Cananæa certò & indubitanter persuadet sibi, Christum esse potentissimum, qui potest & uult facere, quod humiliter & ex animo petitur ab eo. Ideo absque mora, omnib⁹que impedimentis animi & corporis posthabitis ilico, fortique animo præteritis, confidentissimè è finibus suis egressa non ad suæ gentis idola, sed ad Dominum, omnis salu-

S f ij



Clamor.  
Clamare, uig  
ue fidei effe-  
ctus.

tis fontem & autorem, festinat: ad quem non est ausa propius accedere, ne impura purum contaminare uideretur, quod Gentilis & ethnica esset, sed procul clamore miserabili compellat, clamans. Clamor, signum est doloris & angustia. Et uerbo clamandi exprimitur studium & fides mulieris. Clamare est effectus uiuæ fidei, quam præmittit Euangelista à Christo postea urgendam. Ingens spectaculum clamore suo hæc mulier concitauit. Res haud dubie miserabilis erat mulierem aspiciere, tam magno dolore coactam exclamare, mulierem, inquam, & matrem, & pro filia, quæ malè uexabatur.

#### Miserere mei Domine, fili Dauid.

Confessio  
Cananæ mu-  
lieris, absolu-  
ta.

Inuocatio est, qua apprehendit Christum mulier à promissione Dauidi facta, & confitetur eum esse promissum Messiam, id est, saluatorem mundi, unctum Domini. Neque maior, neque grandior, neque planior poterat fieri de Christo confessio. Dominum eum uocat, significans ipsum Deum, & potentissimū, ideo quod iuuare possit. Domine, vox est potentia. Beda putat, mulierem hanc credidisse Christum uerum esse Deum & hominem: dum enim Dominū uocat, Deum fatetur: filium Dauidis appellans, hominem agnoscit. Fili Dauid, id est, qui natus es ex semine Dauid secundum carnem, Roma. 1. id est, qui es homo factus. Vnde datur nobis animus facilius adeundi te, qui promissus es Dauidi, quod uenires, dispensaturus thesauros cœlestes, & ut omnibus benefaceres. Certè hæc omnia includuntur in his uerbis, fili Dauid, quibus illa admonet eum dispensationis suæ.

Christus ap-  
prehendens,  
non tantum  
ut Deus, sed  
ut homo.

Christus qua  
dupliciter  
apprehendens.  
Christus, fa-  
cies patris  
placati, Lex  
irati.

Qui Christum in maiestate sua solum contemplantur, faciliè deterrentur, ideo apprehendendus filius Dauid. In hac inuocatione præscribitur nobis forma quædam orandi. In primis apprehendendus est Christus Deus & homo, qui huc propter nos, & ut nos in regnum suum euehat, uenit. Secundò meminisse oportet promissionis de ipso factæ nobis. Vnde in psalmo cantatur, Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui: id est, promissum Dauidi filium da, in quo placaris. Ipse enim est facies patris placati. Lex uerò, quæ iram operatur, Roma. 7. est facies Dei irati: Nimirum ostendit tibi peccatum, quo appreheso, mox uides Deum iratum tibi, apprehendis infernum, Satanam, te auersum & alienum à Deo, mortem ipsam æternam. 1. Corinth. 15. Stimulus autem mortis peccatum est: uirtus uerò peccati lex. Caue in hac facie morari, ne animum despondeas cum Caino & Iuda. Sed fuge ad faciem Dei placati, cum hac Cananæ: & clama, Domine, fili Dauid, miserere mei. Hæc priore inuocationis parte solemus laudare & captare beneuolentiã: ut, Omnipotens sempiternus Deus: aut, Qui deducis Israël uelut ouem Ioseph: aut, Domine Deus, qui cuncta scis & potes, &c. Tertio apprehendendus est Christus à promissione, qua promissit exauditionem, Ioan. 14. cap. Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Quarto fide statuendū est firmiter apud se, Christum posse & uelle iuuare petentem in fide, quæ comitem habeat charitatem.

#### Miserere.

Gentes lau-  
dant Deum  
super miseri-  
cordia eius.

Non intrat Serua cum Domino suo in iudicium, sciens, quod in conspectu eius non iustificabitur omnis uiuens: sed ad misericordiam, ueluti ad anchoram suæ salutis, confugit, dicens, Miserere. En nil nisi misericordiam postulat, hoc solum petit, ut Dominus respiciat miseriam & calamitatem ipsius: ueluti clamans illud Sapientis Eccli. 36. Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Obserua. Hæc non proponit sua merita, sed confugit ad nudam Dei misericordiam. Gentes enim nihil habent meritorum, quod opponant Christo.

#### Mei.

Non ait, Miserere filia meæ: sed, mei. Quasi dicat, Ego sum, quæ isto malo la-

bōrō, premor & crucior: sicut infra non dicit, adiuua filiam meam, sed me, adeo insignis erat huius mulieris amor in filiam suam, cuius malum, suum esse dicit. Ita profectò habet ingenium charitatis: ut legere potes. 1. Corinth. 13. 2. Corinth. 11. item. 1. Corinth. 12. Discant ab hac matre parentes dilectionem erga liberos suos. Nam ut liberi ex lege Exod. 20. a matre tenentur parentes suos, ita uicissim parentes a matre debent liberos suos, Isaie. 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Huiusmodi affectum & compassionem habent omnes perfecti homines erga quoslibet Christianos, iuxta illud Pauli. 2. Corinth. 11. Quis inter uos infirmatur, & ego non infirmor? Ad hunc modum hæc mulier dolorem & miseriam filia suæ usurpauit, Quasi diceret, Miserere, non filia meæ, sed mei. Nam illa mente alienata iacet. Ego uerò, quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens atque intelligens, infanio, mille uxor ærumnis. Miserere igitur mei Domine. Ego enim infelix sum, & mœstissima mater. Habes hic, pie lector, ingenium & exemplum ueræ charitatis, quæ eius, quem diligit, calamitatem sibi propriam faciat, deque illa non aliter cogitet, doleat, afficiatur, quàm si illi propria esset. Hoc experimur in hac muliere, cuius filia laborat, uexata à dæmone. Vnde maternum mulieris pectus non aliter mœrore atque ingentibus animi doloribus conficitur, quàm si ipsa in seipsa, hoc mali pateretur. Et forsitan etiam uehementius, quàm ipsa laborans filia.

Verè charita-  
tis imago.

#### Filia mea malè à dæmonio uexatur.

Didicisti, pie lector, iam huius mulieris fidem opus item & naturam fidei, nimirum, dum audiisti inuocantem Dominum, & illius misericordiam implorantem, in quem credit. Cui nunc, quid uelit & cupiat, paucis exponit, dicens, filia mea, &c. Hæc cum clamaret, non stabat. Nam non erat audax & impudens mulier, fides enim reuerentiam uecundiamque habet, sed ad pedes Domini (Marco teste) procumbebat. Ad hunc etiam modum Centurio, Non sum dignus (ait) ut intres sub tectum meum. Mulier item peccatrix apud Luc. 7. cap. non irruit in conuiuium, aut ob oculos Domini se proterua statuit, uerum stabat ad pedes eius, à tergo flens. Præterea fidem Cananæ ex eo quoque ualidam, uehementem, minimeque frigidam fuisse constat, quod præter hoc, quod indefinenter clamabat, non secum filiam suam adduxit agrotantem, quod Iudæi facere consueuerant, non credentes Christum, etiam absentem, aliquem curare posse. Sic adduxerunt cæcum Marc. 8. variòsque infirmos Matth. 4. & 9. Paralyticum quoque Luc. 5. Qui Iudæorum mos adeo præualuit, ut electæ quoque sorores duæ Magdalena & Martha mortuo sibi fratre, dicerent ad Dominum, Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Longè firmior fuit huius fides, quæ non adducens filiam suam, credidit, quod Christus, etiam absentem, posset curare, imò nec rogauit ut ueniret domum, quemadmodum regulus ille Ioan. 3. sed tantum clamans ac credens, ait, Miserere mei fili Dauid, filia mea malè, &c. Quasi diceret, sic procumbens ad pedes Iesu: Mi Iesu Christe, qui ad iuuandum homines, filius Dauidis factus es, & te in carnem humanam deiecisti, ut in carne miseris opem feras, peto, ut filiam meam à dæmonio liberares. Hoc enim factò nihil præstabis honestius pro tua persona, officio, & uocatione, ac pro uoluntate Dei patris, qui te in hunc mundum nostra causa misit. Quid præterea utilius facere poteris mihi, quàm ut matri filiam suam (quæ à dæmonio miserè agitatur) sanam restituas? Hoc potes, & quod peto factu facile tibi est, quia Dominus es, quia omnipotens, medicus, &c. Obserua hic orationem petitoriam; qua ex necessitate & fide uiua, serio petimus aliquid à Christo, cum certa exauditionis, quam etiam uiua illa fides impetrat. Deinde hic legis formam iustificationis, quæ exigit, ut primum sentiamus nos egere iustitia, & agnoscamus nostram iniustitiam & peccatum: postea pœnitentia & fide confugiamus ad Chri-

Fides reuerē-  
tiam habet &  
uecundiam.

Cananæ mu-  
lier, fide an-  
teuerit Iu-  
dæos.

Christi offi-  
cium est mi-  
sereri.

Oratio peti-  
toria.

Iustificatio-  
nis forma.



stum petitori iustitiā, quam etiam illa fides impetrat. Rogabis, quomodo factū est, ut cum & alij multi eandē de Iesu saluatore nostro, quā Cananæa hæc, famā audierint, non tamen sint ipsum sequuti, imò famam illam planè contempserint? Respondeo: Sicut non est opus sanis medico, ita neque qui sani sibi uidentur, tenentur desiderio medici. Hæc autem muliercula adfligebatur, & necessitatem sentiebat, proinde fuit fama illa ei tam plausibilis, qua excita, ilico sequebatur, currens post odorem tam illicibile, Cantic. i. Itaque oportet Mosen semper præire, qui peccatū doceat sentire, quò optabilis & chara gratia fiat. Propterea nihil prodest Christus, quamlibet amabilis & optabilis prædicetur, si non homo per agnitionem sui sese deiiciat, & desideret Christū, iuxta illud ex cantico virginis matris, Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Obserua, hanc historiam scriptā esse in consolationem & erēctionem miserorum, pauperum, egentium, peccatis pressorū & abiectorum hominum, ut nōrint quacunq̄ in necessitate, ad quem confugiant, & ubi auxilium & salutem quærant.

Christus qui  
bus prodest.

### Qui non respondit ei uerbum.

Explicat Euangelista probationem & tentationem fidei, qua fortitudo illius elicitur. Mulieri nimirum hūc interueniunt & obiiciuntur impedimēta potissimum tria hæc durissima, à Domino exhibita, qui dissimulauit, negauit, exprobrauit. Graues item occasiones, causæque exponuntur, ob quas, nisi solidam habuisset fidem, mulier, à Christo deficere, & Euangelium regni conuictis onerare potuisset. Iesus ille misericors & exorabilis, qui solet omnibus obuius esse & expositus, quò simul & mulieris constantissimā fidē omnibus patefaceret, & Iudæis suā pertinacissimam incredulitatem exprobraret: pariterque doceret nos, quantum ualeant apud Deum continuæ preces, ex humili corde profusæ, ad eò contemnere se finxit supplicem ac uociferantem præ dolore animi, ut nec responso illam dignaretur. Non, quòd misericors medicus miserorum preces despiciat, de quo ueracissimè scriptum est, psal. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Sed ut perseuerantiam mulieris nobis semper imitabilem demonstraret, quæ quo magis contemni uidebatur à Domino, eò ardentius in oratione perseuerabat. Ad hæc respondere differt, ut discipulorum quoque suorum misericordes animos, ad postulandū cum ea, prouocaret. Deinde, ut ne daretur occasio Iudæis calumniandi, quòd Gentiles docendo & sanando, ipsis prætulerit. Iudæi enim Cananæos, ceu hostes ueteres & idolorum cultores, habebant abominandos: seque contaminari putabāt, si uel colloquium cum illis commiserent. Hi gestus Christi, tales erant, quibus uidebatur quasi frustrari uelle omnem mulieris fiduciam, falsamque suam famam efficere: ita ut cogitare potuerit mulier ad hūc modum. Hiccine est ille uir, tam benignus, & omnibus expositus? Siccine responder laudatissimæ suæ famæ? Vbi apparet uel simile aliquid iis, quæ tam multi de ipso mihi narrarunt? Falsi fuerūt, & me quoque fefellerunt. Hostem potius quàm benefactorem se exhibet. Cur non uel uerbum loquitur, ut blandè neget auxilium, si eo indigna sum? Tacet, similis stipiti, & ne uerbo dignatur me, nedum ope sua. Hic sanè Christus grauem plagam animo mulierculæ inflixisse uidetur. Ita incomparabile tormentum est credentibus & necessitatem patientibus, cum talem se Deus ad preces ipsorum exhibet, similem irato, inexorabilem, atque ueluti abscondentem tam altè suam gratiam, ut nihil aliud iam sentiat orans, quàm nequaquam eum præstiturum, quæ promiserit, ac ita uerba sua ipsum falsa demonstraturum. Id certè euenerat Israëlitis apud mare rubrum, & Iosepho uendito, postea in carcerem coniecto: & multis aliis exitiis sanctis. Sed quid ad hæc muliercula? Nihil profectò tale meditatur, omnia boni consulit, submouet ex oculis & animo, quòd inhumanum & inexorabilem Christum ostendere uidebatur. Fortis manet, nihil hinc mora: in fiducia bonitatis eius.

Dominus Cananæam mulierem, sese abiicientem, quare contemnere uideri uoluit.

Grauisimū est piis, in oratione sibi sese Deū sentire iratum.

de qua audierat, & quam animo conceperat, perseuerat: nequaquam patitur se ab ea auerti: quanuis repulsa non desistit, sed à tergo sequitur, uociferatur, in clamat lamentabili uoce, Miserere mei Domine, fili Dauid. Sic & nobis faciendum est: uerbo Dei nitamur necesse est, etiam si Deus ipse ac uniuersa creaturæ aliud, atq; ipsum uerbum prædicat, præ se ferrent. Hoc autem naturæ & rationi humanæ ter difficillimum est, sic suspendi, & citra ullum sensum à uerbo Dei pendere, etiam cum omnia contraria sentit atque experitur. Deus donet nobis, præcipuè in morte, & extremis necessitatibus, talem animum ac fidem.

Nitendū per  
tinacissimè  
uerbo Dei.

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes,

Dimitte eam, quia clamat post nos.

Cum clamor istius mulierculæ ac fides uiderentur non exaudiri, sed repelli, accedunt discipuli, sua fide & misericordia moti, non dubitantes se exoratos. Dicunt ei, dimitte eam, &c. Quasi dicerent, Amitte & ablega illam: ἀπολυσον, id est, absolue illam: sine, ut impetrato, quòd petit, abeat, rogamus, ut aliquo pacto illi fatisciat. Quia clamat post nos, Actiologia est, exprimens studium ac fidem in muliere, propter quam rogant discipuli, ut exaudiatur. Videtur autem molesta & importuna fuisse discipulis: unde Hieronymus ait, Vel importunitate eius carere cupientes, interpellabant pro ipsa. Ex his colligit Diuus Augustinus, discipulos cum præceptore iam in itinere fuisse, & mulierem sequutam, semper clamasse. Qua in re iterum commendatur memorabilis & perseuerans mulieris fides. Tamen enim Dominus, muliere præterita, proficisceretur, inserit tamen illa se comitatus, & clamat post Saluatorem auxilium flagitans incessanter. Obserua charitatis exemplum in discipulis, qui rogant pro muliere. Consolatorium est, uidere Sanctos pro nobis orare. Quòd si hūc fit, quid uetat & à cœlitibus id fieri posse, cum sint de corpore, cuius caput Christus, & membrorum ingenium sit, mutuo se iuuare? Nobiliores igitur illæ partes corporis iuuabunt nos, imbecillas & infirmas partes, & id uirtute elabente à capite Christo, in quo sunt omnes uirtutes, quæ hoc corpus uegetant & nutriūt. Sed de oratione Diuorum copiosius scripsimus in cōmentariis nostris in Ioannem.

Sancti, qui in  
oculis sunt,  
orant pro no  
bis.

Ipse autem respondens, ait.

Iesus itaque responsum addit, durius profectò repulsa priore, quò magis ac magis admirabilem redderet barbaræ mulierculæ constantiam ac modestiam, & huius exemplo Iudæis suam exprobraret arrogantiam.

Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël.

Cum discipuli expectant præceptorem suum faciliorem, experiuntur multò difficiliorem, repellentem, scilicet (ut apparebat, & illi sentiebant) utrorumque & fidem & preces. Neque enim hic tacet, & in dubio eos relinquit, ut antè, sed planè & prorsus negare uidetur, quòd petunt, dicens, Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël. Quis non uidet plagam hanc multò grauiorem priore? ubi non solum precantis persona repellitur, sed præcinditur simul, quicquid reliquum spei solet esse: nimirum cōsolatio intercessionis aliorum sanctorum & electorum. Vltimum enim præsidium ferè est necessitatem patientibus, ac Dei indignationem sentientibus, ut ad homines pios & sanctos sese recipiant, consilium & opem quærentes, ad quam ferendam illos, uti dilectio poscit, pronos quidem & uoluntarios inueniunt. Quid autem, si hi etiam frustra pios consulunt & orant, & si non exaudiuntur? An non tum res eorum deteriores redduntur ac deploratiores? Qui sic affliguntur, & deserti uidentur, possent quidem Christo omnia illa uerba obicere, quibus ille promisit se exauditurum precantes. Vt, quum dixit, Si duo super terram consenserint, de omni re, quancunque petierint, fiet illis à patre meo. Item: Quicquid petieritis, credite, & accipietis. Et similia multa. Sed si obiicienti

Sancti, Tri-  
ij quidam,  
& ultimum  
perfugium.



ista, & roganti, quomodo possit suis ipsis uerbis & promissis deesse, ipse respondit: Ego uerò non desum promissis meis. Non promisi me auditorum qualibet preces, sed meorum, qui sunt de domo Israël, nō quorumlibet. Quid tum, putas, cogitare poterit cor ita repulsum? Responsum tale fulmen est, quo cor ac omnis fiducia, in mille partes dissecta, comminuitur. Quid enim reliquum fiducia ei potest esse, qui audit, uerbum Dei, quo uno nitetur, ad se nequaquam pertinere, sed ad alios? Sed quid muliercula? Ne sic quidē à spe decidit: uerbis (quæ de Christo audierat) ad eò inhaeret, etiam si ui quadam extorque illa è corde ipsius prior repulsa conaretur, ut non sinat se absterri, neque inamabili illo priore silentio, neque hoc tam duro responso: sed firma perstat in fiducia, credens sub ista difficultate, quam præ se Christus ferebat, absconditam & repositam sibi adhuc illam gratiam, quam audierat de ipso prædicari. Nondum sustinet hæc mulier, Christum iudicare non benignum, aut posse negare, quam orabat, opem. Hoc ipsum profectò erat, in fiducia fortiter perstare. Huius exemplo, similiter & mulieris uirgine ac mali iudicis, Luc. 18. perseveremus in fide, ut à petendo non desistamus. Porro hæc uerba, Non sum missus, &c. non sunt iuxta literam accipienda. Quasi uerò Christus non fuerit communis Saluator & Iudæorum & Gentium, sed tantum Iudæorum. Profectò constanter credendum est, Christum uenisse in redemptionem mundi, ut omnis, siue Iudæus, siue Græcus, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et hoc ipsum testatur utrūque testamentum. Hic ergo est sensus uerborum Christi: Quoniam ipse nō solum Iudæis prædicauit, sed etiam deinceps per Apostolos suos toti orbi. Ad designandum autem Christum ipsum in propria persona apostolum esse Iudæorum, dicit, Non sum missus, &c. Ideoque & plurimum Iudæis tantum prædicauit, inter quos miracula operatus est, & cum ipsis est conuersatus: Gentibus autem omnia hæc non item, præstitit, nisi personis pauculis, idque ex aduentitia & accidenti causa, ut ostenderet Ecclesiam suam, in Gentibus quoque fide extruendam, quod apertè etiam Paulus testatur ad Rom. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circūcisionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, Gentes autem super misericordia honorare Deum. Id ipsum & Iudæis idem testatus est, Act. 13. nempe, quòd eis primum loqui oportuerat uerbum Dei. Ceterum quòd ad Christum Gentes quoque pertineant, ipse apud Ioānem .10. cap. testatur, Adhuc alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & erit unum ouile, & unus pastor. Collige ex his, hunc uerborum Christi sensum: Non est (inquit) mei officij prædicare, & miracula facere in persona propria, corā Gentibus, sed tantum coram filiis Israël, quibus, propter electionem patrum & populi, promissionesque, patribus ac semini eorū factas, peculiariter ego missus sum, tanquam eorū minister, prædicator & doctor, ad confirmandas & implendas promissiones patrum: & coram his mihi incumbit prædicare Euāgelium, ipsumque signis & prodigiis confirmare. Ad Gentes autem post meam passionem, per Apostolos meos salus ex superfluenti Dei bonitate diffundetur. Non ergo sum missus, ut in hac terra gentilium edam miracula. Obserua. Israël interpretatur fortis Deo, nomen, Iacob inditum ab angelo, Gene. 32. Fortis enim fuit in fide: propterea respondit ei angelus, Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Obserua in hoc responso benignitatem Domini Dei, qui mordacissimos istos canes, luposque rapacissimos Iudæos, oues appellare non dedignatur. Similiter & reliquos, oues appellat, ad quos. 1. Petri. 2. fit sermo, Eratis aliquādo sicut oues errantes, nunc autē cōuersi estis ad pastorem & episcopū animarū uestrarū. Hi sunt, qui respiscunt, & cū Isaia .53. dicunt, Omnes nos, quasi oues, errauimus: unusquisque in uia suā declinauit. Sed de his suprā. 10. cap. & in ca. Ioā. 10. copiosè scripsimus.

Perfistendū  
in oratione.

Christus, Iudæorum  
Apostolus.

Etiā Gentes  
ad Christū  
pertinēt.

Israel nomen  
quando &  
quare inditū  
Iacob.

Iudæi, oues.

At illa uenit, & adorauit eum.

Quod uerbo explicuerat, hoc est, quòd Dominum seu Deum confessa erat, nūc factò & opere exprimit. Quæ ad eò tot repulsis non est defatigata, ut ausa sit etiam propius accedere ad Iesum: Et accidens, inquit Euāgelista, ad genua, adorauit: id est, ad pedes Christi procidens, seipsam abnegauit, & quem potuit, cultum & honorem Christo, ut Deo & uero Messia, exhibuit. Res haud dubiè mirabilis. Cogimur reuera obstupescere ad tantam fidei mulieris Ethnicae constantiam. Toties repulsa redit, nec redit modò, sed sapius procumbens in terram, adorat. Quam pauci erant in tota Iudæa, qui uerum illum confitebantur aut etiā credebant Deū? Et ecce, Gentes eum adorant Deum uiuum & uerum. Et obstinata etiamnum hominū gens Iudæorum credere recusat Messiam, (quem etiam adhuc uenturum anxie, sed frustra tamen expectat) Deum esse.

Iudæi nō credunt  
Messiā  
suum Deum  
esse.

Domine adiuua me.

Non refellebat hæc mulier, quod dixerat Iesus. Sed precibus iteratis, id quod impetratum cupit, postulare non cessat: Domine (inquit) adiuua me, & mihi periclitanti succurre. Hæc oratio ostendit multò maiorem fuisse huius mulieris fidem, quam illius, qui Marc. 9. dicebat, Si quid potes, &c. dubitabat enim, an posset Christus iuuare: hæc autem mulier constanter credit & confitetur, Christum posse & uelle iuuare, ut ut auxiliari ipse procrastinaret, etsi etiam indigna sit, & nihil dignitatis habeat quod opponat Christo. Ideo constanter pergit in cœpta oratione, & adorat. Obserua naturam uiuæ fidei, quæ non sinit se deterri. Venire & adorare sunt uiuæ fidei effectus.

Mulieris  
Canaanæ  
fides.

Non est bonum sumere panem filiorum: & mittere canibus.

Tamet si magnus esset huius mulieris feruor, nihil aliud flagitantis, quam misericordiam: tamen nondum imperrat, quod postulat. Illi nanque proponitur adhuc certamen, longè acrius superioribus, Nimirum ad tam feruentem orationem adhuc Dominus durus & inexorabilis perstare uidetur, & id non citra contumeliam. Iudæos hic, qui patre Deo gloriabantur, filios: Gentes, alienas à religione, canes appellat. Exod. 19. Si audieritis uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & uos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Itaque, quos iam antè ad Apostolos loquens, oues dixerat: nunc, cum muliere uerba faciens, etiam filios uocat. Nomen autem panis intelligit uerbum Dei, miracula quoque, & quicquid in uniuersum saluti nostræ cōmodum est. Propter idololatriam Gentes uocat canes.

Iudæi, oues,  
& filij.

Panis pro  
necessariis  
ad salutem.

Quo nomine dici possunt & Hæretici, aliq; impij iuxta uarias canū proprietates. Siquidem canes uoraces sunt, libidinosi, cōtentiosi, æqualem nō ferunt, &c. Certè canes in scripturis notam habent uilissimorum hominum, quemadmodum uide- re licet Ecclesiastæ. 9. & 3. & 4. Reg. 9. Dicit itaque Christus, Non decet neque pulchrum honestum ue est, panem, filiis destinatum, liberis quidem præripere, & proticere canibus. Quasi dicat, Mulier, nosti, opinor, quanti tu sis, non tu modò, sed & Ethnici omnes, apud meæ gentis homines. Nam vulgari conuitio appellat uos canes. Ergo si quid tibi conferrem beneficij, peinde me facere dicerent, ac si quis liberis præreptum panem, canibus diuidat. Si ad literam respexeris, uide- tur hic Dominus letalem ac supremam inferre mulierculæ plagam, cū illam canem esse dicit, & indignam, quæ panem filiorum participet: significans (ut uide- tur) his uerbis ipsam esse è numero damnatorum & reprobatorum, qui non sunt filij, sed canes, nullam expectantes cum electis partem. Sed non in hoc sensu uerba isthæc sunt illi obiecta. Certè erat quidem canis hæc mulier, sed nomine & titulo tenus, quia ethnica genere, tamen filia Abraham, & ouis, ac de domo ac familia Israël, quia forti & cōstanti fiducia in Christum iam ornata erat. Obserua: Apud

Gentes, hære-  
tici & impij,  
Canes.



Marcum legimus, Dominum respondisse, Sine prius saturari filios: Non est enim bonum, &c. In quo responso, non nihil spei illi dabatur, ac gentibus omnibus, cibum uitæ, & ipsis, sed saturatis Iudæis, donandum: hoc est, fore, ut & ipsi Euangelium regni audirent, & Christo fruerentur, postquam Iudæis fuisset predicatum.

At illa dixit: Etiam Domine, Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Adhuc muliercula animum nequaquam despōdet, toties repulsa, & postremò non sine graui contumelia, impacto uidelicet impurissimi canis probroso cōiuitio, ueluti scutica, abacta. Tamen neque irritatur neque infirmatur fide, sed subinde semetipsam uincere cōtendens, quòd constantius negare uidetur Dominus, eò pertinacius ipsa petere ac impetrare contendit. Nam licet amplecteretur responsum, in speciem contumeliosum, tamen subscribens iudicio Domini, neque recusat canis cognomen, neque Iudæis inuidet honorificum titulum: & dominos etiam eos appellans, quos Iesus uocarat filios. Miro autem, si attēdas, usa est artificio. Nam ex ipso, quo uidebatur omnino repulsa, arripit ansam, ne possit repelli, ad eò ut Christū illaqueet (ad sit reuerentia uerbo) in propriis uerbis. Non inficior, inquit, Israëlitas esse filios, nos canes, sed ideo non sum repellenda penitus. Non enim illis præripio suum panem delicatum, quo uescuntur, accumbentes in mensa patris: hoc tantum peto, quod Domini nō solent negare canibus. Oro duntaxat, ut sinas canem me esse secundum tuam ipsius sententiam. Cani utique conceduntur micæ sub mensa, id iuris canibus debetur. Mensa filiorum patris tam locupletis, & diues & fecunda est. Mihi satis est, si contingant micæ, quæ decidunt de mensis illorū. Quæ mihi donaueris, sanando filiā meā, sunt, ueluti mica, respectu eorum, quæ Iudæis filiis cōfers & operaris. Pie lector obserua mirabilē mulieris fidem, in eopertissimum, quòd de bonitate Christi, tam magnificè sentit, ut contulerit illam diuiti mensæ: & quod petebat, comparauerit, aliorum respectu, quæ in se Christi bonitas & potentia habebat, micis, de diuiti mensa cadentibus. Obserua: His uerbis, Etiam Domine, Nam & catelli, &c. uidetur mulier admonere Christum sui officij, quòd id eò uenerit, ut indignos, indignosque catellos recipiat.

O mulier, magna est fides tua.

His auditis, Dominus, ut olim Ioseph patriarcha erga fratres suos in Aegypto, non potens amplius bonitatem suā dissimulare, uelut si anxie laborasset, dissimulando eam tandiu, & non posset ultra sese continere, exclamatione cœpit commendare fidem mulieris, ò Mulier, &c. Magnam dicit fidem, qua coactus, ac ceu uictus, supplicanti acquieuit: & in uota mulierculæ concedens, facit, ut iam non canis, sed uerè filia Israël existat. Sed enim an magnæ fidei fuit, quòd crediderit seu iudicauerit, Iesum, esse filium Dauidis: Non. Nam & diabolus hoc credidit, imò & contremisit, ut Iacobus ait. Quid ergo hic est, quod à Christo magnum dicitur, & cum exclamatione commendatur? Haud dubiè ardens per charitatem fiducia in Christum, de impetranda filiæ sanitate. Hæc omnes tentationes deuicit, primò Silentium Christi, quando clamanti nihil respondit: deinde negationem expressam discipulis rogantibus. Tertio quando repulsa est, ueluti canis. De hac fide, quæ profectò uiua est, sunt ista Marc. 11. Infrā. 21. Et. 1. Ioan. 5. Hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Cæterum hic consolationem accipiamus, ac discamus, quàm altè nonnunquam nobis suam gratiā Christus abscondat, & quàm minimè iuxta sensum & nostram existimationem de Deo nos iudicare oporteat, sed secundum uerba ipsius. Nam hic uidemus, quòd licet difficilem admodum se Christus isti mulierculæ exhiberet, non tamen planè opem negabat. Nā quicquid responderet, licet uidebatur quidem præ se ferre negationem, non tamen erat negatio, sed pendebat, & fiducia aditum (licet tenuem) relinquebat. Non enim ad

Modestia mulieris.

Bonitas Dei, diues mensa.

Credere, res non magni momenti.

Ardens fiducia in Christum cōiuncta cū charitate, omnia superat.

Verbis Christi nō nostro iudicio standum.

primam precem respondit Christus, Nolo eam audire, sed tacebat, neque pollicēs, neque negans opem. Ita ad secundam precem, quæ Apostolorum erat, non ait, Non est de domo Israël, non possum igitur illi præstare, quod petit, sed tantum ait, Non sum missus, nisi ad oues, &c. suspensa omnia relinquens, & media inter apertam promissionem & negationem. Sic cum tertio ipsa orasset, non ait, Canis es, abi, non tibi debetur panis filiorum, sed, Non est bonum sumere, &c. iterū in dubio relinquens, an canis sit, necne. Nihilominus tamen omnia ista in speciem, magis negationem opis præ se ferebant, quàm ad sperandum prouocabant: re autē ipsa, plus in se promissionis & spei, quàm negationis continebant. Imò nihil nisi promissio certaque expectatio opis, sub illo silentio, & quamlibet duris responsis, erat, sed absconsa altissimè, ac penitus occulta: sola negatione foris sonante. Ex his colligimus ac discimus, quomodo soleat se nostrum cor habere in tētatione. Dum enim tentamur, sentit cor nostrum omnia negari, cum longè secus res habeat. Itaque dum in hoc statu uersatur cor, operæpretiū est, ut missio suo sensu, auxiliij promissionem, altè sub negatione apparente absconditam, certamque fiduciam in uerbum Dei concipiat, & mordicus retineat, Deique sententiæ, iudicantis nos esse peccatores, subscribat: ut hæc muliercula fecit. Ita enim euademus, & hac uiua fide uincemus, certòque impetrabimus. Paradigma. Si quando in conscientia senserimus increpationem Dei, pronuntiantis nos peccatores, & indignos regno cælorum: tunc ibi apprehendimus gehennam, & uidetur actum esse de nobis, si in ea apprehensione manserimus: ibi, si quis artem huius mulieris calleret, caperet Dominū in suo iudicio, & diceret, Etiam Domine, peccator sum, & gratia tua planè indignus, sed peccantibus remissionem promissisti, neque uenisti uocare iustos, sed, quemadmodum & tuus Paulus ait, ad saluandum peccatores: is profectò efficeret, ut Dominus cogeretur etiam suo ipsius iudicio, eius misereri. Ad hunc modū agebat Manasses, dum pœnitens, ueniam oraret, ut legimus in eius oratione, scripta in fine. 2. Paralip. Iudicio ille Domini subscribebat, agnosceas se grauissimū peccatorem: ac ita constrinxit peruenitque Dominum sua ipsius promissione, ut qui remissionem peccati, peccatoribus promississet, non iustis. Idem & Dauid psalm. 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Si quidem agrè fert Dominus, & indignationem eius nobis cōciliamus, cum iudicio eius non assentimur: hoc est, nos non agnoscimus peccatores. Cum autem Deum iustū pronuntiamus, nos ipsos peccatores esse fatemur: hoc dum facimus, licebit uti iure quoque peccatorum, quod illis Deus fecit, nimirum orare cum certa expectatione, remissionem peccatorum. Tum datur nō tantum micis, more canum, uesci sub mensa, sed filios familiās esse, & mensæ ipsius Dei asidere, atque ad eò habere iam Deum ipsum, quantus quātus est, tibi pro tuo arbitrio deditum. Proinde huc pertinet, quod scriptum est, Cælum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Verè uim hic patitur regnum cælorum magna huius mulieris fide uiua, qua Christum ceu uictum, uictorem tamē in ea uincens, rapit ad se, & præ magnitudine uiolentiæ audit exclamantem, O mulier, magna est, &c. Porro, tres in hac muliere leguntur excellentes fuisse uirtutes: Fides, qua credidit, sanari posse filiā suā à Christo, cui se totam fiducia commisit. Secunda est Patientia, qua, toties cōtemptra, in precibus perseuerauit. Tertia, Humilitas, qua se nō canibus, sed catellis cōparat, & humiliter hoc se nuncupari nomine patitur.

Fiat tibi sicut uis.

Verbo medetur, & sanat Christus. Quasi dicat, O mulier, ut accenderem te, & illustrius imitabiliusque fidei tuæ exēplum aliis redderem, hætenus dissimulaui erga te bonitatem meam: sed ita fide inuicta stas & urges, ut nequeam amplius illam differre. Cedo fidei tuæ ingēti, uicisti: habe ergo, quod petiisti. Propter hanc istam tuam fidem, siue, ut Marcus. 7. scribit, propter hunc sermonem, uade: exiit

Etiam quæ dura ab Deo immititur, micam suauitatem redolent.

In tētatione fiducia ad Deum, mordicus retinenda.

Ars ualidissima ad impetrandam Dei misericordiā.

Manasses quomodo domini misericordiam extorsit.

Peccatorē se agnoscere, ingens ad misericordiam dei præludium. Ius peccatorum.

Christo uis à muliere illata.



Fiat, uocula,  
propria Dei.

dæmonium à filia tua. Hæc uox, fiat, indicat Christi potentiam, habetque affinitatem cum ea, qua dictum est, Fiat cœlū, & factum est cœlum. Non autem ait, sicut credis, sed sicut uis, quasi dicat (ait Chrysostomus) fides quidem tua maiora, quam petis, posset impetrare, uerū tamen, fiat, ut uis. Hoc est, hæc deuotio tam insignis fidei meretur, ut, licet tempus nondum aduenerit palam edendi miracula coram gentibus, speciali tamen priuilegio tibi concedatur, quod postulas.

Et sanata est filia eius ex illa hora.

Nihil hinc operantur Magi & Aegyptij diuinatores, quorum opera imaginaria, falsa, & uanitatis plena sunt. Certè beneficia, quæ fidelibus à Deo conferuntur, uera sunt. Hinc habes effectum, qui sequitur uerbum & fidem uiuam. Siquidem uerbum creditum, est potètia & uirtus Dei, Rom. 1. cap. Prolato enim Dei uerbo, fiat, &c. mox illo ipso in tempore compertum est, filiam mulieris fuisse à dæmonio liberatam. Nam hoc uerbum, fiat, potens est, perinde atque dixisset Christus, Ego impero dæmoni, filiam tuam uexanti, ut quantocius exeat ab illa, nec illam amplius uexet. Tu autem uade in pace: habes, licet diu dilatatum, tandem tamen impetratum, quod postulas.

Et cum transisset inde Iesus, uenit secus mare Galilææ.

Vnde sit progressus Dominus, Marcus 7. ait, Et iterum exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonem, ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Vno igitur miraculo, ad suam Gentem prouocandam in confinio Sidoniorum & Tyriorum facto, & ueluti extorto, Christus in Iudæam sese recepit, ut declararet, se multò propensorem fuisse in diebus carnis suæ erga populum suum, quam fuerit erga alienigenas, si modò beneficiis uinci potuissent. Venit autem ad lacū, qui dicitur mare Galilææ. Cōsolatorium est Iudæis, ita abire Christum ad Gentes, ut tamen redcat in Galilæam, ubi sua sponte, nec prouocatus Iudæorum gratitudine, nec fide, innumera beneficia distribuit, & passim diffundit in omnes.

Et ascendens in montem, sedebat ibi.

E finibus Tyri regressus, nō ingreditur urbes, sed per medios fines Decapoleos, id est, ulteriorem regionē Iordanis, ad mare Galilææ contendit, ibique, orationis ac quietis gratia, montē conscendit. Volebat certè secessu locique difficultate paulatim ad firmitudinem euehere fidem suorum.

Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum multos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos.

Non poterat lux, supra montem posita, diu abscondi. Mons, & in monte confessus idoneam occasionem cuius ad hanc lucem accedendi præstabant. Egresso itaque Iesu ab oratione, confluebant ad eum multi greges hominum (hæc est potentia uerbi, multos auditores ad se trahentis) adducentes secum multos, cæcos, claudos, debiles, aliōsque, diuersis morbis obnoxios. Hæc congeries infirmorum commendat potentiam Christi medici, qui non solum unum morbi genus pellere potest, sed etiam uaria. Obserua: Græcis χαλός, est claudus, & κωλός, debilis, qui altera manu deficit ad usum, ut prius nomen ad pedis, posterius ad manus defectum pertineat. Itrumpamus & nos ad Christum cum nostris ægrotis, sedentem, non in monte Galilææ, sed ad dexteram patris, nec latere uolentem, sed ubique regnantem multò opportuniore accessores futuri, quam illi, de quibus hinc scribitur. Hanc generalem malè habentium curationem Euangelista iam antea aliquoties descripsit, ut supra cap. 4. 8. 9. 14. In quibus plura de Christi uirtute & bonitate adnotata sunt.

Et proiecerunt eos ad pedes eius.

Tam ingens erat ægrotantium multitudo, ut eos abiicerent ad pedes Iesu cum magna fiducia. Verbum, proiecerunt, subindicat non modicam eorum fuisse fidem.

Si enim

Si enim non credidissent turbæ restitutum iri suis sanitatem, non proiecerunt eos infirmos ante pedes Christi. Similiter manifestatur & eorum fides, in hoc, quòd tanto labore cum ægrotis suis ad Christum in montem ascendunt. Nec feruntur quicquam dixisse, sed solum proiecisse ad pedes Christi infirmos suos: ueluti existimantes satis esse, si adducerentur in conspectum illius, humiles sanè ab ipso gestu magis, quam uerbis supplices. Consolationis plenum spectaculum, quòd ante pedes Christi, summi medici, potentis & uolentis sanare, iaceant infirmi, sicut ouicula, ante pedes pastoris, egroræ ac morbida.

Et curauit eos.

Immemot iniuriæ sibi illatæ antea à Phariseis, Dominus, ut uidit, & perspectâ habuit fiduciam illorum, cum ex itineris fatigatione, tum ex proiectis infirmis: quantumlibet grauibus, & humano iudicio insanabilibus ac deploratis morbis detentos, potenter sanauit. Hoc beneficio declarat Dominus se esse pastorem illum animarum, fidelem, qui suos pascat, & nunquam deserat. Manifestat item quàm sit in omnes animo propenso, quòdque nostra tangatur afficiaturque miseria, & promptè succurrat.

Ita ut turbæ mirarentur, uidentes multos loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes.

Rarum & insolitum factum, ac uires humanas excedens, admirationem parit. Propterea in tam aperta uirtute prodigiorum uidentes simplices turbæ tanta celeritate, tam multos sanitati restitutos, nimirum cæcos celeriter recepisse uisum: qui fuerant claudi, ambulare rectè: integros esse membris, qui fuerant debiles: dæmoniacos curatos, sanatos paralyticos, atque ita alios haud parum multos, tanquam nulli antea fuissent morbo subiecti, perfectè sanatos, nec ulla morbi remanuisse reliquias, uehementer obstupuerunt. Hæc confirmabant doctrinam Christi, & confirmatiores reddebant turbas ad doctrinam Euangelij recipiendam. Atque is unus est in præcipuis fructibus miraculorum, quæ ipsa sunt ceu obsignationes ac sigilla doctrinæ sanctæ.

Et magnificabant Deum Israël.

Alter effectus secutus ad miracula Christi, fuit glorificatio. Glorificare uerò Deū est ipsi gratias agere, ipsum magnificare, & laudare. Conspectis miraculis mox turbæ dederunt Deo gloriam, cuius solenne erat nomen, Deus Israël (quòd proprie ab Israëlitis coleretur) à quo omnem illā proficisci credebant uirtutem, quam in signis istis conspiciabant, & à quo missum credebant suum Messiam hunc, qui tam potenter uerbo operabatur, quæ secundum naturæ uirtutem erant impossibilia. Obserua: Miracula uisa tibi nihil profunt, nisi his uisis, surgas altius ad uidentem Deum Israël per fidem, qui talia operatur: & glorifices Deum Israël. Deum ergo Israëlitis uocat, quòd Israël Deo esset ueluti peculium, dicereturque populus Dei. Nam Abraham unum Deum, solum adorandum docuit. Et qui sequebatur Abrahamum, seu de domo eius erant, unum solum Deum & habebant & adorabant. Audi Israël (inquit Moses) Dominus Deus tuus, unus est. Et, non habebis Deos alienos, Exod. 20. Gentes uerò Deos plures habuerunt. Ideo etiam Deus Israël dictus est, quòd in Israël purus esset cultus, non autem inter Gentes. Diuus Augustinus disputat, quare Romani, cum omnes omnium gentium Deos coluerint, nunquam Deum Israëlitis colere sustinuerint. Huius esse rationē dicit, quam etiā Socrates alicubi tradit, quòd ille uerus Deus exigat à suis cultoribus solus colum esse ut à Romanis Deus Israël coli nequirit. Neque enim illi unius gratia omnes reliquos ut abiicerent persuaderi se suerunt.

Turbæ promiscuæ fides ac fiducia in Christum.

Christus german' pastor.

Miracula, quedam ceu sigilla uinificæ doctrinæ.

Deus Israël, nomen olim Dei notissimum.

Romani, ceterique ethnici quare christum non cū reliquis suis diis coluerint.



Iesus autem, conuocatis discipulis suis.

Quum Iesus intelligeret turbam tertium iam diem hærere sibi, tantoque ardore sequi se quocunque abiret, ut si quid attulissent secum cōmeatus, id iam dudum esset consumptum: multos item periclitari fame, & iter esse longum, nec uicos ullos aut opida esse in propinquo, conuocat ad se discipulos suos: quorum ministerio populū uolebat pascere. Vide, pie lector, quomodo gratitudo populi fecit, ut Christi ultro beneficium beneficio cumularer. Summa autē sequentis miraculi in hoc consistit, ut agnoscamus, Christum, non solū animæ, sed etiam corporis curam agere: & eos perire non posse, qui sequuntur uerbum. Ipsūque hoc miraculo eximere affectū, oburbantē homines, perpetuō meruētes, ne super sit, quantum ipsis sufficiat alendis ex quo affectu pullulare solet uerbi Dei neglectus, oboriūtur fraudes, furta, doli, & fœda scelera. Proinde proponitur in hoc miraculo spectanda specialis quadam prouidentia Dei, qua specialiter conferuantur, qui habēt uerbum.

Verbum Dei qui sequitur, perire nō potest.

Dixit, Misereor turbæ.

Vehementissimum hīc Christi affectum exprimit Euangelista, indicans, nos habere regem, qui suorum miseria tangatur. Suprà. 11. cap. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &c. Hebr. 5. Non enim habemus pōtificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, &c. O si nos Christo ardenter adhereremus, haud dubiè eundem misericordiæ & bonitatis affectū in ipso experiremur. Nihil esset, diffidendum, ne non prouideret nobis, qui etiam non rogatus, dicit, Misereor turbæ.

Christi tangunt calamitates nostras.

Quia triduo iam perseuerant mecum.

Actiologia est commiserationis, à circumstantia temporis, unde conlurgit necessitas, propter quam Christus miseretur. Verbo perseuerandi ostēditur studium turbæ erga uerbum. Et uox, mecum, emphasim habet. Ut audiat (inquit) turba uerbum meum, iam triduum magna patientia, in loco deserto, consumpto etiam illorum uiatico, sustinet, cupida uerbi mei.

Et non habent, quod manducent.

Corporalis necessitas huius turbæ, à Christo exaggeratur. Et non habent, quod manducent. Miseria omnium maxima est, ubi deficit occasio, qua possit adhiberi necessitati remedium. Magna est tentatio, rerum necessariarum penuria. Statim enim, si abest uictus occasio, desperat caro, non item fidelis.

Fame perire, miserimum.

Et dimittere eos ieiunos nolo.

Consolatorium est, Christum, nolle dimittere turbam ieiunam. Hæc audiant, qui rerum penuria premūtur, discāntque, quid à Christo sperare & petere debeat: Obseruent, Christum non dixisse, si dimisero eos ieiunos: sed, Nolo, eos ieiunos dimittere.

Ne deficient in uia.

Actiologia à periculo sumpta, cur non uelit Christus dimittere turbam ieiunam: ne deficient (inquit) in uia, prolixiore, quàm ut à ieiunis peragi possit. En habes hoc loco, quomodo bonitas dilectionis & misericordiæ adiunctam habeat prudentiam, & cautionem futuri, cum non solū præsentia curet, sed & imminētis miseriæ rationem habeat. Sensus uerborum est: Nolo famelicos à me dimittere, ne fortè, si ieiuni, minimèque cibo refecti abscedant, in uia eos cōtingat destitui uiribus, præ cibi defectu, simul & labore itineris, antequam domum perueniant, aut diuersoria inueniant, ubi uictum sibi comparent. Expressè hīc uideamus, Christum, suorum maximam curam agere. Ex superioribus, item colligere possumus populi fidem qui hoc habuit, ut parum iuxta hoc seculum prudens fuerit, nimirum qui sine comœatu tam prolixo itineri sese commiserat: deinde triduo perseuerat. Tertio nec sic cedit, nisi dimissus. Verū succurrit prudentia Christi.

Bon' qui est, is etiam est prudens.

Et dicunt ei discipuli.

Discipuli adhuc rudes, & obliti prioris miraculi, quādo saturati sunt 5000. uiri, tantum creaturarum cursum, & uires metiuntur: ideòque quasi iulsi essent pascere tantam hominum turbam, solliciti perplexique respondent.

Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

Quia superiore capite, & Ioan. 6. propè eadem habuimus, & copiosius tractauimus, hoc loco paucis illa absoluemus. Argumentum hoc est ab impossibili, propter circumstantiam loci. Quia enim ratio non longius uidet, quàm se extendit occasio uictus, sic argumentatur: Hic locus est desertus, ergo impossibile est tot panes, hīc inuenire aut parare, ut sufficiant ad saturandam tantam turbam. Nō ab simili argumēto uisus est uti Moyses Num. 11. Vnde mihi carnes (inquit) ut dem tantā multitudinē? Flent contra me, dicentes, Da nobis carnes, ut comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi, &c. Obserua. Hæc oratio defectiua est, supplendūque est uerbum, comparabimus, aut, inuenire poterimus. Vnde ergo, supple, ememus nobis, panes in deserto, &c. Dicitio, tantos, ponitur pro tot. Designat enim numerum & quantitatem discretam. Tantos, id est, tam multos, tam magnum panum numerum.

Ratio humana quàm cauet in rebus diuinis.

Et ait illis.

Suo exēplo Christus hoc loco nobis relinquit formā tractandi fratres infirmos, quam & pluribus uerbis descripsit Paulus ad Galat. 6. dicens, Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Simul & eodem suo exemplo uetat hīc Christus, ne statim iudicemus, contemnamus, aut damnemus infirmos fratres. Qua de re & diligenter etiam præcepit suprà 7. cap. Desperantibus igitur discipulis, ut clarius fieret ad patris gloriam, quod parabat ostendere miraculum, rogat discipulos.

Infirmi quomodo ferendi.

Quot panes habetis?

Sciebat quidem, quot panes adcrant: sed interrogat, ut occasionem tam exigam & paruam inculcet diligenter Apostolis diffidētibus, & ipsi tenacius postea, moti magnitudine miraculi, uerbo adhereant.

At illi dixerunt, septem, & paucos pisciculos.

Modicam aiunt adesse uictus occasionem, qua ostendunt se adhuc fide infirmos esse, qui tamen sibi persuasum habere debebant, quòd præsentē Domino nihil deesse uerbum sequentibus poterat. Sed uide hoc loco Dominum obseruasse media, & non exclusisse oblatas occasiones, ut doceremur non tentare Dominum. Est autem tentare Deum, uelle saturari sine mediis seu occasionibus, à Deo in hoc ordinatis. Sunt nobis (respondent) panes septem, & obsonij paululum, nimirum pisciculi pauci, ut spes nulla sit, uia naturali, unicuique ex turba hac, porrigendi uel micam unam, ut uiuant, cum hic uictus noster sit nimis tenuis & perexiguus. Facit ad magnitudinem miraculi, & gloriam Dei, quòd discipuli duplici sint uisi diminutione. Non enim dicunt, pisces, sed pisciculos: eosque rursum non multos, sed paucos.

Tentare deū uult, qui media ab ipso inducta contemnit.

Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.

Christus ad miraculum se parans, iubet discipulis, & discipuli turbæ, ut discubant in terra.

Et accipiens septem panes, & pisces.

Consolatorium est, Christum accipere paucos, ut ex paucis multos distribuatur, qui turbæ satisfaciant. Otiosum esset repetere, quæ superiore ca. & Ioā. 6. diximus.

T t ij



Et gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli de-  
derunt populo.

Posteaquam sublatis in cœlum oculis, gratias egisset, id est, benedixisset, & patrē  
laudasset, de cuius benedictione & munere præsentibus illi panes processerant, &  
cuius liberalitate pascenda erat turba, cœpit frangere panes illos, & discipulis, di-  
stribuendos turbæ, dedit. Hæc docent uisum benedictione Domini augeri, non  
nostros laboribus. Ipse enim solus est, qui incrementum dat. Laboribus nostris  
plantamus & rigamus, sed Deus benedicit laboribus nostris, & rei plātata dat in-  
crementum. Ille enim, cum aperit manum suam, adimplet & omne animal bene-  
dictione. Hic docemur, antequam Dei dona contrectemus, benedictionem & gra-  
tiarum actionem præmittere, & ne contingamus, quod nō prius fuerit gratiarum  
actione sanctificatum.

Et comederunt omnes, & saturati sunt.

En effectus potentie Christi: modica quidem erat uictus occasio, tamen non so-  
lum omnes comederunt, sed etiam saturati sunt. Quid enim iuuisset comedere, &  
non saturati?

Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

Abundans & copiosum fuit hoc conuiuium, cui Christus benedixit largiter.  
Sic nobis danda est opera, ne saturati, sinamus perire fragmenta, hoc est, ne abuta-  
mur iis bonis, quibus donauit nos Christus, ad luxum & dilapidationem. Hoc en-  
nim est grauisimum peccatum, quod aliquando accusabunt, & quotidie accusant  
creaturæ Dei quæ nostrum abusum ferre coguntur.

Erant autem, qui manducauerunt, quatuor milia hominum,  
extra paruulos & mulieres.

Vt certus ille numerus septem sportarum, ita & hic quatuor milium hominum  
exaggerat potentiam Christi.

Et dimissa turbā, ascēdit in nauiculam. Et uenit in fines Magedan.

Iesus, tam insignibus miraculis in monte editis, quibus accensa est turba ad ex-  
cipiendam doctrinam ueritatis, statim à se illam dimisit iussitque abscedere ac re-  
uertit in propria. Ipse uerò conscensa nauicula, uenit in fines Magedan. Hæc ciuitas  
est inter stagnum Genesareth, siue mare Galilææ, & Thabor montem sita.

Interpretatur autē turris, uel magnitudo. Obserua. Frequēs est scriptu-  
ris dicere, in partes, siue fines, quando loca significantur uici-  
na, ut paulò antè & in cap. sequenti, in partes Cæsareæ

Philippi, pro qua dictione Marcus ex-  
pressè ponit, in uicos uel ca-  
stella Cæsareæ Phi-  
lippi.

## CAPITIS DECIMISEXTI

Epitome.

Cœlestē signum Phariseis negat Christus, & illorum fermentum docet cauendum:  
Deinde discipulis, post expressam de se confessionem, suam prædicat passionem.



a. Ratiō-  
nem est  
ratiōem uel  
ratiōem.

b. Inter  
m. Inter  
m. Inter

c. Inter  
m. Inter  
m. Inter

d. Inter  
m. Inter  
m. Inter

e. Inter  
m. Inter  
m. Inter

f. Inter  
m. Inter  
m. Inter

g. Inter  
m. Inter  
m. Inter

h. Inter  
m. Inter  
m. Inter

i. Inter  
m. Inter  
m. Inter

k. Inter  
m. Inter  
m. Inter

l. Inter  
m. Inter  
m. Inter

m. Inter  
m. Inter  
m. Inter

Et accesserunt ad eum Pharisei & Saddu-  
cæi, tentantes: & rogauerunt eum, ut signū  
de cœlo ostenderet eis. At ille respōdens,  
ait illis: Facto uespere, dicitis, Serenum  
erit: <sup>a</sup> rubicundum est enim cœlum. Et  
mane: Hodie tempestas, rutilat enim tri-  
ste cœlum. Hypocritæ, faciem quidem  
cœli diiudicare nostis: signa autem tem-  
porum non potestis? Generatio mala &  
adultera signum quærīt, & signum non dabitur ei, nisi signum Ione  
propheta. Et relictis illis, abiit. Et cum uenissent discipuli eius trans  
fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit eis, <sup>b</sup> Intuemini, & ca-  
uete à fermento Phariseorum & Sadducæorum. At illi cogitabant  
inter se, dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus,  
dixit: Quid cogitatis inter uos, modicæ fidei, quia panes nō habetis?  
Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum & quin-  
que milium hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem  
panum & quatuor milium hominum, & quot sportas sumpsistis?  
Quare non intelligitis, quia non de pane dixi uobis, Cauete à fer-  
mento Phariseorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt, quia nō  
dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Phariseorum  
& Sadducæorum. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, &  
interrogauit discipulos suos, dicens, Quem dicunt homines esse fi-  
lium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem  
Eliam, alij uerò Ieremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Iesus:  
Vos autem quem me esse dicitis? Respōdens Simon Petrus, dixit: Tu  
es Christus filius Dei uiui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus  
es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater  
meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc  
petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebūt  
aduersus eam. Et tibi dabo clauēs regni cœlorum. Et quodcunque li-  
gaueris super terram erit ligatū & in cœlis: & quodcunque solueris  
super terram, erit solutum & in cœlis. Tunc præcepit discipulis suis,  
ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Exinde cœpit Ie-  
sus ostēdere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, &  
multa pati à senioribus & Scribis & Principibus sacerdotum, & occi-  
di, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare il-  
lum, dicens <sup>d</sup>: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus,  
dixit Petro <sup>e</sup>: Vade post me <sup>f</sup> Satana, scandalum es mihi: quia non sa-  
pis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Tunc Iesus dixit discipu-

Signum de  
cœlo petunt  
Pharisei.  
Marc. 8. b.  
Luc. 12. g.

Iona: 2. a.

A fermento  
Phariseorū  
cauendum.  
Marc. 8. b.  
Luc. 12. a.  
Inter, intra.  
Sup. 14. c.  
Ioan. 6. b.  
Supr. 15. d.

Fermentum  
pro doctrina

Opinio po-  
puli de Chri-  
sto.  
Marc. 8. c.  
Luc. 9. c.  
Apostoli fa-  
tentur Iesum  
esse Christū  
promissum.  
Christus, fi-  
lius Dei,  
Ioan. 6. g.  
Fides à Deo.  
Petra.

Clauēs.

Ligare.

Soluere.

Apostolis  
Christus præ-  
dicat mortē  
suam.



Abnegatio  
sui & crux.  
Marc. 8. d.  
Luc. 9. g.  
14. f. 17. g.  
Ioan. 12. d.  
Perdere ani-  
mam.  
Christus iu-  
dex.  
Roma. 1. a.  
Marc. 9. a.  
Luc. 9. c.  
Act. 17. g.

lis suis: Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Amen dico uobis, sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis, uenientem in regno suo.

Et accesserunt ad eum Pharisei & Sadducei.

Veritas nun-  
quã sine ho-  
stibus.



Non contentus Euangelista scripsisse doctrinam, & narraſſe miracula Christi, proponit aduersariorum incurſus & tentationes, ut doceat, tum quòd ueritas ſuos ſemper habet aduersarios: eſt enim peregrina in terris: iam inter extraneos facile eſt inimicos inuenire: tum quòd aduersariorum inſultus plurimum ad confirmandam ueritatem faciunt. Ab ipſo ſtatim principio ſuæ diſpenſationis Chriſtus, atque mox à baptiſmo habuit impiorum caput Satanam tentatorem. Cuius diſcipuli Scribæ & Pharifei cum Sadduceis & Herodianis ab illo tempore aduerſati ſunt Chriſto, aded ut inter primam Satanæ tentationem & paſſionem Chriſti, ſi diligenter hîc Euangeliftam legeris, reperias quindecim uehementes incurſus ac tentationes à Scribis & Pharifeis aduerſus Chriſtum factas, in quo numero hæc præſens nona eſt. Pharifei, qui religioſiſſimi putabantur, & Sadducei, id eſt ſancti & iuſti, ut tum putabantur, ſecta quidem diſidentes, ſed ad inſidias ſtruendas Ieſu, concordantes, accedunt ad Ieſum. Certè magnoperè facit ad ſcandalum, ſi doctrinæ cuidam reluctantur, qui in populo doctores & ſanctiores habentur: Iã ſi uita Chriſti aliud non eſt, quàm uita noſtræ inſtitutio, quis non uidet uitam noſtrã eſſe perpetuam militiam ſuper terram? Chriſtus enim perpetuò accinctus, ſtat in prociactu militiæ. Et nunc quidem conſiſtat cum Pharifeis, mox audit minas Herodis, iterumque inſidias tum Pharifeorum tum Sadduceorum experitur. Proculdubio enim neſcit uel uicta ſilere, aut à perſequutione interſpirare impietas. Quare nemo piorum, quandiu in hoc mundo uerſatur, polliceatur ſibi tranquillam hîc ſecuritatem. Nam quem diligit Deus, hîc caſtigat: & quem probatum cupit, eum afflictionibus uariis exercet. Obſerua: Impietas perpetuò ſecum pugnat, præterquam ubi illi cum pietate eſt negotium.

Quàm ſapè  
Pharifei mo-  
leſti fuerint  
Chriſto.

Chriſti uita,  
atque ideo  
quoque no-  
ſtra, militia  
ſuper terram.  
Impietas ne-  
ſcit, uel ui-  
cta, ſilere.

Impietas ſe-  
per à ſe diſi-  
det, niſi cum  
pietatem im-  
pugnat.

Tentantes.

Finalis acceſſionis cauſa, non ut diſcerent, ſed ut tentarent: quia nulla iuſta de cauſa experimentum quærebant uirtutis Chriſti. Legimus Sanctos ſigna à Deo petiſſe, ſed ut certi redderentur de ipſius uoluntate, cui cupiebant ſeſe dedere. Sic Gedeon Iudic. 6. Sic Ezechias 4. Reg. 20. ac alij, Deum timentes, ſigna à Deo petiuerunt. Impij autem, ſigna petentes, animo prophano & contemptore Dei, potentia duntaxat, qua uel iuuentur ſecundum carnem, aut qua ſe per impiam citioſitatem oblectent, experimentum facere uolunt: & externis miraculis de ueritate uerbi certi fieri cupiunt, non in hoc, ut recipiant uerbum, aut, conuertantur per uerbum, ſed ut uerbo illudant, & tentent Chriſtum. De tentatione ſuprà 4. cap. & in. 1. cap. Iacobi ſcripſimus.

Et rogauerunt eum, ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.

Impij ſigna requirunt, prætexentes ſuam ſimplicitatem, uidelicet, quòd non

dum plenè inſtituti ſint, quòd metuant, ne ſibi fiat fucus: proinde ſe ſigna ex fidei religionis cura requirere, certè ne ſeducantur. Enimuerò audiuiſſes hîc Pharifeos & Sadduceos ita Chriſtum compellere, Salue Nazarenè. Nos miro tenemur Meſſiæ deſiderio, & expectamus ipſum iam multis annis, nec aliud perinde habemus in uotis, quàm Meſſiæ aduentum: ided proſum te non grauatim reciperemus, ô Ieſu, ſi certò conſtaret nobiſte illum eſſe Meſſiam uerum, quem promiferunt prophetae. Quia ergo uides nos tuæ doctrinæ ſtientiſſimos, dociles, & promptos auditores, agè erudito & doceto nos. Haſtenus licet per te multa edita ſint ſigna in his locis inferioribus, dum cæcis reddidiſti uiſum, mutis loquelam, & claudis greſſum reſtutum ac ſolidum: dum dæmoniacos liberaſti, paralyticos curatiſti, paucis panibus multa milia ſatiaſti, aliæque huiuſmodi, omnia tamen, quæ uidimus, ſigna, terrena ſunt, & hîc aguntur in inſimo mundo: propter quòd ſignis aliquot ſupernaturalibus, & è cœlo petitis, aut in aère expreſſis, oſtende te illum eſſe, quem multi credunt, & qui uideri uis. Agedum huiuſmodi ſignis confirma mentes noſtras, ut credamus tibi. Hoc præſtitit noſter Moſes, qui de cœlo fecit deſcendere mâna. Hoc Elias, qui ignè. Obſerua. Extremæ impietatis & maliciæ eſt, nò eſſe contentū uerbo, & internis miraculis, quæ operatur uerbū in cōſcientiis. Rurſus magne temeritatis & impietatis, præſcribere Chriſto ſigna, quæ tantū exigat ratio humana, credēs quòd uideret, præterea nihil. Ergo temeritatis & impietatis arguendi erāt hi impoſtores & rogatores, qui nò urgebāt Chriſtū ſyncero animo, neque doceri aut credere cupiebāt, ſed calumniandi, accuſandique occaſionē ſolūm quærebant. Ideo ait Euangelifta, Tentantes rogauerunt, &c. Quibus ſi acquieſceſſet Chriſtus, & è cœlo ſigna dediſſet, hi maxime ac primi protinus clamafſent, uirtute Satanæ illa facta eſſe. Et hoc ipſius docendi genus eſſe deceptionem, impoſturā, & meram impietatem.

Pharifei, te-  
merarij &  
impj.

At ille reſpondens, ait eis.

Ieſus, cum animaduertet poſt tot edita miracula iſtos adhuc in ſua perſeuerare malitia, aded ſcilicet dolebat illorum deploratam cæcitatē, ut ingemuerit ſpiritu, ait Marcus 8. cap. Sciens ergo, quòd uanitate ducti, ſignum è cœlo peterēt, non reſpōdet eorum calumniis, ſed exprobrat illis cæcitatē & ſtupiditatē, qui ex ſignis præſentibus ſcīrēt aut ſerenum cœlum futurum, aut pluuiam proximam: Et tamen ex tam prodigioſis ſignis & miraculis, Meſſiæ tempus, à prophetis prædictum, nollent agnoſcere, tantus ſtupor illos occæcauerat.

Facto ueſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum: & mane, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.

Faciem ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis?

Hac concione Chriſtus uult docere, Pharifeos, Sadduceos, & reliquos huius ingenij homines, non eſſe ſimplices aut imperitos, quemadmodum prætexebant, ipſi, ſed merè malitioſos & hypocritas. Quapropter dicebat, Non eſtis aded ſimplices & ſtupi, quin habeatis notiã ſignorū cœleſtiū, nouilunij, plenilunij, eclipti, ſolſtitij, & ſi qua ſunt huiuſmodi: factò enim ueſpere, ſeu cum aduenerit ueſpera, ex inſpectatione diſpoſitionis cœli ſiue aëris, prædicatis atque cōiicitis, futura eſſe ſerentatē, quòd ita cōiicitis ex rubore cœli, ſignificante uapidiū humorem interdiu, ad inſimam, non ad mediam regionem aëris, calore ſolis eleuatū. Ad uentante igitur noctis frigore, uapor humidus non permittitur altius aſcendere, ſed noctu in rorem commutatur, & ſequitur ſerentitas. Quòd ſi uerò cœlum appareat præ rubore triſte, ſignum eſt, multum uapidi eſſe humoris inter nos & ſolem, qui præcedenti nocte non eſt conuerſus in rorem. Calore igitur aſcendentis ſolis altius trahitur, & in pluuiam mutatur. Faciem ergo cœli diiudicare noſtis,

Vnde facilis  
conueſtatio  
ſerenti aut  
pluuij tem-  
poris.

Tr iij



hoc est, causas istas phycas nouistis, quæ sunt uobis vulgo pluuiæ & serenitatis nota argumenta. Signa autem temporum non potestis: id est, si ea uobis facultas, ut ex unico signo possitis iudicare de futura tempestate, certè & est uobis facultas cognoscendi signa huius temporis, si uultis: & quomodo signa istorum temporum non agnoscitis? **Quæstio est, an sim Mefsias, missus in hunc mundum?** Vos ex tam tenuibus signis cognoscitis, quid sit futurum in cælo: quare ex tam efficacissimis & apertissimis signorum tantorum (quæ hæctenus mundo palam ostendi) argumentis non colligitis, quis sim ego, aut unde uenerim, & quale sit tempus istud nouum, & insolitum, quod tantis & fulget miraculis, & gaudet beneficiis? Sed quæ est hæc præpostera sapientia, quod de naturalibus quibusdam argumentis, tam diligenter & exactè de futura aëris tempestate iudicetis, & tamen interim tam oscitanter obseruetis ea argumenta, quæ certè ostendunt uobis, Mefsiam aduenisse, & tempus illud adesse, ad quod oracula prophetarum, de aduentu Mefsie respexerunt? Prophetia enim patriarchæ Iacob, Genes. 49. qua dictum est, Nō auferetur sceptrum de Iuda, donec ueniat, qui mittendus est, siue Silo, id est Mefsias, iam completa erat. Implebantur & hebdomadæ Danielis. Prophetia item Isaiæ, 35. Ecce Deus uester ueniet (inquit) & saluabit uos, tunc aperiētur oculi cæcorum, & aures surdorum referabuntur: tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & in laudem prorumpet lingua muti, &c. Sed & Elias, qui Ioannes Baptista officio fuerat, iam aduenerat, & præsentiam Mefsie testificatus fuerat. Quæ igitur hæc est ignauia, quæ impietas, & quis diuinarum rerum contemptus, quod tam sollicitè inquiritis in futuram aëris tempestatem, & non inquiritis, quid hoc tempore, è uestra uera salute futurum sit? Videte qualia sint uestra tempora, ô Pharisei. Cæci uident, surdi audiunt, muti loquuntur: ac inde colligite, uenisse Deum in mundum, ad eoque me esse illum Deum, qui in mundum uenturus erat. Nam ego omnes omnium infirmitates curo, & omnia illa impleo, quæ prophetæ impleturum prædixerunt Mefsiam. Id quod negare nō potestis. Rectè igitur hypocritas illos uocat, Nam & quidam textus ueteris codicis habet, Hypocritæ. Faciem ergo cæli, &c. Quia signum de cælo quærebant, quasi tenerentur cura agnoscendi regni Dei, cū longè diuersum agerent, rectè uocat eos hypocritas, id est, aliud agentes, & aliud simulantes, homines subdolos, & uersipelles. Quasi dicat, Hypocritæ estis, qui ueti in conscientia, simulatis uos non uidere & cognoscere, quæ tamen maximè uidetis & cognoscitis. Tantum in uobis animorum malitia cæteris animi dotibus præponderat. Obserua. Nō reiicitur hic sobria rerum naturalium cognitio, neque scientia rerum cælestium, quam astronomiam uocant. Hæc enim donū Dei est, in hoc collatum, ut ex cognitione rerum uisibilium, & admirabilium obseruationum astronomicarum assurgamus in cognitionem & admirationem inuisibilium Domini Dei nostri quemadmodum Paulus ad Roma. 1. docet. Est autem considerandum, quod opera Dei sunt duplicis rationis. Primùm quædam sunt certi cursus ac status, ut sol & luna, dies, nox æstas, hyems, ignis, aqua. Horum ratio potest obseruari ad usum uitæ humanæ. Deinde quædam sunt incerti cursus, ut pax, copia annonæ, sanitas mortalium, bella, &c. quæ pendunt à secreta & libera prouidentia Dei, non ab astris. Itaque ex hoc loco non possunt defendi prognostici illi libelli, qui passim uenduntur, quoniam magnus est in eis abusus, maximè apud usurarios, ut magnates taceam, qui plerunque prognostarum consiliis frequentibus mendacijs utuntur.

**Generatio mala & adultera signum quærit, & signum nō dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.**

Diætio Hebraica hikkes, respondens huic, generatio mala, significat contrariū recti & plani, hoc est, incuruum, distortum, gibbosum, quodque non eodem te-

Iudæis facile fuit cognoscere Mefsiam aduenisse.

Cognitio rerum naturalium ac celestium, magni pendenda.

Opera Dei duplicia

In prognostas nostros.

nore est tractūq; sed planè nūc illò, nunc aliò auersum ac reuersum. Prauitas ista impiorū est subdola, astuta, incurua, ac miris modis peruersa quædā iniquitas & malitia. Hæc prauitas nunquā satis agnoscitur, quod multiplex sit, uaria, & subdola, iuxta illud Hierem. 17. Prauum cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Hinc fit, ut res sit omnium difficillima, corripere istam prauitatem humani cordis. Exemplo sit hodie incredibilis illa in scenerando astutia, obscuritas & uaricitas, quam nemo satis deprehendere poterit, de qua gloriantur etiam homines planè peruersi. Adulterā uocat generationem, quod recefferit à Deo, legitimo marito, quemadmodum in cantico Moyfi Deuter. 32. dicitur: Hæcine reddis Domino Deo tuo popule stulte & insipiens? Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Aut dicuntur generatio adultera, id est, filij adulteri, filij nothi, paternæ probitatis haudquaquam imitatores, & à paternis moribus degeneres. Sensus uerborum est, Vos ex uno signo pronuntiatis futuram serenitatem. Et uos, uos, inquam, qui tenetis scripturas, uidetis, quæ gerantur: & ex tot signis, quæ quotidie uidetis, non uultis intelligere id quod adest? O nationem prauam & adulteram, longèque degenerantem à maioribus suis, quorū titulis se uenditat! Subdolè quærit è cælo, quod calumniatur: sed olim illi dabitur, quod horreat, non, quod carpat. Interim non dabitur illi signum, nisi è terra, quod frustrabitur omnes illorum conatus, cū uiderint rediuiuum, quem putabāt extinctum ac sepultum. Prodigiosum illis uidetur, quod accidit Ionæ prophetæ. Dabitur illis simile signum, sed admirabilius. Hoc sermone satis obscuro significabat Dominus Iesus, se prius occidendum ac sepeliendum ab illis (quem illi nihil aliud existimabant esse, quàm hominem) ac mox diuina uirtute reuicturum. De hac concione uide supra cap. 12. ubi eadem tractauimus.

**Et relictis illis, abiit.**

Aliquando Christus aliò secessit, inuisendi gratia, ad quos ibat. ut, quum dixit, Oportet me & alijs ciuitatibus euangelizare. Aliquando & propter indignitatem & malitiam eorū, à quibus recedebat. Et hos rebelles nunc deserit, ostendens, quid propter parem totius gentis rebellionem toti genti esset euenturum. Non ait simpliciter Euangelista, Et abiit, sed relictis, &c. ostendens, quod Dominus contemptores uerbi sui deserit, & suorum ipsorū affectibus & erroribus permittit, in quibus omnino implicentur & percunt tandem. Petulantia igitur Sadducæorum & Phariseorum offensus, mox reliquit illos, traiccto rursus lacu. Nihil enim intolerabilius ueritati & synceritati, quàm fucus & dolosa simulatio. Obserua. Cū uideamus migrationes Christi diligenter ab Euangelistis descriptas, profectò studiofius ueniunt à nobis notandæ, ut discamus, ad quos ueritas doctrinæ Euangelicæ pertineat, ad quos non pertineat.

**Et cū uenissent discipuli eius trans fretum, oblitum sunt panes accipere.**

Cū discipuli nauigio transmisisent lacum, & in alteram maris partem uenissent, aduerterunt se per obliuionem nō accepisse secum com meatum panum. Festinantes enim ad iusionem Domini transmigrare, aut alia quauis occasione obueniente, oblitum fuerant, antequam nauem ingrederentur, secum panes accipere aduersus penuriam loci deserti, ubi non facile habebatur panis. Obserua nouū euentum, in quo denuò ostenditur, quàm sit difficile homini, etiam habenti uerbum, recedere à rationis argumentis posse, & se soli Deo per fiduciam committere. Item quàm difficile sit credere, Christum esse omnipotentem sine præsentem occasione. Item quàm difficile sit, credere, uerbum esse uirtutem Dei & potētiam. Rursus obserua ipsum uictum non minimam esse infidelitatis ansam, ut per quem etiam Satan non dubitauit Christum adoriri.

Cordis humani prauitas.

Iudæi, generatio adultera.

Iudæi postulant signū è cælo, acceperunt è terra.

Secessus & diuerticulum Christi. causa.

Credere ita ut oportet, haud quàm facile.



## Qui dixit eis.

Magni, religiosi & oculatissimi doctores plebis habebantur Pharisei & Saddu-  
 cæi, quos tamen luce claritas est ex iis, quæ hæcenus tradita sunt, homines fuisse  
 hypocritas, perfidos, & insignes contemptores uerbi Dei, imò hostes fidei ueræ ac  
 pietatis consceleratissimos. Proinde uoluit Christus serua præmonitione suos præ-  
 monere, quid in hoc negotio agere debeant. Dixit ergo eis, hoc est, admonuit eos,  
 accepta occasione à Phariseis & Sadducæis.

**Intuemini, & cauetè à fermento Phariseorum & Sadducæorum.**

Imminet grande periculum, ò discipuli mei, ideo intuemini, id est, diligenter  
 uidete & attendite, atque etiam, etiãque cauetè à fermento Phariseorū & Saddu-  
 cæorum. In Marco additur, & Herodis. Nominatim explicat genus hominum,  
 in quo hoc nocētissimum uirus cauere oportet, nempe in Phariseis & Sadducæis.

**Quid autem illud sit, quod cauere iubet, propriè non exprimentur ipsa uerba, nisi  
 metaphoricè & per tropum. Igitur per fermentum horum intellexit uim hypocri-  
 seos, ut Luc. 12. scribit, nocētissimam. Similiter & hinc intelligit horum doctri-  
 nam & institutum, qui omnem iustitiam in externis ponebant, quò spectabiles  
 hominibus essent, uacui interim omni fide, ueritate, dilectione & misericordia,  
 quibus Deo probarentur. Responsabis. Qui fieri potest, ut hinc per fermentum in-  
 telligat doctrinam Phariseorum, & hanc reprobet: cum infra, cap. 23. doceat &  
 admoneat, ut illam seruent, dicens: Super cathedram Moysi, &c. Omnia ergo,**

**quæcunque dixerint uobis, seruate & facite? Respondeo: Eo cap. 23. Christus ex-  
 pressè loquitur de doctrina legis ac Moysi. Iam doctrina legis ac Prophetarum,  
 doctrina est Dei, non Sadducæorum aut Phariseorum. Hic uerò loquitur de tali  
 doctrina, quæ sit, nõ Dei, sed Scribarum, Phariseorum, Sadducæorum & Hero-  
 dianorum. Dominus ergo noster Iesus Christus, doctor cœlestis, assertor ueritatis,  
 & lux totius mundi, iubet suos cauere à doctrina Pharisæica, adeoque ab omni do-**

**ctrina praua & hypocritica, certante cum uerbo Dei, quam appellat per tropum  
 fermentum, quod quidem alia quibus miscetur, inficit: inflatur, ac tumet, præ-  
 terea amarum siue acidum est. Talis enim est & doctrina Pharisæica. Scripfit e-  
 nim, Apostolo dicente, 2. Timoth. 2. ut cancer, inficit quoscunque attingit, &  
 sensum totum syncerum uerbum, uel synceri uerbi intellectum corrumpit, instar  
 fermenti, totam farinæ massam paulatim immutantis, & acidam reddentis. Quos  
 infecit hæc doctrina, arrogantes & superbos reddit, tumoreque hypocriteos sibi-  
 ipsis planè eripit, neque micam ullam dulcedinis spiritus in homine relinquit, sed  
 omnia amara efficit atque acerba. Vnde Lucas 12. cap. fermentum hypocrisis di-  
 cit, quod hinc noster Euangelista doctrinam interpretatur. Habet profectò originè  
 doctrina Pharisæica ab hypocrisis, seritque ac progignit hypocrisis in animis au-  
 ditorum. Præceptum erat Leuit. 2. ne quod fermentum misceretur sacrificiis: neue  
 mel ullum ipsis adderetur. Per fermentum adumbrabatur corruptio, infynceritas,  
 hypocrisis, affectus animi prauus. Per mel, delitiæ & uoluptates, mollicies & ani-  
 mus instabilis. Copiosius supra, 13. cap. tractauimus de fermento.**

**At illi cogitabant inter se, dicentes, quia panes non accepimus.**

Exemplum est ignorantia in Apostolis, quam parit incredulitas & fidei infir-  
 mitas, quæ rapit Apostolos ad ignorantiam. Sed quid eos in hanc opinionem im-  
 pulsit, ut putarent Christum loqui de panibus. In primis uidetur modicus com-  
 meatus. Nam per obliuionem nauis non imposuerant cõmeatum: unicum enim  
 panem secum tulerant. Secundò, quòd scirent, Christum, Phariseis infensum. Ter-  
 tiò non meminerant se oblitos esse uirtutis Christi, quam ipsorum ministerio exe-  
 ruerat in saturanda multitudine. Rogabis. Quare Christus, ut ab hac ignorantia

discipulos liberaret, neque hinc neque in Marco. 8. neque in Luca. 12. cap. siue ad-  
 monendo, siue exponendo fermentum doctrinam Phariseorum uocauit? Respon-  
 deo: hæcenus sese in disputando & refutatio aperuit, ut licuerit intelligere, qua de  
 re loquatur, licet non sit apertis uerbis proloquutus. Et id etiã consultò quidem fa-  
 ctum puto. Noluit hypocrisis ac pestilentè doctrinã Phariseorū, dignari appella-  
 tionem doctrinæ, sed magis eã uocare fermentum & hypocrisis, id quod erat, quod  
 non erat. Vnde supra. 5. cap. multipliciter illam uerborum in oratione non uo-  
 cat orationem, sed multiloquium seu battologiam. Et Paulus, quæ falsi doctores  
 tradebant, non dignatus est uocare doctrinam, sed magis *κενοφωνίαν*, uaniloquiũ:  
*λογμαχίαν*, contentionem, & uerborum pugnam: *ἀδελεισίαν*, garrulitatem seu fu-  
 tilem loquacitatem, & id genus alia. Ex his discere possumus & nos, res inanes ac  
 perniciosas, suis, quibus dignæ sunt, propriis uocabulis notare: non quibus, iuxta  
 seculum, falsò ornantur, honestare. Sensus uerborum est, At illi cogitabant, &c.  
 Audientes, Dominum fermenti mentionem fecisse, nec intelligentes, quid sibi uel-  
 let per hanc monitionem & quid per fermentum intelligeret, cogitant in semetip-  
 sis, atque aduicem conferunt, dicentes, Fortè præceptor nos arguit, quòd negle-  
 ximus imponere nauis com meatum: & fortasse nos uult monere, ne cogamur ob  
 defectum panum, mendicare panem ab inimicis Phariseis, dum dicit, Cauete à  
 fermento Phariseorum.

**Sciens autem Iesus, dixit.**

Argumentum est diuinitatis in Christo, qui scit cogitatus hominum. Iesus au-  
 tem cognoscens, discipulos suos, uerbum illud de fermento, iuxta carnem & lite-  
 ram interpretatos, uoluit illos à carnali ruditate eripere: hoc ut faceret, hoc est, ad  
 spiritalia eueheret, per increpationem quandam illos alloquitur, opprobrians il-  
 lis incredulitatem atque animi stuporem, quòd ex binis illis miraculis, per manus  
 ipsorum ueluti peractis, quorum altero ex quinque panibus quinque milia, altero  
 ex septem panibus quatuor milia hominum sua uirtute saturauit, nondum animad-  
 uerterent nec intelligerent, quem magistrum sequerentur, apud quem nulla om-  
 nino re salubri possent egere. Dixit illis.

**Quid cogitatis inter uos? modicæ fidei, quia panes non habetis?**

Hæc reprehensio ex ipsa pronuntiatione & opprobatione interrogatoria, est a-  
 cris ac uehemens. Arguit autem Dominus incogitantiam ac stupiditatem discipu-  
 lorum. Vt tamen Christus increpet suos, tamen erga ipsos totus manet huma-  
 nus ac mitis, ut qui non reiciat lapsos, & in fide hæsitantes. Quid cogitatis in uo-  
 bis, Græcis legitur *τι' διαλογίζεσθε*, quod non est simpliciter, sed nõnihil anxie cogi-  
 tare, & quasi disceptare. Quasi dicat, quid ex cogitationibus uestris aduicem di-  
 sceptatis atque multisitatis? Modicæ fidei, Græcis est *ὀλιγοπιστοι*, id est, parum fiden-  
 tes: quasi dicat, Cur hæc cura torquet animum uestrum, quòd panum oblitus estis?  
 quasi quicquam nobis defuturum sit, etiam si non prospexeritis. Malum, quod in  
 Apostolis arguebat Christus, erat superflua cura de cibo.

**Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum &  
 quinque milium hominum, & quot Cophinos sumpstis?  
 neque septem panum & quattuor milium hominũ, & quot  
 sportas sumpstis?**

O parum mihi fidentes, tot modis docti moniti que, nondum intelligitis, non-  
 dum meministis! Adhuc cor habetis huiusmodi curis obcæcatũ: & Phariseorum  
 more, quod cernitis oculis, non uidetis: quod auditis auribus, perinde est, quasi  
 non audiat. An excidit, quod nuper uobis, non solum testibus, uerum etiam mi-  
 nistris, gestum est, cum quinque panibus hordeaceis quinque milia hominum,

Pharisei, hy-  
 pocritæ infir-  
 gnes.

Fermentum  
 Phariseorū,  
 quod.

Ecquando  
 Pharisei au-  
 diendi erant.

Doctrina ma-  
 la, fermentũ.

Fermentum  
 & mel nun-  
 quam sacrifici-  
 is addeban-  
 tur.

Pleraq; Chri-  
 stus parabolice  
 dicta à  
 se, non expo-  
 suit.

Doctrina ad-  
 uerterina ni-  
 hil minus q̄  
 doctrina.  
 Omnia, uti  
 merentur, ap-  
 pellanda.

Christus us-  
 que humanus.



Oblitio diu-  
norum bene-  
ficiorum fi-  
dei obest.

& septem panibus quatuor milia hominum paui? Exprobrat illis obliuionem beneficiorum & mirabiliū Dei: quæ profectò non parum nocet fidei, facit enim, ut obliuiscamur, quòd Deo curæ simus. Propterea toties à Mose inculcatum legis populo: Vide, ne obliuiscaris operum & mirabiliū Dei. Et in psalmis, ubi fit mentio, quomodo à Deo recesserint Israëlita, adiungitur, Et oblitū sunt mirabiliū Dei. Et Christus, cum uellet suos retinere in memoria tanti beneficii, quod sua morte nobis communicabatur, instituit sanctam coenam, in qua uerè corpus & sanguinem eius sumimus, & mortis eius, qui amplius non moritur, recordamur, & memoriam celebramus. Porrò experimur hodie, quanta sit oblitio beneficiorū Dei. Nam egressis è concionibus, à communionē corporis & sanguinis Domini, à lectione sacrarum scripturarum, mox excidunt audita & intellecta. Iam cum ad fidem Christi requiratur intellectus eorū, quæ à Christo aguntur, & intellectus eorum renax memoria: nos uerò uel utroque, uel certè posteriore careamus, quomodo essemus magnæ erga Deum fiduciæ?

Oblitio bene-  
ficiorū dei  
hodie quata.

**Quare non intelligitis, quia non de pane dixi uobis, Cauete à fermento Phariseorum & Sadduceorum?**

Cur nondum agnoscitis, quòd non de pane corporali dixi uobis, cauete à fermento Phariseorum? Ex iis quæ prius gesta sunt, agnoscere potuistis genus sermonis mei, non ad curam rerum corporalium trahendum esse, cum prospiciam animis magis, quàm corporibus. Quia non de pane dixi uobis, quem me dare posse credere debuistis, etià deficiente occasione: sed magis de illorū praua doctrina.

**Tunc intellexerunt, quia non dixerit, cauendum à fermento panum, sed à doctrina Phariseorum & Sadduceorum.**

Doctrina  
Phariseica,  
fermentum.

Tunc, id est, postquam hac obiurgatiuncula, discipuli facti sunt attentiores, intellexerunt, quòd Iesus sensisset diligenter cauendum, non à fermento panum corporalium, sed à doctrina Phariseica, ambitione, auaritia, liuore, cæterisque uitiiis corrupta, quàm Dominus fermentum appellabat, ratione corruptionis, eò quòd sicut fermentum modicum, totam massam corrumpit, & acidam facit: sic doctrina praua, & diuinæ legi contraria, facit totum hominem inficit, atque corrumpit, omnemque cordis synceritatem tollit, totamque massam & corpus humanæ conuersationis uitiat.

**Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi.**

Habita institutione de doctrina Phariseica uitanda, meditullium terræ Iudææ, quasi offensus Iudæis, propter malitiam seniorum, Scribarum, Phariseorum & Sadduceorū, fugere uidetur: dum ad terminos illius, in quibus ista Cæsarea sita est, abscedit. Et licet ad uicos & confinia iam Tyri, iam Sidonis, iam Samariæ, & hinc Cæsareæ accedat, ciuitates tamen ipsorum non ingreditur, quòd in illis, teste Iosepho, habitarent cum Iudæi tum Gentes. Hoc autem suo abscessu, quo terram Iudææ propè egrediebatur, significabat auferendum à Iudæis regnum Dei, tanquam indignis. Quod uerò non planè egreditur, nec ciuitates Samaritanorum aut aliarum Gentium ingreditur, hoc faciebat, ne offendiculo esset iis, quibus primò promissa est salus, & ut impleret suum ministerium. Non enim præputij, sed circumcissionis minister erat. Interim hinc obseruabis, Christum nulla loca non per-lustrasse, quòd plures saluaret. Ad certitudinem historię Euangelista notauit loci more historico. Marcus 8. ait, Et ingressus est Iesus, & discipuli eius castella Cæsareæ Philippi. Tradūt Geographi duas fuisse Cæsareas, alterā clarissimam urbium Palæstinae antea turrim Stratonis uocatā, quam bellis fractam, Herodes ille magnus continuo decennio ambitiosissimè inter Doram & Ioppem extruxit, & in gratiam Augusti Cæsaris, Cæsaream appellauit. De his copiosè scripsit Iosephus,

Cæsareæ ur-  
bes due.

phus, Antiq. lib. 13. cap. Eadem est, cuius mentio fit frequens in Actis Apostolorum cap. 10. 12. 21. & aliis. Altera Cæsarea fuit in Phœnicia, sita ad radices montis Libani, inter riuos fontium, ac in ipso confluente Ior & Dan: antea dicta Pannæas, quam ipsam Philippus, Herodis tetrarchæ (qui Ioannem decollauit) frater, & ipse Tetrarcha, ad imitationem patris sui Herodis magni infanticidæ in honorem Tiberij Cæsaris ampliauit, & Cæsareā appellauit, capropter Philippi postea cognominata est, & ab instauratore Philippo, & ad differentiam eius, quàm in Palæstina pater Philippi, Herodes extruxerat. hanc Philippi Cæsaream postea magis exornans Agrippa, in honorem Neronis, Neroniam appellauit, ut est autor Iosephus lib. Antiq. 18. cap. 3. & lib. 20. cap. 16. Terminus uerò erat regionis Iudæorum, ideòque pariter à Syris & Iudæis habitabatur, quod postea seditionis inter eos causam præbuit. Sed quid nobis adumbrat hæc nominum huius Cæsareæ uarietas, progressu temporum facta, nisi quòd admonemur, quanta sit regnorum mundi mobilitas, & mutatio, qua huius mundi infirmitatem & uanitatem in animum reuocamus. Nominum mutatio signum est mutatæ potestatis. Et quod in urbibus factum est, sit hodie quoque in splendidis ædibus ac possessionibus, quæ cum heris suis simul & cognomina sua mutant. Demus igitur diligentissimam operā, ut relicto seculo, Christo indiuulsi adhæreamus, & siemus ciues regni Dei, cuius status perennis & perpetuus, nec herum, nec ciues, nec nomen immutat.

Cæsarea Phi-  
lippi.

Omnia mun-  
di mobilia.

**Et interrogabat discipulos suos, dicens.**

Marcus 8. scribit, Et in uia interrogabat discipulos. Lucas 9. ait, Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos, dicens. Verumtamen hic nihil discrepantiæ est. Nam quod Marcus ait, in uia, interpretatur Lucas, qui alicubi factam esse interrogationem significans, ait, Factum est, cum solus esset orans. uidelicet cum in itinere solus oraret, nemòque adesset, præter discipulos. Et quod hic Matthæus ait, ipsum uenisse in partes Cæsareæ Philippi, &c. interpretandum est per Marcum, dicentem, In uia: factum uidelicet in uia, qua tendebat in partes Cæsareæ Philippi. In uia ergo interrogat Christus discipulos, quid de se homines sentiant: ut ita ex incerta vulgi sententia, ipsorum de se sententiam rogaret, indeque illos in fide confirmaret. Nam quia in præcedenti euentu de fermento Phariseico, ipsi exuerant, quàm parum aut nihil in fide promouissent, rursum à Christo ad fidem & intelligentiam uerborum Christi fuerunt instituti. Nunc Christus pergit urgere fidem ipsorum erga se, ut illos in sui cognitione confirmaret, consolidaretque. Procul à Iudæis abduxit discipulos (ait Chrysoft.) ut ab omni solitudine liberi, non dubitarent apertè dicere, quæ sentirent. Volens Christus periculum facere, quantum profecissent discipuli, ex tot sermionibus auditis, & ex tot miraculis conspectis: & an aliquid sublimius de ipso sentirent, quàm vulgus ad nostram instructionem, percontatur illos, dicens.

Conciliatio  
Euangelista-  
rum.

**Quem dicunt homines esse filium hominis?**

Cum circa fidem semper uariarint in mundo vulgi sententiæ, aliis aliud sibi de Christo confingentibus, ideo Dominus interrogat suos, Quem dicunt, &c. non quòd nesciat uariare de se vulgi opiniones, non enim ideo interrogat, ut, uelut ignarus, doceatur, sed ut doceat potius, nūquam defuturas in mundo de fide uarietas sententias. Quæ (inquit) opinio de me, quæ fama est inter homines, seu inter eos, qui natura sapiunt tantum humana? Quæ æstimatio de me filio hominis, qui secundum carnem & temporalem natiuitatem uilis habeor & contempta abiectaque persona in oculis carnis, & ut purus homo? De filio hominis supra, & in Ioan. Similiter & in. 2. ca. ad Heb. copiosè scripsimus. Marcus & Lucas scribunt Christum interrogasse, Quem me dicunt, &c.

In mundo  
nunquā dec-  
runt, qui na-  
riè de fide  
sentiant.



At illi dixerunt, alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uerò Ieremiam, aut unum ex prophetis.

Varia de Christo opinio nata est partim ex eò, quòd Iudæi palingenesiam, animarumque remigrationem crederent. Vnde quos uidebant inter ceteros uirtute prominere, arbitrabatur à mortuis rediisse, quòd hi qui à mortuis restituti essent, longè maiore uirtute diuinitus præditi essent, quàm antea, dum uiuerent. Vnde cum uiderent tot ac tanta miracula à Christo perpetrari, quot & quanta nullus unquam ante illum facere uisus esset, colligebant, eum non esse aliquem recens hac uita donatum, sed esse de numero defunctorum prophetarum. Quamobrem familiariter respondentes discipuli, aiunt: Varia est de te in populo sententia. Alij namque sentiunt ac opinantur te esse Ioannem Baptistam. Sic enim suspicati sunt Herodiani, de quibus supra. 14. cap. diximus. Alij Eliam, quòd is raptus esset, & ideo tunc suspicarentur eum apparere iuxta prophetiam Malachiae. Certè non existimant te Messiam posse uideri, propter humilitatem tuam nimiam. Eliam tamen non negant esse te propter zelum prædicationis, & fiduciam reprehendendi quoslibet. Alij Ieremiam, quòd is typum gereret Christi, quòdque de illo dictum sit, Ecce constitui te hodie super gentes & reges, ut euellas, & disspes, & plantes, quæ uerè in Messia complenda sunt. Siue aiunt te Ieremiam, quòd Scribas & sacerdotes plurimum reprehendas, & multa cum autoritate doceas populù, quemadmodum Ieremias fidentissimè sacerdotum & pontificum arguit uicia. Alii te dicunt esse unum aliquem ex prophetis ceteris, iste hunc, alius alium pro suo quisque iudicio: quòd his functione & actione sis quam simillimus. Hi omnes licet errauerint, quòd non confiterentur Iesum, esse Christum, humaniter tamen errarunt & excusabilius, quàm qui Christum, Samaritanum & hominem Satanicum uocauerunt. Nam confitentur Christum esse Ioannem, adhuc magnum aliquid Christo tribuunt, si expendere uelis officia Ioannis in scripturis Isa. 40. & Malach. 3. & 4. Similiter cum Eliam dicunt, quem constat magna operatum esse, ut docet. 4. regum. Ieremiam item literæ sacræ docent in utero matris sanctificatum esse. Et cù, prophetam, asserunt, aliquid adhuc magnum Christo tribuunt, quòd propheta singulares à Deo habeat reuelationes. Sed enim non tribuerunt hi Christo quantum satis est, & quantum tribuit ipsa ueritas, nec quantum tribuere iubet ipsa religio. Obserua, & uide mihi, Turba, ut natura mutabilis est & inconstans, ita de Christo, uix potest non uaria habere iudicia. In causa est magna abiectio & humilitas personæ Christi iuxta faciem & speciem externam. Posterioribus seculis prodierunt uana & nouarum rerum studiosa ingenia, quorum alia tradiderunt Christum esse prophetam: alia deificum hominem non Deum: item spiritualem hominem, non nostræ substantiæ. Alia docuerunt esse Deum, sed non consubstantialem patri. Alia aliud commenta sunt, & subinde monstrosius aliquid protulerunt. Sed in his omnibus constanti fide teneamus, Iesum esse Christum, filium Dei, uerum Deum & hominem, patri consubstantialem, secundum diuinitatem Deo inferiorem secundum humanitatem, in quem quicquid crediderit, saluus erit, nec alium esse, in quo sit salus nostra.

Dicit illis Iesus.

Auditis vulgi opinionibus, tam uariis & inuicem pugnantibus, uoluit Dominus discipulorum suorum audire sententiam, ut pro confessione ueritatis præmium acciperent, & in uera sua assertionem ipsos solidaret. Huc certè ibat Iesus, ut suos certius de se edoceret, qui postea hoc puro fermento uniuersum mundum debebant imbueri. Non longè enim tempus aberat supplicij.

Vos autem quem me esse dicitis?

Cum populus uariis fluctuet erroribus, inconstans & uento mobilior, necessita-

Palingenesia  
credita Iu-  
dæis.

Christus ha-  
bitus pro Io-  
anne Bapt-  
ista & Iere-  
mia aut quo-  
piã propheta-  
rum.

In Ecclesia,  
uaria semper  
de Christo  
iudicia.

Quæ de chri-  
sto tenenda  
& credenda.

rium est, non uulgarem hanc, sed singularè, peculiarèque, atque ad eò solidam, certam, disertam, ueram & apertam habere & cõfiteri fidem. Hoc docet Christus, qui fecernès discipulos suos à vulgo, cum separata interrogatione, ait, Vos autem quem me esse dicitis? quasi dicat: Audio, quæ sint vulgi iudicia, sed ea nihil moror: ad uos conuortor, discipulos meos: vos alloquor, qui mei estis discipuli & Christiani: qui iam tantas res audistis ac uidistis ex me, quibus secreta regni cœlestis patefecerim, quos supra vulgus ceterum speciali electione honorauim, & peculiari eruditione instruxim, qui perpetui estis operum meorum inspectatores: quid de me sentitis? quem me putatis? quo loco uobis sum? quatum profecistis in cognitione mei? Vox, dicitis, ostendit Christum exigere, ut uiuæ fidei & fiduciæ addatur nominis Christi confessio, quæ & ex animo & aperto ore fit. Iuxta illud, Credidi, propter quod loquutus sum. Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Cum ergo Christus Apostolos suos missurus esset in mundum, quibus non esset satis, quòd bene sentirent de illo, sed esset necesse etiam, ut quod bene sentirent, intrepidè quoque docerent: rectè exigit confessionè oris, alioqui non ignorans, quid illi animo conceperant & de se sentirent. Porro quemadmodum in regno huius mundi, primùm à ciuibus regni queritur, ut regem suum agnoscant, & de illo congrua sentiant, quòd similiter fit in omnibus humani generis ordinibus, & in omni humani conuictus statu, nempe ut in primis de capitibus bene sentiant subiecta membra, uxor de marito: liberi de parentibus: serui de Dominis: subditi de magistratibus: hoc est, ut quique subditi agnoscant suos superiores, ita, imò quàm magis & hoc requiritur in regno Christi, & Ecclesia eius? Rectè igitur Christus rex noster cœlestis, primùm hoc à suis exigit, ut dignè de se sentiât, & loquatur. Vnde necessarium est in Ecclesia Christi, primùm, ut Christus agnoscat pro eo, qui sit à patre ad salutem nostrâ missus, Dominus ac saluator. Deinde ut submittamur & iis, quos uoluit sui thesauri administratos esse.

Respondens Simon Petrus, dixit.

Quod in tam claram & apertam confessionem, ad eòque promptam sine omni addubitatione Petrus proruperit, ostendit se aliis discipulis feruentiorem. Id quòd & aliàs fecit, Ioan. 6. & 13. Qui, ut erat amantissimus Iesu, tanquam futurus ordinis Apostolici princeps, omnium nomine respòdet. Vnde & à Patribus os Apostolorum dictus est, ut quòd ipse affirmat, nomine omnium suorum symmystarum affirmet, quemadmodum habes in Actis Apostolicis cap. 2. Non enim solus Petrus, sed omnes Apostoli interrogati erant à Christo, quid de ipso sentirent.

Tu es Christus, filius Dei uiui.

Hæc est orthodoxæ confessionis fidei Christianæ formula catholica, ipsaque epitome, compendium, summa & scopus totius Euangelij, & doctrinæ Christianæ. Hanc discipuli non ex vulgi sermonibus, neque ex humana ratione, sed ex Euangelio Christi per Spiritum sanctum conceperant. Hac confessione ut nihil est breuius, ita nihil illustrius, plenius, absolutiusque. Singula enim uerba, singula & maxima habent mysteria, diligenter nobis meditanda & expendenda. Tu, emphasim habet. Hæc enim dum Petrus pronuntiat, uidetur mihi oculos, uocem & mentem in illum Iesum Christum intendere: Tu, ait, tu (inquam) ille es, qui regnante Augusto Cæsare, ex Spiritu sancto conceptus, & ex Maria uirgine de tribu Iuda natus es, ac nunc sub imperio Tyberij Cæsaris regnum Dei prædicas.

Christus.

Christus Græca dictio, Hebræis Messias, & Latinis unctus dicitur, indicans in Iesu naturam & functionem duplicem. Nam Prophetæ prædixerunt, Christum fore geminæ naturæ, Deum uerum, & hominè uerum. psal. 109. Isa. 7. Ierem. 23. Micheæ. 5. &c. Vngebantur reges, ungebantur & sacerdotes, unde unctio symbolo-

V v ij

Confessio no-  
minis Chri-  
sti non desit  
fidei.

In primis re-  
ctè sentien-  
dum de Chri-  
sto.

Petrus Apo-  
stolorum co-  
ryphæus.

Simplicis &  
germanæ cõ-  
fessionis chri-  
stianæ for-  
mula.

Christus.

Christus rex  
& sacerdos.



lum habet & regni & sacerdotij. Qui in regnum terrenum, terrenumque & corporeale sacerdotium inaugurabantur, oleo inungebantur terrestri. Christus uero rex & sacerdos in regnum spiritale Spiritu sancto est unctus, Luc. 4. & Isa. 61. cap. Vnctus est autem plenitudine Spiritus sancti, ac illo ob signatus, quod ipse sit rex & sacerdos omnium fidelium. Regis est, suos asserere e tyrannide & captiuitate in libertatem, in hac defendere ac prouehere, omnia mala auertere, bonis legibus instituire, disciplina coercere, adesse suis ac regere. Hec omnia officia & singula omnibus numeris impleuit & praestitit Christus Dominus noster. Ideo uerus est rex populi Dei: ad saluandum homines, credentes, in ipsum missus mundum. Et hoc ipsum hic fatetur Petrus: Officium sacerdotis intercedere apud Dominum, orandoque & sacrificando expiare peccata, tum sua tum populi. Item sanctificare alios, docere quoque, & cultum Dei uerum tradere & defendere, superstitionem excindere. Item affici infirmitate populi sibi crediti, ut sit misericors & fidelis pontifex. Haec omnia absolutè praestitit unia Iesus Christus summus inter Deum & hominem mediator, summus ac praecipuus intercessor, clemens, benignus, fidelis, & misericors factus sacerdos, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato, ut iis, qui tentantur, possit succurrere. Idem in diebus carnis suae semetipsum pro nobis in cruce obtulit: orauit pro nobis, & exauditus est: idem ascendit in caelum, ac sedet ad dexteram patris, ut in conspectu Dei appareat pro nobis, & nos adducat Deo, qui in eum credimus. Idem absolutum doctrinae genus nobis tradidit, sacramenta & ritus nobis instituit: Et ut uno & altero uerbo absoluam, dilexit nos, absoluit, & lauit nos à peccatis nostris per proprium sanguinem, & consecrauit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo, ut offeramus illi spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Est igitur Dominus noster Iesus Christus summus pontifex & sacerdos populi Dei. Obseruemus iam, qualis fuerit haec confessio Sancti Petri & omnium Apostolorum. Confitetur hunc Iesum esse Christum. Ergo & eum esse, cui cõpetant omnia, quae prophetae de Messia uaticinati sunt, uidelicet, quod ipse portauerit iniquitates hominum, quod sedeat super solium Dauid, & super regnum eius, & confirmet illud in iudicio & iustitia usque in sempiternum, quod adnuntiauerit miseris Euangelium, quod praedicaerit captiuis indulgentiam, & clausis aperitionem, breuiter quod in ipso benedicantur omnes Gentes terrae, quae in nomen eius credunt. Talis sit nostra fides & confessio. Domino nostro ex animo, dicamus, Tu es Christus ille, id est, unctus Messias, rex ille, & sacerdos, liberator, & assertor, defensor, princeps, caput, redemptor, mediator, hostia & intercessor, sanctificatio, expiatio, iustitia, salus ac uita, qui patrem nobis placas, qui nos uiuificas, qui nos Spiritu sancti gratia inungis, ut tanquam filij Dei porro in bonis operibus Deo placeamus. Tu es uiuentis Dei filius, homo uerus, & Deus uerus. Non Elias aliquis aut propheta magnus, aut nuncupatiuè Deus uel homo, sed iuxta diuinam naturam patri, iuxta humanam nobis cõsubstantialis. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

## Filius Dei.

**Filius Dei.** Tu es Christus ille, filius Dei: id est filius, Deus coaeternus, & consubstantialis patri Deo, Deus de Deo, aeternus in sinu patris. Aut filius Dei, etiam secundum naturam assumptam, quam & humanam & diuinam dico. Humanam quidem, propter ueritatem assumpti hominis ex carne uirginis, propter quod, scribit Ioannes, Verbum caro factum est. Diuinam autem, quod supra naturam, nimirum non ex uiri femine, sed ex Spiritu sancto concepta est, natura seu uirtute uirginis, subministrantis, quod ex parte matris ad tam admirabilem conceptionem requirebatur. Et hoc priuilegium habet caro Christi, cuius gratia dicitur Christus filius Dei,

Iesus unctus.

Regis munia, quae &amp; obit Christus.

Sacerdotis partes, quas &amp; Christus impleuit.

Iesus creditur Apostolis is esse, in quem omnia uaticinia competent.

Christus quod nobis.

Natura assumpta à filio Dei, humana &amp; diuina.

etiam secundum hominem. Tanta enim est utriusque naturae unio in una hypostasi, ut Christus dicatur filius Dei & uirginis Mariae: & rectè ac catholicè confiteamur, dicamurque, filium Dei natum esse ex Maria uirgine, passum, mortuum pro nobis, caelos ascendisse, & nunc sedere ad dexteram patris. Huc pertinet, quod Gabriel, Luc. 1. cap. dixit ad uirginem Mariam, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te, Sanctum, uocabitur, id est, erit, filius Dei. Est ergo Iesus Christus, filius Dei unigenitus, primogenitus & naturalis filius, non adoptiuus. Alij sunt adoptiui, & per hunc, filium Dei naturalem unigenitumque, fiunt adoptiui, aded ut pater ipsos pro filiis habeat, & haeredes suos ordinet. Ipse omnium primogenitus est, ad quam primogeniturae dignitatem facit, quod ex Spiritu sancto conceptus, filius Dei est, Dominus & haeres omnium, adeoque & Dauidis Dominus. Et id est, quod in Symbolo confitemur, Et in Iesum Christum filium eius, unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, &c. Profectò huius geniturae gratia, qua est primogenitus & Dominus omnium, Dominus infra. 2. 2. cap. ubi Pharisaeos interrogauit, Quid uobis uideatur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei illi, Dauid. Ait illis, Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? hoc ipso responso non negat se filium Dauidis, quem & noster Euangelista in fronte sui Euangelij uocat filium Dauidis. Et angelus ad Mariam, Luc. 1. ca. Dabit illi Dominus Deum sedem Dauid patris eius, &c. Sed respicit ad istam primogeniturae dignitatem, qua ex Spiritu sancto conceptus, filius est Dei: Dominus & haeres omnium, adeoque & Dauidis Dominus. Obserua, & hoc, filius Dei, adiectum esse designandi gratia, & ad differentiam eorum, qui & ipsi Christi, id est, uncti uocabantur apud Iudaeos, ut reges & sacerdotes. Sic Dauid uocabatur Saulem Christum Domini.

## Viui.

Quia Deus solus est, qui in seipso uitam habet, ex se & per se uiuit, ex se operationem habet, & uim motus & operationis alijs pro sua bona uoluntate dat, dicitur uiuus, uiuus & ipsa uita, imò & fons uitae: Et ab Ieremia. 2. capite dicitur fons aquae uitae. Et Act. 17. dicitur, quod in illo uiuimus, mouemur & sumus omnes: Iam cum Christus sit uita, Ioan. 1. & 14. uitam habens in semetipso, Ioan. 5. uiuificandiue uim & uirtutem, Ioan. 5. tanquam propriam uera diuinitatis notam: imò sit character substantiae patris, Hebr. 1. expressam imaginem patris praeseferens: & non sit aliud certius indicium, quam ista uis uitae in Christo, qua se declarat genuinum esse uiuentis Dei filium, rectè & catholicè confitemur Iesum Christum esse filium Dei uiui seu uiuentis, ipsumque esse Deum uiuum. Hanc obrem audimus apud Ioannem. 5. cap. ipsum dicentem, Sicut pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam habere in semetipso. Ecce, uides Deum patrem habere uitam in semetipso, deinde obseruas filium habere uitam in semetipso: ut Christus sit filius Dei uiuentis, id est ipsissimus, naturalis uidelicet, non adoptatus, expressam patris imaginem praeseferens, & quam proximè patrem referens. Ioan. 6. Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem. Item, Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. Vnde Christus rectè se uitam uocat, Ioan. 11. 14. & 15. Similiter comparat se uiti, & suos palmitibus, ideo quod extra illum non est uita, quae admodum palmiti extra uitam nec uiuere nec fructificare datur. Homines ut uitam ex seipsis non habent, ita nec operibus suis uitam dare ex se queunt: sunt enim mortua. Dei uero omnia sunt uiua, id est uiuificata. Nam solus Deus uiuus est, uitam à nemine habens aliunde, sed in semetipso & ex se: imò quicquid habet, ipsemet est. Eapropter uiuificatus dici non potest, quia uita eius aliunde non pendet. Porro di-

Unio naturarum in Christo, quanta.

Christus, unigenitus Dei filius, ceteri, propter eum, adoptati.

Christus Dauidis &amp; filius &amp; Dominus.

Deus, uiuus, uiuus, uita, &amp; fons uitae.

Christus filius Dei uiui, quare.

Omnis uita à Christo.



Dij factiij anriquorum, Dij in olim mortui.

Fides factif. Trinitatis.

Credenda de Christo.

Humanis siue naturalibus rationibus non apprehenditur Christus.

Solo lumine Christi cognoscimus Christum.

Fidei opera.

uus Hieronymus, hunc locum enarrans, ait: Deum uiuum appellat ad distinctionem eorum deorum, qui putabantur dij, sed mortui sunt: Saturnum, Iouem, Cererem, Herculem, & cetera idolorum portenta significans. Colligamus ex superioribus. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus, tres hypostases seu personae, quarum quaelibet est Deus. Et tres sunt unus Deus, non tres dij. Pater neque Filius est, neque Spiritus sanctus. Similiter Filius neque Pater est neque Spiritus sanctus. Spiritus sanctus neque pater est, neque filius. Pater generat filium, omnia transfundens in filium, non illa deferendo, sed eadem communicando: Spiritus sanctus à patre & filio procedit, pater à nullo est de his uide primum sententiarum Petri Lombardi. Et licet filius coeternus & consubstantialis & unius potestatis cum patre sit, tamen ad nos saluandos ultimo tempore uenit, missus à patre, non desinens esse cum patre. Qui conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex uirgine: carnem & animam & sensum, hoc est, perfectum assumpsit hominem: nec amisit, quod erat, sed cepit esse, quod non erat: ita tamen, ut perfectus in suis sit, & uerus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, resurgit à mortuis per gloriam patris. Qui deuicto mortis imperio cum ea carne, qua natus, passus, mortuus fuerat, & resurrexit, ascendit ad patrem, sedetque ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit, & habet: in huius morte & sanguine credimus nos emundari posse, nec esse aliam ad nos purgandos medelam: deinde ab eo resuscitandos die nouissimo in hac carne, qua nunc uiuimus. Et habemus spem nos ab eo consequuturos uel primum bonorum nostrorum operum ac meritum ac meritorum, uel poenam supplicij aeterni pro peccatis non purgatis sanguine Christi per respicientiam ac poenitentiam nostram. Hoc est symbolum Damasi papae. Quod certe catholicum & orthodoxum est: Hoc legito, Hoc retineto, Hoc credito, Huic fidei animam tuam subiugato, ut uitam consequaris aeternam. Summa ergo uerborum Petri, Tu es Christus filius Dei uiui, est, Tu es uer<sup>9</sup> Deus & homo. Deus quia uiui Dei filius: Homo, quia Christus. Circa hæc, suborta est duplex opinio & sententia de Christo. Altera humana siue ex naturali cognitione: altera diuinitus inspirata. Humana, siue quæ est à naturali ratione, facit ex Christo Eliam, Ioannem Baptistam, aut alium prophetam, non Deum. Et hanc humanam opinionem significauit, cum dixit, Quem dicunt homines esse filium hominis? Altera, quæ diuinitus inspirata est, ostendit nobis Christum, esse filium Dei uiui, qui saluet, liberet, seruet & uiuificet. Hanc diuinitus inspiratam significauit, cum dixit, vos autem, quem me esse dicitis? Iam harum considera genium & proprietatem. Natura habet inconstantem opinionem de Christo: id est, non confidit Christo, nec credit, quod sit autor iustitiæ, pacis, & uitæ. Deus autem inspirat constantem fiduciam, qua apprehendimus, Christum, iustitiæ, pacis uitæque autorem & pignus. Quare naturæ opiniones & rationes circa Euangelium & Christi mysteria eradicandæ sunt, & conseruanda fides diuinitus infusa: donum enim Dei est, & non ex operibus, ut ne quis gloriëtur. Ephes. 2. Humana opinio & ratio naturalis Christum contempletur, & argumentatur de illius natura & maiestate, ad quam attingere nequit, cum sit supra naturam. Diuinitus autem quæ est inspirata, quiescit, fruiturque Christo, & in eo uiuit: Christum hunc amabilem complectitur, & omnes res humanas à Christo alienas exhorret, fatetur Christum patrem, dicendo cum Paulo, Abba pater. Facitque hæc inspirata fides, ut desperabundi de omnibus aliis rebus ex se, confidenti animo Christum inuocent, quotquot sunt, quorum animis insculpsit promissionem suam, ut cum dixit, Si quis sitit, ueniat ad me, &c. Item, Qui credit in me, de uentre eius fluent aquæ, &c. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.

## Respondens autem Iesus, dixit ei.

Quemadmodum supra. ii. cap. singulari quodam congratulationis affectu, erga patrem effuso, dixit, Confiteor tibi pater, &c. propter reuelatum Euangelium paruulis. Ita nunc quodam modo ipsum gestire (tanta est erga suos dilectione prece-ditus) & exultare uidemus de nostra foelicitate, & de reuelatione Spiritus comunicata. Hac igitur tam alacri tamque solida Petri professione delectatus, respondet Christus, significans huic tam Christianæ cõfessione subsequi aliquod præmium. Vbi obserua: Licet Christus in responsione sua unum quidem Petrum nominet, tamen non ut uni tantum Petro responderet. Nam responsio Christi respicit in confessionem Petri: Petrus autem non tantum suo nomine confessus est, sed nomine omnium Apostolorum. Quare & responsio Christi ad omnes pertinet Apostolos, non ad unum tantum Petrum.

Christus exultat commo-dis nostris.

## Beatus es Simon.

Huic uiuæ fidei & confessioni, Tu es Christus filius Dei uiui, qua te totum contradis Christo, & sentis tibi talem Christum, hoc est, regem ac sacerdotem, liberatorem & iustificatorem, responderet beatitudo: hoc est, iustificatio & liberatio à ui Satanica, & hoc in uitam aeternam. Hæc Petri, siue tua confessio uim habet mortis & resurrectionis Christi, propter hoc iustificat te Dominus noster, id est absoluit, & liberum pronuntiat à peccato, morte, & damnatione: ac hæres efficeris uitæ aeternæ. Nam ideo morte condemnatus est Christus, ut peccata nostra expiaret, ne propter ipsa morti ad iudicemur: sed liberati à morte ac diabolo, participes efficeremur uitæ aeternæ per gratiam & redemptionem illius. Et hæc fides Petri, hoc est, fides uiua, qua in illum credimus, & totos ipsi nos consecramus, applicat nobis istam iustitiam & redemptionem. Nam. i. Ioan. 5. cap. Hæc scribo uobis (ait Ioan.) ut sciatis, quoniam uitam habetis aeternam, qui creditis in nomine filij Dei. Beatus es, supple, ex hac tua confessione, quæ te & tui similes facit beatos. Vita siquidem aeterna, est, cognouisse patrem & filium, Ioan. 17. Et certò cognoscitur pater cognito filio, Ioan. 14. Ergo rectè beatum esse Simonem ex ista confessione Christus pronuntiat. Apostolus. i. Corinth. 1. hanc beatitudinē uerbo salutis, siue, salui fiunt, effert, dicens, Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salui fiunt, id est, nobis (supple, qui salutem consequimur) Dei uirtus est, id est, potentia Dei: id est, Christus, potentia Dei, sit nobis in salutem, qui, in eum credentes, ipsum excipimus, & confitemur esse potentiam Dei. Vnde ad Roma. 1. Euangelium uirtus Dei est in salutem omni credenti. Beatus itaque est Petrus, qui sua confessione credit, & confitetur Christum esse potentiam Dei, & filium Dei uiui. Hæc beatitudo hoc in statu obscura quidem est, certa tamen est ex uerbo uerè credenti, quia & Patrem & Filium & Spiritum sanctum habes. Ioan. 14. & i. Ioan. 5. Sed cum hinc soluemus, quod obscurum est, apertum & nudum conspiciemus, & eo fruemur. i. Ioan. 3. Nunc filij Dei sumus (Ergo Spiritu Christi ducimur, ergo uitam aeternam habemus: Nam qui credit in me (ait Christus) habet uitam aeternam: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est.

Viua fides nos beat.

Beatitudo nostra, nostri est iustificatio.

Christus potentia Dei.

Beatitudo hic obscura, sed per uerbum certa.

## Bar Iona.

Ex confessione sortitur Petrus uocabulum (ait Hieronymus) quod reuelationem ex Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit. Siquidem Bar Iona significat in nostra lingua, filius columbæ. A Iij simpliciter accipiunt, quod Simon, id est Petrus, sit filius Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem, Simon Ioannis diligis me? Qui respondit, Domine tu scis: Et uolunt scriptorum uitio deprauatum, ut pro Bar Ioanna, hoc est, filius Ioannis, Bar Iona scriptum sit, una detra-

Petrus, Bar Iona, & Bar Ioanna.



Et syllaba. Ioanna autem interpretatur Domini gratia. Vtrunque autem nomen mysticè intelligi potest, quòd & columba Spiritum sanctum, & gratia Dei donum significet spirituale. Hæc Hieronymus. Certè columbam hinc signanter indicare uoluit Dominus, nominans illum Bar, id est, filium, Iona, id est, columbæ, ut ipsum à Spiritu sancto (qui in columba signatur) loquentem commendaret. Quasi dicat, Verè tu beatus es Simon Bar-Iona, id est, filius columbæ, nimirum per Spiritum sanctum regeneratus, ac proinde columbæ filius: propter hæc fidei agnitionem & confessionem es & eris beatus, quandoquidem ad æternam te adducet beatitudinem, ut eum, quem modò per speculum in ænigmate credis & confiteris, uideas olim facie ad faciem. Obserua: Iona, nomè est patris naturalis ipsius Petri. Videtur alluisse Dominus ad id, quod quemadmodum Petrus confessus est, Christum esse filium Dei uiui, non adoptione, sed filiatione naturali, ita & Dominus meminit natiuitatis naturalis ipsius Petri, ut sensum reuelatæ diuinæ filiationis etiam ipse Petrus in exemplo propriæ filiationis clarius intelligeret. Hoc est, ut ait Chryostomus, ut ostendat, quòd ita naturaliter est Christus filius Dei, sicut Petrus filius Ionæ, eiusdem substantiæ cum eo, qui genuit.

**Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est.**

Aetiologia est; cur beatus sit Petrus atque omnes huius confessionis professores. Quia, inquit, ò Petre, confiteris ex reuelatione patris, quod caro & sanguis, id est, homo, ut homo, non percipit, quod caro & sanguis non docet, quod ultra humanæ naturæ intellectum est. Est caro & sanguis periphrastice hominis & omnium uirium humanarum notatio ac descriptio. Sicut & Galatis primo capite, Continuo non acquieui carni & sanguini, neque ueni Ierosolymã ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiã, &c. Quibus uerbis Apostolus dicere uoluit, quòd simulatque uocatus fuisset ad prædicandum Euangelium, se fiducia Spiritus Dei, rectè ad id muneris obeundum, abiisse, inconsultis carne & sanguine, hoc est, hominibus: nec iis tantum, quibus secundum carnem addictus, uel cognatus erat: sed neque Apostolis quidem, qui ante ipsum eo munere fuerant functi. Sensus itaque uerborum Christi est, Hanc uocem & confessionem non suppeditaui tibi affectus humanus: Hoc nequaquam accepisti à parètib; aut aliis tibi necessariis, uel omnino ullis hominibus. Huc pertinet, quod supra, 11. cap. ipse ait, Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Obserua. Licet ex nobis, tãquam ex nobis, nihil boni ac meriti corã Deo agamus, sed opus sit & reuelatione & gratia auxiliatrice præueniente actus nostræ uoluntatis: imò licet accepta feramus omnia Deo & bonitati eius, tamen uoluntati liberè conanti, & actum suum elicienti, Deus pro sua immensa bonitate & liberalitate laudem tribuit, opusque meritorium ex illa gratia procedens nuncupat, & illi præmium reddit. Nam fide illa, charitati coniuncta, efficitur filij Dei: & quia filij Dei fumus, ideo & hæredes omnium Dei bonorum dicimur: unde nostrum quoque opus & nostra uirtus appellatur ab illa uoluntatis operatione elicitæ, quæ reuera præcipuè Christi est operantis ac uiuentis in nobis: & laudamur ab illa, non ut aliena, sed nostra uirtute. Et hoc non ex dignitate operis nostri ex se, tanquam ex se, sed ex pacto Dei, ita nobiscum paciscentis. Qui enim reddit mercedem laborum sanctorum suorum, & hinc reddit præmium & laudem Petro pro tam egregia & sancta confessione, licet confessio sit à patre reuelatore.

**Et ego dico tibi.**

Quoniam Petrus fideli sua confessione, debito honore Christum ornauit, Christus uicissim post talem confessionem confirmatam, constitetur, quid de Petro, & omnibus fidem Petri habentibus sentiat, & quo illos loco habeat. Quasi dicat, Et

Caro & Sanguis, pro homine.

Bonitate Dei meremur uitam.

Opus nostrum dignitatem accipit non ex se, sed à liberalitate Dei nobiscum paciscentis.

ego uicissim illud affirmo tibi,

**Quia tu es Petrus.**

Quoniam reuelatore patre, dixisti mihi, Tu es Christus, filius Dei uiui, ego in approbationem simul atque remunerationem huius confessionis, uicissim tibi dico, & de te testificor, quòd ob illam constantiam & solidam confessionem meritò nomen habes, & diceris Petrus. Nomen proprium filij Iona est Simon. Hoc nomen, Petrus, pollicitus fuerat Dominus Simoni (ut non nulli interpretatur) quando apud Ioannem. 1. cap. Simonem intuitus, dixit, Tu es Simon filius Ioanna, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Nunc exhibet ac præstat, quod Simoni promiserat: ideo non ait, Tu uocaberis, sed tu es Petrus. Augustinus tamen (quem malo sequi) libro. 20. de consensu Euangelist. cap. 17. Intelligendus est, inquit, hoc nomen Petrus accepisse, quando dictum est illi, Tu uocaberis Cephas. Tunc uocatus est Petrus. Et nunc nominis Petri significantiam exerit. Cephas Syrum est nomen, Petrus Græcè, saxum siue petra Latinum. Quæ tria nomina eandem habent significationem. Sic ergo à Christo dictus est, quòd solidus esset in confessione fidei, & non cæterorum hominum more huc atque illuc uacillaret. A robore igitur & constantia fidei commendatur Simon, iuxta quam agnominatus est, ut hac agnominatione doceamur, nò quid sit Simon Bar-Iona iuxta carnis substantiam uel sapientiam, sed quid sit iuxta fidem Christi, quam Deo reuelatè accepit: & quòd quotquot in Christum credunt, & ipsum ingenuè fatentur, sint propter solidam fidem, Petri, id est robusta saxa. Propter hanc fortem fidem uocatus est Iacob ab angelo, Israël, id est fortis Deo, dicente angelo, Gene. 32. Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum: sed Israël. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Obserua: Non mediocri est laus, qua nomine geminato appellatur Simon Petrus. Honorificum erat & splendidum ualde Romanis, nomina fortiri ex rebus sceleriter gestis. Vnde Scipio Africanus, ab Africa deuicta, Alij ergo nuncupabantur Asiatici & Africani, quòd armis domuissent Asiam & Africam. At longè illustrius illud est, quòd sanctus Petrus ab ipsa Petra, quam ingenuè confessus est, nomen adipiscitur. Petra, Christus est ipse, filius Dei uiui. A qua Simon appellatur Petrus, quòd Christo impositus atque innixus, cum Christo communionem habet naturæ, & societatem spiritus iustitiæ & uitæ. Hoc ipse Petrus docuit, quod hinc expertus est. 1. Petr. 2. Ad quem accedentes, lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tanquam lapides uiui superædificamini, domus spirituales, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Ex superioribus, atinentibus ad ipsam fidem, ac confessionem Petri de Christo, colligimus, quid deceat quemque fidelem & Christianum hominem: uidelicet ut & ipse Petrum agat, sit constans & solidus, & non uacillans in fide, adeoque templum Dei per cor humiliatum & abiectum contritumque, in quo regnet Christus, & ut Deo offerat semetipsum hostiam spontaneam, offerat item gratias, preces, misericordiam, & sacrificium iustitiæ. Hæc sunt, in quibus est laus & uirtus sanctorum, imò, quæ Christianorum officia dicuntur.

**Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.**

Petre, propter hanc tuam confessionem, & ardentem fiduciam pronuntiaui te beatum & iustificatum esse: & nomen Petri tibi do, quod à Petra, id est, meipso, cui adhæcisti, rectè & meritò tibi inditum uolo: ideoque ædificabo, id est, conuocabo oues meas dispersas, & colligam eas super hanc petram, id est, super me: id est, Quotquot me tuo exemplo cõfessi fuerint, esse Christum, filium Dei uiui, & omnem suam fiduciam in me collocarint, erunt & ipsi Petri ac beati, ut quemadmodum tu mihi, qui Petra sum, innixus es, & ob id Petrus factus es, ædificatus super me fundamentum, ita & credentes in me, & mihi, fide tua, hoc est, fide uiua,

Simon, Petrus, Cephas.

Simon, quando uocatus Petrus.

Petrus, maior fide, quã sanguine.

Fortes fide, Petri.

Simò à Christo Petra Petrus dictus.

Christianus quilibet sit Petrus.



innixi, ædificabuntur super me Petram, à me denominabuntur Petri & Christiani. Meam Ecclesiam quia meo sanguine construendam, & in unum coniungendam. Meam dicit, non tuam: non enim est Petri Ecclesia, ut auctoris, sed Iesu Christi, & Domini & auctoris & fundatoris, imò ipse est fundamentum, & non Petrus aut quivis alius homo, cum Ephes. 2. dicatur Christus fundamentum & Apostolorum & prophetarum. Item. 1. Corinth. 3. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Iam Petrus est aliud à Christo, & Petrus non est Petra, sed à Petra dictus, ueluti à lapide, quis dicitur lapideus, ipse autem Christus solus est Petra seu lapis angularis, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum, &c. Et Petra est firmitas ac soliditas siue fundamentum Ecclesiæ, cui ipse Petrus imponitur unà cum aliis membris Ecclesiæ: & non imponitur siue superædificatur Petro: Non enim credit in Petrum, cum Petrus sit creatura, & non Deus. Aedificari super Petram, est credere in Petram Christum. 1. Corinth. 10. Bibebant autem de spiritali, consequente eos Petra. Petra autem erat Christus. Cuius minister est Petrus, cui Christus commisit oues pascendas, de qua retractauimus in. 21. ca. Ioan. Huc pertinet, quod magnus ille August. scripsit lib. retract. primo cap. 21. Dixi (inquit) in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo, tanquam in Petra, fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in uersibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo, ait: Hoc, ipsa Petra Ecclesiæ, capere, culpam diluit. Sed scio me postea sepius sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc, intelligeretur, super illum, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei uiui, ac si Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit clauas regni cælorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed, tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia constitetur, dictus est Petrus. Obserua, quod hanc Petram Mathæus dicit, Apostolus fundamentum. 1. Corinth. 3. cap. uocat. Rursus aduerte cum Christus dicit, ædificabo Ecclesiam meam, declarat se esse suæ Ecclesiæ architectum, & ædificationem esse in fidei & charitatis incremento sitam. Nam ipse est ædicator suæ Ecclesiæ, licet ipse sit illius & fundamentum & lapis angularis, totum ædificium sustinens: qui per spiritum peccata mortalium & fide & charitate donat, & addito incremento ædificat. Vnde dictus est caput corporis Ecclesiæ suæ, ex quo (ut scribitur Coloss. 2.) totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. Et ad hanc ædificationem utitur ministerio eorum, quos ad hoc elegit: de quibus uide Ephes. 4. ca. inter quos facile concesserim Petrum esse primum & principem propter ordinem & administrationem, in ædificationem corporis Christi, cuius caput uerum & unicum est Christus, Petrus uero minister est, autoritate tamen super reliquos eminens. Quod magnus ille Leo, sermone tertio declarat, dicens: Ego (inquit) dico tibi, hoc est, sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque Petra es, qui mea uirtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Vnde & Petrus primus, & reliqui patres familiars dicuntur cooperatores Christi, dum liberos & concreditam familiam in pietate instituunt. Et ad hanc ædificationem præter ministros Ecclesiæ, incumbit etiam cuilibet Ecclesiæ membro pro sua portione aliquam adferre operam. Vnde Paulus. 1. Thessal. 5. docet, quomodo per tuam subministrationem, quodque corporis Christi membrum alterum, alteri uires incrementi suppeditet. Propter quod (inquit) consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. Obserua: quod dicit se super Petram ædificasse Ec-

Christus unus, unum Ecclesiæ fundamentum.

Christus, solus lapis angularis.

Ædificari super petram, quid.

Retractatio Augustini de Petre expositione.

Christus suæ Ecclesiæ fundamentum, lapis angularis, & architectum.

Inter ministros Ecclesiæ Christi, Petrus facile primus.

Ædificationi Ecclesiæ unumquodque Christi membrum pro uiri sui proficit.

clesiam suam, non super arenam. Quasi dicat, super solidum & immotum fundamentum. Porro totum hoc negotium metonymia discuit, qua Petra ponitur ipse Christus, pro fide & confessione de Petra Christo. Neque quicquam aliud hinc docetur, quam confessores exemplo Petri, & qui cognitionem eadem, quam Petrus, de Christo habent, esse ueræ Ecclesiæ uera membra.

Petra, pro fide & confessione de Christo, qui Petra est.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Annotauit Origenes, & ita in Græco est, ambiguum esse, an uox, eam, referatur ad Ecclesiam, uel ad Petram. Certè de utroque rectè intelligitur. Frequentius tamen doctores referunt ad Ecclesiam, solidè fundatam supra Christum Petram. Per portas inferorum intelligit potestatem Satanæ, & omnia illius consilia, artes ac robur. Nam olim in portis publica comitia habita sunt, & eò multitudo conuocabatur. Gene. 34. Et uenit Hemor & Sichem filius eius ad portam ciuitatis eorum, & loquuti sunt ad ciues. Vnde metaphoricè portæ accipiuntur pro potètia & prudentia eorum, qui rerum potiuntur. Et cum nihil horribilius truculentius uel inferis reperiatur, his uerbis, Et portæ inferi, &c. significauit Dominus, nullam, quantumuis ualidam uim, siue Satanæ, siue mundi, siue ullius sub cælo potestatis aduersariæ, præualituram Ecclesiæ. Hoc ergo nomine comprehendimus, insidias & accusationes Satanæ, qui miris modis semper impugnat Ecclesiam, cum externo Marte per tyrannos, tum domestico per hæreticos & suos cacodæmones, per peccata, inferos, hæreticorum artes, persecutorum minas, ignes & enses, carnis & totius mundi tentationes omnes, item res omnes, quæ (ut breuiter absoluam) pertinent ad regnum Satanicum. Nam ut fundamentum immobile & inexpugnabile est, ita & electi, qui superextruuntur. Christus, Ioan. 10. ait, Et nemo rapiet eas de manu mea: ad eò potenter fundata est hæc Ecclesia. Sensus ergo uerborum Christi idem est, ac si dicat: Ego hanc meam Ecclesiam tanta soliditate obfirmabo, ut nulla hostilitate, quantumuis maxima, possit expugnari, ac neque portæ inferi possint præualere aduersus eam: Non item omnes exercitus illi dæmonum, qui inferos habitant, etiam si soluantur uniuersi, & prorumpant ad subuertendam Ecclesiam, sic aduersus eam poterunt præualere, ut penitus deficiat. Huic loco plurimum lucis affert Paulus, dicens, ad Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius: sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, & stimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Porro hæc sententia, Et portæ, &c. pollicitatio est, conueniens cum multis aliis, quales sunt, Si quis sitit, ueniat ad me, &c. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. quæ scriptæ sunt, ut nostram fidem & animos laborantium confirmet. Atque hic locus præcipuè refertur ad spiritum. Nam Euangelista loquitur hinc præcipuè de confessione facta spiritu, quæ & ore quandoque necessariò faciendâ est: item de ædificio spiritali, de Ecclesia secundum spiritum ædificanda, & de pugna spiritalis Ecclesiæ. De hac confessione loquutus est Paulus ad Roma. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Deinde ædificium spiritale, noua est hominis conditio, uel uoua creatura in Christo. Iam Ecclesia credentiū est ex interiore consensu in unam fidem, in unum Iesum Christum. Pugna spiritalis est cum peccato & morte. Sensus ergo uerborum est, Ego Christus promitto omnibus credentibus in me, quod uincant nomine meo & peccatum & mortem, quibus nominibus intelligitur omnis aduersaria potestas. Hanc uim & uirtutem supra omnem aduersariam potestatem, Christus

Portæ inferorum, potestas Satanæ.

Portæ pro auctoritate præsidium.

Robur Ecclesiæ inexpugnabile.

Confessio ex corde in os prodeat, quæ est necessæ.



expressit Luc. 10. Ecce (inquit) dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit.

Et tibi dabo clauis regni cœlorum.

**Clauis uoce quid designatur.** Nomine clauis scriptura intelligit summam quandam autoritatē, potestatem, gubernationem, & domesticam administrationem. Nam etiam in profanis acci- uilibus rebus, clauium traditio in manus translationem dominij ac possessionis si- gnificat & operatur. Habenti enim clauis, non solum cuncta, quæ domi sunt, pa- tent, sed & ei potestas fit, quoslibet uel admittendi uel secludēdi, atque etiam qua- que secretissima cubicula referandi, uel occludendi. Summam hanc autoritatem in regno Dei habet Iesus Christus, non tanquam famulus, sed filius in domo sua, Isa 22. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat. Apocal. 3. Hęc dicit Sanctus & ue- rus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Apocal. 1. Noli timere: ego sum primus & nouissimus, & uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum, & habeo clauis mortis & inferni. Quo ni- hil aliud significatur, quàm, Christum esse summum caput super uniuersam Ec- clesiam, cumque accepisse à Patre autoritatem super omnem principatum, pote- statem, uirtutem, & dominationem, & super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed & in futuro, ut ei omne genu flectatur cœlestium, terre- strium & infernorum. Hic promittit Christus, sed postea abiturus ad patrem stat- promissis, & suas non alias clauis Apostolis commisit, nimirum clauis regni cœ- lorum. Sacri doctores partiti sunt clauis in clauem ordinis, & clauē iurisdictionis. Et utranque clauem in clauem scientiæ, quam & discretionis appellant, & clauem potestatis. Clauis ordinis est potestas uocationis, functionis, seu ministerij sacer- dotalis, qua qui fungitur, Christi personam in Ecclesia representat, omniæque nõ suo sed Christi nomine, & autoritate agit, quæ complectitur potestatem prædicā- di uerbi, seu annuntiandi Euangelij, consecrandi corpus Christi, remittēdi & reti- nēdi peccata, & impetrandi seu administrādi sacramenta. Clauis iurisdictionis, est potestas coercens, non corporalis, sed spiritalis: quæ adhibetur, non ut homi- nes tollantur, sed error & peccatum: non, ut homines lædantur, sed ut corrigan- tur: non ut perdantur, sed corrigantur & instruantur. Veniamus ad textus decla- rationem meam (quando secundum corporalem & uisibilem præsentiam absces- sus ero) plenariam commissionem ministerialē autoritatis meæ. Conuenit enim, ut ille primus sit autoritate, qui primus est fidei professione & charitate. Pater dedit tibi reuelationem, uolo & aliquid tibi dare: Constituam te (qui hanc uerita- tis confessionem protulisti) cum plenitudine potestatis, meum in terris uicarium, dabóque tibi clauis regni cœlorum: ut aperire & claudere ualeas, per autoritatem tibi commissam, quomodo expediens fuerit. Obserua ex superioribus, & collige: Clauis regni cœlorum Christus dar Petro, hoc est omnia illa, quibus aperitur in- gressus in regnum cœlorum, qualia sunt, docere Euāgelium, administrare sacra- menta, autoritate uerbi absolueri pœnitentes, excommunicare publicis crimini- bus obnoxios, & huiusmodi omnia exercere. Hęc clauis Petri est ministerialis po- testas, quæ cum in regno cœlorum exerceri debeat, & hoc spiritale regnū sit, ideo certum est, hanc potestatem non extendi ad illa, quibus ciuile regnum & regitur & conseruatur. Vnde hic dicitur, regni cœlorum, non autem, terrarum, ut pote- stas Petri referatur ad regnum cœlorum, ad gubernandum mundum in ordine ad regnum cœlorum, ad salutem animarum, ad ea, quibus regnum cœlorum in ho- minibus seruatur ac augetur. Ergo spiritalis est hęc potestas, dicta clauis, eò quòd (ut uno uerbo abfoluam) est ministerialis facultas intromittendi uel excludendi.

**Christum da- re Ecclesiæ: clauis regni cœlorum, quid potestas data Petro, spiri- tualis est.**

**Clauis multi- plex.**

**Clauis ordi- nis.**

**Iurisdic- tio- nis.**

**Christum da- re Ecclesiæ: clauis regni cœlorum, quid potestas data Petro, spiri- tualis est.**

Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœ- lis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Christus exponit, quam potestatem intelligi uult per clauis, nimirum eam, quæ in remissione peccatorum aut ligatione consistit. Eleganti metaphora transferun- tur hæc à corpore ad animum. Nam soluere, est uinculis enodatis liberum dimit- tere uinctum. Ligare, est liberum, aut qui sibi uidetur liber esse, uinculis innodare atque constringere. Hęc corpori competunt. Porro animus peccatis cōstringitur, ac propter peccata fit totus homo morti & Satanæ obnoxius. Iam hac potestate ac- cepta Petrus obnoxius peccatis, pœnitentem, non solum absolutum declarat, sed uerè absoluit, & liberum reddit à peccato, imò, ut apertius dicam, cooperatur so- lutioni, sed ut minister, & non sua, sed Christi autoritate: & eum absoluit, quem absoluum, nimirum pœnitentem & credentem, iudicat. Soluit autem uerbo Dei dicens, Absoluo te à peccatis tuis in nomine patris, &c. Et eius respicientiæ nõ mediocriter fauet ac medetur, ut fide grandescat & charitate ardeat, idque testimo- niis scripturarum, & exhortatione uirtutum. Hic ante pœnitentiam ad regnum pertinebat inferorum, sed pœnitentem tua clauis intromittis in regnum cœlorum. Et quem probasti & introduxisti, probatur & excipitur in cœlis. Proinde soluere, est non solum à uinculis peccatorum, pœnarum, præceptorum, iuramentorum, uotorumque liberare, sed à nodis emergentium difficultatum circa ea, quæ sunt si- dei, declarando, absolueri. Similiter ligare non solum est præceptis adstringere ad ea quæ sunt regni cœlorum, sed etiam diffiniendo, errores ac hæreses arcere, ne damnata credantur. Si igitur uolo meum remitti peccatum, adire teneor Petrum seu parochum meum confessarium, cui aperire debeo uulnus meum, ut medeatur illi, & me absoluat, alioqui quomodo absoluet? Quòd si Petrus ob id non esset ad- eundus, frustra hanc contulisset potestatem Christus Petro. Hoc nemo catholicus & orthodoxus dixerit. Quare confessio hæc, qua peccata confitemur, & uolumus à parochio absolui, non est humanitus instituta, sed diuinitus inspirata: & ex hoc loco & aliis similibus ad salutem excipienda. Sensus ergo uerborum Christi est, Quodcunque solueris super terram, Deus id ratum habebit in cœlis: quencunque tu debite & rectè, tua fungens autoritate, solueris à uinculo, quo alligatus fuerit, hunc & Deus soluet, & solutum habebit. Tanta erit tua autoritas, & eorum, qui in tuum locum successuri sunt, usque ad consummationem seculi, ut tuum & tuo- rum successorum iudicium probaturus sit Deus, modò fiat iuxta clauis, & ex spiri- tum successorum iudicium probaturus sit Deus, modò fiat iuxta clauis, & ex spiri- tu proficiatur. Et quodcunque tu, ex autoritate tibi tradita, ligaueris super terrā, id ratum habebitur in cœlis: quencunque tu rectè ac debite, tua fungens autorita- te, ligandum duxeris in terris, hunc & Deus ligatum habebit in cœlis, id est, uin- cula illa, quibus quempiam ligabis, id est, siue obligabis, siue corripies prohiben- do aliqua, siue pœnitentiam iniungens, probabit Deus. Hęc appendix, in cœlis, excludit uoluntarias & sine ratione imò malas Petri ligationes & solutiones. Non enim prout collubuerit, pontifex aut alius clauis exercens, ligat aut absoluit super terram: sed tunc tantum, quando solutio uel uinculum ratum habetur in cœlis. Ratum autem est, quod fit iuxta Dei uerbum. Diffiniens autem Petri potestatem Dominus, addidit, super terram, ut ostendat iurisdictionem Petri non extendi su- per mortuos directè. Vnde super terram, subindicat, cōuersationem hanc in mun- do, & quandiu hinc uiuitur.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

Docet Sapiens esse tempus tacendi, & tempus loquendi. Præcepit quidē Chri- stus, ne se esse filium Dei & Messiam Apostoli prædicarent, sed tacendum perpe-

**Soluere, quid.**

**Ligare, quid.**

**Adeundus sa- cerdos, qui ab agnito pec- cato absoluit**

**Confessio sa- cramentalis à Christo in- stituta.**

**Clauibus ur- tendum om- nino iuxta uerbi Dei præscriptū, non ex arbi- trio humano**



Est & reuelā  
da ueritati  
suam temp.  
Quare Chri-  
stus noluit à  
suis Aposto-  
lis aliquan-  
diu predicā-  
ri quod erat.  
Christus nō  
sine cruce p-  
dicandus.

Apostoli tu-  
des mysterio-  
rum Dei.

Fides auctus  
suos habet.

De Christo  
quid Aposto-  
li initio sen-  
tiebant.

Professuros  
Iesum esse  
christū, quid  
de illo senti-  
re oportet.

tud non iussit. Habet profectō ueri cognitio suos gradus, & sua tempora, extra  
quæ non est proferendum, quod cum fructu proferri non potest. Præcepit itaque  
Iesus suis discipulis, ut hanc magnificam de se opinionem apud se seruarent, ne-  
que cuiquam cæterorum aperirent, quod ipse esset Messias. Prius enim erat pera-  
gendum sacrificium crucis, & declaranda naturæ humanæ ueritas: deinde per re-  
surrectionem & Spiritum sanctum declaranda diuinitas. Certè cōuenientius erat,  
ut prius impleantur scripturæ, & non sine cruce prædicaretur Christus. Cùm er-  
go præcedere debeat humilitas & obscuritas crucis claritudini cognitionis Chri-  
sti, non iam opportunū uidebatur, ut ante deuictā mortē, & erectum trophæum  
aduersus principem mundi, prædicaretur Christus. Maluit igitur expectare de-  
stinatū tempus, hoc est, tēpus glorificationis, in quo res ipsa magna luce gereretur,  
Apostolisque prædicatibus testimoniū daret emisso suo Spiritu. Proinde non con-  
ueniebat illo tēpore populo, alioqui rudissimo, tāta proponi mysteria, quorū non-  
dū erat capax. Imò & Apostoli adhuc rudiores erant, q̄ qui possent illud maximū  
tradere mysteriū cōmodè, præsertim cū animi ipsorū adhuc imbuti essent nescio  
quibus opinionib⁹ de carnali Messia regno. Adhuc habeo (dicebat illis Christus)  
multa uobis dicere, quæ non potestis portare modò. Quasi diceret, Nondum tem-  
pus aduenit, o discipuli mei, neque uos suscepistis paraclēti robor & instructionē,  
quæ ad id summè necessaria sunt. Neque etiam meæ crucis mysteria capitis, quæ  
tum sanè capietis, cū à mortuis surrexero, & uobis Spiritum meum, omnē ueri-  
tatem uos docturum, transmisero. Cæterum, Apostolos hæc ignorasse mysteria,  
liquet ex eo, quod, ut mox legemus in hoc cap. Petrus, qui præ cæteris ardentior  
uidebatur, Christo, suam passionem prænantiant, obstitit: propter quod illum  
Satanam Christus appellauit: quod profectō minimè fecisset, si Christi ille my-  
steria plenè cognouisset. Hoc idem amplius manifestat linteum illud, quod è cœ-  
lo cecidit, quo edoctus est Petrus, nihil in posterum commune dicendum, ut est in  
Actis. Habebant quidem discipuli fidem & cognitionem Christi, sed nondum  
defæcatam purgatamque. Sed postcā Spiritu sancto perfecta confirmataque est.  
Vnde constat fidem grandescere in sanctis per certa incrementa. Nunc quidem a-  
gnoscebant Apostoli, Iesum esse Christum uiuentis Dei filium, saluatorem mun-  
di. Postcā hoc ipsum ex morte & resurrectione, ascensione in cælos, & Spiritus  
sancti missione plenius intellexerūt. Certè si quis uult Christum plenè prædicare,  
operæpretium est, ut plenè cognoscat mortem, resurrectionem, & ascensionem  
eius ad cælos. Quia ergo Apostoli nondum plenè in his mysteriis erant instructi,  
prohibuit ipsis, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus. Ipse interim hoc apertè  
& disertè prædicabat ubique. Obserua ex his, Non omnia mox dicenda & inuul-  
ganda, quæ scimus uera esse, etiam si sint in se salubria, nisi adsit & tempus & occa-  
sio, qua queant cum fructu proferri.

Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet  
eum ire Ierolimam, & multa pati.

Aetiologia est, cur iusserit, ne cuiquam adhuc aperirēt, quod ipse esset Messias,  
Filius Dei uiui. Simul & occupatio est, ne audita potestate sibi commissa, putent  
se ciuilem aliquam potestatem in ciuili & terreno regno accepisse. Proinde plenius  
illos de mysterio redemptionis, id est passionis & resurrectionis, illos instruit, an-  
tequam tantum mysterium prædicent. Sentiebant quidem, Dominum esse libe-  
ratorem, redemptorem ac saluatorem Israël, sed modum & rationem redem-  
ptionis nondum planè intelligebant. Quare, ut plena constaret confessio, & om-  
nibus numeris absolueretur fides eorum, declarat & exponit eis, quomodo aut qua  
ratione nobis parata sit salus, quomodo redemerit mundum, hoc est, quid oporteat  
credere & animo pio sentire ac fateri sanctos, qui profitentur Iesum esse Christum,  
Nempe, quod per mortem & amaram passionem suam diuinæ satisfaciēs iustitiæ,

iram patris, propter peccata, in homines concitatam, placauerit, expiaueritque  
peccata. Hæc autem passus est Ierolimis, loco destinato suæ passioni, quod dicit  
nunc discipulis sibi abeundum esse, ex uoluntate patris & iuxta prophetarum ua-  
ticinia. Hoc enim significat per uerbum, oportet, Deo patre sic uolente, & dispo-  
nente, ut humanū genus, lapsu Adæ perditum, ad huncmodum redimatur. Lu-  
cas, ultimo, Oportebat Christum pati, &c. Neque enim alia erat redemptionis  
nostræ uia, quàm crux. Hęc illos præmonet, ne nimis cū aduenerint, terreantur,  
deinde ut longè ante ostendat, quam fortunam & ipsi discipuli experturi essent in  
hoc mundo, ubi cœpissent suam potestatem exercere. Suæ passionis signanter lo-  
cum designat Ierolimam, ubi ipsa pietas habitare putabatur. Communis & publi-  
cus saluator erat Christus, ideo passus Ierolimis loco omnium celeberrimo.  
Quod Ierolimis debebat pati, id quidem præcessit in typo agni paschalis, qui  
non debuit, nisi Ierolimis maclari, Deuter. 16.

A senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum.

En hostes Christi, dignitate potentissimos, & senio, autoritate, religione, sa-  
pentiâque præpolentis. Passus est Christus, non per aliquam obscuram plebecu-  
lam, sed per celeberrimos eius Gentis homines, Seniores, Scribas & principes, &c.  
Hæc indicant, quæ futura esset Christi fors in hoc mundo, non solum in sua per-  
sona, sed & in membris ipsius: uidelicet, quod aduersarios habiturus esset huius  
mundi sapientes, sanctos, potentes & doctos. Et hoc ad gloriam ueritatis ita ordi-  
natum est, ut cō esset speciosior uictoria. Debilia eligit (ait Paulus) ut fortia quæ-  
que confundat.

Et occidi.

Hæc est postrema crucis species. Præmonet suos Christus de morte sua, ut disci-  
pulos in confessione retineat, ne ubi aliquando uiderint eum subiici cruci, deiiciāt  
animos, & dubitare incipiant, num sit ipse Christus Dei, sicut in cruce plerunque  
fieri solet. Hæc mors, omnium manifestissima fuit, idque non sine ratione. Nam  
quoniā per crucem redimendi eramus, morsque Christi per crucē spectabat ad  
omnes, ergo erat uniuerso orbi prædicanda, non occultanda. Nasci quidem uoluit  
in Bethlehem, loco obscuro: Pati uerò non ita. Quia plus erat sitū in cruce, quàm  
in natiuitate, ut redimeremur. Paulus nihil uoluit scire, nisi Iesum Christum, &  
hunc crucifixum, 1. Corinth. 2. cap.

Et tertia die resurgere.

Dulcis est mors, quæ uitam annexam habet. Consolatorium fuit Apostolis, di-  
dicisse & sciuisse Christum ita passurum, ut tertia die resurgeret. Et nos exemplo  
præceptoris ita nos passuros credere debemus, ut aliquando liberemur. Constāter  
apud te statuere debes, quod Christus tertia die resurrexit, & q̄ sua resurrectione  
uitam reducerit, ac certò omnibus fidelibus impetrarit, demonstraueritque etiam  
iporum animas à morte corporea uicturas, & corpora in nouissimo die resuscitan-  
da ad æternam gloriam. Scilicet ut conformia fiant corpori Christi glorioso Phi-  
lippens. 3.

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens.

Petrus, plus cæteris feruens & fidens, audito uerbo Domini de morte Ieroly-  
mis ferenda à senioribus, rem indignam iudicans, quod filius Dei pateretur, manu  
abduxit Dominum, quemadmodum solent, qui serij aliquid & familiariter sunt  
colloquuturi, & pio quodam affectu ac zelo, quanuis non secundum scientiam,  
cœpit illum increpare, id est, durius alloqui. Notat certè Euangelista serium stu-  
dium & seriam sententiam Petri. Obserua adfectus omnium hominum in Petro  
erga crucem, quam nemo natura libenter fert. Ignorantiæ etiam exemplum est in

X x ij

Vna redem-  
ptionis uia  
per crucem.

In Ierusalem  
immolari  
Christū o-  
portebat.

Per potentio-  
res & in spe-  
ciem sanctio-  
res passus est  
Christus.

Mors Chri-  
sti, omnium  
notissima.

In cruce Chri-  
sti plus pon-  
deris, quā in  
eius natiuita-  
te.

Mors dul-  
cis, quæ uitā  
aut uitæ spē  
annexam  
habet.

Petri zelus  
non secundū  
scientiam.  
Affectus hu-  
mani in Pe-  
tro mirè re-  
presentati.



Apostoli qd  
sibi promitte  
bant de Chri  
sto.

Petro, qui adhuc ignorat uiam glorificandi patrem. Infirmi-  
tatis item quod detre-  
ctat crucem. Petrus putabat Christum impotenti quodam zelo ardere ac ferri ad-  
uersus improbitatem seniorum. Quin & attoniti fuerant discipuli, cum audirent,  
Dominum suum uelle Ierosolymam proficisci, ad supplicium. Putabant isti Do-  
minum, quia erat Christus, redemptor & filius Dei uiui, semper uicturum, regna-  
turumque, ceu Salomonem, Cyrum, uel Alexandrum aliquem, oppressis Iudeo-  
rum hostibus, & Iudæis super omnia regna mundi exaltatis. Nam & ascensurum  
in caelos Dominum ita interpellarunt, Quando restitues regnum Israël? Quare  
Petrus, reliquis feruentior, accedit, & Dominum alloquitur.

#### Abfit à te Domine.

Abfit à te Domine, ne patiare crucem, Esto tibi propiti-  
us. Quasi dicat, Ne tam  
duro, inhumano, & inclementi in teipsum sis affectu. Age, qui aliis admodum sa-  
pis, & alienis incommodis probè consulis, qui sit, quod in rebus ipsis tuis sic caecu-  
tas? Quid sibi uult importuna illa tua humilitas, qua te obitcere parans manibus pó-  
tificum, & prohibes, ne gloriam nominis tui palàm prædicemus? Num conueniet,  
ut Mefsias tam turpiter tam ignominiosè tractetur? Eò ne animo es, ut qui Domi-  
nus es, ac pro tua uirtute omnipotenti crucem & mortem subterfugere potes, spó-  
re tua te conicias in acerbæ mortis periculum, ac tuipsum exitii tu ipse autor sis?  
Tu, qui potes uerbo efficere, ut daemones fugiant, ut tempestates maris sedentur,  
ut ægritudines à corporibus discedant, quomodo non eadem uerbi potentia effi-  
cias, ut aduersarij tui aduersum te ne mutire quidem audeant? Nò aduertit Petrus  
ad uerbum à Christo dictum, Oportet, &, ideo sic uisum est patri. Sed uehementer  
atque adeò magis quam prudenter Dominum Petrus amabat.

#### Non erit tibi hoc.

Indignitatem rei his uerbis significat Petrus. Quasi dicat, Nemo æquis auribus  
audierit, crucifigi oportere Dei filium. Non potest fieri, ut mors cadat in uiuum,  
uiuentis Dei filium (quem te esse credimus, uti uerè es) qui alios excitat à mortuis:  
& tot argumentis tamque ualidis euicit se esse & uitæ & mortis Dominum, Nullo  
ergo pacto id tibi eueniet, quod futurum dicis, in ea urbe, in qua te aliquando &  
in sempiternum amplissima cum gloria regnaturum speramus. Quantum ad me  
attinet, id iniuriæ tibi fieri non sustinebo. Moneo igitur te amicè & candidè, ut nò  
sis adeò negligens salutis tuæ, quin potius permittas, ut nos diuulgemus, te esse uè-  
rum Mefsiam, quò omnes aduersarij, maiestate nominis tui terreantur, & tu re-  
gnum tuum, diuina, qua præditus es potestate & uirtute inuadas, & summa cum  
tranquillitate ac foelicitate possideas.

#### Qui conuersus, dixit Petro.

Hunc affectum carnalem, ut in suis corrigeret Iesus, conuersus est, & intuitus  
discipulos suos, quos sciebat similiter affectos esse, tametsi so-  
lus Petrus ausus fuerat increpare Dominum, responderet Petro seuerius ac acrius,  
quam unquam aliàs. Duro nodo, ut est in prouerbio, durum adhibuit cuneum.  
Acerbissima fuit hæc reprehensio, nec iniusta: quia consilium Petri uidebatur  
impedire uiam perueniendi ad patrem, & glorificandi patrem.

#### Vade post me Satana: scandalum es mihi.

Ex superiore loco, Assumens illum Petrus, &c. Coniectura est, quòd Petrus  
secretò Christum increpauerat: Quia tamen reliqui eodem affectu cum Petro (ut  
intuitus Christi & conuersio subindicare uidentur) laborabant: Christus increpa-  
tionem eius palàm, ut & alij discipuli audirent, seuerè adeò reiecit, eoque docuit  
talem affectum à suggestione Satanae esse, & ob id prorsus abiiciendum. Vade, &c.  
Ac si dicat, Faceffe cum tuo consilio. Nihil prius habere debeo, quam patri obe-

dire, & eius iussa facere, quamlibet dura sint carni. Tam diu ac multis iam & uos  
sum adhortatus, & tu, qui donatus ampliore patris cognitione, mihi adiutor &  
consors, ut mandatum patris perficerem, esse deberes, tamen scandalum mihi es?  
id est, mihi impedimento es, ne obediam patri dehortarique, ne sequar iussa pa-  
tris, idque non leuiter, sed increpando etiam. Quæ hæc tua audacia, ac impor-  
tuna præsumptio? Tú ne mihi, quid faciam, præscribes, & quasi præcurrens, uesti-  
gia delineabis, quibus insistens, te sequar? Quin potius abi post me, & ad meum  
incessum tete componito: ad mea potius dictata & imperia spectato. Apage cum  
ista tua sapientia. Satanam te mihi exhibes, aduersarium planè & consultorem  
pessimum, quantumuis amore mei ista facias. Diabolo supra. 4. cap. non dixit,  
Vade post me Satana: sed simpliciter, Vade Satana, prorsus illum abigens & rele-  
gans ad suum perpetuæ confusionis locum. Hic uerò ait, Vade post me, non illum  
omnino ablegans: Appellans Petrum Satanam, non intelligit diabolum, sed ad-  
uersariū, quòd sibi obstaculo esset. Abi igitur post me: id est, Petre, meum specta-  
to imperium, & meam doctrinam è cælo profectam, Noli autem mihi ex huma-  
na inuentione aut cupiditate, aut diaboli suggestione, quod faciam præscribere,  
hoc dum facis, conaris impedire Dei gloriam.

#### Quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

Priorem refutationis Petri causam dixit scandalum. Nunc secundam afferens,  
vacuum esse illum spiritu pronuntiat, clarius & euidentius omnium carnalium  
argumenta refutans & euincens. Non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum, hoc  
est, quæ homines, Deo uacui, sapiunt. Sapere oportet, quæ sunt Dei, id est, quæ  
congruunt scripturis sanctis ac genuinæ, simplici, orthodoxæ ac catholice Christi  
Ecclesie, sententiæque fidei. Docet Ioannes. i. Ioan. 4. quomodo cognoscimus,  
quæ sunt Dei, & quæ sunt Satanae, & Antichristi. In hoc (inquit) cognoscitur Spi-  
ritus Dei, Omnis spiritus, qui confiteretur, Iesum Christum in carne uenisse, ex  
Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichri-  
stus. Hoc ipsum declarat Christus in hac refutatione, Quia non sapis, &c. Ac si di-  
cat, Tametsi paulo antè ex reuelatione patris rectè & piè de me senseris, nunc ta-  
men diuina, id est, quæ Dei sunt, non te afficiunt. Ex scripturis apertum est Chri-  
stum debere pati, & ita intrare in gloriam suam. Modò increpas, quòd me uolo  
exhibere uerè Christum, & filium Dei, quem dudum uerè esse me confessus es.  
Vide, quàm non tibi constes, imò uerè tibi pugnes. Si Christus sum (ut uerè sum)  
occidi pro electis debeo, iuxta scripturas. Si filius Dei sum, cur non gererem mo-  
rem patri, qui uult me hostiam pro peccatis esse omnium? Beatus eras priùs, cum  
me prædicabas ex reuelatione patris: nunc dum ex instinctu Satanae ab obedientia  
patris me reuocas, mihi factus es Satanas, id est, aduersarius. Abi ergo cum huma-  
no isto tuo affectu, pugnante cum præcepto Dei. Obserua, sapere ea quæ sunt ho-  
minum, siue humana, est, Deo aduersari, atque Satanam agere. Vnde Paulus  
Roma. 8. Nam prudentia carnis mors est: quoniam sapientia carnis inimica est  
Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt,  
Deo placere non possunt.

#### Tunc Iesus dixit discipulis suis.

Postquam retudit Christus intempestiuam Petri increpationem, conuersus ad  
omnes discipulos, cepit pluribus uerbis explanare, quid esset, quod dixerat Petro,  
Vade post me. Hac enim occasione accepta de cruce discipulorum concionem fa-  
cit, sed optimo ordine, ut præmissa Christi præceptoris cruce, sciant discipuli, pro  
decoro quoque patiendum esse, ne sit discipulus supra præceptorè. Item quia Chri-  
stus præceptor in crucem suos discipulos præcessit, igitur discipuli sequi potuerunt,  
& adhuc possunt. Et quemadmodum ille non succubuit, sed tertia die cum magna

Petrus inbe-  
tur à Christo  
post abire, si-  
ue sequi.

Sapere quæ  
Dei sunt, &  
quæ homi-  
num, quid.

Christus suis  
cruce tam  
suam quam  
illorum præ-  
dicat.



gloria è cruce uictor surrexit: ita & discipuli, fiducia in magistrum uictorem, eua-  
dere potuerunt uictores, & adhuc possunt. Hæc præmonitio eò ualet, ut suos parer  
sibi ad æquo animo ferendam crucem, & ut illis persuadeat, non aliam esse uiam  
ad gloriam, quàm crucem. Totus hic locus adhortatorius est ad crucem, à cõmo-  
dis & præmiis secuturis eos, qui cruce adfliguntur. Comoda & præmia uersantur  
circa glorificationem & uitam æternam.

## Si quis uult post me uenire.

Per crucem  
gloria Deo  
sua uindica-  
tur, & nobis  
quæritur. Virget Christus, & ostendit crucem esse necessariam: quòd crux sit ueluti me-  
dium à patre constitutum, per quod & glorificetur Deus, & nos transeamus ad glo-  
riam. Neminem cogo, neminem cor nibus attraho, uoluntariam crucem & spon-  
taneam peto. Sed neminem etiam excludo: si quis siue Græcus, siue Iudæus, siue  
masculus, siue fœmina, uelit post me uenire, id est, meus esse discipulus, & maie-  
statis meæ particeps fieri. Quasi dicat, Non satis est, scire & credere, me esse filium  
Dei uiuentis, nisi & sciatis & credatis hanc esse uiuentis Dei uoluntatē, ut sua cui-  
que crux tollatur ad gloriam. Aliud est candidatum gloriæ esse, aliud esse glorifi-  
catum. Candidati gloriæ esse possunt, qui sciunt & credunt, me esse filium Dei ui-  
uentis. At, ut hi glorificentur, id fit per crucem. Post Christum uenire siue sequi  
Christum, est conformem se Christo facere, Christo adherere: eius dicta & fa-  
cta diligenter obseruare, & obseruata, quàm fieri potest proximè, exprimere tam  
in dictis quàm in factis. Cohærent, Christo seruire, & Christum sequi, Ioan. 12.  
Si quis mihi ministrat, me sequatur. Venit ad Christum, qui in illum credit, Ioan.  
6. Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et iterum, Omnis  
qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me.

## Abneget semetipsum.

Abnegare sei-  
psum, & tol-  
lere crucem  
suã, duo præ-  
cipua doctri-  
næ Christi  
capita.  
Quid obest,  
ne feratur  
cruz. Negotium hîc diducit Euangelista per quasdam species, ostenditque significan-  
tius, quomodo seruiamus Domino, & quomodo sequi possimus Christum, idque  
iugo quodam sanctissimo connectit. Duo enim proponuntur, alterum, Abneget  
semetipsum: alterum, tollat crucem suam. Prius est abnegare seipsum, quàm cru-  
cem suam ferre. Nam quòd minus feramus crucem obstat philautia, nostri exilti-  
matio grauis, adeoque nimia, propria nostræ iustitiæ fiducia, studium & dilectio  
huius seculi, & quicquid suggerit & operatur in nobis uetus ille homo & caro.  
Hæc ergo oportet ante omnia deponere, id est oportet nos regenerari cœlitis. Hic  
primò uideamus quid est, abnegare aliquid. Abnegare non est carere, ac destitui  
re aliqua per occasionem uel penuriam: neque est cohibere se ad tempus à re qua-  
piam: sed est, etiam si adsit & retinere liceat, prorsus tamen abiicere, & non agnos-  
cere aliquid, ita ut nullum planè commercium habeamus, nec habere cupiamus  
cum eo, quod abnegamus. Verbi gratia: Si abnegaueris filium, quem posses qui-  
dem, si uelles, habere, illique benefacere, & tamen ita prorsus reicis, ut pro tuo nõ  
agnoscas, nec illius perditione mouearis, atque ita nihil cõmercij cum eo habeas, ac  
si prorsus esset alienus. Hoc scilicet est abnegare aliquid, uidelicet, cõstanter & pla-  
nè nõ agnoscere, nõ solum foris, sed & intus in animo. Rogas: Quid iubemur ab-  
negare? Respondeo, non omnia, sed ea iubemur abnegare, quæ pietatis proposito  
& professione Christianæ contraria sunt & impedimẽto. Non iubemur abnegare,  
quæ nos alioqui fugimus, ut pote inimicos, & huiusmodi carni contraria. Neque  
iubemur abnegare, quæ naturæ nostræ sunt necessaria, utpote quæ ad usum uitæ  
humanæ pertinent. Nam hæc omnia usui esse possunt, imò inimicos diligere iu-  
bemur, & domesticos, uxorem, liberos, & huiusmodi curare: solum hoc abnega-  
re tenemur, quod à professione Christiana impedit. Quid igitur istud est, quod iu-  
bet, à nobis abnegari? Respondeo, Semetipsum. O durum uerbum! Saltem si dixit  
set, abneget ebrietatem, lasciuiam, superbiam, auaritiam, & talia, quæ certè mala

Quamã abne-  
gare iube-  
mur.

sunt, hoc tolerabile fuisset. Sed hoc maximū est, quòd iubeor abnegare memetip-  
sum. Non satis est & lasciuiam, & alia mala abnegasse, nisi & seipsum abnegau-  
ris. Magnus ille Basilius ad Gregorium Theologum Epistola prima queritur se  
urbana quidem reliquisse negotia, & ad solitudinē concessisse, attamen seipsum  
nondum relinquere potuisse. Certè in hoc negotio & ad instituendā hanc abnega-  
tionem, opus est gratia & cooperatione Spiritus sancti. Deinde orandum est ad  
Deum patrē, exemplo Christi, ac dicendū, Non nostra, sed tua uoluntas fiat. Tan-  
quam digitos & nomen nostrum teneamus nostram professionem, & illius sem-  
per meminerimus. Atenim professioni nostræ nihil ita aduersatur, atque animo  
esse non mortificato. Semetipsum abnegare, est exuere omnes affectus proprios:  
& iam non sibi ipsi, sed ei uiuere, cuius sese addixerit uoluntati: est sibi ipsi renun-  
tiare, humiliari, mortificare ueterem Adamū, carnem, inquam, cum uitiis & con-  
cupiscentiis crucifigere: & ut uno uerbo dicam, est renouari spiritu, soli Christo  
fidere, totūque se contradere: Et cum Abrahamo, ad Rom. 4. contra spem in  
spem credere, diffidere propriis uiribus, & committere nos totos Deo, cuius po-  
tentia & uirtute qui ex nobis sumus ipsa impotentia, colligemus uires, fortitudi-  
nem & robur potentissimum. Necessaria est nostri abnegatio, cū perfectio &  
summa Christianismi sit obedientia diuinæ uoluntatis. Hæc autem obedientia  
præstari non potest, nisi uoluntatem nostram abnegauerimus: hoc est, uolunta-  
tem nostram diuinæ submiserimus uoluntati. Quod facere non pigebit, si confy-  
deremus quòd & Christus ipse dixerit de seipso, Ioan. 5. Non ueni facere uolun-  
tatem meam, sed eius, qui misit me, Patris. De hac abnegatione scripsi in. 12. cap.  
Ioan. in uerbo, Si quis mihi ministrat, me sequatur, &c.

## Et tollat crucem suam.

Occupatio est, ne quis tantū uerbis statuat semetipsum abnegadum esse. Tol-  
lere enim crucem re ipsa est pati. Nomine crucis metaphoricè intelligitur calami-  
tas, miseria, & quælibet afflictio; qua solet Dominus exercere homines, & maxi-  
mè extrema: & hoc ad imitationem suæ crucis, quam extremam laturus, & per  
quam omnem afflictionum tolerantiam absoluturus erat: idque, ut suo exemplo  
doceret non solum leues afflictiones, sed & planè extremas discipulis suis ferendas  
esse. Quidam discrimen ponunt inter ferre crucem, & tollere crucem: quòd ferre  
crucem, est simpliciter adsumere crucem, siue animo molesto, siue læto fueris.  
Tollere autem, est, animo prompto & auido, non solum accipere, sed & rapere  
etiam & complecti crucem. Ergo exigitur, non solum ut feramus quæuis aduersa  
pro Christo, sed ut & cum gaudio & alacri mente feramus. Sic pergebat lætus  
ad crucem sanctus Andreas, cuius hodie ferias agimus 1547. Sic & Petrus. Et Do-  
minus supra. 5. cap. admonuit, dicens, Gaudete in illa die, &c. Act. 5. Ibant gau-  
dentes à conspectu concilij. Coloss. 1. cap. Qui nunc gaudeo in passionibus pro uo-  
bis. 1. Thessal. 1. cap. Et uos imitatores nostri facti estis, & Domini: excipientes  
uerbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti; Hebr. 10. Rapinam ue-  
strorum bonorum suscepistis cum gaudio. 1. Petri. 4. Communicantes Christi  
passionibus, gaudete, &c. Iacob. 1. Omne gaudium existimate fratres, cū in ua-  
rias tentationes incideritis. Non simpliciter autem dicit crucem, sed addit, suam,  
id est, quæ cuiusuis uocationi respondet, siue quam cuiuslibet certo consilio, & certo  
modo ferendam imponit Dominus, qui non sinit nos tentari supra id, quod possu-  
mus, imò sic iuuat nos, ut ferocientem alioqui & luxuriantem carnem possimus  
opprimere, spiritusque bonus subiugatae carni imperitare queat. Hoc qui est con-  
secutus, abnegauit semetipsum, & tollit, id est, patienter fert crucem. Apud Luc.  
9. additur, quotidie. Quæ circumstantia temporis notat quotidianam crucem,

Xx iiij

Post cætera  
alia homo  
abnegare de-  
bet seipsum:  
quod omniū  
longè est dif-  
ficillimum.

Abnegare sei-  
psum, quid.

Obedientia,  
neruus Chri-  
stianismi.  
Obedientia  
primis facit  
ad abnega-  
tionem sui.

Tollere cru-  
cem suã est  
pati.

Cruz, quid.

Ferre crucē,  
& tollere cru-  
cem.

Cruz hilari-  
ter & alacri-  
ter ferenda.

Cruz cuique  
tollenda, eã-  
que sua.



Christianis quæ reuera apud Christianos quotidiana est, & si non externa, tamen interna. Nā dum foris tentamur, intus simul affligimur. Galat. 5. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Colligamus ex superioribus, suam tollere crucem post Christū, est mundum planè mortuum esse, & soli Christo uiuere. Sic Paulus Galat. ultimo, dicit se mundo crucifixum esse, & mundum uicissim sibi.

## Et sequatur me.

Incrementum uide & copiam Euangelistæ. Primùm, abnegatio sui præstanda est: postea crux sua tollenda: tertio, Christus sequendus. Non enim satis est abnegare semetipsum, & tollere crucem, nisi & sequaris. Hoc à nobis exigit Christus. Nam non ait, Sit obediens patri, uel sequatur uerba mea, uel prophetas, uel prioris seculi sanctos uiros: sed ait, Sequatur me, exigens, quod prior facere dignatus est. Hæc nota cognoscimus optimum ducem & fidissimum præceptorem. Quæ eò ualet, ut plus moueamur exemplo quàm præcepto. Qui enim docet faciendum, quod nec ipse fecit, nec facere cupit, suspectus est doctor, & parum utilis. Qui uerò non solum docet, sed & ipse præstat, quod docet: & non solum uiam ostendit ad uitam, sed & ipse illam primus ingreditur, is optimus est doctor, plures suo exemplo permouens, quàm uerbis. Quid enim habet discipulus, quod causetur, ubi uiderit præceptorem ipsum præstare, quæ docet? Confundentur ergo summo pudore, qui præeuntem Christum sequi detrectauerint. Quatuor sunt in cruce Christi, quæ nobis imitanda proponuntur, 1. Petri. 2. Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum patere, non comminabatur: tradebat enim iudicanti se iniuste. Primùm, quod crux exigit, est obedientia fidei, quæ spectanda est in Christi exinanitione, de qua Philipp. 2. factus est obediens patri usque ad mortem. Deinde uitæ innocetia spectanda in cruce, ut caueamus ne propter crimina aliqua, ut malefactores, sed ut innocenter uiuentes, patiamur. 1. Petri. 4. Nemo autem uestrum patiat, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. 1. Petri. 3. Melius est enim, benefacientes (si uoluntas Dei uelit) pati, quàm malefacientes. Tertio, Mansuetudo & patientia ut propter iustitiam afflicti, nemini maledicamus, nec uindicare nos ipsos queramus, sed ut dicitur. 1. Petri. 4. fideli creatori commendemus animas nostras in benefactis. Quarto, uera charitas erga proximos, quam Christus in cruce declarauit. De hac scribitur Ephes. 5. cap. & 1. Ioā. 3. quod Christus animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere. Reliqua, quæ fuerunt in cruce Christi, utpote, quod sine peccatis prorsus fuit, quod morte sua nos redemit, ad nostram imitationem non pertinet. In peccato enim nascimur, ipsius Domini redemptione indigentes. Et, si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. 1. Ioan. 1. Cum itaque iter Christi ad gloriam sit per crucem & multas tribulationes, & hunc sequi oporteat. Consolationem accipiamus quod ille nobis uiam strauit & fecit, ac uictor euasit, promittens omnibus in se credentibus uictoriam & auxilium opportunū in ferenda cruce post ipsum. Est ergo Christum in cruce sequi, exemplo Christi patienter ferre crucem: non impatientem esse, non indignari Deo, non dubitare de præsidio Dei, non scandalizari, ut dubitare incipias de ueritate, propter quam pateris. Postquam te ipsum abnegaueris, tolle crucem & sequere Dominum, id est, specta Domini exemplum, ac ita apud te mediator, Si innocens Dominus passus est, cur ego peccator crucem detrectabo? Sequar igitur Dominum, eius auxilio fretus. Perge hoc animo: & spe tua sancta non frustraberis. Crux certè humiliat: uiua fide ac

Cruis quid prodest.

Christus, ut & quilibet alius, plus exemplo mouet, quàm uerbo.

In cruce christi quatuor.

Obedientia.

Innocentia uitæ.

Mansuetudo.

Charitas.

Quædam in cruce christi ad nos non pertinent.

Sequi Christum in cruce, quid.

patienter, suscepta, expurgat, excoquens affectus carnis, libidinis impetum frangit: timoris uolentiam reprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, auget spirituales opes pauperum: breuiter spiritum iuuat, ut uincat carnem: efficitque ut ubique modestè sentiamus, & omnia prudèter agamus, & tandem uita fruamur aterna. Hic est triumphus, & hæc est gloria crucis. Quam fœlix est, qui sic Christum sequitur, & perinde atque bona ouis, summi pastoris, uocè audit, noscit, amat, & seruat, respicit, quotidie ac ueterem hominem crucifigit, & in Christo renouatur, ipsi peccato moritur, Christo autem commoritur, & illi conresurgit, ad id modis omnibus cum fiducia tēdit, ut in se uetus Adam caroque succumbat spiritui, & noua creatura fiat, donec ad imaginē Christi perfectè transferatur: Hoc uerum & germanum est studium Christianum, quod in ferenda cruce post Christum discimus, & experimur.

Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam.

Hæc Actiologia est à periculis & incommodis, quæ sequentur eos, qui crucem unicam uiam ad gloriam, detrectabunt. Et hæc persuadet Christus, quàm necessarium sit ad salutem, ut abnegatis nobis ipsis, crucem quisque nostram tollamus, & illum sequamur. Qui uoluerit (inquit) animam suam saluam facere, id est, seipsum in aeternam uitam seruare, seu, qui iuxta mundi carnisque rationem, petentis ex gloria ad gloriam ascendere, & exemplo Petri, dicentis, Domine absit hoc à te odisse crucem, & querere aliam uiam glorificandi patrem, & perueniendi ad patrem, quàm crucem, uoluerit: perdet eam, id est, non habebit aliam post hanc uitam, non perueniet ad gloriam. Ad Roma. 8. cap. Si tamen compatimur, ut & cōglorificemur. Quasi dicat Paulus, Qui cum Christo patietur, cum Christo & regnabit. & 2. ad Timoth. 2. Si commortui sumus, & conuiuemus.

Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Animam perdere, est uitam huius seculi despiciere, & ea calcare, in quibus hic mundus uitam & ueram beatitudinē collocat. Et hoc nihil aliud est, quàm semetipsum abnegare, sibi renuntiare, & patienter ferre immixtas calamitates, quod facilius conatus & impetus carnis nostræ confringamus. Hæc actiologia est per contrarium à commodis & præmiis, quæ sequentur eos, qui exemplo Christi crucem tollent, & per illam tendent ad gloriam. Qui perdiderit animam suam propter me: id est, Qui uitæ suæ iacturam fecerit, & uoluptates mundi calcarit, seu qui maluerit uitam suam extremis periculis obicere, & derelinquere, quàm me abnegare, nō amittet uitam suam, sed potius seruabit, & reponet eam in sempiternam fœlicitatem, inuenietque interim securam ac honestam in hac uita conscientiam. Et ne quis de certitudine huius uitæ ad salutem dubitet, Christus ipse filius Dei in hac ambulauit uia, ut maluerit uitam suam amittere, & mortem crucis subire, quàm uoluntati patris non obedire, aut ei resistere. Sed quò peruenit? Respondet psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Audi & Paulum ad Philipp. 2. Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit, &c. Quod autem factum est in capite, fiet & in membris. Quomodo enim caput non traheret post se etiam membra sua? Ioan. 12. Volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Cum dicit propter me, siue mea causa, monet de materia & causa crucis. Nam non simpliciter uerum est, quod qui uitam amittit, sit illam recepturus, sed qui Christi gratia patitur. Qui crucem fert propter Christū & Euāgelium, uitam inueniet sempiternam, amissa temporali. O quàm mirabile & uisum & auditum est hoc paradoxon coram iudicio carnis, quæ non potest agnoscere, quomodo uita perdat, dum seruat, & quomodo seruetur, dum perditur. Qua-

Sequi Christum quomodo absoluta est fœlicitas.

Animam suam perdere, quid.

Christus hic animam suam perdidit.

Inuenire animam suam quid.

Paradoxon Christianū.



re in hoc iudicio & negotio opus est fide, & obedientia in uerbum Christi. Ad huius negotij cognitionem adducamus simile. Finge tibi, regem aliquem potentissimum, uelle gerere letale & cruentissimum bellum cum aduersariis, ita ut militibus illius impendenda sit pro uendicatione regni, ipsa etiam uita. Deinde finge regem hunc hoc posse, & facturum etiam, ut uictoria potitus, & regnum uniuersum adeptus, gratiam rependat militibus suis, occisisque uitam amissam reddat, & honore illos cumulet regni: Eos uerò, qui amore peritura uite bellū detrectarint inire contra hostes, uita spoliet & occidat, tanquam degeneres & inobediētes. Quod si hic rex militibus suis in ipso belli procinctu dicat, Qui uult miles meus esse, abneget semetipsum, tollat arma sua, & sequatur me. Qui enim uoluerit uitā suam seruare, perdet eam. Nam hanc ei tollam, adeptus uictoriam. Et qui perdidit eam propter me, inueniet eam. Nam illi uitam amissam cum gloria restituum. Hunc regis sermonem nemo non intelligit, si regis potentiam & futurū iudicium agnoscāt. Ita planē habet, hīc quod Christus dicit. Proinde si contextus connexionem diligenter conspiciamus, hic uersus est correlatiuū quoddam ad id, quod præ dicitur, Abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Nam qui seipsum uerè abnegat, seipsum iudicio carnis perdit, ideo inuenit uitam. Obserua: sapē in scripturis anima pro uita corporis accipitur, aliquando pro spiritu hominis, sicut dum animam non posse occidi Christus adserit. Sæpissimè autem pro tota persona, qua ratione hīc textus uidetur capiendus. Nam tametsi fideles omnes cor de abrenuntiant uitæ ob Christum, illam tamen profectò non perdunt.

Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucratur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur?

Aliam adducit Aetiologiam argumento ab inuiti & incommodis, quæ ferent aliquando, qui oderint crucem, nec eam sibi sumpserint ut unicam uiam ad gloriam. Damnat & insatiabilem illam lucrādī libidinem, quæ semper ad maiora uia affectat, & nunquam quiescit. Et hoc tractat duobus, sibi mutuò oppositis, in medium prolatis. Vniuersa, quæ in mundo sunt, ambire, & animam saluam facere, opposita sunt. Totius mundi opes sunt thesaurus omnium maximus, Delitiæ & honores non in postremis numerantur. Et tamen, hæc non euehant ad gloriam, quæ uera est, quin potius iacturam animæ inuehant. Quid autem profuerit homini, si hæc omnia ampla, dulcia, pretiosa in possessione habuerit, ita ut his utatur iam pro libidine & uoto liberrimè? Intereā uerò hoc suo mūdi studio ac usu luxurioso animæ suæ detrimētum patiatur, id est, seipsum perdat, salutis & gloriæ suæ, quæ non contingunt sine cruce, iacturam faciat, ita ut, diuina sic exposcente ultione, audiat, quod auarus ille locuples post repleta frumento horrea audiit, Luc. 12. Stulte hac nocte animam tuam reperunt à te. Quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & nō est in Deum diues. Atque his auditis præpropeta morte è medijs rapiatur uoluptatibus, & abducatur in æterna supplicia. Habemus & in Euangelio diuitem epulonem, qui quotidie epulabatur splendide, uestiebaturque honorificè, sed postea anima eius in inferno sepulta est. Ergo præstat abnegare semetipsum, quàm lucrari uniuersum mundum, & perire. Iam cōser, quid is, qui abnegat Christum, lucratur, etiam si uniuersum mundum lucratur, & quid uicissim amittat. Habeat multas diuitias, imò & uniuersum mundum. Quid tum postea? Quid? an non habet felicitatem, qui diuitias habet? Imò diuitiis quid miserabilius? Diuitias comitantur curæ, noctes insomnes, labores, odia uiciorum, interim & extrema uitæ pericula. Quod si etiam quantas olim Cresus, diuitias fueris lucratus, cogēris eas paulò post derelinquere, id quod comprobant omnium diuitum exempla. Fortè lucraris imperium. Quid ergo? An ideo felix es, quia Imperator aut Rex es? Certè & Saul & plerique alij forsitan felicius uixissent, si

Felicitate, quā dat mundus, nihil infelicius.

Potestas & gloria mundi multis fuit exitio.

Anima pro uita corporis Pro spiritu: Pro toto homine.

Paradigma.

tantam non fuissent adepti potestatem. Ieroboam Rex fuit Israël, sed regnum fuit ipsi occasio, quod in extremam internecionem abductus est. Quid præterea? Etiam sis Rex Salomone sapientior, potētior ipso Nabucodonozor, & Alexandro felicitior, necesse tamen habes, uel tandem regnum relinquere. Vides enim re ipsa nullum regem, quanuis potentem aut felicem, perpetuò in hoc seculo regnare. Sed lucraris tandem uoluptatem aliquam corporalem. Verum corporalis uoluptas quid aliud est, quàm tristitiæ & doloris proœmium? In diebus Noe & in diebus Loth dabant homines operam uoluptati. Sed quid accidit? Repentinus superuenit illis interitus. Sed uide, & paulisper apud te morare, cogitans, quid relicto Christo amittas. Certè omnia. Quid enim salui relinquitur, amisso Christo? Christus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra. Amisso igitur Christo, amittitur sapientia: Quid ergo reliquum erit, nisi stultitia? Amittitur iustitia: Quid ergo remanet, nisi peccatum? Amittitur sanctificatio: Quid ergo relinquitur, nisi profana sordes? Denique amittitur redemptio: Quid ergo superest, nisi extrema & perpetua internecio atque damnatio? En quàm probè scilicet suæ saluti consulat, qui uitam & alia bona huius seculi seruat, ditissimus, honoratissimus & undique uoluptatibus diffuens, & abnegat Christum, diuēque in Deum non est.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.

Totus hic locus est hortatorius ad amorem crucis, per quam ex promissione seruator uita. Et dehortatorius ab odio crucis, quod perdit, & nobis aufert uitam. Amplificat & pretium animæ, quò clarius ostendat maximam & prorsus irrecuperabilem esse animæ iacturam, ut abnegationem nostri, & carnis mortificationem, potius quàm studia uoluptatis eligamus. Quam dabit homo commutationem? Id est, quid habet homo suum, & ex se, siue sit pecunia, siue caro, siue anima sua peccatrix, quod permutationis gratia commutet cum uita amissa? Spiritus uadens, & non rediens: id est homo per se cadit, non autem resurgit. Est ergo omnium rerum iactura citius facienda, quàm uita, qua Christo uiuis, & in te uiuit Christus. Quæ si semel pereat, nihil est tam charum, cuius permutatione possis illam redimere, quicquid dederis, quod tuum sit. Nihil est in te, nihil tuum, quocum Deus uelit uitam commutare. Quare postulanda uenit misericordia diuina, qua possis crucem Christi amplecti, hoc est, pœnitentia duci, quæ tibi crux erit, nimirum qua oderis peccatum, te totum Christo committes, & teipsum abnegabis. Hanc crucem tolles, & Christum sequēris. Vide, quàm nihil habebas quod commutares huic uitæ cœlesti, sed liberalitate Dei communicata est tibi Iesu Christi satisfactio, hoc est, mors & resurrectio eius, qua mortuus es ipsi peccato, & uiuis Deo: id est, commortuus es Christo, & resurrexisti cum illo per fidem uiuam, cui hoc uirtutis dedit Iesus Christus merito suæ crucis. Hic meditates coniectemus, quantum dispendium sit iacturam facere uitæ æternæ, cum tanti etiam uita peritura reputetur.

Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui.

Minas adducit simul & promissiones, à iudicio Dei peritas. Habent (inquit) homines & putant me abiectā & humilem personam, nec sibi persuadere uolunt, crucem & sui abnegationem esse uiam ad uitam, & præmia æterna. Nec putant multi uitæ uerè ac beatæ ullam habendam esse rationem, sectantes fallacem mundi deceptionem, & falsa gaudia. Sentient uerò isti aliquādo, sed suo malo & damno, quid illis peperit sua incredulitas: credentes autem, qui meo exemplo patienter ferentes crucem, me sequuntur, præmia, hoc est, uitam & gloriam suo magno commodo experientur. Futurum enim est iudicium iustissimum, quo omnibus & singulis hominibus rependet, iuxta illorum merita filius hominis: is, qui hīc ha-

Voluptas corporis, proœmium doloris & pœnitentiæ.

Nihil saluū relicto Christo.

Vita æterna nihil eorum, quæ homo habet, ex se dignum.



betur contemptibilis, qui inglorius est, & nunc infra angelos diminutus, psal. 8. qui adhuc in forma serui & humilitatis est: is, inquam, uenturus est, id est, redibit in altero suo aduentu, non inglorius, sed in gloria patris sui, id est, in summa maiestate, potentia & gloria, quia iudex uiuorum & mortuorum ueniet. Gloriam patris uocat ab effectu, qua glorificat pater filium Christum, & declarat filium suum Dominum esse super omnia.

## Cum angelis suis.

Declarat qui futuri sint huius maiestatis spectatores & ministri, quibuscum ueniet. Sanctorum Angelorum est maiestas, quia ipsi simul uenient cum Christo in maiestate, infra. 27. & 1. Thessal. 4. Seruiunt ipsi Angeli omnes, ministri uidelicet Dei, in hoc conditi, ut faciant uerbum ipsius. Quorum quanta sit ex Deo uis & potentia, ex eo notum est, quod unus Angelus potentissima Assyriorum castra sudit una nocte caesis centenis & octoginta quinque milibus. Porro si unus hoc potuit, quid non subuersuros atque domituros credas ubi omnes coniuactis copis ac uiribus cum Domino uenerint in iudicium? Nemo ergo putet ullam potetiam mundi in illo iudicio iudici summo praeualituram.

## Et tunc reddet.

Tempus erit retributionis, tunc, quando hic, qui iudicatus fuit & condemnatus ad ignominiosam crucem, in maiestate iudicem aget omnium & uiuorum & mortuorum: retaliabit enim tunc. Quasi dicat, Si hic non recipis, cogita non huius temporis esse paria recipere, cum id sit reseruatum futuro iudicio. Hic admonemur patientiae, ut expectemus illud tempus, quod pater redditioni destinauit.

## Unicuique.

Firma stat sententia, quod ferentibus crucem post Christum uita donabitur aeterna, delicatulis autem sua respondebit poena. Nec erit in hoc iudicio personarum acceptio, iusti iudicij equitas seruabitur. 2. Corint. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. Non euadent potentes, non erunt in obliuione pauperes. Quod si boni quicquam feceris, noli cogitare, dicens, putasne mei ratio habebitur? Aliorum quidem forsitan, sed mei non ita. Certè unicuique reddet. Qui peccat, non euadet poenas. Qui iustus est, recipiet pro sua iustitia. Omnium uita haec nostra non est in obliuione coram Deo. Haec uita est ueluti sementis quaedam, quam sequerur messis.

## Secundum opera eius.

Reddet ille iustus Iudex cuique pro suis factis. Tunc morti addicentur aeternae, qui hanc uitam pluris fecerint, quam Christum. Et uita donabitur immortalis, qui causa Euangelij uitam corporis ad tempus contempserint. Nunc certaminis tempus est, erit olim praemiorum. Atque haec quidem felicitas tum absoluetur, cum uisum erit patri.

## Amen dico uobis.

Cum aliquid ualdè serium, certum, & maximè indubitatum esse significat, Christus, libenter utitur hac uocula, Amen, quae est iurantis, confirmantis, siue contestantis particula. Et in praesenti quidem rem maximam per iuramentum promittit: esse scilicet in corona discipulorum aliquot, quibus suam gloriam etiam in terris ostendere uelit.

Sunt quidam de hinc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo.

Sunt, qui exponunt hunc locum generaliter de omnibus in Christum credentibus, quod quicumque credat in Christum, non uideat mortem in aeternum, ac etiam si mortuus fuerit, uiuat tamen. Bona quidem & uera est haec sententia, sed quam

quam non spirat hic locus. Alij interpretantur de maiestate regni Christi & ingenti uirtute, quam per orbem à resurrectione circumquaque exerciturum erat per Euangelij praedicationem, & portenta innumera, signaque sermonem sequentia & confirmantia: ac denique per extirpationem errorum regni Satanæ, & conuersionem Gentium, ad Euangelium. Ut Christum uidere uenientem in regno suo nihil aliud sit, quam, quod Marcus & Lucas habent, uidere gloriam Dei. Coeperat quidem uenire regnum Dei. Nam supra. 10. cap. Christus praeeperat praedicare, regnum Dei appropinquare. Et. 12. ad Phariseos ait, Si ego in spiritu eicio demonia, peruenit in uos regnum Dei. Sed quia tanta claritate nondum illustratum erat, quanta illustrandum fuerat post ascensionem, rectè dicit, ut Marcus scribit, donec uideant regnum Dei ueniens in uirtute. Itaque hi faciunt emphasim non in uerbo ueniendi, sed uidendi. Praedicitur enim à Christo, non uenturum demum regnum Dei & filium hominis, cum iam adesset & filius hominis & regnum Dei, sed tantam fore regni Dei, & filij hominis claritatem, gloriam ac maiestatem, idque breui, in uniuerso orbe, ut liquidum esset futurum iis, qui tum in uita superstites futuri essent, uenisse regnum Dei. Bona est, inquam, haec sententia, commoda, & non contemnenda, sed hic locus non eò respicit, si prioribus coniungatur. Sed quia paulò antè dixerat, se in gloria patris uenturum Dominus, & mox subrexitur historia de transfiguratione Iesu Christi in monte Galilææ, qua specimen aliquod suae gloriae aliquot & non omnibus suis discipulis exhibet, uidentur mihi haec uerba proprie de transfiguratione intelligenda esse. Ad haec non semel asseruerat se esse Messiam, benedicti Dei filium. Iam ergo euidenti demonstratione, quod dixerat, uult ostendere: Amen dico, &c. Quasi dicat Christus, ego multa uerba haecenus feci de maiestate & mercede regni caelorum, quam in me habituri sunt, quotquot abnegant se, & me sequuntur, credentes in me: quae, quoniam non sentiuntur nunc aperte, possent fortassis uobis uana uideri. Ego igitur iure iurando affirmo me quosdam ex uobis hinc stantibus (intelligit Petrum, Ioannem & Iacobum) ueluti publicos testes, electurum, quibus, antequam hinc excedant, ostendam regnum caelorum, hoc est, gloriam meam, hoc est, me, in gloria & claritate refulgentem, per nouam corporis huius transfigurationem in monte sancto, in quali gloria olim in oculis omnium ueniam ad iudicium, ut capiant gustum futurae felicitatis, ac reipsa uideant, me summa praeditum maiestate, & communicaturum omnibus in me credentibus perpetuum gaudium, & honorem regni caelorum: ut quod ipsi uiderint, & re ipsa senserint, postea omnibus palam opportuno suo tempore testificentur. Regnum ergo Dei hinc uocat suam transfigurationem, eò quod inibi & ineffabilis eius potestas refulserit, & germanus filius patris ostensus sit, & dignitas secundum aduentus in splendore faciei eius, ineffabili claruerit. Obserua, Venientem in regno suo, dictum uidetur pro apparentem in gloria regni sui. Vnde Lucas simpliciter dicit, Donec uideant regnum Dei. Et Marcus, Donec uideant regnum Dei, ueniens in uirtute, id est, gloriam regni, se monstrantem & manifestantem in uirtute. Aut: uidebunt me eo habitu & ea gloria qua usus sum in regno meo, & quali uenturus sum ad iudicium. Gustare mortem, idiotismo linguae sanctae, nil aliud significat, quam mori: habet tamen idiotismus peculiarem gratiam ac allusionem ad cibos, quos gustamus. Proprie reficit schema, uetus illud factum protoplastorum, qui uetitum cibum gustantes, toti mundo mortem indaxerunt. Praeterea gustare est gustu leuiter attingere. Pij ergo gustant mortem proprie. Nam his uicit Christus mortem, ut temporaria illa mors, ianua sit ad uitam, credenti in Christum.

Regnum dei quomodo exerciturum erat uirtutem suam post resurrectionem Christi. Videre Christum uenientem in regno suo, quid.

Regnum dei pro transfiguratione.

Gustare mortem, quid.



*Post sui transfigurationem Christus lunaticum liberat: discipulos miraculi impotentes informat: Casari tributum pro se & Petro dari imperat.*

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Transfigura-  
tio Christi.

Marc. 9. a.  
Luc. 9. d.

Sol.

Nix.

Christus di-  
lectus, audie-  
tus.

2. Pet. 1. d.

De Elia uen-  
turo id est,  
de Ioanne ba-  
ptista.

Marc. 9. b.

Malach. 4. b.

Lunaticus fa-  
natur.

Infidelitas di-  
scipulorū re-  
prehenditur.

Fidei uirtus.

Luc. 17. b.



**P**OST dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobū, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montē excelsum seorsum: & trāfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol: uestimēta autē eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias, cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hīc esse: si uis, faciamus hīc tria tabernacula, tibi unū, Moyse unum, & Eliæ unū. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce uox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, praecepit illis Iesus, dicens: Nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quòd Eliam oporteat primū uenire? At ille respondens ait eis: Elias quidem uenturus est primū, & restituet omnia. Dico autem uobis, quia Elias iam uenit, & non cognouerunt eum. Sed fecerunt in eo, quaecunque uoluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne baptista dixisset eis. Et cum uenisset ad turbā, accessit ad eum homo, genibus prouolutus ante eū, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur. Nam sepe cadit in ignē, & crebrò in aquam: & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Respondens Iesus, dixit: O generatio incredula & peruersa, quousque ero uobiscum? usquequo patiar uos? Adferre huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus: & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos nō potuimus eiicere illum? Dicit illis Iesus. Propter incredulitatem uestram. Amen quippè dico uobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit. Et nihil impossibile erit uobis. Hoc autem genus non eiicitur nisi per oratio-

nem & ieiunium. Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occidetur, & tertia die resurget. Et contristati sunt uehementer. Et cum uenisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt: Magister uester non soluit didrachma? Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, pruenit eum Iesus, dicens: Quid tibi uideretur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij, ut autem nō scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum: & cum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.

Et post dies sex.

**S**exto die à concione de cruce ferenda, & Christo sequendo facta: Lucas enim 9. cap. ait, Factū est autem, posthæc uerba ferè dies octo. Nihil certè dissidentia est inter Euangelistas. Nam Matthæus & Marcus scribunt dies intermedios. Lucas etiam extremos utroque commemorat. Hæc circumstantia temporis facit ad certitudinem historiae.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius.

Nouus euentus, scilicet occasio transfigurationis. Nam cum discipuli ex certa fide & reuelatione patris, confessi fuissent, Christum esse filium Dei uiui, hisque eorum uerbis Christus propter certas causas concionem de ferenda cruce adiecit, nempe ne ex commendata à Christo confessione inolescere, incipit nunc transfigurationem subiicere, idque propter aliquas causas. Prima: stans promissis, & fidelis permanens, præstat nunc certis amiculis, quod promiserat, se ostensurum, adhuc hac aura fruētibus, gloriam suam, qua conspicuus & gloriosus erit in regno suo. Et hic est scopus certus ad quem dirigitur historia. Secunda: ut declararet, se reuera esse, quod Apostoli confessi sunt. Tertia ad confirmandum animos discipulorum contra scandalum crucis, & ut illos uindiceret ab offendiculo. Nam alioqui discipuli cogitare potuissent, si Christus subiicietur cruci, & nos subiiciemur. Ergo actum erit de Christo, & nobis: à quo offendiculo ut liberaret suos discipulos Christus, uideretur se transfigurasse, ne dubitarent neque de suo præceptore, quin, quanquam subiiciatur cruci, tamen sit filius Dei dilectus, neque de seipsis, quin sint etiam dilecti filij Dei, etiam si cruci subiiciantur. Proinde hac transfiguratione, docti sunt, rationem mortis Christi ita diuinitus esse destinatum, ut transitus esset ad gloriam regni. Et regnum Christi non esse terrenum, sed spiritale & æternum. Tres selegit arbitros huius transfigurationis, quos & ad puellam suscitandam introduxerat supra. 9. cap. ut iterum ostenderet delectum se habere inter eos, qui ueritatem edocendi sunt: & gradus ordinemque certum in reuelando eam obseruare. Horum itaque gratia transfiguratus est Christus: &, ut in ore duorum uel trium testium staret omne uerbum, per quos ad Dei gloriam res ista post resurrectionem opportuno tempore cum autoritate denuntiaretur fidelibus.

Et duxit illos in montem excelsum seorsum.

Tres delectos abducit secum, non in aliquem angulum aut syluam aut specum, quod præstigiatores solent, opera & artibus utentes diaboli, sed in montem excelsum, ut ipsa loci conditione submoneret expectanda esse sublimia, & animos ele-



Thabor sine Thabyrius uel Thabyrius Mons.

Mōs sanctus.

Preces Christi.

Oratio orantem ueluti ratam & transformati dei.

In oratione ecstases & raptus plerumque acciderunt.

Cuiusmodi formam & figuram sumpsit Christus in Transfiguratione.

Christus in transfiguratione se aperuit.

Transfiguratio Christi spiritualis per fidem.

uandos ad meditationem rerum cœlestium. Hunc montem iudicat uetustas esse Thabor, qui alio nomine Ithabyrius, in Aegessippo Thabyrius appellatur. Mons est medius campi maximi Galilææ, in tribu Nephtali, non longè à ciuitate sacerdotali Chedes, & prope Edrehi, à parte boreali inaccessus, sublimis ad stadia 30. admittens planiciem mirè rotundam per stadia 20. Sanctus Petrus in sua canonica secūda, cap. primo, nominat sanctum montem, nimirum ex reuelatione hac rara & sacrosancta. Lucas ait Christum eò ascendisse, ut oraret: Certè non pro se, sed pro nobis: & id orauit, ut in gratiam discipulorum fieret hæc transfiguratio. Vnde inter orandum transfiguratus est. Hoc monet, & nos quoque orantes, quodammodo in Deum transformari, ut certè cupidius cum Deo colloqui, id est, orare uelimus. Legitur autem Christus frequentissimè orasse, qui tamen nullum unquam peccatum fecit. Sed quia assumpsit humanas infirmitates, orauit, ut & nobis impetraret spiritum orandi & clamandi in infirmitatibus nostris, Abba, Pater: & exemplo suo prouocaret nos ad frequentem orationem. Hæc est uirtus orationis, qua nos in communicationem & consortium Dei quodammodo transfiguramur. Hinc illæ ecstases & mentis raptus, de quibus legimus, inter orandum plerumque contingunt sanctis. Sic Petro contigit, Act. 10. Et Dan. 9. Danieli oranti apparet angelus, instruens illum de rebus futuris. Ita & Cornelio oranti facta est uisio angeli, Act. 10. Colligamus ex his, quanto cum feruore deceat nos ad orandum accedere, & quantum emolumentum adferat charitate feruens oratio.

Et transfiguratus est ante eos.

Quoniam huius historiæ amplitudinem, magnitudinè que neminem mortaliū putauerim perfectè animo concipere, nedum lingua exprimere, posse, quòd Christus per eam non solùm gloriā, sed & mysteria regni cœlestis ob oculos hominum exponere uoluit: pro meo more, sequutus orthodoxorum lectiōnē, scribam, si non omnia pauca tamen, quæ ad ædificationem faciunt. Et transfiguratus est, id est, assumit ad tempus formam immortalitatis & perpetuæ felicitatis coram discipulis suis, non mutatione lineamentorum, sed qualitate gloriæ. Erat enim & apparebat etiam tunc Iesus eiusdem & non mutata figuræ, sed mutata qualitate per quam non apparebat, ut filius hominis, id est, abiecta & contempta persona, sed gloriæ & claritatis plenus, ut declararet se uerum esse Messiam illum, qui non solùm in se præditus sit diuina maiestate, & perpetua felicitate, sed etiam communicaturus sit felicitatem omnibus in ipsum credentibus. Atque adeò Christus hac transfiguratione manifestè comprobatur, quòd etsi uideatur mundo & carni abiectus, contemptus & damnatus, tamen si aperias ipsum (quod fide uiua fiet) uideas planè cum esse re ipsa, quem alias sæpè uerbis se esse prædicauit, Ego sum (inquit) lux mundi, Ego sum uia, resurrectio & uita: quem item Paulus, cum inquit, Ipse est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio nostra. Et ad Coloss. 2. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Transfiguratur autem Christus coram nobis seu fidelibus, quando proponitur nobis uidentibus, credendis & concipiendus animo, filius Dei uiuentis, potentia & uirtus Dei, &c. Coram quibus uerò non transfiguratur Christus, illis idè manet, quod Iudæis & impiis Gentibus. His stultitia, illis offendiculum, utrisque autem uilis & contempta persona. Nam sicut à Paulo dicitur. 1. Corinth. primo cap. Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, &c. Obserua, Hæc transfiguratio Christi, typus eius erat quæ non solùm in ipso, sed & in omnibus ipsius membris & electis Dei futura est.

Et resplenduit facies eius, sicut sol.

Periphrasis est maximæ claritatis. Quid enim sole maius & clarius? Transformatus est Christus ex humilitatis forma in formam illam cœlestem & diuinam, per gloriam lucis, & splendoris in facie & corpore: non quòd putandū sit (ait Hieronymus)

ipsum pristinam formam & faciem perdidisse, uel amisisse corporis ueritatem, & assumpsisse corpus uel spiritale uel aëreū. Sed quomodo transformatus sit, Euangelista demonstrat, dicens: Et resplenduit facies eius, sicut Sol. Certè transformatus est Dominus in eam gloriam, qua uerturus erat postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciè non subtraxit. Hæc ille. Ergo hæc transfiguratio facta est in testimonium gloriosi aduentus Christi. Hæc sic considerantes, fide uidemus hanc claritatem & gloriam internam, animæ Christi coquam ab initio creationis suæ, diuina dispensatione emanasse & nõ externè aduenisse, qualis accidit Moyse splendore. Sic enim fuisse eadem uidetur gloria corporis, quæ post resurrectionem erit, quanuis non eodem modo. Quia tunc erit tanquam connaturalis corpori, in transfiguratione autem tanquam passio transitoria. Vnde apertū est, qualis Christus sit futurus in gloria, & qualis, cum ueniet ad iudicandum uiuos & mortuos. Neque enim corpus suū exuet, non annihilabit, non deificabit, hoc est, non absorbebit in diuinam naturam, ut quidam hæretici somniarunt. Manebit certè humana substantia, sublata ab ea omni corruptione, ut ait Apostol. 1. Corinth. 15. Nam Dominus apertissimè dixit Apostolos uisuros, qualis erit cum ueniet in gloria. Quanquam enim à resurrectione demum sublata sit corruptio in carne Domini, mors scilicet & alia infirmitates, uoluit tamen hic testari, corporis & carnis ueritatem in clarificatione ac gloria illustrari, non deperdi. Dices fortassis, Quæ ad nos utilitas redit, si maximè intellexerimus, quale fuerit Domini corpus, cum resurrexit, & quale futurum, cum ueniet ad iudicium? Certè ex hoc colligimus, qualis futura sit & nostra gloria: hoc est, quomodo sancti sint in cœlis glorificandi maximè in fine sæculi, ubi corpora nostra resurrexerint. Ut enim nihil meremur boni, nisi in Christo, per Christum, & propter Christum, nihilque præmij meritis nostris correspondebit nisi propter Christum, præcipuam causam nostri meriti, & boni operis: ita totus fulgor & splendor in beatorum corporibus erit à splendore Christi, ut & stellarum lux à solis splendore & luce. Communicat enim gloriam suam caput cum membris: Christus, inquam, cū omnibus fidelibus, ut docet Paulus. 1. ad Corinth. 15. Certè ipse Dominus & hoc ipsum declarat in ardentissima illa ad patrem oratione, quam habuit Ioan. 17. priusquam in hortum montis Oliueti ingrederetur, Pater (inquit) quos dedisti mihi, uolo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Videbimus ergo Deum in gloria sua, sicuti est, in quo erit satietas omnium gaudiorum, & bonum quoddam ineffabile. Tum conformes reddemur Christo. Nam Roma. 8. quos pater præciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Adhæc scriptum est primæ Ioannis. 3. Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est. Philipp. 3. Nostra autem conuersatio in cœlis est, unde etiam saluatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem uirtutis suæ. De his iam multa recensuimus in. 20. ca. Ioannis, & plura dicemus infra, ubi de resurrectione Domini, Deo fauente explicabimus. Sed quia & hic inter fideles, & in cœlis regnat Christus, huius regni Christi claritas bifariam consideranda est: in primis quomodo habeat in presenti uita. Secundò quomodo in futura. Lux regni Christi ac splendor gloriæ eius, in hac uita, est in animis credentium, illuminatis per cognitionem Christi: unde hac uiua cognitione habita, fit transfiguratio, qua ex tenebris ignorantia ac regni Satanæ in lucem cognitionis diuinæ ac uirtutum Dei per spiritum Christi transformamur, De histenebris regni Satanæ, & abductione ab illis scribit Paulus Ephes. 4. & Coloss. 1. cap. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & trāstulit in regnum filii sui

Gloria corpori Christi internè aduenit, carceris non item.

Corpus idè in gloria, quod prius in miseria.

Omne nostrum & meritum & præmij à christo.

Gloria Christi, fons gloriæ omnium electorum.

Claritas regni Christi duplex.

Lux Christi in hac uita.



dilecti, &c. Ephes. 5. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Hanc regni Christi claritatem fuse tractat Paulus. 2. Corinth. 3. & 4. Item 1. Petri. 2. In futura uita erit claritas seu gloria illa immortalitatis & transformatio corporum nostrorum, qua ex ignobilitate, humilitate, miseria corruptione, mortalitate, obscuritate, ad caelestem nobilitatem, sublimitatem, gloria, felicitatem, incorruptionem, immortalitatem & splendorem, & ex temporariis ad aeterna, ex terrenis ad caelestia, ex imperfectis ad perfectissima, ex humanis ad diuina transformamur, &c.

Vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.

Non solum facies, uerum etiam uestimenta ipsa, quibus beatum illud corpus operiebatur, ex abundantia transfigurati & clarificati corporis, maximo sunt candore perfusa, suntque facta splendentia ad modum niuis, qua nihil potest inueniri super terram albius, candidius, aut magis splendidum. Proceffit quippe haec claritas ex diuinitate, in homine Christo inhabitante, atque ex plenitudine animae gloriosae, in corpus adiunctum redudante. Ipso sic uolente, ad suae diuinitatis gloriam doctrinaeque confirmationem in tali claritate apparere. Obseruandum est in his comparationibus, sicut sol, sicut nix, & huiusmodi scripturarum consuetudinem esse, cum quippiam uolunt, quod supra naturam est, extollere, ut cum illo faciant huius rei comparationem, quae secundum naturam maxime talis inuenitur. Sic enim legimus pleraque, ut apud psal. 118. In uia testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Et psal. 18. Iudicia Domini desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & fauum. Vestimenta autem, &c. id est, erant gratissimi aspectus. Candidus enim color ut omnium gratissimus est, ita & haec uestimenta candida, aspectu fuere gratissima.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias.

Omnium praecipui atque ardentissimi cultus Dei adfertores Moyses & Elias, ad declarationem gloriae Christi & regni eius proponuntur. Quorum alter Moyses mortuus est, & ab ipso Domino sepultus. Nullus enim hominum cognouit sepulchrum eius, Deuter. 34. Alter uero Elias, igneo curru corpore & anima subuectus in caelum, 4. Reg. 2. ut iam hi duo maxime & euidentissimè de immortalitate & futurae gloriae statu conditione uel testari queant. Hi demonstrant hoc suo aduentu, Christum, legis & prophetarum uiuentiumque ac mortuorum esse Dominum, atque expectatissimum & absolutissimum gloriae Dei uindictam atque retributorè. Huic Moyses, id est, lex: & Elias, id est, prophetae omnes testimonium perhibent: hunc & non alium spirant, & pro scopo & fine habent. Ergo non erat Christus legi aduersarius, o Pharisei: non enim suo adstitissent aduersario Moyses & Elias. Deinde non apparent simpliciter cum Iesu, sed in gloria & maiestate: clarè hoc facto demonstrantes, non solum esse uitam post hanc uitam, in qua ipsi haecenus uixerunt, sed etiam repositam esse perpetuam felicitatem omnibus in Christum credentibus. Quod uidentur, & nominatim nuncupantur, etiam ab iis, quibus nunquam de facie noti fuerant, significat, quod, in caelo beati, uidebimus & cognoscemus Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysen, Aaronem, prophetas, & omnes ueteris testamenti sanctos. Videbimus & sacrosanctam illam virginem, Matrem Iesu Christi, Petrum, Paulum, ac omnes alios Dei fideles seruos. Neque illos colore & linea metis corporis, quae hic habebat discernemus, neque erga illos aliquo adfectu carnali ducebimur, sed per lucem & gratiam Christi cognoscemus eos, nempe moniti à spiritu ipsius, & laetabimur cum illis in Domino, laudantes Dominum, qui ministris suis tantam contulerit gloriam, ipsis quoque congratulantes, qui digni Deo uisi fuerint tantam accipere gloriam. Rogabis: Cur potius

Iuxta Christi in futura uita.

Mos scripturarum in colationibus faciendis.

Color albus, gratissimus.

Moses à Domino sepultus.

Moses & Elias lex & prophetae.

Moses & Elias transformati cum Christo, typus nostrae resurrectionis.

Angeli non apparuerunt, cum Christo loquentes, quam hi duo Moyses & Elias? Respondeo: magis hi faciebant ad declarandam regni Christi ueritatem. Nam in Moyses, & in Elia Prophetae representantur, non autem in Angelis. Haec epiphania seu apparitio in hac transfiguratione, significat opus esse prophetis ad confirmationem animorum nostrorum & fidei, quod Christus sit filius Dei uiui, uirtus & potentia Dei. Obserua ex hoc loco usum totius ueteris testamenti, qui est, confirmare nos de Christo, quod sit filius Dei uiuentis. Nam prophetae de Christo non aliter docent, rectè intellecti. Adscribunt enim illi diuinitatem, scribunt eum esse naturalem Dei filium, & iustitiam nobis à Deo propositam, &c. Isa. 7. Et uocabitur nomen eius Emmanuel, &c. id est, nobiscum Deus. psal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et psal. 109. Dauid Christum uocat Dominum suum, ergo agnoscit Christum maiorem homine, ibidem: Sede à dextris meis. Obserua. Ecce est particula attentionis, monens de re subita & insperata.

Cum eo loquentes.

Hoc colloquium uocale erat. Dicebant uero excessum eius, quem completurus erat Ierosolymis. Id faciebat fidem iis, quae Dominus praedixerat, scilicet se uerum & indubitatum esse Christum, ac filium Dei uiuentis, tradendum tamen in manus seniorum, principum, Sacerdotum atque Scribarum, ab eisque occidendum, sed mox tertia die à mortuis rursus reuocandum. Vocat Lucas excessum, &c. peccatas & mortem Christi. Peccatorum quippe excessum tum pertulit, quas ab ipso summae dilectionis ipsius excessus exigebat. Ideo omnis labor mortis eius, excessus appellatione rectè capitur. Vide amoris excessum. Maiorem hac dilectionem nemo habet, qui ut animam suam ponat pro amicis suis, Ioan. 15. quod ipse facere dignatus est. Porro amici eius sunt, qui obediunt mandatis eius. Ioan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio uobis. Ad hunc excessum attinet, quod Ioan. 10. dicitur sub typo pastoris, qui pro suis ouibus seruandis animam suam ponit. Et illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Ephes. 2. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Quod autem ait Lucas, quem completurus erat, pertinet ad prophetias & ueritatem Dei, ut quod Deus promisit, impleatur. Quid? Nihil ne hi iucundius potuerunt adnuntiare Christo, quam aeternas, contumelias, dolores, & mortes? Hic nihil erat, nisi caeleste gaudium, & in tanto hoc gaudio praecipuus sermo est de afflictionibus & cruce? Quomodo haec maiestas & gloria, & hic tantus splendor conueniunt cum hac concione de explendo excessu Ierosolymis? Huius rei nulla te admiratio capiet, si, quod diximus, consideraueris: utpote Moysen, ut legiflatorem, legis personam gerentem: & Eliam in ordine prophetarum praecipuum gerentem prophetarum personam. Iam scopus totius legis & omnium prophetarum est, quod Christus non dominaretur in hoc seculo, secundum externam maiestatem, sed multa aduersa, adeoque mortem ipsam in hoc seculo pateretur, & per passionem ac mortem ingrederetur in gloriam suam. Nam Moyses praedicauit de passione Christi in omnibus sacrificiis suis. Effundere enim sanguinem ouis aut bouis in sacrificium, nihil aliud erat, quam concionari Christum esse pro peccatis passurum. Sic & prophetae hoc unum de regno Christi maxime omnium docuerunt, quod illud non sit de hoc mundo, & quod Christus per mortem ingressurus erat in maiestatem suam. Quorum omnium testimonia, quae in scriptura sunt, hic iam recensere nimis longum esset. Sed prophetas hoc praecipue tractare, Christus ipse, non tam ante quam post resurrectionem suam, testatur. Luc. 24. inquit, O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quae loquuti sunt prophetae. Nonne haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moysen, &

Utilitas ex ueteri testamento, quae Messias à prophetis declaratus filius Dei.

Excessus Christi, supplicia & mors ipsius.

Excessus amoris à Christo.

Nihil frequentius prope de Christo nuntiauerunt prophetas, quam crucem & mortem.



omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et mox rursus: Quoniã necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Et inibi, sic scriptum est, Et sic oportebat Christum pati. Cùm igitur præcipuus legis & prophetarum scopus fuerit, prædicere & adumbrare, in hoc seculo passurum esse, & per passionem in maiestatem suam intraturum, cõueniens erat, ut Moses & Elias in apparitione sua de passione Christi concionarentur & colloquerentur. Non quòd recitent illum excessum Christo, tanquam ignorantibus, sed recitent ea audientibus tribus discipulis, propter nos, ut disceremus, quis esset scopus legis & prophetarum. Lucas. 9. cap. Ista plenius scribit dicens, Petrus uerò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, uiderunt maiestatem eius, & duos uiros, qui stabant cum illo. Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus. Hæc Lucas. Mirabilis in discipulis ruditas & oscitantia, qui cõ in montem abducti erant, ut explicaret illis Christus maiestatem suam, & exhiberet gustum perpetuæ felicitatis. Et ecce orante Christo, & maiestatem suã exerente, grauatur somno: & grauati somno, dormiunt, id quod & in horto, ubi capiendus erat Christus, fecerunt. Quenã uerò est horum infirmitas? Et tamẽ à Christo non abiiciuntur, sed tolerantur, & paulatim finguntur, donec perfectiores euadãt. Hoc exemplo discamus infirmos tolerare. Diuus Chrysostomus interpretatur ita hunc locum: Et grauati erant (inquit) somno: Somnium (inquit) hinc uocauit magnam resolutionem uirium, quæ ab illa uisione facta fuit. Nam oculi ipsorum, ueluti ex nimio fulgore, obtenebrabantur. Splendoris ergo excellentia imbecillitatem oculorum aggrauabat. Cæterum quod nunc imperfectionis est, ex resurrectione, in uniuersum auferetur. Euigilantes autem uiderunt maiestatem eius, & duos uiros, qui stabant cum illo. Hic est typus futuræ resurrectionis. Nam ita & nos à somno corporis experrecti, omnium primò uidebimus maiestatem Christi, cum quæ illo non iam Mosem & Eliam tantum, sed uniuersam uirtutem cœlorum. Quo spectaculo quid potest expectari iucundius?

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum.

Expauesctis & attonitis tam incredibili spectaculo discipulis, Petrus nondum satis sui compos, sed totus raptus uoluptate ac maiestate spectaculi, quæ procul abesse uidebatur à mētionem mortis, à senioribus & principibus, Ierosolymis Christo insignenda, & uidens, quòd Moses & Elias pararent discessum, narrante Luca, Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus, animo abituros Mosem & Eliam retinendi, loquutus est. Hic in Petro nonnihil adumbratur, qualis sit futura celestis uita & gloria. Obliuiscitur hic omnium, quæ sunt in mundo, totusque in uisionis uoluptatem ac pulchritudinem intentus, neque aliud iam præterea maius exoptans gaudium, sed præsentem per omnia contentus, clamat.

Domine.

Captatio est beneuolentiæ à dignitate & potentia personæ. Ex ardentissimo autem affectu hæc uox exeritur.

Bonum est nos hinc esse.

Omnibus sepositis curis suis, Christi & Sanctorum consortio contentus, in ea beatitudine permanere cupit. Quasi diceret: Omnium iucundissimus ac latissimus est hic locus, hinc nobis est cõmorandum. Valeat Galilæa cum uoluptatibus suis: Valeat Ierosolyma cum honore, principatu & maiestata sua, quæ etiam te filium Dei, & prophetarum maximum occidere cupit. Imò ualeat totus mundus, unã cum omni sua terrena felicitate. Hic enim sentio ueram esse felicitatẽ. Hic perpetuum elegerim mihi habitaculum: nec iucundius mihi unquam spectaculum, nec feliciorem uitam optauerim, quàm conspectu uestræ illius maiestatis

Discipulorũ  
imbecillitas  
& grauitas  
multa.

Transfigura  
tio Christi  
exemplũ fu-  
turae resur-  
rectionis.

Christũ qui  
habet, om-  
nium facilẽ  
obliuiscitur.

semper frui, & perpetuò hinc esse ubi tua nobis iucunda se monstrat gloria, ubi tam grata & uenerabilis adest tantorum Patrum societas. Chrysostomus dicit, Petrus hic idem dicere, licet aliis uerbis, quod supra, cùm conaretur Christum à crucis ignominia auocare. Quasi dicat: Hic melius est esse, quàm ire Ierosolymam ad Scribas & Phariseos ac Sacerdotes: melius est hinc esse in gloria cum Moise & Elia, quàm Ierosolymis cum ignominia occidi. Nã habemus & Mosem & Eliam nos adiutantes, si qui huc contra nos uenturi sunt. Moses quidem Aegyptios deuicit. Elias autem ignem è cœlo deduxit. Et tales se præstabant aduersus inimicos, si qui uenerint. Consentit & Origenes. Profectò credibile est adhuc fuisse horrorem istum crucis Christi in animo Petri, atque ex illo hæc uerba manasse. Longè autẽ hallucinabatur Petrus. Non enim erat bonum ibi Christum permanere, sed bonũ erat ire Ierosolymam, & ibi pro salute humani generis occidi, Patrique obediẽtem fieri usque ad mortem, mortem autem crucis. Quia hæc nondum Petrus intelligebat, fugiebat: in quo uidemus, quod in nobis experimur: nempe ingenium carnis esse, ut crucem fugiat, & ipsum, licet unicam ad gloriam uiam, horreat, uel certè non agnoscat.

Si uis, faciamus hinc tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, & Elia unum.

Dum ait, Si uis, ita proponit Petrus suam sententiam, ut eam tamen ratam uelit ex uoluntate Christi. Sic, non quod nobis uideatur, statim amplectendum est & faciendum, sed uoluntas Dei prius inquirenda est, & an nostra sententia probetur Deo. Quasi dicat, si ita tibi uideatur, si tu meam approbas, quam propono, sententiam, extruamus hic: ad diuturniorem mansionem, tria tabernacula, uidelicet unum tibi ac tuis, alterum Moyfi, tertium Elia. Marcus. 8. copiosius hæc explicat, addens, Non enim sciebat, quid diceret: erãt enim timore exterriti. Quod non est de crassa illa (quam uocant) ignorantia interpretandum. Nam præ gaudiorũ immentitate, & insolita uisione obstupescens, quid diceret, nesciebat, uelutiquẽ ecclasi extra se raptus, & ad gloriã saluatoris immensam obstupescctus, hærebat. Porro hic Petrus noster, oblitus omnium rerum, in monte sacro habitare desiderans, & totus in uisionis uoluptatem & pulchritudinem intentus, adumbrat nobis locum beatorũ, ubi nulla cura mortales aut rerum mortalium, obturbant beatos. Fruuntur enim plena & absolutissima quiete. Id quod Ioannes in Apocal. significantius expressit, Absterget Deus (inquit) omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit, qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia. Quibus placet mundus, dicunt, Bonum est nos hinc esse. Sed qui meliorem expectant in cœlis habitationem, hi non terrenis sed cœlestibus inhiant. Obserua, Tabernaculum figere, periphraistica est notatio eius, qui in loco manere statuit. Vnde Petrus hinc significat, quòd omnibus sepositis suis curis, Christi & sanctorum consortio contentus, in ea beatitudine permanere cupit. Cùm dicit: faciamus, emphasim habet, ostendens, quàm profundè inhereat humanis mentibus opinio de gloria sine cruce. Tria tabernacula, Quasi dicat, in quibus perpetuò maneamus, alieni à cruce.

Adhuc eo loquente.

Vix dum uocem istam Petrus finierat, non reddita ipsi à Domino responsione, subito nubes lucida apparuit, quæ Apostolos circumdedit & obumbravit. Vbi uocem Petri, uolentis retinere Eliam & Mosem abituros, corrigitur statim uoce paterna, cū adhuc Petrus loqueretur. Quasi dicat: Petre, quid cupis Mosem & Eliam retinere? Quasi non sit satis hic filius meus? Habuerunt illi quisque suam dispensationem, suum cursum & ministerium, suamque rationem mihi seruiendi. Iam

Petrus crucẽ,  
cuius pretiũ  
non nouerat,  
horrebat.

Nõ quod nobis  
uideatur,  
sed quod iu-  
bet Deus, fa-  
ciendum.

Petrus f mō-  
te rerum om-  
nium oblitus,  
locum beatorũ  
exprimebat.

Gloria queli-  
bet mudi a-  
mantis optabi-  
lis, sed quæ si-  
ne cruce est.



adeft illis maior & potior, in quo uno falus eft omnium. hoc efto contentus.

## Ecce nubes lucida.

Euangelium,  
nubes, fed lu-  
cida.

Ecce, attentionis particula eft, monftans rem inopinatam. Nube lucida fignifi-  
catur Euangelium, quo adumbrati homines, audiunt, commendationem illam  
magnificam de Chrifto, Hic eft filius meus, &c. Ex nube auditur, & difcitur Chri-  
ftus, Verbum. Lucida nubes indicat ueritatē, & nō typum aut figuram, ut Moſes.  
Et licet ueritatem habeamus, & typi ac figuræ tranſierint, tamen adhuc in nube,  
id eſt, in fide, difcimus Chrifto, qui etiam teſtus humanitate, ad nos uenit, &  
ſe uerē nobis tradidit. Sed cum receperit nos poſt hanc uitam, euacuabitur, quod  
ex parte eſt, ait Paulus, & ut Ioannes dicit. Videbimus tum cum, ſicuti eſt, Ex nu-  
be igitur, id eſt, ex Euangelio auditur & difcitur, quod Chrifto ſit filius Dei dile-  
ctus. Quod uox patris audita eſt ex nube, hoc planē conuenit cum ueteri conſue-  
tudine, qua Deus ſeipſum reuelauit in nube, tanquā re cœlis uiciniorē, ut Exo. 13.  
14. 16. 40. & aliis locis, ut cum Iſraēlitæ proficiſcētur ex Aegypto, præceſſit eos  
Deus, noctu quidem per columnam ignis, interdiu autem per nubem, Exod. 13.  
Et poſtea, cum Salomon dedicaret templum ſuum, impleta eſt domus Dei nube:  
ita ut non poſſent ſacerdotes Dei ſtare, & miniſtrare propter caliginem. Comple-  
uerat enim gloria domum Dei. Tunc Salomon ait, Dominus pollicitus eſt, quod  
habitaret in caligine. Sic enim Leuit. 16. ſcribitur, In nube apparebo ſuper oracu-  
lum. Huc pertinet, quod ſcribitur, pſal. 96. Nubes & caligo in circuitu eius. Quod  
Paulus exponens. 1. Timoth. 6. Lucem (inquit) habitat inacceſſibilem: quem nul-  
lus hominum uidit, ſed nec uidere poteſt. Item Dauid deſcribit, quod nubem po-  
nat curram ſuum. Et Chrifto in nube cœlos aſcendit, Et rurfus in nube ueniet,  
Et nos rapiemur in nubibus obuiam Chrifto. Sed hæc nubes lucida eſt, id eſt, iu-  
cunda & amœna, utpote ſignum placati & non irati Dei. Exprimit enim Deus  
nobis filium, qui eſt imago patris placati. Lex autem, quia iram operatur, eſt ima-  
go Dei irati. Et Dauid irato Deo dat tenebroſam nubem, cuiuſmodi oriri ſolet in  
tempeſtatibus.

In nube ueni-  
re, Deo pro-  
prium.

## Obumbravit eos.

Cum diſcipuli nimium illum Chriſti tranſfigurati ſplendorem ferre non poſ-  
ſent, nubes obumbravit illos: alioqui ſublimitate ſpectaculi abſorpti fuiſſent. Qua  
re declarata eſt Dei beneuolentia & beneficentia. Eſt enim nubes diuinæ præſen-  
tiæ, quaſi ſymbolum. Et hæc diuina obumbratio ſymbolum habet diuinæ prote-  
ctionis & acceptationis, ut pſal. 90. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, &c. Item beata  
uirgini dicebat Angelus, Luc. 1. Et uirtus altiſſimi obumbrabit tibi, id eſt, accep-  
tabit te, tuebitur te, operabitur in te. Adumbrabat ergo ſignificabatque iam hæc  
obumbratio patris, qua tres Apoſtoli obumbrabatur, quod eos, qui Chrifto adhæ-  
rent, pater uelit charos habere, complecti ac tueri, & in ſuum acceptare conſortium.  
1. Ioan. 1. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habe-  
mus adinuicem. Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.  
Non abſimile explicatur, 2. Petri. 1. cap.

Obumbrare  
Dei, diuinæ  
protectionis  
indicium.

## Et ecce uox de nube, dicens.

Non eſt mutum hoc ſpectaculum: Nam quid nobis ſignificet, ne ipſi aliō tranſ-  
feramur à noſtro ingenio, uox patris interpretatur & aperit myſterium. In Euan-  
gelis legimus cœleſtem uocem ter auditam eſſe, qua pater de Ieſu teſtatur eſſe,  
quod ſit uerus Meſſias, filius Dei uiui. Primum cum Ioannes baptizafſet Ieſum,  
Ecce uox de cœlo audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, &c. Deinde eadem uox  
auditur hoc loco in tranſfiguratione Chriſti. Tertio, Chrifto in Ioanne cap. 13.  
precatur dicens, pater clarifica filium tuum, &c. Venit ergo uox de cœlo, dicens,  
Et clarificaui & clarificabo. De hac uoce Chrifto ait, Nō propter me hæc uox ue-

Pater in Eua-  
gelio ter te-  
ſtatur Chri-  
ſtū eſſe Deū  
& ſuum filiū.

nit, ſed propter uos. Quod ergo de hac dictum eſt, idem etiam de priori intelligen-  
dum, uidelicet, quod non tantum propter Chrifto, ſed maximē omnium pro-  
pter nos dictum ſit, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benē complacui, ip-  
ſum audite: ut ex hac uoce diſcimus, quis ſit uerus Meſſias, & in quo ſalutem no-  
ſtram quaerere debeamus. De hac uoce, quomodo formata eſt, ſimiliter & de co-  
lumba, copioſius ſcripti in Ioan. cap. 13. & ſuprà. 3. cap. Videamus iam, qualis fue-  
rit uox, & quod ipſum teſtimonium patris, ut inde diſcimus, quis & quantus ſit  
Chriſto, & quæ ac quanta per ipſum donarit mundo cœleſtis pater. Certē nuſ-  
quam atque adē nunquam alius Meſſias quaerendus eſt, quā hic Ieſus: nec al-  
teri cuiquam maietas Meſſiæ tribuenda, quā huic Ieſu, nec ab alio ſalus, in Meſ-  
ſia promiſſa, ſperanda, quā ab hoc Ieſu. Nam in hac patris uoce, de cœlo delata,  
continentur tria ſelectiſſima ſelectiſſimorum prophetarum oracula, de Meſſia ſal-  
uatore mundi. Dauid enim pſal. 2. in perſona Meſſiæ ita loquitur, Dominus di-  
xit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Iſaias cap. 42. de Meſſia ita ait, Ec-  
ce puer meus, ſuſcipiam eum, complacuit ſibi in illo anima mea. His accedit &  
Moſes, qui Deuter. 18. de Meſſia ſic uaticinatur, prophetam de gente tua, & de fra-  
tribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. Et addit, Ipſum audies.  
Hæc præcipuorum prophetarum præcipua de Meſſia teſtimonia, Deus pater hæc  
uoce comprehendit, & ſuper Ieſum pronuntiat, ut palam demonſtret, ac teſtifice-  
tur, nullum alium, præter hunc Ieſum, uerum eſſe Meſſiam, illum, de quo in le-  
ge & prophetis ſcriptum eſt.

Quantum pa-  
ter dedit mū-  
do, quomodo  
nauit Chri-  
ſtum.

Tria præci-  
pua triū præ-  
cipuorū pro-  
phetarū elo-  
gia de Chri-  
ſto.

## Hic.

Hic, cuius hic gloriam in tranſfiguratione uidetis: cui adſtant Moſes & Elias,  
qui uos in montem iſtum ſecum adduxit. Hic ipſe, & non alius.

## Eſt filius meus.

Hic eſt Ieſus ille, quem per os Dauidis uocauit filium meum: Quem per Iſaiam  
uocauit electum. Filius meus eſt naturalis, non adoptiuus: qui ex uirgine Maria è  
Spiritu ſancto conceptus & natus in tempore factus eſt homo: quem ab æterno ge-  
nui ſingularem & unigenitum: qui ſubſtantia unus & idem eſt mecum: Deus ue-  
rus de Deo uero, bonus, ſapiens, iuſtus, miſericors, omnipotens, immenſus, &  
æternus.

Ieſus fili⁹ dei

## Dilectus.

Græcis legitur ὁ ἀγαπητός. Eſt autem dilectus nomen, non, participium: & om-  
nino plus quiddā ſignificat ἀγαπητός, quā dilectus, ueluti ſi dicas, unicē chariſſi-  
mus, electus, & pretioſiſſimus. Apud Iſaiam ca. 42. ponitur Berthio, id eſt electus,  
Quo quidem uerbo, commendatur nobis maietas & dignitas Chriſti Domini,  
qui patri coniunctiſſimus, & unicē chariſſimus eſt. De qua quidem coniunctione,  
& ineffabili amoris uinculo, quædam exponuntur planius ab ipſo Domino Ioan.  
17. Vide, ſi iuuat, quæ in eum locum ſcripſimus. Deinde hic locus nobis cōmon-  
ſtrat inexplicabilem Dei in homines charitatem, qua ita nos complexus eſt, ut li-  
beraliſſimē in nos ſummum & pretioſiſſimum ſuum theſaurum effuderit. Nam  
& Paulus Roma. 5. Commendat (inquit) ſuam charitatem erga nos Deus, quod  
cum adhuc eſſemus peccatores, Chrifto pro nobis mortuus fuit. Imò apertiffimē  
declarauit, quod non poſſet non diligere, & impenſiſſimē quidem, eos, qui Chri-  
ſto inſiti, & Chriſti membra facti ſunt, quandoquidem ita complectitur filium.  
Vnde Ephe. 1. Benedictus (inquit) Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui  
elegit nos in ipſo: Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chri-  
ſtum in ipſum, ſecundum proſiſitum uoluntatis ſuæ.

Ieſus, dilect⁹  
patri.

Dei erga nos  
charitas ince-  
ffabilis.

Quā nobis  
benē uelit  
deus propter  
filium.

## In quo mihi benē complacui.

Qui mihi totus eſt gratus atque acceptus: cuius ego prædicationem omnem &



facta omnia confirmo, ac rata habeo: cuius uerbum, meum uerbum est, cuius opus omne, meum opus est. Coloss. 1. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificas per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Quasi dicat: Ego respexi hactenus ab orbe cœdito super filios hominum: sed inter hos nō inueni, nisi filios Adā, & mācipia Satanæ (præter hos, quos priuilegio excepi.) Nunc autē hoc spectaculum iucundissimum inuenio inter homines, nempe eum, qui est uerè filius Dei, in quem Satan nihil prorsus iuris habet. Respexi hactenus super homines, sed non inueni inter ipsos tam dilectum, in quo mihi complacitum esset: inueni quidē Adam, Noe, Abrahamum, & quosdam alios, sed ut hos mihi gratos & iustos facerem, necesse habui prius peccata ipsis remittere, & ex misericordia eos pro iustis habere. Nunc autem inuenio hunc Iesum, tanta iustitia & sanctitate præditum, ut ex suo ipsius merito mihi longè omnium acceptissimus sit & electissimus, in quo solo sibi complacere anima mea. Iam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Hoc est autem testimonium, quod ipse testatus est de filio suo, quod in ipso sit nobis placatus, & reconciliatus: quod in dilecto nos iam impensè diligit, & propenso in nos sit animo, tanquam in filios charissimos.

## Ipsū audite.

Declaratur Christus præceptor, doctor & magister omnium, quem omnes audire debeant unum. Hoc est, quod dicit, Ipsū audite. Mandatum Dei patris est, audire & suscipere unicum Christum. Pronomen, ipsum, magnam habet emphasim: hoc enim pronomine declaratur nihil placere Deo, nisi solum Christum, & quod in hoc Christo sit. Quæcunque igitur opera sunt, ea probantur eam tenus Deo patri, quatenus in Christo fiunt. Videtur ergo hoc pronomine tantumdem dicere, atque, Nolo, ut à quoquam pendeatis, siue is Moses sit, siue Elias: hūc uolo ut audiatis. Hic est unus omnium præceptor ac magister. Si quis me uolet audire, hunc audiat: Si quis uolet mihi obedire, huic obediat. Hactenus quidē audiuitis Moysen, audiuitis prophetas, ut ex ipsis uoluntatē Dei de salute uestra disceretis: nunc autē, hunc audite, quia in hunc, quē modò mea ipsius uoce & testimonio declaro, respexerūt Moyses & prophetae. In hoc meā uoluntatem, in hoc omnia ad salutem uobis necessaria cognoscetis, & ab eo accipietis. In hunc ego me ipsum ita tradidi, ut quod ipse iudicat, meum sit iudicium: quod ipse loquitur, meum sit uerbum: quod ipse docuerit, mea sit doctrina, quod ipse decreuerit, meum sit decretum: breuiter quod ipse uelit & faciat, mea sit uoluntas & meum opus. Audiamus igitur paucissimis, quid Iesus uoluerit, docuerit, & fecerit. Voluit, ut omnis, qui credit in ipsum, adoptetur in filium Dei. Docuit, quod omnis, qui credit in ipsum, habeat uitam æternam. Fecit, ut passione sua expiarentur peccata nostra (quod neque lex, neque prophetae facere potuerunt) & placaretur pater, ut quotquot in ipsum crederent, haberent remissionem peccatorum, & placatum patrem in cœlis, atque acciperent unā cum ipso hereditatem omnium cœlestium bonorum. Hæc uoluit, docuit & fecit Christus. Hoc ergo uult docet, & facit, hoc est, ratū & gratum habet Pater cœlestis. Certè duplici causa necesse fuit discipulos cœlitus audire hanc uocem. Prior est, ut in hac fide Christi, quam iam ex reuelatione patris habebant, & confessi erant, confirmarentur etiam uoce paterna, ad aures ipsas delata. Futuri enim erant testes Christi, & in orbem abituri & prouulgaturi, quæ in Christo uiderant, & à Christo didicerant. Altera causa est, Quod Apostoli, licet crederent Christum hunc, esse filium Dei, illi tamen non per omnia perfectè obediebant, id quod in hac crucis & mortis ipsius causa uisum est: ideo cœlitus admonentur uoce paterna, ut, quemadmodū credunt eum, esse filium Dei, ita illum quoque in omnibus audiant. Obserua, Consolatorium est hoc mandatum, illis, qui

Iesus quā  
placuerit  
Deo patri.

Nihil placet  
Deo patri, nisi  
per Christum.

In Christo  
totus pater  
explicatur.

Christus quid  
uoluerit, docuerit,  
fecerit.

Apostoli uoce  
patris confirmati.

Credere &  
obedire iubetur  
Apostoli.

qui recipiunt Christum, ut sciant se hac receptione placere Deo, & illi rem gratissimam facere. Hoc autem mandatum est, audire Euangelium, & Christum pro unico saluatore tenere. Ipsum audite, id est, ipsum sequimini quodcunque docuerit, quocunque abierit, etiam per crucem & in crucem. Obserua: Cū baptizaretur Christus apud Iordanem, uox paterna non dixit, ipsum audite, quod modò addit, propter mysterium. Tunc enim regeneratio, modò doctrina significatur, ideo tunc satis fuit, testificari, quod esset filius: modò doctrina significatur, ideo testificandum fuit, quod est doctor, ab omnibus audiendus, præsertim de futuris in alia uita, quæ Iesus prædicabat, quorum gratia facta est præfens transfiguratio.

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam  
& timuerunt ualde.

Hanc uocem, diuinæ maiestatis plenam, non ferebant humanæ aures. Siquidem uox Dei terribilis est omni carni. Procidunt igitur in facies suas discipuli, metuentes fortassis uitæ suæ, quod didicissent Deum ita loquutum, Non uidebit me homo, & uiuet. Certè terribile est homini terreno & mortali, uocem tanta refferat maiestate audire. Sic & Israelitæ in monte Oreb, Deutero. 5. cap. uocem Domini audire non ualebant, dicentes ad Moysen, Si audierimus ultra uocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat uocem Dei uiuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuius, & possit uiuere? Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquensque ad nos: & nos audientes, faciemus ea. Quod cū audisset Dominus, ait ad me, Audiui uocem uerborum populi huius, quæ loquuti sunt tibi: bene omnia sunt loquuti, &c. His significatur nos, hac corporis mole grauatos, haudquaquam in plenum confortium Dei posse peruenire. Ideo deponendum antè est, quod carnale est, ut contingat quod est spiritale. 1. Corinth. 15. Deinde monemur, & mediatore erga Deū nobis opus esse, quem pater, dedit prophetam, Dominum Iesum Christū, in quo inhabitat omnis diuinitas corporaliter. Et proinde propter hanc nostram tam imbecillam naturam descendit nobis diuina maiestas, ut loquatur nobiscum per ministerium hominum. Hebr. 1. Multifariam multisque modis loquutus olim Deus patribus in prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Et ipse filius postea ad cœlos ascendit, loquutus est mundo per Apostolos, & hodie loquitur per ministros suos. Sed obserua, quod hūc geritur. Quandoquidem enim nostræ utilitatis & infirmitatis gratia, diuinitus institutum est, audiamus, & ex animo excipiamus uerbum Dei, humana uoce prolatum. Verbum quidem Dei est, tamen (quæ est mortalium peruersitas sit, ut hoc uerbum Dei non tantæ sit autoritatis, atque si à Christo pronuntiaretur: imò tunc Christi uerba discipulis non tantum fuerunt, quanti erat uox patris, è nube audita. Autoritatem enim uerborū Christi aliqua ex parte imminuebat forma carnis, & humilitatis Christi. Quamobrè necessarium fuit, ut hæc uox patris audiretur ab Apostolis, qua admoneretur, ut, si Deū audire uellent, audirent Christū, filium Dei: tantique facerent uocē filij, quanti eam quam de patre audiebant. Paucissimi sunt, qui hodie uerba hæc ponderent, ac expendant etiam id quod dicit Christus, Qui uos audit, me audit: Et qui me audit, audit & eum qui me misit. Non meretur hi proculdubio encomiū, quo Paulus ipsos Theſſalonicenses ornat. 1. Theſſal. 2. Ideo & nos (inquit) agimus gratias Deo sine intermissione, quoniā, cū accepissetis à nobis uerbum auditus Dei, accepistis illud, non ut uerbum hominum, sed (sicut est uerè) uerbum Dei. Obserua ex superioribus, quanta sit diuini luminis ac gloriæ, quāque ineffabilis maiestas: rursus calamitosissima infirmitatis humanæ quāta corruptio miseriāq;

Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis.

Dominus Iesus, qui timentibus illum nusquam abest, deposita specie gloriosa,

Z z

Vox Dei, ear  
ni horribilis.

Carni nihil  
comercij cū  
Deo.  
Mediatore  
opus nobis.

Deus nobis  
loquitur per  
ministros.

Verbum Dei  
humana uoce  
ad nos delatum.

Pauci hodie  
reputant fa-  
cras literas et  
se uerbu dei.



in forma humili ac seruili officii suum exercet, quò perterritos soletur. Obserua: suos Christus tangere dicitur, quando Euangelio suo consolatur & liberat illos timore. Obserua miram gratiam Christi, qui uoce suos consolaturus consueta nota- que, blandè colloquitur, attingit & contrectat illos familiariter, ne putarent ipsum esse phantasma.

## Surgite, nolite timere.

O uocem uerè Euangelicà: Quicquid enim habet Euangelium, in hac uoce expressum est. En absolutum Christi officium, consolari & metum excutere. Vnius hominis peccato cecidimus omnes in terram: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: Omnes peruasit timor mortis. Ergo hoc officio omnes indigent. Sed quemadmodum Paulus, Ephes. 5. ostendens Christum illuminare omnes, ait, Propter quod dicit, Surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus: ita suos excitaturus Christus, & lumen exhibiturus, & metum excussurus ab ipsis, ait, Surgite, nolite timere. Prostratos apprehendit, & erigit. Nolite, inquit, timere. Quare timendum non est? Quia uox, quam audistis, non est irati, sed placati Dei: Non est ab irato Deo, sed ab omnium beneuolentissimo. Proinde surgite, nihil est hinc periculi. Hic apertè uidet Christum agere interpretem animi paterni, solarique mentes hominum perterritas. Vbi uide mihi rogo te, pie lector, quòd quemadmodum Christus discipulos istos in hunc montem duxerat, ad eò- que in hunc terrorem, ex uoce patris conceptum: duxerat, inquam, quòd illis necessarium esset, & iterum illos consolatus est: ita & hodie cum suis faciat. Nam ubi uisum est illi, pro sua immensa prouidentia & bonitate ducit seu permittit nos in uarios incidere terrores, quia his opus habet nostra negligentia: sed tēpore opportuno sic perterritos, iterum suo spiritu & uerbo suo consolatur, prostratos- que erigit, ac bono animo esse iubet, ne timeamus. Nam singulari quodam beneficio se illis reuelarat Christus, quos destinarat nationibus magistris. Cum enim hi postea de uita beata, & de Christo uero Messia, in prophetis promisso, saluatore mundi totius, uero Deo & homine, differuerunt, non audita solùm aut leuiter credita, docuerunt, sed uisa, certa, compertissimaque, quemadmodum & Petrus manifestissimè dixit, 2. Petri. 1. Obserua: uerbo, surgite, Christus infirmitatem nostræ fidei subleuat, ut non trepidemus ad comprehensam tantam maiestatem, sicut olim trepidabant Iudæi ad montem Synai.

Leuantes autem oculos suos, neminè uiderunt, nisi solum Iesum.

Ad hunc contactum simul & ad consuetam & blandam magistri uocem receperunt discipuli animos: quibus receptis erigunt sese à terra, & attollentes oculos suos, circumspectant, ubinam essent Elias & Moyses, sed neminem uiderunt illic, præter solum Iesum eumque talem, qualis uenerat in montem. Quo significatum est, in Christo ceu in compendium quoddam, redactam esse legem & prophetarum doctrinam: solum illum esse mundi saluatorem: solum & unicè ad saluandum satis potentem, & solum & unicè audiendum, & ad solum Iesum directam fuisse uocè, Ecce. Obserua, quòd lex & propheta in Christo finiuntur. Lex enim & propheta usque ad Ioannem, &c. Diuus Hieronymus hunc locum enarrans, ait: Rationabiliter, postquam surrexerunt, non uiderunt, nisi solum Iesum, ne si Moyses & Elias perseuerassent cum Domino, Patris uox uideretur incerta, cui potissimum daret testimonium. Vident ergo Iesum stantem, ablata nube, & Moysen & Eliam euanuisse. Quia postquam legis & prophetarum umbra discesserit, quæ uelamento suo Apostolos texerat, utrunque in Euangelio reperitur. Iam non auditur amplius uox patris, quæ etsi semel & iterum loquuta est, ideò loquuta est, ut audiretur semper filius: & nihil aliud loquuta est, quàm hoc ipsum, ut audiretur filius, habere- turque pro unico Domino saluatore ac præceptore. Obserua, leuare oculos, est ex terrore surgere.

Christi ipsi-  
simum mu-  
nus, consolari  
& metum  
discutere.

Deus deicit  
& erigit, ter-  
ret & solatur

Apostoli sibi  
uisa & cōper-  
ta prædicā-  
runt.

Christus unus  
audiendus.

Pater non lo-  
quitur, nisi  
propter filiū.

Et descendantibus illis de monte, præcepit Iesus dicens, nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

Cum descenderent de monte, priusquam redirent ad reliquum discipulorum cœtum, præcepit illis Iesus, ne cuiquam narrarent de iis quæ uiderant in monte, donec filius hominis resurrexisset à mortuis. Prouidebat frustraneum futurum, hæc prædicare, & fortasse aliis incredibile. Volebat eos expectare tempus resurrectionis, in quo declarandus erat, per spiritum sanctificationis, filius Dei. Simpliciter non prohibet Dominus prædicari hanc transfigurationem, sed iubet prius ueritatem rectè intelligi & expectari misso Spiritu sancto rectam & solidam cognitionem regni Christi, ut postea magno totius orbis commodo ueritatem rectè intellectam publicè doceant: ita, ut, quod iam in monte seorsum gestum est, ex rebus illustrioribus ac potioribus fidem inueniat ac fructum. Memorabile præceptum, quo unusquisque hinc admonetur, ut prius sit catechumenus, id est, instructus siue audiens, quàm catechista, id est, instructor: discipulus, quàm doctor. At hi tres Apostoli, quod ad hanc quidem rem attritè, obsequuntur uerbo Christi, & tacuerunt, nec ulli dixerunt in illis diebus quicquam ex iis, quæ uiderant.

Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes.

Marcus. 9. ante hanc quæstionem, habet: Et uerbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset, cum à mortuis resurrexerit. Hoc uerbum ostendit, discipulos nequaquam intellexisse, quod supra. 16. cap. de morte & resurrectione sua Dominus dixerat. Itaque hinc suam ignorantiam produnt, propter quam tamen indulgentissimus magister non eos abiicit, quòd simplices adhuc essent, & bono, quod dicitur, animo, ceu discipuli sequebantur magistrum. Ad eò densis tenebris cor habebant obuolutum, ut ea uox, toties audita, non descenderet in petus illorum. In descensu montis quidam scrupulus cœperat animos illorum, ex eo, quòd Eliam conspexerant assistentem Iesu: ideo inter eundem proponunt quæstionem præceptori soluendam, quæ ad superiora refertur, & docet ac confirmat Iesum esse Christum.

Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm uenire?

Domine, inquirunt, uideamus nunc re ipsa te esse Messiam, in lege & prophetis promissum. Quid igitur nobis de Scribarum doctrina sentiendum est, qui, aduentum Messia docentes, solent dicere ex autoritate Malachia, 4. cap. quòd priusquam ueniat Messias, uenturus sit Elias Thesbites? At is non præcessit aduentum tuum, sed hodie demum uisus est in monte. Non uidemus quis te præcesserit Elias. Non enim colloquium, quod in monte modò tecum habuit, interpretari possumus, illam esse uia præparationem, quam illius, ceu præambulonis, opera parandam dicunt. Cum ergo tres isti Apostoli uidissent Moysen & Eliam cum Iesu in monte, rogarunt Christum de isto Scribarum sermone. Obserua hic, quàm subinde ueritatem similiter possit simplicioribus negotium fieri ab his Scribis, qui ueritati aduersari- Intidici atq; adeò theolo- gi hodie nō omnes quod nōrunt intel- ligunt.

docebant, sed non ita habebat propheta, ut quòd Elias Thesbites in persona præ- cursor esset Messia. Obseruandum est diligenter exemplū prudentis animi, quæ- rentis ueritatem, in Apostolis, qui sermonem istum Scribarum non discutunt, nec interpretantur, sed ad Christum præceptorem deferunt. Utinam hodie & hoc ueritatis studio teneantur simplices, & quorum non est frequens cum literis cō- suetudo: ut si quid contra ueritatem ab aduersariis audierint, ad doctores suos de- ferant. Vulgus hodie, prò dolor! promiscuè & docere & pronuntiare uult de tota religionis doctrina. Scribæ, ut alibi diximus, fuerunt legisperiti, & scripturarum interpretes, populique doctores.

Intempesti-  
nam prædi-  
cationē pro-  
hibet Chri-  
stus.

Discendum  
prius, quàm  
docendum.

Intidici atq;  
adeò theolo-  
gi hodie nō  
omnes quod  
nōrunt intel-  
ligunt.

Simpliciores  
de obscuris  
fidei & scri-  
pturarum lo-  
cis doctos cō-  
sulant.



At ille respondens, ait eis.

Indulgentissimus Dominus & præceptor dignatur discipulis locum Malachiae interpretari, & Scribarum errorem detegere, ac repurgare. Atque id tam discretè atque significanter explicat, ut discipuli eius non de alio Elia, quàm Ioanne Baptista, intellexerint.

Elias quidem uenturus est, & restituet omnia: dico autem uobis, quia Elias iam uenit.

Elias quis, quomodo & quando præcessur' Christum.

Verum est illud, quod de Eliae aduentu Scribæ docent: & iuxta prophetiam Malachiae, præcurreret ille aduentum meum, ac restituet omnia, conuersis ad Euangelium Iudaicæ gentis reliquiis, ne condemnetur tota natio. Verùm is aduentus erit olim, quum rursus adero cum maiestate patris, redditurus unicuique, pro suis factis, præmia. Veruntamen occultiozem uobis intellectum prophetiæ, quam illi ignorant, declarans, hoc dico uobis, etiam priorem huc meum aduentum, quendam præuenisse Eliam, qui, antè quàm mundo ego manifestarer, in spiritu præcessit & uirtute Eliae, ut populum sua prædicatione pararet in hunc aduentum meum: qui hoc ipsum egit in priore meo aduentu, quod ille alter Elias Thesbites acturus est in aduentu meo secundo. Vterque autem uno eodémque officio, unius quoque nominis meretur appellationem. De his supra 11. cap. copiosius diximus. Hoc officium Ioannis Angelus patri Zachariæ prædixit, Luc. 1. cap. dicens, Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Eliae, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

Elias christo præiit & præiit.

Et non cognouerunt eum.

Doctores & Ecclesiastæ, præcursores Christi.

Quia nulla tenebantur cura, eorum maximè, quæ tanta in Christo uiderant, & à prophetis prædicta erant, unde facilè cognoscere poterant præsentiam Christi, & tanta audierant à Ioanne, nec latebat eos testimoniū Christi de Ioanne, ut potuerint agnoscere ipsum esse præcurforè: ideo sua culpa facti sunt indigni qui ista cognoscerent. Vnde hinc admonemur, quàm cauti esse debeamus in nostræ salutis studio, ne & nobis hoc idem usuueniat. Nam mittuntur, qui nos penitentia ad-moneant: sed dum huius studium à tergo relinquimus, fit ut in pios frequenter fauiamus, & salutis nostræ negligentes simus.

Sed fecerunt in eo, quæcunque uoluerunt.

Impij, est nonnunquam faciunt, quod uolunt, nunquam tamen sine pmissu Dei.

Hac periphrafi exprimitur impiorum ingenium, & alluditur ad mortem Ioannis. Non ait, Quæcunque debuerunt, aut quæcunque Deus fieri statuerat, sed quæcunque uoluerunt: id est fecerunt, non pro meritis ipsius, sed quicquid ipsis collibitum est. Significatur hinc innocentia Ioannis, quem pro uoluntate & animi libidine tractarunt. Obserua: faciunt impij, quæcunque uolunt, sed non sine permissione diuina. Nihil enim possunt impij, nisi Deus permiserit. Permittit ergo Deus, ut impij aliquando faciant Sanctis, quæcunque uolunt, quod attinet ad corpora ipsorum, & utitur illorum ministerio, ad gloriam suorum. Quod si & nobis hodie tale quid usuuenerit, non ideo putemus nos à Deo esse desertos.

Sic & filius hominis passurus est ab eis.

Christus prædicit passionem suam.

Quemadmodum meum præcurforem non cognouerunt, sed persequuti sunt, & malè tractauerunt, facientes, quæcunque uoluerunt pro sua libidine: nam contempserunt & insectati sunt illum, calumniantes ipsum dæmonium habere, tandem Herodes ipsum decollauit, indubiè ipsorum si nõ impulsu, certè cum magna gratia: ita & filium hominis modò ignorant & contemunt, perficièntque & in ipso, sicut scriptum est, quæcunque suaferit sua ipsis impietas. Obserua, Augusti-

nus, Hieronymus, Chryostomus, & sancti patres cõcedunt Ioannem esse Eliam, præcurforem prioris aduentus Domini. Cæterum secundum aduentum Christi contendunt Eliam, iuxta hoc uaticinium, Elias quidem uenturus est, & restituet omnia, corporaliter præcessurum uenturumque antè extremum illud iudicium.

Elias Thesb. ultimum iudiciū præcedet.

Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

His magistri uerbis instructi discipuli, intellexerunt, quod Ioannem cognomento baptistam diceret Eliam qui iam uenisset, ob uitæ similitudinem, & in carpèdis regibus libertatem. Obserua. Donum Dei est, intelligere super uerè sanctos, qui non ex personis cognosci possunt, sed ex officiis, quæ exercent in docendo & confitendo Christum.

Viri facti ex officio, nõ ex persona deprehenduntur.

Et cum uenisset ad turbam.

Et cum, &c. Post solutam quæstionem de Eliae aduentu. Lucas. 9. capit. memorat, hæc postridie, quàm Christus transfiguratus in monte apparuisset, accidisse, dicens: Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce uir de turba exclamauit, &c. Marcus. 9. narrat turbam circumfudisse discipulos, & adfuisse Scribas, qui cum discipulis disputabant. Et confestim (ait Marcus) omnis populus, uidens Iesum, stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum. Et interrogauit eos, supple, Scribas, Quid inter uos conquiritis? In his ostenditur, quàm magna fuerit Christi apud uniuersam turbam autoritas, Cuius exemplo, uerbi prædicator sanctam habere famam, & conseruare summo studio debet, & accurare, ut pura & sanctæ doctrinæ uita respondeat, ut sanctum Domini uerbum in pretio habeatur. Deinde ostenditur dolus Pharisæorum, qui cum Domino congregari non audentes, diuexare rudes discipulos, absente magistro, instituerant, quod uel uictoriæ speciem, contra ueritatem, apud imperitam plebem obtinerent. Sed Dominus & hic suos nonnihil confundi passus est, eò quod non potuissent dæmoniū eiicere: in tempore tamè ipsis adfuit, ne per Scribas in speciem uicti, ignominia afficerentur, ac neque iam ipsi solùm, sed & Euangelium, quod prædicabant. Veruntamen omnis ignominia (si quam passus erant) causa erat incredulitas ipsorum. Fidamus igitur Domino fortiter, & non pudefimus. Obserua: posteaquam de rege Christo, & de magnifica eius gloria, & in ipsam fide differuit, pergit Euangelista declarare singulare beneficium, quo denuò declarat Christus se esse regem Ecclesiæ, qui hostem nostrum superet ac pellat. At-

Ecclesiastæ uita cū uerbo cõsentiat.

Christus, rex Ecclesiæ.

que ut regnet in nobis, fidem uiuam prædicat, & eius uires adiungens certam rationem, qua expellatur è singulis diabolus, hoc est, ne regnum in nobis obtineat. Marcus ait, Cum uenisset ad discipulos, &c. Et interrogauit Scribas, Quid disputatis inter uos, &c. Ex his, & quæ sequuntur, apparet Scribas, ex eo, quod discipuli non potuerant eiicere spiritum immundum, occasionem sumpsisse calumniandi & ridendi, non discipulos tantùm, sed etiam totam doctrinam Euangelij, ad eòque ipsum Christum. Videte (inquiunt) qualem magistrum sequamini. Promisit uobis donum edendorum miraculorum, nunc autem, quia non potest præstare, quod promisit, subduxit sese à uobis, & re ipsa declarat se impostorè esse, ac suos uendere. Quod si in hac re fefellerit uos, quomodo non etiam in tota Euangelij sui doctrina falleret uos? Hæc aut his non dissimilia Scribas obiecisse discipulis apparet, non tantùm è uerbis Marci, uerum etiam ex ipso impiorum ingenio. Natura enim impietatis est, ex uno aut altero priuati hominis delicto uniuersam professionem ac religionem condemnare. Huius rei exemplum etiam hac nostra tempestate editur. Nam nonnulli tam sinistro affectu aut in theologiam professionem, aut in Franciscanorum religionem, aut in aliam huiusmodi ducuntur, ut si quis impuram uitam duxerit, statim tota religionis professio in calumniã rapiatur, & condemnentur. Profectò impiissimè & iniquissimè agunt, qui ex uno aut altero priuati

Impiorum est ex unico uerbi alicuius delicto ordinem uniuersum damnare.



hominis delicto, totum doctrinæ ac religionis genus damnant. Quod enim ullum tam piū, aut tam sanctum doctrinæ genus extat, ut non inter huius sectatores reperiantur quidam mali? Aut quæ uitæ conditio tam honesta est, in qua non magna eius ordinis hominum pars inhonestè uiuat? Scilicet quia Cain occidit fratrem suum Abel, num ideo ipsa fraternitatis cognatio damnanda est? aut homicidæ omnes fratres sunt? Num quia Dauid rex & propheta designauit adulterium & homicidium, idè totus regius & propheticus ordo, imò totus Israëlita nationis status conculcandus & condemnandus est? Quid his iudiciis esset iniquius? Quare Scribæ, qui, propterea quòd Apostoli non poterant sanare Lunaticum, totà Euangelij doctrinam reiiciunt, non tantum iniquè iudicant, sed etiam à communi hominum sensu aberrant. Cæterum cum gestirent Scribæ ob pudescitos discipulos, & uelut uisitatores ostentui ipsos haberent, Christus commodè aduenit, unà cum tribus discipulis, quos secum in montem duxerat. Et cum animaduerteret disceptationem inter discipulos suos & Scribas fuisse, interrogauit, quid negotii esset. Ad quem accedens pater Lunatici ait.

#### Accessit ad eum homo.

Marcus ita narrat: Et interrogauit eos, Quid inter uos conquiritis? Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illū, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dixi discipulis tuis, ut eiicerent illum, & non potuerunt. Vir ille de turba est, qui huic disceptationi occasionem dederat: rem enim ut erat, exposuit Christo. Hoc autem disceptationis argumentum est. Obruli discipulis tuis filium meum Lunaticū, qui à dæmonio miserimè affligitur, ut dæmonium eiicerent: sed quia illi conatu suo frustrati sunt, ridentur nunc à Scribis. Cæterum in hoc nouo euentu concurrunt aliquot insignia exempla. Primū, ardentis fidei in patre Lunatici, qui, cum uidet discipulos non posse restituere filium, tamen non dubitat de philanthropia & officiis beneficiisque Christi promulgatis. Deinde charitatis exemplum est in Christo, qui credentem patrem exaudit, & filium eius restituit sanitati. Incredulitatis exemplum in Apostolis est, qui propter incredulitatem non potuerunt eiicere dæmonium. Præter hæc, occurrit exemplum uirtutis alienæ fidei, in patre lunatici, quæ corporis restitutionem aliis impetrare potest. Ad hæc commendatur uiua fides à sua efficacia, cui nihil est impossibile: & de contrario damnatur diffidentia, cui nihil est possibile. Porro hic accessus signum est ardentis fidei. Ardens profectò erat patris pro sanitate filii desiderium, quia unicus ei erat, ut apud Lucam memoratur. Qua in re uidemus, quātum ad seriam orationem compellat urgens necessitas.

#### Genibus prouolutus ante eum.

Hic homo rectè instituit suam petitionē, cum rectè supplicem agit, proci-dens in genua ante Iesum. Hæc prouolutio genuum, forma est animi, humiliantis se coram eo, cuius opem implorat.

#### Dicens, Domine.

Vide, pie lector, quàm blandè uiua fides soleat seipsam insinuare apud Christū: & quàm amicè capret beneuolentiā à dignitate & potentia personæ Christi, Quæ Dominum uocat, propterea quòd illum esse potentem & uelle iuuare credit. Ergo decorum est Christo iuuare, qui sunt eius. Dominus est uox potentis.

#### Miserere filio meo.

Cum dicit, Miserere, admonet Christum proprii sui officii, quod est misereri aliorum. Voce, meo, ostenditur uehemens patris in filium adfectus. Quod pater orat pro filio, eoque tam miserè affecto, atque ad eum unico, omnino erat æquum, & dignum fauore cum apud Deum, tum apud homines. Quis enim nō commiserat-

Fidei alienæ uirtus.

Fidei uiuæ omnia possibilia, diffidentis nihil.

Viua fides, ferè blanda.

Patris est, fortuna filiorū affici.

bitur patrem, pro unico filio, tam adfecto auxilium implorantem? Haud dubiè acceptissimus est hic paternus affectus Deo, quem & ipse mortalibus indidit.

#### Quia lunaticus est.

Valde calamitosa de hoc puero narrantur. Primū obsidebatur à Spiritu immundo, deinde hic reddebat eum surdum ac mutum. Tertio affligebat etiam lacerando, & in terrā proiciendo. Quarto, faciebat hoc periculose, ut perderet, ideoque frequenter illum uel in ignē, uel in aquam abiiciebat. Quinto, & ista faciebat tempore interlunij. Lunaticū dicit, qui habebat dæmonium mutum & surdum, ut Marcus ait. Quem ego non dubito, uerè lunaticum fuisse, atque deficientis lunæ temporibus, in furorem potissimum actum, ut frequenter in ignem & aquas rueret. Nā non perpetuè agitabat eum diabolus. Dicete Luca, Vix discedit, dilanians eum. Propterea & mutū ac surdū, hisq; malis à puero fuisse obnoxiiū, credidero, si cur & pater eius apud Dominū queri uisus est. At quia hæc mala omnia immisio nes sunt per angelos malos, & opera dæmonū, simul rectè dæmonium habuisse dicitur. Obserua interim, Lunaticos non dici, quasi à sola luna uexatos: sed quia secundū diuersos lunæ respectus, & uarias immutationes, obsessos homines torquēt, qui obsidēt eos, dæmones. Idque, ut uel creaturā Dei bonā mali dæmones, hoc calido consilio infament (quæ est sanctorum plurium sententia) uel quòd certis temporibus ex lunæ influenza cerebrum est magis dispositum ad suscipiendam influentiam dæmonis, quàm alio sit tempore. Quemadmodum hi quoque, qui naturali tantum infirmitate laborant, ad certas quasdam lunæ mutationes plus minusue torqueri se sentiunt, prout amplius multiplicantur uel sursum trahuntur humores mali, uel quatenus cerebrum magis euacuatur, uel alia huiusmodi causa consimili.

Lunaticus quis.

Dæmones temporis & occasiones capti, quibus magis nocent hominibus. Lunæ accessum uel recessum corpora humana uariè afficere.

#### Et malè patitur.

Propositio necessitatis in genere, Miserè affligitur.

Nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam.

Causam adducit miseræ afflictionis: idque facit per distributiunculam illarum afflictionū, quibus lunaticus agitabatur. Est profectò totus hic locus exaggeratorius, à magnitudine necessitatis, ut inde potentia Christi magis innotescat, qui potuit tantæ necessitati succurrere. Simul & notatur potentia Satanæ, qui derelictos à Deo tractat pro libidine, sed ut uult, id est, ut permittit Deus. 2. Timoth. 2. Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipsius (supple Dei) uoluntatem. Non enim plus potestatis habet in nos, quàm quod illi à Deo est permittum. Quemadmodum autem Christus, ab initio bonus uita est, & missus ad seruandum: ita contra, Satanæ ab initio homicida est, & propensus ad perdendum. Hoc scilicet est, quòd toties puerum & in ignem & in aquam Satanæ abiecit, Cur? ut perderet puerum. Cur non est perditus? Christus propensus ad seruandum, seruauit puerum. Deo enim non seruante perderetur puer: non est autem perditus ut laceratus & afflictus fuerit à Satana, quia uolebat Deus. Enimuerò hic locus magnam affert afflictis consolationem. Hic nanque legimus imbecillitatem Satanæ, & curam ac prouidentiam Dei, eò quòd hic puer toties seruatus est, & toties in ignem & aquam, ut perderetur, abiectus.

Diabolus peccatores tractat pro libidine sua, sed non præter aut citra uoluntatem Dei.

Dei prouidentia & charitas erga nos.

#### Et obruli discipulis tuis.

Audito uerbo de te, attuli puerum meum huc, ut tibi offerrem eum curandum. Et quoniam tui non erat copia, ductus certa fiducia in uerbum, de te sparsum, obruli illum discipulis tuis, quos è tua persona iudicauit, Quia tu, cum potens esses sanare ita & tuos discipulos tua autoritate idem speraui facturos.



Et non potuerunt curare eum.

Audieram (inquit) discipulos tuos, dæmonia pellendi, à te accepisse potestatem, sed non potuerunt oblatum sibi puerum curare: ac proinde ad te necessitas me compellit confugere. Nihil enim spei est ultra reliquum, nisi in te. Magnæ fidei exemplum habemus in hoc patre lunatici, non offenso ob impotentiam discipulorum, sed constanter pergente & sequente Christum ac uerbum, in quibus certò statuit neque impotentiam neque imperfectiorem ullam esse. Christus filius est Dei uiuentis, supra 16. Verbum, uirtus & potentia Dei est in salutem omni credenti, Roma. 1. cap.

Respondens autem Iesus, ait.

Hoc suo responso declarat Christus incredulitatem, causam esse, quòd nihil nobis est possibile. Contrà statuit fidei uiuæ omnia esse possibilis. Ideò uidetur & discipulos suos, & Scribas, & ipsam etiam turbam increpare, & incredulitatem omnium arguere.

O generatio incredula &amp; peruersa.

Exclamatio est increpatoria aduersus omnium incredulitatem. Vos adloquor, inquit, ô Scribæ, Quid hoc sibi uult, quòd propter unum erratum discipulorum meorum, me ipsum & doctrinam meam cõdemnatis? An tot signa & miracula antè edita uana sunt? An, quia discipuli non ualent, non ualet & præceptor? An autè, priusquam me damnaretis, nõ potuissetis culpam reicere, uel in obfessi indignitatem, uel in parentis incredulitatem, uel in discipulorum inscitiam? Sed hoc unum est Satanæ artificium, ut in peiorem partem quæuis interpretetur. Vos contrà, ô discipuli, adloquor: Vbi est uestra fides? An non antè toties dæmones expulistis, infirmos curastis, leprosos sanastis? Quid non potestatis cõtuli uobis? Que miracula non edidistis? Vbi ergo nunc est fides uestra? Sed & uos, ô qui adestis è vulgo, homines, adloquor. Quid sibi hæc uult uestra oscitantia? An non re ipsa experti estis, quòd liberi & amici uestri à uariis morbis, nõ tantum à me, sed & à discipulis meis curati sunt? Quomodo ergo fit, quòd tam citò à fide defeceritis, & in sententiam Scribarum concesseritis? O generatio incredula & peruersa (alludit hic Christus ad totius Iudaici populi gentem, duram & incredulam) Quasi dicat, ô homines prauis, iniqui, duri, præfracti, imperuasibiles, cum quibus, nihil recti, nihil æqui aut boni possit quis instituire! qui nihil doceri se, nihil sibi, quod commodum sit, persuaderi sustinent. Similes profectò Israëlita: in deserto se exhibuerant, toties contra Dominum murmurando, toties contra seruos eius Moysen & Aaronem rebellando, quos nec inaudita illa portenta & prodigia, quæ in salutem ipsorum facta uiderant, in fide erga Deum, nec horrèdæ adedò rebellionis suæ ultiones, quas identidem experiebantur, in timore, nec tam incomparabilis Moyfi mansuetudo & infinitus pro eis fidusque labor, in officio erga Deum retinere potuerant. Opprobrat certè, quòd maiores suos infidelitate referant. Incredulam igitur uocat nationem, quæ neque uerbo neque miraculis commoueat, ut credat. Peruersam uerò dicit, quæ alia uia quærit salutem & dæmoniorum eiectionem, quàm per Dei uirtutem & uerbum eius: & quæ aliter concipit uerbum, quàm debet. Obserua diligenter, quàm sit grauis hæc increpatio Domini, qui aliàs mansuetissimus esse soleat.

Quousque ero uobiscum? Vsq̄uequo patiar uos?

Hoc uehementer dolebat illi, quòd hanc nationem uideret perpetua quadã incredulitate & pertinacia, gratiæ Dei reluctari. Iam ipse uenerat, ut medicus & saluator, ducebaturque affectu paterno erga salutem eorum, & nihil illi erat prius, quàm ut crederent. Aderat, ut saluaret in se credentes, nec potuit illis salus, nisi per ipsum, cõtingere: eoque omnia tum dicta, tum facta sua ad hoc instituebat, ut sibi

fides haberetur, & Christus tandem agnosceretur. Sed erat distorta & praua adedò ista natio, ut Christi uerbis & operibus, ad salutem ipsorum institutis, magis offenderetur, & pertinacius illis resisteret. Quid ergo potuit illi tristius contingere? dolebat igitur illorum uicem quum hæc diceret, ueluti ita eos affatus, Quousque ero uobiscum? (quibus uerbis significat se desiderare pati crucem, & ab ipsis secedere.) Vsq̄uequo uerlabor cum irrisoribus & incredulis? Quid faciam? Tanto tempore prædicaui inter uos Euangelium, & confirmaui autoritatem eius tantis miraculis, nullam tamen adhuc firmam inter uos fidem reperio. Quòd igitur me uertam? Num quia uos cessatores & neglectores officii uestri estis, negligam & ego officium meum, & sinam uos unã cum uestra incredulitate, & uestris morbis ualere? Num, quia fructus non respondet labori, otiorabor? Absit à me hic affectus. Si uos nolueritis uestrum officium facere, ego tamen meum faciam officium, & meæ seruiam uocationi. Adferre illum huc ad me.

Adferre huc illum ad me.

Iesus, ut omnium incredulitati mederetur, iussit puerum adduci, & in publicum proferri, quòd miraculum redderet omnibus magis conspicuum & insigne. Adferre, inquit, ut uideatis me esse potentem Dominum in Satanam: & omnes, in me credentes, esse potentes: atque ut ostendam, non ex rei impossibilitate, sed ex uestræ fidei imperfectiõne accidisse, quòd non sit sanatus puer. Consolatorium est, Christum ita corrigere adhuc incredulos discipulos, ut tamen non abiiciat, quia sinunt se moneri. Obserua memorabile exemplum, quo admonemur, ut, etsi alii suam uocationem negligant, nos tamen, non negligamus nostram. Et quanquam fructus non respondeat labori, tamen in labore legitime demandato pergamus. Quid enim ad nos aliorum cessatio? Dominus Deus noster non iussit nos in cessatorum exempla, sed in suum ipsius uerbum respicere. Et aliena peccata non excusant nostra, sed potius accusant, & grauiora multitudine sua reddunt. De fructu autem laboris nostri, quid solliciti sumus? Non respondet legitimo labori fructus coram hominibus. At respondet coram Deo. Nihil ne fructus obtingere iudicas, uocationem Dei sectanti? Imò hoc ipsum satis fructus est, Deo gratum officium præstare. Tota Asia deficiebat à Paulo, qui Euangelium ex uocatione Christi diligentissimè prædicauerat. Scis (inquit. 2. Timoth. 1.) hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asia sunt. Num Paulus ideo defecit à sua uocatione, aut nihil fructus è suo labore percepit? Absit. Ob quam causam (inquit inibi) etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim, cui credidi: & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Et iterum. 2. Timoth. 4. Bonum certamen certauis, cursum consummaui, fidem seruauis, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduetum eius. Quare etsi alii suum officium negligant, & nos uideamur frustra in nostra uocatione sudare, nos tamen nostrum faciamus officium, & nostram sectemur uocationem. Ut, si non in hoc seculo, at saltem in futuro fructum laboris nostri percipiamus.

Et increpauit illum Iesus.

Marcus copiosius narrat historiam. Et attulerunt, inquit, eum. Mox obediunt Christo, & cum fiducia de liberando puero, adduxerunt illum ad Christum. Et cum uidisset eum, statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terrã, uolutabatur spumans. Cum igitur adductus esset, & à Iesu conspectus, protinus ibi in oculis omnium, corripuit eum spiritus, & elisus in terram uolutabatur, spumans. Miserabile certè spectaculum. Profectò cum Satanæ coram Christo consistendum est, magis furere incipit. Hic enim uides, quid agat, cum sentit potentiam Christi, mox eludit & dissipat puerum, omnia sursum deorsumque miscet. Hoc in puero

Christi desiderium ab incredulis iudicis secedendi in crucem.

Christus nõ incredulos, sed indociles abiicit.

Cessatorum desidia magis excitari quã torpere debemus.

Qui huc cõtendit, ut gratificetur deo, satis iã fructus reulit.

Satanæ adstare propius Christo durissimum.



facit, ostendens præsentem esse Dominum suum, cui non libenter cedit. Sed cur tanto cum impetu hoc facit? Certè magno astu solet sic omnia perturbare. Nimirum ut & fidem patris Iudæi impediret, & Christo apud populum inuidiam moueret, quasi qui id prohibere non posset, uel si posset, pateretur tamen coram se torqueri puerum. Non ab simili modo Satanæ instigabat Pharaonem, ut ante exitum & liberationem Israël, magis atque magis opprimeret populum, ut tandem miseris ad desperationem adigeret, & Moysi Aaronique Dei ministris ingentem inuidiam excitaret. Sic insaniit in Phariseis & pontificibus, quando Christus iudicio Pilati obrudebatur: in propinquo enim erat gloria resurrectionis Christi. Sic insaniit in Iudæis & gentibus, quando Apostoli prædicauerunt Euangelium Christi, post missum Spiritum sanctum. Tunc enim incipiebat maiestas Christi toti orbi reuelari. Hic docemur quanta sit Satanæ tyrannis. Cuius uoluntas omnis huc solum spectat ut perdat homines: & quanta est eius uoluntas ad perdendum, tanta est etiam potestas eius, si non diuina potentia opprimatur. Vide quàm miserabile sit hoc spectaculum, quàmque miserè hunc infelix ille spiritus tractet adolescentem! Nunc iactat ipsum in ignem, nunc in aquam: nunc ita lacerat ac discerpit, ut spumet, & dentibus suis stridat: nunc in terram deicit, ut uelut saxum uoluetur: & hæc omnia agit, ut adolescentem perdat. Et talem affectum non in hunc tantum adolescentem gerit, sed exprimit porius in hoc adolescente, qua sit uoluntate erga omnes homines, nimirum nunquam non obambulat, tanquam leo rugiens, & quærens, quem deuoret. Non est igitur, quòd ignauus torpescas, & somnias Satanam stertere: sed expurgandum tibi est, & inuocandus est Christus, qui non sinet te tentari supra id quod potes, sed dabit tibi, ut fortis resistas in fide. Quòd autem ante oculos patris uoluitari & laniari Christus miserum aliquandiu sinebat, ut fidem patris exerceret, fecit, doceretque, se etiam præsentem, non nunquam dæmonii aliquid permitti, atque in eos quoque, quibus statuit ferre opem: sed tandem, si fide sustineant sese, fore huiusmodi sua ope omni ui aduersaria liberos. Et interrogauit patrem eius, Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait, Ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquam misit, ut eum perderet. Hic uide & considera, sed non oscitanter, quòd Christus non statim liberet adolescentem à dæmonio, sed interim adolescentis patrem interroget, & cum eo disputet, quantum temporis sit quòd hoc accidisset puero: adeoque ita se gerat, perinde ac si non uellet, aut non posset adolescentem liberare à dæmonio. Qua in re nobis proponitur solennis consuetudo Dei in seruandis & liberandis afflictis. Nam tamen Dominus promiserit liberationem ex afflictionibus: non tamen mox inuocatem se liberare solet, sed conuiuet aliquandiu ad afflictiones, interdum etiam illas augeri permittit: & omnino longè aliud agere uidetur, quàm ut meditetur de salute inuocantis. An ergo propterea obliuiscitur promissionis, & misericordiæ suæ? Nihil minus. Nam quantò diutius differt liberationem, tanto illum illustriorem parat, & tanto gratiorem salutem meditatur, & affert. Id quod non solum sacræ scripturæ exemplis, uerum etiam nostræ ætatis experientia sæpenumerò comprobauit. Est enim auxilium Dei, ut granum iniectum in agrum, quo & si agricola aliquandiu caret: interim tamen ita cum scenore crescit, ut suo tempore, aliud ferat fructum trigecuplum, aliud sexagecuplum. Sic & auxilium, diuinitus promissum, tantò maiori usura ad credentem uenit, quantò diutius differtur. Quare & si non mox, post inuocationem nominis Dei, sentias auxilium cœleste, non tamen despondeas animū, sed tantò certiores & gratiores expectes salutem, quantò diutius auxilium Dei differri uidebitur. Sed, si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Cùm Christus diu, sermonem traheret, nec adolescentem statim à dæmonio liberaret, mora etiam ipsi parenti adolescentis molesta fit. Propterea instat ipse & urget, ac si diceret, Scio morbum atrocem esse, at tamen, si quid potes, opitulare,

Satanas iam iam superandus, mirè futur.

Satanæ infaniam studiū ad perdendū

Christus etiā maximè præfens, suos interdum finit diuexari.

Dominus non nunquā conuiuet ad clamorem suorum afflictorum.

Auxiliū Dei grano simile

misertus nostri. Infirmus & incredulus loquitur, & ad implorandū necessitate impellitur. Dubia & infirma fides hoc agebat, quod morbus puerū affligeret ab incunabulis, & quod discipuli hinc nihil poterāt. Tertio quoque presente etiā Christo spiritus puerū uehemētius discerpebat. Et hæc omnia uerè superasset fiducia in Christū. Iesus autē ait, Si potes credere, omnia possibilia sunt credēti. Cùm ille infirma fide esset, imò dubitaret, nihil poterat impetrare. Propterea Christus uicissim urget, & exigit fidē, dicēs, Si potes credere, hoc est, ego quidē possum uobis subuenire, si saltē tu potes credere. Noli querere, quid ego possim efficere, sed uide, num tu possis credere. Et enim si planè cōfidas, nihil est tā difficile, quod nō possit cōtingere fidenti. Omnia enim possibilia sunt credēti: id est, nihil est, quod credēs & fidens, à Deo nō possit impetrare. Non intelligitur tamen hæc sententia simpliciter, quòd scilicet omnia quæ humano animo allubescunt, sint possibilia: sed omnia, quæ uerbo Domini promissa sunt & fide uiua ex uerbo Domini concipiuntur. Quare, ut tu (inquit) qui rogas pro filio, intelligas uiam, qua sanetur puer tuus, hoc ex parte in te situm esse crede. Dubitas, quid ego possim præstare, credere debes me id quod cupis, & posse & uelle præstare. Ego quidem paratus sum, ut præstem, quod petis. Tu uerò paratus non es, ut capias, quod ego præstare possum. Tantundem capere poteris, quantum credideris. Si diffidas, nihil impetrabis: si credideris, omnia impetrare poteris. Potest quidem Christus simpliciter sanare citra cuiuscunque fidem, sed ordinauit & uoluit fidem, præcipuè eam, quæ per charitatem operatur, medium esse ad impetrandum. Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Ad hanc uocem pater fiducia concepta, spèque certiore, cum profusis lachrymis exclamans, respondit, Credo Domine: sed etiam si quid deest fiduciæ meæ, supple de tua bonitate, & adiuua incredulitatem meam. Verbo, credo Domine, ostendit se habere fidem, & confiteri Christum potentem. Cùm uerò dicit, adiuua incredulitatem meam, significat fidem suam adhuc infirmam esse, qualis frequenter solet esse in magnis tentationibus. Vocat hinc incredulitatem suam, fidei suæ infirmitatem, quam petit corroborari. Non enim succurritur incredulitati, cùm sit prorsus tollenda, sed infirmitati fidei. Clamor cum lachrymis ostendit maximam cordis anxietatem pro curatione filij.

Infirmas fidei quantum incommodet.

Credenti omnia possibilia.

Deus omnia per se potes, tamen propè alligauit fidei potentiam suam.

Incredulitas pro infirmitate fidei.

### Et increpauit illum Iesus.

Cùm Iesus conspiceret concurrentem populi multitudinem ad spectaculum, auidam uidendi, num succederet Iesu quod discipulis non successerat, increpauit eum, scilicet spiritum, id est, uirtute & potentia diuina ad exeundum coëgit. Siue comminatus est spiritui immundo (ut ait Marcus) dicens, Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, abi ab eo, & ne amplius introcas in eum, Marcus narrat, non solum, quid hinc factum, sed etiam quomodo factum sit, uidelicet quomodo sit argutus spiritus malus, quomodo ille exierit & post exitum eius quomodo actum est est cum puero. Hæc increpatio ostēdit indignationem Christi erga Satanam. Qui enim fieri potest, ut nō irascatur Spiritui perditionis, & inimico generis humani, is qui ad saluandos homines uenerat? Quantò enim maior est charitas Christi erga genus humanum, tanto maius est odium illi aduersus eos, qui impediunt salutem hominum. Eam malitiam spiritui malo exprobrat, qua huic puero ademerat & auditum & sermonem. Et non indignatur puero, sed spiritui immundo, dicens, Surde & mute, Spiritui adscribens hanc malitiam adempti auditus & sermonis, qua opus Dei, id est, hunc puerum uitiauit. Deinde Marcus addit præceptum, Ego præcipio, &c. Quod uerbum non sine emphasi & magna autoritate prolatum est, ut agnoscas mandatum nō serui alicuius, sed ipsius Domini. Quod perinde est ac si dicat, Spiritus mute & surde, qui discipulorum meorū imperium contempstisti, audi meum imperium. Ego tibi impero (cuius imperium contem-

Christus indignatur malo lechico spiritui.



Christus mu-  
nificencia sua  
superat peti-  
tiones no-  
stras.

nere non poteris) ut exeat. Addidit autem Dominus, de quo non cogitauerat pater, Et ne posthac ingrediaris in illum. Quo ad monemur Christum abundantius dare, quam petamus. Et ut reprimeret propensum aduersarij animum, qui studet, indefinenter nostræ perditioni, & ut fortior sit, assumit alios spiritus, nequiores se, ut ad id, quod perdere cœperat, regrediatur, & scopo suo potiatur, qui est hominû perditio. Sed hîc Dominus istuc cohibet, dicens, Et ne posthac amplius ingrediaris in eum.

#### Et exiit ab eo dæmonium.

Salubritas  
corporis nô  
ilico tota re-  
dit.

Beatus Marcus modum, quo exiit malignus spiritus, copiosius & apertius narrat, dicens: Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est, sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Hactenus ille. Quemadmodum, Si quid mali est in stomacho, quotidiana toleranda est molestia, metendumque, ne malû, indies magis ac magis auctû, tandem fiat lætifera. Curritur ad medicâ operam, sumuntur potiones medicæ, quibus pellatur morbus, libereturque corpus, & à quotidiana molestia & à metu futuri exitij. Quid autem sit sumpta illa ni medica, pulsôque malo? Totum corpus ita debilitatur, & abiectum proster-nitur, ut periculum, quod futurum olim metuebatur, iam præfens, & per imprudentiam accersitum, irritato malo magis quam curato uideatur: ad eò ut medicus aliquandiu malè audiat, ingratusque sit ignaris harum rerum, donec liquidum fiat, curatum esse ægrotum. Ita & hîc uidet Christum iam malè audire apud eos, qui iuxta carnem iudicabant. Iudicauerunt enim deterius actum esse cum puero spiritu eiecto, quam ante præceptû Christi. Mortuus est, inquiunt, An non factus erat, pristinam illum tulisse miseriam, quam prorsus enecatam esse? Quasi uirtus Christi non uiuificet, sed occidat homines: nec sanct malè habentes, sed miserior-es ac deploratos reddat. At Christus adest, ait Marcus, Iesus autem tenens manû eius, eleuauit eum, & surrexit. Iesus correpta manu pueri erexit illum in pedes, & ille surrexit. Ut agrè credebatur pater, ita agrè sanatus est filius.

#### Et curatus est ab illa hora puer.

Manus Chri-  
sti continen-  
ter requirê-  
da, quæ nos  
erigat.

Erexit Christus iacentem, conspicuumque fecit ex illa hora non perditum, sed curatum esse puerum. Circumstantia temporis, ex illa hora, exaggerat uerbi potentiam. Requiramus & nos hodie hanc Christi uirtutem, & istam manum eretricem qua aduersus omnes aduersarias potestates uictores resistamus. Omnibus enim fidelibus Satanam uicit Dominus: ab omnibus expellit illius malitiam: omnibus confert ueram sanitatem, in ipsum credentibus. Nam rex est ac sponfus electæ suæ Ecclesiæ, liberans ipsum è potestate Satanæ, & afferens ipsam sibi ipsi, ceu peculium, in quo solus per fidem in ipsum regnet.

#### Tunc acceperunt discipuli ad Iesum secretò.

Interea mœror quidam (ut arbitrat Chrysoströmus) occupauit discipulorû animos, metuentes, ne qua culpa sua perdidissent potestatem edendi miracula, cum antea gloriati fuissent etiam dæmones sibi esse dicto audientes: propterea, ut Dominum rogarent, exciti sunt. Tunc id est, posteaquam sanatus est lunaticus, discipuli, ex quadam suspitione ac sollicitudine anxia de amissa potestate acceperunt, non palam, sed secretò, id est seorsum, cum fuissent ingressi domum, ne confunderentur publicè, si fortè aliquid commississent, propter quod ea potestate priuari meruissent.

#### Et dixerunt, Quare nos non potuimus eiicere illum?

Cum Iesus domi solitarius esset, interrogant eum, Quamobrem non potuimus hunc spiritum immundum eiicere, cum potestas hæc abs te nobis semel sit tradita? Hæc quæstio apertè declarat discipulorum ignorantiã, & stupiditatem quãdam, qua

qua putant hanc sententiam, Omnia possibilia sunt credenti, eò quòd dicta esset patri lunatici, solum ad patrem lunatici pertinere, & non ad se. Vnde facilè, qui donati iam fuerant potestate expellendi dæmonem, poterant cognoscere suam incredulitatem, causam fuisse, cur non illis obediisset immundus spiritus.

#### Dicit illis Iesus.

Iesus, ut suorum etiam fiduciam confirmaret, quam oportebat esse tantam, ut nonnunquam & alienæ diffidentia possit esse præsidio, ait.

#### Propter incredulitatem uestram.

Imbecillitas fidei uestræ fuit in causa cur non eieceritis dæmonium, non autem quòd defecerit uobis potestas à me accepta super dæmonia, sed quia non credidistis mihi, & uerbo meo, quod est potentia Dei. Roma. i. Quasi dicat: Vos absque fide ardenti, quæ omnia potest, congregari audetis cum dæmonio. Ideo mirum nõ est, quòd uobis illud non obediit neque cesserit. Vide: non dicit, propter incredulitatem patris lunatici. Nam licet incredulitas illius potuisset impedire eiectio-nem maligni, tamen maluit Christus causam hæc discipulorum incredulitati hoc loco adscribere, quòd, quid sibi deesset, cognoscerent.

#### Amen quippe dico uobis.

Rem seriam & certam dicturus Christus, iurat: Pro certo dico uobis, qui habetis uerbum meum, unde credere potestis. Totus hic locus est commèdatio fidei à suis effectibus, qui illam certam & indubiam sequuntur.

#### Si habueritis fidem, sicut granum sinapis.

Fidem uocat hoc loco, non eam, qua res creduntur tales esse, quales in scripturis proponuntur, aut eam qua creditur promissionibus Dei & apprehenditur misericordia & gratia Dei in Christo Iesu, cui ideo me totum dedo, quæ uocatur fides uiua siue iustificans. Sed eam, qua creditur firmiter, Deo nihil esse impossibile & animus, quodam afflatu spiritus, ad res mirandas perficiendas impellitur, adhærens uerbo firmiter credito, quæ uocatur fides miraculorum, ait Chrysoströmus. Sensus igitur est, In ueritate dico uobis, quòd fidem habenti perfectam & integram ac similem grano sinapis (quod licet sit paruam quantitate, plenum tamen est uirtute, & in proceram arborem excrescit) nihil, quantumuis humano iudicio magnû aut arduum, erit impossibile. De hac collatione, & de grano sinapis permulta dicta sunt supra, 13. cap.

Fides histo-  
rica.  
Fides uiua, si  
ue iustificas,  
Fides mira-  
culorum.

#### Dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit uobis.

Per translationem montium iuxta hyperbolem, intelligit res quaslibet, in orbe grandes, firmas, & immobiles: res difficillimas, & iudicio rationis impossibiles. Quasi dicat fidem habenti ardentem & integram nihil est impossibile, ad eò, ut etiam si monti huic, quantumuis magno & alto, dicat, præcipio tibi in nomine Domini ut locum istum, in quo nunc consistis, derelinquas, atque ad locum alterum transeas, ita sit futurum, ut ille in perfecta fide iusserit, ubi id ad Dei gloriam, utile aut necessarium fuerit. His significat Dominus, quòd fides uiua perficit omnia, impetrat omnia, adsequitur omnia. Credenti nihil impossibile est, iuxta uerbum, creditum: id autem impossibile uidetur, quod uerbo Dei repugnat. Fidelis ea credit duntaxat, quæ sunt ex Deo, & uerbo Dei conformia. Si quis rogauerit, ait Chrysoströmus, Quando montes Apostoli aut successores transtulerunt? Respondimus (inquit) quia multa maiora fecerunt. Multos enim mortuos excitauerunt. Parua certè non sunt, montes transponere, & animam homini reuocare. Si opus fuisset, montes quoque transtulissent. Si autem non fecerunt, non est argumentum impotentia.

Fides uiua,  
omnipotens.

Et montes  
quoque tran-  
stulerunt, ui-  
de epistolam  
Eucherij (u-  
gdan. ad uale-  
rianum, &  
histo. trip.



Hoc autem genus non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.

Oratio & ieiunium artes Satanae elidunt.

Præcipua adducit media, orationem & ieiunium, quibus eiicitur ac pellitur Satanas. Cum dicit, Hoc genus, &c. uniuersum (ait Chrysostronus) demonum genus, non lunaticorum solummodo, intelligit. Ieiunium ergo, quo maceratur & crucifigitur caro, ut corpus offeratur Deo, & oratio, qua mens ad Deum erigitur, & anima offertur Deo, tutantur nos aduersus omnes diaboli artes, impunitates, atque tentationes: atque ad eò omnia uasframenta diaboli eludit, & explodit. Quasi dicat, Varia Satanae malitia, immunditia & tentatio non superabitur, nisi probe instructi sitis abstinentia & precibus ardentibus. Congressuro igitur cum demoniis, præsertim nocentioribus, eò quòd scilicet Deus plusculum interdum malis quibusdam spiritibus permittit, fide sanè opus est non vulgari, sed quæ deprecationi intenta sit ad eò, ut & corpus ab omnibus delitiis & carnis desiderijs abstineat, & quod orat, etiam exorare conetur. Hoc nanque genus demoniorum non ita facile cedit. Debueratis ergo illud aggredi fideli deprecatione, & ardenti, quam & uerum ieiunium comitaretur. Sed fides hæc serua & uiua uobis defuit, eoque inferiores ex hac pugna discessistis. Collige ex his, quòd fidei coniungenda est precatio, & precatio ieiunium aduersus nequitias diaboli, aduersus quem est nobis frequens colluctatio. Ergo arma sumamus, quæ Paulus Ephe. 6. ministrat. Et Pet. 1. 5. Sobrius estote, & uigilate: quia aduersarius uester diabolus, tãquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret. Cui resistite, fortes in fide, supple, ardenti & solida. Rursus aduerte: hoc sermone docuit Iesus, atrociora diuque consueti animi uicia, remedijs grauioribus oportere propelli.

Arma aduersus impressiones Satanae. Inolita uicia grauioribus remedijs propellenda.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus.

Lucas. 9. habet, Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos, Ponite uos in cordibus uestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum, &c. Marcus. 9. sic hæc memorat, Et inde profecti, prætergredebantur, Galilæam: nec uolebat quenquam scire. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis, Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, &c. Quod ergo hic noster Mathæus ait, Conuersantibus, &c. ita accipiendū est, ut perinde sit, atque, Cum iter faceret per Galilæam. Itaque uidetur ordo historiarum sic habere. Vbi Dominus reddidisset: lunaticum sanum patri, stupebant omnes. Dominus autem hunc vulgi stuporē, ac etiam laudes nihil morans, illinc mox digressus, hoc est, ex finibus Cæsareæ, ubi uerisimile est, superiora esse gesta: uersus Hierosolimam per Galilæam iter instituit: utque ad supplicium iam ibat, ita omnium, maximè suorum, animos, ut illud rectè ferrent, confirmare uolebat. Igitur turbis facta ipsius admirantibus, uoluit ac iussit discipulos suos potius cogitare, quæ erat breui passurus, ne crucis scandalo offensus, ab illo (quem modò confitebantur) deficerent. Propterea aiebat, Ponite in cordibus uestris istos sermones. Filius enim hominis, &c. Ac si dicat, Sinite alios mea facta mirari, paulò post aliter sentient, & ad crucem me postulabunt. Ne ergo cum his à me deficiatis, obseruate hos sermones. Futurum enim est, ut filius hominis, &c. Istis cogitandis animum uestrum potius intendite, & ad crucis humiliationē uos parate, ne olim scandalum in me patiamini.

Dominus iubet suis, ut, quæ laturus esset ipse, eum, præcogitarent.

Filius hominis tradendus est in manus hominum.

Docturus suos, quale suum regnum sit coram mundo, nimirum contemptum & ignobile, magnificum uerò & gloriosum in conspectu Dei, concinnculam instituit de sua cruce, & ut præmuniret illos, ne olim uidentes ipsius crucem, scandalizarentur & ab ipso deficerent. Filium hominis se uocat Christus, nempe uilem & contemptam personam coram mundo. Iam qualis Christus habetur, tales & habentur subditi Christi. Tradi Christum, est pro constituto tempore à Deo patre

Christum tradi, quid.

ipsum dari & permitti hominibus ad crucifigendum. A post. Ephef. 1. constitutum hoc tempus uocat plenitudinem temporis. Et Christus inquit, Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper. Manus, potestatem hinc significat.

Manus pro potestate.

Et occidit eum.

En præmium repensum Christo à mundo pro ueritate. Cædes postremus effectus crucis, ponitur pro omnibus præcedentibus causis, quibus itur ad cædem.

Et tertia die resurget.

Quos cruce declarata perturbauerat, modò resurrectione consolatur. Duæ crucis partes ex hoc & similibus de cruce locis, concipiendæ sunt, mortificatio & uiuificatio. Mortificamur enim cruce, ut ad uitam & gloriam resurgamus. Resurrectione sua ostendit Christus suam potentiam, quæ longè superat tyrannidem mundi & potentiam Satanae. Tertia die resurgit Christus ad confirmandum typum, qui erat, Ionas in uentre piscis ad triduum.

Crucis partes duæ, mortificatio & uiuificatio.

Et contristati sunt uehementer.

Quare quæso mœrore tam uehementer affecti sunt? Respondent Marcus & Lucas, quia non intelligebant uerbum hoc. Ex mortis commemoratione dolebant, resurrectionis prædictæ gloriam non cogitabant, crucis mysterium ignorabant. At enim si de cruce magistri tantum dolebant, cur hunc dolorem non subleuabat resurrectionis memoria? Certè opinio de externo regno in hac terra, ad eò infixæ erat discipulis, ut ne clarissima quidem & maximè omnium perspicua uerba de passione Messia intelligere potuerint, aut si quid intellexerint, nihil minus sibi persuaserint. Non enim potuerunt in animum inducere, quòd aliquid mali Messia inferretur: ea propter de resurrectione nihil cogitabant. Rogabis: Quam induerant opinionem de Messia? Haud dubiè adhuc carnalis erat. Cum enim Iesus tot & tã stupenda miracula ederet, habitus est tam à discipulis suis, quàm à vulgo hominum, pro uero Messia, per prophetas promisso. Et hætenus quidem non malè sentiebant, dicentes, quòd Messias esset. Sed præter hoc habebant nescio quam carnalē opinionem de Messia & regno eius, sentientes regnū Messia fore in hac terra corporale & instar regnorum huius seculi, maiestatis plenum: & pollicebantur sibi, si Iesu adhererent, nescio quas felicitates & maiestates terrenas. Ab hac igitur opinione (quæ carnalis est) Christus suos auocat, & quo tempore tãtam sibi gloriam ex miraculis comparabat, ut putaretur Messias: eodem planè concionatur discipulis suis de passione & cruce sua, dicens, Filius hominis tradendus est in manus hominum. Occidit eum, quem uos nunc agnoscitis Messiam. Quibus uerbis perspicue docet se non regnaturum in hoc seculo gloriosè, ac iuxta maiestatem regum huius seculi, sed potius in afflictionibus, ignominia, contemptu, & cruce uitam suam transacturum. Et hoc mœrore afficiebat illos: quod tamen ita futurum in animum non poterant inducere. Nihil enim tale accidere posse Messia cogitabant, rationis iudicio & argumentis excæcati, quæ iudicat gloria gloriam parandam, nec credere potest cruce eundum esse ad gloriam. Sed nec tum patiebatur, ut aures illorum nullam paterentur mortis mentionem. Nondum enim intelligere poterant, quòd Moses & Elias Iesu mortem appellarent excessum, quòdque mors illa salutem esset paritura toti mundo. Attamen licet tunc non intelligerent Apostoli, tamen illos de hac re admonere uoluit, sciens illis profuturum olim ista audisse crebrius. Et ideo dicebat, adhuc multa habeo uobis dicere, quæ non potestis portare modò: Sed spiritus paraclæti, quem mittam uobis, suggeret uobis omnia, quæ dixi uobis.

Apostoli carnaliter de Messia sentiebant.

Christus tunc subicit suis crucis futuræ memoriam, quæ maxime illi à turbis applauditur.

Rationi humanæ crux Christi impersuadibilis.

Et cum uenissent Capharnaum.

Novus est euentus, qui duos insignes locos cõtinet. Alter demonstrat quale re-



gnum Christi sit, uidelicet non de hoc mundo. Alter, quid deceat subditos Christi, regis spiritualis, in regno mundi facere, nimirum sui regis exemplo, ordinationibus & legibus magistratus cum summa animi alacritate obedire. Capharnaū urbs metropolis Galilææ, cui subiectum erat oppidulum Nazareth, in quo conceptus & nutritus fuit Iesus Christus.

Accefferunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum.

Cum igitur Christus, suis comitatus discipulis, introisset Capharnaum, præcipuam Galilææ ciuitatem, in qua tributum imperatorum exigebatur, accedunt telonarij, hoc est, ij quorum erat officium tributa huiusmodi colligere, ad Petrum. Obserua: non per .g. scribendum est didrachma, sed per .ch. cuius nominatiuus singularis est didrachmū, & pluralis didrachma: id quod ex Græco manifestum est, ubi cum articulo plurali dicitur τὰ δὲ δραχμὰ. didrachmum duplū est drachmæ, quæ ualeat tres solidos nostros cum dimidio. Dragma uerò, huius dragmatis, latine donarium dicitur. Drama, dramatis sine .c. & .g. dicitur representatio, ut in scenis agi fabula solet, ubi diuersæ personæ introducuntur: & alijs discedentibus, alijs autem accedentibus, à diuersis & ad diuersos textus narrationis expletur, sicut in comædijs & tragædijs, quod genus carminis (inquit Hieronymus) cantari solebat: unde etiam apud Cantica scribitur, Ante torum huius uirginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis. Porro hic accessus ad Petrum non fit citra diuinam dispositionem, nimirum ut inde corripere contumacia carnis, quæ hic ad eam impatiens & irritabilis est, ut subinde nouas occasiones rebellandi, tumultuâsq; inquirat, uidelicet sibi corradens contrahensque præsidia, quibus adiuta, imperio se se subducatur, ac nulli quicquam pendat. Dominus itaque contumaciâ illam carnis coercens, suo ipsius exemplo hoc ipsum in præsentem docet, quod Paulus hisce uerbis tradidit ad Roma. 13. Reddite ergo omnibus debita: cui tributū, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Magister uester non soluit didrachma?

Verbum, soluit, præsentis temporis est. Græcis enim legitur κλά. Quare hæc non sunt pronūtianda per expostulationem, quasi telonarij cum Petro expostulet, quod magister non soluerit didrachma. Sed per quæstionem legi debet: Soluit ne magister tuus didrachma? Id est, uult ne magister tuus soluere? aut, soluit ne soluere? est ne soluturus? debet ne soluere? an illius est soluere? an motus est illi soluere? Tantam uidelicet parârat sibi autoritatem Dominus apud Ethnicos magistratus, ut suspicarentur illum fortassis nec pendere, nec repetendum quidem tributum ab eo. Tributum, de quo hic agitur, primū Iudæis ab Augusto indictum fuit, Cyrenio præside, qui censum apud Iudæos primus egit. Vnde & Ioseph cum Maria cognata imò vxore sua professus est in Bethlehem. Rursum quia Christus nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ, urbi Capharnaosubiaccens, ex more poscunt tributa, & pro signorum magnitudine à Christo editorum, ij, qui exigebant, non audent ipsum compellere, sed discipulum cōueniunt. De indictione huius tributi Cyrenio præside, Lucas 2. cap. & Iosephus lib. Antiquitatum Iudæicarum 18. cap. primo. Quanquam his locis non exprimitur, quantum pendere oportuerit. Libro autem belli Iudæici septimo cap. 26. scribit idem, Vespasianum, stipēdium Iudæis indixisse ubicunque degerent, binâsq; drachmas singulis annis deferre in capitoliū iussisse, ita ut ante Hierosolymorum excidium templo pendebant. Quantū autem pependerint templo manifestè exprimitur, Exod. 30. ubi sic legitur. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen (id est, qui uenit in censum, siue qui in censu erat à uiginti annis & supra) dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus, numus est ualens quatuor drachmas, quantū & stater ualeat, unde media eius pars (quam uiritim pendebant, cum etiam in sua terra

Christus etiam ethnicis magistratibus uenerabilis.

Tributum. De censu siue professione uide Iosephum lib. antiq. Iudæi. 17.

Census siue professio Iudæorum.

Siclus. Stater.

agerent, ex edicto Augusti) didrachmum est, binas drachmas ualens, id est, quintam partem coronati, hoc est, septem solidos turonenses, qui sunt quinta pars coronati ualentis triginta quinque solidos. Hæc ita expendit uir, iudicio & eruditione magnus, G. Budæus in libro de Aste & partibus eius. Sanctus Hieronymus præter ea, quæ paulò antè ex eo adduximus, hunc locum enarrans, ait: Siue malitiosè interrogant de Christo, utrum reddat tributa, an cōtradicat Cæsaris uoluntati, iuxta quod alij, ut Marci 12. legimus, Rogantes illum, dicebant, licet tributa soluere Cæsari, an non? hæc tamen ille.

Ait, etiam.

Iuxta sensum, & mentem, quam scripsimus exactores census habuisse, Petrus respondet, etiam. Non quod uelit indicare, magistrum soluisse tributum: sed tantum de solutione exactores certos facit. Ac si dicat, Vtique Dominus noster & sollet & uult soluere censum: ne dubitate, certam accipietis per solutionem. Neque enim is est, qui uelit principibus obfistere, aut cuiquam esse scandalo. Ego illum commonefaciam, simulatque separatam à turba illum nancisci licebit.

Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus.

Cum iam domum essent ingressi (nam illic domicilium Christus Iesus habebat) Petrus anxius, captabat occasione sermonis cum Iesu miscendi de soluendo tributo: promiserat enim, nec habebat, quod daret. Tum Iesus, non inscius, quid in animo uolueret Petrus, non expectata eius oratione, anteuertit & præuenit illius interrogationem.

Quid tibi uidetur, Simon?

Scio, Petre, quid habeas in animo: scio, quid à te exegerint in uia telonarij: scio & quod uolueris mihi proponere. Verum unum te interrogo: tu secundum rationem sententiam & æquitatis naturalis dictamen responde.

Reges terræ à quibus accipiunt tributum uel censum? à filiis suis, an ab alienis?

Reges & principes, qui dominantur super terrâ, ac proinde tributa accipiunt, ut principes, an à filiis suis, id est, subditis proprijs, an ab alienis, id est peregrinis & non subditis suis, accipiunt? Interrogat Christus Petrum, quod scit: ut Petrum à iure debiti doceat, & ostendat se esse à censu liberum, & tamen communitatis, tranquillitatisque gratia ex charitate soluere uelle, quod non debeat. Hæc omnia Christus facit, instituendi gratia Petrum, ut discat Petrus, quid hominem pium deceat in mundi regno facere, scilicet, sæpè, cum suo etiam damno, cedere de iure suo, ne offendantur alij.

Iacturam fortunarum facere multo præstat, quàm charitatis accipere.

At ille dixit, ab alienis.

Non solent (ait Petrus) principes terreni tributa accipere, nisi ab alienis, ab iis scilicet, qui non sunt filij, neque familiares aut domestici. Non enim debent filij thesaurizare parentibus, aut eis tributum pendere: sed parentes potius filiis dare & thesaurizare debent. Ab alienis uerò debent accipere terrarum principes, & thesaurum colligere, unde quæ sui sunt officij perficere ualeant, populum scilicet & regnum potestate defendere, & iustitiam cunctis administrare.

Dixit illi Iesus, Ergo liberi sunt filij.

Ex Petri responso infert, se & suos cum filijs essent altissimi, longè meliore iure pro liberis habendos, quàm alios quosuis, etiam filios principum. Quasi dicat: Si ita res habet, ut certum est, ergo filij regū à tributo pendendo sunt liberi. Ac proinde secundum ueritatem ego tributi non sum debitor, quod à me exigitur. Nam omnes regum filij, liberi & à tributo immunes sunt. Sed ego sum filius regis, patris & regis filij.

Christus rex & regis filij.

AAa iij



uidelicet coelestis, regum regis, iuxta naturam diuinam, Dauidis autem, regis gloriosissimi, iuxta naturam humanam. Vos quoque estis à tributo liberi, qui estis domestici atque filij Dei, qui sum princeps regum terræ, & totius terræ secundum diuinitatem uerus Dominus: ergo tributum debitorum non sumus, neque ego filius altissimi patris, neque uos mei discipuli atque filij.

Vt autem non scandalizemus eos.

Insigne Iesu Christi exemplum, quo discimus quid magistratui debeamus. Filius Dei erat, regis regum omnium, cui pater dederat in manus uniuersa. Dū autem in similitudine hominum uiueret, aded nihil uoluit in se desiderari, quod magistratui à subditis debetur, ut etiam miraculo pecuniam, quam illi penderet, pararet, tantoperè cauere à suis uolebat, ne quem uel leuiter offenderent. Vt autē, &c. ac si dicat, uerum ne sumus offendiculo simplicibus ac rudibus illis, quibus occultum hoc mysterium nondum potuit esse cognitum, neue illi quæstioso generi hominum demus occasionē de nobis conquerendi, aut malè loquendi, uel opinandi.

Vir bonus in primis proficit, ne cui sit offendiculo.

Vade ad mare, & mitte hamum: & cum piscem, qui primus ascenderit, tolle.

Citius per miraculum. Christus pecuniam sibi parat, quam uideri uelit magistratui non gerere morem. Cauendum, ne quenquam offendamus, cum in rebus aliis, tum præcipuè in parendo magistratui: Quo contempto, non unus & alter, sed tota respublica offenditur, & dissipatur. Consolatorium est, uidere Dominum, potius miraculo uelle inopia sua succurrere, ut soluat etiam non debitum, quam magistratui occasionem scandali præbere. Ita & tu bono & fideli esto animo, ut morem geras tuo magistratui: hoc si facies, Dominus benedicet labori tuo, abundabis, & non deerit, quod soluas. Sed interim caueant magistratus esse inclementes, & meminerint illius Tyberiani dicti, Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Item illius Alexandri Macedonis sententiæ, Odi olitorem, qui radicitus herbas euellit. Quid quod exactiones nimia parum sunt sceleres, & regna caduca atque respublicas instabiles reddunt, & magistratui infideles? Multo sanè præstabilius est, magistratum fideles habere subditos, quam turgidos loculos. Fide non auro conseruantur, & augentur respublicæ.

Magistratus summa habenda ratio, ne inobedientia nostra offendatur.

Magistratus ne sanguisuga fiat. Tyberij & Alexan. magni apophthegmata.

Et aperto ore eius, inuenies staterem.

Miraculofo & nouo facto demonstrare uoluit Dominus suam præscientiam simul & potentiam, quodque omnes creaturæ ipsi obediunt: itaque ut omnipotentis Dei omnipotens filius sit rex regum terræ, & omnium creaturarum. Quid primum imiter (inquit Hieronymus huc enarrans locum, nescio, præscientiam ne an magnitudinem saluatoris: Præscientiam, quod nouerat piscem habere in ore staterem, & quod primus ipse capiendus esset. Magnitudinem atque uirtutem, si ad uerbum eius, statim stater in ore piscis creatus est, & quod futurum erat, ipse loquendo fecerit. Hæc ille. Verbo, mitte, dat facultatem iaciendi hamum: uerbo, inuenies Petrus accipit uim capiendi, & capit piscem. Simul & cum hæc profert Christus uerba, creat in ore piscis staterem. Stater ualet duo didrachma. Nam cum didrachmum, exigeretur à singulis, Iesus staterem reddi iussit duorum nomine, suo ac Petri. Coniecturam facit hic locus ut dicamus ex institutione Romanorum, transeuntem quemlibet per ciuitatem illam Capharnaum (quæ metropolis erat Galilææ) debuisse dare didrachmum unum, etiam si solus transiret. Si uerò cum sua familia transiret, aut comitatu maiore, non quidem pro singulis illorum, sed pro toto simul comitatu atque familia debuisse persolvere didrachmum alterum. Atque ob hoc exactores telonarij dicebant, Magister uester nõ soluit didrachma? signantes utentes plurali numero, ueluti pro se ac suo comitatu duo didrachma postu-

Christus omnium prescius & idem omnipotens.

Mos Romanorum in exigendo tributo.

lantes. Obserua: quemadmodum Christo iubente Petro immittere hamum, Petrus, uerbum Christi sequutus, capit piscem: ita iussu & benedictione Domini, sequentes uerbum Dei, in nostra uocatione, acquirimus uitam, diuitias, & omnia, quæ nobis usui sunt, aded ut nihil defuturum sit nobis.

Verbum Dei sequentibus nihil deficit.

Et illum sumens, da eis pro me & te.

Aperto ore piscis, Petre, inuenies in eo staterem, id est tetradrachmum unum, duo didrachma ualentem. Quem staterem accipiens, abi ad eos, qui à te tributum exegerunt: & quod sibi putant debitum, persolue illis, uidelicet duo didrachma: alterum didrachmum pro me tantum patrefamiliæ inter uos, alterum pro te ac sociis tuis, pro toto meo comitatu, cuius futurus es princeps, ne de me, siue meo comitatu possint conqueri. Nam in re, quæ non est Deo aduersa, præstat quocunque tandem uti consilio, quam infirmis esse scandalo: & iuri potius nostro cedere, quam infirmis scandalum gignere. Nam non multum uero simile est, quod quidam dicunt, pro capitibus solùm debuisse solui didrachmum, ac proinde pro Petro, cui capite Apostolorum, factam fuisse solutionem alterius didrachmi: Non enim sic erat caput Petrus, ut nouam faceret familiam, præter eam, quam Christus habebat. Neque uerisimile est, tali illum singularitate coram populo eminuisse præ cæteris Apostolis, ut propter ipsum homines rudes duo peterent didrachma, si alioqui suffecisset vnum. Vnde uidetur probabilius, quod unum exigebatur didrachmum pro Christo, ut patrefamiliæ, alterum pro Petro ac sociis, ut familia Christi. Et cum dicitur, pro te, intelligitur pro te ac sociis tuis. Diuus Hieronymus hunc enarrans locum, ait, Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde tributa pro se & Apostolo redderet non habuerit. Quod si quis obicere uoluerit: An non Iudas in oculis portabat pecuniam? Respondebimus: Christus rem pauperum in usus suos conuertere, nefas putauit, nobisque idem tribuit exemplum. Hactenus ille. Aut (ut quidam ait) Noluit, ad proprium personaleque debitum persoluendum, uti communibus bonis, quorum Iudas quæstor & custos erat, exemplum præbens prælati, ut communibus Ecclesiæ bonis non utantur ad propria, sed communia.

Petrus caput & princeps Apostolorum, sed sub Christo capite.

Christus pauper.

Peculium commune non infundum in usus priuatos.

CAPITIS DECIMIOCTAUI.

Epitome.

Humilitatem sectari, & scandalum uitare quantum debeamus, docet per membrorum abscissionem, fratris correptionem, perditæ ouis inuentionem, claus solutionem, & indigni serui repetitionem.

CAPVT DECIMVM OCTA VVM.

Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspēdatur mola asina-



illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspēdatur mola asina-

Quis maximus in regno Dei. Marc. 9. e. Luc. 9. f.

Puellos nos esse oportet.

Suscipere paruulum. Scandalizare. Marc. 9. f. Luc. 7. a.



ria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vae mundo, & scandalis. Necessesse est enim, ut ueniant scandala. Veruntamen, vae homini illi, per quem scandalum uenit. Si autem manus tua uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est ad uitam ingredi debilem uel claudum, quam duas manus, uel duos pedes habentem, mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Bonum tibi est, unum oculum habentem in uitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quia Angeli eorum in caelis semper uident faciem patris mei, qui in caelis est. Venit enim filius hominis saluare quod perierat. Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui centum oues & errauerit una ex eis, nonne relinquit nonagintanouem in montibus, & uadit quaerere eam, quae errauit? Et si contigerit, ut inueniat eam, Amen dico uobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonagintanouem, quae non errauerunt. Sic non est uoluntas ante patrem uestrum, qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis. Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum uel duos: ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo. Et quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelis. Iterum dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super terram de omni re, quaecunque petierint, fiet illis, a patre meo qui in caelis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ideo, assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem milia talenta. Cum autem non haberet, unde redderet, iussit eum Dominus eius uenundari, & uxorem eius & filios, & omnia quae habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens, suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Vi-

De manu uel pede abscindendo. Marc. 9. g.

Erutio oculi

Pueri. Angeli puerorum Ecclesiast. 5. b. Psal. 33. a. Christus quare uenit. Luc. 19. b. Luc. 15. a.

Correptio. Luc. 17. a. Leuit. 19. d. Ecclesi. 19. b. Iacob. 5. d. Deuter. 19. b. 2. Corint. 3. a. Hebr. 10. c. Ioan. 8. cap. Excommunicatio. 1. Thessa. 3. d. 2. Cor. 5. d. Ligare & solueri. Supr. 17. Ioan. 20. f. Consensus in Christo omnia impetrat. Fratri respiciendi semper parcendum. Luc. 17. a.

Debiti mancus

Non parabol.

Secundum scriptur.

Debiti parabol. e. Ponere confert.

f. Reddi solutio fieri.

g. Debiti mancus

dentes autem conserui eius, quae fiebant, contristati sunt ualde: & uenerunt, & narrauerunt Domino suo, omnia quae facta fuerant. Tunc uocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus caelestis faciet uobis, si non remiseritis uniusquisque fratri suo de cordibus uestris.

In illa hora.



Osteaquam uenerunt Capharnaum, & domi prospectum est, ut solueretur didrachmum.

Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes.

Marcus 9. cap. narrat discipulos primum a Christo esse interrogatos, Et uenerunt Capharnaum (inquit) Qui cum domi essent, interrogabat eos, Quid in uia tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in uia inter se disputauerant, quis eorum maior esset. Lucas. 9. cap. commemorat, Christum cognouisse disputationem eorum ipsorum, dicens, Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. Hic uides Marcum dicere, discipulos in itinere disputasse de hac re, antequam uenissent Capharnaum, imò addit rogatos discipulos siluisse. Hac autem uidentur sentire cum nostro Euangelista, dicente Christum interrogatum etiam esse a discipulis, quis maior esset. Saluo meliore iudicio dicam, quod sentio. Reuera disputauerant in itinere de hac prerogatiua. Et interrogati, siluerunt in uia. Cum autem domi fuerunt, subiit rursus ipsorum animos stimulus quidam prerogatiuae. Hos cogitatus uident Dominus, rogat quid in uia tractauerat. Collecti assident Domino, & interrogati respondent, Hoc quaestioni nobis in uia erat Domine, Quis maior sit in regno caelorum.

Conciliatio Euangelistarum.

Quis putas maior est in regno caelorum?

Quidam rogant, Cur in hanc disputationem discipuli uenerant: respondeo, Audierat dictum Petro, Beatus Bariona. Et, tu es Petrus, &c. Et, tibi dabo clauas regni caelorum. Item uiderant Iacobum, Ioanem & Petrum, se relictis, assumptos ad suscitationem filiae Archisynagogi, Matth. 9. & seorsum in montem subductos fuisse. Vnde coeperunt forsan ex eo colligere, istos fore primates in regno caelorum, & somnare tales in regno Christi dignitates futuras, quales uidemus in regum & principum aulis, magna simul flagitantium inuidia, & improbis ambitioforum laboribus. Ideo ad Dominum quaestionem deferunt, quisnam ex Apostolorum numero esset futurus primas in regno caelorum. Quod autem de se, non de aliis loquantur, hoc explicat Lucas dicens, intrauit cogitatio in eos, quis eorum maior esset. Ergo hoc disputauerant, Quis inter se, uidelicet Apostolos, futurus esset primas ac potior in regno caelorum. Sed de quo regno caelorum loquuntur? Chrysostomus exponit de futuro seculo. Quod certe ita (ut ait) intelligi potest. Tamen saluo meliore iudicio, uidetur mihi iuxta totum contextum non solum hic, sed & infra. 20. & Luc. 22. satis apertum esse ex responsione Christi, Apostolos non de caelesti futuro regno, sed de tali, quod in hac uita breui futurum putabant, instar regnorum huius mundi, disputasse. Quia in re plurimum errabant: carnalem enim affectum gerebant, carnale affectantes regnum.

Regni caelorum pro futuro seculo.

Regnum caelorum Apostolis profectu & maiestate regni terreni.



Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum.

Marcus scribit, Et residens, uocauit duodecim, & ait illis, Si quis uult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum, quem cum complexus esset, id est, cum accepisset eum in ulnas suas, dixit illis, &c. Sua Christus uerus autoritate, & serij quicquam traditurus, sedet, quem admodum supra, cap. 5. sermonem summè necessarium habiturus, in primis sedit. Deinde conuocat duodecim ad se, quos sciebat carnali affectu dominandi ductos, ut illos admoneret, regnum cœlorum aliud quiddam esse, quàm quod ipsi censerent: & ut reuocaret eos à sensu carnis ad spiritum. Atque quò infingeret altius, quod docere uoluit, *χρησ* utitur mixta, tam oratione quàm actione constante. Non enim uerbis duntaxat admonitionem instituit: sed factò similitali, quod & rem ipsam ob oculos exponeret, & è memoria nunquam excideret, ut pote quòd puellum arreptum, tanquam uiuum exemplar, statuit in medio illorū, & tanquam doctorem Apostolorum: & si non uerbis, tamen re ipsa loquentem, & hunc prauum affectum corrigentem. Hac chria usi sunt persæpè propheta, eò quòd utilissima sit tum ad docendum, tum ad demonstrandum, & ad permouendum infingendūque animis res, quas commendatas uolumus. Nam actio subiicit rem oculis: uerba, quid sibi uelit paradigma seu exemplum & actio, explicant. Itaque Hieremias non tantum dicit urbem uastandam, sed simul confringit hydrinam, ut interim illud quoque indicet, quàm nullo negotio uastari illa possit. Idem profert iugum, prodit catenas, ostendit has omnibus: deinde uerbis, quid illis uelit, exprimit, omnibusque modis, quod commendatum uoluit, hac ratione inculcat. Dominus hoc ipsum in presenti chria etiam exhibere conatur, ideòque puellum accersitum, primum in ulnas accepit, ut narrat Marcus, ut ostenderet charissimam sibi esse modesti animi simplicitatem & humilitatem. Deinde statuit puellum in medio Apostolorum, ut diximus, & adhuc alienum ab omnibus affectibus ambitionis, & inuidiæ, simplicem, purum, solòque naturæ ductu uiuentē. Mox quid hoc paradiamate puelli effectum cupiat, docet. Proinde attentissimas arrigere aures debemus uerbis Iesu Christi, quoniã non paucos reperias, qui hoc affectu carnali & morbo hodie laborent. Nam postquam alius Euangelium audit, existimat sibi concedi licentiam agendi quiduis. Alius putat, ex Euangelio omnes omnium opes, agros, uineas & pecunias, publicas & communes fieri. Alius opinatur sibi ex Euangelio licere ab omnibus mutuum sumere, nihil autem cuiquam reddere. Alius existimat Christum debere externo suo auxilio statim in afflictione præstò adesse, & liberare, ac nisi fecerit, exclamat totum Euangelium uanisimum esse. Hac certè omnia nihil aliud sunt, quàm existimare regnū Christi esse de hoc mundo. Cùm igitur eodem morbo (quo quondam discipuli) etiam nunc multi laborent, necessarium est, ut & hi, quod Christus hoc loco discipulos docet, diligentissimè obseruent.

Et dixit, Amen dico uobis.

Non parum ponderis habet hoc, quòd Christus admonitioni præmittit grauissimam asseuerationem & obtestationem. Nota enim iuramenti confirmat præmunitione uerba sua: Quæ quanquam omnia uera & certa habenda sint, conspiciunt tamen est quòd ea singulari quadam & serua cum emphasi prolata sunt, atque ob eam rem, singulari quoque diligentia audienda. Rogabis. Cur tanta asseueratione & attestacione hic est usus Dominus? Profectò, quòd fidem nobis quasi extorquere uelit, & admonere nos, nisi credamus, certò perituros.

Nisi conuersi fueritis.

Particula, Nisi, aded facit necessarium hoc unum, quod exigit, & ad quod hor-

Ferè asseuerat Dominus, quod maxime mentibus insculptū cepit.

Regnū Christi quinam putet esse mundi huius.

Affectus carnalis quàm latè hodie dominetur.

Simplicitas & humilitas, Deo gratissima.

Puellus, exemplar & ueluti doctor Apostolorum.

Chria utitur Christus, usi & propheta.

Sedere Christi.

tatur, ut sine illo, non sit cuiquam aditus ad regnum cœlorum. Vos contenditis de primatu & prerogatiua, ac quis primas in uobis futurus sit, & quis maximus saluandus in regno cœlorum. At ego uobis pro certo dico, quòd nisi ab huiusmodi ambitiosis, fastumque & pompam spirantibus disputationibus mētes uestras auerteritis, & religiosè fueritis conuersi, aded non efficiemini in regno meo magni, & illustres, ut ne pro discipulis quidem meis uos agnoscere possim. Rectè igitur Augustinus humilitatē dixit fundamentum sanæ doctrinæ. Primus enim gradus introitus in Ecclesiam Christi & in doctrinam Euangelij, est obeditio & sui humiliatio. Hac eadem est sententia cum ea, quæ Ioannis. 3. dicta est ad Nicodemum, Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest uidere regnum Dei. Obserua: aliò discipulorum quæstio, & aliò Christi responsio prospicit. Nam discipuli quærent de regno cœlorum, quod temporale & carnale futurum, adhuc infirmi, putant. Christus uerò euehit eos ad regnum cœlorum, hoc est, ad Euangelium, regnum spirituale, per quod ad regnum illud beatorum perueniendum est.

Et efficiamini, sicut paruuli.

Hoc est, piæ conuersionis formula, quam Paulus, 1. Corinth. 14. breui complectitur sententia, dicens: Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autē perfecti estote. Ante oculos demonstrato paruulo totam rem posuit (ait Chrysostronus) ipso aspectu eos conuertens atque persuadens. Sensibilia enim exempla in moralibus peculiarem quandam uim habent animum mouendi, & quæ dicuntur, tenendi memoria. Iam uideamus genium & conditionem puerorū, ut & intelligamus, quales oporteat esse discipulos Christi, dum hic uersantur. Hac faciliè discemus ex sententia Petri. 1. 2. Deponētes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, & sine dolo. Hoc conspicuum est, non exigi, ut ad puerorum ætatem, staturam, & rerum ignorantiam ac stultitiam redeamus: sed in eo oportet nos assimilari puellis, ut quemadmodum illi, ita & nos absque omni fastu, malitia, dolo, simulatione & inuidia, modesti, simplices, humiles & aperti simus. Illa paruuli ætas ab omni arrogantia, omni inanis gloriæ futuro, omni liuoris insania, omni contentionis cupiditate, cæterisque huiusmodi immunis est. Cùmque præcipuis muniatur uirtutibus, ait Chrysostronus, simplicitatis scilicet ac humilitatis, de nulla istarum superbit. Ita duplici philosophia ornatur: nam & hæc bona possidet, & nihil sibi ex his arrogat. Horum igitur condiciones habere studeant, qui Christi discipuli uolunt esse. Obserua: non dicit, nisi efficiamini, sicut Abraham, qui necesse habuit patriam suam relinquere: uel sicut Ioseph, qui in carceres coniectus est: uel sicut Ieremias, qui lapidibus obrutus est: sed maluit remittere eos ad pueros, ut quod doceret, præsentis exemplo tenacius inhaereret. At ne quem pudeat exempli puerorum, Christus dignitatem eorum grauissimè explicat. Nam ut ex Marco habes, accepit puerum in ulnas suas. Et ex Luca, discis ipsum imposuisse manus suas super pueros, quæ sunt magnæ dilectionis erga pueros significationes. Deinde commendat eos ab angelorum cura, dicens, Angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei, qui est in cœlis. Ad hæc promittit ipsis regnum cœlorum: Talium, inquit, est regnum cœlorum. Postremò ostendit, ut sequens textus docet, & in Marco, & in Luca, quòd ipse & pater sese pueris ita tradiderint, ut qui benefecerit pueris, Deo patri & filio eius beneficiat: qui malefecerit pueris, Deo patri & filio eius maleficiat.

Non intrabitis in regnum cœlorum.

Vide, non ait, non eritis maiores in regno Dei, quod tolerabilius fuerat, sed nō intrabitis in regnum cœlorum. Quasi dicat, Certum habetote, quòd nisi quis totus fuerit immutatus, ac prorsus abiecerit omnes affectus carnis, transformatusque

Obedientia cum humilitate, sanæ doctrinæ fundamentum.

Paruuli quomodo iubemur esse.

Sensibilia exempla in moralibus magnam uim habent ad mouendū puerorū mores, & studia.

Quatenus referre nos pueros oportet.

Pueris Christus delectatus est.



fuert in habitum & simplicitatem huius paruuli, nec recipietur quidem in regnū cœlorum. Tantum siquidem abest, ut ambienda sit eminentia in regno cœlorum, ut ne ullam quidem portionem, imò ne aditum quidem sitis habituri ad regnum cœlorum cum hac prærogatiua & primatus ambitione.

Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.

Humilitas, que exaltat, quid.

Non que humiliat Deus, sed qui se-metipsum humiliauerit, exaltabitur.

Humilitas omnibus omnium ordinū hominibus necessaria.

Suscipere paruulum in nomine Christi quid.

Paruulus.

Suscipere in facris, quid.

Scandalizare.

Hæc sententia totam rem cōprehendit, & quæstionem dissoluit, Qui seipsum abnegauerit, siue se deiecerit, ut efficiatur huic paruulo similis, hoc ipso maximus erit, q̄ sit minimus in regno cœlorū, hoc est, in præsentī Ecclesia. Nā qui minimus est, is uirtute est maximus. Hæc humilitas, qua demitti debemus, est affectus quidā animi, sese inter quosuis abiicientis, nec sublimia, sed humilia & abiecta sapientis. Idque nō tū tātū, cū magnarū rerū est copia nulla, sed etiā ubi locus est captāde glorię & occasio rerū sublimiū. Vbi uide, q̄ non dicit Christus, Quencūque humiliauerit Deus: sed, quicūq; humiliauerit se. Aliud enim est, uelis nolis humiliari à Deo: & aliud, humiliari à temetipso. De illis hīc loquitur Christus, qui sunt paupes siue humiles spiritu. Humilitatis huius exemplū habes in Christo, lauāte pedes discipulorū, Ioan. 13. Paulus ad istā uerā animi humilitatē nos reuocat per exēplū Christi ad Philip. 2. Hæc humilitas non tollit officia siue laica, siue Ecclesiastica. Talis est, quā habere potest rex quisque potentissimus, episcopus, doctor, pastor, præses, iudex, ac in officio quisque suo, quod diuinitus administrandum suscepit. Breuiter hæc humilitas pertinet ad omnes, etiam eos, qui sunt infimæ sortis. Licet enim illorum res angusta sit domi, & externo habitu sint abiecti, tamen ex humani ingenij corruptione (quæ ex Adam omnibus inest mortalibus) sæpè factum in-tus alunt, quem per affectum cordis humiliati tollere oportet.

Et qui susceperit unum paruulū talem in nomine meo, me suscipit.

Qui susceperit, id est, non offensus fuerit, si paruulus est & humiliatus ad formam huius puelli, imò etiam si habeatur, ut peripsema mundi, & uel hospitio, aut quauis re alia iuuerit talem humiliatū, in nomine meo id est, propter me, & quia talis humiliatus constitetur nomen meum, uel quia audit talem confiteri nomen meum, me suscipit, id est, id omne mihi factum puto, & recipit me filium Dei uiuentis, quanquam talem mundus me non iudicet, abiectioe & demissione meæ personæ offensus. Hic locus commendat pios à dignitate. Qui quanquam sint infirmi & cōtempti, tamen Deo curę sunt, aded ut Christum recipiat, qui illos recipit. Cū igitur omnia opera charitatis sint cū patri, tum filio grata & accepta, meritò illa exercere debemus. Obserua: Paruulū hīc dicit non ætate, sed uirtute, hoc est qui seipsum abnegauit. Rursus obserua, suscipere nō tantū sonat, in hospitium excipere & admittere, sed sese extendit ad quodlibet obsequium uel corporale uel spirituale, ut dicatur suscipere quempiam, qui ulla in re adiuuat eum: quo modo cū apud Paulū Ro. 15. dicitur, Suscipite, inuicem, &c. id est, adiuuate uos inuicē, uobis inuicē proficite, uos inuicē euehere ac promouere in bonis laborate.

Qui autem scandalizauerit unū de pusillis his, qui in me credunt.

Altera pars antithesis. Dixi qui receperit, &c. Ex aduerso quoque grauissimum est malum, ullo nocumento afficere huiusmodi paruulos. Nam si quis scandalizauerit, id est, læserit unum quemlibet ex illis humilibus: aut offenderit, id est, contempserit, neglexerit, atque ita dicto aut facto, aut malo aliquo exemplo occasionem perditionis aut peccati dederit, & à salute, quę est in regno Christi, impedit eos, qui in me credunt, id est, qui mihi fidunt, totique pendent ex me.

Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Expresit supplicij genus (ait Hieronymus) peculiare Palæstinis, quod ob enot-mia

mia crimina solebat exigi. Suspēdebat enim è collo noxij saxum molare, & demergebatur in profundū. Græcis ὄστρον, id est asinus. Vnde mola asinaria, inferior est lapis in mola, & per hunc intelligit prægrandem lapidem. Caterum atrocitate pœnæ demonstrat culpæ magnitudinem. Hoc supplicium, non furum est, sed parricidarum, lege Pompeia quondam definitum. Expedit, dictum est, pro eo, quod est, lenius esset, aut (ut Marcus scribit) bonum est ei magis, si quis infucretur culleo, & præcipitaretur in præterfluentem. Vtilius enim fuerit huic noxio seu scandalizanti fratrem, uitam corporalem, quocunq; etiam infami & publico supplicio amittere, quàm per suum malum exemplum, doctrinam falsam, aut quodcunq; aliud malum factum, perdere animam alicuius pij & fidelis in damnationem æternam. In profundum maris dictum est per epitasim seu incrementum, ut certum notaretur exitium: Perinde enim est ac si dixisset, in medium maris. Nam longius à littore, solet esse profundius. Certum igitur exitium duabus rebus significat, magnitudine saxi, & profunditate maris. Qui igitur offenderit, siue scandalizauerit unum, siue puellum iam doctrinæ capacem, siue aduultum, pium simplicem & fidelem, pœnas daturus est atrociores, quàm si saxo molarī, collo illius alligato, demergeretur in profundum maris. Quid enim sceleratius, quàm eos offendere, qui nulli malè uolunt, qui nulli inuident, nulli se præferūt, & qui omnes amant ex æquo? Porro hoc dicto admonentur primū magistratus, ut magna cura instituunt scholas, in quibus pueri & adolescentes bonas literas ac pietatem discant, quod facient, si Republicam amant, & meminerint hos adolescentes, Magistratui futura Reipub. administratores, sed tales, quales effigiārit schola. Deinde admonentur pædagogi & ludimagistri, ut pueros, fidei suæ commissos, quanta poterunt diligentia, in bonis literis & pietate erudiant. Ad hæc admonentur magistri artificiorum, ut pueros, disciplinæ suæ traditos, fidelissimè, non artificium tantū, sed etiam timorem Domini doceant. Nec solū hoc Domini dictum, sed etiam ipsa natura monet pueros parètes, ut liberos suos in timore & correptione Domini maxima sollicitudine educent. Postremò admonentur omnes seniores, uiri, & mulieres, ut nulli pio, humili, & fideli sint offendiculo: sed uiuant omnes unanimes in uinculo pacis & charitatis, ut uitæ suæ honestate sese mutuò inuident ad sectandam uitæ puritatem.

Væ mundo à scandalis.

Cū acerbitate supplicij ex mola asinaria, significasset grauitatem peccati quod fit per scandalum, mox per digressiuenculam planè patheticam cœpit exclamatio ne subita & eadem pathetica prorsus exaggerare eam, quæ proficiscitur ex scandalulo, perniciem, simul & vaticinari, quid futurum sit. Et hoc, ut offendicula omnia diligentius caueamus. Væ, maledictionem & damnationem significat. Mundum hic dicit non elementa, aut electos, sed impuros, scelestos & reprobos homines, qui & in mundo, & de mundo esse dicuntur, & piis præbent offendicula. Vnde hic mundus scandalis semper est plenus: semper enim uel scandalizat, uel scandalizatur. Hæc exclamatio horribilis est. Væ, id est, maledictio est ipsi mundo, à scandalis, id est, propter scandala, quibus est plenus totus ipse mundus, in maligno positus. Nimirum tum, quia dat scandala, quando falsam doctrinam, sapientiā suam, & alias res, in mundo magnificas, proponit piis, obstacula contra uerbi simplicitatem: tum quia ipse scandalizatur recta doctrina, & necessariis operibus. Væ particula, exaggerat grauitatem supplicij.

Necesse est enim, ut ueniant scandala.

Quandiu mundus erit, omnino erunt scandala. Quia ergo præuidet Christus, mundum, hoc est, arrogantes, impuros, & corruptissimos quosque homines, semper habituros in pretio uitia, quæ mundo inhaerent, qualia sunt sapientia mundi, vitia, quibus scater mundus.



potentia, ambitio, magni honores, falsa doctrinae persuasio, sapere ultra syncerum uerbum, dicit futura scandala. Et quia haec peccata, ut causa scandalorum, semper adhærebunt mundo: ideo manentibus ac operantibus causis, non possunt non sequi effectus. **Iam semper erit stultorum infinitus numerus: semper erunt ad malum procliuēs homines, donec ueniat consummatio.** Ergo necesse est, ut ueniant scandala, id est, omnino ita futurum est usque ad consummationem seculi. A posteriori causa necessitatis esse possunt, ut ueniant necessaria offendicula, quod offendantur & pereant, qui iusto Dei iudicio perire debent. Euentus offendiculorum non est simpliciter necessarius, sed propter antecedentes & sequentes causas. Non est ergo intelligenda absoluta necessitas, quasi non possit efficere Deus, ut non sit ullum scandalum ante consummationem seculi: aut quasi simpliciter non possint homines, cum adiutorio gratiae Dei (quam nemini constat deesse) sibi singuli cauere ab omni scandalo, si admittantur pro uiribus: sed significatur, hoc modo loquendi, quid certò futurum sit: ac si dicamus, Haud dubiè ita est futurum, semper ita se res habebit, non est, quod expectes aliud. Sic enim, cum omnino ac certissimè futurum aliquid significare uolumus, dicere solemus, Oportet te hoc agere, necesse est ut hoc facias. Sic & Apostolus, Oportet & haereses esse. Obserua. Hec oratio, necesse, &c. aetologia est prioris clausulae, quae elliptica est, nisi & huic aetologiae coniungantur, quam asciscis ad redintegrandam sententiam: ueluti, cum dico, Necesse est te febribus esse obnoxium, addendum est, quandoquidem tam uiuis licet. Similiter, Necesse est enim, &c. id est, Quia in mundo nunquā defuturi sunt maligni, qui perpetuò spreto optimis quibusque, & summa cum piorum offensione pergent suas cupiditates prauas persequi, & saepe rebus pessimis sese exantare, ideo dico, Væ mundo à scandalis. Responsabit quispiam: Si necesse est, ut ueniant scandala: ergo impune esse debet, quod uitari non potest. Respondeo. Minimè omnium: neque enim scandala per se sunt necessaria. Et uitari possent, si uitare uellemus peccata. Nam quòd scandala sunt, non est culpa Dei creatoris, sed malitiae tam Satanae, quam humanae. Cur igitur (inquis) Dominus ea permittit? Hic & si cum Paulo Roma. II. exclamandum est, O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! hoc tamen reuelatum est nobis in scriptura: quòd scilicet, cum Deus natura bonus sit, non permitteret malum, nisi esset tam ingeniosus & industrius, ut bonum aliquid per malum conficeret. Omnia certè cooperantur in bonum (ait Paulus Ro. 8.) iis, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Quare cum permittit scandala fieri, ideo permittit ut pij probentur. Vnde Paulus ait, Oportet haereses esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiat inter uos. Ergo (inquis) cum per scandala bonum eueniat, ij, qui scandalizant, siue per quos scandala eueniunt, excusationem habent. Nihil minus. Non enim facienda sunt mala, ut eueniant bona. Et si aliquod bonum per ipsa eueniat, industriae Dei est, qui & malis bene uti potest. Malis enim Pharaonis bene usus est in bonum Israelis. Quod autem scandalum ipsum, id est, offendiculum, quo quis ita retrahitur aut collabatur, ut non pergat ire in uera uia pietatis ac salutis, fiat, impietatis & malitiae hominum est, qui nec bonis quidem frequenter bene utuntur.

Veruntamen uæ homini illi, per quem scandalum uenit.

Ne, qui praebent offendiculum, putarent se impune euasuros, & immunes à poena fore, si cupiditates suas expleant, grauissima supplicia, & insensissimam Dei iram illis minatur: Væ erit illi homini, cuius uitio natum erit offendiculum. Nec malis impune erit, quòd nolint uelint, cum scandalizant instrumenta sunt Satanae à quo captiui detinentur ad ipsius uoluntatem. 2. Timoth. 2. Væ, inquam illis, etiam si hoc fiat ex necessitate iudicij Dei, in quod tamen ipsi non respiciunt offendendo, etiam si fiat in bonum bonis, quod tamen ipsi impij non quaerunt. Sic Iude

Scandala quo modo, ut contingat, necesse.

Scandala quorū distimulat et esse Deū sinit

Malum ideo sinit Deus contingere, ut ex eo eliciat bonum.

Deus malis bene utitur: nos interdū nec bonis quidem bene.

væ fuit, etiam si pater non pepercerit proprio filio, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Ita Christus dicebat, Filius hominis quidem uadit, sicut de illo scriptum est, ueruntamen uæ homini, per quem tradetur. Non erit igitur excusationis locus scandalizatoribus, quin uæ recipiant, nisi resipiscant beneficio à malis desistant. Suprà, & in Ioan. multis locis diximus, scandalum distinctum in scandalum datum, & scandalum acceptum. Datum dicitur actiuum, quod est dictum uel factum minus rectum, praebens proximo occasionem ruinae: & de hoc totus hic locus intelligitur. Acceptum dicitur passiuum, quod est dictum uel factum non malum, quod ascitum siue acceptum est malum, non tua, sed aliena malitia, cum tu nihil peccas, nec dicto nec facto, nihil agis intempestiue aut insolenter, & tamen alius offenditur: quod, quia Pharisaei audito Christo, frequenter eo laborarunt, uocatur scandalum pharisaicum.

Scandalum aliud datum, aliud acceptum.

Scandalum passiuum uel pharisaicum.

Si autem manus tua.

Singulari allusione orationis, à chirurgis petita, docet Christus modum, quo possit à nobis cauere & uitari offensio, praecipuè agens de offendiculo, quod oritur ex causis, quae apud nos sunt. De quibus copiose supra declarauimus cap. 5. ubi ad uerbum idem scribitur textus. Quae causa longè excellit supradictas, quia inhærent in natura, & ideo firmiores sunt ad excitandum offendiculum, retrahens nos à simplicitate uerbi. Imitatur hoc loco Christus optimi medici studium, qui non solum morbi causas & grauitatem aegroti aperit, ut sciat quàm periculose decumbat, sed simul, quid faciendum sit praecipit: & ut infirmitatis suae rationem habeat, admonet, quatinus & si nequeat in uniuersum excutere morbum, uires illi tamen & occasionem inualescendi amputet. Atque hac oratione iubet, quaecunque morbo uires addunt studiosè uitare, nisi uelit de ipsa uita periclitari. Prorsus ad hunc modum uerus ille animarum nostrarum medicus, de uitanda peccati occasione adhortatione suam ornat contra scandala. Nomine manus intelligere possumus propria potentiam, & omnia illa, à quibus iuuaris, sustentaris, & proueris ad potentiam, honores, dignitates, &c. cuiusmodi sunt diuitiae, bona, parentes, liberi, coniuges, amici, &c. quae res & personae maximum praebent offendiculum, cum illa uel deserenda sunt, uel cum altius perlustrantur. Sic enim plerumque cogitamus, Euangelij doctrina uidetur obesse potentiae, honoribus, diuitiis, bonis. Excitare uidetur disidia inter parentes & liberos, &c. Quid si haec doctrina non esset uera? Item, qui Euangelij recipit doctrinam, ille contemnitur, damnatur ab omnibus, fugatur, spoliatur bonis, &c. Quid si haec doctrina non esset recta? Tales cogitationes non sunt rarae, apud illos, qui in contemptu sunt propter susceptum Euangelium, qui propter illud fugati sunt, & suis bonis spoliati. Dicit ergo Dominus. Si autem manus, &c. Ac si dicat, Da operam, ne uel potentia tua, uel honor tuus, aut diuitiae tuae, &c. sint tibi occasio offendiculi, ut à simplicitate uerbi abstraharis.

Simile.

Manus.

Vel pes tuus.

Perseuerat in metaphora, & tacita collatione transit à corpore ad animam. Quæ admodum corpus membra habet quibus mouetur & operatur, & quae tanquam acetabula & instrumenta sunt uoluptatis: ita animus hominis ducitur adfectibus: affectus autem uoluptatibus sese oblectant: ergo adfectus sunt animi membra, qui in scriptura significantur per pedes, Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, & in psal. 25. Pes meus stetit in uia recta: id est, non malè uolui, ut uiri sanguinum. Et psal. 35. Non ueniat mihi pes superbiae: id est, adfectus & cogitatio superbiae. Hi quoties inuitant ad adulterium, scortationem, & immunditiam, recedendi sunt protinus, id est eiciendi ex animo.

Affectus per pedes.



## Scandalizat te.

Id est, te auocare & retrahere à simplicitate uerbi, & puritate uitæ laborat.

## Abscinde eum, &amp; proiice abs te.

Obserua, quanto studio & feruore Dominus hortatur amputandas & prorsus abiiciendas esse scādali occasiones, undecunque irruentes. Leuius fuisse dixisse, caue, obserua, cohibe. Sed quis non uidet quanto desiderio & studio, & quæ penitus uult ut abscindamus, prorsus eruamus, & omnino proiciamus omnē offendiculi occasionē, ut demonstret, quanta sit magnitudo periculi, ut nisi id fiat, prorsus sit periculis: non minus atque si quis uiperam è manu pendentem nõ concitus abripiat & abiiciat. Verbum, abscinde, siue, proiice, emphasim habet, ut indicet pedem prorsus abiiciendum, siue rescindendum, sicut res noxiæ prorsus abiici solent.

## Bonum tibi est ad uitam ingredi, debilem uel claudum, quàm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.

Adhortatio est ab utili & commodo conferuandi uniuersi. Satius enim est, ut pereat pars aliqua corporis, quàm ut uniuersa totius corporis salus in periculum uocetur. Vbi totus homo periclitatur capite, præstabilius est unius membri iactura totius reliqui corporis salutem redimere, quàm seruato membro, luxato & putrescente, totius corporis salutem in discrimen conicere. Hæc ratio habet simile, sumptum ab illis, quibus morbida membra per chirurgos amputantur, ut seruetur, quod reliquum est corporis, sanum. Ad hunc modum & comparata est prudentia spiritus, quæ unicum hunc scopum habet, ut uera ac perpetua salus retineatur, quicquid sit interea aliud, quod sit abiiciendum. Nullus igitur adfectus, nec diuitiæ, parentes, potentia, magistratus, honor, in summa nihil aded charum sit, quin amputetur ilico, si fuerit offendiculo, properanti ad regnum cœlorum. Vitilius enim est tibi ut ad uitam æternam recipiaris, mutilus, aut claudus, quàm ut integris manibus aut pedibus, totus coniciaris in ignem æternum. Per enallagem siue in mutationem dicitur, Bonum est, pro melius ac præstabilius est: ad uitam ingredi, id est, saluari, aut recipere uerbum, quod uitam parit: debilem uel claudum, id est, contemptibilem & ignobilem coram mūdo haberi, quàm nobilem, magnificum & præstantem coram mundo esse, & totum præcipitem fieri in ignem æternum, & inquietudinem conscientie perpetuam habere. Certè hunc animum nobis à natura insitum habere debemus, ut dispendio membri (si aliter fieri non potest) uitam seruemus: cum & bruta animantia hoc ipsum habeant. Nam auicula, laqueo irretita, uel alæ uel pedis dispendio, si id liceat, intentatam perniciem rapidissimè fugit. De Elephantis meminit Solinus cap. 38. quod cum uenatu premuntur, utrosque dentes pariter confringunt, ut ebore donato amplius non requirantur: hanc enim sibi causam subesse periculi sentiunt. Quale est, & quod idem de Castore cap. 23. scribit, uidelicet, quod seipsum castret, sciens quidnam gestet, quare in uitæ à uenatoribus quærat periculum. Iam si tanto studio corporis uita retinetur quantò maiore retinenda est animæ salus ac uita? Quid enim habet eximij momenti, si corpus abscissa dextera seruetur, breui postea moriturum? animæ uerò longè alia est ratio: id quod & Poëta gentilis agnouit, quum canit,

*Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,*

*Arida nec sitiens, ora lauabis aqua:*

*Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?*

*At pretium pars hæc, corpore maius habet.*

Obserua: Claudus dicitur χάλος, cui in altero pede defectus est debiti usus. Debilis χυλός, qui altera manu deficit ad rectum usum. Rursus: caue iuxta carnem

Prudentia spiritus etiam iactura corporis animæ salutem retinet.

Bonum, pro Melius.

Et bruta animantia dispendio membrorum uitæ cupidissimè fugit. De Elephantis meminit Solinus cap. 38. quod cum uenatu premuntur, utrosque dentes pariter confringunt, ut ebore donato amplius non requirantur: hanc enim sibi causam subesse periculi sentiunt. Quale est, & quod idem de Castore cap. 23. scribit, uidelicet, quod seipsum castret, sciens quidnam gestet, quare in uitæ à uenatoribus quærat periculum. Iam si tanto studio corporis uita retinetur quantò maiore retinenda est animæ salus ac uita? Quid enim habet eximij momenti, si corpus abscissa dextera seruetur, breui postea moriturum? animæ uerò longè alia est ratio: id quod & Poëta gentilis agnouit, quum canit,

hunc locum interpreteris, ut quidam fecerunt, mutilantes seipsos. Non enim hic locus significat hominē debere mutilare seipsum, pedēque aut manu aut alio quouis membro truncare, cuius non ipse est Dominus, sed Deus, & cuius non ipse habet potestatem, sed Deus. Sed per membra ista, homini præ omnibus charissima & commodissima, manum, pedem, & oculum, significat nullam rem ita charam nobis esse debere, quātumuis nos consoletur, aut adiuuet, quātumuis etiam sit nobis commoda aut necessaria, quam non pro effugiendo scandalo propter salutem animæ debeamus à nobis libenter abiicere, & prorsus abnegare.

## Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum &amp; proiice abs te.

Id idem pronuntiat ac iubet de oculo, re, tibi omnino charissima, quod te plurima doceat, & multum exhilaret. Sed si (inquit) oculus tuus, id est, tuus doctor, si sapientes omnes mundi, si iudicium rationis, & communis sensus carnis, si quæcunque magni facis in hoc mundo, auocauerint te ab Euangelio, erue omnia. Profectò magni laboris & ingentis difficultatis est istæc erueri, his resistere, & hæc damnare. At enim non erue solùm, sed etiam abiice, ne in negotiis Dei, oculus ille amplius obstrepat. Aliàs in rebus politicis, sapientia, iudicium, & communis sensus rationis, magna dona Dei sunt, nec reiicienda.

## Bonum tibi est, unum oculum habentem, in uitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Magis expedit tibi, ut luscus admittaris in uitam æternam, quàm ut utroque oculo incolumi totus præcipiteris in gehennæ incendiū. Deponenda est sapientia tua, seu mūdi, quæ ne cōferenda quidē est cū stultitia Dei. i. Corin. i. Quoniā stultitia Dei sapientior est hominibus, id est, quàm omnis humana sapientia. Intrare in uitam, id est, suscipere uerbum, in quo est uita, & quo uitam æternam consequeris. Quàm duos oculos habentem, id est, tuæ sapientie, & intelligentie, tuoque iudicio innitentem, mitti in gehennam, id est, in perpetuam irrequietudinem, & perpetuum incendium. Obserua. Pro eo, quod hic dicitur, unum oculum habentem, Græcis legitur μονόφθαλμος, quod Latine dicere possumus, unoculum, uel luscum: quemadmodum apud Marcum interpres uertit. Luscus enim est, non qui distortis aspicit oculis (hic enim strabus dicitur) sed qui altero caret oculo.

## Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.

Eleganti epanodo, seu decoro regressu, redit, sed non sine grauissimis argumentis, ad commendationem pusillorum ac humilium, siue pauperum spiritu, contra tentationes, quibus negotium facit piis & humilibus ipse Satan. Est hic locus tam seria admonitio, ut, quod attentiores nos redderet Christus ad excipiendam exhortationem, subita & grauitatis plena usus sit acclamatione. Videte, Quasi dicat, etiam atque etiam curate, solliciti & diligentes estote, ne pios ac humiles contemnatis, id est, fastidio habeatis seu negligatis, quasi illi propter sui abiectiōnem, & infelicitatem coram mundo, Deo non sint curæ. Non absurdum est, quod à quibusdam dictum sibi scribit Dauid, psal. 3. Multi, inquit, dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Et psal. 21. ad Christum, Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam, aut (ut habet alia trālatio) si, uult eum. Ita contemptus fuit Lazarus in oculis diuitis, Luc. 16. Epicurus, cōsideratā infelicitate hominum, negauit prouidentiam Dei, & asseruit Deum non curare res humanas. Unum, Quasi dicat, tantum abest ut contemnere debeatis multos. Ex his pusillis, qui credunt in me. Non hic pusillos dicit ætate, sed qui humili & contrito sunt corde. Non enim coram Deo aliquid discriminis affert ætas, sed magis animorū qualitas. Ad quem respiciam (ait Dominus, per Isaiam, ultimo cap.) Non dicit ad senem aut iuuenem aut puerum, sed ait, Nisi ad pauperculum, & contritum

Nemo sit sibi homicida aut mutiler membra, que non ex se habet.

Oculi nomine erucendi, quid.

Luscus, Strabus.

Epicurus prouidentiam dei negauit. Pusillos corde, hoc est modestos & humiles que rit Dominus. Aetatem Dominus non moratur.



spiritu, & tremement sermones meos. Porro non est usus uerbo, ne offendatis, ne lædatis, ne perdatis unum ex his, &c. Sed, ne cõtemnatis, &c. Quo uerbo omnem fontem uniuersæ offensionis ac læsionis, quæ pusilli læduntur, & offenduntur, ob-  
turat. Is contemptus dicitur *καταφρόνησις*. Est autem *καταφρόνησις*, humiliter & abie-  
ctè sentire de aliquo, ac minus & infra, quàm de seipso. Qui ita agit, haud dubiè  
facile eò deueniet, ut & offendat & lædat, quem contemnit.

Dico enim uobis, quia angeli eorum in cœlis semper  
uident faciem patris mei, qui in cœlis est.

Prima ratio, sumpta à prouidentia custodiæ angelicæ, & cura patris cœlestis  
erga pusillos. Dico uobis, hoc est, pro certo habetote, quòd pusillos & humiles  
tanti facit pater meus, ut ad custodiam illis assignare, & in ministerium eorum  
mittere dignetur sublimes illas angelicas creaturas. Quæ licet in ministeriũ mit-  
tantur, tanquam administratorij spiritus, propter eos, qui ex hominibus heredi-  
tatem sunt accepturi (ut ait Paulus Hebr. i. cap.) salutis, assiduè tamen contem-  
plantur faciem patris cœlestis, cuius beatifica uisione semper fruuntur, ac nunquã  
sic ad ministerium mittuntur, ut ab interna patris mei uisione recedant. Hinc as-  
timare licet, quanti sint pusilli apud Deum, cum illis tales addiderit custodes ac  
pædagogos. Rudes quidem sunt, labi possunt, falli possunt, sed simplicitas sub-  
ditio digna est, non supplicio. Diuus Hieronymus hunc enatrans locum, ait, Ma-  
gna dignitas animarum, ut unaquæque habeat, ab ortu natiuitatis, ad custodiam  
sui angelum deputatũ. De hac custodia scribitur psal. 33. Angelus Domini immit-  
tet in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et psal. 9. Angelis suis Deus manda-  
uit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. Quo loco promittit Deus defen-  
sionem omnibus iis, qui habent uerbum, & illi credunt. Disce hinc officium angelo-  
rum, ad quod creati sunt à Deo: hoc est, ut ministrèt piis. Vnde ab hoc officio scri-  
ptura, Hebr. i. uocat illos administratorios spiritus. Proinde, hæc custodia maxi-  
mè excitare debet fidem nostram in Deum, quia & porro per omnem uitam nos-  
tram sumus, tum constantiore tràquilliorèque animo in omnibus aduersitatibus  
nostris, scientes angelos Dei fortissimos, nobis additos esse, ceu quosdam propu-  
gnatores: tum temperatiores sanctiorèque in conuersatione nostra, utpote qui no-  
uimus nos habere angelos beatos, omnium ditorum factorumque nostrorum tes-  
tes ac spectatores. Vident faciem patris, id est, beati sunt: adstant Deo patri, & pro  
uoluntate patris seruiunt piis. Patris mei, quasi dicat, qui mei curam habet, & om-  
nium illorum, qui credunt in me. Qui in cœlis est, quasi dicat, qui non humano  
more gladiis, bombardis & armis tuetur suos. Certè extremo cum contemptu &  
odio mundi perficit & suam & piorum gloriam ac tutelam. Quare Paulus. 2. Co-  
rinth. 12. rogans Dominum, ut discederet ab illo Satan, audit respondentem,  
Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur, id est, uirtus mea per  
infirmitatè perficitur. Vnde eodem capite Paulus ait, Cum enim infirmor, tunc  
potens sum.

Venit enim filius hominis saluare, quod perierat.

Secunda causa, cur non sint contemnendi pusilli, sumpta est ab aduentu Chri-  
sti in hunc mundum, & officio eius, quod infirmorum, contemptorum & pu-  
sillorum gratia suscepit. Quasi dicat, humiles & fideles meos ad eò pater honora-  
uit, ut ad eorum salutem perficiendam me, filium suum unigenitũ, ad terras demi-  
serit, ut in mundum ueniens, factus homo, quæreret, quod perierat: & uniuersum  
genus humanum, quod perierat in Adamo, ac sub morte conclusum seruabatur,  
uitæ restituerem, non autem ut magnos ac nominatos à mundo sapientes, do-  
ctos, potentes, iustos, ac sanctos colligam, sed pauperes spiritu, abiectos, & erran-  
tes, quorum mundus nullam habet rationem. Viderint ergo homines, quàm gra-

Angeli, etiã  
huc demissi,  
semper ui-  
dent Deum.

Angelorum  
officium.

Quid nobis  
cõfert custo-  
dia angelorũ

Pater, qui in  
cœlis est.

Christus qua-  
re à patre mis-  
sus in mun-  
dum.

uiter peccent, si, quos tam charos pater, item & filius tam dilectos habet, con-  
templerint.

Quid uobis uideretur.

Quasi dicat: Estote uos ipsi iudices, & ex uestro sensu coniecturam facite, quan-  
topere sit huius negotij pater studiosus, qui natura bonus est, quàmque uelit, ut ne  
quis hominum peccat, quos ideo condidit, ut sint beati.

Si fuerint alicui centum oues, & errauerit una ex eis, nõne relin-  
quet nonagintanouè in deserto, & uadet quærere eam, quæ errauit?

Hæc parabola intimum amorem Domini Dei erga peccatores, ita cognoscen-  
dum proponit, ut de affectu & fauore Dei, prorsus nihil ambigui relinquatur.  
Cum Deus Moyse dixit, Posteriora mea uidebis, facies autem mea uideri non po-  
test, significauit Deum in hoc seculo non posse cognosci, nisi ex uerbis & operibus  
eius. Vnde Paulus, Rom. i. Inuisibilia (inquit) Dei per ea, quæ facta sunt, intelle-  
cta, conspiciuntur. Ideo nunc Deus suam uoluntatè nobis aperit per exemplum  
suæ creationis omnibus cognitum, ac certos nos facit quo animo sit erga homines.  
Iam autem natura comparatum est, ut homo multò maiorem curam & sollicitu-  
dinem cõcipiat ob unam rem amissam, quàm ob omnes ferè alias res, quas saluas  
habet & possidet. Exemplum habes in patrefamiliàs, qui uerus & fidus pastor &  
Dominus quum sit centum ouium, magis est pro errante unica ouicula sollici-  
tus, quàm pro reliquis omnibus adhuc saluis. Extat nõ dissimilia in scripturis ex-  
empla. Iacob magis lugebat unum suum Ioseph amissum, quàm ex reliquis liberis  
adhuc saluis consolationem accipiebat. Dauid magis dolebat propter unum Ab-  
salonem trucidatum, quàm gaudebat propter reliquos adhuc saluos. Hæc exem-  
pla fati apertè docent, naturaliter fieri, ut de rebus amissis lógè maiori cura & so-  
licitudine afficiamur, quàm de rebus adhuc saluis. Atque hic affectus, non est res  
fortuita, aut spontè nostra concepta, sed est opus & creatio Dei. Deus enim qui  
creat animam, creat etiam hunc naturalem animi adfectum, ut plus amissa quàm  
salua nostangant. Certè hunc affectum Iesus Christus induit. Et proponit hanc  
parabolam, ut cognoscamus, uoluntatem Dei erga peccatores propensissimam  
esse, ut saluentur. Accommodemus iam parabolam, Dominus Deus noster est tã-  
quam paterfamiliàs (quo cognomine etiam singulariter gaudet) qui ouem suam  
perdidit. Ouis autem perdita, homo est. Omnes nos (inquit Isaias. 53. cap.) uelut  
oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit. Et psal. 118. Erraui, sicut  
ouis, quæ periit. Vt enim ovis tam stolidum animal est, ut si à stabulis aberrauerit  
citius frigore pereat, quàm ad stabula reuertatur, nec ipsa unquam pastorem  
quærat, sed pastor necesse habeat ipsam quærere, ac cum inuenerit eam, ex errore  
tam stupida redditur, ut ne sic quidem pastorem sequatur, nisi compulsa ducatur,  
aut humeris asportetur. Ita homo, cum per peccatum Adæ semel à stabulis regni  
cœlorum aberrauerit, & uagetur per deserta huius seculi, nunquam in animum  
suum inducit ut uerè ad Deum pastorem suum redeat, ut salutem consequatur:  
Potius enim ducit in peccato, & huius mundi deserto, frigore, ac calamitate pe-  
rire, quàm ad Dominum Deum suum reuerti. Sensus (inquit scriptura Gene. 8.)  
& cogitatio humani cordis, mala sunt ab adolescentia sua. Et iterum psal. 50. Ecce  
in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. psal. 77.  
Spiritus uadens, & non rediens: id est, homo ex se peccat, & non adiutus, resurge-  
re nequit. Cum igitur Deus multam habeat sollicitudinem de re amissa, uideat-  
mus, quãta cura salutem perditæ suæ ouis, hoc est, hominis peccatoris quæsiuerit.  
Postquam posuit arcum fœderis, in quod aspiceret, in signũ extincti diluuij, pro-  
misit Abraham semen, in quò benedicerentur omnes gentes: & reuelauit legem,  
qua homines in agnitionem peccatorum ducti, ad resipiscendum & inquirendum

Deum natu-  
ra inuisibile,  
per opera ui-  
demus & a-  
gnosimus.

Rebus perdi-  
tis magis quàm  
saluis moue-  
mur.

Homo, ouis.

Stupor & so-  
cordia homi-  
nis lapsi &  
deuij, ac de  
salute pericli-  
tantis.

Deo quanta  
nostræ salu-  
tis cura.



femen Abrahamæ per fidem sollicitarentur. Post primum misit prophetas, per quos perditam suam ouem tanto desiderio quæsiuit, ut maluerit ipsos, quamuis innocentes & sibi gratos, extremis periculis obicere, quam peccatores in errore ac intentione derelinquere. Deinde misit suum ipsius unigenitum filium cui in tantum non pepercit, ut etiam tradiderit eum morti crucis, tantummodo, ut perditam ouem suam ab interitu uindicaret, ac seruaret. Ac ne sic quidem curam suam abiecit, sed postquam Christus in cœlum ascendit, misit Apostolos in totum orbem terrarum, ac maluit tolerare, ut & hi crudelissimè trucidarentur, quam ut salutem ouis suæ negligeret.

**Et si contigerit, ut inueniat eam, amen dico uobis, quia gaudebit super eam, magis quam super nonaginta nouem quæ non errauerunt.**

**Et si inuenit eam, imponit eam humeris suis, id est, respiciens & poenitens reponit onus suum (propter quod non potest ipse redire in caulas) in humeros Christi. Ecce enim agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Et Christus fert, uolens, hanc maledictionem, ut ouem benedictione repleret, & gaudens ueniensque domum, ut scribit Lucas. 17. cap. conuocat amicos, & uicinos, & gaudet. Amen dico uobis, &c. id est, pro certo habetote, quod magis gaudebit ob unam ouem receptam, quam de cæteris omnibus, quæ non perierant. Quæ hic, & apud Lucam scribuntur de gaudio & congratulatione, significant Dominum Deum nostrum tanto gaudio excipere peccatorem respicientem, ut non solum ei beneficiat, & in omnibus aduersus eum seruet, & quodammodo humeris suis gestet: sed etiam efficiat, ut propter salutem respicientis omnes creaturæ, adeoque angeli ipsi in cœlo, exhilarentur, congratulentur, & nullo non officij genere ipsum prosequantur meditare pie lector. Quis miserum peccatorem querit? Deus. Quis peccatorem humeris suis imponit & seruat? Deus. Qui nam salutem & respicientiam peccatori gratulantur & ei seruiunt? Angeli. Vide obsecro, quænam est illa, quem Deus ipse in humeris portat, & cui angeli seruiunt. Sed quot (amabo te) sunt angeli? Mille (inquit Daniel) millia ministrabant ei, & decies centena millia adstabant ei. Hoc certè non est numerare, sed innumerabilem numerum designare. Quod si tanta est unius angeli potentia, ut una nocte occidere queat centum octoginta quinque millia hominum, quanta obsecro, erit uirtus innumerabilium? Et hi non tantum congratulantur respicienti, sed conferunt etiam omnem potentiam suam, ut seruiant ipsi, & custodiant eum in omnibus uis suis. O felices oues ad quarum poenitentiam, tanta in cœlo exultatio, tam coram Deo, quam coram angelis eius, excitatur! O ues infelices, si impoenitentia tantam salutem negligimus! Apud Lucam quod dicitur, quænam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent poenitentia, debet intelligi de iis, qui iam ueritatem amplexi sunt, & ambulant in spiritu, licet nunquam non orandum sit, Pater noster, & dimitte nobis debita nostra. Habetur quidem de his gaudium, sed non tam ardens. Gaudium enim, affectus est, qui de recenti bono oritur, & postquam illo aliquandiu quis fructus est, remittitur.**

**Sic non est uoluntas ante patrem uestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.**

Hæc sententia epilogus est causarum, propter quas simplices & pusilli non sunt contemnendi. Simul & accommodatio est superioris exempli, qua Christus ostendit pusillos Deo patri curæ esse. Si sic (inquit) adfectus & animatus est homo pastor, erga gregem suum, quem possidet tantum, non etiam condidit, quanto magis hæc est uoluntas patris mei, qui est in cœlis, ut ne quis pereat ex iis pusillis, quos condidit, & sic habet curam, ut angelos suos horum custodiæ præferat, & his ad sa-

Christus ouem perditam, hoc est, peccata nostra, quæ nos perdebant, imposuit humeris suis.

Respicientis peccatoris amore Dominus nihil non agit.

Homo felix custodia angelorum.

Iusti, qui.

lutem reuocandis, filium suum unicum impedit? Obserua, hæc accommodatione obiter nos moneri, propria uoluntate perire quosdam pusillos (si qui pereant) non uoluntate patris. Nam, quantum ad uoluntatem Dei attinet, Deus uult omnes homines saluos fieri. 1. ad Timoth. 2. & ad agnitionem ueritatis uenire. Siquidem promissiones Euangelij uniuersales sunt. Quod autem non omnes salui fiant, id hominum uel negligentia uel ositantia fit, aut quia non credunt uerbo, aut quia non perdurant in fide.

**Si autem.**

Connexio sequentis loci de correptione fraterna ex affinitate contemptus, & iudicij seu damnationis. Suntque hæc præcedentibus (quibus admonuit Christus ne pusillos contemnamus, ideo quod non sit uoluntas patris, ut uel unus pereat de pusillis suis) adiecta per antypophoram, qua tacita respondet obiectioni, & occupat, seu anteuenit discipulorum animos & cogitatus. Qui fortassis potuissent queri, Si pusilli non sunt contemnendi: ergo nec culpandi sunt, ubi peccauerint? Quid agendum est de eo, qui per iniuriam charitatem fraternam lædit? Est ne loco fratris habendus, & cum pusillis adnumerandus? Acti oratione Dominus paulò antè aduersus scandalizantes, usus est. Quid agendum est his qui scandalizantur? Certè ita sumus comparati, ut peccates in nos, aut prorsus abiiciamus (quasi iam amplius fratres non sint, & planè perdit) aut quouis modo ulciscamur, ita ut utroque modo plurimum hic delinquamus omnes. Quare cum tam infirmi & fragiles simus, ut omnium facillimè peccemus in fratres, idque creberrimè, necessaria omnino est hæc Christi instructio, ad hoc ut nostræ saluti consulamus, fratrum salutem non impediamus, sed magis promoueamus, & mutuè ignoscamus. Ad huius loci sensum usque ad Quæcunque alligaueritis, &c. faciunt quæ supra. 7. cap. scribuntur: suntque ueluti huius loci exegesis. Totus hic locus pertinet ad priuatas iniurias in priuatos. Fiunt autem publicæ quando referuntur ad Ecclesiam: unde dicitur excommunicatio hic esse de publicis criminibus, non tam quia publicè peccatur, quam quia etiam priuatæ iniuriæ, in priuatos, publicæ fiunt, propter illarum delationem ad Ecclesiam, quæ priuatim admonitos publicè excommunicat nolentes audire fratres. Obserua: hoc uerbum Domini de correptione, &c. non passim quemlibet obligat, sed eos maximè qui spirituales sunt, & tales qui in admonendo & corripiendo ualent proficere proximo. Obserua Christi propositum, Quemadmodum patris uoluntas non est, ut pereat unus ex pusillis: Ita nos quoque compositos & animatos esse uult, ut neminem perdamus, sed magis ad exemplum ipsius, quæ perditæ sunt diligentius queramus & saluemus, relictis etiam aliis qui perditæ non sunt. His contrarium agebant Iudæi, quorum quisque delinquentem erga se fratrem, mox ad iudicium rapiendo, planè perdebat ac destruebat, tantum in hoc intentus, ut se uel uindicaret uel sua quereret. Habebant enim hoc consuetudinis Iudæi, ut uel sabbatis uel ieiuniorum diebus in unum collecta Ecclesia, iudicia exercentes, in ipso conuentu quæ malè acta fuerant corrigerent, id quod uides, 3. Regum. 21. in historia Naboth. Hic itaque accusabantur delinquentes, & iudicabantur. Cum itaque abusus iste inter Iudæos obtinisset, quo maximè contra charitatem & curam fratrum peccabatur: uoluit Christus suos ab illo auocare.

**Peccauerit.**

Vult Christus offendicula procul esse à nostro contubernio, quæ pacem dirimunt fraternam, uerum ad sit mutua charitas, qua uicissim alij aliorum erratis amanter medeamur, si qua inciderint. Methodus medendi huic morbo erit, Si peccauerit frater tuus, id est si quid admisit, quod sit animaduersione dignum. Non hinc dicit quæuis errorem, sed grande scelus & offendens: in genere dicit, peccauerit, ne possis excipere offensam aliquam fratri non ignoscendam. Si igitur pro humana

Quare non omnes saluantur, quum Deus uelit omnes saluos fieri.

Excommunicari debent contumaces & rebelles Ecclesie.

Præceptum fraternæ correctionis obseruandum est, quando creditur eo opus esse ad salutem fratris.



fragilitate à concupiscentia abstractus & illectus, aut ignorantia lapsus, aut impij dæmonis suggestionibus seductus, peccauerit.

In te.

In te ut priuatam personam peccauit tali peccato, quo te peculiariter læsit aut quod in eo tu singulariter deprehēdis, quo tu illum lapsum aut etiam lapsi proximum (de quo idem serē est iudicium) aduertis, noli ouem lapsum in foueā (cuius extrahendæ adhuc spes relinquitur) pertransire, noli dissimulare quasi non aduerteris, id quod neque in uacca neque in boue aut quolibet iumento lex Mosaiica patitur, quæ docet nō præterire debere bouem fratris collapsam in foueam, Exod. 25. Peccat ergo in te qui coram te peccat, cuius peccatum est tibi cognitum. In te igitur peccat qui personam tuam læsit iniuria uel contumelia. In te, id est coram te, uel te conficio.

Frater tuus.

Proximus tuus qui tecum audit idem uerbum. Valere profectō debet hæc disciplina admonitionis fraternæ, inter fratres, id est inter eiusdem corporis Ecclesiastici membra & Christianæ religionis consortes, præcipuè exercenda uenit ab his maxime, ut dixi, qui admonendo & corripiendo proficere proximo possunt. Quid salubrius admonitione fraternæ? Quid magis propriè ad charitatem facit, quam conseruare fratrem errantē, ne pereat? Proinde cum ab omnibus creberrimè peccetur & erretur, orandū est ut una nobis spiritu Dei infundatur charitas, quæ nos hinc in uiam restituat. Sed uideris qui Cainam illam uocem imitentur, Nunquid custos fratris mei ego sum? putantes nihil ad se pertinere, quid quisque faciat, quomodo alij uel percant uel saluētur, satis esse ut seipfos curent, uiderit interea quisque, ut uiuit, uel benè uel malè. Hæc cogitatio mala. Nemo sibi ipsi uiuit, ait Paulus Roma. 14. Quomodo igitur uiues proximo, nisi iuuando proximum? Iam quæ maior iuuandi necessitas obuiam it, quàm ubi de salute ac uita periclitatur frater? Quomodo censetur amicus qui in summa necessitate fratrem deserit, & ita deserit, quasi interitus ipsius nihil ad se pertineat? 1. Corinth. 12. Membra sumus inuicem unius corporis. Quomodo stabit hæc ratio coadunatorum in corpore Christi membrorum, si ad te non pertinet interitus alterius membri? Monet itaque nos Paulus huius rei Galat. 6. Ephes. 5. 1. Thessal. 3. 2. Thessal. ultimo, Iacobi ultimo. Curandum igitur est in primis, ut persuadeamur fratris curam & salutem nobis non minus esse commissam, quàm nostram ipsorum. Quandoquidem hæc una Christianorum lex est, ut proximum diligamus sicut nosmetipsos. Dilectio uerò fratris, fratris interitum ferre nequit.

Vade.

Cave proliis ad uindictam, néve silentio tuo sinas illum perire, dum ueluti uinolentus affectibus suis peccat impunè. Sed primū experire remedio quàm maximè blando, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem aspergat.

Vade, Adito, sed prius considerata externa tua conuersatione. Num quid hinc sit, quod corrigendum sit, quod oculis omnium pateat, omniumque ad eò iudicio & conscientis expositum sit: & ut hac in re manu ductionem habeas confer extertam tuam uitam duabus diuinæ legis tabulis.

Vade, Adito, sed prius (si uacat) consideratis & emendatis, quæ internè latent. Nam licet in externa tua conuersatione nihil corrigendum inuenieris, non tamen putandum est te adeptum esse angelicam puritatem. Sunt enim adhuc alia, quæ si inhæcant, nihilominus, imò maiore etiam diligentia tollenda erunt. Agnosce quid intus latet, & corde premis. Hinc foetida latet sordes: odium & neglectus Dei & proximi, animus sui amantissimus, inuidus, zelotypus, iracundus, concupiscentiæ peruerſa, & id genus. Rursus pessimum illud uitium, φιλοδοξία, quo tibi

ipſi primū placens ab omnibus magni aestimari cupis. Hinc aliorum contemptus, iudicium temerarium, superbia mentis, detractio, & id genus. Phariseus ille ieiunans bis in sabbato, & decimas soluens omnium quæ possidebat, iustus erat coram mūdo, sed quanta esset cordis impietas, tu conice ex uerbis Christi. Sed quid pluribus est opus? cum omnia malefacta sint à corde ceu fonte malitiæ operum supra. 15. cap. Sed ut plerique sunt fontes qui sua sponte non emanant, ita & plerique sunt pectora, quæ quod intus premunt non facillè emittant, nisi suo more, nō ad eò cuius notabili. Quare non usque ad eò tibi placeas, si externis uitiis non fiteris notabilis.

Vade, Accinge te uia. Sed agnosce prius, an ea mala, quæ reliqui foras emittunt, tu non in pectore premas. Quòd si premis, etiā si non extra miseris, ex iudicio Dei scis esse mala. Vide igitur, & apud te considera ac meditare. Vadis correpturus aperta idololatria delinquentem: siste pedem, & uide, Tu intus in corde habes idolum tuum. Vadis ad blasphemantem aperto, aut temerario periurio: paulisper ad te redito, Tu per idolum cordis tui, quod honoras, nomen Dei blasphemias. Vadis correpturus exterius Dei sabbatum polluentē: ades dum, priusquam uadas, uide: Tu internè non Deo uero, sed idolo tuo sabbatum agis.

Abis ad corrigendum qui publicè parentes dehonestat: heus tu, in corde etiam parentibus tuis, te digniorem aestimas, & nisi te filium haberēt, planè nihili putares. Vadis argutum manu occidentem: sed agnosce quantus sis in corde homicida: Tu corde & lingua quoque plerunque occidis, dum & inuides & detrahis.

Vadis emendaturus furantem bona fratris: tu interim surripis illi quod reddere nequis, dum famam illius uel apud alios uel apud teipsum in corde tuo lædis. Vadis correpturus mœchum: tu uerò mœcharis cum idolo cordis tui, quod fornicationis genus omnium est pessimū & minus curabile. Vadis arguturus eum, qui coram iudice, falsò de fratre testatur: tu quotidie illud passim & apud quosuis & in corde tuo facis, dum illum & iudicas & defers. Vadis correpturus eum, qui concupiscit quæ fratris sunt, & uxorem & bona: Tu uerò quæ Dei sunt, gloriam & honorem concupiscis, imitatus Satanam qui quod Dei est, desiderabat. Vadis emendaturus ebrium uino qui neminè agnoscit: Tu uerò philautia inebriatus, quosuis contemnis. Vadis correpturus auri sitientē & auarum: Tu uerò quid sitis aliud quàm gloriam? Auarus omnia facit propter aurum: tu uerò propter gloriam & sanctimoniam speciem. Alium uis carpere externo cultu uestiū superbiemtem: Tu quidem fortassis sordidè uestitus externè, intus tibi ipsi purpura indutus uideris. Hæc indicant quòd non satis sit, externis uitiis carere, nisi & interna tollamus. Et proinde qui uolet alios iudicare uel corrigere, uideat ut non solum extertam uitam suam corrigat, sed & internas animi sordes eluat.

Vade. Posteaquam consideraueris & propria emédaueris uitia, non est quiescendum, sed procedendū ad corripiendū fratrem, hoc tamen (si uacat) seruato ordine. Obseruandū enim est, ut suam quisque conditionem perpendat. Si priuatus es, habes fratrem germanum, uel sororem, uel consanguineum: hoc exposcit ordo charitatis, ut hos primū corrigas, qui tibi propinquiores sunt. Si enim ad propinquiorum errata conuiere uelis, non poteris ritè aliorum delicta castigare. Si paterfamilias fueris, in primis considera & emenda domum tuam: neque enim cum fructu alios corriges, tuorum neglector. Videris non paucos in hoc promptissimos ut quæ in aliorum adibus delinquantur dente canino mordeant, uel in cordibus suis secretò iudicent: uerū qui domos suas ritè instituunt, paucos inuenieris. Et in hac tua familia corrigenda, seruandus est ordo. Primò omnium dirigenda est uxor, quæ altera tui pars est, deinde liberi, tertio familia, tum recto ordine foras prodibis. Hic habebis uel consanguineum, uel uicinum, uel contribunū. Si fueris in magistratu, non satis erit uel penes te, uel in adibus tuis inculpatè uixisse, nisi & om-

Emendatus uitiosam & corruptam proximi uitā emenda & corrige.

In dilectione & fraternæ correctione quis ordo seruandus.



nium ciuium delicta publica pro officio correxeris, alioqui illorū perditio à te re-  
tetur. Si Ecclesiæ minister, audies, Si dixerio impio morte morieris, & tu nō dix-  
eris ei, animam illius de manu tua requiram, Ezechiel. 18. cap. Exemplum Pauli  
A. & 20. Quomodo inquit unumquemque uestrum admonuerim nocte ac die.

Vade. Vade tu seruus ad dominum cum reuerentia & decore: Tu sodalis ad  
sodalem amicè: Tu dominus ad seruum cum imperio. Vade mansuetus, non ani-  
mo uindictæ, sed ut ædificetur frater & saluetur.

### Et corripe eum inter te & ipsum solum.

Primus gra-  
das arguen-  
di fratrem.

Adito illum solus solum, non ducas illum ad Ecclesiam ut Iudæi, sed nullis ar-  
bitris rem inter uos transigito. Si nondum agnoscit culpam, corripe, id est mone il-  
lum, & ob oculos pone, quātum aberrarit ab officio fraternæ charitatis. Sit autem  
hæc admonitio inter te & inter ipsum, id est talis, ut declaret, te nihil aliud quære-  
re, quàm ipsius salutem, & amicitia pristinae farturam. Sine ut uidearis in hoc cor-  
ripere fratrem, non ut confundas, sed ut illius salutē quæras, ut ex priuata & man-  
suetudine attendens tuam erga se charitatem, & ex ea procedentem corre-  
ptionem, mansuetudine uictus acquiescat bene monenti. Sic enim est animus ho-  
minis, eius maximè qui nondum in profundum obstinati cordis est immersus, ut  
mansuetudine & charitate magis, quàm duritia & seueritate proficiat: utque eius  
libentissimè suscipiat, de quo habet bonam existimationem amicitia, quam profē-  
tō monstrat, qui sic priuata correptione leniter fratrem corripit. Obserua: Non  
sufficit ut parcas fratri qui te læsit, uidelicet ut benigno oculo, placata lingua, ac  
benefactis tractes eum: sed tibi præcipitur ut cures salutem illius: quod facis, cum  
uerba fraternæ correctionis adhibes. Hoc præceptum affirmatiuum est, quod in-  
telligitur exequendum, quando creditur opus esse ad salutē fratris. Rursus aduerte,  
corripere & arguere hoc loco pro eodem accipiuntur: & est disertè edicere, ob ocu-  
los statuere peccatum, & citra figuram, palàm explanare, ut intelligat quo cum a-  
gis, quàm egerit turpiter.

Quando spe-  
ratur emen-  
datio uitæ,  
argue.

### Si te audierit.

Id est, si ad tuam correptionem respuerit à peccato frater. Hic enim audire si-  
gnificat idem atque correptionem admittere, & cum poenitentia delictum agno-  
scere, fateri & reconciliationem petere. Nam hæc requiruntur ab eo qui læsit, supra  
5. cap. & Luc. 17. sic legimus, Si peccauerit in te frater tuus increpa illum: & si poe-  
nitentiam egerit dimitte illi. Vbi hæc ueniunt obseruanda. Primum, perire illum  
qui non uult reconciliari ei quem læsit. Secundum, reconciliationem hæc exigere  
poenitentiam facti & ueniam petitionem. Tertium, cum qui fratrem arguit delicti,  
debere ueniam petenti remittere offensam.

Lucrari Deo  
proximum,  
quid.

### Lucratus eris fratrem tuum.

Finis in quem tendit admonitio siue correptio fraterna, pariter & admonitio-  
nis fructus, est lucrum fratris, lucrifacias autem Deo, eripias è consuetudine dia-  
boli, cui hætenus per consortium scelerum fuit implicitus: & hic quidem finis &  
modus quoque admonitionis. Vbi enim fratrem lucratus fueris, non longius pro-  
greditur admonitio. Præterea animam Deo lucrari, & peccatorem in uiam redu-  
cere, est lucrum respectu damni quod accidit Ecclesiæ, lucraris fratrem non aliter  
atque negotiator lucratur aliquid in merce perdita & mala, quam recuperat & re-  
staurat. Cum igitur se sanabilem præstiterit & lucratus sit, non est quod ulciscaris,  
aut illum traducas, tibi satis est quod lucrifeceris fratrem tuum. Interim & tuo lu-  
cro consulisti. Periturus enim tibi erat amicus, peritura erat Deo anima.

### Si autem te non audierit.

Quod si grauior est morbus, quàm ut hoc leuissimo remedio sanari queat, non  
est

est prorsus abiicienda spes, nec statim ad extrema remedia ueniendum. Cauen-  
dum enim est ne præcipitemus iudicium de fratre errante, ne facilè damnemus  
illum, & ne festinanter aut temerè reiciamus, tanquàm cum qui non possit cōuerti.

### Adhibe tecum unum uel duos.

Si tibi soli & priuata monitioni non præbuerit aurem, noli desistere salutem  
errantis tui fratris quærere. Rursus adito fratrem adhibito uno aut altero, quos  
apud eum autoritate ualere, & ad eam rem secundum charitatē magis idoneos,  
atque in corripiendo alacres, & efficaces esse noueris. Iam his præsentibus uehe-  
mentius urgeto, quem à consuetudine scelerum depressum cupis: siue ut pudore  
mediocri corrigatur, qui non progrediatur usque ad infamiam, siue ut testimonio  
duorum aut trium possit reuinci.

Secundus gra-  
das corripie-  
di delinquen-  
tem.  
Qui uni cor-  
rectione læ-  
si nō potuit,  
forsitan plu-  
rium moni-  
tione læste-  
tur.

### Vt in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum.

Vt omne uerbum, id est, tota actio inter te & fratrem, totum negotium (Sic enim  
uerbum accipitur, 1. Ioan. 1. Et manus nostræ contrectauerūt, de uerbo uitæ) stet,  
id est certum sit, te nulla temeritate aut præcipitania corripere fratrem. Eo enim  
adiungis tibi testes, ut uel eorum autoritate & præsentia adhortationēque percel-  
latur: uel si ea sit impudentia, qui postea negare uelit, hætenus ne tantillū quidem  
cum ipso de respiciētia actū esse, ut tum isti tres iuxta legē, In ore duorum, &c. testi-  
ficari possint, omnia esse tentata, quæ ad correptionem & emendationē pertinere  
uidentur, sed frustra, illo aspernante omnem adhortationem. Hic Christus respe-  
xit ad Moysen, qui Deut. 17. & 19. cap. nō uult admittere unum testem. Ait enim:  
Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit:  
sed in ore duorum aut trium testium stabit omne testimonium, &c. Vbi Moyses ui-  
detur nos retrahere à facilitate damnandi & iudicandi infirmos atque errantes fra-  
tres, id quod & Christus hinc facit. Assumito igitur hos duos aut tres (quibus priua-  
tim negotium fratris exposuisti) quasi tuæ admonitionis testes, & adiutores, qui  
tecum uno ex ore loquantur, qui simul arguant, simul moneant, simul exhorten-  
tur, ut sic in ore duorum uel trium, sit ualidum quicquid dixeris. Potest & hæc adhi-  
bitio testium intelligi, ut seruiat subsecuturæ delationi ad Ecclesiam, uidelicet,  
ut si secundo monitus non obtemperet, corripens unā cum testibus ad Ecclesiam  
deferat negotium fratris, qui testes perhibebunt testimonium coram Ecclesia,  
quod monitionem priuatam admonitus contempserit.

### Quod si non audierit eos.

Si adhibitos testes noluerit audire, imò fuerit intractabilis, durus, impœnitens,  
& frontis adeò perfritæ, ut omnem contemnat admonitionē & adhortationem:  
pergat autem turpi conuersatione, & sese & alios contaminare, non est desisten-  
dum: adhuc mouere oportet omnem lapidē, ante quàm ipsum relinquant. Quem-  
admodum enim cum iumentum collapsum in foueā, nec per te solum, nec per eos  
quos aduocasti socios, potueris educere, ad Dominum iumentum referendum est  
nuncium, si fortè modum nouerit suum iumentum eruendi de fouea: ita postea-  
quàm & per te ipsum, & per adhibitos testes uiros idoneos, nihil apud fratrem  
proficis, dic Ecclesiæ.

### Dic Ecclesiæ.

Rem defer ad Ecclesiam, id est, ad eos penes quos est Ecclesiastica autoritas, nō  
quod hic intractabilis deferendus sit ad uniuersalem illam omnium sanctorum & ca-  
tholicorum congregationem: sed ad prælatum Ecclesiæ, qui ordinarius iudex est  
fratris impœnitentis, ad quem ex officio spectat inuigilare saluti sibi commissarū  
ouium, utpote penes quem est potestas ligandi & soluendi, ut sic peccantem corri-  
piat, aut in impœnitentia persistentem debita punitione feriat: & tandem uel supe-



rioris potestatis autoritate, uel metu inferendæ punitiois, respiscat, qui semel atque iterum in charitate monitus, benè monentibus acquiescere noluit. Obserua. Hic est tertius gradus corripiendi erratē fratrem, & hic postremus est, quem postea sequitur excommunicatio. Prohibemur & hoc gradu, ne festinemus iudicium, sed sinamus (priusquam excommunicetur errans frater) deliberare Ecclesiā.

**Si autem Ecclesiam non audierit.**

Ceterum si nihil proficiat, & iam reprehensio siue increpatio Ecclesiæ, hoc est si ei penes quem est ecclesiastica potestas legitimo suo præposito, obtemperare recusauerit, eligens permanere in peccato suo, tanquam sanctæ obedientiæ & ecclesiasticæ potestatis contemptor.

**Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.**

Periphrasis excommunicationis his uerbis cōtinetur, Sit tibi, &c. id est excommunicetur, & relinquatur, abscindatur tanquā mutilū membrū à cōsortio fidelium. Hunc habeto pro non fratre, donec respuerit. Nam respiscantibus non est neganda gratia in hac uita. Sic Apostolus scribit Corinthiæ Ecclesiæ, ut illum in gratiam recipiat, qui incestum perpetrauerat, 2. Corint. 2. Vbi & docet Paulus, quomodo excommunicati tractandi sunt, ne immodico dolore absorbeantur, Cū igitur ille insanabilem ad eō sese præstiterit, ut nec secreta fraternæque correptione, nec duorum aut trium conscientia, consensūque, nec prolati criminis pudore, nec præpositi legitimi, seu primorum autoritate respicit, excommunicetur, extra cōsortium catholicorum & Ecclesiæ reponatur, ac talis declaretur per episcopum, aut alium autoritate Ecclesiastica pollentem. Et sit tibi in quem peccauit, & totius Ecclesiæ, (cuius consensu excommunicatus est, Ethnicus, id est habeto eum tanquam qui non amplius curat uerbum: & publicanus, quem nō pudet apertè & publicè spernere iudicium Ecclesiæ. Ceterum qualis fuerat Ethnicorum & publicanorum reputatio, facile colligi potest ex Euangelio, & Paulo ad Ephesios. 2. Certè alieni sunt à gratia, nihil confortij aut communionis habentes cum sorte sanctorum.

**Amen.**

Iurat Christus in re uera, certa, & necessaria, pro utilitate fidelium, certitudinem excommunicationis confirmans, ne cum primores & præpositi Ecclesiæ excent excommunicationem, aliquis dubitet eam esse ratam coram Deo. Vnde totus hic locus est confirmatio excommunicationis, ut spectaculi & iudicij placentis Deo, & certi coram Deo.

**Dico uobis.**

Pro certo habetote uos, quorum interest exercere excommunicationem. Hac ad superiora per antypophoram, seu præoccupationem subiunguntur. Quia dixerat, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, id est excommunicetur, & pro non fratre & prophano habeatur. Vnde poterat excommunicati hæc occulta esse responsio uel tacita cogitatio, Si me despiciunt, & ego eos despicio: & si me cōdemnant, & ego eos condemno: Deus non me condemnat. Hanc igitur tacitā responsionem Christus occupat, dicens.

**Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.**

Docet & declarat cū Ecclesiam, tum Apostolos, & præpositos Ecclesiæ primò habere potestatem ligandi, hoc est anathemate & excommunicatione feriendi, hoc est eiiciendi extra ipsam Ecclesiam. Similiter & obligandi sibi commissos modò legitime sua utantur autoritate. Ad eō ut quod ligauerint, id ratum habeatur in cœlis. Cū dicit quæcunque, uniuersaliter, intelligit de omnibus peccatis: alligaueritis, in personis nolentibus audire, neque fratrem amicè admonentem, neque Ecclesiam & admonentem & præcipientem. Super terram, id est in superstitibus, non in mortuos hanc potestatem ligandi exercueritis. Erunt ligata, id est erunt indonata, & non remittentur: in cœlo, id est coram Deo, qui habitat in cœlis. Ergo formidabilis est excommunicatio iusta, & obseruanda ceu maxima autoritas, utpote cuius sententia de absolutione uel damnatione pronuntiata diuino etiā roboratur iudicio. Sit ergo tibi sicut ethnicus, qui non audierit Ecclesiam. Quare? Quia, qui pertinacia sua meretur à uobis uestròque cōsortio repudiari, is & in cœlis repudiatur, & condemnationi obnoxius habetur.

gaueritis, in personis nolentibus audire, neque fratrem amicè admonentem, neque Ecclesiam & admonentem & præcipientem. Super terram, id est in superstitibus, non in mortuos hanc potestatem ligandi exercueritis. Erunt ligata, id est erunt indonata, & non remittentur: in cœlo, id est coram Deo, qui habitat in cœlis. Ergo formidabilis est excommunicatio iusta, & obseruanda ceu maxima autoritas, utpote cuius sententia de absolutione uel damnatione pronuntiata diuino etiā roboratur iudicio. Sit ergo tibi sicut ethnicus, qui non audierit Ecclesiam. Quare? Quia, qui pertinacia sua meretur à uobis uestròque cōsortio repudiari, is & in cœlis repudiatur, & condemnationi obnoxius habetur.

**Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.**

O magnam Dei bonitatem, & immensam gratiam, in eo quod potestatem facit Ecclesiæ, & ministris seu præfectis ac præpositis Ecclesiæ remittēdi peccata fratrum, & absoluendi illos. Quis satis poterit istam dignitatem ministrorum Ecclesiæ expendere, quod in cœlis ratum esse dicit Christus, quicquid uel ad salutem, uel ad condemnationem peccatorum ab ipsa Ecclesia, seu ab ipsis præpositis Ecclesiæ, seu presbiteris ab ipsa designatis, hinc in terris conclusum fuerit. Quæcunque solueritis, id est soluenda seu condonanda iudicaueritis, & illa remiseritis, siue condonaueritis in respiscantibus, & absolutionem petentibus: erunt soluta, id est cōdonata & remissa: in cœlo, id est coram Deo, id est, Deus in cœlis confirmabit & approbabit ratumque habebit in cœlis quicquid uos à Apostoli mei & uestri successores in Ecclesia presbyteri, præfecti, secundum debitū uestræ potestatis usum in terris egeritis, ut quomodo peccantem & inobedientem fratrem potuistis ligare, atque à sancto consortio proicere, sic & poenitentem obedire paratum possitis recipere in gratiam, ut sit penes uos potestas rescandi infecta, tursūque sanata adglutinandi.

**Iterum dico uobis.**

Declarata potestate iudiciaria ecclesiastica, modò communem potestatem ostendit, quā donantur fideles ad impetrandum à Deo, simul confirmat nos contra paucitatem hominum in Ecclesia aliqua, quæ hinc Eduæ, numerosior est, alibi paucior est. Potestatem autem Ecclesia esse ubi tantum duo aut tres congregati sunt in nomine Christi, ne quis putauerit paruipendendum esse, si pauci declarauerint, ipsum ab Ecclesia abscindendum, & pro non fratre habendum.

**Quia si duo ex uobis.**

Respicit ad id quod dictum est, Si te non audierit, Vade, & adhibe tecum duos aut tres, &c. Non dixit, Si omnes, ne de uniuersali Ecclesia tantum intelligeretur: neque ait, Si multi, ne hæc gratia ad magnam & copiosam Ecclesiam solum referretur: sed ait, Si duo, ut etiam minimi numeri fidelium quanta sit uirtus explicetur. Dico uobis, proculdubio discipulis meis, fidelibus meis.

**Consenserint.**

Tantum est commodum eorum qui in ecclesiastica unitate permanēt, ut si duo aut tres consenserint, fuerint in oratione unanimes, in concordia fraterna in una fide, una spe, una charitate, uno desiderio absque diuisione, tanquam fratres in unum habitantes, consenserint, uel in alligando pertinacem fratrem, uel in soluendo respiscantem, uel in petendo aliquid, & sic in omnibus aliis rebus.

**Super terram.**

Si eodem uiuæ fidei sensu ducantur, non solum circa ea quæ sunt credenda, sed etiam in his quæ sunt super terram, hoc est circa agenda, sustinenda, patienda, & huiusmodi occurrentia in terra. His significat plenam concordiam in his duobus uel tribus concordibus & consentientibus. Tracta similitudine ab instrumento-

A confortio  
fidelium  
propr-  
ius alienus  
fit qui præla-  
ti monitione  
spreuerit.

Christus ap-  
probat pote-  
statem excō-  
municandi  
rebelles Ec-  
clesiæ.

Potestas ex-  
cōmunicādi  
non se est  
dit ad mor-  
tuos.

Magna à  
Christo col-  
lata potestas  
Ecclesiæ præ-  
fectis.

Presbyteri sē-  
tentia diuinā  
sententiā ro-  
boratur.

Magna chari-  
tate exoran-  
dus est Do-  
minus.



rum musicorum melodia, in qua est omnimoda symphonia sonorum, illa melodia auribus hominum gratissima est. Sic est & de oratione qua multi quasi de uno ore, absque dissonantia, in unitate charitatis pro eodem orant negotio: non enim potest huiusmodi oratio Deo non esse accepta.

De omni re quamcumque petierint.

Auxesim siue augmentum habent hæc uerba, De omni re, &c. Quasi dicat, Non solum in eo casu de quo iam locutus sum, sed in re quacumque petita à Deo exaudiemini, siue alligantes, siue soluentes, siue aliud facientes.

Fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.

Hæc est promissio qua pollicetur concordēs & consentientes exaudiendos à patre, qui in cœlis est. Quasi dicat, Ipse est omnipotens, ne dubitemus de potentia exauditoris Dei. Fiet illis, id est, certò impetrabunt à patre meo, ad eò pater amat euangelicam sanctamque concordiam. Cum igitur tantum ualeatis còcordes apud eum principem, non est quòd uos pœniteat uestra potestatis, etiam si apud homines imbecilles & impotentes uideamini. A Cæsare non protinus impetratur quod petitur: nec ille quicquid rogatur prestare ualet. Nec enim ille possit uel febrim depellere, uel muto linguam reddere. Nihil autem tam est arduum, aut incredibile quod pater meus non sit uobis prestaturus, si concorditer ab ipso petieritis. 1. Ioan. 36. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus. Et adhuc planius, Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Huius loci sententia secundum Chrysostomum hæc est: Animaduerte (inquit) quemadmodum etiam hic dissidia & inimicitias dissoluat, & homines ad unam congreget uoluntatem, non pœnarum tantummodò terrore, sicut hactenus uidimus, uerum etiam his donis, quæ à charitate profluunt. Nam posteaquam contentionis extrema supplicia posuit, magna concordie præmia exponit: cum & à patre, qui consensu & charitate coniuncti sunt, facile impetrent quod petunt, & ipsum Christum in medio sui possideant. Hæc Chrysostomus.

Postulans  
conducibilitatem  
uoci sit com-  
pos.

Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Prius promissit concordibus, Accipient quodcumque petierint. Posterius promissum est, Habitabo in medio illorum. Ergo si plures còfenserint, cum Dominum in medio habeant, quid non impetrabunt à Domino? quomodo non mediū in medio ipsorum habebunt Christum presentissimum, & per consequens omne bonum? Ibi sum in medio eorum, tanquam adiutor & director illorū, in eo quod ad gloriam mei nominis tractant, uel postulant. Vbi autem adsum ego, non poterunt non omnia prosperè succedere, & foeliciter transigi. Contrà uerò his qui diuisi sunt ab unitate nominis mei, & fidei, his ego longè absūm. Non illis præsum conciliabilis, sed præsidet in illorum medio Satanas, cuius potestati traditi sunt, quia non de gremio sunt Ecclesiæ. Obserua. Congregare, est uerbum unionis, non discordiæ, cuius est dissipare. In nomine meo, id est credentes in me, & in me fidem uiuam habentes. Ad exauditionem enim requiritur fiducia, qua nò solum te ipsi totum committis, sed etiam apprehendis promissionem factam de exauditione.

Satan præsi-  
det concilia-  
bulo diuisio-  
rum.

Congregare.

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit.

Occasio occasionem parit, & locus cognatus cognatum. Nam ex admonitione de uitando scandalo, eò deductus est sermo Christi, ut instrueret suos, ne abiectione, pusillorum offenderentur, ne còtemnerent infirmos, neque temerè iudicarent errantes fratres. His cognatus & affinis est locus de remissione & ignoscetia,

de qua hic quaerit Petrus: Nam si temerè non est iudicandus peccans frater, sed admonendus amice de peccato: Ergo ubi petit errans frater sibi ignosci, ignoscendum est. Hinc uidetur nata occasio quaestionis Petri de ignoscetia, quæ in regno Euangelij inter fratres perpetua esse debet, nullis circumstantiis, neque personarum, neque locorum, neque temporis alligata, semper peruia & aperta est omnibus pœnitentiam agentibus, & resipiscetibus, dicente Domino, Quacumque hora ingemuerit peccator, Ezech. 18. non amplius recordabor iniquitatum eius. Nota has uoces, quacumque, & non amplius. Ignorantiæ exemplum erat in Petro, si circumstantias prædictas in regno Christi considerauerit.

Domine.

Insinuatio, cum captatione beneuolentiæ. Ex tuis uerbis satis colligimus, debere nos inuicem donare iniurias: quandoquidem etiam in nos peccantes iubemur requirere, & ad uitam rectam magna sollicitudine reducere. Sed remanet mihi dubium propterea quòd dixisti, post tertiam correptionem, sit tibi uelut ethnicus & publicanus, uideris certum numerum præscribere, quem qui transgressus fuerit, etiam si resipisceret, qui peccarat, non esset recipiendus in gratiam. Hac igitur de re exactius doce nos.

Quoties peccabit in me frater meus & dimittamei? usque septies?

Quaestio est de forma ignoscendi seu ratione reiterandi ignoscetiam. Quoties condonabo fratri, si in me peccauerit, & post quotam culpam repelletur à uenia? Num post septimam? Hunc numerum proponebat Petrus, uelut abundè magnum, cum Iesus tertiam duntaxat correptionis meminisset. Videtur Petrus metuisse, ne aut sepius remittendo, causam daret negligentiae & temeritati delinquendi, aut si parcius remitteret, non satisfaceret charitati & saluti fraternæ. Putat autem abundè satis esse, si usque septies remittat, & magis inclinare uidetur in eam sententiam, rarius esse remittendum, quàm sepius. Sumus enim ferè omnes ita comparati ut ægrè dimittamus delinquentibus in nos.

Iniuriosis in  
nos ægrè i-  
gnoscimus.

Dicit illi Iesus, Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

Iesus ostendens facillimos esse oportere ad huiusmodi condonationem, numero certo pro incerto, finito pro infinito ueritur, significans remittendum esse quoties frater resipuerit. Efficiunt quidem septuaginta per septem multiplicata, 490. uerum Christus interim nullum numerum præscribere, continuam autem condonationem docere uoluit. Penitus eximens ex animo Christiano omnem: ulciscendi libidinem. His Christus aperte expendit nostram omnium fragilitatem, quam si mus ad delinquendum proni omnes, quæ pronitas delinquendi maior est quam quæ possit certo numero includi. Ideo oportet nos semper propensos esse ad ueniã condonandam. Deinde aperte insinuat, se non habere rationem dignitatis eius qui legit ac pœnitet, sed salutis & illius qui læsus est, & eius qui læsit. Scit enim salutem nostram sine concordia constanti consistere non posse. Illa autem non est inter mortales, sine perpetua peccatorum remissione. Obserua: In scripturis septenarius numerus est numerus perfectionis. Nam Hebrei per hunc numerum infinitam multitudinem intelligunt, psal. 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, purgatum septuplum, id est, multipliciter & perfectè. Et ad Hebr. 4. pro plenario & indefinito numero accipitur. Et communi loquendi tropo significat sepius, totaliter, & prorsum: ut supra. 12. Et adsumit alios spiritus septem nequiores se, id est sepe multos. Et. 1. Reg. 2. Et quæ fuit sterilis peperit septem, id est plurimos aut multos. Et hic septuagies septies, qui est ingens numerus, positus est pro infinito. Quem tropum indicauit Chrysostomus. Et ita loquimur,

Semper di-  
mittendum  
peccatū illi  
qui nos affe-  
dit.

Septenarius  
numerus est  
numerus per-  
fectionis.



trecentos infere, pro innumeris & millies. In eadem sententia fuit diuus Hilarius. Viderur hic Dominus alluisse ad id quod scribitur Genesis. 4. ubi Deus comminatur ei qui occiderit Cain, poenam septuplam: Lamech autem, qui ipsum occidisset, daturum poenas septuagies septies. Quo significat etiam copiosissimam peccatorum multitudinem, quæ etiam poenitenti condonanda est, & recreationem, qua fuimus recreati sanguine, & resurrectione Christi, quæ est noster septimus dies siue sabbatum nostrum.

Ideo asimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis.

Præsentem Ecclesiam, seu statum, aut administrationem, in qua mera sit peccatorum remissio, uocat hic regnum cœlorum. Status & consilium huius parabola, ad finem capitis ab ipso Domino appenditur paucis hisce uerbis. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus uestris delicta ipsorum. Diuus Hieronymus doctè & rectè huius parabola scopum indicans, ait, familiare est (inquit) Syris & Palestinis maximè ad omnem sermonem suum parabolas iungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Petro sub comparatione Regis & Domini & serui, qui debitor decem millium talentorū à Domino rogans ueniam impetrarat, ut ipse quoque conseruis suis dimittat minora peccantibus. Si enim ille Rex & Dominus seruo debitori decem millia talentorum tam facilè dimisit: quantò magis serui conseruis suis debent minora dimittere? Hæc Hieronymus. Ideo asimilatum, &c. Quasi dicat quia inter fratres perpetua debet esse ignoscencia, ideo sic se habet regnum cœlorū, quomodo subsequens indicat parabola, de homine rege qui uoluit rationem ponere computumque suscipere à seruis & debitoribus suis, atque ab eis exsolutionem exposcere. Aut sensus est: Sic se habet cum regno cœlorum, sicque agere oportet eos qui in regno Ecclesiæ conuersari, uel ad regnum gloriæ, peruenire desiderant, quomodo parabola subsequens indicat, quæ est de homine rege, &c. Hic rex pater est cœlestis, seruus debitor, quilibet homo peccator, qui peccado fit debitor Deo. Quoniam ipsi peccat homo, & ipsi fit per peccatum ad poenā obnoxius. Cum debitoribus rationē ponit Deus, quoniam à peccatoribus uult placari, & suum honorem, cui per peccatum derogatur, uult restitui.

Et quum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

Hic nobis adumbratur eximia Domini bonitas, remittentis nobis benignè peccata nostra. Et amplificatur quidem illa per debiti magnitudinem. Posuit enim decies mille talenta, pro debito maximo, & ut sic dicam, insolubili. Certè si Deus uellet nobiscum stricto iure agere, nemo nostrum saluaretur. Ideo enim & David dixit, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. De talento Iullius Pollux lib. nono, hæc tradit. Atticum talentum sex millia drachmarum ualebat Atticarum: Babylonium uerò septem millia, Aeginæum decem millia, Syrium mille, & quingentas, iuxta Atticæ drachmæ rationem. Hæc Pollux. Talentum ualet sexcentos coronatos. Iam & aureum est talentum. Dubium igitur esset de quo talento sermo Domini intelligendus esset, nisi constaret Dominum per maximum numerum significare uoluisse debitum ingens: Cum autè dicitur, Iussit eum uenundari, & uxorem eius, &c. ex more gentis dictum est. Erat enim antiquitus lex, ut qui soluendo non esset, is

Rex clementissimus est Christus, cui debitorum sumus quando eum offendimus.

Non est soluendo peccator, nec ad eum dignum potest satisfacere pro suis sceleratissimis uitis. Talentorum non idem ualor.

obligatus addiceretur creditori, luiturus corpore, id est opera, quod are non posset. Extat apud Gellium libro Noctium Atticarum 20. cap. 1. lex duodecim tabularū, quæ iubebat diffecari corpus eius qui multis creditoribus deberet, nec esset soluendæ rei. Explicemus hanc partem. Decem millia talentorum debet peccator, quoniam in multis offendimus omnes, & septies in die cadit iustus, propter multitudinem & magnitudinem peccatorum, quibus Deum offendimus. Vehemèter enim magnum est debitum quo Deo obligamur, tum propter grauitatem, tum propter frequentem iterationem & multitudinem peccatorū. Tanto igitur obnoxium debito iubet Dominus uenundari cum omnibus quæ ipsius sunt, quando per uerbum & prædicationē terribilia minatur peccatori si non recõdilet, per poenitentiam, ut comminationibus huiusmodi eum auocet, ne ultra adiciat debita, seu ne prioribus peccatis plura addat. Cum dicitur, iubet uenundari, urget Deus solutionem pro peccatis. Sed cum non simus soluendo, & dicamus nos adhuc seruos inuertes, ubi etiam fecimus quod debueramus, quare sic hanc solutionem Deus urget? Respondeo. ut ducat nos ad cognitionem debitorum nostrorum, & infirmitatis, atque inopia nostræ, quò intelligamus nos tanquam ex nobis non sufficere ad præstandam solutionem, & inde confugiamus ad misericordiam Dei in Christo promissam. Hic est qui nostro nomine siue pro nobis semel in uniuersum satisfecit pro debitis totius mundi. 1. Ioan. 2. Et ad Hæbræos 10. Vna oblatione in sempiternum consummauit sanctificatos.

Peccator ultro culpam suam agnoscat, & improprie roget condonari sibi ueniam, & cetero ueniam conseruetur.

Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens, patientiam habe in me, & reddam tibi.

Debitor comminatione Domini exterritus, procidit ad pedes Domini, dilationem petens supplicij. Is peccator est qui mutata sententia uenit supplex ad misericordiam & clementiam diuinam. Patientiam habe in me, hoc est, miserere mei, omnia reddam tibi, non ex me, sed ex filio tuo, cuius satisfactionem pro meo peccato offero, hoc est rogo te ut propter filiū tuum Iesum Christum parcas mihi, & remitte mihi debita mea, & peccata grauissima, propter quæ, agnosco me dignum ira tua: sed, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Patientiam habe in me, hoc est longanimiter age, uel longanimis esto erga me.

Non nisi orati ignoscitur

Miserus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Auditus serui precibus (ut sunt reges magnanimi, simul & munifici atque liberales, maximè autem pij erga supplices) non solum seruum impunitum abire permisit, uerum etiam debitum omne ex abundanti munificentia liberaliter dimisit, quod ille quidem postulare nõ ausus fuerat, ita expectationē & postulationem uicit clementia Domini: ita cœlestis pater precibus poenitētis flexus, postulanti dilationem dat & remissionē. Tam enim benignus & liberalis est, ut supplicum uota bonitate semper excedat: conceditque tempus poenitendi, dimittens peccata omnia serio poenitenti.

Deus humilitate poenitentis uictus plura tribuit quam ab eo petatur.

Egressus autem seruus ille inuenit unum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens, redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Hac secunda parte depinguntur maligni hominum mores, malè respondentium bonæ Dei gratiæ, præsertim fastus & insolentia eorum, qui cum multorum debitorum condonationem à Deo acceperint, nolunt aliis parua sæpè noxam aut



debitum remittere. Emphaticè pronuciandum est, seruus ille. Quasi dicat, cui multa, id est decem millia talentorum remissa sunt, egressus à rege, fortè fortuna inuenit unum de conseruis suis, id est proximum suum in eodem regno caelorum morantem, idem uerbum audientem, sub uno rege militantem, debitorem centum denariorum, quæ summa modica est, si illam conferas ad debitum remissum. Cui durè ait, Redde quod debes. Mimesis uerborum, nolentium remittere noxam fratribus proximis. Et procidens, &c. Gestus fuit proximi ex animo cupientis reconciliari offenso, sicut & rogare opus est illius desiderij. Ille autem noluit. Hic habes exemplum impatientiæ in seruo insolenti ex gratia, qui conseruum (cui paucillum pecuniæ dedit) mirificè excarnificauit, & miserabiliter supplicem tandem in uincula coniecit. Huius rei indignitas amplificationis collatione increfcit. Nam ibi rex remisit debitum seruo: hic sauit in conseruum seruus. Rex non iniicit seruo manum: at seruus inuolat in conseruum, iniecta que illi manu, obtorto collo trahebat. Seruus ueniam precatus facilè exauditur: at idem conseruum supplicentem non modò non repellit, sed insuper coniecit in carcerem. Budæus lib. 2. de a. se, sequutus Plinium, censet denarium & drachmam eundem fuisse nummum, aut eiusdem certè ponderis & æstimationis. De drachma dictum est supra, cap. 17.

Denarius & drachma eiusdem æstimationis.

Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt ualde. Et uenerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.

Non potuit non uehementer spectatorum conseruorum oculis displicere tyrannica illa crudelitas, ab eo præsertim facta, quem sciebant tantam expertum fuisse Domini clementiam, quandoquidem natura homo crudelitatem & iniustitiam execratur, in his potissimum qui priores ipsi experti sunt misericordiæ & clementiam. Cum igitur uidissent tantam crudelitatem conserui in conseruum, dolore graui commoti, rem omnem denarrant Domino, cum querimonia oppressori indignantes, & oppresso cõdolentes. Egressus ille seruus postulans centum denarios solui à conseruo, adumbrat eum qui pro offensa in se commissa exposcit uindictã. Seruus in conseruum manus iniicit, & stringit apprehensum gutture, cum rex nihil tale in seruum egisset, quoniam pro leui offensa solèt subinde homines multo grauiores ab inuicem uindictas exposcere, quàm exigat Deus pro peccatis plurimis atque grauissimis. Seruus rogat conseruum, sed nihil impetrat, etiam quado is qui offensus fuit nullis flectitur precibus eius qui læsit, quin ius suum extremum exigat, & uindictam quam meditatur exerccat, etiam si pro sua uirili is qui læsit pollicetur totam sarturam, aut rationabilem satisfactionem. Mittit seruus conseru in carcerem pro paucillo, donec uniuersum debitum reddat, quando pro leui offensa plenam exigit homo uindictam, nihil de suo uolens iure cõcedere, ubi Deus totum liberaliter dimittit, tam immensum debitum. Mœrore afficiuntur conserui, quoniam non potest non uehementer displicere sanctis, & angelis, ista tyrannis seruorum aduersus inuicem, qui tam liberalem erga se experiuntur Dominum. Rem denarrant Domino, quoniam sancti homines & angeli Dei pro miseria afflictorum & eorum qui opprimuntur, quærentium & non inuenientium à fratribus suis misericordiam, orant, & diuinæ iustitiæ reuerentiam aduersus illos pauperum oppressores inuocant.

Homo summo iure agit cum debito suo, Deus uerò leniter amice & benouolè.

Tunc uocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, non ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui miserus sum?

Audita tam immani crudelitate & tyrannide, Dominus reuocauit ad se seruum

cui condonarat omnia. Serue (inquit) male, & crudelis nebulosus, quæ est hæc quam de te audio inaudita crudelitas? Nonne ego Dominus tantam summam tibi condonavi, non ob aliud nisi quod supplex rogares me, tibi dilationem solui postulasti, totum debitum dimisi: non igitur par erat, ut tu conseruus conseruo paululum pecuniæ condonares? Quod si etiam in integrum non tibi uisum fuisset debitum dimittere, ut ego tibi dimiseram, nonne ut minimum, dilationem quam ille postulabat, in memoriam præstitæ tibi misericordiæ, rogati debueras concedere? Tu autem in nullo profus miserus es conserui tui, oblitus omnis misericordiæ, quam ipse iam senseras. Tibi itaque qui noluisti erga conseruum facere misericordiam iudicium fiet amodo sine misericordia. Certè in die iudicij quando ueniet Christus in maiestate, implacabilis erit ira Dei, quæ in hoc mundo placari per penitentiam potuit. Obserua, hoc uerbo, Quoniam rogasti me, causam propter quam ignoscat Deus.

Ignoscat Deus quando rogatur.

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet uniuersum debitum.

Rex ille qui antè cum rationem poneret tantum per comminationem uerbo uerius quàm animo irascebatur, ut seruos perterreret, & ad rationem excitaret, implacabiliter iratus mox sua sententia definitiua, consimile aduersus eum protulit iudicium sine misericordia, quale aduersus suum conseruum ille exercuerat, tradens illum tortoribus seruandum in carcere, donec resoluere totam summam prius condonatum, quam quia omnino non potuit soluere ob debiti magnitudinem, in tormentis illis permanere illum necesse fuit. Obserua: Peccatum remissum non reddit puniendum. Non enim amplius recordatur remissorum: sed ob ingratitude nem & reciduum dicitur puniri.

Peccata penitentia dimissa, ob ingratitude puniuntur.

Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non miseritis uniusquisque fratri suo de cordibus uestris.

Accommodatio parabolæ in qua idem docetur, quod in petitione dominica: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Remittentibus debitoribus suis, promittitur remissio à Deo: non remittentibus promittitur referuatio peccatorum apud Deum. Remittendum est ex corde. Impium enim & hypocriticum est ore condonare, & in corde repositam seruare iniuriam. Sicut illi impij loquuntur de compositis iniuriis: Composita est iniuria, sed alta adhuc hæret mente. Item, Condonata est iniuria, sed nondum tradita obliuioni. Totus hic locus monet de forma ignoscendi & condonandi peccata.

## CAPITIS DECIMINONI

Epitome.

Cum libelli repudij rationem tentantibus reddidisset, triplices esse docuit eunuchos, ac diuites reuiciens, paruulos complectitur, & pauperes æterna uita donat.



Sanatur infirmi. Marc. 10. a.

Genes. 1. d.

Genes. 2. d. Ephef. 5. g. 1. Corint. 6. d.

Libellus repudij continebat repudiationis causam, repudiatam, & substantiam ei assignatam. Deuter. 24. a. Marc. 10. b. Luc. 16. d. 1. Corint. 7. b.

Eunuchi.

Manus impositio cum oratione. Marc. 10. b. Luc. 18. c.

Vita aeterna possessio. Marc. 10. b. Luc. 18. d. Mandata seruanda. Exod. 20.

Perfectus. Vendere possessiones.

Diues.



Factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, migravit a Galilea, & uenit in fines Iudaeae trans-Iordanem: & secute sunt eum turbae multae, & curauit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisei tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam

fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae: & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi, Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras. Ab initio autem non fuit sic. Dico autem uobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur. Et qui dimissam duxerit moechatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis, Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt. Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat. Tunc oblatus est ei paruulus, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus uero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire. Talium est enim regnum caelorum. & cum imposuisset eis manus abiit inde. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam uitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem uis ad uitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quae? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulteraberis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodiui a iuuentute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & ueni sequere me. Cum audisset autem adolescens uerbum, abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen amen dico uobis, quia diues difficile intrabit in regnum caelorum. Et iterum dico uobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum. Auditis autem

his, discipuli mirabantur ualde, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, dixit illis, Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam aeternam possidebit. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

Saluari est potestatis diuinae.

Relinquere omnia, & Christum sequi.

Marc. 10. d.

Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos.

Atenus declarauit Euangelista, quomodo Christus suos ad beneficentiam erga simplices hortatus est, & ad lenitatem erga delinquentes instruxit, differendo de correctione fraterna, de adhortatione superioris, & excommunicatione, deque curandis & tollendis offendiculis, & de facili condonatione delictorum. Iam pergit describere disputationem siue colloquium, quibus uariae quaestiones de recte instituenda fidelium uita explicantur. Confutantur interim errores multi, quibus corrumpuntur bona Dei instituta, erratique rerum diuinarum imperitia.

Migravit a Galilea, & uenit in fines Iudaeae trans-Iordanem.

Relicta Galilea recepit sese Iesus in fines Iudaeae trans-Iordanem, uelut occurrens ad futuram mortem, quam clanculum moliebantur Pharisei. Et Luc. 9. cap. uidetur haec profectio Domini fuisse ultima, qua Hierosolymam petiit. Factum est autem (inquit) dum complerentur dies assumptionis eius (id est circa tempus passionis, quo fuit Christo patiendum) & ipse faciem suam firmauit, ut iret in Ierusalem: mox sequitur, Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. De hac profectioe loquutus est Christus discipulis suis supra cap. 16. & 17. Qua praemissione & uerbo Lucae, faciem suam firmauit ut iret in Ierusalem, ostenditur quanta animi constantia uolens subierit pro nobis mortem. Huius exemplo monemur, quanta fiducia debeamus aggredi, ea quae scimus nobis diuinitus (ut ut tristitia) esse iniuncta. Animo hic opus est masculo, forti & constanti: nihil haesitandum, sed constanter pergendum facie obfirmata, hoc est animo fidenti in Deum uocantem. Talis facies dabatur Ezechieli, quae esset instar adamantis ac silicis, Ezech. 3.

Laeto & alacri animo aggredere que tibi diuinitus iniunguntur.

Et sequuta sunt eum turbae multae, & curauit eos ibi.

Fama & uerbo audito de Iesu, uisus item multis prodigiis, numerosi greges hominum sequuti sunt Iesum a Galilea in Iudaeam deportantes uehentesque secum uariis & grauibus morbis obnoxios. Horum misertus, sanauit omnes: declarans ubique & euidentissimè, uenisse se ad salutem totius mundi, quam & possit & uelit perficere. Vita igitur fide accedamus ad beneficium curatorem, ac pastorem nostrum Christum Iesum, apud quem deponemus quicquid est quod nobis incommodat. Vox, multae, commendat potentiam uerbi trahentis post se auditores multos. Turbae uocabulum ostendit qualitatem auditorum.

Christus totum se contulit ad sanandum & saluandum hominem.

Et accesserunt ad eum Pharisei tentantes eum, & dicentes.



Visis tot prodigijs, perspecto itē studio multitudinis erga Iesum, recruduit Pharisæorum inuidia, qui callidè & insidiosè adorti sunt illum occasione captata ex sermone supra .5. cap. quo docuerat non esse repudiandam uxorem. Vide ingenium impiorum. Candida uertere conantur in nigra: & quod apertè nequeunt refellere, astu adoriuntur non sine hypocrisis, quoniam doctrinam & facta Christi apertè & uerè reprehendere non poterant, ad fraudem tentationum confugiunt, an aliquid ex responsis ipsius liceat aucupari, quod calumnientur.

*Impius omnia in peiore partem rapit.*

**Si licet homini dimittere uxorem quacunque ex causa.**

Hæc uerba non præ se ferunt tētationem, sed simplicè, imò ut uidebatur, propter corrigendos abusus multos, necessariam quæstionem. Dominus enim repurgat coniugium à multis erroribus, & restituit primæuæ institutioni diuinæ, refecans quicquid accesserat abusus & prauarum consuetudinum à seculis aliquot. Sed quoniam non animo discendi, sed tentandi gratia quærebant, ideo Euangelista præmisit, quòd tentantes hoc quæserint. Prætextu huius quæstionis, Si licet, &c. tentabant Dominum, id est constituebant ipsi tendiculum qua irretirent & caperent, quasi que cornuto syllogismo eum implicarent, hoc est quodcunque tādē responderet teneretur nexus, implicatusque perpetuò. Nā si respondisset esse phas, dimittendas esse uxores quacunque ex causa, & ducendas alias, uideri poterat parum purus esse pudicitia prædicator, secumque pugnare, cum docuisset non licere repudium. Si negasset, uideretur aduersari legi Mosaicæ, quæ permittit quauis de causa dare repudij libellum, ac uxorem dimittere. Præterea habebat diuortium, fauoris plurimum apud vulgus promiscuum, quòd admodum delectatur licentiosis legibus, aut disputationibus. Cogitabant autem Pharisei, plebem à Domino defecturam si damnasset diuortium. Solet enim vulgus odisse eos, qui suis obstitunt affectibus. Obserua, nō hīc fit quæstio de diuortio quo ad thorum solūm, hoc est de cognitionis coniugalis separatione solūm, sed de diuortio simpliciter, quòd est matrimonij solutio, quo ita repudiatur uxor ducta, ut rursus ab initio matrimonio liber fias ad ducendā aliam, pro uoluntate utriusque. Quacunque ex causa, dictum est: quasi dicat, siue grauis fuerit causa, siue leuissima, qualis est uel fœditas quædā, id est an quælibet causa sit sufficiens ad hoc, ut licitè quis possit dimittere uxorem. Sicut tunc, ita & hodie inter theologos in .4. sententiarū tractatur de causa libelli repudij, An quælibet causa reddens uxorem exosam uiro sufficeret ad licitè dimittendum uxorem. Moses enim Deuter. 24. utitur uerbis generalibus dicens, Si non inuenit gratiam in oculis uiri. Obserua: cū Pharisei maximè Christo inuiderent, dolerentque se à plebe desereri, cupiunt & gloriam Christi extinguere, & negotium religionis supprimi, sed uel inuiti adfunt: & Deo ita disponente, bonaque sua gratia conuertente, iuuant, nam Domino occasionem præbent differendi de coniugio, & arguendi errores circa coniugium introductos.

**Qui respondens ait eis.**

Iesus Christus responsionem ita temperat, ut nec Mosi lædat auctoritatem, nec suum dogma recanter, & decipulam Phariseorum transeat, ipsorumque legisperitorum legis peritia os obtundat. Naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens, quæ non uoluntate Dei (uerbis utor Hieronymi) sed peccati necessitate concessa est. Duobus argumentis utitur Christus, non licere diuortium celebrare inter coniugatos propter quacunque causam. Alterum est sumptū à prima matrimoni institutione: alterum à maiore ad minus, hoc est à parentibus ad alias causas leuiore.

**Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos.**

Reuocat Phariseos à permissione diuortij, ad primam matrimonij institutionem.

nem. Sciebant certè Pharisei, diuortium natura haberi ut fœdum & iniquum, quòd mens honestior detestetur: lex tamen ipsum admiserat, sed ob duritiā cordis Iudeorum. Ad scripturam igitur Christus Phariseos remittit, ut intelligant diuinam sententiam in lege scriptam, qui quæstionem de lege mouent, nec audiant ipsum Iesum respondentem, sed ipsam legem. Argumentum ita haberi uidetur: Deus omnia condidit optimè: nec potest quicquam habere melius, quàm si ita habeat, ut est conditum diuinitus. Iam qui fecit hominem, masculum & feminam eos condidit: & dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, eruntque duo in carne una, id est, in carnem unam, hoc est amore uir uxorem omnibus præferet, adhærebitque ei, ut uelut unus homo censeantur. (Nā mulieri caput uiri, caro uiri mulier est, Ephe. 5. cap.) Quòd itaque adedò Deus coniunxit ut uelut unus homo habeantur, non debet homo separare. Non igitur licebit marito repudiare uxorem, multò minus uxori uirum, ob causam quælibet. Ex eo ergo quòd Moses iussit dare libellum repudij, non colligitur licere uxorem repudiare. Necessarium est, ut ad primam matrimonij institutionem ac legem respiciamus, non ad ea quæ ab hominibus postea uel facta, usurpatæ, uel concessa sunt. Caterum ita lex à Domino adducta est ex 2. cap. Genes. ut prope modum uerba singula & efficacia contineant argumenta. Fecit ab initio, creauit marem & feminā, creati matrimonio iuncti sunt. Obserua. In productione aliarum creaturarum, utpote piscium, auium, &c. nulla fit mentio maris & feminae, sed in sola productione hominis dicitur, masculum & feminam fecit eos, quo significatur mysterium hic à Domino Iesu declaratum, scilicet quòd ideo scriptum est in solo homine, Masculum & feminam creauit eos, ut in solo homine coniugium institutum, & locum habere intelligamus, hoc est cum creauit marem & feminam, simul instituit coniugium solum esse inter homines, marem & feminam. Et id non diuertendum neque dissolendum, quòd una caro dissolui non possit: unitas enim non diuiditur. Argumentum sic habet, Deus fecit masculum & feminam: Ergo inter masculum & feminam non debet celebrari diuortium.

**Et dixit.**

In Genesi legitur, q̄ Adam dixit sequentia uerba. Sed Iesus sciens diuino motu Adam illa dixisse, attribuit illa Deo, sicut & in prophetis frequens hoc fit. Dixit Deus per Adam: qui post extasim raptus in spiritu, de uxore sua ita loquens, Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea, addidit, Propter hoc, &c.

**Propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.**

Instituens coniugium, & uinculum declarans, personas excludendas adduxit, filia patrem non poterit accipere, & filius prorsus non poterit matri coniungi matrimonio. Tam singulare est hoc uinculum, ut ipso nec patri nec matri adglutinetur homo. Filia igitur patrem dimittet à coniugio, & filius matrem dimittet à coniugio. Et adhærebit, non repudiabit, sed adglutinabitur & indiuisè cohærebit. Metaphora sumpta ab his quæ glutino sic committuntur, ut putes unum esse, dixit uxori, non vxoribus, non enim licita est polygamia, suæ, non alienæ. Non dixit, ait Chrysostomus, quia uirum & mulierē unam solūmodo fecit. Verum etiā, quia iussit ut unus uni coniungatur. Nam si uoluisset alteram etiam conducere uxorem, uni uiro creato multas conformasset mulieres. Nunc uerò ui creationis, & sanctionis modo, unam uni perpetuò coniungi & nunquam rescindi oportere perdocuit. Hactenus ille de singulari illa adhæsiōne.

**Et erunt duo in carne una.**

Premium nuptiarum est (ait Hieronymus) ex duobus una caro. Castitas con-

DDd

*Diuortiu repugnat primæ matrimonij institutioni.*

*Peccantium necessitate diuortiu fuit in lege concessum.*

*Coniugium solum est inter homines.*



iuncta uni spiritui, unus spiritus efficitur. Salubri consilio Dei factum est, ut portionem sui corporis vir amplecteretur in scemina, ne à se putaretur diuersum esse quod de se cognosceret fabricatum. Hæc ex glossa ord. Duo inquam, non plures, erunt in carnem unam, id est copulabuntur uinculo coniugij & sicut unum corpus, & quasi unus homo. Iam ex hoc loco contra Iudæorum diuortium potest sumi argumentum ab unitate, qua inter se masculus & scemina unum sunt, uel in carne una, uel una caro. Formari potest argumentum hoc modo: Masculus & scemina una est caro: ergo separari non possunt. Sunt in una carne communi utrique. Sunt una caro unitate communitatis. Obserua: Erunt duo in una carne siue in unam carnem, hoc est è duobus fiet unus siue unum. Hanc sermonis Hebraici formam adnotauit Augustinus. Quod genus sunt & illa libro Iudicum, Et eris nobis in caput omnibus habitantibus Galaad. Item in psalmis, Esto mihi in Deum protectorem. Græcus articulus *is Avo*, non uidetur otiosus. Quali dicat, Erunt qui duo fuerant in carnem unam. Nam totum hominem carnem uocat. Vt & aliàs scriptura diuina totum hominem animam appellat. Ex operibus legis (ait Paulus) non iustificabitur omnis caro, id est omnis homo. Collige ex his. Duo, non plures, erunt in carnem unam, id est copulabuntur uinculo coniugij & sicut unum corpus, & quasi unus homo. Nam hoc quoque nomine mulier nō de terra sumpta est sicut vir, sed de uiri latere & ex ossibus uiri.

Vir & uxor  
sunt una ca-  
ro, unitate cō-  
munitatis.

Itaque iam non sunt duo, sed una caro.

Quia igitur iuxta diuinam institutionem iunguntur in carne una uir & uxor, non sunt duo secundum carnem. Sic ut qui prius erant duo, seu erant distincti secundum proprias carnes, iam desinunt esse duo, & esse diuini secundum carnem: sed una caro, ad propagandum sibi simile. Vbi obserua: Non dicitur unus, aut unus animus, aut unus spiritus, ut intelligas coniugium non tollere diuersitatem personarum, non consistere in communitate animæ aut spiritus, sed in communitate & unitate carnis. Neutrius enim caro remanet propria, sed communis utrique reddita est. Sunt igitur duo secundum carnem, sed una caro sunt.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Epilogus responsi Christi, quo concludit primam institutionem matrimonij seruandam, & præferendam esse permissioni factæ duræ ceruicis populo. Quod ergo Deus coniunxit, seu coniugauit, seu eodem iugo iunxit (tracta metaphora à bobus simul idem iugum ducentibus) homo non separet: id est, quod Deus instituit, & ita instituit, ut duo inter se nexu cohaereant indissolubili: id nulla audacia humana, aut dispensatio uiolare debet. Hoc coniugium separare & dirimere tam est contra naturam, quàm membrū à corpore rescindere. Rogantibus igitur Pharisæis, si licet dirimere coniugium, & uiro uxorem dimittere: respondendum est negatiuè, seclusa tamen causa quam Paulus, 1. Corinth. 7. adducit, Quod si infidelis nolit habitare cum fidei uxore, & recedat infidelis, liberum erit uxori fidei accipere uirum alium: sed tantum in Domino.

Diuortium est  
præter natu-  
ram, quia ca-  
ro inciditur.

Dicunt illi.

Ex uerbis Christi probè intellexerunt Pharisæi sententiam Christi, quod non liceat dimittere uxorem quauis de causa. Vnde aliam struunt tendiculam, & quam in promptu habebant obiectionem, non tamen sine dente, fidenter proferrunt, quasi indissolubilem.

Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere.  
Audientes Pharisæi se autoritate scripturæ uictos, & fati intelligentes senten-

tiam Christi, & scripturæ sanctæ, esse, quod non licet dimittere uxorem quauis ex causa, statim Christo opponunt suum Mosem: ipsumque, ad quem, tanquam ad autorem recurrentes, proponunt ut summum prophetam à Deo missum, qui non possit errare, & cui resistere nephas & impium est. Vnde magna est emphasis in uoce Moses. Quasi dicant, Quāti facis nostrum Mosem magnum prophetam, quem certò scimus loquutum esse Deo, & à Deo legem accepisse? Aut te oportet falsa docere, aut Mosem esse mendacem. Tu enim concludis, Quod Deus coniunxit, homo non separet. At Moses libellum repudij dare iussit abiiciendæ, & liberè abiicere. Miramur ergo num putes Mosem hoc contra Dei instituta concessisse. Legem legi obiiciunt, Si homo separare non potest coniugium, quod à Deo fit institutum, qui fieri potuit, Mosem statuisse legem de libello repudij Deuter. 24. Libellum repudij dicit, in quo maritus resignat omne ius quod habuit in uxorem. Hebræi libellum succissionis uocant, quia prior copulatio succiditur. Formula libelli repudij talis ex Iudæorum literis reperitur. In quarta sabbati, in uigesima mēsis Sinam, anno quinquies millesimo ducentesimo nonagesimo tertio à creatione mundi: hic & in hac ciuitate. N. ego Iacob. N. filius Rabi Iisah, uolui ex animo, atque citra ullam coactionem dimisi & eieci hæc. N. quæ hætenus fuit uxor mea, filia Rabi. N. & cōcedo ei licentiam & potestatem, ut pro libito suo uadat quod uoluerit, ducique possit ab omni uiro, nec eam quisquam prohibere præsumat. In cuius rei testimonium dedi ei libellum repudij, & schedam dimissionis, atque signaculum diuortij iuxta constitutionē Mosi & Israël. Hæc formula est libelli repudij. Et ait illis.

Formula li-  
belli repu-  
dij.

Iesus Christus ferre nolens, ut lex Dei tenebris humanarum opinionum obscureretur, Pharisæis respondet, Mosem excusans, & transferens culpam dispensatæ uoluntatis diuinæ in duritiam populi Israëliti, cui (ne grauius peccaret) indultum est minus malum & permissum diuortium, qua in re obseruanda est communis causa omnium concessionum apud Iudæos, ueluti Polygamia, diuortij, &c. refragante interim æterna & immutabili uoluntate Dei.

Quoniam Moyses ad duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras.

Leuius indulgit Moyses ne grauius à uobis committeretur. Atque hæc permissio non pro lege Dei excipienda est. Verba Mosi sunt Deuter. 24. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam antè oculos eius propter aliquam sceditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Hic tanquam legislator considerato Iudaicæ nationis prauo ingenio & duritia, necessitate coactus, uerba illa de libello repudij scripsit, ut hac permissio sua lege, quod per se non erat bonum, sed reprehensibile, maioris mali uitandi gratia, decerneret. Et hoc est quod ait Christus, ad duritiā cordis uestri, &c. Quasi dicat, Quæ Moyses de tradendo libello repudij tradidit, non pro lege ex Deo tradidit, uerum illud ut permissionem & dispensationem concessit. Considera (inquit Hieronymus) quod non dixit Christus, propter duritiam cordis uestri permisit uobis Deus, sed Moyses, ut iuxta Apostolum, consilium sit hominis, nō imperium Dei. Dispensationis siue permissionis causa est duritia cordis uestri, id est perspexit Moyses qualibus præditi essetis ingeniis, inhumanis, crudelibus, asperis, trucibus, & ad eō impotentibus impatientibusque, ut ne à funestissimis quidem latrociniiis, cædibus, ueneficiis & huiusmodi temperaturi uobis sitis, modò pristinas uxores nouis ascitis liceat mutare. Nec latebat Mosem, coniugij uinculum ita nexum à Deo, ut ab homine nō debeat infringi (quomodo nāque ignorasset quod ipse scripserat) nec sciebat tantum, sed maluisset etiam quemque Iudæum animo erga uxorem suam esse bono & integro, ut de dimittēda illa, uel iniquè affligenda, aut pror

Christus Mo-  
sem excusat  
siquidē per-  
misit di-  
uortium fieri,  
nō ut licitū,  
sed ad uitan-  
dum uxori-  
cidium.



sus enecanda, ne cogitaret quidem. Verum quæ illorum erat duritia, hoc nec obtinere poterat, nec sperare, quo infirmo sexui succurreret, & obstinatam maritorum duritiam hætenus cohiberet, ne ad oppressionem coniugum inualesceret, malo illi nodo cuneum hunc repudij adfigi permisit. Cum hanc repudij permissi rationem non intelligerent Iudæi, cœperunt hac lege absque ulla peccati conscientia, tãquam nequitia suæ operculo abuti, quasi prorsus liceat quacunque de causa dimittere uxorem, modò iuxta legem hanc detur repudij libellus. Iam Christus cœlestis doctor delictum Iudæorum in hac causa arguit, docens Mosaicæ legis non eam esse rationem, ut quod in se est illicitum, coram Deo reddat licitum, sed ut maioribus malis occurrat, culpam hanc in Iudæorum malitiam reicit, non in Moysen, ne illi uideatur cõtrarius. Obserua: Moses dimissionem uxoris permisit, sed libellum repudij dari mandauit si dimitterent uxores.

Diuortium permittebatur, sed libellus repudij dari precipiebatur.

#### Ab initio autem non fuit sic.

Spektare oportet ad legem, non ad permissionem, hoc est quid fieri debeat, & uoluit Deus, non quid aliquando & ab aliquibus factum sit. Nam ad tempus & ob certas causas conceduntur dispensationes. Lex autem perpetua est omni tempore ualens, & omnibus hominibus præcepta uitæ præscribens. Quare oportet ad rerum initia, & origines institutionum recurrere, & ex his legem metiri & obseruare. Institutio coniugij non fuit talis, quæ daret libellum repudij. Hæc dimissio non consonat primariæ institutioni coniugij quod instituit Deus in Adam & Eua primis coniugibus, ubi uir & vxor iudicantur esse una caro, ac proinde debere uirum adhærere uxori suæ, & è contrario. Contra quam primam institutionem faciunt, qui quauis ex causa putant dimittendas uxores. Inter theologos occasione horum uerborum quæstio in 4. sententiarum agitur, An in lege ueteri diuortium cum libello repudij fuerit licitum.

Diuortium erat cõtra legem.

Coniugij à Deo institutum.

#### Dico autem uobis.

Quoties Christus his uerbis utitur, significat mysterium aliquod magnum, cum declaratione alicuius, quod singulari quadam obseruatione uult & mandat attendamus. Amplius dico uobis legis imperfectionem mea autoritate ad perfectum adducens, & quod illa ob cordis uestri duritiam tacuit apertè pro Euangelij libertate explicans.

#### Quia quicumque dimiserit uxorem.

Quisquis suam uxorem repudiauert, atque à se dimiserit, ex alia causa, quam ob fornicationem (ob quam licitum est uxorem à se dimittere) quique sua repudiata duxerit alteram in uxorem, hic in adulterij statu se constituit, & mœchum se facit, & quoties hanc posteriorem cognoscit siue sui copiam facit, adulterium & mœchiæ actum exercet. Ex Augustino glossa. ord. ait, Vxor ut dimittatur una carnalis causa est fornicatio: una spiritualis, timor Domini: ut uiua ea alia ducatur, nulla causa in lege Dei est. Ergo si dimittatur quò ad torum & redditionem debiti (ut dicitur) separabitur. Hic nolo laboriosius disputare: remitto ad locum doctorum citatum, & Ecclesiam.

Coniugij ob fornicationem quo ad torum dissoluitur, sed quo ad uinculum est inseparabile.

#### Et qui dimissam duxerit, mœchatur.

Et qui dimissam duxerit, quia durat dimissæ coniugium, & uinculum cum illo qui dimisit illam, mœchum se facit. Quasi dicat, Nihil hic moror quid lex permittat. Nolo mihi obiici, Moysen ista permisisse. Ego ueni legem adimplere. Volo iustitiam discipulorum meorum abundare supra iustitiam Scribarum atque Pharisæorum, & tanquam potestatem autoritatemque habens ad consummandam legem Moyse: quæ illa propter duritiam cordis uestri tacuit, & non expressè prohibendo quadam necessitate, ad uos à maioribus malis continendos, permisit. Ego

palam pronuntiabo & apertè explicabo his qui me sunt audituri, amatoribus Euangelij mei, quoniam ad hoc missus sum. Qui dimissam duxerit, mœchatur: uiuent enim uiro, non est soluta à lege uiri.

#### Dicunt ei discipuli.

Cum discipuli obseruarent ex benemonitis sui præceptoris longè aliter sentiendum esse in negotiis matrimonij, atque hætenus docuerant Scribæ & Pharisei, interrogant magistrum dicentes.

#### Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Si hæc est cõditio maritorum, ut ab uxore (si displiceat) non possint absolui: cogetur qui semel infœlicem coniugem sortitus est, in multa molestia & afflictione cum illa uitam ducere. Graue pondus uirorum est (ait Hieronymus) si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si uaga, si iurgatrix, si maledica, tenenda erit huiusmodi? Volumus nolimus sustinenda est: cum enim essemus liberi, uoluntariè nos subicimus seruituti. Videntes ergo Apostoli graue uxorum iugum, proferunt motum animi sui, & dicunt, Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Hætenus Hierony. Quæstio Apostolorum subindicat ipsos arbitrari, longè præstabilius esse nullam prorsus uxorem ducere, quam eam ducere cui hærendum sit perpetuò, & leuius esse matrimonium non contrahere, sed pugnare & certare cum naturalibus cõcupiscentiis, quam sustinere malam mulierem. Duram enim seruitutem esse putant, domi ferre morosam, rixosam, temulentam, aut simili uitio molestam mulierem. Vbi obserua in discipulis quantum spectrum, & quam horribilis status uideatur matrimonium suis molestiis consideratum sine promissionibus Dei. Non considerauerunt promissiones seu benedictiones matrimonio adiectas, quarum omnium pulcherrima est illa, quæ extat psal. 126. Vxor tua sicut uitis abundans, in lateribus domus tuæ: Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Et Paulus ait, Honorabile connubium, torus immaculatus. Sanctum est coniugium, sed multas habet molestias, quæ proculdubio in pœnitentiam & exercitium patientiæ ferendæ sunt: Et id certè est animi Christiani qui pro bona Dei uoluntate fert talem sortem. Quidam adscripsit capitio suæ uxoris, hanc epigrammæ, lucundæ molestiæ theca. Aiunt igitur discipuli, Non expedit, id est, factus est, non accipere uxorem propter infinitas molestias quas ferre coguntur qui habent morosas & ingratas uxores. Obserua, causam hominis cum uxore dicit perpetuam & inseparabilem unionem.

Consideratis matrimonij benedictionibus, quo animo feruntur coniugij molestiæ.

#### Qui dixit illis.

Dominus Iesus non imperat quod dicunt discipuli, quos propter tanti ministerij statum cupiebat esse liberos à matrimonij seruitute, sed subindicat in continendo difficultatem. Nam hic affectus carnis sic communis est, ut non alius sit uiolentior aut inuincibilior. Ergo quauis liberius sit nullo astringi matrimonio, tamen tutius est intra coniugij honestissimos cancellos, quam uagè pollui: quod certè malum est & inhonestum. Sanctum autem in carne, propter carnem uiuere. Quæ uita ab omnibus molestiis libera est, præterquam à solitudine continentia.

#### Non omnes capiunt uerbum istud.

Qui hætenus de coniugio disputarat, paucis nunc differit de cœlibatu, ostendens quibus tutum sit uiuere sine uxoribus. Hoc loco uerbum capiunt non pollet idem quod intelligunt, siue apprehendunt: sed capiunt, id est capaces sunt: quomodo locum capacem uocamus, qui est tam spaciosus, ut possit recipere quod infertur. Ita Paulus uult dilatarî Corinthios, quo se capiant. Pronomen, istud, demonstrat id quod dicebant Apostoli, Non expedit nubere. Proclue est intelligere

Capere hic significat pacem esse.



uerbum istud, scilicet de non inuendo matrimonio, id est, consilium cœlibatus, quod discipuli attigerant. Verum id dictum non descendit in animos omnium, quod sint affectibus occupati. Continentiæ tantæ ab omni re uxoria non omnes sunt capaces. Non cuiusuis est hominis prorsus ab uxore, & re uxoria continere. Non cuiusuis est in carne præter carnem uiuere, sed horum duntaxat quibus hoc datum est diuinitus.

#### Sed quibus datum est.

Continentiæ  
merum Dei  
donum.

Tametsi per se melius sit & magis expediens, cœlibem agere & uiuere, quã uxorem ducere, tamen hoc uerbum solum capiunt, id est continentiam & castitatem huiusmodi amplexantur, quibus à Deo datur: hoc neque à natura, neque ab homine donatur. Virginitas uel cœlibatus non est naturæ nostræ uirtus, sed merum Dei donum, quod cui uult concedit. Huc conuenit quod Paulus ait, Non est uolentis neque currentis, sed Dei miserentis. In eos quos tantus habet ardor Euangelicæ sanctimoniam: ut hunc etiam affectum nuptiarum sponte, uolentisque negligant. Nec enim alioqui laudem habet, quanuis castus cœlibatus, nisi fuerit susceptus studio pietatis Euangelicæ. Obserua hoc loco, datum est, ualet, quibus cooperatur Deus. Vnde Diuus Hieronymus hunc locum interpretans ait, Nemo putet sub hoc uerbo uel fatum uel fortunã introduci: quod hi sunt uirgines quibus à Deo datum sit, aut quos quidã ad hoc casus adduxerit: sed his datũ est, qui petierunt, qui uoluerunt, qui ut acciperent laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur. Hæc ille.

Continentiæ  
donum petenti  
tribuitur.

#### Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt.

Præcedentis sententiæ ætiologia, quæ per distributionem fit, ut perspicaciora sint omnia, uidelicet qui cœlibes uiuere possunt. Ex etymo Eunuchus sonat cubilis custos, ab *ευν*, id est cubile, & *χου*, id est custodio, quod barbari huiusmodi hominibus suas uxores seruandas committere solebant. In scripturis alioqui appellatur eunuchi omnes principum ministri & aulici, etiam qui non sunt spadones, id est quibus ui non sunt exsecta uirilia. Eunuchorum primum genus est eorum qui de matris utero sic nati sunt, id est qui natura non possunt aut non appetunt congrederi cum muliere, hoc est, qui sic nascuntur uitio naturæ frigidioris, ut abhorreat à re uxoria, aut alio quopiam naturæ affectu, nascuntur priuati officio genitalium propter naturæ frigidioris complexionem.

#### Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus.

Secundi ordinis sunt qui à natura quidem non sunt eunuchi, sed hominum arte & opera, per genitalium abscisionem, eunuchi facti sunt, & ad generandum impotentes redditi. Neque hi, neque primi ordinis sunt, de quibus hic loquitur Dominus, quorum castitas non meretur laudem, quod à necessitate profiscatur, non à studio uirtutis. Possunt tamen carne lacessiti, & concupiscētia prouocati, seipso contaminare aliquando uehementius, quã qui seipso corpore conspuant. Qui enim uiderit mulierem ad concupiscendum eam, hic iam mœchatus est eam in corde suo. Sed oratione & ieiunio insultus illos reprimant, & fructum consequentur copiosum.

Oratione &  
ieiunio, carnis  
insultus  
reprimuntur.

#### Et sunt eunuchi qui seipso castrauerunt.

Castratio quod  
subindicet.

Sunt eunuchi non secundum carnem, sed secundum spiritum, non membrorum abscisione, sed cœleste illud donum adepti, uolentes facti sunt eunuchi abdicatione officij generandi, seu potius uoto uirginitatis. Castratio enim subindicat non solum abdicationem usus, sed etiam potestatis. Quo fit, ut insinuet uotum, quo homo se priuat potestate utendi seipso ad officium generandi. Significatur hi qui cum nec natura, nec ui sint castrati, aut spadones, sponte tamen abstinent à con-

ingio, aded ut neque animo concupiscant, neque corpore congrederi cupiant: quod natura non fit, sed beneficio & dono Dei, quo sic seipso castrauerunt. Obserua: uerbum, castrauerunt, includit conatũ uoluntatis nostræ, ut precibus fatigemus Deum pro castitatis dono, & ut in castitate nos conseruet, quo possimus Deo & Euangelio commodius seruire.

#### Propter regnum cœlorum.

Finis huius castrationis est, ut expeditius & commodius seruiant Euangelio, & indiuisius adhæreant Domino, cui seruiant sanctè tum corpore, tum spiritu, faciliusque intendant his rebus discendis, & distribuendis, quæ spectant ad regnum cœlorum, & ritum uiuendi spiritalem, quæ uouerunt. Nam ut Paulus, 1. Corinth. 7. ait, Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori: & diuisus est. Et uirgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, & quomodo placeat uiro. Habet igitur Euangelium suos eunuchos planè beatos, qui neque natura spadones sunt, neque ab hominibus exsecti, sed ipsi seipso castrarunt propter regnum cœlorum, non amputato corporis membro, sed ob amorem Euangelij & uitæ purioris, deuictò affectu rei uxoriæ.

#### Qui potest capere capiat.

Finalis hæc est Christi sententia, Sanctam hanc perfectionem non præcipio, sed liberum omnibus permitto, ut qui sentit se habere donum cœlibatus, aut si qua experitur se donatam dono uirginitatis, fruatur: & siquidem ita conducere arbitrat, à coniugio absteat. Hæc castratio propter regnum cœlorum est eorum, qui capaces sunt illius uoluntariæ abdicationis rei uxoriæ propter regnum cœlorum. Consilium est ut castres te, sed si uoto te ipsum addixeris huic uitæ ducendæ, præceptum est & uoto obfirmaris, ut serues quæ uouisti. Quare priusquam quis seipsum castrat spiritualiter, probet seipsum ac uideat, Num par sit tanto negotio, sentiat ac uideat si tam est promptus & ardentis erga Euangelium uoluntatis, ut pro eius amore uelit prorsus interdicere sibi, atque à se abdicare omnem usum & affectum rei uxoriæ. Nam non tam probanda est qualitas corporis siue naturalis complexionis, quã bonæ uoluntatis sinceritas, & firmitas bonæ fiduciæ erga Deum. Ei enim qui bonæ & fidentis est uoluntatis in Deum, etiam si sit corpore ad uenerè pronissimo, nihil erit impossibile apud Deum, omnia poterit in eo qui se confortabit, exēplo Pauli dicentis, Omnia possum in eo qui me confortat: & ut Christus ait, Marc. 9. Omnia possibilia sunt credenti. Neque dubium quin fides illa, quæ etiam montes transferre potens est, poterit item tentationibus omnibus illum superiorem reddere, præcipuè cum sit fidelis Deus, pro cuius amore seipsum eunuchum facit, qui ipsum non patietur tentari supra id quod possit, sed cum tentatione prouentum faciet, ut sustinere possit. Obserua: hoc loco uerbum, capiat, accipitur in ea significatione de qua & paulò antè dictum est in uerbo non omnes capiunt. Non cogit uirginem esse, neque nuptias destruit Christus, sed uirginitatē præfert. Tunc oblatis sunt ei paruuli ut manus eis imponeret, & oraret.

Virginitas  
suadetur &  
præfertur, nõ  
præcipitur.

Ferè fit ut propter liberos procreandos coniugium à piis suscipiatur, & hi ueluti fructus matrimonij reputentur. Quoniam igitur Dominus abundè docuerat de coniugio, per consequentia agit de liberis, ostendens quo loco habeantur, & quod omnis generis homines ad suam gratiam admittit. Euangelium enim prædicatio est uniuersalis gratiæ. Ergo & baptismus ad omnis ætatis homines pertinet. Tunc, quando soluta est quæstio de diuortio, & datum est responsum discipulis de matrimonio, aderant parentes paruulos suos portantes, qui cum uidissent Dominum attractu suo omnes sanasse morbos, contactuque ingentia hominibus contulisse be-

Christus omnes sine delictu ad se uocat.



neficia, sperantes item cōtactum infantulis suis profuturum, obtulerunt Iesu suos infantulos, ut manus eis imponeret, & oraret, id est, ut illos ceu Deo consecraret, & diuina bonitate orando pro ipsis, pro suo modo redderet participes gratiæ diuinæ, seu, ut eorum miseretur, eos reciperet in gratiam, & in gratia confirmaret. Præter hanc gratiam existimabant fore, ut quemadmodum illius cōtactu uiderant fugere morbos, ita Iesu cōtactus seruaret eos à morbis, ruinis, demōnio, cæterisque malis, quibus ætas illa sæpenuerò perit. Natura comparatū est ut parentes pueris suis bene consulant, sed hic affectus horum parentum erga filios illis inditus est diuinitus ad utilitatem, & necessariam educationem liberorum. Ita enim solet Deus cōsulere imbecillibus, qui sibi ipsis nec cōsilio nec ope prodesse possunt. Pueris uerò uicissim hoc non est inditum, ut æqua dilectione parentibus respondeant. Hoc ipsum in plantis obseruamus. Ut enim humor qui ex radicibus in propages quidem ac fructus sursum tendit, unde habeant necessariam alimoniam incrementi, uicissim uerò ad radices nullus è propaginibus redit: ita etiam fit parentibus à liberis, ut affectus dilectionis à liberis ad parētes non ita redeat, quomodo à parentibus ad liberos naturaliter dirigitur. Obserua, quòd impositioni manū, deprecationem coniungi postulant, manifestū est, parentes à Domino etiam incolumitatem sanitatēque postulasse. Qua in re parētibus præferunt exemplum, quid parentes quoque liberis suis postulare debent à Domino. Aduertē. Apparet oblatorum puerorum parentes fuisse pios, quòd crediderint salutem paruulorum suorum pendere à gratia Dei, quam in Christo & per Christum ambiuerunt. De quo (ut opinor, propter uerbum & oraret) nihil altius senserunt, quàm ceu de sancto quodam uiro & propheta, cuius preces plurimum apud Deum ualere, si illas pro liberis suis ad Deum destinare dignaretur. Aut certè si Christum illum credebant, modica adhuc erat ipsorum fides de uirtute Christi, quam adhuc magna ex parte ignorabant. At, quia hoc principium bonum est, facilè grādēscit fides, & ad perfectum uenit: cum etiam modica fides uiua suas uires habeat quas facilè exerit, nolens otiosa manere, 1. Corinth. 13.

## Discipuli autem increpabant eos.

Exemplum ignorantie in discipulis hic uidemus. Qui cum duo maxime obseruarent in Christo (quibus promoueretur gloria Christi) doctrinam scilicet, & miracula: doctrinam quidem quæ concerneret adultos, & miracula ægrotos & male habentes, ridiculum & stultum, imò ipsi Christo inglorium putarunt quòd offerrentur infantes, quos nec curaret, cum neque ægroti essent neque male haberent, nec doceret, cum infantes essent & doctrinæ incapaces. quasi uerò Euangelium ad omnis ætatis homines non ualere. Et sancto parentum conatu sese opponerent, imò ipsos obiurgabāt, uel quòd indignum putarent uirum tantum lassari cura infantium, uel quòd negotiorum Domini (ut diximus) capaces esse non crederent: siue dispensationem ipsius putabant esse sublimiorem, quàm cui possit uel debeat esse negotium cum infantibus. Audierant quidem discipuli frequenter de summa sui præceptoris modestia, sed nōdum penitus exuerant humanos affectus cū ignorantia, qua ignorabant per occasionem in pueris offerri exemplum simul & absolute puritatis, & summæ modestiæ, sine qua nihil promeretur laudis uirginitas, de qua factus est sermo.

## Iesus uerò ait illis.

Animaduertens Iesus quod agebant discipuli, quòd magis ac magis infligeret animis ipsorum Euangelicam modestiam, quæ nullum, quantumuis humilem, fastidit, ait, Marc. 10. cap. Quos cum uidisset Iesus indignè tulit, & ait illis. Sed quare indignatus est discipulis? In primis quòd rem facerent indignā, abigētes eos quos habebat sibi quàm commendatissimos: hoc ipsum uerba, Sinite paruulos, &c. ex-

Naturaliter  
parentes a-  
māt filios, à  
quibus non  
reclamantur.

primunt. Secundò quòd paulò inhumaniores uidebantur, quàm par esset, cū parentes non solùm abigerent, sed & increparent, qua re plurimum deiiciebāt fidem parentum, quam erga Christum induerant. Deinde quòd ista facerent post recentem admonitionem de suscipiendis paruulis, qui ueluti exemplaria ipsis proponebantur, ad quæ essent conformandi, quotquot regnum cælorum essent ingressuri. Horum omnium oblitū uidebantur repellentes pueros, & parentes offerentes.

## Sinite paruulos, &amp; nolite eos prohibere ad me uenire.

Vehemens sanè est hic sermo, duplicata sententia inculcans quòd significat. Primò enim dicit, Sinite paruulos uenire ad me: deinde additur eadē sententia per oppositum elata, Et nolite prohibere eos ad me uenire. Grauisimè igitur & manifestissimè à Domino refutantur, quicumque obstant quòd minus pueri ad Dominum uel apportentur uel adducantur. Resipiscāt Anabaptistæ, & pueros baptismo offerant, & adultos baptizatos non rebaptizent. Perferuntur pueri ad Iesum, cum ad Ecclesiam adlati offeruntur baptizandi, ubi parochus minister, nomine Christi puellum recipit, & uisibili signo, hoc est baptismo, imponit illi manum, & orat, ac tangit illum aqua, addens & uerbum, & internè obsignatur hic puellus spiritu Christi donaturque uirtutibus illis theologalibus fide, spe, & charitate. Alio qui non placeret Deo, doctore Paulo, Impossibile est sine fide placere Deo. Sinite ergo paruulos, &c. quanquam sint in scij & incapaces uerbi uocalis, non tamē gratiæ Euangelicæ internè operantis.

## Taliū est enim regnum cælorum.

Hæc est ætiologia cur non sint arcendi paruuli à Christo, quæ sumpta est à natura regni cælorum, quòd est pro omnis ætatis hominibus regnum. Non enim respicit personam, quomodo regnum mundi. Regnum cælorum comprehendit sub se omnia quæ sunt in hoc regno, ut gratiam Dei, Euangelium, fidē, iustitiam, sacramenta, & uitam æternam, quæ est per Christum: & hic quidem in cordibus piorū pro portione fidei & dono Spiritus sancti sentitur, in futuro uerò seculo planè percipitur, quæ omnia sine acceptione personarum pertinent ad omnes. Obserua, non dicit istorum, sed taliū, ut ostenderet (ait Hieronymus) non ætatem regnare, sed mores: & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti. Apostolo quoque in eandem sententiā congruente, 1. Corinth. 14. Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensu autem ut perfecti sitis. Hæc ille. Obserua quàm sit admirabile regnum cælorum, quòd tale est, ut nō nisi paruulos capiat. Hoc non sustinet ratio humana, quæ putat opus esse usu rationis ad consequendam beatitudinem. Quid enim (inquit) commercij habere potest infantulus cum Deo? Nihil, quòd usu rationis & scientiæ careat. Sed faceffat hinc ratio, & Christum audiamus recipientem paruulos ad se, & significare hoc exemplo regnum suum non esse de hoc mundo, nec constare externa maiestate. Sensus uerborum est, Requirit Dominus taliū non ætatis imperfectionem, sed innocentie & simplicitatis imitationem.

## Et cum imposuisset eis manus.

Marcus scribit, & complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. His significat Marcus, Christum maxime diligere paruulos. Amplexabatur illos, & manibus impositis orationem fundebat (ut mos est benedictium) ita benedixit eis, & ita benedictos à se blandè dimisit. Sed qualis fuit hæc benedictio? An carnalis seu temporaria fuit, uidelicet, ut precatus sit, quòd illis concederetur uita longæua & prospera, diuitiarū copia, gloria, & magnus huius seculi honor, &c. Certè Christus non uenit nos secularibus, sed spiritualibus bonis donare. Ergo oportet istam Christi benedictionem conformem fuisse, non huius mundi, sed

Pueri non  
sunt à bap-  
tismo abicien-  
di.

Puer in bap-  
tismo dona-  
tur fide, spe  
& charitate.

Innocenti-  
bus  
promissum  
est regnum  
cælorum.



cœlorum regno. Quemadmodum & rationem reddit, cur uoluerit eos ad se adferri, cum dixit, Talium est enim regnum cœlorum. Hęc benedictio fuit spiritalis, nimirum ea de qua facta est promissio ad Abrahamum de Christo, In semine tuo benedicentur omnes gentes terrę. Hoc semen est Christus, quemadmodum Paulus ad Galat. interpretatur. Benedictio autem Christi est non carnalis, sed spiritalis, uidelicet remissio peccatorum, adoptio in filios Dei, & ius hæreditatis regni cœlestis. Hęc est benedictio, quę dignitate & utilitate sua superat omnes humanas maiestates & diuitias. Cum ergo Christus infantibus oblati benedixerit, credendum est ipsum remississe infantibus peccatum, adoptasse eos in filios Dei, & tradidisse ipsis ius cœlestis regni. Quod similiter facit cum baptizantur infantes (quibus per ministrum & manus imponit, & benedicit) ut cum ipso sint cohæredes omnium diuinorum bonorum. Adportantur infantes ad Christum, & illis communicatur Christi benedictio, quando ad baptismũ afferuntur & baptizandi offeruntur. Baptismo enim tollitur peccatum, & donatur gratia Dei, communicatur fructus mortis & resurrectionis Christi, renascitur obsignatus Spiritu sancto, & adoptatus est in filium & heredem Dei. Sensus uerborum est, Imposuit illis manus Iesus, sacri corporis contactu uirtutem occultam infundens puellis ob parentum fidem.

Baptismi fructus.

#### Abiit inde.

Impartita puellis benedictione, ẽ finibus Iudę ad quos uenerat secessit, ut ueniret Ierusalem, re ipsa docens satisfaciendum esse pusillis, sed nequaquam illis hærendum, quin magis properandum est ad perfectiora.

Et ecce unus accedens, ait illi.

Hęc historia iucundissima & saluberrimis referta documentis, quę cum superioribus ad hunc modum cohæret. De infantum & puerorum nondum adultorum salute Christus supra concionatus est, nunc concionabitur de salute adolescentum & natu grandiorum. Et ecce, quasi dicat Euangelista, nouus quidam euentus non casu aut fortuna, sed diuino quodam consilio fit: Cum Christus pergeret proficisci in Ierusalem ut in ea urbe peccata nostra, iuxta uoluntatem patris, morte sua expiaret, ecce adcurrit princeps quidam, ut Luc. 18. scribit, qui ut Marcus. 10. narrat, procurrens genu flexo ante eum, rogabat eum. Hic subiungitur ut uides adulti siue adolescentis exẽplum, unde discamus quęstionem de regno Dei maximẽ pertinere ad adolescentes, in primis que Christum uelle, ut adolescentes instituantur in lege Domini & uera religione: retrahantur autem ab omni corruptione. Hic uenit ad Dominum non tentandi gratia, quomodo ille apud Lucã, 10. legisperitus, sed discendi gratia propositurus quęstionem. Cui? Non scribis & Pharisęis, quos corruptione morum fortassis alienissimos agnoscebat: Sed Christo, quem uerbo, uita, & potentia clarum, atque à Deo esse uidebat.

#### Magister bone.

Blandimento captat beneuolentiam à persona, qua se insinuat adolescens apud Christum, bonum appellans Iesum, cum tamen nihil aliud suspicaretur Dominũ quàm purum hominem, quanquam ceteris præeminẽtem. Huius gestus modulque rogandi & personę circumstantiæ, ostendunt hunc non prorsus fuisse mundanum. Multi Christum sequebantur recuperandę sanitatis corporeę gratia tantum: alij, ut audirent & reprehenderent. Vnus hic inuentus est, qui de uita rogarit æterna, idque adolescens, cuius ætatis ingenium rarissimẽ de futuris sollicitum est: deinde & diues: præterea in honore quoque constitutus: nam princeps erat. Itaque hæc indicant hanc salutationem & quęstionem non fuisse impij animi. Adhęc genuflexio cum blanda salutatione declarat cum animi modestiam, tum reuerentiã tali magistro debitam. Et præterea significabat, quod serio quęstionem hæc de ui-

ta æterna moueret, uerbis immiscens encomium dignum tali magistro, & Christo omnium competētissimum, Magister, quo insinuat à Christo omnem synceram doctrinam pendere, & eum qui alios docet, & extra quem non est doctrina pia. Bonum salutat, sentiens & de ipso bonitatem in multos liberalissimẽ fluxisse. Certẽ ciuilitate honesta præditus erat hic adolescẽs. Etsi enim obtineret principẽ autoritatis locum inter suos, non tamen erubuit ad Christum, alioqui principibus Iudęorum exosum, accedere, atque etiam flectẽdo genua publicẽ honorare, & magistrum, ac bonum quidem magistrũ, appellare. Quibus commendatur iuuentuti ciuilitas morum, ut uerbi præcones & seniores honore proueniat, non sit arrogans, confidens, insolens agrestis, atque irreuerens.

#### Quid boni faciam ut habeam uitam æternam.

Post ornatum Dominum honestissimo epitheto, interpellat ipsum, nõ de asini (quod aiunt) umbra, sed de re longẽ omnium grauissima, de consequenda uidelicet æterna salute. Quid boni (inquit) faciam, ut habeam uitam æternam? Hanc mouet adolescens quęstionem, ut ipsam omnes adolescẽtes qui hodie sunt, & adhuc futuri sunt, omnibus modis cupiant cognoscere rectẽ, quid uidelicet boni faciant, & quomodo uitam æternam consequantur. Certẽ oportet nos quidem omnes sollicitos esse de uita æterna, sed pauci sunt qui ueram uiam ad æternam uitam sciunt. Hoc Iudæi, hoc Ethnici tractarunt. Hoc nunc tractant Christiani & Turcæ: hoc hypocritę, & uerẽ pij sermonibus suis agitant. Etenim re ipsa compertum est, quod nulla planẽ sit in hoc seculo firma felicitas. Necessitas igitur cogit, ut queramus aliud seculum, & aliam quàm huius mundi felicitatem. Et cum hic animi affectus in nobis excitatus fuerit, proxima est quęstio, quomodo hanc felicitatem consequamur. Sed quantõ uulgatior est quęstio, tantõ magis uarię hominum opiniones de ea exortę sunt. Alius enim aliam felicitatis uiam cõmentus est: Iudæus persequitur felicitatem operibus legis: Ethnicus honestis uirtutibus: hypocrita solis externis operibus: pius & fidelis in obseruatione mandatorum Dei, quę consistit uiua fide in Christum, ut mox docebimus. A deo que quot homines tot ferẽ sententię, de uia consequendę felicitatis. Quare ne in hac uarietate opinionum aberremus, audiamus Christum qui in hoc nobis diuinitus propositus est. Obserua: Cũ hic adolescens de bono percontatur, non de quouis bono sentit, sed de insigni quopiam bono, quod promereatur uitam æternam.

Solliciti sumus de uita æterna.

Obseruatione mandatorũ cõsequimur felicitatem

#### Qui dixit ei.

Dominus adolescentis quęstione delectatus, excitat ipsum ut magnificẽtius de ipso sentiat, & auocet illum à fiducia operum, quasi uerõ sola opera illa externa iustificent, & nõn fiducia in Christum. Vnde proponit & ipsi quęstionem, ex qua illum quædam coniectari uoluit quę faciebant ad solutionem, & genuinũ ac plenum quęstionis sensum. Mox autem disertẽ respondens, docet quid boni faciat, & quomodo consequatur uitam æternam.

#### Quid me interrogas de bono. Vnus est bonus, Deus.

Quęstio adolescenti proposita à Domino talis est, Quid me interrogas de bono, siue cur me bonum dicis? Nullus est bonus, nisi solus Deus. Non negat Christus se esse bonum, quando quidem fatetur solum Deum esse bonum, qui alibi fatetur se esse æqualem patri: ergo Deus est, & bonus est: sed hoc suo responso respicit ad mentem & intellectum adolescentis, nondum plenẽ imbuti uera Christi cognitione, atque ideo nondum consentiens Iesum esse Dei filium. Hic princeps salutat Christum bonum, quem non credit esse Deum, arbitrans tam se, quàm alios homines natura & propriis operibus bonos esse. Cur me uocas bonum, aut quid me interrogas de bono? Quasi uerõ putãdus sit homo esse bonus à dignitate & bo-



nitare operum ex se, tanquam ex se. Falleris mi adolescens. Nullus enim hominum sic bonus est. Nam, ut Dauid ait, Omnis homo mendax. Et, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et, In conspectu Dei non iustificabitur omnis uiuens. Vnus igitur est bonus, Deus, uerax & iustus, fons & origo totius bonitatis. Ergo apud hunc solum querenda est bonitas. Ergo homines boni, pii, & sancti, à Deo hoc beneficij habent. Nascuntur peccatores, & renascuntur boni & pii. Ergo si quis te saluauerit, bonum, & sanctum, caue hæc recipias epitheta ut tua, & à te. Agnosces esse à Deo, cui dabis gloriam bonitatis, sapientiæ, iustitiæ & clementiæ. Si igitur rogaueris, quare nemo sit bonus, nisi vnus Deus: in promptu causa est, Quia corrupta est vniuersa caro, Gene. 7. & cogitatio cordis humani prona est ad malum, à iuuetute. Psal. 14. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. Deus autem natura bonus est, in quo nulla reperiri potest ratio mali. Interea Dominus hoc suo responso uoluit dare adolescenti occasionem cogitandi de responsione iusta ad quaestionem. Quæsierat ille, Quid boni faciã, &c. Iam dicit Dominus, neminem bonum esse nisi solum Deum. Vnde colligere poterat adolescens si sapuisset, Si nemo nisi solus Deus bonus est: Ergo id bonum esse duntaxat necesse est, quod è Deo proficiscitur. Ergo si ego fecero quod Deus præcepit, faciam quod bonum est. Si Deus dedit tibi uires illa perficijendi, acceptissimus Deo eris: ergo & beatus. Quoniam uerò tardioris erat ingenij adolescens ille, quàm qui ex quaestione Domini illa colligeret, Christus rem aptius declarat, & propositam soluit quaestionem.

Solus Deus  
natura bonus.

Si autem uis ad uitam ingredi, serua mandata.

Breuis quidem sententia paucis contenta uerbis, sed quæ omnibus proposita ueluti generalis *ἡ ἀρχή*, seu regula qua docetur quid boni faciendū, & qua pateat ad cælos uia, siue quomodo ingrediaris in uitam. Bonum & uerè bona opera facies, si seruaueris mandata. Vitam ingrediaris, si seruaueris mandata. Deus nos ad mandata Dei relegat, quæ ut obseruemus, alius hac, alius illac, alius ista transit, iuxta Domini uocationem, quæ ob oculos habeat mandata Dei siue decalogum, seu regulam uocationis tuæ à Deo. Nam ait Dominus Deute. 12. Non faciet unusquisque quod rectum est in oculis suis, sed quod ego præcipio uobis, id obseruabitis ut faciatis. Hæc profectò summa cura iuuentuti inculcanda sunt, ut uel à cunabulis (ut sic dicam) statim assuescant meditari & seipso exercere in lege Dei, opera & piorum & doctorum præceptorum. A qua lege Dei necessarium est Deo petant, in primis, ut uitam suam ad illam effigient & componant. Secundò formulam bonorum operum ab ipsa petant: firmiter enim & constanter credendum est certissimam uitam esse obseruationem mandatorum. Respondebit aliquis: Quid hic audio prædicare opera meritoria? Vbi igitur fides toties à Ioanne decantata in suo Euangelio, Qui credit in filium Dei, habet uitam æternam? Rectè. Tamen si bene & studiosè intellexeris, nihil pugnantia est inter has propositiones: Per obseruationem mandatorum Dei ingredimur in regnū Dei. Et, Per fidem in Iesum Christum ingredimur in regnum Dei. Nam qui illud facit propter quod instituta est lex, is haud dubiè legem Dei obseruat, & mandata Dei facit. Sed lex Dei in hoc diuinitus instituta est, ut nos cõuincat peccati & damnationis: Nam lex iram Dei operatur. Rursus, ut hominem abstractum à seipso & suis uiribus, hoc est abnegantem seipsum, releget ad Christum, in quo quærat plenam & perfectam iustitiam per uiuam fidem in ipsum, nempe remissionem peccatorum, & legis satisfactionem. Horum testimonia firmissima habes, Rõma. 3. 4. 7. 10. Galat. 3. Ergo seipsum abnegans, seu in spem contra spem credens, nimirum de propriis operibus desperans, se per Christi gratiam, meritum & redemptionem, totum Christo tradentem; saluari credit, is uerè obseruat legem. Vnde apertum & indubitatum

Præcepta legis obseruata & fides in Christum sunt meritoria uitæ æternæ.

tum habetur, fidem in Iesum Christum esse obseruationem mandatorum. Hæc fides uiua est à gratia præueniente quæ gratuita est: & gratiam illam non meretur. Non tamen fides illa est sine bono motu uoluntatis, qui est ab illa gratia præueniente: & hac fide iustificor à Deo, & remissionem peccati habeo. Iam ab hac prima institutione procedunt boni actus uoluntatis in obseruantia mandatorum, qui actus sunt meritorij uitæ æternæ, non ex dignitate actus in se, sed ex gratia Dei ita nobiscum paciscentis. Quare si rogas, quid boni faciam, ut habeam uitam æternam: respondeo, iuxta Christi dictum ad adolescentem, serua mandata. Primò ordire à tui abnegatione, & te totum contrade Christo. Hanc primam tui iustificationem non habes ex tuo merito, licet non sine tuo bono motu à gratia præueniente. Tunc sic iustificatus perge in mandatis obseruandis: & mereberis ex illa prima gratia, qua tua opera & interna & externa sunt grata Deo, ingressum in cælum & uitam æternam. Neque omittendum est, superesse adhuc unum finem legis, uidelicet, ut quod præcepit Dominus, à nobis fiat. Sed ad hæc promisit Deus spiritum suum auxiliatorem, ne præcepta sint nobis grauiora, ut ait Ioannes. Deus enim est, ait Paulus, qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona sua uoluntate, hoc est agit in nobis, ut uelimus & efficiamus pro bono animi proposito.

Dicit illi, Quæ?

Quia adolescens audierat Iesum docentem præcepta legis Mosaicæ non esse factis ad consequendum regnum cælorum, Dei item præcepta esse uarij generis, ideo cupit exactè doceri, quæ ex illis talia sint, ut uitam queant sui obseruantibus adferre sempiternam.

Iesus autem dixit, Non homicidium facies. Non adulterabis.

Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem: & diliges proximum tuum sicut teipsum.

Christus secundæ tabulæ præcepta adolescenti ex Exod. 20. & Deutero. 5. recenset, ut uel ex his leuioribus colligat difficultatem mandatorum prioris tabulæ. Charitas enim in secunda tabula tradita, ea est quæ ex puro corde & conscientia bona, & fide non ficta procedit. 1. Timoth. 1. Ingressus ad uitam est effectus seruatiæ legis. At ridiculum est prius disputare de effectu, antequàm agas de causa, an ad eam satis tibi uirium sit. Vita re uera sequeretur seruatas leges, si seruarem legem perfectè, hoc est externis factis & consentiète animo simul. Reliqua quæ Christus non recensuit sub his comprehendit, imò colophonem adiungens omnium præceptorum, Diliges (inquit) proximum tuum sicut teipsum. Nam in hoc compedium colligit etiam sanctus Paulus omnia præcepta tabulæ posterioris ad Rom. 13. Causa finalis responsi Christi de lege, hæc est ut adolescentem ducat ad suam imperfectionem, qui se perfectum putabat, & ut cognoscat suam imbecillitatem erga legem, quæ perfectam fidem & charitatem requirit, hoc est præter externam completionem, etiam purum animū externæ completionem per omnia consentientem. Hæc nos docent quàm debeamus diligenter cõmendare & infigere mentibus adolescentum, cognitione uidelicet corruptionis & infirmitatis humanæ, per legem, uiuam, item fidem in Christum iustificantem, & uera officia uitæ, ex uiua fide, & spiritali lege.

Vita æterna est effectus legis obseruatiæ.

Dicit illi adolescens.

His auditis adolescens exhilaratus, quod nihil aliud expectaret faciendum, & putaret se omnibus satisfecisse.

Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.

Exemplum arrogantia in adolescente, qui propter externam adimplentionem



Arrogantis  
est, sibi per-  
suadere om-  
nia legis prae-  
cepta exacte  
se absoluisse.

tam arrogans est, sicut & ille Pharisaeus Luc. 18. ut credat se coram Deo iustum esse. Hæc est profectio humani ingenij uanitas. Tantum sibi adeo tribuit, ut se exactissime omnia legis absoluisse persuadeat, cum uix umbram illius legis absoluerit. Nemo nostrum sibi propius inspicit in sinum, ac corruptionem illam carnis omnibus agnatam, sentit ac iuste implorat. Omnes exultamus potius in uanitate nostra, expectantes ingentia laudum præconia, quasi nobis nihil desit, cum uituperio sumus dignissimi. Hanc igitur uanitate Dominus apertissime ostendit adolescenti, quem ualidissime conuincit iniustitiae: & quod nondum implevit legem Dei. Nam non perficit legem qui Deo creaturam præfert, uel iubente Domino fratri egenti quicquam negat. Iam si hic adolescens seruasset legem, Deum suis opibus, Dei mandatum suis facultatibus, deinde egenorum necessitatem suis diuitiis prætulisset, Dominoque præcipienti, Vade, uende omnia, &c. obediisset.

### Quid adhuc mihi deest?

Expectabat adolescens ut Iesus responderet illi, nihil deesse. Hoc commendatione dignum in adolescente, qui uolebat esse perfectus in studio iustitiae. Haud dubie necessarium est eum qui cupit hæres esse uitæ æternæ, aspirare debere ad ueræ religionis, & pietatis perfectionem, nec contentum esse si multum in eo studio promouerit ac processerit, sed semper prospicere ad consummationem. Et hoc fit iure. Nam quis uiator contentus est, si plurimum de itinere suscepto absoluerit, nisi peruenit quod uenire desiderabat? Proculdubio qui uitam æternam querunt, eo sunt affecti studio, ut licet multum in Euangelio profecerint, & promouerint, aspirant tamen perpetuo, & de eo semper solliciti sunt, quod adhuc restat. Ad hunc modum Paulus Philipp. 3. oblitus posteriorum ad anteriora se extendebat quia quod sectabatur nondum apprehenderat.

Quandiu ui-  
uit homo so-  
licitus sit de  
uita æterna.

### Ait illi Iesus.

Totus philanthropus & humanus est Dominus, qui rogat de uia, & quid superfit absoluendum, dignatur suo responso. Quem docet residuum uia, idque blandè & comiter, ne animum despondeat. Non dicit, desunt adhuc innumera, nihil adhuc promouisti. Sed quasi collaudans adolescentis studiosum animum, extenuat quod superest agendum, ut animum anhelantem ad ulteriora prouehat, dicens, Si uis perfectus esse. Et, ut Marcus & Lucas scribunt, Adhuc unum tibi deest. Quod certe non est absterrentis, sed magis prouocatis ad perfectionem. Perinde est atque qui ciuiliores sunt, ad hunc modum roganti de uia, quantum superfit, respondent, Paululum adhuc superest, potes adhuc hodie illud peruenire si mediocriter contenderis. Non absurdum est quod faciunt hi qui ægrotis cibum ministrant, ubi adhuc plusculum superest, dicere solent, Ferè nihil est, iam propè habes omnia, adhuc uia tantum superest forbitiuncula. Ita nobis quoque faciendum est, cum illis qui pietati & Euangelio student. Si quid profecerunt, ut parum sit, laudandum & magis faciendum est. Si quid superest, ut ut multum sit, extenuandum, ne deiciantur animi imbecilles: sed magis concepta perfectionis, ueluti sanitaris, spe, ad ulteriora prouocentur.

Extenuatio-  
ne agendorum  
propior red-  
ditur animus  
ad ea agen-  
da.

Si uis perfectus esse, vade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & ueni sequere me.

Animo bono certè hic adolescens interrogauit Dominum, quantum mihi licet conuincere ex Marco scribente: Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei, Unum tibi deest, uade, &c. Si mendace & ficto animo rogasset, non scriptum uideres, dilexit eum. Ad huius loci declarationem duo sunt obseruanda in obseruatione mandatorum, siue studio iustitiae. Alterum, non facere quod malum est: Alterum, facere quod bonum est. Haecenus promouerat adolescens in obseruatione mandatorum quo ad priorem partem, uidelicet, non facere quod malum est. In al-

tera parte, quæ est, facere quod bonum est, deprehenditur defecisse: & id est quod Christus dicit, Adhuc unum tibi deest. Dilectio proximi non erat in eo perfecta. Non enim satis est non malè facere proximo, nisi & ei beneficias: deerat huic contemptus diuitiarum, quibus pauperibus subueniendum erat. De perfectione Christus interrogatus, nimirum de defectu ad perfectionem, ut fiat adolescens aptus ad uitam æternam accipiendam, respondet de perfectione, deerat adolescenti, ut iuaret proximum suum animo consentiente: deinde foris etiam cum suo damno, & periculo bonorum, postulante necessitate: deinde, ut sequatur Christum, hoc est, nomine Christi omnia relinquat, & ex certa fiducia committat se Deo, qui in primo præcepto promisit se nobis fore Deum. Perfectum hic uocat, qui ferens suam crucem sequitur Christum, & consentienti animo & externis operibus iuuat proximum. Si uis perfectus esse, scilicet ad uitam æternam. Aut si uis perfectus esse, si uolueris id euincere ac comprobare, quod dicis, te mandata Dei perfecisse, Age, uende quæ habes, & da pauperibus. Hoc enim si feceris demonstrabis palam te Deum ex animo, & proximum tanquam teipsum diligere, cœlestiæque pluris quam terrena æstimare. Habebis enim thesaurum in caelo. Non tamen ita te plenè absolueris hoc opere, nisi me quoque sequaris, te inquam mihi consecraueris, & omnem tuam fiduciam in me collocaueris. Diligo quidem te, hoc nomine, quod præceptis Dei ita ab adolescentia studueris. Sed unum tibi deest adhuc, uidelicet, abnegatio tui, uera solidaque in Deum fiducia, sine qua omnia alia nihil sunt. Adhuc hæret animus tuus diuitiis, quas cum adhuc non abnegaueris, declaras te non omnia custodiuisse mandata, ut dicis. Vbi obserua: uerbum, uendere, aperit & penetrat affectus in adolescente. Vendere & dare pauperibus comprehendit sub se totam illam perfectionem, quæ pertinet ad posteriorem tabulam de dilectione proximi. Aduerte. Vendere & dare, ebullire faciunt affectus in adolescente. Et habebis thesaurum in caelo, id est, tum accipies uitam æternam. Tu me bonum præceptorem salutasti, quia tu me talem existimas. Iubeo te, ut quæcunque habes uendas, & des pauperibus, thesaurum habiturus in caelo, seu uitam æternam: ac uenias, me sequentur sub lata cruce. Hoc cum nequeas, ab affectibus impeditus, scito tibi adhuc unum, & id quidem maximum, deesse, tui nimirum abnegationem & synceram in Deum fiduciam sine qua reliqua omnia frigēt. Obserua. Quod hic iubet Christus omnia uendere, speciale & personale, non autem generale est præceptum quod iussit omnia uendere & dare pauperibus. Abusi sunt his uerbis Pauperes de Lugduno, credentes, ac docentes, neminem posse pertingere ad perfectionem, nisi propria croget, mendicus fiat, & uiuat ex alieno. Caterum non intellexerunt consilium & finem in quem hæc Dominus dixit, nimirum ut euinceret adolescentem nondum eò perfectionis peruenisse quod putabat, sed deesse ipsi adhuc plurima. Non debent illi pauperes ex speciali quopiam experimēto, generale præceptum & dogma facere. Quemadmodum ex mandato Dei ad Abrahamum de immolatione filij facta, ut probaretur fides Abraham (angelo enim retrahente gladium Abraham ad iugulum Abeli, auditus est scopus illius præcepti, Iam cognoui quod tu timeas Deum) non est tractum generale præceptum quo patres obligarentur filios suos immolare, & urgeretur ad infanticidium ita & in præsentia uerba Domini non præcipiunt Christianis mendicitatem, sed euincunt adolescentem non obseruasse mandata, qui audito Christo tristis abiit, quem oportebat esse hilarem, & datorem. Hilarem enim datorem diligit Deus, ait Paulus. Nullibi inuenias in Euangelicis & Apostolicis literis proprietatem rerum ac usum opum esse prohibitum, & mendicitatem esse præceptam. Non hic loquor de mendicitate quam liberè uouerunt multi uiri mea sententia Dei spiritu ducti, qua uoluntariè à se abdicarunt rerum proprietatem, ut facilius & liberius Deo seruiant, Euangelio uacent, & ædificandis proximis exemplo & doctrina studeant. Quis horum uitam nisi insanus &

Error pauperum de Lugduno.

Proprietas rerum ac usus à Christo non prohibentur.



à spiritu Christi alienus improbarit? Hęc mendicitas post uotum præcepto obstrita est, & seruanda. Obligantur omnes ad paupertatem Euangelicam, qua sic quis à se studium opum abdicat, ut nec nimis affectet, si desint opes, nec doleat auferri quod habet, pro gloria Christi & necessitate proximi. Deinde sentiat & intelligat se ei quod habet diuinitus præfectum tum curatorem, tum dispensatorem: ut cuius uisus necessitati commodet. Atque hoc est quod iubemur uendere, hoc est abdicare affectum & amorem opum, ut habeamus tanquam nõ habeamus. Sic iubemur dare pauperibus, id est accommodare nostra omnium uisibus: sic tamen ut & nostri rationem habeamus, quod Paulus. 2. Corinth. 8. monet, Non enim ut aliis sit remissio, uobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Hęc paupertas nõ consilij, sed præcepti est: & ad omnes homines pariter pertinet, comprehenditurque præcepto quo furtum prohibetur. Deinde paupertas Euangelica uerè est illa communitio rerum quæ sancitur Euangelio, non quòd non liceat habere diuitias, & rerum proprietatem. Hęc enim habuerunt Abraham, Iacob, & Dauid uiri sancti, nõ quòd in omnes omnia dissipari debeant: aut quòd cuius grassari liceat in opes aliorum: sed quòd oporteat Christianum pectus sic constitutum esse, ut optet tantum aliis curator, & dispensator esse, & dare petenti & indigenti. Quemadmodum enim diuinitus aliis eloquentia, aliis rerum agendarum consilia, aliis magnus animus in periculis obeundis, breuiter aliis alia donata sunt, ita quibusdam opes quoque datae sunt, non ut suæ quisque libidini seruiat, sed perinde ut eloquens aliis seruit, prudens aliis consulit, ita diues aliis commodet. Atque ut impium est roganti negare consilium, ita impium est negare egeno & petenti necessitatem leuari. Et in hoc sita est cõmunio rerum. Colligamus ex superioribus. Auferendũ est cor nostrum ab omnibus quæ possidemus, & sic illis toto corde abrenũciamus, ut iam illa animo uedamus, hoc est simus parati illa uedere, si proximorũ necessitas id exoptulet. Adfectui ergo & fiducia possessorũ semper renũtiandũ est: rebus autẽ ipsis, & earũ possessioni, tunc cum fratrũ indigentiã id requirit: nõ si aliunde nõ potes fratris indigenti esse auxilio, quàm tua uendendo: tunc illa uendere oportet. De thesauris in cœlo recondendis diximus supra cap. 6. de ferenda cruce supra. 16.

Quando renũtiandũ est rerum possessioni.

Amor diuitiarum prohibetur, non ipse diuitias.

Cum audisset autem adolescens uerbum, abiit tristis: erat enim habens multas diuitias.

Cum uerbum Christi de perfectione in complenda lege audisset adolescens, uictus in conscientia de imperfectione sua, mox uultu prodidit quod latebat. Animo deiecto mœstòque abiit, quod dominus esset multarũ possessionũ, quas durũ existimabat semel uniuersas relinquere & dare pauperibus, ac nudus nudũ sequi præceptorẽ. Cupiebat adipisci uitã eternã, ambiebat perfectionis honorẽ: sed hunc affectũ ueluti bonũ semen obruebant spinæ diuitiarũ. Itaque mœstus abiit domum, nequaquã intelligens Iesum damnare nõ diuitias, sed affectũ & amorẽ, curasque diuitiarũ, quibus uix possunt nõ esse obnoxij qui eas possidēt. Neque enim Dominus uoluit illas semper relinquere, sed tamen semper contēni: Relinqui etiam, si quando nos auocent ab euangelica pietate. Hęc tristitia declarat diuitiarum dilectionem. Quis enim mœret siue tristis est, si amittat quod nõ diligit? Qui a missa uxore non apparet admodum tristis, arguitur quòd eam uel non dilexerit, uel certè perparum dilexerit. Ita scilicet agnatum est nobis, ut quę diligimus, ægrè amittamus. Rogabis: Cur igitur Euangelista non dixit amabat diuitias, sed, erat enim multas habes diuitias. Respondeo: uoluit cum emphasi exprimere non solum adolescentis huius, sed in genere omnium eorum morbum, qui animo à terrenis bonis pendent. Imò ut apertius dicã, hoc pacto morbi huius ingenium significauit. Hoc agnatũ habet hic morbus, ut quòd plures habentur possessiones, eò ipse morbus reddatur maior ac robustior. Sic ille ait: Crescit amor nũmi, quantum ipsa pecunia crescit. Bellè igitur & rectè uolens Euangelista reddere rationem, cur hic adolescens mœ-

stus abierit, scripsit, quòd habuerit multas diuitias, ut significaret illum magno-pere opes suas dilexisse. Miserrimus & perditissimus est hic morbus, quo fit, ut quò plus possideas hoc minus habeas, hoc sis pauperior: id quod hydropicis usuuenire solet, qui quantò plus bibunt tantò plus sitiunt: dum quod bibendo insumunt ad nihil aliud illis prodest, quàm ut sitim adaugeat. Et hoc est quod Chrysostomus exclamans, Nunquam (inquit) magna uoce clamare cessabo, accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis aded inflammari, ut rerum copia crescente, egestas quoque crescat. Erat enim habens possessiones multas, id est, corde adhærebat possessionibus.

Qui opes diligit, similis est hydropico.

Iesus autem dixit discipulis suis.

Digressio adolescente, Iesus ad discipulos conuersus, Nam illis hoc spectaculum ediderat, nequando illos pœniteret paupertatis suæ, aut tenerentur amore pecuniæ. Sumpta occasione à digressu adolescentis mœsti, cœpit admonere quanta sit pestis affectus diuitiarum. Christus non damnat diuitias, sed affectum in illas.

Amen dico uobis.

Iurat Christus in re seria & certa. Nam ne uideretur hoc obiter dicere præmittit asseuerationem. Et in Marco 10. cap. loquitur cum admiratione, Quàm difficile (inquit) qui pecunias habent, &c. Marcus ait, Christum circumspexisse, ac tum ista uerba dixisse, Quàm difficile, &c. Deinde ingeminasse quoque, quò plus fidei apud nos inueniat, & altius demergatur in pectora nostra.

Quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.

Huius difficultatis & impedimenti causã ab exemplo illius adolescentis sumptæ sunt: Cura pro diuitiis, studium diuitiarum, fidere diuitiis, & huiusmodi. Nam hæ res cognatæ sunt diuitiis, ut uisum est supra 6. cap. Intrare in regnum cœlorum est serio amplecti Euangelium, & doctrinam uerbi sequi ex animo non frigido, sed charitate obfirmato. Circa hunc locum & supra 6. & 1. ad Timoth. 6. obseruatum necessarium est, quòd uera pietas cum studio pecunię subsistere non possunt. Item obseruandum est, diuitias non esse in causa quòd minus intrent diuites in regnum cœlorum. Nam illæ bonæ Dei creaturæ sunt, sed sunt in causa res illis cognatæ circa diuitias ludetes, uidelicet studium pecuniæ, fiducia in pecuniam, &c. Non ergo uituperantur diuitiæ, neque damnantur diuites, nisi cum accedit abusus diuitiarum, in primis uerò fiducia in diuitias.

Studium & amor pecuniæ perdunt hominẽ, non autem diuitiæ.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.

Vt rei difficultatem discipulis admirantibus exaggeraret, hæc adiecit: quasi dicat, Quin & amplius dico uobis, facilius est ut camelus ingens animal ac tortuosum trãseat per foramẽ acus, quàm ut diues ingrediatur in regnum cœlorum: (diuitem hic uocat diuitiarum studiosum & illas affectantem.) Siquidem humilis & angusta est porta, nec recipit camelos opũ sarcinis onustos. Sic enim notauit diuites auaros, quibus diuitiæ magis sunt oneri, quàm usui. Nam haud dubiè studiũ congerendarum opum, earũque possessio undique sceleribus circumseptum est. In parandis enim opibus interueniunt furta, rapinæ, cædes, mendacia, deierationes, & quod terrenis tandem toti immergimur, ac cœlestium planè obliuiscimur. Possidendo & usurpando hæc interueniunt auaritia, sorditas, asperitas, luxus, libido, superbia: accedit & ipsarũ studiosis, quòd rebelles fiunt Deo. Obmurmurant enim Deo per seruos suos auaritiã, studiũque rerum terrenarũ uerbo suo corripienti. Et in amissione uel iactura opum non mediocriter peccant impatientia, & fœdo dolore. Verè ergo pronuntiat, facilius camelũ transire per foramẽ, &c. Quidam putant absurdum esse per camelum hic intelligi animal, quòd illa

Camelus.

Diues hic p affectantẽ diuitias usurpat.



in farturis formandis non utimur. Sed si prospexeris intimius quicquid dixeris, absurditas hæc in sua causa suam habet gratiam & uenustum leporem. Teophylactus per camelum intellexit rudentem nauticum, quod magis uideatur quadrare ad foramen acus. Sed ueteres & optimi quique interpretes de animali exposuerunt, quibus subscribo. Cæterum quis sit uerus diuitiarum usus, discite ex Pauli uerbis. i. Timoth. 6. Certè tota scriptura uetat, ne ullam fiduciã ponamus in incertis opes, sed ita potius illas possideamus, quasi non possideamus. i. Corinth. 7. cap.

**Auditis autem his, discipuli mirabantur ualde, dicentes.**

Hic sermo non satis ab Apostolis intellectus iniecit illorum animis mœstitudinem quandam, quod dolerent tot homines diuitiarum gratia secludendos à regno cœlorum. Vnde uehementer admirantes quid sibi uellet hoc de camelo & foramine acus, tandem intellexerunt probè ex comparatione cameli, impossibile esse diuitem seu studiosum opum intrare regnum cœlorum.

**Quis ergo poterit saluus esse?**

Marcus narrat, Qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos, Et quis poterit saluus fieri? Loquuntur in semetipsis: Si res ita habet, diuites ita ingressuros in cœlum, ut camelus solet transire per foramẽ acus: Quis ergo poterit saluus esse? Quasi dicant, Colligimus ex uerbis Domini pauculos, aut certè nullos fore saluandos: eoque nomine expauescunt, turbanturque supramodum. Hic affectus de communi hominum salute & calamitate sollicitus in discipulis est laude dignus.

**Aspiciens autem Iesus dixit illis.**

Dominus qui intuetur cor, ut uidit cogitationes eorum, & solitudinẽ quam conceperant ex simili de camelo per foramen acus, dignatur illos suo responso. Et ut leniat conceptum in animo dolorem, ostendit nonnullam esse spem diuitibus quoque perueniendi in regnum cœlorum.

**Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.**

Humana facultate siue uiribus humanis, quæ solùm humana generant, (nã caro nõ potest generare spiritũ) nõ saluatur homo. Est profectò salus supra uires humanas, ideo neque uestris puris seu solis uiribus, neque puris naturalibus salutẽ affert qui potestis. Hoc non possunt homines suis uiribus conferre, non minus quàm ut camelus eat per foramen acus, sed apud Deum nihil est impossibile. Qui solus pro sua potentia potest homines ab affectibus erga diuitias liberare: & efficere ut homines studium & fiduciam in diuitias deponant. Hic commendatur potentia Dei quæ est super naturam. Omnia dicit, scilicet quantumuis impossibilia naturæ aut rationi. Deus mutat animos, ut abiiciant malos affectus. Dat diuitibus, ut alacres etiam uel abiiciant quod possident, uel possideant tanquam communes, non proprias, semper parati relinquere, si quando id postulet Euangelij negotium. Cur enim agrè contemnant opes qui non grauantur & uitam impèdere. Exempla huius diuinæ potentia, habemus in Abraham, Iacob, Isaac, Loth, Dauide & aliis patribus.

**Tunc respondens Petrus, dixit ei.**

Occasio occasionem parit. Hic sermo quem Iesus dixerat adolescenti, uade & uende omnia quæ habes, &c. & sequere me: non nihil bonæ spei conciliauit Petro. Qui quanquam diues non fuisset, tamen hoc ipsum quod habebat, alacriter reliquit, nauim & retia, ac Dominum fuerat secutus. Obserua ex præcedente occasione oriri disputationem de præmio uirtutum, & quàm modestè oporteat eos sentire, qui sunt in gratia Domini, & expectant præmia diuina.

Saluabitur diues, si diuina gratia accensus, auaritiã suam detestetur.

**Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo nobis erit?**

Vox attentionis est, ecce, qua Petrus insinuat se dicturum de operibus longè diuersissimis à natura diuitum, qui sua bona conseruant, non relinquunt. En reliquimus omnia. Grandis fiducia (ait Hierony.) Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter, reliquimus omnia & animo & opere, idque ex fide qua nos donasti. Discipuli hic separant se à diuitibus, corde adhærentibus diuitiis. Et quia hoc Socrates & multi philosophi præstiterunt, & non sufficit, quia non sufficit tantum relinquere, addidit Petrus, quod perfectum est, Et sequuti sumus te. Domine nos fecimus quod postulasti ab adolescẽte. Nam quanquam non fuimus diuites, paupertatem tamen nostram nobis non minus adamatam, quàm opulentissimas opes suas, alacriter propter te reliquimus, & te sequuti sumus. Quid igitur nobis dabis præmij? Si auocas potius à diuitiis, quàm tribuis, quid nobis præmij erit, quod relictis omnibus facultatibus te sumus secuti? Sperauimus maximam huius seculi felicitatem, iuxta uaticinia prophetarum de regno Christi, quod etiam externi reges sint nobis adlaturi diuitias. Omnes, inquit, de Saba uenient, aurũ & thus deferentes, & laudẽ Domino annuntiantes. Et iterum, Suges lac Gentium, & mamilla regum lactaberis. Pro aere afferam aurum, pro ferro afferam argentum, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrũ. Nos igitur reliquimus nostra pauca, ut multa & magna aliena consequeremur. Nunc autem quia doces perspicuè, diuites nõ intrare in regnum cœlorũ, quid nobis erit, si diuitia, quas iudicamus non esse minimã felicitatis partẽ, nobis non contingant? Ut enim hanc consequeremur felicitatem, nostra omnia reliquimus, quæ etsi non sint fortassis preciosa si conferantur ad opulentiam Cræsi, nobis tamen non minus necessaria & chara fuerunt, quàm regi cuiquam regnũ suum. Quid ergo nobis pro his omnibus relictis erit?

Apostoli expectantur præmij, quod suis meritis & indefessis laboribus reponderetur.

**Iesus autem dixit illis.**

Quãquam Christus ex hac interrogatione opportunam habuisset occasionem discipulos suos seueriter propter carnales de regno suo cogitationes, obiurgandi: tamen quia uidebat eos ab hac opinione non nisi missione Spiritus sancti auelli posse, ideo clementer ipsos alloquitur.

**Amen dico uobis.**

Respondet Christus, & sermonem suũ iureiurando more suo confirmat, ostendens præmia parata esse uirtutibus, & principio quidẽ ministris Euangelij, deinde omnibus sanctis Dei cultoribus. Amen, id est certè dico, promitto uobis, id est qui habetis uerbum meum, & qui nomine uerbi reliquistis omnia, facti estis miseri & cõtempti in terra, id est uobis pauperibus spiritu, & qui propter me abnegastis uos ipsos. In hac promissione Christus discipulis suis, & sic omnibus piis proponit solatia in hac uita, quibus consolabuntur se etiam in extremis necessitatibus. Hæc autem solatia consistendi in promissione uitæ æternæ. His solatiis passim & aliis locis Christus suos discipulos consolatur contra crucem, & omnes aduersitates, Marc. 13. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Paulus ad Rom. 8. à uita æterna seu gloria futura consolatur credentes. Similiter & Petrus. i. Petr. i. Breuiter hoc genere consolationis ut non est fortius in hac lachrymarum ualle, ita solum est quod unice consolatur afflictos pios. Nec habet nouum testamentũ unã cum ueteri frequentiora & potentiora solatia, quàm ea quæ à uita æterna prodeunt. Hæc est liberalissima & maximè omnium memorabilis promissio, quæ nobis diligentissimè obseruanda est, ut excitetur per eam in nobis uiua fides, & per hanc fidem obsequamur uocationi Dei.

Promissione uitæ æternæ Christus consolatur afflictos.



Quod uos qui sequuti estis me.

Sequi Christum quid.

Signanter non addit, & reliquistis omnia, ne det occasionem necessariò relinquendi bona propter uerbum, ubi necessitas non urget. Sequi Christum proximo intelliges exemplo Abrahæ, qui ad uerbum Dei exiit e Mesopotamia in terram quam uolebat illi monstrare Dominus, Genes. 12. Auditum uerbum ex ore Domini Abraham non contulit eum carne & sanguine, quid sibi esset faciendum, sed statim uerbo acquieuit per fidem, arque in ipsum credidit. Vos igitur qui præter scapham & retia, mea causa nihil reliquistis, sed tamen hoc animo, ut opes quantumuis magnas mea causa fueritis relicturni, & nudi nudum hætenus estis sequuti, si perseveraueritis magno donabimini præmio. Obserua: uirtus relinquendi omnia, æstimatur magis ab affectu relinquentis, quam à modo rei relicte. Videbatur magni aliquid futurum, si adolescens ille tantas opes propter regnum cælorum reliquisset, uerùm plura non reliquisset, quam Apostoli iam reliquerant. Reliquerant autem omnia. Non poterant plura relinquere. Qui omnes suas uires ad facinus aliquod impendit, non minus reus est, quam is qui, quia robustior fuit, robustiorem etiam operam ad facinus attulit: nã si plura potuisset, plura fecisset: ita & qui pauca reliquit, multò plura reliquisset, si habuisset.

### In regeneratione.

Regeneratio duplex, una corporis, altera animi.

Cùm sancta scriptura regenerationem in hac uita talem nobis commendat, quæ aqua & Spiritu sancto fit cum uerbo, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Et Paulus dicit, lauacrum regenerationis: quomodo hic uocat regenerationem tempus illud extremi iudicij? Quemadmodum duplex est resurrectio, ita & regeneratio: Altera animorum, quæ fit per uerbum ac fidem in Christum, operante Spiritu sancto. Altera corporum, quæ est futuri seculi, in quo corpora è mortuis excitabuntur ac regenerabuntur in gloriam cœlestem, non in terrenam corruptionem. 1. Corinth. 15. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in uirtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale: in qua regeneratione humilia piorum corpora conformia reddentur glorioso corpori Christi.

Regeneratio hic pro translatione figuratiue seu renouatione in alia conditionem sumitur.

Ad Philipp. 3. ubi quod hic Christus uocat regenerationem, appellat ille translationem. Si consideraues futuri iudicij tempus, in quo omnia renouabuntur, id quod in aliam conditionem, aptiori uocabulo nõ poterit appellari, quam regenerationis. Si primus liber Moyfi, quod creationem mundi continet, rectè dicitur est liber Genesios siue generationis, quomodo non æqua ratione id tempus quo aliud seculum orietur, regeneratio uocabitur? Caterùm tota hæc promissio Christi, periphrasis est uitæ æternæ. Ad quam nos erigit uerbo in regeneratione, ut consideremus totum huc mundum corruptum, nec speremus ante istam *παραγενεσαν*, id est regenerationem, mundum hunc esse renouandum, interea omnia in peius degenerabunt: in regeneratione, id est in consummatione seculi, in nouissimo die resurrectionis & regenerationis, quando omnia innouabuntur, & omnes homines ad uitam nouam redeundo in corporibus resuscitati reuiuiscunt, uelut regenerati ad immortalem uitam. Obserua: Potest hic ablatius, in regeneratione, iungi præcedentibus, Qui secuti estis me in regeneratione. Sequi Christum in regeneratione est per Euangelium in Christum credere, & uocationem eius ex fide sectari. Aut regenerationem uocat Euangelij negotium. Vt sit sensus, Quod me secuti estis in Euangelij & regni Dei negotio, quod regenerationem tradit. De qua Ioan. 3. Vtraque lectio probatos autores habet. Accedo magis ad priorem.

Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.

Ad amplificationem facit, cum dicit, In sede maiestatis: Et, Sedebitis uos super sedes, &c. His alludit ad regum mores, quibus apponuntur throni atque suble-

lia. In thronum isti magna cum maiestate conscendunt & confident: sublellia occupant magnates, consiliarij, & amici regum. Humana ergo, sed magnifica similitudine, diuina ac maiestate ueneranda Dei iudicia adumbrat. Porro adhuc in humilitate constitutus, nimirum filius hominis contempta & abiecta persona, idque in loco ubi de ferenda cruce pro nomine suo ac omnibus deferendis differit, inculcat & satis apertè declarat futuram suam gloriam, ut conceptum in discipulis forsitan dolorem de ferenda cruce leniat: & uerbis utitur ad nostrum captum accedentibus. Sede explicatur potentia & regimen, maiestas, gloria, & apparatus. Cùm sederit, id quod nunc non apparet, filius hominis, quem Iudæi ut contemptam & abiectam personam habent.

Sedes Christi gloria & magnificentum apparatus explicat.

Sedebitis & uos sup sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

Hæc de præmio ministrorum uerbi, uidelicet quod primas tenebunt in die illo, magna que cum gloria sedebunt tanquam assessores apud iudicem. Hoc est quod Colos. 3. Apostolus dicit, Cùm autem Christus apparuerit, uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Assistentes iudici, toti mundo declarabunt uera se prædicasse orbi, & mundum damnari à iudice meritò, quod uera docentibus nõ crediderit. Idè fere traditur à Daniele 12. cap. Ad omnes uerò promiscuè pertinēt quæ sequuntur, Et omnis qui reliquerit domos, &c. Proinde scriptura aliquoties usurpat sedere pro quiescere ac habitare: aliquoties, regnare. Hoc loco Christus pollicetur suis tranquillitatē, & confortiũ sui in cœlis gloriosum. Additque promissioni ipsos futuros iudices Israelitarum tunc, quando extremo illo & exactissimo iudicio in totius orbis peccata inquisiturus est. Et hæc sanè gloria est sanctorum non postrema. Neque hoc ipsum pugnat cum eo quod legitur Ioan. 5. Patrẽ omne iudicium filio dedisse. Quoniam iudicare in præsentia non significat iudicio discernere: sed testificari potius. Vt sit sensus, Non solum beatam accipietis retributionem, uerum etiam in superuenienti autoritate sedebitis, hoc est apparebitis mihi in maiestate mea sedenti, tanquã assessores mei & coniudices, approbatoresque meæ sententiæ, iudicaturi uniuersum populum Iudaicum, qui uobis credentibus & prædicantibus noluit in me credere, imò & uniuersos infideles qui credere noluerunt. Et quemadmodum nunc super terram relicturnus sum uobis ceu uicariis meis & coadiutoribus prædicandi officium, simulque clausus regni cœlorum. Ita & illo die uos autoritate præeminere faciam & dignitari sublimi effulgere, ut orbis iudices unã mecum appareatis, sicque omnibus fiat palàm, non inanem fuisse uestram in terris autoritatem. Et manifestè uideant uerbi contemptores, ut quomodo nunc socij estis passionum: ita tunc inueniamini consolationis & gloriæ consortes. Huc conferto. 3. & 5. ca. libri Sapientiæ, & accedet lux mirifica. Colligamus sanctam admonitionem, ne committamus ut condemnemur in iudicio Dei, per eorũ pietatem ac fidei obedientiam, qui fortè minus occasionis ad pietatē habuerunt, quã nos. Non enim poterit ullum esse iustius iudicium. Meritò cõdemnatur terra quæ non minus culta, quàm ea quæ fructum attulit, ipsa sterilis permansit, ut docet Paulus Heb. 6. Iudices nostri erunt, non solum qui nos docent, sed & condiscipuli nostri, qui in schola pietatis proficiunt, si nos nihil profecerimus. Zachæus iudicabit omnes & usurarios & defraudatores. Centurio iudicabit omnes milites, præfectos & magistratus. Pauper Lazarus ante fores diuitis, iudicabit quosuis pauperes impatientes & impios. Obserua: Per sedes. 12. non solum. 12. intelligit, sed uniuersitatem iudicantiũ, & credentium. Sed propterea. 12. dixit, quia duodecim tantum erant quibus loquebatur.

Iudicare hic sumitur pro testificari.

Sedibus. 12. intelligitur uniuersitas iudicantium & credentiũ.

Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meũ. Ad omnes spectat hæc promissio, & uerè dixit Paulus, pietatem habere promif-



Relinquere aliquid propter Christum, quid.

sionem presentis uitae atque futurae. Relinquere aliquid propter Christum, est Christum omnibus proponere, supra omnia amare. Sunt profecto quae iuxta Christum & habere & amare potes: cuiusmodi sunt pater, mater, ager, opes, & cogeries rerum significatarum in hoc textu. Nec opus est ut statim in Christum credens, illa relinquant, nisi illorum gratia, cogere facere quod contra gloriam Christi sit. Tum demum scilicet relinquenda sunt ista omnia. Haberi non possunt iuxta Christum diuitiae male partae. Vnde Zachaeus dicebat, Si aliquem defraudauit, reddo quadruplum. Haberi iuxta Christum non potest tale uita genus quod cum Euangelio & regno Dei pugnat, de quo legis. 1. Corinth. 6. Huic loco satisfacis si eo animo erga Christum fueris, ut illius gratia paratus sis omnia relinquere, ipsam etiam uitam ubi necessitas postulauerit. Fortuna enim non hic iudicatur, sed uoluntas. Addit propter nomen meum, id est propter me, quae est causa & ratio meritoria beatitudinis, hoc est derelictio patris, matris, &c. sit non stulta, irrationalis, non contra aut praeter charitatem Dei aut proximi, sed sit necessaria, aut expediens ad honorem Dei.

Centuplum accipiet.

Marcus scribit, Qui non accipiet certis tantum in tempore hoc: mox addit, & in seculo futuro uitam aeternam. Quod hic & apud Marcum dicit centuplum in praesenti uita, Lucas. 18. cap. interpretatur, multo plura, ut intelligas certum quidem numerum dici, infinitam autem & immensam commoditatem significari. Et usurpatur uocabulum centupli, quod solet fructificationem boni seminis in agro explicare. Ut hac ipsa dictione admoneamur, ea quae propter regnum Dei relinquuntur, multo copiosius fructificari in manu Dei, quam semen in agro. Nam si proieceris semen in agrum, aliud quidem fert fructum trigecuplum, aliud sexagecuplum, aliud centuplum. Quod si ager tam fertilis & liberalis est, ut reddat semen sibi commissum, centuplum: profecto multo fertilior & liberalior erit manus Domini, ut quicquid in eam, uelut in caelestem agrum proiecerint, multo maiori foenore reddatur. Marcus ait, in tempore hoc, hoc est in hac uita & dum uiuitur.

Qui propter Christum carnalia relinquunt, copiosas recipient benedictiones.

Pro relictis caducis ac uilibus possessionibus possessurus pretiosum illud margaritum Euangelicae mentis, nullis huius mundi mercibus aestimandum. Pro una domo relicta toto orbe plurimas uobis aperiet Euangelij doctrina. Pro unico fundo plurimi fundi seruiet uestris uisibus, pro unico patre aut matre, tot habebitis quot senes & anus conuerteritis ad professionem Euangelicam. Tot habituri fratres, sorores, ac filios filiasque, quot aequales aut minores uestra praedicatione perduxeritis ad uitam aeternam. Hi passim & ultra suppeditabunt, si quid opus fuerit: longaeque uicerit eorum affectus, quos uobis sola sanguinis propinquitas coniunxit. Aetior est enim Euangelicae societatis cognatio, quam carnis affinitas, & uehementius amat quem conciliauit pietas, quam quem adiunxit natiuitas. Adhuc ex derelictione illa quae fit uiua fide consequitur remissionem peccati, augmentum item fidei, timoris Dei, dilectionis, & cognitionis ipsius uerbi cum tranquillitate conscientiae, quae infinito maiora sunt, quam quae derelicta. Obserua, centuplum respicit ad praesentem uitam, in qua credentes etiam copiosius Domini benedictiones sentient.

Et uitam aeternam possidebit.

Ait Marcus, Et in seculo futuro uitam aeternam. Similiter & Lucas. Post absolutam praesentem uitam, qui propter me reliquit omnia, gloriosam accipiet retributionem pro spreto mundi diuitiis, nimirum uitam aeternam & gaudium perpetuum. Quod certe longae omnium maximum est, ut pro rebus mox perituris & fiducia in Deum uitam aeternam habeas, haeres Dei, cohæres autem Christi fias, omnium uidelicet donorum Dei consors.

Multi autem erunt primi, nouissimi: & nouissimi, primi. Epiphonema ne insolescant, aut superbiat discipuli promissione uitae aeternae.

Qui stat, uideat ne cadat.

sed timeant: quia facillimum est, ex primis posse fieri nouissimos. Ad omnes siue Iudaeos siue Graecos pertinet haec sententia, qua nunc deprimat insolentiam nostram exemplis recte propositis. Fit enim ut homines sint religiosi opera facientes egregia, sed iidem mox uicti cupiditatibus carnis pudenda patrant. Rursus sunt alij qui cum hactenus seceda designarint: pudet tamen ipsos secedat, & operatur opera iustitiae, Deoque grati & accepti sunt. Certè Iudaei aliquando fuerunt populus Dei, Gentes contra fuerunt populus sine Deo. Tandem induratis Iudaeis, Gentes fidei uiuae beneficio in consortium foederis Dei uenerunt repudiatis Iudaeis. Sic autem primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi. Huc refer quae Hieremias docuit 9. cap. & Paulus ad Roma. 11. cap. Videtur mihi Christus hoc loco perstringere Petrum, Ecce reliquimus omnia, &c. idque subiecto timoris argumento. Perinde ac si dicat, Petre receptus es, uide ne huiusmodi gratiam amittas. Esto reliqueris omnia: at nondum ita reliquisti, ut non queas redire ad uetus institutum. Ereptus es peccato, uerum non ita quod peccare nunquam possis: ne nimium tibi fidus, quia multi nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. Multi nouissimi in hac uita, quo ad honores & bona temporalia, erunt primi in alia uita: è contra, Multi primi hinc in honoribus & reliquis temporalibus, erunt nouissimi in alia uita: Quia non censum, sed affectum: non quantum, sed ex quanto offertur, pensat Deus.

CAPITIS VIGESIMI

Epitome.

Premium operantibus in uinea Domini, unum datur, ac negata matris filiorum Zebedaei petitione, duos caecos in Iericho Christus illuminat.

CAPVT XX.

Vadecima parabolae. a Primo mane uel ipso statim die. b Quod] quodcumque.



SIMILE est regnum caelorum homini patri-familias qui exiit a primo mane conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operariis, ex denario diurno, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro otiosos: & dixit illis, Ite & uos in uineam meam, & b quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus uineae procuratori suo: uoca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis usque ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt c singulos denarios. Venientes autem primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & d aestus. At

Operarij conducuntur in uineam.

c Singulos denarios] singuli denarium. & d aestus] aestum.



ille respondens, uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi. Et ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos, & secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotū & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexterā tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexterā meam, & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et audientes decē, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos: sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister, & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Et egredientibus illis ab Hierico, sequuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus uiam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Et stetit Iesus, & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine ut aperiatur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim uiderunt, & sequuti sunt eum.

Simile est regnum cœlorum

**D**Xpoliturus & illustraturus sententiam hanc, Multi autem erunt primi nouissimi, &c. pro suo more Christus elegantem parabolam seu similitudinem subiungit, in qua cauendum est, ne omnes similitudinis illius partes per allegoriam ad regni Christi ueritatem trahamus. Quæ res multis plurimum parit molestiæ, & incertam reddit & inconstantem uerborum Christi expositionem, & præterea multis in locis absurdas gignit opiniones, ut in parabola de illo procuratore, qui debitori fecit scribere quinquaginta cados olei solutos. Non sunt omnes illius partes per allegoriam adducendæ ad ueritatem, alioqui proponeretur ut nos nostros heros falleremus & fraudaremus. Sed sola industria procuratoris

Marc. 10. d. Luc. 13. f.

Pasione sua Christus per dicit apostolis.

Marc. 10. e. Luc. 18. e.

Vxor Zebedæi pro filiis ambit. Marc. 10. c.

Marc. 10. g. Luc. 22. c.

Minister noster Christi.

Cæci duo sanantur.

Marc. 10. g. Luc. 18. f. g.

In parabolis non oportet in singulis uerbis cura perangi.



ris imitanda commendatur, qui tam prouidè sibi ipsi consuluerat, etiam ex rebus heri. Quod si quis iam multis uestigaret, ac doceret, quid in ea parabola debitores, quid liber rationum, oleum, triticum, & mensura significet, is facilè à scopo aberraret, & Ecclesiam offenderet, non doceret. Quare neque præsens similitudo, neque reliquæ proponuntur, ut singulæ earum partes sint obseruandæ: sed ad scopum aduertere decet, atque expendere quid ea nos Christus docere, aut monere uoluit, nihil tam solliciti aut curiosi, quid denarius sit, quæ prima, tertia aut reliquæ horæ, sed multò magis considerare, quid pater ille familiâs uoluerit. Voluit autem ut non ignoremus quo pacto denarium sequamur, & intelligamus Deum diuersis temporibus pro sua bona uoluntate in gratiam recipere homines: & his quidem præmia dare pro sua bonitate, interim nemini ullam irrogare iniuriam. Proinde hæc parabola est uelut exegetis illius sententiæ, Multi erunt primi nouissimi, &c. Sicut enim in his, qui in uinea laborarunt, nonnunquam primi ultimis comparantur, & ultimarum opera pluris fiunt, quàm primorum: ita in regno cœlorum, anteuertent primos aliquando ultimi. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi. Sic anteuertit Iudam apostolum Magdalena meretrice: sic Simonem Samaritam Paulus. Iam accingamur interpretationi, hoc præludio contenti. Regnum cœlorum intelligit Ecclesiam, & omnia quæ ad regnum illud pertinent. Sic fit in ecclesia Christi, & regni eius datione, quomodo in hac parabola, de patrefamiliâs expenditur. In Ecclesia & inter homines unus nunc primus est in cognitione ueritatis, ut Petrus, Tu es Christus filius Dei: mox fit nouissimus, ut, Vade post me Satana. Vnus nunc in Euangelio multum intelligit, mox parum aut nihil, ut Iulianus apostata. Vnus nunc habet iustitiam, & experitur in conscientia uitam æternam, mox iniustus fit, & à uita æterna longissimè recedit. Hæc dum uidemus ita fieri, cauendum altum sapere, & timeamus, ne qui stamus nunc, mox cadamus.

Homini patrefamiliâs.

Dicitur paterfamiliâs qui ex certa prudentia & legibus æconomicis disponit omnia quæ spectant ad augendam rem domesticam, & conseruandam. Huius nomine significatur Deus tum propter bonitatem natiuam, animūque in genus mortalium propensissimum atque plusquam paternum, tum propter curam & gubernationem orbis.

Qui exiit primo mane, conducere operarios in uineam suam.

Vinea huius patrefamiliâs est populus eius siue Ecclesia, quæ à primo iusto sumpsit originem, perduratura ad consummationem usque seculi. In hac uinea laborat quicumque operatur opera Dei, & exequitur quæ Deo sunt placita. Vide diligentiam patris nostri in cultu uineæ ipsius. Nam à primo diluculo usque ad uesperam egreditur ad conducendum operarios. Neque uineam suam negligit quæ illi charissima est. Idem & in ueteri testamēto fecisse legitur. Vide Hier. 7. Quis ergo dicit Ecclesiam desertam esse hæctenus à Domino? Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi: & est curans illam à summo diluculo, quando creauit omnia. Exiit conducere, id est per uerbum uocare. Vocatio ad cognitionem Euangelij neque æqualis neque uniformis est. Nam alij alio modo, loco, & tempore uocantur: hic ex hac, alius ex alia occasione. Occasiones autem sunt uariæ, & hæc præcipuè. Spiritus sanctus nunc internè uocans sine uerbo, id quod rarò facit: nunc per uerbum, id quod uulgatissimū est medium uocandi ad cognitionem Euangelij. Quidam uocantur uita & conuersatione aliorum Christiana ac honesta. Quidam per contemplationem rerum naturalium accuratius meditatam, è qua Deus cognosci potest, cum æterna potentia & diuinitate, quod creet, gubernet & conseruet omnia. Quanquam propter corruptam naturam non admodum lucidè: tamen occasio est, illa notitia, ubi accedit Spiritus sanctus illuminator natu-

Regnum cœlorum est Ecclesia.

Pater cœlestis pulchre nuncupatur patrefamiliâs, quod suorum domesticorum curam gerat.

Vinea patris cœlestis est, eius populus seu Ecclesia militans.

Variis occasionibus uocat Deus uarias personas ad excolendam uineam suam.



ra. Et sicut nunc occasiones ad cognoscendum Euangelium sunt uariae: ita & personae homines, quibus utitur Deus in uocando, uarij sunt. Nam hic uocatur per uirum, ille per mulierem: hic per puerum, ille per senem: hic per contentiosum praedicatorum, ille per placidum, &c. Attamen quouis modo, inquit Paulus ad Philipp. i. siue per occasionem fortè oblatam, siue per ueritatem, &c. siue per hunc, siue per illum: siue hoc uel illo tempore, siue hoc uel alio loco: certum tamen est nos ad idem Euangelium, unumque praemium uocari, ad eundem unumque denarium, tandem ad eandem unamque aeternam uitam, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum magnam suam misericordiam & gratiam, iuxta quam in uinea Domini operantes reddet unicuique secundum opera, dabitque denarium diurnum unicuique pro bona sua uoluntate. Obserua, operarios non ultra uenire in uineam, sed à patrefamilijs uocari & mitti, non otiosos & delicatulos, qui ut uultures ad cadauera, ultra ad pingua ut uocant beneficia aduolant, habentes os apertum ut maiori hiato forbeant, sed operarios, quo nomine significatur Euangelium non spectare ad homines otiosos, sed opera & labore claros. In uineam suam id est in Ecclesiam, consortium sanctorum seruitium Deo in sanctitate & iustitia. Et finis diuinae uocationis est ut operentur in uinea, opera nimirum sanctorum, & quae in Ecclesia fieri iussit Dominus: unde operarij dicuntur. Non enim ad somnum, dormitationem, ac otium, sed ad studia uirtutum uocati sumus.

Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam.

Haec est pactio siue conuentione facta à Deo cum operarijs uocatis qua ipsos sibi federe astringit, pollicens se Deum fore fidelium, & hos uita siue immortalitate donaturum aeterna. Postulat tamen uicissim fidem, obedientiam & studium iustitiae, innocentiae & beneficentiae. Exiit ergo summo diluculo, id est à principio mundi conducere patres ad operandum tam in seipsis quam in alijs, & omnes inuitauit praemio proposito aeternae uitae, quod est redditurus fideliter laborantibus. Hoc praemium certum proposuit, ne quis sua mercede fraudetur. Denarijs diurnus, id est secundum diem unum, ut quemadmodum dicitur merces annua, quae pro opere totius anni soluitur: ita denarius diurnus dicitur, qui pro unius diei opera ex pacto persoluitur. Obserua: conuenit cum operarijs ex denario diurno, id est in singulos dies. Hic Dominus alius est ab his qui nihil mercedis soluunt famulis, nisi annum absoluerint, soluit in singulos dies: ut intelligas nulla opera carere suis recompensatorijs praemijs, & promissis ex conuentione patrefamilijs. Nota uerbum misit: Quia qui non sunt uocati & misi, fures sunt & latrones, Ioan. 10. cap.

Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt.

Sequitur de diuerso hominum genere, & diuerso tempore, quo in Ecclesiam uocatur operarij. Post primos emissos ad uineam, nondum contentus patrefamilijs, sed magis cupiens suae uineae culturam, post duas horas ab hora sexta nostra matutina, hora uidelicet tertia ab ortu solis, quae nobis est nona à media nocte, uenit ad forum, locum publicum in quo stant operarij conductitij, ubi inuenit otiosos & misit illos in uineam suam. Otiosos uocat homines extra Ecclesiam sine notitia Euangelij: & extra Ecclesiam diuagantes otiose. Et quod iustum fuerit, &c. Non facit cum his conuentionem de denario diurno, quod non esset dies integra, neque proinde debet eis uidebatur merces laboris integra, sed fidei suae committi uoluit precium, dicens, Quod iustum fuerit, &c. Quasi dicat, uos tantum ite operatum, de pretio mihi confidite, non fraudabimini. Quo audito, tanquam beneficentes

Diurnus denarius est felicitas aeterna aqua omnium beatorum merces ratione finis. Vocantur à patrefamilijs operarij & laboriosi ad seruendum Ecclesiae, non desides & otiosi.

Pater celestis reddit famulis suam mercedem.

uerbo patrefamilijs abierunt ad laborem. Obserua hic promissionem praemij iusti, ne dubitemus de praemio, modò nos fideliter operemur. Obserua & hos benemorigeros qui contenti promissione abierunt operari. Hoc est abire, est signum boni animi non dubitantis de promissis patrefamilijs.

Fidelum est promissionibus Dei.

Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uerò exiit, & inuenit alios stantes. Et dicit illis, Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis, Ite & uos in uineam meam.

Inueniens & alios in foro otiosos, ait, Quid totum diem hic statis otiosi, nihil operis honesti operates? iam dies ferè pertransiit & sol occasus proximus est, & nihil adhuc operis fecistis. Hi sui otij rationem reddunt, Nemo nos conduxit. Circa horam undecimam patrefamilijs specialius exiit: quandoquidem filius de sinu patris ueniens in plenitudine temporis, quando aduenit hora nouissima, & finis seculorum, inuenit gentiles qui olim in uitis consenuerant, nunquam diuinis intenti operibus. Quos sua & suorum Apostolorum praedicatione arguit. Qui se à nemine conductos, hoc est admonitos, aiunt, quoniam ueritatis doctores & prophetas non habuerunt qui eos cultum Dei docuissent. Hi conducti, id est uocati, statim abierunt in uineam operari. Qua re significatur gentes in plenitudine temporis, in aetate nouissima alacriter obediuisse Euangelio. Obserua. Haec parabola accommodari potest diuersis humanae uitae aetatibus, ut dicatur uocasse prima hora pueros, hora sexta adolescentes, &c. De hac horarum accommodatione ad uocationem nostram, dixi in eum locum Ioannis, Nonne sunt duodecim horae diei. Hora duodecima nemo uocatur ad laborem, sed omnes conuocantur ad laboris stipendium. Quoniam in consummatione seculi (quae per horam duodecimam, nouissimam & uesperam significatur) nemo ad laborem uocabitur, sed ad remunerationem omnes uocabuntur. i. Corinth. 15.

Gentiles nouissimo in loco uocati.

Omnium aetatum operationes uocat Deus ad colendam uineam suam.

Cum serò autem factum esset, dicit Dominus uineae procuratori suo, uoca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usque ad primos.

Cum serò factum esset, appropinquante morte cuiusque, aut fine huius seculi. Periphrasis est nouissimi diei in quo manifestabitur & reddetur credentibus seu laborantibus uita aeterna illis promissa. Dicit Dominus uineae, &c. Accommodat se Christus aptis ceptae parabolae & personis & rebus. Nomine procuratoris intelligitur Christus, qui ut iudex alios proclamabit ad uitam aeternam, alios ad aeterna supplicia. Hora duodecima nemo uocatur ad laborem, sed omnes ad recipiendam mercedem uocantur. Quoniam in consummatione seculi, quae per horam duodecimam, nouissimam & uesperam significatur, nemo ad laborem uocabitur, sed ad remunerationem. Non enim ultra erit tempus operandi, sed fiet tantum pro operibus prioribus retributio. Committit hoc retributionis negotium patrefamilijs procuratori suo uocati omnes: Quoniam dedit pater filio, Ioan. 5. cap. potestatem iudicium facere, eumque iudicem constituit uiuorum & mortuorum.

Procuratoris nomine intellige Christum cui data est potestas iudicandi.

Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrefamilijs, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & estus.



Ad hunc procuratorem singuli ueniunt. Quoniam nos omnes manifestari oportet, 2. Corinth. 5. ante tribunal Christi, ut referat unusquisque quae gessit in corpore. Veniunt ultimi simul cum primis, nec prius mercedem accipiunt, quam nouissimi, quoniam simul omnes sistuntur eius tribunali, & simul accipiunt retributionis praemium. Haec merces denarius est in pacto primis tantum promissus, tamen eoque singuli, & qui hora undecima & hora tertia & prima uenerunt, singulos accipiunt denarios. Quoniam idem praemium uitae aeternae quod primis illis promissum fuerat, aequè accipient qui in fine seculorum laborauerunt in uinea Domini, atque hi qui in mundi exordio, Hebr. 11. & hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidete, ut non sine nobis consummarentur. Denario igitur nobis adumbratur beatitudo quae omnibus & singulis in uinea Domini iuste laborantibus ex aequo donatur. Est enim eadem beatitudo obiectiua beatorum, uidelicet Deus ipse benedictus, propter quem uidentium & ut eo fruamur laboramus, & est beatitudo essentialis, qua tamen pro suo quisque bono opere & sancto labore in uinea suscepto, magis minusque gaudebit (uide magistrum sentent. in .4. dist. 50.) Et hoc non ex opere nostro, tanquam nostro ex nobis, sed ex gratia, liberalitate, & promissione Dei, ita nobiscum paciscentis quod laborantibus in sua uinea dabit uitam aeternam. Hic labor tali gratia & promissione opertus, hoc est ex animo obediens & propter Deum susceptus, est meritorius denarij, est gratus, sanctus, & acceptus Deo. Quod autem primi putant plus se accepturos, & ubi non amplius accipiunt quam nouissimi murmurare dicuntur: hoc dictum est, non quod sit ulla inter beatos concertatio in alio mundo de gloria, sed Dominus uult perstringere humanum illud iudicium quo hic iudicatur, quod primi plus debeant percipere, aut non esse equum ac iustum quod facit, & confundat, adeoque humiliet quorundam satis confidentem superbiam qui putant plus fieri à Domino opus & laborem, quam animum gratum, humilem & à sua bonitate pendente. Cum dicitur, qui portauimus pondus Dei & aestum, ex aggeratio & expolitio est laborum seu operum nomine Euangelij susceptorum.

At ille respondens uni eorum dixit.

Declarat Christus pluribus rationibus Deum in reddendo praemio aequum & iustum, nulli irrogare iniuriam.

Amice, non facio tibi iniuriam.

Huic pro omnibus respondet Dominus: Amice, cur inuides aliis benignitatem meam? Mea in alios gratuita liberalitas te non laedit. Nullam enim iniuriam facio tibi.

Nonne ex denario conuenisti mecum?

Probat quod obmurmuranti non fiat iniuria, & hoc ab inita conuentione & facta promissione certi praemij. Nonne sic pactus sum tecum, ut pro opera diurna denarium acciperes?

Tolle quod tuum est, & uade.

Amice praestitisti operam, habes mercedem pactam, nihil tibi rei mecum est amplius. Tolle quod tibi debetur, & abi.

Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.

Omnes credentes in Christum aequalem mercedem accipient, nimirum singuli singulos denarios, hoc est singulis dabitur uita aeterna, erit aequalis beatitudo obiectiua, hoc est Deus ipse omnibus conspicuus erit, & eo omnes & singuli fruuntur. Sed ut hic uides, decem & uiginti baptismo donatos, & ob id Christianos uno baptismo praefulgentes, & Christianos, tamen sub hoc dono Christianitatis alium

Deus est obiectum nostrae felicitatis, quo magis fruatur quod laborauerit.

Nulla est inter beatos concertatio de beata uita.

plus alio intelligere mysteria Dei. Ita & inter beatos, omnes quidem beati sunt, id est clara Dei uisione fruuntur, tamen alius alio plus gaudij ex reuelatis sentit, quam alius. Cum tamen interim ex pacto foederis, det singulis denarium, hoc est uitam aeternam. Ergo nihil peccat contra foederis & pactiois leges, cum eum recipit in gloriam qui à puero seruiuit Domino. Simul autem & illum beat qui sero & multa grandaeuaque in senecta respuit.

Aut non licet mihi quod uolo facere?

Expostulatio Dei cum illis, qui pacto denario non sunt contenti, à iure, quod Deus liberum habet, ut rebus suis pro libito utatur. Quasi dicat, An mihi liberum per te non erit, de meo quod uolo facere?

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Propriissima mea natura est esse bonum, misericordem, & liberalem. An uerò irasci, obmurmurare, & subinuidere debebas, quod pro ingenij mei natura beneficus sum? An ideo oculus tuus liuore torquetur quia me uides benignum in cos, in quos libitum est? Obserua: oculus affectuum animi symbolum est, & opponitur bonus oculus liuido. Malus ergo oculus affectus est liuidus aut subinuidus. In oculis maxime apparet liuor, aut ira, aut gaudium, aut alius animi affectus.

Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

Hanc similitudinem adduxit Iesus, uolens discipulorum animis infigere, quod Deus natura beneficus in omnes, uariis modis ac uariis aetatibus, non cessat inuitare mortales omnes, ad cultum uerae pietatis, in qua qui se gnauiter exercuerint praemium habebunt, uitam aeternam. Et quemadmodum uidemus in hac parabola primos & nouissimos aequari mercede, nec in retributione haberi rationem primi aut ultimi, cum aequam omnem portionem, hoc est singuli singulos denarios acceperint: sic & in regno Dei res habet. Non erit consideratio qui primi fuerint operati in uinea Domini, qui posteriores, qui nouissimi. Non ideo potiores portiones habebunt in regno Adam & Noe, Abraham, Moyses, Dauid, qui in priori seculo missi sunt operari in uineam Domini: neque fuerunt Apostolorum partes detiores quod in nouissima aetate ad opus missi sunt. Sed erunt primi tanquam nouissimi, & nouissimi tanquam primi. Quia singulis ex aequo dabitur denarius, id est uita aeterna. In retributione aequantur qui primi laborauerunt, & qui nouissimi. Propter quod, neque Iudaei in genere debent confidere, neque gentes propter genus metuere, quanuis in ultima hora conducti fuerint. Sed quisque uiriliter agere debet, ut postquam uocatus fuerit, fiat electus. Rogabis quomodo haec aequalitas mercedis subsistet cum eo quod Paulus. 1. Corint. 15. ait, Alia est claritas solis, alia luna. Et sicut stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Aut, Nonne sanctior beatorumque est uirgo Maria quauis alia uirgine? Ergo non est aequalitas denariorum. Respondeo. Omnium sanctorum aequalis est beatitudo, quod aequè omnes contenti sunt, nullusque eorum plus appetit felicitatis quam habet. Sicut & si habeas uasa aliquot inaequalis capacitatis seu magnitudinis, aequè tamen omnia plena: nullum utique eorum plenius est altero, & tamen aliud alio plus capit. Ita quilibet beatus gloria plenus est & beatitudine pro modo suae comprehensibilitatis. Sicut in persona beati Dauid psal. 16. ait, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Huic pertinet quod Diuus Augustinus super Ioan. 14. scribit, Et si alius alio est iustior, alius uerò sanctior: in domo patris mei mansiones multae sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille aequalis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in uinea, iubet dari omnibus: non in eo discernens, qui minus & qui amplius laborauerunt. Quo utique denario uita significatur aeterna, ubi am

Beatorum alius clarior Deum intuetur altero.

Oculi quemadmodum affecti simus animo loquuntur.

In omni eitate praecipua Dei obseruanda.



Diuerſis me-  
ritis respon-  
dent inæqua-  
lia præmia.

plius alio nemo uiuit, quoniam uiuendi non est diuerſa in æternitate meſura. Sed multæ manſiones, diuerſas meritorum in una uita æterna ſignificant dignitates. Alia eſt enim gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in gloria: ſic & reſurrectio mortuorum. Tanquam ſtella ſancti diuerſas manſiones, diuerſas charitates, tanquam in cælo ſortiuntur in regno: ſed propter unum denariū nullus ſeparatur à regno: ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas eſt, per charitatem fiat, ut quod habent ſinguli, commune ſit omnibus. Sic enim quiſque etiam ipſe habet, cum amat in altero, quod ipſe non habet. Nō erit itaque aliqua inuidia impariſ charitatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Haecenus ille.

Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

Aetiologia à facilitate labendi, ſimul & epiphonema, quo Chriſtus claudit parabolam, Cur multi ſunt uocati: Quia multi ſunt uocati: Deus enim uult omnes homines ſaluos fieri. 1. Timoth. 2. Multi audiunt uerbum, & ad fidem uocantur, ſed citò à uerbo cadunt, ideo pauci electi ſunt, id eſt pauci ſunt qui certam ſuam uocationem faciunt per fidem & obedientiam præceptorum Dei. Hæc enim ſunt electionis ſymbola. Obſerua, uocati & electi nominaliter accipienda ſunt. Græcis enim κλητοι, & εκλεκτοι, nomina ſunt, non participia. Vocati appellantur ad uitam à Deo per prædicationem Euangelij, alibi appellantur inuitati ad nuptias. Electi uerò ſunt fideles qui ex animo credunt. De electione diximus in Ioan. & in Paulum ad Ephes. Huius epiphonematis ſenſus eſt, ac ſi diceret Chriſtus, Nemini uel mirum uel nouum uideatur quod dixi, nouiſimos futuros primos, & primos nouiſimos. Nam multis quidem prædicatur Euangelium: ſed non omnes uerè & ex animo recipiunt. Fit enim ut multi ad tempus ſimulent ſe ex animo fauere Euangelio, & in eo primas uelint: Alij interim reclamant. Mox ſit ut redeant iſti ad ingenium prauum: hi uerò mutant ingenium prauum, & Euangelium, cui hæcenus reclamarūt, uerè recipiant. An non hæc quoque nouiſimi ſunt primi, & primi nouiſimi? An uerò non illa inuerſio inde exiſtit, quòd multi ſunt uocati, pauci electi?

Et aſcendens Ieſus Ieroſolymam.

Hæc proſectio poſtrema erat qua Ieroſolymam petebat à finibus Iudææ trans Iordanem. Inſtabat enim tempus paſſionis. Marcus 10. ait, Et præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant.

Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò.

Seorſum eſt diſcipulis loquutus, ut illis qui iam poſt multiplicè institutionem ſciebant, aut ad minus ſcire debebant, glorificationis uiam eſſe crucem. Hoc ſedulo agebat diſcipulis, ut animis illorū inſingeret, ſe ſcientē ac uolentem ire ad mortē.

Et ait illis, Ecce aſcendimus Ieroſolymam.

Voce, ecce, parat diſcipulorum animos, & attentos reddit ad concionē de cruce carni duram & moleſtam. Aſcendit Ieroſolymam, ut uel loco deſtinato oſtendat & probet præcedens epiphonema, Multos quidem uocatos eſſe, paucos uerò electos.

Et filius hominis.

Quem ut contemptam & abiectam perſonam habent, At conſolatorium eſt, Chriſtam eſſe ducem crucis.

Tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis.

Chriſtus his non habebat inſenſiores hoſtes, ideo maximè idonei erant ad tantum facinus perpetrandum. Oderant enim ueritatem, & toti iam in hoc erant, ut Chriſtum morti darēt, ceu organa & inſtrumenta Satane. Quare ſiue perſpexeris

ipſius Dei patris, ſiue Satane, ſiue Iudææ proditoris conſilia, non erant qui aptiores inuenirentur ad hanc cauſam perficiendam. Conſilium Dei patris fuit, filiū ſuum maledictum facere, ut nos à maledicto liberaret, hoſtiam facere quæ peccata mun- di expiaret. Ad hoc perpetrandum cōueniebat & opus erat concilio malignantium, in quo tanquam blaſphemus in Deum iudicaretur & condemnaretur agnus ille immaculatus. Iam illud colligendum erat non ex piis, ueritatis amicis, ſed ex impiis, & ueritati ſummè inimicis: hi autem erant, principes ſacerdotum & ſcribæ. Satane conſiliū fuit, ut non ſolum Chriſtum, ſed & doctrinam ipſius extingueret. Deinde putabat futurum ſi nomen ipſius Chriſti ubique redderet inuiſum & abiectum, quòd doctrina quoque ipſius ſcandalum eſſet Iudæis, & ſtultitia Gentibus. Huc tendebat Satane conſilium: unde hoc mortis ac probri genus parabat. Hoc ut fieret, conabatur ut à potioribus totius gentis, illiſque in conſilium ſelectis, communi ſuffragio condemnaretur ad crucem maledicto obnoxiam. Quare non uidebantur ipſi Satane, ad hanc cauſam commodiores miniſtri, quàm hi principes & ſcribæ, quorum ope & conſilio eſt uſus Iudas, ad tam impiam proditionem. Obſerua diligenter aduerſarios Chriſti, qui nō ſunt inſimi homines in mūdo, ſed maximi.

Et condemnabunt eum morte.

Innocentem enim Chriſtum per inuidiā ſine cauſa in ſuo conſilio, mortis reum iudicarunt infra. 27. Mane autem factò conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum, ut eum morti traderent.

Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.

Hic locus diſtributiuncula eſt crucis Chriſti in certas ſpecies, quales ſunt illudere, flagellare & crucifigere. Alludit ad Pilatum iudicem qui erat ex Gentibus, Romanus magiſtratus, aut ad miniſtros Pilati, quos Gentes, ipſe Gentilis præſes Pilatus habuit. Ipſi principes ſacerdotum tradent me gentili potestate utpote præſidi & eius miniſtris, à quibus ſua ſententiæ executionem petent. Gentibus autem traditus illudat & opprobriis afficiat, flagellis cædar, & cruci ſuffixus animam meā ponam, & moriar pro redemptione generis humani.

Et tertia die reſurget.

Cum ſit crucis mentio duo ſolent occurrere, mors & reſurrectio. Alterum terret: Alterum rufus ſolatur. Tertia die reſurget uiſtor ad uitam glorioſam & immortalē. Ut prædixerat illis crucem, ne cum ueniſſet hora ſcandalizarentur: ita glorificationem prædixit, ne timerent & ipſi crucem ſubire. Lucas 18. hæc addit, Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Quia difficile erat Apoſtoliſ, eum quem & factis & ſermone tam potentem eſſe agnouerant, gentibus fore tradendum, & illudendum, &c. Ideo uim ſermonis eius ignorabant, nec ſciebāt quid loqueretur. Populo quidem mortem prædixit, ſed ſub inuolucro cum loqueretur de Iona, & templo ſoluēdo poſteà inſtaurādo triduo: at ita prædixit ut non antè intelligerēt quod eſſet dictum, quàm poſtea quàm uiderent factum. Diſcipulis autem abſque inuolucro aperuerat illis ſemel & iterum hoc arcanū, idque clarius, ut confirmaret illos aduerſus tempeſtatem imminentem, nec tamen intelligunt uerbū. Certè nondum illuxerat illis donum illud ſpiritus: & facile obliuiſcuntur homines quod non libenter audiunt: nec facile dimittunt in pectus, à quo abhorret animus. Tameſi uim ſermonis Domini ignorarent diſcipuli, nec ſcirent quid loqueretur, tamen uerba illius uera eſſe non dubitabant, ſed quia illa non intelligebant, ſe ea neſcire profitebantur, fortaiſis quòd eum parabolicè loqui autumarent. Hæc nos admonent quòd ubi ſecretiora Dei eloquiorum myſteria non capimus, nihil noſtro ſenſu

FFF iij

Prædicatione uerbi diuini omnes uocantur ad uitam æternā. Electi ſua uocationem ad bonam frugē perducunt.

Cruce itur ad gloriam.

Ieroſolyma locus paſſionis & mortis Chriſti.

Glorificatio Chriſti clarè prædicta Apoſtoliſ, aliis non item.



definiamus, quin potius nostram ignorantiam humiliter fateamur. Sic enim fiet ut quæ tum nobis absconduntur, quantum opus est, etiam ipsa aliquando hora nobis misericorditer reuelentur.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.

Post concionem crucis nouus accidit euentus, in quo elucet quàm corruptum sit hominis ingenium. Item ignorantia hæc iudicium humanæ naturæ de regno Christi. Quid rursus caro quærat in Euangelio siue regno Dei. Quæ imaginatur illud carnale esse & de hoc mundo. Et quale nunc iudicat regnum esse, talia præmia ambit & petit scilicet carnalia atque terrena. Somniabant autem discipuli petere regnum carnale & mundanum, licet eximium (quale non fuerat) antea fore Christi regnum. Quoniam filij Zebedæi Iacobus maior & Ioannes audierant Petro promissas clausas regni cælorum, audierant de honore duodecim stellarum, & iam futuram breui esse Domini resurrectionem, postquam putabatur regni illius sequituram maiestatem, atque ita tempus petendi adesse coniciebant, ut liceret sibi primas obtinere in regno Dei, siue ut primi essent Christo assidentes. Marcus 10. cap. ait. Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi dicentes, Magister uolumus ut quodcunque petierimus facias nobis. Verisimile est, matrem subornatam fuisse ab illis, ut quoniam ipsi quod uolebant petere non audebant, ipsa apud Dominum intercederet. Quanquam ut matrum est ingenium, nihil prohibet, quo minus credamus filios ad hæc petitionem à matre sollicitatos, & ipsam pro filiis confidentius apud nepotem interpellasse. Rogabis: unde subiit piscatoribus rogandi affectus, quorum conuersatio non in aulis principum fuit, sed in rerum penuria, piscatione, & labore manu? Deinde qui iam annos aliquot cum Christo circuierant: apud quem, ne per somnium quidam aliquam regni speciem, sed omnia humillima uiderant. Certè homines erant adhuc & ipsi, per reliquias serpentis ex Adamo corrupti: adhuc cognati erant Christi secundum carnem, cuius cognationis prerogatiua ad hanc petitionem illos plurimum permouit. Adorans: hæc adoratio est gestus exhibendi honorem, sicut & geniculatio. Et petens. Marcus ait filios postulasse, dicens: Magister uolumus ut quodcunque petierimus facias nobis. Non proferunt quid sint petaturi, sed assensum Christi antequam petant, ueniantur, ne postea liceat illi à promissis resilire. Et præsumptio quædam erat, expressa uerbo uolumus. Deinde addunt, quicquid petierimus, quasi futuræ petitionis inquisitionem & cognitionem nisi dato primùm assensu, excludentes. Certè hæc omnia matri suggerunt.

Qui dixit ei, quid uis?

Marcus scribit: At ille dixit eis, Quid uultis ut faciam uobis? Agnosce hinc benignitatem & lenitatem Christi, qui matri & filiis non opprobat ipsorum temeritatem: interea tamen, nihil pollicetur, sed iubet proferre quid petant. Quasi dicat, Non parum refert quid sitis petaturi: neque enim licebit accipere quiduis. Quare dicite quid petatis. Obserua hinc quanta patientia Christus discipulorum stultam temeritatem toleret, & quàm parato sit animo ad dandum, modò æqua sit petitio.

Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo.

Petere sessionem ad dexteram & sinistram Christi in regno illius, est ambire primas in regno Christi, & uelle supremam potestatem. Nam qui proximi stipant in cõfessu regis latus, collaterales ac primales in regno appellatur. Putabant certè regnum Christi carnale futurum, quale fuerat Salomonis, Cyri, Alexandri, & aliorum monarcharum. In eo itaque hi duo fratres cupiebant sibi prima loca & su-

Apostoli existimant regnum Christi fore mundanum & temporarium.

Christi benignitas in toleranda stultitia discipulorum temeritate.

premas dignitates concedi. Dic, ait mater, ut duo isti filij mei iuncti sanguine & animo (nempe cognati & discipuli) primi sint apud te, & digniora apud te loca obtineant, cum post resurrectionem tuam regnabis super terram in gloria. Obserua: dextera in principu confessu, locus est primus, summus & dignissimus: & qui ad dexteram siue ad latus sedere dicuntur, summæ rerum præesse dicuntur.

Respondens autem Iesus, dixit.

Sapientissimus Dominus agnoscens petitionem ex ambitione quadam & ignorantia procedere, ipsamque irrationabilem & uanã esse, præterita matre, discipulis (qui matrem subornauerant & uelut per matrem loquebantur) increpationem direxit.

Nescitis quid petatis.

Non annuit ineptis uotis nostris sapiens ac bonus Dominus, imò reiiciens atque refutans stultitiam nostram, docet quid maximè spectemus expectemusque in regno suo. Cognoscenda est res, quæ & qualis sit, antequam petatur. Sed neque quid sit regnum cælorum, neque quale sit agnoscebant. Quare, dixit Christus, nescitis quid petatis. Nesciunt quid petant, quotquot nec ad gloriam Dei respiciunt, nec ad usum necessitatis, sed ad suas concupiscentias, ut qui diuitias, uoluptates, uindictam inimicorum & huiusmodi petunt. Ad hunc modum Israëlita Regem sibi dari petebant: petebant autem rem sibi noxiam & Deo displicentem. 1. Reg. 8. Salomon expendit quid peteret, Prouerb. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. Paulus non intellexerat petitionem suam de qua 2. Corint. 12. ubi rogauerat ut tolleretur à se stimulus carnis, Angelus Satanæ, se collaphizans. Postea uerò cur illam non acceperit, licet tertio petierit, intellexit. Similiter & mater Salomonis non exaudita à filio, postea intellexit petitionem eius, ambitum regni continere: ideo agnouit cur non fuerit exaudita. 3. Reg. 2. Proinde his rogantibus respondet, Temporalè dignitatem in regno meo petentes, nescitis quid petatis: putantes regnum meum comune esse cum monarchiis mundi, ignorantiam uestram profertis: putantes me habere alia arma quàm prædicationem & uim uerbi aduersus inimicos, erratis. Vos somniatis nescio quam temporalem in mundo gloriam post resurrectionem meam, & ambitione quadam illam affectatis: non expedit ista petatis. Docebo uos quid magis petere debeatis, & de quo magis expedit cogitare.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Marcus scribit Christum interrogasse, Potestis bibere calicem quem ego bibo, & baptismo quo ego baptizor, baptizari? Calicem suum & baptisma, ut mox dicemus, uocat passionem & crucem suam. Hac interrogatione subinsinuat quàm in tempestiue ambient regni gloriam, cum nihil adhuc sint passi. Veluti si miles ambiat coronam, nondum expertus ullu certaminis sudorem. At ita comparatū esse in regno suo, ut qui unà cupiat secum regnare, primò crucem tollat, è calice suo bibat, & baptismo eius abluatur. Caterum uidetur ad hunc modum dicere, Vos ad dignitates & honores aspiratis, ego uerò nihil huius polliceor uobis. Nam non huc ueni ut orbem armis occupem, & meos cultores præfectos prouinciarum faciam. Sed moriar, & morte redimam mundum, meosque doceam meis insistere uestigiis, pompam huius seculi calcare, & per multas tribulationes intrare in regnum patris. Proinde interrogo uos, Num calicem illum amaræ passionis atque mortis possitis bibere, quem ego sum bibiturus? Num uos ipsos sufficientes iudicatis ad passionem & mortem consimilem pro meo nomine perferendam, qualem ego sum pro uestra salute perlaturus? Mallem uos desistere oculos ad harum passionum humilitatem, quàm ad regni terreni quod uos somniatis, gloriam. Hoc potissimum à uobis exigo, ut meditemini quomodo ferentes crucem me sequemi-

Nescit quid petat qui ambitionis uitio laborat.

Calix Christi, baptisma, passio, crux, mors, idem significant.



In Euange-  
lio quid spe-  
ctandum.

ni. Obserua: duo potissimum quærenda spectandaque in Euagelio. Dominus hoc loco proponit alterum, mortem & passionem suam, in qua est remissio peccatorum, iustitia & uita nostra. Alterum uero mortificationem carnis nostræ. De qua Paulus ad Galat. 4. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitis & concupiscentiis. Et Petrus, Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius. Ideo obiicit, Potestis mecum bibere de eodē calice & eodem mecum perfundi baptismo? Obserua. De eodem bibere calice prouerbialis est sententia, quæ ponitur pro eo quod est, mali esse participem, mali que communi- bus esse obnoxium. Translata uidetur loquutio uel à bibendi certaminibus, uel à confederatione quam poculis prælibatis, & mutuò porrectis confirmabant, uel ab his qui metuunt uenena. Neque nouum est quòd passionem suam calicem siue baptismum uocat. Frequens enim mentio est Babylonici calicis in prophetis, quo significarunt afflictionem, calamitates, stragesque inferendas per Babylonios. Præterea afflictiones in sacris etiam per aquas & aquarum inundationes signifi- cantur, & baptizari est perfundi aut tingi aqua ideo metaphoricè baptizari bap- tismate est affligi.

Calicem Do-  
mini bibere  
est eius ex-  
emplo persequu-  
tionem pati.

### Dicunt ei, possumus.

Honoris cu-  
pido nihil  
difficile.

Suarum uirium nondum gnari discipuli, sed præ auiditate quod petebant impe- trandi temerè uerius quàm fortiter, respondent, possumus. Hoc exemplo mone- mur, quòd simus liberales & faciles promittendo, ubi res nostras cupimus conse- cras. Ut illi duo magna confidentia Domino respondent, possumus: ita nos quo- que spe successi honorum atque opum, magnifica pollicemur, ne exilia quidem præstamus.

### Ait illis, calicem quidem meum bibetis.

Agnosce hic Christi philàthropiam, qui nõ increpat tantam præsumptionem, sed rectè prænuntiat illis crucem quam suo exemplo ferrent. Bibetis meum cali- cem, id est patiemini aliquando meo exemplo. Bibit Iacobus cum ab Herode capi- tis damnatus est. Ioannes bibit quando persequutiones & labores uarios pertulit propter nomen Christi, licet cruenta persequentium manu non ceciderit. Nam & Paulus. 2. Corint. 4. In omnibus tribulationem patimur, sed nõ angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persequutionem patimur, sed non derelinqui- mur: humiliamur, sed non confundimur: deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & uita Iesu ma- nifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui uiuimus in mortè tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Hieronymus hunc locum enarrans, ait: Si legamus historias Ecclesiasticas, uidebimus marty- rium animo Ioannis non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinè. Hæc ille. Cæterum tamen multa propter Christum patiaris, caue superbias, petes pro- pter tuos labores primas siue primum locum in cælis: sed fide sta, & humiliare sub potenti manu Domini.

D. Ioannes  
martyrū cata-  
logo adscri-  
bitur.

### Sedere autem ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare uobis.

Cælum cœ-  
lorum nõ da-  
tur cognatio-  
ni, non perso-  
nar, sed uitæ.

Quia præcellentiam & honorem magnum ambitis, quia cõsanguinei mei estis, non est meum dare. Non do ratione cognationis. Et licet ego omnem potestatem acceperim à patre, non tamen accepi ut dem aliis, quàm his quibus à patre est præ- destinatum. Hæc neque iustitiam neque gloriam Christi minuunt, sed iustitiam illis commendant, quòd non respicit personas, ne cognatorum quidè in elargien- dis honoribus regni cælorum, sed magis uoluntatem patris respicit. Non est meum dare uobis, sedes illas petitas secundum præsentem hunc statum. Non enim ueni

distributurus honores & magistratus: sed passurus, ut pateat uia ad illos honores iis qui mecum patientur, & portantes crucem suam me sequentur.

### Sed quibus paratum est à patre meo.

Piis parata est uita æterna ante iacta mundi fundamenta, dicente Paulo Ephes. 1. cap. Sicut elegit nos in ipso (supple Christo) ante mundi constitutionem, ut esse- mus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. S. Ioan. Chrysoft. hunc enar- rans locum, ait: Ut clarius fiat quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad æditorem munerum atque certaminis quòd multi atque præclari athletæ con- fluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate coniunctos accessisse fingamus, qui amicitia principis freti postulare audeant, ut uictores ipsi præconio declarati coronentur; quibus ille respondeat, Nõ est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condem- nabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur, & quoniam non perso- nam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur æditionis munerum atque certaminis principem, non quia non potest, sed quia non uult luctationis le- ges transgredi, & iustitiæ ordinem conturbare: sic utique Christum id dixisse affir- mamus: ita illos undique compellebat in gratia Dei primum, deinde in laboribus propriis omnem salutem & gloriæ spem reponere: ideo dixit, Quibus paratum est. Nam etsi alij præstantiores uidebuntur, si excellentiora quàm uos opera facturi sunt, quomodo illis expulsis locum eorum occupabitis? An quia mei discipuli estis? Huc pertinet quod in hunc locum scribit Hieronymus. Regnum cælorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum: Sed quicunque talem se præbuerit, ut regno cælorum dignus fiat, hic accipiet, quòd non personæ, sed uitæ, paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini regnum cælorum, quod pater meus triumphatoribus & uictoribus præparauit, uos quo- que accipietis illud. Hæc ille. Obserua: Sedentium in regno cælorum nomina non dicuntur, ne paucis nominatis (ait Hierony.) cæteri putarentur exclusi. Rur- sus aduerte uocem, paratum, qua alludit ad id Christus quod in maiestate sua se- dens & iudicans dicet, infra 25. Venite benedicti patris mei possidete paratum uo- bis regnum à constitutione mundi. Quæ sententia ostenditur certa præmissio uitæ æternæ, & liberalitas ac beneuolentia Dei patris erga nos. Hi sunt qui ad hoc præ- destinati & præordinati sunt, dignique fient per eius gratiam (qua in uinea cæle- sti operabuntur) ut ad eam dignitatem subleuentur: cuiusmodi erunt illi, qui pro amore calicem, quem ego bibam prior, post me sunt bibituri, quibus ego disponā, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edant & bibant super mensam meam in regno patris mei.

Simile.

Regnum cœ-  
lorum est ac-  
cipientis cõ-  
siderata Dei  
iustitia.

### Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Ob oculos hic positum habemus, quod manifestum facit, quòd sit uerum quod Hieremias dicit, Cor hominis prauum esse & inscrutabile, imò cõspicuum habe- mus carnem esse uelut hydram, cui abscisso capite uno, septem renascuntur. Nam etiam in discipulis uidere licet, quòd uno uitio aliquo exciso, alia in excisi locum, imò illa ipsa quæ putabamus excisa pullulant. Vix Dominus cõpescuerat duorum discipulorum ambitionem, mox cogitur eandem una cum inuidia è decem disci- pulorum refellere pectoribus. Duos cæteris præsentibus corripuerat ambitionis, & hæc correptio apud decem nõ plus ualuit, nihilque amplius effecit, quàm si non fuisset facta: quandoquidem ambitioni suæ (huic enim erant obnoxij ut supra 18. & Luc. 22.) adiecerunt inuidiam. Inter æquales ferè fit, imò ita comparatum est, ut ægreferatur, si quisquam cupiat aliis præferri. Quòd si morbus ambitionis uel omnes uel aliquos corripuerit, mox liuor & contentio suboriuntur: dum quisque

Discipuli ni-  
mis ambitio-  
si in honori-  
bus petendis,  
& inuidi.



Decorat<sup>9</sup> am-  
plissimis ho-  
noribus mul-  
tos habes in-  
uidos.

Ambitio nur-  
trix dissidio-  
rum inter æ-  
quales.

Blandè & le-  
niter exem-  
plo Christi  
sedare oportet  
aliorum  
dissidia & cõ-  
tentiones.

Gentium ty-  
rannis.

Gentes uocat  
scriptura eos  
qui rationi  
non parent.

Regnũ Chri-  
sti totum di-  
uersum est à  
regno mun-  
dano.

uel se mallet reliquis præferri, uel certè non sustinet ei subdi, cui se putat æqualem esse. Vnde factum est, ut decem moti fuerint animo aduersum duos: & Luc. 22. in cœna de primatu contenderint. Ita filius Iacob, Genes. 37. duodecim patriar- chis usuuenebat, qui egreferebant fratrem suum Ioseph sibi præferri. Huiusmodi profectò sunt omnium hominum ingenia, nõdum plenè regenerita per spiritũ Chri- sti, imò regenerita adhuc uehementer frequentèrque, reliquiis peccati adficiuntur. Vnde Apostolicum illud dictum manauit, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ. Galat. 5. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non qua- cunque uultis, illa faciatis. Obserua quanta sit ambitionis pestis, & quàm altis ra- dicibus serpat & corda hominum occupet, quæ inter fratres, æquales eiusdem uo- cationis, inter quos debet esse summa concordia, excitat dissidia & lites. Certè nõdum acceperant plenè Spiritum sanctum: humanis adhuc adfectibus ducebantur discipuli inuicem subinuidentes.

Iesus autem uocauit eos ad se, & ait.

Suorum dissidium Iesus non ferens, sed uolens ipsos esse unanimes ac planè con- cordes, uocat ad se. Et sicut retudit ambitionem stultè postulantium, quòd nesci- rent quale esset, quod postulabant: ita liuorem & indignationè cæterorũ repressit ex eodem ambitionis fonte scatentem, aperiens longè diuersam esse rationem re- gni mundani & regni Euangelici. Obserua hinc benignitatè Christi, qui non pror- sus à se abiicit piscatores illos, tam ambitiosos, sed patienter tolerat & ad se uocat blandè illos correpturus. Hoc exemplo maximè admonentur hi qui aliis præfunt, ut sint mites & longanimes. Certè ita comparati sumus, ut sicubi malo aliquo fra- trem laborare uiderimus, mox abiiciamus & fastidiamus. Et si semel adiueneri- mus errantem, plus satis nostro functi officio uideri uolumus.

Scitis quia principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.

Affectui mundano quo primas ambiebant Apostoli mederi uolens Dominus, pulchrè discernit functionem politicam ab Ecclesiastica, & nominatim eam quæ est gentium proponit, ut illa repurgata, cæteræ si quid tale corrigendum habent, emendent & corrigant. Verba quibus Dominus utitur, occultam habent empha- sim. Primo uerbo, in dictione Gentium, subindicat illum affectum quo primas pe- tebant esse mundanũ, malum, & politia regni Dei alienum. Quasi dicat: Scitis, & non est opus multo sermone, ut uos horum admoneã, constitutos esse inter Gen- tes magistratus, principes atque præfectos, ut non sit necesse uos præficere populis Reges, Præsides, magistratus, cæturiones, & huiusmodi. Non enim ueni pugnatu- rus cum Cæsare aut Herodis familia, ut his pulsus uos in ipsorum loca substituam Principes, Proceres siue Terrarchas: his diuinitus datus est gladius & potestas qua utuntur. Sed hi principes Gentium dominantur & tyrannidem exercent in illos quibus imperant: & quo quis superbissimus est, ita uideri uult maximus. Quasi dicat, Vos scitis, & ideo eauere debetis, quia ita dominari solent Gêtes, quibus nõ est notitia Dei, qui carnis ducuntur affectibus, quibus uos iam similes esse pergitis. Obserua passim in scriptura Deum solitum esse suos dictione Gëtium auocare uel ab erroribus uel corruptis affectibus, ut suprã cap. 5. & 6. Nam prorsus indecorum est regni cœlorum candidato iisdem laborare affectibus, quibus laborant & Gen- tes, nec meliorem esse Gentibus. Ita & Paulus passim Christianos urget ad uitæ inuouationem. Totus hic locus collatio est regni Christi & mundi, quæ duo regna inter se diuersissima sunt: in hoc mundano regitur humano more, in illo nõ itidè, sed spiritali. In hoc sunt principes & magistratus, in illo sunt ministri. In hoc gla- diis & armis agitur, in illo spiritualibus armis, qualia describit Paulus Ephes. 6. cap.

cap. In hoc dominatur alij aliis, in illo alij aliis seruiunt, & ministrat. In hoc ma- gni sunt homines, in illo contempti & humiles. In hoc qui minor est premitur ty- rannide potètoris, in illo primatus nihil aliud est quàm summum studium bene- faciendi omnibus. In hoc ut quisque superbissimus est, ita uult uideri maximus: in illo nullus submissior est animo, quàm qui maximè meretur esse primus. Si his quæ gessit Christus in reuocandis discipulis ab ambitione attenti fuerimus, agno- scemus Christum nobis exemplũ præstituisse, ut odorari & cognoscere possimus, eum paternum amorem in nos habere, atque lapsos tanta cum placiditate erigere, quo ei adhæreremus & crederemus, tum quid de eo nobis sperandũ sit, sciremus. Nam hæc uiuæ & Christianæ fidei natura est, ut in gratiam fidei, fiduciam concipi- at, ac bonam existimationem, & spem erga eum sibi formet. Sic cogitans, haud dubiè Deus te respiciet, & ope sua non destituet. Siquidem uiua fides de bona erga se Dei uoluntate nihil dubitat. Certè huiusmodi de Deo existimatio, omnis bo- næ spei plena fiducia, & nihil hesitans confidentia, aut quocunq; alio nomine uo- cari potest, Christiana fides & bona conscientia in scriptura appellatur. Huius fi- dei præcipuum est, libera deditio, ut alacri animo quis se bonitati diuinæ, (quam nullo suo sensu experitur, nec præsentem uider) exponat. Tam deditam & deu- otam uoluntatem hominis reddit, illa tot præconiis decantata commoditas Dei, qua plusquam materno affectu nos tractat. Sustinet enim nos ne pereamus. Obser- ua. Gentium appellatio simpliciter hinc opponitur Iudaico populo, qui cum hæc lo- queretur Christus discipulis, nullum habebat Dominum, alioqui dixisset princi- pes Iudæorum. Vnde noster magistratus non est à populo Iudaico, sed à Gentibus. Gentes certi populi uocabulum est. Ideo it, Principes Gëtium, quasi dicat, penes quos nunc est dominium ferè per totum terrarum orbem, etiam hinc in Iudæa. Do- minantur, id est certis legibus ac fœdere certo exercet imperiũ, unde & dominium est: & dominantur eorũ, hoc est in eas Gentes, quæ præpositio in malũ sonat, quòd Tyranni populi malo & incommodo gerant principatum. Et qui sunt magni, sup- ple potentia, uirtute, dignitate, &c. Magnus dicitur magistratus, respectu subdi- torum infirmorum, aut magnos intelligit magnates. Siquidem id proprium erat cognomentum regis Persarum, unde Alexander magnus dictus est. Quidam per Principes Gentium & magnos, sentiunt circũscriptum esse totum magistratum hoc est superiorem & inferiorem. Potestatem exercent pro suo officio, ut exercere po- testatem sit effectus principum Gentium & magnorum. Ideo potestati, id est ius si- ue autoritatè exercent. Vbi præpositio similiter in malam partem sonat, indicans eam potestatem esse tyrannicam, & cum incommodo ac malo obedientium, seu pa- rentium, coniunctam.

Non ita erit inter uos.

Hoc non solum de tyrannide & principum uitis intelligendum est, sed de po- litica quoque administratione. Nõ ita erit inter uos, idem est quod suprã cap. 6. di- cit, Nolite similes illis esse. Non enim in hoc uos elegi ut constituam uos principes orbis, qui uel tyrannidem uel iura & leges exercent: sed ministros Ecclesiarum, qui uel orbem doceant Euangelium, & sancta uitæ conuersatione, humilitate, san- ctimonia, patientiãque præferant omnibus uitæ exemplum. Quæ omnia significã- tius planiusque narrantur à Luca. 22. cap. Vos autem (ait Iesus) non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator. Dicit ita- que Dominus, Non sic inter uos erit. Quomodo? Quemadmodum est inter Gen- tes. Quomodo est inter Gêtes? Ita scilicet, ut qui in eos potestatem exercent, auto- ritate utantur qua ipsos opprimunt. Hoc est quod taxat in magnatibus & princi- pibus, tyrannidem scilicet. Non damnat quod sint Principes ac magnates, alioqui quæ dicere poterat, Scitis quòd in Israël sunt Principes & magnates, qui subditos

Fidei uiuæ  
magna uis.

Gentiles om-  
ni nationi do-  
minantur.

Dominandi  
libido & ty-  
rannis uitio  
datur, non au-  
tem potestas  
ad castigand-  
um impro-  
bos.



moderantur & iustitiā exercēt, uos autē nō sic. Habebat enim & populus Dei suos principes. Nō ergo damnat hoc in Gentibus quod principes habeāt & magnates, id quod necessariū est etiā hodie. Neq; reprobāt, q̄ principes potestate utātur ad castigandū reprobos, & defendendū infontes, dū iudiciū & iustitiā exercent, quod nō pertinet ad Gentes magis q̄ ad populū Dei, qui tales habuit in scriptura laudatos. Quid ergo hic in Gentibus reprobāt? Libidinē scilicet, & ambitionē dominandi, qua nō quāritur, ut populus cōmodē habeat, sed ut dominātibus pro uoto omnia succedāt. Hoc qui laborāt morbo, haud dubiē nō regunt, sed premūt & excarnificānt populū, suisque affectibus seruire cogūt. Sūt ergo Christiani principes & magistratus necessarij & summē utiles, qui morbo ambitionis & tyrānidis nō laborāt, Qui uerō seip̄os componunt, gentiliter & ad formā regni quale scribitur. 1. Reg. 8. oppressores subditorum non rectores, Gentiles principes, non Christiani sunt. Rogabis. Quare hoc uitij Gentilibus datur? Quia in illis naturā corruptio maximē uiget: similiter & deprauatio: vnde & exleges frequentius sint, & nihil aliud in uocis habeāt, quā cuticulam curare & secundum desideria carnis uiuere. Aliquot quidem leges seruare ad unguem uidentur, sed interim nihil prāter horrorem & abominationem uideris, ad eō carne occācati sunt.

Sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus.

Declarat qualis esse debeat magistratus Christianus, qui solū populi commodum respicit. Ambitioni & inuidiā (qua laborabant Gentiles) antidotum afferēs, humilitatem & sui abiectiōem commendat, qua p̄cipuē ornatum uult esse magistratum Christianum, dicens, Quicumque uoluerit, &c. Non dicit, Nemo inter uos magnus sit, nemo primus, &c. Quod tamen dicendū erat, si omnino nō liceret in politia Ecclesiastica seu regno Euangelico & primos esse & magnos: & necesse esset omnes in omnibus profus esse aequales. Spiritus cōlestes non sunt aequales, nimirum sunt Archangeli & Angeli. Stellae neque sunt aequales, neque aequaliter lucent. 1. Corinth. 14. Apostoli ipsi non erant omnino aequales, & deprehenditur in multis locis Petrus primus fuisse inter reliquos, & primas habuisse in Ecclesia Christi sub Christo. Christus item, doctore Paulo Ephes. 4. & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerō Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum. Christus igitur non hic agit, ut nolit aliquem esse inter Christianos primū uel magnum, cum ipsa status nostri necessitas exigat, ut aliqui sint potiores & maiores, tam abest ut illud repugnet charitati. In republica necesse est esse qui alios p̄cedant, ita & in domo bene cōstituta, ita & in Ecclesia debent esse gubernatores, Episcopi, Doctores, Ecclesiastę, parochi, diaconi, subdiaconi & p̄sides, quorū Paulus meminit Rom. 12. 1. Corinth. 12. Hebr. 13. ut in corpore quaedam sunt principaliora membra, quaedam minus principalia. Quare hoc loco non exigit hoc Christus, ut in Ecclesia sua sint omnes aequales, & nulli sint magistratus. Sed hoc exigit, ne quispiam ambiat dominari, & cupiat uideri magnus supra reliquos, tanquā potestatem habens, & imperiose dominās. Sed exigit quod Paulus suo exemplo docet. 2. Corint. 1. cap. Non ueni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei uestrę, sed adiutores sumus gaudij uestri. Imō potius ut inferuiat & alterius onera porter. De quo dominio seu potius subiectione pulchrē monet Apostol. Galat. 6. per totum caput. Non ergo dicit Dominus, qui uult inter uos primus uideri, in honore p̄cipuo esse, sed qui uult primus esse. Hoc est qui sibi uoluerit iuxta spiritum & uocationem, comparare aliquam p̄cellentiā in Ecclesia seu regno Euangelij, hanc humilitate & sui abnegatione comparet. Eandem animi humilitatem inculcauit supra. capit. 18.

Quid in principibus improbet Christus.

P̄fecti populi non suā sed eorū qui bus p̄sunt utilitatē querant.

Petrus iurisdictione fuit superior ceteris Apostolis.

Ut tranquille uita ducatur, alii aliis p̄esse oportet.

Dominium Christianorum est subiectio.

Sit uester minister & uester seruus.

P̄cipua commēdatio in dominio Christiano est, mutua subiectio cum perpetua ignoscētia. Rogabis. Quid Episcopo aut alij p̄posito in Ecclesia faciendū? Respondet Christus, Sit omnium minister & seruus. Quorum omnium? Inferiorum scilicet, inter quos ipse magnus est & primus. Hoc nō potest capere caro, quā quōd sibi placeat, neque ministrare neque seruire uult. At magistratus in regno meo, non est carnalis, sed spiritalis, ideo seruus. Qui apud Gentes dominantur, primi sunt, illis seruitur & ministratur. In regno autē Christi, qui ultimus est, hoc est, seipsum abnegat, & seruit, is primas habet, & inter primos habetur. Non hic fit mētio de seruitute, qua serui hodie coguntur libidini dominorum seruire, ad ipsorum perditionem, (hęc enim seruitus non decet ministrum Christi) sed loquitur de seruitute, qua tu omnibus prodes & seruis ad aliorum utilitatem, salutem & necessitatem. Seruit, inquam, non qui ambit dominatim nomine seu p̄textu serui, & nulli seruire uult. Aliud profectō est seruire, & aliud omnium uocari seruū, nomine & titulo tenus. Obserua quanta sit æquitas & iustitia regni Euangelici, in quo uides magnos & primos, hoc est magistratus, aut potioribus donis p̄ditos constitui seruos inferiorum & imbecilliorum: cū in regno mundi & inter Gentes, infirmiores cogantur seruire firmioribus. Certē id fit prouidentia diuina, ut consultum sit imbecillibus, quorum gratia pleraque & p̄cipua dona quibusdam largitur, ut possint illis prodesse. Similiter & maiorem prudentiam & fortitudinem rerū que gerendarum dexteritatem uiro dedit, ut possit esse caput vxōri, & totam administrare domum. Primas igitur in Ecclesia habet qui omnibus seruit, ut quōd te plus abieceris, eō ipsi Deo proximior fias. Obserua. Potest hic locus ad omnes referri. Vnde non dicit, Ego constituam te magnum, &c. Sed, qui uult esse primus. Quasi dicat, Qui uult non ambiendo, sed humiliter petendo, esse p̄simus inter uos, hoc est, donis multis esse p̄ditus: Sit seruus, hoc est de se infra alios sentiat, se ipsum abneget, & sic fratribus donis acceptis seruiet, & magnus ac primus erit.

Sic filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.

Quō potētius suos permoueret Dominus suo p̄cepto, suum addit exemplum: quasi dicat, Si uobis durum uideatur quod dico, me uidete. Cū ego sim uiuus uiui Dei filius, ut uerē fateamini, per quem omnia cōdita sunt, Dominus & magister uester, princeps uitę, uictor que mortis & Satanicę potestatis, tamen non arrogo mihi dignitatem, nec mea potestate abutor in commodum meum: sed ideo ueni ut omnium commodis subseruiam, ad eō ut nec uitam grauet impendere, quo factura unius animę multas redimam. His uerbis Christus tria facit. In primis, humilitatem suę dispensationis cōmemorat, quę est forma nō Domini aut alicuius regnātis & imperātis, sed serui cōstituta. De qua abiectiōe & humilitate Christi, egregiē scribit Paulus ad Philip. 2. Huic adiūgit & declarat suū ministeriū. Nō uenit ministrari, sed ministrare: hoc est, mea ministratio propter quā ueni, est redimere mortales, captiuos liberare. Quę declaratio quoq; ad instructionē facit discipulorum, quomodo debeant & in qua re seruire & ipsi. Tertio per auxesim addit & illud dicens, Veni in hunc mundum, ut uitam impendam pro peccatoribus, hoc est, ut dem uitam in redemptionem pro multis. Pro multis, id est pro his qui credere uoluerint, ait Hierony. Efficax est pro multis, hoc est multi effectum ipsius mortis, id est uitam aternā consequentur, licet non omnes. Sufficiens quidem est pro omnibus, sed non omnes fructum illum uitę consequentur. Cur ita? Respondet Christus, ut scribit Ioannes: Et hoc est iudicium, id est condemnatio impiorum, quia dilexerunt homines magis tenebras quā lucem. Cū hic meminit redem-

GGg ij

Quō quis abieciō est & aliorum magis seruit uti litati, eō maior est in regno Christi. Seruire aliorum commo dis, pulchrū & honestū.

P̄lati Ecclesie serui inferiorum.

Maioribus donis ornantur, qui Deo iubente alii p̄sunt.

Christi ministratio.

Mors Christi sufficiens pro saluandis omnibus.



Christus in  
tota uita mi-  
nistrum se  
exhibuit.

tionis, intelligit de ea redēptione, qua è regno Satanæ in regnum Dei, è morte in uitam æternā, per mortē ipsius redempti sumus, quā sanè ipse solus absoluit & absoluere potuit. Nec solūm hic in redēptione se ministrū exhibuit, sed etiam in reliqua uita suis ministravit. Luc. 22. in cena suos instruēs ait, *Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nōne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum, sicut qui ministrat.* Vnde uidemus Christum suis ubique formam ministrandi prætulisse. O ingentissimam & suauissimam consolationem, qua ter beati & felices sumus, quod unigenitus Dei filius peccatorum & captiuorum factus est minister, & animam suam dedit ut redimeremur. Redempti inquam, non corruptibili auro uel argento, ait Petrus, sed pretioso sanguine Iesu Christi, agni immaculati & incontaminati, &c. Et tam ardenti amore & liberali fecit, ut etiam cum adhuc inimici eius effemus peccatores & impij, nos tamen redemit, & pro inimicis suis uitam dedit. Vide mihi, & meditare quis & quātus est qui tibi & omnibus ministravit, imò seruit? Est filius Dei unigenitus: quis in quā se tam humiliavit quā uerbū Dei Filius Dei? Quousq; se humiliavit? usque ad mortē, non naturalē, sed uiolentam à Pilato & aliis inflictam, eamq; ignominiosissimam & turpissimam. Deinde hoc ministerium subiit pro peccatoribus. Considera ergo hoc exemplū tibi propositum ad tui abnegationē: & cogita iam an aliquid queat potētius contra ingenij nostri superbiam, hoc Christi exemplo proponi. Magnus es, & rubore afficis te ad paruulum demittere. Te ipso Christus maior est, & paruulis ministrat. Doctus es, & pauperem ignorantem docere contemnis. Christus doctior est, qui usque ad subfella nostra se demittit, & literatim syllabarūque abecedariū docet. Diues es, inhonestum putans pauperum sordiciem tollere: Christus te ipso ditior, pauperū pedes lauit. Absterreris ministrandi uilitate. Sed quid uilius erat in mundo & abiectius, morte crucis? Ad hæc expēdis uilitatem eorū, quibus debeas seruire, illamque personæ tuæ confers. Quid autem uilius & abiectius, si ad Deum conferas, impijs peccatoribus, æternæ morti obnoxii? Exemplo igitur nos ipsos demittamus, alijs seruiamus, & si necessitas exigit quantusquantus fueris, pauperrimo seruito, & nihil denegato. Et quod magis à Deo aliquid accepisti, eò te submissiorem præstes & alijs seruias. Quod si rogaueris: qui fieri potest, exemplo Christi redemptor sim? Redemptorem te præstabis, si captiuos redemeris, hoc est liberos reddideris. Hoc profectò diuinum est. Est autem captiuitas mortalium pro uarietate calamitatum uaria. Qui pauper est, captiuus est rerum penuriæ. Hic liberare potest qui habet substantiam huius mundi, & redemptorem agere. Qui morbis detinetur, captiuus est. Hic qui facultatem habet curandi quouis modo corpora, si hoc faciat redemptorem agit. Qui non potest corpus redimere, si saltem consoletur animam adstrictum, & hac parte redemptoris uicem subit. Qui in errore & cæcitate est, captiuus est Satanæ, ut & ille qui peccatis seruit. Quisquis hic succurrit uerbo doctrinæ & admonitionis, aut alijs modis quibus saluus fit frater, redēptor est. Studeamus ergo seruire Deo in istis. Sequamurque Christū, ut quisquis alterius sit liberator: & qui præ alijs aliqua præditus est facultate, totum se in hoc impendat, ut seruiat quibuscuque poterit. Miserrimus igitur est & nomine Christiano indignus, qui omnia in suum ipsius compendium consumit, neque aliqua in re mortalibus usui est. Terra non seruiens in ferendis frugibus, est maledicta. Fons liquorum suum sibi seruans, execrabilis est. Arbor pro inutiles habetur, unde nulli colliguntur fructus. Diuinam uerò habent uitæ conuersationem quicūque alijs ministrant. Quo fit ut cum alijs inseruiamus & usui sumus, læta esse debeamus conscientia, dum uerbo ex fide & charitate proximo seruiamus. Obserua, hæc sententia, Non uenit filius hominis ministrari, non est simpliciter & absolute intelligenda, quasi nolit Christus sibi seruiatur. Est proculdubio seruiendum Christo, tanquam uero Deo & saluatori totius mundi. Nolit autem sibi in hisce terris tanquā regi terreno iis

Christi hu-  
militas & de-  
missio.

Christi imi-  
tator redi-  
mer captiuos  
à calamitati-  
bus, aliorum  
inopiam sub-  
leuabit.

Maledictus  
homo in fructu  
suo.

Seruiendum  
Christo, qui  
cum apud  
nos degeret  
ministrū se  
exhibuit.

seruari ministeriis, quibus delectari solent huius seculi principes. Itaque suus quoque honor debetur Apostolis, & uerbi Dei ministris. Verum non arrogabunt hi sibi quod principum est, & dominorum huius seculi. 1. Corinth. 4. cap. Sic nos æstimet homo ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Inter hos igitur dispensatores & ministros, nec est cur quisquam ambiat honorem, nec est cur quisquam inuideat alteri dignitatem. Quis enim illi inuideat, qui nihil aliud studet, quàm alteri prodesse uel uitæ suæ dispendio? His etiam si defertur honos, hunc non arrogant sibi, sed Deo transcribunt.

Et egredientibus illis ab Hierico, secuta est eum turba multa.

Quum unà cum discipulis exiret Hierico Christus, sequuta est illum ingēs hominum turba: ubi uide Christi auditorum copiosam multitudinem, simul & potentiam uerbi quæ tam magnam hominum turbam ad se trahit.

Et ecce duo cæci.

Marcus cap. 10. unius cæci mentionem facit nominatim dicēs, Proficiscēte eo de Hierico & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta uiam mendicans. Matthæus duorum meminit. Lucas. 18. narrat miraculum de restituto cæco factum, cum Iesus peteret Hierico, & unius tantum cæci meminit. Matthæus conuenit cum Marco, quod egredientibus urbem factum est, sed alter unius meminit, & alter duorū. Verum Matthæus è duobus historiam texens comprehendit & eum cuius Marcus meminit. Vterque uidetur pugnare cū Luca dicente, factum esse miraculum antequam ingrederetur. Tres (ut arbitror) curauit cæcos Dominus, unum antequam ingrederetur Hierico, cuius historiam descripsisse satis habuit Lucas, modò ex ea Domini benignitas, & in cæco fidei exemplum nobis commendaretur. In egressu autem urbis duobus restituit uisum, quorum hic meminit Matthæus, & Marcus ex his duobus notiosem nominatim prædicat. Aut ut à multis etiam doctissimis dicitur, Euangelistæ non admodum ista parerga & circumstantias uel temporis uel locorum anxie curauerunt, sed satis habuerunt & contenti fuerunt, si describerent Christi uirtutem, uel in cæcis illuminatis, uel in dæmoniis liberatis, uel ægrotis curatis, non semper uel numeri, uel loci uel temporis rationem habentes, quippe qui omnes in hoc fuerunt, ut Iesum Dominum nostrum ex dictis & factis suis ostenderent Christum saluatorem esse.

Euangelistæ  
diligēter cu-  
rarunt Chri-  
sti uirtutem  
describere.

Sedentes secus uiam.

Periphraſis mendicitatis cæcorum, quorum alter nuncupatur Bartimæus, hæc est. Erant mendici, paupertatem habentes cæcitati coniunctam: unde uias obſidebant, ut uictum à tranſeuntibus emendicaret. Hæc publica mendicitas quæ neque uoluntaria neque ex uoto erat, argumentum est uiolata & corruptæ legis inter Iudæos, sicut & hodie inter multos Xenodochiorum præfectos. Non peccauerunt quidem cæci, quod cum non potuerint legitimo labore, uitam suam medicinate sustentauerint, huc enim illos uocauit paupertatis suæ necessitas: sed peccauit magistratus Iudæorum, quod non conseruauerit eas ordinationes legis quæ institutæ erant ad sustentandos pauperes absque publica mendicitate. Scribitur enim Deuter. 15. Omnino indigens & mendicus non erit inter uos. Hoc est, Respublica uestra, ita constituatur, ut pauperes sua habeant alimenta, ne cogantur publicè medicare. His uerbis additur promissio, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus, in terra quam traditurus est tibi in possessionem. Adduntur & ordinationes quibus constitui potuit ut nullus publicè panem emendicaret, & tamen pauperes sua haberent alimenta. Leuit. 19. dicitur, Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges, neque in uinea tua ramos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda di-

Dei ordina-  
tione uestra  
erat publica  
mendicitas.



mittes. Et Deutero. 14. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas, uenietque Leuites, qui nõ habet aliam partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & uidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur. Et additur hinc promissio, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris. Et his & aliis ordinationibus potuisset magistratus pauperibus honestum uictum reponere & ad necessarios ipsorum usus promerere: sed ex mendicitate horum cæcorum, & aliorum mendicorum, manifestè apparet Iudeos, nec adhibuisse fidem promissis Dei, nec conseruasse ordinationes Dei. Quare pro benedictione quæ promissa erat, ita maledicti sunt, ut non solum præ inedia uescerentur suis infantibus, sed etiam suis facultatibus, magistratu, regione, uita, denique tota salute priuarentur. Et quod Iudeis accidit, hoc profectò nobis Christianis, præsertim qui Xenodochiis præsumunt, nisi respiscamus, expectandum erit. Nam & si lex mendicis, non extet disertè in nostris legibus, ipsa tamen proximi charitas, & publica Christiana politia honestas exigit, ut pauperum necessitati consulatur. Sed de his supra cap. 6. dixi. Porro his cæcis feliciter celsit, quòd uiam obfederint, per quam ambulabat lux mundi, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Euāgelium est lux illuminans oculos mentis. Verbum Domini lucerna est, inquit Dauid psal. 118. Qui igitur cæci sunt obsideant confinium lucis huius, & quærant eum qui lucis habet potestatem, ut illuminentur.

Promissio facta alentibus pauperes.

Iudæi in certis sedibus uagantur.

#### Audierunt quia Iesus transiret.

Cum cæci ex strepitu sensissent immensam esse multitudinem: & percontati quidnam esset, cognouerunt adesse Iesum qui illac faceret iter. Paulus Roma. 10. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum. Ita cæci fidem quam animis erga Christum conceperant, ex auditu gestorum Christi hauserant. Illa rursus hinc per auditum excitatur. Audierunt quòd Iesus esset, statim concipiunt officium Christi de quo audierant, quòd esset saluator, quòdque omnes & sanaret, & saluaret. Hoc statuunt apud se & firmiter credunt, quòd is sit saluator missus, qui paratus est, uult, & potest omnes ad ipsum confugientes excipere & cuius necessitati succurrere. Obserua: Cæcorum fides hinc graficè depingitur, ut inde quoque discamus qualis fides nostra esse debeat, qua Christi beneficium, & salutem consequamur. Transferamus igitur in nos ipsos personam cæcorum. Cæci sumus omnes mente ex natiuitate carnis nostræ, ut prorsus actum sit de salute nostra, nisi Dominus oculos nostros aperiat, qui dicit se in mundum uenisse, ut omnibus beneficiat. Quare fide quæ per charitatem operatur, opus erit, qua ad eam Dominum & beneficia ipsius percipiamus.

Cæcus mente ad Christum accedit ut illuminetur.

#### Et clamauerunt dicentes.

Cum hi cæci Iesum uidere non possent, nec si uidissent adire licuisset præ turba, magna uoce compellarunt Iesum. Vehemens hic clamor est effectus uiuæ fidei. Clamant ad Christum in quem credunt, opemque ab eo petunt, quam uniuersus mundus dare non poterat. Ex fide est inuocatio eius in quem creditur. Roma. 10. Quomodo (inquit) inuocabunt, in quem non crediderunt?

Immense clamore prouocatur Christus ad misericordiam.

#### Domine, miserere nostri, fili Dauid.

Hæc inuocatio est effectus uiuæ fidei, qua agnoscit Iesum cum potentem & Dominum qui possit iuuare, tum hominem, nimirum filium Dauidis, Messiam illum in lege & prophetis promissum misericordem, certòque statuit ipsum Christum qui possit & uelit iuuare. Quid inuocant? Haud dubiè, misericordiam Domini: quæ est uelut sustentaculum quoddam fiduciæ credentis, & immobile præcium nostrarum fundamentum. Promissio est ex misericordia, quæ comitem habet ue-

Firmissimum fundamentum nostrarum precum misericordia Dei.

ritatem. Misericordia & ueritas obuauerunt sibi, &c. Domine Iesu, qui tua misericordia promissisti te uenturum, ut homines malè habentes curares, adiuua nos ter miserere, miserere, misericordiam erga nos tuam exere fili Dauid. Certè fide factebantur ipsum filium Dauidis gloriosum Israël regem.

#### Turba autem increpabat eos, ut tacerent.

Illorum clamorem Iesus dissimulauit, quòd magis perspicua omnibus esset fides, & ardor illorum. Cum itaque turba uideret Iesum nihil ad clamorem illorum respondere, suspicata hoc illi molestum esse, quòd duo cæci mendici publici sic occlamarerent auribus ipsius, increpabat eos, iussitque tacere. Homines (inquiunt) quid acclamaris Iesum? Putatis ne uos qui mendici & abiectissimi estis, respiciat? Propheta magnus est, de cælo missus ut cælestia negotia tractet, & uos cæci, pauperes & mendici eritis ei curæ? Non facillè agnoscit Phariseos uiros sanctissimos, & principes uiros potentissimos, & uos cognoscat? Tacete igitur & hinc facite, & nolite uel nos uel ipsum uestra importunitate obtundere. Agnosce hoc loco rationis humanæ & carnis ingenium. Cæcos tacere iubens putat, mēdicos facere negotium Christo, quasi gloriæ illius obesser, si quicquam cum hoc hominum genere in mundo abiecto, negotij illi intercederet. A ut putabant fortè cæcos si ipem aliquam petere à Christo, quòd erat sordidū. A ut fortassis (ut credibile est) in ea turba aderant, qui offendebantur, quòd cæci Christum filium Dauidis uocabant, quo encomio & nomine confitebatur cum esse messiam in prophetis promissum. Vnde qui in turba prominebant, seu offensi clamorem hunc sistere conati sunt. Ita scilicet solet ratio humana in utraque parte. Vel cum sibi uideretur optimè de Christo sentire, uel dum illi aduersatur. Cum de Christo benè sentire uideretur, tunc nõ uult homines abiectos & humiles habere aliquid commercij cum Christo, ideo obstreperit turba miseris & calamitosis, ubi Christum inuocant, suggerens illud ἀπαγορεύεται, hoc est prohibitium seu interdictorium, Tacete obsecro. Putatis aures Christi uobis sordidulis, inani pulueri, idque peccatoribus, patere, cuius ne δόφουλοί, id est eiusdem generis siue tribus homines, quidem ullam habent rationem. Cum uerò turba de Christo sinistrè sentit, tunc non potest ferre syncerā de Christo confessionem. Atque ibi reclamatione intus & foris. Intus, in ipso credentis animo mouet hæsitationem: foris uero per ministros Satanæ supprimere tentat, uiuā & ingenuam de Christo fidem.

Rationis humanæ & carnis ingenium.

Abiecti & humiles Deo curæ sunt.

#### At illi magis clamabant, dicentes.

Agnosce hinc pie lector naturam fiduciæ in Christum, quæ quòd magis premitur, & maiori procellarum turbine obuoluitur, eò fortius sese exerit, & neruos extendit. Exemplo sunt hi cæci, qui cum prohiberentur à turba ne clamarent & inuocarent, eò constantius uociferantur, & tam aberat ut à clamore cessarent, ut iam amplius & clarius uocem ingeminantes, clamarent: ita scilicet fiducia in Christum, tentationibus crescit, quæ turbam sua perseverantia uincit.

Infraactus animus quòd pluribus angustiis urgetur eò altius prouehitur.

#### Domine, miserere nostri, fili Dauid.

Hæc ingeminata inuocatio manifestè declarat qua fide, fiducia & charitate Christum apprehenderint: tanta scilicet quæ Christum sistere pedem, exaudire, & uisum dare fecit. Vnde constanter dico, si eo modo Christum apprehenderimus quo illi cæci, sicut illi per Christum consequuti sunt uisum, sic nos consequemur per Christum ea bona quæ Euangelio Christi nobis promissa sunt. Meditemur ergo & uideamus quid cæci de Christo senserunt, & quomodo apprehenderunt, ut & nos exemplo eorum, Christum apprehendere, & salutem consequi discamus. Christo enim uerè apprehenso, omnis salus apprehensa est. Posteaquam igitur cæci audierunt quòd Iesus Nazarenus transiret, ceperunt clamare, Domine miserere



Nomine filij  
Dauid intel-  
ligitur quæ-  
cunque feri-  
pserunt pro-  
pheta de  
Christo.

rere nostri filij Dauid. Aut, ut ex Marco uidere est, Iesu filij Dauid miserere: ubi duo faciunt cæci, ut liberentur à cæcitate. Alterum, quod credunt Iesum esse uerum illum Christum per prophetas promissum. Cùm enim uocant illum Iesum filium Dauidis, perspicuè significat se credere, quod Iesus sit Messias ille Dauidi promissus. Et cùm hoc de Iesu credant, certè credunt etiam de ipso omnia, quæ per prophetas de Christo scripta sunt. De Christo autem scriptum est, quod sit filius Dei, quod sit ipse Deus, quod sit pater futuri seculi, quod sit princeps pacis, quod iustitia sit cingulum lumborum eius, & veritas cinctorum renum eius, quod medietur contritis corde, quod predicet captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, quod regnum eius sit perpetuū: & ut in summa dicam (quis enim posset nunc recensere omnia, quæ propheta de Christo scripserunt?) quod sit uerus saluator. Et hæc omnia hi cæci, sua inuocatione, consentunt se de Christo & credere & sentire. Vnde hi cæci, licet cæci, tamen plura uiderunt in ipso Iesu Christo, quàm Pharisæi omnes, legisperiti & pontifices Christo aduersantes. En habes pie lector ex repetita inuocatione fiduciam cæcorum cum ardenti perseverantia, qua profectò impetrauerunt quod tantopere desiderabant. Reliquū nunc est ut cæcorum exemplum sectemur, & salutem consequamur. Ambulandum nobis est in uariis & periculosis itineribus, & per aspera, & prærupta loca. Hic per paupertatem, quæ est durissima uia, ille per infirmitatem corporis, quæ & ipsa est uia salebrosa. Hic per agnitionem peccatorum, ille per horrorem mortis, adeoque dolores inferni: quibus uis nihil est asperius, & indigent qui in his ambulant maximo uisus acumine, ut illæsi & inoffenso pede transeant. At nos natura magis cæci sumus, quàm ut per nos solùm queamus rectam uiam inuenire, tantum abest, ut in ea recta pergere possimus. Quid ergo nobis faciendum? Hic proponitur Christus à quo cæci uisum consequuti sunt. Quomodo? Primò crediderunt in Christum, quod propter ipsum habeant Deum sibi propitiū, & consequantur salutē. Deinde ex hac fiducia & charitate inuocant Christum, quæ licet sit à turbis & uariis impedimentis impetita, tamen perfluit fortiter. vnde cæci uoti compotes euaserunt. Sic & nobis faciendum est in omnibus duris & aduersis. Obstabit enim nobis & turba ne credamus in Christum, ne ue in oratione perseueremus. Alia turba, est mora & dilatio diuini auxiliij, quæ obstrepit fidei & orationi, dicens: Quid tu pergis credere & orare? Vides enim manifestè, Deum nolle orationem tuam exaudire. Benedic ergo Deo, & morere. Alia turba est indignitas & abiectio nostra, quæ animum nostrum, ita percellere solet: Quid? Putas ne Deum omnipotentem creatorē & administratorem cæli & terræ, tantum sibi otij sumere, ut te abiectissimum hominacionem respiciat, te tamen propter peccata & scelera tua auersatur. Quid ergo credendo & clamando frustra laboras? Hæc sunt ignita iacula Satanæ. Quibus fortes resistamus in fide & perseueremus constanter cum cæco clamantes, Domine miserere nostri, & veniam certò impetrabimus, ut ut turba obstrepat. Et quemadmodum Christus initio ad clamorem cæcorum auxilium dissimularat, nō quod non uellet exaudire, sed ut hac mora fidem & clamorem illorum uehementius accenderet, & illustrius miraculum ederet, adeoque maius beneficium cæcis conferret, ita & si illi clamarent, Quare obdormis Domine, quare faciem tuam auertis, & obliuisceris inopia & tribulationis nostræ? Tamen non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Differt enim auxilium non ut auferat, sed ut afferat maius beneficium. Conniuet ad exauditionem, non ut repellat nos, sed ut nos sibi fortius per fiduciam & charitatē copulet, ut in ipso inuitis etiam inferorum portis saluemur.

#### Et stetit Iesus.

Fides uiua, & fidelis inuocatio retinet Dominum ne recedens à nobis, gratiam subtrahat, ne ue accedens ad nos iratus puniat. Er quanquā cæci, peccatores, misere-

Turba auocantium nos ab oratione, & iacula Satanæ.

Christus dissimulat clamorem nostrum, ut fidem nostram accendat.

ri & calamitosi simus, tamen non respuit preces nostras, modò in fide uiua perseueremus. Cuius uis & efficacia tanta fuit in oratione cæcorū, ut clamore suo Christum lucem & illuminatorem stare fecerit, non minore uicquàm olim Iosue solis cursum remoratus est, & ita ardor ille orationis, Domine fili Dauid miserere nostri, impetrauerit quod natura negauerat, iuxta id quod supra dixit, Omnia possibilia sunt credenti. Valde consolatorium est, Christū stare, nec prættere fide uiua inuocantes eum.

#### Et uocauit eos.

Cùm Iesus satis spectatam reddidisset omnibus illorum fidem, nōsque illorum exemplo docuisset, feruenter & constanter pulsandas aures Dei, si quid uelimus impetrare, constitit, quandoquidē illi sequi non poterant, nisi clamore tantum, & iussit illos uenire ad se. En philanthropiæ & charitatis exemplum in Christo, qui exaudit clamantes ad se, & credentes.

#### Et ait, Quid uultis ut faciam uobis?

Ad uocem ueniunt cæci, & interrogantur à Christo, nō quod nesciret quid cuperent impetratum, sed ut appareret omnibus, calamitosos & pauperes, nullam postulare pecuniam, quin magis uisus restitutionem: utque doceret, quid imprimis postulandum à Domino, ut in hoc mundo uideamus, & intelligamus quod Deo placet, ipsiusque Dei conspectu in futuro seculo aternū fruamur. Aut interrogat, quia non mox uisum petit qui cæcus est. Reperias hodie mendicos qui nollēt adēptam sibi calamitatem, in qua cum turpi otio quæstum faciunt. Sunt & alij cæci, qui tenebras suas quæstus quoque gratia amant, & lucem fugiunt. Quia ergo turba non liquebat quod rem tam magnam & uires humanas excedentem cæci peterent, ideo interrogat Dominus, Quid uultis, ut faciam uobis?

Quorundā mendicorū improbitas.

#### Dicunt illi, Domine, ut aperiantur oculi nostri.

Dicunt hæc cum magno affectu, declarantes sibi molestissimam esse cæcitatē. Domine, uox est fiducia, statuens Christum iuuare posse. Domine potens es, cui parent & obediunt uniuersa, fac, & hoc facere potes, ut aperiantur oculi nostri. hæc est necessitas, quam cæci petunt tolli.

#### Miserere autem eorum Iesus.

Uisus auditusque cæcis Christus tactus est miseria ipsorum, vultu quoque ipso & oculis præ se ferens affectum misericordiæ, quo decet unūquemque uirum Euan-gelicum indolescere malis alienis, misericordiam fecit.

#### Tetigit oculos eorum.

Tactu utitur Christus, sicut & alijs non rarò inter sanandum, ut commendaret nobis gestus, & ne media qualia sunt sacramentalia nostra, imò & ipsa sacramentalia, contemnamus. Duo hic potissimum obseruanda ueniunt, affectus misericordiæ in Christo, & affectus illius misericordiæ, id est potentia & uirtus Christi relictus in restituto uisu. In primis adfectus ille philanthropia & charitate plenus est. Et hoc potiuntur quotquot ex animo fidenti & pio dicunt, Miserere nostri Domine fili Dauid. Dicunt autem hoc qui miseriam suam agnoscunt, & deplorant peccitantes, unde digni, quorum Christus misereatur. Qui autē tenebras suas amant & lucem fugiunt, ut ipsi miseria propria non tanguntur, ita nec dicunt, Miserere nostri Domine, &c. ut aperiantur oculi nostri: ita neque misericordia Christi potiuntur. Secundò declarat nobis tactus ille potentiam & uirtutem Christi, quod protinus uisum recipiunt oculi eorum. Aut tetigit, ut discamus omnia suæ sanctæ carnis membra uiuifica & Dei membra esse.

Tactu oculorum edocemur, sacramentalia non esse contemnenda.

Humanitas Christi est, organū diuinitatis facientis miracula.

#### Et confestim uiderunt.

Id est, uisum receperunt. Qua in re ostenditur potentia & uirtus Christi. Hunc



effectum impetrauit pia cecorum inuocatio, ut dicere possint id quod psalmus ha-  
bet, Tibi potestas est & misericordia. Obserua, Viderunt, positum est pro uisum  
receperunt, uel uidentes facti sunt, ut non tam uidendi actus illis datus significet,  
tur, quam uidendi potentia.

Et secuti sunt eum.

Virtutem fidei commendant cæci, quod Dominum sequatur illuminati. Nam  
fides uiua primò iustificat, mox in uiam Domini dirigit, ut faciamus ea quæ Deo  
placent. Signum animi grati est, sequi Christum. Sequebatur, inquam, eum à quo  
illuminati fuerant. Ad hoc enim illuminati fuerant à Christo, ut se ueram lucem  
& lucis autorem sequerentur. Obserua effectum uiuæ fidei non diu deliberantis,  
sed committentis se Christo. In hoc enim datur lumē, ut illius sequamur uestigia.

CAPITIS VIGESIMIPRIMI

Epitome.

*Christus super asinam, Hierusalem ingressus, negotiatores à templo eiicit,  
infirmos sanat, solo eius uerbo ficulnea aruit, Iudæos sub  
uinea locata parabola arguit.*

CAPVT XXI.

**H**T cum appropinquassent Hierosolymis,  
& uenissent Bethphage ad montem<sup>a</sup> Oli-  
ueti: tunc Iesus misit duos discipulos, di-  
cens eis: Ite in<sup>b</sup> castellum quod cõtra uos  
est, & statim inuenietis asinam alligatam,  
& pullum cum ea: soluite & adducite mi-  
hi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite,  
quia Dominus his opus habet. Et cõfestim  
dimittet eos. Hoc autem factum est, ut ad-  
impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filia  
Sion, Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pul-  
lum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præce-  
pit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super  
eos uestimenta sua, & cum de super sedere fecerunt. Plurima autem  
turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij autem cædebant ramos  
de arboribus, & sternebant in uia. Turbæ autem quæ præcedebant,  
& quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid, be-  
nedictus qui uenit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. Et  
cum intrasset Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas, dicēs:  
Quis est hic? Populi autem dicebāt: hic est Iesus propheta à Nazareth  
Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes uen-  
dentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathe-  
dras uendētium columbas euerit. Et dicit eis: Scriptum est, Domus  
mea, domus orationis uocabitur. Vos autem fecistis illam spelun-

Christus asi-  
na in sedens  
ingreditur  
Hieruf.

Marc. 11. a.  
Luc. 19. c.

Esa. 62. d.  
Zach. 9. b.  
Ioan. 12. b.

Psalm. 117. d.  
Marc. 11. b.  
Luc. 19. g.

Vendentes e  
templo eie-  
cti.



**V**icēsimi  
primam  
miraculū.  
cam larronum. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sa-  
nauit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ, mirabi-  
lia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna fi-  
lio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus  
autem dicit eis: utique. Nunquam legistis, quia ex ore infantium &  
lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra ciui-  
tatem, in Bethaniam: ibique<sup>c</sup> mansit. Mane autem reuertens in ciui-  
tatem, esuriit. Et uidēs ficū arborem unam secus uiam, uenit ad eam:  
Et nihil inuenit in ea, nisi folia tantum. Et ait illi: Nunquam ex te  
fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.  
Et uidentes discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo cõtinuò aruit?  
Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fi-  
dem, & non hæsitaueritis non solum<sup>d</sup> de ficulnea facietis, sed & si  
monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcū-  
que petieritis in oratione credentes, accipietis. Et cum uenisset in tē-  
plum, accesserunt ad eum doctores Principes Sacerdotum, & senio-  
res populi, dicentes, In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hæc  
potestatem? Respondens autem Iesus dixit eis: Interrogabo uos &  
ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi & ego uobis dicam in  
qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis unde erat, è cælo, an ex  
hominibus? At illi cogitabant<sup>f</sup> inter se dicentes: Si dixerimus è cæ-  
lo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus,  
ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Ioannem,  
sicut Prophetã. Et respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis &  
ipse: Nec ego dico uobis, in qua potestate hæc facio. Quid autem uo-  
bis uidetur? Homo quidam habuit duos filios, & accedens ad pri-  
mum dixit: Fili, uade hodie operari in uinea mea. Ille autem respon-  
dens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens  
autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domi-  
ne: & non iuit. Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Dicunt ei,  
Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quia Publicani & mere-  
trices præcedent uos in regno Dei. Venit enim ad uos Ioannes in uia  
iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices credide-  
runt ei. Vos autem uidentes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut  
crederetis ei. Aliam parabolã audite: Homo erat paterfamiliãs, qui  
plantauit uineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular,  
& ædificauit turrim, & locauit eã agricolis, & peregrè profectus est.  
Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad  
agricolas, ut acciperent fructum eius. Et agricolæ apprehensis seruis  
eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt.  
Iterum misit alios seruos plures prioribus: & fecerunt illis similiter.  
Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur forte

Pueri prospere  
ra Christo  
opantes.

Psalm. 8. b.

Ficus arefacta.

Marc. 11. e.  
Fides in ora-  
tione.

Ioan. 15. a.  
Interroga-  
tur Christus  
de potestate  
sua.  
Marc. 11. d.  
Luc. 20. a.

Baptism' Io-  
annis.

Qui uolunta-  
tem Dei fa-  
ciunt.  
Publicani &  
meretrices.

Vinea, Iudæi  
qui Christū  
occiderunt.

Manfif  
esuriit  
et

Vigē-  
simi  
primam  
miraculū.

De ficul-  
nea huic  
dixerit  
tolle &  
iacta te  
in mare  
fiet.

Inter se  
cogitabant

Doctores  
populi

Et uo-  
bis uidetur

Detima  
parabolã

Domus  
mea



Marc. 12. a.  
Luc. 20. b.  
Esa. 5. a.  
Hierem. 2. d.

filium meum. Agricola autem uidentes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres, uenite occidamus eum, & habebimus haereditatem eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra uineam, & occiderunt. Cum ergo uenerit Dominus uineae, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & uineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico uobis: quia auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem uero ceciderit, conteret eum. Et cum audissent Principes Sacerdotum & Pharisei parabolam eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

Lapis angularis.  
Psal. 117. d.  
Act. 4. b.  
Rom. 9.  
1. Petr. 2. a.

Iudaei reiecti & assumptae Gentes.  
Esa. 18. d.

Et cum appropinquassent Hierosolymis.



VM instaret tempus quo Christus nos adsereret in libertatem filiorum Dei, suo progressu cum discipulis proximus factus est urbi Hierosolymitanae, hoc sedulo agens ut animis illorum infingeret, quod uolens ac sciens iret ad mortem, quam nemo (si uoluisse) incutere posset. Et id est quod toties inculcarat, sibi eundem esse Hierosolymam, & illic oppetendam mortem. Quod enim aliquoties uisus est se subducere periculo, non erat formidinis, sed erat seruantis se tempori praefinito a patre. Quod cum id temporis adesset, non solum non latitat, sed ultro se ingerit, & ita se ingerit, ut nouitate pompae totius urbis animos in se concitaret. Interim neque a miraculis neque a ueritate praedicanda cessat, quin & liberius insectatur uitam Phariseorum, & negotiatores eiicit templo, quibus rebus sciebat omnium illorum animos uehementius irritandos. Quibus facultatem reliquit, ut quod moliebantur facere, possent etiam.

Et uenissent Bethphage ad montem Oliueti.

Bethphage, domus maxillarum.

Venissent ab Hierico, Bethphage, id est uillam siue uicum situm iuxta motem, ab oliuarum copia appellatum Oliuetum. Bethphage interpretatur domus oris uallium uel domus maxillarum, quae (ut ait Hiero.) sacerdotum uiculus erat, & confessionis portabat typum. Obserua, quia Christus rex pacis erat: igitur decebat eum auspicari regnum suum ad montem oliuarum. Oliua enim pacis est signum. Esa. 9. uocat Christum principem pacis. Et cum Christus nasceretur sub Augusto Caesare, erat pax per uniuersum mundum: & Iani templum Romae clausum erat, quod non clauderetur nisi tempore pacis per totum orbem terrarum. Obserua. Summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech Iesus Christus ingressurus in sancta sanctorum, idque non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, qui uenit Bethphage, quae erat uilla sacerdotum, Quo significauit, se uelle sacerdotium illud uetus consummare. Vnde ab eo emittit & ablegat discipulos, qui ueteris testamenti sacerdotibus successuri erant.

Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis.

Aulici regni Christi sunt uniuersi Apostoli, atque praedicatores, qui emittuntur, & suo ministerio iuuant propagare regnum Christi. Vnde & discipuli hic uocantur,

cantur, alibi ministri uerbi, dispensatores mysteriorum Dei, fideles serui Christi, testes Christi, Scribae docti ad regnum caelorum, uoces clamantes in deserto, praeparatores uiae Christi. Qui seiplos non ingerunt, sed mittuntur, quare propria ingessio hic damnatur, & legitimae uocationis causae una cum legitima uocatione commendantur. Hebr. 4. Nemo assumit sibi honorem, nisi uocatus ut Aaron. Hieremie. 23. Currebant & non mittebam eos. Per duos hos discipulos praedicatores in orbem emissi praefigurati sunt, eod quod duobus testibus Euangelica praedicatio consistit, de quibus Paulus Roma. 3. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege & prophetis, qui de Christo sunt uaticinati. Nimirum ut seruaretur quod Moses ac etiam Christus supra. 18. ait, in ore duorum aut trium testium consistere omne uerbum. Opus est igitur duobus testamētis ad propagationem regni Christi, quae unum spirant Christum: & in unum Christum conueniunt. Deinde nihil pro priuato cerebro in regni Dei propagatione asserendum aut faciendum est, ne propriae innitaris prudentiae, sed omnia cum aliis comunicanda, & iuxta spiritum mutuo conferenda. Tunc quando appulit Bethphage misit duos discipulos, hoc est destinatos propagatores regni sui & aulicos.

Non quibus datur potestas dispensandi mysteria Dei.

Ite.

Mandatum Christi est, propagare regnum eius, & facit hoc mandatum ad certitudinem uocationis, ne dubitemus nos quando regnum eius propagamus. Huic respondet, quod Christus ascendens ad patrem praecipit discipulis, Ite in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni creaturae, &c. Finalis huius mandati effectus est, absolueret animas a peccatis, & illas adducere ad pastorem.

Finis missio- nis Apostolorum in uniuersum orbem est absolutio animarum a peccatis.

In Castellum quod contra uos est.

Graecis legitur εις την κωμην, id est uicum aut oppidum, ne quis putet arcem aut magnatis palatium. Solent plerumque urbibus uici adiacere, in quibus uehendorum operum gratia hoc genus animalium in usu habetur. Et illud την κωμην εναντι υμων, non est qui uobis contrarius, sed qui uobis e regione situs est. Ite igitur in uicum aut pagum uicinum, qui e regione siue ex opposito uestri situs est. Hic uicus ita uillae Bethphage obiectus erat, ut non posset ex ea conspici urbs, eo autem superatota urbs patebat. In huius collis descensu Christus deplorauit calamitatem futuram urbis & gentis, quod copiose exponit Lucas. cap. 19. Plerique exposuerunt de Hierosolymis dicentes, quod nomine suppresso grandem illam ciuitatem Hierusalem, uicum appelleret. Estque ideo factum, quod nomen hoc Hierusalem, spiritualem habeat significationem: significat enim regnum caelorum, & felicitatem, quae illa nimirum Hierosolyma est, quam Christus ingreditur. Iam Apostoli missi sunt in mundum inter hostes suos qui nomine carent. Christus ergo consolatur atque confortat eos, ac simul praedicatores uniuersos, appellando magnam ad eam ciuitatem, uicum, addens, qui contra uos est, quasi dicat id quod supra. 10. ca. dictum est, Ecce ego mitto uos sicut oues in medium luporum, mitto in mundum, qui contra uos est, & apparet res esse imensa. Habet enim reges suos, principes, doctos, diuites multos: quicquid autem habet magni aut alicuius pretij, id uobis contrarium erit, ut sensuri sitis uerum quod alias dixi uobis Matth. 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Sed absit metus, ite duntaxat, quantum apparet mundus, non ciuitas Hierusalem est, sed desolata malorum coluuius & uiculus quidam. Ne moueat uos magnifica species, confidenter contra eos praedicate: necesse est ut uicus hic contra praedicatores sit, atque ipsi contra illum, quem & contemnant plane oportet: magnaque ipsum cum fiducia ingrediantur, adductum Domino, ex medio eius quos sibi delegerit. Nullum etenim praedicatorem Christus sustinet, qui blandiatur, quare non ait, Ite circum uicum istum, aut ite pra-

Hierosolymitani hostes & inimici acerissimi Apostolis.

Ciuitas Hierusalem uiculus quidam nuncupatur.

HH h



ter uicum, sed, ite in uicum qui contra uos est, utique non tam situ, quam uoluntate. In uicum, inquam, istum uobis contrarium ingredimini, quin potius confidenter aggredimini eos, ac dicite eis, regnum Dei uenisse.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.

Hæc suauissimam prædicatoribus afferunt consolationem, ut non nimia se cura macerent, ne non habeatur ipsis fides, & ne non recipiantur. Nam definitum est semel, ut uerbum Dei nusquam sine fructu prædicetur, dicente Esaia. 55. cap. Verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum. Paulus Coloss. 1. Euangelium quod peruenit ad uos, sicut & in uniuerso mundo, & fructificat & crescit. Quare non fit ut uspiam Euangelium prædicetur & illic non sint aliqui, qui ipsum recipiant, fidemque amplectantur. Hoc eo significatur, quod Dominus prædicat, ilico inuenturos asinam & pullum cum ipsa, si tantum eant. Quasi dicat, Ite modò uos, hoc est prædicatè tantum, neque reddat id uos sollicitos, qui nam uos audituri sint, eam curam mihi relinquite, mundus aduersabitur uobis, id autem uos nihil moretur, inuenietis nihilominus, qui uos audituri sint, atque sequuturi: eos uos modò ignoratis, equidem uerò non ignoro: solum prædicatè uos, reliqua meæ prouidentie committentes. Cauete dicere, tam morosi sunt & diffidiles, ut nulla sit spes futuri profectus, quid iubes nos ingredi in uicum qui contra nos est, quid referemus commodi? Hanc obiectiunculam occupat & præuenit Christus, dicens, Inuenietis asinam, &c. Quasi dicat, Ite modò uos, prædicatè tantum, quid postea, quòd contra uos est uicus iste? Inuenietis nihilominus, quicquid uos uolo inuenire. Adumbrant, pullus cui nullus hominum infederat, Gentes à iugo legis liberat, & asina Iudæos iugo legis subiectos. Obserua Christum manifestasse se Deum esse, quia disponit de futuris, & quia cognoscit euentura. Procul erat locus ille, nec uidebatur quid in illis erat, tamen ait discipulos asinam & pullum inuenturos. Quo signo significauit sibi nihil occultum esse, sed omnia sibi nuda & conspicua, sicut & agnitus est esse Deus, quando dixit Nathanaëli, Ioan. 1. Priusquam te Philippus uocaret, cum esses sub ficu uidi te: Nathanaël respondit, Rabbi tu es filius Dei. Quicquid hinc factum est, nihil temerè contigit, sed consilio Dei.

Ex uerbo dei prædicato, maximè percipitur fructus.

Pullus indomitum populum Gentilem adumbrat, asina uerò synagogam Iudæorum multis peccatorum nexibus ligatam.

Christo omnia nuda & aperta.

Soluite & adducite mihi.

Officia discipulorum & prædicatorum sunt, soluere & adducere asinam & pullum ad Christum, hoc est utrumque testamentum dirigere in Christum, docere Euangelium, baptizare, absoluerè à peccatis, ut liberi sint à molesta conscientia, peccato, morte, inferno & Satana, ut perfusa conscientia, spiritu & gratia Christi læta sit, & sentiat sibi placatum Deum propter Christum, cuius Euangelium recipit, & eidem obediuit. Accommodari potest hic locus unicuique nostrum priuatim, unusquisque enim iubet asinum corporis sui in obsequium Christi adducere. Corpus enim nostrum est ueluti asinus & ignauissimus & arrogantisissimus. Non potest persuaderi ut saccos ferat, hoc est ut paupertatem patienter tolèret, ut sobriam ducat uitam, ut proximo seruiat, ut uocationem Dei diligenter sectetur. Præcipitur autem ut adducatur ad Christum, ut accomodemus membra nostra arma iustitiæ Deo. Cùm ergo incipimus hunc asinum soluere & ad sobriam uitam ducere, ut uocationi Christi obsequamur: hinc tum statim increpat nos Satan, qui propter peccatum exercet dominium in corpus, & resistit caro. Quid (inquiunt) facias? Iuuenis es, fatis adhuc temporis superest quòd sobriam uitam ducas. Senex es, sed tamen tum demum opportunum erit pietatem sectari, cùm ad nouissimum uitæ tuæ momentum ueneris. Interim frui desiderio tuo. A ut dicet caro, ieiunium non decet hanc ætatem. At hæc uoces surda aure nobis transeundæ sunt, & pergendum est in uocatione Dei, ac respondendum, Dominus iussit, Domino obediens.

Soluere & adducere peccatores ad Christum, officia sunt prædicatorum.

Corpus nostrum, ueluti asinus ignauissimus, solertia torpescit.

dum est: hoc si fiet, non solum subiiciemur Christo, uerum etiam pergemus unam cum ipso ad accipiendum regnum cœlestè.

Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.

Si quis uobis fuerit aduersatus, interrogans quam ob causam asinam alligatam soluatis, cuius autoritate id faciatis, aut quo eam uelitis abducere, aut huiusmodi aliquid, uos ita respondete, Dominus misit nos huc, & ita iussit ut solueremus ea, iumentum istud, ipsumque cum pullo simul ad se adduceremus, quoniam ipse eorum uult uti ministerio. Statimque hoc audito responso, ille uos absque contradictione sinet iumenta abducere. Hic locus docet quòd nunquam deerunt impedimenta contra regnum Christi: semper caro, humana ratio, Scribæ & Pharisei Euangelico sermoni obgannient. Quare præmonet Christus prædicatores, ne obuiantia impedimenta curent: sed cùm Petro respondeant Act. 5. Oportet Deo magis obedire, quam hominibus: uel, Dominus his opus habet. Res ipsa admonet, inquit Chrysostomus, ut quæramus quamobrem Dominus uoluerit hoc pacto Hierosolyma ingredi cum asino, cùm antea nunquam hoc fecerit, licet aliquoties Hierosolyma uenerit. Assignat autem idem Chrysostomus, primum eam rationem, quòd uoluerit Christum uitam nostram hocq; modestiæ exemplo instruere: uidelicet, ut disceremus mundanæ gloriæ contemptum, uidentes Dominum cœli & terræ regemque regum tanta modestiæ & submissione auspicari regnum suum. Verum ista modestiæ non hoc tantum factò, sed uniuersæ uitæ Christi exemplo nobis præscripta est. Secundum, quòd & discipulis suis uoluerit qualecunque solamen dare futuræ suæ mortis. Tertium, quòd ita illi uisum sit, Iudæorum contra se excitare inuidiam, & ostendere mortem se tam non expauescere, ut illam etiam non dubitet contra se prouocare. Quartò loco, quidam assignant pro facti huius ratione figuram ac typum uocationis Gentium, pariter & Israëlitarum ad regnum Dei, futura per Apostolos. Vt pote quòd per asinam subiugalem populus Israël legis oneri assuetus & alligatus, expressus sit: per pullum adhuc indomitum, non alligatum, sed uagum, à sarcina legis liberum Gentium populus: per duorum discipulorum missionem munus Apostolicum, & numerum binarium, ministri circuncisionis & præputij significatur. Crediderim præcipuam causam & rationem huius ascensus esse ab Euangelista positam, ideo Christum tali pompa usum, ut impleret prophetiâ Zachariæ prophetæ. Nam omnino debebat Christus omnia facere quæ de ipso in omnibus prophetis conscripta fuerant, ut Iudæi omnino nullam excusationem incredulitatis suæ haberent.

Euangelio contradicitur.

Multiplex ratio assignatur cur Christus infedendo asina uoluerit ingredi Ierosolymam.

Et confestim dimittet eos.

Propagationi regni Christi nemo potest resistere, unde regni Christi potentia commendatur: quod instar palmæ est, quæ quantò magis opprimitur, tantò magis refurgit in altum. eiusdem potentia est quicquid spectat ad regnum Christi.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est, per prophetam dicentem.

Confirmat & certam reddit historiam de ingressu Christi in Hierosolymam ab autoritate prophetæ Zachariæ. Zacharias prædixit hunc Christi ingressum in Hierosolymam: ergo certum est hoc futurum fuisse. Et sicut certa est hæc historia, ita nihil temerè circa Christum contigit. Verum omnia singulari Dei consilio atque prædispositione. Ad hæc, hic ingressus factus est à Christo ad commendandam comprobandamque ueritatem suam, qui nihil eorum quæ promittit, non cumulatissime præstat. Hic locus unus ex eorum numero est, in quibus promissum Euangelium fuit, De quo Paulus Roma. 1. Segregatus in Euangelium, quod ante promi-

Ingressus christi in Ierusalem, non temerè, sed Dei consilio contigit.



ferat per prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo Iesu Christo. Obserua & alium huius prophetiae usum, ut consolationem accipiat filia Sion contra scandalum contempti regis, qui tamen uerus Messias est, et si eius in Hierusalem ingressus sit humilis.

## Dicite filiae Sion.

Hic locus extat apud Zachariam. 9. capit. ubi initio limites siue termini regni Christi delineantur, orbis uidelicet cardines. Mox depingitur ipse Rex, cuius auspiciis regnum hoc condendum & seruandum. Exulta (inquit) uehementer filia Sion, iubila filia Hierusalem. Vbi in uoce, Sion, expressum habes, quibus uenerit Christus, nempe filiae Sion, hoc est credentibus & suscipientibus uerbum. Hec, Exulta uehementer filia, &c. Mattheus non recensuit ad uerbum, sed pro his haec tantum reposuit, Dicite filiae Sion, &c. Appellarunt autem prophetae tam urbes ipsas quam earum ciues, filias. Sanctus Matthaeus respexit ad sensum mysticum, & intellexit per filiam Sion coetum sanctorum, siue Ecclesiam Hierosolymitanam. Et alluditur in his ad ingressum maximorum principum in urbes. His solet obuiam effundi ciuium turba, exultare, iubilare, pœanâque canere. Iuxta hunc morem uocat iam propheta ciues Hierosolymitanos, adeoque omnes sanctos in occursum Christi Domini, & iubet hos tripudio & iubilo Christum excipere. Dicite, inquit, Quasi dicat, Annuntiate pro certo, ne filia Sion expectet alium regem quam qui hic describitur, specie quidem abiectum & humilem, sed tamen omnium maximum.

## Ecce Rex tuus, uenit tibi mansuetus.

Hæc copiose tractauimus in 12. cap. Ioan. Vocula ecce attentos facit Iudæos, ut certi sint de suo rege, & signis de quibus promissus Messias cognosci debeat. Rex tuus, non à te alienus, sed caro de carne & os de ossibus tuis, frater, ac semen Abraham, homo consubstantialis tibi, ô filia Sion. Venit tibi: diu expectasti ô Sion & oculos contuendo defatigasti, ubinam & quando cerneres regem illum omnibus seculis pollicitum uenire in mundum: ecce uel digito ostendo tibi regem tuum. Venit, nec est ut ipsum porro expectes uenturum. Et uenit quid tibi, hoc est in tuum usum, & tuam utilitatem, non ut suam rem conficiat, quod plerumque solent reges, sed ut te saluet, eruat, beatumque reddat. Venit, inquam, tibi mansuetus, id est pacificus, & ut ita loquar, amabilis. Oportuit Christum regem uenire mansuetum & insidere Asinae & pullo, hoc est contemptum & humiliter incedere ut alliceret ad se homines, non à se deterreret. Maestas enim, magnificentia, grauitas & huiusmodi aliae res, deterrent potius quam alliciunt. In propheta amplius mores, uirtutes, ac conditiones regis nostri describuntur. Legitur illic, iustus & saluator, quæ uoces ab effectu Christi ducuntur, describentes officia eius præcipua, quæ sunt, ex impiis pios facere, & saluare.

## Sedens super asinam &amp; pullum filium subiugalis.

Signa hæc esse uult propheta Iudæis de quibus cognoscant Christum. Certè tota hæc prophetia est periphrastica quædam seu accidentalis definitio & regis Christi & regni eius. Cum citra fastum & pompam Christus sederet super pullum asinae, ostendit quàm nolit esse onerosus suis: magnos enim sumptus suppeditat subditi, & quod maiores & insolentiores sunt, eò subditorum res domi angustior fit. Non uehitur, nulla regia phaleris aureis ornata, gemmis onerata, sericisq; cõtecta, sed vulgari, cui uilissimas suas uestes instrauerant discipuli. Neque asina Domini erat propria, sed alterius nescio cuius uiri, qui mutum dederat, ita iubente Domino. Precaria erat aut vulgaris. Iam uerò nullo stipatus satellitio armis horrèdo urbem ingreditur, sed imbelli & pauperum discipulorum turba. Neque tectus est paludamento regio, sed ueste amictus vulgari. Neque ingreditur aut regiam aut prætorium.

Nomine filiarum Sion intelligitur Ecclesia Hierosolymitana.

Graphicè describitur messias promissus.

Venit Christus in nostra utilitatem.

sed in ipsum Domini templum ascendit. Vide quæ scripsimus in locum Ioannis citatum 12. cap.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus.

Exemplum obedientiae in discipulis, qui audito mādato mox præcepta & commissa expediunt. Hæc obeditio est uiuæ fidei effectus, nihil deliberat cum carne, sed statim facit quod præcipitur. Hoc exemplo hortatur prædicatores, ne ad suam uocationem diu cum carne & sanguine deliberent, nec uocationi obstrepent. Quem admodum Petrus uerbo Christi iubentis proiici rete in mare adherens, & nihil dubitans, ait: In uerbo tuo laxabo rete, quò laxato magnam accepit piscium multitudinem. Ita hi discipuli iuxta mandatum Christi abeuntes, & de uerbo nihil dubitantes, inuenerunt asinam & pullum, quos adduxerunt.

Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Posteaquam adducta sunt ad Dominum iumenta, ex gestis Domini agnoscentes discipuli quod eis insidere uellet, atque ab eis uehi, ob reuerentiam & deuotionem qua erga ipsum erant, palliis quibus erant circumamicti, se nudauerunt, iumentisque ea imposuerunt, ac deinde suo ministerio desuper illum locauerunt, & sedere fecerunt, prius quidem super uno, deinde super altero. Quid est quod Apostoli iniussi uestes suas insternunt? Hic rursus neque omnes Apostoli, neque omnes uestes instrauerunt, id quod uerba uidentur sonare, sed fortasse unius tantum pallium discipuli, uel ad summum duorum uestes, qui iumentum adduxerant, nihilominus propter mysterium, ita id describitur, quasi omnes omnium discipulorum uestes fuissent instratae. Vtunque autem fuit, uili admodum sella Christus & neglectis ornamentis usus est. Puto autem has discipulorum uestes exempla esse Apostolica, quibus Ecclesia tum tegitur, tum ornatur. Vnde Paulus ait, Induimus arma lucis, significans indubiè bona opera uice esse uestium, quibus coram hominibus testi atque ornati ambulamus. Diligentissimè sunt Apostolorum exempla in nouo testamento nobis spectanda, atque sectanda. Vnde Paulus ait, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hebræo. 13. Mementote præpositorum uestrorum, quorum contemplantes exitum, imitami fidem.

Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia.

Hæc uestimenta exempla sunt Patriarcharum, & Prophetarum, aliaque gesta ueteris instrumēti. Nam populus qui præibat, sanctos significat, qui Christum præcesserunt, per quos prædicatio & uia noui testamēti ornatur & illustratur. Ita Paulus Abraham, Isaac & Iacob, similiter Petrus Sarram: & ad Hebræos, 11. multos adeo Patriarchas adducit pro exemplo, quo cum fidem uiuam, tum ex fide manantia uera bona opera egregio artificio doceat atque confirmet.

Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia.

Rami adumbrant mihi sententias Prophetarum, qualis est & quam hinc historiae suæ Euangelista ex Zacharia inseruit, quæ scilicet diuinas promissiones continent. Arbores unde hi rami decerpuntur, libri prophetarum sunt, qui huic populo sententias eiusmodi prædicant: hi ramos defrangunt, & in uia Christianæ fidei eos sternunt.

Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebatur, clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid, Benedictus qui uenit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

O admirabile Dei cõsiliu quod rudibus & abiectis hominibus, discipulis scilicet, & turbis tum Hierosolymitanis, tum aliis quæ uenerant ad diem festum, ut

HH h iij

Discipulorum Christi obedientia.

Vestibus discipulorum intelliguntur eximia uirtutes, quibus ornandus est qui Deum uult habere sectorem.



Ioannes scribit. Non autem primoribus ciuitatis Hierosolymorum, Scribis, Pharisæis & sacerdotibus ad excipiendum filium suum, & decorandum illius regni auspiciū utitur: mentesque illorum ita excitat, & tanta alacritate afficit, ut abiecto omni metu aduersaria potestatis, & excommunicationis lata sententiæ (Nam decretum erat in consilio Sacerdotum & Seniorum, ut extra synagogam eicerentur & excommunicarētur, si qui hunc Iesum cōfiterentur esse Messiam Domini) publico clamore exciperent illum, & ueluti damnantes sententiam illam Seniorum de excommunicatione aduersus Christum, occurrunt obuiā leti, confitentes Christum esse regem illum olim promissum, nunc cœlitus præstitum.

*Clamant Seniores,*  
Maledictus est,  
Venit in nomine Beelzebub,  
Non habemus Regem nisi Cæsarem.  
Precantur Iesum extinctum,  
Tristantur & moerent.

*Clamant Turbæ,*  
Benedictus filius Davidis,  
Qui uenit in nomine Domini,  
Benedictus Rex Israël, & benedictum regnum eius.  
Precantur Iesu foelicem successum,  
Latantur & cantant laudes Deo.

Ex ceremoniis uidemus qua mente turbæ exceperunt Christum. Palmas ergo uidentes, & uestes eunti Hierosolyma sternunt in uiam, uictoriæ & fidei testes. His enim seu arrha data sese Principi obstringunt, quem sperant uictoriis insignem futurum, fidem ipsi dantes, & omnia sua offerentes. Veste enim nihil charius, nihil est corpori necessarium magis. Vnde hanc non diuendimus, nisi nihil aliud superfit amplius, quod necessitati nostræ subueniat. Vestem ergo si alicui impendas, certissimum de te argumentum exhibes, nihil te usque adeo charum ac necessarium possidere, quod non sis illius gratia expensurus, si modò ipsa res postularit. Hoc nomine commendatur Traianus, quòd cum multi milites vulnerati essent in clade Dacorum, fasciæque ad obligandas plagas desiderarentur, pro sauciorum copia, Vestem sibi Traianus cōscidit, in eum usum, eamque saucis benignè paritus est. Præterea omnes tam præcurrentes quàm sequentes Dominum, bona & fausta, uictorias, foelicemque successum suo principi optant siue imprecantur, acclamantes Regi geminata ac repetita uoce Hosanna. Quam toties ingeminant occasione palmarum, uictoriam, & oliuarum gratiam seu misericordiam significatium. Solenne erat Iudæis, Leuit. 23. in festo tabernaculorum portare ramos palmarum, & accinere Hosanna, quæ significat salua nos, aut salua obsecro. Cùm igitur quidam adcurrerent ad hoc spectaculum, portant in manibus ramos palmarum, admoniti fuerunt huius uocis Hosanna & proruperunt in hanc acclamationem. Neque vulgus id temporis norat Christum esse Deum simul: quanquam putaret redimendum Israël per hunc Christum, tamen ei salutem precatur diuinitus & ut homini gratulatur, acclamat & excipit ut seruatore in nomine Domini uenientem. Sunt hæc uerba petita ex Psal. 117. O Domine saluū me fac, o Domine bene prosperare: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Atque hunc psalmum decantatum fuisse quotidie in expectatione saluatoris, in Iudaicis synagogis testatur Hieronymus. Et quantus hic populi plausus fuit, tanta fuit & prophetæ gratulatio, clamantis, Hæc dies quæ fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Iam ad emphasim pertinet quòd Hosanna non est interpretatus: sed illam ipsam acclamantis populi triumphalem uocem historię inseruit, eamque ingeminatam, Hosanna, id est salutem imparti, filio David, id est confirma eius regnum. Benedictus id est inclytus, gloriosus, qui uenit in nomine Domini, qui uenit missus benedictus asserturus Israël, & ad propagandam gloriam, famam, laudem, & honorem Domini. Hosanna, hæc repetitio ostendit ardorem turbæ ex animo recipientis Christum regē. In altissimis, id est ex altissimo cœlo, tu qui sedes & regnas in altissimis Deus, nunc salua & da salutem Christo regi. Quasi dicerent, Hactenus uariis Tyrannis

Traiani imperatoris commendatio.

Hosanna id est saluū fac obsecro.

pressi sumus, nunc gloria Deo, salus uerò & prosperitas huic nostro Regi, qui in nomine Domini, hoc est à Deo destinatus & unctus nobis aduenit: faue nunc, iuua & salua qui habitas in altissimis. Addit hic regis uocabulum: Lucas & Ioānes, certè quòd hic planè noui cuiusdam regni auspicia describuntur, & nouis quidam Rex festis iam acclamationibus excipitur, qui diaboli regnū excindat & deuastet. Hæc omnia nobis Christi regnum commendant, quod solum in nomine Dei uenit: alia, sua quærunt, & Satanæ merent: in hoc solo salus, prosperitas, benedictio, pax, & gloria: in quo tum sumus, quando fide uiua Christo adhæremus, & nos ipsi committimus, eumque talem animo fidenti excipimus, qui morte sua nos Satanæ tyrannide liberauit, qui spiritum iustitiæ dedit, qui demum peccatis omnibus nos purgaturus, & solida iustitia, patrisque uoluntate repleturus sit, per quem filij & hæredes Dei in æternum, interim huius turbæ fidem & constantiā imitemur, ut ut reclamet sapientia mundi: excipiamus & nos publica fidei confessione Christum datum esse nobis regem & saluatorem, qui solus sit nobis rex salutandus ac adorandus. Nam perfidi sunt qui alium regem quærunt. Eamus item illi obuiam, & obediāmus mandatis eius. Deinde sumamus in manus nostras ramos palmarum. Palma symbolum est uictoriæ, quoniam natura eiusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat, sicut ex Aristotele & Plutarcho pulchrè docet Gellius libro Noct. Attic. 3. cap. 6. Credamus itaque regem nostrum Christum uicisse nobis omnibus omnem potestatem aduersariam, diabolum, mortem & peccatum, quòdque in diem certantibus nobis in fide uiua, uictoriam conferre possit & uelit. Proiciamus insuper uestes nostras, hoc est opera uiuæ fidei, & parati simus omnem nostram substantiā impedere pro nomine & gloria eius. Propterea oremus perpetuò, Saluifica nos Christe. Agamus gratias pro beneficiis diuina miseratione impensis. Gratulemur de parta salute. Laudemus gloriā regis nostri. Benedicamus eum qui exaltata carne nostra, iam regnat in altissimis, rediturus inde in fine seculi ad iudicandum uiuos & mortuos.

Victori datur palma.

Et cùm intrasset Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas.

Hunc triumphum rebus humillimis & à triūpho ac pompa mundi remotissimis expressum, proculdubio illustrem Dominus Iesus (qui semper humilis uixerat) sibi passus est exhiberi, quo declararet sibi non futuram fuisse gloriam huius mundi, nisi maluisset eam aspernari quàm amplecti. Quòd turpius uideretur hoc affectari, ab his qui se discipulos illius profitentur, quòd ille spreuit, qui solus promeruit. Decuit tamen hic honos aduentum eius, qui morte sua redempturus erat orbem uniuersum. Pompa igitur tam illustri, cùm Iesus ingressus esset Hierosolymam, insolito spectaculo commota est uniuersa ciuitas, id est omnes urbis ciues commoti sunt. Hæc commotio effectus fuit potentiæ & uirtutis uerbi Dei, qua omnium hominum in Hierosolyma animi concussi fuerunt, & admoniti de promisso Messia, & nunc præsentem. haud dubiè, hæc commotio fuit signum præsentis Messia. Obserua, primò concutitur Hierosolyma: deinde totus orbis concussus est ad ipsam Euangelij prædicationem, quemamodum testantur Acta Apostolica. Sed nihilominus recipitur Christus rex regum à sanctis, ut ut ferociat mundus. Obserua hic, quàm maximè uirtus in infirmitate perficiatur.

Dicens, Quis est hic?

Non miror si ciuitas ad nouitatem spectaculi commouetur, quando in populo regnat uidendi curiositas. Sed totus miror quòd hæc ciuitas commota fuerit, cùm metropolis esset Iudæorum, regia, & prima, in qua cultus Dei & autoritas sacerdotum sedem habebat: & quæ Scribas in lege peritissimos doctores habebat, Christum in prophetis promissum, totque miraculis declaratum, tam ignoret, ut roget adhuc quis sit iste, tanta cum populi congratulatione, & tam illustri pompa urbem

Summi ciues & principes sacerdotum liuore perciti dicebāt, Quis est hic.



ingrediens. Cùm uice uersa, etiam si turbæ agrestes illum non agnouissent, hæc ciuitas agnoscere debuisset. Quis est hic? Cui turba regiam felicitatem precatur, cùm uideatur contemptus, atque uilis homo, nullo apparatu regio præditus. Quis hic? qui noua pompa urbem regiam ingrediens comitatu permittit, ut Rex saluetur? Obserua. Et si uerbum sua potentia non plus efficit in hominibus, tamen eos de uerbo inquirere facit, quid sit.

Populi autem dicebāt: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ.

Plebeij & simplices profecti sunt Christi esse summi propheta.  
 Quod credit fides, hoc constanter fatetur. Psal. 117. Credidi, propter quod locutus sum. Huius fidei uix natura est, non erubescere ad confessionem uerbi, & abiectione personæ non offendi. Vnde turbæ præclarè fatentur, & respondent Hierosolymitanis rogantibus, Quis est hic? Hic quem uos despicitis, & propter quem excommunicatis illos qui fatentur ipsum esse Christum, est Iesus. Quo nomine separat illum turba ab aliis prophetis, qui proclamatores uerbi Dei apud Iudæos fuerunt, sed non Iesus, hoc est: non fuerunt saluatores. Atque hac uoce Iesus, turba confitetur ipsum promissum Messiam iam adesse. Confitetur item proprium officium Messiae, quod est saluare, aut saluum facere. Nomine prophetae significatur, qualis rex futurus sit Christus. Non talis rex qui mundiali pompa oblectetur, aut qui belligerabit & terrena imperia ampliabit, aut hostes armis & bombardis subingabit. Sed erit spiritalis rex, qui uerbum Dei docturus sit, gladio spiritus dimicaturus, & regnum pro cōscientiis erecturus. Proinde nō simpliciter de quouis prophetarum genere loquuntur turbæ, sed de eo qui erat Israëlī specialis promissus Deuter. 18. à Nazareth. ubi nutritus fuit. Luc. 4. Vnde & Nazareus appellatus est, supra. 2. cap. Galilææ, quia Nazareth uiculus est Galilææ.

Et intrauit Iesus in templum Dei.

In templo Salomonis dicitur taxat immolabantur hostia.  
 Ostendens Christus qualis rex esset, cuius item filius, negotia patris curaturus ingreditur in templum Dei, cum uidelicet locum qui diuinæ gloriæ consecratus erat, ut ostendat se nihil aliud querere quàm gloriam patris. Huc pertinet locus ille, Primùm querite regnum Dei. Templum Dei intellige templum Salomonis, ad quod ligauerat se Deus per uerbum suum. Non enim licebat alibi tempore legis sacrificia facere.

Et eiiciebat omnes uendentes & ementes in templo: & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columnas euertit.

Templū fordidissimis mercimoniis profanatum.  
 Prætextu promouendi cultus Dei, & earum rerum quæ pertinebant ad sacrificia, peruasit simul & irrepsit auaritia, & quæstus in templum Dei. Nam nomine religionis exercebant quæstum suum, commoda priuata querebant & sacrificatos deprædabantur. Hanc fori & mercatus speciem uidens Dominus in templo, mox facto è funiculis flagello omnes uendentes, ementes, & assidentes nummularios, rei indignitate commotus, expulit è templo, unà cum suis mercibus. Mensas nummulariorum siue trapezitarum seu camporum euertit manibus propriis, ostendens non esse in eo loco negotiationes exercendas. Et as in terram effudit. Sellas uendentium columnas disiecit, uindicans cultum Dei ab abusu & impietate. Hæc manifestè declarant, quòd Iudæi templum suum mercatibus ita contaminabant, ut non solum exponerent ea ibi uenalia, quæ ad sacrificia & oblationes pertinerent, sed exercebant etiam profanas negotiationes. Quare Christus uindicat sanctitatem templi, & non tam proturbat è templo turbam uendentium & ementiū, quàm subuertit mensas, & effudit as nummulariorum. Existimauit Sanctus Hieronymus potissimam fuisse odij causam apud sacerdotes & omnium miraculorum maximum quòd merces sacerdotum in templo dissiparet Dominus. Plerique (inquit ille) ar-

bitrantur maximum esse signorum, quòd Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero, lumen acceperit, quòd ad Iordanem uox audita sit patris, quòd trāsfiguratus in monte gloriā ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc uidetur mirabilius esse, quòd unus homo & illo tēpore contēptibilis, & in tantum uilis ut postea crucifigeretur, Scribis & Phariseis cōtra se fauientibus, & uidētibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli uerbera tantam eiicere multitudinē, mensasque subuerrere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus exercitus non fecisset: igneum etenim quiddam atque sidereū radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie. Cùmque manum non audeant iniicere sacerdotes, tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum qui clamabant, Hosanna filio Dauid, uertunt in calumniam, quòd uidelicet hoc nō dicatur, nisi soli filio Dei. Hactenus Hieronymus. Antea idem fecisse legitur Ioan. 2. ca. repurgasse scilicet, sicut nunc, templum Dei. Hoc documento significans quàm sit hoc quæstus & auaritiæ malum in cultu Dei, si semel obtinuerit, pertinax & immedicabile. Nam auaritiæ genus est, ut planè excecet mentes, non sustineat ueritatem, nec admittat emendationem. Certè nihil magis odit Dominus quàm huiusmodi homines, qui sub specie pietatis quæstum exercent, uolens in primis ut ea quæ gloriam Dei propius concernūt ante omnia repurgare studeamus, tum quòd nullum malum sit æquè exofum Deo, atque id quod specie nominis ac cultus sui obtegatur, tum quòd nullum sit nocentius, ait Chrysostomus. Proinde quæ ad modum Dominus non solum uerbo, sed etiam ipso facto exturbat, quæ displicebant in templo Dei: ita qui potestate à Deo data in Ecclesia potiūtur, studere debent non solum doctrina, sed & facto repurgare in Ecclesia Christi quæ cultum Dei uiolāt, & piorum mentes & oculos corrumpunt. Hoc facto ufi sunt & idem fecerunt ante Christum religiosi aliquot reges Iudæ & sacerdotes sancti tēpli, Ezechias, Ioias, Iosias, ac reliqui, ceu typo quodam adumbrantes, quid uerus & unicus pontifex summus & rex regum Dominus noster Iesus Christus in templo Dei esset facturus. Id quidem in hoc templo Christus incepit, sed per Apostolos & uiros Apostolicos per totum terræ orbem in innumeris deorum & superstitionis templis absoluit. Dum ex omnibus propè aræ remotæ, idola elata, & omnia superstitionis instrumenta sunt eiecta. Idquæ iuxta uaticinium Esaiæ. 2. ca. Obserua. Hæc eiectio à Christo facta, ostendit officium Euangelij esse, impietatem cultus Dei detegere, uendicare uerum Dei cultum ab impietate & hypocrisi, & falsum Dei cultum destruere, uerum autem restituere.

Et dicit eis.

Aetiologia sumpta à finali institutione templi à Christo adducitur, qua causa. Pietas in templo exercenda, nō impietatem ut prætextu pietatis ageretur in illo impius quæstus.

Scriptum est.

Confirmatio est facti siue expulsionis uendentium factæ à Christo, ab autoritate scripturæ sumpta, Esaiæ. 56. ubi de domo orationis mentionem faciens consolatur profectos, ne putent se alienos esse à populo Dei, & si non sint de semine Abraham, tamen illorum sacrificia & preces placere Deo. Quia domus Dei, domus orationis est cunctis populis. Obserua. Christus rex nihil facit temerè, nihil præter uerbum & suam uocationem in uerbo fundatam agit.

Domus mea, domus orationis uocabitur.

Hic locus sumptus est ex Esaiæ. cap. 56. ubi Dominus præcipuè loquitur de uocatione omnium Gentium in consortium & Ecclesiam sanctorum, inque participatum Christi, in quo & per quem dicit Dominus sibi grata futura sacrificia, haud dubiè gratiarum actionis & mortificationis carnis, de quibus loquitur Paulus ad Rom. 12.



& ad Hebr. 13. *Causam adiungit quare exhilaraturus sit illos in domo sua, & quare acceptæ futuræ oblationes illorum. Quia domus mea (inquit) domus orationis uocabitur. Ita diuino consilio institutum est, ut una colligatur ex Iudæis & Gentibus Ecclesia, in qua omnes offerant per Christum spirituales hostias. Cæterum licet præcipuè Esaias significet in eo loco fore, ut omnes gentes locum habeant in populo Dei, quia domus mea (inquit) domus, &c. Tamè quia iuxta uerbum Dei templum institutum erat Hierosolymis, ut orationes & cultus diuini fieret, docet etiam ne hoc quidem externum templum mercatibus & impietatibus profanandum esse. Siue enim loquaris de externo templo in Hierusalem, certè deputatum est ad orationem, hoc est peragendum in eo legitimum cultum. Nam in dedicatione templi Salomon. 3. Reg. 8. ait, Quodcumque orauerit populus tuus in loco isto, exaudies in loco habitaculi tui in celo, & cum exaudieris propitijs eris. Siue loquaris de Christo per externum templum adumbrato, & omnibus gentibus patefacto, non est domus ciuilijs negotiationum, quia regnum eius non est de hoc mundo, sed est domus orationis, de qua dicitur: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Siue dixeris de nostro templo in quo Christum habemus, & sumimus, quod certè propheta significauit purum esse oportere, non pollutum mercatura turpi, sed in quo potius tradatur uerbum Dei, ex quo deinde cognoscatur Deus, colatur uitæ puritate, innocentia, fide & dilectione, inuoceturque precibus sanctis; quibus & gratiæ laus & hymnus offerantur pro omnibus Dei beneficijs. Sacramenta item dispensentur, legitimus ille & cælestis cultus quo offertur Christus celebretur: & reliqua congruo ac bono ordine exercentur ad Dei laudem & piorum consolationem. Domus mea, id est, domus uerbo meo instituta, uocabitur id est erit, domus orationis, id est in eum destinata erit usum, ut in ea exercentur nera pietas, uerus Dei cultus, in quo orabitur in spiritu & ueritate, hoc est in reuolutione mentis sine hypocrisi.*

*Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

*Hic locus sumptus est ex Hieremia cap. 7. hic hortatur Hieremias Hierosolymitanos ad poenitentiam. Qui eo insania & erroris abierant, ut putarent se à furtis, latrocinij alijsque malis impendentibus liberandos, per templi religionem, per sacrificia, & externum cultum. Ecce (inquit) uos confiditis uobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt uobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire post deos alienos quos ignoratis. Et uenistis & stertistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis, Liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomè meum in oculis uestris? Quasi dicat, Non aliam opinionem de domo mea concepistis, quàm de spelunca quadam latronum. Latro hic sumitur pro spoliatore ac deprædatore, qui in spelunca tenebris sese abscondit & uias occultè obsidet, ut transeuntes adoriatur, nihil minus cogitantes. Ita qui in domo Dei quæstum exercent, specie cultus Dei sese obtegunt, ut inde ueluti ex insidijs simplicem plebeculam adorianur, ac spolient. Et quemadmodum latronem occultit speluncæ obscuritas, ita hypocrisis & species cultus Dei istos auaros & latrones obtegit ne agnoscantur. Vos è templo & domo orationis fecistis domum mercatus, & speluncam latronum, in qua latitatis prætextu pietatis excusati, quasi pij homines, & syncerè iuuantes religionem. Omnes enim latrones, fures, adulteri, homicidæ & impij homines ad templum conferunt currunt, ut ibi mercentur hostias, & his se à peccatis purificent. Vestra itaque auaritia ex templo factum est integumentum, operculumque, quòd omnes sibi obducunt homines scelerati. Obserua uocabulo speluncæ, notat difficultatem cognoscendi impios furo pietatis prætextos. Hoc habet fortuna impietatis hypocriticæ.*

*Templum locus est à Deo deputatus ad orandum & ad prædicandum Dei uerbum, & ad dispensanda sacramenta.*

*Christus detexit sacerdotum auaritiæ specie cultus Dei occultâ.*

*quòd eam nemo potest intelligere nisi ueniat Christus, & eiiciat uendentes & ementes ex templo, detegatque occultam impietatem. Falsus igitur Dei cultus non facile cognoscitur, quia in spelunca exercetur, & à latronibus, qui non apertè, sed ex insidijs agunt.*

*Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo: & sanauit eos.*

*Seniores, Scribæ & Sacerdotes solo quæstu ducti, nihil beneficentiæ exercebant in templo, tantum suum commodum quærentes, spoliabant pauperes, nemini bene faciebant. At Christus nunquã otiosus suum exercebat officium, quod erat, omnibus benefacere, pauperes & aduersa fortuna oppressos, inopes & afflictos benigne excipere consolari atque iuuare, item uindicare conscientias ab impietate, id quòd in anima fit. Et postea sanare in corpore, quòd exhibuit in his claudis & cæcis, qui audita fama de aduentu Christi & audito uerbo de humilitate eiusdem, accesserunt: hic accessus est uitæ fidei effectus, certè statuentis de Christo saluatore qui possit & uelit saluare. Videntur primò quæsiisse regnum Dei, quòd accedat ad Christum in templo: ideo in templo sanantur, ut intelligas eos facillimè in corpore restitui posse, qui primùm quærunt regnum Dei, & audiunt uerbum quòd in templo prædicatur. Obserua. Accesserunt ad Iesum in templo claudi & cæci, quos lex arcebat ab ingressu templi: sed Iesu templum omnes recipit qui properant ad sanitatem. Venerunt cæci, ut uisu recepto uiderent Iesum, quem audiebant sic prædicari. Veniebant claudi ut illius uestigia sequentes peruenirent in regnum cælorum. Quotquot igitur adibant illum sanabat, hi accesserunt ut miraculorum testimonio fidem clamantium Hofanna confirmaret & aduersarios confutaret.*

*Christi officium.*

*Claudi & cæci in templo Dei non ingrediebantur.*

*Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros in templo clamantes, Hofanna filio Dauid, indignati sunt.*

*Recentet Euangelista aduersarios Christi regis & regni sui Scribas, Principes sacerdotum, Phariseos & huius farinae uiros speciem religionis habentes, & ab hominibus religiosi homines iudicati, sed qui una manu panem ostentant, altera ferunt lapidem, qui cum aperto Marte non audent aduersus Christum congregari, calumniantur sanctissima eius opera quibus oportebat illos tandem resipiscere: sed magis exarserunt inuidia, cum uiderent mirabilia in restituentis infirmis, tantis item studijs undique applaudentem populum, & præsentem uim in sanandis claudis & cæcis, autoritatem in eiicendis mercimonijs, nemine auso resistere, pueros etiam in templo clamantes Hofanna filio Dauid, nimia indignatione commoti sunt cum aduersus pueros cantantes, tum aduersus Christum hoc encomium filio Dei dignum permittentem. Vide quàm in profundum malorum ruant isti malè feriat homines auaritia occæcati. Phariseis dolebat ex animo, quòd ipsorum negotiatio & quæstiosa merx per Dominum esset oppressa, & conuulsa. Proinde oderunt Christum cane peius & angue, extinctumque cupiunt, interim suæ inuidiæ pro uastro hypocriticos ingenio prætextentes pietatè, simulant se religiosè discrucia ti, quòd gloria Messia debita, à pueris caneretur, & Iesu Nazareno adscriberetur.*

*Et dixerunt ei.*

*Clamantium uocem indignè ferentes submonuerunt Iesum, ut eum clamorem compesceret, alioqui fore ut uideretur agnoscere tantum honoris, quo iudicabant illum indignum, quum ipsi natu maiores debuissent potius prædicare ipsum esse Messiam docti miraculis & prophetarum ac legis doctrina, quàm pueri literarum ignari: sed quos agnoscere poterant ex instinctu & afflatu spiritus encomium illius cecinisse Hofanna filio Dauid, &c.*

*Audis quid isti dicunt?*

*Principes cæci inuidia & ira temulenti dicunt, Audis quid isti (per contemptum*



hæc efferuntur) isti, id est contemptæ turbæ, infimi in populo, homines ignobiles, peccatores, congratulantur tibi, tibi inquam contempto & uili homini, tanquam uero Messia & promisso regi à Deo. Putabant principes Seniorum, Scribæ & primores, suum officium esse, probare & excipere Messiam uenturum: & quia hæc puerorum & aliorum gratulationem erga Christum, sicut nec ipsius opera probabant, arbitrantur Christum malefacere, quod suam exceptionem communi vulgo committeret. Quasi dicerent, Quis es tu, qui è templo ciuis negotiantes? nunquid hoc facis ut sacerdos? Et tu quidem sacerdotalè dignitatem non habes. Nunquid ut rex? Sed neque præ te fers regiam dignitatem. Cur permittis regium honorem, & Messia titulos tibi adscribi? Mirum sanè si illam agnoscas acclamationem, putésque ipsam ad te pertinere: uideris certè cõsentire his uociferantibus quæ ad Messiam spectant, quandoquidem non reclamas, non indicis ipsis silentium. Apud Lucam cap. 19. Legimus quomodo hi primores acclamationem discipulorum non ferentes, dixerunt, Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico uobis, quia si hi tacuerint lapides clamabunt: perinde ac si dicat, hoc est Dei propositum, & ita constituit ut hoc tempore manifestetur Christus, & ingrediatur in regnum suum. Quis autem posset decretum Dei infirmare? Quod agitur, siue eicctio negotiatorum, siue hæc acclamatio, Dei opus est. Quis autem opus Dei, quominus promoueret, impediret? Si uiri tacuerint, pueri clamabunt. Si & pueri conticescant, lapides uociferabuntur. Omnino enim Christus reuelandus est, etiã si rumpantur omnes Pharisei & Pontifices. Proinde nihil agitis qui conamini obstruere ora simplicium, in me credentium. Obserua ex his, quanta sit cæcitas eorum, qui quæstum ex pietate aucupantur. Vident signa ingentia, audiunt puram doctrinam, & tamen nihil inde ad fidem mouentur. Et qui natu grandiores ac legis & oraculorum periti erant, etiã ex conspectis miraculis adhuc non intelligebant hunc esse Messiam, quem tot seculis expectauerant.

Iesus autem dixit eis utique

Iesus ad particulam illam isti, seu quid isti, dicunt, respondens, suamque asserens sibi gloriam, ait, utique. Audio certè quid isti dicant.

Nunquam legistis.

Qui uultis haberi capita religionis, & dici in lege periti, nunquam legistis? Arbitror quod legistis, sed non intellexistis. Vult istis sycophantis obturare os Christus autoritate scripturæ, & docere contemptos & uiles homines in mundo esse ueros exceptores Christi, auditores Euangelij & subditos regni Christi spiritualis.

Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Psalmus è quo decerptus est hic uersiculus, est octauus, cõtinens commendationem regni Christi, & media per quæ cepit Christus ad institutionem sui regni peruenire, in quo psalmo mentio & descriptio fit passionis, ascensionis & glorificationis Christi. Et hic uersiculus, Ex ore infantium, &c. effertur ac dicitur de illis siue qui regnum Christi admirati sunt, accepturi & prædicaturi uerbum, scilicet infantes, homines coram mundo contempti: siue qui non potentes adhuc loqui, instinctu siue afflatu spiritus prorumpunt in laudes Dei, siue ex rebus in se mutis gloriam Dei magnificè efferunt. Nam si quis spectet quomodo infantes concipiuntur, alantur in utero materno, edantur in lucem, foueantur in sinu matrù & mirabiliter adolecant, uidebuntur hi laudes & gloriam Dei ceu demõstratione quadam certissima ostendere & prædicare priusquã loqui possint. In his posuit Deus firma & immobilia fundamenta pietatis aduersus omnes impios hereticos & philosophos, Deum ipsum, deique prouidentiam negantes. Nam hac uiua ac irrefragabili infantium prædicatione hos compefcere, ipsorumque blasphema ora obturare

rare uoluit Dominus. Intelliguntur hæc dicta à Davide etiã interpretanda de omnibus infantibus. Sensus itaque uerborum est, Ex ore simplicium infantium, arque lactentium puerorum perfectam fecisti atque monstrasti, ô Deus, laudem tuam, ut destruas inimicum, & contradictorem seu persecutorem gloriæ tuæ. Idcirco pueros & turbas simplices clamantes non prohibeo, quoniam Dei consilio non est reluctandum: & scripturam impleri uolo, qua Spiritus sanctus per os David olim prædixit vos ac uestri similes ueritatis inimicos confundendos esse ex ore infantium atque lactentium, & Dei laudem ex ore eorum perficiendam, id quod oculis uestris apertè manifestatur, ut nullus uestre malignæ infidelitati relinquatur excusationis locus. Aut sic per collationem exponatur locus, Ne uobis uideatur mirum principes sacerdotum, quod hi pueri debitam mihi gloriam tribuentes, mihi ut uero Messia acclament. Nam hoc faciunt, quod omnes pueros dixit facturos propheta, ut negantibus Deum aut intudentibus Deo gloriam suam magna in hoc seculo autoritate pollutibus uiris, puelli sint Deum cõfessuri laudaturique. Idem enim fit atque completur in his pueris. Nam abnegantibus & persecuentibus me uobis, pueri me regem & saluatorem salutant, idque tanta uirtute, ut uideatur uobis hostibus meis ora sanè quàm blasphema penitus obturare. Ad huc sensum cõfirmandum faciunt ea quæ paulò antè adduximus ex Luca. 19. Dico uobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt. Quibus uerbis significatur gloriam Dei omnino reuelari oportere, ut ut fremat, strepat & insaniat mûdus. Obserua admirabile Dei consilium, qui longè aliter facit atque magnates huius seculi. Hi uolunt à magnis & nominatis uiris celebrari ac laudari, ipse contra paruulorum & abiectorum laudem amplectitur. Demus igitur operam ut paruuli & abiecti efficiamur, ut possimus ex ore nostro laudare & celebrare Deum ad confusionem sapientiæ & potentiam huius mundi. Obserua: cum dicit perfecisti laudem, id est perfectam & absolutam ostendisti laudem, etiam si illi propter ætatem imperfecti & uiles uideantur. Non enim dicit ex mente, sed ex ore infantium, &c. quod nõ ex mente (ait Chrysofost.) illa uerba procederent, sed uirtute Dei tenera illorum lingua ad formanda hæc uerba ducebatur. haud dubiè spiritus sancti organa fuerunt.

Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

Principibus sacerdotum & aliis cum suo liuore relictis abiit Iesus, & egressus urbem Hierosolymorum petiit Bethaniam quæ interpretatur domus obedientiæ. Venit ab inobedientibus ad obedientes, Mariam Martham & Lazarum, malens cum illis agere, quàm in urbe corrupta: hoc suo exemplo docens ut aduersariis ueritatis uerbo resistamus, quod ubi recipere recusant, relinquendi sunt. Agnosce pie lector, hoc loco populi ingratitude & inconstantiam. Multi occurrerant & salutarant ipsum regem, sed nemo illum hospitio excipere dignatur, ad eum metuunt omnes iram & indignationem principum sacerdotum. Hoc etiam significat Christum fuisse pauperem, qui nõ habuerit ubi reclinaret caput. Aduerte: exiit è ciuitate in Bethaniam, nolens illis ante tempus occasionem dare, ut manus in se conicerent. Atque ideo nulla nocte in ciuitate mansit, præter eam in qua capiendus erat. Iam uides quod non in armis aut ulla uiolentia hominum cõsistat regnum Christi, sed in uirtute & potentia Dei. Vilipèdebatur quidem Dominus, sed nihilominus regnabat regnanteque rex in secula benedictus.

Manè autem reuertens in ciuitatem.

Lucas narrat. 21. cap. Christum per diem fuisse & docuisse in templo, noctu uerò in monte. Et populum ad illum diluculo uenisse in templum, ut illum audiret. Reuertebatur rure in ciuitatem manè, & summo diluculo in templum uenie-

Ex cõfessione infantium confunduntur principes sacerdotum.

Bethania interpretatur domus obedientiæ.

Infideles & obstinati relinquendi.



bat, quo tempore se recipiebat populus uerbum auditorus. Proinde quo magis accelerabat tempus passionis, tanto feruentius instabat Christus docendis turbis, ut qui boni erant, non nihil corroborarentur ac præmunirentur, & hostibus ueritatis omnis adimeretur excusatio. Manè, id est die sequenti Dominicam nostram palmarum, quæ tunc fuit. 21. dies Martij.

## Esuriit.

Rara uictus  
parfimoniam  
Christi.

Infirmities carnis omnes pro similitudine absque peccato expertus est Christus, & per omnia fratribus factus similis, ut tentatus possit tentatis succurrere. Ad Hebr. 2. Esuriit in ueritate, ut pote tantæ sobrietatis fuit & abstinentiæ à cibo, ut etiam manè esuriret.

Et uidentis fici arborem unam, secus uiam, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum: & ait illi, Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.

Carnalis quispiam ridebit & fabulam narrari dicet ista audiens. Nimirum quod fructum ex ficu petiit, quum non esset ficorum tempus, ut est in Marco dicente cap. 11. Non enim erat tempus ficorum: & arbori maledixit eius nomine, quod ficos non haberet, cum intempestiue illos ab ea requireret. Certè Christus hoc factum aliud spectabat, quàm sonet litera. Typica enim seu allegorica quædam est hypocritarum descriptio, qui foliis hoc est externa specie religionis præditi sunt sine uiua fide & charitatis operibus, & ad reuelatum uerbum magis ac magis excæcantur & arefcunt. Christi esuries desiderium est salutis nostræ, & gloriæ patris. Nam Ioan. 4. Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris. Esurit autem & expetit huc cibum manè. Ista enim esuries in filio Dei, docet nos debere in primis querere regnum Dei, & iustitiam eius. Ficus ista est Hierosolyma, ad quam uenit Christus. Folia habet, & præterea nihil. Procul constitutis apparet frugifera, quia humida factis ac uiridis: propè uerò intuentibus & fructum ex ea querentibus deprehenditur sterilis, & infrugifera. Sic Hierosolyma specie uiridis, fisco sanctorum & cultus diuini conspicua, re ipsa omni cultu Dei & pietate destituta, uisitata toties, ante Christum à prophetis, inuenta est sterilis, plena hypocrisis. Maledicitur à Christo: Nam ea est pœna sterilitatis deploratæ. Sed & omnis homo exponens se delictis huius uitæ, ficu comparatur, quia fructum non habet spiritualem ut esurienti Iesu det: folia autem tantum & temporalem ac defluentem apparentiam. Hic igitur maledictum audiet, Ite maledicti in ignem æternum. Porro ob oculos ponit horrendum iudicium in hac arbore, his certè qui deploratæ sunt malitiæ. Sed hominibus relinquit locum respicientiæ iuxta parabolam ficus, Luc. 13. Atque quod in ficu re ipsa demonstrauit, hoc postea uerbis proposuit primoribus Hierosolymæ, ut mox audiemus.

Synagoga ficulnea sterili figurata maledicitur. Foliis defignantur uanæ sacerdotum superstitiones & elegantissima uerborum ornamenta.

## Et uidentes discipuli mirati sunt dicentes, Quomodo continuo aruit?

Marcus. 11. cap. ait, Et cum manè transirent, uiderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei, Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit. Noster Euangelista non dissentit à Marco: idem enim narrat, significans, uidentes discipuli, mirati sunt, dicentes, Quomodo continuo aruit? id est, quum eadem redirent discipuli, uidentes ficu cui imprecatus fuerat Iesus, iam foliis positus exaruisse, admirati sunt, dicuntque ei tanquàm gaudentes & congratulantes, Ecce ficus quam execratus es, iam exaruit. Qui fieri potuit ut ad unum aut alterum uerbum exaruerit?

## Respondens autem Iesus, ait eis.

Ne maledictionem deploratorum & obstinatorum Iudæorum incurramus, qui quod fide, dilectione & obedientia caruerint, exaruerunt perinde atque ficus, dignatur Dominus hoc suo responso commendare suis fidem charitati coniunctam, & declarare quantas hæc habeat uires: tacet mysterium quod hic agebatur, quod fatius esset admonere discipulos quæ sit uirtus uiuæ fidei, ut eam obnixè peterent, quàm exponere quid hoc factum adumbrabat. Deinde discipuli non de facti ratione rogabant, sed potentiam uerbi admirabantur. Et huic respondet.

## Amen dico uobis.

Iurat Christus in re seria, & necessaria.

Si habueritis fidem, & non hesitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet.

Quid hoc admiramini o discipuli mei, quod non est magnum, exarescere arborem? Fidei uis maiora potest. Fide habere non est opinari, non est leuiter credere, non est tantum historiae notitiam tenere: sed est certè apud te statuere & indubiè credere qd. fidere, te omnia & facere & accipere posse propter promissionem Dei. Et non hesitaueritis: id est, nihil discutiendum est an hoc factu facile sit, difficile aut impossibile apud Deum, sed fidendum omnia possibilia esse credenti. Iacobi. 1. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Fides cum hæsitacione non subsistit. Huius exemplum uiuū habes in Abrahamo, Roma. 4. qui contra spem in spem crediderit, &c. Et non infirmatus est in fide, &c. non hesitauit ad promissionem Dei. Sensus uerborum est, Certè admiratione dignum est quod cernitis. Sed si fidem constantem ac perfectam habueritis, non solum facietis quod uidistis accidisse ficulneæ, sed alia longè etiam maiora, & quæ humano iudicio difficiliora, imò impossibilia uidentur. Ita ut & montes solo uerbo & iussione positos de loco suo transferre in mare, ad eum nihil est tam humano iudicio magnum, difficile aut impossibile, quod non per fidem firmam & perfectam (ubi gloria Dei poposcerit) efficere poteritis in uirtute fidei, atque nominis mei. Diuus Hieronymus ait, Latrant contra nos Gentilium canes in suis uoluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt, afferentes Apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondebimus, multa facta esse signa à Domino iuxta Ioannis Euangelistæ testimonium, quæ si scripta essent mundus capere non posset. Igitur & hæc credimus fecisse Apostolos, sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi maior daretur occasio. Alioquin interrogemus eos utrum credant his signis quæ scripta narrantur, an non. Et cum incredulos uiderimus, consequenter probabimus, nec maioribus eos credituros fuisse, qui minoribus non crediderint. Hactenus ille. Tam impossibile erat Abrahamo centenario ex Sarra vxore nonagenaria (cuius muliebria defecerant) excipere filium, quàm transferre hunc montem hinc illuc, sed fide non hesitans Abraham ex Sarra sterili habuit filium. Ergo si transferre montem æquè necessarium fuisset atque excipere Isaacum ex sterili, motem haud dubiè trāstulisset. Ad hæc Dominus non simpliciter dixit, transferetis montes, sed, si dixeritis, &c. Quasi dicat, Si necessitas postulauerit. Ad hæc ubi ubi est mons, à Domino est positus. Ergo potentia & uerbo Domini poterit credens transferre necessitate postulante.

Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis. Obseruanda est, uniuersalis particula, quæ nihil excludit, modò adsit fiducia. Omnia quæ in oratione iuxta fidem & promissionem postulaueritis, accipietis, si ea uobis esse salutaria nouerit Deus, uel pro his alia quæ Deus uobis magis utilia esse cognouerit. Nam cum pro his oratis, quæ per se salutaria sunt, nihil dubium

Magna uis  
fidei uiuæ.

Quæ per se  
salutaria sunt  
absolutè petē  
da sunt: alia  
uerò uoluntati  
diuinæ sub-  
mittenda.



est, quin uobis ea Pater cœlestis concedat, qui uestræ salutis est plusquam uos ipsi amantior. Cùm uerò pro his oratis, quæ per se quidem salutaria non sunt, suadet fides & Spiritus sanctus, talem postulationem diuinæ uoluntati submittere: Pater, si ira uis, si sic est uoluntas tua, aut huiusmodi aliquid, quo fit ut quicquid dederit, sit quod postulaueris, nimirum, postulasti pro bona eius uoluntate. Vide eundem locum à nobis declaratum in Commentariis nostris in Ioan. cap. 15.

Et cùm uenisset in templum, accesserunt ad eum docentem,  
Principes sacerdotum & Seniores populi.

Iuxta regiam potestatem prius è templo expulerat euentes & uedentes, nunc iuxta officium sacerdotale, docet in templo, mixtim & regis & pontificis munia complens. Cæcitas Sacerdotum, Scribarum, Phariseorum ac Seniorum populi agreferebat lucem Christi extra ciuitatem. Verum in ipsa iam ciuitate, idque in templo resplendentem, & omnia occupantem, nullo pacto ferre potest. Miraculorum splendorem uidebant, cernebant populi feruorem ac studium erga Christum, sentiebant quandam auctoritatem docentis, & templum repurgantis, ex quibus omnibus nihil expectabant aliud, quam auctoritatis ac potestatis suæ contemptum, & pristinae gloriæ obscuracionem. Ex consilio itaque & de composito obuam ire statuunt, occasione calumniæ uenantes. Tres erant precipui hostes Christi, Sacerdotes, hoc est illi qui specie religionis: Scribæ, qui prudentia & sapientia mundi: & Seniores, qui auctoritate atque æstimatione pollebant.

Christi hostes capitales

Dicentes.

Maluissent quidem Dominum è uiuis sublatum, uerum præ uulgi metu non audebant illi uiolentas inferre manus. Et quoniam uicta nescit interea quiescere impietas, conuertuntur ad consuetas artes: quæstiones enim concinnant artificiosas, quibus captum teneant Dominum, quem (quum in templum ingressus doceret populum) non ferentes illic in suo regno regnare impunè, Primores Sacerdotum & quidam ex populi senioribus aduentum illum, & quæstionem proponunt. Obserua hoc factum esse tertio die postquam Dominus Hierosolyma cū pompa ingressus est, ut ex Marc. 11. cap. clarè liquet. Rursus aduerte. Principes sacerdotum sunt qui nomine religionis pollebant in populo: Seniores populi erant sapientes & potentes, quos nos uocamus Seniores, qui ciuilibus magistratus officio funguntur. Quibus nominibus intelligere potes, principes Christi aduersarios.

Impius uictus non quiescit.

Seniores populi

In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?

Hæc quæstio est de iure, quod respicit ad uocationem. Est & de potestate, quæ ad causas efficientes seu personas uocantes respicit. Et proinde hac quæstione Principes Sacerdotum & Seniores populi oblique insinuât se esse personas, quæ uocant, & dant potestatem docendi & interpretandi scripturam: nihil rogant de doctrina quod illa respectissima esset, & pro cœlesti apud populum haberetur: neque miraculorum splendorem culpant, quod ille omnino diuinam exprimeret uirtutem. Ideo his relictis, aliam struunt caluniam. Conspiciunt Iesum Christum, quantum ad seculum attinet, pusillum & contemptum, neque Principis neque Sacerdotis formam præferre, nec esse de tribu Leuitica, quæ diuina institutione ministris templi sola erat consecrata, tamen ista gerere magnifica, quæ si quis citra Senioreum auctoritatem gerat, meritò temerarius & seditiosus habeatur: atque hinc putant, se in utramque partem suas construere posse tendiculas. Veniunt igitur magno apparatus & potestatis ostentatione Principes sacerdotum & Seniores populi, ut ipse conspectus sublimium personarum potestatem supra populum habentium, calumniæ intentatæ patrocinareretur. Qua (inquiunt) auctoritate hæc facis? Et quis dedit tibi istam auctoritatem, eiiciendi uidelicet instrumenta religionis è templo, item docere.

Uersuta sacerdotum interrogatio.

di publicè in templo? Num ignoras, Christe, nos esse Principes sacerdotum? Nos esse pontifices? ut quibus obstrere non liceat? quorum sit censere, & non cenferi, de quibus non licet inferioribus iudicare? Cæterum arbitrantur responsum Dominum, ista se facere uel diuina, uel humana auctoritate. Atque hic suos parat laqueos hæc interrogatio utrinque paratos: ita ut uel blasphemus in Deum diceretur, si diceret se potestate Dei suffultum ista facere, quod homo cùm esset usurparet sibi diuinam auctoritatem, uel seditionis accusaretur, si propria se uti auctoritate responderet. In qua potestate facis hæc, uidelicet quod sine uocatione doceas in templo, quod euertas cathedras uedentium, quod nouo modo interpreteris legem, quod contemnas traditiones & ritus religionis nostræ. Obserua: uidetur hæc quæstio speciem quandam pietatis præ se ferre. Quod non solum coram Deo, sed etiam communi hominum sensu, ita habeat, & necessitas conseruandæ *orthodoxiæ*, bonæ ordinationis, hoc exigat, ut nemo quicquam publicè tentet ex propria potestate, ut qui hoc fecerit temerarius habeatur, & tanquam seditiosus coerceatur. In huius itaque temeritatis suspicionem ueniebat Christus coram oculis mundi & carnis, qui nullam præ se ferebat iuxta mundum magistratus dignitatem. Simplex enim & humilis ambulabat, & cum hominibus ceu minister & nouissimus uersabatur.

Respondens autem Iesus dixit eis.

Ad subdolum Seniorum populi quæstionem non respondet Christus planè & directè: non enim interrogabant simpliciter ut discerent, sed ut respondentem illaquearent: sed figuratè quæstionem quæstione contundens. Atque ita responsionem suam temperat, ut nihil ueritatis dissimulet subiceat uerè, interim illis omnem calumniandi ansam præripiens. Quæstionis Christi summa est, ut ab exemplo Ioannis (cuius uocatio, doctrina & officium è cælo sunt, & in prophetis satis fundata) probet, & suam uocationem, doctrinam & officium à Deo esse, & in prophetis passim expressa, nec se temerè agere etiam si in templo doceat, nouo modo interpreteretur legem, & discedat à traditiunculis Pharisaicis. Cur clauum clauo trudit, & quæstionem quæstioni opponit? ut astutos in astutia sua cõprehendat & cõfundat, artem pia arte eludens, & par pari piè referens, ut digni erant. Obserua hoc exemplo Christi nos admoneri, non esse à pietatis proposito alienum ut contra astutos, malignos & captiosos ueritatis hostes, cauti simus, non simpliciter ad omnia quod res est, respondentes: sed demum operam magis, responsionem ita temperare, ut primùm laqueos illorum rumpamus, & illorum captiones eludamus: deinde illos in ipsorum malitia comprehendamus, & confusioni exponamus.

Exemplo Christi non omni interroganti respondendum est.

Interrogabo uos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego dicam uobis in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis unde erat? è cælo, an ex hominibus?

Hanc sententiam habet quod Christus interrogat, Interrogabo uos & ego λόγόν ἓνα, uerbum, ænigma siue problema quoddam, quod ubi declaraueritis mihi, ostendam ex eo uobis qua auctoritate hoc faciam, hoc est uestra responsione ad uestram quæstionem uobis ipsis respondebitis. Quæstio Christi est de uocatione Ioannis, doctrina & officio. Vult quoque Christus hac sua quæstione ostendere, se non egere humana uocatione, quia propheta non ab hominibus, sed priuatim à Deo uocatur, unde & habet priuatas reuelationes. Quæstio est huiusmodi. Baptismus Ioannis unde erat? è cælo an ex hominibus? Quasi dicat Christus, Quod ego facio, uocatione, auctoritate & potestate diuina facio. Et si requiritis testimonium, probo illud testimonio Ioannis Baptistæ qui de me testificatus est, quod sim ille à Deo missus, de quo propheta uaticinati sunt. Intelligit autem per baptismum Ioannis totam Ioannis functionem ac etiam doctrinam. Nam mox sequitur, Sacerdotes ex uerbis Domini



ni collegisse, Si dixerimus è cœlo, dicit nobis, quare ergo non credidistis illi? Cre-  
dendum igitur doctrinæ Ioannis. Docuit autem Ioannes Iesum esse filium Dei,  
& patrem ipsi omnem dedisse potestatem, Ioan. 1. & 3. nihil tamē peccaueris si per  
baptismum intelligas, ipsum baptismū pœnitentię quo baptisabat Ioānes in Chri-  
stum qui uenturus erat. Sicut dicit Paulus Act. 19. Quod si baptismus Ioannis fuit  
è cœlo, cōsequens est & Iesum esse filium Dei, & ea quæ faciebat, diuina facere po-  
testate. Alioqui enim non baptisamur in homines puros, sed in eum qui uerus si-  
mul Deus & homo est. Summa quæstionis Christi (quæ dilemma est) utrinque  
concludens aduersarios, est ut ducat Principes sacerdotum & Seniores populi ad  
prophetas, ut uicti in conscientis respondeant sibiipsis. Nam propheta passim  
de doctrina & officiis Christi scribunt, & quod illi scribunt, hoc Christus facit. Ob-  
serua: non dixit Christus, Opera quæ ego facio, an è cœlo sunt, uel ex hominibus?  
quod facere potuisset: sed maluit istorum hominum similitudinem ubique sibi similes,  
in alio quàm in se declarare, quod fecit in Ioanne Baptista, in quo nihil potuerunt  
culpare. Rursus obserua è cœlo esse cū sit sermo de rebus spiritualibus, non est in  
aëris regione, ut nix & pluuia, generari, & ad terram descendere: sed est, ex man-  
dato Dei & autoritate diuina institutum esse ac fieri: ut baptismus Ioannis è cœlo  
erat, non quod aqua è cœlo delapsa, & Ioanni in manus tradita fuerit, sed quod Io-  
annes susceperat munus docendi & baptisandi autoritate diuina, & exercebat illud  
ex mandato Dei. Ex hominibus esse, est originem suam ducere, non ex mandato  
Dei, sed à prudentia carnis, & ex arbitrio hominis absque uerbo Dei. Sic seditio  
Theudę de qua fit mentio in actis Apostolicis, erat ex hominibus, licet Theudas ia-  
ctaret se diuinitus missum ut liberaret Iudæos à tyrannide Romana: sed citra uer-  
bum hoc faciebat, & ex prauo affectu.

At illi cogitabant inter se dicentes, Si dixerimus, è cœlo, dicit  
nobis, quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex  
hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebat Ioan-  
nem sicut Prophetam.

Hoc est diuinæ prudentiæ administratio, ut qui iustis insidiantur, in suis ipso-  
rum insidiis rapiantur. Lacū (inquit) aperuit & effodit eū, & incidit in foueā quam  
fecit. Et rursus, In laqueo isto quē absconderunt, cōprehensus est pes eorum. Tria  
continebat pericula quæstio Christi, in quorū unū illos incidere necesse erat, nisi  
per impudentiā prorsus nihil respondere uoluissent. Nā respondendum erat, aut è  
cœlo, aut ex hominibus, aut nescimus. Si dixissent è cœlo, periculum erat reprehē-  
sionis, cur illi nō crediderint. Si uerò ex hominibus, periculū erat à populo: nam  
omnes Ioannem habebant pro propheta. Ideoque baptismū illius susceperant. Re-  
liquū ergo erat, ut dicerēt, Nos nescimus: quod certè nō erat sine turpitudinis nota.  
Obserua: in hac impia astutia, aut si mauius astuta impietate, nullū reperis Dei timo-  
rē. Nam nō dicunt, Si dixerimus è cœlo, mētiemur: aut, si dixerimus ex homini-  
bus, mentiemur, & peccabimus contra Deum: sed solūm cauent opinioni & uitæ  
suæ. Opinioni cū dicunt, Si dixerimus è cœlo, dicit nobis, quare ergo non cre-  
didistis ei? Ecce agnoscunt impij isti reprehensione dignum esse, si quis credat do-  
ctrinam esse ex Deo, illamque tamen non apprehendat & sequatur. Nam non sa-  
tis est scire, ex Deo aliquid esse, nisi illi & obtemperetur. Cauent suā uitā, cū  
dicunt, Si dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Hęc duo uitia cognata sunt  
impietati, nempe studium inanis gloriæ, & metus non Dei, sed mortalium. Va-  
no igitur timore deterriti, non responderunt quod in animo conceperant: ita me-  
ticolosa res est impietas. Obserua: in has angustias meritō incidunt qui contra cō-  
scientias insidiantur ueritati. His angustias subinde agitantur aduersarij Euan-  
gelij, quoties uicti in conscientis de ueritate, à neutra parte sibi mederi possunt.

RE spirituale  
è cœlo esse,  
est eam ex  
autoritate di-  
uina insti-  
tutam esse.

Impius Deū  
non timet.

Et respondentes Iesu dixerunt, Nescimus.

Vide carnalium reprobos affectus, & impium timorem, quorum responsio est  
apertè contumaciæ & pertinaciæ uerbum. Eorum scopus est, non Dei, sed pro-  
prium gloriam undelibet querere, idque modis omnibus uitare, ne inglorij red-  
dantur: & timere, ne confundantur: sed impio accidit quod timet, & incidit in fo-  
ueam quam fecit. Horum aperta est hoc responso pertinacia. Ecce pertinaciam ex  
uictis ipsa ueritate conscientis, quæ se nescire dicunt quod certò sciunt.

Insidias iustis  
paratas, in ca-  
put impiorū  
redundat.

Ait illis & ipse, Nec ego dico uobis in qua potestate ego facio.

Quasi dicat Christus, Et si dicerem uobis non crederetis mihi, qui nec Ioanni  
nec aliis prophetis creditis, de quorum uocatione, doctrina & officio certi estis. Sa-  
tis erat sua interrogatione significasse se testimonio Ioannis probare, quod quæ fa-  
ciat, diuina autoritate faciat. Id quod etiam Pontifices & Seniores probè intelle-  
xerunt, qui cogitant, Si dixerimus è cœlo, dicit nobis, Quare ergo non credidistis  
illi de me testimonium ferenti? Meritō igitur, sed prudenter, à Christo repelluntur,  
ut qui propter impietatem indigniores erant, quàm quibus longiori disputatione  
rem manifestam comprobaret. Quid enim manifestius erat in Iudaico populo  
quàm Ioannem esse prophetam & uirum sanctum, aded ut nihil in eo reprehē-  
sione dignum offenderetur? Quid & manifestius erat, quàm Iudæos, obtulisse qui-  
dem Ioanni honorem Mesiæ, ipsum autem constanter à se reiecisse? Et huic Iesu  
filio Mariæ Domino nostro maiestatem Mesiæ testimonio suo tribuisse? Quare  
& si Iesus Christus nullis fuisset miraculis illustris, tamen cū tanti uiri testimo-  
nium haberet, debuisset à Pontificibus & Senioribus pro uero Mesiæ agnosci.

Quid autem uobis uideretur?

Postquam impiorum laqueos intentatos euasit, & sua interrogatione de Ioanne  
proposita, certos fecit Sacerdotes, Scribas & Seniores, quod ex uocatione Dei om-  
nia agat quæ agit, habeat doctrinam de cœlo, & exerceat officium cœlitus acceptū.  
Nunc proponit Iesus alia sub ænigmatē, ut imprudentes contra se ferrent senten-  
tiam. Proponit enim parabola, qua illos ceu κατ' ἐπαγωγὴν, hoc est, per inductio-  
nem eò pertrahit, ut suo se iudicio damnent, uerūque confiteantur, & qui prius  
dixerant nescimus, nunc contra animi sui sententiam & institutum, uerè tamen,  
tantum dicunt quantum si dixissent, non ignoramus baptismū Ioannis esse è cœ-  
lo, uerū id non credimus. Simul obiurgat grauius ipsorum impœnitentem au-  
daciā, perfidiam, & incurabilem impietatem. Proinde tota sequens parabola  
ostendit eos uictos de ueritate, declaratque causas propter quas abiecti sint Iudæi,  
& propter quas receptæ fuerint Gentes. Quia illi non fecerunt uoluntatem Dei  
patris in recipiendo Christo: hæ fecerunt, & Christum receperunt. Illi operari in  
uinea noluerunt, quanquam sese laboraturos promiserant: hæ operatæ sunt, quan-  
quam non promiserant. Illi increduli fuerūt, hæ creduli. Prior filius Gentes signi-  
ficat, alienas à testamentis Dei, spem non habentes, Deoque in mundo carentes, ad  
Ephes. 2. Posterior filius Iudæos significat, qui fingunt se populum Dei esse, inte-  
rim non credunt promissionibus Dei de Christo. Quid uobis uideretur? Quasi di-  
cat, Volo uobis quales uos sitis, & quid de uobis agatur, aptis parabolarum compa-  
rationibus ostendere. Vestrum ipsorum requiro iudicium, uosipsum super eo quod  
proponam proferte iudicium.

Causæ ob  
quas Gētilis  
in Iudæorū  
locum emi-  
nentissimū  
subrogati.

Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum di-  
xit, Fili, uade hodie operari in uineam meam. Ille autem  
respondens ait, Nolo. Postea pœnitentia motus, abiit.

Homo, Deus est: duo filij, Iudaicus & gentilis populus, uterque adoptiuus, ad  
I i iij



quorum priorem accedens, dixit illi, Vade fili, & operare in uinea mea. Vox fili uocatio est Gentium, operare in uinea mea, id est sis membrum Ecclesiae meae. Accusatiuus, in uineam meam, ad primum imperatum referatur. Graecis tamen legitur ἐν τῷ ἀμπελῶνί μου, id est in uinea mea. Ille autem dure & inobedienter respondens patri dixit, Nolo, id est, non uadam ad opus tuum in uineam. Exprimit hoc uerbum adfectus Gentium erga Deum ante conuersionem. Post tamen prolatum inobedientiae uerbum ad cor rediens, & seipsum arguens pro culpa in patrem commissa, poenituit ipsum dicti, & morem gerens patri, abiit in uineam operaturus iuxta patris praescriptum. Hoc est, ex gratia uocatae Gentes seruo conuersa fuerunt. Abiit id est fecit uoluntatem Dei, & Christum in recepit.

Gentilis populus poenitentia tactus, se totum Deo consecrauit.

Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait, Eo Domine: & non iuit.

Accessit ad alterum, id est ad populum Iudaicum, qui simulat se facere opera legis, quae tamen non facit, interim incredulus erga promissiones Dei de Christo ait huic posteriori, Fili uade ad opus hodie in uineam meam, hoc est audi legem tibi datam, & prophetas ad te missos. Ille uerbis blandis spondet obedientiam, dicens: Libenter, pater, tuis iussis parebo: non exhibet tamen opere quod uerbo promittit. Obserua in uerbo, Eo Domine, quidam codices Graeci habent ἐγὼ κύναι, ego Domine, qui sermo est, sese praestitum ac proptum offerentis ad quiduis. Ita puer Samuel cum se uocatum crederet ab Heli. 1. Reg. 3. dicebat, Ecce ego. Pro quo Latini dicunt, Ecce hic, aut praestitum sum. Alij autem ἰπὸς κύναι, uado Domine.

Quis ex duobus fecit uoluntatem patris?

His in medium adductis atque propositis, Christus iam quaestionem adiungit qua uerum extorqueat dicens, Ex his duobus filiis, quis oro uidetur uobis exequutus esse mandatum patris? Ille ne qui absolute negauit patri, attamen poenitentia ductus amplissime praestitit quod postulauerat pater? an is qui splendide & multa promisit, & nihil quidem praestitit?

Dicunt ei, Primus.

Quemadmodum Dauid parabola prophetae Nathan. 2. Reg. 12. illectus ignorauit, quod contra seipsum proferret sententiam: ita Sacerdotes quoque & seniores populi nesciebant parabolam contra ipsorum capita fore detorquendam, ingenuaque contra seipsum ferentes iudicium respondent, Prior ille qui mox respiciens abiit in uineam. Hoc responso seipsum damnant Iudaei, & sibi ipsis constituunt iudicium.

Doctores legis suo se iudicio danant.

Dicit illis Iesus, Amen dico uobis, quia publicani & meretrices praecedent uos in regno Dei.

Christus parabolam accommodat, & non sine iurisdictionis religione in re uera & seria retorquet sententiam in ipsorum capita. Amen dico uobis, pro certo habetote quia lubricae meretrices, & iniusti publicani, qui Ioanne praedicante egerunt poenitentiam, & conuersi sunt a peccatis suis, preferuntur uobis in regno Dei, quoniam illi rebelles Deo impia uita, tamen ilico tacti poenitentia obtemperauerunt Evangelicae doctrinae. Vos qui titulo ac professione estis populus Dei, qui quae & olim dixistis, & hodie dicitis, Omnia quaecumque dixerit Dominus faciemus, qui quae semper habetis in ore praeccepta Dei, & templum Domini, templum Domini, templum Domini, tot modis prouocati non potestis ad poenitentiam permoueri. Summa huius accommodationis est, Gentes peccatores conuerti, Iudaeos suo iudicio iustos, contemptores interim promissionum de Christo, damnari atque reici. Huius reiectionis causa diligenter obseruanda est, ipsa scilicet incredulitas, quam urgebit Christus, & in sequentibus una cum incredulitatis effectibus, qui sunt odisse, per-

Incredulitas causa reiectionis Iudaeorum a Deo

sequi & occidere uerbi praedicatores, additis simul poenis, cum temporalibus, ut infra cap. 24. tum aeternis, ut infra. 25. cap. Praecedent, id est citius uenient ad cognitionem Euangelij, quam uos impoenitentes & superbia turgidi. Ibi obserua uerbum praecedent improprie accipiendum, ut non ducat ordinem ad subsequentes. Nam Pharisei impoenitentes non erant posteriore loco constituendi in regno caelorum, in quod non erant introituri. Ideo autem dicuntur praecedere, quoniam illi ad regnum eligentur, his ab eo exclusis.

Venit enim ad uos Ioannes in uia iustitiae, & non credidistis ei.

Durissimum erat Phariseis, imò grauius sustinuerunt se conferri cum peccatoribus, quando sese crediderunt uix conferendos cum sanctis, utpote mortalium innocentissimos. At Dominus peccatores illis longè praetulit. Aetiologiam per hanc sententiam, Venit enim, &c. apponit a causis diuersis sumptam, quarum aliae ducunt ad regnum, aliae ab illo impediunt. Priores causae sunt amplecti Euangelium, credere illi, & iustitiam gratuitam recipere, &c. Posteriores causae sunt prioribus contrariae. Ioannes uenit ad uos in uia iustitiae, perinde est ac si dixisset, Ioannes uenit & uersus est uobiscum docens & uiuens iuste, docens ueram iustitiam, & tollens sua praedicatione omnia obstacula iustitiae uerae: inculcata erat eius uita similiter & doctrina, uixit irreprehensibilis. Et non credidistis ei, uidelicet doctrinae & testimoniis eius de me prolatis: alioqui enim agnosceretis me pro Dei filio, Messia, rege, sacerdote & saluatore uestro uero. Tale enim me esse Ioannes testificatus est.

Publicani autem & meretrices crediderunt ei.

Ioanni respicientiam praedicanti Publicani & meretrices relicta uita impia obtemperauerunt. Hi similes sunt priori filio, qui prius quidem fuerat inobediens, postea morem gessit & operatus est in uinea, propter quod iuxta Seniorum responsionem, istos scilicet Publicanos qui Ioanni crediderunt, habet ut filios. Obserua hic multò facilius esse deploratissimos peccatores ad meliora reuocare, quam uel permouere quidem ad respicientiam eos, qui cum sint impij, specie tamen pietatis sese uenditant pro cultoribus Dei.

Meretrices Ioanni ad uiam respicientiae cohortanti crediderunt.

Vos autem uidentes, nec poenitentiam habuistis postea ut crederetis ei.

Hac mirum in modum Seniorum populi & Antistitum incredulitatem aggrauant, nempe quod nihil sint permoti tot poenitentium exemplis. Vidistis, uidistis inquam istis uestris oculis, quot peccatores & deplorati homines sese per fiduciam in me a peccatis conuerterunt ad iustitiam. Exempla itaque poenitentiae neque pauca neque leuia, sed innumera & grauisima habuistis, quae uel lapidem commouere potuissent. Sed uos nec singulari Ioannis sanctimonia, nec illius salubri doctrina, nec minis, (cum iram diuinam imminere, & securim ad motam arboris radicibus, nisi statim respiceretis praedicaret) nec exemplo Publicanorum ac meretricum respicientium prouocari potuistis ad poenitentiam uel hodie. Nam nondum creditis Ioannis Baptistae testimoniis, quae unde profecta aut exorta sunt dicitis uos nescire, cum re uera sciatis, credere autem his nolitis. Hac omnia auxesim habent in honore istorum omnium profecto turpissima & ignominiosissima. Quid quae turpius uiris religiosis, & altari seruiantibus, nisi meliores sint laicis, & laicos in uia iustitiae non praecedant, quod tamen ex professione debet. Deinde quid inhonestius est, si a laicis superentur studio respicientiae, ac postponantur publicanis & scortis? tandem turpissimum est & signum deploratissimae malitiae, impudentiae & impoenitentiae, si non solum non praueant laicos, nec solum a laicis praueantur, sed nec subsequantur etiam. Et hoc est quod Senioribus & Sacerdotibus exprobrat. Vos cum uidissetis multos ab impietate ad pietatem & fiduciam in me reuocari, nihil commoti estis: iure ergo fit ut fide praeripiant uobis regnum Dei, uos

Sacerdotes debent laicis anteire uirtute.

Bonorum exemplo ad bene agendum incitari debent.



frustra Deum ore profitentes, ob incredulitatem animi uestri excludamini. Obserua: videre per deflectionem ponitur pro intelligere. Quasi dicat Christus, vos uicti in conscientia praedicatione Ioannis, tamen nolulistis illi credere. Obserua, uox, postea, hoc loco, Nec poenitentiam habuistis: postea, magnam habet emphasim, & causam Pharisaeorum ostendit deteriorem, quod etiam Publicanorum & Meretricum poenitentium exempla praenuntiant, nihil moti fuerint.

### Aliam parabolam audite.

Cum ter miseri isti Seniores & Principes sacerdotum, neque uehementi adhortatione Christi ad poenitentiam, neque exemplis fidelium commouerentur, ut ut conuicti essent in conscientia suis, sed pergerent constanter in perfidia sua, Dominus etiam adducit parabolam qua significat iudicium Dei aduersus illos, urbis item excidium & Gentis Iudaicae abiectionem siue repudium, docens interim haec omnia mala ipsis nulla Dei morositate, sed sua ipsorum culpa & propter enormia peccata obuentura. Ideo enim declarat magna Dei in illos beneficia, addit & quam ingrati fuerint erga Deum. Sed omnia tam prudenti consilio condit, ut uel reluctantes adigat ore proprio confiteri iustissimo Dei iudicio se & uastari & repudiari. Quamquam sub finem parabolae aperte & sine ulla orationis figura pronuntiet (unde huius parabolae cum superiore ostenditur unus esse sensus) Iudaeos incredulos & ingratos erga Euangelium reiciit atque damnari: Gentes uero, ut peccatores, credentes Euangelio, recipi atque conseruari. Proinde quod in praecedentibus ad solum Ioannem retulit, nunc partitur in omnes prophetas, quorum non fuit alius usus, nisi ut de Christo & iustitia per Christum testifica restituerent. Hanc parabolam transumpfit Christus ex Esa. cap. 5. Nec solus Esaias huius uinae meminit, uerum etiam Moses Deuter. 32. Hieremias. 2. & Dauid psal. 79.

### Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam.

Homo qui plantauit uineam Dominus noster est, qui summa prudentia & labore instituit uineam suam. Quae uinea est populus eius, specialiter autem domus Israel. Esa. 5. Uinea Domini exercituum, domus Israel est. In hac uinea, singuli palmites, uel germina singula, sunt singuli de populo, cultores Domini: id quod Esaias loco adducto ait, Et uiri Iuda germen, germen delectabile eius. Hanc uineam plantauit Deus per specialem electionem patriarcharum & patrum, a quibus Synagoga duxit originem.

### Et sepe circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificauit turrim.

Hae est periphrasis paratae uinae, in qua nihil potuit desiderari. Esaia. 5. Quid ultra debui facere tibi, o uinea mea, & non feci? Hae quibus perfecte instructa est uinea, sunt lex Moyfi, & promissiones de Christo, quibus constituta est Respublica Israelis, ut Israelitae tam ciuilitate tuti, tranquilli & honesti uiuerent, quam spiritaliter in morte ad uitam aeternam conseruarentur. Nam quod ad externam rerum publicarum conseruationem attinet, honestae leges, multo plus muniunt & conseruant respublicas, quam externi illi muri & turres. Sunt quidem & muri & turres edificandae si commodè fieri potest, sed leges multo magis tuendae & conseruandae sunt. Extant in sacris & aliis historiis uaria exempla, quod Israelitae & aliae Gentes tunc etiam sine muris conseruatae sunt, cum ordinarias leges suas conseruarent: tunc autem periisse etiam intra muros, cum neglectis legibus, muros tantum & fossas curarunt. Quare Magistratus tunc uere dicitur Rempub. tueri, non quum muros aedificat, sed cum leges tueretur & conseruat. Quod autem ad conseruationem pietatis attinet, murus aeneus est uerbum Domini, quo non solum erudimur, ad sectandam uocationem Dei in externis operibus, sed etiam munitur aduersus Satanam, mortem & infernum. Recipiamus igitur nos in hoc propugnaculum ut tuti in omnibus aduersis, & ad omnia hostium nostrorum incur-

Vinea Domini populus Iudaicus.

Sepes uinae Domini lex Moyfi.

Excidium Hierosolymitanum ob enormia Iudaeorum peccata obuenit.

frones constemus. Circumdedit igitur sepe, id est, suo circumsepsit auxilio & sua defensione. Nam legimus Esai. 5. Dominum dixisse, Auferam sepe eius, ut sit in conculcationem: interrupam maceriam eius, ut sit in uastationem. Torcular significat abundantiam omnium rerum, uel ipsum uerbi Dei ministerium, ac legum exercitium, adeoque totam disciplinam pietatis, per quam ueluti exprimitur suauissimus succus iustitiae & innocentiae. Turris uigiles habet atque propugnatores Episcopos & sanctos Magistratus, qui Ecclesiae Dei propugnaculi uice ordinati sunt.

### Et locauit eam agricolis.

Cum Dominus plantasset, ac muniisset uineam suam legibus & sacris tanquam muris & turribus: hanc non sudore pauperum, sed suo ipsius sumptu & labore ita paratam & munitam, ut nec ferae syluestres depopulari eam queant, & fertilitate sua non solum ad dandos annuos redditus, sed etiam ad uictum colonorum sufficiat, locauit, id est commendauit regendam & colendam agricolis, id est, Principibus, Regibus & Sacerdotibus, & sic totus populus Iudaicus quibus uineam praeter ceteris locauit, dum eos sibi populum elegit, & cloquia sua illis commisit. Oportuit enim aliquem populum a Deo eligi, cui primum illa crederet. His Deus non dat, sed locat uineam, quoniam praepositos populi sui non uult dominari, sed operari in eo, ipse sibi soli referuans uinae dominium. Locat tamen agricolis uineam, quia praepositis fideliter in populo suo laborantibus, mercedem promittit. Sub conditione locatur, nepe ut sub autumno Patrifamilias fructum per suos ministros poscenti tribuant. Qui autem sint illi fructus quos cupit a nobis afferri Dominus, exposuit Esaias cap. 5. Iudicium, iustitia, aequitas, fides, modestia, temperantia, misericordia & similes uirtutes. Et quemadmodum is qui conducit uineam, aliquid ipsi locanti tribuit, & interea omnem uinae fructum colligit: Sic Deo ex uinae suae fructibus reddere oportuit quod suum est, nempe gloriam, honorem atque uirtutem, quae sibi soli debentur. At fructus operum uiuae fidei tum in sinum nostrum conuertentur, cum Deo primum quod suum est reddiderimus.

### Et peregre profectus est.

Periphrasis temporis, in quo expectauit Deus pater, ut faceret uinea uuas, Esa. 5. Hoc dictum est ad imitationem, & iuxta mores hominum: qui postquam possessiones suas colonis elocarunt, abeunt. Alioqui enim nusquam abest Dominus, operans omnia in omnibus. Diuus Hieronymus ideo abiisse putat, ut uinitoribus liberum operandi arbitrium relinqueret: per liberum utique, non coactum intelligens.

### Cum autem tempus fructuum appropinquaasset.

Accommodatur parabola nostro captui. Videtur tempus fructuum uocare totum illud tempus, in quo quisque debuit fide & charitate suscepisse Messiam promissum. Aut hoc tempus est, quoties Deo gloria est reddenda. Illi autem gloriam reddimus, cum ipsum iustum, sanctum, bonum, perfectum & summum, nos uero peccatores agnoscamus & pronuntiamus.

### Misit seruos suos ad agricolas ut acciperent fructus eius.

Paterfamilias emisit seruos suos exactores, id est uerbi ministros, petium inquam fructus: sicut inter ipsum & colonos conuenerat. At solent exactores parum grati esse debitoribus. Nam exactorum officium est, fideles esse Domino a quo missi sunt, indefesseque postulare, ac urgere ut ut tergiuersentur debitores. At haec ministrorum diligens fides, constansque pertinacia debitoribus malignis ingratis est. Hi serui Prophetae sunt, quos misit Dominus, ut de fructu uinae sibi redderent quod suum erat, id est, ut se peccatores agnoscentes, darent gloriam Deo. Fructum uocat fidem in Christum, quam docuerunt prophetae & propter quam docendam fuerunt missi. Habacuc. 2. Si motam fecerit, expecta illum, quia ue-

Torcular in uinea.

Turris.

Agricolae Principes & sacerdotes.

Fructus uinae Domini iudicium, iustitia, & similia.

Abitio Dei a uinea liberum operandi arbitrium designat.

In omni tempore sunt producendi noui fructus.

Prophetae missi ad recipiendum fructum uinae.



niens ueniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua uiuet. Malachia ultimo de propheta Ioanne, Ecce ego mittam uobis Eliam, &c. & conuertet corda patrum in filios, &c. hoc est docebit, filios ut exemplo patrum credant in Christum promissum Messiam. Proinde respōsabit quispiam, Quomodo cōuenit quod emiserit qui debita exigent, cūm alibi dicat, Mutuum date nihil inde sperātes. Et iterum, Ab eo qui aufert tua, ne reposcas. Si non licet reposcere ea quæ per uolentiam nobis ablata sunt, quomodo licebit ea reposcere quæ nos nostra sponte alteri dedimus? Respondeo, Cūm Christus ait, Mutuum date, nihil inde sperantes: docet quid pauperibus in necessitatibus ipsorum debeamus, & cūm mutuo damus nihil ui mutui accipiamus: Non prohibet debita iuxta ciuiles leges exigere ab his, qui sunt soluendo. Quod autem dicit, ab eo qui aufert tua, ne reposcas: prohibet ne malum malo rependamus, ac potius ne nostra quidem reposcamus, quàm ut ea illegitimè & iniuste recuperemus. Nam qui sua legitimo iure, hoc est, diuina ordinatione, uel debita repetit uel ablata recuperat, is quantum ad hoc quidem legitimum opus attinet, non peccat.

Lege ciuili potes exigere debitū, & reposcere ab latum.

#### Et agricolæ apprehensis seruis eius.

En ingratiudo Israël & maximè Principum Sacerdotum, Scribarum, Phariseorum & Seniorum populi, quibus populus docendus & regendus, commissus erat erga prophetas doctores fidei in Christum. Hi agricolæ non solum non derunt fructus debitos, uerum etiam seruis iniecerunt manus.

#### Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt.

Ingratitudo seniorū populi Israelitici.

Distributio cruciatuum, quibus ingratiudo Israël affecit prophetas, & doctores fidei in Christum. Primūm emisit Moysen & Aaron, qui proposita lege & institutione sacris in Israël, hoc maximè omnium egerunt, ut Israëlita capesserent uocationem Dei & seruarentur. Sed hi à suo ipsorum populo, quem liberauerant è grauisissima tyrannide Aegypti: tanta contumelia affecti sunt, ut audierint seductores & impostores, ac parum abfuerit, quin lapidibus obruti essent. Deinde emisit Dominus alios prophetas Eliam, Elizæum, & post hos, Oseam, Amos, Esaiam, Micheam, Hieremiam & reliquos. Sed nec his pepercerunt coloni, tantum abest ut ex concionibus ipsorum respicerent.

#### Iterum misit alios seruos plures prioribus. Et fecerunt illis similiter.

Deus sua patientia & longanimitate peccatores expectat ad poenitentiam.

Videamus hinc immensam Dei clementiam erga Israëlitas, qui & si pessimè tractarint nuntios Dei, non tamen alienato animo Deus abiicit ipsos ab hereditate sua. Sed mittit alios atque alios, si fortè uineam ipsam in ordinem possit redigere & perfidos colonos ad fidem conuertere. Verum hi posteriores non mitius tractantur prioribus, adeò ut sanguine prophetarum repletur Hierusalem usque ad os, quæ ad modum de Manasse legitur: ut meritò ipsis exprobrauerit Dominus, Quæ prophetarum non occiderunt patres uestri: & rursus, Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te misi sunt. Et quod semel misisse satis non fuit Domino uineæ, sed crebrius misit, illud significat quod Dominus illis postea exprobrauit, Quoties uolui congregare filios tuos, quomodo congregat gallina pullos suos sub alas, & noluit.

Novissimè autem misit ad eos filium suum dicens, Verebuntur forsitan filium meum. Agricolaë autem uidentes filium, dixerunt intra se, Hic est hæres, uenite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt

#### runt extra uineam, & occiderunt.

Cupiens Dominus (tanta est eius philāthropia) post tot illustrium & optimorum hominum cædem, parricidis & latronum filiis adhuc benefacere, & ad salutem pellicere, quos iam olim si districto iure agere uoluisset, nouo exemplo extinguere potuisset. Sed unicuique adhuc habens filium, & hinc in quo sibi complacitum est, post plurimos diuersis uicibus missos seruos, & hos ab illis interfectos, nouissimè filium mittit: quoniam postquam multipharie multisque modis loquutus fuisset Deus patribus in prophetis, nouissimè omnium locutus est nobis in filio suo, & quando uenit plenitudo temporis, ac fines seculorum aduenerant, misit Deus filium suum in mundum. Ad uineam autè istam, & eius agricolas, missus est filius, dicens, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Sed in quæ finem obsecro? Hactenus (inquit) non sunt commoti auctoritate prophetarum, nunc reuerbuntur haud dubie filium meum: ubi uidelicet uiderint in eo diuinam potestatem ac maiestatem, miraculorum splendore & amplitudinè, ubi item audierint cœlestè eius, puram ac omni parte inculpatam doctrinam. His nimirum commouebuntur, dura alioqui pectora, ut cōuersi expetunt Deo fructum benignè reddant. Sed quid actum est, & quomodo delicias patris sanctissimum Dei filium exceperunt? hic (inquiunt) hic est hæres, occidamus eum, ut nostra sit hereditas. hæc mimis est deliberrantium de perdenda ueritate, qua obliquè notat Iudæos non ignorasse hereditatem esse Christum. Et quæ est illa hereditas? promissa erat per Christum remissio peccatorum & uita aeterna: hæc est hereditas cœlestis, quæ superat omnia regna & imperia huius seculi: quam Pontifices & Pharisei contemnentes, aiunt, Hic est hæres: quasi dicerent, hic sibi hereditario iure uineam uendicat, faciens se regem populi Dei. Arrogat sibi diuinam maiestatem, æqualem se faciens patri. Adeste ergo & occidamus hominem blasphemum, quo nobis porro liceat tuto possidere eius hereditatem: quæ est potestas rerum omnium, populus Domini, ipsa urbs sancta, sacerdotij dignitas, & imperium in sanctos. Quare ut retineamus sacerdotij dignitatem, & imperium in populum, occidamus eum, ne fortè Romani audientes ad nos uenisse Regem ac Saluatorem, infestis armis adsint, ac urbem uastet, populūque captiuum ducant, nobis ante omnia à sacerdotij dignitate amotis, & exciso atque exusto templo. Itaque apprehensum filium eiiciunt è uinea & occidunt, quoniam extra portam passus est Dominus morte turpissima condemnatus. Captum enim Dominum Iesum & pro blasphemo excommunicatōque damnatum, Pilato præfidi Romano tradunt crucifigendum. Quod maximè Primorum culpa factum, qui & imperitam ac stolidam plebeculam induxerunt ut postularèt Christum crucifigi, Barabam uerò dimitti. Obserua ut nostra sit hereditas, id est ut penes nos sit autoritas interpretandi legem, & dominandi in populū. Et ut lubet, ideo (horum sermonè prædixit Sapiens) circūueniamus (aiunt) iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropertat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Et post pauca, Gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones eius ueri sint: ac deinceps, Morte turpissima condēnemus eum. Ex his collige quomodo præpositi Synagogæ cogitauerunt occidere Christum, quia non dominari illos permittebat in populo, eorum ambitionem, auaritiam & cupiditatem redarguebat, & falsas ipsorum doctrinas ambitiosasque fictiones traducebat & patefaciebat coram populo, ne seduceretur ab eis, & in omnibus erat (ut dicebant) contrarius operibus ipsorum. Quare è medio sustulerunt ipsum, ut ipsi pro uotis, & animi cupidine dominarentur in populo, & docerent ac interpretarentur legem ad suum quæstum & ambitionem.

Dominus uineæ inaudita facinora tolerat ut impios ad respiciendam prouocet.

Iudæi cognouerunt Christum esse heredem.

Auaritia ad omnem miseriam sui cupidum detru dit.

Veritas odiū parit.

Cum ergo uenerit Dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Quæstio est de iure. Quasi dicat Christus, Hactenus Domini uineæ longanimitas

KKk



tatem audistis tam magnam, tam diuturnam: audistis nefandam & in dies crescentem agricolarum impietatem. Nunc uestrum interrogo iudiciū: ipsi proferte sententiam. Cū Dominus uinea post casos & occisos seruos, post etiam filium crudeliter interfectum, ipse ad ulciscendum consummatum agricolarum istorū scelus, aduenerit, quid faciet illis? quam exercebit (ut putatis) in illos ultionem?

**Aiunt illi, Malos malè perdet, & uineam suam aliis locabit agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.**

Suo gladio iugulantur Iudæi.

Gentiliū uocatio ad colendam Ecclesiæ uineā.

Iudæi exheredati bonis cœlestibus.

Vinea infu-ctuosā nō est succidenda, sed cultores pigri puniendi.

Conuicti in conscientiis Principes Sacerdotum & Seniores respondent, ad eō ut non habeant opus condemnatore Christo, cū se ipsos aperta iuris confessione damnent. Dominus uinea ueniet & perdet colonos istos Iudæos, ab illis auferēdo regnum Dei, id est repellendo eos, ne sint populus eius & priuando spiritu ac uerbo suo. Et uineam suam, id est, idem regnum aliis, nempe Gentibus, dabit faciēdo eos populū suum, & eis ueritatē suam reuelādo. Sicut apertè docetur, Osee. 2. cap. Et dicam nō populo meo, Populus meus es tu: & ipse dicet, Deus meus es tu. Hoc uaticinium de abiectiōe & interuisione Iudæorum, ac electiōe Gentium. Quod postea, re ipsa impletum est. Nam posteaquam Christus ascendit in cœlum, Iudæi à Romanis ita deuastati sunt, ut non politiam tantū & terram suam amiserint, uerum etiam ex hereditate cœlestium bonorū propter impietatem exclusi sint. Gentes autē incircuncis electę, ut essent populus Dei, ac fruerētur beneficiis patris per Christum, & per Euangeliū in toto orbe terrarum sparsum reuelatis. Huic respōso, Malos malè perdet, &c. inest simul accommodatio parabolę, cuius summa est, Iudęos incredulos & ingratos erga Christum promissum iusto Dei iudicio reiici, nec sibi fieri iniuriam, & si uocentur Gentes. Obserua malos quidem pro suis sceleribus perdet mala morte & crudeli supplicio. Sed non perdet uineam neque succidet, sed tradet aliis agricolis profectō melioribus, à quibus, suis temporibus, id est non tumultuariē, non immaturos recipiet fructus. Psal. 1. Et erit tanquam lignum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Videntur apud Lucam, 20. cap. simul atque contra se pronuntiarunt sententiam hanc, Malos malè perdet, &c. adieciſſe, Absit, quod est deprecantis uerbū. Intellexerant certè hoc, Malos malè perdet, &c. uaticinium esse de abiectiōe Iudæorum, sed quia uidebantur esse populus Dei, qui non possit cœlestibus bonis excludi, abominantur dictum Christi, & aiunt, Absit. Quasi dicant, Quod loqueris stultum est: quod minitaris uanum est. Narras nobis fabulam nescimus quam, de locatore uineę & colonis, & significas nos peiores esse impiis gentibus, ac perituros. Sed absit ut tam mali simus, & pereamus. Sumus enim populus Dei sanctus, ex omnibus gentibus electus. Quomodo autē populū suū Deus reiiceret & condemnaret? Filij Abraham sumus. Promisit autem Deus se fore Deum seminis Abraham in aternū. Quomodo igitur perirēmus? Non pereunt filij Abraham ex fide, hoc est spirituales, sed carnales qui in carne gloriantur.

**Dicit illis Iesus.**

Cū dicerent absit, Iesus autem aspiciens eos (ut ait Lucas 20.) sine dubio eorum cæcitate, ignorantia & pertinacia motus, & nolens apertè in eos retorquere sensum parabolę, occultè tamen ad ipsos dictam esse significauit, idque ex autoritate scripturę.

**Nunquam legistis in scripturis.**

Lucas scribit, Quid est ergo hoc quod scriptū est: vos respondetis, absit. Nolite ita alienam à uobis hanc parabolam existimare, eo quod ego humilis, & idoneus uobis uideor contra quem sæuiatis. Nunquam legistis? arbitror certè uos legisse, nimirum estis legis & prophetarum doctores & interpretes. Autoritate scripturę

(ex qua discenda est salus) confirmat Christus præcedentis parabolę partem de eiectione filij & uinea: & simul quasi per occupationem consolatur credentes ex Israël, ne putent totū populū esse reiectum, sed sciant Iudæos credentes & Gentes credulas in uno angulari lapide concurrere. Probat itaque Dauidis uaticinio Phariseos ac religionis Antistites Mesię fore occisores.

**Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.**

Hic locus desumptus ex psal. 117. eō adducitur, quod cū primores illi nolent tales haberi qui Christum Dei, quem propheta promiserant, si ueniret ad uineam suam, occisuri essent, uel ex scriptura intelligat id uerum esse, ut ut dixerint, absit Hunc psalmum sub persona Dauidis de Mesiā compositum esse etiam Iudæi fatentur: & eo quoque tempore communi sensu vulgi de Mesiā intellectum testatus est clamor populū, & puerorū acclamatiū Hosanna filio Dauid, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quem ex psalmo desumpserant ad literam, Dauid eo psalmo celebrat beneficia Domini. Illud in primis quod rex esset creatus. Perinde (inquit) mecum factum est, ut cum lapide aliquo, qui à magistris ædificij abiicitur, ne ullum in ædificio locum occupet, mox tamen resumitur, & in ædificij summum reponitur locum. Saul enim & consiliarij eius expulerunt me regno, nec ullum mihi in Israël locum concesserunt, ad eō ut è syluis etiā excedere, & ad Ethnicos concedere oportuerit. Nunc tamen is qui exul, abiectus, extorris, atque condemnatus fueram, rerum gubernaculis admotus, Rex & Princeps in populo Dei impero. Id quod non tribuo uiribus meis, sed diuinæ bonitati atque potentia. Et reuera mirabile quiddā, & inexpectatum est apud omnes, regnare uidelicet illū, cui haecenus ne infimus quidem in toto regno loci concedi potuit. Hic sensus est prophetici loci ad literam. Caterū cū Dauid typum gesserit Christi, propriissimo sensu eadem uerba etiam Christo filio Dauidis congruunt. Aedificantes sunt Pontifices & Scribæ, qui hoc publico officio fungebantur, ut ædificarent doctrina sua Ecclesiam populū Dei, quo fieret electum Templum Dei. Ecclesia enim non ædificatur propriè externis lapidibus, quanquam & illa externa suum habeat in publica politia necessarium usum: sed ædificatur uiuis lapidibus per doctrinam uerbi Dei. Lapis iste reprobatus (à quo reliqui dicuntur uiui lapides) est Dominus noster Iesus Christus. Esaia. 28. Ecce ego mittam in fundamentum Sion, id est Ecclesię, lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Reprobare, est Christum cum extremo cōtemptu tanquam inutilem reiicere atque damnare: hoc facit omnis caro. Christum factū esse in caput anguli, est ipsum coniunxisse quæ longissimè distabant, Deum scilicet & hominē: in hoc angulo natura humana unita est diuinitati: est ipsum expiatis peccatum, & congregare in unum quod dispersum erat, legi satisfecisse & illam antiquasse, ut coalescerent Iudæi & Gentes in hoc angulo: est ipsum esse, fundamentum fidei nostrę & compagem iustitię: est nullam esse solidam iustitiam, nullam esse absolutam pacem, nisi quam à Christo accepimus. Et in hunc modum exposuit Petrus. 1. Petr. 2. ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedētes lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobaturū, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides uiui superædificamini domus spiritualis: in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Deinde esse anguli caput, significat nos omnes unum esse in Christo, quæ unitas per charitatem perficitur. Hunc tam pretiosum lapidem reiecerunt ædificatores Pontifices & Pharisei, tanquam inutile ædificio. Cū enim concionaretur, & uoluntatem patris nuntiaret, & legem impleret, existimarunt Pontifices hanc doctrinam non solū deuastationem bonorum operū, sed etiam

Ecclesia Dei doctrina uerbi diuini ædificatur.

Lapis angularis reprobatus est Christus.

Reprobare Christū qd. Christum in caput anguli factum multis modis exponitur.



totius legis abrogationem, & suæ autoritatis eleuationem ac demolitionē. Quare condemnauerunt eum, & occiderunt tanquam Ecclesiæ perniciē. Sed mirabile auditu uisūque: nam quem lapidem ædificatores reiecerunt, eum fecit Deus caput anguli, id est, est lapis angularis. Idcirco sic dictus, quod sicut lapides angulares multis percussionebus expoliuntur, ita pressuris, conuitiis, terroribus, blasphemis, morte attritus fuit. Et quemadmodum lapis coniungens duos parietes in unum, dicitur angularis: ita quia solus Christus coniunxit Iudæos & Græcos, qui solus mediam maceriē fregit, id est legi satisfecit, & hanc antiquauit, uniuert hominem Deo, & dispersos in unum congregat, ut paulò antè dictum est, factus est in caput anguli, cōque sunt Iudæi & Gentes unus populus, cuius ipse est caput, doctor, & redemptor. Hunc locum satis illustrat Paulus ad Ephesios. 2. Quod hinc Dauid caput anguli uocat, Paulus & Petrus uocant fundamentum, Ephes. 2. 1. Petr. 2. Vide ad Ephes. 2. Diruto interstitio maceriæ inter Iudæos & Gentes.

Lapis angularis Christi.

Caput anguli & fundamentum idē significat.

#### A Domino factum est istud.

Occupatio est. Dicit aliquis, Qui fieri potuit, quod duo populi longè diuersissimi potuerint coadunari, quod impius fiat pius, quod Deus fiat homo, & homo Deus? Ait Christus, hoc opus à Deo est. Vox istud refertur ad caput uel ad angulum, quod utrumque κεφαλῆ, id est caput, & γωνία, id est angulus sit fœminini generis, uelut αὐτῆ pronomen, facta est ita, & est mirabilis. Quod lapis ille reprobatus, sit factus in caput anguli, non ab hominibus, sed à Deo factū est. Cōcurrunt igitur Iudæi credentes & Gentes credulæ in uno angulari lapide, & super unum lapidem angularem ædificantur. Huc spectat quod Paulus ad Roma. 11. tractat, Dico ergo (inquit) Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Similiter huc spectat postrema pars secundi capituli ad Ephes. 2. de diruto interstitio maceriæ. Et Petrus de coadunatione Iudæorum & Gentium per fidē in uno angulari lapide Christo. 1. Petr. 2. Qui locus bonam & difficilem contextus huius partem exponit.

#### Et est mirabile in oculis nostris.

Admirandus est hic angulus, qui est Deus & homo, & euexit hominem ad diuinitatem, qui accessum dat & aditum in cœlum his qui longè distant, qui unit maximè disiuncta & separata. Cuius gratia non est distinctio Iudæi & Græci, Ro. 10. Admirabile est hoc caput anguli eorum iudicio carnis, quæ non potest intelligere hunc lapidem esse caput anguli, id est Regem ac Principem domus Dei, & quomodo coeant & in unum cōueniant filij Abraham, & filij qui neque ex Agar neque Sara descenderunt, nimirum quod beneficio Christi sint stabiles & cōiuncti, quem oppresserunt Pontifices, nolētes hūc regnare super se. Sed gloriam huius opprimere nō potuerunt, ut ut turpissima morte mori fecerint. Nam mox à mortuis resurgens, cœlos ascendit, & regnum sibi debitum occupat Dominus & Princeps uniuersorum declaratus. Et hoc stupendum & admirabile est, crucifixum mortuum & sepultum, iam sedere ad dexteram patris, & regnare in secula seculorum, super quem ædificatur domus spiritalis, lapides uiui Iudæi & Græci, unam fidem, unum Euangelium, & unum Dominum Iesum Christum constitētes. Porro manifestum est Dominum uoluisse hoc testimonio Dauidis demonstrare suis hostibus etiam spirantibus flagra, cruces & supplicia, non posse uel abolere uel obscurare Christi gloriam. Ut ille modico tempore humiliatus est, sed mox uictor exaltatus: ita humiliabuntur quidem pij & Christiani aliquantisper, sed mox exaltabuntur uirtute Christi cui seruiunt, ad gloriam perpetuam. Colligamus ex superioribus, Christus factus est in caput anguli quo tota structura, id est, Ecclesia teneretur & clauderetur. Id uerò à Domino factum est propter spem omnium: atque multis ad eō summis uiribus repugnātib, unde & mirabile fuit in oculis omnium. Mirātib, quibusdam cum indignatione, nempe reprobis: quibusdam cum

Mors turpissima Christo inflata, eius gloriam non oppressit.

Humilitate itur ad cœlum

summa exultatione, nēpe electis. Vnde sequitur in psal. Hæc dies quam fecit, &c.

#### Ideo dico uobis.

Accommodatio parabolæ præcedentis continens pœnam infidelitatis. Vbi aduerte uerbum dico, emphasim habere, & hoc Christum uelle aliquid magnum & obseruatione dignum significare, quo uerbo in hoc significato est usus supra 6. ca. Dico autem uobis, Nisi iustitia uestra, &c. & passim alibi.

#### Quia auferetur à uobis regnum Dei.

Hæc est parabolæ conclusio, & expositio: auferetur à Iudæis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quoniā testimonio Dauidis, uos illi estis interfectores agricolæ: consequenter quoque (iuxta uestra responsionis decretum) pœnā uobis denuntio subsequuturam. Auferetur à uobis regnum Dei, id est cognitio Euangelij atque idē quicquid est in regno Dei, & foras excludemini.

#### Et dabitur genti facienti fructus eius.

Qui Christiani sumus hoc agnoscimus, Iudæis ablatum esse regnum & datum Gentibus. Sed utinam hoc dignè expenderemus, & frequenter animis nostris reuolueremus, cur ab illis ablatum & nobis datum. Hoc subindicant uerba Christi, propter fructus, scilicet (qui sunt credere Euangelio, recipere Christum, credere in Christum propter quem transimus in regnū Dei) quos quia Iudæi reddere noluerunt, regnum Dei amiserunt, & Gentes ut fructus redderent, id est, crederent in Christum, acceperunt. Vult igitur Dominus uineæ fructus non alienos, sed è uinea sua, cuius uitis est Christus. Vnde Christus non solum hortatur, quæramus primū regnum Dei, sed adiecit, & iustitiam eius. Iam consideremus & uideamus diligenter nos Gentes, quos adferamus fructus regni Dei: Eō enim datum est nobis regnum Dei, id est, Christus seipsum nobis offert, datur & declaratur nobis Euangelium, & illud recipimus, non ut instugiferi simus sicut Iudæi, sed ut fructus illius reddamus suis temporibus: non quoslibet fructus, sed fructus eius, id est, qui sint peculiare regno Dei. Quemadmodum unaquæque arbor suos proprios fructus habet, ita & unumquodque regnum suam habet iustitiam, iudicium & mores. Et ut non exigitur à uinea, ut ferat ficos uel poma, sed ut ferat uuas: ita non exigitur à ciuibus regni Dei, ut ferat alterius regni fructus, sed ut adferant ueros ac proprios regni Dei fructus. Regnum Satanæ habet suos fructus, omnis generis iniustitiam & impietate: regnum Dei habet omnis generis iustitiam, fidem, spem, charitatem ac ueritatem. Fructus regni Dei sunt secundum naturam & ductum Spiritus Dei, per quem filiis suis regnat Deus. Ergo qui cupit scire fructus regni Dei, cognoscat qui sint fructus Spiritus quos enumerat Paulus ad Galatas. 5. cap. Regnum Dei habet uerbum suum uerbique ministerium, ex quo discere debemus, qui sint fructus regni Dei: ut scilicet credamus, afficiamur & uiuamus ex spiritu & uerbo Dei.

Incredulitas Iudæorum expulit eos à regno Dei. Fructus uineæ Domini est, fides in Christum & iustitia.

Fructus regni Satanæ est impietas.

#### Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem uerò ceciderit, conteret eum.

Epiphonemate claudit Christus hunc locum. Hic lapis durissimus est, & hanc habet naturam, ut si quis super illum ceciderit, id est, eius humiliatione & abiectione scandalizatus fuerit, confringetur, id est, perpetuò reicietur, nisi pœnituerit. Psal. 2. Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos. Talis casus siue offensus fiet ei ad mortem: Super quem uerò ceciderit hic lapis, suo pondere prorsus comminuetur: id est, Quicumque Christū & Euangelium auersatus fuerit, ceu Euangelio scādalizatus, is morte subita & manifestissima peribit. Tanta est durities & magnitudo huius lapidis, ut qui offensus fuerit in Christo, & reiecerit ipsum, is ita conquassabitur, ut non solum pedes lædat, uerumetiam corpus & animam perdat. Et qui propter impietatem à Christo reiectus fuerit, is prorsus ita

cadere super lapidem angularem, quid.

Lapidē hunc cadere super impios quid.



cōteritur ut nihil in ipso salutis relinquatur: peccato enim ad mortem peccat. Vnde Esaias. 8. cap. de ipso ait, Erit in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israël, & in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, cadent & conterentur, irretientur & capientur. Habes Christū ut à Deo in lapidem angularem electum: ita exitium Israël factum, quanquam impij Iudæi nihil minus sperauerant. Quid ergo dicemus? Num Christus uenit in hunc mundum, tantum ut perdat, ut conquasset, ut conterat & comminuat homines? Minimè omnium. Nō ueni (inquit Christus) ut perdam, sed ut saluem. Nam si qui pereunt, non Christi sed suo ipsorum uitio & culpa pereūt. De hac re audiamus Esaiam concionantem, Erit uobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & petram scandali duabus domibus Israël: hoc est, hic positus est (ait Symeon Euangelicus Luc. 2.) in ruinam & resurrectionem multorū. Christus quidem aliis est sanctificatio, qua constant & consequuntur æternam felicitatē, aliis autem est offensio & ruina. Vide de hac re concionem Petri in Actis. 4. & 1. Petr. 2. Colligamus ex his, Tametsi Christus sit incredulis lapis offendiculi, quo cōquassantur & conteruntur, credentibus tamen est adminiculum & fundamentum, quo constant tam in morte quàm in horroribus inferni, & consequuntur ueram iustitiam ac perpetuam salutem.

Venit Christus ut saluet

Christus lapis offendiculi incredulis.

Et quum audissent Principes Sacerdotum: & Pharisei Parabolam eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret.

Impi' admodum deterior.

Quantò manifestius concionatur Christus Pontificibus & Phariseis de sua maiestate, tanto maiori crudelitate insidiantur uitæ eius. Mirabile auditu, tametsi ter miseri cognoscerent quòd dicta parabola eos contingeret, & in se illius ueritatem experirentur: tamen non nisi deteriores facti sunt. Qua in re uidet, quòd ueritatis cognitio in his quos non illuminat, dirigit, erudit, & accendit ipse ueritatis spiritus, nihil efficaciam habet. Nimirum reproborum mens, ex ea sumit occasionem, unde semper deterior fiat, tantum abest, ut in eis efficax sit. Isti scripturis & ratione sana eucti, palmam non cedunt ueritati: & quanquam diuinum audissent iudicium, tamen nihil sibi metuunt, carnalia solum timent non Deum. Vnde in solita pergentes perfidia & inuidia, adeoque semetipsos quodam modo uincentes in malitia, consilia captant de uinciendo Domino. Obserua hic fortunam ueritatis, quæ acerbissima odia parit, & extremas insidias. Eò uaticinatus est Christus, non ut pereant, sed ut respiscant & à uentura ira seruentur: Ipsi autem in tantum non respiscunt, ut impietatem impietate augeant, & querant Christū interficere. Obserua hinc pie lector depictum induratorum hominum ingenium, qui data opera in suam ipsorum perniciem festinant, atque prouunt. Solenne est inter homines ut odio prosequantur reprehensores uitiorum: & mortem inferre cupiant his, qui ipsis propter peccata minantur mortem & damnationem. Sed quid hac insania furiosius, persequi prædicatores qui uitia non reprehendunt ut homines peccat, sed ut agnoscentes peccata respiscant, & effugiant damnationem.

Pulchre depingitur ingenium induratorum hominum

Reprehenduntur uitia, ut per respicientiam uideatur damatio.

Et quærentes eum tenere, timuerunt turbam.

Tametsi cognoscerent ex sua ipsorum conscientia interprete parabole à Christo prædicatæ, in seipsos Christi sermonem dirigi & uerificari: tamen quantum in ipsis est, hoc conantur implere, quod facturos eos in parabola dixerat Dominus. Clamant, absit quòd simus interfectores Prophetarum: nihilo minus ipsum opus & mensuram patrum adimplere gestiunt. Quare non magis dicunt, absit ut occidamus filium Domini uinex. Faciemus te mendacem. Sed hoc est impiorum excitas, ut etsi nolint uideri quales sint, indignantur si reprehendantur, & ductantur quòd illos rapit ambitiosa caro. Querunt Christum tenere: sed non permittitur il-

lis facere protinus quicquid instituunt. Nam metuentes promiscuum vulgus, continent sanguinarias manus. Ad hæc, nōdum uenerat hora & potestas tenebrarum. Consolatorium est, Deum semper habere sua media, quibus cohibet atque impedit hostes ueritatis à persecutione. Quanquam Euangelium non innitatur armis atque hominum uiribus, tamen Deus utitur aliquando his, ut Act. 23. & hinc turba, & hodie ac frequenter ad reprimendam ferociam tyranni aut alterius, ne officiant herbescenti ueritati.

Impiorum conatus impediuntur à Deo

Quoniam sicut prophetam eum habebant.

Actiologia, cur sanguinarias manus non iniecerint in Christum. Quia omnis populus magna erga Christum afficiebatur reuerentia, tanquam prophetam magnum quem misisset Deus singulari beneficio ad salutem populi sui, timebant, ne partes Christi teneret turba, & tumultus fieret in populo.

CAPITIS VIGESIMISECVNDI Argumentum.

Reprobatis nuptiarum contemptoribus, & Casarei census exploratoribus, mortuorum resurrectionem, & præceptum primum affirmat, & se David filium approbat.

CAPVT XXII.



respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens. Simile factum est regnum cælorū homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias. Et nolebant uenire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum parauit: tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in uillam suam, alius uerò ad negotiationem suam: reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorū succendit. Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant nō fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarū, & quoscunque inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem Rex, ut uideret discumbentes, & uidit ibi hominem nō uestitum ueste nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraisti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris, ligatis pedibus eius & manibus, mittite eum in tenebras exterioris. Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi. Tunc abeuntes Pharisei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis,

De inuitatis ad nuptias. Luc. 14. d. Apoc. 19. b.

Gentium notatio.

Vestis nuptialis.

Marc. 12. b. Luc. 20. d.

a Erat uia rum iudicia, Gallie, rursus passantes, ou Quarrefors.

b Exterioris penitentiam, obferuisti - mas & longè postas à uera luce



Licet ne tributum pederet Cæsari.

Rom. 13. b.

Marc. 12. b.  
Luc. 20. d.  
Act. 23. b.  
Deut. 25. a.  
De resurrectione.

Exod. 3. b.

Marc. 12. c.

Mandatum maximum.  
Deut. 6. a.  
Luc. 10. c.  
Dilectio dei.  
Dilectio proximi.  
Leuit. 19. d.  
Marc. 12. c.  
Luc. 20. g.  
Interrogat Iesus Phariseos de Messia.  
Psal. 109.

dicentes: Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis quid tibi uideatur: Licet census dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et audientes mirati sunt: & relicto eo, abierunt. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogauerunt eum dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitetur semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius, usque ad septimum: nouissimè autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis, nescientes scripturas, neque uirtutem Dei. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo. De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est à Deo, dicente uobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: Non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius. Pharisei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis Legis doctor tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illis Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & propheta. Congregatis autem Phariseis interrogauit eos Iesus dicens: Quid uobis uideatur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens.

**R**incipum Sacerdotum, & Seniorum Hierosolymitanorum feritati Christus nolens credere, pergit parabolico sermone obuiare eorum insidiis & prauæ cogitationi de morte sua. Parabola sequens ad eundem scopum refertur, ad quem superior de homine habente duos filios, &

Isti qui uocati sunt circumstantiam.

De

Magister Iesus uel præceptor.

d. Ponam effectum.

e. Verbi quicquam

de uinea parata: adumbrat enim Iudæos sua culpa perfidiæque excindendos, reiciendosque esse à Domino: Gentes uerò in repudiatorum locum recipiendas.

- Privilegio Israël primùm uocati ad nuptias.
- Gratis Euangelio, quia nuptiæ paratæ erant, ut ueniret Israël & fruere-tur delitiis.
- Misericordia Dei, qua uocati fuerunt inuitati.
- Prædicatoribus inuitandis ad nuptias, qui sunt uascula testacea.
- Vocali uerbo, quo facta est inuitatio.
- Ingratitudine Israël erga gratuitum Euangelium oblatum.
- Pœna ingratitude neglecti Euangelij gratuito oblato, in hac uita.
- Vocatione gentium promiscua.
- Generali Ecclesia, in qua pij & impij: illi in nuptiis sedent gaudentes, hi confunduntur.

Simile factum est regnum cælorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo.

Sic res se habet quædam ad regnum cælorum, quomodo in hac sequenti significatur parabola. Homo Rex, Deus est: filius, Christus sponsus. Nuptiæ Euangelium signant à rebus cognatis seu ab effectibus, qui dulcissimi sunt, ut gaudium, pax, tranquillitas conscientiæ, &c. Per nuptias intelligimus consortium filij Dei, communionem & participatum Ecclesiæ, & in primis æterna gaudia, lætitiàmque cœlestem, qua per Christum & propter Christum exhilarat Pater credentes.

Rex ille magnificentissimus est pater cœlestis. Nuptiæ.

Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, Et nolebant uenire.

Serui sunt prophetae à rege emissi, qui ad cœlestia gaudia propter promissum Messiam comunicanda inuitarunt gentem Iudaicam, quibus credita erant eloquia Dei, & promissiones factæ, sed contempserunt prædicationem salutarem. Inuitati dicuntur Iudæi peculiariter, quoniam in Abraham uocati & peculiaris Dei populus facti sunt, Exod. 19. Obserua facere nuptias, emittere seruos, & uocare inuitatos ad nuptias, circumloquuntur causam uocationis, quæ est misericordia Dei. Emisisti sunt prophetae, non sua sponte seu propria autoritate cucurrerunt. Obserua diligentiã & affectum patris erga has filij sui nuptias, uidelicet in eo quod inuitat diligenter amicos suos. Sponsus Christus, Sponsa Ecclesia, Nuptiæ Christi sunt, quæ destinatae sunt ab æterno, instituta per incarnationem uerbi, quæ ex duobus facta est una caro, celebranda uerò post ascensionem Christi usque ad consummationem seculi, quod tempus omne diem nuptiarum includit, donec in fine mundi sponsa perfecte finito nuptiarum die ueniat in complexum sponsi sui: hoc est, tunc finis erit (ait Paulus) cum tradiderit regnum Deo & patri.

Primi serui regis inuitati ad nuptias, fuerunt prophetae.

Christus sponsus Ecclesiæ.

Iterum misit alios seruos, dicens, Dicite inuitatis, Ecce prædium meum parauit. Tauri mei, & altitia occisa sunt, & omnia parata: uenite ad nuptias.

En studium & diligentia Dei pro salute Israël, ne quam sui interitus culpam in Deum reicere possent iam inuitati Iudæi, rursus alios prophetas emittit, qui hoc ipsum prædicarunt, quod priores tribuit, tamen his copiosorem & explanatiorem prædicationem, formulam adumbrans, quam in inuitando sequantur. Dicite inuitatis. Ecce, Particula est attentionis, qua uult omnes attentissimos esse ad has nuptias. Prædium meum parauit. Vacate omnes non ad labores & ad luctum, sed ad nuptias. Addite me parasse prædium, id est omnes promissiones de Euangelio aperte sunt, & testantur adesse tempus reuelati Euangelij. Tauri mei, & altitia mea,

Deus audis salutis sui populi Israël.



Tauris & al-  
libus occis  
designatur  
Christus im-  
molatus.

Primarius  
cibus conuiuij  
est, unigeni-  
tus Dei fi-  
lius epulan-  
dus.

Fercula cō-  
uiuij spirita-  
lis sunt gra-  
tia Dei, pec-  
catorum re-  
missio.

Afflictionis  
desideratur  
Christus.

Statim ab or-  
be cōdito in-  
uitatus fuit  
homo ad cō-  
uiuium filij  
Dei.

Sybaritarum  
conuiuium.

Hora prādi-  
j est tēpus quo  
filius Dei fa-  
ctus est ho-  
mo.

&c. His adumbrat immolationem Christi ueri & cœlestis cibi, quo in his nuptiis & hoc prandio fruendum est. Terrenis enim adumbrari solent cœlestia, alioqui enim in regno cœlorum non erunt ullæ nuptiæ, aut carnalis uoluptas. Sed significatur per hæc absoluta beatitudo, & plena salus, quam sua uirtute nobis parauit filius Dei, si uidelicet ipsum uia fide recipiamus. Cœlestis paterfamilias apparuit prandium. In quo quod dictu quoque mirabile est, primum omnium in escā proponit suum ipsius unigenitum filium Dominum nostrum Iesum Christum. Sic enim Christus ipse docet, Ego sum (inquiens) Panis uiuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quē ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Accedit huc quod & ipse Christus in nouissima cœnā exhibet discipulis suum corpus in cibum, & sanguinem in potum. Atque hunc cibum Dominus ita temperauit, ut non sit nobis horrori, sed ingenti uoluptati, nec potuisset alio beneficio amicissimum suum erga nos animum apertius demonstrare, quam quod proposuit nobis unigenitum filium epulandum. Deinde pro ferculis proposuit nobis, remissionem peccatorum, iustitiam coram Deo, redemptionem, Spiritum sanctum & omnia alia omnibus, quibus Christus primarius cibus cōditus est. **Qui enim proprio filio non pepercit (ait Paulus) quomodo non omnia nobis condonauit cum illo? Sed interim adiungitur quoque his escis, ut in aliis conuiuiis fieri solet, succus quispiā acidus, aut sinapi, hoc est crux, calamitas & omne genus afflictionum. Ut enim quæ acrimoniam habent, cibi appetentiam faciunt: ita crucis & calamitates iniiciunt desiderium Christi, & omnium aliorum cœlestium bonorum. Postremò apponit cœlestis paterfamilias pro bellariis perpetuū gaudium & sempiternam fœlicitatem. Quid huius conuiuij apparatu lautius dici, aut etiam excogitari potest? Ad hoc autem conuiuium Deus statim ab orbe recens condito multos inuitauit. Principio inuitauit Adamum cum sua posteritate per hanc uocem, Semen mulieris conteret caput serpentis. Deinde inuitauit & Abrahamū unicum suam posteritate, per hoc uerbum, Ego ero Deus tuus & semini tuo: in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Deinde missi sunt prophetae, ad Gentem Israëliticam qui hanc inuitationem urgerent, inculcarent, sapiusque monendo repperent. Nec mirum est quod inuinitio tam longo tempore ante horam conuiuij facta sit. Publica enim consuetudine sic comparatum est, ut si cui uolueris lautum conuiuium exhibere, eum aliquot diebus antè inuites. Sybaritæ inuitarunt conuiuas suos ante annum, ut interea temporis & is qui inuitauerat, & hi qui inuitati erant, potuerint sese per otium ad conuiuium præparare. Cùm igitur pater cœlestis apparasset conuiuium longè omnium lautissimum, decebat etiam, ut lōgo antè tempore hospites inuitaret, quo ex inuitatione tam lōgè præcedenti, splendidissimus conuiuij apparatus aliqua ex parte intelligi posset. Postea hora prādi, hoc est quando uenit plenitudo temporis, quo misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, emisit Deus seruos: Primum Ioannem Baptistam: deinde ipsummet filium suum Iesum Christum: postremò & Apostolos qui Israëlitas longè antè promissionibus ad Adam, ad Abraham, ad Dauidem dictis & per prophetas explicitis, inuitatos ad cœleste illud prandium inuitarēt. Dicētes, uenite ad nuptias, id est pœnitentiam agite & credite Euangelio, ut accumbatis mensæ cœlesti. Proinde cùm dicit, uenite ad nuptias, adhortatio est ad gratuitū Euāgelium. Nihil certè amplius requirit quàm ut ueniat Israël, & perpetuò benè uiuendo, fruatur instructo prandio: parata enim sunt omnia. Cùm igitur Christi beneficio sint ad eò omnia parata, ut nihil desideretur: quid superest ut famelici prandeamus quàm ut uocantem gratis ad instructissimum prandium, audiamus, & ipsum cum fiducia adeamus, certi quod nos excipiet. Spes enim non confundit, Rom. 5. Obserua. Altilia Græcis dicuntur *αττις*, id est saginata.**

Illi autem neglexerunt.

Vocati Israëlita neglexerunt, id est, contempserunt. Hæc negligentia, si ad dictionem Græcam respexeris, significat incuriam & contemptum. *ἀμελίωσις*, id est, non eis cura fuit, nec tanti fecerunt nuptias, ut uenire uellent. Obserua hic ingratitude Israelis erga Euangelium. Qui cùm neglexerit, fuit illi liberum uocantem sequi, alioqui uocatis non pateret aditus ad nuptias.

Liberum arbitrium hominis confirmatur.

Et abierunt, alius in villam suam, alius uerò ad negotiationem suam.

Voce abierunt subindicat ingratitude species, neglectum scilicet, contemptū & persequutionem: deinde distributione subiungit causas neglecti & contempti Euangelij. Maluerunt illi & pratulerunt terrena Euāgelio: distrahuntur cura augendæ dignitatis, & possessionum. Abeunt ad negotiationem qui à doctrina ueritatis & uerbo Dei distrahuntur studio diuitiarum. Hæc sunt impedimenta & prætextus cùm Iudæorum primò, tum reliquorum causantium cur ad paratum prandium non ueniant. Suntque huiusmodi impedimenta talia, quæ coram mundo locum haberent & subsisterent, quia honestatis prætextum habent. An non honestum est, augere dignitatem suam? Curare bona pro familia? Agere curam rei familiaris? Et sanè hæc impedimenta merentur excusationem coram mundo. At coram Deo alia res est, qui præcipit ut regnum Dei primùm quaramus, & priorem tabulam posteriori præponamus. Abire in uillam & ad negotiationem suam, nō est malum per se: sed talia facere, & præ illorum studio negligere uerbum, hoc graue peccatum est. Hi non grassati sunt ferro in nuntios, tantùm negligunt & contemnunt uocantem Deum per prophetas.

Fœlici conuiuii fordidas rerum fluxarū curas prætulērunt Iudæi.

Præferre curam rei familiaris uerbo Dei, ingens peccatū est.

Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

Tertios adducit contemptores Euangelij qui inhumanitatē & crudelitatem coniungunt, dum seruos Christi, per quos ad nuptias uocantur, contumelia afficiunt & occidunt. Primi qui noluerunt uenire, sunt Athei, & præfracti contemptores rerum cœlestium, arbitantes omnia cum morte interire, & animam mortalem esse, magna cæcitate ducti in præcipitium errorum labuntur. Secundi sunt qui non ita contemptim has respuunt, sed licet uideantur uenturi, tamen per temporalium curam abstracti uenire negligunt. Tertij sunt inhumani & sanguinarij quales erant Principes Sacerdotū, Scribæ, Pharisei, & Seniores populi, de quibus sequenti proximo capite apertius loquetur, Ecce ego mitto uobis, &c. Idem Apostolis prædixerat. Ioan. 15. & 16. Matth. 10. Quod factum esse Acta Apostolorum testantur. Obserua. Tenere, uolentia est: contumeliis afficere, est uerborum: occidere, est extremum uolentia factum.

Pharisei ingrati, inhumani, crudelēs & sanguinarij.

Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatē illorū succēdit.

Consolatorium est, regem Deum audire necessitates confessorum Euangelij, & propter illos irasci. Quo uerbo ostenditur supplicium quod de Iudæis Euangelij contemptoribus sumendum erat, simul & declaratur, quod nulla Dei morositate, sed propria & insuperabili malitia sua oppressi sint. Verbo, missis exercitibus, &c. alludit ad Romanos, quorum Imperatores Titus & Vespasianus Hierosolyma funditus exusserunt: de qua miseranda clade uidendum est in Iosepho. Est que hæc sententia, Et missis, &c. Periphrasis extremæ perditionis in contemptores Euangelij. Vox suis emphasim habet, ut intelligamus exercitum punientem ingratos erga Euangelium, esse Domini exercitum, qui iussu Domini punit. Nam ex scripturis discimus Dominum sic Nabugodonosore, Senacherib & aliis sæpè usum aduersus Israël. Vide Esa. 10. de feriis illis commissis Senacherib à Domino

Deus iniuriā suis illatam ulciscitur.

Sub Tito & Vespasiano imperatoribus Hierosolyma diruta, & templum cōcrematum.



dati. Obserua Deum per peregrinos plerunque castigare ingratos erga uerbum. Vnde Dominus exercituum dicitur Deus in scripturis. Sunt & exercitus Dei profectò flagella irati Dei: ut exercitus Romanorum aduersus populum Israël, & urbem sanctam, licet Romani essent Idololatæ. Aut hic locus mysticè intelligi potest. Euerfio & succensio Hierosolymorum tunc contigit quum Deus Synagogam Hierosolymis funditus & radicitus deuastauit, & succendit, fidem illorum deseruit, populo hac illac sparso, ut nihil coadunatum relictum sit, spoliatoque eorum sacerdotio tum regno, ut hodie non sit usquam in terris gens miserior, calamitosior magisque deserta Iudæis: ita uerbi Dei contemptoribus euenire solet.

Iudæi omnium hominum hodie miserissimi.

Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.

Rex seipsum excusat de perditione Israël, transferens causam perditionis à se in populum Israëliticum. Dicit enim, Nuptiæ quidem paratæ sunt. Quasi dicat, non illorum sumptu sed gratis paratæ erant nuptiæ, ne haberent quo exularēt. Sed inuitati declarauerunt se hoc conuiuio indignos, receperunt certè spiritum compunctionis, ut oculis non uideant, Efaia, 6. Roma. II.

Incredulitas & crudelitas Gentis Iudææ perdidit populum Israëliticum.

Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunque inueneritis, uocate ad nuptias.

Posteaquam Iudæi spreuerunt Euangelium, misericordia Dei per Apostolos suscepit Gentes, populum præputiatum, alienum à testamenti promissionis, extraneum à republica Israël, spem non habentem & Deo carentem, ut ait Paulus Ephes. 2. cap. Vnde Paulus Act. 13. Vobis oportuit primùm loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æterna uita: ecce conuertimur ad Gentes. Nam omnino uult Deus impleri has nuptias. Proinde si qui nolunt acceptare Dei uocationem, merito illis desertis migratur ad alios. Hæc uocatio est à Dei misericordia, Osee. 9. Vocabo populum, qui non erat populus. Valet autem hæc uocatio ad tria: in primis consolatur nos ex gentibus conuersis contra scandalum dubitationis, ne dubitemus, & si non sumus filij Abraham secundum carnem, tamen nos esse populum Dei ex uocatione. Deinde hortatur nos ad ingentes gratiarum actiones, ut puta qui longinqui fuimus, ex misericordia Dei in Christo sponso facti sumus propinqui. Tertio proponitur nobis humiliationis & timoris exemplum, ne uocatione nostra fiamus insolentes. Nam si rex Deus naturalibus ramis Oliuæ non pepercit, sanè insitiis nobis ramusculis non parceret. Hæc Gentium uocatio Euangelij prædicationem uniuersalem esse docet. Nam & Deus iubet seruos suos exire ad exitus uiarum, quibus designatur cardines orbis, & Ethnicorum loca, in quibus Gentes idolis seruebant, uiuentes in erroribus & abominationibus patrum. Promiscuè autem iubet uocare omnes, excludere neminem. Nam & Marc. ultimo inquit, Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Vox exitus denotat longinquitatem Gentium, unde: Ite ad exitus uiarum, id est ad remotissimas Gentes. Quoscunque, hac uoce tollit acceptionem personæ, nam sine delectu ex misericordia Euangelium & uniuersalis prædicatione est doctrina uniuersalis pro omnibus locis & personis.

Gratuita Gentium uocatio.

Deus sine ullo delectu personæ uocat omnes ad Euangelium.

Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Significatur Ecclesia prædicatione Apostolorum promiscuè congreganda: & in hac exteriori tam boni quam mali congregantur. Non quòd mali probentur per hoc quòd inter bonos uersantur, & inter bonos numerentur, uerbo & sacramentis participant.

Ecclesia militans omne genus hominum si bi coaceruat.

participent: Dominus enim ante omnia accubentibus uestem nuptialem requirit. Sed hic ostèditur quanta diligentia Apostoli laborarint, ut conuerterentur mali, quos etiam in cœtum bonorum coegerunt, si fortè resipiscerent, & sanaretur. Audito igitur mandato Domini, Ite ad exitus, &c. egressi sunt serui, id est Apostoli & successores eorum discurrentes quoquoersum per compita & triuia, citraque delectum quoscunque repererunt, dignos, indignos, debiles, mancos, cæcos, claudos, uocauerunt ad nuptias, donec promissa multitudo undique congregata, repleta est domus nuptialis, adeo ut impletum sit conuiuium discumbentibus, & conuiujs. Quod hic dicitur impletum est tempore quo Christus misit post Pentecostem Apostolos suos in totum orbem terrarum, ut Euangelium incircuncisis Gentibus prædicarent, prædicatione Apostolica intra Ecclesiam congregata est ex Gentibus turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, linguis & populis. Qui omnes intra unam Ecclesiam (quæ est nuptialis domus Dei) in una fide & una spe uocationis congregati & coadunati sunt. Amabo te, obserua hic mihi dignitatem & nobilitatem nostram. Nam & nos ex Gentibus sumus: quos cum Paulus uocet, ab alienatos à republica Israël, extraneos à testamenti promissionis, spem non habentes, Deoque carentes in mundo, agnoscamus immensam Dei bonitatem & misericordiam erga nos: & gloriemur quòd gratis in gratiam istam uocati, à Deo per Christum suscepti simus. Laudanda est Apostolorum sedulitas, quòd quosuis ad nuptias uocant iuxta mādatum Dei, qui ait, Ite in mundum uniuersum. Obserua, uisitatus per ablatium diceretur, impletæ discumbentibus, quam discumbentium. Antiquitus hoc modo loquebantur iuxta regulam adiectiuorum plenitudinem significantium, quæ gaudent genitio uel ablatio: hoc genus loquutionis apud Virgilium legitur, Impletur ueteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

Apostolorum diligentia adhibita ad conuertendos homines sine ullo delectu.

Gentibus amplissima dignitas à Deo tributa.

Intrauit autem Rex, ut uideret discumbentes.

Hic ingressus declarat non satis esse ad æternam felicitatem connumerari inter uocatos Christianos, sed discernentur & isti, separabunturque mali à bonis, hoc ut fiat, postquam uocati sunt, Rex intrat domum nuptialem, uisurus nostræ uocationis opera & fructus uiuæ fidei. Obserua: hic ingressus particularis est in mortem cuiuslibet: intrat enim discutiendo & iudicando singulos, cum morte uisitat, & iudicio suo discutit merita cuiusque morientis: erit & generalis in die magno iudicij in quo separabuntur reprobi ab electis.

Deus singulorum merita & demerita expedit in morte.

Et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali.

Accumbebat hic reliquis conuiujs incognitus, quòd in speciem se dignum conuiuam exhibebat & iuxta externa cum alijs conueniebat. Sed Rex Deus, qui intraret cor & non secundum faciem iudicat, uidet hunc hypocritam & indignum qui conuiuia dicatur. Hic locus exaggeratio est difficultatis separandi credentes ab hypocritis. Quia cognitio non penderet à rebus externis. Iam nos ex facie cognoscimus: Deus uerò est qui cor perlustrat. Ideo non potest hypocrisis externa decipi. Fallimur autè facillè. Nam hypocritæ omnia cum uerè credentibus & catholicis externa cõmunia habent. Nimirum eadem biblia, eadem sacramenta, eadem conciones, & huiusmodi, quanquã impure & recipiant & exerceant. Ut uestis nuptialis panno aut serico contexta est ad hilaritatem & gaudium conuenientium ac congregatorum ad nuptias, simul & index ac symbolum amicitie & exultationis susceptæ ex conuictu & promotione Sponsi & sponsæ. Ita hæc uestis nuptialis de qua hic fit sermo, est fides uiua sanctaque uitæ innocetia, cum animo hilariter affecto ac reuerenti erga tale conuiuium spiritale, quo epulantur pij in Euangelio per Iesum Christum. Significatur ergo per uestem nuptialem exigi ad has spirituales nuptias, qui cum gaudio, cum reuerentia maiestatis diuinæ, cum gratiarum actione potiantur cœlestibus bonis: reiciunt uerò secus facientes, hoc est, quorum animus terrenis pascitur, contemptis ac neglectis

Deus neminem de facie iudicat.

Hypocritas non facillè discernimus.

Veste nuptiali designatur fides uiua.



spiritualibus. Huc pertinet quod scribit Paulus ad Galatas. 3. capite, Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Idem Roma. 6. Ut Sponsus sponsam uestit, ita & Christus nos uestit, & hunc induimus fide uita incomparabiliter fortior est meo peccato, & uita eius in immensum robustior morte. Est enim ille ipsissima uita, à quo omnis uita incenditur. Quare in ipsius uita mors mea euanesceat, & peccatum meum in eius salute: ibi peccatum meum in cardine ostij cōprimatur, perit, ac transit. Postquā igitur peccatum, hoc est, sordes meae ablatae sunt, uestire me & ornare uult aeterna sua iustitia, & cum omni gratia sua, donec speciosa fiam, sponsa nanque eius sum. Tum ego omnē eius rem & conditionē assumo, & ipse rursus meā, ut Ezech. 16. inquit: Præteriuui, & nuda fuisti, & māmā tuā intumuerant, nubilibusque eras, tum uestem meam expandi super te, & uerenda tua cooperui, ac calciamentis rubicundis calciavi te. Credens igitur plenē in Christum, Christum induit, ac dicere potest, Christus meus est: cum igitur Christus meus sit, & ego illius. Si mors me impetierit, Christum habeo, qui uita mea est. Si peccatum ingruerit, Christum habeo iustitiam meam. Si inferi & damnatio, Christus salus & beatitudo mea, adest mihi, illum obuertere queo, ut nihil mihi damni contingat.

Ait illi, Amice quomodo huc intraisti non habens uestē nuptialē?

Discumbentem Rex aspiciens, ita alloquitur, Amice cui amicitiam magnam mea bonitate indicaui, & quem ut amicus esses & accumberes inuitaui, modō uocantes audires, qua fronte huc es ingressus ad meas nuptias, ac cum cæteris una ad mensam accumbis, uestem non habens nuptialem? id est, charitatem quæ inter filios regni & perditiōis diuidit, ut Paulus ait. 1. Corint. 13. Amicē loquitur ut ipse seipsum damnat uictus in conscientia. Amicum uocat quia inuitatus est ad nuptias, quasi per fidem amicus. Hoc exēplo docemur ne etiam in notorio facto iudicemus inauditum, sed examinemus absque contumelia & conuitio, sed cum dilectione hominum & odio uitiorum.

At ille obmutuit.

Coniunctus propria conscientia nihil habet quod causetur: seipsum tacens condemnat. Neque paupertatem, neque defectum causari poterat. Nam & pauperes & nudi è compitis & uis coadunati erant ad nuptias. Petierunt uestiri, & uestiti accumbunt ueri conuiuæ. Certē coniunctus pudefit, & nihil respondet. Cur? Quia spe non est ornatus, uita fide destitutus est. Ro. 5. Spes non confundit. Idem docetur Roma. 10. Et. 1. Petri. 2. Obserua coram diuino iudicio nullam esse exceptionem, ueritas enim palam accusat, conuincit, confundit.

Tunc dixit Rex ministris.

Sequentibus explicatur iudicium & pœna hypocritarum. Tunc, etiam non expectato uniuersali iudicio obstinatorum & reproborum pœna incipit in hoc mundo. Prima enim pœna inferni est obstinatio in malo: ligatis manibus, ne operetur bonum etiam morale: & pedibus, ne affectum habeat ad bonum: & mittitur in tenebras quando priuatur luce illa gratuita, manēte solo lumine naturali. Hæ sunt pœnæ, de quibus Paulus ad Rom. 1. Tradidit eos in reprobum sensum, tradidit eos in passionem, &c. Hoc reuera est magis excæcari, & in conscientia irrequietari. Et huc pertinet quod dicit Christus, Qui non credit in me, iam iudicatus est: qui credit in me habet uitam æternam.

Ligatis pedibus eius & manibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.

Depingitur hypocritarum & impiorum iudicium quod in hoc mundo est maior excæcatio & irrequietudo conscientia. Verbis temporariis utitur, sed his adumbrat pœnam ineffabilem, & nunquam terminandam. Principes enim solent

sceleratis & mortem commeritis, colligare manus atque pedes, & in tenebras exteriores, id est, extimas planēq; Cimærias demergere, ut in summa miseria uitā suam exigant. Periphraſticōs tenebræ exteriores, fletus & stridor dentium, denotant pœnas inferni, & damni, id est, priuationis beatitudinis, & sensus, id est doloris siue tristicia & intranquillæ conscientia. Ligatio illa manuū ac pedum ad tenebras adumbrat, nullam in inferno redemptionem. Nam quemadmodum cuiquam submergendo in aquam ligantur manus & pedes, ne enatet & mortem euadat: ita damnatis ligantur pedes & manus, hoc est in supplicium mittuntur, è quo enatare & exire non dabitur. Neque illic mutuo iuuabunt, neque quicquā quod solatium afferat operabuntur. Sed stridorem dentium flentes continuō experientur, id est, tormenta inæstimabilia patientur. Aut fletus ad dolorem pertinet, & stridor dentium ad indignationem. Nam in damnatis nō solūm erit dolor maximus, uerūm etiam erit indignatio uehementissima & ira feruentissima aduersus semetipsos potissimum, quæ ex eo orietur, quod uidebunt se propria culpa infinita bona perdidisse, quæ beneficio Christi consequi poterāt, si illi perpetuō adhæsisset, & ex aduerso infinita mala inuenisse, quæ euadere poterant.

Multi autem sunt uocati, pauci uerò electi.

Singulari & egregio epiphonemate concludit parabolam, Multi sunt uocati, pauci uerò electi: quasi dicat, plurimi: uerò uocantur omnes, multis prædicatur Euangelium, multi audiunt prædicationem Euangelicam, sed non omnibus salutaris est, non sua quidem culpa, sed auditorum & uocatorum uitio. Hi enim audiunt sine fide. Iam accedentem ad Deum oportet credere. Et impossibile est placere Deo sine fide, Hebr. 11. cap. Electi non sunt nisi qui uocati parent, qui que usque in finem respondent diuinæ erga se beneficentiæ in pietatis Euangelicæ studio perseuerantes. Proinde nemo sibi satis esse ad salutē putauerit, quod sit intra Ecclesiā, quod fidem habeat sine operibus, quod ad uitam uocatus sit & uocatus uenerit uiuens in Ecclesia, sed iuxta Pauli monita, prouideat unusquisque dignè ambulare uocatione qua illum dignatus est Dominus, abiiciendo opera tenebrarum, & induendo arma lucis satagatque (iuxta Petri consilium) per opera bona certam facere suam uocationem.

Tunc abeuntes Pharisei.

Post tam fideles præmonitiones Christi de reiectione Israël propter incredulitatem aduersus Euangelium, cum Pharisei agnoscerent, & sentirent se iam narratis parabolis perstringi, ad eō non sunt compuncti ad pœnitentiam, ut subduxerint sese à præsentia Christi, & nihil aliud animis cogitarint, quàm de occidendo Iesu. Tantum malum est liuor & ambitio.

Consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

Cum uiderent non benè cessisse intentatam seditionis calumniam, ea uia quæ ceperant, interrogantes, in qua potestate res tantas in templo gereret: & quod sperauerant, & simul quæ nolebant audierant non mutato animo, sed mutato astu, alia uia tentant. Consilium ineunt non solūm Pharisei, sed & Principes Sacerdotum, Scribæ, Seniores ad dolum conuersi, quum ui nihil auderent, Benè habet: res optima, consilium: ubi consilium, ibi prudentia. Sunt uiri sapientes & pij scilicet Pharisei, audierunt Christum differentem de ipsorum malitia, & futura uindicta, & pœna, abeunt ad consultandum. Emendabunt forsan malum ingenium & impietatem consuetae malitiæ, nihil minus. Consultant de capiēdo & decipiēdo, Christo in sermone. Quem quum neque in prædicatione, neque in operibus culpæ possunt, ac lubenter tamen occasionem occidendi ipsum uellent, illum callidissime adoriri consultant syllogismo subtili, qui ad eō acutus erat, ut humana eū

Christū induimus uita fide.

Nulli adpter ni regis nuptias patet adit, nisi charitate ornatus fuerit.

Peccator leniter corripiendus.

Confusus aduersus seipsum sententiā proculit.

Damnatis adēpta est benè operandi facultas.

Damnatus dū pluri pœna cruciatur, nē pœ priuatione gloriæ æternæ & perpetuo supplicio.

Stridore dentium exprimitur magnitudo supplicij.

Electi in religionis & pietatis officiis perseuerant.



ratio comprehendere non potuerit, & illo acutior alius excogitari nequeat. Aderrat illis homicidij uoluntas, sed deerat opportunitas: non metuebāt Deum talij facinorum ultorem, sed metuerunt populum. Vide & obserua quā sollicita, quā negotiosa res sit impietas. Nō cessant impij Pharisei noctes & dies cogitare de perdendo Christo, & nullum non mouent lapidem, quō Christum opprimāt, & desiderio impietatis suæ satisfaciāt. Sic inuidus magna animi inquietudine meditatur malum aduersus proximum. Obserua in his Phariseis exemplum malitię & pertinacię, qui tot insignis Christi concionibus instituti, tamen credere nolūt, sed perunt in malitia. Deinde obserua sapientiam humanam, quibus utatur modis ad opprimendum Christum: qui sunt dolus, fraus, astutia, dilemmata, captiuncula, &c. Quos modos omnes & proponit sapienter & obpalliat hypocrisi. Rursus in eū consilium, quod est opus industrię, sapientię & prudentię, & hoc agunt ne temerē aliquid agere uideantur. Finishuius consilij (sed dolo tectus) est, ut capiant. Impij hoc habent, ut seip̄ sis subinde reddantur deteriores, & ueritatem magis ac magis exosam habeant, vnde cæciores fiunt dum cum reliquis consulunt. Hac sua inquisitione, quid aliud ostendūt, quā se esse reprobatores lapidis, & se cadere super lapidem, ad perpetuam cōquassationem? Rursus uide hīc fortunam ueritatis, quæ acerbissima odia parit, & extremas insidias.

## Et mittunt ei discipulos suos.

Nolunt ire ad Iesum Pharisei, quæstionem proposituri, quōd uicti redissent: sed mittunt discipulos, quos Christo incognitos arbitrantur, ut facilius Christum illaqueent. Vnde Lucas de his narrans cap. 20. addit, Qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderēt illum principatui, & potestati præsidis. Qui se iustos simularent, hoc est, qui timorem Dei & studium ueritatis quæstioni prætexerent. Hoc enim declarat, salutatio cum præfatiuncula. Quis enim non dixerit partem esse iustitię, sollicitum esse de ueritate cognoscenda, quid Deo placeat, quid non? Faciebat quoque hæc præfatiuncula ad instruendum dolum, ad fraudē componendam, & inescandum Christū. Ad decipiendum enim in primis requiritur laqueus & fraus: deinde ut occultetur laqueus seu dolus. Nam frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Huc scilicet pertinebat, quōd animo in speciem simplicis, ac Dei timente, interrogabant. Rursus faciebat, quōd non ibant ipsi Scribæ & Pharisei, ceu Domino suspecti. Tandem exigitur ut etiam proiciatur laqueus. Vnde insidiatores illos uocat Lucas, tanquam missos in hoc, ut insidientur Christo. Obserua: hæc missio certum signum est, Phariseos aut malè sibi conscios fuisse, aut uictos in conscientis de ueritate, aut metu turbæ cohibitos, quōd ipsi minus uenirent ad Christum.

## Cum Herodianis.

Herodiani milites & aulici erant: Quum enim Iudæa iam cœpisset esse tributaria Romanis, Rex Herodes Antipatri filius ab Augusto præfectus est censui colligendo. Atque hac de re non erat omnium eadem sententia. Nam diuisi erant Iudæi inter se, ita ut pars dandum censeret tributum Cæsari, pars negaret. Qui negabant, faciebant cum Phariseis, qui sentiebant populum Dei debere liberum esse, nec tributa pendere impię potestati Cæsaris. Qui dandū censebant, faciebant cum Herode, qui partes Cæsaris tuebatur, atque ideo Herodiani dicebantur. Duabus autem potissimum de causis iungunt suis Herodianos, seu tributū exatores. Vel ut ostendant, quibus præfidiis niti uelint in sua causa, nempe brachio seculari: uel ut certiora faciant sua consilia de capiendō Christo, qui si illis elabatur, incidat tamen in manus Herodianorum. Sperabant enim Pharisei quōd Christus religioni fauens, magis quā Cæsari profano & impio, solita libertate pronuntiaret aduersus Herodianos, Non esse uidelicet pendendum tributum Cæsari. Moxque per il-

Strophe & tēdicula Phariseorum aduersus Iesum

Pharisei captores.

Herodiani qui.

Impi in hoc coros neruos suos intendit ut perdat.

Fidelib⁹ p̄monitionib⁹ deteriore fieri extremæ malitię est.

Ios deferretur, daturus pœnas, quas antè Theudas & Iudas dederant, ut Iosephus narrat lib. 18. antiquitatum, tēpore natiuitatis Christi, sub Octauiō Cæsare. Quōd si pronuntiaffet esse reddendum tributum, iam calumniarentur, illū adulari principibus impiis, ac minus fauere religioni. Subornant igitur aliquot è suis discipulis, qui præsentibus Herodianis, ac frequente hominum multitudine, ne res caret testibus, fucata & blanda illum oratione in nassam illiciant. Tanta erat eorum cæcitas, ut toties re frustra tentata, non conquiescerent. Obserua, quātas uires habeant liuor & ambitio. Pharisei nihil magis oderant, quā Herodianos, id est tributū exatores. At nunc probè cum his conueniunt, sperantes uidelicet horum patrociniō & ope se perdituros Christum. Vide, ad perdendum Christum, inimicissimos aliās, facile conuenire, Phariseos scilicet religiosos, cum Herodianis Gentibus & idololatris. sic Caiphas & Herodes, sic Pilatus & Herodes.

## Dicentes.

Discipulos cū Herodianis Pharisei uerbis instruxerant, quid, quomodo, quibū que uerbis proponere deberent. Qui ita subornati, speciem præferentes pietatis, ac sub ouilla pelle, lupum regentes, ad Christum accedunt, ac dicunt.

## Magister.

Hypocrisis pallium est, & captatio beneuolentię, in hac uoce magister, à persona Christi, à conditione uitæ, à strenua expeditione officij in Christo, qua regunt sua, de perdendo Christo, consilia. Hoc modo suprā. 2. cap. Herodes coram Magis confitebatur se esse summum amicum Christi, quem tamen postea miris modis persequutus est. Hæc est prima ad inescandum siue illaqueandum Christum impressio. Vocant illum magistrum, ut credat se habiturum illos discipulos, qui ad se tãquam ad doctorem, uenerint. Vbi obserua, quā astutus simulator sit Satan, & quā artificiosè efficere quærit, ut organa eius transformentur in angelos lucis. Hi nebulones, qui erant organa Satanæ uocant Iesum, magistrum, cuius se discipulos tantum abest ut agnoscant, ut potius doctrinā eius, quibus possint artibus & dolis persequantur, & calumnientur. Nec pudet inconstantię, qua nunc magister appellat, quum antea calumniati sint illum spiritum habere Beelzebub. Istorum blanditię sunt, gladius melle litus, & quō sunt blandiores familiarioresque, hoc impensius, citiūque nocent atque imponunt. Vide: ultroneum hoc encomium in hac salutatione parum ab illo figurato encomiō differt, quod vulpecula illa Aescopica coruo occinebat, cupiens, ut canentis è rostro decideret caseus. Apud Marcum cap. 2. & in Act. 16. Diabolus omnium impiorum caput, blandissimis utitur uerbis. Non quōd ita loquatur ex animo, sed aliud quidpiam blanditiā sua elicere cupit, quod sibi profit, & sanctis officiat.

## Scimus, quia verax es, &amp; uiam Dei in ueritate doces.

Magister nos sapè iam certò cognouimus, te ueritatis esse amatorem, & uiam Dei docere, non ad hominum affectus, nō ad quæstum proprij commodi, ut plerique faciunt, sed iuxta infallibilem ueritatis regulam. Vide pie lector, laqueū & hamum, contextum simulatione amata ueritatis, quæ tamen abest ab omni simulatione. Cæterum hac in re duo faciunt. Prius est, quōd simulant, se iustos (ut Lucas narrat) id est, eos, qui uiam Dei quærentes, ad ueritatis doctorem ueniant. Alterum est, quōd simulant se non sentire cū Scribis, Phariseis & Sacerdotibus, qui dixerant, in qua potestate hæc facis? Sed credere, quōd sit doctor ueritatis, à Deo missus, qui uiam Dei in ueritate doceat. Affirmant enim uiam illum Dei docere, & tamen ne minimo quidem nerbo eius fidem adhibent.

Et non est tibi cura de aliquo, Non enim respicis personam hominum.

LLI iij

Phariseorū inuidia cæcitas.

Impij, alioqui inimicitias inuicem exercetes, facile conueniunt aduersus Iustitiā.

Blanditię impostorū, gladius melle litus. Apolog⁹ Aescopicus.

Satan angelum lucis imitatur.



Omnium te constantissimum ostendisti, ubi ubi uersatus es. Nam neque tibi cura est cuiusquam, neque quenquam metuis. Non enim personarum es acceptor: non respicis facies siue personas hominum, non loqueris ad arbitrium hominum: non feris tua doctrina auditorum aures, cum captatione auræ popularis: nihil externum attendis, neque nobilitatem, neque diuitias, neque potestatem, neque munera, neque aliud quiduis, ut propter metum uel fauorem cuiusquā aliter doceas, quā habeat ueritas, & conscientia tibi docendū testetur, aut eorum, quæ sunt ueritatis, quidquam omittas. Hæc sunt exploratissima per ea, quæ cum Sacerdotibus nostris, Scribis, Phariseis & Senioribus populi egisti. Siquidem declarasti fidemque nobis fecisti, quod non sis acceptor personarum, nec cures quenquam, neque populum, neque magnates ac potentes, nec Cæsarem, nec Herodem, sed solum Deum suspiciens, dicas apertè, quod uerum esse nosti. O ineffabilis hypocritis! Proinde ut ut hoc loco Satanus se in Angelum lucis transformarit, ea tamen species, qua muniuit istos insidiatores, honesta est, & non iudici tantum, sed etiam ecclesiastæ rebus ipsis imitanda est. Viam (inquiunt) Dei doces, & non respicis personam hominis. Hoc certè boni iudicis, & pij ecclesiastæ officium est, ut ille in iudicando, quod iustum est, pronunciet, nec respiciat personam uel diuitis uel auari: hic in docendo, quæ uera & recta sunt, & quæ ad pietatem faciunt, dicat: nec respiciat personam uel potentem uel abiectionum hominū. Prædicare (inquit) Euangelium omni creaturæ. Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicare in testis.

Pharisei insidiatores uerbis suis instruunt iudices & ecclesiastas.

Dic ergo nobis, quid tibi uidetur.

Cum igitur te cæti faciamus, & pro ueritatis doctore habeamus, ad te uenimus postulaturi, ut dissoluas simplici responso tuo, cui credemus, quæstionem, hætenus inter multos seditiosè disputatam. Non rogant, an debeant dare, sed, an licitum sit in foro conscientie dare. Hæc enim interrogatio & Christi responso ostendunt, quod inter Iudæos non conueniebat, sed controuertebatur, an liceret soluere censum Cæsari. Huius difficultatis ratio erat, quod populus, Dei peculiū, & Deo consecratus, non debebat profiteri se subditum homini infideli, & idololatræ. Solurio autem census, erat professio subiectionis personalis. Quæstio est de iure, & est dilemma utrinque acutum, quod ab una parte urget ius, quod pro se habent Pharisei in peregrino magistratu contra legem scriptam suscepto. Ab altera parte dilemma habet potestatem gentium, nullo pacto contemnendam.

Pensio census Iudæis ingratiissima.

Licet censum dare Cæsari, an non?

Num populo Iudaico liceat dare tributum aut censum Romanorum Imperatori, ut quidam sentiunt, dicentes, iustum esse ut tributa soluantur iis, sub quorū protectione seruamur? An id non liceat, ut sentiunt alij, arbitantes iniquum esse, illicitum ac diuino aduersum honori, populū quem sibi Deus elegit in peculium ex omnibus gentibus, ulli alij regi aut principi tributum soluere, aut quouis modo subiectionem profiteri, præterquam soli Deo, cuius sunt peculiariis populus. Hæc interrogatione putant fieri non posse, quin Christus capiatur & opprimatur. Si enim respondeat non esse dandum, accusabunt illum seditionis coram præside. Si dixerit, dandum esse, facile concitaturi sunt plebem aduersus ipsum. Nihil enim in vulgo peius audit, quā nomen census & tributū, tantoque odio omnes prosequuntur ista, ut etiam uocabula eorum peius angue & canē oderint.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait.

Versutorem insidias euasurus, & malitiam repulsurus, ac insidiosam blandiloquentiam fugaturus, ita responsum sua admirabili sapientia temperat, ut utri uideatur parti adhærere, non aperuerit: sed potius id manifestauerit, quod magis ad

illorum salutem attineret, nimirum, ut Deo, principi summo, soluerent censum pietatis.

Quid me tentatis hypocritæ?

Plurimum acerbitalis habet hoc responsum, sicuti profectò merebatur ipsorum malitia detecta & traducta hoc uerbo, hypocritæ, id est, insidiatores & simulatores, qui iustos se simulabant, & ob id interrogare, quod cuperent ueritatem ac uoluntatem Dei certò scire, cum tamen res aliter se haberet. Necessarium fuerit huiusmodi impostoribus obuiare, ipsosque ac ipsorum hypocrisim traducere, ne postea tantum nocuementi afferant. Quid me tentatis? Quasi dicat, Quid speciosa loquimini ex falso pectore?

Hypocritarum sumi traducendi.

Ostendite mihi numisma census.

Qui ouilla pelle vulpinum geritis animum, qui pietatem simulatis, tanquam doceri ueritatem cupientes, quorsum tendit uestra ipsorum tentatio? & si meo responso indigni sitis, tamen respondebo. sed priusquam uobis respondeam, exhibete mihi numum, quem pro tributo soluitis.

At illi obtulerunt ei denarium.

Obtulerunt mox denarium, qui Cæsaris habebat imaginem ac titulum. Numus erat tributi. Plin. lib. 33. cap. 3. refert Romanos deuictis gentibus tributa siue censum imperitasse siue imposuisse. Præterea uidetur tum quidem morem fuisse Romanis, ut suis prouinciis præciperent Romana uti moneta, quemadmodum hodie inter deuictos suos nostri principes, sua suspendunt, uel pingunt, insignia. Iam & in numismate solebant principes Romani se scribere, Parthicos, Asiaticos, Syriacos, &c. à subiugatis uidelicet gentibus. Vnde nunc haud frustra profertur nō siclus, sed denarius, Romani numismatis genus. Habuit hic nimirum Tyberij, uel Augusti Cæsaris imaginem & inscriptionem, fortassis imperij Cæsaris in Iudæos non nihil continentem. Et uictoria à Deo est: cuicumque ergo contulerit Dominus uictoriam, ei quoque subiicit & gentes deuictas, & has eidem seruire iubet, ut docetur Ieremiæ. 29. ubi propheta iubet fideles obedire Nabuchodonosori Regi Babylonio. Fit idem in historia Daniëlis & sociorum eius 2. 3. & 6. cap. qui in omnibus obtemperant regi ethnico, præcipienti, quod non est contra uerbum Dei. Denarius igitur siue numisma census, habebat Cæsaris imaginem & inscriptionem, testabatūque Iudæos esse in potestate Cæsaris, deberēque illi tributū, tanquā potestate superiori, iuxta diuinam ordinationem. Obserua: Per Cæsarem Christus intelligit omnem magistratum: hoc est, tam superiorem quā inferiorem: per censum, omnem ciuilem obedientiam, & ea quæ pertinent ad illam præstandam.

Romanis uectigales prouinciæ.

Subiectos parere prælati, Dei mandatum.

Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc & superscriptio?

Interrogat Christus, non quod nesciat: quid enim illum latere potest, cui omnia nuda & aperta sunt? Hebr. 4. cap. sed quia negotium habebat cum illis, qui uerbis ipsius tendebant insidias. Ideo uicissim extorquet ex ipsorum uerbis unde capiuntur, & sibiipsis respondeant ac satisfaciant dolosi tentatores. Et quæadmodum supra. 21. cap. interrogatus, qua autoritate tam insignia & ardua faceret, suam responsum per oppositam quæstionem sic attemperauit, ut si uerum fateri uoluissent, ipsi appositè & uerè respondissent ad suam ipsorum quæstionem. Ita hic querens numisma, & interrogans, cuius est superscriptio denarij, retorquet quæstionis solutionem in ipsos, ita ut sibiipsis in conscientijs respondeant.

Dicunt ei, Cæsaris.

Suo responso seipso illaqueant, & uictos sic fatentur. Nā cum respondent, Cæsaris esse imaginem, & ut tributi numum exhibent, statim confitentur se sub Cæsaris esse potestate, quā non improbat Christus rex spiritualis.



Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

Hæc eadem est sententia, quam Paulus his uerbis extulit ad Roma. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timor, timorem: cui honorem, honorẽ. Pulcherrimè autem & liberrimè hic infert Christus, eos sub Cæsare esse: quod numus, quo utebantur, Cæsaris imaginem haberet: & præferret potestatem, qua uteretur Cæsar in ipsos. Cùm (inquit) numisma, quo utimini, ostendat uos adactos esse ad soluendum tributum Cæsari, Soluite quod debetis, Cæsari. Ac si ita dicat, si tantum aded tribuistis Cæsari, ut eius apud uos numisma cudatur, rerum profectò ipse potitur. Quasi diceret, uestra culpa factum est, quod Cæsar uobis dominetur. Iure igitur debetis, quæ sunt Cæsaris, ipsi Cæsari persoluere. Non interrogant de numo, cuius esset, sed de iure. An iure debeant Cæsari censum, aut non debeant. Ad eam ergo questionem uideatur respondisse, ac numismate census illos euicisse, quod Cæsari iure debeant censum. Hic locus aperte docet, Christum non uenisse in mundum, ut abrogaret ciuiles politias, quas hic approbat, atque his uerbis gladium potestatis adeoque magistratum confirmat, quæ sperabant condemnandum ab eo, eiusque ipsum restitutum. Sed nihil minus perficit. Commendat nanque & prædicat magistratum, iubens, ut quæ eius sunt, pendant. Et tibi, non solum, ut debita persoluas, uerùm etiam patienter feras, si, quæ non sunt debita, tyrannide tibi auferantur: Ei (inquit suprâ. 6. cap.) qui uelit te in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, da & pallium. Et, qui te adegerit ad miliare unum, uade cum eo & alia duo.

Iudæi sua culpa tributarij Romanis.

Tyranni & raptores etiã patienter ferendi.

Et quæ sunt Dei, Deo.

His Christus separat regnum Dei à regno mundi, docens utrumque regnũ posse subsistere, modò utriusque detur, quod suum est. Nam regnum Dei non tollit regnũ ciuile, non perturbat respublicas, ordinationes publicas ad pacẽ & tràquillum conuictũ, non aufert. Sed quæ admodum ad regnũ ciuile certę leges & fœdera certa, ita ad regnum Dei spectant fides, spes, charitas, timor Dei & puritas uitæ. Et, ut in summa dicam, regni mundi & ciuilis fundamentũ est super res externas: Regnum uerò Dei super res spirituales. Cæsari reddamus opes seu terrena: Deo autem, cui nos nostraque debemus, corpus, animam & uoluntatem, adeoque omnia bona opera, ut mandatis eius semper obsequamur. Quid est autem, quod Christus distinguit inter hos Dominos, Deum scilicet & Cæsarem? ut non demus alteri, quod alterius est. Quod terrenum est, Cæsaris est: Quod religionis est, Dei. Numisma regis ostendit, quid regi nostro debeamus, huic debemus tributa ad conseruationem regni. Improbissimum certè & simul impiissimum fuerit, si nolit Deo rex, sed sibi dari, quod Deo debetur. In anima gerimus oblationem Christi & Spiritus sancti, per baptismum obsignati, & nomine quoque Christo inscripti, unde docemur, quid Christo debeamus. Cùm autẽ ille uenerit (inquit) docebit uos omnia, suggeret uobis omnia, deducet uos in omnem ueritatem. Proinde hic docemur, quod sicut magistratui danda sunt tributa ad conseruationem reipublicæ ciuilis, ita etiam templo Dei conferendæ sunt suæ oblationes, quibus sacra Dei, ministri religionis conseruentur. Nam quod Iudæi iam olim his legitimis donis defraudauerint templum Dei, ac grauatim contulerint, sicut & hodie fit, quæ ex lege debebant sacris, apparet ex Aggæo & Malachia. Quorum Aggæus, i. cap. sic ait, Quia domus mea deserta est, & vos festinastis unusquisque in domũ suam: propter hoc super uos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem: & terra prohibita est, ne daret germen suum. Malachias autem. 3. cap. ait, Si affigit homo Deum, quia uos configitis me: Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & in primitiis. Et in penuria uos maledicti estis, & me uos configitis gens tota: inferte omnem decimam in horreũ meum, & sit cibus in domo mea. Idem etiam Christus significat, quum toties mit-

Ad regna dei & mudi, quæ pertinent.

Nos Christiani nomẽ dedimus christo, & imagine christi insculpsi sumus.

Iudæi templi olim maligni cultores.

tit leprosos ad offerenda ea, quæ Moses iussit. Et Paulus in nouo testamento. i. Corinth. 9. cap. uult cibum esse in domo Dei, quo alantur ministri, & temporalia metant, quod spiritalia seminent. Qui loci nõ obscure docet, ut vulgus templum suis legitimis oblationibus non defraudet. Vnde Christus & hoc loco monet Iudæos, ut non solum dent ciuili magistratui, sed etiam templo Dei, hoc est, unicuique, quod debent. Quod si ministris legis Mosaicæ illa debebatur, quantò magis ministris legis Euangelicæ, quantòque item rectius cauetur, ne defraudentur?

Debita templis & sacerdotibus persoluenda.

Et audientes, mirati sunt.

Christus & Euangelium triumphant, & confunduntur aduersarij. En præmia hypocritarum & infidiorum, admirari & confundi. Admirantur, quomodo laqueum tam certum (ut arbitrabantur) sibi paratum, potuerat deprehendere: magis autem, quod absque calumnia effugere. Aduerte: uerbum Dei, ut nihil profit auditoribus, tamen eos mirati facit, tantam scilicet prudentiam, rerumque peritiam unico celsisse homini, sed non mouentur, ut se se per fidem uiuam conuertant ad eum.

Infidiorum & Hypocritarum est, denique confundi & ignominia affici.

Et relicto illo abierunt.

Sed tacuerunt ne, ita ut postea non sint calumniati hoc tam prudens Christi responsum? Minimè omnium. Nam cùm Christus coram Pilato sisteretur, quod erat circumspicissimè dictum, malitiosissimè peruerterunt, dicentes, Hunc inuenimus subuertentem plebem, & prohibentem tributa dari Cæsari. Obserua: obsecro, quid est à calumniatoribus tutum, si hoc prudentissimũ Christi responsum rapitur in calumniam? Sed hoc est, quod Christus dicit, Satanam esse principem huius seculi: qui cùm sit mendax & homicida, omnem adhibet operam, ut quæ relictissimè dicta factaque sunt, inuertat per suos sycophantas (qui sunt organa eius) & in pessimam partem exponat. Cauendum tamen ne desistamus ab opere bono, sed pergamus in mutua dilectione, obseruantes Dei mandata, qui nos tandem ab omni calumnia liberabit, & nostram coram angelis suis comprobabit innocentiam. Cæterum quod abierunt infidiatores Pharisei relicto Christo, signum est maioris pertinaciæ & cæcitatibus, in quam incidit iusto Dei iudicio obstinati & pertinaces. Reliquerunt eum, & deserunt prouocare, quem uincere non poterant, sed nõ desierunt odisse, quem amare debebant.

Nihil à calumniatoribus tutum.

Iudæorum cæca malitia.

In illo die, acceperunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.

Hæc est fors prædicatorum ueritatis, ut nunquam otientur, sed ferè perpetuis tentionibus, si nõ intus, tamen foris uexentur. Quare Phariseis uictis à Christo, accedunt Sadducæi. Homines hi philosophi erant apud Iudæos: ex rationis & sapientiæ humanæ fontibus circa leges diuinas adfingebant interpretationes. Credebant libris Moyse, sed non prophetis. Sentiebant animam una cum corpore interire, & nullam esse mortuorum resurrectionem. Lucas Act. 23. de his mentionem faciens, ait, Sadducæi autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelũ, neque spiritum. Hoc reuera est ipsissima rationis carnalis dogma, & purum humanæ sapientiæ inuentum, afferere, legem Dei in hoc tantum datam, ut hic uiuamus honestè, post hanc uerò uitam non restare aliam, nec præmium ullũ. Vnde Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. non frustra scribit, quod ditiores ac nobiliores Iudæorum illis adhæserint, hoc est, illi potissimum, quorum erat portio in hac uita. Horum adhuc passim apud gentium philosophos leguntur argumenta, quorum aliquot confutat Cicero lib. 1. Tusculanarum questionum. Contra resurrectionem sese opposuerunt nõ solum Sadducæi, sed & multi alij heretici, ueluti Simoniani, Archonitici, Hierarchili, &c. Et hodie pro dolor, ut audio,

Sadducæi, q. & quid sentiebant.

Diuites Iudæorum in sententiã ierunt Sadducæorum, negantium resurrectionem. Immortalitatem animæ multi negarunt, hodieq. negant.



vnus Satanae  
diuersa stu-  
dia.  
Cōfensus ad-  
uerfariorum  
in Christum.

multi, qui negant animæ immortalitatem. Obserua: Nulla impietatis factio Christi non impugnabat, quantumuis se inuicem cane peius & angue odissent, quia ab uno agebantur Satana omnēs, quem exarmaturus Christus uenerat.

Et interrogauerunt eum, dicentes.

Cū audiissent Christum crebrò meminisse uitæ æternæ, & futuri seculi, ac resurrectionis iustorum, adoriuntur illum, experimentum facturi, utrū cum Pharisæis sentiret, an sibi contraria doceret: ut uel carperent illum, si cum eis pugnaret: uel irriderent, si cum Pharisæis sentiret. Tam ualidum autem putant suum argumentum, ut nihil formident, à Christo insolubile esse, quòd adduceretur ex lege, Deuter. 25. cap. de semine suscitando fratri.

Magister.

Vide & obserua, quàm bellè soleat hypocrisis seipsam insinuare in astimationem hominum. Struunt insidias, proponentes quæstionem admodum ciuilitè: impugnant doctrinam Christi, & fidem de resurrectione mortuorum, & spirituum subsistentia in alio mundo.

Moyfes dixit.

Hypocrisis,  
uerbi autori-  
tate sese ob-  
ducit.

En hypocrisim, autoritate sustam. Plerunque tegit se hypocrisis autoritate uerbi, malè intellecti aut conciliati cum similibus scripturæ locis. Moyfes ita scripsit nobis, iubente Domino.

Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo.

Non te latet Mosen scripsisse, Deuter. 25. Quando habitauerint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium appellabit nomine illius, ut non deleatur nomen eius ex Israël. Hoc certissimum est, & inter nos conuenit.

Erāt autem apud nos septem fratres. Primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem uxor? Omnes enim habuerūt eam.

Proposita lege de suscitando semine fratri, mox legi casum quendam (ut uocant) iuridicum adtingunt, dicentes, fuisse inter Iudæos mulierem, quæ ordine septem fratribus nupta, aliis atque alijs subinde fato concedentibus, tandem & ipsa defuncta fuerit, & in alium concesserit mundum ad uiros suos. In resurrectione, &c. accommodatio est casus positi & exempli. Tamen si autem non crederent hi Dei omnipotentiam, hoc est, non crederent possibilem esse corporum resurrectionem, tamen quia omnes confitebantur Deum esse omnipotentem, aliò se transfulerunt, nimirum ad statum, qui omnium confusissimus ac absurdissimus esset. Quasi dicant: Nō dubitamus Deum esse omnipotentem. Scimus tamè quòd si resurrectionē faceret, uellet statum hominum prorsus confusum & intolerabilem esse. Si enim futura est resurrectio, quis illorum septem illius mulieris complexibus in alio illo mundo potietur? Cū autem turpe sit cogitare fratres istos propter uxorem in alio mundo bellare, altercari, digladiari, uel communem illam omnium fore, consequens est resurrectionem fore nullam. Certè omnia ferimè argumenta quæ ab Ethnicis contra fidem resurrectionis corporum fiunt, ab absurdo petita sunt, doctore August. de ciuitate Dei, lib. 2.2. Porro argumentantur Sadducæi de resurrectione, iuxta præscriptum rationis humanæ, quæ si concederet resurrectionem, astima-

Argumenta  
Ethnicorum  
contra resur-  
rectionem,  
qualia.

ret eam secundum usum præsentis uitæ, in qua uxores habent maritos, & habentur à maritis. Iudicat item futuram uitam, si aliqua erit, eam non fore dissimilem præsentis. Sed sic iudicare de alia uitæ, est prorsus carnali modo de resurrectione nugari & omnino brutorum more uiuere.

Respondens autem Iesus, ait illis.

Manfuetus Dominus Iesus Christus Sadducæos miti responso dignatur, suauisque alloquitur, quàm Pharisæos, quòd magis ex errore, quàm malitia ipsum adorirentur. Hoc exemplo monemur, mansuetè agendum esse cum erratibus, dure uerò cum hypocritis malitiosis. Etenim qui per inscitiam errant, digni sunt, qui doceantur, sed qui mera malitia sciscitantur, indigni sunt responso. Cæterum ita respondet Dominus ad quæstionem, ut causas erroris primò perstringat: deinde ad absurdum respondeat: postremò probet ex scripturis contrarium.

Inscij docen-  
di, maligni  
arguendi.

Erratis.

Hæc unica uox facit satis aduersus eos, qui ex humana ratione resurrectionem oppugnant. Quis dubitauerit errare omnes, quotquot secus sentiant, atque is qui mentiri nō nouit, quique ipsa ueritas est? Erratis, id est, alieni estis & deuiatis à ueritate, dicentes non fore resurrectionem mortuorum. Operæpretium est, ut qui uolunt errantes docere, admoneant illos sui erroris ut agnoscant se errare, alioqui non finerent se instrui, nisi persuasi essent se errare. Duplici autem errore Sadducæi laborabant circa resurrectionem. Priore, quòd negarent resurrectionem futuram: posteriore, quòd putarent, si futura esset, rediturum eum statum seculi, qui in hac uita est. Obserua, Christum hac uoce Erratis, adimere omnes falsas opiniones circa resurrectionem.

Nescientes scripturas.

Confutat Christus malam argumentationem Sadducæorum, argumentantium iuxta humanam rationem, reuocans eos à rationis argumentis ad ipsum uerbum, quod nos certos facit de resurrectione, & adducens causam, cur errarent, ignorantiam scilicet scripturarum, inter quas nescirent discernere, quæ admittendæ essent. Non enim recipiebant prophetas, ideo nesciebant scripturas. Sed quomodo nesciebant scripturas, cū quæstionem ex illis texuissent? Respondeo. Admittebant Pentateuchum seu Mosen, quem licet non ignorabāt iuxta literam, tamen neque sciebant, neque intelligebant. Cū enim literis sacris operam nauamus, primò occurrit lectio iuxta corticem literæ & grammaticen, & hanc non ignorabant. Deinde studemus cognitioni sententiæ & mentis. Et hæc cognitio est intelligentia, non contenta simplicis uerbi cognitione: sed tenet, quod sit propositum, quæ ratio, quis finis scripturæ. Ut ei, qui uult cognoscere hominem, non sufficit, si de facie & nomine cognoscat: sed exigitur, ut & naturam & uoluntatem & animum illius comprehendat. Sicut enim nucem non habet, qui corticem tantum habet: ita hominis cognitionem non habet, qui corporis lineamenta quidem cognoscit, animū uerò ignorat. Ita Sadducæi quidem non ignorabant literam loci, quem citabant, sed sensum & scopum illius ignorabant. Quare hunc Sadducæorum errorem inde profectum putarim, quòd legis scopum & spiritum minimè uidebant, & non nisi carnalia in ea promitti autumabant. Quæ quia ad hanc uitam pertinent, ideo hanc solam esse definiebant. Vnde etiam uides, quòd sensus carnis non nisi cum mendacio, de diuinis iudicat. Produnt autem suam ignorantiam, citantes locum illum Deuter. 25. qui nihil facit ad approbandam uel improbandam mortuorum resurrectionem, sed faciebat ad conseruandam pacem publicam, quæ solet, alias possessionum permutatione commixtionēque turbari. Hac ergo lege lata huc spectauit Dominus, ut cuiuslibet familiæ sua hæreditas cederet, sed & posteritati rectius consideretur. Obserua, matrem errorum esse scripturarum ignorantiam. Et iure hoc

Cognitio rei  
cuiuspiā qd  
exigat.



fit: habent enim scripturæ sacræ uerbum Dei, quod est ignitum, est & lucerna pedum nostrorum. 2. Timoth. 3. Omnis enim scriptura, diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Obserua, non esse satis, proferre unum aut alterum scripturæ locum, nisi rectè quoque applices accommodésque rebus, nisi etiam cum aliis scripturæ locis conueniat, & cum dogmatis fidei, in Ecclesia receptis, ac orthodoxis, non differant.

## Neque uirtutem Dei.

Beatus Paulus, cum aut resurrectionis mentionem facit, aut de mysteriis articulo- rum fidei tractat, quæ uires exigunt humanis maiores, & rationi humanæ uidentur impossibilia, sepè uim & uirtutem Dei spectandam proponit. Cuius sensus spiritalis seu cognitio in primis instinctu spiritus Dei, deinde assidua scripturarum lectione, tertio diligenti & uigilanti meditatione & obseruatione operum Dei habenda est. Non deerunt huius diuinæ uirtutis innumera argumenta, ob oculos nostros uersantia. Et ut hic, ita & in aliis, quæ bonitatem humana maiorem præferunt, recurrendum est ad infinitam Dei *φιλαγροπία*, id est, amorem Dei erga homines, cuius ob oculos innumera habemus exempla, etiam quotidiana. Rom. 1. cap. Qui prædestinatus est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, Coloss. 1. in quo & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me in uirtute. Coloss. 2. In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Ad Philipp. 3. Secundum operationem uirtutis sue, quæ etiam possit subiicere sibi omnia. Rogabis, Quæ est hæc uirtus Dei, quam nesciebant Sadducei? Virtus Dei uel potentia Dei ea est, qua ea, quæ nõ sunt (ut Paulus ait) uocare potest, ueluti si sint: uel Dei claritas ac puritas est, quam iis communicat, quos sua iudicat dignos gloria. Est & uirtus Dei, ueritatis constantia. Nesciebant Sadducei hanc uirtutem Dei potentem corpora humana transmutare in gloriam impassibilitatis, ac sustentare sine cibo & potu & reliquis huiusmodi, ignorabant. Atque hæc ignorantia conferuabat illos in carnali uita, & præcipitabat in sædos & innumeros errores.

## In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur.

Post dissolutum errorem, & illius causas adductas, ut optimus medicus, medellam adhibet, doctrinam scilicet ueritatis: & aperit statum eorum: qui post resurrectionem felices erunt. Et quia produxerant fictum casum de muliere quæ septem uiros habuerat ad docendum confusum (si resurrectio futura esset) & intolerabile statum, in primis corrigit opinionem, quam inducerant, putantes eundem statum uiuendi rediturum, qualis in præsentia uita habetur, si futura esset resurrectio. Non fit hic mentio de statu damnandorum. Lucas. 20. ca. hanc disputationem narras, ait: Et ait illis Iesus, Filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias. Illi uerò, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt. Filios huius seculi Lucas uocat, quotquot in hoc seculo uiuunt: & qui digni habebuntur in illo seculo, intelliguntur qui futuram felicitatem apprehendent. Damnat ergo Christus falsam Sadduceorum intelligentiam, quod eam legem, quæ data est huic præsentia seculo, accommodarent ad futurum seculum. Filij (inquiens) huius seculi, id est, qui uiuunt in hoc seculo, ducunt uxores, & nuptum dant. Hoc est, leges de coniugiis lætæ sunt huic & non alteri seculo. De hoc enim præsentia seculo dictum est, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Similiter, relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ. De hoc item præsentia seculo dictum est, Uxor defuncti sine liberis, non nubet alteri, sed accipiat eam frater eius. In præsentia uita coniugia celebrantur propter generationem: estque generatio necessaria propter indiuiduorum

uiduorum corruptionem, ut conseruetur species. Item & propter speciei multiplicationem, quam per generationem alterius de altero Deus fieri instituit in hominibus, sicut & in cæteris perfectis animalibus. In resurrectione autè, quando erit iam completus electorum numerus, & quando ultra non erit indiuiduorum corruptio, tunc qui digni habebuntur illo seculo & resurrectione ex mortuis, neque uxores ducent, neque nuptum dabunt, neque ultra mori poterunt. Sunt immortales, quia sunt filij resurrectionis à morte: & sunt filij Dei, qui regenerati sunt resurrectione Christi. Non igitur indigent coniugio, & liberorum procreatione.

## Sed erunt, sicut Angeli Dei in cælo.

Non erunt, illi quidem Angeli. Non enim humana natura, & corporum substantia, animæque & corporis coniunctio, & corporum formæ tollentur, sed erunt similes angelis. Cogitatione humana consequi perfectè non possumus, qualis sit futuri seculi status, doctore Paulo. 1. Corinth. 2. ex Isaia 64. Nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sed ex hoc loco aliqua ex parte discere de illo statu possumus. Erunt similes angelis, quoniam quantum attinet ad nuptias, carnales affectus, terrenasque corruptiones, nihil inibi tale erit. His enim carent angeli. Quod infirmitatis est, quod mortalitatis, quod corruptionis, quod graue, quod molestū, quod tardum, quod miserum, quod inglorium, abolebitur per resurrectionem. Ad hæc in anima abolebuntur cæcitas, ignorantia, sinistra opiniones, prauis affectus, iræ, inuidiæ, motus superbiæ, &c. Hoc demum est, esse sicut angelum Dei. Eadem quidem erit corporis substantia, sed gloriosa, & ab omni repurgata corruptione. Erunt igitur filij resurrectionis, propterea quod fruuntur resurrectionis beneficiis, quæ sunt, sempiternum gaudium & perpetua felicitas. Erunt & filij Dei, quod ad ipsos spectabit hæreditas bonorum Dei. Verè autem Dei bona sunt, cælestis uita, perfecta iustitia, immortale & immutabile gaudium. Erunt & similes angelis quantum ad successionem per generationem. Sic nec homines in futuro seculo contrahent matrimonia. Angeli nec edunt nec bibunt ad conseruandam uitam, nec algent nec sudant nec habent quicquam harum corporalium affectionum. Ita homines nec edent, nec bibent, nec algebunt, nec sudabunt in futuro seculo. Seminatur, inquit Paulus 1. Corinth. 15. in ignobilitate surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in uirtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Animale corpus est, quod habet proprietates animalium in hac terra uiuentium, quæ sunt, esurire, sitire, algere, edere, bibere, uestiri, graue esse, de loco in locum corporali modo moueri, & id genus alia. Et has corporis proprietates habemus in hoc præsentia seculo. Corpus autem spirituale est, quod spiritu ductatur, & quia habet proprietates spirituum seu angelorum, quæ sunt, non esurire, nõ sentire, &c. ut prædiximus. Et his proprietatibus ornabuntur beati. Ad hæc angeli semper uident & laudant Deum, ducentes perpetuò felicissimam uitam. Idem etiam facient homines pij postquam à mortuis resurrexerint.

## De resurrectione autem mortuorum, non legistis, quod dictum est à Deo, dicente uobis.

Ab autoritate scripturæ Exodi. 3. & ipsius Dei uerbis probat resurrectionem mortuorum. Quasi dicat non à ratione humana, sed à scriptura & Dei uerbo discenda est resurrectio. Etenim uerbi Dei testimonio facile monstrari potest, cum apud rubum Dominus apparens patri uestro Moysi, dixit.

Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

Non dicit, Ego fui Deus Abraham, sed, ego sum, &c. significans, se non loqui

MMm

Generatio in hoc seculo necessaria.

Statum futuri seculi neg per somnium quidem capere ab mortali posse.

Beati, quomodo similes angelis.

Beati, filij resurrectionis & filij Dei.

Vera Dei bona, quæ.

Corpus animale, quid Paulo.

Corpus spirituale.

Resurrectio mortuorum unde discenda.

Scripturarum ignorantia mater errorum

In citandis scripturis quod obseruandum.

Virtutis Dei cognitio quomodo quaerenda.

Virtus Dei quid.

Filij seculi, qui.



tempore, quo Abraham, Isaac & Iacob hinc uitali fruebantur aura, sed de tum praesenti, quod post tot annos à morte Abraham fluxerat. Et Moſen ac Iacob alloquitur. Hi ſi toti periſſent morte corporum, non diceret ſe eſſe Deum illorum, ſed fuiſſe. Quòd ſi eſt Deus illorum, utique uiuunt illorum anima, uiuunt & ipſi toti quodammodo, uidelicet ſpe reſurrectionis futurae.

**Non eſt Deus mortuorum, ſed uiuentium.**

**Deo omnia uiuunt.** Lucas ſcribit, Omnes enim uiuunt ei. Vtique qui mortui erant, Abraham, Isaac, & Iacob, mortui quidem ſeculo accarni erant ad tempus, Deo autem non erant mortui, cui uiuebant, tam actu quàm potentia. Actu quidem, quia anima eorum apud Deum uiuunt. Potètia uerò, quia corpora eorum in ſpe requieſcant. **Deum eſſe Deum alicuius, quid.** Deum eſſe Deum alicuius, eſt, Deum eſſe ipſi redemptorem, ſaluatorem, & uiuificatorè perpetuū. Is, cui Deus talis eſt, certè uiuit uita aeterna. Ioan. 10. cap. Oues meae uocè meā audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternū, & non rapiet eas quiſquā de manu mea: his Deus eſt Deus, non autè reprobis & dānatis, quia hac uita Chriſti nō uiuunt. Ideo & ſi cōmuni uita uiuant, miſerrimi tamen nihilominus, ac mortui ſunt. Nō enim cōpetit ipſis perpetua uiuificatio. Iam cū Dominus ſit & animarū & corporum conditor, oportet reſurrectionem futurā eſſe corporum. Rom. 8. Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra (id eſt immortalia faciet) propter inhabitantem ſpiritum eius in uobis. Audiamus & Apoſtolos eodem capite Pauli dicentes, Et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri, id eſt, ut liberetur corpus noſtrum à corruptione. Iam cū dicatur Deus, Deus Abraham, Isaac & Iacob, uanum foret hoc dictum, niſi & ſpes reſurrectionis corporum reliſta eſſet. Mortuos dicimus, qui licet in ſeculo non uiuant, è quo abierunt, uiuunt tamen coram Deo in altero ſeculo. Et horum mortuorum Deus eſt, quia uiuunt coram Deo. Vocant Sadducæi mortuos, qui poſtquam ex hoc ſeculo abierunt, neque coram Deo neque coram hominibus uiuūt. Certè nō ſunt homines huiusmodi, cū ipſorū animæ ſint immortales, alioqui Deus eſſet, Deus nihili, ſi poſt hanc uitam nulla alia eſſet. Quid autem abſurdius dici poteſt? Nam cū uerbo Domini cœli firmati ſint, & uirtus eorum uerbo eius conſtiterit, agnoſcimus tantam uerbi Dei potentiam, ut & ſi Abraham nihil omnino eſſet, tamen cum Deus uocat ſe Deum Abrahami, continuò ex illa uocatione Dei aliquid fieret. Qui uitæ (inquit Paulus) reſtituit mortuos, & uocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Abraham, quum adhuc uiueret in hac terra, non erat pater multarum gentium, ſed quum ſic à Deo uocaretur, continuò factus eſt coram Deo, quod uocabatur. Sic & Abraham nunc mortuus, coram hoc externo mundo non eſt. Sed quia Deus uocat ſe Deum Abrahami, neceſſe habet Abraham ex hac Dei uocatione aliquid eſſe, etiam ſi antea nihil omnino fuiſſet. Quare cū Deus uocet ſe in Moſe, Deum Patriarcharum antea mortuorum, manifeſtè ſignificat mortuos homines, non ita mortuos eſſe, quòd quemadmodum in oculis huius mundi nihil ſunt; ita planè nihil ſint coram Deo, ſed quòd adhuc coram Deo uiuant: quæ etiam uita ſuo tempore per reſurrectionem in oculis mundi reuelabitur. Proinde poteſt ex ſuperioribus colligi integer ſyllogiſmus in Daſi: Deus eſt Deus uiuorum: Deus eſt Deus Abraham, Isaac & Iacob: Ergo Abraham, Isaac & Iacob uiuunt. Argumentum ualeat à cauſa efficiente, quæ eſt Deus, qui uita eſt ex natura & nomine Dei. Natura enim Dei eſt, perpetuum eſſe, uel eſſentia perpetua: & nomen Dei Iehouah, nomen habet à uita & ab eſſendo, quòd Deus omnibus eſſe & uitā tribuit. Aduerte, mortuos hinc dici, qui opinione Sadducæorū credebantur ſimul & corpore & anima interire. Viuentes uerò eos, qui reſurgent

Rom. 4.

Vocationi Dei ea etiam ſunt, quæ nulla ſunt.

Deus, natura &amp; nomine uita eſt.

ad uitam aeternam. Obſerua in quibuſdam exemplaribus Græcis repetitur Deus, Deus, *ὁ θεὸς ὁ θεός, ὁ θεὸς ὁ θεός*, id eſt, non eſt Deus, Deus mortuorū. Idem repetit Theophylaſtus. Rogant multi, an non erant in ſcripturis clariora his & euidentiora reſurrectionis teſtimonia? Erant planè, ſed quoniam Chriſtus cum Sadducæis agebat, qui, ut ſcriptores referunt, non agnoſcebant aliquid ſacrarum literarum præter Legem ſeu Pentateuchum Moſi, maluit hoc loco reſurrectionis teſtimonium contra Sadducæos ex Moſe citare, ut qui per Moſen conabantur dogma de reſurrectione ſubuertere, per Moſen uincerentur. Quòd ſi quis plura & clariora è prophetis teſtimonia petit, legat Iob. 19. Iſa. 26. Ezech. 37. Daniel. 12. Rogabis: licet hac autoritate conuincantur Sadducæi, quòd Abraham huic ſeculo mortuus, & deſunctus, uiuat: quo modo tamen ex eadem autoritate oſtenditur reſurrectio mortuorum, ad quam tamen probandam Chriſtus illam adducit dicens, De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis? Reſpondeo: hæc autoritas eò adducitur in Sadducæum, quòd certè ſtatuere omnia interire cum morte, & animam eſſe mortalem. Iam hac autoritate uincens Sadducæum de immortalitate animæ, conuincit etiam ipſum, ut & ad reſurrectionem accedat. Fateor quidè, quòd philoſophos immortalitas animæ non conuincat, quòd futura ſit reſurrectio mortuorum: conuincit tamen fideles & pios, qui ſpe uiuentes, expectant cœleſtis patriæ perfectam beatitudinem, quæ erit in unito corpore, alioqui maneret pars ſeparata à ſuo toto. Et de qua profunda eſt expectatio, ut docet Paulus ad Roma. 8. cap.

Reſurrectio corporum ex multis ſcripturæ locis probabilis.

Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.

Magna quidem eſt ueritatis potentia, animoſtamen obſtinatos & excæcatos non commouet, quales erant Sadducæorum: ſed ſimplices & contemptibiles, qui ſimpliciter & candidè audiunt uerbum Dei. Siquidem uidentes potentibus & magnatibus huius ſeculi obturari os prudentibus reſponſis Chriſti, admirabantur eius efficacem & promptam doctrinam. Obſerua, admiratio eſt effectus potentiæ uerbi, quam exercet uerbum in turbis.

Simplices audiunt &amp; recipiunt uerbum Dei.

Phariſæi autem audientes, quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in unum.

Non diſplicebat Phariſæis, quòd obruratum eſſet Sadducæis os, præſertim in argumento, in quo uelut ex diametro inter ſe diſidebant. Cū ergo illos obmutiſſe uidiſſent, exprobrata etiam inſcitia ſcripturarū, ruſum ueluti recepto ſpiritu: his enim & iterum antea uicti fuerant & pudèfacti, ſeſe Phariſæi conglomerāt, & tentare moliuntur Chriſtum, prodentes ſuæ malitiæ ingenium, ac pertinaciæ & magnæ cæcitatæ exemplum. Nam cū audiunt Chriſtum uiciſſe Sadducæos, & ſe non ignorant frequenter pudèfactos, tamen iterum accedunt ad Chriſtum, ut eum confundant: fingunt ſe ueritatem querere, & illius eſſe amatores, cū tamen nihil minus quererent. Nam qui pro ueritate certat, is certè, ubi de illa inſtructus fuerit, quieſcit, & illius inſtructionem amplectitur. Sed iſti ſecus faciunt. Quò enim magis docti ſunt ueritatem, eò uehementius illam auerſantur. Quare non quæras ſatiſfacere in cauſa ueritatis, iis qui illam ex animo non quærent.

Phariſæorū malitia, cæcitas &amp; pertinacia.

Et interrogauit eum unus ex eis, legis doctor, tentans eum.

Conſultant inuicem, dicentes: Hic Nazarenus ſcriptura conſutauit Sadducæos: ſed hos nouimus indoctos eſſe & imperitos. Sunt enim uiri profani & ſeculares: nos uerò docti, qui literas didicimus, & legem interpretari nouimus. Hic Nazarenus neque literas nouit neque didicit, filius eſt fabri & Mariæ, quos nouimus, abiectæ conditionis homines: idiota eſt ignorans legis, conciones eius nihil legalis ſcientiæ reſipiunt: ideo furgat peritiſſimus quiſpiam è noſtris, legiſperitus, qui illum docta quæſtione adoriatur. Mox ſubornant, quem putant doctiſſimum, & di-



sputationem instruunt, ut quæretur, quod nam in lege sit mandatum præstantissimum, quis scopus, & quod argumentum legis & prophetarum. Et hoc, ut Christum incitiae argueret, quod factu facile putabant (existimabant enim Scribæ, Dominum legis esse imperitum, ut qui nusquam in ulla schola literas didicerat) uel ut ipse legis doctor laudem eruditionis auferret. Subornant quidem legis doctores, non discendi, sed tentandi gratia. Nam hoc hominum genus in lege nihil aliud quærebat, quam de scientia illius apud homines gloriari: quales describit Paulus Roma. 2. Interea tamen magnam legis obseruantiam simulabāt, illamque passim urgebant. Obserua, malo quidem animo hic cœpit Dominum interrogare, subornatus à Phariseis, nihil prius nece Domini quærentibus, sed ut apparet ex Domini, ad eum responsione, quæ in Marco. 12. cap. ita scribitur, Non es longè à regno Dei, uidetur motus Domini uerbis ad ueritatem, atque ita aliquo modo adductus in regnum Dei. Quod futurum Christus sciens, tantò apertius indubiè & benignius est ipsi loquutus. Aut quia pia erat quæstio, & cognitu necessaria, uel propter populum, qui discendi gratia præsens erat, Dominus ad interrogata respondet.

## Magister.

Caprat beneuolentiam legis doctor à persona Christi. Accedit plenus hypocrisis & simulatione. Vide hinc quam pulchrè in persequenda & opprimenda ueritate cōspirent Pharisei, & Sadducæi: alioqui dissiuatisimi inter sese & inimicissimi. Cur? quia membra sunt Satane, propter quem conueniunt, ut è medio tollāt Christum, regnum Satane euerterentem.

## Quod est mandatum magnum in lege?

Rogat legis doctor, Quòdnam est magnum, id est, primum, maximum & præcipuum in lege mandatum, ad quod uidelicet cætera referri queant? Hoc rogo dis soluas, alioqui temerarius uideberis. Quoniam sine nostrorum principum autoritate doces populum, nec dicis nobis in qua potestate id facias, opus est & necessarium, ut legem noueris, illiusque cognitionem habeas, quam à Deo per Moysen accepimus: tu quantum in ea promoueris ex tuis concionibus, non nouimus. Dic igitur, quod sit præcipuum & magnum mandatum?

## Ait illi Iesus.

Interroganti de lege Christus de lege respondet, Qui non uenit soluere legem, sed adimplere, Matth. 5. Qui non uenit diuersa docere à lege & prophetis, sed uerum legis ac prophetarum usum exponere, sicut & diligenter facit Matth. 5. & 6. Vnde ad quæstionem ita ex ipsius legis penetralibus respondet, ut ex uerbis ipsius, pauculis quidem, sed uirtute maximis & copiosissimis, colligerent intelligentesque auditores, Dominum legis esse peritissimum. Simulque ostendit illos, qui legis professione sese uenditabant, longissimè abesse à maximi præcepti obseruatione, ut qui toti flagrarent liuore & odio proximi, cæterisque uitiis, quæ nihil habent affine cum sincera charitate: nec quenquam amare Deum, qui in proximum fit iniquus.

## Diliges.

Hic locus desumptus est ex Deutero. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c. Quibus uerbis agnoscimus nos neque desertos prorsus, neque sine spe salutis esse. Quandoquidem dignatur docere nos, & si per peccatum Adæ à Deo descuerimus omnes, Deus benignus & misericors, suo mandato uoluntatem suam explicante, quid à nobis uelit, & quomodo parere ac obedire illi debeamus. Vnde intelligimus, quam uelit adhuc nos saluos. Nam quemadmodum non despondet animum de uita æger, quandiu præcipit medicus, quid facere debeat: Neque enim solet medicus quid-

Præcepta dei nos docent, Deo curam esse nostri. Simile.

quam præcipere, ubi de uita actum est, & nihil spei superest. Ita & hoc mandato intelligimus, Deum instituisse medicinam exorbendam, & porrigere iuxta suam bonam uoluntatem, quam facientes, sani & incolumes euadamus. Ostendit enim se curam habere de nobis, dum præcipit. Quare præcipiens addit animos, ut audiamus, & recipiamus mandatum ceu beneuolentiæ & gratiæ erga nos testimonium. Alioqui quid ipse opus habet nostra obedientia? Siquidem in gratiam non medici, sed ægroti ordinantur antidota & pharmaca. Obedientia tollit morbos, sed restituit uitam, & quæ per peccatum ablata sunt. Mandatum eius (ait Christus Ioan. 12.) uita æterna est. Dæmonibus & damnatis, quia de illorum salute nihil spei relictum est, non præcipitur quicquam, quo detur illis resipiscendi animus. Est igitur magna gratia à magno Deo nobis facta, quod in mandatis eius intelligamus, quod medicus noster est, quodque potest & uult mederi. Primo uerbo, quid præcipiat, aperit, nempe ut diligamus. Quo uerbo declarat, quam simus corrupti, qui Deum oderimus, ab eo recesserimus, & propterea milles miseri & perditissimi, nisi ab hoc morbo liberemur. Exorbeamus ergo medicatam potionem, scilicet dilectionem: recedat à nobis odium Dei & proximi. Sorbentes Dei dilectionem, iungemur summo bono, imò uniti erimus fonti omnium bonorum, in quo, quod necessarium fuerit, hauriemus, & salui erimus. Alioqui peribimus, dicente Dauide, psal. 72. Qui elongant se à te, peribunt. Apud Latinos tria sunt nomina, quæ idem significant, amor, charitas & dilectio. Amor generalius est uocabulū, & latius patet, quod nō tam frequenter sacræ usurpāt literæ atque profanæ. Scriptura sacra, frequētius utitur his uoculis, dilectio & charitas. Dilectio uox Latina est, Charitas Græca, à *χρησμαι*, quod est obsequi, & beneficiū gratiamque conferre: unde *χρησμαι*, gratia, beneficiū atque obsequiū. Siue, charitas est fauor & beneficentia. *ἀγάπη* receptissimū est in literis Apostolicis, & ferè uel per charitatē uel per dilectionē redditur ab interpretibus. Est autē diligere, aliquid appetibile deligere, & huic cū fauore & studio adharere. S. Aug. lib. de doctrina Christ. 3. cap. 10. ait, Charitatem uoco, animi motum ad perfruentem Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Quem sequutus Petrus Lombardus lib. 3. distin. 27. inquit: Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum uel in Deo. Ex una eademque charitate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum: nos uerò & proximum propter Deum. Hæc ille. Ge-  
Dilectio da-  
mina tamen est propter diuersos respectus. Est enim dilectio Dei, est & dilectio  
plex.  
proximi: iuxta quam partitionē diuisus est decalogus legis. Priore tabula traditur dilectio Dei, posteriore dilectio proximi. Priusquā Deū diligamus, prior ipse diligit nos. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, nō quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Necessarius est fauor Dei, seu auxilium Dei speciale, præueniens hanc dilectionem, quæ non est sine fide, quæ est cognitio Dei. Pro-  
Nihil amatū,  
nisi cognitū.  
pterea rectè & prudenter dixerunt prisci, nihil amari, nisi cognitum. Ergo dile-  
ctio Dei conciliat & agglutinat nos Deo, ut nos in ipso uiuamus, & ipse uiuat in nobis. 1. Ioan. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Auger præterea dilectio cognitionem diuinam, efficitque ut cognito Deo sic  
Dilectione  
cognitio cre-  
scit.  
afficiamur & delectemur, ut faciliè omnia alia fastidiamus bona, mala autem superemus, neque permittamus nos à summo illo bono uel abstrahi, uel ullius alterius rei amore superari. Nam Dominus ait Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonē meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionē apud eum faciemus. Et inibi, Qui diligit me, diligitur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Roma. 8. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Expellit & hæc dilectio omnem excruciantem & seruilem timorem, & de salute tranquillam reddit conscientiam. 1. Ioann. 4. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem ti-



Dilectio quæ timorē abigit. met, non est perfectus in charitate. Non est tamen hæc charitas sine timore filiali, qui est reuerentia obseruantiaque Dei, & amore & cura sancta temperatus, plurimum habens alacritatis & libertatis.

## Dominum.

Dominus, quid nominis. Nomen est potentia ac maiestatis Dominus, unde hoc nomine erigitur in nobis, cum fides, tum charitas. Audientes enim cum, cui adhæremus, esse potentissimum, certè stabilior firmiorque redditur noster animus, aduersus omnes aduersarias potestates, quæ quotquot sunt, huic Domino subiectæ sunt. In scripturis uocatur Dominus Dominorum, ut eum præsertim timeas. Solus est præcipue Dominus, & unus Dominus, Ephes. 4. Idem Dominus omnium, Roma. 10. Dominus cæli & terræ. Suprà. 12. cap. id notum est uel ex uocabuli uirtute. Nam quis rectè Dominus uocatur, nisi qui ius habet & imperium in alios? Unde dominari uerbum, est aliis imperare proque arbitrio uti, ut reliquis sit illi obediendum & ipse nemini seruiat, nemini subdit. Quis est autem hic, nisi solus Deus? Cum orasset Dauid, ut potentiam suam Deus erga hostes exerceat, subiunxit, ut cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus es in omni terra. Hinc quidam Romanorum Imperator uolebat se uocari Dominum, agnoscens illud esse cognomen folius Dei. Quare simpliciter Deus dicitur Dominus, id etiam docentibus & dicentibus prophetis, Hæc dicit Dominus. Ibi nihil additur, eò quod sit uniuersalis omnium Dominus. Additamenta & tituli uarij sunt notæ defectuum: ideo enim adduntur, quia qui in terris domini sunt, non ubique domini sunt. Vni ergo Domino subiiciamur, & illi seruiamus, uelut unico omnium Domino.

## Deum.

Deus à iu-uando dicitur. Hac uoce erigitur in nobis fides & dilectio, nomine præsidij, quod iuuare uelit Deus. Deus enim Græcis dicitur *θεός* *θεοῦ*, id est, iuuare, uel currere. Potest enim & uult iuuare. Atque hoc præcepto omnes ad se inuitat, ut uenientibus, hoc est, in ipsum credentibus, beneficiat.

## Tuum.

Et hac uoce erigimur ad Deum, credentes Deum esse Deum nostrum. Deum esse Deum alicui, est, Deum esse illi iustitiam & salutem. Talis nobis est Deus, si nos ex animo totos ipsi contradamus & consecrauerimus.

## Ex toto corde tuo.

Cor omnium affectuum sedes. Modum & mensuram dilectionis præscribit. Exigit hoc præceptum omnia ea, quæ Deo debemus. Debemus autem (ut summam dicam) dilectionem non mediocrem, sed summam. In corde sedes est uoluntatis, imò ipsum cor omnium affectuum, omnium etiam sensuum principium est. Cum ergo lex exigit dilectionem Dei ex toto corde, exigit omnes humanos affectus puros, sanctos, & in solius Dei dilectionem atque obedientiam in totum directos. Deus enim zelotes est, ut scribitur, Exod. 20. Non quartam tantum aut dimidiam cordis partem, sed totum cor postulat. Ex toto corde tuo, id est ex toto affectu uoluntatis. Aut in toto non in parte, adeò ut nihil sit in ea uoluntate contrarium dilectioni. Hæc uoces, toto & tota, adiectæ, significant perfectionem. Quæ perfectio dilectionis in hoc statu mortali non implebitur, sed ex parte, quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. Verum perfecta erit, cum uidebimus Dominum Iesum Christum, sicuti est, in patria illa cælesti. Hic interim à nobis exigitur talis dilectio ex toto corde, cui nihil contrarium admittat ipsa uoluntas: ut si diligeres Deum, & interim uelles consulere dæmonem, non obedires præcepto, quia, non diligeres in toto corde, sed in parte.

## Et in tota anima tua.

Anima, ut pro uita hominis, ita & pro uirtute sensibili accipi solet, ut Genesis

34. de Sichem scribitur, quod anima eius adhæsit Dinæ, id est affectus eius: uel potius, amauit Dinam. Et Genes. 44. de Jacob & Beniamin, Anima huius colligata est anima istius, positum est pro eo quod est, toto affectu diligit Beniamin. Cum igitur anima non solum sit affectus hominis, sed etiam tota hominis uita, exigit hæc lex dilectionem Dei, tota hominis uita, seu quandiu uiuit homo. Non fert præceptum, ut hac parte uitæ tuæ Deum diligas, & Deo seruias, altera autem parte, Satanæ, sed exigit totam uitam sanctam & diuinam.

## Et in tota mente tua.

Mens pro intellectu. Ut magis uim dilectionis Dei explicaret, mentem adiecit, quæ est intellectus, quem oportet à dilectione Dei sic motum esse, ut omnino assentiat iis, quæ sunt fidei, ut nihil contrarium huic dilectioni admittat. Marcus his addit, Et ex tota uirtute tua. Vires hominis sunt, quicquid homo facultatis habet, quicquid præstare potest. Sunt uires corporis & animæ, sensus interiores & exteriores, intellectus, ratio, memoria, sermo, uisus, auditus, gustus, olfactus & tactus. Cum ergo lex exigit in dilectione Dei totam hominis uirtutem seu fortitudinem, exigit certè omnes corporis & animæ uires, omnia denique membra hominis, iusta, sancta, & ab omni sorde peccati purissima. Ergo omnem intellectum, uoluntatem omnem, omnes denique uires & operationes, imò uitam ipsam totam, animum & corpus totum. Præterea quicquid sumus, & quicquid posidemus, ea integra soli Deo debemus, eaque omnia iubemur intendere, ut Deum summè, ardentissimè, impensissimèque diligamus, & ei, ueluti mancipati ac consecrati, adhæreamus toti syncretè & indiuisè. Hoc ut rectè fiat, operæpretiū est, ut Dei dilectio, cunctā tuam naturam omnesque uires tuas peruadat & possideat. Mens eum ante omnia cogitet, uoluntas in eo tota delectetur, cunctæque uires ad placita ipsius rapiantur. Hæc dilectio uiuæ fidei, seu fidei per charitatem operatis, primus est fructus ac ceu primogenita proles. Nam ubi animo hominis per Spiritum sanctum de bonitate Dei rectè persuasum est, illico, quemadmodum certè agnoscit omnium optimū, etiam sibi, esse Deum, ita statim cor inflammatur & amat Deum super omnia: unde cōtinuè mēs eius tota est in cogitanda ineffabili eius uirtute, & bonitate, tam ut eam aliis prædicet, quàm ut uita pro uirili exprimat. Inde ad Dei uoluntatem cōuertitur, quicquid in homine est. Colligamus ex superioribus: forma implendi legem, est, quæ constat internis puris adfectibus, & externis factis simul. Qui sic implet legem, facit legem ad iustitiam.

## Hoc est maximum &amp; primum mandatum.

Mandatum dilectionis quare maximum. Hoc est fundamentum & nucleus legis. Hoc enim est maximum seu magnum mandatum, quia est supra uires humanas & quod nequit humano opere adimpleri. Exigitur enim opera Spiritus sancti, seu eius auxilium speciale. Est & maximum, ceu quo maius dari non potest. Quandoquidem totum complectitur, quod Deo debet homo: & omnem hominis erga Deum dispositionem tradit: neque aliud mandatum est, cuius obseruatio æquè hominem Deo gratum faciat, aut cui hominem deceat amplius intendere. Est primum, quod ab illo reliqua æstimanda ueniant. Nam ad singula præcepta requiritur animus purus ab adfectibus præter eternam adimplerionem.

## Secundum autem simile est huic.

Mandatum secundum. Secundo loco positum mandatum est simile priori: quoniam similiter de dilectione loquitur. Nam actus præceptus est dilectio. Diliges proximum tuum, &c. Dicitur secundū, propter ordinem charitatis. Nam ordine prius est diligere Deum, quàm proximum. Initium dilectionis est à Deo, ut diligamus Deum primum, nō nos ipsos: nihil enim prius ducere deo Deo ipso. Deinde dignitate, prior & po-



tior est dilectio Dei, quam proximi, sicut mater dignitate excellit filiam. Neque enim dilectio proximi parit dilectionem Dei, sed dilectio Dei parit dilectionem proximi.

### Diliges proximum tuum.

Hoc præceptum mandat suauem & amicam uoluntatem erga proximum. Quis sit proximus, supra cap. 7. diximus. Vbi obserua: non dicit benefacias, sed diliges. Nam potest fieri, ut bonum facias, non diligens: ut Pharisei elemosinas dabant, non quòd diligerent, quibus dabant, sed quia uenabantur auram popularem. Ideo qui scrutatur corda hominum Deus, præcipit intimum affectum, ipsum fontem, piùm & syncerum amorem, detestans omne mendacium & omnem hypocrisim. Secundò non dicit, ne oderis proximum tuum tantum, aut ne malefacias proximo tuo. Nam non satis est, ut non oderis, sed uult Deus, ut omnino diligas etiam. Quare nemo excusari potest, quin malus sit, nisi diligat. Nemo uel pauper, uel diues, uel doctus, uel indoctus, uel impotens, uel potens, sanus aut eger dicat, amare non possum, conuincatur ex liuore, quo alteri inuidet, æquè posse amare atque inuidere. Responabit caro, Nihil præcipitur, nisi ut diligā: diligam igitur, sed nihil erit opus, ut aliquid dem & largiar. Rectè habet, modò dilexeris: diliges, ais, tantum. Atqui dilectio hoc in se habet, ut libenter det ei, quem diligit. Obiiciet quispiam, Si dilectio Dei ex toto corde esse debet, occupabit totum ipsum cor: quomodo igitur stabit cum illa dilectio proximi, ut cor feratur in proximum? Respondeo: Dilectio Dei producit, ueluti fructum, dilectionem proximi. Neque dilectiones hæ pugnāt inuicem, sed altera alteram parit. Cùm igitur Deus toto corde diligendus sit, & is Deus iusserit diligere proximum, ideo & proximus diligendus est, quia Deus, qui diligendus est, hoc præcipit. Nam qui Deum diligit, is certè quoque diligit, quæ Deus diligenda præcipit: & odio habet, quæ odio habenda iussit.

### Sicut te ipsum.

Hoc est, forma complendi secundum præceptum, ut diligas proximum tuum, ad formam & exemplum dilectionis qua te diligis. Ita uidelicet, ut omnem hominem, quatenus imaginem Dei in se gerit, in Deo & propter Deum diligas: illique bonum æternum, ad quod creatus est, ex bono affectu optes: similiter & bonum uirtutis, quo consequi potest beatitudinem illam æternam, quomodo & tibi, eidem cupis. Similiter dotes corporis & fortunæ, quantum saluti proximi expediēt, ipsi optes, quemadmodum & cupis eas tibi salubriter impendi. Sed de his copiosius scripsimus supra cap. 7.

### In duobus his mandatis uniuersa lex pendet & prophetæ.

Omnia, quæ in lege & prophetis traduntur, ad hæc duo mandata, requirementia adfectus puros, siue ad hanc germanam & puram dilectionem Dei & proximi referuntur. Neque in his omnibus aliud docetur, quam dilectio. Dilectio ergo est magnum mandatum. Audiamus Paulum dicentem Roma. 13. Plenitudo ergo legis est dilectio. De his copiosius scripsimus supra cap. 7. in uerbo, Hæc est enim lex & prophetæ. Porro agnoscamus hic magnam uim uerbi. Nam hic iuris peritus uenerat animo malo, & studio tentandi Christum: sed audito Christo non solum non reluctatur, neque tacet, quemadmodum solent plerunque maligna ingenia, sed assentitur ueritati & commendat Christi responsum, atque ita explicat, ut non dubium sit, quin malè audierit apud eos, à quibus fuerat subornatus, & ad tentandum missus. Vnde uicissim audit à Domino, ut narrat Marcus. 12. Non es longè à regno Dei. Hoc est, à iustitia & uera pietate, quæ uiua Dei cognitione per spiritum sanctum in corda diffunditur.

Regnum dei quid.

Diligere, primum, sicut seipsum.

Dilectio Dei & proximi, inseparabilis.

Qui diligit, benefacit.

### Congregatis autem Phariseis.

Cùm iam maior Phariseorum turba conuenisset, consultatura quomodo Iesum in sermone comprehenderent, & uel furori vulgi, uel gladio magistratus ciuili opprimendum obicerent, & dissolutæ essent illorum insidiæ & captiunculæ: Christus uicissim Phariseis proponit quæstionem, non ut tentet, ac perdat ipsos, sed ut erudiat & admoneat eos, quas res potissimum inquirere & curare debeant. Pharisei & Scribæ curiosissimi erant disputatores in rebus etiam non necessariis, aut prorsus otiosis & inutilibus, cuiusmodi erant, de lotione manuum, priusquam cibum sumerent, de homine non sanando, aut segetibus non confricandis in die sabbati, de non conscendenda arbore, aut de non occidendis culicibus in sabbatho, de decimanda mentha, de latitudine sabbatarum, & de innumeris id genus aliis nugis: de consequenda autem uera iustitia, & aliis ad salutem necessariis, altissimum agebatur apud eos silentium. Quòd si quando harum rerum mentio incidebat, non nisi de lege & operibus eius, idque planè Pharisæicè & hypocriticè, hoc est, de externa tantum legis iustitia differebant: Messia autem (per quem solum ueram iustitiam & salutem contingere propheta concionati fuerant) nulla planè mentio fiebat. Quare Christus quæstionem eis de Messia proponit, obscurè quidem, & per ænigma, subindicans, quòd potest, Apostolis explicandum suo tempore reliquit, sibi non solum esse naturam humanam, quam uidebāt, & in quam essent scuturi, uerum etiam diuinam, quam utcumque ex ipsis factis poterant coniectare, nisi liuor, odium, ambitio, auaritia, cæteraque uitia animos eorum excacassent. Obserua: hic fuit ultimus Christi sermo ad Phariseos & aduersarios suos, quoad uisus est illos prouocare ad cognoscendum se, exceptis, quæ iam ab eis captus, ipsis respondit.

Quæstionem la & curio- inanes ac ridiculæ Phari- sæorum.

### Interrogauit eos Iesus, dicens, Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est?

Collectos simul rogat, Quid illis uideretur de Messia, cuius filius esset. Hac autem quæstione non quærit, An credant ipsum esse Christum, qui tamè uerus erat Christus, quod aliàs maximis & euidentissimis argumentis probabat. Nec quærit, an credant Messiam aduenturum. Hoc enim omnibus Iudæis ex prophetis manifestum erat, & expectauerant iam ipsi multo tempore Messiam. Nec quærit, an sentiant hunc Christum, quem expectant, nasciturum de semine Dauidis. Nam & hoc manifestum erat è sacra scriptura. Ad Dauidem dicitur psal. 131. De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Vnde & apud Ieremiam dicitur. 23. capit. Ecce dies uenient (dicit Dominus) & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex. Ex his & aliis prophetarum locis, perspicuum erat, quòd Christus nasciturus esset ex progenie Dauidis. Sed interrogat, num sentiant Christum tantum fore Dauidis filium, & hominem, an non etiam filium Dei & uerum Deum? hoc de Christo non solum scitu dignissimum est, sed etiam ad salutem maximè omnium necessarium. Nisi enim cognoscatur, quòd Christus non sit tantum filius Dauidis & homo, sed quòd etiam sit uerus Deus, ueri Dei filius, ac patri suo coæternus, & consubstantialis, non potest cognosci & adorari, ut uerus saluator, qui remittat peccata, qui credentes saluet in morte ad uitam æternam. Nam si tantum ut homo cognoscatur, non potest alius, quam externus saluator cognosci, quales fuerunt saluatores Noe & Ioseph in Aegypto, item Heroes illi, principes & reges populorum, quos Ethnici scriptis suis celebrant, & quorum sit etiam mentio in libro Iudicum. Quare omnino necessarium est, ut in Christo, uero & unico saluatore, nõ solum humana natura, sed etiam diuina maiestas in una hypostasi siue persona cognoscatur. Scopus quæstionis est, Dominum Iesum Christum non tantum hominem, sed & Deum esse uerum & esse filium Dauidis secundum quòd homo est, &

Necessarium nosse Christum, non tantum esse filium Dauidis.

Externi saluatores.



Dominum Dauidis, secundum quod Deus.

Dicunt ei, Dauid.

Non differunt diutius responsum, sed festim respondent, est filius Dauidis. Hoc dicto nolunt alium æstimare Messiam, quàm hominem: non Deum, sed prophetam magnum à Deo mittendum, ut regnū Israël secundum carnem restitueret. Qui error in Iudæis usque hodie manet. Quare quid de se sentirent, interrogauit, ut ab eorum responso, occasione suscepta Christum plusquam hominem doceret, & si quos ex ipsis sanabiles inueniret, sanaret.

Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum? Dicens.

Quia neque Pharisei neque Sadducei ad tam spectabiles diuinæ potentie uisiones, credunt, quas cum magna laude reportauit Christus, sine dubio abiectione personæ Christi & contemptu offensi. Nonne hic est fabri filius (aiunt) quomodo literas scit, cum non didicerit? Hic pusillus homo quomodo potest hæc signa facere, &c. Idcirco sua bonitate motus Christus, pergit nunc illis moderi contra uilitatem & contemptum suæ personæ: & certo argumento & autoritate scripturæ probat Christum amplius aliquid esse, quàm purum hominē, & regem carnalem. Quid igitur sibi uult (ait Christus) quod Dauid in psalmo mystico spiritu cœlesti afflatus, uocat eum Dominum, quum sit ipsius filius? A carnali opinione reuocat Phariseos ad uerbum: & arguit ab ordine ac serie naturæ & æquitatis ratione, deinde & à consuetudine & sensu communi. Nec naturale (inquit) nec æquum iudicatis, ô Pharisei, imò ne in usu quidem est, ut filius sit patri Dominus, ut maiores posteriores suos uocent dominos suos, sed patres à filiis, & maiores à posteris uocantur Domini. Si ergo Christus est filius Dauidis, ut uerè est, & scripturæ restantur, Quomodo æquum est, quod Dauid pater uocat Christum Dominum suum? Iam non dicetis Dauidem iniquum in pronuntiaando iuxta Spiritus sancti afflatum, psalmum, Dixit Dominus Domino meo. Non hic agit Christus, ut euincat se non esse filium Dauidis, sed ut arguat stupiditatem & ignorantiam Phariseorum ac Scribarum, qui arbitrabantur Christum esse, non Deum, sed purum hominem, à Dauidē solum progenitum. Nec solum credebant ipsum Christum, non esse Deum, sed etiam blasphemie loco ducebant, cum id de se Christus faceretur, ueluti cum diceret, Luc. 22. A modo uidebitis filium hominis, sedentem à dextris uirtutis Dei: quod sanè de cœlestis regni gloria diuinæque maiestate intelligebat, mox illi responderunt, Tu es ergo filius Dei? Et quum annuisset Christus, suggererunt, Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi audiuius ex ore eius. Et infra. 26. Princeps Sacerdotum scissa ueste clamauit, dicens, Blasphemauit. Proinde Christus, quatenus ex Maria uirgine (quæ à Dauidē descendit) carnem accepit, filius est Dauidis: quatenus uerò filius est Dei, est Dominus Dauidis: siue quatenus est Deus, uerbum, & filius Dei, est Dominus Dauidis. Aut dici potest, quod etiam homo Christus, sit Dominus Dauidis, quod constituerit illum pater ad dexteram suam in cœlestibus. Ephes. 1. Vt sciamus, quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem uirtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus. Obserua: uoce Domini, confessus est Dauid Christum maiorem puro homine. Rursus aduerte: cum dicit Dauid Christum Dominum suum, cognouit & confessus est Christum esse liberatorem, redemptorem, rectorem & conseruatorem cōtra regnum Satanæ. Cum dicit, in spiritu, significat Dauidem fuisse organon quidem huius psalmi, autorem uerò Spiritum sanctum. A Dauidē quidem compositus est hic psalmus, tamen nō natus Dauidi in bucca, nec excogitatus ab ipso, humana ratione, sed dictatus est à Spiritu sancto.

Dixit Dominus Domino meo.

Christus, fili? Dei nō creditus à Iudæis.

Christus, quatenus etiam homo, filius Dauidis.

Spiritus sanctus autor psalmorum.

Hic psalmus intelligendus est de Messia seu Christo, qui Dauidi promissus fuit, ut omnes fatentur catholici: imò & ipsi Iudæi, Scribæ & Pharisei, cū hæc à Christo dicerentur, non reclamauerunt, contentes esse Dauidis psalmum, & de Messia intelligendum. In hoc autem psalmo describitur Christus, ut Deus, ut Rex, ut Sacerdos, quibus epithetis nihil potest ei nec maius nec illustrius, siue in cœlo siue in terra, tribui. Quid enim in cœlo maius Deo? Quid in terra, ac præsertim in populo Dei Israël, magnificentius Rege, & summo Sacerdote? Quare is psalmus optimo iure inscribitur Encomium Christi. Dixit (inquit) Dominus Domino meo. Hæc sunt uerba Dauidis, recensentis, quid autore Spiritu sancto de Christo cognouerit, & quid nobis de Christo sentiendum sit. A uocabulo Domini argumentatur Christus, quod Messias non sit tantum filius Dauidis, sed etiam aliquid amplius, hoc est, filius Dei. Dominus (inquit Dauid) id est, Deus pater, dixit Domino meo, id est, Christo, saluatori meo, qui liberauit me à tyrannide Satanæ, peccati & mortis. Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Non est solenne, ut patres serio uocent filios suos, Dominos: præsertim, si filij nō sint maiori quadam dignitate, quàm parentes, præditi: sed maior nullus tum in terris erat Dauid. Præterea quum Dauid hic loqueretur, ex afflatu Spiritus sancti, qui adulari ac fingere nescit, loquutus est: cum igitur uocet eum Dominum suum, significat illum & Deum esse.

Sede à dextris meis.

Confirmatio est superioris sententiæ. Ecquid Dominus Deus pater dixit ad Dominum meum, nimirum Dauidis, suum autem filiū? Dixit, sede à dextris meis. Hoc est, quod Spiritus sanctus Dauidi reuelauit & dictauit: uidelicet, quod filius ipsius, Messias, non tantum homo sit futurus, sed etiam sit Deus ipse, cum Deo patre suo perpetuo regnans, eiusdem cum ipso omnipotentia & maiestatis. Id quod postea ascensu eius in cœlum & missione Spiritus sancti declaratum est. Sedere hoc loco non est simpliciter sedere, ut priuati homines in priuatis sellis sedere solent, sed est maiestate præditum esse, quemadmodum reges in regio throno sedent ac regnant. Dextera Dei est uirtus, potestas ac omnipotentia Dei. Dextera Domini (inquit) fecit uirtutem. Sede igitur à dextris meis: id est, accipe mecum æqualitatem gloriae, potestatis ac maiestatis: atque in potioribus meis in æternum conquiesce. Hanc æqualitatem patri coæternam significauit ipse, dicens, Ego & pater unum sumus. Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Testatus est quoque psalmus. 43. hoc ipsum, Audi filia, & uide: & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Item psalmus. 71. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Hic psalmus de Christo est, repetens promissionē, quæ de Christo ad Abrahamum facta est. Sic enim sequitur: Sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius, Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ omnes gētes magnificabunt eum. Porro hæc adoratio, cuius meminit psalmus, non intelligitur de alia, quàm quæ debetur Deo: quod indicant propheta, dū concionantur regnum Christi, æternum esse, & per Christum contingere iustitiam & salutem, & in Christum sperandum esse. Obserua, quàm arcto uinculo Deus pater & Christus filius eius inter se coniuncti sint. Hic audis patrem dicentem filio, Sede à dextris meis. Quid hoc est, nisi quod ipse filius unus est Deus cum Deo patre suo, qui & seuerissimam exercebit in die iræ suæ uindictā in omnes, siue reges siue populos, qui Christum filium suum regem & sacerdotem non agnouerint. Sunt igitur pater & filius distinctæ personæ, sed sunt unus Deus, sunt unum essentia, maiestate & omnipotentia. Horum ergo una est uoluntas. Obserua: propter hanc sessionē ad dexteram patris, caro nostra in Christo, quo cum sumus unum,

Psalm. 109. Encomion est Christi.

Christus, Dominus Dauidis.

Sedere Christi ad dextrā patris quod.

Dextera Dei, quid.

Messias à prophetis prædicatur adorandus.

Pater & filius, unum.

Caro nostra assidet dextera Deo.



sedet ad dexteram Dei: accepto enim regno supra omnia, quæ in caelis & quæ in terra sunt, conspicuus est, Ephes. 2. cap. Secundò habemus aduocatum apud patrem, interpellantem pro nobis. 1. Ioan. 2. Roma. 8. Hebr. 7. & 9. Obtinet enim sempiternum sacerdotium. Adhæc uiuificat nos in terris, docet, illuminat, purgat, renouat, moderatur, solatur ac confirmat per Spiritum suum.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Vox, donec, non semper certum & determinatum tempus, sed aliquando infinitum significat, ut in psalmo. 112. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Ergo tandiù habemus oculos ad Dominum, dum misericordiam impetrauerimus, & postea oculos uertemus ad terram? Minimè omnium: sed oculi nostri semper sint ad Dominum, quia ipse euellit de laqueo pedes nostros. Et supra. 1. cap. de Ioseph & Maria uirgine scribitur, Et non cognouit eam, donec peperit primogenitum suum. Num postea cognouit? Absit. Euangelista enim uoluit his uerbis indicare, quòd nunquam eam cognouerit, ut nec ante, ita nec post partum. Deus ergo pater hoc loco iubet filium sedere ad dexteram suam, donec ponat inimicos scabellum pedum eius, non quòd postea non sit regnaturus. Qui enim cum patre, ab æterno regnauit, is etiam regnabit in æternum cū patre, Iesus Christus heri & hodie, Hebr. ultimo, idem est etiam in secula. Sed Deus pater significat his uerbis, quòd Christus filius eius regnaturus quidem sit eadem cum ipso maiestate, inimici autè eius nō sunt omnes manifestè perituri, donec aduenerit nouissimus dies, quo Christus ad iudicium totius orbis terrarum aduenturus est. Sic enim scribit Paulus. 1. Corinth. 15. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Duplices habet inimicos Christus, alios externos & corporales, quales sunt impij, siue Iudæi, siue Turcæ, siue Christiani, qui persequuntur Christum, & oppugnant ueram Christi religionem, & sua impietate ipsam sordidant. Alios spirituales, quales sunt Satan, peccatum, afflictiones & mors. Nam quum Christus sit summa charitas, perfecta iustitia, uera salus, & perpetua uita, manifestum est Satanam (qui est ipsa inuidia) peccatum, afflictiones & mortè, aduersarios & inimicos Christi esse. Atque hi inimici, siue corporales siue spirituales superantur quidem in hoc etiam seculo per Christum: sed ita, ut hæc uictoria aded non sit conspicua oculis huius mundi, ut uideantur etiam hi aduersarij coram mundo potius uictoriam reportare: in nouissimo autem die, quo reuelabitur futurum seculum, uictoria Christi super omnes inimicos & hostes eius, ita manifesta erit, ut non solum impij omnes perpetuo supplicio afficiendi sint, sed etiam mors ipsa abolenda sit, pij autem in perpetua maneant felicitate. Obserua: per scabellum pedum intelligitur omnimoda subiectio. Non dissimile est quod ait Paulus, Philip. 2. ut in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Habent hæc omnia minas contra hostes Christi. Huc respexit & Stephanus Act. 7. Video caelos apertos, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei.

Scabellum Christi quid

Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Confutatio argumenti Iudæorum ab inconuenienti seu absurdo. Pater enim non uocat filium Dominum. Iudæorum argumentum hoc erat, Christus promittitur filius Dauidi. Ergo purus homo erit, & rex carnalis, ut Dauid, in carnali regno regnaturus. Argumentum Christi est contrarium, & contrarium probat, & sumitur ex uero scripturæ intellectu, Dauid uocat Christum Dominum: Ergo Christus maior est Dauide, & plusquam filius Dauidis. Videmini ergo Pharisei, non plenè satisfecisse quæstioni, cum interrogati, cuius Messias sit filius, dixistis, Dauidis: quasi purus homo sit Messias, & non simul etiã Deus ac Dei filius. Hac si quidem

quidem uia obiectione istam ex psalmo, exclusissetis, si respondissetis, & Dauidis secundum humanitatem, & Dei patris secundum diuinitatem illum esse filium.

Et nemo poterat respondere ei uerbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Hæc scripta sunt ab euangelista ad declarandam inuictam ueritatis lucem, & quanta sit uerbi potentia, coram qua nulli inimici subsistere possunt. Vide neminem ex sanctulis illis Phariseis fuisse, qui ausus fuerit respondere obiectioni. Ignorabant certè illam Messiae diuinitatem & nobiliorem ex patre generationem: & Messiam, ut purum hominem, cum temporali regno aduenturum expectabant. Toties coram multitudine uicti, & eadem teste frequenter confusi, nihil habentes quod responderent, præ uerecundia flere cōpussi sunt, odisse tamen non desistunt, nec probiores redduntur: sed pertinaciores sine dubio & cæciores facti sunt hac Christi prædicatione. Hastenus tamen profuit confusos esse ac pudefactos ueritatis hostes, ut manifesta redderetur ipsorum impudentia. Huc respicit & Apostolus Tit. 1. cap. ubi iubet contradicentes argui potenti doctrina. Oportet (inquit) Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Obserua: hic locus pius consolatur contra scandalum contempti uerbi, quod & si in speciem uile est, tamen summa est potentia Dei, coram qua ne ipse Satan durare possit. Rursus obserua, Dominum mouisse hanc quæstionem Phariseis & Scribis hostilissimis, ut si dicerent se nescire, interrogarēt & discerent: uel si dicerent ueritatem, crederent: uel si nihil possint respondere, sicuti non possunt, confundantur & recedant. Id quod accidit, ita ut nemo ausus sit illum amplius interrogare.

Iudæorū inuicta malitia.

Hostium ueritatis impudentem malitiam traduct in rem est omnium. Contemptus uerbi ne percellat Ecclesiastem.

## VIGESIMITERTII CAPITIS Epitome.

Christus postquam grauissimè inuectus esset in mores & præposteris superstitiones Scribarum & Phariseorum, suosque ab illorum imitatione reuocasset, Hierosolymitanorum, quibus seueritatem & ingratitude exprobrat, desolationem & excidium predicat.

### CAPVT XXIII.

**T**UNC Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcunque dixerint uobis, seruate & facite secundum opera uerò eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauiã & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolūt ea mouere. Omnia uerò opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Vos autè nolite uocari Rabbi: Vnus est enim

Scribæ & Pharisei quales doctores. 2. Esd. 8. a.

Onera grauiã. Luc. 11. g. Act. 15. c. Deu. 6. b. 22. b. Num. 15. d. Marc. 12. d. Luc. 11. f. & 20. g. Salutationes Rabbi, Iaco. 3. a.

NNa



Magister. b magister uester: Omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite uo-  
 Pater. care uobis super terram. Vnus est enim pater uester, qui in cœlis est. <sup>de, cœ-</sup>  
 Mala. a. b. Nec uocemini magistri: quia magister uester, unus est Christus. Qui  
 Minister. maior est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exaltauerit, hu-  
 Luc. 14. c. 18. miliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Væ autem uobis, Scri-  
 c. bax & Pharisei hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante ho-  
 Deploratio morum Scri- barū & Pha- rifeorum. Viduæ expi- laræ à Pharif. Marc. 12. d. Luc. 20. g. mines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Væ uo-  
 bis Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui comeditis domos uiduarum, orationes longas orantes. Propter hoc amplius accipietis iudicium. Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocrite qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehénæ duplo quàm uos. Væ uobis duces cæci, qui dicitis: Quicūque iurauerit per templum, nihil est. Qui autē iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum an templum quod sanctificat aurū? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est. Qui-  
 Profelytus. cunque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donū, an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. Et quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, qui mundatis, quod de foris est, calicis & paropsidis, intus autem <sup>d Plebs</sup> pleni estis rapi-  
 Decimare mentam. Luc. 11. f. Num. 18. d. na & immunditia. Phariseæ cæce, munda prius, quod intus est cali-  
 Mundantes calices. cis & paropsidis, ut fiat & id, quod foris est, mundum. Væ uobis Scri-  
 Sepulchra dealbata. bax & Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parēt hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mor-  
 Sepulchra phetarum. tuorum, & omni spurcitia. Sic & uos à foris quidem paretis homi-  
 nibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisis & iniquitate. Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia ædificatis sepulchra prophetarū, & ornatis monumenta iustorum. Et dicitis: Si fuiffemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine propheta-  
 Serpentes. Viperæ. rum. Itaque testimonio estis uobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et uos implete mensuram patrum uestrorum. Serpentes, genimina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehénæ? Ideo dico uobis, Ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapien-  
 Prophetarū cades per Iu- dzos. tes & Scribas: & ex illis occideris, & crucifigeris, & ex eis flagellabi-  
 tis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: ut <sup>ut</sup> ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram,

à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachia, <sup>Genes. 4. b. Hebr. 11. a. 2. Paral. 24. f.</sup>  
 quem occidistis inter templum & altare. Amen dico uobis <sup>f</sup> ueniēt hæc omnia super generationem istam. Ierusalem Ierusalem, quæ <sup>Luc. 13. g.</sup>  
 occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Dico enim uobis, non me uidebitis à modo, donec dicatis, <sup>Gallina. 4. Esd. 1. c. Luc. 21. e. f. 2. Cor. 1. a.</sup>  
 Benedictus qui uenit in nomine Domini.

## Tunc.

**T**unc scilicet, cum Scribæ & Pharisei non possent Christo respondere, neque auderent eum amplius interrogare: & posteaquam tentasset Iesus omnia, ut conuerterentur, nec relicta esset ulla spes conuersionis ipsorum ad ueritatem.

Iesus loquutus est ad turbas, & ad discipulos suos.

Volens Iesus Scribarum & Phariseorum obstinatam malitiam traducere, ut ab hypocritis & impia doctrina turbæ & discipuli sibi cauere, cœpit habere aduersus Scribas & Phariseos concionem, longè omnium, quas unquam habuit, feuerissimam. Magnæ fuit feueritatis, quòd eiecerit uendentes & ementes è templo, & subuerterit mensas numulariorum: sed multò maioris est feueritatis, quòd hoc loco eiciat è templo increpatione sua Scribarum & Phariseorum hypocriticam tã doctrinam, quàm uitam. Hi enim erant præcipui in Ecclesia Israëlitarum & penes eos erat clavis scientiæ, adeoque summa religionis. Et in hos tam acriter inuehitur, ut & tradat eos Satanæ, Maiorem (inquit apud Lucam 20.) accipient damnationem: & iubeat omnes sibi ab ipsis cauere: idque non facit priuatim remotis arbitris, sed publicè, audiente turba, & coram discipulis. Sed quorsum hoc, cum sit mitissimus Christus? Omnium mitissimus est profectò Christus, sed durò nõdo durus adhibendus erat cuneus. Iam diu Dominus pepercerat his personatis histogramibus, amice eos & priuatim admonerat, sed omnia frustra. Nam reddebantur indices seipsis sceleratioribus: quare iam oportuit acerbius agere Dominum, ne corruptio illorum etiam in plebem serperet. Neque uult, hoc suo exemplo abuti homines, ut uirulenter inuachantur in sacrificos, & religiosos, aut immaniter eos trucident, aut ipsorum diripiant bona. Non est cuiusuis quenuis publicè reprehendere. Vt sunt diuersi hominum ordines, ita diuersæ etiam sunt uocationes. Amici quidem & fratris est, amicum & fratrem priuatim admonere, ut supra 18. cap. uidimus. Sed alterum pro autoritate & publicè reprehendere, personalis est non generalis uocationis, qualis est uocatio magistratus erga subditos, episcopi erga Ecclesiæ auditores, & patris familiæ erga familiam suam. Hi legitimè sua & legitima utentes potestate, citra scandalum arguent & increpabunt quos nouerint arguendos. Propterea Christus non uult eos, qui nullam habent legitimam potestatem, gladij siue spiritualis siue materialis administrationem uiolenter inuadere, prætextu Euangelij in impios aduersarios. Quare non est hoc exemplo Christi ad uirulentiam & crudelitatem abutendum. Pudefactis igitur & confusis aduersariis Scribis & Phariseis, ne miseram plebeculam in eandem ruinam & perniciem secum attraherent, conuertit se Christus ad turbas: & eos alloquitur, qui adhuc sanabiles erant. Non enim satis est confundere aduersarios ueritatis, nisi & alumni illius ædificentur. Arcentur lupi, ut oves liceat tutò pascere. Sicut ergo ad ouium utilitatem abiguntur & arcentur lupi, ita ad fidelium profectum instituenda est







Ignavi uita & philosophi sententia, o-  
dio digna. pare soles, ea tu ne feceris ipse. Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Odit certe sapiens ignavos, & mala opera, etiam philosophorum sententia.

Alligant autem onera graua & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.

Mandata legis, graua.

Doctorem apud Iudeos iniquitas in plebem.

Pulchra similitudine declarat ac depingit mores Pharisaorum hypocritarum, ut agnoscas, quales sint, & quid faciant. Estque hæc similitudo, expositio illius, Dicunt & non faciunt. Hi perinde (ait) faciunt, ac si quis ad hoc ordinatus, ut onera ferenda operariis colligat, diuidat, & in ipsorum humeros imponat seueriter & absque ulla commiseratione grandia & importabilia struat, quæ ipse sibi ferenda ne semel quidem in animū inducat. Ita hi legis mandata omnia exactè plebeculæ imponebant, & rigidissimè interpretabantur quæ seruatu difficilia erant, imò & importabilia, adeò ut Petrus Act. 15. testatus sit, neque se, neque qui tum erant Iudeos, neque patres ipsorum ea portare potuisse, cum tamen interim omnia districte exigent à misera plebecula, & conscientias cruciarent, ipsi interim in omni luxu libidineque uiuentes, & ne minimum quidem, quod è lege docebant, præstantes. Deinde in diem nouas condebant, constitutiunculas, quibus onerabāt humeros populi, satis alioqui depressos. Lapsus itē populi duriter iuxta legis præscriptum castigabant, suos uerò negligebant: festucam in oculis populi uidebant, & carpebant, trabem in suis non uidebant. Eaque seueritate utebantur, ut zelum erga legem Dei habere uiderentur: Scilicet hanc hypocriticam seueritatem erga populum, & indulgentiam erga seipsos Christus hic arguit: alligant, &c. Ab hoc uitio alienum se dicit Apostolus 2. Corinth. 1. Non quòd dominemur uobis nomine fidei. Obserua prouerbales & allegoricas loquutiones. Onus humeris imponere, dictum est, pro, negotium facessere, grauare & opprimere: & digito non attingere, hyperbolicè dicitur, pro, intactum transire, & ne tentare aut degustare quidem: sumpta metaphora ab iis, qui cum manum & lacertos fortiter operi ad-mouere deberent, uix summum digitum addunt.

Omnia uerò opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.

Pharisæi, iuxta mundum tantum, iusti.

Pharisæi latuati.

Caput ueræ religionis & pietatis, mēs recta.

Mens legis toris potissimum spectanda uolenti facere legem.

Per occupationē hæc dicuntur. Nā dixisset aliquis, Quid religiosus Pharisæus? Quis maioris sanctimonie pietatisque specie præditus fuit, quam Pharisæi, qui toto corporis habitu præferunt insigne quoddam religionis studium? Præterea ieiunant, orant, largiuntur de suo egenis. Quomodo ergo dicunt, & non faciunt? An non illa sunt opera legis & iustitiæ? Ita que respōsum Christi necessarium fuit. Et hoc subiungens, declarat morbum, quo laborabant, cognitu omnium difficilimum. Bona quidem illa sunt opera iuxta speciem externam, sed quoniam non illa præstant iuxta legis præscriptum, sunt mala: hoc est, quia non illa faciunt ex animo, studio & amore uirtutis, & ad Dei gloriam: sed ad laudem auramque popularem, histriones sunt, &c. ceu personati falsa religionis imagine, fabulam agūt. Caput ueræ religionis & pietatis, est, operari opera simplici animo timente Deum, pro uoluntate & ad gloriam Dei. Non enim tam expenditur hic quid fiat, quam quo animo fiat. Mens & intentio operantis spectatur, nō opus solum. Vnde non carpit Christus opera illorum in se, uelut apertè mala, sed operātium propositum, cum dicit, Omnia uerò opera sua, &c. Legem igitur non seruat, nisi qui hoc præstat, quod uoluit legislator. Is autem potissimum requirit syncerum animum, quem isti nō habebant, sed hypocrisis plenum. Obserua: non hic prorsus abiicitur aspectus hominum in operando, & in sua uocatione exercenda. Christus enim supra. 5. cap. ait, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideāt opera uestra bona. Sed damnatur affectus ille, quo gestiunt hi fucati homines placere mundo, & sibi

applaudi cupiunt, gloriam suam uenantes, ubi aliquid in speciem egregium fecerint. Sed uideant quid Christus dicto. cap. 5. adiecerit, Et glorificent patrem uestrum, qui est in cælis. Nec simpliciter culpabilis est affectus placendi hominibus: quandoquidem declarat Paulus. 1. Corinth. 10. se omnibus placuisse, hortaturque ad id studij, ut omnibus si fieri potest, placeamus, dum iubet cauere, ne scandalo simus uel Iudæis, uel Græcis, uel credentibus. Et Roma. 15. per exemplum Christi nos hortatur ad hoc, ut quisque proximo placeat: sed utrobique addit quædam, quibus affectus carnis adimitur. Nam Roma. 15. præmittit, Debemus autem non nobis ipsis placere: deinde subdit, Vnusquisque autem proximo suo placeat in bonū ad ædificationem. Et. 1. Corinth. 10. postquam dixit, Sicut & ego per omnia omnibus placeo, adiecit, nō quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiāt. Non igitur damnat eos, qui multa bona opera faciunt, & habitu ac ornatu religionem ac pietatem expriment, dum id agunt, ut multis profint, non quærentes suā, sed, quæ Dei est, gloriam & laudem.

Dilatant enim phylacteria sua.

Actiologia est, qua depinguntur Scribæ & Pharisæi suis coloribus, & explicantur res, in quibus ipsi exercent suam ostentationem. Hic autem non reicit per se longas uestes & latas fimbrias. Si enim, quod in os ingreditur, nō coinquinat hominem, multò minus coinquinat hominem uestitus paulò longior, aut fimbria latior. Et publicè honestatis est, membra corporis, in publico præsertim ministerio, ueste paulò longiori, tegere. Sed reicit hypocrisis & religionem simulatam, in qua gloriabantur solo hoc externo habitu dilatato, quò sanctuli apparerent plebeculæ, apud quam hanc hypocrisis uenabatur autoritatem. Græca uox est *φυλακτήριον*, descendens à uerbo *φυλάττω*, id est seruo uel custodio. Latinis ualet (ut uerbo dicamus) conseruatorium. Hoc erat charta quædam, in qua descriptum erat magnum mandatum: hoc est, decem uerba legis: & hanc chartam gestabant Iudæi circa frontem complicatam ac ligatam, hoc est, ueluti coronam capiti circumducebant, idque in hoc ut uiderentur memores præceptorum Dei: quòd illam chartam semper ob oculos haberent. Diuus Hieronymus narrat hunc morem ad suum usque tempus à Iudæis per Indiam, Persiam & Babyloniam seruatum, eumque, qui hoc gestasset, habitum pro religioso & sancto. Porro hunc morem ex. 6. cap. Deutero. desumpsisse putantur: ubi, post expressum magnum mandatum, sic legitur, Eruntque uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narra-bis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ. Proinde Pharisæi iuxta sonum literæ, hoc mandatum seruare uolentes, quò uiderentur admodum obseruantes legis, scribebant decalogum in membranis ceu duobus uoluminibus, quorum alterum fronti uice coronæ circumponebant, alterum brachio, ut, siue manum porrigerent, essent illis Dei mandata in conspectu, siue caput mouissent, ob oculos illa haberent. Itaque ut uiderentur diuinæ legis reliquis obseruantiores Scribæ & Pharisæi, phylacteria sua consueto latiora faciebant. Imò isti hypocrisis captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes luca, propter dilatata phylacteria, quò quisque latiora & ampliora ferebat, eò religiosior habebatur apud simplicem plebeculam. Et hoc est, quod Christus, hoc loco damnat dicens: dilatant enim phylacteria, &c. Nec solum dilatabant, sed etiā, ut narrat Diuus Hieronymus, acutissimas in eis spinas ligabant, ut uidelicet & ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini. Vtunque autem hæc habuerint, satis liquet ipsos dilataste phylacteria, ostentandæ religionis gratia. Nam hæc adducta

NN n iij



funt à Christo ad probationem illius, Omnia uerò opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Non intelligebat Pharisei (ait Hieronymus) quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore: alioqui & armaria & arcæ habent libros, & notitiâ Dei non habent. Hoc apud nos superstiosæ mulierculæ, ait idem Hieronymus, in paruulis Euangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus (quæ habent zelum quidem Dei, sed non iuxta scientiam) usque hodie factitant, culicem liquantes, & camelû glutientes. Obserua: Non damnat Christus phylacteria, sed ostentatione, quæ ex illis quærebatur.

## Et magnificent fimbrias.

Eodem spectabant & fimbrias magnificentes. De fimbriis præceptum Domini est, Nume. 15. Dixit quoque Dominus ad Moysen, loquere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis uittas hiacynthinas, quas cum uiderint, recordentur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas & oculos per res uarias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Domino Deo suo. Ac rursum Deutero. 22. Funiculos in fimbriis facies tibi per quatuor angulos pallij tui, quo operiris. Phariseos itaque arguit, non quòd fimbriis uterentur, sed quòd præceteris maiores fimbrias gestarent, ut sanctiores apud plebem æstimarètur, & præceteris religiosiores haberentur. Cognata est corruptioni nostræ pestis hæc, quòd gloriam ab hominibus quærimus, & ignominiam horremus. Quoniam autem mundus non uult uideri impius, in bonis admiratur, in malis simulat se admitti & uenerari pietatem, obseruantiam & cultum Dei, iustitiam, misericordiam, ueritatem, castitatem, uirginitatem, & huiusmodi. In his se exercet hypocritis eorum, qui non Dei, sed suam ipsorum gloriam quærent. Ad hunc modum Scribæ & Pharisei, ut uiderentur ualde deuoti, multum orabant in plateis: ut haberentur misericordes, cum tubis eleemosynas suas euulgabant: ut conspicui essent nomine ieiuniorum, obscurabant facies suas ieiunantes. Chrysoströmus & Hieronymus suis temporibus querebantur de iis, qui simulata pietate uenabantur auram popularem, ut paulò ante diximus. Præter hæc hodie alius diuitias ostentat, hinc dilatio edium, sumptus uestium, splendor totius conuictus. Alius uult uideri doctus, & hic uenatur suam gloriam, multis & uariis graduum titulis: Doctor est in theologia, in utroque iure: erat & in medicina, si uoluisset. Haber & donum pulchritudinis suam gloriam. Hinc plerunque mulierculæ, ut ab hominibus spectentur, comuntur, & dum comuntur, annus est, ornantur, uestiuntur, &c. idque, quòd admodum deplorandum est, dum eundem est in ecclesiam Christi, ut dici possint non ad orandum, aut audiendum Dei uerbum, sed ad spectandum, ut & ipsæ spectentur in Ecclesia conuenire. In summa, multorum capitum est hæc bestia, inanis gloria. Prò dolor, deplorandum proculdubio est, cum egregia Dei dona sint, esse doctum, formosum, sapientem, probum, religiosum, & si qua alia coniungi possint (quæ certè ad nostram utilitatè, & ad nominis Dei gloriam diuinitus dantur) quòd his utimur ad uanam gloriam. Obserua: non reprehenduntur Pharisei, quòd uestes & habitus decentes portent, sed quòd curiosis afficiuntur, quasi præceteris non nihil numinis haberent. Viderit ergo, quisquis siue ad ordinem ecclesiasticum, siue alicuius religionis sanctæ professionem & monasticam uocatur, ne nouitate aut pretiositate indumentorum singularis uelit apparere. Habeat sui ordinis tegumenta decentia, quæ neque ob neglectû cultum, hypocrisim, neque ob nouû modum, leuitatè: neque ob pretium & curiositatem, superbiam indicent & prodant. Necessè est enim iis, quibus euangelizant, exemplum præbeant. Obserua: cum dicitur, magnificent fimbrias, subaudiendum est, uestimentorû suorum.

Amant autem primos recubitus in cœnis.

Cum ubique deceat doctorem moribus, dictis, atque ipso etiam vultu præ se

Muliercularum quardam superstitio.

Fimbriæ in palliis præcepto legis.

Adami ueteris uestigiū est, gloriam apud homines quære. Technæ mûdi.

Phariseorû imposturæ.

Philodoxia hodie, at nò hodie primû, regnat.

Muliercularum fastus.

Amicitia sui ratione habeat, præcipuè, q. altari seruiit.

ferre uirtutem eximiam, isti nunquam aliud agunt, quàm quòd est inanissimum, ac uix etiam uiro dignum. Si ad cœnam uocantur, illic pueriliter ambitiosi sibi placeant, quòd ipsis locus tribuitur honorator. Non hic dicere uult, illicitum esse sedere in primo loco, in cœnis, in synagogis: neque uetat, quin qui reliquos excellent, honore inter homines afficiantur. Non enim uult Christus, ut abiecta reuerentia superiores contemnamus: sed damnat, quòd per ostentationem patrabant hypocritæ, affectantes primo loco sedere in cœnis, & obambulare stolati, ut Marcus & Lucas memorant. Non hic dicitur; collocantur primo loco, quòd multis bonis uisuenit, sed, amant, id est, affectant primum locum, quòd tantum superborum est. Chrysoströmus adnotat quandoque non minus inani gloriæ seruire eum, qui postremo loco sedet, quàm qui primo. Nam, ut non est per se malum superiore loco sedere, ita nec imò sedere loco per se bonum est. Potest fieri, ut superiore loco cõstitutus, modesto & humili: & inferiore, elato sit animo.

## Et primas cathedras in synagogis.

Hic morbus eiusdem generis est cum superiore. In conuentibus Ecclesiasticis, ubi à plurimis possunt conspici, præfidere affectant, ut apud se gloriantur prominentes. Non quòd primas habere in conuentibus Ecclesiasticis, sit malum: sed ambire cum honorem, & ad eum contendere non uocatum, certè malum est. Nemo enim assumit sibi honorè, nisi uocatus, ut Aaron, ait Paulus, Heb. 4. Diuus Chrysoströmus ait. Hęc, & si minima esse uideatur, magnorû tamen causa sunt malorû: Nam & ciuitates & Ecclesiæ sæpenuerò euerterunt: propterea nec à lachrymis abstinere possum, cum primos istos confessus & salutationes audiam, ac in mentem ueniat, quot quantaque hinc mala in Ecclesia Dei orta sunt. Hactenus ille. Quòd si mala extitulis & primis accubitus exorta uir ille sanctus deplorauit, qui in aureo quodam seculo uixisse uidetur, quid hodie faceret aut diceret, si nostro seculo uiueret? Non semel infestis armis in ipso templi Domini aditu meditullioque concursus, crudeliterque multo sanguine fuso pugnatum est, propter primos accubitus. Propter titulos uerò ingentia bella sunt in orbe cõmota. Nemo hic paucis ineptias, stultitiam, dedecora, rixas, pugnas, & clades funestissimas uel recensuerit uel enumerauerit, quas nobis peperere primæ istæ sessions & recubitus ac tituli, ut primi hominibus uideamur. Innata siquidè est omnibus hominibus principatus appetitio ex corruptione primi parentis. Præstareque aliis cuncti uolunt, & hic uidelicet primos parentes, diuinam similitudinem impiè affectantes, referunt. Quibus ergo Deus cognitus non est, nec datum, ipsum bonitate referre, illi quæ sita uana quadam super alios præcellentia diuinitatem quandam meditantur. Ad eoque uani sunt, ut falsis semper uirtutum simulacris præferre se aliis conentur. Quod & Scribis & Phariseis accidit, ignoratibus Deum. Vnde Christus ait, Ioan. 5. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? Qui nanque Deo credit, is ipsum solum bonum agnoscat, eoque omnem gloriam ipsi uni transcribat oportet. Proinde hic non reicit honestum ordinem sedendi uel in Ecclesia uel in cõuiuuiis. Nisi enim in conuentibus hominum ordo conseruetur, conuentus erit non hominum, sed belluarum. Ad sit modestia & simplicitas, cum uoluntate sedendi ut pro sis, non ut præ sis & ambias.

## Et salutationes in foro.

Non damnat solennes & mutuas salutationes. Sunt enim fructus charitatis. Et si de proximi salutatione rectè sentire uoluerimus, uox est angelorum & nütium fauoris cœlestis. Deus enim fauet nostris negotiis, & operibus, quæ ex fide suscipimus. Proposuit autem nobis non angelos extrinsecus conspiciendos, sed fratres & uicinos nostros, qui nobis hunc fauorem suum adnuntient. Quare salutio pro-

Primariū sedium, &amp; honorum ambitus, magnorû malorum est seminarium.

Ambitio quæ tam cladem hodièq. inferat mundo.

Hominibus ingentis præstantiæ amor.

Affectus non actus ubique uel culpam habet, uel laude meretur.

Salutandi mos, cum primis pius.



Salutatio p-  
ximi, uox coe-  
lestis.

ximi non aliter excipienda est, quàm uox coelestis, adnùtians nobis fauorem Dei. Si fuerit (inquit Christus) ibi filius pacis, requiescet super eum pax uestra. Sed damnat quòd quum uersantur in foro, aut alio publico loco, affectant honorificè salutari: sed nec simpliciter salutari amant, uerùm priores salutari, idque in loco frequenti & multis spectantibus.

#### Et uocari ab hominibus Rabbi.

Omne bonum  
transferendum  
in Deum, fonte  
omnis boni.  
Rabbi, quid.

Ambiunt titulos, & cristas erigunt, quoties à populo audiunt magnificum illum titulum, Rabbi, quasi aut soli honore digni sint, aut soli sapiant, quum hoc ipso minimi sint apud Deum. Quò enim quis superbius de se sentit, tantò remotior est à Deo. Hoc ipso certè maximè desipiunt, quòd sibi maximi sunt: siquidè boni & uirtutis siquid est in hominibus, umbra quaedam duntaxat est, si ad Dei imaginem conferatur. Si quid honoris tribuunt homines hominibus, ob Dei dotes quas, in illis esse suspicantur: non debet sibi uindicare cui tribuitur, sed totum ei transcribere, unde totum proficiscitur. vox Rabbi egregium, magnum, & præcellentem uirum significat. Plerique uerterunt, magistrum aut doctorem. Certè à copia & multitudine deriuari uidetur uocabulum, nimirum scientiæ & heroicarum uirtutum: ut Rabbi is esse uideatur, qui insigniter doctus, & omnibus egregiis donis uirtutibusque ornatus sit.

#### Vos autem nolite uocari Rabbi.

Hypocrisis,  
fermentum.

Propter Scribarum & Phariseorum peruersos affectus hac dehortatione uitur non satis habens hypocrisim horum hominum patefacere, æstimationemque illorum deicere apud uerè pios, nisi & cautos reddat suos, ne simili morbo inficiantur. Propterea suos ad humilitatem hortatur, & ut ab huiusmodi titulis ambitiosis, & fastum spirantibus abstineant. Sanè non prohibet discipulis ne præceptores suos aut uiros ætate graues, uel magistros uel Dominos nuncupent: fastum tantum & ambitionem & superbiam reprimat quibus turgebant Scribæ & Pharisei, quorum hypocrisis hoc habet, ut non solum pietatis opinionem per fictam illius speciem in mendacio, aucupetur: sed & incautos ad sui imitationem per tantorum uirorum autoritatem alliciat: unde & à Christo alibi fermentum uocatur.

#### Vnus est enim Magister uester.

Christus unus  
Rabbi.

Doctores uerbi,  
patres &  
magistri.

Paulus, magister,  
doctor, prædicator,  
Apostolus, pater, mater  
& nutritrix.

Fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque uobis ipsis placeatis, si quis uos appellet Rabbinos, id est, magistros. Vnus est enim, in quem uerè nomen hoc competit. Hunc magistrum habetis communem, in quem fiduciam collocetis. Hic est Christus, qui reuelat uerum uerbi intellectum, & facit alios uerbum rectè interpretari. Ab huius debemus præceptis pendere sic, ut non liceat nobis in alterius cuiuspiam iurare uerba magistri. Locus itaque hic, & qui paulò post dicitur, unus est enim pater uester, &c. de uero patre & uero magistro Christianorum intelligitur: hoc est, qui gignit secundum spiritum, & qui docet secundum spiritum, quorum neutrum propria autoritate homo potest facere. Cæterum appellatione sunt patres & magistri, qui ministri sunt uerbi euangelici, sicut etiam appellatione sunt dii. Sic Paulus uocat se magistrum, doctorem, prædicatorem & Apostolum gentium. 1. Timoth. 2. & 2. Timoth. 1. In quo positus sum (inquit) ego prædicator & Apostolus & magister gentium. Idem uocat se patrem Galatarum, & Galatas filios suos, quos in Christo uerbo ueritatis genuit.

#### Omnes autem uos fratres estis.

Fratres nos  
omnes.

Vos ad illum collati, nihil aliud estis, quàm discipuli, ac fratres inuicem, inter quos mutua est charitas. Nos omnes (ait Paulus) in Christo fratres sumus. Nemo ergo alteri se præferat: nemo speciosis titulis superbiat, nemo nimium sibi tribuat, nemo alterum fastidiat, uel contemnat: imò quisque alteri, ut fratri per charitatem

seruiat. Non hoc autem dicit Christus, quòd per omnia uoluerit suos esse inter se æquales, sed ut eos, qui reliquos ex donis Dei excollebant, doceat sese demittere ad omnium ministerium.

#### Et patrem nolite uocare uobis super terram. Vnus est enim pater uester, qui est in cœlis.

Reuocat obiter suos Christus à fiducia in homines, in quos mirificè cõfidebant Scribæ & Pharisei. Nec prohibet, ne quis uocetur pater ab eo, quem genuit: aut magister ab eo, quem instituit, aut Dominus à seruo, cum & sacra scriptura iubeat, ut filij honorent patres suos. Et Apostolus admoneat seruos, ut dominis suis obediant: & dominos, ut æqui sint erga seruos. Sed damnatur hoc loco affectus horum cognominum, qui certè auocat ab honore, qui Deo debetur. Affectabant enim Scribæ & Pharisei uocari Rabbi, ut ab ipsis prorsus penderet populus Domini, nec ulla in re placitis ipsorum repugnaret. Atque hoc pacto uocari patrem & magistrum, nemini mortalium competit. Vnus est pater cœlestis, à quo pendemus omnes, in quo omne uitæ collocare debemus presidium, & ad quem unice respiciendum est, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra, sicut dicit Paulus Ephes. 3. Obserua uocem, super terram. Christiani non habent patrem in terra, quia ex carne & sanguine Christiani non sunt, sed ex spiritu. Necessè est ergo patrem eorum, esse patrem spiritu, qui in cœlis est. Ideo potens est iuuare nos. Opponit hoc loco patrem omnipotentem omnibus hominibus, qui ex se tanquam ex se, iuuare non possunt. Unde Apostoli omnia in Christum referebant, nolentes alij, quàm ipsius ministri, & mysteriorum Dei dispensatores agnosci. 1. Corinth. 4.

#### Nec uocemini magistri, quia magister uester, unus est Christus.

Repetit omnium maximum uitium, uidelicet sibi soli sumere autoritatem interpretandi legem pro arbitrio: ut ostendat hoc uitio non esse aliud maius. Et, ut diximus, non dicit, quòd impium sit, præceptorum præceptoris appellare uocabulo, aut parentem parentis nomine salutare. Sed hoc sermone prorsus euellere studet ex animis suorum Pharisaicam ambitionem, qui, quod erat Dei, sibi uendicabant à populo, pro doctrina non sua, sed Dei, quasi ipsi essent, autores, ac non potius ministri. Quasi dicat: nolite affectare uocari ab hominibus morum instructores aut gubernatores, quoniam ego unus omnium uestrum sum *ὁ ἑὶς ἡμῶν*, id est, moderator & gubernator uitæ, qui & foris per uitam simul & doctrinam, & intus per spiritus unctionem, aut qualemcunque internam admonitionem uos doceo, quæ sunt salutaria: neque est, qui sciat gubernare aut instituere alium, nisi id ei à me & patre fuerit præstitum, à quibus procedunt, si quæ uidentur uobis honore digna.

#### Qui maior est uestrum, erit minister uester.

Dominus ac magister Iesus Christus intelligens ex hac ambitione nasci pestes, ac exitia congregationum, sermonem suum hac clausula, ceu suæ doctrinæ summa, absoluit: & declarat, quomodo suos prohibuerit uocari Rabbi & magistros. Qui (inquit) maior est uestrum, id est, plurima dona habet, & maximam uerbi cognitionem, reuelatam sibi à Christo magistro, & ob id aliis fuerit præpositus, erit uester minister, id est, humiliter & sine ulla arrogantia ac fastu subiiciet se aliis, dendo & distribuendo in alios sua dona, sine ostentationis aut priuatae gloriæ desiderio. Quod habet, aliunde accepit: & in hoc accepit, ut aliis impartiret. Itaque si quis dotibus diuinis maior est, non hoc erit arrogantior, sed sollicitior, ut communicet: hoc submissior, ne semel perdat arrogantia, quod diuina illi benignitas largita est. Sola sibi sedulitatem humilis minister uindictet cæterum gloria omnis in autorem Deum transferenda est. De hac sententia diximus supra. 18. & 20. ca.

Quomodo  
unus nobis  
pater, magister,  
& dominus.

Christianis  
non est pater  
in terra.

Nihil uictiosius,  
quàm  
autoritatē  
superpate legē  
interpretandi.

Christus unus,  
magister.

Maior donis  
Dei, minor sic  
sibi.



## Qui autem se exaltauerit, humiliabitur.

Quinam se exaltet, & qui humilietur.

Hæc sententia uice rationis & ætiologiæ subiecta est, quæ ut latissimè patet, ita etiã diligentissimè obseruanda est, ut positis fastuosis titulis humiles simus in oculis nostris, nec efferamur propter dona cœlitus nobis concessa, sed modesti in charitate seruamus omnibus. Primò exaltat sese, qui non uocatus, illegitimè occupat primum locum in conuiuio aut alio consessu, sed humiliabitur, in extremum locum deiectus. Deinde sese exaltat, qui facta sua ubique thraſonice iactat. Humiliatur autem, quia habetur uanus & nugator. Ad hæc exaltat sese, qui de proximo suo malè loquitur. Quòd enim de alio malè loquitur, de se ipſo gloriari uidetur. Humiliatur autem quia uicissim ipse quoque necesse habet malè audire. Hoc modo peccant quidam qui præ fastu mutuis sese conuitiis proſcindunt: iustum autem est, ut, qui dicit quæ uult, audiat quæ non uult. Tertiò exaltat sese, qui iustitia, sapientia, potentia, diuitiis & id genus aliis, seu donis, seu uirtutibus suis confidit, ac præ se alios contemnit. Humiliatur autem, quia diuino supplicio omnibus deridendus & exhibendus propinatur. In summa, quisquis arroganter de se senserit, & donis, quæ habet in uerbo, ostensionem sui & priuatam gloriã queſierit, humiliabitur, id est, spoliabitur ac priuabitur donis, quæ habet, & magis ac magis excacabitur. Hæc pœna est arrogantia in negotio impietatis. Vide Paulum ad Roma. 12. 1. Corint. 4. & 12. Vbi Paulus grauissimè dehortatur ab inflatione & arrogantia, ex cognitione uerbi concepta.

## Et qui se humiliauerit, exaltabitur.

Quomodo se salubriter homo humiliet.

Mundus ueram humilitatem nescit.

Pia simplicitas, ab omni fastu alienissima.

Hæc est promissio, facta humilitati. Qui nihil arroganter de se senserit propter dona sua & uerbi cognitionem. Item qui ex sua cognitione & donis non quaſierit ostentationem & priuatam gloriã, & ut paucis fontem humilitatis explicem, qui seipsum abnegauerit, peccata sua agnouerit, & Christo fide uiua adhæserit, hoc est, in Christum peccatorum expiatorem crediderit, exaltabitur: id est, ex inferni tenebris in cœli ipsius splendorem transferetur, magis ac magis exercebit in cognitione uerbi, & prouocans sua modestia liberalitatem Dei, auctis dotibus ex magno fiet maior. Hæc sententia ualent non in hoc seculo seu coram mundo, sed coram Deo. Nam qui coram mundo se humiliat, non exaltatur, sed abiicitur: rurſus qui sese extollit, non humiliatur, sed suscipitur, & honoratur. Nunquã enim mundus huc scientiæ peruenit, ut, quæ præclara sunt, humilitatis forma recta, agnoscat. Horum omnium summa est: Vera & simplex pietas ab omni pompa & fastu quàm alienissima est.

## Væ autem uobis Scribæ &amp; Pharisei hypocritæ.

Væ; interiectio frequens in sacris literis.

Post reprehensam Scribarum & Phariseorum arrogantiam, quòd ambitet uocari Rabbi, & post admonitionem ad suos, ne amarent uocari magistri, sed se unũ magistrum agnoscerent uel zeli magni pergat ad increpandum per apostrophen, illorum hypocritism, fraudulentiam, auaritiam, cæcitatem, obstinationem, & huiusmodi, certa peccata, quæ ordine recenset, simul comminans iræ diuinæ ultionẽ & maledictionem, osties hoc capite magna sanè cum spiritus uehementia reperitam, quanta in neminem aliã inuestus legitur. Horrendum autem uel innotat hic Dominus, & ceu fulmine, ipsorum ferit conscientias. Nam particula, Væ, prophetis usitatissima, semel complectitur, quicquid est miseriarum ac calamitarum præſentis ac futuri seculi. Interiectio est comminantis. Primò loco probrosa appellatione uocat Scribas & Phariseos, hypocritas, qui foris externa specie pietatis tegunt intus in animis horribilem impietatem. Hæc eadem leguntur & apud Lucã undecimo capite.

## Qui clauditis regnum cœlorum ante homines.

Quam hinc Matthæus clauem regni cœlorum uocat, Lucas. 11. cap. dicit clauem scientiæ,

scientiæ, hoc est, uerum intellectum & usum legis. Clauis ergo hæc non est externa quædam dominatio in hoc seculo, aut politicus magistratus, sed est facultas & publicum ministerium prædicandi uerbi Dei, quod constat prædicatione legis, qua ostenduntur peccata: & prædicatione Euangelij de Messia, qua ostenditur remissio peccatorum & uita æterna. Quo tempore Christus in mundum uenit, Scribæ & legisperiti publico docendi ministerio in Ecclesia Israëlita fungebantur. Sed non solum nec legem, nec promissiones de Messia rectè docebant, uerum etiam persequebantur eos, qui rectè sentirent & docerent: quod certè nihil aliud est, quàm regnum cœlorum ita claudere, ut nec tu introeas, nec alium introire sinas. Quid ergo obest, qui homines istos per similes dicam canis in fœno cubanti, qui nec ipse uelicitur fœno, nec permittit ut bos uelcatur? Itaque cum legisperiti conspicerent iam adesse lucem Euangelicam, suisque lucri gratia populum adhuc in umbris legis detinerent, & excluderent etiam tum à ueritate, certè regnum cœlorum clauderent hominibus. Hunc locum paucis mirificè illustrat Diuus Hieronymus, dicens, Habentes (inquit) Scribæ & Pharisei legis prophetarumque notitiam, sciunt Christum esse filium Dei, non ignorant natum esse de uirgine: sed dum prædam de subiecta sibi plebe appetunt, nec ipsi introeunt in regnum cœlorum, nec eos, qui poterant intrare, permittunt. Hoc est, quod. 6. ca. Oseas propheta arguit; Abscorderunt (inquit) sacerdotes uiam. Et mox, Omnis magister, qui scandalizat malis operibus discipulos suos, claudit ante eos regnum cœlorum. Hæc D. Hieronymus.

Clauis regni cœlorum & scientiæ, qd.

Doctus & legisperitus apud Iudæos, canis in præsepi.

Doctores Iudæorum quomodo populo uiam ad cœlum impediebant.

Simile.

Doctores Iudæorum & Pharisei quomodo uiduas deuorabant.

Domus pro opibus. Viduæ pro inopibus.

## Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.

Ætiologia est, cur impediatur illi aliis uiam ad uitam æternã. Qui deberetis esse duces & primi in uia ad regnum cœlorum, ne uiam quidẽ ingredimini, ut uos sequeretur plebecula: imò paratos & uolentes ingredi auertitis, & cohibetis à fide Euangelij: idque facitis sinistra uestra legis interpretatione, uindicantes uobis ipsis clauem scientiæ, non ferentes aliquem legis & prophetarum intellectum, nisi quem ipsi assignaueritis. Deinde per excommunicationem & terrorem uiam præpediebant. Iam enim in hoc conspirauerant, ut eicerent extra synagogam eos, qui confiterentur Iesum esse Christum, Ioan. 9. Quod sanè non solum corporales adferebat molestias, sed & conscientias populi Dei, religione obſtrictis, admodum graue uidebatur. His ergo maledicit Dominus, quòd non solum sibi nocerent, sed & alios à uia recta auerterent. Quis enim non maledicet ei arbori, quæ non solum ipsa fit sterilis, sed & sua proceritate & latitudine alias arbores à fructificando impediatur?

## Væ uobis Scribæ &amp; Pharisei hypocritæ, qui comeditis domos uiduarum, orationes longas orantes.

Væ uobis, quia comeditis domos uiduarum, per auaritiam & crudelitatem illas opprimentes, ceu ab aliis derelictas, & oratis dūtaxat per simulationem, ut uideamini sancti, cum nihil minus sitis, atque hac hypocriti demētatis ditiores uiduas, ut uero sua uobis dent. Eadem narrat Marc. 12. & Luc. 20. Atque huiusmodi homines, Isa. 56. culpantur simul de auaritia & luxu, cõparanturque canibus impudentibus, qui nesciunt saturari. Rogabis: quomodo uorabant domos uiduarum? Licet hic non exprimat, tamen Isaia. 10. cap. declarat, dicens, Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent causæ humilium populi mei: ut essent uiduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Ex his facillè colligitur, quomodo peruersis statutis, iudiciis, calumniis, subornatis falsis testibus oppræſerant impotentiores, maximè uiduas & derelictas. Vide secundam interpretationem Chryſostomi in hunc locum. Obferua: domos posuit pro opibus & substantia: uiduas pro inopibus, & ad rapinam expositis, bonis & simplicibus hominibus. Epitafium siue uehementiam habet uer-

OOo



bum quo utitur Lucas, deuorant, nimia infatigabilemque notans cupiditatem. De his loquitur Paulus. 2. Timot. 3. Et hos deuora, inquit, ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, &c. Obserua: hic neque abrogat, neque damnat longas preces. In grauibus enim tentationibus, & presentibus afflictionibus, necessaria est copiosa oratio. Semper orate, inquit: & Dauid, Clamauit ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas.

Oratio prolixa in grauibus tentationibus necessaria.

Propter hoc, amplius accipietis iudicium.

Exaggeratio est poenae. Non dicit, grauius puniemini: sed amplius, id est, grauius & prolixius supplicium & poenas luetis. Quia pauperum spoliatores iniqui estis, qui non solum expletis uentres uestros facultatibus uiduorum, quarum tenuitati magis subueniendum erat, uerum etiam rem impiam prae-textu religionis & longarum precum facitis.

Vē uobis Scribae & Pharisei hypocrite, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam uos.

Alia laborabant hypocriti Scribae & Pharisei, quam notat Christus. Affectabant uideri gloriae Dei studiosi, & zelo promouendi regni Dei duci, ut pluris estimarentur, & sanctiores uiderentur apud homines. Nec solum hanc inanem gloriam damnat, uerum etiam peruersam institutionem. Nam non in uera pietate instituebant, quos ex Gentilibus conuertebant ad religionem Iudaicam, sed in traditionibus suis superstitiosis. Eo enim quolibet instituebant, ut insensissimus esset Christi hostis, & mordacissimus defensor recens susceptae religionis. Diuus Hieronymus scribit conuersos illos, id est, profelytos uidisse mala magistrorum opera, ac ideo offensos recidisse, id est, rediisse ad uomitum suum, gentilesque quasi iterum factos, maiori se implicasse praeruaricationi. Filius autem uocatur gehennae, quomodo filius perditionis, & filius huius seculi. Vnusquisque enim cuius opera agit, eius filius appellatur. Hae ille. Filius gehennae, id est, filius damnationi addictus aut subiectus. Sensus uerborum est: vos circuitis mare & aridam: id est, omnem mouetis lapidem (proverbialis est loquutio) nullisque parcitis laboribus, ac annitimini summa cura & diligentia, ut faciatis unum profelytum, id est, ex Ethnicismo ad Iudaismum quempiam conuertatis: & quum fuerit factus profelytus, falsa uestra doctrina, corruptis moribus & malo exemplo instituitis eum, & redditis filium gehennae, id est, addictum & adiudicatum damnationi, duplo quam uos estis: id est, multis modis seu multo sceleratior, & diabolo astrictior fit, quam fuerat tum, cum adhuc esset Ethnicus: & duplo magis, quia neque Gentilis neque Iudaeus est coram Deo, id est, neque sine lege neque sub lege. Non damno uos, quod detis operam diligentissimam conuertendis idololatrias ad Iudaismum, & instituat is eorum doctrina recta tum probis moribus, ut decet ueros Israelitas institui. Sed tanta est uestra impietas, & adeo corrupti uestri mores, ut pessimo exemplo illos scandalizetis, & occasionem praestetis eis nomen Dei blasphemandi: ac rursum ad suam gentilitatem relabendi. Qua ex re fiunt filij gehennae, duplo quam uos, quia a ueritate semel agnita redeunt ad idololatriam, sicut canis ad uomitum. Proinde melius illis fuisset (2. Pet. 2.) non cognoscere uiam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Obserua: Profelytus, Graeca uox, προσήλυτος, aduenam siue peregrinum significat, à προσ & ἔλθεω, uenio. Nam qui ex Ethnicismo ueniebant ad Iudaismum, hoc est, abnegata & posita gentilitate religione, Iudaicam recipiebant, ac circuncidebantur, hi profelyti, aduenae, & Gerim uernaculo Iudaeorum uocabulo appellabantur.

Doctores Iudaeorum, peruersi catechizati.

Gentiles, mores Iudaeorum exosi, Iudaismum deserunt.

Filius gehennae.

Profelyti Iudaeorum, quales.

Profelytus, quis Iudaeis.

Vē uobis duces caeci.

Scribas & Phariseos & pontifices, caecos dicit duces, quod nihil uiderent, & se duces gloriabantur. Profecto magna est caecitas, ubi sublata est Dei sapientia: nam caecitas horribilis, ubi non est Dei sapientia. tum in errores absurdos aded homines prolabantur, ut nemo satis eorum demeritiam possit admirari. Condemnatur hic (ait Hierony.) Phariseorum traditio, ut arguantur cuncta, gratia lucri facere, & non per timorem Dei. Sicut enim in phylacteriis & fimbriis dilatatis opinio sanctitatis captabat gloriam, & per occasionem gloriae, querebat lucra: sic alia traditionis inuenta strophae, impietatis arguit praecceptores. Hae ille.

Qui dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est: Qui autem iurauerit in auro templi, debitor est.

Stropham hanc cuderunt Scribae & Pharisei ex falsa legis interpretatione. Verat lex Leuit. 18. ne peieretur per nomen Dei: & Exod. 20. ne nomen Dei inaniter usurpetur. Hi docuerunt non esse periuurum contra legem, nec fontem esse quenquam, si iuret per templum. Si quis (ait Hierony.) in contentione seu in aliquo iurgio, uel in causa ambiguo iurasset in templo, & postea conuictus esset mendacij, non tenebatur criminis reus: sin autem iurasset in auro, & pecunia, quae in templo Sacerdotibus offerebatur, statim id, in quo iurarat, cogebatur exoluere. Hae ille. Hoc iuramentum per aurum exaggerabant pro maximo peccato: non quod per se peccatum esse, iurare per aurum & donum, putarent, qui iuramentum per templum & altare factum, nihil curabant: sed quia iurare per aurum aut donum, erat de pane (ut aiunt) lucrando, ideo amplificabant iuramentum illud pro summo iuramento, & peccato, si uiolaretur.

Phariseorum cupiditas execrabilis.

Stulti & caeci. Quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

O stulti, dementia pleni, & caeci, lucem fugientes, utrum maius digniusque censendum uenit aurum quod est in templo, diuinis usibus consecratum, an ipsum templum, Domino sanctificatum, a quo accepit suam sanctificationem aurum, quod offertur in eo? Absque controuersia quod sanctificat, maius est eo, quod sanctificatur ab ipso. Iam aurum non sanctificat templum, sed eo sanctificatum est aurum, quod templo Dei sit dicatum ad usus diuinos: & antequam dicatum esset aurum, profanum erat, templum uero sanctificatum. Falsa igitur & irrationabilis est haec uestra doctrina, a uobis inuenta ad quaestum & auaritiam. Obserua, sanctum dicitur insigne, & separatim: sanctificari uero, a profanis usibus separari, & per uerbum sanctis usibus dicari.

Sanctum in rebus inanis, quid.

Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet.

Priori doctrinae iam damnatae haec consimilis est. Docebant, si quis iurasset in altari (uerbo Hieronymi utor) periurij reum nemo retinebat: sin periurasset in dono uel in oblationibus, hoc est in hostiis, in uictimis, & in caeteris, quae offeruntur Deo super altare, haec studiosissime repetebantur. Arguit ergo eos Dominus & stultitiae & fraudulentiae, quod multo maius esset altare, quam hostiae illae brutales, quae sanctificabantur ab altari. Debet, id est, peccat contra praecceptum de iurando.

Caeci.

Qui liuore & odio in me, occaecati estis, unde legem non recte interpretamini.

Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum?

Quaestio est de rebus, per quas iurabatur, utrae potiores sint, & utrae maius peccatum pariant: Interrogo uos, utrum maius sit, maiorique dignum reuerentia, do-



num, quod in altari offertur Deo, an ipsum altare, quod sanctificat donum illi impositum? Puto, dicetis altare, à quo sanctum fit donum. Cum igitur uos propter quæstum contrariam fingatis doctrinam, qua uultis maiori honore donum excipi, quàm altare, nonne iure explodendi estis, & digni magno & æterno supplicio, qui audeatis tam sinistrè populo interpretari legem Dei? Obserua, in ueteri (ait Theophylactus) non permittit Christus donum maius esse altario, apud nos autè altarium à donis magis sacratum.

Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. Et quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

Concludit Christus, & clarius explicat, cur uanè iurare per templum, & per altare, & per cælum, sit peccatum, & maius, quàm iurare per aurum & dona, &c. Iuramentum per altare complectitur iuramentum per donum altaris, quomodo maius & dignius in se includit minus dignum. Et quemadmodum qui iurat in altari, iurat simul in donum, quod est ipsi impositum: ita qui per templum iurat, non solum per ipsum iurat, sed etiam per Deum, qui in templo specialiter inhabitat, quatenus ipse est cultui sanctificatum, & specialiter dedicatum. Quare non potest parui æstimari iuramentum, quod fit per templum. Iurare per aurum templi, tantum auri dem templi. Sicut qui iurat per cælum, iurat per hoc, quod est thronus siue sedes, & aula Dei: quoniam cælum Dei sedes est, in quo, tanquam in throno gloriæ, suam ostendit magnificentiam: ac simul iurat per sedentem in throno isto, siue habitantem in aula ista. In utroque enim horum est similitudo, quoniam Deus ut cælum, ita & templum inhabitat. Vnde sicut qui per cælum iurat, simul iurat per sedentem in ipso: sic qui per templum iurat, iurat etiam per habitantem in eo. Quoniam enim in iuramento aduocari debet prima ueritas in testimonium, non potest per creaturam fieri iuramentum, nisi quatenus ad Deum refertur, ut in creatura per creatorem iuretur. Quare qui iurat per templum & cælum, iurat simul per habitantem atque sedentem in eis. Obserua: licet Dominus disputet de iuramento facto per templum, & per res in eo, non tamen iubet iurare per templum aut cælum contra formam iuramenti, de qua scripsimus suprâ, 5. cap.

Vē uobis Scribæ & Pharisei hypocrītē, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem.

Hoc loco Christus non solum hypocrītes, uerum etiam auaritiæ taxat Scribas & Phariseos, qui minutiora legis, ueluti cæremonias (ut has tropo intelligamus per mentam, &c. exactissimè obseruari uolebant: maiora autem, imò potissima legis capita, transibant intacta. Et eo auaritiæ descenderant, ut quæ ad quæstum ipsorum pertinebant, etiam minutissima, cupidissimo animo colligebant, nimium decimas è menta, ruta, cymino, & aliis rebus minutis: interim ea quæ sunt maximi momenti, & unde pender uera iustitia, pro nihilo ducebant, iudicium scilicet, misericordiam & fidem. Iudicium prohibet, ne cui irrogetur iniuria, ut iustitia uigat, quisque suo utatur, ne quis opprimatur à potentioribus, ut pax sit publica, exulet omnis fraus, omne mendacium, omnisque iniquitas, regnet autè innocentia. Misericordia charitate cõstat, & benefica est. Nō enim satis est, ne quem offendamus, nisi etiam omnibus, & quantum in nobis est, omnibusque uiribus beneficiamus. Misericordia ergo semetipsam totam proximo impendit. Infrâ. 25.

Iurare p cœ-  
lum, templū,  
& donaria te-  
pli.

Iustitia quid  
exigit.

Quid miseri-  
cordia.

recensentur misericordiæ opera. Fides autem erga Deum fiducia est ac ueritas, quæ & ipsa requirit, ut fidem quoque seruemus hominibus, ne mendacio aut per- iurio fallamus quæquam. Huc pertinet, quod Micheæ. 6. cap. scribitur, Indicabo tibi, homo, quid bonum sit, & quid exigit à te Dominus, facere iudicium, dili- gere misericordiam seu beneficentiam, & sollicitè ambulare cum Deo tuo. Aut fide comprehendit priorem tabulam: misericordia & iudicio, posteriorem. Ob- serua hoc loco humanum ingenium. Cum ad ueram iustitiam præ amore sui per- uenire nequit, sibi aliqua deligit, quibus iustitiam falsò ostendet.

Hęc oportuit facere, & illa non omittere.

Occupatio est. Quid ergo, dicit aliquis, non erant decimæ exigendæ? Respon- det Christus. Hæc, id est, iudiciū, misericordiā, & fidem, oportuit facere: & illa, id est, colligere decimas, non omittere, quòd ex lege debeantur Leuitis, quibus in distributione terræ Canaan nulla portio terræ tradita est. Lex cõstat tribus parti- bus, uidelicet moralibus, iudicialibus & cæremonialibus. Porrò iudicialia & cære- monialia, inter quæ & decimæ certa parte discretæ recensentur, instituta erant pro- pter moralia, quæ in decalogo continentur, & ut fiant, maximè omnium neces- sarium est. Igitur iudicialia & cæremonialia non omittenda quidem erant: perti- nebant enim ad conseruationem, publicæ honestatis & ministerij uerbi Dei: sed moralia, ut Deo credere, parentes honorare, non inuidere, non uicisci, rectè iu- dicare, proximo benefacere, fidem seruare, & id genus alia, maximè omnium fa- cere oportet, & nullo modo omittenda neque erant neque sunt, etiam si iudicialia & cæremonialia interdum necessitate quadam omitterentur. Hæc regula ut ab om- nibus cum magistratibus, tum priuatis hominibus obseruetur, maximè est neces- sarium. Solet enim magistratus hac in parte multum peccare, dum seuerius tuctur ordinationes de conferendo tributo, quàm de blasphemis, de computationibus tempore sacrificij & diebus dominicis, de adulteriis, & id genus aliis sceleribus ui- tandis. Solent & priuati homines peccare, quòd multò diligentius obseruent ea, quæ externæ tantum & publicæ honestatis sunt, quàm ea, quæ grauissimè à lege Domini exiguntur. Hoc loco Christus his omnibus cõcionatur, dicens, Hæc quæ diuina lex exigit, oportet facere: illa autem, quæ sunt tantum publicæ honestatis & huiusmodi tantum, non conuenit omittere.

Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Cacos dicit, quòd imperiti essent, nec rectè instituerent populum, cui præerant, & cuius duces se esse gloriabantur. Prouerbialis est hæc sententia, qua Christus do- cet uanitatem ac cæcitatem Scribarum & Phariseorum, qui inutiles sapè & leues ritus pluri faciebant, quàm necessaria opera legis, sine quibus non potest contin- gere salus animæ. Item sapè pro non peccatis aut his leuiculis, ducebant quæ ma- xima sunt peccata: & sapè minuta peccata uitantes, maxima admittebant. In mi- nutissimis rebus erant censors exactissimi, at in ueræ pietatis capitibus prorsus stupidi, & cef- fatores planè desides. Huc pertinet, quod Diuus Hieronymus in hunc locum scri- bit, Camelum puto esse secundum sensum præsentis loci & magnitudinem præce- ptorum, iudicium & misericordiam & fidem. Culicem autem, decimas mentæ, anethi, & cymini, & reliquorum uilium olerum. Sanè nos contra præceptū Dei, quæ magna sunt, deuoramus, atque negligimus, & opinionem uenantes religio- nis, in paruis, quæ lucrum habent diligentiam demonstramus. Hæc ille. O cæci, qui religionem ostentatis in iis, quæ nullius aut minimi sunt momenti, in uos cõ- uenit prouerbialis illa sententia, culicem excolatis, camelum glutientes, quasi cu- licem animalculum non ualeatis glutire, idcòque excolatis: cum interim came-

Fides.

Inustus, nemo  
est, qui non  
uelit uideri.

Decimæ de-  
bitæ Leuitis.

Legis tres  
partes.

Moralia Je-  
gis semper  
obseruari ne-  
cessè.

Abus magi-  
stratum in  
morib' casti-  
gandis.

Honestatis  
publicæ quæ  
diuinæ legis  
cura maior.

Phariseorū  
inuerſa stu-  
dia.

Nostra om-  
nium hodie  
superſtitio,  
quanta.



lum, animal maximæ magnitudinis, deglutiat. Hoc est, ostentatis religionem in rebus minimis, & res maximè necessarias salutis gregis uobis commissi negligitis. In rebus minimis scrupulosi estis, de multò grauioribus peccatis nihil solliciti, ueluti si quis in die ieiunij tempore cœnæ micam panis nō audeat sumere, ne uolet ieiunium: audeat tamen totas horas in detractioe aut concupiscentiis insumere. Tracta est hæc prouerbialis sententia ab eo, quòd fieri solet, cum in poculum quidpiam immundi incidit, ut pote musca, aut culex, aut aranea, aut huiusmodi, quod per guttur bibentes transmittere nolumus: tunc enim magna diligentia cauemus, ne simul id cum potu per guttur transeat, ipsūque, uel priusquam poculum ori admoueamus, eiciamus: uel si in ore primū percipitur, linguæ & dentium obstaculo impedimus, ne transeat. Quam autem foret absurdum, si quis camelum, animal maximum, posset glutire, at neque hylum excolare, id est, pauillatim stillatimque per guttur liquidi quidpiam ualere exorbere: bouē totum uoraret, musculam autem uel culicem non posset glutire! Sic sunt illi, quibus est tam angusta, siue scrupulosa (ut dici solet) cōscientia, ut rem minimam (in qua uel nihil uel parum admodum mali est) nequaquam audeant, quum ab iis, quæ manifestè Deo sunt contraria, non abhorreant.

Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia mundatis, quod de foris est & calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia.

Aliam hypocrisim damnat Christus, qua Scribæ & Pharisei scedè commaculati, hærebant in externa sanctimonia uitæ, & apud animam meram impietatem alebant. Nam miram sanctimoniam foris præ se ferebant, nihil interim de cordis puritate solliciti. Pro rapina & intemperantia, in Luca legitur iniquitate, id est, cupiditate aliena inuadendi, & libidine rebus omnibus ad uoluptatem abutendi. Similes utique in hoc erant, ei, qui poculi uel patinæ exteriorum quidem partem diligenter mundaret: interiorum autem sineret sordidam & immundam. Quid? reprehendit ne Christus publicam morum honestatem, & uetat, ne manus lauentur, ne calix & catinum purgentur? Nihil minus: imò externa manu & uasorū mundities honesta est, & placet Deo: sed reprehendit hypocrisim & prauam opinionem, quam Pharisei habebant, in manuum & calicum lotionibus: existimabant enim hanc externam lotionem esse iustitiam coram Deo. Possunt hæc uerba & in hūc sensum dici: Lauatis quidem diligenter pocula & patinas foris, ut niteat, cæterum potus & cibus his impositus, est immundus, ut pote fraude & rapina paratus. At qui oportebat eos præcipuè uitare immunditiam animi, qui uolebant uerè mundi uideri. Obserua, ut uocat uasa plena rapina, eò quòd ex rapina pauperum implebantur, sicut & supra dixit, comeditis domos uiduarum: & plena intemperantia, eò quòd luxui seruebant. Ita immunda sunt patinæ, immunda pocula hominum auarorum, rapacium, sceneratorum, comessatorum & luxuriantium, etiam si argento & auro undique splendeant. Et eadem ratione immundas possumus censere uestes, & ædes, quæ uel ex rapina & usura comparantur, uel luxū respiciunt. Christiano homini ueræ pietatis studio & cibus & potus & uestes & ædes abundè nitent, & omnia munda sunt, si iustè sint acquisita, & ad necessitatem usurpentur.

Phariseæ cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id, quod de foris est, mundum.

Hoc dogma Christus non sine animi commotione & sancta indignatione pronuntiat, ueram scilicet purgationem proficisci ex animi emundatione. O Phariseæ cæce, qui internam immundiciem, & prauos affectus nō uides, neque pro pec-

Glutire camelum & excolare culicem

Publica morum & corporis honestas grata Deo.

Pio homini omnia munda & nitida.

catis habes, munda, id est, cura in primis, ut habeas internam in animo mundiciem, & labora, ut animus sit tibi purus. Pharisei & Scribæ unā cum philosophis in ea fuerunt opinione, ut putatē, ac simul etiam docerent, Deum non iudicare de adfectibus. Et quia hoc crediderunt, ac persuaserunt, magnam habuerunt occasionem augendi externam purgationem, & fiduciam hominum in illā conuertendi.

Impia Scribæ & Pharisei de Deo opinio.

Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & uos foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisis & iniquitate.

Damnat rursus hypocrisios Scribas & Phariseos, quos comparat sepulchro non aperto, sed intecto, & è marmore nitente composito. Dealbatio fucus est externæ sanctimonie. Ossibus autem mortuorum & spurcitia exprimit Christus animos, omni impietate plenissimos. Cum dicit, sic & uos, &c. accommodatio est similitudinis ad Phariseos. Quemadmodum enim sepulchris testis, & è marmore excisus, nihil est nitidius speciosiusque: his iisdem, si retegantur, nihil foedius: dirū enim foetorem exhalant, ut pote cadauera putrida, ossaque marcida continentia: Ita & Scribæ ac Pharisei foris quidem apparebant hominibus iusti, mentientes sanctitatem externa specie, uestitu, pallore, ieiuniis, similibusque fucis: cæterum intus & in animo toti uitii insignibus madebant. Videtur hūc allegoriam mutuatū esse ex psal. 5. Non est in ore eorum ueritas: cor eorum uanum est: sepulchrū patens est guttur eorum, &c.

Pharisei & Scribæ, sepulchra inalbata.

Væ uobis Scribæ & Pharisei hypocritæ, quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.

Scribis & Phariseis Christus maximam improperat crudelitatem, & taxat in ipsis falsam sanctimonie ostentationem. Non hūc autem damnatur sepulturæ honestas. Nam & patriarchis & prophetis suæ fuerunt sepulturæ. Et Christus honestè sepultus est. Debent & Christianorum sepulturæ propter spem resurrectionis honestæ esse. Sed damnatur hypocrisis, crudelitas & impietas eorum, qui sepulchra prophetarum ædificabant, ut gloriarentur tanquam iusti, & hoc opere se excusarent, & innocentiam suam publicè ostentarent. Qui ædificatis, quasi dicat, qui in hoc sepulchra ædificatis, ut uideamini eorum amatores, qui ueritatem docuerunt. Et, ceu eximij prophetica doctrinae fautores, extruitis speciosa mausolea prophetis, & iustorum ornatis monumenta, ne uideamini cōsensisse ipsorum crudelissimæ morti. Cœperat Iudæa imitari Aegyptum, & ad huius exemplum exoliebat sepulchra. Nota sunt, quæ de pyramidibus Aegyptiorum Regum scribuntur ab historicis. Obserua in uoce, iustorum, causam, propter quam iusti à Iudæis trucidati fuerant.

Sepulchra ornate, non impium.

Iudæi patrifantes, & pessimorum parentum peiores filij.

Et dicitis, si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum.

Hæc est insignis hypocrisis, qua Scribæ & Pharisei tegunt sanguinolentos & cruentos suos adfectus, nō dissimilis parētum suorū affectibus. Quia utrique, tam parentes, quàm filij, oderunt iustitiam per Christū. Vos, ueluti pœnitentia ducti malefactorum, quæ commiserunt patres uestri, qui innocentes & iustos occiderunt, in excusationem uestram dicitis, etiam plenis buccis, Nos, si fuissetis in diebus patrum nostrorum, quando concionabantur sancti isti prophetae, non consensissetis in cædem ipsorum, sed ipsis prædicantibus obediissetis. Propter quod in protestationem iniuriæ prophetis illatae, & mortis eorum iniustæ, nūc erigimus & ornatus eis monumenta.



Itaque testimonio estis uobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt.

Argumentum probationis Christi est ex relatiuis: quasi dicat, Et si uos edificatis sepulchra prophetarum, tamen nihilo estis meliores patribus. Siquidem ex hypocrisis tantum edificatis ea, ut uideamini esse ueritatis amici, cum interim nihil minus sitis. Quia ergo filij uolebant se hypocrisis defendere à cæde iustorum, Christus illam detegit, dum in filiis eisdem affectus, quibus laborarunt parentes contra prophetas, latere ostendit. Itaque hoc argumento uidetur sensus Christi constare: Filij iisdem affectibus laborant, quibus olim parentes erga prophetas & iustos. Ergo filij more parentum occidunt prophetas. Quod autem hoc adfectu pessimo essent adfecti, uide quæ narrantur superiore cap. 22. ubi Pharisei, insigni hypocrisis ornati ueniunt ad Christum, dicentes, Magister scimus quod uerax sis, & uiam Dei in ueritate doces, &c. Sed quod tandem tendit illa hypocrisis? certè ut illaqueat seu capiat Christum. Declarat igitur hoc loco Christus, pallium, quo Pharisei suam hypocrisis & impietatem tegebant.

Vitiosi Iudeorum maiores progenie dederunt uitiolosorem.

Et uos implete mensuram patrum uestrorum.

Quia adfectibus & opere, hypocrisis tamen tecto, refertis parentes uestros, prophetarum interfectores, agedum, respondete maioribus uestris, & quod deest illorum extremæ crudelitati, uos, ne quid desit, implete. Illi prophetas occiderunt, uos cum occidere paratis, quem prædixerunt prophetae, unà cum Apostolis suis. Illi seruos, uos filium Dei, idque morte turpissima, & crudelissimo supplicio, quomodo nullum unquam prophetarum tractauerunt patres uestri. Tota profectò hæc oratio respicit commotum animum. Nam ita succensit solent conciso, abrupto & tropis uariiegato uti orationis genere. Hic sermo, uos implete, &c. per ironiam siue sarcasmon, id est, iocum cum amaritudine pronuntiatur. Deus enim non præcipit, ut sint paricidae. Sed solemus, quæ certò complenda nouimus, per ironiam iubere, & ueluti præcipere. Veluti cum uinolentum seu ebrietatis studiosissimum, posthac tamen constantissimè negatè se bibiturum uinum alloquimur, dicimus, Fac quæso, quod confucuisi hætenus. Non præcipimus, sed quod futurum est, ueluti prænuntiamus, quanquam amarulentius. Itaque Dominus noster, dum Pharisei constanter negarēt se patrum exemplo prophetas occisuros fuisse, & nō ignoraret ipsos iam iam in animo uolere cades & paricidia, quod facturos nouit, dicit, Et uos implete, &c. ut uidelicet patrum mensuram impleant, ueluti prædicēs, quod facturi erant. Non est infrequens scripturis, imperatiuos ponere pro futuris indicatiui, implete pro implebitis. Modus enim loquendi prophetarum, secundum Basilium magnum de institutis monachorum, est ut imperatiuum modum pro indicatiuo usurpent, quæ uerbi figura in scripturis prophetis frequentius inuenitur. Sicut est illud, Fiant filij eius orphani, & diabolus ster à dextris eius. Ad hunc modum non uidetur præceptum esse, quod dicitur, Nunc qui habet sacculū, tollat, similiter & peram: sed potius propheta prædicentis Domini, quod futurum erat: nempe ut apostoli, obliti gratiæ Domini & legis eius, illa adsumerēt. hæc ille.

Commoti animi concisa est oratio.

Modus iudæi pro indicare Hebraei finis.

Serpentes & genimina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

O serpentes, uiperarum progenies: homicidarum filij, homicidæ: serpentes inquam, qui sub hypocrisis inficitis homines uestra uenenata doctrina, non aliter atque serpentes inficiunt, & tacitè occidunt homines. Progenies uiperarum, qui uis & minis cogitis homines ad intoxicatam uestram doctrinam, amplectendam. Quomodo effugere poteritis imminens aternæ damnationis iudicium, nisi respueritis? Quum tam inuincibili malitia sitis, quum nullis neque beneficiis, neque

miraculis, neque blandis sermonibus, neque austeris, neque pollicitis, neque minis corrigamini: ut interim effugiat iudicium hominum, quomodo effugietis iudicium gehennæ? Nunc offertur uobis uia fugiendi iudicium: hanc ob oculos uestros positam habetis, sed ab ea auertimini. Tempus erit, cum quæretis fugere, sed nullis uis aut uirtus suppetet ad fugiendam gehennam & poenam aeternam.

Ideo dico uobis, Ecce ego mitto ad uos.

Ecce: quasi dicat, Quantumuis interim excusetis uos à desyderio occidendi prophetas: mitto, ut norum sit me uera dixisse de uobis. Non ait, ecce uenient, &c. Sed mitto: Fures & latrones dicuntur uenire. Ioan. 10. Ministri salutis non ueniunt, sed mittuntur. Quomodo, inquit Apostolus Roma. 10. prædicabunt, nisi mittantur? Unde & Christus dixit supra cap. 9. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Emphasim habet uox, ego. Ego filius Dei, &c. Argumentum est diuinitatis in Christo, quia mittit prophetas. Cæterum hæc sententia, ex superiore dependens, non est intelligenda, quasi ideo miserit ministros suos, ut à Iudæis occidantur: sed sententia eclipsim habet, quæ sic potest farciri. Ideo uerò dixi uos mensuram impleturos patrum, quod ego certò sciam, quomodo meos illos legatos, ad uos mittendos, sitis excepturi.

Germani ministri non ueniunt, sed mittuntur.

Prophetas.

Id est spiritu diuino & docendi munere instructos, uiros graues & diuinos. Ieremias. 7. Et misi ad uos seruos meos.

Et Sapientes.

Viros rerum peritos, & uaria rerum experientia prudentes, & ad res foeliciter appositos.

Et Scribas.

In scripturis exercitatos, & diuinæ legis consultissimos. Ingens certè & ineffabile Dei beneficium est, quod homines tot tantisque donis instructos ad salutem mortalium promouendam emitat. Et ingratitude magna est, illos non recipere, sed uariis suppliciis afficere, & morti tradere.

Et ex illis occidatis, & crucifigatis, & flagellabitis in synagogis uestris.

Distributio est suppliciorum seu persecutionum, quibus uariis adfecerunt Iudæi prædicatores iustitiæ Christi. Quod autem Christus hic uaticinatur, re ipsa impletum est. Iudæi enim non solum persecuti sunt Christum ipsum, & Apostolos eius, uerum etiam occiderunt. Et planè idem uerbum prædicauerunt, quod quondam propheta à patribus occisi. Dicit enim Petrus, Act. 3. Et omnes prophetæ à Samuel & deinceps, qui loquuti sunt, annuntiauerunt dies istos. Hæc igitur facto declararunt hypocritæ, se nō solum esse filios homicidarum, sed etiam approbare homicidia patrum suorum.

Vt ueniat super uos, omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiae, quem occidistis inter templum & altare.

Deus non sinit inultum sanguinem piorum, quippe qui ad Deum pro uindicta clamat. Ecce, subiungit Christus, grande supplicium de huiusmodi rebellibus sumendum. Et alloquitur Iudæos, qui tunc erant. Aduertendū est, quod sanguinem iustum uenire super aliquem, est, ipsum sanguinis fieri reum, atque uindictæ sanguinis subiici. Hoc modo clamarūt Christi crucifixores. Sanguis eius super nos & super filios nostros. Sumetur igitur de uobis (dicit Dominus) supplicium, propter sanguinem illum omnem, ab exordio mundi effusum propter ueritatem. In Abele

Sanguine uenire, quid.



& Zacharia notantur causæ, propter quas occubuerunt omnes sancti ab initio mundi, & occumbent usque ad mundi finem. Illæ sunt, fides in Iesum Christum, uerus Dei cultus, & gratiæ per Christum partæ confessio. Verum enim quomodo Iudei, quos hic alloquitur Dominus, qui neque Abelem, neque Zachariam occiderunt, pœnam luent sanguinis eius, quem non effuderunt? Hic animaduertendum, quod quemadmodum unicum est sanctorum consortium, & unum corpus Ecclesiæ sub uno capite Christo: ita una est impiorum & homicidarum societas sub uno capite diabolo. Et propter illam communionem tam bona quam mala utrisque comunicantur. Bona quidem, uirtutes ac dona, bonis: malis uerò mala, scelera atque supplicia. Sed an iustum est puniri ob maiorum delicta, quum scriptum sit, Filius non portabit iniquitatem patris? Respondeo. Quemadmodum dignus est, qui maior sequitur probitatem, ut ad illum non solum propriæ, sed & paternæ probitatis fructus redeat: ita dignus est, qui non solum propriæ, sed & paternæ malitiæ pœnas luat, qui patrum improborum mensuram adimplet. Quod uerò scribitur Ezechiel. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, de illis dictum est, qui uestigiis patrum non ingrediuntur. Rogabis. Quare iustorum occisionem terminat in Zacharia, & minatur ultionem effusi sanguinis usque ad Zachariam: cum & Apostolorum sanguis uenturus esset super generationem istam? Enim uerò ut grauitatem futuræ ultionis exprimeret, minatur & eum sanguinem iustum, quem patres eorum fuderant, uenturum super hanc generationem. Ideo illius tantum meminit, non excludens sanguinem uel suum uel Apostolorum. Quod si de Zacharia, qui erat Ioiadæ, intellexerimus, ob eam causam illius meminit, quod post illum, nullus propheta fuisse occisus in scripturis legitur: non quod nullus post illum sit occisus, cum occisus sit ante Isaiam & Ieremiam: sed quod tantum huius mors exprimitur in scripturis. De hoc Zacharia uerisimilior est sententia, fuisse illum filium Ioiadæ pontificis, qui populum à seruitute impiissimæ Athaliæ liberauit, & Ioas regem in domo Domini educauit, ac deinde in regnum restituit. Hunc Zachariam historia. 2. Paralipp. 24. cap. tradit iussu Ioas regis ingrati à populo lapidibus obrutum in atrio Domini, cum ex ore Domini populum increparet propter idololatriam. Quod rectè consonat ei, quod hic dicit Dominus interfectum eum inter templum & altare. Ceterum de nomine patris nulla est difficultas, si binomius fuisse dicatur, ut unus homo Ioiadas & Barachias fuerit nominatus. Cui astipulatur, quod dicit Hieronymus, in Euangelio Nazaræorum, loco Barachias se nomen Ioiadæ reperisse. Erat hæc nominum pluralitas apud Iudæos frequentissima, ut ex lectione Philonis uideri potest. Theophylactus ita scribit, Super Iudæos illos, qui tunc erant, dicit, ueniet omnis sanguis. Plus enim punientur quam patres sui. Nam neque post tanta exempla emendati fuerunt. Sicut & Lamech post Cain plus punitus fuit, quam uis non interemisset fratrem, eò quod non fuisset ad exemplum Cain emendatus. Veniet igitur (inquit) sanguis ab Abel usque ad Zachariam. Hæc ille. Barachias interpretatur benedictus Domini propter eius sanctitatem.

Amen dico uobis, ueniet hæc omnia super generationem istam.

Vehemens est hæc adseueratio, quam, ut seriam & certam, iuramento confirmat. Quasi dicat, Non tantum per comminationem uos alloquor, sed in ueritate dico uobis: non est, quod quisquam speret se iudicium Dei declinaturum. Nam cum in hac uiperina generatione demum ea crudelitas, qua effusus fuit omnis sanguis iustus à constitutione mundi, planè maturescat & impleatur, digna est, imò ita fiet, ut hæc omnia mala pœnæ, debita pro uiuerso iustorum effuso sanguine, accumulanda sint super generationem istam, quæ iisdem affectibus & animis ueritati aduersatur. Idque fiet intra quadraginta annos. Tam enim seuera super uos, qui mensuram patrum adimplebitis, ultio Dei ueniet, ut uideantur in memoriam

Similibus peccatis similia supplicia debentur.

Exempla priorum posteris obligant.

Barachias & Ioiadas eadē

Zacharias propheta occisus, quis.

Parentum imitatores partem præmia participant.

Bonorum omnium boni particeps sunt, sicut mali malorum.

Cædis sanctorum quæ ab ineunte mundo causæ.

redire mala omnia, à patribus commissa, ac pro his omnibus simul in uos exercere uindictam grauissimam. Tamen si nonnunquam etiam præteritis temporibus Deus parentum uestrorum peccata puniuerit: nunquã tamen sic tota se effudit ira Dei, ut tum effunderet super generationem istam, maiorum suorum crudelitatem non solum referentem, sed etiam uincentem, quando crudelissimo excidio locum illorum perdet & gentem, & disperget in omnes nationes orbis profugam, simulque à Deo reprobabitur æternum, ter misera, & in locum eius Gentes sufficientur.

Ierusalem, Ierusalem.

Ardentis amoris erga Ierosolymitanos fuit hæc deploratio, peruenusta similitudine à gallina, ornata. Estque epilogo & compendiolo collecta, & gentis Iudaicæ ingratitude ostendit, iungitque obiter beneficia, quibus increfcit Iudaica ingratitude: & annuntiat pœnam, excidium uidelicet. Geminata autem hæc uox paternum refert dolorem & affectum. Ierusalem, quæ gloriaris in pietate, & te haberi ac esse piam iactitas, doleo super te, præuidens quæ breui uentura sunt super te, quoniam olim occidisti, & occidere non cessabis prophetas.

Quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.

Vide ingratitude & impœnitentiam Ierosolymitarum. Occidis (inquit) prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te: nec unquam uoluisti sub alas meas congregari. Quid hac ingratitude horribilius? Quis enim non iudicaret omnino crudelitate crudelius esse, si pulli gallinæ matrem suam in aduolatu milui gloriolantem, & ipsos sub alas in tutum locum conuocantem, accurrentes discerperent, ac in uaria frustra dilacerarent? Multo certè crudelius Iudæi in prophetas, in Apostolos, adeoque in Christum ipsum debacchati sunt, qui tamen non in aliud uenerat, quam ut prædicatione sua Iudæos ab imminente interitu seruaret. Cum dicit, Quæ occidis & lapidas, non præsentem occisionem & lapidationem significat: sed inueteratam malitiam, & antiquum malitiæ propositum cum perseuerantia. Ac si diceret, Quæ occidis, &c. id est, quæ soles occidere & lapidare. Nomine Ierusalem significat Gentem Iudaicam præcipue Ierosolymitanos. Obstinati perseuerarunt, occidentes Christum, & lapidantes Stephanum, & alios.

Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas?

Omnium beneficiorum Dei in hanc gentem caput est, quod colligere & seruire ipsam statuerit. Quoties uolui, supple, uoluntate signi, præcipiendo, monedo, uisitando per prophetas, & demum per meipsum? Hæc enim omnia sunt signa uolentis congregare. Itaque iucundissima similitudine gallinæ & pullosum, eximium suæ charitatis affectum erga Iudæos, explicat. Ac frequens est scripturæ consuetudo, quod ad explicandos affectus Dei erga nos, utatur similitudinibus à parentibus siue hominum siue aliorum animalium ductis. In Deuteronomio legitur, Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans, expandit alas suas, sic Deus assumpsit Israël atque portauit in humeris suis. Debemus certè rerum naturas contemplari, non ut (quemadmodum incredulæ gentes) conuiciscamus in eis: sed, ut per eas Dominum nostrum, & uoluntatem eius erga nos, cognoscamus. Paulus enim ait ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Inuisibile est, quod Deus in periculis præsto nobis adsit, ac defendat nos, sed hoc inuisibile Dei, efficitur nobis in gallina uisibile, quæ aduolante miluo statim colligit pullos suos sub alas suas, ut eos ab impetu milui tueatur. Si Deus hanc gallinæ indidit naturam, ut nihil prius habeat, quam pullos suos in periculis conseruare, qui fieri posset, ut Deus ipse creator non hoc affectu erga homines, pullos suos, longè excellentius, quam humanus animus cogitare potest, præditus esset? Neque enim fieri potest, ut qui plantauit aurē, non

Ira Dei in Iudæos demum plenè effusa, à Christo prædicta.

Iudæorum ferocitas & ingratitude horribilis.

Iudæorum constantis malitia.

Mos scripturæ, similibus à parentibus ductis exprimeret Dei affectum erga nos.

Per rerum causas & naturas Deus nobis cognoscendus.



audiat: & qui sinit oculum, non consideret: ita non fit, ut qui matrem curam erga prolem, creauit, non ipse quoque plusquam maternum affectum erga populum suum gerat. Sentiamus igitur de rerum natura, quod sit spectaculum, quo nobis inuisibilia Dei ad salutem perspicenda, proponuntur. Tradunt Physici huic autem singulare studium protegendi ac prouehendi pullos suos inesse, ut quæ miluo suum corpus obiciat pro pullis, ac uita suæ periculo pro illis animosissimè dimicet. Mutat propriam uocem in lamentabilem & querulam: quærit, uerit, foditque continuo, quod pullis impertiat: glocitat & perpetuò aduocat, ac, si quid inuenit, id inuicem edit, sed seruat ac præbet pullis: grauissimè ac mira uehementia contra miluum pugnat, & uociferatur, expandit suis pullis alas suas, ac si quis illis consulat, benefaciat, cibum uel manu porrigat, miris modis illum sibi gratificatum fuisse, ac summam uoluptatem attulisse ostendit. Sic & Christus mutauit uocem, penitentiam prædicauit, omnibus suam ipsorum miseriam & peccatum ostendit, corde præpensionissimo uerit & effodit in scriptura quibus pascamur. Aduocat sollicitè eò nos, & pabulum obicit: expandit super nos alas suas, hoc est, omnem iustitiam suam, omnia merita & omnem gratiam, blandissimè apud se recipit, calefacit & fouet suo naturali calore, id est, Spiritu sancto, qui per ipsum nobis donatur: pugnat denique pro nobis contra hostem in cælestibus intentissimè, ac nihil omnino omittit, quod ad alendum, fouendum, propugnandum & saluandum nos quomodo pertinere possit. Hæc sunt non corporaliter, sed spiritualiter. Alæ duæ, duo sunt testamenta sacræ scripturæ, quæ expandunt super nos, iustitiam eius, & faciunt, ut apud ipsum nos recondamus. Propterea quæ scriptura nihil aliud nos docet, quam Christum, huiusmodi gallinam esse, cui nos tutò committamus. Veritas eius clypeus est, id est, scriptura, fide & charitate percepta, thorax est, scutum, & certa protectio contra omnem incursum, & omnia pericula. Oportet igitur in uerbo & scriptura concipere Christum, & adherere ipsi fide uiua, qua non dubitemus talem nobis esse, qualem iam descripsimus: sic certò sub alas, id est ueritate eius uiuemus atque saluabimur. Dicitur autem Christus, uelut gallina, glocitare, & sub alas pullos congregare, quando reuelat uerbum, & uocat ad resipiscenciam, non solum quando prædicauit, & Iudæos uocauit ad penitentiam, ne perirent, sed id etiam multò antè egit. Glocitauit in regno Israël per prophetas, ut per penitentiam sub alas uenirent, & liberarentur: & nihil non beneficiorum exhibuit Israëlitis, quos inuitauit ad resipiscenciam, ut ex hereditate populi Dei non excluderentur. Vera gallina ipse est, amabilissima, & nostri supra modum sollicita, quæ semper nos apud se colligere studet: expandit alas suas, & aduocat: id est, prædicat, & curat, ut nobis prædicetur utrūque testamentum, missis prophetis, sapientibus & Apostolis in uniuersum orbem. Sed quid sit interim? nos grauamur illius pulli esse, & oblatam gratiam negligimus. Excitemur igitur, & sub alas Domini curramus, fide, spe & charitate ornati. Obserua: Tameñ Deus non habeat nisi unam uoluntatem, & unum uelle, quod est substantia eius: Velle tamen diuinum, relatum ad præcepta, prohibitiones & similia, appellatur à Theologis uoluntas signi, contra quam nolumus, quoties peccamus, non obediens præceptis Dei. Et de hac uoluntate intelligitur, Quoties uolui congregare, &c. Relatum uerò ad illa, quæ ab æterno disposuit executioni mandari, dicitur uoluntas beneplaciti, de qua dicitur, Omnia quæcunque uoluit, fecit. Et, Voluntati eius quis resistit?

## Et noluiti.

Damnatur hoc loco stoica illa necessitas in negotio salutis, & ostenditur liberum arbitrium. Sed uide, quàm malè responderint Iudæi benefico patri. Noluit impiissimus populus colligi, atque seruari in amicitia & fœdere Dei: dispergi & perditum. Vnde propria culpa, malitia & rebellione, non autem Dei incuria perit. Nam Deus

Deus seruare uoluit, uocauit gentem, & gens uocati acquiescere noluit, cui tamen liberum erat uocantem sequi. Potuisset seruari Ierusalē, si uoluisset: hoc est, nisi repulisset Dei misericordiam, & sanum consiliū ac præceptū. Nec denegasset Dominus Ierosolymitanis suam gratiam, si uoluissent, & si non spreuissent eas uias, per quas peruenitur ad salutem. Nunc uerò, quia nolunt, & magis diligunt terebras, quam lucem, ideo oderunt lucis, ueritatis, ac salutis prædicatores.

## Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta.

Audiuimus ingratitude & impenitentiam gētis uiperinæ. Audiamus nūc etiam supplicium, quod impletum est in Iudæis, quando post ascensionem Christi in cælum, regio Iudæorum per Romanos deuastata, & politia eorum tam ciuili quam ecclesiastica abrogata est, & ipsi ita à Deo abiecti sunt, ut nunc ne in numero quidem populi Dei recensentur. Quasi dicat, Nihil omisi eorū, quæ ad uestram pertinent salutem. Sed quando uideo uos contemptores, & oppressores ueritatis, & prædicatores eius, abeo: uenient ad uos missi alij legati, Romanorum uidelicet phalanges, qui uobis gladiis, lanceis, & aliis tormentis prædicabunt, pro quo merito uestro dignissimè uos tractabunt. Eiiciamini de habitaculis uestris, & è terra, in quam introduxeram patres uestros: & dispergemini in omnes Gentes. Alienigenæ occupabunt terram habitationis uestræ, & erit uobis deserta, & habitata aliis. Ipsa quoque synagoga derelinquetur à Deo, à quo & derelinquemini, & in conscientia affligemini. Infelicissimi prorsus Iudæi, qui prophetas occiderunt, & occidere non cessarunt, quousque nullos eis Deus iam mitteret. Mille & quingentis annis iam dimisit eos absque prædicatore & propheta: abstulit eis uerbum suum: id est, alas suas contraxit. Ideo manet domus eorum deserta. Animas ipsorum nemo ædificat. Deus inter eos nequaquam iam habitat. Accidit, quod uoluerunt, ut psal. 107. Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis: uoluerunt maledictionem, & ueniet eis. Timeant comminationem hodie hostes gratiæ, quibus est fœdus, sicut & Iudæis erat, cum Deo. Si contempserint gratiam, deserentur à Deo.

## Dico enim uobis, Non me uidebitis à modo, donec dicatis, Benedictus qui uenit in nomine Domini.

Ætiologia est, quare deserenda sit domus Israël. Hoc autem uaticinium pertinet ad diem palmarum, & illum applausum populi, acclamantis, Hosanna: benedictus, qui uenit, &c. Quare implendum reliquit postea, quod ait, Non me uidebitis à modo, &c. Cæterum non intelligendum est, quòd non essent uisuri eum corporaliter. Nam postea crucifixerunt eum. Sed quòd non uisuri eum essent postea, ut prædicatorem atque Christum. Quasi dicat, Ego posthac non prædicabo uobis præsens, nec in corpore in posterum ita diligenter uos admonebo, id quod signum erit derelictionis uestræ, tam in conscientia, quam in regno: donec dicatis, Benedictus, &c. uos, qui adestis, & creditis Euangelio meo. Hæc consolatio est per occupationem adiecta, de iis qui ex Iudæis conuerterentur & susciperent Euangelium post mortem Christi. Dicere uerò Christum benedictum, uenire in nomine Domini, est confiteri Christum, eum esse, qui à Domino missus est, & qui placet Domino. Certè donec, &c. designat ultimum Christi aduentum gloriosum, quando conuersi ad ueritatem Iudæi, dicent, Benedictus, &c. Certum est Iudæos olim etiam dicturos Christo, Benedictus qui uenit, &c. Hoc idem & Deutero. 4. prædictum est. Nouissimo autem tempore reuertēris ad Dominum Deum tuum, & audies uocem eius: quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est. Non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis. Osee. 3. Quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Et post hæc reuertetur filij Is-



rael, & quærent Dominum Deum suum & David regem suum, id est, Christum: & pauebunt (id est, reuerbuntur) ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Et Azarias. 2. Paralip. 15. Si dereliqueritis Deum, derelinquet uos. Trāsbunt autem multi dies in Israël absque Deo uero, & absque sacerdote, absque doctore quoque, & absque lege. Cūmque reuerſi fuerint in angustia sua, & clamauerint ad Dominum Deum Israël, & quæſierint eum, reperient eum. Hæc uaticinia sunt de Iudæis huius seculi, quodd antea nunquam sine principe, sine sacerdote, sine lege fuerint. His astipulatur Paulus Roma. 11. Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.

VIGESIMIQUARTI CAPITIS

Epitome.

Christus discipulis rogantibus signum aduentus eius, & finis seculi, multa præcipit, & uaria futura prodigia prædicit.

CAPVT XXIII.

Marc. 13. a. Luc. 21. b.

Luc. 19. g.

De aduentu Christi.

Ephes. 4. b. Coloss. 2. d.

Signa cõsummationis seculi.

Ioã 15. c. 16. a. Supr. 10. a.

Iniquitas. Charitas.

Perseuerãtia. Euãgelij prædicatio.

Destructio Iudæorum. Marc. 13. b. Luc. 21. d. Dan. 9. g.



TEGRESSUS Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei edificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. Sedete autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi. Respondens Iesus, dixit eis: Videte, ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus: & multos seducet. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini. Oportet enim hæc fieri: sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnũ. Et erunt pestilentie, & fames, & terremotus per loca. Hæc autem omnia, initia sunt dolorum. Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos. Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophete surgent, & seducant multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc ueniet consummatio. Cùm ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: Et qui in agro non reuertatur tollere tunica suam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate

a Videtis nonne uidetis.

b Oliueti oliuorum. c Secretò] forsum, priuatum.

d Opiniones] sumeres.

e Consummatio] finis. f Aliquid de domo sua] res suas domesticas. g Tunica] ueſtimenta sua.

autem, ut non fiat fuga uestra in hyeme uel sabbatho. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breuiari fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophete: & dabunt signa magna, & prodigia: ita ut in errorem inducatur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi uobis: Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & haret usque in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur: & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur. Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli cum uirtute multa & maiestate. Et mittet Angelos suos, cum tuba, & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem ficis discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè est æstas. Ita & uos, cùm uideritis hæc omnia, scitote, quia iam propè est in ianuis. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt: uerba autem mea non præteribunt. De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noe: ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nupti tradentes, usque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec uenit diluuiũ, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur: Duæ molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur: Duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis, quæ hora Dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, quæ hora fur uenturus esset, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia quæ nescitis hora, filius hominis uenturus est. Quis putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Beatus ille seruus, quem cùm uenerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis: ueniet Dominus serui illius, in die, quæ non sperat, &

Act. 1. b.

Cauendũ ab iis, qui se falsos Christos dicent. Marc. 13. c. Luc. 17. e.

Signa cõsummationis seculi. Marc. 13. c. Luc. 21. e. Ezeche. 31. b. Ier. 13. b. Apoc. 1. b. 1. Cor. 15. g. Angeli.

Ficus.

Verbum Dei uerax. Marc. 13. d.

Tempora Noe. Luc. 17. f. Genes. 17. b.

Diluuium. Luc. 17. g. 1. Theſſ. 4. d. Vigilandum. Marc. 13. d.

Fur in nocte. Luc. 12. c. Seruus fidelis. Luc. 12. e.

Malus seruus.



Hypocrite.  
Supt. 13. f.  
Infr. 25. c.

hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, & stridor dentium.

Et egressus Iesus de templo, ibat.

**M**agine quadam pergit explicare Matthæus, quod Christus in sui sermonis conclusione, Non uidebitis me à modo, donec, &c. dixerat: templum uidelicet, & omnem Iudaicæ legis religionem breui abolendam. Sicut autem his diebus Dominus sub uesperam egredi Ierosolymis in montem oliuarum solitus erat: ita & hoc tertio die obseruauit, post quem nullus Euangelistarum memorat eum Ierusalem reuersum, usque in diem azymorum, hoc est quintum ab eo, quo urbem cum pompa fuerat ingressus. Vnde obtinuit opinio, & apud ueteres, die quarto eum Bethania mansisse. Porro satis erat, ut uideretur, dixisse simpliciter: Et egressus est Iesus, si nihil aliud dicere uoluisset, sed adiecit, de templo: ut ostenderet Christum, cum indignatione aduersus incredulos, exiisse, & reliquisse templum, & synagogam, & nunquam posthac reuersum in templum. Ad huc modum supra dixerat, A modo non uidebitis me, donec, &c. Hoc caput duos habet locos præcipuos: Alterum de excidio urbis Ierosolymæ, Alterum de extremo die, & fine mundi. Habet etiam signa ad cognoscendam utramque uastationem, è quibus & tempus colligi uult, & simul certitudinem calamitatum. Sed quia deuastatio Ierosolymæ exemplum est diuinæ uindictæ in ingratos ob contemptum Euangelium, uoluit Christus hæc deuastationem typum esse nouissimi iudicij, quo horribiliter unà cum extirpatione totius mundi, punientur illi, qui Euangelium negligunt. Quare in hoc capite confunduntur signa deuastationis Ierosolymæ, cum signis nouissimi diei, quæ signorum permixtio, multum difficultatis, & obscuritatis huic capiti conciliat. Quod ut facilius intelligatur, ordo seruatus apud Lucam. 21. cap. huc uocandus est, qui primùm ferè absoluit signa, quæ uidentur ad deuastationem Ierosolymæ spectare: inde, & signa aduentus Christi scribit.

Christus feria. 4. absti-  
nit Ieroso-  
lymis.

Confusio si-  
gnorum ex-  
cidij Iero-  
solymitani  
cum signis  
iudicij.

Templum Ie-  
rosolymita-  
num ab He-  
rode extru-  
ctum.

Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei ædificationes templi.

Cùm didicissent discipuli, tum ex fletu Christi ascendentis die palmarum Ierosolymam, tum ex prædicatione eius, uastandam Ierusalem, & templum eruendum: admirabundi toti, & commoti magis ruina futura templi tam insignis, quam re alia, ostendunt Christo templi structuras, quas, ut splendidas, & magnificas admirabantur. Descriptionem templi augustissimi amplissimam habes apud Iosephum lib. de bello Iudaico. 6. cap. 6. Fuerat hoc, non à patribus è Babylone redeuntibus, cuius reditus mentio fit Esdra. 5. sed ab Herode rege extructum, quem admodum egregiè describitur à Iosepho antiq. libro. 15. cap. 14. inter alia. Antiquis (inquit) fundamentis solutis noua imposuit, super quæ templum erexit, longitudine centum cubitorum, altitudine centum uiginti. Aedificatum est autem templum ex lapidibus albis & tenacissimis, quorum magnitudo in longitudine uiginti quinque cubitorum, altitudine octo, latitudine duodecim erat. Opus fuerat dignum narrari omnibus, qui sub sole sunt. Laborauerunt in eo extruendo decem milia peritissimorum artificum, & amplius multò, per integros annos octo. Vnde non temerè apud Marcum. 13. discipuli ad Dominum, Magister (aiunt) aspice quales lapides, & quales structura? Meminit huius templi & Hegesippus historicus uetustissimus, libro de excidio Ierosolymitano primo, cap. 35. Verisimile est, discipulos in structuras templi defixisse oculos, ac habuisse eas pro ædificiis nunquam perituris. Ita ut fuerit hæc discipulorum admiratio, quasi adseuerantiu & templu, & populum Iudaicum non interiturum. Sentiebant certè templum esse opus maius, aut munitius, quàm ut quisquam illud posset demoliri. Ostendunt igitur Do-

mino templi molem, opere tam admirabili, ut indignum uideretur quod euerteretur: imò tum ad eò firma structura, ut non uideretur posse dirui: aut eo animo ostendebant structuras templi, ut Christus commotus operis magnificentia, mutaret sententiam, nec sineret euenire, quod euenturum paulò antè prædixerat. Rogabis: Ad quid templum illud diruendum erat? Certè quia synagogam euertere oportuit, & ueritate adueniente figuram cessare necessum fuit. Venerat Christus, lux, fugans tenebras, uerum, & uiuum templum: cuius beneficio, & gratia nos superædificamur lapides uiui, & sumus templum Dei, habitantis in nobis. Proinde robustissimum fuit templi huius Ierosolymitani ædificium. Ita ut capta iam Ierosolyma, aliquandiu negotium Romanis militibus fecerit, ut uidere est apud Iosephum de bello Iudaico lib. 7. cap. 9. & 10.

Templum Ie-  
rosolymita-  
num quare  
dirui oportuit.

Ipse autem respondens, dixit illis.

Videns Christus discipulos suos iuxta hominum opinionem & estimationem, magnificare structuram illam pretiosam, ut auertat animos illorum ab suspicienda huiusmodi terrena magnificentia, & ut intelligant omnem mundi altitudinè, & externam pompam, abolendam esse, dixit illis.

Pompa om-  
nis & strepi-  
tus mundi de-  
lendus.

Videtis hæc omnia?

Interrogatione utitur. Vnde Theophylactus legit, Nonne uidetis hæc omnia? Itaque affectui discipulorum indulgens Dominus, exaggerat id, cuius eò miseratione ducebantur, sed & cum asseueratione certò futurum confirmat: Exaggeratio est, cùm ait, Nonne uidetis hæc omnia, quæ iudicatis magnifica, atque splendida, & vestro iudicio non peritura ædificia? qua significat, ita omnia esse diruenda, ut ne uestigia propè ulla relinquenda sint.

Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat.

Asseueratio est. Iurat Christus in re seria, certa, & pro gloria Dei: & uaticinatur de deuastatione templi & urbis. Illud habetote pro certò, Nihil est omniu horum tam munitum, aut pulchrum, aut sanctum quod non eueredum sit, adeoque dissipandum, ut hic id est, in hoc loco, nec lapis ullus lapidi cohæreat. Quæ autè causa huius deuastationis? Certè insignis illa, impia, & auita Iudæorum gètis obstinatio, qua semper, ut Stephanus Act. 7. dixit, Spiritui sancto restiterunt, tempusque, ut Lucas. 19. scribit, uisitationis suæ non cognouerunt, & prophetas, sapientes, ac scribas, à Deo missos (ut præcedenti capite audiuius) occiderunt. Oportebat quidem templum illud cum suo sacerdotio leuitico, luci Christi, & umbram ueritati cedere, ac pro ratione succedentis noui testamenti commutari. Responsabilis. An non poterat id fieri absque huiusmodi miseranda clade? Poterat certè, nisi populus iste incorrigibili impietate gratiam Dei respuisset, iramque Dei in sese prouocasset. Obserua: lapis super lapidem, periphraasis est insignis destructionis rerum potentissimarum, ut significet Christus, nihil tam potens, ac firmum esse neque in templo, neque in Iudæa, neque in populo Iudaico, quod diuinæ iræ resistere possit.

Excidij Iero-  
solymitani  
causa.

Sedente autem eo super montem oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes.

Prænuntiata Ierosolymæ deuastatione, Iesus abiit in montem, qui dicitur Oliueti, hic cùm sederet, templum habens in prospectu, ad eum discipuli: primores quidè, quibus & alia mysteria retexerat, Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas (ut Marcus. 13. scribit) & rogant secretò, sperantes, uel sibi solis hoc, ut pleraque alia, illum aperturum. Cùm dicit, secretò, significat Euangelista illos, qui inter

P P p iij



discipulos, turbati, & offensi fuerant sermone Christi. Aut, secretò accedunt, ne si turba hanc deuastationem audiret, irrueret in Christum. Posteaquam ergo audiverunt uastandam urbem sanctam & templum euertendum, tum certò existimantes uitam & felicitatem omnibus, & plenum Christi regnà adfore, secretò rogâr.

**Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi.**

Duo interrogant discipuli, scilicet, quando destruentur Iudæi, & quod signum sit nouissimum aduentus Christi. Præceptor (inquiunt) cū ostenderemus tibi struaturam templi, uerbum audiuius horribile, quo significasti destruendum templum tam magnificum. Dic nobis, quando hæc, quæ iâ prædixisti, futura sunt, & quod signum est aduentus tui, & consummationis seculi. Simul hæc omnia fore existimabant, uastandam Hierusalem, ipsum in gloria uenturum, & mundum huc accipturum finem, & quidem breui, quo tempore pariter sperabant gloriæ Christi atque felicitatis confortium se adepturos.

**Et respondens Iesus, dixit eis.**

Quoniam è re ipsorum non erat, de fine mundi, certòque signo, ac constituto regni sui scire, de his nihil respondit, sed monuit, quæ magis, ac propius ad salutem ipsorum faciebant. Atque quò illos redderet uigilatiores, ita responsum suum temperauit, ut nolens eos scire tempus, cum uastandæ urbis, tum sui aduentus: tamen commemorandis malis effecerit illos sollicitos ac uigiles in negotio Euangelico, & aduersus malorum incurSIONem.

**Videte, ne quis uos seducat.**

Nolite esse (ait Christus) tam curiosi ac solliciti de tempore, & hora huius deuastationis, de qua meo aduentu, & fine seculi mittite rogare, præsertim quando hæc futura sint. Non statim aderit uel urbis excidium, uel orbis consummatio. Ante hæc euenient, quæ ut ad uos magis attinent, ita multò præstat illa cognoscere. Multæ exoriantur prius calamitates, quæ affligent tam bonos, quam malos. Videte, id est, cū iudicio considerate, & attendite, ne quis uos seducat, id est, ne quis à uera pietate, & religione uos abducat in errorum & impietatum præcipitia. Hoc est primum periculum, spectans ad partem hominis intellectuam.

**Multi enim uenient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus. Et multos seducunt.**

Actiologia est primi periculi, sumpta à multitudine impostorum, & antichristorum: de quibus uidere est apud Iosephum de bello Iudaico. lib. 2. 11. 14. Act. 8. & 21. Siquidem iusto Dei iudicio futurum erat, (quod non tacuit Paulus. 2. Thessal. 2.) ut, quoniam uerum Messiam respuebant, uenturi essent falsi: & quia ueros prophetas non acceperant, per falsos seducerentur, & carnalis regni opinio multum ualeret. Ideo uult Christus suos esse attentissimos, & cum iudicio considerare prædicatores: adeoque curam habet Christus suorum, ut præscribat hoc loco formam seductoriæ doctrinæ. Multi (audi exercitum malorum in hac uoce) non mittentur, sed ceu lupi, & latrones uenient, in nomine meo, ueluti si me, & Euangelium meum prædicent: & prætextu nominis & doctrinæ meæ docebunt. Audietis eos prædicantes de se, Ego sum Christus. Quod de persona intelligi potest, aut de doctrina. Ego sum Christus, id est, doceo Christum, & doctrinam Christi, & hoc nomine & prætextu multos seducunt. Quemadmodum apud Ioannem prædicat ipse Christus, Ego ueni in nomine patris mei, & non recepitis me: alius ueniet in nomine suo, & illum recipietis. Tradunt historiæ, post ascensionem Domini in cælos, & ante urbis excidium, non paucos uenisse ad Iudæos, qui se pro uero Messia, ac liberatore uēditariat, quibus miser adhæserit populus, atque ideo

Pseudochristi & Antichristi.

à Romanis cæsus sit præsidibus. Iure sanè optimo fiebat, & dignum equidem erat, ut qui uerum Messiam recipere noluerant, uitæ autorem, ij falsos reciperent Messias, necis ipsorum & omnium miseriarum autores. Ita enim diuinitus comparatum est, ut qui ueritatē Dei respuit, mendacio postea adhæreat & credat, ut Leuit. 26. Deut. 28. Isaiæ 8. & 29. 2. Thessal. 2. atq; innumeris ferè aliis scripturæ locis satis liquet. Iosephus lib. antiq. 20. meminit Theudæ magi cuiusdam, qui Cuspio Fado res Iudæorum administrante, populo suaferat, ut sumentes suas substantias egrederentur ad Iordanem, promiseratque eis, se illum diuisurum: qui captus tandem à Fado, capitis sectione multatus fuit, peremptis simul multis, qui cum ipso fuerant, nonnullis uerò captis. Idem Iosephus antiq. lib. 20. cap. 11. & 14. autor est in populo Iudæorum, non unum, ac alterum prodiisse Pseudochristum, sed turbas quoque magorum, & pseudoprophetarum exortas, quæ simplici plebeculæ liberationem promiserint, atque ita omnes commouerint, ut impostores sequentes mox senserint arma Romanorum. Idem etiam reperit, atque adiicit quædam eiusdem generis lib. de bello Iudaico cap. 12. In primis de quodam Aegypcio pseudopropheta, qui arrogata sibi propheta opinione, triginta ferè millia congregarit, quos ex solitudine in montem ducens oliuarum, Ierusalem capere annisus est, sed oppressi fuere à Felice tum præside. Hic Aegyptius capto Paulo Ierolymis, nodum extinctus erat, sic ut Paulum tribunus rogaret, an ipse esset Aegyptius ille, qui ante eos dies tumultum excitasset, eductis in desertum quatuor millibus sicariorum: Act. 21. Eiusmodi & Simon magus fuit, qui Samaritis persuaserat se uirtutem Dei esse, quæ uocatur magna. Act. 8. Ab eiusmodi multis Iudæorum populus delusus fuit, qui omnes & libertatem, & salutem populo promittentes, se Christos afferuerunt, & pro uero in scripturis promisso Messia uenditarunt. Itaque cū multos seduxerint, non ab re fuit, quòd suos Christus præmonebat, ne & ipsi imposturis illorum caperentur, & ab eis exigebat, ut maturè, & cum prudenti consilio cauerent, ne quouis uento doctrinæ agerentur, & cuius licet speciosæ, doctrinæ crederent: sed probarent spiritus, & doctrinam unde, & quænam esset. Et Paulus iubet, ne simus paruuli, Ephes. 4. fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominū. Item Ioan. 14. Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi pseudopropheta exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus.

Iudæi cæsi à Romanis, propter receptos Antichristos

Theudas magus, seductor Iudæorum.

Messia falsi apud Iudæos olim multi.

**Audituri enim estis prælia, & opiniones præriorum.**

Adducit secundum signum, quod præludij loco antecessurum erat extremam Iudæorum uastationem, & ceu typus consummationis seculi uideri potest. Prælia, præludia uocat bellorum, & seditionum, quæ præcesserunt sub præsidibus Romanis Cumano, Felice, Festo, Albino, Floro, &c. Et opiniones præriorum, hoc est, tumultus bellicos, motus, seditiones, & cædes, quæ potissimum cœperunt sub præside Cumano, qui Tyberio Alexandrio successerat. Nam quum ob militis cuiusdam impudentiam, qui in festiuitate azymorum Iudæis, resectis genitalibus, iluserat, exortus tumultus fuisset, tanta cædes facta est, ut sint numerata cæforum, 20. millia. De quo tumultu apud Iosephum scribitur lib. antiq. 20. cap. 6. Et libr. de bello Iudaico. 2. cap. 11. Mox secutus est alius tumultus inter Iudæos, & samaritanas, multa cum strage hominū, locorumque deuastatione. Sed & sicariorum genus prodiit, qui tectas uestibus ficas gestâtes, passim in turba, cœtūque populi homines perimebant neque agnoscebantur, ut miris terroribus omnia replerentur. Tertius mox tumultus secutus est, apud Cæsaream, cū Vero Felici successisset P. Festus, de qua successione fit mentio Act. 24. Conatus quidē, hic fuit prouin-

Tumultus uarij ac multi apud Iudæos



ciam latronibus liberare, sed urgente ultione Dei non potuit. Cui cum Albinus, & C. Florus successissent, semel omne genus malorum inuadit. Nam ut hi duo, potissimum Florus, nihil ad crudelissimam tyrannidem, manifestam uim, & rapinas, reliquum faciebant: ita simul seditiosorum apud Iudæos audacia creuit. Unde continuo motus, latrocinia, direptiones, cædes passim edebantur, & indicibilibus malis, & calamitatibus populus exterminabatur, donec ad iustam rebellionem fuere uelut compulsi, tam inaudita uim, & crudelitate sauebat in eos Florus. Agrippa rex multis quidem à rebellando dehortari Iudæos conatus fuit, sed omnia frustra. Tandem ergo, ubi qui nouandis rebus, studebāt, praeualuissent, præter unum præfectum Mutilium omnes trucidant. Eodemque die, atque eadem hora Caesarienses, Iudæos apud se habitantes trucidarunt, numero uiginti milia. Paulò post Scytopolitæ, sequuti exemplum Caesariensium, tredecim Iudæorum milia interemerunt. Mox A scalonitæ duo milia, Alexandrini, 50. milia. Deinde iusto bello aggressus eos est Cestius Syriæ præfectus. Sed quum Ierosolymorum obsidione soluta uim Iudæorum fuga declinasset, audentiores facti fuere rebellionis auctores, omnemque potestatem nacti, inenarrabile (ut est in adagio) malorum Iliada, hoc est, ingentem calamitatem sibi & suis inuexerunt: donec prorsus per Titum exterminarentur. De quibus omnibus fusè scribit Iosephus ab. 11. cap. secundi libri belli Iudaici usque in finem septimi libri, hoc est, totius eius operis. Horum itaque malorum ceu præludia, populi seditiones, motusque per uniuersam Syriam, & bella dederunt, de quibus hic Dominus prædixit. Auditori (inquit) estis prælia, & opinioniones præliorum. Et addit medelam & consolationem, dicens.

## Videte, ne turbemini.

Consolatur, & monet, ut studium adhibeant, ne turbentur, seu animos despondeant, cum hæc & audient, & uidebunt. Turbaretur sanè uir bonus uisus tot, tantisque calamitatibus, sed non timore, qui ab amore Dei auocet. Non enim præcipit hoc loco, *ἀπαθία* & stuporem stoicum, sed hortatur, ne his calamitatibus ita tereantur, ut deficiant à fide: & ne frigidius, aut segnus perficiant opus Domini, aut pergant tardius in religionis negotio, sed in fide, & charitate firmi stent, certo statuentes, quòd auxilio non destituentur.

## Oportet enim hæc fieri.

Non uult Dominus suos his rerum turbinibus, ut pote necessariis, necessitate scilicet humanorum affectuum, & diuturnis, turbari: sed animo esse forti in fide: ut qui sciant, ita diuinitus decretum esse, deinde, non ad ipsorum, sed hostiū gratia Dei futuri excidij præludia. Erant hi seditiosi, & sanguinis piorum uehementer sitibundi, abnegarant regem, & liberatorem suum, asciuerant autem, & postulauerant sibi imperitare Cæsarem. Oportuit ergo ipsos cædi, & calamitosissime diuexari à Cæsare.

## Sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, &amp; regnum in regnum.

Non mox erit uastatio Ierosolymæ, latius uagabitur hæc tempestas. Non enim Ierosolyma tantum uastabitur, sed totus orbis bellis, ac cædibus miscbitur, & lentè procedet diuina ultio. Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum: id quod uerum apparuit Cæsareæ, Scytopoli, A scaloni, Ptolemaide, Alexandriæ, ac postea Damasci ubi decem milia Iudæorum trucidata fuere: denique moto regno Agrippæ, totaque Syria, & uicinis regnis, haud dubiè triginta octo, & amplius annis tumultuatum est à Iudæis, prius quàm ultimo, & finali bello radicitus excinderentur. Quòd si ad calculum reuocet bella, quæ in orbe extiterunt, ab urbe illa excisa, ad hunc usque diem, reperies clades, funera, turbas & calamitates fustissimas, crudelissimas, & innumerabiles. Grauisima fuerunt bella Germani-

ca, & Persica. Gotthica, & Vuandalica castra plus affligerunt Europam, quàm ulla unquam militaris uirtus. Insequuti sunt hos Saraceni. Vnà cum Saracenis nocuerunt ingentia bella. Diu pugnatum est in Gallia, Germania, Italia. Postremò irruerunt, ceu ualidissima tempestas Tartari, & Turcæ, qui totum orbem uel hodie atterunt, atque collidunt. Et oportet quidem rem sic geri, quando ab ingratisimo mundo salus, pietas, & euangelica ueritas tam impiè respuitur, atque conculcatur. Nec tamen statim sperandus est finis malorum, quando scelorum quoque nullus est neque modus neque finis. Diu exabitur ergo orbis malis, & calamitatibus diutinis.

## Et erunt pestilentia.

Ira Dei & futuræ cladis signa, quæ cœlitus erant uentura, tertio loco ponit. De illis, quomodo huic populo etiam per Moysen sint prædicta, uide Leuit. 26. Deut. 28. Nominè pestilentia intelligit uarios, graues, & incurabiles morbos, quibus Deus, ceu flagellis, Iudæorum primùm, deinde totius mundi rebellionem, & impietatem castigauit. Queritur Plinius lib. 26. incognitos præteritæ morbos suo seculo plurimos inuasisse homines. Et Apocal. 16. Effusa sunt septem phialæ iræ Dei in terram. Pestes item grauisimas non rarò uexasse orbem, testes sunt historia, in quibus uidetur longè pestilentissima fuisse, quæ in totum ferè orbem sauiuit imperante Antonio Vero, & quæ Italiam uastauit tempore Gregorij magni. Adde eam, cuius mentio fit à Paulo Diacono lib. de gestis Longobardorum. 6. cap. 2.

## Et fames.

Ingens fuit Ierosolymis fames, quæ ita inualerat, ut multi fuerint egestate cõsumpti: in qua necessitate Helena regina Adabienorum, cum filio Iazare magnifice subuenit, ut narrat Iosephus lib. antiq. 20. cap. 2. In Actis quoque 11. capite legitur ab Agabo famem magnam prædictam in toto terrarum orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare, cuius & meminit Suetonius in uita Claudij. Fuit is Claudius stupide mentis homo, luxu, crapula, & libidinibus deditissimus, quique delectabatur sui similibus ministris. Per luxum ergo prodigebantur dona Dei scedissimè. Præterea persequebantur Iudæi Christi cultores, eiiciebant urbibus suis, pellebant in exilium, exuebant omnibus facultatibus, cogebantque esurire, & algere, & omnibus pariter indigere rebus. Testantur hoc Epistola Paulinæ, illa maximè, quæ Corinth. Thessal. & Hebræis scriptæ sunt. Proinde iusto Dei iudicio uices ipsis rependebantur. Similes causæ inducunt etiam nobis famem, induxerunt quoque maioribus. Sub Iustiniano principe tanta fuit per Italiam fames, ut multi propria sua deuorarent membra.

## Et terræ motus per loca.

De terræ motibus, qui inter ascensum Christi in cœlum, & deuastationem Ierosolymitanam acciderunt, & si rara fiat apud scriptores rerum gestarum mentio quantum quidem ego sciam: tamen quia Christus Dominus Deus noster de his uaticinatus est, nullum dubium relinquitur, quin terra eo tempore sæpius horribiliter tremuerit. Et sunt quidam auctores, inter quos Suetonius, qui tradunt tres urbes in Asia, quum Nero Imperator, rerum impotiretur, terræ motu concidisse. De terribilitate autem & magnis illis signis, de quibus Christus hic, & apud Luc. 21. uaticinatur, & quæ futuram Iudæicæ gentis interuersionem portenderunt, tam Ecclésiastici, quàm externi auctores scripserunt, præcipuè Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 12. Cometa enim gladio similis (quod cometa genus *ἰσίδων* uocant) integro anno supra templum stetit. Nona hora nocturna lux diè superans, in templo effulsit, & per dimidiā horam durauit. Bos immolandus agnū peperit in templo. Porta templi ænea, ultro patefacta est. Visæ per cœlum concurrere acies, ruti-

Iudæorum strages multæ.

Et uir bonus turbatur, timetque.

Apathia stoica.

Iudæi à Cæsare, quæ clamauerant regem suum esse, delecti.

Quot quæritur bellis in orbe terrarum hæcenus tumultuatum sit.

Nullus finis præcædi, propterea nullus finis calamitatum.

Multi quoti die morbi etiam medicis ignou oritur.

pestes omnium sauisimæ tempore Antonii Veri, &amp; D. Gregorij.

Fames horrida Ierosolymis.

Iudæi persequebantur Christianos, Christum ultore feruerunt.

Motus terræ ingentes post ascensionem Christi.

Prodigia excidij Iudæorum præcedentia. Cometa gladii specie.



lantia arma, & subito nubium igne collucere templum. In die Pentecostes auditus est strepitus, quem consecuta est hæc uox, Migremus hinc. Rusticus quidam, priusquam bellum gereretur, in summa ciuitatis pace, & tranquillitate, cum ad diem festum uenisset, subito exclamare cepit, Vox ab oriente, uox ab occidente, uox à quatuor uentis, uox in Ierusalem & templum, uox in maritos nouos nouasque nuptas, uox in omnem hunc populum. Et in hoc clamore septem continuis annis ita perdurauit, ut nullis nec minis, nec suppliciis cohiberi potuerit: donec tandem obsidionis tempore, cum exclamaret, uæ ciuitati, templo, & populo, ac paulò post adderet, uæ etiam mihi, lapide immisso perierit. Hæc & multa alia fuerunt prodigia de cælo, & terriculamenta, quæ significarunt deuastationem gentis Iudaica. Lege locum Iosephi paulò antè citatum.

Hæc autem omnia, initia sunt dolorum.

Quasi dicat, audietis quidem rumores bellorum, & bella multis in locis exoriri, nolite propterea animo excidere, neque minore animo uerbum meum tenere, quin potius feruentius aliis prædicare. Fieri utrūque oportebit, & meum regnum excrescere, & hanc urbem cum gente indicibilibus malis exterminari. Tamè aded à uobis abesse debet, ut incipientibus istis fieri, animos abiiciatis, ut ad multa etiã grauiora uos quoque debeatis preparare. Videbitis enim gentem contra gentem insurgere, & moueri omnia, ad hæc & reliquas Dei ultiones, famem, pestem, & multa huiusmodi signa de cælo ingruere, & defæuire. Nemo tamè tum speret his (tametsi grauisimis) plagis adhuc diuinæ satisfactū ire, atq; uindictæ. Quæquam enim horrenda sint, & stupèda, uidebuntur tamen leuia, si cõferantur cū iis, quæ consequentur, id est, nondū erit finis plagarū, & iræ diuinæ: imò hæc, scilicet, bella, fames, pestilentia, & reliqua, quæ dixi, sunt initia dolorum, quos iste populus experietur. Hæc mox affuturarum calamitatū præludia, & insequentis tragœdiæ prologus sunt. Nam quemadmodum homines nouis subinde sceleribus adiuuentis malitiam suam infandam superare contendunt: ita iustissimus Deus nouis subinde repertis calamitatibus, infandam hominum conscclerationem ineffabilibus suppliciis collidet. Et hæc quidem generalis est practica (ut uocant) omnium temporum, primū quidem ad Iudæos pertinens, mox ad omnes in toto orbe homines. Nam omnium Deus est Dominus noster: ergo omnibus iudicia sua annūtiat. Quare pendeamus omnes à Christo, & nihil ista omnia nos lædent. Ideo iussit nos non turbari, quoniam sic fieri (inquit) oportet. Sic cõmeruit populi huius impietas. Nos confidamus in ipsum, quem isti reiiciunt, & saluatorem amplexemur, à quo si rursus non defecerimus, ipsum liberatorem & seruatorem experiemur.

Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus.

Hactenus prædixerat, quæ uentura essent mala super impios Iudæos, quæ certè maxima, & grauisima erant. Sed quid? Nunquid discipuli Domini futuri erant immunes malorū? Minimè omnium. Quasi diceret Christus, Tantū abest, ut immunes sitis uos ærumnarū, ut calamitates etiam primū omnium à uobis incipiant. Priusquam enim quicquam malorum accadat Iudæis, & dum ipsi adhuc summa pace, & tranquillitate fruuntur, uos expositi eritis omni generi afflictionis. Tradent enim uos in tribulationem & occident. Tradent, inquam, in concilia, alienos à synagogis uos facient, in synagogis cædemini, & ueniet tempus, quum quisquis interficiat uos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Huiusmodi persecutionē (ut copiosè testatur acta Apostolica) mox à necè Stephani quia dispersi omnes fuerūt per regiones Iudææ, senserunt discipuli. Et hanc promouebat Paulus Act. 9. Postea Act. 12. misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autè

Incrementa scelerum nouis calamitatibus incrementis Deus prosequitur.

Nihil lædit uos pendentes à Christo.

Apostoli, afflictionibus omne genus expositi.

Iacobum, fratrem Ioannis, gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Quid uerò Paulus quātūmq; cū suis expertus fuerit persecutionum, tam à Iudæis, quàm à gentibus, cum acta Apostolorum, tum ipse in Epistolis suis, præsertim posteriore ad Corinth. testatur. Sed quis breuibus posset commemorare, quæ acciderūt discipulis Christi post missum Spiritum sanctum? Recensendus esset totus Actorum liber, ac ne sic quidem omnia exponeretur. Itaque uaticinio Christi nihil uerius. Et sanè nihil hic Christus prædixit, quod illi non sint experti. Porro illa eadem persecutio, post captam urbem sanctam, & excisos Iudæos, durauit aduersus Christianos, in hunc usque diem. Nam ministros Christi persecuti sunt principes Romani. Sanctus August. in libro de ciuitate Dei numerat persecutiones maximas, 10. Nec clemēiores Romanis fuisse Gothi, & Vuandali. Nec minus ministros Christi affixerunt Saraceni. Turca quoque, immanissimus ueritatis hostis, hæcenus nemini Christianorum pepercit. Sed uide: boni uiri, Apostoli, de regno & gloria rogabant. At nihil hic audiunt, nisi pericula, & persecutiones, quibus ipsos exerceri oportebat. Rogabis, cur non prius percunt impij, quàm possint pios affligere? Certè si rem probè perspicias, nulla rei huius admiratio te capiet. Solenne est & ita consuetudinariū Deo, ut perditurus impios, prius affligat, seu affligi permittat pios. Boni enim & prudentis patris familiaris est, suam antè familiam in officio continere, quàm aliena errata punire. Per aduersa autem, & afflictiones continentur pij in officio diuinæ uocationis. Nō igitur iniquum uideri debet, quòd Deus antè permittat suos affligi, quàm alienos perdat. Sic, cum delicturus erat Sodomitas incendio, permittit, ut pius Loth antè à ciuibus suis affligeretur. Sic, cum immisurus erat grauisima supplicia in Aegyptū, obiecit prius Israëlẽ populū suū oneribus penè intolerabilibus. Sic, cum sub monarchia Babylonica puniretur erat Gentes, Iudæis finitimas, incepit afflictionem à sancta sua urbe Ierusalem. Iere. 25. Ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere. Sic, etiam cum uellet delere Iudæos per Romanos, permittit ut antè omnia Apostoli, & credentes in Christum crudeliter à Iudæis tractarentur, & non tam in exilia eicerentur, quàm interficerentur. Huc pertinet, quod monet Petrus. 1. Pet. 4. Si autem (quis patitur, supple) ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primū à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?

Propter nomen meum.

Occupatio est. Rogabit quispiam: Boni illi pij uiri quid commiserunt, propter quod tot calamitates patiantur? Propter quam (obsecro) culpam persecutores tanta crudelitate, & tyrannide afficiunt pios? Respondet Christus, Propter nomen meum. Ac si dicat, Grauisima hæc coniuratio, & persecutio principum mundi, & sapientum (quia naturalis etiam affectus parētum erga liberos dissoluetur, imò parentes sicut, suorum liberorum proditores, ac interfectores) erit, quia me diligitis, & doctrinam meam prædicatis. Nomen Christi est Iesus, quod uocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Sed literæ, & syllabæ, ac externus huius nominis sonus, hæc, inquam, nō sunt tam inuidiosa, ut propter ipsa soluat affectus naturalis cognationis, & excitetur publica, præsertim inter Iudæos, persecutio. Hoc enim nomine uocatus est. Iosue successor Moyfi. Hoc nomine uocatus fuit Pontifex Iesus, cuius fit mentio apud Zachariam. Hoc nomine multi alij quoque uocati fuerunt. Et tamen propter externum illud nomen nullam passi sunt persecutionem. Quid ergo est, quod ait, Propter nomen meum? Nomen Christi, de quo in præsentia fit mentio, est ipse Iesus Christus, ac officium eius. Christus enim in hoc missus est, ut omnes in ipsum uerè credentes iustificentur. Non misit Deus (inquit) filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur

Persecutiones maximæ in Ecclesia.

Deus primū pios erudit, mox impios ferit.

Pij afflictionibus continentur in officio.

Propter nomen meum, quid.

Iesus nomen multorum.

Nomen Christi, quid.



Inter Christi  
stū & Satanā  
quātum dif-  
crimen.

mundus per ipsum. Qui credit in eum, non condemnabitur. Qui uerò non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Satan autem, qui princeps est huius mundi, pugnat ex diametro cum hoc officio Christi. Christus enim iustificat: Satan autem in peccatis detinet. Christus uiuificat: Satan mortificat. Christus seruat: Satan perdit. Christus tribuit cœlum: Satan infernum. Quare Satan primum quidem opposuit se, quantis potuit uiribus, Christo ipsi, adhuc in terris uersanti, ut omnem gloriam eius extingueret: Deinde ex quo Christus per mortem euasit in summam maiestatem, adoritur, quoquomodo potest, credentes, & profitentes Christum: ac nunc excitat reges & principes, organa sua, ut persequantur, nunc gentes, & populos, ut trucidet: nunc etiam propinquos, amicos, cognatos, fratres, adeoque parentes, ut prodant suos ipsorum liberos, in Christum credentes, & obiciant extremis suppliciis, à Deo nomen Christi est illis inuisum.

#### Et tunc scandalizabuntur multi.

Multi malis  
uicti, Christū  
deseruerunt.

Tunc, cum tam crudeliter & inclementer nominis Christiani professores dilaniabuntur, multi, malis offensi, suppliciisque uicti, descendent à professione nominis Christiani. Id quod non solum ante urbem uastatam, sed etiam postea factū esse docent historiæ: imò in hunc usque diem uidemus. Id si accidere potuit insigni Pauli collegæ Demæ, ut seculum præfens amplecteretur, 2. Timoth. 4. certe mirum non est, si & plurimis aliis eueniat: quanquam electorum accidere nulli possit, ut prorsus desciscat, dicente Christo, Et nemo de manu mea rapiet eos. Certe hi sunt bona terra, in quam cadēs semen uerbi Dei certum fructum affert. Hoc ipsum prædixit Simeon Euangelicus, Ecce hic (inquit) positus est in ruinam multorum. Ne ergo supra modum turbarentur pij, multis deficientibus, ut semper pusillus est electorum numerus, de his quoque uoluit præmonere. Nam non solum multi defecturi erant, passi offendiculum, id est, cruce atque persecutione ab Euāgelio repulsi, sed ex fratribus futuri quoque hostes, quod & ipsum Paulus expertus est: ut in posteriore ad Timoth. 1. & ultimo queritur.

#### Et inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.

Interim eritis odio, non Iudæis solum, sed omnibus gentibus. Nihil cuiquam tutum erit, prodicionibus agentur omnia, adeoque inualefcet corruptio, ut alius alium proditurus sit, frater fratrem, cognatus cognatum, amicus amicum, socius socium: seque mutuis odiis persequantur, ut nihil uspiam appareat aliud quàm rixæ, discordiæ, conuicia, & præsentissimus interitus.

#### Et multi pseudoprophetae surgent, & seducent multos.

Pseudoprophetas quibus  
nominibus or-  
nat Paulus.

Myriades he-  
reticorum &  
seducentium  
quorū irrepre-  
hensibilem.

Aliud periculum & malum, & ingens quidem, prædicit futurum. Prohibent sua sponte, nō uocati, & de improviso, atque præter expectationem falsi doctores, & doctrinæ erroneæ seminatores & pseudoapostoli, imò Apostoli Satanæ, & antichristi præambulones. Contra hos falsos doctores magna semper Paulo pugna, & querela fuit. Hi fuerunt illi serui uentris, non Iesu Christi, Roma. 16. Apostoli Satanæ. 2. Corint. 11. ambientes amulari à Galatis, & ipsos labefactantes, Galat. 4. Canes, mali operarij, concisio, inimici crucis Christi, quorum Deus uenter, &c. Philipp. 3. deceptores per philosophiam, & inanem deceptionem, habentes speciem non ueritatem sapientiæ, Coloff. 2. Sed quid multa loca enūmero, cum nusquam ferè illorum non meminerit? Propter hos conuenit synodus Ierosolymis, Act. 15. Meminit & Ioānes Apostolus in sua Canonica pseudoprophetarum & antichristorum. Constat enim & Cherintum, & Hebionem, ac monstra alia his similia, errorum, & impietatis seminaria, temporibus Apostolorum emeruisse, ac seduxisse plurimos. Testis est Eusebius Eccles. hist. lib. 4. cap. 22. & Hierony. in lib. de uiris illustribus. Prædixit quoque sanctus Petrus in posteriore epistola sua, venturis

uenturis temporibus ad consummationem usque seculi plurimos pseudoprophetas exorituros, quorum præcipui fuere, Praxeas, Valentinus, Nouatus, Arrius, Macedonius, Manichæus, Donatus, Nestorius, Pelagius, Eutyches, & quos nobis dedit seductio Mahometi, & corruptio neochristianorum. Et his quidem non paucos adhaerisse constat, ut non frustra dixerit Dominus, Ac seducent multos. Et Petrus in posteriore canonica dicit, plerosque errorem illorum sequuturos. De his prælocuti sunt Moyses Deut. 13. & Hierem. 23. Obserua, officium pseudoprophetarum esse, seducere.

#### Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

Seductio, imò malorum omnium radicem, & causam his uerbis, Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, &c. explicat, nomine iniquitatis, Dei, & legis eius contemptum, mundi item opum, ac uoluptatum studium intelligens. Quia itaque iniquitas, ac prauitas illa naturæ, qua sibi tantum homines studet, ab omni beneficentia erga alios alieni, abundabit, & dominabitur, nimirum copia erit hominum, contemnentium Deum, & uerbum eius, præferentiumque religioni ac pietati diuitias, & uoluptates: regno item Dei, ac Euangelio gaudia mundi: necesse erit charitatem, id est, ueram pietatem, beneficentiam, & religionem (quæ gemina constat dilectione, Dei, & proximi.) in multis deficere. Nam quò celerius animus à uera pietate degenerat, & ad peiora uergit, eò magis, & facilius, contemptus Dei, religionis, ac pietatis neglectus, studium uoluptatis, & diuitiarum amor increfcit. Habet profecto uiua, & sancta charitas ardorem spiritus cum feruore benefaciendi, agendique recta. Proinde appositisimo uerbo refrigescere utitur, quòd, qui friger, uegetatione, ac operatione spiritus caret. Studia enim, & res ipsas frigescere dicimus, cum uel lenitè procedunt, uel prorsus euanescent. Hanc charitatem refriguisse suo tempore Paulus. 2. Timoth. 1. scribit. Nam abundantis iniquitatis, & refrigescens, imò gelatæ charitatis erat, quòd omnes in Asia ipsum auersati fuerat. Colligamus ex his. Quia iniquitas per præambulones Antichristi multiplicabitur, exasperabuntur efferi homines: ita, ut in iniquitate obstinati, nullum cū familiarissimis seruaturi sint charitatis uinculum, sed mutuo se tradent.

#### Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.

Occupat Dominus, quasi dicat: Cauete animos despondere propter hæc tam aduersa intus, ac foris, & tam magnam rerum omnium corruptionem. Non est uel larum (quod dici solet) culmū à ueritate recedendum, sed fortiter standum in fide usque ad huius uitæ finem. Hac fide superaturi estis omnia. Nihil itaque uobis periculi, modò constanti, fortique animo perseueretis. Nulla malorum uis poterit perdere, nisi quem animus rectus defecerit. Durate igitur in illis, in quibus estis docti. Tum neque mala uobis nocebunt, neque corrupta doctrina uos seducet. Nemo abiiciat onus (quod reuera leue, & facile est confidentibus) nemo contrahat humeros, sed cogitet potius, quomodo id, quod omnino ferendum est, ferat cum laude. Est igitur perstandum in ueritate, & pietate, est orandum, uigilandum, sustinendum. Ad hanc perseuerantiam Paulus. 2. Timoth. 3. hortatur. discipulum suum, dicēs: Tu uerò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, scis, à quo didicisti, &c. Item ad Hebr. 12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, &c. Mox sequitur: recogitate eum, qui talem sustinuit, &c. ut ne fatigemini, animis uestris deficientes. Nō enim usque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes. Proinde omneis uirtutes absoluit perseuerantia, quæ non est sine patientia. Vnde Dominus Luc. 21. dicit, In patientia uestra, possidebitis animas uestras. Quod idem sonat, atque, Qui perseuerauerit usque in finem, &c. Quæ sententia continet formam

Iniquitas,  
quid.

Charitas, q. d.

Charitatis  
sanctæ natura

Fide standū  
in aduersis.

Ad perseue-  
rantiam ad-  
hortatio.

Perseuerantia  
nulla sine pa-  
tientia.



Possidere a-ferendi persequutionem, seu crucem. Est autem in patientia possidere animas, in  
nimas suas i-  
patiētia, q.d. cruce non irasci Deo, non indignari, non murmurare contra Deum. Coloss. 1.  
In omni patientia; & longanimitate cum gaudio. Philipp. 2. Omnia autem facite  
sine mururationibus. Iacob. 1. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in  
tentationes uarias incideritis. Roma. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Nō  
solūm autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Hęc uerba uim præcepti, & con-  
solationem in omnibus aduersis habent, docentque, quid in cruce faciendum, &  
quid sperandum sit. Cū sumus in afflictione, concipere debemus in animis no-  
stris patientiam iuxta uerbum, & promissa Dei, & possidebimus, hoc est, nō per-  
demus animas nostras, sed uictores erimus, iuxta uerbum, & hic saluus erit, hoc  
est, nihil periculi patietur, imò ne pilus quidem de capite ipsius peribit.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni, in uniuerso orbe.

Hoc prognostico (quod commune est & deuastationi Iudææ, & consumma-  
tioni sæculi) suos consolatur, ne ubi uiderint tam paucos ipsum admittere, animo  
deiciantur. Confidite (inquit) non erit uanus & uacuus labor uester. Vestra dili-  
gentia non carebit suo fructu. Insaniet quidem mundus aduersus uos, & ueritate,  
sed Deus non sinet Euangelium opprimi: imò his tumultibus magis, ac magis in-  
ualefcet Euangelij robur. Nec poterit aliud in uos malorum procella, nisi quod pie-  
tatem uestram reddet spectatiorem. Et ut Antichristi præambulones intelligant se  
sua culpa, nulla autem Dei morositate, aut iniustitia condemnari, antequam ue-  
niat consummatio templi, & urbis Ierosolymitanæ, prædicabitur hoc Euangelium,  
quod ad regnum cœlestis euehit, in uniuerso orbe. Est uerò hoc signum misericor-  
diæ diuinæ testimonium. Nam Deus adeo neminem uult perire, nisi prius patienter  
moneat de errore, & ad respiciendum inuiter, aperta uerbi prædicatione Ro-  
ma. 2. Bonitas Dei ad poenitentiam inuitat. Sic per Noe centum & uiginti annis  
permisit Deus hominibus prædicari poenitentiam ante diluuium. Gene. 6. Et tem-  
pore Iudæorum post mortem Christi, relictum est Iudæis poenitentia spatium,  
quadraginta anni, & prædicatum est illis Euangelium à multis Apostolis clarissi-  
mè, & apertissimè: Nec solūm in Iudæa, sed etiam in uniuerso orbe. Nam prius-  
quam caperetur urbs Ierusalem, & dispergeretur gens Iudaica, per totū terrarum  
orbem deportarunt, & annuntiarunt Apostoli Christi Euangelium. Audi Paulum  
de hoc testimonium ferentem, In omnem terram exiit sonus eorum. Et Roma.  
15. Ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleuerim Euangelium  
Christi. ad Coloss. 1. Et immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatū  
est in uniuersa creatura, quæ sub cœlo est. 1. ad Timoth. 3. cap. Et manifestè ma-  
gnū est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est  
in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, as-  
sumptum est in gloria. Certè plerique Apostoli Domini ante captam à Romanis,  
& uastatam urbem Ierosolymam, excefferunt è uiuis. Petrus & Paulus, Apostolo-  
rum primi, Romæ. 14. Neronis anno, martyrio coronati sunt. Atque circa illa ipsa  
tempora Nero Imperator Vespasianum militiæ magistrum, contra Iudæos trans-  
mittit in Syriam. Incidit autem decimus quartus Neronis annus, in 70. annum à  
Natiuitate Christi, sicut supputauit Eusebius. Populus ergo Israëliticus, Domini  
peculium, & urbs illa sancta mirabili prouidentia Dei seruata est, donec Euange-  
lium Christi uniuersum repleret orbem. Cur ita haud dubiè, ut populus Iudaicus  
per genteis iudicaretur, & speculum esset omnium & Ecclesiarum gentilium, &  
consequentium temporum. Obserua. Dicitur Euangelium regni ab effectu, quod  
regnare facit contra Satanam, mortem, peccatum, & mundum. Diu est, In uni-  
uerso orbe, ut intelligas tam ad Iudæos quàm Genteis Euangelium peruenisse, &  
utrisque prædicatū esse. In hos enim duos populos totus terrarū orbis diuidebatur.

Euangelium  
regni.  
Euangelij præ-  
dicatio, mis-  
ericordiæ Dei  
iudicium.  
Noe prædica-  
uit poeniten-  
tiam.

Euangelij præ-  
dicatio uni-  
uersum mun-  
dum perua-  
sit.

Ierosolymo-  
rum euersio  
cur tam diu  
dilata.

In testimonium omnibus gentibus.

Hęc in genere uidentur accipienda, ut electis prædicari Euangelium agnosca-  
mus, in testimonium gratiæ Dei & salutis. Reprobis autem in testimonium con-  
demnationis, ut non habeant, quod se, de non audito Euangelio, excusent. Testi-  
monium enim pro lege, & doctrina Dei in scripturis accipitur, ut psal. 118. abundè  
declarat. unde psal. 77. Et suscitauit testimoniū in Iacob, & legē posuit in Israël.  
Quis hinc non uideat testimonium & legem pro eodem accipi? Quare quemadmo-  
dum lex Iudæis data est, & uariæ illæ cæremoniæ in testimonium (ut passim do-  
cent scripturæ) quibus nimirum Deus suam uoluntatem testatam fecit, & ita offi-  
cij ipsorum eos admonuit: ita postea Euangelium Dei prædicari oportuit cunctis  
gentibus, ut sicut de ipsius bonitate edocerentur, ita ad fidem in ipsum pietatisque  
studium prouocarentur. Id cū successerit apud electos ex gentibus, prædicatum  
sanè ipsis Euangelium est, & hodie prædicatur, in testimonium, quod eruditi sunt,  
& erudiuntur ad salutem. Reprobis autem prædicatum est, & prædicatur, in testi-  
monium, quo impietatis conuincantur, qui oblatam ultro Dei gratiam respue-  
runt. Habet hoc uaticinium mirificam & suauem consolationem. Nam si nihilo-  
minus prædicari oportuit Euangelium in orbe uniuerso ante consummationem,  
ut ut insanierint Antichristi præambulones, aperti hostes ipsius futuri, ipsum op-  
pugnaturi, & per insidias aggressuri: necessarium simul fuit, ut tutos à malis his  
omnibus eius prædicatores Dominus seruaret: quod sanè, hęc prædicando, ipsis  
pollicitus est.

Euangelium  
quare omni-  
bus indiscrimi-  
natum præ-  
dicatum.  
Testimoniū  
pro lege &  
uerbo Dei.

Prædicatores  
Euangelij, sa-  
crofanti, &  
Domino in  
primis curæ.

Et tunc ueniet consummatio.

Hanc consummationem Chrysostomus in hunc locum, & Eusebius lib. 3. hist.  
Eccles. cap. 7. interpretantur de uastatione & consummatione Ierosolymorum.  
Et tunc, scilicet prædicato Euangelio in uniuerso orbe (quod ex testimonio Pauli  
paulò antè adducto, constat factum fuisse ante urbis excidium) ueniet consumma-  
tio, id est euertetur urbs Ierusalē, tolletur templū, & abscindetur cultus Mosaicus.

Cū uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est  
à Daniele propheta, stantem in loco sancto.

Post uaria prognostica & signa excidij Ierosolymitani indicata, quæstioni di-  
scipulorum, quærentium, Quando hæc erunt? id est, quando templum cum urbe  
excindetur? aperte responder: Tunc ueniet cōsummatio urbis, quando per orbem  
terræ prædicatum fuerit Euangelium regni: & cū miles Romanus, siue exerci-  
tus, graui, ac pertinaci obsidione urbem Ierosolymorum cinxerit. Tunc capietur  
& diripietur urbs, & uastabitur, ardebitque templum Dei sanctum. Octauum hoc  
signum est, & Iudææ, & seculo huic consummationem denuntians. Estque hoc si-  
gnum unum è proximis, quæ præcefferunt deuastationem Iudææ, & præcedent  
finem mundi. Siquidem post reuelationem Antichristi, neque certius, neque pro-  
pinquius signum perituri mundi expectandū. Hęc uerba Matthæi, Marc. 13. cap.  
ita refert: Cū autē uideritis abominationem desolationis, stantem ubi non de-  
bet. Pro eo quod Matthæus dicit, stantem in loco sancto, Marcus ait, stantem ubi  
non debet. Lucas. 21. cap. apertius hoc declarat, dicens: Cū autem uideritis cir-  
cundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius.  
Dominus itaque per abominationem desolationis, iuxta idioma sermonis He-  
braici, intellexit tam abominabilem, & stupendam ipsius Dei iram, desolatio-  
nemque, qua populum suum reliquit, quàm horribilem terræ uastationem, urbis  
que obsidionem grauissimam. Stupendum, & abominabile erat, quod Dominus,  
quem sibi delegerat, populum, & ardentissimè hætenus amauerat, tunc tradide-  
rit in manus Ethnicorum calcandum. Nam primò exercitus Romani Galilæam,  
& Samariam crudelissimè uastarunt. Deinde obsederunt urbem sanctam: ubi

Abominatio  
desolationis.



aliquandiu uictrix exultauit uirtus ethnica, urbi minitans exitium: tandem urbem cœpit, totamque diripiens, sanguine, & cadaueribus oppleuit, mox in ipsum quoque templum irrupit, quod postea sæuissimis animis una cum urbe inflammauit, deleuitque funditus. Nam Ioseph. lib. de bello Iudaico. 7. cap. 18. Quia (inquit) quos occideret, quidve raperet amplius non haberet exercitus, quod iratis animis omnia deerant (nec enim parcendo si esset, quod agerent, abstinissent) iuberet eos Cæsar totam funditus iam erueret ciuitatem, totumque templum, relictis cæntum turribus, quæ præter alias eminebant, Phasello, & Hippico, & Mariamne: muri- que eo, quod ciuitatem ab occidente cingebat: hoc quidem seruârunt, ut esset castrum illis, qui custodia causa relinquerentur: turres autem, ut posteris indi- carent, qualem ciuitatem, quamve munitam, Romanorum uirtus obtinisset. Alium uerò totum ambitum ciuitatis ita demoliti sunt, ut qui ad eam accessissent, habitam aliquando fuisse uix crederent. Palsim occidebantur, neque finis cla- dium fuerat, quandiu bellum fuit. Ante obsidionem postremam Ierusalem, occi- sa Cæsareæ fuere 20. milia: in Scytopoli. 13. milia: in Ascalone & Ptolemaide cir- citer quinque milia: Alexandria 50. milia: Damasci ad decem milia. Deinde in exordio belli 18. milia in Galilæa: in Aphara 150000. in Samaria 11. milia & 600. in Iotapata 4000. in Taricha 6600. in Giscali 2000. Quis autem strages, & miseriam ciuitatis Ierusalem diceret, in qua fame, peste & gladio periire supra 1100000? Cornelius & Suetonius tradunt eo bello 600000. interempta. Quin & post desolatam ciuitatem in reliquias sæuitum: duobusque milia quingenti in specta- culo Cæsareæ perierunt. Multi & Antiochiæ, ueluti incendiarij, in theatro concremati. Bassus in Macheronte 1700. deinde Iarde 3000. Flauius uerò Syluius sicarios mille in Massada peremit. Côm memorant item & multa alia milia periisse, item non pauciora in Mesopotamia. Pôst eos à prouincia exterminauit Traianus. Deinde iterum in Palestina periclitati, etiam ingrediendi in terram suam amiserunt potestatem. Certè manet eorum perpetua uastitas, & solitudo. Nunquam sacerdotium leuiticum, nunquam regnum, aut principatus Iuda, nunquam poli- tia Mosaica, nunquam ciuitas Ierofolyma restituetur. Nam loco Iudæorum, ut Oseas inquit, deinceps Gentes uocabuntur ad societatem populi Dei: eruntque po- pulus Dei, omnes, qui Euangelium Mesiæ amplectentur, ut Rom. 9. & 10. dicitur. Constat Iudæos post Titum aliquoties conatos esse suam politiam asserere. Sub Adriano conuenerat multitudo Iudæorum undique collecta, & Cocheta du- ce patriam armis inuadebat, sed ab Adriano profligata, & deleta est. Hic publico edicto iussit, ut nulli Iudæo ne introire quidem in Ierusalem liceret, cuius & no- men mutauit, uolens, ut deinceps à cognomine suo Aelia uocaretur. Postea Iulia- nus odio Christiani nominis concessit Iudæis rursus urbem, & templum conde- re, administrauit quoque sumptum: sed hæc Iudæorum lætitia non diu constitit. Nam cum cœpissent fodere, aggerem efferre, adeoque opus infinita hominū mul- titudine, & inaudita magnificentia (nam ligones, & corbes ex argento facti erāt.) urgere, horrendis miraculis ab instituto uel tandem reuocati sunt. Nam non so- lum uenti impetus disiecit uniuersam materiam gypsi, & calcis, quam parauerat, nec tantum terræ motus ingens ædificantes exterruit, uerum etiam ignis, è funda- mentis diuinitus erumpens, alios inflammauit, alios absumpsit. Itaque coacti fue- runt institutam ædificationem dimittere. Narrat Nazianzenus palsim uestibus po- puli figuras crucis prodigiosè impressas, uisas esse. Absterriti ergo Iudæi cœlesti- bus signis, inchoatum opus reliquerunt, quia Deus decreuit, ne politia Iudaica re- stituatur. Vult profectò conspici exemplum iræ suæ ab omnibus gentibus, eò quod Iesu Christi filij sui cõtemptum horribilibus supplicijs puniat. Proinde sensus uer- borum est, Cum uideritis, id est, intellexeritis, Nam abominatio desolationis tem- pore Iudæorum non statim fuit animaduersa. Animaduersa uerò & intellecta,

Templū unā  
cum ciuitate  
dirueum.

Strages Iu-  
dæorum quā-  
rit.

Quam inex-  
piabile odiū  
gentibus fue-  
rit Iudæos.

Gētes Indis  
succedere.

Ierusalem  
Alia dicta.

Conatus Iu-  
liani Cæsaris  
in excitanda  
Ierusalem.

statim habuit deuastationem comitem. Cum uideritis terram Galilææ, & Sama- riæ uastatam, fumare, & exercitum Romanum peruenisse iam ad ipsa urbis san- ctæ mœnia: cumque uideritis per Deum tanta contra populum, & urbem sanctā licere Gentibus, ut ibi quoque suas erigant aquilas, & inibi nulla religione loci pro- hibentur, quin imperterriti consistant, & constanter urbi, & templo excidiū mi- nitentur, scitote Deum, ut derelictum, & desolatam, reliquisse populum suum, & locum sanctum, nec aliud superesse, quàm abominabilem uastationem, quam fu- turam prædixit Daniel. 9. cap. dicens, Et post hebdomadas sexaginta duas occide- tur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & san- ctuarium dissipabit populus cum duce ueturo. Et finis eius uastitas, & post finem belli statuta desolatio. Mox sequitur, Et erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Heus tu Iudæ, au- dis cōsummationem, quid adhuc superest, quod expectes? Quid uobis reliquum est, quod loquamini? Quum reliquas captiuitates dicunt propheta, certū & præsi- nitum tempus expresserunt. In hac nullum tempus præfiniunt, quin potius con- trarium addunt, uidelicet, usque ad consummationem duraturam. Dicit igitur propheta Daniel: desolatio illa perseuerabit, id est, continuò erit super pereuntem Ierusalem, uel Israëlem, & apprehendet calamitatē calamitas. Vbiq; enim gen- tium exosi erant, & persecutores inueniebant. Vides hîc, reparandi templi illius nullam spem relinqui? Quod & Christus prædixit, lapidem non relinquendū su- per lapidem, & quod similis à condito mundo tribulatio nulla fuerit, nec erit.

Euerio ciui-  
tatis sanctæ à  
Danielle præ-  
dicta.

Desolationis  
Iudaicæ finis  
nullus futu-  
rus.

Scripturæ le-  
gendæ, ut in-  
telligantur.

Fuga pericu-  
lorum, etiam  
piis interdū  
necessaria.

### Qui legit, intelligat.

Epiphonema est ad attentionem. Posteaquā relegauit Dominus lectores ad Da- nielis lectionem, ut inde plenius instituantur, addit, Qui legit, intelligat. Quasi dicat, Non obiter, & ueluti per transennam legat, sed ita legat, ut intelligat. Vel, adeò & tam exactè Romanus exercitus contra Iudæos uaticinium Danielis com- plebit, ut nemo lectorum futurus sit, qui non intelligat prophetæ sententiam. Ob- serua Dominum hoc loco taxare Iudæorum cæcitatem, ut qui nimis oscitanter, & sine intellectu scripturas legerent. Et simul admonemur, ut in legēdis diuinis scri- pturis, attenti, diligentes, & uigilantes simus, de ipsarum intellectu solliciti. Alio- qui, quid prodesse poterunt, non intelligentibus? Certè frustra legitur, quicquid doctrinæ, castigationis, admonitionis, atque etiam consolationis causa scriptum est, nisi attentè, & probè legatur, & intelligatur. Huc pertinet, quod scribitur. 1. Corint. 14. cap. Nunc autem fratres, si uenero ad uos, linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia? &c. Et eodem capite, Caterum si benedixero spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit, &c.

### Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

Viris sanctis, & piis, consiliaque sana non respicientibus consulit, imò præcipit Dominus quid facere debeant imminente Iudaica desolatione. Præmonet itaque Dominus, ut sibi fuga consulant, posthabitis omnibus, ac relictis etiam pretiosis, & necessariis rebus. Nam tolerabilior est iactura fortunæ, quàm uitæ. Vide mihi, Per fugam uult Dominus suos interdum sibi consulere, & à periculis liberari. Non quòd uelit illos sic fugæ confidere, ut putent se suis uiribus posse periculum euadere: sed magis, ut si id datur, ut periculo non exponantur, & ipsum hac fuga eua- dant. Atque eò fugere admonuit, ut postea credentes admonitione, & uerbi stabi- litate confirmetur. Ad hunc modum supra 10. capite dixit, Si persecuti vos fue- rint in ciuitate una, fugite in aliam. Sape suum Dauidem è manibus inimicorum fuga liberauit. Et iustum Loth è Sodomis eduxit. Huius fuga, ut præfagium erat uersationis Sodomæ, ita fuga, & abiectio Christianorum è Iudæa significabat



Fuga electo-  
rum alicunde  
futuram cala-  
mitatem pra-  
sagit.

Iudaei electi  
de caelo & ter-  
ra.

Electi de Iu-  
daea fugere  
iusti imminet  
re excidio.

Pella urbs, re-  
fugium ele-  
ctis in affli-  
ctione Iudaei-  
ca.  
Fuga Chri-  
stianorum spi-  
ritualis.

illius imminere desolationem. Et quemadmodum ciconia, & hirundines discessu suo futuram hyemem praedicunt: ita fuga bonorum & electorum, praesagium habent imminentis calamitatis. Proinde passim in scripturis legitimus Deum ex huiusmodi cladibus suos eripuisse per fugam & abitionem. Impiorum igitur est non prauidere imminentem calamitatem, quam profecto solet Dominus praedicere, ut resipiscant, & nihil excusationis cauentur. Optima fuit haec Domini praemonitio: sed cui paucissimi Iudaei obedierint. Nam initio belli Iudaici non solum ciues manebant in Ierusalem, uerum etiam confluebat in eam urbem, tam ex Iudaeis quam ex finitimis regionibus, incredibilis Iudaeorum multitudo, uirorum pariter, & mulierum. Alij numerant sexcenta milia, alij decies centena milia, non indigenarum, quorum & ipsorum magna erat multitudo, sed aduenarum tantum. Sperabant enim se nusquam gentium tutiores fore, quam in ea urbe, in qua erat templum Dei, & quae propugnaculis longe omnium ualidissimis munita erat. Sed inuenerunt ibi magis speluncam latronum, & praefens exitum suum, quam asyllum, & liberationem. Cur ita? Quia (ut inquit Dominus apud Lucam uigesimo primo capite.) Dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quae scripta sunt. Hoc est, haec sunt tempora, quibus Deus uisitabit omnes impietates, quas Iudaei iam inde ab egressu de Aegypto commiserunt, propter quas etiam scriptura ipsa minata est eis, non solum externum excidium, uerum etiam abiectionem ex haereditate caelestium bonorum, & perpetuam internecionem. Porro haec sententiae, Fugiant ad montes, &c. tametsi prouerbiales sint, ut ad montes confugere, sit, in tutum se recipere, tamen quia in maximis quibusuis periculis, non raro sibi populus Dei (ut Machabej, & prophetae sancti) fuga ad montes sibi consuluerunt, possunt intelligi ad literam: ut Dominus consuluerit pijs, imminente desolatione urbis sanctae, ad montana fugere. Nam montana Arabiae, & mons Libanus termini sunt terrae Iudaicae. Terminus ergo siue fines designans, suadet, ut ex Iudaea sese recipiant, qui suae uitae consultum uelint. Eusebius lib. histo. Eccles. 3. cap. 5. ait. Ecclesia, quae in urbe Ierosolymorum fuerat congregata, responso a Deo accepto, emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddam, Pellam nomine, trans Iordanem: scilicet, ut ablatis ex urbe sanctis & iustis uiris, uindictae caelesti fieret locus, & supplicium sumeretur tam de urbe sacrilega, quam de populo impio, per excidium patriae, & euerisionem. Haec Eusebius. Sita uero fuit Pella super Iaboc fluuium, non ita longe a Philadelphia. Non procul inde sunt montana Thraconitidis regionis. Obserua: Fugam intelligere possumus & corporis, & animae. Non ista fuga, animae tantum erit, ut cognita abominatione antichristicae impietatis, consulamus nobis, fuga, id est, resipiscentia, ac fide in Christum, & amplectamur ueram pietatem. Rursum aduerte, hunc locum esse praemonitionem, ne in abominatione pereamus, & urgere ad festinandam conuersionem a regno antichristi, ad regnum Dei. Obserua: cum ait, fugiat ad montes, significabat nullas ciuitates securas fore in omni Iudaea. Ita Angelus iubeat Loth ascendere ad montem, ut ibi seruaretur.

**Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.**

In tecto esse dicuntur, qui in tuto sunt, & iniuriae caeli, aut tempestatibus non sunt expositi. Hac sententia monet Dominus, ut qui periculum prope effugerint, caueant se immiscere periculo. Non procrastinent conuersionem, sed fugam festinent, si uelint a desolatione liberi esse, & in abominatione non perire. Non descendat, id est, non reuertatur in domum, suppellectilem seruaturus, quam posthabeat uitae, & celeri fuga consulat sibi. Potest enim suppellex, si amittatur, recuperari cum uita amissa semel, recuperari non possit. Et non raro fit, ut suppellectili implicitos, & fortunis, sarcinisque colligendis occupatos, belli tempestas extinguat, quos, si expediti fuissent, & relictis facultatibus in pedes sese coniecissent, minime oppressisset.

**Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.**

In agro sunt, qui septis aut moenibus urbium non concluduntur: adeoque liberi sunt, uidelicet extra omnem belli aleam. Qui ergo sunt in agro, non se exponant periculo belli. Non sequantur eos, qui a bello liberi, quod in agro essent, relicto agro seipos receperunt in urbem, arbitantes se in urbe fore tutiores propter templum, & cultum, quam in agro. Breuiter hac copiosa admonitione nihil aliud suis consulere uult Dominus, quam ut fuga, eaque celeri, sibi consulant, posthabitis omnibus facultatibus.

**Ux autem praegnantibus, & nutrientibus in illis diebus.**

Valde emphatica est haec exclamatio, grauitatem supplicij exaggerans. Similitudine autem praegnantium, & lactantium significat eos, qui apud Iudaeos calamitates illius desolationis non poterant effugere. Proculdubio praegnantibus, & lactantibus parum sunt ad fugam aptae, & accinctae, quod filios suos adhuc tenellos, aut in utero adhuc existentes, aut lactetes, tenerius adament uita propria. Neque illos, ueluti alia impedimenta, abiicere, & in fuga relictis omnibus sese effundere queat. Idem Christus & postea, cum ad Caluariam abduceretur, prophetauit Luc. 23. dicens, Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super uos ipsas flete, & super filios uestros. Quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent, Beatae steriles, & uentres, quae non genuerunt, & ubera, quae non lactauerunt. Non hoc dictum est, quasi peccatum sit tempore huiusmodi calamitatum gestare uterum, uel lactare infantem: sed quod tempore imminentis proximae desolationis miserum sit, ac molestum lactare, & uterum gestare. Non igitur perpetuo condemnationis notam habet illud uerbum, sed plerumque temporariae alicuius miseriae. Super omnes quidem cecidit haec desolationis miseria: sed in primis uide mihi mulierum calamitatem. Nam mulierum benedictio, & honor est gestare uterum, & lactare puerum: Ac in alijs bellis crudelissimi quoque hostes parcunt mulieribus praegnantibus, & lactantibus. In hoc autem bello, quod gestum est aduersus Ierusalem, benedictio mulierum uersa est eis in extremam maledictionem. Nam cum mulieres steriles iudicarentur antea miserime, in hoc bello iudicatae sunt propter sterilitatem felices, & propter uterum, & lactentia pignora infelices, & ter miserae. Tanta enim praeter etiam fugae necessitatem, fames grassata est in urbe Ierusalem tempore obsidionis, ut mulieres non solum non haberent, quo alerent pueros suos, sed interficerent (o immanitatem!) quod ipsae famem suam sustentarent. An non multo felicius fuit, nullos plane liberos peperisse, quam tam immane facinus, non dico, perpetrare, sed uel oculis suis praefens uidere? De hac fame incredibili & stupenda multa scripserunt Iosephus lib. 6. de bello Iudaico Hegeippus lib. 5. & Eusebius, qui omnia in compendium collegit, lib. histo. Eccles. 3. cap. 6.

**Orate autem, ut non fiat fuga uestra in hyeme, uel sabbatho.**

Quonia tam praiceps erit, & ingens haec desolatio siue haec ter misera miseria, ut uix liceat cuiquam sese subducere, his uerbis Christus praemonet de opportunitate temporis, quo fugiendum sit, ne neglecta iusta opportunitate, & occasione, postea fugere, ubi necesse sit, non detur. Hyems tum ob frigoris rigorem, tum ob diurni, lucisque breuitatem, ad iter faciendum est incommoda: Sabbatho autem significata uidetur religio. Et Sabbathis nefas erat Iudaeis, iter facere, nisi ad pauca stadia. Sed & religio non raro fugam impedit. Sentit enim Christus celerrime, ac procul esse fugiendum, ideoque cauendum, ne quid obstat celeritati. Multorum profecto locorum sacrae scripturae intelligentia, in tropis sita est.

**Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.**

**Haec est Aetiologia, qua redditur ratio tam urgentis ad fugiendum necessitatis,**

QQ 9 iiij

Bulymia Te-  
rosolymis te-  
pore obsidio-  
nis.

Sacra scriptu-  
ra tropis abu-  
dat.



propter quam orandum sit. Comparatione amplificatur hæc calamitas, exemplo carens, quod omnibus aliis miseris, excidiis, & calamitatibus præferatur. Erit tunc tribulatio magna, id est, imminebit euersio totius Iudææ, plena omni anxietate, & timore. Qualis non fuit, &c. Hoc intelligendum est de hac gente Iudaica. Nam absque dubio afflictio illa, quæ toti orbi imminet sub finem mundi, minor nõ erit ista, nec inferior. Obserua; huc locum significare, iram Dei, à populo Dei exacerbaram, grauiorem esse, quàm qua puniuntur à Deo alieni. De mulieribus audita est ultio: de uiris narrat Lucas. 21. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes Gentes. Nam quos seditioforum crudelitas, fames, & pestis superstites reliquerant, hi partim ab hostibus occisi sunt, partim bestiis obiecti perierunt, partim alienis uenditi sunt. Adeoque iterum impletum est in hac urbe Ierusalem à Romanis deuastatione, quod antea etiam in deuastatione Babylonica factum est. Egrediantur (inquit Ieremias. 15. capite) qui ad mortem, ad mortem: qui ad gladium, ad gladium: qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Iam in tanta mulierum, pariter & uirorum calamitate, quæ esse poterat ipsius urbis Ierusalem fortuna? Ierusalem, inquit Dominus Luc. 21. calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora gentium, hoc est, urbs ipsa Ierusalem ut funditus diruetur & desolabitur, ita nunquam amplius à Iudæis ædificabitur, ut in ea dominentur: sed ab hoc tempore calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium. Nunquam non erunt Gentes, usque ad nouissimum huius seculi diem. Gentium nomine intelligendi sunt ij populi, qui non agnoscunt Mosaicam politiam, siue illi sint Christianæ, siue alterius religionis. Quod igitur his uerbis Christus significare uult, hanc habet sententiam, Ab hoc tempore, quo Ierusalem à Romanis deuastabitur, nunquam amplius perueniet in potestatem Iudæorum, sed semper erit in potestate Gentium.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Hæc est consolatio de reliquijs Israël conseruandis. Quasi diceret, Si calamitas, ut erit uehemens, ita foret etiam diuturna. Si item tantum, & tandiu permetteretur sæuire hostibus, quantum eis liberet, nemo omnium ex gente ista Iudaica eua deret. Neque enim hic locus de toto genere humano intelligendus est, sed de Iudæis, id quod profectò horribile dictu esse nemo non uidet. Sed propter electos, & pauculos aliquot fideles, dies calamitatis decurtabuntur. Nisi igitur diuina dispositione breuius fieret illud afflictionis Iudaicæ tempus, quàm ipsorum culpa exigebat, & diuinæ iustitiæ sæueritas uidebatur exposcere, nõ seruarentur, aut remanerent ex Iudæis illis, uel ullæ reliquiæ, sed radicitus deleretur illa praua generatio. Sed propter electos, quos ex populo illo, postquam plenitudo gentium intrauerit, ad se conuerti faciet, ut fiat ex duobus populis unum ouile, & unus pastor, breuiabuntur dies illi afflictionis. Nam recordabitur Dominus pacti sui, quod habuit cum Abraham, Isaac & Iacob: & reliquias sibi seruabit ex Iudæis, quas ad se faciet conuerti circa consummationem seculi, faciétque, ut persecutionis grauitate longior durationis mora compensetur, ut seruentur electi, & non penitus deficiat illa gens. Electos autem hic (ut ait Chryl. 1. 2.) fideles nominauit, qui in medio Iudæorum intercepti erant, propter quos breuius durauit bellum, & calamitas, alioqui uniuersi interempti fuissent. Nam. 1. Petr. 2. scribitur. Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciandos. Electi sunt curæ Deo, qui tamen coram mundo sint inglorij, & nullius æstimationis, tum cum uindictam Deus sumit de reprobis, ipsos tamen non negligit, sed liberat. Exemplo sunt Noe & Loth. 2. Petr. 2. Obseruandum est, quod Deus non solum dies calamitatis malorum pauciores, & numero breuiiores facit, sed etiam reproborum uin

Deus grauius  
punit suos,  
quàm alie-  
nos.

Iudæi in Iu-  
dæa nunquã  
summa rerũ  
potiori.  
Gentium no-  
mine, qui.

Electi ex Is-  
rael in me-  
dijs bellorũ  
& calamita-  
tũ procellis  
seruati.

Deus etiam  
sceleratis par-  
cit propter e-  
lectos.

dictam decurtat, siue aliquid de ea amputat & præcidit, propter electos, quibuscum illi uersantur. Propterea uolebat parcere Sodomitis, uel propter decem iustos, si illi in Sodomis fuissent, Genes. 18. Obseruemus item hic nos admoneri, quàm charũ nobis debeat esse studium iustitiæ & innocentiae, cum in nobis ipsis, tum in aliis. Quod si talis non es, cuius gratia parcatur reprobis, saltem talis esse cura, qui gratia iustorum liberari possis. Hoc est, si iustus non es, uel iustos ama, uel cole, ut patrocini illorum coram Deo potiaris in die afflictionis: Rursus aduerte: Non fuisset salua, id est, nequaquam esset seruata omnis caro, id est, funditus absorpta esset gens illa Iudaica.

Tunc.

Paulatim descendit ac progreditur Matthæus ad describenda aliqua signa, quæ secundum Christi aduentum præcedent. Describit itaque in iis, quæ sequuntur, statum illorum temporum, quæ tum erunt quando defectio à uera pietate fiet. Tempora illa erunt Antichristi, impia & periculosissima. 2. Thessal. 2. 1. ad Timoth. 4. Tunc, id est, post deuastationem in Iudæa, & euulgationem Euangelij in gentes.

Si quis uobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere.

Suos præmunit, & cautiore facit à circumstantia loci, Quasi dicat, Secundus Messias aduentus, siue regnum Dei (Luc. 17.) non est cum obseruatione. Neque dicent, ecce hic, aut ecce illic. Non erit occultus, ut quadamtenus fuit prior eius aduentus in paruo orbis angulo apud Bethlehem. Sed adeo manifestus erit, ut nuntio res ipsa non indigeat. Tunc cum Iudæi abominationem desolationis experti fuerint, ac miseris modis disperditi, si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, hoc est, carnalem aliquem saluatorem demonstrauerit, qualem Iudæorum reliquiæ semper expectabant, nolite credere. Vnus enim saluator omnium sum, & æternus Christus, qui in humilitate modò uersor in mundo, mox abiturus, donec gloriosus redeam. Christus suos monere uult, ut, tamen postea familiari, & uisibili colloquio ipsius non fruantur, tamen toti ab ipso pendeant, nec ullum terrenum Messiam iam expectent. Sanè Iudæi non alium saluatorem expectabant, quærebantque, quàm carnalem. Natura enim, fidei experts, non nisi præfenti, & sensibili saluatore niti & confidere potest.

Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna, & prodigia: ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

Aetiologia est cur non sit credendum, si quis dixerit, Ecce hic, &c. Quemadmodum enim priore seculo non defuerunt pseudochristi, & pseudoprophetae, ita nec posteriore seculo deerunt. Nam (prædico uobis) emergent pseudochristi, & pseudoprophetae qui salutem, & redemptionem in illis rebus sitam esse concionabuntur, in quibus non est. Nolite ad illos exire, tamen auctoritatem sibi signis & prodigijs parent. Nam artibus magicis grandia patrabunt signa, quibus uel fideles alioqui homines dementarentur, nisi diuina obstarer bonitas, ac iustitia. Adeo instructi erunt dolis, fallaque speciei sanctimoniae, & magicis ostentis imitabuntur meam potentiam: adeoque miris, & multis præstigijs sibi meam personam uindiciabunt, ut electi quoque (si fieri possit) in errorem sint adducendi. Sed non audiet uocem alienorum electi, seruante illos meo Spiritu. Obserua. Surgere, est sua sponte prodire, non mitti. Pseudochristi sunt, qui Christum, iustitiam, & regnum Christi adulterant, cauponantur & auctonantur. Pseudoprophetae sunt falsi scripturæ interpretes. Hi scripturæ locis conabuntur suas impias de Christo, & iustitia eius, opiniones defendere. Rursus obserua, his uerbis, Et dabunt, &c. describi potentiam regni Antichristi, & media, per quæ continebit suos in impietate

Studium iu-  
stitiæ tu no-  
bis & aliis  
preciosum  
nobis sit.

Saluator non  
alius expe-  
ctatus Iu-  
dæis, quàm  
carnalis.

Pseudochri-  
sti, simij chri-  
sti.

Surgere pseu-  
dochristorũ.  
Pseudochri-  
sti.  
Pseudopro-  
phetae.



Antichristus. De hac potentia scribitur Danielis. 11. Et prosperabitur usque ad consummationem iræ, &c. uide sequentem textum apud Danielem. Meminit & Paulus huius potentiae, 2. ad Thessal. 2. Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni uirtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eò quòd charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ad hanc potentiam Antichristi pertinet, & referri potest, quicquid & potest, & efficit Satan, siue ad id multum potentiae, siue minus requiratur. Nam Antichristus est secundum operationem Satanæ: id est Satan efficax est in Antichristo. Porro signa à prodigiis sic discerni possunt. Signa sunt, quibus dementat auditores suos Antichristus. Prodigia, quæ præter naturæ proprium cursum accidunt. Quæ magna pronuntiat Euangelista iuxta æstimationem & admirationem hominum. Cum dicitur, ut in errorem, &c. ostenditur finalis causa signorum, & prodigiorum pseudochristorum, & pseudoprophetarum esse error. His uerbis, si fieri potest, consolatur pios, & electos contra scandala prodigiorum & signorum Antichristi. Apostolus loco adducto. 2. ad Thessal. 2. electos excipit. Dicit enim, Satanam fore potentem cum omni deceptione, sed tantum in iis, qui perire debent, propterea quòd dilectionem ueritatis non receperint, in hoc ut salui fierent.

Signa  
Prodigia.

Pseudochri-  
storum sco-  
pus, fallere.

### Ecce prædixi uobis.

Epilogus est, constans epiphonemate, quo Christus attentos reddit suos, ut neque somnolenti sint, neque nimis securos se putent, sed timeant, & uigiles, ac cauti in pietate ambulent. Ecce, quasi dicat, Ego, quo neque futura quisquã nouit melius, neque quisquam uobis fauet impensius, prædixi uobis, hoc est, abundè satis, & maturè satis uos monui: depinxi errores & impostores, quòd facilius cauereris uobis. Hæc præmonitio docet, quàm pij & electi debeant esse cauti. Quia licet non seducantur, & in errorem demum non perducantur, hoc ex se non habent, sed à diuina Christi gratia, quæ non debet illis negligentiae ac temeritatis causam, sed magis diligentiae, ac studij cautionem præbere. Alioqui quid opus erat istis Christi admonitionibus adeò seriis, tamque diligenter ingeminatis, & inculcatis?

Etiam electos  
sibi prospice-  
re in  
modum oportet.

Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

Quod semel dixerat, iterum repetit, sed significantius. Certò igitur (inquit) illa expectate, & solida, ac uiua fide excipite: ut cum dixerint uobis, Ecce in deserto, ut Aegyptius ille Christus sub Fœlice, quem eundem Iudæi Bencubiza uocant, qui & pseudopropheta habuit Rabbi Akiba, quique Rabinis dicebat, Ego Messias, ego Christus, ut ex libro San hedrin ca. halec, Galatinus memorat. qui uolet multa de his cognoscere, legat cap. 21. quarti libri Petri Galatini. Nolite exire, id est, nolite dimoueri à firmitate uestræ fidei: imò ne exite quidem ad audiendum illos. Cum enim secundo suo aduentu Christus ueniet, non erit opus præmonitore, palam ueniet omnibus conspicuus.

Aegyptius  
Christus.

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & parer usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.

Regnum Christi gloriosum, seu secundus Messias aduentus, longè maiore cum luce, & maiestate mundo aderit, quàm, ut mortalibus præconibus indigeat. Nam quemadmodum fulgur, quando apparet mundo, ab omnibus manifestè cernitur, ut pote ab oriente transiens ad occidentem, propter quod non est opus, ut ullo signo monstreretur, aut nuntietur hominibus ac dicatur, Ecce hic, aut ibi est fulgur. Sic & filius hominis manifestè apparebit omnibus, cum iterum aduenierit, ut uideat eum omnis oculus, & neminem latere possit. Quemadmodum fulgure nihil

Christus po-  
stremo suo  
aduentu igno-  
rari non po-  
terit.

celerius, nihil illustrius: ita & secundus Christi aduentus celerrimus, & illustrissimus erit, in momento, in istu oculi. 1. Corinth. 15.

Ubiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Ne solliciti admodum sint electi, quòd eant, & congregentur, ueluti ignari illius loci, ad quem sese recipiant, & ubi Messiam reperiant, percommoda utitur similitudine, & pios consolatur. Quemadmodum (ait) hoc ex natura habent aquilæ, ut ad cadauera, etiam procul disita, sese recipiant: ita sanè electi, uelut aquilæ cælestes, ad me, quòd in sempiternum pascentur, hoc est, fruuntur, omnium cupidissimè obuiam in aëra abripientur. Non sumus igitur solliciti aut anxij, ubi nam locorum agemus, & quòd rapiemur. Fiduciam habeamus in Christum ad quem rapiemur, & cum illo erimus, ubi ubi ille sit futurus. Aquila locorum rationem non habet, sed cadaueris, ad quòd uolat absque ullo locorum discrimine, contenta reperisse cadauer: ita & Christiani hoc uno debent esse contenti, quòd apud Christum perpetuò sunt futuri. Volo (inquit) pater (ait alibi Christus) ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus.

Christum unum  
quærentes,  
Christum, ubi  
ibi sit, inuenient.

Statim autem post tribulationem dierum illorum.

De ultimo iudicio, & consummatione seculi plenius iam differit. Statim post destructionem cepit mysterium Antichristi operari, & fundamenta iacere per Arrianos, Mahometistas, & hæreticorum seu Antichristi præambulonum sectas, operabiturque ac proficiet in peius. Et imminente secundo Christi aduentu, hæc, quæ hic scribuntur, signa erunt. Quæ tamen certissimè futura sunt, constitutum tamen, ac certum tempus sui aduentus noluit Christus significare. Vult enim omni momento suos ad hinc migrandum paratos esse, eosque omni hora illum expectare: ideo tam suis, quàm Apostolorum sermonibus, nò longè abesse diem suum palam uoluit prædicari. 1. Pet. 4. Omnium autem finis appropinquabit. Estote itaque prudentes, & uigilate in orationibus. Et. 2. Thessal. 2. Rogamus autem uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut nò citò moueamini à uestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi in istis dies Domini. Ne quis uos seducat ullo modo, quoniam nisi uenerit discessio, &c. Post desolationem igitur illam gentis Iudaicæ nulla similis expectanda est, sed statim (quanquam tempore incerto, & cum homines nihil tale cogitabant) aderit finis seculi, quo redibo iudicaturus omnem carnem.

Christus nos  
in primis  
uult paratos  
esse ad mi-  
grandū hinc

Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur.

Diuus Chrysostomus solis & lunæ obscuracionem sic futuram esse opinatur, ut non in se amissa propria luce obtenebrentur, sed per maiorem aduentus Christi lucem obscurentur. Alij uerò ipsis solis ac lunæ corporibus, deficiente ipsorum luce, obscuracionem hanc futuram esse credunt. Fortassis ergo non absolum fuerit simplicitatem uerborum Iesu Christi excipere, ac retinere, ut dicamus, solem re ipsa obscurandum, lunam certò lumen suum amissuram, & stellæ haud dubiè casuras de cælo, cælorumque uirtutes mouendas esse. Dixit nanque ille ita futurum, ergo ita fiet. Quid opus est disputare de modo, quo illa uentura sint signa? Nihil profectò certius, quàm seruitutem hanc creaturarum, qua uanitati subiecta sunt, cessaturam, inque aliam conditionem tempore liberationis, ac gloriæ filiorum Dei, commutadam: de qua Paulus mentionem facit ad Roma. 8. Vanitati subiecta est omnis creatura. & psal. 101. & 2. Pet. ultimo. Per uirtutes cælorum intelligunt uires naturales, & influentias, quæ corporibus insunt cælestibus, & quibus potenter agunt in hæc inferiora. Similiter & per illas significatur nobis classicum illud, quod describit Apostolus, uenturum Christum scribens. 1. ad Thess. 4. Ipse

Sol & Luna  
quomodo oc-  
cidente mun-  
do obscura-  
buntur.

Virtutes cæ-  
lorum.



Dominus in iussu, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. Et meritò quidem commouebuntur (ait Chrysostomus, ex libro Iob. 38. cap. coniecturam huius sententiæ colligens) cum tantam mutationem rerum fieri perspicient. Nam si quando factæ sunt stellæ, & creata astra, ita miracula tanta obstupescerunt Angelos, ut ea de re dictum sit Iob. 38. Quando nara sunt stellæ, magna uoce me omnes Angeli mei laudarunt, multò magis mirabuntur, tunc uniuersa commutari, conseruos rationem uitæ referre, orbem omnem terribili adstantem tribunali, ac omnes, qui ab Adam ad aduentum usque illum facti sunt, operum rationes reddentes. Hactenus ille. Nò desunt, qui hæc omnia per *σοφολογίαν*, ut Origenes & Ambrosius, intelligant: idque rectè, si internis (ut facilè fit) animorum hominum afflictionibus, & tenebris cordis accommodentur. Animaduertendum autem, quòd cum hic Christus de futuris calamitatibus propheteret, utitur etiam *επιφρασι*, qua prophetae solent affectum eorum, qui insigni aliqua calamitate affliguntur, describere. Describunt autem hunc per tenebras solis, & lunæ, ac per molestiam stellarum. Isaias 13. cap. descripturus luctum Babyloniorum in illorum urbis deuastatione, ait: Ecce dies Domini ueniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandet lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Ezechiel quoque, cum exponeret ingentis tenebras, seu afflictiones, quas Aegyptij propter regionis suæ deuastationem perpessuri erant, ait. 32. cap. Operiam (cum extinctus fueris) cœlos, & nigrescere faciam stellæ eius. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus: cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. Hæc certè est descriptio tenebrarum, non quæ extrinsecus accidit luminaribus cœli, sed quæ intrinsecus accidit afflicto animo. Cum enim animus humanus premitur ingenti aliqua calamitate, ibi tum etiam lumen ipsum, quantum uis splendidum, uideatur esse extinctum. Est & hæc loquendi phrasîs uulgò solennis, ut quem significare uolunt infortunatum, ac infelicem, eum dicant nullam habere stellam, quæ ipsi luceat. Iam autem, si ad malos, qui hodie de hominibus triumphant, affectus respexeris, facilè coniciies diem Domini esse proximum. Nam si quis cunctas historias euoluat, haud quaquã à Christo nato simile seculum ei, quod proximis atq; his annis uidemus, inueniet, expensis simul rebus omnibus. Obserua: uirtus interdum ponitur pro fortitudine, siue potentia. Ut psal. 13. Domine uirtus salutis meæ, hoc est, tu es mea fortitudo, & salus mea. Ad Hebr. 2. pro potentia, maiestate, auctoritate, & libertate, cum agendi, tum dicendi. Act. 4. cap. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis. Virtutes interdum ponuntur pro exercitiis, uel ornatu: ut sunt stellæ & lumen, ut psal. 148. Laudate eum omnes uirtutes eius. Unde uirtutes cœlorum scriptura bifariam capit. Primò, ut intelligas per uirtutes cœlorum, cœlos uirtute præditos, uel potentes, ut qui uirtute omnes creaturas superent. Omnes nanque reliquæ creaturæ, quæ sub cœlo sunt, à luce, calore, & motu cœlorum mouentur, & uirtutem accipiunt. Quid enim mundus esset absq; cœlo aliud, quàm uastum, squallidum, ac terrum desertum? Eadem ratione scriptura & principes, & magistratus, uirtutes appellat, uim quòd regunt, & sua uel uirtute subditos gubernant, atque gnauos ad opera reddunt. Alio modo uirtutes cœlorum tantundem significant, atque cœlorum exercitus, uel ornatus, iuxta illud psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus, id est, omnis exercitus, eorum. Et Genes. 1. Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis uirtus, id est, omnis exercitus, eorum. Hoc loco per uirtutes cœlorum simpliciter intelligo commotionem illam cœlorum, præcessuram proximè aduentum Christi, aut in ipso eius aduentu futuram.

Et tunc

Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.

Alludit ad morem regum, ac principum huius seculi, qui in militiâ ac pugnam egressuri, prius signa, ad quæ miles spectet ac congregetur, proferunt. Hæc & urbium portis infixa, regnantium dominium, ac potestatem indicant. Ita tunc, id est, cum facta fuerit uirtutum commotio, signum filij hominis, id est, crux, siue signum crucis, in qua filius hominis, id est, Iesus Christus, Deus & homo, exaltatus & clarificatus fuit, apparebit in cœlo, id est, in nubibus, significans Iesum hunc crucifixum, Dominum esse cœli & terræ, ut qui nunc credere nolunt, tunc ipsis suis oculis uideant, & perhorrescant. Apoc. 1. Ecce uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Triumphale erit hoc crucis signum, & uictoriæ symbolum contra omnes impios, ipsumque mundi principem, & simul ad liberationem electorum erigetur, ita scilicet, ut quod nunc Iudæis est scâdalum, & gentibus stultitia, cum summo tum honore ad nunquam finiendum impiorum terrorem, ac mœrorem, apparebit. Crux sole fulgentior uidebitur, ait Chrysostomus. Obscurabitur enim sol, crux autem apparebit, quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Obserua, cum dicitur, filij hominis, tantundem dici ac si dicatur, qui nunc, ut contempta & uilis persona, ab impiis habetur. Tunc autem impij uidebunt ipsum iudicem ueniẽtem ad sui confusionem. Nam nò erit tum locus pœnitentiæ. Nota est uulgaris & trita parœmia, Serò sapiunt Phryges.

Et tunc plangent omnes tribus terræ.

Prædicat, quid futurum est impiis, id est, incredulis, per omnes tribus terræ, id est, terrenis, & carnalibus hominibus, qui tenebras luci præferunt. Per omnes tribus terræ, per synecdochen intelligit reprobos. Nam pij cum Christo rege congregabuntur, & Christo obuiam rapiuntur in aëra ineffabili cum gloria: impij uerò plangent, id est, præ inconsolabili mentis angustia, doloris magnitudine, & impatientia gement, & seipos affligent. Id enim significat uerbum *κλῆρομαι*, quo hic utitur. Hoc explicat Lucas. 21. dicens, arescentibus hominibus præ timore. Hic tabescere siue arescere est, ad id illa, quæ orbi superuentura sunt, expauescere, & horrere, ut ferè præ timore moriantur, aut ad mortem proximè accedant, ut denique terror ille omnem succum corporis uoret, & uirtutem depascatur, faciãtque planè huiusmodi homines arescere, & tabescere. Huc pertinet, quod scribitur Apoc. 1. Et plangent super se omnes tribus terræ. Obserua: cum ait, & tunc, quasi dicat, qui nunc oblatam gratiam regni respuunt, & contemnunt illius ministros, olim uidebunt, quid contempserint, & plangent, quemadmodum facinorosi qui nullis admonitionibus emendari sustinent, hi ubi se conuictos, ac condemnatos, latæque sententia in manus licitoris tradi uident, tum primùm amarè plangunt, ubi nullus amplius est plangendi fructus. Dum igitur tempus habemus, operemur bonum: nec differamus sententiam in id tempus, ubi non erit amplius pœnitentiæ locus.

Et uidebunt filium hominis, ueniẽtem in nubibus cœli, cum uirtute multa, &amp; maiestate.

Uidebunt pij, & fruuntur Christo cum lætitiâ ineffabili. Videbunt autem impij filium hominis, quem contempserint, & transfixerint, ueniẽtem ad iudicium cum uirtute & maiestate, id est, cum potentia summa, & claritate magna: nempe in gloria Patris, & cum omnibus Angelis, & exercitibus cœlestibus: tanta uis instructum, ut nulla ei possit resistere creatura, nulla uis atque uirtus orbis. Ita & infra. 26. dicit, A modo uidebitis filium hominis, ueniẽtem in nubibus cœli, cum potestate magna. Ita & Ioan. 19. propheta citatur, uidebunt in quem transfixerunt. Videbunt conspicuè, & aperte: id quod etiam declarant uoces, in nubibus cœli, id est, uisibiliter & conspicuè. Obserua: uidebunt filium hominis. Nam Do-

R R r

Calamitas per tenebras in scripturis significatur.

Dies Domini in Ianuis.

Virtus pro fortitudine &amp; potentia.

Virtutes, quod dicitur.

Virtus cuiuslibet rei sua à cœlorum motu.

Signum filij hominis.

Simile.

Respicentia non differenda.

Christus, omnibus conspicuus futurus in die nouissimo.



minus noster humanam naturam non deposuit, cum caelos ascendit: clarificauit quidem eam, sed illa clarificatione non deponitur aut annihilatur. In eadem ergo forma & substantia descendit, & ueniet iudicaturus, qua ascendit in caelum. Sic ueniet (dicebant Angeli Act. 1.) quemadmodum uidistis eum ascendentem in caelum. Videntur autem haec uerba desumpta esse ex Danielis. 7. cap. dicentis, Ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis ueniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, &c. Meminit huius aduentus in iudicium gloriosi paulo copiosius S. Paulus 2. Thess. 1. Obserua secundum aduentum non in humilitate, ut priorem, sed in maiestate futurum.

Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna.

Resurrectio  
mortuorum,  
angelorum  
ministerio  
perficienda.

Ostensus Christus magnificentiam, & gloriam potestatis suae, utetur Angelis pro ministris suis, quos emittet per uniuersum orbem, cum tuba, & uoce magna: nimirum ut uoce ualidissima personantes per orbem, inclament uocem illam magnae uirtutis, Surgite mortui, uenite ad iudicium: & perficietur horum ministerio mortuorum resurrectio. Alludit ad mores potentissimorum principum, euocantium ministros suos per tubae clangorem ad standum coram rege. 1. Thess. 4. Ipse Dominus in iussu, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet.

Et congregabunt electos eius a quatuor uentis, a summis caelorum, usque ad terminos eorum.

Vbi ubi locorum delituerint siue corpora, siue animae hominum, tunc certe conueniuntur. 1. Thessal. 4. Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui uiuimus, qui relinquitur, simul rapiemur cum illis, in nubibus, obuiam Christo in aera. Cum dicitur, a summis caelorum, &c. intelligimus nihil esse in orbe, quod possit latere iudicem Deum: neque ullam creaturam posse iudicium Domini subterfugere, praeterquam nulla sanctorum corpora, ut ut discerpta sint, atque dispersa in mundo, uel relinqui, uel amitti posse. Vnde si rogaueris, dicens: Congregabuntur quidem, sed unde, & quod? Respondetur, a quatuor uentis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. In Marco 13. a summo terra, usque ad summum caeli. Perinde atque dicat, vnde cumque terrarum congregabuntur. Nemo relinquetur, ubicunque sit, & quocunque modo interierit, dum modò ex electis sit. Quoniam autem congregabuntur electi? obuiam Christo in aera ibunt: & ut paulò antè dictum est, Vbi cadauer est, illò congregantur aquilae. Impij uerò congregati in terra, & perpetuis tenebris obuoluti, audita sententia, Ite maledicti, &c. praecipites ibunt in ignem, paratum diabolo, & angelis eius.

Ab arbore autem ficu discite parabolam.

Similitudine Christus confirmat certitudinem signorum, & aduentus sui. Potest & ad Iudaeos dirigi parabola, ne sint somnolenti ad obseruationem harum rerum, quarum Christus haecenus meminit. Discite similitudinem a ficu, & ex similitudine discite conicere instans uestri excidij, aut futurae consummationis tempus.

Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè est aestas: ita & uos, cum uideritis haec omnia, scitote, quia propè est in ianuis.

Ex germinatione ficus, cum iam ramo tenerescente protrudit gemmas, ac folia quodammodo parturit, ceu ex iudiciis certissimis, colligitis propè esse aetatem, & certi estis, hanc non procul abesse: ita ex signis, quae praedixi futura, discite tum urbis excidium, tum consummationem seculi proximam. Nam cum uideritis turbas, clades, pestes, famas, seditiones, prauas doctrinas, seductores agminatim

oriri, & irruere in uos: Romanum item exercitum transportari in Syriam, & occupare terram sanctam, iam scitote excidium esse pro foribus: hoc est, esse in proximo. Similiter cum uideritis solem obscurari, uirtutes caelorum commoueri, & reliqua, quae praedixi uobis, fieri, certo argumento colligere poteritis, quod propinquus sit aduentus meus, & iudicij, & consummationis seculi dies immineat. Sic tamen, ut quemadmodum uisus in arbore ficu gemmis non cuestigio plenam aetatem, sed statim florem, inde ficuum incrementum, & demum suo tempore ficus maturas, atque iustam aetatem affore scimus: ita agnoscamus & quae Christus hic praedixit, non simul, sed ordine cuncta esse complenda, ut uisus prioribus, proxima continuo affutura non dubitemus, donec & postrema eueniant. Ita cum discipuli primùm statim uiderunt, quosdam sese extollere, & ceu quilibet eorum Christus esset, uendicare, & multos seducere, agnouerunt mox bella, & rumores sequuturos, non tamen continuo uastandam Ierusalem, atque Iudaeorum gentem, sed se ante multas persecutionibus agitandos, atque Euangelium ubique praedicandum: inde futuram desolationem urbis sanctae expectarunt: postea inualituras multas pseudochristianorum, & pseudoprophetarum imposturas intellexerunt, & post illa nihil aliud nouum, aut insigne, quam diem extremum, futurum crediderunt. Ad eundem modum cum ficus pridem nobis defloruerit, & multa sciamus eorum, quae hic Dominus praedixit, euenisse, debemus agnoscere in foribus adesse regnum Dei, & diem Domini. Quare omni momento expectandus est Dominus, atque ideo uigilandum est & pietati uigilantissimè studendum. Obserua Dominum multa praedixisse hic, quorum aliqua antè multa secula contigerunt, quaedam etià hodie experimur, & experiemur postea. Nonnulla in extremo tandem die euenient. Vnde colligimus Dominum, haec praedicentem, uoluisse suos praemunire, quocunque seculo fuerint, contra futuras tentationes, atque reddere in studio pietatis sollicitos & uigilantes. In Marco enim. 13. ita finit sermonem, Quod autem uobis dico, omnibus dico, uigilate. Aduerte: In ianuis, siue in foribus esse dicitur, allegorici prouerbiali, id quod instare praeforibus, siue esse in proximo significamus. Rursus obserua haec uerba, ita & uos, cum uideritis, &c. esse accommodationem similitudinis ad praedicta signa. Possumus & ex hac similitudine discere, quid pijs de afflictionibus suis sentiendum sit. Cum arbores (ait Dominus) protrudunt gemmas, agnoscitis ex ipsis, quod instet aestas: sic & uos, cum uideritis haec fieri, hoc est, cum afflictiones (de quibus dixi) uobis acciderint, agnoscite regnum Dei iam praesto adesse. Regnum Dei, est praedicatio Euangelij: Regnum Dei, est reuelatio Euangelij de Christo in toto orbe terrarum. Euangelio enim regnat Deus in terra: Euangelio, perueniunt credentes ad regnum Dei. Euangelium autem Christi tunc maximè omnium in toto terrarum orbe promouit, cum Apostoli eiicerentur à Iudaea, & Ecclesia à Iudaeis uirulento odio dispergeretur. Quare Christus persecutionem, quae Apostolis accidit, aptissimè uocat gemmam. Ex gemmis arborum agnoscitur imminere aestas, quae tanta potentia irruit, ut nullius monarchae uiribus inhiberi queat. Ita ex persecutione, quae Apostolis accidit, Euangelium tanta potentia totum orbem inuasit, ut nec Iudaei, nec gentes cursum eius impedire potuerint. Itaque persecutio gemma est: afflictio, germinatio est. Imperitus rerum hortulanus, cum uidet in arbore gemmas turgidas, existimat potius ulcera esse, qualia multa saepe in corpore humano enasci solent, quam germinationem fructus. At gnarus rerum olitor nouit eas esse fructibus grauidas, & intelligit ex ipsis fructum per aetatem futurum. Sic, & impij, diuinarum rerum imperiti, putant afflictiones magis esse perditiones, quam organa salutis. Pij uerò intelligunt ex uerbo Dei afflictiones praegnantem esse optimis quibusque fructibus. Vera enim salus, vera redemptio, perpetuaque felicitas, ea sunt ficus, quae per gemmas afflictionum transeunt, seu proferuntur. Apostoli, cum discederent caesi à concilio Pontificum & Phariseo-

Esse in ianuis

Regni Dei, quid.

Per Euangelium regnat Deus.

Simile.

Afflictiones salutis parentes.



rum, gaudebant (inquit Lucas in actis) quod digni essent habiti, qui pro nomine Christi contumelia afficerentur. An non hoc loco Apostoli duxerunt contumeliā & persecutiones pro gemmis optimo fructu tumidis? Stephanus, cum lapidaretur confidentissimo animo in cœlum suspiciens, ait, Ecce uideo cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. Quid hoc aliud est, quàm in gemma lapidationis uide-  
 re fructum felicitatis? Paulus uocat mortem, lucrum, mori (inquit Philip. 1.) mihi lucrum est. Ergo mors hominis pij, turgida gemma est, quæ fert fructum cœlestis gaudij. Quare gemmæ arboris & corporis spiritali oculo aspiciendæ sunt, ut ex germinationibus discamus rationem nostrarum afflictionum, & concipiamus firmam in omnibus aduersis patientiam. Responsabis: Si afflictiones sunt gemmæ fructibus turgidæ, si afflictiones sunt utiles ad profectum Ecclesiæ, & ad consequendam salutem, cur deprecamur afflictiones? Cur petimus, ut Deus liberet nos à bellis, nunc à fame, nunc à peste, nunc ab aliis tam publicis, quàm priuatis malis? Cur nõ potius oramus, ut mala subinde grauiora nobis contingant? Certè non iussit nos Deus orare, ut mala augeantur, sed ut à malis liberemur. Non iussit peti bellum contra pacem: sed pacem, contra bellum. Non uoluit ut precemur, sed ut deprecemur famem, & id genus alia aduersa. Ieremiæ. 29. Quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare uos feci: & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius, erit pax uobis. Et. 1. Timot. 2. Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Et in psalm. 9. Inuoca me (inquit) in die tribulationis. Quid? ut augeam tribulationem? Minimè omnium: sed, ut erua te, & honorificabis me. Itaque obsequendum est uocationi Dei, & orandum, non ut coniciat nos in mala, sed ut liberet nos à malo. Afflictiones enim natura sua sunt argumenta perditionis & interitus: adeoque una quæuis afflictio, siue corporalis siue spiritalis homini peccatori ueluti quidam iudex est & concionator, quid propter peccatum suum & ingratitude commereatur, annuntians. Sunt enim incommoda huius seculi stipendia peccati, & una cum peccato in orbem introierunt. Quod autem fiat in piis organa salutis, hoc est, non naturam ipsorum, sed redemptori nostro Iesu Christo acceptum ferendum, qui cum suscepit in se stipendia peccati, absque ullo peccato, sanctificauit in nobis afflictiones, ut sint credentibus in ipsum nuntius uitæ, & uia ad cœlum. Cum igitur afflictiones naturam suam representent perditionem, & absente Christi gratia pariant adferantque ruinam, non est orandum ut contingant nobis afflictiones, ne uideamur Deum præsumptione nostri tentare: sed si contigerint, forti animo per fidem uiuam ferendæ sunt: & interim orandum, ut liberet nos Deus à malo.

## Amen dico uobis.

Confirmat Christus suos, & per eos, nos omnes de certitudine & signorum & aduentus sui: idque facit iureiurando, & more prophético ne de rebus tantis uel tantillum dubitarent, aut tanquam uanas, & inflatas bullas contemnant. Amen dico uobis, seu pro certo habetote, futura, quæ prædixi. Nolite sentire ea in longum tempus differenda, unde ignaui, & socordes efficiamini ad sectandam uocationem uestram. In Ezechiele, cum prædiceretur per Babylonios futura urbis Ierusalem deuastatio, dicunt contemtores, Visio, quam hic uidet, in dies multos est, & in tempora longa iste propheta. Infrà in hoc cap. Matth. seruus malus dicens in corde suo, Moratur Dominus meus uenire, incipit percutere conseruos, & edere, ac bibere cum ebrjis. 2. Pet. 3. dicunt illusores, qui iuxta concupiscentias suas ambulat, Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Quare ne eodem affectu discipuli hæc uaticinia quæ prædixit, contemnant, neue existiment ea post multa secula, post mul-

Stultos & imprudentes obruit nõ præuisa tribulatio.

Afflictiones nostræ sanctificat, & beatificæ factæ per Christum. Afflictiones non petendæ.

Deus iussit oratione nos uti ad deprecandam aduersa.

Afflictiones quare deprecamur & fugimus.

Crux, gemma est, certo fructum salutis allatura.

tas annorum myriades euentura, & ignauiter officium suum faciunt, excitat eos Christus, cum asseueratione uaticinij sui, qua monet eos, ut certi sint signa illa futura, propterea uigilent, & officium suum strenuè impleant.

Quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant.

Hæc generatio, id est, hæc ætas, siue hoc seculum, in quo Christus, hæc narras, agebat: nõ præteribit, nõ excidet, donec hæc omnia fiant. Id est, Omnia hæc, quæ prædixi de urbis Ierusalem deuastatione, & Iudaicæ gentis interitu, tam certò, tamque citò euenient, ut multi ex iis hominibus, qui nunc uitam agunt, perueniant ætate sua ad id tempus, quo implebuntur. Nam intra annos 43. excisa est ciuitas sancta, cum templo, atque uniuerso populo. Non autem eueniet horum hominum generationi, quod prædixi de aduentu filij hominis in maiestate ad extremum iudicium. Huius enim aduentus per occasionem tantum memini, nec institueram de eo concionem. Sed præcipuum concionis meæ argumentum fuit de urbis Ierusalem deuastatione, & de Iudaicæ gentis interuisione. Non desunt, qui locum hunc intelligant de generatione Iudæorum, quod sit tandiu permansura, donec hæc omnia fiant, hoc est, non sit prorsus interitura, usque ad finem mundi: ut qui ex generatione ista Iudaica erunt in tempore consummationi proximo superstites, uideant impleri hæc omnia. Aut hæc generatio fidelium (ut de hominum illius ætatis generatione intelligatur) non deficiet, donec omnia impleantur, quoniam usque ad consummationem seculi persistabit Ecclesia. Unde qui in nouissimis temporibus sunt uenturi fideles, uerè hæc omnia impleri uidebunt. Et hæc est generatio quærentium Dominum. Porro omnes hæc interpretationes bonæ sunt, & à doctis exceptæ. Sed ad cognitionem primæ interpretationis obseruandum est, *generatio* siue generationem, iuxta phrasim Hebraicam accipi, pro duratione uitæ hominis, siue memoria (ut nunc dicunt) hominum. Et apud Græcos aliquoties accipi non pro ipsa natione seu gente, sed pro eo quod Latini nunc ætatem uocant, nunc memoriam, nonnunquam & seculum. Genes. 15. cap. quatuor generationes, & quater centum anni, pro eodem accipiuntur. Vbi apertè generationem pro seculo, id est, spacio centum annorum usurpari uides. Et Nestor *φῆς ἡνείκα* uixisse legitur, quod tres hominum ætates durauerat. Ad eum modum uidetur dixisse Christus hoc loco, non præterituram eam (in qua tum uiuebat) ætatem, donec omnia illa fierent. Huic interpretationi subscribit diuus Remigius dicens, De illa generatione æstimant dicta, quæ passionem Christi aspexit, quod non esset transitura prius, quàm fieret destructio ciuitatis illius.

Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.

Ut certitudinem uaticinij sui adhuc magis asseueret & confirmet, producit elementa firmissima, ut per collationem occultam significet certitudinem & immobilitatem uerbi Dei. Cœlum & terra nullis concuti possunt uiribus. Stant suis legibus & fundamentis subnixæ immobiliter. Firmissimum est Domini uerbum, quod nulla dissolui potest orbis potentia. Cœlum & terra transibunt, non abolitione sui, sed mutatione ueteris corruptionis, contractæ propter lapsum hominis, Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut uestimentum, ueterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Quia abiicient uestimentum corruptionis, & induent nouam uestem incorruptionis: hoc est, liberabuntur à uanitate, ut Paulus ait Roma. 8. & uindicabuntur in libertatem gloriæ filiorum Dei. In Isaia. 65. ait Dominus, Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, &c. Et quomodo hæc intelligantur explicat Petrus 2. 3. Mutabuntur ergo cœli, & terra, dum innouabuntur. Iuxta illud Apoc. 21. Vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit. Porro uerbum Dei

R R r iij

Generatio p ætate hominum.

Cœli & terra quomodo transibunt.



Verbum Dei  
immutabile.

mutari uel in minimo nequit. Nam manet in aeternum. Sensus ergo est, Caelum & terra mutabuntur, ut meliora fiant, & non nihil perfectionis acquirant. Verbum autem meum tale est, ut perfectius esse non possit, unde & immutabile est. Impossibile ergo est, illud non impleri. Proinde collationem occultam habet haec oratio, quam exponens Chrysostomus uerbis apertioribus, Facilius (inquit) haec firma, & immobilia destruentur, quam uerba mea possint decidere. His subiungendum uideatur, sed non destruentur illa: itaque nullo modo quicquam decedet uerbo Dei. Ergo nec uaticinium hoc capite expressum, nec uerbum seu Euangelium Christi de remissione peccatorum, de liberatione in omnibus afflictionibus, ac de perpetua salute credentium in Christum, antiquabitur aut conuelleretur. Verbum Dei iam antea tantam sui potentiam monstrauit, ut, etsi nondum aduenerit nouissimus huius seculi dies, quo caeli, & terra mutabuntur, tamē interea temporis saepenumero uerbum coegerit caelum & terram cedere, quōd ipsum promoueretur. Dixit quondam Elias ex uerbo Dei, Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu isto, si erit annis his ros, & pluuia. Quid factum est? ut uerbum Dei procederet, necesse habuit caelum obedire, hoc est contra naturam ordinem claudi, & negare imbrem. Verbum Dei promiserat Iosue uictoriam de regibus Amorrhæorum, & cum sol citius occideret, quam uictoria reportaretur, coactus fuit ex uerbo Domini stare, donec ulcisceretur se Iosue de inimicis suis. Verbum Dei iusserat Israelitas ex Aegypto in desertum proficisci, & promiserat opem ac tutelam. Quare, ut uerbum Domini uerax maneret, necesse habuit caelum manna, cui aptum, plueret. Sic & terra, & mare ipsum cesserunt uerbo Dei. Mare diuisum est, ut Israeliticis pedibus transirent. Terra arida, & sicca dedit in deserto, praeter naturam suam, fontem aquae, tantum ut uerbum Dei promoueret. Quid ergo uerbo Dei potentius? Quid item eo certius? Si igitur uerbum ita, quod Christus dixit de interitu Iudæorum, tantae fuit firmitatis, & ueritatis, quantae obsecro erit firmitatis uerbum misericordiae eius?

De die autem illa, & hora, nemo scit, neque angeli caelorum, nisi Pater solus.

In prognos-  
tas & praedi-  
ctores ultimi  
iudicij.

Christus occupat, ut dicat de tempore aduentus sui, ne certum tempus constituentes, & de articulo temporis aduentus eius diuinantes, fallamur, sicut facile falsi sunt, qui olim certa tempora constituerunt: contra quos scripsit Paulus. 1. Thessal. 5. & 2. Thessal. 2. & hodie scribitur contra Anabaptistas, & alios, qui ex falsa supputatione temporum in Daniele, ridiculè errant. Rogatis (inquit) o Apostoli mei, quando haec erunt. Soli Deo temporis huius articulus cognitus est. Nemo scit, neque angeli caelorum, id est, neque quicquam est tam excellens uel in caelo, uel in terra, cui Deus articulum illius diei reuelarit. Quare uestrum erit, omni curiositate posita, nihil rimari, uel perquirere de extremae diei puncto uel momento. Satis fuerit sanctis, scire, atque credere, Dominum uenturum in iudicium: necessarium item, ut ad eius aduentum sese praepararent sobrietate, fide, & precibus. Cum dicitur: nisi solus Pater, apertum est ex Mar. 13. quod dictio exclusiua, solus, excludit à filio scientiam dici illius, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem. Estque hic sermo de notitia naturali. Solus enim Deus nouit sua naturali notitia tempora & momenta, quae posuit in sua potestate. Nullus siquidem naturalis sua notitia nouit consilium Dei, nisi spiritus Dei. Cum hac tamen ueritate sit, ut Iesus etiam ut homo, sciat notitia supernaturali diem illum. Et tamen si tū etiam sciret, non tamen sciebat, ut tunc discipulis indicaret. Sicut dictum est ad Abraham, Nunc cognoui, quoniam times Deum: id est, nunc feci, ut cognosceres, quia & ipse in illa tentatione tibi innotui.

Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis.

Verbo Dei  
omnia cedūtExempla po-  
tentiae uerbi  
Dei.Dei unij est  
praescire futu-  
ra.

Exemplo declarat Christus, quis status erit in mundo circa aduentum suum, & quid quomodoque iudicabit mundus de signis aduentus sui. De signis enim causabitur, ea uel esse profus naturae opera, uel ex temporis ratione, aut ex astrologico siderum cursu euenire, aut non per uniuersum orbem accidere, uel simile aliquid: unde postea & aduentum Christi aut ridebit, aut contemnet, & se in statu maxime securo esse putabit. Remitaque gestam Dominus, & quae accidit olim uniuerso orbi, & antequam fieret, futura non credebatur, eò commemorat, ut qui futura non credunt, uel ex praeterito isto exemplo commoueantur. Lucas. 17. cap. his coniungit exemplum Loth. De his firmentio. 2. Petr. 2. ad commouendos eos, qui impiè acturi sunt. Obserua collationem hanc temporis aduentus Christi ad tempus Noe, & diluuij, significare posteriorum temporum singularem malitiam. Moses scribit Genes. 6. quam fuerint temporibus Noe omnia corrupta, quod uniuersa caro corruerat uiam suam, terraque repleta erat iniquitate, ita ut pœnituerit Deum, quod fecisset hominem, proposueritque ipse delere de terra uniuersam carnem. Haec autem plena, & consummata malitia non subito in plenitudinem euasit, sed quasi quibusdam gradibus temporum & progressibus adoleuit, quotidie auctior malorum ingeniorum, pessimorumque morum incrementis facta. Ad hunc modum & postrema tempora habebunt, ut malitia hominum instar cancri, quotidianis auctibus crescat, donec ad summum usque euadat, & pleno consummatoque impetu passim & ubique regnet, sic ut de ipsa dici queant, quae de malitia priorum temporum dicta sunt. Porro si quis eleuauerit caput suum, ut Christus ait apud Lucam, Leuate capita uestra, & contulerit, quae his proximis quadraginta annis acta sunt, & fieri non cessant, coniciet profecto diem nouissimum haud procul abesse. Passim laruatam, & uenalem uidebit iustitiam, oppressam Ecclesiam: & ferè omnia pretio exponi, quae maxime gratis distribuenda sunt. Tantopere nunquam, tamque passim, tantoque pretio aedificatum & plantatum legimus. Nunquam tam lautis, tam uariis, tamque pretiosishomines studuerunt. Luxus uestium eò excessit, ut amplius excrecere eum profus sit impossibile. Porro mercatorum, qui totum orbem circueunt, & simul arrodunt, similes artes, ac studia, quis, uel à condito unquam orbe, legit? Ad haec nullae artes propemodum non exactiores ac questuosiores euaserunt, quam unquam fuerint, ut nemo queat dubitare, ad summum eas accessisse. Pictoria, scriptoria, & ars plumaria & phrygionica, à Christi natiuitate nunquam subtiliores fuerunt. Denique ea nunc emergunt ingenia, quae nihil non erunt, ut adolecentes hodie uideas plus minus annos natos uiginti, plus eruditionis habere, quam paulò antè hoc seculum uiginti etiam seniores, & qui uidebantur aliquid esse. Linguae prodeunt quoque, & omnium rerum cognitio, omnifariaque sapientia, & industria ita hoc seculo incrementa accipiunt, ut nemo inficiari queat, orbem in iis, quae ad praesentem uitam commodè transigendam ac fouendam pertinent, uel, ut Christus uocat, curas huius uitae, cuiusmodi sunt edere, bibere, aedificare, plantare, emere, uendere, uxorem, ac liberos habere, & alere eò peruenisse, ut qui uis uideat, id quod & passim dicunt, non posse ultra prouchi studia ista huius seculi, sed eò excreuisse, ut ea concidere oporteat, aut aliquam insignem accipere immutationem. Taceo noua illa inuenta, ut est ars chalcographica, usus bombardarum, ac alia innumera tam in rebus bellicis, quam in aliis. Sed & non solum in profanis, uerum etiam in spiritualibus, omnia ad summum perueniunt: tantum sectarum, errorum, haeresium, peccatorum, ac mendaciorum nunquam à condito orbe uisum est, quibus innumeræ animarum myriades ad inferos impelluntur, ut uideatur totus orbis daemone derelictus. Et, ut semel dicam, uix fieri potest, ut mendacia impudentiora, errores magis perniciosi, horribiliores caecitates ac blasphemiae obstinatiora contingere posthac queant, quam pridem contigisse uidimus per quosdam Neochristianos, Atheos, & magni Antichristi praëambulones haereticos, & schis-

Signa nouissimi  
aduentus  
Christi mun-  
do contem-  
pui & risui  
futura.Malitia mudi  
lentis in-  
crementis ad  
summum eua-  
dit.Dies nouissi-  
mus non pro-  
cul abest.Horum no-  
strorum tem-  
porum mali-  
tia & iniqui-  
tas quanta.Eò excreuis-  
se studia hu-  
ius mundi,  
ut immutari  
ea necesse sit



maticos. Horum certè (prò dolor) maiora, & atrociora sunt scelera, & magis horrenda blasphemia, quam ut caelum diutius sustineat aspicere. Prouocant diem Domini, diuinæque ultioni insultant: ut uix fieri possit, quin breui sit ipse uelut laqueus superuenturus. Si solus esset luxus, ut ante diluuium, non ita inducerem animum meum ad coniciendum diem illum propterea imminere. Sed cum Satanæ ministri cultum Dei, uerbum Dei, sacramenta Dei, filios Dei, imò (ut uerè dicam) quicquid Dei est, & ad sacrosanctam matrem Ecclesiam pertinet, euerunt, pessumdent, damnent, & blasphemant, certè mihi facile persuadeo, finem huius deploratae malitiæ citius omnium opinione assecurum, & Christum haud diu moraturum. Taceo hic crassa illa flagitia, libidines, caedes, perfidiam, auaritia ac similia: quæ eò creuerunt, ut nullus horum uel pudor uel metus reliquus sit. Quis non uidet hæc signa portendere, aduentum Christi pro foribus esse?

Quibus rationibus credendus sit dies Domini ab eis se non procul

Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt, donec uenit diluuium, & tulit omnes. Ita erit & aduentus filij hominis.

Non damnat bibere, comedere, & nuptui tradere, plantare, & ædificare, cum ista omnia sint à Deo ordinata, sed securitatem illam maximam reprehendit, qua declarabant se non esse sollicitos de futuro exitio, & animum suum nullius exitij prouidum, sed omnium securum. Quod enim regnatura sit ante aduentum Christi summa securitas, testatur Apostolus. i. Thessa. 5. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Horum igitur uerborum sensus est de impiis, deque licentia, & abusu rerum licitarum. Fides, timor Dei, & gratiarum actio sanctificant cibum, & matrimonium. i. Timoth. 4. Isti autem sine fide, & timore Dei, ceu pecora, & belluæ, crapula, & libidini sese consecrabunt (ait Dominus, Luc. 17.) neque ullas alias de Deo, & rebus honestis cogitationes habebunt: uentrem dumtaxat curabunt, neque ullam admonitionem sanam recipient. Nam quemadmodum impij ante diluuium uoluptuose, & in magna securitate uiebant, edentes, bibentes, & nuptui tradentes, usque ad diem nouissimum, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec subito adueniens, omnes opprimeret & interficeret, qui non erant cum Noe in arca, nec Noe poenitentiam prædicanti, & diluuium comminanti uoluerunt credere, nec quod sibi denuntiabatur periculum effugere, sed permanserunt in pristina sua securitate, & uoluptatibus, quibuscum in diluuium submersi sunt, & absorpti. Sic & ante aduentum filij hominis, impij prædicantibus poenitentiam, & iudicium propinquum denuntiantibus nolentes credere, in suis uoluptatibus permanentes, subito opprimuntur imparati, & morientur in iniquitatibus suis. Dies enim Domini, sicut sur in nocte, ita ueniet, cum illum non expectabunt homines.

Tunc erunt duo in agro, unus assumetur, & unus relinquetur:  
Dux molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur:  
Duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur.

Diuus Chrysostomus hæc Domini ænigmata feliciter explicans, His uerbis (inquit) Dominus significat, quod inexpectatus ab omnibus ferè, & quietis tempore adueniet. Dux etiam molentes, nullam sollicitudinem, & securitatem significant. Præterea quod serui ac Domini, & assumuntur, & relinquantur, tam qui in otio, quam qui in labore sunt, & alia, atque alia dignitate præfulgent, sicut in ueteri quoque scriptura, Exod. 13. dicitur, à sedente in folio usque ad ancillam, quæ in

mola est, indicatur, neque præcellentes aut diuites omnes perituros, neque pauperes è contrariò saluari omnes, sed utrorumque aliquos & saluari, & perire. Hæc illæ. Certè tunc uidebitur admirabilis diuisio, & separatio eorum, qui uidebantur sibi inuicè proximi, & cõiunctissimi, uel officio, uel negotio, uel etiã alio uinculo. Nam duorum simul in agro laborantium alter assumetur ad gloriam, & tanquam electus rapietur obuiam iudici in aëra, ut lætus occurrat ad gratulandum uenienti: alter reprobandus ad damnationem, & tanquam reprobatus, relinquetur in terra, detrahendus ad infima tartari. Sic duarum simul in una mola molentium (quæ in una re domestica simul inuenientur occupata) subito altera assumetur ad gloriam, altera reprobandus ad damnationem. Quin & è duobus, quos idem lectus iungebat, unus assumetur, alter relinquetur. Nō enim opus externum, aut locus, aut uitæ genus beabit perdetur hominem, sed affectus. Obserua: assumere, est uox gloriæ: relinquere uerò, iusti Dei iudicij uocabulum.

Modus quos coniunctos habet, mors & iudicium Domini separabit. Affectus unius hominè uel beabit uel perdit.

Vigilate ergo.

Adhortatio est ad uigilantiam, & dehortatio à securitate. Hactenus discipulos de aduentu suo instruxit, cuius hora est incerta, & quod inexpectatus sit rediturus, quodque quidam sint assumendi, quidam uerò relinquendi. Iam admonitionem subtextit, cuius propositio est, Vigilate, & parati estote, &c. Quo uerbo alludit ad militares uigilias, & rationem physicam. Vigilias, & excubias agunt milites, ne de improviso hostis opprimat. Et somnus, ac uigilia, affectiones sunt Aristoteli circa cor. Somnus certè immobilitas, & quodam modo pedica, & obligamentum est sensus: contra exolutio eius, uigilia. Materia somni uapor est, qui caput subierit, deinde in locum inferiorem defluxerit. Galenus putat somnum fieri humectato pulmone: de qua re pluribus agit Cælius Rhodig. lib. 30. cap. 7. Impulso autem commotòque corpore discutitur somnus, inducitur uigilia. Et anima quidem hominis habet suum quoque somnum, ac suam uigiliam. Exurgunt enim uapores carnis, libido, auaritia, ambitio, studium mundi, & cupiditates reliquæ, quæ si in mentem admittantur, dormit homo, non uigilat. Nam illecebris huius mundi uoluptatibus captus, his ueluti indormit, ac cessat, & abstinere ab omnibus operibus lucis. Quod si ad uaporum istorum ascensum sese concutiat homo, obsistatque obrepenti sopori, hoc est, si uiuida fide, charitate, ac sobrietate resistat affectibus, & corruptionibus prauis, uigilat, & operatur opera lucis. Proinde uigilat fidelis, cum animam, & mentem suam fide uiua, & sobrietate custodit, exercitiisque sanctis discutit, agitaturque, ne planè occupetur à cupiditatibus carnis, neue surrepat impia inertia, & securitas, inque ipsis sceleribus uersantem de improviso opprimat dies Domini. Vnde uigilia est fidelis, diligens, & sedula uerborum Dei obseruatio. Atque ad hunc modum loquuntur Apostoli Domini de somno, & uigilia. Sanctus Petrus. i. i. Paulus. i. Thessa. 5. & Ephes. 5. atque aliàs sæpè.

Somnus, uigilia, & unde ac quomodo fiant.

Animæ quoque hominis suus est somnus, & sua uigilia.

Quia nescitis, qua hora Dominus uester uenturus sit.

Actiologia est, cur admoneat, ut uigilemus. Atque hac ratione simul innuitur, ad quid uult articulum temporis sui aduentus incognitum esse nobis. Nempe ut perpetuò uigilemus, paratique simus, & semper solliciti, in cõseruando pietatis studio, ne non parati, & malè securi, dormientesque reperiamur. Eadem ratione uniuersis mortalibus abscondita est hora, qua cuique sit moriendum: ut nunquam non simus parati, omnibus momentis existimantes mortis adesse diem.

Diem supremum quare nobis ignotum Deus uoluit esse.

Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora sur uenturus esset, uigilaret utique, & non sineret perferri domum suam.

Superioribus adduntur aliquot parabola uenustissimæ, quæ Domini institu-



Parabolâ nihil forti per suadet, nihil clarius explicat.

Dies Domini, furi cur comparatur.

Mortis meminisse in primis expedit Christiano.

Ministrum uigilantem faciunt fides & prudentia. Fideliter & prudenter ministrare, ingens Dei donum.

rum, consiliûmque illustrant, omneisque ad sobrietatē & uigiliam commouent. Nam nullum est aliud orationis genus quod euidentius quilibet res ipsis etiam oculis obiciat, uehementiusque populi commoueat animos, quàm parabola & similia. Per furem noctu subrepentem significatur ipsa dies Domini, uel Paulo, 1. Thessal. 5. dicenti, *Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Ideo autem furi cōparatur, quia sicut fur clanculum subrepat, & tunc facultates suffuratur tuas, cum minimè putasses: ita ingruet toti orbi dies iudicij, cum mundus minimè putauerit. Paterfamiliâs typum gerit cuiusque fidelis hominis. Sensus uerborum est: Si multa uigilantia aduigilat paterfamiliâs, qui furem uenturum nouerit, tametsi articulum aduentus eius nesciat, ne pereat, & surripiatur illi sua pecunia: quânto magis nobis uigilandum est, ne pereat anima? Et quis paterfamiliâs tam supinus, ut si sciat furem nocturnum irrepturum in aedes suas, stertere totam noctem sustineat, ac patiatur domum suam perfodi? Vobis igitur est omni uita uigilandum: quia certi estis prater expectationem uenturum diem illum mortis.*

Ideo & uos estote parati, quia, qua nescitis hora, filius hominis uenturus est.

Accommodatio est exempli patrisfamiliâs ad pios, qua urget Christus, ab incertitudine sui aduentus, uigilandum esse. Quia articulum (inquit) temporis aduentus Domini nemo nouit: uobis semper uigilandum est, hoc est, pietati studendum, & ab ea nunquam recedendum. Operæpretium est, ut sic uiuatis, ut quâduncunq; uenerit ille dies, reperiatur uos in officio, ut statim ad præmium possitis assumi. Proderit omnibus momentis sub oculos mortem reuocare, & meminisse, quod uita hominum, ut nihil est ærumnosius, ita nihil breuius, & inconstantius. Hodie enim ualeamus, cras sepulti cōputrescimus. Quia ergo morte nihil certius, nihil item hora mortis inopinatus, singulis momentis aduigilandum est, ne imparatos nos adobruat hora illa mortis. Proinde omnium stultissimos, & miserimos putauerim, qui propter horrorem mortis, præcipiunt, ne quis ullam apud ipsos mortis mentionem faciat. Pius, & Christianus cum Paulo pro lucro ducit mortem, propterea quod mors sit transitus ad meliora.

Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam, ut det illis cibum in tempore?

Hęc parabola ad eundem scopum cum superiore pertinet, uidelicet, ut uigilent, & diem aduentus Domini religiosè expectent. Sed hoc interim obserua, quod hęc similitudo bimembris est, suis coloribus ingenia ac mores tam uigilantium, quàm stertentium depingens: præmium item, suppliciumque utrorumque significantissimè exprimens. Vnde hac similitudine transit Christus à generali adhortatione, pertinente in uniuersum ad omnes, ad ministros uerbi, ut hi fidelissimè tum doceant, tum uigilent: quod si fecerint, habebunt ex gratia, magna præmia: si minus, priuabuntur & officiis, & præmiis simul. Huc spectat initium quarti capituli prioris ad Corinthios, de fidelibus dispensatoribus. Aut potest hęc similitudo ad omnes pios generaliter accommodari: uti quisque sic seruiat, & se gerat in sua uocatione, ut inculpatus reperiatur, adueniente Christo Domino. Quocirca uigilanti ministro tribuit fidem, & prudentiam innuens has uirtutes esse, quæ uigilantem reddant. Hęc oratio, quis putas, &c. habet admirationem, & speciem exclamationis. Quis putas, Quasi dicat, O quanti obsecro sit, & æstimatur, & quàm ingens, nobile, & excellens est Dei donum, si qua gens fidelè, & prudentem nacta fuerit ministrum! & quàm egregius est, qui talis reperitur! Quem constituit Dominus, id est, qui uocatus, & super famulitium ipsius est constitutus. Quasi di-

cat, qui non currit, sed est missus, qui non ascendit aliunde, sed per ostium ingreditur. Fidelis minister est, qui, quod commissum est ad Domini sui utilitatem, fideliter, non ad proprium quæstum dispensat, hoc est, fideliter docet, erudit, & instituit oves sibi commissas. Hęc fidelitas non tantum complectitur fidem, seu religionem sanam, sed ueritatem studiumque ardens. Habet hęc amorem, & sedulitatem, prouehendique res Domini, cui seruiamus, ineffabilem diligentiam. Prudens est, qui, quod dispensat, suo tempore, scitè dispensat, uel qui uigilanter officio suo incumbens, honori Domini, & suæ felicitati prospicit, & cum iudicio dispensat, & docet mysteria Dei, obseruans has circumstantias, Quid, quomodo, apud quos, & quo tempore prædicet. Ut det illis cibum, id est, prædicet uerbum syncerum, in tempore iusto, & accommodo seu opportuno. Procul dubio hęc prudentia comprehendit scientiam, & peritiam rerum, experientiam denique, & applicationem rerum, maturam, atque utilem, ut suo quæuis loco, & tempore dicatur, atque fiant. Quod significauit his uerbis, ut det illis cibum, id est, munus sibi concreditum à paterfamiliâs impleat. Non dicit, ut sit illorum Dominus, ut pro uoto illos deuoret, sed, ut illos pascat: idque in tempore, id est, commodè & opportunè, hoc est diligenter, & fideliter. Isocrates ad Demonicum scribit, Inuicundum in omni re esse, quicquid intempestiuum sit. Aded in cunctis negotiis plurimum habet momenti, temporis, & opportunitatis obseruatio. Hesiodus certè dixit, *Obseruato modum, nam rebus in omnibus illud Optimum erit, si quis tempus spectauerit aptum.* Tantam uim habet opportunitas, ut in aggrediendo, conueniendoque negotio præcipuum habeat momentum. Vnde non sine causa ueteres uidentur eam diuinitate donasse. Et in præsentiarum, Dominus temporis iusti obseruationem maximè commendat. Atque Apostoli quoque ipsi unice studuerunt suo tempore omnia & dicere, & facere. Obseruabis interim, quàm sit benigna Domini erga famulitium suum beneuolentia. Hanc nobis depingit muneris huius qualitas. Non enim uult suos fame perire, imò ne negligenter quidem pasci. Ministerium autem uerbi, quid aliud est, quàm œconomia alendi, & conseruandi famulitij Domini? Cibi, & potus sunt mysteria diuinæ gratiæ, quorū Paulus ministros Christi dispensatores facit. 1. Corinth. 4. Equidem cibi uidetur ideo peculiariter meminisse, quod ministris uerbi hic suum delineet officium, tametsi & omnibus fidelibus Christi quod dicitur conueniat. Ut enim œconomus Domino suo fideliter, & prudenter seruit, cum iusto tempore dimensum illis cibum profert: Ita quisque Domino Deo piè seruit, cum negotia Domini sibi concredita piè, & prudenter administrat. Beatus Chryostomus inquit, Hęc parabola etiam ad gerentes gubernantesque rem publicam accommodari potest. Docet enim unūquęque ad communem utilitatem omnia conferre, quæ sua sunt, siue sapientiam, siue principatum, siue quicquid aliud, non ad detrimentum conseruorū, nec ad perditionem suam. Quapropter utrunque à nobis flagitat, prudentiam scilicet, atque fidem. Delicta enim ab amentia, ac perfidia originem habent. Fidelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus Domini sibi attribuit, nec in cassum quicquam expendit: Prudentem autem, quia dispensare ritè nouerit. Vtraque siquidem re nobis opus est, ne scilicet, quæ Domini sunt, ad proprios usus rapiamus, & ut opportunè omnia dispensemus. Nam si alterum horum absit, eius absentia alterum omnino claudicat. Si enim fidelis ita sit, ut non furetur, disperdat autem, non necessario cōsumens sumptu, non paruam id crimen est. Sin uerò è contrario rectè dispenderit, si uerò accumulet, ingens rursus hęc culpa. Non uerò doctoribus hoc solum, sed diuitibus etiam dicit: cum utrisque Dominus diuitias suas crediderit, maximas quidem doctoribus, sed locupletibus etiam non paruas. Cum ergo docentes, maiores diuitias seminent, atque dispergant: uos autem nullam in minoribus liberalitatem ostendatis (cur uerò liberalitatem & non gratitudinem dixi? nō enim ue-

Fidelis Dei minister, qs.

Prudentia serui frugi quid comprehendit.

Inuicundum quicquid intempestiuum.

Opportunitas diuinitate donata ab antiquis.

Dei beneuolentia erga famulos.



stra, sed aliena tribuitis) quæ obsecro uobis futura est excusatio? Hactenus Chry-  
sostomus. Pari ratione possunt hæc magistratibus applicari.

Beatus ille seruus, quem, cum uenerit Dominus eius, inue-  
nit sic facientem.

His uerbis & præmium, & officium uigilantis serui perstringit Dominus. Bea-  
tus hic nuncupatur. Vbi? apud Dominum. Quando? Cum uenerit Dominus, & inue-  
nerit uigilantem. Dum hic dispensat, miseris multis, & multorum odio est expo-  
situs. Nimirum nequit in contemptum sui Domini consentire mundo: cui dupli-  
ci nomine est molestus, tum quod animo, & uitæ conuersatione est illi diuersus,  
tum quod improbitatem illius reprehendit. Huic commodè congruit, quod de iu-  
sto scribitur Sapient. 2. Obserua: hæc beatitudo nõ statim tribuitur homini, si mun-  
do, & humano diei appareat fidelis: sed, si à Christo fidelis inueniatur. Hoc modo  
Paulus. 1. Corinth. 4. non curat, qualis iudicetur ab humano die: sed hoc unum ma-  
ximè in uotis habet, & curat, ut fidelis à Domino inueniatur, illique proberetur. Cu-  
randum est igitur, ut perseueremus in Christi ministerio in finem usque, ut inue-  
niamur à Domino fideles, & prudentes. Certè quisque talis iudicabitur, qualis re-  
perietur à Domino, uenturo iudice.

Fidelis econ-  
omus, mun-  
do contrari.

Beatus ille cõ-  
dem, què Do-  
minus beati-  
ficauerit.

Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Christus iurat, ut confirmet certitudinem præmij fidelis ministri. Quid hoc ho-  
nore maius? quid præclarior, quàm constitui super omnia bona Domini? hoc est,  
ad summum honorè illum euehi, propter fidelem œconomiam, & fidè sanctè ser-  
uata in dispensando. Huc pertinet quod ait Paulus. 2. Timoth. 4. Cursum con-  
summaui, fidem seruauit: de reliquo, id est, quod reliquum est, reposita est mihi  
corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Cuiusmodi autem sit fu-  
turus honos ille, Paulus idem nobis enarrans post Isaiam. 1. Corint. 2. ait, Nec o-  
culus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. ad eum ingens, & sin-  
gularis est.

Præmiũ fide-  
lis serui, im-  
mensum.

Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, morã facit Do-  
minus meus uenire.

Serui iniqui  
notæ.

Seruus nequã  
& infidelis  
idè & atheos  
& uolupta-  
rius.

Stertentis & inertis serui, ac mali & perfidi ministri ingenium depingit. Cu-  
ius notas non minus obseruare debemus, quàm eius, qui Christo fideliter & uigi-  
lanter seruit. Huius perfidi ministri notæ, originem habent è pectore, omni timo-  
re Dei uacuo. E fronte enim perfrecta, & timore Dei ablegato statim nascitur ne-  
gatio diuinæ prouidentia. Nam occulta persuasione dicit sibi impius in corde suo,  
Non est Deus: moram facit Dominus meus. Hoc est, persuadet sibi ipsi uanum ef-  
se, quicquid de Deo prædicatur, & nihil referre, utcũq; uiuas. Nullus (inquit) est  
Deus, qui uitæ mortalium, aut æqui & iniqui rationem habeat. Hinc mox cõsur-  
git impiissimus numinis, & omnium admonitionum diuinarum contemptus: &  
tandem erumpit sceleratissimum, impudentissimumque omniũ uoluptatũ studium.

Et cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bi-  
bat cum ebriosis.

Hæc sunt, quæ malo seruo parit ablegatus Domini timor, & persuasã Domini-  
ci aduentus tarditas. Reuera pro libidine quiduis perpetrat absque ullo metu. In-  
primis neglectã familiã bibit, & edit cum temulentis: dominium usurpat in cle-  
rum Domini, tanquã in emptitios seruos. Quod non faciebat Paulus. 2. Corin. 1.  
Non quia (inquit) dominamur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij uestri.  
Minister ille nequam, pro cibo, quem administrare debebat, clero uerbera infli-  
git, tyrannum agens, non fidum œconomum. Secundò, bona Domini sui, quæ  
debebat

debebat fideliter, iuxta functionis suæ rationẽ, clero dispensare, luxuriosè, & pro-  
digè decoquit, & quoad potest, delitiatur. Tertio potestatem sibi promittit ex illa  
Domini mora, non solum negligendi, imò malè tractandi ueros Domini sui mi-  
nistros, sed & extraneos homines aotos, & Domino inutiles sibi adiungit, qui-  
bus tanquam sociis utitur ad dilapidanda bona Ecclesiæ, & sui Domini substan-  
tiam. Et hoc est, quod ait, manducet autem, & bibat cum ebriosis.

Seruus infi-  
delis quàm  
enormiter &  
quotuplici-  
ter peccet in  
Dominum.

Veniet dominus serui illi, in die, quo nõ sperat, & hora qua ignorat.

Supplicium describit, & pœnam, quæ malos Christi ministros manet. Nimirum,  
quod inopinatus aderit illis interitus. Nam iners, & infidelis minister, securè con-  
temnens Dominum uenturum, ait: Cunctatur Dominus meus uenire. At enim  
ueniet Dominus in die, quo non expectat: unde & maiorem terrorem, atque cru-  
ciatum incutiet tam inopinatus aduentus. Non enim est de expectantibus Domi-  
num, de quibus scribitur, Luc. 12. Et uos similes expectantibus Dominum suum,  
quando reuertatur à nuptiis. Ad hunc modum Paulus. 2. ad Thessal. 2. de anti-  
christo prædixit, quod illustratione aduentus Domini sit perdendus.

Corpora per-  
fidorum dif-  
secandi mos  
apud anti-  
quos.

Et diuidet eum.

Inopinatus Domini aduentus non solum infidelem ministrum submouebit ab  
officio, uerum etiam Dominus diffecabit eum mediũ. Diffecabantur autem apud  
veteres corpora perfidorũ, qui uidelicet fidem, atque pacta dissoluissent. Si uacat,  
legito de hac re elegantem disputationem apud Aul. Gell. lib. noct. attic. 20. cap. 1.

Partemque eius ponet cum hypocritis.

Mali & perfidi ministri partem adiunget Dominus hypocritis, qui titulum ha-  
bent euangelicæ functionis, quum factis ipsis pugnent cum Euangelio: quorum  
est certa damnatio.

Illic erit fletus, & stridor dentium.

Occupat. Ne quis enim ignoraret, quæ hæreditas parata sit hypocritis, ait, Illic  
erit fletus, &c. His uerbis circumloquitur æternam damnationem quæ profectò est  
priuatio beatitudinis, cum incomprehensibilium cruciatuum perpessione, & in-  
quietudine conscientia supra omnem modum magna.

Damnatio,  
quid.


CAPITIS VIGESIMIQUINTI

Epitome.

Futuri iudicij seueritas per parabolas decem uirginum, & decem talen-  
torum arguitur: ac iustorum & iniustorum per opera,  
discrimen & situs ordinatur.

CAPVT XXV.

Decima-  
septima-  
parabola.



Sed que-  
re facit  
sed que  
cia fatore.

UNC simile erit regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas,  
exierunt obuiã sponso, & sponsæ. Quinque  
autem ex eis erant fatuæ, & quinque pru-  
dentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampa-  
dibus non sumpserunt oleum secum: Pru-  
dentes uerò acceperunt oleum in uasis suis  
cum lampadibus. Moram autem faciente  
sponso, dormitauerunt omnes, & dormie-  
runt. Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus uenit, exite  
SSC

Virgines ex-  
pectantes spõ-  
sum.







Denarius nu-  
merus p uni-  
uersitate.  
Duohominu  
genera in Ec-  
clesia.  
In parabolis  
no omnia ad  
mysticu fen-  
sum detor-  
quenda.

duntur, qui & alias frequenter uniuersitate uel perfectionem designat, ut in Apo-  
calyp. Sustinebis tribulationem diebus decem, id est, omnibus diebus usq; ad mor-  
tem. Sunt tamen duo hominum genera, quorum alij negotio pietatis studet, & in-  
uigilant: alij non admodum curant pietatem, sed affectibus corrupti, ceu lethargi-  
ci dormiunt. Obserua, non omnia in parabolis ita usurpanda, ut mystice expona-  
tur, sed cum primis uidentium, quis sit scopus parabolæ: deinde quæ, & quomo-  
do ad illum sint applicanda: reliqua uerò relinquenda. Id quod & Chrysostomus  
admonet in epistolam ad Roma. homilia. 16.

Quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiã sponso, & sponsæ.

Non omnes,  
quod profite-  
mur, præsta-  
mus.

Omnes acceperunt lampades suas, id est, externum cultum, orationem, & do-  
ctrinam, & præpararunt se ad aduentu Christi. Omnes enim lampades siue faces  
habent. Nam omnes Christiani nominis splendore irradiamur. Omnes baptizati  
sumus baptismo Christi. Omnes participamus corpus & sanguine Christi. Om-  
nes audimus uerbu Dei. Omnes cæsemur in Ecclesia, & populo Dei. Interea tamẽ  
non omnes placemus Deo: sed, ut Paul. i. Corinth. 10. ait, Non in pluribus coru  
beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Sunt quidam ex nobis pru-  
dentes, sunt quidam fatui cultores Dei. Omnes uisi sunt se parare ad occurrendum  
sponso uenturo, & copulaturu sibi suam sponfam in uxore. Obserua similitudinem  
hanc desumptam esse à vulgari more, ac ritu nuptiaru populi Iudaici. Varios suis-  
se ritus, ac mores gentium in celebrandis nuptiis nemo ignorat, qui modò attige-  
rit historias. Iudæis is uidetur fuisse ritus, ut non ante mediam noctem ad sponfam  
ueniret sponsus: uenienti autem chorus Iudaicarum puellarum, tedis instructus,  
obuiam effunderetur, deduceretque sponsum ad sponfam, quæ non prodibat, ceu  
sponsi auida, sed domi sedebat, operiens sponsum. Apud Romanos, teste Felto, pa-  
trimi & matrimi pueri tres, qui uidelicet patrem & matrem adhuc haberent, nu-  
bentem ducebant: unus facem ex alba spina deferebat. Plutarchus in Problema-  
tis quærit, quid sit, quod nec plureis, nec pauciores, sed quinque tantummodò fa-  
ces in nuptiis accendunt veteres, quas appellarint cæreos. Tradunt alij apud Græ-  
cos, matres in nuptiis faces tenuisse, quod illi *de Arxer* dicunt. Id quod colligi po-  
test ex Phœnisis Euripidis.

Indæorum ri-  
tus in nuptiis

Mos Roma-  
norum.

Tedarum in  
nuptiis incen-  
dendaru apud  
antiquos,  
mos.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.

Virgines pru-  
dentes & fa-  
tuæ, quæ.

In species diuidit, quod in genere dixit. Harum virginum quinque erant fatuæ,  
& totidem prudentes. Fatuas intelligit, fide, & dilectione uacuas, quæ in diem ui-  
uentes, nihil de futuro prospiciunt, sequentes carnis delicias. Prudentes sunt, fide,  
& charitate instructissimæ. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, & am-  
bulemus in luce, dum lucet nobis, ne à tenebris occupemur.

Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non  
sumpserunt oleum secum.

Fatui in scri-  
pturis, qui.

Oleum p af-  
fectu & spiri-  
tu cælesti.

Fatuarum stultitia fuit, quod nihil cogitarint de oleo, necessario ad sustentan-  
das lampadarum flammulas, antequam ad occursum sponsi (hoc est, ante horam  
mortis) egrederentur. Quod illis in mentem non uenit, frustra sese quæsituras  
oleum, si quomodo illud in occursum sponsi deficeret: & quod extinctis lampadi-  
bus, hoc est, obita morte, non essent intromittendæ ad nuptias. In scripturis fatui  
uocantur, qui uerbo Dei non auscultant, qui suo sensu feruntur, neminem audiunt,  
sed sua tantum pulcherrima ducunt. Verum huiusmodi indociles homines tãdem  
id experiuntur, quod hisce fatuis uirginibus accidit. Per oleum intelligit affectu,  
& cælestem spiritum, quem nobis Christus diuinitus suppeditat per Euangelium.  
Nam & uenditores olei, non alios intelligimus esse, quàm prædicatores uerbi. Si-  
cut autem oleum est uis, & nutrimentum luminis, ita & fides charitati iuncta, est  
bonorum, & meritoriorum operum effectrix. Huc spectat Christi adhortatio,

suprà 6. c. Sic luceat lux uestra, ut uideant homines bona opera uestra, & glorifi-  
cent Deum.

Prudentes uerò acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus.

Animæ nostræ lampades sunt, & uniuscuiusque mens lampas est, quæ tunc  
accenditur, quando habet oleum, uirtutem, & misericordiam: siue lampades oleo  
adornatæ, interiores diuitias, etiam externa opera, fide uiua instructa adumbrat.  
Quum enim uiua fides sit eius indolis, ut à Deo conditam, Ephes. 2. cap. & exci-  
tari in corde oporteat: homo certa fiducia in Christum sese obfirmat, atque ita so-  
lido Christo semet inædificat, ut peccato, morti, inferis, Satana, & uniuersis ho-  
stibus Dei, medium unguem ostendat. Prudentes igitur scientes, incertum esse  
tempus, quando proditurus esset sponsus, ne possent imparatæ opprimi, simul  
cum lampadibus & oleum secum extulerunt in uasculis, unde deficientes lampades  
instaurarent.

Fides uiua,  
ignis est &  
oleum in lu-  
cernis anima-  
rum nostrarum.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt  
omnes, & dormierunt.

Amabilis ille sponsus, est Dominus Iesus Christus: Nos uerò sponsa. Mora  
sponsi totum tempus uitæ huius est, concessum ad progressum, & pœnitentiam.  
Cum autem in longum differret aduentum suum sponsus, dormire cœperunt  
uirgines omnes, id est, inter bona opera obrepunt in hac uita multæ passiones: &  
infirmitate humana dormiunt homines, id est, incidunt in peccata infirmitatis hu-  
manæ, quæ quodam modo præter uoluntatem sunt, & quibus non mutatur status  
expectantium: non enim sunt peccata mortalia: in eodem nanque statu surgunt à  
somno, in quo erant, quum cœperunt dormire. Non enim peccato ueniali, aut mi-  
nuto (ut Hieronymi, & Augustini uerbo utar) perditur gratia. Differunt tamen  
prudentes à fatuis, quod prudentes excitati, lumine nõ carent. Vnde sponsa Cant.  
5. dicit, Ego dormio, cor autem meum uigilat.

Peccato mi-  
nuto & ue-  
niali non ex-  
ciditur à gra-  
tia Dei.

Media autem nocte.

Id est, de improviso, & quum uirgines minimè putassent, quando minus cre-  
ditur uenturus sponsus, quando quietis tempus putatur. Hic enim huius disputa-  
tionis præcipuus scopus est, Christum de improviso uenire in iudicium.

Clamor factus est.

Clamore significat uel signum, nuntians iudicium uniuersale, uel ægritudinẽ,  
uel casum mortalem in iudiciis particularibus. De hoc clamore scribens Diuus  
Hieronymus, Subitò (inquit) quasi intempesta nocte, & securis omnibus, quãdo  
grauissimus sopor est, per Angelorum clamorem, & tubas præcedentium forti-  
tudinum, Christi resonabit aduentus. Hæc illæ.

Ecce, sponsus uenit, exite obuiam ei.

Ecce, uox est attentionis, uel euocationis improuisæ. Audietur clamor eorum,  
qui cum sponso uenient. Quoniam mitter adueniens filius hominis, angelos suos  
cum tuba & uoce magna, ut dicant, Surgite mortui, uenite ad iudicium. Ecce, ad-  
est Iudex. Surgite de puluere mortui, & uenite ad iudicium. Tunc implebitur,  
quod prædixit Christus, Ioan. 5. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis  
sunt, audient uocem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem  
uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Possunt hæc accommodari  
iudicio particulari, quando anima exit à corpore.

Christus in  
iudicio uenit  
& sponsus &  
iudex.

Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ.

Ad clamorissimum illum aduentum excitabuntur omnes, & solliciti reddentur,  
quando & quomodo Christo occurrant. Quandoquidem omnes adornabunt se,



ut occurrant Domino, tam prudentes, quam fatuæ: sed longè dissimili apparatu. Exurgent omnes. 2. Corint. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. 1. Corint. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi.

**Et ornauerunt lampades suas.**

Non quòd tunc tempus erit faciendi grata Deo opera. Certè meriti operatio tunc exclusa erit. Sed quia conuertet se unusquisque tunc ad considerandum conscientiam suam, & opera, quæ attulerint secum, ut sciant, num dignè sponso possint occurrere. Tunc exorietur in resurgentibus exputatio & expensio uitæ exactæ, accusante, & excusante conscientia.

**Fatuæ autem sapientibus dixerunt.**

Fatuæ, quæ sibi de oleo non prospexerant, subito se compererunt non habere oleum, non enim sibi prouiderant ante somnum, & sponsi aduentum. Ideo penuria olei laborantes, confugiunt ad electorum patrocinia, & merita, quorum possint participatione saluari.

**Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur.**

Media nocte, & adueniente sponso, repertæ sunt fatuæ nihil boni operis, fidei, & charitatis in animis suis habere. Ideo extinctæ erant lampades, nihil chrisma-tis neque unctionis habentes. Sed quia non est tempus operandi post somnū, seu mortem, frustra laborant uelle, aut perere electorum meritis iuari, quasi accendi possent lampades, effusæ prorsus, & fractæ peccatis, & nimia somnolentia.

**Responderunt prudentes, dicentes.**

Ut nimis seram, & intempestiuam petitionem istam prudentes non suscipientes, respondent.

**Ne fortè non sufficiat nobis, & uobis.**

Sapientum seu electorum responsum est, quo negant se posse communicare suū oleum, cum uentum fuerit ad iudicium, docetque, quòd in illo die nemini prodesse poterunt aliena opera, uel merita: quoniam iudicabitur de singulis secundum opera sua: & recipiet unusquisque prout gessit in corpore. Nā licet in hac uita prodesse possit proximo opus bonum, ab altero factum, uel alterius intercessio ad consequendam, uel impetrandam gratiam: in die tamè nouissimo, quando ultra tempus merendi non erit, non potest ex proximo expectari quicquam meriti, uel salutis. Cum dicitur, Ne fortè, id est, Ne non sufficiat, aut nequando non sufficiat, Electorum seu prudentium humilitatem audis, qua ipsi uix sibi putabunt sufficere ad salutem quæ in lampadibus suis habent, rigidam iustitiæ diuinæ censuram spectantes. Nec tanti ea faciunt, ut præsumant se, etiam alios, suo oleo posse saluare.

**Ite potius ad uendentes, & emite uobis.**

Vel tanquam per ironiam (qua digni sunt, qui sic in rebus necessariis negligenter se gesserunt) dictum accipitur. Accipite, scilicet, oleum à uobis paratum, dum tam securè uixistis. Ire debuissetis, cum daretur uobis occasio audiendi uerbum, & inde parare fidem cum charitate. Vel per mimesim, iuxta consuetudinè loquentium inter homines, qui cum postulatur, quod non habet, sic postulantes solent remittere ad eos, qui eiusmodi habere solent, perinde ac si dicat: Nihil est, quod uobis de nobis polliceamini. Cæterum an aliunde uobis parare possitis, quod postulatis à nobis, uos uideritis. Nobiscum benè agetur, si hoc modicum olei, quod nobiscum attulimus, nobis suffecerit, ut tandè cum sponso ingrediamur. Vendentes dicuntur predicatores, confessarij, & huiusmodi, qui quasi pretium exigere uidentur ad salutem, nimirum poenitentiam, quæ in se habet mortem Christi, pretium nostræ salutis.

Nemo in iudicio alienis præfidijs saluandus.

Sanctorum modestia & timor.

**Dum autem irent emere, uenit Sponsus.**

Abeunt fatuæ, empturæ oleum, sed post forum absolutum, & ut dici solet, ueniunt post festum. Certè eò angustia redactæ sunt, ut libenter uellent parare sibi oleum, seu fidem uiuam, & meritoria opera. Sed uenit sponso de improviso, qui in quo quemlibet reperit statu, ipsum iudicat. Dum autem irent, id est, dum uellent, non uoluntate efficace, sed desiderio quodam, & quadam, ut dici solet, uelleitate.

Velle desidèrium & irritum.

**Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.**

Quæ charitate & meritis instructæ & ornatae erant, intrauerunt cum sponso ad nuptias, id est, ad æterna gaudia, & uitam æternam.

**Et clausa est ianua.**

Diffinitio est ad negandam gratiam, carentibus oleo, cum hinc demigrant. Sponso itaque, cum prudentibus domum nuptialis conuiuij ingresso, occlusum est, & uestibus obfirmatum ostium, ut nemo extraneus admitteretur. Simile est in parabola diuitis epulonis, Luc. 16. Et in his omnibus (ait Abraham) inter nos, & uos, chaos magnum firmatum est, ut qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transire ad nos. Et Gen. 3. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradysum uoluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque uersatilem, ad custodiendam uiam ligni uitæ.

**Nouissimè uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait, Amen dico uobis, Nescio uos.**

Hæc referuntur ad cogitatus, & quasdam, ut ita dicam, uelleitates seu imperfectas uoluntates. Sic & diues epulo, Luc. 16. sepultus est in inferno, & ipse clamans, dixit: Pater Abraham miserere mei. Sed Abraham nesciens illum, id est, non illum exaudiens respondit: Recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu uerò cruciaris. Grauisissima est hæc sententia, Nescio uos: qua audita, quid aliud, quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur? ueluti cum tu multa proferenti ostentanti que signa, tandem respōdes, Nihil mihi tecum negotij, non agnosco te pro meo, non places mihi, non recipiam te in meorum confortium. Christus nouit fideles, & pietatis studiosos. 2. Timoth. 2. Cognouit Dominus, qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Velleitas, imperfecta uoluntas.

Nescio uos, uox horribilis.

**Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.**

Conclusio parabola, constans adhortatione ad uigilantiam, ne securè contemnamus, aut negligamus ea, quæ pertinent ad præparationem in aduentum sponsi Christi. Quæ præparatio in animi uera pietate & uiua fide consistit. Vigilate. Quare? Quia paratis patet ianua, imparatis claudetur. Quando? Quo die sponso aderit, cuius aduentus nemini mortalium est cognitus. Vos igitur ad exemplum prudentium uirginum, serui fidelis, ac prouidi patrisfamilias, uigilate: in tempore uobis parate bonorum operum commeatum. Quia nescitis diem, neque horam illius. Qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi, sed cui que ferendum erit præmium pro retrogestis.

Præparare qui nos debemus in aduentum Christi.

**Sicut enim homo peregre proficiscens.**

Sicut superiore parabola hortatus est ad uigilantiam, & ut parati semper simus, Domino ire obuiam: ita in præsentem urget ad id, ut quisque pro sua portione, & facultate proximis inserviat. Nam & si non paria, sua tamèn Christus singulis spiritu suo donat, quibus inservire proximis possint. Estque hæc parabola artiologia



Deinde dum alios conuertit per uerbum, ad fidem & ad uitæ sanctimoniam.

**Qui autem unum acceperat, abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.**

Postremus seruus est ille nequam & piger, qui accepto uno talento non negotiatur, sed sicut erat concreditum defodit in terram: id est, officium suum profacultate, quam à Deo habet, non obit: sed à negotiis, labore, molestia, & periculis functionis euangelicæ, paci, ac tranquillitati suæ consulens, abhorret. Ille satis esse putat, si acceptum talentum conseruet, nihil de lucro sollicitus. Interea altissimè dissimulat, & abscondit acceptum munus. Terrenis enim ueluti immerfus, nunquam erigitur ad cœlestia, nunquam uenit ei in mentem, quomodo & se Domino suo seruet, & multos alios lucretur: carnalia, spurca, & fœda tantum cogitat. Proinde nemo secum dicat (ait Chrysostomus) Cum unum talentum habeam, nihil possum efficere: potes profectò ex una re sola comprobari. Non es pauperior illa uidua, non es Petro atque Ioanne rusticior, qui quanuis rudes simul atque illiterati fuerint, tamen quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, cœlorum principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quam si uersam uitam ad commune commodum conferas. Atque idcirco ratione, atque oratione nos Deus decorauit, mentem, & ingenium concessit, manus, pedes, uires corporis dedit: ut his omnibus & nos, & proximos tutemur. Non enim ad agendas gratias solummodò confert oratio, uerum etiam ad docendum & admonendum perutilis est. Quia in re si ea diligenter utemur, Dominum: sin uerò in contrariis, diabolum imitabimur. Hactenus ille. Obserua, absconsionem talenti esse peccatum contra naturam uerbi, quod abscondi non debet. Nam supra, 5. cap. Nō accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est.

**Post multum uerò temporis uenit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.**

Hæc est secunda pars parabola, in qua exponitur aduentus iudicis in iudicium, prædicatur uirtus fidelium, uigilantiūque seruorum, & datur uirtuti suum præmium. Certè suo tempore reddenda est ratio reuelati uerbi, & donorum spirituum omnium. Quam rationem exiget Dominus à seruis illis, ut qui illorum herus sit, & omnium saluator, Iesus Christus. Qui in die iudicij ueniet, ut ponat rationem cum seruis suis, id est, ueniet ad iudicandam carnem omnem. In quo iudicio oportet unumquēlibet nostrum rationem reddere omnium eorum, quæ dixit, & fecit, hoc est, quomodo donis sibi à Deo concessis usus sit in hoc seculo. Obserua, cum dicitur, Post multum uerò temporis uenit Dominus, significatur, quod non statim erat rediturus, ne mora futura causam daret negligentia. Rediturus tamen erat tandem, & redibit, sed ad audiendam rationem talentorum concrediturum, seu ad iudicium, ut recipiat quisque, quod in corpore gessit, siue bonum, siue malum. Rursus hic aduerte, ob oculos positam esse aliquam futuri iudicij formam, & potissimam huius reddendæ rationis memoriã, ut per hanc excutiamus omnem negligentiam, & securitatem, uigilantes in exercitio Euangelico.

**Et accedens, qui quinque talēta acceperat, obtulit alia quinque talēta, dicens: Domine, quinque talēta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.**

Primo loco producit seruus fidelis, qui excellentiorem seu maiore consequutus gratiam, ex usura retulit alia quinque talēta, dati & expensi rationem ita reddens: Domine, sortem dederas quinque talentorum, ecce totidem ex his lucratus

sum, quæ tibi offero, sicut & priora, quoniam tuum esse deputo, quicquid lucratus sum mea diligentia, & tibi laborem meum omnem debeo. Nihil enim aliud sum ex me, quàm seruus inutilis: feci, quod facere debui.

**Ait illi Dominus eius, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.**

Lætus Dominus fidelitate serui, quam cernebat in allato lucro, diligentia eius acceptans, & industriam commendans, ait: Euge mi bone & fidelis serue, nūquam ego hanc tuam fidelitatem, quam erga me monstraisti, patiar irremuneratam. Et quanuis modicum sit, in quo laborasti, & lucrum in se sit exiguum, quod attulisti, attamen in modico magnam tuam fidem considerans (quam ipso lucro pluris facio) ad maiora te subleuabo. Obserua: Græcis dicitur *δὲ*, id est, benè rectè. Nos Euge. Quæ uocula est applaudentis, approbantis & collaudantis. Hac enim uoce collaudat seruum, qui bona fide suo functus est officio. Fidelem uocat seruū, propter benè collocatam & sceneratam pecuniam, & propter integram dati & expensi rationem redditam. Rursus aduerte, quod bona sua Dominus, quæ ministris suis in hac uita dispensanda tradit, quum tanta sint & talia, ut sine his saluari nequeamus, quæ Apostolus uirtutem, sapientiam Dei & thesaurū uocat, inestimabilēque diuitias Dei: & Christus supra. 7. cap. margaritas: pauca uocat, uidelicet respectu eorum, quæ accepturi sumus post hanc uitam. Huc pertinet, quod Paulus ait Roma. 8. Non sunt condignæ passiones, &c.

**Intra in gaudium Domini tui.**

Intra in gaudium Domini tui, id est, fructe meo gaudio, mea gloria & meo regno. Iam quæ hominis lingua explicarit, quantum sit illud gaudium, quantum præmiū, quod refertur fidelibus? Paulus certè. 1. Corint. 2. ait, sicut scriptū est Isa. 64. Quod oculus non uidit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum. Tam magnum profectò est gaudium cœlestis patriæ de Deo, ut non possit concludi in homine: & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, & non intrat gaudium illud in hominem, uelut ab homine comprehensibile. Gaudio ergo illo perfunditur homo & repletur. Simus itaq; & nos fideles & boni serui, ò fratres, ut tandem ineffabilium gaudiorum fiamus participes.

**Accessit autem & qui duo talēta acceperat, & ait: Domine duo talēta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.**

Secundò accessit, qui pro sua mediocritate egregiam Deo præstitit fidem, & nō pœnitendum retulit fructum: ac iussus reddere rationem, ait, Domine sortem duorum talentorum mihi credideras, ecce tantundem adieci ex usura: En omnia, ut tua, libenter & liberè profero, gratulans tibi lætum reditum.

**Ait illi Dominus eius, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam**

Huius serui fidem & industriam Dominus commendat & acceptat, præmiūque confert iustis & pulchris uirtutibus: *δὲ δουλος* uocat, hoc est, bonum & fidelem seruum, qui rectè functus est suo munere & officio. Laudat in ipso bonitatem & fidem, quæ præcipua sunt in seruis & dispensatoribus: laudat eum imprimis, quod eximiam fidem præstiterit in re exigua. Certè in modicis illis negotiis, uel industriè uel segniter administratis, magna relucent argumenta, quid de nobis optimi quique in rebus maximis expectent. Post hæc explicantur præmia & fructus laborum huius serui. Super multa te constituam, id est, æternam consequeris gloriam. Intra in gaudium Domini tui, Obserua: his duobus seruis significantur

Serui nequā descriptio.

Nemini non magna & multa donata sunt. Tantū sufficit ad querendum ac parandū in gēs lucrum. Nihil Deo gratius boni cōmunis studio.

Oratio ad quā multa utilis. Verū abscondi non debet

Christus, Dominus & Iudex omnium.

Bona sua tā multiplicia, quomodo tamen pauca Dominus uocat.

Gaudium in celo quantū.

Gaudiū cœlestē incomprehensibile ab homine.

Bonus seruus à fide & probitate potissimum cōmendatur. Rebus in exiguis spectatur sæpè homo qui sit.



omnes boni in Ecclesia. Qui tamen si disparem gratiam recipiant, nemo tamen sibi displicere debet, quod uidet proximum suum amplioribus præditum dotibus, pluribusque florere uirtutibus. Neque inuideat meliori suam gloriam: oret potius Dominum pro donorum incremento, & sedulitate sancta penset, quod hæcenus sibi diminutum dolet.

Nihil liuoris  
in sanctis

### Intra in gaudium Domini tui.

Vterque in gaudium Domini assumitur bonus & fidelis seruus. Nemo ergo se putet à Domino contemptum iri, si modicam dispensationem habeat, modò fideliter munus suum obeat. Non enim perpenditur, quantum habueris facultatis, & quàm arduum munus ministraueris, sed quanta fide erga Dominum fueris. Par enim hic uidet præmium reddi ambobus, fideliter lucra referentibus, quia meritum fuit æquale. Nam quantum studuit alter negociando in quinque, tantum alter studuit negociando in duobus. Vterque enim secundum uires suas duplicauit sibi data.

Non quid se  
ceris, sed quo  
animo expedit  
Deus.

Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es: metis, ubi non seminasti: & congregas, ubi non sparsisti: & abscondi talentum tuum in terra.

Dominus nihil minus, quàm durus seruis bonis.

Fingimur nobis deus, qualem uolumus.

Et impij fingunt sibi terrores uanos, ne muneri suo respondeant.

Impiorum blasphemæ uoces & cogitationes aduersus Deum.

Serui pigri & inertis ingenium, omni nequitia corruptissimum, explicat, & suis coloribus depingit, simulque subindicat & exprimit omnium impiorum blasphemias uoces, & omnium hypocritarum impias fraudes. Excusationis gratia captat hic seruus beneuolentiam uoce, Domine. Scio, quia durus es. Qui uerò ais te scire? Rogo te, unde scis? An ex uerbis Domini, dicentis, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam uos? Item, Mitis sum & humilis corde. Iugum meum suauis est, & onus leue. Si quis sitit, ueniat ad me, & dabo ei aquam, & non sitiet in æternum, & fiet fons aquæ uiuæ in eo, salientis in uitam æternam. Quid quæso duritiei in his uerbis reperis? Certè nihil mellitius, nihil dulcius. Sed, quæ tua est durities & carnalis cogitatio & imaginatio, fingis Dominum tibi durum, qui durus non est sua natura, sed tua imaginatione & cogitatione uerè carnali. En uide, serue nequam, non solum te excusas, sed culpam, quam in te metuebas intendendam, in ipsum Dominum reiciis, dicens: Scio, quod esses durus homo, &c. unde quæque corradès aliquid emolumenti: ideo territus, ne forte nec fœnus nec fortem tibi restituere possem, pecuniam tuam non commisi mensariis, sed in terram abscondi, ut illasam restituere possem. Huiusmodi cogitatus reperitur apud eos, qui munus commissum pro facultate accepta non obeunt. Putant se inutiles Domino, prætexentes austeritatem & seueritatem, cuius gratia periculosum sit illius agere ministrum. Huiusmodi clamores emittunt impij & hypocritæ. Impius plenis buccis clamat, Periculosum & durum est seruire Domino, quod nimis graua à nobis exigit, & ad hæc exiguas concedat facultates. Ergo ne quid hæc donorum Dei per meam pereat imprudentiam, id quod mihi concessit, incolumem & intactum relinquam, ut ubi obiero, & hinc soluero, ille reperiat atque recipiat intactum, quod de suo dederat: interea uerò delicatè & genialiter, atque ex animi mei libidine uiuam. Audies & alium clamantem, Miror quorundam amentiam, qui cum possent commodius uiuere, uouent & dedicant se disciplinæ molestissimæ: nimirum, uigilant, orant, ieiunant, carnem macerant, & crucifigunt, sedentes audiunt uerbum Dei, & opera misericordiæ præstant. Quantum ad me attinet, noui certum esse prædestinatorum numerum apud Deum, & electos damnari non posse, quod nemo rapturus sit illos de manu Iesu Christi. Rursus scio, reiectos ac reprobos in numero esse Deo. Propterea iam mecum hanc rationem in eo, Si es de numero electorum, certò saluaberis, quicquid interim peccaueris: Si es de numero reproborum, certò damnaberis, ut ut te torqueas, corpus maceres,

ores,

ores, uigiles, ieiunes. Nam frustra oras. Oratione enim non impetratur electio. Igitur, ne quid peccem, contineo me, & electioni Dei memet committo, ut nullo meo merito, sed mera Dei electione & gratia saluer. O blasphemias & impias cogitationes desperationis & laqueorum plenissimas! Cauendum est modis omnibus ne in istos incidamus cogitatus. Quandoquidem non est tibi Dominus talis, nisi ex tua imaginatione. Tolle primum cogitatum fide, qua excipias Euangelium, & uocem Domini, donis & facultate necessaria ad salutem te abundè (nisi per te stet) donaturi, & reuera paratissimi te excipere ad misericordiam, ad quam benignè te inuitat. Deinde caue, incidas unquam in eam cogitationem, ut disputes, sis ne ex prædestinatis an reprobis. Vide, si te repereris in Christo esse & manere, si hunc fide & charitate amplexus fueris, & huic te totum concredideris, credito te esse electis, roga Dominum, in quo omnes sunt electi, ut in hac uoluntate & fiducia perseueres: certò te ille exaudiet, & statim abiges impiam illam cogitationem, quæ tibi persuaseras nihil agendum tibi, præter id, quod suaderet caro aut naturæ tuæ procliuitas. Colligamus ex superioribus. Quod tales uerbi Dei infosores & neglectores, ac sedentarij desidiosique homines, conantur se excusare de neglecto uerbo, causam reicientes in Dominum, quem ipsi imaginantur austerum & durum apud suas cogitationes, cum tamen uincantur & doceantur ex uerbo, reuelate aliter, & Dominum humanum, placidum, & benignum proponente: qui si benignus non esset, non contulisset uerbum reuelatum, id quod est magnum benignitatis signum. Obserua duo hic discenda. Alterum, quæ sit occasio hypocritarum habendi odio & terra condendi uerbum: nimirum quia Deum aliū imaginantur, quàm qualem uerbum ipsum proponit. Certe qualem tibi proposueris, & credideris Deum talis tibi erit. Si misericordem, misericors erit: si durum, durus. Alterum, quod hypocritæ causam suæ fœcordiæ & neglecti uerbi, in Deum reiciunt. Rursus aduerte hæc, metis, ubi non seminasti, &c. adiecta sunt, ut clariùs hypocrita explicet iuxta suam æstimationem, duriciæ & austeritatem Domini. Quæ uerba quomodo uera sint, non est, quod quæras, cum sint falsæ æstimationes & uerba tantum imaginatoria de Deo, naturæque Dei non cõuenientia, & cõtraria humanitati Domini, talenta sua liberaliter cõferentis. Possunt tamè hæc accommodari, ut dicamus Deum durum & inexorabilem, quod nullum malum dimittat tibi impunitum. Et metere, ubi non seminauit, quando metit gloriam suam ex uitis relaxatis, quæ non seminauit in animis nostris. Et congregare, ubi non sparsit, ordinando tum uitia tum peccata nostra in gloriam suam. Verum id fit per accidens, ut ita loquar. Et timens, abij, territus tua austeritate: en pusillanimitas, afficiens animum timore perdendi, & non solum adimens spem lucri. Spiritus sentit de Domino in bonitate, & per illud idem sentiunt quicumque syncerè credunt. Contrà caro stulto timore pauet, & Deum crudelem & austerum facit. Vnde fit, ut qui secundum carnem ambulat, propter eam quod de Domino in bonitate minimè sentiunt, minus illum ament, & ad uoluntatem eius amplexandam semper tepidiores sint. Hi dicunt, Deum auferre, quod non posuit, &c. Et abscondi talentum tuum in terra, id est, neglexi uerbum tuum, continui me in infimis cum dono tuo.

Antidota.

Aduersus tentationem de prædestinatione.

Benignitatis immèse fuit, quod Deus donauit nobis uerbum. Deus nobis talis, qualem imaginamur.

Deus quædò durus & inexorabilis. De quomodo metit, quod non seminauit, &c.

Spirituali homini Deus non aliud, atque dulcis sentitur.

Ecce habes, quod tuum est.

Vide, pie lector, ingratitudinem serui nequam & inertis. Primò pecuniam Domini inutiliter apud se detinuit. Deinde se excusat, quasi nihil damni Domino adtulerit, sed, quod illius est, probè restituit. Ecce (inquit) habes, quod tuum est. Tertio, quod impiissimum est, non solum se excusat, sed culpam, quam sibi metuebat intendendam, in ipsum Dominum reicit, dicens, Scio, quod durus es, &c.

Respondens autem Dominus eius, dixit ei.

Suo responso Dominus inuerit impiorum & hypocritarum omnium excusa-

TTt



tionem, ostendens occasionem, quam prætcebant infodiendi talentum, potius debuisse ansam præbere ipsis, non infodiendi talentum. Excusationem ergo ipsorum per antistrophen Dominus in propria ipsorum conuertit capita.

**Serue male & piger.**

Cùm Dominus seruum malum & pigrum uocat, ostendit, quòd non ex metu feueritatis suæ, sed ex propria socordia & pigritia negotiationem detrectauerit. Alioqui dicendum erat, Serue mericulose. Quòd ergo metum prætexit, falsa erat excusatio. Malus erat hic seruus, qui Dominum suum non ex comisso talento spectauit, sed ex propria imaginatione, speculatus est sibi austerum esse Dominum, quæ speculatio fuit postea occasio infodiendi talentum seu uerbum Domini. Pigrum uocat infidelem seruum, qui suos cogitatus sequutus, uoluntatem Domini neglexit.

**Sciebas, quia meto, ubi non semino: & congreuo, ubi non sparsi. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & ueniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura.**

Ex ore proprio per inuersionem iudicatur seruus, & ita confutatur, ut, quod falso prætcebat, ad excusandam ignauiam, magis illi cedat ad condemnationem. Sciebas. Quasi dicat, Noueras (ut ais, serue nequam) me esse lucri auidum, & seuerum exactorem, qui colligerem messem illinc, ubi non feceram sementem: & congregarem prouentum illinc, ubi non feceram sumptum. Quare ergo non ex metu feueritatis meæ credidisti pecuniam meam numulariis, unde iam illam cum usura, hoc est, sortem cum usura, reciperem? Similiter & aliis opponi potest: Si noueratis periculosum esse seruire Deo, maiore certè diligentia in hoc debueratis incubuisse, ut legitimè seruiretis Deo. Nauclerus enim tantò uigilat accuratius, quanto magis sentit ingruere tempestatem. Si denique neglexeritis Deo seruire, quòd (ut dicitis) sentiebatis uobis exiguas concessas uires, facultatesque, tantò ardentius precibus ad me effulis augmentum postulassetis spiritus, & accessissetis ad liberalem Dominum, dicentè, Petite & accipietis: quarite, & inuenieris, &c. Rursus si credidissetis electos duntaxat seruari, damnari repudiatos, quare non uidistis electionem, non ita esse nudam, sed procedere per media, & electos esse fideles, & infideles reprobos? Malus igitur est hic seruus, qui suo Domino facit calumnia, spiritum Dei respuit, & instigationem diaboli obseruat. Piger uerò est, quia noluit talentum duplicare.

**Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.**

Astantibus dixit (ut ait Lucas. 19.) Auferre ab illo minam, &c. Hoc iudicium, (quod omnes pigros & segnès manet) Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, horrendum & terribile est, grauissimam indicans poenam. Est profectò supplicium longè grauissimum, exui omnibus donis Dei, & uacuum Deo, omnique pietate relinqui. Epiphonema est hic locus præcedentis parabole.

**Omni enim habenti dabitur, & abundabit. Ei autem, qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo.**

Hac sententia usus est Dominus supra cap. 13. quam copiosè explicuimus.

**Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.**

Subiungit intolerabilem cruciatum & sententiam terribilem. Eiicite, inquit Iudex, seruum inutilem in tenebras exteriores: extra lucem & consortium piorum: priuetur luce interna, & prorsus exocetetur. Tenebræ exteriores dicuntur respectu internæ lucis.

Aduersus excusationes ingratorum gratiæ Dei.

Tenebræ exteriores.

**Illic erit fletus & stridor dentium.**

Hoc est, Vexatio & inquietudo conscientiaæ perpetua, quæ in hac uita incipit, & tandem perpetuus tormentorū ineffabiliū cruciatus post hanc uitam. Hactenus Dominus à poena & præmio incitauit omnes homines ad uigiliã, ministros autè mysteriorū Dei in primis. Nã Marc. 13. Quæ uobis discipulis meis dico (ait Dominus) omnibus dico: uigilate. Quæ uox meritò semper sonabit in auribus nostris, excitans mentes nostras. Nam ea præscribit, quid toto uite tempore agamus. Cæterum ex hac tam insigni parabola, aliqua & obseruanda & discenda ueniunt.

Primum, quòd nulli, nisi credenti & fidenti, talentū, id est, uerbū Dei, nec aliud quodcunque eius donū proficit. Nã Heb. 11. Accedentè ad Deū, oportet credere, quia est, &c. & sine fide impossibile est placere Deo. Certè incredulis tā ipsum uerbū, quàm cætera omnia, grauioris iudicij causa fiunt. Secundū, quòd fideles agnoscunt, experiuntur ac profitentur bonitatem & misericordiam Dei, quem incredulitas austerum & crudelem facit. Tertium, quòd malè sentiēs de Domino, neque fructuosè neque meritorie operatur, cùm certum sit eum esse absque spiritu Dei. Nam alioqui de Domino in bonitate sentiret. Porro absque eodem spiritu non potest bene sentire de Domino. Quartum, quòd soli fideles, quos replet spiritus Domini, eius uoluntatem obseruare possunt: & in eis talentum, id est, uerbū Dei, fructus copiosos & uberrimos affert. Quintum, quòd idem spiritus uarios fructus per uerbum in electis producit, atque in aliis plus, in aliis autem minus, & id operatur, prout uult. Sextū, quod pro differentia fructuū cuiuslibet, differens quoque retributio sit. Septimū, quod ea etiam, quæ à reprobis sine Dei spiritu fiunt, in maiore electorū gloria cōuertuntur. Octauū, quòd secundū quod quisque de Christo sentit, talē eū inueniet, & secundū id ab illo iudicabitur. Vt si Christum tantum hominem, credis, nihil tibi plus auxiliabitur, quàm alius homo, in iis, quæ ad salutem pertinent. Si Deum tantum credis, non erit tibi redemptor. Si piū & bonum, mox illius bonitatem experieris: si crudelem, mox asperitatem iudicij senties, eò quòd aliter, quàm oporteat, de illo iudices. Si iniustum, te, quasi iniustus puniet: non quòd iniustus sit, sed quia eum iniustum in corde tuo facis.

Nonum, quòd soli fideles & credentes, Christum in regem accipiunt. Nam increduli & affectibus & modis omnibus clamant, Nolumus Christum & eius ueritatem regnare super nos. Decimum, quòd ob id uel multò maximè perire incredulos oportet, imò ob id tantum pereunt, quòd de Christi regno esse nolunt.

Cùm autem uenerit filius hominis in maiestate sua.

Uersatur adhuc noster Euangelista in explicanda quæstione de consummatione seculi, & de uenturo iudice, atque iudicio. Nam occasione illius, hactenus aliquot parabolis ad uigiliam excitauit, & est adhortatus. Nunc uerò rediens, & ueluti colophonem adiciens, totū iudicij progressum copiosè describit. Hoc enim loco, ueluti in quadam breui tabella, ob oculos statuit Iudicem, iudicandos, causarum discussionem, accusationem, defensionem, sententiam, præmia innocentium, & poenas noxiorum. Vnde hic locus partim consolatorius est, uerè credentibus, partim comminatorius, impiis, & hypocritis. Primo loco depingit formam & apparatus aduentus Christi in iudicium. Venturus est filius hominis: in forma humana, Deus & homo conspicuus apparebit omni carni: in uera corporis & omnium membrorum symmetria ueritatēque, uerus homo redibit, quemadmodum ipso ascendente testati sunt angeli discipulis. Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Vero ergo in corpore redibit, eo inquam, quòd ethnici conuulnerauerunt, & de quo post resurrectionem dixit, spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Hoc igitur significantissimè hic expressum est, cùm dicitur, Cùm uenerit filius hominis,

T T t ij

Nihil proficit, nisi credenti.

Sine spiritu nemo bene sentit de deo

Talis Deo nobis, qualem illum facimus.

Christus solus fidelibus rex. Cui rex Christus non est, is fundit perit.

Christus, in iudicio uerè homo apparebit.



Gloria Christi, quid.

nunc quidem contempta persona, dum in mundo uersatur. Sed tunc ueniet in maiestate sua, id est, in gloria. Gloria uero illa erit claritas, & diuina maiestas, lux imensa, & potentia ineffabilis, nec de quauis gloria, sed de sua loquitur. Alia certe est caelestium gloria, alia terrestrium: alia regis, alia cuiusuis principis: alia equitum auratorum, alia militum roratorum. Cuique statui, ordini & conditioni sua est gloria. Ita & specialis gloria est Christo, quae illi cum nulla creatura communis erit. Participes quidem erimus gloriae Christi, cum illa apparuerit, sicut admo- net Paulus Coloss. 3. magna tamen erit inter illius & nostram gloriam differentia. Nam maiestas seu gloria Christi erit gloria unigeniti Dei, & Domini omnium, cui pater omnem potestatem in caelo dedit & in terra, & quem constituit iudicem omnium: ut idem sit, cum uenerit in maiestate sua filius hominis, atque, cum uenerit cum uirtute diuina & splendore caelesti, gloriosus omnium iudex suscipiendus ac tremendus omnibus totius orbis habitatoribus. Si quae nostra futura sit, nemo, ut ait Paulus. 1. Corinthiorum. 2. potest capere, quantum minus comprehendi potest, quanta sit futura gloria Christi in secundo illius aduentu?

Gloria Christi quanta.

Priore aduentu { Apparuit humilis, in forma serui.  
                          { Apparuit imbecillus.  
                          { Subiuit reprobos iudicium, & condemnationem.  
Secundo aduentu { Apparebit in forma Regis & iudicis.  
                          { Adueniet cum gloria.  
                          { Apparebit cum uirtute caelesti.  
                          { Iudicium feret de reprobis.

Priores afflictiones sequuntur posteriores gloriae.

Proinde haec Christus praemisit, cum iam proximus esset morti: & praemonuit suos discipulos, ut illorum recordatione ipsi futura scandala crucis tolerabilius ferrent, essentque horum intuitu ad quauis ignominiam & afflictionem pro Euangelio ferendam paratiores. Vbi obserua, quod tempus humilitatis & crucis sequuntur posteriores gloriae. Sic uidit Petrus. 1. Pet. 1. priores passiones, & posteriores glorias, quae consequuntur ad afflictos Christi exemplo: ut discamus ita definitum esse a Deo, ut tempus humilitatis & afflictionis, quae immittitur probandi & exercendi gratia, in electis praecedat, & tandem subsequatur uita aeternae gloria. Nec est, quod de his mireris, cum & inter homines id obseruetur. Nam ditissimi parentes quos charissimos habent liberos, prioribus annis disciplinae subiiciunt, in qua erudiantur, probentur, exerceantur, in qua insumant multum molestiarum & laborum, ne per mollioris aetatis delicias & inertiam corrupti, ad omnem reliquam uitam inepti & inutiles reddantur.

Et omnes angeli cum eo.

Simile.

Alludit ad morem maximorum, & potentissimorum regum, qui ad tribunal ascendentes, uel in militiam proficiscentes, maximo cum splendore, undique con- crepantibus tubis, & undique stipantibus latera stipatoribus prodeunt. Ita & Dominus cum uniuersa caelesti militia in ipsis caeli nubibus, ceu in tribunali amplif- simo, confidens, iudex apparebit. Quasi dicat Christus, Ego nunc humilis cum paruo & contemptibili comitatu appereo. Ego tunc in gloria mea prodibo, omni militia caelestis exercitus conspicuus & constipatus. Significat ergo Christus, cum quanta uenturus sit potentia & uirtute. Angelorum enim & uirtutum omnium caelestium exercitus cum Christo aderunt: non tanquam alieni a ministerio & pote- state Christi, sed tanquam illius ministri ad executionem iudicii. Imbi nulla, quantumuis ualida, mundi potentia quicquam contra iudicem ualebit. Nam unus angelus totum exercitum Assyriorum, occisis 185000. disturbauit. Quanta au- tem (quae so) est illorum innumerabilis multitudo uentura cum Christo? De hac multitudine mentionem facit Daniel. 7. capite. Milia milium ministrabat ei, & de-

Quanta potentia uel uirtus angeli.

4. Reg. 19.

Angeli haud parum multi.

cies centena milia assistebant ei. Ut intelligas maximam & copiosissimam esse an- gelorum multitudinem. Quamobrem Paulus. 2. ad Thessa. 1. ad terrorem impio- rum, & consolationem piorum, aduentum Domini describens, uocat angelos cum Christo uenturos, angelos uirtutis. Cum dicit, Si tamen iustum est apud Deum retribuere retributionem iis, qui uos tribulant, & uobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de caelo, cum angelis uirtutis eius, in flam- ma ignis, dantis uindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euan- gelio Domini nostri Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Do- mini, & a gloria uirtutis eius, cum uenerit glorificari in sanctis suis, & admirabi- lis fieri in omnibus, qui crediderunt (quia creditum est testimonium nostrum su- per uos) in die illo.

Angeli uirtutis Dei uenturi cum Christo ad iudicium.

Tunc sedebit super sedem maiestatis suae.

Tunc, supple, cum uenerit in maiestate sua filius hominis cum angelis suis, se- debit super sedem maiestatis, id est, gloriae suae, id est, apparebit in magna potentia & maiestate, & non ut uilis & contempta persona. Vox, sedes, in scripturis pro im- perio, potentia & iudicandi potestate accipitur: & Dominus sedere pro tribunali dicitur, quando suo, id est, iusto, iudicio liberat innoxios, & punit reprobos. Sic psal. 9. Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. Caue hoc intelligas, quasi hodie Christus non sedeat in se- de regni sui, cum sedeat ad dexteram patris, Dominus omnium, omnia guber- nans: sed quod tum demum omnes sit uocaturus ad iudicium, poenasque sumptu- rus de reprobis, ac liberaturus pios. Interim tamen, licet regnet hodie, per patientiam & longanimitatem, tolerat malorum improbitatem, sustinet reprobos inter electos uersari, ut respiscant. Siquidem admodum longanimis est, ut uideatur iam non sedere pro tribunali, quemadmodum tunc sedebit, cum tempus patientiae ac lenitatis ha- bebbit finem, nec ultra impij inter pios locum habebunt. Iuxta illud psal. 1. Ideo non resurgent, id est, non consistent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iu- storum. Haec nos admonent, ut dum uigilamus, & dum tempus habemus, opere- mur bonum, & amplexemur tempus gratiae, ne si illud contemnamus, sero aliquan- do simus nostram deploraturi socordiam, ubi Domino sedenti pro tribunali red- denda erit omnium ratio. Quam terribilis futura sit haec sedes impiis, explicatur a Daniele. 7. cap. ubi Daniel thronum Christi uidet similem esse flammae ignis. Non dicit illum fore flammam ignis, sed terroris, quia similem flammae ignis. Ob- serua, hic locus expendit articulum nostrae fidei: Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Sedes. Sedere Christi in iudicio

Christus huiusmodi semper iudex, tamen patienter expectat nos.

Christi thronus, similis flammae ignis.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes.

Congregatores erunt angeli caelestes, omnium potentissimae uirtutes, quibus re- sisti non poterit. Supra. 13. Sic erit in consummatione seculi huius, mittet filius ho- minis angelos suos, per quos, nolint uelint, ad Christi tribunal cogentur etiam im- piissimi & potentissimi. Quomodo autem angeli congregabunt omnes gentes? Per classicum illud, de quo Apostolus. 1. Theff. 4. Quoniam ipse Dominus in ius- su, id est, classico, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de caelo. &c. Om- nes gentes, ubi nemo excipitur. Nam & Paulus. 2. Corinthiorum. 5. ait, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. Congregabuntur ab omnibus mundi partibus. Ante eum, supple, Christi iudicem, pro tribunali sedentem, & de omnibus iam sententiam finalem & perpetuam laturum. Vltimum & uniuersale erit hoc concilium, in quo omnia omnium examinabuntur.

Classicum angelicum.

Et separabit eos ab inuicem.

Appendit seriem & ordinem seruandum in tremendo illo iudicio, cum cau-



farum discussione. Hactenus bonos & malos indiscriminatim tolerauit Ecclesia, unde non raro pessimi quique pro optimis habiti sunt. Sed Iesus Christus iudex (qui omnium corda scrutatur) separabit bonos à malis, & impios à piis: atque duos tantum ordines, & duas partes constituet. Hæc separatio, in ultimo iudicio futura, principium erit & confusionis impiorum, & gloriæ bonorum. Obserua hanc separationem fuisse nobis per similia propositam, supr. 3. cap. per uentilationem ac purgationem aræ. Item supr. 13. cap. per zizania, deinde per sagenam missam in mare: & hoc loco, per oues & hædos.

Separatio ma-  
lorum ab bo-  
nis iudicio,  
per similia  
proposita.

Sicut pastor segregat oues ab hædis.

Boni, oues.  
mali, hædi.

Desumpta est hæc similitudo ex 20. capite Ezechielis. In his certè elegantissi-  
ma refulget allegoria. Hic pastor uerus est Dominus noster Iesus Christus, Ioan-  
nis 10. Oues, sunt boni & pij, ob simplicitatem morum sic appellati. Hædi sunt  
præuaricatores, & noxij homines, libidinosi & reprobj, ob similitudinem studio-  
rum. Petulci sunt & insolentes, quos nemo uel uerbis, uel uerberibus emendauit.  
rit. Ut sub uesperu pastor separat oues ab hædis, ita Dominus in consummatione  
seculi separabit pijs ab impijs. Hic locus consolatur pijs, cum audiunt se olim ab  
improbis separandos. Deinde admonet, ut studeamus in hac uita, mutatis mali-  
tiæ hædinæ moribus, innocentiam ac simplicitatem ouillam amplecti, ne si hædi  
maluerimus, quàm oues, esse, in futuro iudicio cum hædis ad mactationem se-  
paremur.

Et statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

In iudicio su-  
premo quidã  
ueluti subfel-  
liorum mos.  
Dextera.  
Sinistra.

Alludit ad morem fori iudicarij, in quo obseruari solet, ut certa designentur lo-  
ca partibus contendentibus, accusatoribus uidelicet, & reis. Dominus hunc ritum  
iudicarium olim seruabit: statuet enim pijs à dextris suis, id est, pijs seruabit, &  
& uita donabit aeterna. Hædos autem collocabit à sinistris, hoc est, puniet suppli-  
cio perpetuo. Dextera in scripturis locum felicitatis & dignitatis designat: Sini-  
stra, infelicitatis & miseræ. Vnde, Latini loquutiones usurparunt, dexterè, pro  
felicitè, celsit: & sinistrè accidit, pro infelicitè. Incredibile est, quantam confu-  
sionem & cordis anxietatem allatura sit reprobis hæc discretio: & rursus quantam  
lætitiã & constantiam animi, accepturi sunt electi. Cuius rei, imago quædam  
depingitur Sapientiæ. 5.

Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt.

Sententia in  
iudicio à pijs  
exordium su-  
met, idque  
quare.

Tunc Rex gloriosus in throno suo, & æquissimus iudex, pro tribunali sedens,  
plausibilem & amabilem sententiam pro iustis, qui à dextris erunt, pronuntiabit.  
Docet Chrysostomus ab electis iudicem aspiciendum, quod facturus est Domi-  
nus pro bonitatis suæ ingenio, ut qui non delectetur in perditione peccatorum, qui  
totus pronus est ad commiserandum. Sed tunc locum, non habebit misericor-  
dia. Deinde quod primùm pronuntiaturus sit pro electis Dominus, id fiet, ut  
impij non solum audiant, quid pro sua impietate comeruerint, sed & antequam id  
audiant, in electis uideant, quãto gaudio & honore se priuarint. Id quod iustis in-  
credibilem consolationem & honorem, impijs autem confusionem adferet in-  
narrabilem.

Venite.

Sententia su-  
prema, me-  
morabilis.

Hæc est sententia saluatoris, omnium desyderatissima, qua ueri Christiani, hæ-  
redes declarantur regni Dei, & in illius possessionem hæreditariam assumuntur.  
Hæc sententia nunquã animis nostris excidere debet, quod nihil in scriptura offen-  
damus, quod animos nostros, siue in aduersis tolerãdis, siue in tentationib? Satanæ;  
carnis & mundi, sic confirmet & erigat, imò quod consoletur deiectos ac cæstos,  
atque hæc una sententia, si per solidam & fidelem memoriam mentes credentium  
occupauerit. Iam discutiamus sententiã uoculas. Primo uerbo non simpliciter di-

cer, Estote hæredes regni Dei, aut, decerno uobis regnum Dei. Sed, ut totus est  
philanthropus, singulari quodam fauoris & amicitie uehemētis affectu inuitabit  
& uocabit pijs ad se, dicens, Venite amici mei, quos mundus quidem despiciatos  
& execrabiles habuit, sed pater meus pro honoratis & laudabilibus habet. Hunc  
affectum & in mundo constitutus declarauit supr. 11. cap. dicens, Venite ad me  
omnes, qui laboratis & onerati estis, &c. Quo uerbo dat nobis uim audendi, ut ac-  
cedamus ad ipsum. Quis enim ad tantum iudicem uiuorũ & mortuorum, quanuis  
iustus, accedere audeat, nisi accedendi ad se fiduciam ipse animis nostris inderet?  
Venite igitur, quasi dicat, Iustum & æquum est, ut qui regi obsequuti sunt, absol-  
uantur ab omni malo: æquum est, ut qui fidem seruauerunt, benefici fuerunt, &  
Dominum suum uerè dilexerunt, cum Domino suo, nunc colligantur, & æternũ  
cum ipso uiuant atque lætentur.

Deus noster  
se nobis præ-  
stat accessibi-  
lem.

Benedicti Patris mei.

Cum sciret suos, tanquam deuotos & execrabiles, abiiciendos & condemnan-  
dos esse à mũdo, consolatur illos, cum declarat futurum olim, ut agnoscantur,  
& cohonestentur pro benedictis Dei: pijs, beneficos, iustos siue beatos uocat bene-  
dictos, ideo quia fideles sunt, & ad patrem hos pertinere dicit, quia à patre dilecti,  
& in gratia & benedictione patris constituti. Scriptura dicit, In semine tuo bene-  
dicentur omnes gentes. Proinde hoc semen, siue hæc benedictio, Christus est. At  
benedictionis participes sunt, qui credunt in Christũ. Sunt igitur benedicti, quia  
fideles seu Christiani. Ideo credentes inuitat ad gloriam dicens, Venite benedicti.  
Quasi dicat, Venite ad me, quicumque per fidem uiuam, benedictionẽ Abraham  
promissam accepistis: quicumque à maledictione liberati, & in Christo benedicti  
estis. Solenne fuit maioribus ut propè his uerbis exciperent hospites, quos ex ani-  
mo, tanquam amicos Dei, complectebantur. Ut Laban, uolens excipere seruum  
Abraham, Genes. 24. ait, Ingredere benedictẽ Domini. Cur foris stas? Quemad-  
modum itaque amica hac appellatione cum excipimus amicos hospites, significa-  
mus nos amico & desyderanti affectu illos uenientes complecti, ut cognoscant se  
uenisse ad amicos: & licet inter peregrinos, non domi suæ, agant, tamen non mi-  
nore affectu excipi, nec inferiore seu remissiore: & hilariore animo esse debere,  
quàm si domi suæ essent, & apud amicissimos. Ira planè uidetur Christus appel-  
latione ista amica, qua dicit, uenite benedicti patris mei, ob id usus, ut bona &  
solida fiducia ad se ueniant, certi quod omnium sint acceptissimi. Demus igitur  
operam, ut benedicti Domini inueniamur, & amicam illam uocem audiamus,  
uocati ab ipso benedictionis Domino.

Pij quare be-  
nedicti pa-  
tris.

Simile.

Possidete regnum.

Declarat Christus, ad quid inuitat, & quid præmij est suis collaturus. Introdu-  
cit illos in fructum hæreditatis. Non dicit, sperate uobis regnum. Nec, ut Lucas  
12. Quærite regnum Dei, &c. aut, complacitum est patri, dare uobis regnum: Sed,  
percipite iam regnum. Non enim ampliùs tantum sperandum erit, sed iam re ipsa  
percipiendum, quod in hoc tempore fide creditur, & spe expectatur. Sed ait, possi-  
dere, siue, ut Græcis legitur, κληρονομήσατε, hoc est, hæreditate percipite regnũ, tan-  
quam dilecti filij, ueluti propria, ueluti paterna, ueluti uestra. Magna laus, quod  
ex impijs facti sint pij, transeuntes ad hæreditatem regni Dei. Quid uerò posside-  
bunt? Regnum, uitam uidelicet beatam, consortium Christi, & gaudia, ut ineffa-  
bilia, ita nunquam terminanda. Hac uoce regnum, attollit animos piorũ, ut me-  
ditentur cœlestium & futurorum bonorum splendorem: sumpta à rebus mũdi hu-  
ius formula. Quare hæc cogitata excitant sanè spiritum in electis, ut magis ac ma-  
gis sua negligant, imò Deo sese committant: & proximis demerendis totos im-  
pendant.



## Paratum uobis à constitutione mundi.

Ablatius, à constitutione mundi, coniungendus est participio, paratum. Sen-  
sus est: hæreditate percipite regnum, uobis paratum, antequam mundus fieret,  
Minus enim dicit, & plus significat. Non enim cœpit parari regnum æternum ele-  
ctis, quando mundus creabatur, sed ab æterno regnum illud electis fuit paratum.  
Sicut ipsi ab æterno ad hoc fuerunt prædestinati, & prius quàm mundus fieret. Vn-  
de Paulus Ephes. 1. dicit, Deum elegisse nos ante mundi constitutionem. Rogab-  
is, Quæ est illa regni præparatio? Certè non est aliud, quàm hominum ad illud  
prædestinatio. Vt in uerbo illo Domini supra. 20. cap. Sedere ad dexteram meam  
uel sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et. 1.  
Corinth. 2. cum mentio fit de bonis cœlestibus, dicit, Quæ præparauit Deus dili-  
gentibus illum. Econtrariò autem cum in malam partem fit sermo, dicitur ignis  
infernalis paratus esse diabolo, & angelis eius, quatenus ad illius, ignis cruciatus  
est cum suis præscitus. Obserua datiuum, uobis: uobis, inquam, credètibus, non  
solum paratum iam est, sed aliquibus destinatum, idque ab æterno. Quibus uerò  
destinatum est? credentibus, quos hinc benedictos patris uocat. Hæc uox, quod pa-  
ratum, &c. eò tendit, ut certò sciamus destinatum esse diuinitus piis credètibus re-  
gnum cœlorum. Ita & Apostolus Roma. 8. quum uellet diuinæ prouidentie certi-  
tudinem persuadere Christianis, dixissetque, Scimus, quòd diligentibus Deum,  
omnia cooperatur in bonum: diuinæ electionis propositum, omnium certissimū,  
statim subiecit, dicens, Iis, qui secundum propositum uocati sunt sancti.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis  
mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & ope-  
ruistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & ue-  
nistis ad me.

Hæc est ætiologia, qua uelut ratio quædam præmissæ sententiæ redditur. Ad  
hæc discutitur causa. Et reuera iudicati causa æquissima est. Iustū enim & æquum  
est, ut qui plantauit uineam, de fructu eius edat. 1. Corint. 9. Ita qui altario seruit,  
de altario uiuat, & qui fidei seruitio Domino Iesu adhæserint, cum ipso uiuant, &  
& perpetuò lætentur. 2. Timoth. 2. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si  
sustinebimus, & conregnabimus, &c. Benedictos alloquitur, quòd cum charita-  
tem (qua iustificati sunt & filij Dei facti) haberent, ipsam exerentes, opera meri-  
toria & accepta Deo, fecerunt. Quæ enim à charitate sunt, sunt uelut rami boni &  
fructiferi, à radice bona & fructifera. Porro ex affectu & factis iudicantur. Ita fit;  
ut in præsentis iudex non dicat simpliciter, venite, quia credidistis: sed venite, quia  
benefici fuistis. Hæc beneficentia, quæ actus uoluntatis simul & externum opus  
comprehendit, hoc est, fides per charitatem operata beneficentiam, uos iustifi-  
cat, absoluit à damnatione, & efficit hæredes uitæ æternæ. Hic enumerantur ma-  
xima & præstantissima fidei uiuæ (quæ Deo placent) uerè bona opera, quæ uulgus  
rectè nuncupat opera misericordiæ. Quæ cum ad certum numerum non redigan-  
tur, si qua sunt his similia, ad hæc referuntur. Non est putandum, quòd hac una  
formula tantum, quæ hic ponitur, sint omnes probandi uel reprobandi Christiani:  
sunt enim & alia præclara, quæ absque dubio in illo die in Christianis tum  
agnoscentur, tum probabuntur: ut pote, quòd multi pro Christo omnia sua, etiam  
uitam ipsam, reliquerint, quorum quanta futura sit gloria in illo iudicij die, su-  
pra uidere est capite. 19. Item quàm plurimi fideles sunt dispensatores mysteriorū  
Christi, quorum fides agnosceatur in die illo, ut præcedenti capite uisum est. Sed,  
Dominus hac enumeratione, Esuriui, &c. formulam comprehendit, quæ genera-  
liter omnibus possit competere Christianis. In primis iubet cibare esuriētes, & po-

Regnum cœ-  
lorum quo-  
modo para-  
tum electis.

Ex operibus  
omnes iudi-  
candi.

Opera mis-  
ericordiæ.

tare sitientes, non tantum amicos & fratres, sed & hostes, sicut Paulus quoque do-  
cuit Roma. 12. ex prouerbis Salomonis. Secundum est, hospitio excipere uagos  
& exules, ubi quoque affabilitatem, & omnem humanitatē erga indigenas & pe-  
regrinos intelligere oportet. Tertium est, uestire nudos. Quartum, infirmos uisi-  
tare, his inseruire, omnibus, quoad licet, mederi, condolere, uarièque affectos fi-  
deliter consolari. Vbi ergo apparebunt, & quid iudici respondebunt, qui morbi-  
dos fugiunt, & in morbo squalorēque perire sinunt? Quintum est, captiuorum  
causam suscipere atque iuuare: iuuare, inquam, uiduas, pupillos, orphanos, & om-  
nes afflictos atque oppressos. Porro licet in his omnibus nulla mentio fiat innocē-  
tiæ, uidelicet ne cuiquam noceamus, sed beneficiorum magis. Tamen nō satis fue-  
rit, si nemini nocueris, nemini item benefeceris, certè oportet utriūque coniunge-  
re, hoc est, nemini nocere, & omnibus benefacere, si fieri potest. Obserua, Chri-  
stum non dixisse, esuriuerūt mei, sitiuerunt, nudi fuerunt, &c. sed esuriui, &c. ut  
ostenderet esuriam, sitim & quauis suorum miseriam, esse non magis ipsorū, quàm  
suam. Ergo consolationem accipiant afflicti, cum ex his uerbis Christi intelligant,  
Christum non ignorare famem, uincula & carceres suorum, neque solum illas af-  
flictiones ostensurum illum in die illo se cognouisse, sed etiam in se transulisse.  
Deinde glorientur & honorari se sentiant in afflictionibus, quòd, quæ patiuntur,  
patitur in ipsis Christus. Rursus obseruatione dignum est, quòd non dicit, esurie-  
runt pauperes, & cibastis eos: sed esuriui & cibastis me, ut ostenderet præcipuè ha-  
bendam esse curam domesticorum seu Christianorum. Tamen si bona sit &  
laudabilis humanitas illa erga pauperes, quæ & apud gentes reperitur, tamē Chri-  
stus hinc præcipuè loquitur de charitate erga se, qua pauper propterea alitur, uesti-  
tur, hospitio excipitur, &c. quòd Christi sit. Hanc agnoscat in die iudicij: illa ue-  
rò communem humanitatem & beneficentiam non repudiabit, quam commen-  
dat Paulus ad Roma. 12. Et Christus ipse supra. 5. cap. docet omnibus benefacere:  
sed hæc præcipuè inter domesticos fidei sectanda, & altera non omittenda. Obser-  
ua, licet hic sermo dirigatur ad beneficos, simul tamen ii qui beneficia recipiunt,  
admonentur, ut cum summa animi gratitudine utantur istis beneficiis, cogitent-  
que honorari in se Christum. Sancta sunt, quæ Christo impenduntur, proinde &  
sanctum exigunt usum. Erigantur ergo excitenturque, ut perpendant, cogitent,  
imò adorent hanc Domini bonitatem, perpetuò apud se meditantes, ac ita cogitā-  
tes, Quis ego sum Domine, ut in me ostendatur ac declaretur fidelium tuorum er-  
ga te charitas? & quòd mihi sit, & in meum usum ac necessitatem cedit, non mi-  
hi, sed tibi fieri dicas? Hæc si cogitent, & animo reuoluant ad afflictos nec erunt im-  
patientes in aduersis, quæ credent ueluti ipsi accidere Domino: nec murmurabūt,  
si nemo condoleat, & nemo quicquam det, cum sciant sibi nihil deberi, sed Chri-  
sto. Nec malè utentur fidelium beneficiis, quæ sciunt ipsi impendi Christo. Obseruan-  
dum est autem, quanta cum hilaritate & liberalitate succurrendū sit pauperi. Quis  
enim adeò durus est, qui si credat Christo se dare cibum, potum, aut uestem, mo-  
lestè hoc sit facturus: Quid illi facient tandem, qui uilissima dant Christo, & quæ  
dant, egrè dant? Non enim hic respicitur ipsum munus, sed magis animus dantis.

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te ui-  
dimus esurientem, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi  
potum? quādo autem te uidimus hospitem, & collegimus  
te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te uidimus  
infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te?

Videtur hoc responsum esse paradoxon, quòd uideatur insolens esse esurire eū,  
& pati, qui extra uitæ huius & conditionem & miseriam sit, & cœlos petiit: & in

Duo fidei &  
salutis capi-  
ta simul iun-  
genda.

Cōsolatio in  
afflictionib'.

Bonum opus  
benè, hoc est,  
propter Chri-  
stum, fiat.

Qui benefi-  
cia accipit,  
qui se gerat.

Cōsolatio in  
egestate.

Adhortatio  
ad beneficia  
tam.



coelestibus nullius rei indigus regnet. Vt itaque declaratione huius loci adducat, inducit iustos admiraturos, ac dicturos, non, quando uidimus aliquem ex tuis esurientem, sed, quando te uidimus, &c. Nō ignorat qua fide omnia sua faciāt opera, & quod omnia dona Dei, bona sunt, & nihil boni se habere, quod a Deo non acceperint. Supererat explicare, quod Christus in membris suis colitur: idque sibi impensum putat, quod suis fidelibus impenditur, & pauperibus in primis.

Et respondens Rex, dicit illis, Amen dico uobis, quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Formam beneficiendi praefert, ut fortiter illam nobis inculcet & commēdet. Et excussurus a nobis omnem dubitationē assueerat cum iuramento, tollens praetextum & excusationem eorum, qui nullos refocillare se posse pra inopia dicere uellent, cum ait, vni ex minimis istis, &c. Minimis enim praesidiis minimi contenti esse solent. Addit & uoculam, minimis, ne putemus Christum id tantum agnosciturum, quod praecipuis & apostolis sit factum. Et ut intelligamus, quo loco habere debeamus hos minimos, uocat & agnoscit illos pro fratribus. Tum Rex palam confitebitur, sibi uelle imputari, quicquid unicuique fuerit impensum ex iis, quos mundus quidem ob inopiam & humilitatem habuerit despiciatissimos. Ipse tamen adeo non habuit pro contemptis, ut fraterni cognominis eos honore dignetur. Amen (inquit) id est, pro certo habetote, tamen ego nullius indigebam subsidio, qui Dominus sum rerum omnium, tamen quandiu ista mei respectu fecistis unicuique ex hisce minimis meis fratribus, mihi fecistis. Hoc responsum suauissimam affert consolationem contra scandala contemptus piorum, qui quamquam sunt contempti, tamen nomine Christi commendati habentur. Obserua nihil periculi esse, quod inopes sunt, egeni, sordidi, aegroti, squallentes, contempti in mundo. Haec enim non efficiunt, ut non sint Christi & fratres Christi. Breuiter, quisquis eget, & propter Christum auxilium postulat, Christi frater dicitur. Christum contemnis, si hunc contempseris. Nam ad Saulum quoque dicebat, Saul le Saule, cur me persequeris? cum Christi Ecclesiam Paulus persequeretur.

Minimi qui putantur, quia tibi faciendi.

Christi frater est, quisquis eget, aut affligitur.

Tunc dicit & iis, qui a sinistris erunt.

Pronuntiata sententia pro iustis ad uitam aeternam, procedet in definitione sententiae contra iniustos & impios ad supplicium aeternum. Et illa sententia huic, uelut ex diametro, opponitur.

Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Dixit piis, Venite. Ad impios dicit, Discedite a me. Quasi dicat, Facessite hinc, qui nihil ad me pertinetis. Procul & prorsus alieni a me estote. Longe, omnium grauissimum calamitosissimumque est abiici a conspectu Dei. Nam propheta ait, psal. 15. Ad implebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Ad pios dixit, Venite benedicti: ad impios ait, discedite maledicti, id est, detestabiles & condemnati. Non dicit, Sitis posthac, uel eritis deinceps maledicti, sed, discedite a me maledicti. Ergo antequam ad Christi iudicium & tribunal ueniant, qui tales sunt, maledicti sunt. Quemadmodum enim per fidem uiuam in Christum, aufertur maledictio, & confertur benedictio (Christus enim maledictum sustulit, Galat. 3.) ita per incredulitatem retinetur & manet maledictio. Na Ioannis tertio, Qui credit in filium, habet uitam aeternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ad pios dixit, Possidete paratum uobis regnum, &c. Ad impios ait, non solum discedite, quod non fat poenae sit discedere a Christo, sed exaggerat poenam, uidelicet, in ignem aeternum, qui paratus est, in poenam & supplicium sempiternum, diabolo & angelis

eius, id est, omnibus impiis, quorum autor, pater & doctor est diabolus. Quemadmodum enim pij in regno Dei cum omnibus sanctis exultant, eternum laudantes nomen Dei. Ita impij apud inferos aeternum torquebuntur, dolebuntque: & diaboli omniumque comitum eius, spirituum (inquam) impurissimorum, & omnium pessimorum hominum consortes sociisque, lugebunt plorabuntque in secula seculorum. Christus & diabolus ponuntur uelut duo capita & principes, ita diuisi, ut quisquis ad Christum non pertinet, ad diabolum pertineat. i. Ioann. 3. Qui iustitiam facit, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Christus caput est in regno lucis. Diabolus uero princeps habet malignos spiritus, & ut sic dicam, aulam suam, ministros, subditos & fautores. Hi omnes ana concludentur in perpetuos carceres, in ludum, in tormenta, in dolores, & arumnas, anxietatesque perpetuas. Christus cum angelis, prophetis, Apostolis, martyribus, & omnibus sanctis suis uersabitur eternum cum gloria & laetitia in caelis.

Christus & diabolus, duo capita.

Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non uisitastis me.

Haec est aetiologia, & iudicati causa, cum accusatione grauissima per singulas partes, opposita superiori sanctorum laudi. Declarat autem, quare hoc hominum genus, tanquam maledictum, & ad se non pertinens, sit abiecturus. Ex his uidebunt se ipsos uere maledictos & inexcusabiles, & merito ipsis haec poterunt obiici. In primis quanta laborarint infidelitate erga Christum: cuius membris afflictis non condoluerunt, & nec exaruerunt ingenui & fidelis animi opus, nec imitati sunt pium illum & misericordem Thobiam, cum pauperum Christi in hoc seculo miseria non tangerentur, declarantes se uere Christianos non esse, adeoque dignos, qui a Christo olim reicerentur. Secundo inhumanos se manifestarunt, qui nihil affecti fuerunt humanis miseriis, quibus & ipsi (cum homines sint) obnoxij sunt: ut uel naturae communi debuerint ad commiserationem afflictorum commoueri. Deinde inexcusabiles manifestabit facilitas, qua afflictis, esurientibus, nudis & huiusmodi poterant succurrere. Non enim impossibilia exigebantur, sed tantum ut quae, uel superflua erant, darentur. Certè factu facilia postulabantur. Breuiter his uerbis impij accusantur inclementiae & immisericordiae.

Impij, merito abiecti a Deo.

Tunc respondebunt & ipsi, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?

Mimetica excusatio est impiorum & hypocritarum, plena foeda hypocrisis. En uides illos modò Christum pro Domino agnoscere: quod nihil aliud est, quam, quod Christiani uideri uoluerunt, & tales, qui nunquam passuri fuissent Christum esurire, sitire, & misere oberrare. Sed parati erant ad omnia illi obseruantiae & reuerentiae exhibenda officia.

Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quandiu non fecistis uni de minoribus iis, nec mihi fecistis.

Detegit Christus impiorum hypocrisim, quae coram Christo nequit subsistere. Ipsorumque apologiam ineptissimam confutat, dicens, Amen dico uobis, quatenus non fecistis vni de minimis his, contemptis & ignobilibus coram mundo, nec mihi fecistis, ut capiti, cuius membra sunt minimi. i. Ioan. 4. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim nō diligit fra-

Deus in suis uel colitur, uel negatur.



trem suum, quem uidet: Deum, quem non uidet, quomodo potest diligere?

Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitã æternã,

Extremum & summum, æternumque in malos supplicium hic pronuntiat, ut suprã æternam uitã assignauit bonis. Hunc locum explicat Christus Ioan. 5. Nolite mirari hoc: quia uenit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Post latam iudicis sententiam, non erit potestas appellandi ad aliud tribunal, non erit ulla cuiusquam interpellatio, sed mox subsequetur iudicij executio. Et propterea quòd sua spõte non sunt ituri in supplicium: mittentur & impellentur in hunc ignem per angelicas & cœlestes uirtutes

IN CAPVT VIGESIMVM SEXTVM

Epitome.

Christus Cœna facta in cœnaculo, & precatione in horto, à Iuda traditur, à Iudæis capitur, ducitur & accusatur, atque à Petro negatur.

CAPVT XXVI.



Factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum & Seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem, non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Quum autem esset Iesus in Bethania, in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes, Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud uenundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis uobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico uobis: ubicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mûdo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriã eius. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scariot, ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut traderet eum. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis, paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit illis:

Mors Christi. Marc. 14. a.

Consilij sacerdotum contra Christum.

Christo pedes unguentur à muliere.

Ioan. 11. a. Marc. 14. a.

Pauperes.

Iudas uendit Christum.

Marc. 14. b. Luc. 22. a.

Ite

Ite in ciuitatem, ad quẽdam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus: & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Et contristati ualde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?

Paropside: i. e. i. e. i. e.

Traditurus: i. e. i. e. i. e.

Benedictus: i. e. i. e. i. e.

At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit illum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.

Mittitur Apostoli, paratum pascha. Marc. 14. b. Lucas. 22. b. Ioan. 13. b.

Psal. 40. c.

1. Cor. 11. c.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui Testamẽti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem uobis, non bibam amodò de hoc genimine uitis, usque in diẽ illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti: Tunc dicit illis Iesus: Omnes uos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cãntet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hinc, donec uadam illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit, contristari & in cœtus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hinc, & uigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Veruntamen nõ sicut ego uolo, sed sicut tu. Et uenit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes. Et dicit Petro, Sic non potuistis una hora uigilare mecum? Vigilate, & orate, ut ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua. Et uenit, & iterum inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertio, eundem sermonem dicens. Tunc uenit ad discipulos suos, & dicit illis, Dormite iam, & requiescite: Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, cãmus.

Remissio peccatorum.

Apostoli scandalizati.

Marc. 14. c. Ioan. 16. a. 18. a. Luc. 22. d. Zacha. 13. c.

Marc. 16. b.

Petri negatio. Ioan. 13. d.

oliueti: i. e. i. e. i. e.

uillam: i. e. i. e. i. e.

Tristis: i. e. i. e. i. e.

Christus in horto tristis. Marc. 14. d. Luc. 22. d. Oratio Christi. Dormientes discipuli.

Vigilia. Oratio. Spiritus. Caro.



Ecce appropinquavit, qui me<sup>k</sup> tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas, unus de duodecim, uenit, & cū eo turba multa, cum gladiis & fustibus, misit à principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autē tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quęcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eū. Et cōfestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi: & osculatus est eū. Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid uenisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerūt in Iesum, & tenuerūt eū. Et ecce unus ex his, qui erant cū Iesu, extēdens manū, exemit gladiū suū: & percutiens seruū principis Sacerdotū, amputauit auriculā eius. Tūc ait illi Iesus: Conuerte gladiū tuum in locū suū. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia nō possum rogare patrē meū, & exhibebit mihi modò plusquā duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturę, quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis, Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus, comprehendere me. Quotidie apud uos sedebam docēs in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturę prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerūt. At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caiphā, principē Sacerdotum, ubi Scribę & seniores cōuenerant. Petrus autē sequebatur eū à longē, usque in atrium principis Sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut uideret finem. Principes autem Sacerdotū, & omne concilium querebant falsum testimonium contra Iesum, ut eū morti traderēt. Et nō inuenerūt, cū multi falsi testes accessissent. Nouissimē autem uenerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Et surgens princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quę isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti. Verūtamen dico uobis amodò uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cęli. Tunc princeps Sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid uobis uidetur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Petrus uerò sedebat foris in atrio. Et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilęo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis. Exeunte autē illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait his, qui erāt ibi, Et hic erat cum Iesu Nazareno: & iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum, accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro, Verē & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum

Iudas osculo  
Christū pro-  
dit.

Marc. 14. e.

Luc. 22. e.  
Ioan. 18. a.  
Auricula ser-  
uū amputataGladio peri-  
turi.Apoc. 13. e.  
Genes. 9. a.  
Isa. 53. c. d.  
Scripturę im-  
plendę.

Thren. 4. d.

Marc. 14. f.  
Luc. 22. f.  
Ioan. 18. c.  
Ducitur ad  
Caiphā.  
Petrus sequi-  
tur.Falsi testes,  
Ioan. 8. d.Tacet Iesus.  
Adiurare.  
Iesus fateur  
se esse Chri-  
stum.  
Supr. 16. d.  
1. Theff. 4. d.  
Rom. 14. b.Conspuitur,  
& alapis ca-  
ditur.Isa. 50. e.  
Petrus negat  
Christum.

Marc. 14. g.

Luc. 22. f.  
Ioan. 18. c.

te facit. Tunc cępit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, quod dixerat illi, prius quā gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarē.

Et factum est, cū consummasset Iesus sermones hos omnes.



Ostquam Iesus consummasset hos sermones, de suo aduentu in nouissimo die habitos, tertio die ab ingressu suo in urbem Ierusalem magnifico, quibus sermonibus tot modis confirmarat animos suorū aduersus afflictiones imminentes, ne animum desponderent ob imminentem sui Domini ignominiosam mortē. Hęc exhortatio uidetur facta die Mercurij manē: qua absoluta abierunt summi pontifices in concilium suum impium, in quod sese recepit Iudas, & Dominum suum uendidit.

Dixit discipulis suis, Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur.

Palām aperit discipulis diem ac modum mortis suę, & illius mentionem inculcat illorum animis, ne quum eam uiderent, uelut ad rem prorsus inexpectatam sic expauescerent, ut penitus animum desponderent, præsertim cū intelligerent Iesum ultro uenisse ad mortem, quā alioqui poterat effugere: neq; occidi poterat; antequam adesset dies, quę suę mortis præsignerat. Scitis, id est, scire debētis: Quia post biduum, id est, post hunc diem Mercurij & diem Iouis; Pascha fiet: Et filius, &c. Quibus uerbis ostendit Christus paschatis tempus præfixum fuisse, quo crucifigeretur. Deinde se fore uerum Pascha, pro mundi redemptione immolandum, cuius typus & figura in paschate illo Iudaico præcesserat: quod propter duo celebrabatur. Alterum, ut memoria seruaretur liberationis Aegyptiacę. Alterum, ut uelut umbra quędam esset futurę redemptionis, quā non ex Aegypto, sed è regno Satanę, nō in terram Chanaam, sed cęlestem patriā, qui ad hoc prædestinati erant, liberarentur. Pascha sonat transitum, typusque fuit mortis & resurrectionis Christi. Facilis est applicatio harum rerum ad typum, Exod. 12. Filius hominis nunc contempta & uilis persona. Tradetur: hęc traditio causa est omnium afflictionū. Crucifixio post remus traditionis Christi effectus. Breuis est hęc sententia, Filius hominis tradetur, &c. sed quę multa complectitur, & est summa & scopus totius historię supplicij Christi. Filius hominis, id est, Iesus Christus, traditur ut crucifigatur. Traditur enim à Iuda Sacerdotibus: ab his, Pontio Pilato: ab hoc carnificibus cruentissimis, ad crucem, in qua post multa tormenta tādē expirat. Passibilis, & mortalis erat secūdam naturā humanā, secundum diuinā impassibilis. Ideo Petrus. 1. 4. dicit, Christum in carne passum esse. Et Paulus inquit, Exinaniuit se, forma serui sumpta. Orthodoxē tamen, propter unionem naturarū in unam personam, dicitur Deus mortem perpeffus, & cruci affixus. Vide Damascenum de orthodoxa fide lib. 3. cap. 3. Porro acerbitas illa passionis Christi grauissima, ostendit quā irascatur peccatis nostris Dominus. Quis enim tam obtuso fuerit ingenio, qui, uidens ineffabilibus tormētis discrucuari dilectissimum Dei filium, idque propter peccata mundi, non propter ullam ipsius culpam: inde non colligat, Deum odisse ex animo peccatores, atque scelera, ut qui non potuerit placari atque reconciliari impio mundo, nisi per acerbissimam filij mortem? Quare hac parte passio Christi docet omnes homines timorem Dei, fugam scelerum, & iustam pœnitentiam, & ne quis, prætextu satisfactionis Christi, in peccatis perseueret, aut impudenter destinataque malitia peccet. Docet nos & hęc eadem passio, simul & commēdat nobis gratiam, misericordiā, atque dilectionem Dei. Nam ex hac tradidit nobis filiū: unde colligit Apostolus, Qui proprio filio suo nō pepercit,

Paschę solen-  
nitas à Iudeis  
quare cele-  
brata.Deus mor-  
tuus, crucifi-  
xus, &c.Peccatores  
Deo odiosi.Gratia & cha-  
ritas Dei er-  
ga nos.  
Crux patien-  
tis Christi, se-  
des docentis  
Dei.



fed pro omnibus nobis tradidit illum, qui fieri potest, ut non cum eodem omnia nobis donet? Hac igitur parte docet nos passio Christi, fiduciam, & spem in Deum, dilectionem item Dei, & proximi. Proinde, cum predicatur nobis Christus afflicti-  
Affici ac mo- ueri ut debet mus passio- ne Christi.
 us, crucifixus, & mortuus pro peccatis mundi, oportet nos grauius religiosiusque affici erga illam predicationem, quam cum audimus Iosephum adolescentem carne-  
Dolere qui nos oportet ad mentione crucis Christi.
 stissimum Madianitis esse uenditum à suis fratribus. Ad rem enim istam, ceu indignissimam obstupescimus, & indignamur, sed & pio condolemus adolescenti. Cum uerò audimus, Christum uinctum, afflictum, & casum esse propter peccata, cogitabimus nos esse in culpa, & illum propter peccata nostra esse traditum, nos ergo occisores esse Christi. Exiguum fuerit condolere Christo patienti, nisi magis  
Passio Christi, nostra.
 doleamus propter scelera nostra & calamitatem propriam, contrito corde orantes, ut clementer nostri misereatur. Ex uinculis Iosephi non admodum magna redit ad nos utilitas, non enim illa propter nos gessit, nec ex illis speramus nobis salutem. At in passione Christi, non aliena, sed nostra res geritur, & ea, quæ maxime ad nos pertinet. Nam per uincula Christi credunt se liberari uerè fideles. Ita per sputa, & uerbera Christi confidunt se redemptum iri à penis inferni. Per condemnationem Christi sperant se absoluedos ab execratione perpetua. Itaque his mors Domini, certissima est uita & salus. Habet præterea passio Domini perfectissimum totius uitæ exemplum, docens, quid tã in prosperis, quam in aduersis agamus. Quodd si uiua fide Christo crucifixo, ceu uiti palmites, inferamur, uires quoque ipse sufficiet, quibus illud perficere poterimus, quod faciendum eius exemplo didicimus.

## Tunc.

Eodem mane, die Mercurij. Designat tempus uenditionis Christi, & consultationem in mortem eius.

Congregati sunt principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.

Hæc ut intelligamus, non pigebit huc transcribere obiter, quæ ab Hege-  
Ius summi sacerdotij tempore Christi conuulsum.
 sippus libro de excidio Ierosolymitano. 2. cap. 12. & 13. ait, Temporibus Christi interierat summi ius sacerdotij, aut avaritia interceptum, aut potiorum insolentia, qui, licere quod uellent, ius putabant. Nam à principio Aaron summus Sacerdos fuit, qui ad filios suos ex uoluntate Dei unctione legitima, transmisit sacerdotij prærogatiuam, à quibus per ordinem successione constituti sunt, qui principatum sacerdotij gesserunt. Vnde patrio more conualuit, neminem fieri principem Sacerdotum, nisi qui esset ex sanguine Aaron, cui primo ius istiusmodi delatum est sacerdotij. Alterius autem generis uiro, nec regi quidẽ, licebat in id officij succedere. Fuerunt itaque ab Aarone summo pontifice principes Sacerdotum 13. usque ad extruccionem templi Salomonici. Rursus à Salomone, usque ad tempora captiuitatis ad uastatam urbem, & exustum templum præfuerunt Pontifices 18. Captiuitatẽ uerò dissoluit Cyrus, & fit Sacerdos magnus Iesus filius Iosedech. Cui per successione subrogantur pontifices. 15. ad Antiochum usque Eupatorem, qui per Lysiam ducem suum Oniam occidit, & Alchimum quendam substituit: post quem maxima fuit populi conturbatio. In turbis autem illis ad pontificatum perueniunt è Leuitica tribu nati Asomonæ, quos & Machabæos alij appellauerunt. Ex his enim Ionatas sacerdos magnus factus, septem post se habuit nobilis prosapiae pontifices, quorum ultimus fuit Aristobulus ille præstantissima indole, & forma præditus adolescens, quem Herodes rex curauit per insidias, dum lauaret, aquis præfocari. Nam omnis potestas Iudaici regni ad Herodem alienigenam fuerat iã per Romanorum fauorem deuoluta. Nactus uerò Herodes regnum, quod à Ro-

manis ( ut Hegeffippus inquit ) pro oppugnata, uel prodita patriæ mercede accep-  
Herodes regnum à Romano accepit prodita patriæ mercedem. Archelaus Herodis filius.
 perat, in locum occisi Aristobuli substituit successores in sacerdotiũ, non Asomonæ generis prosapia clarissimæ uiros, sed ignobilissimos quosque, quos aut libido, aut casus dedisset. Similia gessere in constitutione sacerdotum Archelaus Herodis filius, pariter & Romani præfides: qui cum essent auarissimi: & legum Dei prorsus ignari, adde & impiissimi, sacerdotij primam dignitatẽ non his designabant, quos commendabat uel pietas, eruditiõque in lege patria, atque uirtus, uel generis successio, & ordinatio Dei: sed qui uel opulentissimi plurimum numerassent, uel Romanorum partes sequentes, plus habebant fauoris. Proinde nihil supererat in toto sacerdotum ordine integrum, nulla erat legitima ordinatio, nihil fiebat à sacerdotibus, quod lex postulabat: corrupta erant omnia: pretio & fauore constabant omnia: uenalia erant omnia. Vnde uerè dicit Hegeffippus: Liqueat igitur in sacerdotum principibus non perseuerasse legitimi generis successione, quia non omnes ex Aaron, neque filii eius, qui in eius subrogati locum, formam præscripte successione ceteris dereliquere. Itaque cum avaritia, aut perfidia suorum corrupta essent maiorum instituta, uiolata iura religionis, conuulsa æquitatis præsidia, non immeritò eos deseruit diuinum auxilium. Hæc ille. Porro primus præfides Iudæis ab Augusto Cæsare datus, qui Iudæam reget, Cyrenius fuit, cuius meminit Lucas 2. cap. Is Iozarum pontificem sacerdotali deposuit officio. Successit Cyrenio Copinus, & huic Marcus quidam, cui subrogabatur Annus Rufus, post quem uenit Valerius Gratus, de quo hæc scripta reliquit Iosephus lib. antiq. 18. cap. 4. Valerius Gratus Ananum remouens sacerdotio, Ismaelum filium Iabi pontificem designauit. Sed & hunc non multò post abiiciens, Eleazarum, Annæ pontificis filium sacerdotio surrogauit. Post annum etiam hunc arcet officio, & Simoni cuidam Camithi filio ministerium pontificatus attribuit. Sed cum amplius & ipse, quàm unius anni spatio eodem perfunctus fuisset officio, Iosephum, cui Caiphas nomen fuit, habuit ordine successorẽ. Et Gratus quidem talia gerens, Romam reuertitur: postquam undecim annos in Iudæa compleuerat. Huic successor Pontius Pilatus effectus est. Hæc Iosephus. Quodd autem Caiphas manserit in summo sacerdotio sub præfide Pilato, hic locus satis ostendit. Principes ergo sacerdotum, id est, qui in sacerdotibus prominebant, & primatũ gerebant: & seniores populi, qui populo præerant, congregantur in atrium ante introitum domus Caiphæ principis Sacerdotum, hoc est, qui summo fungebatur sacerdotio illo anno. Homo ut tradunt historiae corruptissimus, avaritia, & libidine, ac superbia, & ambitione turgidus, nulla ad summi sacerdotij dignitatẽ legitima ordinatione uocatus, sed propter munera, & fauorem impiissimorum præsidum ethnicorum è face subleuatus in eminentiam summi præfatus, quem & occupabat, non sine modico pauore, semper metuens, ne ex eo loco excideret, deiicereturque, in quem magnis sumptibus ægrè inter tot competitores ascenderat. Huic nulla erat cura de promouenda Dei gloria, de pietate serenda in popularium animos, de iudicij, & iustitiæ restitutione, de amplo prouentu: seipsum potius, atque sua quærebat in omnibus. Religionis quidem antistes erat, sicuti religionis negotia omnia pontificum censura subiecta erant. Adhibebat hic sibi in iudicandis, gerendisque religionis negotiis reliquum Sacerdotum primariorum collegium. Scribas, inquam, id est, legum consultos, scripturarum peritos, & seniores populi, ex quibus omnibus colligebatur uelut purpuratorum senatus, & sacrosancta synodus. Verum qualis erat homo hic primarius, tales & Sacerdotes, legisperiti, & doctores, nempe corruptissimi, & in omnibus (quod dici solet) pedibus concedentes in summi pontificis sententiam. Et (ut summatim dicam) corruptissimum planè Senatũ fuisse necesse est, cui præfuit turpissimus nebulosus Caiphas, in quo nullum habebat locum ulla uel pietas, uel æquitas, primas autem obtinebat, adeoque exultabat omnis iniquitas, im-



pietasque. Hos suis coloribus eleganter depinxit Sapiens, Sapientia. 2. cap. Dixerunt impij, cogitantes apud se non rectè: Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt: & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter: uino pretioso, & unguentis nos repleamus, &c. Legito reliquum.

Et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent, & occiderent.

Dicebant autem, Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

Scriptit Euangelista, qui in hoc consilium conuenerint. Nunc ponit, ad quid conuenerint, nempe ut Iesum dolo tenerent. Palàm, & ui publica non audebant manus iniicere, idque propter plebem, quæ frequentissima ad festum diem confluebat, & magnificè de Christo sentiebat. Vnde uerebantur, ne si aggredierentur Christum, tumultus exoriretur, resistentibus publicæ iniuriæ, quibus ueritas per Christum prædicata placebat, sacerdotum auaritia, & corruptio displicebat. Vide mihi: seditiosi, & tumultus autores, qui iniuriis, & tyrannide sua iustas tumultuandi causas præbent, agnoscunt interim sese esse tumultus autores: & hi tamen mox coram præside Pilato audebunt accusare Christum, ceu autorem seditionis. Hoc reuera habet impietas, ut innocentibus impingat id, cuius ipsa maximam gerit culpam. Plebem metuunt, non Deum, omnia uidentem. Quasi uerò Deus uersetur circa cardines cæli, nostrique nullam curam, aut rationem habeat. Consultatores isti, sibi impietatis conscij, dolo nõ iusta causa perdere uolunt ueritatem. Ingenium simplex, ac rectum, dolosum esse non potest. Dolus arguit ingenij malitiam: dolos igitur quærunt hi impij. Dolus an uirtus (inquit ille) quis in hoste requirat? Non in die festo, aiunt: prætexunt prudentiam, & religionem. Quasi dicerent, Violaremus sabbatum, & turbaretur publica pax, si in festo illum aggredieremur. Obserua, hæc scribi, ut intelligamus, hoc genus hominum suis insidiis Christum occidisse. Nam licet mors Christi diuinitus fuerit ordinata, & à consilio Dei pependit, exigebat tamen ipsa historiae narratio, ut quibus, & quorum illa machinis structa sit, conscriberetur. Ut intelligamus non esse aliquod hominum genus, regno Christi infensus, quàm eorum, qui specie pietatis in populo Dei regnant, & tyrannidem exercent. Hæc consultatio pessima, & iniquissima prodiat à mentis ipsorum cecitate, in quam suis meritis diuinitus coniecti erant. Quod duplici ratione Deus facere solet. In primis quando id exigit certitudo diuini propositi. Secundò, quando puniendi sunt impij. Nam & ibi redduntur cæci & incogitantes.

Nulli pestilētiore aut nocentiores in regno Christi, ipsi hypo-critis. Impiis mentes quare excæcat Deus.

Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis Leprosi.

Præfens hæc historia minimùm sex diebus Pascha præcessit. Nam Ioannes de isto conuiuio nominatim dixit, 12. cap. Iesus ergo ante sex dies Paschæ, uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cenam ibi. Vide, quæ scripsimus in eum Ioannis locum. Si quid annotatione dignum obseruauero, illic omissum, nõ pigebit huc transcribere. De Simone Leproso annotauit S. Hieronymus, Leprosus dictus, nõ quòd leprosus eo tẽpore pẽstiferus: sed quòd antea leprosus, & à Domino mundatus, uetus nomen retinuerit, ut inde uirtus reluceret curantis: perinde, ut Matthæus à pristino uirio, officioque publicanus ab Euangelista dictus est, qui tamen publicanus esse desierat.

Accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti pretiosi.

Alabastrum. Hæc Maria est Magdalena, soror Marthæ. ἀλαβαστρον, delicata pixis unguentaria & uitrea est: ita dicta à λαβειν, prehendere, & priuatiua particula α, addita per pleonasmon ε, quòd ob leuiorem comprehendi non possit. De alabastrite lapide meminit Plinius lib. 36. cap. 7. Cum enim proximo capite meminisset onychiis, ita pro-

sequitur: Hunc aliqui lapidem alabastritem uocant, quem cauant ad uasa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta seruare dicitur. Et pretiosi est *καρυττινον*, quasi dicas, grauis pretij, quòd olim appenderetur æs, non numeraretur.

Et effudit super caput ipsius recumbentis.

Nihil pugnantia est, quòd hic dicatur mulier effudisse unguentum super caput, cum Ioannes dicat, Et unxit pedes Iesu. Vtrunque fecit: & caput & pedes unxit. Hæc indicant Lazarum, Martham, & Magdalenam singularem amore affectos fuisse erga Christum. Symbolum est amicitia communitio mensæ. Et Christus pro sua humanitate hoc genus declaranda amicitia non affectabat quidem, attamen non respuebat. Cœnat ergo Bethania Dominus, & oleo, siue unguento, siue aqua odorifera pro more gentis perfunditur. Solemne erat in præcipuis conuiujs singulares amicos hoc ueluti recreationis genere propter regionis æstum excipere, & honorare, sicuti uidere est in uerbo Christi ad Simonem Pharisæum, Luc. 7. Oleo caput meum nõ unxisti, &c. Lautius ergo uiuere, & corpus unguentis curare, & pretiosis rebus uti, in loco, & tempore, pro qualitate rerum, ac personarum, non est peccatum. Concessit enim illa Dominus homini, ut in fide, moderatè, & cum gratiarum actione, iis utatur, tantùm pauperum non obliuiscatur.

Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes.

Non est infrequens scripturis ad eò synecdoche, ut multitudini alicui tribuatur, quod in unum, aut alterum ex ea competit. Credo unum Iudam murmurasse, eò quòd fur esset, & doleret sublatam sibi de hoc pretio quidpiam furandi occasionem: etiam si alij mox per Iudam ad murmur pertracti sint. Mentem ac fraudem proditoris exponit Ioannes. 12. cap. dicens, Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & oculos habens.

Ut quid perditio hæc? potuit enim istud uenundari multò, & dari pauperibus.

Indignatione, & obmurmuratione contra Dominum satis testatus est Iudas, quali fuerit animo erga ipsum, cui inuidebat tantulum gloriae, siue corporis cultus atque cura. Plus ille suum commodum dilexit, quàm Dominum, cui prætulit uilissimum, turpissimùmque lucrum. Itaque cum uideret se raptu illo priuatum, mox ira, dolore, & cupiditate superatus, cogitat iacturam hic factam, sanguine Christi, Domini & magistris sui, Sacerdotibus diuendito, sarcire. Vnde mox sequitur, Tunc abiit unus de duodecim. Agnoscamus in primis, quòd mentem hominis impellat auaritia, indignatio, nemiãque habendi cupiditas. Deinde obserua, Iudam exemplum esse omnium eorum, qui aliena opera, & officia malignè calumniantur, ut qui ausus sit damnare Mariæ opus, ceu uanum, & perditum. Solent huiusmodi calumniatores, mortalium esse corruptissimi, & tamen si iudicia ipsorum audias, uidentur esse integerrimi.

Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri?

Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis uobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc, unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Hunc locum satis copiosè declarauimus, Ioan. 12.

Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit, in memoriam eius.

Iuramento confirmat Christus, quòd hæc unctio, facta à muliere, est opus bonum.



Opus Mag-  
dalenæ Chri-  
stus bonum  
esse asseuerat

num, & præter mirificam commendationem huius unctionis, prædicat Euange-  
lium hoc, utique de ipso, quod morte sua electos consummauit, & beat, in toto  
mundo prædicatum. Sensu uerborum est, Pro certo habetote: Iudas damnauit  
hanc unctionem, putauitque obiurgandam à me mulierem: sed tantum abest, ut  
huius mulieris officiolum, & obsequium uituperari sinam, ut magis laudari iu-  
beam. Sanctè uobis affirmo, & iuro, quod ubi mors mea, per Euangelium toti or-  
bi celebrata fuerit, simul & huius mulieris memoria, pietasque celebrabitur. Disca-  
mus ex his, neminem sua priuandū esse fraudandūque laude. Deinde sanctis ope-  
ribus, uirtutibusque, in primis misericordiæ & charitati, paratum esse præmium.  
Rursus colligamus ex hoc loco, sanctorum opera pia, sancta, fortia, prædicatione  
veritatis celebranda esse, memoriāque habendam uirtutum. Nimirum, ut illo-  
rum exemplis mirificis ad eadem uirtutum, & pietatis studia plurimos excitemus.

Fortia facta  
neutiquam  
silentio præ-  
menda.

Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Scariot,  
ad principes Sacerdotum.

Nusquā syn-  
cera societas  
aut amicitia.

Propter im-  
pios pij non  
contemnen-  
di.

Cupiditas  
quantū adue-  
hat mali.

Tunc, *supple*, cum antistites religionis in atrio Caiaphæ consultarent de Christo  
capiendo, occidendoque: & cum Iudas, unguenti profusione exasperatus, & iam  
inuidia, auaritiāque grauissimè saucius, cogitaret, quomodo acceptum damnum  
in profuso unguento, farciret. Tunc, inquam, adit, certè diabolo, auaritia, & inui-  
dia stipatus, illos, à quibus sperabat se recepturum, quod sibi perierat in profu-  
sione unguenti. Emphasim habet uox, vnus de duodecim. Nam proditor Christus,  
non ab uno aliquo hostium suorum: sed à suo ipsius discipulo, eoque non extremè  
fortis, sed è duodenario illo Apostolorum numero, quos ex omnibus aliis discipu-  
lis selegerat, quibus tradiderat potestatem edendorum miraculorum, & quibus  
commendauerat clauas regni cælorum. Discamus ex his, nihil ab omni parte esse  
beatum, & quàm nulla sit integra prorsus societas, cum in sacrosancto Apostolo-  
rum choro uideamus furem reperiri, & proditorē. Discamus item simulatos ami-  
cos pestilentiores esse publicis hostibus. Proinde nemo offendatur, si inter Christi  
ministros reperiat Iudæ quisquam imitator: nec putet propter huius impietate,  
reliquorum abiiciendum esse ministerium. Discamus etiam, ut si quando per do-  
mesticos fraude petimur, memores simus, quid Christo hinc cōtigerit, factumque sit  
uel à selectiore discipulo. Adhæc obserua, quàm uerè scripserit Paulus. 1. Timoth.  
6. Radicem omnium malorum esse cupiditatem, & eos, qui uolunt ditescere, inci-  
dere in tentationem, & in laqueum diaboli, & desyderia multa & inutilia, & no-  
cua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.

Et ait illis, Quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradam?

Quid faciat,  
non cernit a-  
uarus.

Erumpit tandem proditor, auaritiæ ueneno percitus, & in satanicum receptus  
consilium: negligit omnem amicitiam: exiit omnem humanitatem: obliuiscitur  
omnium beneficiorū: deserit saluatorem, ac sese sciens & uolens perdit, & uiuum  
uiui Dei filium pretio exponit, dicens, Quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tra-  
dam? Obserua inuitatoriam causam ad prodendum Christum. Non rogat impu-  
dens proditor, quam aduersus Christum causam habeant, aut quid cum eo sint fa-  
cturi, sed simpliciter de pecunia paciscitur, parum sollicitus, quid in Christū sint  
designaturi.

At illi constituerunt ei triginta argenteos.

Extrema gau-  
dij impiorū  
luctus occu-  
pat.

Marcus. 14. & Lucas. 22. scribunt, quod summi Sacerdotes, audito Iuda, gau-  
diū sunt. Hoc gaudio suam ipsorum obstinatam cecitatem exerebant, & ubi lugen-  
dum erat summoperè, ibi gaudent. Non est materia gaudii, ubi impius in sua du-  
rat, & prosperè uiuit malitia. Non enim aliter contingere potest, quum ea prospe-  
ritas in summam uertatur calamitatem, & id gaudii in maximam tristitiam, quod

re ipsa in istis impiis declaratum est. Sanguinarij consultatores cōueniunt cū Iu-  
da proditore impudentissimo, constituentes ei triginta numos argenteos. Obserua,  
quid possit φιλὰργυρία. Homo hominem ad mortem in manus insensissimorū ho-  
stium, imò discipulus præceptorem, & quod omnem longè impietatem superat,  
creatura creatorem, filium Dei, turpissima morte necandum pecuniā tradit, eaque  
non multa, sed exigua, denique non presente, sed tantum promissa. An non hic,  
si uspiam alibi, exclamandum est, Quid non mortalia pectora cogis argenti malè  
suada fames? Porro quàm indignum hoc fuerit, uide. Proditur, non pretio regni  
alicuius terreni, aut principatus: sed pretio tantum triginta argenteorum. Qui etsi  
tantum ualuerint, ut his emptus sit ager in sepulturam peregrinorū (ut mox di-  
cetur) tamen quantum, obsecro, est hoc pretium, si conferatur ad Christum, om-  
nis diuinæ maiestatis thesaurum? At qui quod est in Christū ab Iuda inchoatum,  
hoc postea in Ecclesia Christi suos habuit progressus. Nam Ecclesiæ Christi mul-  
tò maiora damna intulerunt ij, qui uidebātur amicissimi, quàm manifesti hostes,  
& persecutores. Iudæi persecuti sunt Ecclesiam, sunt & Gætes eam persecutæ, idque  
omni genere crudelitatis. Atque hæc quidem persecutiones uisæ sunt aliquod in b-  
modum Ecclesiæ inferre: sed multò maius damnum dederunt hæretici, & hypo-  
critæ, qui uolebant uideri Ecclesiam maximè omnium defendere, & conseruare.  
Discamus ex his, quanto odio Satan persequatur Christum, & Ecclesiā eius, quod  
non tantum excitet contra Christum inimicos & hostes: uerum etiam amicos, di-  
scipulos, adeoque Apostolos eius. Deinde agnoscamus quanta potentia cōstet Chri-  
stus, & Ecclesia eius: quod etsi tam amici, quàm inimici inferant eis damna, non  
tamen possint opprimere.

Quid nō aū-  
ri facta fa-  
mes?  
Avaro nihil  
scelus, nihil  
inhonestum.

Occulti ho-  
stes multò a-  
pertis nocen-  
tiores.

Satanæ mirū  
odiu in Chri-  
stum.

Et exinde quærebat opportunitatem, ut traderet eum.

Malis consultatoribus omnem operam pollicitus est Iudas proditor: unde, spe  
efficiendi propositi cōcepta, gaudetur. Hoc ut præster, ex eo tēpore quæsiuit oppor-  
tunitatem, ut Dominum suum traderet. Et Lucas addit, sine turba. Ecce ingeniū  
impiorum, & obcæcatorum. Occulta petunt, quasi Deus non uideat, & nulla  
eius sit prouidentia. Diligentiam autem Iudæ uideto, & fidem in tam scelesto  
negotio: diligentia adhibetur, & fides reperitur, cum nec intercesserit fideiussor,  
nec testis aliquis, nec cautio literaria. Quid causæ est? profectò hoc operatur obsti-  
nata obcæcatio, & planè corruptus affectus. Summi Sacerdotes sum moperè cupie-  
bant Christum absque populi tumultu extinctum iri. Iudas uerò obnixè affectabat  
pecuniam promissam. Ideo utriusque, quod polliciti sunt, studiosè præstant. Acce-  
dit etiam impulsor Satan, qui hoc in suis agit, ut fidei seruantes sint, in re mala.

Etiam in sce-  
leratis fides  
reperitur.

Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes.

Totum tempus septem dierum solēnitatis Paschalis uocabatur dies azymorum.  
Historiam, & legem azymorum uide Exodi 12 & 13. Legis huius ueritatem, &  
mysterium uide. 1. Corinth. 5. Hæc prima dies azymorum fuit, in qua præceptum  
erat manducare agnum Paschalem brutum, cum azymis panibus: erat decima  
quarta luna primi mensis, qui nostro responder Martio. Manducatus agnus est sub  
uesperam, anno passionis Christi, hora, quæ respondet uesperæ feriæ quintæ no-  
stræ. Qua uespera Christus secundum legem Exodi 12. immolauit, id est, macta-  
uit, & comedit agnum cum discipulis suis. Iudæi uerò immolauerunt, seu macta-  
uerunt, secundum traditionem patrum, Iudicum, inquam, Sanhedrin, maximè  
uerò rabbi Eliezer. Eo die, hoc est, feria quinta, discipuli accesserunt ad Iesum,  
Bethaniæ hospitantem, dicentes.

Tempus im-  
molandi a-  
gni.

Vbi uis paremus tibi comedere Pascha?

Nihil dubitant discipuli de loco, sed de domicilio, & hospite, ad quem diuer-



Ierofolymis,  
& nusquam  
alibi, celebra-  
dum uer<sup>o</sup> pas-  
cha.

tant. In Luca, 22. cap. legimus Christum occupasse, ac misisse Petrum, & Ioan-  
nem, paratum Pascha, & tum ab illis Dominum rogatum fuisse, ubi parare debe-  
rent. Locus ex lege notissimus erat: uidelicet urbs Ierofolyma. Nam Deutero. 16.  
non licebat alibi, quàm in eo loco, ubi stabat tabernaculum constitutionis, cele-  
brare Pascha. Reliquum igitur est, ut cum tabernaculum, seu templum Domini  
fuerit Ierusalē, necesse quoque fuerit, ut in ea sola urbe Pascha immolaretur. Quod  
& obseruatum est à temporibus Dauidis, & Salomonis. Hoc autem non erat te-  
merè, sed à Spiritu sancto constitutum, & habebat suam causam, tum politicam,  
tum spiritualem. Nam cum impiæ gentes, quæ colebant idola, fuerint ex omni  
regionis parte Iudæis finitimæ, una tantum parœcia instituta, & unus tantum lo-  
cus in tota Iudæorum regione designatus est, in quo publica sacra peragerentur:  
& ad quam parœciam quotannis ter omne masculinum (iuxta legem) conueniret,  
ne si unicuius in quouis loco sacra pro sua libidine facere permillum esset, non so-  
lum non facerent sacra legitime, sed etiam exemplis finitimarum gentium inuita-  
ti, sectarentur idololatriam, & à uero Deo Israël deficerent. Hæc est prudentissi-  
ma ratio, qua rudis populus, qui adhuc erat sub legis pædagogio, in unius, & ueræ  
religionis officio continebatur. Postquam autem reuelatum ac delatum est Euan-  
gelium Christi in totum orbem terrarū, non iam una tantum parœcia, non unus  
tantum locus à Deo electus est, sed sparsim, & pluribus locis erecta sunt templa, in  
quibus prædicatur syncerum Euāgelium Christi, & sacrificium sanctum celebra-  
tur, in quo præfens habetur corpus, & sanguis Iesu Christi, & sacramenta distri-  
buuntur, iuxta institutionem eius. Ibi etiam est legitima parœcia, & uera Christi  
Ecclesia, adeoque magnificentissima aula Dei. Sed præter hanc politicam rationē,  
uoluit Spiritus sanctus hac lege, qua exigit, ut in sola urbe Ierusalem, in qua erat  
templum, immolaretur Pascha, significare, quod Christus, uerus agnus Paschalis,  
non in alio loco passurus esset, quàm in Ierusalem, & quod ea sola esset uera reli-  
gionis doctrina, quæ ab hoc loco initium per Apostolos acciperet, & per ipsos in  
totum orbem spargeretur: uidelicet quod solus Iesus Christus sit expiator pecca-  
torum nostrorum, & autor salutis nostræ. Quod igitur hæc lex præcipue uoluit,  
hoc Christus nunc implet, non tam quod uescitur agno Paschali in urbe Ierusalē,  
quàm quod in ea urbe suscipit publicam suam pro peccatis nostris passionem. Ro-  
gantes, non dubitant de loco, ubi uis, &c. sed de domicilio & hospite, ad quem  
diuertant.

Vbiq; De<sup>o</sup>  
colitur, & u-  
bique sacra  
Dei.

At Iesus dixit:

Christus ab-  
sens uidet om-  
nia.

Maiestas &  
diuinitas  
Christi.

Respondet Iesus discipulis, in cuius responso, uide, quàm aperte suam ostendat  
maiestatem, prius quàm capiatur & crucifigatur. Nam tamen aberat ab Ieru-  
salem quindecim stadiis, agens Bethanię, uidet tamen, tãquam præfens spectator,  
quid apud Ierusalem geratur. Introeuntibus (inquit) uobis in ciuitatem, occurret  
homo, hydriam aquæ portans, &c. Et quanquam à Pontificibus ita iam proscri-  
ptus esset, ut à nullo ciuium, sine maximo capitis periculo in Ierusalem hospitio  
exciperetur: tamen patrem familiars, ad quem mittit discipulos suos, occulta sua po-  
tentia obsequentissimum reddit. Ostendet (inquit) uobis cœnaculum magnū, &c.  
Et discipuli inuenerunt, sicut dixerat. Hæc ostendunt maiestatem, & diuinitatem  
Christi, siuntque ad confirmandam discipulorum fidem, & ne offendantur cruce  
Christi, quod cum hæc absens, seu præfens uiderit, testatur se etiam uidere, quid  
insidiarum contra se struant Pontifices, aut quid pepigerit cum ipsis Iudas: ut, si  
uellet, potuisset in tempore suffugisse crucem. Sed uoluit manere obediens patri,  
& facere eius uoluntatem, sicut in capite libri scriptum est.

Ite in ciuitatem, ad quendam, & dicite ei.

Monet quidam, Græcis non legi *πρός τινά*, sed *πρός τὸν Δάνα*, id est, ad illum.

Sic autem loquuntur Græci, cum significant certum hominem, quem tamen nõ  
nominant: unde uidetur Christus edidisse nomen, quod Euangelista obtulit.  
Certè, quantum licet coniectere, non est cognitum, quis iste fuerit. Quãdoquidem  
tam erat domus illius discipulis incognita, ut indice opus habuerint. Quisquis ue-  
rò fuit, oportet illum certè magna prædium fuisse dilectione erga Christum, quod  
Ierofolymis constitutus (ubi cautum erat, ne quis cum Christo commercium ha-  
beret) hoc officij Christo præstiterit. Fateor Christum iuxta mundum planè fuis-  
se pauperem, qui non haberet ubi reclinaret caput: sed huic non defuerunt amicu-  
li fideles, qui omnia sua illi communicarent. Nemo igitur de cura & bonitate pa-  
tris fidelissimi desperet. Nam, ut ut nos prefferit inopia, si Deum timuerimus, nõ  
deseret nos illius prouidentia: diuitum animos excitabit, ut liberali beneficentia  
nostam subleuent paupertatem, & indigentiam. Ciuitatem singulari antonoma-  
sia intelligit Ierusalē, quod & circūstantiæ aliæ de solemnitate Paschali subindicat.

Christo non  
defuerunt ali-  
quor amicu-  
li.

Tempus meum propè est.

Hæc propter discipulos Dominus commemorat, uolens illos admonere, ac do-  
cere, quod neque imprudenter, neque inuito animo mortem tam ignominiosam  
subiret: sed planè scienter, & alacriter. Nec dicit, mors mea propè est, sed, tempus  
meum propè est: uolens ostendere suam mortem, certè diuinitus esse destinatam.  
Et ut hoc exemplo parati simus, & alacres, ubi tempus aduenerit, quod cuique  
præfinitum est.

Apud te facio Pascha cum discipulis meis.

Hæc indicant, quanta fuerit necessitudine, & amore Christo coniunctus hic  
hospes, cui tanta cum fiducia pariter, & autoritate mandat, ut locum sibi det eden-  
di Pascharis. Ea scilicet est autoritas præceptoris erga discipulum, ea est fiducia pa-  
tris erga filios. Sic Paulus Philemoni scribit, ut paret sibi hospitium. Tãtum & ho-  
die deberet inesse autoritatis & fiduciæ ministris Christi erga auditores suos. Por-  
rò Marcus. 14. paulò significantius hanc legationem depingit, dicens, Et mittit  
duos ex discipulis suis, & dicit eis, ite in ciuitatem, & occurret uobis homo, lage-  
nam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite domino do-  
mus, quia magister dicit, ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis mā-  
ducem? & ipse uobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate no-  
bis. Stratum dicit, hoc est, instructum omnibus, quæ ad sacram illam cœnam pos-  
sent requiri.

Fiducia Chri-  
sti ad suos.

Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus.

Agnoscamus hoc loco exemplū fidelis obedientiæ. Licet hospes, discipulis igno-  
tus esset, hos tamen humanissimè recipit: & tamen sciret Christum summo habe-  
ri odio à synagoga, huic tamen alacriter parat hospitium, ueluti dicens: desydera-  
tissimi uenistis, quæ mandat Dominus uester, idem & meus, lubens faciam. En  
quicquid domi habeo, in manu habetote, & pro uestro ducite. Sunt domi lactuæ  
agrestes, acetū, paropsides, baculi, cingula, focus, ligna, ueru, ignis, & quicquid  
ad uestræ legationis functionem pertinet. Cœnæ destinata cœnaculum in superiore  
parte ædium, ubi haberi solebant insigniora cœnacula. Obserua, alienos & igno-  
tos seruire filiis Dei, dum in uia Domini illi ambulant: dum persequuntur, ad quæ  
Dominus illos uocat. Discipuli iuxta præceptoris uoluntatem parat, quæ ad etum  
agni Paschalis erant necessaria. Ritus edendi agni scribitur Exod. 12.

Seruis Dei  
omnia obse-  
quuntur.

Vespere autem facto, discumbebat cum discipulis suis.

Sub uesperam decimæ quartæ lunæ primi mensis (qui apud nos Martius est,  
partim cum Aprili coibilis) ad locum, ubi apparatus erat à discipulis conuiuium  
se contulit Iesus. Et cœnaturus, accubuit cum duodecim discipulis suis. Lucas. 22.



cap. scribit Christum dixisse discipulis, Desiderio desiderati manducare uobiscum hoc Pascha, &c. Hoc erat ultimum in mortali corpore cum discipulis conuiuium facturus, & in eo plurima de regno suo, & ipsorum in hoc officio expositurus, idque fufius, & clarius, quam antea. Quae diuus Ioannes per cap. 13. 14. 15. & 16. est persequutus.

Et edentibus illis, dixit.

Absoluta priore coena, in qua comestus est agnus brutus, typicus, surrexit à coena, & accepta aqua in pelui, cinctus linteo, lauit pedes discipulorum. De qua re copiosè scripsi in 13. ca. Ioannis. Quibus lotis accepit uestimèta, & rursus accubuit, celebraturus & instituturus sacrosanctam coenam, in qua se, id est, uerum agnum, uiuum uiui Dei filium discipulis comedendum dedit. Itaque illis iam accumbentibus, coepit Iesus dicere.

Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est.

Iudas seipsum perdidit, qui Dominum prodidit. Simile. Dens nemini imponit necessitatē peccandi. Cùm Deo displiceant hominum peccata, & maximè perditio, Christus maturè, & tempelluè Iudam admonere studuit, ne periret. Iudae enim sua in manibus & arbitrio perditio erat. Nā ut neque medicus, praedicens aliquem acuta febre laborantem, & suae sanitatis negligentem, breui moriturum, hoc prognostico non imponit necessitatem moriendi aegrotō: ita nec prouidentia Dei (ut quidam garriunt) facit necessitatem peccandi. Non enim peccaturus erat Iudas, quia Christus praedixit: sed praedixit, quia peccaturus erat Iudas. Non est igitur inutilis & uana haec Domini admonitio qua Iudam ad poenitentiam inuitat. Accepta pecunia enormiter peccauerat Iudas, grauius tamen peccauit postea tradens Dominum. Dominus ergo in tempore, & dum animus Iudae adhuc anceps dubiusque haerere uidebatur, adoritur illum, licet sub obscuro sermone id faciat, & conscientiam eius ferit, ut omni in posterum excusatione priuetur, nec quicquam eorum omittatur, quae boni uiri officium exigit. Velim tamen obserues, quod de proditore Dominus meminit, eo praecipuè tendere, ut Apostolorum fidei seruiat, hoc est, ut peracta prodicione & intellecta scripturae adimplerione, firmius credant, hunc Iesum esse, quem Spiritus sanctus in scripturis iam olim designauerit, uerum scilicet Messiam, in lege & prophetis promissum. Scilicet huc magis tendebat animus Christi, quam, ut cum proditore deplorato, & excacato ageret, atque reliquorum magis rationem habebat, quam Iudae. Proinde primus congressus est, in ueritate dico uobis, quod unusquispiam ex uobis, qui modò mecum tam amicè (ut uideatur) conuiuamini, post paululum me est in manus hostium proditurus. Modestiae & lenitatis plena est admonitio: nomine non prodit quenquam.

Et contristati ualdè, coeperunt singuli dicere.

Perfusus. Hoc audito sermone mæror ingens cepit animos omnium. Sibi quisque suspectus erat ac diffidebat, nimirum cōsciū imbecillitatis humanae: alius alium inspiciebat vultu subtristi, & cōturbatissimo. Hodie cùm in sacra concione peccata accusantur, nemo se inspicit in sinū, nemo in sese descendit, sed praecedenti spectatur mantica tergo: quisque putat nihil ad se, sed ad alios pertinere, quae dicuntur. Hūc mærorem Apostolorum tria causabantur. Primum quòd Dominus prodendum se dixerat, hoc est in manus hostium tradendum. Audierant antea narrantem Dominum de sua morte: interea tamen ipsos meliori spe Dominus consolabatur, ut uidere est Ioan. 13. 14. 15. & 16. Sed hic audiunt se orphanos futuros, & amissuros suum Dominum. Secundum, quòd acerbissimam parit in ipsis mæstitiam, est, quòd ab uno quopiam, qui praesens accubuit, prodendum est: hoc est, quòd inter ipsos reperiendus esset, qui tantum facinus auderet, cùm nulli alij chariores amici fuissent à Christo habiti, quam ipsi, ex omni discipulorum grege singulariter delecti.

lecti. Tertium, cùm non dubitarent de dicto Domini, hoc uehementer animos angebat, quòd ignorarent, quis esset futurus ille proditor.

Nunquid ego sum Domine?

Quaquam huius tanti facinoris non essent sibi conscij undecim: tamen quia iudicio Dei adhuc cadere poterant, & tanta laborat homo infirmitate, securos se non ausi sunt affirmare, ceu ignari quid de se futurum esset. Vide mihi: Prorsus tales sumus, ut in horas mutemur, & quod hodie ne cogitamus quidem, imò cuius oppositum cogitamus, cras affectemus: & quod iam nullo pacto admittimus, paulò post faciamus. Profectò Petrus nihil minus admittere uolebat, quam ut Christum negaret. Atqui eadem nocte unius ancillae uoce perterrefactus, iureiurando etiam Christum negauit, non solum quòd discipulus illius non esset, sed quòd ne cognouisset quidem illum unquam. Vehementer igitur turbati Apostoli cupiunt hac mæstitudine liberari, & sese excusare: incipientes, quisque ait, Num ego sum Domine? Rabbi, an fortè ego traditor ille ero, quem modò generali sermone designasti? Si ego is futurus sum, profer palam nomen meum, ut pudore confusus, desistam, uel etiam confratrum gladio confossus, occumbā prius, quam ad tam impudens, & scelestum scelus perueniam. Obseruanda uenit hoc loco simplex probitas, quae ad accusationem scelerum obstupefcit, dolet, cupit ex animo se quam alienissimam esse ab omni contagione, imò & ab omni suspitione sceleris. Ceterum impietas non expaucescit. Omnes enim obiurgationes indurato, & impudenti animo excipiens, non compungitur. Quod in Iuda hic uidere licet, ceu in ty po, & speculo omnium contemptorum uerbi Dei, aure sed surda illud audiētium, & ne hilum quidem ad illud sese commouentium.

At ipse respondens, ait.

Quoniam commoda & testis admonitione nihil profecit apud uerfutissimum impostorem & proditorem, iam incipit agere manifestius, nimirum signo addito, eoque ad resipiscentiam nihilominus suadendam aptissimo, dum commonefacit arētissimae familiaritatis, quae debuerat illum à tam uesano scelere reuocare. Deinde autorem sceleris signo certiore designauit, ut ceteros, mærore propemodum exanimatos, aliquo pacto confirmaret.

Qui intingit mecum manum in paropside, hic me trader.

Mæstissimū ac miserimū à familiarib' prodi. Id est, ut scribit Lucas. 22. Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et Marcus. 14. unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Hieronymus, Omnia Dei patientia (inquit) primū dixerat, unus uestrum me proditurus est. Perseuerat proditor in malo: manifestius arguit, & tamen nomen propriè nō designat. Iudas ceteris contristatis, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibo ori suo, temeritate, & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Hæc ille. Quantum putas, coeperit Christus dolorē, quòd amicus, quòd Apostolus, quòd familiarissimus conuictor, & de quo benè meritus erat, non recesserit à tam impio, & scelerato instituto? Dolemus certè, cùm de quibus bene meruimus, nobis malefaciūt, & nos hostibus produnt. Audiamus de hoc dolore Dauidem, psalm. 37. Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Et qui iuxta me erant, de longè steterunt: & uim faciebant, qui quærebant animam meam. Quem ergo dolorem hæc afflictio attulit Dauidi? Cor meum (inquit) conturbatum est, dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Audiamus & querulam Iesu Christi uocē psalm. 21. Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et iterum, Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is, qui me oderat, super me magna locutus fuisset, abscondissem



me forsitan ab eo: tu uerò homo unanimes, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei, ambulauimus cū consensu. Conqueritur & Christus ipse de hoc dolore per Dauidem: Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Cum itaque ait Christus, Qui intingit mecum, &c. perinde est ac si diceret, Si nihil aliud ualuerat te ad resipiscentiam inuitare, uel mensæ mysterium, quod apud omnes gentes magnum & inuolabile, adeoque religiosissimum est, reuocet ab infando il-

Mensæ societas apud antiquos, sacra.

lo tuo paricidio. Quam autem sacra sit apud ueteres habita mensæ societas, & quantum fuerit amicitia symbolum, liquet ex prisco illo prouerbio, ἄλλα καὶ ἰσπαρῆσαι μὴ παροχθαίναν, id est, Salem & mensam ne pratercas. quo significabant amicitia ius, quod mensæ communionem firmatum esset, non esse transgrediendum. Nam his rebus olim conciliabantur amici, & familiares antiquitus mutua inter sese cōuiuia actitabāt. Quemadmodū testatur etiam Diogenes Laërtius in uita Pythagoræ. Quin & Esdræ lib. i. ca. 4. ita legimus, Nos ergo memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones regis uidere nefas esse ducimus. Inde est, quod, ut docet apud eundem Laërtium Alexander in cōmentariis Pythagoricis, Pythagoras uetabat frangi panem, uidelicet ne disseicaretur, quod amicos copularet. Idem censuit, salem potissimum in mensa apponendum, quod æquitatis, & iustitiæ nos admoneat, ut qui & seruet, tueaturque, quicquid occuparit, & ex liquidissimis rebus aqua marique fiat. Hoc etiam ipsum detorquet Origenes in Iudæ Christi proditorem, dicens: Neque salis eiusdem, neque mensæ, neque panis communicati, memor est factus.

Panis & Sal in mensa apposti, quid admonent.

Filius hominis uadit, sicut scriptum est de illo.

Consiliū Dei fuit, ut pateretur Christus.

Mors Domini à prophetis prænunciata est quia sic futura, & à diuino consilio ordinata. Ergo uoluntatis diuinæ est, & ex consilio æterno, & non simpliciter ab humano decreto, quod pateretur Dominus, doctore Petro Act. 2. Sicut scitis, hūc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis. Non ergo casu aut fortuito hæc mors accidit. Sicut scriptum est, impleuit Dominus. Et ad hoc paratus erat, dicens, Filius hominis uadit, quasi dicat, uoluntariè moritur, ut genus humanum redimat, & patri obsequatur. Non moritur, & non perit, sed ueluti per mortem temporariam transiens ad patrem, uadit. Ergo mors est transitus ex hac uita in futurā, quod ad electos attinet: quod ad impios, ex miseria transitoria ad sempiternam mortem. Sensus uerborū est, Sic erat præfinitum à patre, sic prædictum à prophetis, quod filius hominis uaderet, id est, per mortem ad patrem transiret.

Mors piorū, transitus.

Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Iudam suam tantum malitiam perdidit.

Occupatio est: Ne quis enim diceret Iudam, necessitate fuisse compulsum ad proditorem, & paricidium, declarat hoc dicendi genere, Iudam peccasse: liberèque Dominum suum prodidisse, & neque prophetarum uaticiniis, neque prouidentia Dei eò ductum, ut necessariò paricida fuerit. Peccauit certè: nam, non ut cooperans diuinæ uoluntati, hoc fecit, sed suam malitiam perficiens. Ideo non colendus Iudas, sed uæ illi: hoc est, nulla excusatione celare poterit tantum facinus. Certè maledictio externa ueniet super illum, cuius scelere proditur filius hominis. Agnosce hic Christi philanthropiam, qui ter obstinatam malitiam proditoris deplorat. Rursus hoc ipsum amplificans, ait, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Quasi dicat, Peribit hic tam miserè, ut melius ei fuisset nunquam nasci.

Quomodo bonum, si Iudas non fuisset.

Aut: bonum erat ei, si natus, &c. Quia mortuus in utero matris, incurrisset solum in pœnam damni, cum incircuncisis infantibus: nunc autem incurret in pœnam sensus, quam perpetuò patietur in inferno cum diabolo, & angelis eius. Si Deum,

& uniuersitatem operum eius spectemus, bonum est, quod fuerit Iudas, & seruiuerit gloriæ Dei, sed non ei. Hæc ad pœnam æternam à Christo proposita, eò tendebant, ut Iudas ansam haberet resipiscendi, unde Hieronymus, Nec primo (inquit) nec secundo correptus, à prodicione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, & thesaurizat sibi iram in die iræ. Pœna prædicitur, ut quem pudor non uicerat, corrigant denuntiata supplicia. Hæc ille.

Respondens autem Iudas, qui tradidit illum, dixit:  
Nunquid ego sum Rabbi?

Tamet si Christus oratione usus sit, quæ uel pudore sanare poterat improbum, uel pœna deterrere impium: tamen adeò non est correctus Iudas, ut impudentiam extremam adiiciens sceleri grauissimo, quasi nullius mali sibi conscius, & propemodum succensens Domino, dixerit: Num ego sum Rabbi? Ita enim non sine indignatione, & abominatione reuicimus à nobis per interrogationem, quod à nobis quam alienissimum esse significamus. Vide obsecro hominis indolentiam. Tantum abest, ut afficiatur horrore criminis sui, ut etiam impudenter audeat interrogare, Num ipse sit, qui traditurus sit eum. Num (inquit) ego sum Rabbi? Viderat alios interrogasse Dominum: ideo ne sibi malè uideretur conscius, tandem & consimile interrogans, prorumpit: Num ego sum Rabbi? Non quærit, ut ueritatem audiat: non quærit, quod mæstus esset, ut reliqui: sed ut in suspicionem apud reliquos non incurrat, si taceat. Non itaque malitiam solum dissimulat, sed innocentiam simulat, & conscientiam prorsus synceram. Obserua, quàm coniunctam habeat malitiam ipsa hypocrisis, & innocentia simulatio. Rursus aduerte, quàm periculosum sit, grauitatem peccatorum non agnoscere, non erubescere, non dolere. Hæc enim est indurata, & cōfirmata impietas, quæ non est suo scelere cōtenta, sed etiam ad perpetranda omnium scelerum genera, hominem adigit, & in profundum malorum detrudit.

Iudæ præfata impudentia.

Qui sordet, sordescat adhuc.

Ait illi, tu dixisti.

Argutè admodum reuicet Christus in respondentem rei conscientiam. Quasi dicat, Scio, quod non uis uideri proditor, nec ego dico, quod tu sis me proditorus. Sed tu ipse hoc dicis, tibi ipsi probè conscius. Ad tuam interrogationem, Num ego sum? ut respondeam, probè dicis, Ego sum. Hoc genus dicendi Altissimum uocant, ἄσπαστος. quando longè aliter uerba interpretamur, quàm ab eo sint prolata, qui ipsa proposuit, uerbis tamen non nihil ad eum sensum propendentibus, qualem reddimus. Est hic tertius obiurgationis gradus, cum uidelicet post commodam, modestamque, & denique paulò apertiolem, & signis quibusdam constantem admonitionem, tandem palàm protrahimus impœnitentem. Obserua admirabilem Christi mansuetudinem. Non obiurgat, ubi omnium id commodissimè facere poterat. Non exprobrat, quantum in illum beneficij contulerit. Non abigit illum à mensæ communionem, sed patienter ad finem usque sustinet: Imò ne prodit quidem apertus, ut à reliquis cognosci possit. Contentus est, quod conscientiam illius ferit, & reliquorum fidei, quæ sibi iuxta scripturas futura erant, prædicendo consulit. Tandem Iudas, disciplinæ impatiens, & furiosè in suum ipsius exitium accelerans, post cœnam mysticam sumptam, abit, excedit, euadit, erumpit, & mortem monitori diligenter struit.

Christi mansuetudo.

Cœnantibus autem eis.

Absoluta cœna typica, & legali de agno Paschali, & bruto, cœpta est cœna uiua agni uiui & uiuificantis, hoc est, in qua Christus seipsum discipulis dedit, qui singuli sub speciebus panis, & uini uerum Iesu corpus comederunt, & sanguinem biberunt.



## Accipit Iesus panem.

Accipit Christus panem azymum, sacrosanctum institutus legis nouæ sacramentum, cuius ille Paschalis agni esus, tantum figura & umbra erat.

## Et benedixit.

Benedixit benedictione laudis, hoc est, gratias egit patri cœlesti, tum pro illo pane super mensam ab accumbentibus accepto, qui utique erat donum patris, ut reliqua omnia, quæ sunt in usu hominū, tum maximè pro illa legalium consummatione, & saluberrimi sacramenti nouæ legis institutione, quam erat ex patris uoluntate operaturus. Solenne fuit religiosis Iudæis, ut, cum ad mensam recumberent paterfamilias, aut alius, qui ad mensam confidebat, dignior, panem sumeret in manus, agreretque Domino gratias, ac deinde fractum per partes distribueret conuiuiis sumendum, uelut è manu Domini, prius quam alium cibum degustarent. Ad finem conuiuij eodem ritu circumferebant, & poculum in festis diebus, quod etiam initio mensæ eodem ritu præmittebant. Hæc institutio ante incarnationem Domini commendata Iudæis à sanctis patribus fuit, ut illi semper uelut coram Domino, & ex illius manu cibum potumque fumerent, indeque prouocarentur, ut Deo etiam toti uiuerent, à quo se aded ali benigne agnoscebant atque prædicabant. De hac institutione differunt Thalmudici codice benedictionum super illud Deut. 8. Cum saturatus fueris, benedicas Domino. Hunc morem, cum sanctus esset, & ab ipsa pietate dictatus, uoluit Christus, nouus paterfamilias cœlestis, seruare, & cœlestem cibum accumbentibus distribuere, & comedendū dare.

## Ac fregit.

Diuisit panem, & diuidendo, seu frangendo communicabilē fecit. Hunc frangendi panis usum habuit iam ab initio in more sueto, ut uidere est multis locis Marc. 6. & 8. Et post resurrectionem, Luc. 24. & Ioan. ultimo. Hunc itaque frangendi panis usum & suis tradidit. Sic Paulus. 1. Corinth. 11. Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et Act. 2. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis. Et paulò post, Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.

## Deditque discipulis suis.

Cum dicitur, dedit significatur aliquid dari. Non enim nuda, aut simplex est hæc exhibitio, tuo sensui subiecta, sed est sacramentalis, qua datur non panis frumentaceus: sed aliud profectò longè pretiosius, quod mox dicitur. Vnde ad tantum mysterium est tibi opus fide. Et huius gratia non admittuntur increduli, & apud ueteres catechumeni: imò de fidelibus tantum dicitur, quòd sciant, quid hinc accipiantur. Obserua discipulis dari, à quibus non erat submotus Iudas (ait Leo Papa) ut ostenderetur Iudam nulla iniuria exasperatum, sed impietate uoluntaria fuisse ad tantum scelus adductum.

## Et ait, Accipite, &amp; comedite.

Dirigit sermonem ad eos, qui iam fide cognoscunt, & illius usum habent. Quo fit, ut neque infantibus, neque usu rationis carentibus communicetur tantum sacramentum. Accipite fide, & animo charitate feruido, ac acceptum traicite per os uestrum reuerenter.

## Hoc est corpus meum.

Declarat seipsum Dominus dicens, quid sit quod uult ab illis accipi, & comedi. Exponit donum: Hoc est (ait) corpus meum. Hoc, quod porrigo, est corpus meum. Certè demonstrat, ait Theophylactus, quòd ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figura. Non enim dixit, hoc est

Agendi gratias apud Iudeos, mos.

Frangere panem, moris fuit Christo.

Fide ante omnia opus est manducatur sacramentū.

Iudas etiam sumpsit sacramentum.

Sacramentū adultis tantum potrigendū.

figura, sed, hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis uideatur panis. Quoniam enim infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, ideo panis quidem apparet: sed caro est. hæc ille. Ambrosius libro de sacramentis: Iste autem panis ante uerba sacramentorum, panis est usitatus, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Consecratio autem quibus uerbis est, & quibus sermonibus, nisi Domini Iesu? Si enim tanta uis est in eius sermone, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Si enim operatus est sermo cœlestis in aliis rebus: non operatur in cœlestibus sacramentis? Ergo ex pane corpus fit Christi, & ex uino sanguis, cōsecratione uerbi cœlestis. Porro fugienda cauendaque uenit expositio illa: qua hæc sententia Christi, hoc est corpus meum, putatur eadē esse, ac si dixisset, Accipite, & manducate, hoc significat corpus meum. Et, hic calix significat sanguinem meum. Nam non hoc agit Christus, ut declaret panem hunc significare corpus suum, sed ut ostendat, ipsam corporis & sanguinis sui exhibitionem: Neque enim mox donum aliquod exhibetur, ubi signū monstratur. Est reuera signorum duplex genus. Vnum significatiuum, alterum exhibituum. Signo exhibitio, & signato non conuenit, ut dicas, quid qua re significetur, sed dicendum, ostendendum que est, quid datur. In signis uerò significatiuis tantum, locum habent huiusmodi locutiones. Panis azymus significabat cordis, ac uitæ sinceritate celebrandum esse Pascha. Corporales purificationes significationem habebant purgandarum mentium. In baptismate uerò, & sacra Eucharistia, non rectè dicitur, Baptismus significat ablutionem peccatorum: sed facit, & operatur ablutionem peccatorum, siue, est ablutio peccatorum. Nec rectè dicitur: Eucharistia significat corpus Christi, sed, est uerum corpus Christi. Exhibitio est corporis Christi, siue in qua exhibetur corpus Christi. Est signum signatum, & exhibituum. Interim tamen non negatur istorum sacramentorum elementa rectè uocari signa sacramentalia, & signa externa, modò discernantur à signis significatiuis tantum, & intelligantur signa esse exhibitua. Obserua, magnoperè fugiendam esse, cum uerba Christi exposituri sumus, eam expositionem, quæ exhibitionem corporis, & sanguinis Christi (quæ in hoc sacramento re ipsissima est) non exprimit, sed significationem tantum illorum afferre uidetur. Colligamus ex superioribus, hæc uerba, hoc est corpus meum, non admittere tropos & figuras, sed simplicia esse, & simpliciter exponenda. Hoc, (pronomē est demonstratiuum, cuius est demonstrare substantiam) id est, hæc substantia (demonstrando, quod in manu habebat.) Est (non dicit, apparet aut significat) sed est, & uerè est, corpus (non panis) & meum, hoc est Christi. de his scripsimus fusius in. 6. ca. Ioan. & 1. Corin. 11. Obserua: quemadmodum nos Deus condidit, ita ducit, & regit nos, suæque nobis beneficia commendat. Iam tota nostra salus constat eo, quòd Christus ipse, instaurator omnium, quæ sunt in cœlo & in terra, uiuit in nobis. Nostra enim caro, & sanguis, id est, nostra natura tota, ita deprauata est, ut regnū Dei, id est, uitam Dei, ueram, solidamque iustitiam ex se percipere non possit. 1. Corinth. 15. Communionem itaque nobis opus est carnis & sanguinis Christi, nosque eius fieri membra, & ipsum nobis caput esse oportet. Hoc ipsum Dominus agnosci, & expeti à nobis poscit: idque hoc certius, & ardentius nunc, quam olim, quòd clarius nobis scum uersatus, aperuit nobis patris uoluntatem, & Euangelium ipsius latius promulgatum est. Rursus obserua: tamen in cœna Dominica uideatur externa quædam actio fieri, & inibi species panis, & uini tractentur: negotium tamen spirituale & cœlestis est. Paruæ quidem sunt species, totus tamen Christus sub illis est. Vnde cogitationes mathematicæ de paruitate & magnitudine non huc pertinent: sed ad res seculi, non ad res spirituales, & cœlestes. Quare cum dicitur corpus, & sanguis Christi contineri sub speciebus panis, & uini: sentiendum est uerum corpus, & ue-

In sacramen-  
to uerū esse  
Christi &  
corpus & sā-  
guinem.

In sacramēta  
rios hereti-  
cos.

Signorū du-  
plex genus.

Eucharistia  
non signifi-  
cat corpus  
Christi, sed  
est uerū cor-  
pus Christi.

Eucharistia  
ipsissimū no-  
bis corpus &  
sanguinem  
Christi exhi-  
bet.

Verba Chri-  
sti operantia  
sacramenti,  
ab omni tro-  
po alienissi-  
ma.  
Salutis no-  
stræ caput est  
quòd Chri-  
stus uiuit in  
nobis.

Eucharistia  
negotium, to-  
tum cœlestis  
& spirituale  
est.



Perfatio à fili  
mili, quod to  
tus Christus  
sub specie pa  
nis sit.

rum sanguinem Christi, uerè quidem, non tamen mathematicè, nec naturali, sed cœlesti modo adesse. Porrò Dominus Deus noster tantæ fuit industriæ, ut inueniret modum, quo non solum ipse impleteret cœlum, & terram, & humana anima tota esset in quavis parte humani corporis: sed etiam quo maxima arbor in minimo granulo contineretur. Arbores enim, quantumuis magnæ, è granulis suis nascuntur: ex qua re manifestum est, quòd in granulis suo quodam modo continentur. An non ergo potuisset inuenire modum, quo corpus Christi filij sui sit uerè, & distribuatur sub specie panis? Credito, & sequitor, non sensum, sed fidem.

Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens.

Accipit Dominus poculum, sed peracta cœna, ut Lucas testatur 22. Et Paulus 1. Corinth. 11. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, &c. Idque item ex more uetusto Iudæorum, sed quem uertit hinc in sacramentum sui noui populi. Poculum enim libabat is, qui peracto conuiuio gratias agebat. Proinde memorant Euangelistæ Dominum iterum gratias egisse. Hæc gratiarum actio declarabat, quanto perfundebatur gaudium Christus de nostra salute, cuius gratia proprium offerebat sanguinem omnibus bibendum. Quemadmodum autem uetus testamentum immolationem habebat, & sanguinem: Ita & nouum testamentum sanguinem habebat, & immolationem.

Bibite ex hoc omnes.

Primus bibit, deinde iubet omnes, rationis, & tanti usus capaces, bibere ex hoc poculo, hoc est, suo sanguine. Verbo, bibite, alloquitur, non infantes, & dementes, sed qui fide cum gratiarum actione sumere possunt. Hieronymus aduersus Heluidium. Sic igitur (inquit) Dominus Iesus fuit conuiuia, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.

Hic est enim sanguis meus noui testamenti.

Paulus cum  
Euangelistis  
consentit in  
uerbis & sen  
su, quod ad  
sacramentum  
pertinet.

Marcus 14. scribit. Hic est sanguis meus noui testamenti. Lucas 22. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo. Idem scribit Paulus 1. Corinth. 11. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Nemo fidelis dubitat, quin hic Lucas, & Paulus eadem uerba, eodem sensu retulerint, quæ Matthæus, & Marcus. In utraque uerborum forma notissimum est, Dominum hoc poculo offerre & exhibere sanguinem suum, & nouum testamentum. Nouum testamentum est fructus sanguinis Christi, & effusi in cruce, & in nobis manentis. Et hoc expresserunt Lucas, & Paulus, dicentes, in meo sanguine. Sensus itaque uerborum est. Percipite hoc poculo fœdus noui gratiæ, confirmatum uobis hoc ipso sanguine meo, quem simul hinc à me accipite & bibite ex eo omnes. Porrò testamentum est extrema uoluntas morituri, qua certis amicis legatur hæreditas. Vocat autem nouum testamentum ad discrimen & expunctionem ueteris, in quo non erat remissio peccatorum, nec ipsa cœlestis ueritas, nisi figuris quibusdam adumbrata. Quod cum esset per Israël malitiam irritum factum, promissum est nouum, de quo uide Paulum ad Hebr. 8. ex 31. Ieremiæ. in qua epistola Paulus differit de nouo testamento, ad rationem testamentorum, quæ conduntur, hæreditatis disponendæ causa, & rata rum demum sunt, cum mortui sunt testatores. Cæterum cum scriptura memorat Deum icisse cum populo uel ueteri, uel nouo, fœdus, significat pactum illud, quo Deus pollicitus est, se fore populi sui Deum, illumque suscepit in fidem suam, ut se Deo frueretur, id est, seruatore, & patre: seque inuicem uoluntati Dei in omnibus addiceret. Vetus itaque fœdus, & testamentum est, quo Deus suscepit Abraham, & semen eius, Genes. 17. Deinde renouauit cum toto populo per Moysem in monte Syna, de quo Exodi. 19. & 24. & alibi in libris Moyfi passim legimus. Nouum fœdus, & testamentum est, quo Deus omnes gentes suscepit in populum suum per Euangelium: de quo fœdere prophetæ multa prædixerunt, ut Isa. 54. 55.

Vetus testa  
mentum.  
Nouum testa  
mentum.

Testamentum

Testamentum  
nouum.

59. & 61. Ieremiæ 31. describitur hoc fœdus per remissionem peccatorum, & amplitudinem Spiritus, omnibus electis impertiendi, ut cognoscant Dominum à minimo usque ad maximum, inscripta lege Dei in cordibus eorum. Huius fœderis, & prisci sancti participes fuere: sed non tam reuelatè, & potèti spiritu, ut exaltato Christo. Vnus quidem mediator est Dei, & sanctorum omnium: nec quisquam unquam placere Deo potuit, cui non essent remissa peccata, & lex Dei aliquo modo in corde scripta. Sanguis Christi unum cunctis sanctis pretium redemptionis est. Et sicut reuelatio fœderis ueteris, eodè quidem sanguine sancita fuit. Exo. 24. Christi scilicet, sed sub typo tamen sanguinis pecorini: ita nouum nullo alio sanguine sancitum est, quàm Christi ipsius. Statim enim à morte & resurrectione Domini prædicari cœpit Euangelium omni creaturæ, & colligi populus nouus. Unde ait Dominus, se dare & sanguinem noui testamenti, hoc est, quo testamentum hoc nouum sancitum est, & testamentum ipsum hoc sanguine firmatum. Obserua. Christus testator est. Literæ testamenti sunt uerba in cœna Domini. Quæ literæ confirmatæ sunt uelut sigillis sanguine Christi. Testes testamentarij sunt Apostoli, & post eos substituti in testamentarios, & exequutores, ministri Ecclesiæ. Hæredes sunt ipsa Ecclesia. Hæredibus legauit, & ordinauit, quod habuit pretiosissimum & charissimum, uidelicet suum ipsius corpus, & sanguinem. Hæc non ueniunt consideranda, ut corpus, & sanguis hominis alicuius, peccatis obnoxij, sed ut corpus, & sanguis filij Dei, qui cum legauerit hæredibus suis corpus, & sanguinè suum, legauit etiã eis remissionem peccatorum, & uitam, ac felicitatè æternam. Nam eò quod legauit nobis corpus suum, legauit nobis etiã ueram, & perpetuam uitam. Panis (inquit) Ioan. 6. quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Vbi agnosce hæc duo, uidelicet remissionem peccatorum, & uitam æternam, in se completi omnia cœlestia bona. Et qui his caret, omnibus cœlestibus bonis caret. Finge esse quempiam monarcham, qui habeat omnes mundi thesauros in sua potestate, in terim tamen careat peccatorum remissione, quid aliud habet, quàm farinam deprimentem ipsum ad mortem, & perperuam internecionem? Qui autem habet remissionem peccatorum, habet æternam uitam: ergo felicitatem. Quòd Laicis communicatio fieri non debeat sub utraque specie, copiosè tractaui in 6. ca. Ioan. Nisi manducaueritis carnem, &c.

Qui pro multis effunderetur, in remissionem peccatorum.

Fructus effusi sanguinis Christi, est remissio peccatorum. Nam nouum testamentum expungit uetus, in quo non erat remissio peccatorum, nec ipsa cœlestis ueritas, nisi figuris quibusdam adumbrata. Unde cum esset uetus per malitiam Israël factum irritum, promissum est nouum, Heb. 8. & 31. Ieremiæ. Hæc effusio sanguinis, confirmatio est testamenti noui, quod morte testatoris intercedente constat. Sequuta est enim mors per sanguinis effusionem, sufficientem ad omnium peccatorum expiationem, sed non efficacem in omnes, quòd plerique illius fructum contempserint, & magis tenebras, quàm lucem dilexerint. Hæc effusio ratione sacrificij necessaria erat, quod sine sanguinis effusione perfici nò poterat. Sine sanguinis enim effusione non fit remissio, Heb. 9. Obserua: cum dicit, pro multis, significat se non uenisse tantum pro una gente, sed pro multis ex diuersis gentibus. Deinde hoc uerbo, multis, ostendit se nò sui gratia, sed pro nobis moriturum. Agnoscamus ergo Christi erga nos charitatem, qui cum morti nihil deberet (siquidem mortis imperium habebat) tamè pro nobis illam subire uoluit. Rursus obserua dictum esse pro uobis (ut Lucas ait) & hic pro multis: ut intelligamus hoc beneficiū mortis Christi non solum ad Apostolos pertinere, uerum etiam ad reliquos pios, qui ex fide & charitate petierint hunc fructum effusi sanguinis. Quia ergo mors Christi, uniuersalis est redemptio: & Euangelij prædicatio missa est in mundum

Sanguine christi  
constat omnis redem  
ptio ac remis  
sio.

Christus testator  
condidit nouum te  
stamentum.

Remissio peccatorum & uita  
æterna nobis  
per sacramen  
tum, quo quid  
maius?

Simile.

Sanguis Christi  
sigillu noui  
testamenti.

Beneficiū  
mortis Christi  
ad omnes  
pertinet.



Christus, saluator mundi. uniuersum, ut ad regnum Dei uocentur omnes, ob id Christus uocatur saluator mundi.

Dico autem uobis.

Suos consolatur Christus, & confirmatiores reddit ad futuram tempestatem: ita suum attemperans sermonem, ut primò quod iam iam triste erat, antequàm fieret, prædiceret: iacula enim præuisa minus feriūt. Deinde simul adiungeret, quod post tristia, lætum, & iucundum futurum erat: ut ad tam magna præmia; seu res illas meliores respicientes, tristia facilius ferrent. Dixerat se tradendum, & sanguinem suum effundendum esse: quod non mediocriter discipulos contristauit: Nunc gloriam consequuturam paucis perstringit.

Non bibam à modo de hoc genimine uitis, usque in diem illū, cū illud bibam uobiscum nouum, in regno patris mei.

Resurrectio Christi, regnum Dei.

Christus rediuuius quare comedit & bibit.

Hunc locum quidam interpretantur de regno Dei, quod mox à Christi resurrectione elucescere cœpit. Ita sentit Chrysostomus, hoc loco uocans regnū Dei ipsam Christi resurrectionem. Qui Chrysostomum sequuntur, exponunt de eo uino, quod Christus, posteaquam resurrexit, cum discipulis corporaliter quidem bibit, non tamen corporali necessitate, sed ne phantasma quoddam resurrectionis à rubioribus putaretur, & ut crederetur uera corporis natura uerè surrexisse, & ipse esse uerus rex, uerum habens regnum, qui uinxit mortem, & ligauit Satanā in abyfso, apponens chirographum decreti, cruci, ceu delicti solus expiator, & unus ac solus sacrificus, acceptus à patre, qui una sui corporis litatione, ac oblatione in sempiternum consummauit sanctificatos. Huc pertinet, quod Lucas narrat. 24. cap. Christum post resurrectionem comedisse. & A. 10. bibisse. Hunc Deus suscitauit (ait Petrus) tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et hoc uinum uolunt ob id nouū dici, quòd Christus singulari quodam, nouo, & infueto modo (homo iam extra corruptibilem corporis conditionem, in cœlesti iam statu constitutus) non phantastico, sed uero, & cū uero corpore comedit, & bibit. Genimen uitis pro uino posuit, tropo omnibus cognito. Alij interpretantur de regno Dei, non in præfenti uita, sed ut in futura uita est, de statu uidelicet electorum post hanc uitam in cœlestibus. Dico autem uobis, &c. Quasi dicat, Id uobis affirmo, quòd post hac non amplius consueto more conuerfabor uobiscū. En iam accingor itineri, & abeo ad supplicium crucis, moriturus pro mundo: uerū propterea non debetis animos despondere: nam hæc mors uitam reparabit. Hoc genimen uitis, torculari crucis pressum, stillabit uitam æternam, quam uobiscum bibam in regno patris. Ego enim à mortuis resurgam, ad cœlos ascendam, & illuc uos ad me recipiam. Quare post hac non edam, aut bibā uobiscum amplius, ut hætenus feci: nec conuerfabor uobiscum familiari, & uisibili colloquio, sed ideo non disungemur. Nam bibam illud uobiscum nouum. Nominem nouum, intelligit cœlestem gloriam, & gaudium æternū. Non enim de terreno aliquo potu intelligere debemus, qui certè ibi locum non habet, sed cœlesti, hoc est, de futuræ uitæ post hanc miseriam læticia, hilaritate iucunditate, & consolatione sempiterna. Nam Luc. 22. simili loquutione utitur, Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum: ut edatis, & bibatis super mēfam meam in regno meo. Huc conuenit, quod Luc. 14. dicitur, Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Alioqui in cœlis nemo uel edit, uel bibit, quia nemo esurit, aut sitit. Celebranda, & memoratu digna est hæc sententia omnibus oppressis, & in hac uita miserè habentibus, præsertim iam morituris, & à suis per mortem discessuris: ut meditentur, & discant ipsi, commutatione præfentis uitæ, & eius, quæ illam comitatur, miseræ, in cœlestem, & perpetuam iucunditatem, seipsos, & alios

Vinum nouū in regione cœlesti bibit.

Consolatio piorū i morte, & aduersis.

solari. Ad hæc discant & præfentem aduersitatem ac necessitatem patienter subire, ut qui sciant è propinquo esse cœlestem consolationem, ubi terrena nos destituit. Hoc dicto multò melius, & suauius nos animat, & ad fortiter dimicandum excitat Imperator noster Iesus Christus, quàm ille, qui suos milites periculosissimè pergnaturos, ita prandere iubebat, ut recordarētur se cœnatos apud inferos. Ethnicum hoc erat: illud uerò, pium & Christianum est. Quod omnibus inculcandum est, quibus pro regno Dei decertaturis, non inferorum, sed cœlestium cœna cum ipso Iesu Christo proponitur.

Leonide Spartani apophthegma.

Et hymno dicto.

Græcis legitur ὁ ὑμνος, id est, cū dixissent, siue cecinissent laudes, ut intelligamus non solum Iesum, sed discipulos quoque hymnum dixisse. Hymnus propriè est laus Dei. Aiunt, & hoc ipsum affirmat Paulus Burgenfis, uetustam traditionem apud Iudæos fuisse, ut à cœna agni paschalis protinus laudes canerent, atque gratias agerent Deo. Auspicabantur à psalmo. 112. Laudate pueri Dominum, &c. usque ad psalmum. 118. Beati immaculati, &c. Quorum certè psalmorū sensus cum eo, quod agno paschali memorabatur, conuenit: ut non sit uero dissimile, hos psalmos à Domino decantatos fuisse. Credibile est Iudæos in paschatis esu, conceptis quibusdam uerbis, ægyptiacæ liberationis memoriam celebrātibus, laudem Deo cecinisse. Aut uidetur Christus (saluo meliore iudicio) discipulis hoc potissimū paschate nouo quodam hymno, nō tam ægyptiacam libertatem, quàm regni Dei mysterium (quod tum agebatur) ita celebrasse, & proloquutus esse, ut uerba illius à discipulis sint excepta, & uicissim reddita. Glossa ordinaria ita scribit. Hoc est, quod psalmo. 21. dicit, Edent pauperes, & saturabuntur. Chrysostomus hunc explanans locum, ait: Audiant omnes, qui quasi porci, quum iam comederint, euerfa calcibus mensa, temulenti confurgunt, cū agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire. Audiatis etiam, quicumque ultimam mysterij orationem non expectatis, quæ illius symbolum est. Gratias enim egit, antequam discipulis daret, ut etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. Gratias egit, posteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus. Hætenus ille. Quare hac in re nobis ueræ pietatis formula præscripta est, quam sequamur, ut & nos, non solum cū edendum est, patri cœlesti à quo paschimur: sed & post mensam gratias agamus.

Hymnus.

Gratiarum actionis mos apud Iudæos

Hortatio ad agendū gratias ante cibū & à cibo.

Exierunt in montem oliueti.

Absolutis gratiis ascendit Christus nunc in montem oliuarum non fugiendi gratia, sed ad orandum pro sua cōsuetudine. Legimus Luc. 21. Erat autem diebus docens in templo, noctibus uerò exiens, morabatur in monte, qui uocatur oliueti. Hoc uidelicet, quòd in eundem, consuetū, & Iudæ proditori notum, locum egreditur, nobis argumento est, quòd uolens crucem, & mortem subierit. Nam si subducere se, & Iudæ traditoris insidias declinare, ac fallere uoluisset, certè consuetudinem montis huius mutasset. Aliàs nonnunquam aduersariorū furorem declinasse legitur: hic uerò nequaquam, quòd tempus ueri paschatis immolandi adesset. Abiit ergo in montem oliueti, quem sciebat esse notissimum proditori, ne uideretur laritare uelle, ueluti mortis metuens: sed ultro se subducit in locum solitariū, ut, quod aduersarij captabant, absque populi tumultu capi posset.

Christus uolens & sciens, mortē adiit.

Tunc.

Demonstratur tempus, quo reliquerat Iudas Christum, & abierat impudens, tam scelestum scelus commissurus. Et iam (post auditum præceptorem de mandato nouo, & reliquis à Ioanne descriptis usque ad uerbum illud, Surgite eamus hinc) itineri ad montem oliueti discipuli cum magistro sese accingebant.



Dicit illis Iesus.

Vaticinatur Christus, ac futura prædicit discipulis, nõ opprobrii uel cõdẽnandi animo, sed magis ad hoc, ut intelligant omnia, nõ quæ illi tantum, sed & sibi ipsis futura erãt, diuina prouidẽtia prouisa. Longè aliter Christus, atq; mũdus cõcionatur. Nã mundus sibi, & suis pollicetur etiã ex Euangelio opes, dignitates, ac uoluptates. At Christus suis sectatoribus concionatur de cruce, non tã sua, q̃ omnium sanctorum: prædicens tam capitis, q̃ membrorũ, incõmoda: id est, & sua, & suorum infortunia, quæ semper sint mundum offensura, atque conturbatura. Attonitus & stupefactus, imò totus scandalizatus fit mundus, quoties audit, filium Dei subactum in crucem, expirasse: Mox offensus, cogitat qualis hic Dei filius sit, qui à scelestissimis, & nequam hominibus capitur, uincitur, deridetur, conspuitur, flagellatur, crucique tandem affigitur, in ea & moritur? Cogitat, quomodo is tibi aderit, qui sibi ipsi defuit? itaque grauiter scandalizatur. Præterea qui Christiani uocamur, malleus securi sterere in uoluptatibus, quàm uariis tentationibus per crucem exerceri. Vnde ferè fit, ut cum audimus crucem ferendam post Christum, & in patientia possidendas animas nostras, obstupescamus, attoniti refugiamus, & Christum relinquamus. Quò igitur minus hoc quemquam offenderet, & quò certius, quid omnibus seculis ad finem usque mũdi expectent pij, scirent, hoc propheticum uaticinium adiecit Dominus. Prædicit quidem (ait Hieronymus) quod passuri sunt, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitẽtiam, liberentur.

Christus concionator longe alius atq; mundus.

Cruz Christi scandalũ est mundo.

Omnes uos scandalum patiemini in me in hac nocte.

Huius uaticinij Christi sensus est, discipulos offensum iri, tam de persona, quàm de doctrina Christi, cum uidebunt illum in crucem proiectum. In me, id est, in mea causa, uel in persona mea, & consequenter in doctrina, quam ego prædico. Patiemini scandalum, id est, dubitabitis de persona mea, & doctrina. Cespitabitis, impingẽtes in me. Cum uideritis me capi, funibus ligari, trahi, &c. timore percussifugietis à me, ueluti ab offendiculo, ne incidatis in manus capientium me. Hæc uidentur cogitationes exortæ in animis discipulorũ, quæ fuerunt offendicula. Vos scandalizabimini. Ac si diceret, Ego prædicaui uobis hætenus multa de maiestate mea, uidelicet quòd sim filius Dei: sed nunc uidebitis me tractari, ut filium Satanæ. Dixi me esse Messiam, & saluatorem omnium in me credentium: sed is uidebor, qui nec me ipsum seruare possim. Dixi me esse iustitiam, sed nunc tractabor ut perditissimus nebulo. Dixi me esse uitam, & resurrectionem, sed nunc comprehendar, & turpissimè occidar. Dubitabitis igitur de me, & doctrina mea, quam mendacem cogitabitis. Et hæc uos ita offendent, ut me derelicto, omnes fuga uobis salutem quaesituri sitis. Obserua genium carnis, quæ non potest non offendi uisis formis crucis. Ergo hic monemur magnum Spiritus sancti donum esse, in cruce non dubitare de ueritate uerbi, & nõ habere suspectos prædicatores uerbi. Deinde admonemur his exemplis, ne nobis simus nimium fidentes.

Apostoli, scãdalum passi in cruce christi.

In cruce fidei retinere, ingens donũ Dei.

Scriptum est enim.

Actiologia est ab autoritate scripturæ, cur discipuli patientur scandalum: idque fit, ut attentissimi scripturis, quæ reuelant Dei uoluntatem, & futura prænuntiant, quia futura sunt.

Percutiam pastorem, &amp; dispergentur oves gregis.

Hoc uaticinium desumptum est ex 13. cap. Zachariæ, ubi sic legis, Phramea suscitare super pastorem meum, & super uirum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergentur oves: & conuertam manum meam ad paruulos. Adumbrat his uerbis Zachariæ, & prædicit passionem Christi, &

fideliũ defectionem: singularique profopoeia alloquitur phrameam, seu gladium, ferendi instrumentum, per quod intelliguntur omnis generis persequutiones: O phramea, siue ensis, suscitare super pastorem meum. Prouidentia, ac bona Dei uoluntate passus est filius Dei, qui appellatur pastor ille bonus, qui ponit animam suam pro ouibus suis, quandoquidem pater pro sua bona uoluntate tradidit filium, uoluitque ipsum pati pro genere humano. Quod autem Zachariæ ad instrumentum, gladium, per imperatium loquitur, id Mattheus explicatius reddidit per futurum, percutiam. Pater permisit gladio percuti filium suum, quo percusso, ac detento, non modò dispersus utique fuit grex reliquus, sed etiam Apostoli, selectiores gregis arietes. Fugerunt enim omnes, ipso solo inter manus hostium relicto, idque quia fides ipsorum in ipsum, nutabat. Sperauerant, non iam sperabant, ipsum, regnum Israël restitutum. Inter dolores Christi non postremum locum habuit dolor, qui illi accidit ex offendiculo & defectione discipulorũ suorum, nimirum optimorum, quos in terra habebat, amicorum. Ingens enim animi afflictio est, si quis in necessitate, quum maximè indigeret ope amicorum, derelinquitur & abnegatur ab ipsis. De grauitate huius afflictionis cõqueritur Iob 19. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, oblitum sunt mei. Conqueritur & Christus ipse de hoc dolore in psalmo. 87. Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia. At Dominus (quòd illi per imbecillitatem peccarent) reducit manum suam super paruulos, condonans eis peccatum, atque in ueram illos reducens uiam. Illic enim ait propheta, Ipse uocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, & dicã, populus meus es: & ipse dicet, Dominus Deus meus. Quibus uerbis intelligit non solùm Apostolos, sed etiam generaliter populum Israëliticum reducendum ad caulas Domini post tantam dispersionem. Commodè igitur Dominus hunc Zachariæ locum citans, ait: hac nocte impingetis, cadetisq; omnes, turpi fuga deserentes me, imò offendent uos mea uincula, putabitisq; actum esse tum de me, tum de mea doctrina, & salute Israël. Quare implebitur Zachariæ uaticinium, quo prædixit, percusso pastore totum gregem ouium dispergendum. Obserua similitudinem pastoris, & ouium, qua satis ostenditur, hæc dici à Domino cõdolenti animo, & prorsus benigno. Quis quæso, infirmis, & imbecillis ouibus, percusso pastore, fugientibus indignabitur? Nemo certè ignorat ouium coadunatorem & conseruatorem esse pastorem. Quod bonus ille pastor uidens, uel futurum, uel iam fieri, non succensuit, sed condolendo dixit, uos omnes, &c. Obserua, dispergi est scãdalizari, deficere, & dubitare de persona pastoris, & doctrina.

Christus passus uoluntate ac iussu patris.

Fide nutante Apostolorum, defertus est Christus ab eis.

Defectio Apostolorum doluit Christo.

Dominus fugitiuas oues reducit ad caulas.

Dispergi.

Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam.

Suppingit Dominus suauissimam consolationem, quæ occupationem cõtinet, ne despondeant animos discipuli audito uerbo, uos omnes scandalizabimini in me in hac nocte, &c. sed credant se iri ereptum. Quo animo dixerit, uos omnes, &c. certè condolenti, modò aperit. Nam non ait, postquam resurrexero, non agnoscam uos amplius: abiiciam uos tanquam fugitiuos, sed, præcedam uos (inquit) in Galilæam. Quasi dicat, neque peribit, neque confundetur spes sanctorum: tamen enim capiar, ligabor, cruci suffigat, & in ea moriar, ita ut uideantur hostes uicisse me, & de me putent actum esse: ipse tamen uincam. Nam resurgam tertia die, & rediuuus apparebo uobis, iterum condonans uobis peccata uestra. Præcedam uos in Galilæam, hoc est, iterum assumam uos, & colligam, & uelut pastor ante gregem suum uadens, ita uos præcedam, ac ducam. Obserua hanc promissionem consolatoriam, non tam ad omnes Apostolos, quàm omnes fideles pertinere, quibus promittit in omni afflictione recreationem & auxilium. Nam & in propheta Zachariæ mox ad uerba superiora sequitur, Et erunt in omni terra, dicit Dominus,

Consolatio piorum in afflictione.



Tria hominum genera tempore persecutionis, ex Zacharia.

partes duae in ea dispergentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam per ignem, & uram eos, sicut uritur argentum: & probabo eos, sicut probatur aurum. Ipse (supple populus) uocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Et dicam, populus meus es: & ipse dicet, Dominus Deus meus. Tempore persecutionis (inquit) duae partes erunt. Altera exciditur, & interit, ut non habeat uerbum ueritatis: sed perpetuo persequatur ueritatem. Altera deficit à uerbo ueritatis. Tertia pars satis exilis & attrita, perstabit: interim uariis persecutionibus, ceu metallum, purgatur. (Vnde fortassis Petrus. 1. 1. & 4. illa mutuatus est, quae de igne & probatione sanctorum attulit) & non deficient, sed inuocabit nomen Dei sanctum, & exaudietur. Suis semper praesto est Dominus. Lucas multa de his suppeditat exempla, Act. cap. 4. 5. 12. Huc pertinere uidentur integra capita, quae extant in Ioanne cap. 15. 16. & 17. Obserua uerbum praecedam. Quasi dicat, antequam illò ad patriam uestram fugeritis, adero primus, uidendus à uobis, & consolaturus, ac confuturatur uos, tam de persona, quam doctrina mea.

Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

Cruce prodit hominem.

Homini uaria ingenia aperit ignis uirgatus tentatio.

Petrus, imbecillium & sibi ignotorum hominum coryphaeus.

Petri, strenui pollicitoris crimetrix.

Petrus nobis exemplum diffidendi nobis.

Hoc loco aperte uidetur ingenium carnis, quum zelo praeter scientiam, & spiritu in speciem bono ducitur. Crux & persecutiones, uaria, in sese latentia, hominum ingenia proferunt. Videas homines uere fortes per Spiritum Christi. Alios obseruabis mediocres in timore Domini agentes, sed propendentes non nihil ad huius seculi fortunam. Alios reperies pauidulos, & pusillanimes, nihil egregij uel tentandum sibi putantes. Sunt rursus audaces quidam & feroculi, plus nimium praesumentes de uiribus suis, reuera exiguis, sed sua opinione praestantissimis. Hi periculis imminuentibus, nondum tamen urgentibus, non expensa fragilitate humana, cristas erigunt, & epinicium canunt ante uictoriam. Horum coryphaeus seu caput, & praefectus, ac exemplum uidetur in praesentia. S. Petrus, qui nimium praesumens de propriis uiribus, in temerariam quandam incidit audacia. Deinde qui praetulit se aliis ambitiosè, non sine contemptu fratrum (ut uidetur) dicens, Et si omnes scandalizati fuerint, &c. Chrysostomus ait, cum dicendum esset, Opem nobis feras ne scandalizemur, è contrario nimium sibi arrogans, inquit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, tamen ego non scandalizabor: quauis enim omnes id patientur, ego tamen solus non patiar. Ita haec res sensim, ita ad tetrum, & insolens crimen eum deuehebat. Paulo post idem Chrysostomus subscribit, Duplex crimen erat, tum quia repugnauit, ac restitit: tum quia caeteris seipsum praeposuit: imò uerò etiam tertium non paruum crimen eum commisisse dixerim, quia sibi totum impoposuit. Haecenus Chrysostomus. Scriptura ergo proponit nobis Petrum in exemplum, ne de uiribus propriis praesumamus, & nimium securi simus, ne cum nondum sentimus horrores crucis, persuadeamus nobis ex securitate carnali, quòd queamus subsistere in cruce. Huc mirifice quadrat illud Apostoli. 1. Corinth. 10. cap. Qui se existimat stare, uideat ne cadat. Sed Hilarius, & Hieronymus arbitrantur sanctum Petrum ex affectu & charitate Christi ita illi promisisse, & respondisse.

Ait illis Iesus.

Petro, non agnoscenti uirium suarum imbecillitatem, & plus aequo sibi adscribenti, Dominus respondere dignatur.

Amen dico tibi.

Iurat Christus in re seria, & pro utilitate Petri. Quem licet prospiciat foedissimè ab se defecturum, tractat tamen ipsum beneuolentissimè, ut re ipsa manifestum fiat, quòd non uenerit in hunc mundum, ut perdat, sed ut seruet homines.

Quia

Quia in hac nocte, antequam gallus canter, ter me negabis.

Manifestat Christus maiestatem suam, dum futurum praedicit. Et non solum uidet futuram Petri abnegationem: sed etiam indicat temporis momentum, quò abnegatio fieret. Non cantabit (inquit) gallus, donec abnegaueris me ter. Quae sententia miram habet emphasim, extenuans ampullosam Petri iactationem. Adducens enim cantum galli, qui fit media nocte, opponit breue tempus amplissimae promissioni Petri. Et galli cantus, ideo meminit, quòd cogitaret Petro notam imprimere, & memoriam praedictionis insigere animo. Nam sub finem huius capituli dicitur, gallus cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, dicentis, antequam gallus, &c. Hoc praedicit, non, ut cogat Petrum abnegare ipsum, ne praedictio ipsius fallatur: sed potius, ut admoneat Petrum suae infirmitatis, & iubeat eum orare, ne in hac infirmitate sua pereat. Vnde & postea dicit: Orate, ne intretis in tentationem. Et apud Lucam. 22. sequitur: Simon, ecce Satanas experit uos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Si ego pro te rogo, quantò magis tu ipse pro te orare debes, ne in defectione percas? Videris tibi fortis esse, sed est alius multò te fortior, nimirum Satanas, qui experit, ut cribraret, ut turbaret, ut concuteret, quem admodum triticum concuti solet: non te tantum, uerum etiam reliquos collegas tuos. Hic obserua, quòd & si Satanas sit spiritus potentissimus, tamen à Christo ita domitus est, ut ne minimum quidem mali pro sua libidine discipulis Christi inferre possit. Nā si liberè posset nocere, quomodo experitisset, ut cribraret Apostolos? Non experitisset, sed malum pro sua libidine intulisset. Suprà legimus ipsum, ne porcis quidem nocere potuisse, nisi postquam permissum fuit. Tribuitur aliquoties Satanæ potestas, ut malum inferat, non tamen tribuitur ei libera quiduis faciendi facultas. Respondabis. Quomodo Petrus abnegauit Dominum, & ab eo defecit, cum Dominus (qui exauditus est semper pro sua reuerentia) rogauerit pro Petro, ut non deficeret fides eius? Respondeo experituit Satanas, & coniecit Petrum in defectionem, & Christi abnegationem: sed non impetrauit, ut Petrum in defectione detineret, & in ea periret Petrus. Hic fructus est ab oratione Christi, quae non solum impetrauit pro Petro, uerum etiam pro omnibus piis. Ioan. 17. Non pro eis tantum rogo, sed etiam pro iis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Obserua: hac praedictione Christus ostendit non esse humanarum uirium solum, non offendi in cruce de persona, & doctrina Christi, aut ut quis solis suis uiribus, ne si Socrates quidem sit, in cruce subsistat constanter. Obserua exaggerationis gradationem & augmentum in uerbis, scandalizari, fugere, & abnegare. Peius est fugere, quam scandalizari, & horribilius ac deterius est, abnegare Christum, quam scandalizari, & illum fugere.

Ait illi Petrus.

Petrus, non agnoscentem suam, pertinaciter respondet, & plus nimio dicit.

Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

Quò magis significabat Christus casurum Petrum, eò magis Petrus affirmabat, se casurum nunquam. Certè id fiebat ex multo amore, & multa uoluntate, aliquo modo temeraria. Nam ait Chrysostomus, puto autem ambitione quoque aliqua, & iactantia, in ea uerba Petrum lapsum fuisse. Ex his discamus magnum dogma (ait idem Chrysostomus) Quia uidelicet nullo modo hominis uoluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur.

Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Nō solus Petrus hic peccauit (quanquam caeteris peccauit grauius) deliquerunt & reliqui omnes. Obseruemus ex dictis, quātò sit peius ignorata propria infirmitate,

Y Y y

Christus quare Petrum, maiora uiribus promittentem, admonet negationis futuri.

Christus Satanae uictor

Satanæ uires oppresse ne, quantū uult, queat nocere

Quomodo, Petrus negauit, pro quo rogauerat Christus.

Nullus homo quilibet stotus (uis tantum uiribus perstet in cruce,

Voluntas hominis inanis nisi diuinitus adiuta.







in iudicio Dei tam graue iudicatur. Nam Deus peccato in tantū irascitur, ut pronuntiet ipsum dignum, quod puniatur, non solum priuatione omnium huius uitae commoditatum, & sensu omnis corporalis doloris, uerū etiam priuatione omnium caelestis gaudij, & sensu perpetuae damnationis. Mors enim & infernus ut sunt stipendia peccati, ita etiam à peccato ducunt originem suam. Per peccatū (inquit Paulus) introiuit mors in mundum. Quare mors & infernus facie praediti sunt, qualem ipsis peccatum impressit, nimirum priuatione omnium felicitatis, & sensu perpetuae infelicitatis. Vide ergo, quā graue sit, cum imago mortis & inferni conscientiae obiicitur. Certè hi dolores tanti sunt ut impij malint pendere, & laqueo uitam finire, quā hos dolores ferre. Exempla habes in Achitophete, 2. Reg. 17. & in Iuda, qui suspensus laqueo medius crepuit. Pij autem etsi in tantis doloribus clementia Dei suffulciuntur, tamen nihil est de quo miserabilius conuerantur, quā de his mortis & inferni doloribus. Videamus Iob, qui dum conspiceret mortem & infernum, exclamauit, cap. 3. Pereat dies, in qua natus sum: & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Et. 7. ca. Quamobrem suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea: desperaui: nequaquam ultra iam uiuam. Hæc certè non loquitur propter dolorem ulcerum: de his enim dixit, Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus? sed hæc loquitur propter dolorem apprehensum & conceptum ex conspectu mortis & inferni. Audiamus & Dauidem, qui cum nondum corpore mortem sentiret, attamen conspectu mortis ita terretur, ut destitueretur omnibus uiribus: Laboraui (inquit) in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Turbatus est à furore oculus meus. Res admiranda. Qui antea armatū Goliathem inermis ipse non timuerat, nunc ad conspectum mortis in conscientia ita trepidat & terretur, ut uideantur ei deficere omnes uires. Hūc igitur conspectum Christus ipse sustinuit propter nos, quem certè nō dissimulat quum ait, Tristis est anima mea usque ad mortē: hoc est, tanto horrore affligor in animo meo, ut mors ipsa corporalis multo tolerabilior mihi uideatur. Res etiā ipsa hoc ipsum testatur, cum mox sudor ipsi Christo factus est sicut guttae sanguinis. Dices. Non mirum est, quod homines timeant mortem & infernum, quia habent peccata. Sed hoc mirum uidetur, quod Christus filius Dei & sine peccato, mortem tantoperè horreat. An nescit sibi post hanc uitam, repositam esse uitam & maiestatem sempiternā, in quam per mortem ingredietur? An nescit se futurum uictorem aduersus mortem & infernum? Scit profectō. Qui fit ergo, quod ad conspectum mortis & inferni sic expauescat & mæstus sit? Certè agnoscendus est Christus, & considerandus filius Dei, in cuius ore non est inuentus dolus, & qui nunquam fecit peccatum. Sed is, cum in forma Dei esset (ad Philip. 2.) non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et quanquam nullum fecerit peccatum, suscepit tamen in se nostra peccata, non opere & actione seu perpetratione, sed passione & expiatione. Non enim suscepit opus peccati, sed suscepit poenā, stipendium & supplicium peccati. Quare Christus, qui uenerat in hūc mundum, ut reconciliaret nos passione sua cū Deo patre, assumpsit & hoc peccati supplicium, ut imagine mortis & inferni, ex qua dolor & tanta mæstitia, grauissimè affligeretur. Cum igitur suscepisset se expiaturum passione sua omnia hominum peccata, profectō suscepit etiam horrorem mortis & inferni, quā potuit grauissimum: ut, quantum quidem ad huius supplicij grauitatem attinet, nō aliter mortem & infernum horruerit, quā si solus uniuersa hominum peccata designasset. Ac suscepit hoc supplicium in se, non autem propter se, quia nullum unquam peccatū fecit: sed propter nos. Primum, ut peccata nostra expiaret. Deinde, ut reipsa

Peccatū quā  
odiosum deoImpiæ men-  
tis cruciatus  
quanti.Etiam uiris  
fortibus ap-  
prehensio mor-  
tis & infero-  
rum terribi-  
lis.Christū mor-  
tis conspectū  
mirū in mo-  
dum commo-  
uit.Christus qua-  
re se antoni-  
us à facie  
mortis.Christus quo-  
modo suscepit  
in se no-  
stra peccata.Christus qua-  
re uoluit ter-  
reri cogita-  
tione mortis  
propinqua.

experiretur, quā horribilis sit terror eorum, qui affliguntur sensu mortis & inferni, quod & iis, qui sic tentantur, succurreret. Postremo, ut exēplo suo doceret nos, quid tantis angustiis comprehensū facere debeamus. Cum igitur Christus suscepit in se nostra causa dolores mortis & inferni, non suscepit eos, ut nos his doloribus non affligamur: sed potius, quia fit, ut propter peccata nostra his affligamur, suscepit eos, ut & ipsos in se uinceret, & nos eos in ipso uinceremus: uincemus autem, si peccatis agnitis, poenitentia ducti, crediderimus, quod ipse expiauerit dolore suo peccata nostra, & reconciliauerit nos cum Deo, patre nostro. Quare cum sentimus animam nostram tristem esse usque ad mortē, & tentamur horrore mortis & inferni propter peccata, festinandum est ad Christum in hortum: & cogitandum, quod ad expianda peccata nostra, horrorem mortis & inferni suscepit, ut nos fide uiua animati, omnem horrorem superemus per ipsum. Aut qui simplicissimè hunc locum intellexerit, dicet hanc mæstitiam ex horrore imminentis supplicij ortam. Nam in precatione sua hoc potissimum uisus est deprecari. Verus nāque homo Christus fuit, eoque necesse erat naturam eius mortem horrere. Vnde dicebat, Nō mea, pater, sed tua uoluntas fiat, suam uoluntatē naturae desiderium uocans. Atque in eo nihilominus anima, id est, uis illa naturae inferior, pro sua portione Deo obtemperauit. Itaque ut Dominus supplicium ultro pertulit, & doluit tamen: ita ultro quoque ad illud sese obtulit, contristatus tamen fuit usque ad mortem. Caterū intellige tristitiam in Christo, ueram fuisse tristitiā internam, tam in uoluntate, quā in appetitu sensitio: sed neque praueientem, neque impediētem rationem rectam: fuit enim uerus homo, passibilis non solum secundum corpus, sed etiam secundum animam, quandiu fuit uiator, quauis fuerit & cōprehensor secundum superiorem animae partem. Sic enim per omnia pati ipsum oportuit. Iam expendamus huius loci usum. Primò, seruit hic locus nostrae fidei contra Marcionem & Apollinarem. Ille enim negauit ueram Christi carnem: hūc absque sensu & ratione animam Christo tribuit. Matthæus ex uerbis Christi utrūque confutans, robustissimè confirmat, & carnem ueram, & animam cum sensu & ratione, habuisse Christum. Secundò, obseruamus Christū assumpsisse nostras infirmitates & mæstias absque peccato, ut illas & ipse superaret, & nos uinceremus in ipso. Tertio, proponitur nobis hoc loco Sacerdos & pontifex talis, qui compati possit infirmitatibus nostris, tētatus per omnia pro similitudine carnis absque peccato, ad quem secunda & bona fiducia, tanquā ad thronum gratiae, licet imbecilles simus, accedere possimus, Hebr. 2. & 3. Quarto, consolationem affert hic locus, ne putemus nos, ubi mortis metu deiicimur, Deo displicere, quando Christus nō dubitat horrorem mortis, quem patiebatur, Patri orando ac deprecando conquireri: id quod uidemus etiam in multis psalmis à Dauide factum. Quintò admonet eos, qui mortis metu exanimantur, ut prospiciant sibi, ne ueniam fidant uitae antea, quasi nihil habeāt, unde mereāt. Et rursus ne statim putemus bona niti causa quotquot infracto animo mortem aduent: exemplo sint Donatistae, & Zelotae apud Iudaeos, de quibus apud Iosephum. Pati autem horrorem mortis, similiter & inferni, non est peccatum: siquidem hæc passio ostendit hominem, & hominis naturam, fugientem mortem. Est proculdubio nostrae naturae mortis horrore ita agnatus, ut & cadauer mortui hominis praesentiam occisoris sui certis signis, (ut aiunt) horrendo prodatur. Est humanae naturae timere mortem, eò quod praeter naturam ingressa est mors, & propterea illam fugit naturam. Colligamus & hoc unum, nempe ex doloris mærorisue in Christo atrocitate, peccatorum apud Deum abominationem. Nam peccata grauiter displicere Deo, inde possumus colligere, quod illa non potuerunt expiari, nisi hostia supra modum afflictiissima. Obserua: In nobis motus & passio frequenter insurgunt aduersus rationem, naturali impulsu: in Christo autem subsunt inferiores potentiae & motus illarum, rationi. Libe-

Dolores &  
horrores mor-  
tis quomodo  
uincamus.Christus ui-  
tro & passus  
est, & doluit.Tristitia eu-  
iusmodi in  
Christo.Christus ue-  
ram carnē &  
ueram ani-  
mam habuit.Christus sa-  
cerdos, omni-  
bus accessi-  
bilis.Imperterrit⁹  
in morte ani-  
mus non sta-  
tim arguit  
inno cētiam.Timere mor-  
tē, humanū.Peccata quā  
ingrata Deo.



Mens & affectiones quomodo in Christo.

re illas permittebat surgere, id est, quando uolebat, permittebat agere inferiores uires, secundum quod eis erat naturale. Sed de his motibus & turbatione in Christo, fusius scripsimus in Ioan.

Sustinete hic, & uigilate mecum.

Quia hoc tempus non somnum postulat, addit animos discipulis: & hos hortatur ad uigilandum, & sedulo deprecandum secum: idque facit, ut sint illi aliquo modo solatio, & condoleant. Nam qui affliguntur, ita comparati sunt, ut cupiant unà dolere eos secum, quos pro amicis habent. Vnde hoc affectu uidetur Christus hos tres discipulos, quos habebat reliquos chariores, uigilare secum, hoc est, orando & congemendo collaborare uelle. Ne quis autem putet Christum ab hoc affectu alienum fuisse, expendat, quid illud sit psal. 68. Et sustinui, qui simul cōtristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

Miseratione amicorū leuatur dolor.

Et progressus pusillum.

Apud tres discipulos non orat, sed pusillum ab illis progreditur & secedit. Ardens ac uehemens oratio gaudet secessu. Nam ipsa, secretum quidpiam est ab omnibus aliis actionibus humanæ uitæ. Animus enim mœstus cupit liberius effundere æstum cordis lachrymando, gemendo, & queritando ad quod agendum, natura secessum & secretum petimus. Hæc & quæ sequuntur, nobis proponuntur, non solum ut cognoscamus res gestas in passione Christi, uerum etiam ac multo magis, ut usum earum, ad nostram salutem necessariū, discamus. Nam alius quispian in tantis angustiis & doloribus despondisset animū, execratus esset diem natiuitatis suæ, deuouisset seipsum diris, alius aliò se uertisset. Sunt qui in tanto horrore abrūpunt sibi uitam gladio, ut Saul: alij laqueo, ut Achitophel. Sed Christus Dominus noster rectissima uia incedit, & confugit ad Dominum Deum Patrem suum, per orationem. Dominus ergo suam passionem à precibus auspicatur: & in summo positus discrimine, ad Deum, ceu tutissimum portum, confugit, huic uni supplicans, & salutem suam commendans. Itaque suo exemplo nos docet, quò in maximis discriminibus, adeòque in ipso mortis agone confugiamus.

Oratio ardēs secessū amat.

Christi fortitudo mortē præmeditanti.

Ad Deum in discriminibus grauib⁹ cōfugiendum.

Procidit in faciem suam.

Prono capite faciem deflexit in terram, atque ita, prostratus coram Patre, orat. Quo gestu corporis significat animum uehementer cōsternatum & anxiū. Deinde hic gestus argumentum est ardentis animi, & humilitatis, quæ omnino committatur piorum orationes. Ita pro more habent sancti, uel in genua procumbunt, uel in faciem prosternuntur, ad declarandum animum, ante faciem diuinæ maiestatis humiliatum. Debetur enim reuerentia & maiestatis gloria ei, qui adoratur.

Proeubitus in faciem, gestus, piis precantibus familiaris.

Orans & dicens, Pater mi.

Captat Christus salutatione beneuolentiam à persona patris, appellans patrem utique Deum, non tam, quòd filius eius esset naturalis, quàm quòd iuxta humanam naturam agnosceret Deum se habere clementem, & propitium. Obserua: Requirit oratio affectum fiduciæ erga Deum, qualis est filij erga patrem: Atque ob eam rationem, & Christus ita nos orare docuit, Pater noster, &c. Certè hæc uox, Pater mi, ex intimis cordis latebris erumpit. Quasi dicat: In tantis, tamque horrendis angustiis, non habeo, quòd confugiam, præterquam ad te Deum, patrem meū. Omnia mihi minantur exitium, & perpetuam internecionem: solus tu reliquus es, quem adiutorem agnosco. Pater es, ego filius. Et corripior nunc summa omnium afflictione. Pater filium in summa afflictione relinquet? Minimè omnium. Quid ergo petis, ut transeat, &c. Rursus obserua: hæc oratio seu precatio, licet sit quædam luctantis cum pauore animi apud Deum queritatio, præsentat tamen Deo affectum naturalem hominis (quo nolumus mala pœnæ, nobis cōtraria) cum ad-

Qui orat Deum, orat ut patrem.

iuncto moderamine rationis superioris.

Si possibile est.

Lucas habet, Si uis. Quæ duo, Si possibile est, & Si uis, coniungenda sunt. Adhibet orationi moderamen primum, quod respicit potentiam, non absolutam, sed ordinatam. Neque simpliciter possibilitatem rei, quam petit, respicit, dicens: Si possibile est: sed magis ipsam Dei uoluntatem. Terminatur enim rerum possibilitas, uoluntate Dei, ut quod uult Deus, possibile sit: quod non uult, possibile non sit, ipso nolente: Nō autem uice uersa, ut quod sit possibile in se, uelit etiam: quod non uideatur esse possibile, nolit. Ergo, quod dicitur Pater, Si possibile est, perinde est, ac si dixisset, Si uis, &c. Hæc autem conditionalis apposta est propter inferiorem rationem. Non enim ob id conditionaliter dicit, quia Iesus ignoret, Si possibile est (ipse enim omnia nouit) sed quia ratio inferior in ipso nescit ordinem definitum à diuina sapientia. Nescit autem, quia eius non est scire supremas rationes, sed considerare rationes inferiores, hoc est, illas, quæ secundum res creatas congruunt aut dissonant. Obserua: hæc particula conditionalis, Si uis, &c. ibi possitissimum in oratione locum habet, ubi in afflictione & angustia oratur, deinde etiam in orationibus illis, quibus ea uel petimus uel deprecamur, de quibus nobis non constat, quæ sit Dei uoluntas. Cæterum in reliquis, ut cum petimus remissionem peccatorum, & huiusmodi, quæ sunt nostræ salutis simpliciter, non ita. Vnde in tota oratione Dominica nusquam est adiectum, ut dicamus, Si fieri potest, Si est uoluntas tua. Nam omnia, quæ ibi oramus aut deprecamur, certitudinem habent diuinæ uoluntatis, ut fiducialiter omnia possimus, ac simpliciter absque conditionali hac particula, petere.

Volūtas Dei possibilitatē rebus adfert.

Si possibile est, & Si uis, eadem.

Quomodo Christus dixit patri, Si uis, &c. si possibile est. Si uis, quibus nam in orationibus locū habeat.

Transeat à me calix iste.

Hæc est deprecatio futuræ passionis, propter quam in hanc angustiam & mœstitiam secundum hominem uenit. Hæc est pars carnis, dicentis, Transeat à me calix iste, & consistantis aduersus spiritum, dicentem, Veruntamen non mea, sed tua uoluntas fiat. Calix hic, est afflictio in prophetis præfinita Christo. Vox, iste, particula est exaggerantis crucem. Hæc omnia exaggerant horrores crucis, quos sensit Christus, nimirum totius mundi peccatis obrutus. Rogabis: An pœnituerit Dominum instituti cœptique negotij? An non optimè sciebat Christus, uoluntatem patris esse, ut pateretur pro peccatis? Cur ergo nunc deprecatur passio nem? Nonne obedientia Christi tanta fuit, ut meruerit per eam omnibus in ipsum credentibus iustitiam & perpetuam salutem? Quid ergo orat, ut auferatur crux, quæ tamen mandato Dei suscipienda erat? Nequaquam uerò pœnituit Christum instituti operis, qui, ut suos dilexerat semper, ita in finem usque dilexit: attamen per imbecillitatem humanæ, & uerè nobis consubstantialis, carnis suæ, hanc ad Deum patrem profudit uocem, testificantem ipsum supra modum horrore mortis propter nos discrucari. Cæterum hæc uox non erat à uoluntate, ut uocant, deliberata, sed quadam uelleitate (ut ita loquar) naturalis & humani affectus, cui non permisit nimium, sed mox, hanc suam affectionem, seu uelleitatem, obediens, diuinæ seu paternæ subiecit uoluntati.

Calicis nomine quid.

Christ⁹ mortē quare est deprecat⁹.

Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis.

Moderatur affectum illum, transeat, &c. totum referens in diuinam uoluntatem, veruntamen non sicut ego hoc affectu uolo, fiat, sed quod tu uis, uoluntate beneplaciti, & quod tibi uisum fuerit optimum. Hæc apertè docent, Christum non ignorasse, quæ esset bona Dei uoluntas. Non obstrepebat uoluntati Dei, non abiiciebat à se omnem patiendi uoluntatē, quin potius humanum suum affectum uoluntatē uel humanā diuinæ uoluntati subiecit. Nec erat contrarius diuinæ uo-



luntati, cum ad eum uniret se, & offerret obedientissimum Deo, ut se & omnia sua ipsi committeret. Obserua hic resignationem propriæ uoluntatis, in qua uera obedientia consistit, & plane consummatur: in qua opus redemptionis nostræ fundatur: in qua & in quam sanctificati sunt omnes filij Dei, Hebr. 10. in qua radices egit sublimitas & exaltatio Christi. Quoniam enim obediens factus est patri usque ad mortem, exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. Philipp. 2. Hæc autem propriæ uoluntatis resignatio necessaria est omnibus Christi discipulis, si uelint quique sua cruce sublata Christum sequi. Hoc enim est, quod dicit, Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem, &c. Vide supra. 16. cap. Hæc uox, ueruntamen, &c. omnes fideles instruit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronauit. De ea resignatione propriæ uoluntatis loquimur hoc loco, quæ uera & probata fit in ipsis tentationibus sub cruce. Abnegauerat seipsum & Petrus, deinde & reliqui discipuli, dicentes, In mortem tecum ibimus: tamen mortis metum & tentationem nondum experti erant, nec satis erant animi ipsorum ad istam resignationem propriæ uoluntatis confirmati. Obserua contra hæreticos hoc loco duas in Christo uoluntates, alteram humanam, Non sicut ego uolo: alteram communem sibi & Patri, sed sicut tu uis. Et neque contrarias uoluntates aut oppositas adinuicem introducimus, ait Gregorius Nyssenus: saluatoris enim humana uoluntas non erat contraria diuinæ eius uoluntati, sed sequebatur in omnibus uerbi uoluntatem. De duabus in Christo uoluntatibus, qui copiosiora ex scripturis factis & patribus sanctis cognoscere uelit, legat Actio. 4. Synodi Constantinopolitanae. 6. Item Actio. 8. & consequenter. Iam autem hic locus plurimum nos consolatur, & seruit adhiectis, ut cum in cruce sunt, & petunt liberari, pro bona tamē uoluntate Dei, hoc est, appetunt abesse crucem, aiunt tamen, nō mea, sed tua fiat uoluntas Domine: si mox non exaudiantur, non tamen despondeant animū, neque putent, uel se nihil habere fidei, uel istam tergiversationem carnis tātoperē displicere Deo, ut illius gratia nolit luctantibus succurrere: hæc enim petitio, ut uideatur habere pugnantiam, non est tamen ingrata Deo, modò terminetur hac finali subiectione, Non sicut ego uolo, sed sicut tu. Rursus hic locus confirmat nostram in cruce patientiam, Cum uidemus filium unicum in tantis angustiis tertio calicem hunc deprecatum esse, nec impetrasse, quod secundum carnem affectabat. Poterat quidem Deus alia ratione salutē humani generis instituere, sed ad eum firmus in proposito crucis mansit, ut neque filio suo unigenito, tertio crucem deprecanti, parcere uoluerit. Si quando igitur & nos, ad hunc modum orantes, quod cupimus non impetrauerimus, cogitemus, cum hoc contigerit Christo, nihil mirandum, si & nobis accidat. Non est discipulus supra magistrum.

Et uenit ad discipulos, & inuenit eos dormientes.

Veniens à precibus ad dilectissimos tres discipulos, reperit eos dormientes. In his aperte legimus humanam miseriam & socordiam. Ad eum socordes & corrupti sumus, ut in rebus maximis diuinissimisque altissimum dormiamus formaum.

Somnolentia & supinitas humana.

Et dicit Petro: sic non potuisti una hora uigilare mecum?

Amicè discipulos increpat, peculiariter tamen ad Petrum dirigitur increpatio, quod paulò ante magna de se iactauerat. Quasi dicat, Siccine, qui modò iactabas te moriturum mecum, non potuisti uel unam horam uigilare mecum? Ego pro uobis uigilo & oro. Vigilat hic Dominus pro nobis, & nostri curam gerit accuratissimam. Homines uerò dormiunt, uelutique lethargum dormiunt, cum maximè ipsis diligentissima opus est uigilia.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.

Quid nos omnes facere oporteat, Christus præscribit discipulis, dicens, Vigilate & orate. Addit & causam, quæ nos huc propellat excitetque, dicens: ne intretis

in tentationem. Non iubet orare, ne tententur: hoc enim esset iubere, ne uiuerent. Quid enim aliud est uita nostra super terram, nisi militia & tentatio? Si prospera accidunt, tentamur contemptu & neglectu Dei: si aduersa, tentamur desperatione. Et alioqui semper caro concupiscit aduersus spiritum. Quod quid aliud est, quàm semper tentari? Et tentationes sentire, siue à dextris siue à sinistris? Impossibile est, inquit Hieronymus, humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicimus, Ne nos inducas in tentationem, quam scilicet ferre non possumus, non tentationem penitus refutantes, sed uires sustinendi in tentationibus precantes. Ergo & in præsentia non ait, Vigilate & orate, ne tentemini, sed, ne intretis in tentationem: hoc est, ne tentatio uos superet & uincat, & uos intra casses teneat. Hæc Hieronymus. Tentatur ergo homo uel à Satana, uel à mundo, uel à fra ipsius carne, ad peccatum, & ad impietatem sollicitatur. Ab hac tentatione nullus hominum liber est. Intrat autem in tentationem, qui tentatione succumbit, qui se tentationi captiuum tradit, & à tentatione ita uincitur, ut Satanæ & desyderiis peccati obsequatur. Proinde futurum erat, ut discipuli ex captiuitate Christi sollicitaretur ad defectionem, & ex morte Christi ad desperationem. Quare Christus iubet eos orare, ut in hac tentatione non succumbant, nec uincantur: sed etsi deficiant, respiciant tamen, & seruentur. Idem docuit nos, ut dicamus, Et ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos deserat in tentationibus. Expositi certè sumus aduersis rebus ex omni parte. Orationem igitur Dominus hic commendat, & eam, quæ sobria sit: unde libenter orationi in factis coniungitur uel ieiunium, uel uigilia. Sensus ergo huius loci est, Quod mihi uidetis usuuenire, discipuli charissimi, certò statuite uobis, & aliis sanctis euenturum aliquando, ut cum maximis periculis circumuenti fueritis, & mortis horrore ueluti oppressi, inexplicabiles animi æstus senseritis, recordantes idem mihi accidisse, nihil sitis attoniti, sed inuictis animis perstetis. Profectò non oportebat nunc dormire eos, quos mihi testes delegeram, & per quos exemplum meum in totum mundum diffundere, & omnibus sanctis commendare uolebam. Euigilate ergo, quæ fiant cognoscite, & quæ omnes sancti passuri sunt, discite, imò quomodo se in periculis gerant, intelligite. Mens sibi uestra imminens ob oculos proponat mortem, uigilet uigiliam perpetuam, & orationes fundat ad Deum iuges. Hæc faciant, & sic se gerant qui nolunt uinci in tentationibus. Obserua: uigilia ad animi intentionem & cautionem: oratio uerò ad implorandam opem Dei pertinet. Vigilia animum præparat orationi, & ad precandum intentum illum facit ac sedulum. Ideo hæc duo, oratio & uigilia, coniungenda sunt.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Hic locus nobis ostendit pugnam carnis, & spiritus. Hic cupit se accommodare Deo. Ratio in homine spiritus est, & hac separatur homo à bestiis, & spiritus uerè est, id est, spiritalis & cœlestis, cum spiritui Dei adhæret: intelligit spiritalia, agit cum Deo, & apprehendit uerbum Dei & fidem. Caro est totus ille naturalis & animalis homo, qui non nouit agere cum Deo, &c. Adiungit itaque Dominus rationem, cur debeant imminente tentatione nō dormire, sed orare & uigilare, uidelicet ne in tentationem intrent. q. d. Non sufficit uobis habere spiritum & animum promptum ad uitandum peccatum, sed oportet uos orare, ne intretis, succumbendo, in tentationem, quia periculum imminet ingens ex parte affectus carnalis, qui non est firmus sub spiritu, sed mutatur, ceu alter Proteus, ad præsentiam obiecti. Proinde spiritus hominis bonus, & Deum amans, mundum & omnia mundi exosus, egregias habet de rebus diuinis, & de uictoria contra carnem imaginationes: & sibi persuadet, sine negotio affectus turpes, metum & omnia uinci posse. Nam ardet, & non nihil insolescit, & facile quidem uinceret, nisi coniun-

Vita hominis, militia.

Intrare in tentationem, quid.

oratio sobria & uigil, mul- tæ uirtutis.

Vigilia & oratio non separentur.

Ratio & spiritus? secernit hominem à bestiis. Caro, quid.

Affectus carnalis uertū- no, aut Proteo similis. Spiritus alacritas.



Caro cuiusmodi.

Nota simile. Satanus carnem primū adoritur.

Carnales carnis pugnam non sentiunt.

Suæ cuique carnis infirmitas agnoscenda.

Spiritus proptoris cum pueri ingenio comparatio.

Securitas in carne perniciosissima.

Simile.

Ab oratione non cessandum.

Hypotyposis deficiat humanæ i Apotestis somniculosi.

etiam sibi haberet carnem. Hęc tarda est, infirma, rebellis, ferox, & ad malum propendens: facile cedit minis, frangitur periculis, præfocatur uoluptatibus: imò impetu quodam confectatur mala. Idcirco propter adiunctam carnem maximopere uigilandum piis. In quibus hæc tergiuersatio & infirmitas etiam durat, quandiu hic agunt. Quam quoniam Satanus per experientiam bene cognouit, totus huc incumbit, & pios aggreditur, ut sicut infirmam Adæ portionem, mulierem, tentando aggressus est, & uirum deinde per mulierem: ita in Sanctis, carnis infirmitatem primū, deinde per hæc & ipsum spiritū adoritur, uel illecebris, uel rebus acerbis à studio recti auocare studens, ut uincat & perdat. Hanc carnis infirmitatem & recalcitrationem non experiuntur, qui, ut carnales toti sunt, ita & carnaliter uiuunt, ceu à carne absorpti. Spiritu siquidem non ducuntur ad spiritalia, cuius ductui caro possit aduersari. Sed ipse quoque spiritus per coniunctionem animalis & terreni corporis obrutescit, & terrenis ducitur. Qui autē regeniti sunt, & spiritu Dei ducuntur, hanc luctam experiuntur, & tentationibus Satanæ peruntur. Carnales enim, qui toti ad uoluntatem Satanæ uiuunt, & ab illo captiui tenentur, ut quid & tententur? Quare semper uigilantes, oremus, nunquam obliuiscamur, quæ sit carnis nostræ infirmitas, ne spiritus præsumptione & alacritate seducamur, & securi reddamur. Nemo insolecat, nemo propter spiritus amplū donum & ardorem flagrantissimum temerè quicquā ordiatur. Meminerit quisque, qualem in uisceribus gerat hostem, nempe domesticum, lubricum, uersutum, cautum, uersipellem, potentem. Puerorum ingenium est, maiora præsumere de uiribus suis, quàm præstare per ætatem & corporis robur possint. Animus enim illis alacrior est, quàm cui corporis uires satisfacere queant. Deest illis propriæ infirmitatis experientia, quam plerunque non sine damno acquirunt, dum imprudenter maiora suis uiribus tentant. Discamus itaque uel à pueris, quàm necesse sit, ut carnis nostræ infirmitate considerata, cauti simus, & uigilantes in oratione ad Deum, ne nos astu & tentatione Satanæ adobruui finat. Est autem uetus Satanæ astus, ut infirma nostra tentet, inque illis materiam nos superandi, uenetur. Quare qui sibi bene consultum uolet, nunquam securus sibi erit ab ista Satanæ uersutia, sed perpetua sollicitudine uigilabit, ne ibi uincatur, ubi nouit se ut infirmum, ita tentationibus quoque Satanæ obnoxium & expositum. Hoc solent duces in bello facere. Vbi enim obsidentur ab hostibus, ibi potissimum excubant, ubi nõrunt ciuitatis propugnacula esse infirmiora. Sciunt enim eam urbis partem insidiis hostium potissimum expositam esse.

Iterum secundo abiit, & orauit, dicens: Pater mi, Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua.

Quod sapius ad eandem redit orationem, ostendit magnitudinem crucis apprehensæ, & pugnam carnis & spiritus. Caro uicta subinde recurrit, donec prorsus præuolenti spiritui subiiciatur. Docet item hæc repetitio, non esse in oratione cessandum, etiam si primò uidearis minimè à Deo exauditus. Sed in oratione instandum, ac, omnibus etiam creaturis diuersum minantibus, urgendum. Calix transiens, est mors temporalis, non æterna aut permanens. Bibere calicem est pati, est mori.

Et uenit iterum, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati.

Redit ad discipulos iterum, ut commendet illis suum exemplum. Illi iterum securè stertunt. Erant enim oculi eorum uehementer grauati, mœrore conduplicante somnolentiam. Scilicet hi miram nobis relinquunt socordia humanæ hypotyposin, licet ex naturalibus causis oculi ipsorum essent grauati. Accedit enim ad corruptionem nostram, & naturalis quædam pigritia, & innatus quidam tor-

por: unde fiebat, ut quò Christus constantius oraret, tantò altius dormirent discipuli. Haud dubiè deploranda uenit hæc humani generis miseria & calamitas.

Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertio, eundem sermonem dicens.

Relictis discipulis, tertio abiit solus, oraturus eodem sermone, quo nos doceret, non semel atque iterum, sed pertinaciter, tantòque crebrius & uehementius orare, quantò sæuior imminet tentationis procella. Orat quidem tertio, & tanto ardore, ut eò prolixius oraret, quò uehementius mœsticiam & tristitiam calicis apprehendebat: adeoque tanto angore affectus est, ut angor ille extorqueret ei sudorē, nec hunc uulgarem, sed sanguineum, idque tanta copia, ut guttæ sanguinis in terram decurrerent. O nos ter quaterque beatos, quos Deus pater tanto fauore complectitur, ut propter nos permittat uirgenitum filium suum in tantam animi mœsticiam, imò in tantum supplicium conuici, ut etiam sanguinem sudet! O nos longè omnium infœlicissimos, si ne sic quidem agnoscimus prauitatem peccatorum nostrorum, nec respicimus! O ingratitude nostram! Pro dolor, peccata nostra extorquet Dei filio guttas sanguineas, & nobis ipsis, qui ea designauimus, uix possunt exprimere unam lachrymulam, aut saltem suspiriolum. Quid hac cordis duritia turpius? Obseruemus nunc, qualem, uel tandem exhibeat, sese Deus erga filium suum, in tam stupendis angustiis constitutum. Christus dolores hos nõ est suo peccato meritis, & potuisset uno cogitationis nutu à se excutere: sed quia sciebat hanc esse uoluntatem patris sui, ut susciperet supplicia peccatorum, & expiaret peccata, maluit patri obediens esse, & dolores, quauis longè omnium maximos & grauissimos, ferre, quàm temporaria uoluptate frui. Quare Deus optimus maximus, obedientia filij sui in tantum delectatus est, ut non solum miserit ipsi angelum, uerum etiam omnibus in hunc Christum filium suum credentibus ita faueat, ut propter Christum reputaturus sit ipsos iustos, & non permissurus, ut quispiam ipsorum tentetur, supra id quod possit, sed facturus sit unà cum tentatione prouentum, ut ferre queat, adeoque sit erepturus electos suos ex omnibus afflictionibus eorum. Obserua: quauis non auferretur à Christo calix mortis, non inuultiles tamen & inefficaces erant ipsius preces. Lucas enim ait, Apparuit illi angelus de cœlo, cõfortans eum. Multum certè ualet oratio iusti, ait Iacobus. Nã tamen si illud ipsum non consequaris, quod postulas, consequeris tamen, quod tibi utilius est; salubriusque. Accedit itaque Christo diuina consolatio. Quo exemplo nobis ostenditur, quid sit à cœlesti Patre in talibus angustiis sperandum. Si crucem non aufert, quòd id nobis non proffit, nec ad gloriam suam faciat, certè corroborabit animos nostros cœlesti consolatione, ut ad crucem fortiores ac paratiores esse possimus.

Tunc uenit ad discipulos suos.

Finitis precibus, & commendata causa uniuersa, Deo obfirmato item, ac sibi constante animo ad tolerandam mortem, perferendumque omnia tormentorum genera, redit ad discipulos Dominus, quos nihilo, quàm antea reperit uigilantiores. Caro enim, semper sui similis, ægrè admonitionibus emendatur, nisi uerberibus quoque castigetur.

Et dicit illis, Dormite iam, & requiescite.

Marcus his uerbis subiungens, sufficit, uidetur interpretari, hæc uerba esse permissiua somni, ad tollendam, quam discipuli patiebatur, oculorum grauedinem, ex tristitia. Sensus uerborum est, Surgens ab oratione, uenit ad discipulos, quos uidens somno prorsus grauatos præ tristitia, compassione motus, indulsit illis, ut aliquantisper requiescerent: dixitque eis, Quando frustra uos ad uigilandum uideo commoneri, & à somno quasi uiolenter deprimi, cedens uestræ infirmitati,

Charitas Dei erga nos in sudore Christi sanguineo.

Nota meditationem.

Obedientia Christi quantum placuerit Deo, & profuerit nobis.

Preces Christi nunquam uanae aut caesæ.

Ritè precantes nunquam non exaudiuntur.



indulgeo nunc uobis, ut dormiatis & requiescatis paulisper, usquedū ego uos ex-  
pergefecero. Et cum paululum expectasset, ac praesentiret cohortem unā cum Iu-  
da aduentare, ait, sufficit, id est, iam satis dormitum est. Hunc esse huius loci sen-  
sum indicat uerbum, sufficit, à Marco scriptum. Et mox uerbum subiectum, sur-  
gite, eamus. Non pigebit tamen recensere interpretationem eorum, qui dicunt,  
hæc uerba, dormite, &c. esse amicam ironiam & correptionem, qua significat lon-  
gè aliud, quàm dormiendi & quiescendi, modò tempus appetiisse. Quasi dicat,  
hactenus non impetraui à uobis, ut paulisper mecū uigilaretis, nunc ipsa res exci-  
tabit uos, cum uideritis meum supplicium & uestrum periculū. Huic interpreta-  
tioni subscribit Theophylactus in Marcum, quam multis uerbis inculcare cōten-  
dit. Ecce, appropinquabit hora. Ecce, attentionis particula, monens de repētina  
appropinquatione crucis. Hora punctum atque tempus illud est, quod uinculis  
Domini destinārat diuina prouidentia. Nam non cadit capillus de capite nostrō  
sine uoluntate Patris cœlestis. Obserua, Christum hoc memorasse, ut intelligeret  
iam nihil esse minus, quàm dormiendi tempus. Quasi dicat, Hora adest, qua ca-  
piar, ad sunt hostes, qui mihi manus iniiciāt, & uos dormitis? Hæc hora aliud exi-  
git, iam non poteritis ampliùs dormire, Surgite, &c.

### Et filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Auditu graue & molestum, quòd filius hominis tradetur, &c. sed interim salu-  
berrimum est. Ideo enim traditur in manus peccatorum, ut peccatores liberet è  
manu peccati. Quamobrem hæc Domini humilitate nemo offendatur: propterea  
enim deiectus est sub pedes peccatorum, ut peccatores è luto subueheret ad cœlos  
in gloriam. Traditus est: Quis? Ipse, non peccator. Qui peccatum non fecit Isa. 53.  
Ipse inquam filius Dei, Rex pacificus, traditus est in manus peccatorum, eorū-  
que minimè uulgariū, quales sunt & intelliguntur omnes homines, sed impio-  
rum, nullo Dei timore præditorum, quales psalmus 21. canit. Quoniam circū-  
dederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Et quales Petrus  
pingit Act. 2. *ἀνόμους*, id est, iniquos: per manus iniquorum (inquit) affligentes  
interemistis. Obserua: nō dicitur capietur, sed tradetur. Plus enim est tradi, quàm  
capi aut affligi. Nam in manus peccatorum tradi, est in omnem illorum potesta-  
tem & libidinem tradi. Vnde se ceu derelictū significat, psal. 21. Deus Deus meus,  
ut quid dereliquisti me? Totius itaque sententiæ sensus est, Hora iam adest, ut sce-  
lerosis, impiis, reprobis & iniquis hominibus copia fiat & potestas super filium ho-  
minis, ut pro sua ipsorum improbitate uim illi inferant, condemnent eum, con-  
spuant & crucifigant. Nam licet, diuino consilio Patris Christus esset tradendus,  
peccabāt tamen huiusmodi scelestissimi & impij ministri. Hi sunt quibus utitur  
Deus ad iusti innocentiam probandam, & his opus habet. Quis enim iustorum  
sustinisset occidere hominem innocentissimum? Quando ergo Deus suos per  
iniuriæ tolerantiam exercet, & cruce, quam iuxta seculum non meruerunt, pro-  
bat: necesse habet malorum opera uti: iustus quippe non potest iniuriis afficere  
iustum impius uerò pro ingenij sui malitia ad eam rem est accommodatissi-  
mus ac promptissimus. Quis non uorat ouem, quia hoc luporum est, qui ad hoc  
nati uidentur. Diuersa est functio magistratus. Huius enim officium est, mo-  
dò punire malos, modò defendere bonos. Non conuenit itaque, ut is utatur  
impiis ministris, cum omnia possit per iustos exequi. Cum itaque Christus esset  
insons, & nihilominus tradendus, contemnendus, summa iniuria afficiendus,  
conspuendus, flagellandus, irridendus, perforandus, crucifigendus, blasphe-  
mandus, ac summa inhumanitate tractandus: nec possent ista manibus iusto-  
rum fieri, opus erat ministerio reproborum ac peccatorum. Et hoc est, quod dicit,  
filius hominis tradetur in manus peccatorum: non qui respectu diuinæ uoluntatis  
ista

Dormite iā,  
ironicè di-  
ctum.

Christi pro-  
ditus, mortē  
perdidit.

Qui cepere  
Christū pec-  
catores.

Iusto Dei cō-  
silio subter-  
uiunt homi-  
nes iniustissi-  
mi.

Deus necessa-  
riò utitur ma-  
lorum opera  
ad probādos  
suos.

ista facerent, sed qui odio, inuidia, & cordis prauitate inducti, nullo profus Dei  
respectu, nisi simulato, exequerentur.

### Surgite eamus.

Verbum est animi confirmati, nec ampliùs exhorrentis crucem. Quòd autem ea-  
mus? Num ut abeamus, & fugiamus eos, qui me comprehensuri sunt? Minimè  
omnium: sed eamus eis obuiam, ut intelligatis & testes sitis, me, nec inscium, nec  
coaetum, sed profus uoluntarium & spontaneum, hanc passionem suscipere. Sed  
quid adhuc dicemus? Cur Christus non fugit, cum potuisset? Nonne dixit ipse:  
Cum uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam? Et tentat Deum, qui se  
temerè periculis exponit. Ergò ne dicemus Christum tentasse Deum, propterea  
quòd non fugerit cum potuerit fugere? Absit. Tentat quidem Deum is, qui se te-  
merè, absque uocatione Dei, exponit periculis. Qui uerò uerbum & uocationem  
Dei habens, semet discriminibus, etiam mortis, obiicit, & pericula suscipit, is in-  
tantum non tentat Deum, ut potius obsequatur uolūtati Dei. Et cum Christus ait,  
Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam: sentit tunc fugiendum esse,  
cum per uocationem Dei fugere licet. Voluntas autè & uocatio Dei erat, ut Chri-  
stus eo tempore susciperet passionem & mortem. Ecce (inquit) appropinquabit  
hora. Et postea: Calix, quem dedit mihi pater, non uis, ut bibam illum? & iterum,  
hæc est hora uestra, & potestas tenebrarum. Quare Christus procedendo persequu-  
toribus suis obuiam, non tentat Deum, nec temerè se exponit periculis, sed secta-  
tur uocationem Dei, factus obediens usque ad mortem. Eamus & nos, exemplo  
Christi, obuiam his afflictionibus, quas Deus nobis immittit, & ad quas sustinen-  
das Deus nos uocat: uocat autem, cum non possumus alia uia, quàm per impieta-  
tem & peccatum, effugere afflictiones. Hæc tum hora, hoc tum tempus est, quo di-  
uinitus ad crucem uocamur. Alioqui licebit crucem fugere & in aliam ciuitatem  
abire, cum salua pietate patet uia fugiendi. At si non potes effugere, nisi impiè fa-  
cias, & contra Deum pecces, ibi tum cruci per fiduciam in uocatem, obuiam pro-  
cedendum est. Obseruemus nunc in Domino, quòd qui iam iam mœrore prope-  
modum contabuerat, ac dixerat, Tristis est anima, &c. nūc alacer morti it obuiā,  
Surgite, inquit, eamus. Et, sicut Isaias ait, cap. 53. Oblatus est, quia ipse uoluit. Ad  
hanc formam oportet, ut & nos componamur. Caro quidem, ut supra dictum est,  
infirma, aliquandiu reluctatur, ac crucem deprecatur, uerum uiribus aucta tan-  
dem per orationē, obliuiscitur se carnem esse, & parendo spiritui, fit spiritualis, ac  
pro nutu spiritus ambulat. Meditare iam, & meditando expende apud te uirtutem  
diuinam Christi, cōstanter & intrepidè in mortem concedentis ac se se offerentis:  
& coniunge te Domino. Recipe mentem & animum, uince tu quoque imbecilli-  
tatem tuam per Domini fortitudinem: ora ipsum Dominū, ut suum spiritum tibi  
communicet, quo possis, contempta morte, & spretis omnibus tormentis, ea ad  
Deum uia contendere, qua uoluit prior ipse ingredi.

### Ecce appropinquabit, qui me tradet.

Quasi dicat, Ecce in proximo est, qui me prodit. Adest ille, quem paulò antè  
cœnantibus uobis designaui uerbo & signo: iam iam aduenientem illum uidebi-  
tis, ut proditoris suæ impium machinamentum opere compleat. Rogabis: cur  
non dixit, ad sunt, qui me capient, sed solum meminit proditoris? Plus culpæ erat  
in traditore, quàm in cohorte militari. Et ad Pilatum dicebat, Qui me tradidit ti-  
bi, maius peccatum habet. Cur non dixit, Adest Iudas? Non intellexissent quid  
subesset periculi. Neque enim intellexerant Iudam proditorem esse. Vbi uerò di-  
xit, appropinquauit, qui me tradet, absque dubio fecit, ut commoti exilirent.

### Adhuc eo loquente, Ecce Iudas uenit.

Mirabile auditu. Qui selectiores erant discipuli, Petrus, Iacobus & Ioannes,

Z Z z

Christi sua-  
pre spōte, &  
maximè uo-  
lens, passus  
est.

Fugere perse-  
cutionē quā-  
do licet, uel  
necessè est.

Non subter-  
fugiendæ af-  
flictiones, ad  
quas uoca-  
mur.

Ad crucem  
quando uo-  
cat nos Deus.

Vincēda im-  
becillitas car-  
nis, alacritas  
te spiritus.

Iudas, cohortē,  
quā duceb-  
bat, scelesti-  
or.



dormiunt: at perditissimus Iudas non dormit, sed sedulo uigilat, & fatagit quod coeperat, prodicionis opus, ad finem perducere. Vix finito sermone Iesu, quo excitabat à somno discipulos, ac dicebat: Surgite, eamus: ecce appropinquabit, qui me tradet. Ecce Iudas, ex Apostolo, sicariorum dux factus. Sic Lucas, Et qui uocabatur Iudas, unus è duodecim, antecedebat eos. Obserua: hoc exemplum prauitatem humani ingenij proponit, qua fit, ut uigilantiores sint ad malū reprobū, quàm ad bonum pij. Sacerdotes, Scribæ, Pharisei & seniores populi, ad perdendum Christum uigilantes habent ministros, cum tamen Christus ad orationem & necessariam uigilantiam ter discipulos excitaret, & semper somnolentos & dormitantes illa hora (quæ excubias requirebat) haberit. Sed malos lucri ac quæstus spes uigilantiores reddit, quàm pios professionis officium, aut gloriæ Dei, uel salutis propriæ ratio.

## Vnus de duodecim uenit.

Vox, unus, magnam habet emphasim. Quasi dicat, vnus ex illis, quos Christus habuit & uocauit amicos suos, Christi discipulus, Apostolus & familiaris. Sed hic mihi uide, quanta sit impietas & iniquitas Iudæ. Iudas Apostolus, in hoc à Christo uocatus erat, ut adduceret turbam populorum ad credendum in Christū, & ad consequendam ab ipso salutem. Sed ecce adducit turbam, ad perdendum Christum, & consequendam ab ipso perpetuam damnationem.

## Et cum eo turba multa.

Non ait, Ecce turba multa, & Iudas cum eis. Sed ecce Iudas, & cum eo turba multa: ergo dux erat turbæ, ad capiendum Christum missa. Hæc cohors & hæc turba conflata erat ex ministris pontificiis, & facie quadam iniquitatis. Turbæ officium erat, ut salutem in Christo quærerent: sed ecce ueniunt, ut quærant Christum ad prodicionem. Et milites in hoc uocati erant, ut tueretur publicam pacem, quod uera religio, id est Euangelium de Christo, doceri posset. Magistratus enim ciuilis, qui administrat gladium, etsi interdum nihil minus cogitet, tamen in hoc diuinitus constitutus est, ut conseruet publicam tranquillitatem & honestatem: non propter se, sed quod in ciuili tranquillitate uera pietatis doctrina locum habeat, & ad salutem hominum tractari queat. Vide ergo rem indignissimam. Cohors militum, qui tuebantur pacem propter Christum, uenit ad capiendum Christum. Hoc in his, & præcipue in Iuda proditore operata est *φιλαργυρία*. Debebat discipulus Christi Iudas, uel ipsum armatorum conspectum horrere. Verum tanta est uis *φιλαργυρίας*, ut confestim ex Christi discipulo faciat ducem militum improborum ad perdendum Christum, qui pro Christo nihil non ferre debebat.

## Cum gladiis &amp; fustibus.

Ioannes ait, Cum laternis & facibus & armis. Signanter hæc adiicit Euangelista, ut ostendat arma, quibus nituntur inimici, Christi ueritatem tollere. Sed quid cõtra inermem & imbellẽ armis opus erat? Quid rursus negotij erat Christi discipulis cum turba & cohorte militari? Duo in causa horum fuisse uidentur. Alterum, ne à discipulis uel à vulgo qualicumque defenderetur. Nam ita comparatum est, ut impij in patrandis sceleribus suis ea timeant, quæ timenda non sunt, & uicissim ab illis nihil prorsus timeant, sed securos se putent, quæ timenda sunt. Armis non erat ad capiendum Christum opus: licet enim non nihil reluctatus sit Petrus, frustra tamen fecit, non permittente Christo. Proinde non erat aliqua hostibus Christi aduersaria uis metuenda. Timenda erat ira Dei. At huius securi erant. Alterum, ut forma iudicij seruaretur in capiẽdo Christo, tanquam homine seditioso & hæretico. Vnde huc pertinet quod non quæuis turba, sed à Sacerdotibus, Scribis, Phariseis & senioribus populi missa, cum proditore egressa est. Item, quod à præside

Rom. Imperij cohors militum accepta est. Huc enim tendebat consilium Satanæ, ut non simpliciter occideretur Christus, sed occideretur, uelut homo perniciosus ac seditiosus, per potestatem legitimam ad improbos clamores Sacerdotum, Scribarum, Phariseorum & Seniorum populi. Obserua: laternæ, facies, arma, gladij & fustes, inuenta & dona Dei sunt, in pium usum ordinata, sed nunc abutuntur his impij aduersus unigenitum Dei filium.

## Missi à principibus Sacerdotum, &amp; Senioribus populi.

Pontifices, Scribæ, Pharisei & Seniores, seu Senatus Iudaici populi, præcipui hostes Christi, homines specie religionis præditi, & sapientes in mundo, in hoc ordinati erant, ut Christum sacrificiis adumbrarent, ut Christum ex prophetarum oraculis explicarent, ut politiam Mosaicam ad conseruanda promissa de Christo administrarent. De Sacerdotibus enim, & principe Sacerdotum Aarone, ac alijs successoribus dixit Malachias. 2. cap. Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas nõ est inuenta in labijs eius, in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Tales autem fuissent Caiphas ac reliqui Sacerdotes, si suo uoluissent respondere officio. Sed contraria oppositaque in ipsis inueniuntur. Nam ecce mittunt proditorem cum cohorte & ministris, ad opprimendum & penitus extinguendum Christum. Vide mihi, quot & qualia hominum genera contra Christum concurrant. Primum Sacerdotes cum Scribis, Phariseis ac senioribus populi. Deinde Iudas, fucatus Christi discipulus, & magistri sui proditor. Tertio, Præses, Romani magistratus administrator, à quo ad capiendum Christum sumitur militum cohors. Quarto ipsa militum cohors. Quinto Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum ministri. Hi omnes, & religione & professione & uitæ studio diuersi, in capiendo Christo conspirant. Nam eiusdem religionis non erant Sacerdotes & Præses, nec Iudas & turba, quam secum simperat: illi Iudæi, isti gentes erant. Eiusdem quoque professionis non erant, Sacerdotes rerum spiritualium, Præses uero secularium curam gerebat. Milites præsidis armati: Iudas Christi pacifici & inermis minister erat. Quid ergo tam diuersos coniungit? Quid singulos ad tam scelestum scelus, & tam impium facinus impellit? Sacerdotes tenebantur & agebantur insatiabili erga Christum odio, quod sentirent, doctrinam Christi plurimum suo regno, & splendori ac quæstui detrahi. Horum ministri, ut fieri solet, gratificabantur Dominorum suorum affectibus. Iudas proditor excæcatus erat auaritiæ studio. Præses partim cauebat tranquillitati imperij, partim gratificabatur Sacerdotibus. Milites obediabant iussui præsidis, nulla habita iustitiæ cognoscendæ ratione. In Sacerdotibus imago est carnalis Sacerdotij, eorum, qui religionis nomine gloriam huius mundi & opes terrenas uenantur. Huic ordini intolerabilis est doctrina ueritatis. Iudæi socij sunt omnes hæretici scripturas prætexentes suæ impuritati, & ueritatis patrociniū suæ ambitioni, propinantes interim mortiferum erroris atque hæreseos uenenum. Præses typum eorum gerit, qui ita rerum terrenarum gubernationem instituunt, ut uel metu superioris potestatis, uel in gratiam potentum, ad opprimendam ueritatis doctrinam, operam suam ueritatis hostibus (etiam ipsi non hostes) impendant. Cohors militum eos refert, qui nulla cuiuspiam religionis ratione mouentur, sed stipendij & lucri gratia, potestatibus ad quæuis, siue per fas, siue per nefas, audenda ac gerenda seruiunt.

Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenere eum.

Iudas proditor cohortem antecedebat, & ne in persona errarent, ac discipulorum aliquem pro Domino apprehenderent, pactus erat cum impijs, ut quemcun-

Iudas ex Apostolo dux sicariorum. Impij impietatem diligētius, quā pietatem pij, fecerantur.

Iudæi facinorosi, quæ iniquum.

Magistratus & milites uocati ad tutelam pacis.

Pecuniæ amor Christi timorem dei profugiat.

Facinorosi omnia potius, quàm iram Dei, timeant.

Satanæ consilium in occidendo Christo. Creaturæ creaturis abutuntur aduersus creatorem.

Senatus Iudaicorum munus & officium, quod.

Quot genera hominum confluxerunt ad capiendum Christum.

Quid impulit tot tam diuersæ conditionis homines ad capiendum Christum.

Qui prodiderunt & ceperunt Christum, quos significant.



que oscularetur, eum comprehenderent protinus, & arctius constringerent, ne elaberetur. Dominus enim non semel delusis hostibus, è manibus illorum euaserat, mortem & uincula intentantium. Vnde cauere uoluit crudelis Iudas, ne idem nunc quoque fieret. Tam uidelicet sollicita est, caeca & auara impietas in negotiis impietatis sceleriter expediendis. Hic locus indicat nihil esse apud homines ab omni parte beatum, quando tam sanctissimus discipulorum ordo, tale, tamque portentosum monstrum, Iudam, aluerit. Obserua: utitur osculo quod amicitiae symbolum habet. Erat ueteribus osculum reuerentiae signum. Nam Osee 13. ponitur osculari uitulum, pro religiosè colere idolum. Rursus usitatissimum fuit Hebraeis, osculari se mutuo, ut nobis familiaris est manuum consertio, fidei, amoris mutui, concordiaeque symbolum. Nouum autem & inauditum est, osculo praetextuque summæ concordiae, odium exercere cruentissimum, id est, innoxium tradere hostibus crudelissimis. Singularem habet malitiam, ingenium hoc impiorum. vide insidias Saulis contra Dauidem, 1. Regum 18. Ioab contra Amasiam, 2. Reg. 20. Herodis contra Christum adhuc infantem, cum dicebat ad Magos: ut ego ueniens adorem eum: quem tamen acerrimè postea persequitur in infantibus, primis martyribus praesentis Christi.

*Impietas se-  
per uigil.  
Nihil ab om-  
ni parte bea-  
tum.  
Oscula sym-  
bolumpacis,  
amicitiae, &  
reuerentiae.*

*Astus & do-  
li impiorum  
aduersus pios.*

Et confestim accedens ad Iesum, dixit, Aue Rabbi:  
& osculatus est eum.

Perfricta fronte processit Iudas Iscariotes, subsequens clam ministris, & iuxta consuetudinem salutat, & osculatur Christum. Consuetum erat discipulis, alicunde ueniens, ita salutare & osculari Christum, ad testandum amoris & reuerentiae erga ipsum, affectum. Amoris affectum exprimit osculum & saluatio, reuerentiam habet appellatio Rabbi. Hæc duo simulabat & Iudas, licet corde esset insincero. Vide quæso, quanta sit uis impietatis, & quod tandem pertrahat, si principis nõ resistamus. Hic traditor non ueretur propter pecuniam, exque inuidia & impietate, saluatorem suum prodere, & interim salutare eum magistrum, & osculo, ceu charissimū sibi, demulcere, cum tamen nec illius agnosceret magistrum, neque osculo aliud, quàm letaliter illum vulnerare ex animo cuperet. Obserua: Qui Iudam sequebantur, nihil offenduntur simulationis huius improbitate, qua discipulus præceptorem osculo tam impudèter sub ipsorum conscientia prodebat. Similes uidelicet habebant labra lactucas.

*Principis  
obitandum.*

Dixit illi Iesus, Amice, ad quid uenisti?

Exemplum est philanthropiae & summæ charitatis in Christo erga Iudam suū proditorem. Ait Christus, Amice, ad quid, &c. non quod Christus causam praesentiae Iudæ ignoret: sed ut Iudam moneat suæ impietatis atque prodicionis. Cum osculo Iudæ discipuli traderetur Christus, potuisset, unico suæ uoluntatis nutu Iudam ita perdere, ut esset manifestum & perpetuum monumentum impietatis, omnium hominum oculis expositum, quemadmodum quondam uxor Loth in statuam salis mutata est. Sed maluit Christus agere, quod nobis erat saluiferum, quàm quod esset humanæ curiositati admirandum. Tantum enim abest, ut aliquid mali referat Iudæ, ut potius iterum illum admoneat, magna quidè seueritate, attamen beneuolentissimè, ut uel tandem respiciat. Iuda (inquit) amice, ad quid uenisti? Apud Lucam appenditur, osculo filium hominis tradis. Oportebat ueteris te & fidei & amicitiae meminisse, & quàm indignum sit osculo, amicitiae symbolo, filium hominis tradere. Qui te creauit, qui te Israëlitam feci, qui te in Apostolum elegi, qui tibi potestatem eiciendorum demonum dedi. Et ecce tradis me, magistrum tuum, osculo, specie amicitiae. Quid unquam in te tantum committere potui, ut me præceptorem, me seruatore tuum traderes? Sed age respice ue-

*Charitas Christi  
erga etiã  
proditorem.*

*Exaggeratio  
ingritudi-  
nis Iudæ.*

nunc, & recipiam te in gratiam. En habes in Christo perfectam charitatem proximi. Nõ enim cupit tantum seruire reliquos Apostolos, amicos suos, uerum etiam Iudam proditorem, & iam factum summum inimicum. Hoc est legem charitatis perfectè implere. Hoc etiam est patri perfectè obedire. Obserua: vox ista Christi grauisima erit omnibus hypocritarum conscientis. Quod enim hic Iudæ dicitur, Amice, ad quid ades? Hoc absque dubio occurret omnium simulatorum conscientis, ut cogitent intra se ac dicant, Amice, quid facis? Quid quæris? Et utinam audiant hanc conscientiae suæ uocem in hac uita, dum adhuc respiscendi tempus est, antequam desperatione cum Iuda adobruti, tandem, ubi nihil proderit, exclament, Peccauimus, tradentes sanguinem innoxium! uel audiant in extremo iudicio, ab ipso Domino, Amici, quomodo huc intrastis, non habentes uestem nuptialem?

*Amice, ad  
quid uenisti,  
stimulus con-  
scientiae.*

Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.

Memorat Ioannes 18. cap. quid ante hanc captiuitatem acciderit, quidue factum fuerit. Et quomodo se obuium aduersariis, in terram cadentibus praestiterit. Nunc ad signum proditoris accurrunt impia turba, & manus iniecerunt in Iesum, ac tenuerunt eum. Hoc loco Ecclesiae duo spectanda hostium Christi genera proponuntur. Alterum apertè agit, armata uexitium minitans & ueritati Euangelicæ & studiosis Euangelij. Huiusmodi fuerunt pontifices, ministri item pontificis, & socij ipsorum. Alterum simulat summam amicitiam, eaque hypocrisis maximè nocet: prodit enim & subuertit ueritatē. Socij Iudæ sunt, qui simulant se fautores esse Euangelij, quod noceant, aut suas res conficiant sceleris. Sed quid hic uidemus? capitur & ligatur summa innocentia & libertas. O inhumanitatē! debetur hoc supplicium furibus, latronibus, incendiariis, & aliis id genus sceleratis. Cur ergo Christus, omnium innocentissimus, eo afficitur? Quid est, quod manus comprehendunt Christum non exaruerunt, quemadmodum exaruit manus Ieroboam regis Israel, extendentis manum suam de altari aduersus prophetam, prohibentem, ne adoleret. 3. Reg. 13. Et tamen Christus maior est illo propheta. Quid est, quod non descendit ignis de caelo, qui hos sicarios deuoraret, qui manus iniecerunt in Christum, sicut & cohorti regis Israel, ad Eliam missæ, contigit. 4. Reg. 1. ca. Num Christus minor est Elia? Minimè omnium. Certè quod illic edita sunt miracula, certo quodam Dei consilio edita sunt, de quo nunc non est dicendi tempus. Quod autem in captiuitate Christi nec manus comprehendunt exarescant, nec ignis de caelo cadat, etiam suo, eoque prudentissimo, & nobis maximè omnium saluifero Dei consilio factum est. Christus enim uenit in hunc mundum, ut patri obediret: obediret autem usque ad mortem crucis. Voluit autem pater, ut susciperet filius supplicia peccatorum, & expiaret peccata hominum passione sua. Atqui, quod irrogatur hominibus ob scelera perpetrata supplicium, est adulterij, furri, homicidij & similibus scelerum supplicium. Et hoc uolens, & ueluti ouis, ductus ad uictimam, suscepit Christus in se, & permisit se, tanquam latronem aut homicidam, capi: in primis, ut cognoscamus, quantum sit peccatum nostrum, propter quod filius Dei suscipit in se supplicium, quod latronibus debetur. Nam etsi non omnes homines extrinsecus latrocinantur, omnes tamen homines sunt in conspectu Dei tanti peccatores, ut non solum externam, sed etiam æternam apud inferos captiuitatem propter peccata meriti sint. Quare nondum intelligit grauitatem peccati sui, consideret, quod propter peccatum ipsius capiatur Christus, tanquam latro, & manifestè uidebit, maius esse peccatum suum, quàm quod supplicij corporalibus pro meritò puniri queat. Secundò in hoc captus ac uincula pertulit, ut nos affereret à seruitute peccati ac diaboli, in libertatem filiorum Dei. Tertiò eò suscepit hoc supplicium, ut experiretur in se qualis esset affectus captiuorum, & fieret

*Hostiū Christi  
duo genera.*

*Iudas & socij  
Iudæ, qui*

*Manuendo,  
& tolerantia  
Christi.*

*Christus pro  
omnibus ho-  
minibus, ue-  
rè furibus &  
latronibus, fu-  
rum & latro-  
num suppli-  
cium passus.  
Considera  
Christum ap-  
tuo peccato  
passum, & ag-  
nosces, quàm  
tum sit.  
Christus ca-  
pi quare uo-  
luit.*



fidelis & misericors pontifex in iis, quæ apud Deum forent agēda, & posset iis, qui tentantur, succurrere. Non enim captus est, ut nullus hominum amplius caperetur: sed captus est, ut captiuitatem in suis sanctificaret. Quare captiui inspiciant captiuum Christum, ut ex ipso salutem consequantur. Responabit aliquis, non propter iustitiam & ueritatis defensionem captus sum, sicut Apostoli & martyres, ac multi pij: sed propter scelera mea. Quid igitur agam? despondebō ne animum? Minimè: caue id facias. Sed patienter tolera uincula & supplicium, respiciens per fidem uiuam in uincula Christi, & Christum ipsum uinctum, qui donet tibi suorum uinculorum fructum, scilicet ut in tuis uinculis respicias, & tandem per ipsum gloria captiuitatis Christi fruaris.

Qui sceleribus suis capiuntur, captiuitatem Christi contemplantur.

Et ecce unus ex iis qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.

Et vulnerati & percutientis nomina Ioannes scribit: Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Qui antè promiserat, se pro Christo animam suam positurum, nunc in armatam cohortem gladio irruit, ut Christum defendat, intelligens, fortis uiri, & animi heroici esse, miseros & oppressos tueri. Hunc animum heroicum exerit Petrus, & opere complet nonnihil eorum, quæ fuerat pollicitus, ostendens amorem suum, & feruorem spiritus, quem erga Christum gerebat. Etenim dum alii cessant, solus ipse gladio aduersus tam multos, & eos armis instructos, pugnat, & gladio educto detruncat auriculam dexteram Malcho, Caiphæ pontificis seruo, quod uideret illum in capiendo Christo reliquis esse urgentiorem, & fortassis cum primis manus illi iniicientem, ut bonum sese Domini sui famulum ostenderet.

Petrus quidam tenens fortis, quem caperetur Dominus.

Tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuum in locum suum.

Acerbissima est hæc in Petrum increpatio, licet iudicio rationis nihil uideatur hic errare, imò potius facere, quod deceat uirum heroem ac fortem, alioqui muliebrem gessisset animum qui in manifesta iniuria non ausus fuisset præceptorem & magistrum suum, adeoque eum quem pro Messia habebat, tutari: præsertim quum accederet præceptum Scripturæ, psal. 81. Eripe pauperem & egenum de manu peccatoris. Et prouerbio. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Quare Petrus uidetur hoc loco egregiè, & constanter seruasse, quod pollicitus erat. Sed alia sunt iudicia Dei, alia imperitorum hominum. Hunc errorem propemodum ex uerbis Iesu non intellectis Petrus hausisse uidetur. Iusserat enim Dominus discipulos diuendita tunica emere gladios: cūque illi respondissent, adesse gladios duos, aiebat, sufficit. At illi putantes de gladio illum ferreo loqui, cū Iesus de gladio spirituali sentiret, à cœna gladios secum extulerant, defensori Dominum suum. Ut igitur hunc affectum penitus reuelleret ex animis omnium discipulorum, acriter obiurgauit Petrum: Conuerte (inquit) id est, repone gladium tuum in locum suum.

Petrus quo impulsu feruit Malchus. Luc. 22.

Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Actiologia est, cur reponere debeat Petrus gladium in uaginam, & illo non resistere aduersariis. Hæc sententia generalis est, petita ex Genesis 9. cap. Vbi scribitur, quod quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: & ueluti è lege naturæ. Quæ regula intelligenda est de priuata gladij non publica & legitima usurpatione. Accipiunt multi gladium, quibus non est diuinitus datus, & quos nullum ius, nulla Dei commissio, sed priuata uindicta armat ad cædem. Plura Moses de his disputauit in Numeris cap. 35. Qui igitur gladio legitime ad uoca-

Percutiens gladio, gladio peribit, quomodo uerum.

tionem Dei, iuxta præscriptum legum, utitur, nec seditiosus, nec dignus in quem gladio animaduertatur, iudicandus est. Petro autem in hoc casu, nec Deus, nec magistratus, nec leges porrigebant gladium: uoluntas enim Dei erat ut Christus pateretur, non ut gladio defenderetur. Magistratus autem is erat, qui persequeretur Christum, tantum aberat, ut Petro porrigeret gladium ad defendendum Christum. Nec ciuiles leges armant priuatos subditos in huiusmodi casibus aduersus magistratum suum. Quare Petrus accepit gladium illegitimè. Obiiciet aliquis locum adductum ex Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &c. Respondeo: Vniuscuiusque boni uiri est, eruere eos qui ducuntur ad mortem, & proximum ab iniuria defendere, dum modò non egrediatur terminos suæ uocationis, sed contineatur intra suæ uocationis fines. Itaque magistratus debet innocentem subditum suum etiam gladio defendere, siquidè hæc est magistratus uocatio. Priuatus autem homo debet proximum innocentem defendere, pro sua uocatione, hoc est, uel testimonio innocentiae, uel deprecatione, uel etiam gladio, si modò magistratus & leges permiserint. Petri uerò uocatio erat, non Christum gladio defendere, sed Christum uerbo confiteri. Quandoquidem Christus supra. 6. cap. docuit, non esse resistendum malo, sed maxillam unam ferienti, alteram quoque prompto animo præbendam. Certè Christus sentire hoc loco uidetur, non esse apostolicum, uti huiusmodi defensione, ut ferrum ferro repellamus, iniuriâ iniuria retaliemus. Obserua: cū dicitur, gladio peribit, id est, ac si diceretur, illicito gladii usu, iustam in se magistratus uindictam & ultionem prouocat, ut gladio pereat. Obserua: Non prohibet hic locus, te, etiam priuatam personam, uel gladio temet defendere, modo adhibueris moderamen inculpatæ tutelæ.

Petrus illegitimè gladio usus.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem, quomodo debemus.

Malum malo non retaliendum.

Etiam gladio se licet tueri.

An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?

Quasi diceret, Vestro gladio ad mei defensionem non indigeo. Sunt enim uestri gladij obtusiores, quàm ut queant me defendere. Tamen enim multos aduersarios, sanguinis mei sitibundos ad comprehendendum me uideatis, qui me ligatū hinc deducunt, & morti tradent, nō tamen minor est mea facultas, quàm fuit hactenus. Imò quicquid hactenus potui, id possum, aded ut non ex impotentia patiar. Nam si uellem extrinsecus defendi, & nollem pati, in promptu essent plus quàm duodecim legiones Angelorum, qui me, magna etiam cum maiestate, è manibus impiorum eriperent. Iam cū appetierit tempus passionis meæ, & ea Patris sit uoluntas, ut nunc patiar, nolite me à tam sancto instituto reuocare. Si necessarium esset dimicare pro salute mea, Pater meus cœlestis mitteret aliquot legiones Angelorum, qui pro me pugnarent: id cū non fiat, intelligis opinor, ô Petre, quæ sit uoluntas tam Patris, quàm mea, nimirum ut nunc patiar: intelligis nunc esse tempus patendi, non uindicandi. Hic locus suauissimam affert piis consolationem. Declarat enim, quanta sit piorum maiestas, qui in Christum credunt. Nam Christus tam probè apud Deum patrem suum munitus est, ut habeat plus quàm duodecim legiones Angelorum, qui ipsum tueantur. Cū autem Christus donatus sit credentibus in ipsum, certè est & ipsis unà cum Christo hæc maiestas donata, ut Angeli in ministerium ipsorum emittantur, id quod etiam miraculo quodam comprobatum est in Elizæo, in cuius circuitu erat mons plenus equorum & currum igneorum, 4. Reg. 6. Quod & Patriarchæ Jacob, timeti fratrem suum Esau, contigit, Genes. 32. Et psal. 90. ait, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis, ne fortè offendas ad lapidē pedem tuum. Rogabis, An, si Deus non miserit Christo & Christianis, ex alto legiones Angelorum, nulli hominum licebit eos gladio defendere, sed permittendum sit siue Iudæis, siue Turcis, siue aliis impiis persecutoribus, ut impunè in Christum & Christianos grassentur? Mini-

Consolatio piorum.

Quicquid feruit Christo, feruit & piis.

Angeli ministrant hominibus.



mè omnium. Non licet quidem priuato homini, priuata temeritate gladium contra magistratum suum illegitimè accipere, propter Christum, aut credentes in Christum. Magistratus autem in hoc ordinatus est, ut non permittat hostes in subditos suos grassari, sed defendat eos pro uirili sua. Quare ut magistratus Ierosolymitanus debuisset Christum ab iniuria latronum defendere: ita uniuscuiusque magistratus officium est, ut pios seu in Christum credentes in sua repub. ab impiorum incurfione tueatur. Obserua: obiter hic locus commendat potentiam Dei. Hunc autem numerum, duodecim legiones, usurpauit pro innumero exercitu angelorum, maximè cum dictum sit, plus quàm duodecim. Et duodenarium numerum posuit propter Apostolos duodecim, ut sit sensus: Si pugnari pro me uoluisset, potuisset pro singulis Apostolis substituere angelicam legionem: adeò nõ defunt mihi uires, ut quisquam putet me opus habere humana & imbellium discipulorum meorum defensione. De legione Vegetius de re militari lib. 2. cap. 6. Sciendum est (inquit) in una legione decem cohortes esse debere. Et in decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites sexies mille & centum, equites septingentos triginta. Continent ergo legiones duodecim, pedites 73200. equites autem 8760. Angelos uerò in summa, 81960.

Numerus finitus pro infinitis.

Legionum romanarum ratio.

Quomodo ergo implebuntur scripturæ, Quia sic oportet fieri?

Mi Petre, quiesce, & repone gladium in uaginam. Quando enim ita placitum est Patri cœlesti, & ita à prophetis prædictum, oportet rem geri, sicut geritur: ne ergo obstrepas diuinæ ordinationi, Noli uoluntati patris reluctari, & uiolare sacrâ scripturam, quam impleri oportet, & sic hæc omnia fieri necessitate diuinæ diffinitionis. Lucas addit, quod Christus tetigit auriculam Malchi, & sanauit eum. Quo facto ostendit Dominus, quod, licet captus esset corpore, & non uteretur maiestate sua ad opprimendos aduersarios, tamen suam diuinam maiestatem retinebat, ut iterum testaretur, se, non humanis uiribus, sed sua ipsius uoluntate captiuum factum esse.

Christus, etiã captus, potensissimus.

In illa hora dixit Iesus turbis, tanquam ad latronem existiis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud uos sedebam, docens in templo, & non me tenuistis.

Dominus neque quicquam dissimulat, neque prorsus obmutescit, quin acriter increpat manifestam sibi irrogatam ab impiis iniuriam, suam interim defendens innocentiam, & conuincens hostium impietatem, tam apertam atque impudentem, ac perspicuè explicans, se haud quaquam captum esse ipsorum uiribus, sed uoluntate Dei, ut satisfaciat uaticiniis prophetarum. Vide immanem furorem pontificum & magistratuum in Christum: siquidem tanta insania debacchantur in eum, ut unâ etiam cum seruis suis excurrant, (ut Scribit Lucas, Dixit autem Iesus ad eos, qui uenerant ad se, principes Sacerdotum, & magistratus templi & seniores) ad comprehendendum Iesum. Inuaditis me (inquit) ceu latronem, & publicæ pacis turbatorem. At si talis eram, si contra Deum aut rempublicam, aut cuiusquâ salutem & incolumitatem peccabam: quare non cepistis me in templo, in quo, causæ meæ nihil diffidens, neque mihi uel tantillum ex praua conscientia metuens, palam atque legitimè docui. Quare tunc non comprehendistis me? Non deerat animus, non deerat occasio, non ministri, non gladij. Hoc unum deerat uobis, quod nondum aduenerat hora uestra, & potestas tenebrarum: hoc est, non acceperatis potestatem à Deo Patre meo, & nondum præterierat definitum tempus ministerii mei. Nunc autem Satan, qui est princeps tenebrarum, accepit potestatem, ut me affligat, sed in suum exitium, & in meam maximam gloriam. Iam quoniam, neque in templo, neque in synagoga, me publicè docentem nunquã ausi fuistis ag-

Furor principum Iudeorum in Iesum.

gredi, nunc uerò intempestam noctem delegistis, satis apertè declaratis me esse innoxium, uestram autem potestatem non æquam esse, sed potestatem tenebrarum ac diabolicam. Obserua perfectissimum patientiæ exemplum, fidelibus in Christo propositum. Perfecta patientia ueluti media inter sapientiam & fortitudinem, his, quasi limitibus quibusdam, concluditur. Sapientia cauet ne patientiæ ulla surrepat falsa opinio. Fortitudo autem non admittit, ut quicquam indecorum per pusillanimitatem aut molliem animi designetur: sed efficit, ut iusta sit patientia. Nam ea iure uocatur fortitudo, qua unusquisque seipsum uincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, aut inflectitur, nullis perturbatur aduersis, secundis nõ extollitur, sed mentem quietâ ac conscientia ubique & semper purâ cõseruat. Rursus obserua, & hic uide, quàm sit Christiani hominis, ceu ad crucem parati, declarare innocentiam suam, ubi uiderit illam studiosè impeti. Errant igitur pessimè, qui putant omnes iniurias à nebulonibus illatas, tanta ferendas patientia, ut ipsorum iniustitiam nullo liceat uel uerbulo perstringere. Cum Dominus, qui ipsissima fuit patientia, non hæc modò dixit contra eos, à quibus capiebatur, sed alibi quoq; ad ferientem se in Euangelio magna animi constantia, & falsa uerborum acrimonia dixit, Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, cur me cædis?

Patientiæ exemplum in Christo. Patientia, media inter sapientiam & fortitudinē. Fortitudo, quid.

Innocentiã suam declarare, ubi opus est, Christiani est hominis. Iniuriã quatenus ferenda.

Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum.

Noster Euangelista hoc appendit superiori sententiæ quasi de suo adicerit, cum tamen S. Marcus præcedentibus uerbis affigat, dicens, Quotidie eram apud uos, in templo docens, & non me tenuistis: sed ut impleantur scripturæ. Siue uerò ab Euangelista adiectum, siue à Domino dictum intelligas, uerborum hic erit sensus: Istud est illud ipsum tempus, quo diuino permisso, licet Iudæis, quod liber, licet inquam agere, quod scripturæ definiunt. Præuiderunt prophætæ, hoc futurum, siue hanc meam captiuitatem futuram, ideo hanc prædixerunt & scripserunt. Sunt igitur adimplendæ scripturæ, quibus significatum est, Christum multa mala in hoc seculo pro peccatis hominum & ad conterendum Satanam passurum. Sanius antea de me iudicatis, sed ad hoc facinus impellimini cum uestra, propria & dominorum uestrorum malitia, tum diuina prouidentia & dispositione. Proinde ad huius loci maiorem elucidationem licebit afferre locum unum è scriptura, qui maximè huc conuenire uiderur. Genes. 3. dictum est ad serpentem, Ipsa (supple, semine suo) siue, ut habet Chaldaica lectio, ipsum (supple semen) cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Hic serpens, Satan est: is arripit Christum per suos ministros, insidiatur calcaneo eius, qui efficit per ministros suos, ut Christus capiatur, & ad mortem ducatur. Sperat enim se retenturum ipsum in morte & inferno, quemadmodum alios homines retinuerat. Sed Christus uicissim afflat ueneno caput serpentis. Caput autem Satanae dicitur omnis potestas, sapientia & uirtus eius. Hoc igitur caput afflauit ueneno. Quia cum Satan nullum ius haberet in Christum, & tamen effecerit, ut, tanquam latro, caperetur, & ad mortem duceretur, potentia eius per Christum ita contrita est, ut nullum in Christum uerè credentem, piûm & electum possit captiuitate & morte aeterna perdere. Nam in calcaneo morderi, & si molestum, non tamen mortiferum: in capite autem morderi, mortiferum est. Quare etsi Satan insidiatus fuerit, seu momorderit Christum in calcaneo, hoc est coniecerit ipsum in captiuitatem, non tamen intulit illi vulnus letale: sed ipse potius Satan, letali vulnere, in capite, per Christum affectus est.

Satan, calcaneo Christi insidiatus, caput suum à Christo sensit esse contritum.

Tunc discipuli omnes relicto eo, fugerunt.

Vide geniû carnis, quid in tribulationibus possit, etiam apud Apostolos: unius prodit Petrus, gladio rem tentat: ubi non permittitur, cum reliquis fugit, & ut au-

Caro imbecilla quam sit.



diemus postea, ter negat. Cur ita? Metu mortis. Cum enim discipuli uiderent Dominum iam uinctum, accatenis implicitum, in medio tumultuantium huc & illuc rapi, territi spectaculo horribili, sese coniciunt in pedes, fuga satis turpi confules uita sua, solumque Dominum, ut ab omnibus derelictum, deserunt, fuga sua ostendentes, quod Dominus illos praemonuerat, dicens, vos omnes scandalum patiemini in hac nocte. Videntes enim Christum captum, scandalizantur: putantes ipsum impotentior, quam ut queat e manibus hostium elabi: eius item conciones esse quasdam imposturas & mendacia: & ipsum non posse Christum filium Dei esse, quod permittat se comprehendi ab impiissimis & sceleratissimis hominibus. Itaque solus, solus inquam Christus, relinquitur in manibus aduersariorum suorum, & omnes ab ipso deficiunt. Marcus 14. cap. adicit, Adolecens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerit eum. At ille relicta sindone nudus profugit ab eis. Hic adolescentulus (ait Theophylactus) creditur fuisse quidam e domo, in qua comederat Pascha. Quidam autem dicunt, illum fuisse Iacobum fratrem Domini, qui cognominabatur Iustus.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, ubi Scribae & Seniores conuenerant.

Ioannes meminit, Christum captum, primum ductum fuisse ad Annam, qui fuit de genere pontificio. Et si autem non ministraverit ipse hoc tempore summum pontificatum inter Iudaeos, habuit tamen filium nomine Eleazarum, qui paulo ante summo pontificatu functus erat, & generum, nomine Iosephum, cognomine Caipham, qui eo anno, quo Christus captus & crucifixus est, summum pontificatum administrabat: habuit & alium filium, nomine Ionatham, qui postea amoto Caipha, pontificatum adeptus est. Vide Iosephum lib. antiq. 8. cap. 3. & 8. Proinde summus fuit autoritatis in populo, ac non solum senio, uerum etiam dignitate uenerabilis. Et ad hunc primum adducitur Christus captus, ut ait Ioannes. Ducitur Christus ligatus ad Caipham pontificem summum, ad quem pertinebat causa & negotiorum siue quaestionum, ad religionem pertinentium, discussio. Captus autem fuerat Dominus iussu Pontificis, & communi consilio Sacerdotum, tanquam populi Dei seductor, pseudopropheta, haereticus, schismaticus, & ceu hostis religionis, omniumque religiosorum ac publicae pacis perturbator seditionisissimus. Vnde ad Caipham perducere illum oportuit. Hic consilium uel synodum collegerat ex iis quorum opera & consilio superioribus diebus Christus emptus fuerat. Vnde conicere licet, quales habuerit iudices Dominus. Semper graculus (aiunt) absidet graculo. Pontifex adulterinus erat, ut puta pretio (si Hieronymo creditur) pontificatum contra legem Dei ab Herode mercatus. Nimirum huiusmodi rex ille factitius habuit consules & ministros. Pontifex erat capitalissimus omnium hostis Christo, ut qui pontificati suo timebat, quem magno coemmerat. Obserua: haec Christi uincula fideliter nobis sunt exosculanda. Per illa quippe soluta sunt nostra uincula, quibus Satanæ tyrannidi ligati fuimus & obnoxij. Ligatus est Christus, ut nos liberaremur: sicut & mortuus est, ut nos uiuificemur. Sic Isaac, cum esset typus immolandi Christi, ligabatur, Genes. 22.

Petrus autem sequebatur eum a longè, usque ad atrium principis Sacerdotum.

Euangelista uiam sibi parat ad declarandam futuram Petri negationem. Fugerat quidem Petrus, non tamen desperarat, nec Domini curam prorsus abiecerat. Itaque sequitur Iesum, de quo adhuc mediocriter sentiebat, sed eminus, uim metuens Pontificiorum & aulicorum. Vbi obserua: quod fugientibus ceteris discipulis, ipse sequitur abductum & ligatum Dominum, ex amore erat & seruire zeli,

Scandalum  
Apostolorum  
in captiuitate  
Christi.

Adolecens ca-  
pto Domino,  
nudus profu-  
gius, quis.

Annas domi-  
sus pontifica-  
tum habuit  
ueluti haere-  
ditarium.

Christus ca-  
ptus, quare  
ad Caipham  
ductus.

Similem sem-  
per docit de-  
ad similem.

Vincula chri-  
sti euulsi  
Christiano  
religiose ob-  
seruanda.

Petrus sequi-  
tur Christum  
captum, sed  
procul.

quo ardebat erga Dominum: quod uerò procul, formidinis fuit.

Et ingressus sedebat cum ministris, ut uideret finem.

Petrus Dominum a longè secutus, tandem per tenebras ingressus est in atrium Pontificis, id est Caiphæ, uisurus, quem exitum Domini negotium sortiretur forsatis, ut pro exitu euentus, ad tutiora declinaret. Marcus ita scribit, Petrus autem a longè sequutus est eum usque intro in atrium summi Sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. De negationibus Petri copiose scripsimus in Ioan. Vide mihi, ubi admissus est Petrus in aulam, mox in ea tot tentationibus obruitur, ut Christum turpissimè abneget, & publicæ insanie exponatur. Ergo confydera quid sit in aulam principum uocari & admitti. Videris quidem uocari ad amplissimos honores, & ad iucundam felicitatem: sed cum principum aula, is locus sit, in quo Satan, princeps huius mundi, plurimum regnat & triumphat, certe cum in aulam uocaris, uel ad maximas quasque afflictiones uocaris, si pergas pius esse, uel ad summam impietatem & abnegationem pietatis, si imbecillior & meticolosior fueris. Dauid uocatus est ab ouibus ad aulam regis Saulis, sed cum pergeret pius fuerit, tantis obrutus est aduersis, ut penè lancea confossus fuerit à rege Saule, & necesse habuerit fuga sibi salutem quaerere. Daniel admissus fuit in aulam Darij regis Persarum: sed cum perseuerat pietatem colere, tantis Satanæ insidiis petitur, ut leonibus dilacerandus obiiciatur. Ioannes Baptista uenit in aulam Herodis, sed cum pergeret ibi honestatem docere, luit poenam capite suo. Quid autem sit de iis, qui imbecilliores sunt, quam ut possint aduersa propter pietatem ferre? Hic confyderandum exemplum Petri, qui ad ancillæ expostulationem abnegauit Christum. Hæc uerò non commemoramus, ut damnemus per se aulas principum. Ut enim principum status, ordinatio Dei est, ita, principum aula ad ordinationem Dei pertinent. Sed ut doceamus opinionem eorum uanissimam esse, qui putant se ad summam felicitatem uocari, cum ad aulam, & aulicos honores uocantur. Certe qui addit honorem, addit & laborem cum sollicitudine.

Princeps Sacerdotum, & omne concilium quaerebat falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent.

Ad cognoscendam filij Dei innocentiam, pingit iudicium summi Pontificis ac Sacerdotum. Deutero. 17. & Iudic. 16. cap. Dominus instituerat populo suo Iudices qui ex uerbo Dei causas intricatas explicarent, contortas complanarent, dubias dissoluerent, sed & noxios homines coerccerent atque punirent, innoxios absoluerent atque defenderent. Proinde cum cogitur & celebratur concilium, uidentur tria obseruanda: Primum, quæ sit illius ratio. Alterum, qui ad concilium cogantur. Tertium, qua iustitia & æquitate in concilio singula instituantur. Hic habes expressum Sacerdotale concilium non ex leuibus & nihili hominibus, sed ex summis sacerdotibus, illisque omnibus, ut & Marcus scribit, Scribis ac Senioribus collectum, idque non in prætório gentili, sed in domo summi Sacerdotis, ut omnia uideantur sanctè & cum summa grauitate geri. Concilij Sacerdotalis ratio (ut paucis absoluamus qua ratione sit collectum concilium) est, ut si quid in causa religionis & cultus diuini sit corrigendum, aut instaurandum, communi consensu grauius & prudenter, ne quid temerè committatur, habito consilio statuatur. Nullum igitur in concilio locum habere debet inuidia, nullum zelus & amarulentia. In hoc uerò concilio Sacerdotali longè aliud agitur: in eo nanque uideri est iudices iniquissimos, & iudicium corruptissimum. Id quod non tam ex præcedentibus, quam ex eo maximè colliquescit, quod finem sibi mox ab initio, priusquam cognouissent causam, proposuerant, ad quem tendebant, nempe occidere Dominum. Non ergo isto concilio quaerebatur, ut causa Christi cognoscere-  
tur, & ueritati locus daretur: sed hoc unum agebatur, ut Christus captus & ligatus,

In aulis quæ-  
ta fenestra  
aperta ad sce-  
lera.

Vocari in au-  
lam principa-  
lem, quid.

Dauid aulic<sup>o</sup>

Daniel auli-  
cus.

Ioan. Bapt.  
aulicus.

Aulae princi-  
pum neutri-  
quæ damnā-  
da.

Iudicium ma-  
nia ex ueteri  
lege.

In concilio tria  
obseruanda.

Ratio cogen-  
dorum conci-  
liorum.

Iudicij ponti-  
ficij forma  
aduersus Chri-  
stum.



causa non excussa, nisi in speciem, condemnaretur, & Pilato occidendus sisteretur. Neque enim in eo erant, ut iuste iudicarent, sed ut iuste iudicasse uiderentur. Ad consulta synodica colligendi sunt uiri sancti, Deum timentes, ueritatis cognitione & amore præditi: quorum iudicio plebs reliqua fidem habere queat, de quibus nemo suspicari possit, quod res suas agant, sed toti in eo sint, ut gloriam Dei promoueat siue sint in ministerio Ecclesiæ, siue non sint. Hic uero non alios uides iudices, quam sanguinarios, cæcos, inuidos, iniustissimos, Christi hostes infensissimos, non Dei, sed suam gloriam quærentes, omnes Sacerdoti summo Caiphæ & Annæ obnoxios & obstrictos, ut odio concordiam inimicitiam Christi profiteantur. A quibus nihil æquitatis aut iustitiæ sperari potest, qui non ueritatis indagandæ gratia conuenerant, sed tanquam coniurati hostes, neci Christi inhiabant. Ideo non expectant accusationem aliquam contra Christum, sed ipsi quærent testimonia contra illum, eaque falsa & conficta. Vnde non dicit Euangelista, concilium audiuit testimonium contra illum, sed quærebat falsum testimonium, &c. Ad eum enim obstinato ad necem Christi erant animo, ut non dubitarent, contra manifestam legis prohibitionem, falsis testibus subornatis insidiari sanguini innocenti. Testes ac testimonia sciscitari iudicem decet, dedecet autem testes quærere falsos. Hoc enim duplicatum crimen habet, & quod pro ueritate mendacium quæritur, & quod à Iudice quæritur, à quo omne mendacium, omnis iniquitas debebat esse quam alienissima.

Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Memori tenendum est mente, ac mirandum, quod hi consultores, Pontifices & seniores non inuenerunt quicquam in Domino, morte dignum, quantumuis confarcinassent mendacia haud pauca, & statuisent testes innumeros. Vbi duo obseruanda ueniunt: unum est, quod tanta fuit Christo uitæ innocentia, non solum in hoc Pontificis & Sacerdotum Iudaicorum examine, sed etiam in Pilati ac Gentilium iudicio, ut magna iustitiæ & irrefutabilia habuerit testimonia: adeo ut nec iniquissimi hostes in tanta falsorum testium copia quicquam certi habere potuerint, quod potuisset uel ad speciem illis iusti iudicij sufficere. Magnum est, si cuius innocentia in iustorum potest iudicium confessu consistere. Quam ergo est, quod nec iniqui iudices, & odio iniquo aduersus iustum flagrant, inuenire nihil in eo possunt quod uerisimiliter damnent? Rogabis: Qui fit, quod is, quæ propheta annuntiauerit, sessurum super solum Dauid, & super regnum eius, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modò & usque in sempiternum, & de quo etiam testati sunt, quod antiquus dierum dederit ei potestatem & honorem & regnum, & quod omnes populi, tribus, & linguæ debeant illi seruire, quique est omnium hominum tam uiuorum, quam mortuorum iudex, nunc sistatur ab hominibus iudicandus: ac primùm offeratur iudicio concilij Sacerdotum, deinde iudicio præsidis, id est, ciuilibus magistratus? Quid est, quod Deus ad tantam indignitatem conuiuet? Quid est, quod Christus, hoc tam patienter fert, ut uix os suum contra aperiat? Respondeo: Nihil factum esse sine causa & Dei nutu credendum est. Voluit certè Christus suam innocentiam, tam in doctrinam quam in uitam, toti orbi manifestam & commendatam esse. Permittit igitur, ut adducatur ad summa & seuerissima in terris iudicia, in quibus exactissimè, idque partim à capitalibus inimicis, partim à ueræ religionis contemptoribus, in doctrinam & uitam ipsius inquiratur. Quid autem factum est? Quid diligentius & seuerius inquisitum est in Christum, & in doctrinam & uitam eius, hoc euidentior facta est mundo eius innocentia. Nam quemadmodum herba odorifera, quod magis eam manibus tractes, & cõteras eò fragrantioris odorem spirat, ita & Christi innocentia tantò magis reuelatur, quantò exactiori cura inimici eius in ipsum inquirunt. Si amici testarentur innocentiam

Qui ad concilia accersendi.

Cuiusmodi iudices Christi stam damnant.

Iudicij aduersus Christi constati iniquitas.

Christi innocentia est etiam inimici eius.

Quid, quod Christus, omnium iudex, iudicari uoluit.

Simile.

innocentiam eius, poterat uideri testimonium esse, non exacti iudicij, sed amoris. Nunc autem iudicant de Christo capitales eius inimici. Et quanquam cõdemnatur in iudicio tam pontificio quam ciuilibus magistratus, tamen reportat ab omnium hominum genere, adeoque ab ipsis iudicibus testimonium innocentia. Testes coram concilio magna cura interrogantur: nec sic tamen inueniuntur idonea testimonia. Summus pontifex etsi clamer, & discindat uestimenta sua, tamen exclamare tantum potuit, probare autem non potuit blasphemum esse, quod Christus responderat. Iudas proditor publicè fatetur eum innocentem. Pilatus ipse quoties pronuntiat ipsum iustum? Nec Herodes aliquid mali in ipso inuenit. Vxor etiã Pilati fatetur ipsum esse iustum: & centurio, verè hic homo (inquit) iustus erat, & filius Dei. Breviter etsi Christus condemnatur, reportat tamen testimonia innocentia, tam à testibus, quam à iudicibus ipsis, adeoque ab omni hominum genere. Quare diuino consilio illius innocentia sic manifestata est, & ipse innocentissimus, omnium iudex, hominibus iudicandus oblatu est, ut totius mundi nocentiam (ut sic dicam) scelera atque peccata ablueret atque condonaret. Nisi enim innocentissimus fuisset Dominus, non potuisset hostia corporis sui noxias mundi & crimina expurgare atque auferre. Quia uero abstulit crimina nostra morte, quam non meruerat, ideo eius innocentia, si in eum crediderimus, nostra facta est, dicente Apostolo. 2. Corinth. 5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Alterum in hoc concilio obseruandum, est dispositio, ut spiritus illi mendaces, in proferendis testimoniis à seipsis discrepauerint. Ne uidelicet ex falsis testibus accederet isti concilio aliqua iustæ condemnationis species, qua Christi labefactaretur innocentia, quam hostes ipsius summo studio impetebant. Obserua: multi falsi testes adducti, aperta signa fuerunt innocentia Christi. Et sine dubio ciuiles iudices pronuntiauerunt Christum iustum, & illum dimississent.

Nouissimè autem uenerunt duo falsi testes, & dixerunt, Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud.

Singulariter producit omnium ualidissimum testimonium, quod tum contra Dominum proferebatur, ut ex uno cetera diuina æstimaremus. Nouissimè, & cõmodo autem falsi testes sunt (ait Hierony.) si ea dicunt, quæ Dominum dixisse legimus? Sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicitur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui: Sed & in ipsis uerbis, paucis aditit uel mutatis quasi iustam calumniam faciunt. Nam Saluator dixerat, Soluite templum hoc: isti commutant, & aiunt, Possum destruere templum Dei: uos, inquit, Soluite, non ego, quia illicitum est, ut ipsi nobis inferamus manus. Deinde ipsi uertunt, Et post triduum reedificare illud, ut propriè de templo Iudaico dixisse uideatur. Dominus autem, ut ostenderet animale & spirans templum, dixerat, Et ego in triduo suscitabo illud. Aliud est reedificare, aliud suscitare. Hæc Dicit Hieronymus. Ex hoc autem loco satis nobis aperitur, quid faciendum sit in ferendis testimoniis. Qui uocantur in confessum iudicium, ut testes, quod rogantur, dicant: ante omnia Deum & ueritatem respiciant: deinde odium atque metum, imò alios affectus noxios atque prauos, deponant: præterea nihil affingant de suo: neque quidquam, quod ad rei ueritatem pertineat, detrahant, aut propriis & priuatis expositionibus luxent, suo uero sensui accommodent: nihil silendo prætereant, aut dissimulent, sed uerum legitime & uerè exponant. Meminerit quisque quod astat coram tremendo iudice, & omnis mali ultore Deo, qui pro sanctissimo suo ingenio grauissimè animaduertit in falsos testes. Neque enim leue peccatum est falsum dicere testimonium: id quod disertè exprimitur in tabulis, Exod. 20. cap.

Christus ab omnibus innocens inuentus.

Christus innocens passus, ut noxas omnibus auferret.

Christi innocentia, nostra.

Falsi testes producti contra Christum.

Ad testium integritatem quid spectet.

Falsi testari, quam graue peccatum.



phemum ex mea professione. Veruntamen qualem qualem me iudicaueritis, Ego is ille sum, quem me esse dico, filium Dei uiuentis, & Messiam, redemptorem mundi, Regem & Sacerdotem Israël. Aut cum dixit, Tu dixisti, perinde est, atque si dixisset, Tu scis, quanquam dissimulas. Colligamus ex his: Adiuratus respondet, ne nomen Dei contemnere uideatur, & tacendo ueritatem negasse dicatur. Veritatem non tacet, ad mendacia nihil respondet.

Veruntamen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis, sedentem à dextris uirtutis Dei.

Comminatur, quod posthac sint experturi ipsam ueritatem, quam nunc tam non sustineant credere, ut illam etiam blasphemiae loco ducant. Ideo non simpliciter dicit, Amodo sedebit filius, &c. Sed, Veruntamen dico uobis, hoc est, pro certo habetote, quod uidebitis filium hominis, sedentem, &c. Hoc reuelatum est illis, quando Christus resurrexit à mortuis, quando ascendit in caelum, misit discipulis Spiritum sanctum, vulgavit Euangelium suum per Apostolos in totum orbem terrarum, & confirmauit illud miraculis, quae Apostoli in nomine eius edebant. Tunc cognouerunt, quem pro abiecta habebant persona, sedere à dextris uirtutis Dei, hoc est, esse aequalem patri & Deum de Deo. Atque quod tunc impletum sit, quod Christus hoc loco dicit, testatur Petrus in sua prima cōcione, quam habuit Ierosolymis in die Pentecostes, Act. 2. Dexteram (inquiens) Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta, effudit hoc donum, quod uos uidetis & auditis. Non enim Dauid ascendit in caelum: dicit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Idem testatur & Stephanus, Act. 7. cap. Ecce uideo caelos apertos, & filium hominis stantem à dextris uirtutis Dei. Cum igitur post passionem manifestè reuelatum sit, quod Christus sedeat ad dexteram uirtutis, hoc est, omnipotentis Dei, & aequalem habeat cum Deo patre suo maiestatem, agite amicissimi, humilitatem eius in passione sic confyderemus, ut interim etiam maiestatem eius uiua fide adoremus.

Et uenientem, in nubibus caeli.

Iudicio glorioso demonstrat se patri aequalem, & illum, de quo Daniel praedixit, 7. cap. (unde sumptus est hic locus) dicens, Aspicebam in uisione noctis, & ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis ueniebat: & usque ad antiquum dierum peruenit (id est coaequalis erat patri) & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguarum ipsi seruiant. Vbi ergo finis aduenerit seculi, uidebitis uenientem in nubibus caeli, cum summa uirtute & maiestate, repensurum iusta, omnibus, qui non agnouerunt filium hominis, filium Dei, Messiam, & redemptorem mundi. Huc pertinet, quod scribitur, Act. 1. Viri Galilaei, quid statis, aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in caelum, sic ueniet, quem admodum uidistis eum euntem in caelum. Susceperat autem illum nubes ab oculis eorum. Iudicij ergo mentionem facit, ut terreat, & admoneat suae potentiae: simul & ut alliciat: aded nihil non facit Christus, ut impios Iudaeos ab impio proposito auocet. Obserua, Christum hoc loco proposuisse hunc suum aduentum, ut reuelaret Pontifici & Sacerdotibus mysterium occultum usque hodie Iudaeis, de duplici aduentu Messiae, altero humili, altero glorioso, ne falleretur ipsius abiectioe & humiliatione. Obserua: Totus hic locus nos hortatur cum gloriae Dei interfuerit, liberè & aperte, etiam coram atrocissimis Dei hostibus, confiteri ueritatem, quamlibet certi sumus (ut hic Christus fuit) eos magis ea confessione in nos irritatum iri, quam ad bonum aedificandos.

Tunc princeps Sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens, Blasphemauit.

Quantò apertius audiunt impij de ueritate, tantò magis excæcantur. Hoc est, quod impius pontifex querebat, scilicet quidpiam ab ipso Iesu excipere, quod pro blasphemia condemnaret. Sed uide: diuino consilio factum est ita, ut pro ueritate illa (in qua sita est mortalium salus) condemnaretur filius Dei, ac mortis sententiam acciperet, non pro realia, ex illis, quarum accusabatur falso. Veritatis confessionem oportebat condemnari ab impijs, idque in ipso capite Christo. Iam rogo te, o Pontifex, in quo est blasphemus Christus: an quod dixerit, Tu dixisti, Ego sum, sit blasphemus? Dic quæso, Si propter hoc damnatur, quod adiuratus dixerit se filium Dei, quærere oportebat, num hoc uerè diceret uel falso. In uero nulla est blasphemia, in falso aliquando esse potest. De uero igitur uel falso primùm erat exquirendum, & non statim iudicandum, causæ ueritate nondum cognita. Certè non est blasphemus, qui hoc quod est, esse se confitetur. At responsas, o impie, illum adscripsisse sibi, quod non erat. Hoc igitur debuisses conuicisse. Quid apud te conuicibas, cum scires hunc leprosos curasse, mortuos uel solo uerbo excitasse, cæcos illuminasse: & ut uno uerbo omnia absoluâ, fecisse, quæ nemo mortalium unquam fecit? An non erant tibi hæc ceu proximum argumentum, quod hic non esset blasphemus, sed esset Christus, filius Dei? Quod Christus, sit filius Dei, testatur scriptura, psal. 2. & 110. Daniel. 7. Sed tu, tu, tu, inquam, hypocrita, assequutus, quod uenabaris, non tam studio pietatis, quam gaudio captæ prædæ, exilis è cathedra, & quod Christi responsum, quod tu pro crimine & ducis & ducis, faceres atrocius, prætextu singularis religionis discidisti tua uestimeta. Mos Iudæis fuit, tam pijs quam hypocritis, ut cum audirent horrenda & defenda, uestes dilacerarent. De simulatoribus siue hypocritis est illud Iohelis. 2. ca. Scindite corda uestra, & non uestimeta uestra. De pijs idem legimus, ut de Dauide, cum audiuit mortem Saulis. 2. Reg. 1. Idem fecit eodem libro cap. 3. & 13. Et de propheta Elia. 4. Reg. 2. Item de Ezechia. 4. Reg. 19. In Act. 14. legimus de Paulo & Barnaba, quomodo tunicas suas sciderint, ubi uiderunt populum Lystranum in hoc esse, ut illis sacrificaret. Significat igitur scissio uestimentorum dolorem cordis, & subitam tristitiam. Ut in Iacob, quando uidit uestimenta filij sui, aspersa sanguine. Quanquam igitur Leuit. 21. cap. Sacerdoti summo præceptum sit, ne uestimenta sua scindat, uoluit tamen insignis hypocrita hac caremonia in confes- su iudicum uti, ut causam Domini aggrauaret: tanquam res sit ardua omnino, si pontifex scindat uestimenta sua, hincque colligi debeat inauditum facinus esse commissum. Hæc per allegoriam interpretatur Hierony. dicens, Quem de folio sacerdotali furor excusserat, eundem rabies ad scindendas uestes prouocat. Scidit autem uestimenta sua, ut ostendat Iudæos Sacerdotij gloriam perdidisse, & uacuum sedem habere Pötifices. Hæc ille. Porro gestui funesto & furioso addit Pontifex exclamations planè tragicas, cum clamore ualido dicens: proloquutus est blasphemiam, nempe conuitium in Deum, confitens se esse Dei filium, Christum Domini benedictum, saluatorem mundi. Usurpat semel sibi honores Dei, & quicquid est Regis ac Sacerdotis expectati nostri Messiae.

Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid uobis uidetur?

Veluti percitus & furiis agitatus pontifex Caiphas, haftenus, inquit, multum temporis insumpsimus audiendis testibus, & examinandis testimonijs. At quorsum porro opus fuerit pluribus testibus: ipse sibi est loco innumerabilium testium. Confessionem blasphemam audistis omnes ex ore ipsius. Nil ergo restat aliud (hic captat auram popularem) quam ut feratis æquissimas sententias. Itaque pronuntiate singuli, quid uideatur comeruisse blasphemus iste. Quasi uerò adhuc illis sit liberum in alterutram partem ferre sententiam, cum tamen omnes antea cõ-



fuluerint, fanciuerintque Iesum hunc debere occidi, atque ad eum se uelle illum occidere fuerint professi.

At illi respondentes, dixerunt, Reus est mortis.

Ad clamorem & interrogationem Pontificis omnes cœclant, Reus est mortis, commeruit mortem, nulla est uenia dignus. Marcus scribit, Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et hæc est capitalis illa in Dominum lata sententia. Ex qua quicquid facillè intelligit, quæ fuerit potissima ( si Iudaicos spectes iudices, iudiciumque sententiam ) causa damnationis Christi, confessio uidelicet ueritatis, quod se professus erat filium esse Dei, & Messiam illum promissum. Sed qualis iudex & pontifex, tales & affectus, palpones & adulatores. Pontifex ita decreuerat & iudicauerat. Hoc illis satis erat. Non licebat isti pontifici contradicere, Certè non oportet iudicis affectus & assessores pendere ab illius opinione, sed à lege & ueritate.

Confessio ueritatis, causa damnationis Christi.

Assessores iudicis, à lege & ueritate stent, nō à iudice.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.

Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Christe: Quis est, qui te percussit?

Posteaquam pronuntiata auditaque est à Pontifice, Sacerdotibus & Senioribus sententia in Christum, mox uelut in damnatum iure optimo, ut clamant, scire cœperunt, ludubriis, ex contemptu malitiæque exquisitissima, profectis. Et hoc fecerunt Sacerdotes ipsi, & Sacerdotum ministri omnis nequitiae sentina. Obsecro te, pie lector, uidit ne hic orbis spectaculum unquam ullum indignius? Iesus Christus, uerus ille Messias, uerus ueri Dei filius, damnatur blasphemiae, iudicatur reus mortis, percutitur & illuditur, conspuitur in faciem: irrident sceleratissimi & sceleratissimi sanniones in eo diuinitatem dignitatemque propheticam. Peplum uultui iniiciunt, & sputis aliis sceleratissimè obiectum, striccius obnubunt, huic palmas certatim concrepitanter incutiunt, adiecto hoc problemate, uaticinare Christe, quis is sit, qui hunc colaphum tibi infregerit. Si enim Messias, si propheta es, si denique filius Dei ille es, quem te esse dicis, proculdubio nihil ignoras, omnia uides, abscondita cordium tenes. Alapam ergo, quam sentis, à quo incussa sit, non nescis. Vide, lector, infandam contumeliam, expende contemptum exemplo carentem, & libidinem nebulonum nefariam, ad quam meritò obstupefecit, qui aliàs ne ad maximas quidem commoueatur iniurias. Quid ergo ad hæc Christus? Imo potius quid ad hæc Deus pater in cœlo? Quomodo potuit conuicere? quomodo nō effecit, ut his hominū monstris, aut manus arefererēt, aut linguæ faucibus adhererent, aut ut omninò subita morte perirent? Potuisset quidem hoc facere, & illi optimè meriti erant. Sed maluit hoc tempore spectator esse obedientiae filij sui, quàm ostentare maiestatem suam. Itaque Christus filius Dei, quia susceperat se expiatorum peccata nostra, suscepit etiam supplicia peccatorum: inter peccatorum autem supplicia continentur irrisiones, illusiones, contumelias, & id genus alia. Si nolueris (inquit scriptura) audire uocem Domini tui, eris in prouerbium & fabulam omnibus populis. Quod igitur nos peccatis nostris meriti sumus, hoc Christus ad expianda peccata nostra in se suscepit. Qui cum sit ipsa Dei sapientia & maiestas, tantò tamè ludibrio habetur, ut nō aliter tractetur ab irrisoribus suis, quàm si esset morio longè omnium leuissimus & abiectissimus. Hæc dum patienter patitur Christus, implet scripturam, Isai. 50. ca. Dominus Deus aperuit mihi aurem,

Prouidentia Patris super filij indignitatis.

Subfannationes & contumelias inter poenas peccatorum.

Christus implet scripturas. Barbæ euulsio inter summas cœtumelias habita.

ego autem non contradico, retrorsum non abij, id est, obediui animo non inuito, sed per omnia alacri, omnia, quæ ad salutem humani generis pertinere uidebantur, in me suscipiens. Nam sequitur, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Fuit autem summa apud Iudæos contumelia, barbam euellere, quemadmodum colligere licet ex sacra historia. 2. Reg. 10. Faciem meam non auer-

ti ab increpantibus & conspuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam, ut petram durissimam: & scio, quoniam non confundar. Christi autem ludibrium & ignominiam arbitror omnino modo excelluisse omnes omnium hominum à quouis perpeffas contumelias & iniurias: idque omnino, ut per eam in summam prouideretur gloriam. Nostra profectò peccata in culpa sunt, quod infandis his, & abominabilibus contumeliis subiacet innocens & sanctissimus Dei filius. Meruerat perfidia Adami, (à quo in hanc calamitatem deiecti sumus) hæc omnia coram Deo tormenta, omnes denique omnium diabolorum contumelias. Sed Dominus Iesus hæc omnia supplicia in se recipiens, sustinet vultum suum prorsus (horribile dictu) derurpari sputis, nimirum ut animas nostras decoraret, hisque liceret aliquando in serenum Christi vultum, ad eoque in ipsam Dei faciem (unde omnis gaudiorum satietas existit) intueri. Hæc consputatio maxima erat contumelia ex lege, Deuter. 25. Solebāt enim Iudæi eiecto sputo notam iniicere confusionis, & palam attestari illum esse sceleratum, impiissimum, uilissimum, turpissimumque, in quem expuebant. Et ritus quidem expuendi remansit uel hodie in vulgo. Solemus enim expuere in res uehementer propudiosas & abominabiles, adhibito abominatis gestu atque uoce. Præterea oculos sibi sustinuit obuelari, ueluti furi ac latroni, & luce indignissimo homini: ut cæca nobis illuminaret corda, oculosque mentis nostræ clausos aperiret ad uidendam Dei iustitiam, bonitatem, gloriam, uitamque æternam. Deinde irrident in Domino diuinitatem, dignitatemque propheticam, tantopere mortalibus necessariam. Meritò igitur prophetis destituti sunt miserimi Iudæi. Iam olim probro uerbum prophetiae affecerunt, ut uidere est in prophetis. Hierem. 20. Et factum est mihi (inquit) uerbum Domini in opprobrium, Extremæ deplorationis signum est, quando donum prophetiae exploditur, & contumelia afficitur. Obseruent hoc loco nostri seculi homines, se horum ministrorum & uultus Christi conspurcatorum imitatores esse, dum per vulnera Christi, crucem Christi, mortem & passionem Christi, per sanguinem & anxietatem Christi execrantur, deierant, atque blasphemant. Sed quis omnia blasphemantium nebulonum genera explicando enumeret? Timeat & irascatur quisque sibi, dum uanitatem, perfidiam, ingratitude, contumeliam, probra & innumera scelera sentit in uisceribus suis sepulta, crumpere autem cum magna Dei ignominia & proximorum detrimento ad occasionem quamlibet.

Christi ignominia, incōparabilis.

Consputatio ludibrii non vulgare.

Christus uelari uoluit, quare.

Predictiones & sermones Dei habere ludibrio, deploratissimo rum est.

Deieratores, irrisorum Christi hæredes.

Petrus uerò sedebat foris in atrio.

Descriptione iudicij corruptissimi absoluta, in quo ab iniquissimis iudicibus morti condemnatus est autor uita Iesus Christus, pergit Mathæus ad narrationem abnegationis Petri. Quam paucis perstringemus, quod de illa copiosius alibi scripserimus. Hanc abnegationem Euangelista admiscet, ut uaticinium Christi, de ipsa eadem futura, confirmet. Deinde quod ostendat exitum humanæ præsumptionis de ferenda cruce. Exemplum igitur hinc expressum est in Petro, quid possit humana natura per se & uiribus suis in cruce. Dominus igitur erat in aula Pontificis, Petrus uerò extra aulam in atrio, gallicè, à l'entrée de la maison, ou au portail.

Abnegationes à Petro factas quare narrant Euangelista. Humana natura, ope Dei destituta, quæ misera.

Et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.

Ancilla ostiaria, ad lumen intuita Petrum, defixis in illum oculis, dixit: Et tu cum Iesu Galilæo eras. Num & tu ex discipulis es hominis istius, quem Principes nostri uinctum modò adduci iusserunt? probè mihi notus es, & frequenter in illius comitatu conspectus.

At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis.

Petrus, ad ancillæ uocem exanimatus, & oblitus illius magnificæ uocis, qua dixerat Christo, Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: coram omnibus



Petrus mortē timens, uita negauit. abnegauit Dominum suum, dicens, Non sum, nō noui illum, neque scio, quid dicas. Obserua: ad uocem mulierculæ perterritus, dum mori timuit, uitam negauit, quam negando perdidit.

Exeunte autem illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait iis qui erant ibi, Et hic erat cum Iesu Nazareno.

Petrus secundo conatur fugere. Metuens sibi admodum Petrus, parat iam alteram fugam, ut ex atrio euadat in uestibulum, deinde in tutum se prorsus recipiat. At cū iam pararet exire, in ipsis foribus uidit eum altera ancilla, quæ prodens ipsum ministris astantibus, clamat, Certè hic est unus discipulorum huius Iesu, qui Nazareus dicitur. Non sine contumelia & probro Iesum cognominat Nazarenum, ut opinatur.

Et iterum negauit cum iuramento, quia non nouit hominem.

Ad hæc, ueluti ad intentatam accusationem, respondens Petrus, negauit secundo. Nec contentus erat negasse, nisi & iurando interposito nihil sibi cum misero illo homine Nazareno commercij esse deierasset, dicens, nō noui hominem. Id tanta astruebat & deierabat constantia siue potius impudentia, ut accusatione statim mulier desisteret, suspicans, ne fortè alius fuisset ei similis, quem in Christi comitatu uiderat. Certè iuramentum exaggerat perfidiam & negationem Petri.

Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestū te facit.

Super hac temeraria audacia & pertinaci abnegatione conferentes non nihil inter se ministri, & commonefacientes sese inuicem rerum in horto gestarum, ad eū Petrum, & seridè dicunt ei, negas quidem constanter quidquam te habere commercij cum Iesu Nazareno, ac nouisse hominem, ceterum aperte & certè cōstat, quòd unus sis ex numero discipulorum eius. Apud alium Euangelistā signum adiicit ministrorū unus, & dicit, Nōne ego te uidi in horto cum illo? Apud nostrum quoque notam quandam apponentes, verè & tu ex illis es, aiunt: nam & loquela tua te manifestū facit. Ad quæ in hæc uerba adnotauit. S. Hieronymus, Non quòd alterius sermonis esset Petrus, aut gentis exteræ: omnes quippe Hebræi erāt, & qui arguebāt, & qui arguebatur: sed quòd unaquæque prouincia & regio habeat proprietates suas, & uernaculū loquendi sonum, quem temerè uitare non possit. Vnde & Ephratai in Iudicum libro non possunt *σύνθημα* dicere. Hæc Hieronymus.

Vernaculus cuique regioni, in uoce e-denda, mos & sonus.

Tunc cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem.

Petrus quàm grauius peccauit, ab iurans Christum. His auditis magis expauescens Petrus, cœpit nō solum abiurare Iesum, sed & execrationibus deuocere seipsum, si nouisset hominem. Vide, quàm in peius promouerit Petrus infidelis & fidefragus. Primò tantum abnegauit Christum magistrum: deinde abiurauit & peierauit: postremò execrationem quoque & detestationem periurio addidit.

Et continuò gallus cantauit.

Absoluta trina negatione, statim Petrus aduertit gallum canentē, de quo prædixerat Saluator Petro, Prius quàm gallus canter, ter me negabis.

Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, quod dixerat, Prius quàm gallus canter, ter me negabis.

Peccatores conuertitur, cum eos respicit Iesus. Audiens Petrus gallicinium, ad se demum reuersus, recordatur uerborū Christi: ac signum sibi, fortitudinem suam iactanti, datum, licet uideretur uilissimū, non contemnit. Sed unde illi erat, quòd iam tandem uerborum Domini recordatur? Quia apud Lucam scribitur, Et conuersus Dominus, intuitus est Petrum: utique oculis misericordiæ. Vnde colligimus tum conuerti peccatores, cū eos respicit diuina miseratio. Et nisi respexisset Petrū Dominus, nullus erat futurus erran-

di finis. Ab exitu rei agnouit ueracem fuisse magistrum, se uerò uanissimum esse discipulum, & omnia simul à se promissa itidem uana fuisse.

Et egressus foras fleuit amarè.

Mox ut Petrum Iesus est intuitus, sensit ille sibi fuisse cor compunctum, & animum excitatum ad pœnitentiam. Qui cū non haberet idoneum locum in atrio Pontificis, statim in solitudinem sese recepit, ubi tanto dolore angebatur, ut totus in lachrymas crumperet, intelligens hanc esse uiam pœnitentiæ, qua cum magistro in gratiam rediret. Sed quid excusit illi lachrymas, & tantum dolorem immisit? non timor utique mortis corporalis, qui antè in armatam cohortem irruerat. Sed hic dolor, tam magnus, est à sensu peccati. Cogitauit enim grauitatem peccati sui, quòd non solum abnegasset Christum, sed etiam deuouisset se diris, & suo peccato se tradidisset Satanæ. Itaque perinde afficiebatur, ac si perpetuò esset à Christo, hoc est à regno cœlesti, alienatus & abiectus, nisi iuuaretur misericordia Dei, & promissione Christi, qui dixerat: Petre, rogauit pro te, ut non deficiat fides tua, in quam fides est, & credidit se adhuc pœnitentia, quam agebat, consequuturum remissionem peccati. Vnde post resurrectionē magnis consolationibus confirmatus est. Nam angelus dixit mulieribus, Dicite discipulis, & Petro. Quasi dixisset, intelligat Petrus, se consequutū esse remissionē peccati, & spiritaliter resurrexisse.

Petro quid lachrymas excusit.

## CAPITIS VIGESIMI SEPTIMI

Epitome.

Christus apud Pilatum uexatus, Iuda suspensio, & Barabba dimisso, damnatur ad mortem, traditur, crucifigitur, & irridetur: moritur, & à cruce demissus, sepelitur.

## CAPVT XXVII.



a iustum] innocentē uidetis.

Mox autem factò, concilium inierūt omnes principes Sacerdotum & Seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et uinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præfidi. Tunc uidens Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccauit, tradens sanguinem a iustum. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu uidetis. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanam, quia pretium sanguinis est. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum: propter hoc uocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc adimpletum est, quòd dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appetiati, quem appetiauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit

Pilato Christus uinctus traditur.

Marc. 15. a. Luc. 23. a. Ioan. 18. e.

Iudas seipsum suspendit. Act. 1. c.

Zach. 11. c.



Pilato fate-  
tur se regem  
Christus.  
Marc. 15. a.  
Luc. 23. a.  
Ioan. 18. f.

Barrabā pe-  
tunt Iudæi si  
bi dimitti.  
Vxor Pilati.

Pilatus lauat  
manus, tan-  
quam inno-  
cens.

Coronatus  
Christus spi-  
nis, illudatur  
& cōspuitur.  
Marc. 15. b.  
Ioan. 19. a.

Simon Cyre-  
næus.  
Marc. 15. b.  
Luc. 23. c.  
Ioan. 19. d.

Pfal. 21. d.

Latrones cru-  
cifixi cum Ie-  
su.  
Blasphemias  
in Christum.

mihi Dominus. Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorū? Dixit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus Sacerdotū & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, c quanta] aduersum te dicunt testi- quon.  
monia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præses uehementer. Per diem autem solennem consueuerat præses populo dimittere unum uinctum, quem uoluissent. Habebat autem tūc uinctum in signem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Quem uultis dimittam uobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum. Sed ète autè illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: d Nihil d Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per uisum, ppter eum. quid rei tibi sit cū ita Principes autè Sacerdotū & Seniores persuaserūt populo, ut peteret. sro illorū: mitte illū, & sine abi Barabbā, Iesum uerò perderet. Respondens autè præses, ait illis: Què uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabā. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciā de Iesu, qui dicitur Christus? Dicūt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus co- ram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: f Vos uide uideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tūc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc milites præsidis, suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem. Et exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederūt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exeuntes eum, ut crucifigerent. Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc g Angaria uenunt] ad egerunt. Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Et uenerūt in locum qui dicitur Golgotha, quòd est caluariæ locus. Et dederūt ei h uinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes. Ut impleretur, quod dictū est per prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouètes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in

i]riebant] facta erat.

k Sero factū esset] serm. sic. m.

l Custodi-] muniti

n Habe-] m] habete m] signan-] tes] sigilla.

triduo illud reedificas, salua te metipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotū illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebāt: Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluū face- re. Si Rex Israel est, descēdat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum, si uult: dixit enim, quia filius Dei sum. Id- ipsum autem & latrones, qui crucifixi errant cum eo, improperebant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam, clamauit Iesus uoce magna, dicens, Eli Eli, lāma sabaōthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audien- res, dicebant: Eliam uocat iste. Et continuo currens unus ex eis, acce- ptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bi- bere. Cæteri uerò dicebant, sine, uideamus an ueniat Elias, liberans eum. Iesus autem iterum clamans uoce magna, emisit spiritum. Et ecce uelutē pli scissum est in duas partes, à summo usque deorsum, & terra mota est, & petra scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & mul- ta corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post Resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuita- tem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terræ motu, & iis, quæ i fiebant, timuerunt ualde dicentes, uerè filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres mul- tæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & ma- ter filiorum Zebedæi. Cū autem k sero factum esset, uenit quidam Ioseph sepe- hic Christū. Marc. 15. d. Luc. 23. g. Ioan. 19. g. homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse erat discipu- lus Iesu. Hic accessit ad Pilatū, & petiit corpus Iesu. Tūc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedētes contra se- pulchrum. Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes Sacerdotum & Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc uiuens, post tres dies resurgam. Iube ergo l custodiri sepulchrum, usque in diem tertiu, ne fortè ueniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus, n Habetis custodiam, ite & custodite, sicut scitis. Illi autem abeūtes, munierunt sepulchrum, n signantes lapidem, cum custodibus.

Ioan. 2. d. Psal. 21.

Sap. 2. d.

Tenebræ. Psal. 21.

Oratio Chri- sti in cruce.

Acetum.

Moritur.

Velum tem- pli. 2. Paral. 3. d. Petra scissa. Resurrectio.

Mulieres, quæ Christo ministrauerunt.

Ioseph sepe- hic Christū. Marc. 15. d. Luc. 23. g. Ioan. 19. g.

Sepulchrum Christi custo- ditur à militi- bus.



Mane autem factum consilium inierunt omnes principes Sacerdorum, & Seniores populi aduersus Iesum.



Postquam Caiphas, & qui iudicanti assederant, clamassent, reus est mortis, aliquantisper dissolutum est concilium, interim Christo dimisso inter sicarios & exposito colaphis & irrisionibus, quibus inferendis protracta est magna pars noctis usque ad diluculum. Et cum appeteret dies, rursus inierunt consilium principes Sacerdotum, & Seniores populi, consultantes, quomodo causam (cuius bonitati non admodum fidebant) praesidi Pontio Pilato, homini ethnico, proponant, & quibus illi urgeant argumentis renitentem, tandemque ad eadem parandam perpellant. Summa & uigilantissima cura consultant aduersus Christum, quod sciant praesidem ethnicum parum admodum curare causas Iudaeorum, de transgressionibus legis Moisaicae, Si dixerimus (aiunt) hunc blasphemum, hoc contemnet. Quare adducendae sunt rationes & accusationes, propter quas morti adiudicetur: morti, inquam, ignominiosissimae, hoc est, cruci suffigatur.

Ut eum morti traderent.

In sua synodo atque consistorio damnarant, mortique adiudicarent Dominum, quem, ueluti iure damnatum, per bonam noctis partem infandis affecerunt contumeliis, iniuriisque: non tamen occiderunt, quod ea potestas brachio seculari reseruata esset. Causam sanguinis reseruarent Romani suo praesidi: ideo tentant & comminiscuntur, quid morte dignum obiciant. Obserua finem consilij huius contra Christum & Euangelium, non relegare, aut mediocri poena punire, sed tradere morti, & prorsus extinguere.

Odium & uor Iudaeorum aduersus Iesum.

Et uinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato praesidi.

Vbi in suo consilio accusationes commentati sunt: & eas magnum pondus autoritatis habituras apud praesidem uiderunt, insurgunt omnes, & Iesum uinctum adducunt per ministros suos & Herodianos ad praetorium, traduntque Pontio Pilato, postulant, ut ipsum extinguat protinus. Lucas ait, Et surgens uniuersa multitudo eorum, duxit illum ad Pilatum: ubi uide, quod multo feliciter succedit consilium ipsorum, quam sperauerant. Timuerant enim, ne, si comprehenderent Iesum, ut occiderent eum, seditionem commouerent in vulgo, & ipsi potius occiderentur. Nunc autem non restitit populus, uerum etiam approbavit conatus eorum. Sed quis tandem est euentus huius felicitatis? Hoc Christus ipse significat, cum educeretur ad Golgotha, & diceret, Ecce uenient dies, in quibus dicent, beatae steriles & uentres, qui non genuerunt, & ubera, quae non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, &c. Scilicet hic est euentus felicitatis impiorum.

Felicitate peccantium nihil infelicitius.

Populus Iudaeorum contempsit mortem Christi.

Christi quare ipsi Iudaei non occiderunt, sed ethnico tradiderunt.

Quantum enim feliciora sunt consilia impietatis eorum, tanto grauiora calamitates eis imminet. Quare si impietas tua feliciter succedat, noli gloriari, ne colligas tibi iram in die irae & iusti iudicij Dei: sed agnosce, quod bonitas Dei inuitat te ad poenitentiam, exhorresce, & respice. Proinde significanter dicit Lucas, uniuersa multitudo, & hic noster Euangelista, omnes, &c. nimirum ut intelligeremus, hic completum esse, quod in lege, Exod. 12. dicitur, immolabitque agnum uniuersa multitudo Israelis. Immolauit sane seipsum Dominus, qui, uolens oblatus est, interim Iudaei quoque tradiderunt ipsum praesidi, ut crucifigeretur. Et sic impletur dictum Christi, & filius hominis traderetur Gentibus crucifigendus. Porro tamen non sine diuino consilio factum sit, ut pro nobis maledictus, non simpliciter moreretur Christus, sed mortem maledictioni obnoxiam, pro nobis maledictum factus, uere subiret, & immaniter trucidaretur: Non tamen sine astutia, dolo, & inuidia factum est, ut Pontifex & Seniores captum non ipsi occiderent, quemadmodum

quemadmodum postea Stephanum occiderunt, sed crucifigendum Pilato praesidi homini Gentili traderent. Primum nolebant inuidia necis Christi grauari, proinde decreuerunt eum tradere Pilato, ut ab illo occideretur: ipsi uero interea a morte illius uiderentur alieni. Sic Act. 5. dicebant ad Apostolos, uultis (inquiunt) inducere super nos sanguinem hominis istius. Quasi dicerent, Male facitis, quod nobis adscribitis causam & culpam occisi hominis huius, quem non nos occidimus, sed Romana potestas, uelut seditiosum puniuit. Huc pertinet, quod dicebant (ut Ioannes ait) Nobis non licet interficere quemquam. Certè quos tradebant praesidi, eos prius morte dignos iudicabant, ut rarissime euaderent, quos tradidisset Sacerdotum consilium: qui hunc morem habebant, ut quem morti adiudicassent, ligatum iudici traderent. Pilati meminit Iosephus. lib. Antiq. 18. cap. 4. 5. & 7. Successit Valerio Grato sub Tyberio, praesidemque egit Iudaeae annos decem. Circa annum octauum regiminis sui Christum cruci affixit. Biennio postea elapso, propter innocentes occisos Samaritanos, a Vitellio praeside Syriae est officio motus, alio in ipsius locum substituto, & Romam ire coactus, ut se in iudicio Caesaris contra Samaritanorum accusationem purgaret. Verum antequam Romam uenisset, mortuus erat Tyberius, inque illum locum substitutus Caius. Sub hoc, ut ait Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 7. seipsum interfecit Pilatus.

Pilatus quis, ex Iosepho.

Tunc uidens Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset.

Horribilem Iudae proditoris interitum, & falsam eiusdem poenitentiam Matthaeus intertextit. Hunc autem finem, tanta improbitate dignum, duabus potissimum rationibus describit. Altera, quod faciat ad illustrandam Christi innocentiam. Altera, ut sit exemplo reliquis, conspicuumque quem exitum tandem fortitur, qui pecuniae gratia non uereatur cognitam prodere ueritatem. Iudas itaque tanto facinore peccato ad se rediit, eo conscientia ipsum agitante. Et uidit, quam miserè tractaretur Dominus, quem sua prodicione in castes principum tradiderat. Obserua particulam, tunc, in Euangelistis, saepe narrationis tantum, non temporis consequentiam significare. Ita in praesentia non est necesse intelligere hoc ipso tempore, quo Christus ad Pilatum ductus fuit, Iudam argenteos retulisse: sicuti & illud, uidens quod damnatus esset, innuere uidetur haec accidisse uel post mortem Domini, uel certè post condemnationem eius a praeside.

Malum, qui orditur pecuniae gratia, malum fecerit.

Tunc, non temporis serie, sed narrationis plerumque significat.

Poenitentia ductus.

Cum uideret iam damnatum sanguinem innocentem, per motus, serò satis, poenitudine tangitur, ad huc tamen satis citò etiam tum illum poenituisset, si satis bene. Nam quacunque hora ingemuerit peccator, si diuinæ misericordiae fiducia accesserit, misericordiam consequetur. Hic locus significare uidetur, quod Iudas peccabat tradere Iesum, castigandum tantum a principibus Iudaeorum, & non occidendum. Ideo cum uidit, quod Iesus damnatus esset a principibus ad mortem (uidendo eum uinctum tradi praesidi) poenituit eum facti. Obserua poenitentiam Iudae, quae similis est & poenitentiae Saulis, & poenitentiae Esau. Impiorum poenitentia est, quod dolent se in damna & angustiam animi incidisse, a quibus si essent liberi, iam pro nihilo ducerent, quod peccauerunt.

Satis citò, si fas bene.

Ezech. 18. & 33.

Poenitentiae Iudae, Saulis & Esau, similes. Impiorum poenitentia, quae

Retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus.

Ut suam ostenderet poenitentiam Iudas, retulit triginta argenteos ad Sacerdotes, & Seniores populi, a quibus illos acceperat, & illis inuitis proiecit eos in templum. Hic obserua, etiam in homine perduto, dari exemplum, non esse ueram poenitentiam, ubi non redditur, quod fuerat male ablatum. Retulit, inquam, pretium illud acceptum pro prodicione innocentis, principibus Sacerdotum in templo existentibus. Nam pars primorum & praecipuorum occupabatur ad procurandam Iesu mortem: alij erant in templo, quod parasceue esset.

Ablatum restituendum a respiscere.



Dicens, Peccavi, tradens sanguinem iustum.

Iudæ pœnitentia aliquot gradibus procedit. Nam pœnitentia ducitur, dolet, cõfitetur peccatum, disertè dicens, Peccavi, tradens sanguinem innocentem. Damnat ergo & execratur suum peccatum. Præterea sanguinis pretium restituit, imò & cum indignatione quadam proiicit ad pedes Sacerdotû in terram. Quasi dicat, Maledicta sit pecunia illa, pro qua Dominum meum uendidi. Obserua, quanta sit uis ueræ innocentia, quæ subinde maluolorum & hostium mentes reuerberat, & ad pœnitentiam delicti inuitat. Ad ueram pœnitentiam pertinet peccati confessio, non ea tantum, quæ Deo fiat, sed & quæ hominibus, quorum id interest: interest autem eorum, contra quos peccatum est, deinde & quibus peccandi data est occasio. In Christum peccauerat Iudas, deinde Sacerdotibus & Senioribus dedit occasionem peccandi, dum collocarat illis suas operas ad prodendum, & illis tradendum magistrum suum. Rectè ergo facit Iudas, quòd coram Sacerdotibus & Senioribus populi peccatum suum confitetur, & ferat hoc testimonium, tam aduersus seipsum, quam aduersus principes Sacerdotum & Seniorum, dicens, Peccavi, tradens sanguinem iustum. Nam hic non solum suum confitetur peccatum, sed & illis occasionem præstat, quantum in se est, respiciendi & pœnitèdi. Simul & Christo testimonium dat innocentia, quem prodèdo, ueluti nocentem fecerat. Sed in hoc manca claudaque est Iudæ pœnitentia, quòd non ad Christum ipsum sese prosternit, nec, ut ignoscat, precatur, ut plena esset peccati confessio & absoluta recõciliatio, quæ inter homines, deinde & coram Deo, confessionis finis est. Ad remissionem itaque peccatorum, adeoque ad salutem obtinendam, non est satis, peccatum agnoscere, confiteri quoque, & quod malè partû fuerat, restituere, nisi ad sit fides in Christum, quæ, charitate ornata, ueniam petat & accipiat: sicut ad sanitatem non est satis, morbum agnoscere, dolere, fateri, nisi medici opera accedat.

Innocentia ueræ uis ingens.

Confessio peccati quibus fieri debeat.

Iudæ pœnitentia in quo manca & imperfecta.

Ad remissionem peccatorum necessaria.

At illi dixerunt, Quid ad nos? Tu uideris.

Hæc mirum in modum augent magnitudinem peccati, & desperationem in Iuda. Quasi dicant, Quod peccasti, sanguinem innocentem tradendo, ad nos non pertinet, sed tu es in culpa. Proinde nihil est, quòd nobis ista impingas. Tu uide, quomodo euadas. Tuum est peccatum, non nostrum.

Ipsi sanguini innoxio insidiati estis? Antequam caperetur, occidendum decreuistis? Iudæ proditori pecuniam pacti estis, si illum traderet? Post proditionem Iudæ pactum seruastis? A Pilato cohortem accepistis? An non uos, uos, inquam, uos Hanc cohortem, ad capiendum iustum, Iudæ assignastis? Falsos testes aduersus iustum adhibuistis? Innocentem incognita causa damnastis? Temerè damnatum præsidii iam offertis occidendum?

Apostrophe ad Iudæos, excusantes innocentiam suam de caude Christi.

Et quomodo nihil ad uos pertinet proditi sanguinis innoxij peccatum? Si ad uos non pertinet hoc peccatum, cur uos excusatis, & culpam in Iudam transfertis? Ille non dicit, peccastis, sed, Peccavi, &c. Vos igitur, cum excusatis, sentitis profectò stimulum conscientia, cuius testimonio uicti, intelligitis uestram ipsorum culpam, quam tamen ille uobis non obiiciebat. Sed hoc uobis condono, quòd nõ peccaueritis, sed solus Iudas. Cur igitur non reuocatis uestrum iudicium, & non liberatis innocentem à condemnatione & mortis immerita periculo? Quare non, ad exemplum eorum, qui malè de Susanna iudicauerant, comperta danati innocentia, irritum facitis, quòd malè iudicastis? Si falsi estis, & per errorem damnastis innoxium: si Iudas uerè in culpa est, quòd sanguinem innoxium tradidit, quare cognita iam ueritate sententiam non mutatis? An non conspicuum est, quòd ex ma-

litia non errore deliqueritis? Nam qui errore deceptus, peccat, cognito errore pœnitentia ducitur, & abstinet. Vos autem iam scienter in damnando ac interimendo sanguine innoxio pergitis & perseveratis. Quòd si uobis sanguis iste non uideatur esse innoxius, sed planè noxius, & ut iudicatis, blasphemus, adeoque & turpi morte dignus: cur non dicitis Iudæ, Absit ut peccatis, tradendo hunc hominem: non enim est innoxius, ut dicitis, sed est blasphemus. Vocas tu insontè, quem totum Sacerdotum ac Seniorum concilium habita diligenti deliberatione blasphemum esse deprehendit, & meritò damnauit, atque ob eam iam causam magistratui puniendû offert? Proinde desiste ab ista inepta pœnitentia. Alioqui periculo mortis & ipse, tanquam totius concilij reprobator & contemptor, exponeris. Cur non ita responderis ad confessionem & querimonias Iudæ? Sed nihil horum proferis. Cur ita? scilicet conscientiam huius timetis: scitis Iudæ uestrè prorsus conscientiam esse malitia, quòd illi uestra consilia communicaueritis, ideo non audetis confessioni illius contradicere. Fuisset enim hoc omnium impudentissimum. Sinitis itaque uerum esse, quòd Iudas sanguinem hunc uocat innoxium. Sinitis etiam uerum esse, quòd illum, accepta à uobis pecunia, prodiderit. Sinitis & hoc uerum esse, quòd qui sanguinem innoxium prodidit, & periculo exponit, peccat & damnabilis est. O cæci, quomodo non & hoc agnoscitis, danabiles eos quoque esse, qui innoxio insidiantur, laqueos tendunt, data pecunia proditionem sanguinis innoxij procurant, sanguinem innoxium condemnant & occidendum magistratui offerunt? Ad hæc cum sitis Sacerdotes Domini, & uestrum sit expiare peccata populi, quomodo reiicitis peccatoris confessionem, eius maximè, cui uos peccandi dedistis occasionem & materiam? Quomodo ad uos non pertinet, quid peccetur? Cur non consolamini pœnitentem, & per sacrificia uestra peccati remissionem pollicemini? Debetis ergo reum sanguinis innoxij iuxta legem uestram punire, tanquam Iudices & Seniores populi, ut nec hac ratione uobis uox ista competat, qua dicitis, Quid ad nos? Tu uideris. Iam, nec quod Sacerdotum, nec quod Iudicum est, officium erga hominem peccatorem, facitis, homines impij & hypocritæ: interea prompti ad iudicandum, condemnandum & occidendum eum, cuius nullo pacto potestis innocentia refragari. Obserua, quòd cû Iudas conqueritur peccatû suum Pontificibus, usque adeò nullam afferant ei consolationem, ut etiã derideant eum. Quid ad nos, inquit, tu uideris. Hoc est dignum supplicium eorum, qui in aliorum gratiam peccant. Obserua hunc pôtificem cum sacerdotibus & senioribus: Pontifices Iudæorum lupi & prædatores. qui cum deberent excipere Iudam, & illum à desperatione reuocare eo affectu, quem Moyses pro populo, Samuel pro Israëlitis, & Paulus pro fratribus habuerunt, nihil minus curant, sed irrident. Sunt igitur non ueri pastores, sed lupi, sua quærentes, non quæ gregis sunt dominici.

Iudas detestis à Pontificibus.

Pontifices Iudæorum lupi & prædatores.

Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit.

Finis desperati animi, est deprehensio peccati sine fide & fiducia in Christum. Huius modi fuit Iudæ finis, qui abiectis ad pedes Sacerdotû argenteis, recessit, & impiû scelus grauiore scelere cumulauit. Agnouit magnitudinè sceleris sui, sed nõ agnouit magnitudinè misericordie diuinæ. Fleuit Petrus amarè, & misericordiam cõsequutus est: fleuit & Iudas, sed abiecto animo, non conuerso. Et ideo digressus, suspendit se laqueo, & crepuit medius, & effusa sunt uiscera eius. Idq; fit & cõtingit iis, qui sibi propriis manibus ultro mortè accersunt, & uel impatiètia doloris, uel metu pudoris uicti, aut certè instinctu Satanæ adacti laqueo sibi ipsi uitã adimunt. Accedit cõsiliû Satanæ, qui homicida est ab initio, Ioan. 8. Huius est malitia, tentatis suggerere homicidiû, uel in se ipsos, uel in alios. Et huius ueteratoris peruersitas in hoc Iuda diligèter est obseruanda. Quod enim in isto fecit, perpetuò facit, ubi uel mini-

Desperatio peccatoris, ex defectu fidei & fiducia in Christum. Act. 1.

In eos qui ultro sibi mortè consciscunt. Technæ Satanæ molientis peccatoris desperationem.



ma datur occasio: ubi peccatur, astipulator accedit, & excusationes & eleuationes peccatorum suggerit, quod securius peccetur. Vbi cognito peccato poenitudine grauiatur conscientia peccatoris, statim adest, & quod antea leuis fecerat esse momenti, iam facit maximi: & conscientiam, alioqui anxiam, reddit desperatissimam: nec cessat, donec uictor, desperata uenia, tam corporis quam animae perniciem inducat. Nouit locum esse ueniae apud Deum respicientibus, & gratiam quaerentibus, ideo totus in eo est, ut in ipsa tēratione & desperatione ueniae peccator sese inuenerimat. Obseruemus quoque in Iuda, quale sit ingenium impiorum. Iudas, prius quam agnosceret peccata sua, securissimus erat, & impudentissimus. Etsi enim admonitiones, quam minas. Existimabat Satanam nō esse tam horribilem, quam pingi solet, nec inferni ignem tam feruentem esse, quam dicitur. Ac sperabat se facis tempestiue poenitentiam acturum, quum ad extremam aetatem peruenisset: interea temporis, se furtis, prodicionibus, & aliis sceleribus, libidini animi sui satisfacturum. Hæc est carnalis securitas, & contemptus iudiciorum Dei. Postquam autem reuelantur ei peccata, & adducitur ad iudicium Dei, ibi tum tantō fit desperatior, quantō fuerat antea securior. Ac non solum desperat, uerum etiam præ nimio horrore, qui ex iudicio Dei in conscientia eius ortus est, præfocet seipsum laqueo. Sic sunt impij. Antē reuelationem iudicij Dei, contemunt uerbum Dei, contemunt admonitiones & minas, ac impudenter peccant. Postquam autem iudicium Dei reuelatur, nihil est ipsis desperatius, atque adeo omnia præposterè agunt. Cū deberent Deum timere, tunc securo animo peccant: cū autem deberent in Christo esse securi, tunc despondēt animum, & de salute sua prorsus desperant. Exēpla habemus in Cain, Esau, & Saul. Quare, ne impiorū supplicio obruantur, concipiendus est timor Dei, ante iudicium eius: & in tempore obsequēdum est admonitioni uerbi Dei, ut reuelato iudicio spe uiua erigamur, & securi, per fidem in Christum, in Christo seruemur. Obserua ex fine Iudæ, quam magna sit carnificina, poenitentia sine fide & fiducia.

Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, Non licet illos mittere in Corbanā, quia pretium sanguinis est.

Hoc genus hominum perpetuam cum insigni malitia coniunctam habebat hypocritissimam, præposteram religionem, & mentem omnino corruptissimam. Nam quod hic agunt reuera erat culicem colare, iuxta Domini dictum, camelū autem glutire. Nam non timuerunt, ne iniuste facerent, quod Christum nulla iusta causa condemnabant: nunc autem timent, ne iniuste faciant, si hos argenteos reponant in sacrum ararium. Ecquam dabis conscientiam cauterio notatam, si hæc non est? Populus hic labiis me honorat (ait Isaias) cor autem eorum longè est à me. Quanquam autem Sacerdotes Iudaici præposterè religiosi essent, in eo tamen non admodum errabant, neque contra legem peccabant, quod pretium sanguinis in donaria templi referri uolebant. Nam si rapinam Deus prohibet offerri in holocaustum, si mercedem meretriciam eiicit è donariis suis, sicut aperte legitur Deut. 23. & Isai. 61. quantō magis abominatur pretium sanguinis? Licet enim quæ in Corbanam mittuntur, magis in usum hominum, quem Dei cedant, quoniam tamen Deo offeruntur, operæpretiū est, ut talia sint, quæ Deo placere possint. Place-re autem non possunt, cum quibus aliqua est coniuncta iniquitas; uel quæ uerbo ipsius sunt uetita. Erant ergo argentei isti nefarij, non ex se, sed quod essent pretiū sanguinis. Est enim illicitum, sanguinem innoxium uendere. Oportet igitur, ut quæ ad usum pietatis offerimus, ritè offeramus: uidelicet ut munus offeramus Deo acceptum: scientes, hic non æstimari, quid offeratur, sed quomodo acquisitum & quo animo. Quædam enim prorsus hic sunt illicita, quædam uerò minus accepta,

ut & inter ea quæ accipere licet, multum sit differentia, sicut uidere est, Luc. 21. ubi duo minuta ara uiduæ, magnis diuitum donis præferuntur: & inter ea, quæ animorum discreuit differentia. Obserua. Corban exposuit S. Marcus 7. cap. & dixit significare oblationem siue donum. Et Corbana dictio est Hebraica, significans arcam, in quam solebant reponi donaria, quæ offerebantur à populo, quam Græci uocant gazophylacion, id est, repositorium uel conseruationem thesauri. Huius usus erat in templo, ut ad manum esset, unde, quæ templo instaurando necessaria essent, peterentur, uide 4. Reg. 12. & 22. Ambrosius uerò de gazophylacio templi Iudaici sic scribit: Quid est gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum, iuxta quod sedens Christus, ut habetur secundum Lucam, duo ara mulieris uiduæ, diuitum muneribus censuit præferenda. Hæc ille. Ergo secundum Ambrosium non solum ad structuram templi pertinebant, quæ in gazophylacium mittebantur, sed & ad pauperum & egenorum sustentationem. Et hic usus contribuendi etiam apud prisicos Christianos fuit, ut uidere est in Florente Tertulliano in Apolog. cap. 39. Modicam, inquit, unufquisque stipem menstrua die, uel cū uelit, & si modò possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert, &c. Legito apud Chrysostr. in Matth. homil. 86. quæ mirificè huc quadrant.

Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

En aliud hypocriticos genus. Consulūt quid his argenteis cōparabunt, nolentes in gazophylacium eos mittere, sed in aliquod pium opus exponere, & non sibi seruire, ne philargyri & pecuniæ studio occupati uideantur, qui pij scilicet erant. Propterea in consilio, habita deliberatione matura, concludunt emendū esse agrū, in quo sepeliantur peregrini. Origenes intelligit de illis, qui licet Ierosolymis peregrini non essent, proprias tamen sepulturas non habebant, quas habebant ditiores, ut necesse fuerit eos alienis condi loculis. Opinor certè, saluo meliore iudicio, peregrinos hic accipi eos, qui loci sacri gratia, aliunde ex omni Iudæa Ierosolymā ueniebant: atque ibi, ut conditio est mortalium, è uiuis secedebant, quorum magnum semper fuisse numerum credibile est. Sed cur hic demum consulunt humanis peregrinis? ubi nam antea sepulti sunt? Deinde non sua pecunia sepulturā illis emūt. Quod si aliena pecunia emere illis uidetur, cur non licita? Et quare agrū figuli? Pietas profectō est, locum parare humanis mortuis, præsertim peregrinis. Sed quid horum pietate & religione magis præposterum? Bonum quidem ac pium opus est, peregrinorum curam agere, & mortuos honestè & religiosè sepelire. Sed in his operibus summam religionis ita constituere, ut interim nihil referre putes, si innocentem hominem damnaueris, hoc uerè est impiè pium esse. Obserua: hæc consultatio mirum in modum ostendit præposteram istorum religionem, & execratisimam inhumanitatem. Nam deliberant, in quem usum collocandi essent triginta argentei, quos Iudas ad pedes illorum abiecerat. Aiunt non esse reponendos in gazophylacium, quod pretium esset sanguinis: ergo agnoscebant, & confitebantur, Christum innoxium, quem tamen morti tradebant. Itaque ne non esset scelus omnium commune, coacto concilio, mercati sunt ea pecunia agrum figuli cuiusdam, ut illic sepelirentur peregrini, ueluti scelus, quod erat in manibus, hoc officio compensaturi.

Propter hoc uocatus est ager ille Acel dama: hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

Sese pro piis uenditare apud plebeios putabant Sacerdotes, quod illa pecunia compararent agrum illum figuli ad sepulturam peregrinorum. Sed non poterant

Prouerbum  
presumptis,  
& securè pec-  
catis.

Impiorum,  
namque de-  
sperantium  
descriptio.

Poenitentia si-  
ne fide & fi-  
ducia, ma-  
gna carnifici-  
na.

Sacerdotum  
derestada hy-  
pocritis.

Pretium san-  
guinis & scor-  
ti, abomina-  
tum Deo.

Multum in-  
terest, quid  
quomodo of-  
feras Deo.

Corban.  
Corbana.

Gazophyla-  
cion.

Oblata in tē-  
plo, pauperū  
egestati leuā-  
dæ dicaban-  
tur.

Ierosolymis  
etiam paupe-  
res pro pere-  
grinis habiti.

Sacerdotum  
præpostera  
religio.



alio pacto magis traducere suam impietatem: Si quidem res aded uenit in fabulā vulgi, ut hodie quoque ager ille Syris dicatur Achel dema, hoc est, ager sanguinis. Obserua: dum hi hypocritę specimē sibi parant pietatis, malitię suę memoriā statuūt: non quod ipsi id nominis agro dederint, sed quod instinctu Dei vulgus hac nota agrum hunc memorabilem fecerit. Vt qui debet uocari ager & sepultura peregrinorum, uocatus sit ager sanguinis: utque quod speciem habebat pietatis, & per hypocrisim erat institutum, locum daret ipsi ueritati, & uocaretur ager, non sepultura peregrinorum, sed ager sanguinis, Act. i. cap. Ita certē uocari deberent multorum palatia, magnificę & sumptuosę structurę, agri, ædes, horti, & quicquid est aliud huius generis, quod sanguine partum est. Sanguine uerō partum uoco, secundum scripturas, quicquid fraude, ui, & calumnia partum est, Isa. i. cap.

Hypocritę ut serē scipi fallit, ita traducit.

Delitię multorum, sanguine parta.

In Euāgelio-graphis nomen prophete pro altero suppositum.

Audacię est & imperitię quicquā imitari scripturis.

Christi humilitas.

Zach. ii.

Christus, Messias à prophetis pmissus.

Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quę appretiauerunt à filiis Israel. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Non est hoc, quod emerunt figuli agrum illis argenteis, fortuitō factum, siquidem hoc fore prædixerat Ieremias. Origenes ingenuē fateatur, quę hic citantur ex Ieremia, nusquam apud Ieremiam legi: putatque culpa scribarum commutarum nomen Zacharię in nomen Ieremię, cum inter uoces nonnulla sit affinitas. Sanctus Hieronymus hęc Matthęi locū enarrans, nihil dissentit ab Origene. Sic enim scribit, Hoc testimonium in Ieremia non inuenitur: in Zacharia uerō qui penē ultimis est duodecim prophetarum, quædam similitudo fertur. Et quanquam sensus non multum discreper, tamen & ordo & uerba diuersa sunt. Et mox, Sed tamē mihi uidetur magis de Zacharia sumptum testimonium, Euāgelistarum & Apostolorum more vulgato, qui uerborum ordine prætermisso, sensus tantum de ueteri testamento proferunt in exemplum. D. Augustinus de consensu Euang. lib. 3. cap. 7. tribuit audaci imperitię, quod in nonnullis codicibus pro Ieremia, scriptum reperiatur, Zacharia. Hieronymus dicit se apocrypha quædam sub nomine Ieremię uidisse, inque illis hæc Euāgelistę uerba expressē legisse. Si ergo Euāgelista scripsit, ut litera sonat, credendum est in Ieremia, non apocrypho, sed canonico scripta fuisse hæc, quę citantur, quāuis ad nos non peruenerit illud apocryphon. Multa enim prophetarum scripta perita fuisse constat ex historia librorum Reg. & Paralip. Apparet itaque pro Zacharia positum Ieremiam, fortē à scriba, qui putauerit Euāgelistam de Ieremia sentire, qui agri empti mentionē facit cap. 32. Nam glossa ordinaria admonet in plerisque codicibus non haberi Ieremiã, sed simpliciter, Tunc impletum est, quod dictum est per prophetam dicentem. Porro infigne & memorandę humilitatis Christi fuit, quod triginta argenteis uendetur in mortem, & quidem à discipulo. Vnde mirum non est, si id certo aded fuerit oraculo prædictum. Apud Zachariam ita legitur. cap. 11. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, Proiice illum ad statuarū decorum, pretium, quo appretiatum sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domo Domini ad statuariū. Quod futurum erat, iubet prophetā Dominus in uisione facere, nempe pretium ad domum figuli, & ad ornamentum pretiosum, hoc est, domum Dei, proiicere. Ergo significatum fuit, pretium peruenturū ad figulum, sed postquam oblatum antea in domum Domini fuisset, hoc pretium Dominus uocauit mercedem suam. Eo nanque conductus fuit, ut pastorem ageret populi sui, per uniuersum orbem dispersi, per Christum saluatorem nostrum congregati. Hoc siquidem triginta numis in mortem uendito, colligi cœperunt filij Dei, qui adhuc dispersi erant, & agnosci ipse, pastor bonus totius mundi. Vide, lector, quā probe uaticinium & Matthęi historia congruant, quanta fide &

certitudine euincatur, Iesum Christum Dominum nostrum, uerum esse Messiam, in prophetis promissum. Cæterum duo ueniunt hic adnotanda. Prius, quanta omnia quę ad passionem Christi pertinent, sunt diligentia iam olim antea Spiritus sancti instinctu per sacros prophetas prædicta, & præsignata, atque ad posteros transmissa. Alterum, quod cum scripta prophetarum Sacerdotibus nota essent, nihilominus non solum adimpletionem ipsorum non obseruauerint, sed ipsi quoque ea sua malitia, hypocrisi, & ingenti cæcitate adimpleuerint. Sed uide aliud mirabile hypocrisicos genus. Emunt his argenteis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Soliciti sunt pro mortuis, & interim Christum uiuum eumque innocētē, utcunque possunt, morti tradunt. Quid hac religione magis præposterum? Verum pergamus ad cætera.

Quanta diligentia omnia prius scripta, quā acciderent, de passione Christi Sacerdotes scripturarū ministri, in adimplendo, quę præscripta fuerant.

Iesus autem stetit ante præsidem.

Pergit Matthæus omnia acta & iudicata describere, quę in prætorio, sub iudice Pontio Pilato, Romanorum præside, gesta sunt. Hanc quippe historiam interruperat, per interfectionem eorum, quę ad Iudæ proditoris finem spectabant. Postquam igitur Pontifex, Sacerdotes & Seniores ad accusationem Domini (ut dictum est) satis instructos se putarunt, surrēxit è consilio uniuersa eorum multitudo, & uinctum adduxerunt in prætorium: qui, tanquam mortis peractus reus, sistitur Pilato, ut per eius autoritatem, lata in Iudæorum concilio aduersus eum, mortis sententia, in executionem producatur. Oculi omnium in Christum intēti erant. Putabant autem satis causę & probationis esse, quod Pontifex & Sacerdotes sanctissimi Pilatum iuberent suo ipsorum iudicio cedere & Christū occidere: & ut Iohannes indicat, Sacerdotes initio constanter petierunt à Pilato, ut, causa neque audita neque excussa, ipsum Dominum tollerēt è uiuis. Cum enim Pilatus prodiret, ac diceret, quam accusationem afferis aduersus hominem hunc, responderunt, Nō tibi tradidissimus eum, nisi malefactor esset. Cæterum iuxta leges Romanas, non licebat quemquam indemnatum cedere. Quandoquidem ergo Pilatum, proconsulum atque præsidum Romanorum more, oportebat ius dicere, præcipit Sacerdotibus, ut iure, & secundum leges agant, legitimęque accusent, si quid habent aduersus productum reū. Sacerdotes, ubi uident autoritate sua nihil commoueri Iudicem, sed iure omnino atque legitimę agendū, & quę producerant, accusandū esse, uaria (apud Lucam) accusationis capita instituunt, quod gentem peruertisset, utique doctrina, quam ipsi execrabantur; quod uetuisset dari tributa Cæsari, & quod se Regem fecisset: quo articulo sperabant, se illum, reum maiestatis peracturos, silentes interim de templo uiolato, de blasphemia, & aduentu filij Dei in iudicium, quibus sciebant ethnicum iudicem non admodum commouendum, quippe qui huiusmodi res omnes, uelut Iudaicas superstitiones, pertinaciter aspernabatur. Stetit ergo Iesus ante iudicem, uelut reus, ut uel accusata crimina diluat, uel sententiam in se iudicis accipiat. Et hoc est, quod dicitur, Iesus stetit ante præsidem. Non dicit, uenit ad præsidem, sed stetit ante præsidem. Ad præsidem uenire, est præsidis opem contra fontem aliquem implorare. Hoc in speciem faciebāt Sacerdotes & Seniores populi contra Iesum.

Lex & mos Romanorū, neminē indē natum cedere.

Capita accusationis aduersus Christum.

Et interrogauit eum præses, dicens, tu es Rex Iudæorum?

Audita accusatione, quod Christus seditiosus esset, & se Regem faceret, mox præses conicit hoc labefactare Cæsaris monarchiam: ad quam conseruandam, & ad omnes seditiones compescendas, à Cæsare Tyberio missus erat in Iudæam. Adde, quod non ignorabat spem gentis Iudaicę, expectantis magno animi desiderio uenturum Messiam. Igitur Pilatus hoc accusationis caput ad se maximē pertinere putans, redit in prætorium, è quo exierat, auditorus Iudæos accusatores, pro foribus stantes, & nolentes prætorium ingredi, ne contaminarentur, sed ut mandu-



carent Pascha. Et adstantem Iesum interrogauit, dicens, Tu ne es Rex Iudaeorum? Quasi dicat, Audio Iudaeos expectare Regem ac assertorem quandam, qui, omnibus ipsorum oppressis hostibus, solus sit in otbe regnaturus. Audio nunc primorum tuae gentis accusationes, & quod testificantur, te maiestatem illam regiam uendicasse tibi: nunc ergo id abs te edoceri cupio: An fatcaris uerum esse, quod isti iam tibi intentant, & an tu ille Rex atque assertor sis populi Iudaici, quem expectant. Obserua. Graecis legitur *ὁ βασιλεύς*, id est, ille Rex, ut de eo Rege intelligas, qui tum à Iudaeis expectabatur. Quod hic rogat Pilatus, uidetur mihi nō malo animo quærere, sed multo candidiore, quàm erat Sacerdotum ac Seniorum.

Pilatus animo non omnino malo in Christum.

Dixit illi Iesus, Tu dicis.

Iesus, ne nihil respondendo superbus uideretur, ait, Tu dicis, non omnino negans se regem: sed tamen addens, suum regnum spirituale esse, non mundanum, ut hoc nihil ad Cæsarem aut Herodem pertineret. Vide: nolebat Christus praesidem in hac causa falsis Sacerdotum delationibus, de ambitu regni terreni, seduci: ideo modestè respondet, & non solùm illi fatetur se esse regem illum Iudaeorum, sed & regni sui conditionem talem esse ostendit, quæ non tollat terrenum Romanorum imperium. Vnde nullo negotio intelligere potuit Pilatus, meris Sacerdotum calumniis & sycophantiis rem geri. Ideoq; responsione Domini audita, apud alium Euangelistam, absoluit Dominum, & eius innocentiam fert testimonium, dicens: Ego nullam in hoc homine inuenio causam, seu noxam.

Pilatus non semel absoluit Dominum.

Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit.

Instantibus accusatoribus, Sacerdotibus, & Senioribus populi, multa, sed sine ratione & probatione inclamantibus, Christus non est dignatus respondere, quod friuola essent omnia & conficta.

Iesus, accusatus, tacet.

Tūc dixit illi Pilatus, nō audis, quāta aduersum te dicūt testimonia? Pilatus ueritatem cupiens ex Christo elicere, Non audis, inquit, quāta atrocitas tibi crimina impingunt isti? & quāta in te uno ore omnes isti inlament? Quid igitur taces? Quare non te ipsum aduersus illorum accusationes defendis?

Et non respondit ei ad ullum uerbum.

Ideo noluit, uel iussus à praeside, respondere, quod iudicabat eum, non esse tam obsecraris, quin olfaceret, ista omnia odio quodam impotenti confingi cōtra seipsum. Neq; huiusmodi esse, propter quæ occidi deberet. Et reuera intelligebat praesides, Sacerdotum malitia & inuidia omnia ista agi.

Ita ut miraretur praesides uehementer.

Admiratur praesides, homo ethnicus, & ueræ sapientiae patientiaeque imperitus, hominem innoxium, in periculo capitis tanta cum māsuetudine obticere. Audierat & nouerat (ut conuicere possumus) Pilatus multa horum testimoniōrum falsa esse. Vnde miratur, cur Christus non se expurgat. Profectò ex ipso vultu habitūque Iesu perspicies illum procul abesse à suspitione affectati regni; & aliis imposturis, absolutum declarauit, dicens, Non inuenio in eo causam. Ergo mox dimittere illum debebat, si fuisset iustus Iudex.

Pilatus iniustus iudex.

Per diem autem solennem consueuerat praesides dimittere populo unum uinctum, quem uoluisent. Habebat autem unum tunc uinctum in signem, qui dicebatur Barabbas. Cōgregatis ergo illis, dixit Pilatus, Quem uultis dimittā uobis? Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?

Interpretationi huius loci satisfactum est Ioan. 18.

Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum.

Pilatus hoc consilio, uidelicet, Quem uultis dimittam uobis, Barabbam, &c. prudenter Christum de manibus accusatorum eripere uolebat, eò quod aduertisset, iniuste eum accusari, neque nisi inuidia moueri primates Iudaeorum ad eius mortem procurandam. Quare pro uirili conabatur praesides liberare Christum, id quod ex officio, si bene sibi consultū uoluisset, facere debebat. Scribis, Phariseis & Sacerdotibus duo hæc adscribunt Euangelistæ, inuidiam & odium aduersus Christum. Huius autem odij & inuidiæ non in Christo, sed in seipsis causas habebant. Inuidiæ morbo, fomentum & causam dare uidetur aliena prosperitas. Quæ tamē re uera magis praestat causam congratulandi, quàm inuidendi, si adsit charitas, & uera dilectio. Ita & odij causa, quo infensi erant Christo, in Christo non erat, sed in ipsorum malitia. Honori Christi inuidebant, quem uidebatur habere ex accursu populi, & rebus miraculosè gestis. Ecce totus mundus (ut est in Ioanne) post ipsum abijt. Cur ita? Quia non Dei, sed propriam gloriam quærebant. Oderāt Christum. Cur ita? Quantum ad Christum attinet, non erat causa: in ipsis autem causam subministrabat & materiam ipsorum propria malitia. Metuebant regno suo, pariter & nomini, quo auram popularem uenabantur. Ad hæc opera illorum mala erant, quæ Christus, lux mundi, arguebat. Nusquam enim non detegebat illorum hypocrisim & malitiam. Quemadmodum lucis culpa non est, quod furi est iniusta, sed ipsius furis, qui propter opera sua tenebras mauult, quàm lucē: ita nulla erat in Christo culpa, propter quam hoc hominum genus odio ipsum prosequeretur. Obserua, Euangelistam, non dicere, suspicabatur, sed sciebat: profectò necesse est certa fuisse in Sacerdotibus inuidiæ huius indicia, unde Pilatus id quod res erat, colligere potuit. Sciebat uidelicet illorum arrogantiam, superbiam, auaritiā, & regnandi ambitionem. Vt ut enim hypocritæ essent in causa religionis, ipse tamen uiuendi genere, & modo sacerdotum administrandi, satis, quo fastu essent, & quibus affectibus praediti, declarabant: hinc facillimè colligebat, ea quæ de Christo audierat, cum dicta, tum facta, isti ordini summo perē iniusta esse. Respondit quispian, Si Pilatus sciebat quod Iesum per inuidiam tradiderant, propterea quæ uellent ipsum suo ipsorum odio seruire, cur non istæc illis mox obiecit? cur non ilico infontem è manibus ipsorum eripuit? Profectò diuites erant Sacerdotes & Pharisei, à quibus poterat ad Pilatum multum quæstus redire, si illis gratificaretur. Deinde erant etiam potentes, poterant praesidi apud Cæsarem negotium facere. Horum gratia dissimulat praesides cognitam & expertam horum hominum malitiam. Colligamus ex his, Pilatum clarissimè perspexisse innocentiam Christi, unde meritò declarauit ipsum absoluendum & dimittendum, dicens, Non inuenio causam in hoc homine.

Sacerdotes & Pharisei, duabus porisimū rebus flagrabāt in Christū, inuidia & odio. Prosperitas fratrum magis congratulatione, quàm inuidia digna, si adsit charitas. Iudæi oderāt Christum & inuidebant illi, quare.

Simile.

Pilatus nouerat Iudaeos odio & liuore prosequi Christum.

Pilatus Iudaeos, tā indigna efflagitatis, cur nō statim repulit.

Pilatus inexcusabilis.

Somniis, au-guis & portentis anti-qui dediti mi.

Sedente autem illo, pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens.

Nous cuentus, quo monentur gentes de innocentia Christi. Fit autem hæc admonitio propter Pilatū, ut is iusto Dei iudicio pereat, & damnetur postea, qui cū agnouerit Christum, innocentem esse ac iustum, tamen ad affectibus vulgi, & priuatae gloriae potius inseruierit quàm iustitiæ, etiam agnitæ. Sedula mulier, & sui uiri studiosissima, ne quid perperam committat, mittit puerum ad uirum suum. Quem admonet iustitiæ, retrahit ab iniustitia, & crudeli sanguinis innoxij effusione. Edocta fuit hæc mulier in somniis. Fuit Pilatus homo ethnicus, apud quem plus ualebat adamatæ vxoris suggestio, quàm uisio angelica. Sed & somniis, atque spectris siue ostentis plurimum tribuisse ethnicos, & Romanos his maximè fuisse permotos, testes sunt historia. Proinde Deus ea ipsa ratione animum Pilati tentari uoluit, qua nouit maximè posse impelli. Accedit adhæc, quod monuit illa



in tempore & loco iusto, dum uidelicet federet pro tribunali in causa capitali, ac nondum ultima condensationis sententia lata. Prudentes seculi in his casibus haud facile ferrent talem admonitionem à muliere profecta. Verum ita comparata est ista iudicum conditio, ut alioqui magni uiri, muliercularum quoque admonitione opus habeant. Et plerumque profuit, tales admonitiones non spreuisse. Rursus saepenumero nocuit uxorum monita reiecisse. Exemplo sit Iulius Cæsar, qui, si Calphurniæ uxoris somnio locum dedisset, uitæ periculum uitasset. Vide, obsecro, quanta cura & diligentia tueatur Deus innocentiam. Christus erat innocentissimus, attamen non inueniebat in populo suo ullos innocentiae testes. Summi Pontifices, & Scribæ acriter accusabant. Discipuli defecerant. Reliqui, in quibus Christus ediderat miracula, musitabant. Et præ furore vulgi, nec uiri nec mulieres Iudaicæ, de innocentia Christi ne hiscere quidem audebant. Attamen Deus nequaquam tulit, ut innocentia opprimeretur inestata. Discipuli tacent, sed proditor loquitur, & testatur, dicens, Peccauit tradens sanguinem iustum. Summi Pontifices accusant, sed præses Pilatus, homo ethnicus, excusat, & absoluendum ducit. Mulieres Iudaicæ musitant, sed Deus excitat mulierem ethnicam, uxorem Pilati, ut ferat testimonium innocentiae Christi. Quid igitur sollicitus es mi homo, ac discurre, ad conquirendos innocentiae tuæ testes, quando per inuidiam aduersariorum non datur, ut ipsorum fiat copia? Reice hanc curam in Dominum Deum tuum: tibi tantum eam serua curam, ut rectam uitam ducas. Nam si innocens fueris (id quod fiet, si seceris ex charitate uocationem Dei) Deus tanta solitudine innocentiam tuam probari omnibus curabit, ut si domestici tacuerint, excitentur & mittantur potius angeli eius testes, si necesse fuerit: & experieris uerum esse, quod vulgò fertur, Victrix manet ueritas.

#### Nihil tibi, & iusto illi.

Breui admodum epistola (sed quæ iudicem, pro tribunali sedentem, decubat) maritum admonuit, cumque efficacissimis uerbis perstrinxit, dicens, Nihil tibi, & iusto illi. Quasi dicat: Ne, obsecro, contamines te cruore istius iustissimi hominis. Ne patiaris te clamoribus, uel Sacerdotum, uel populi, huc impelli, ut contra animi tui sententiam in gratiam ipsorum quicquam contra innocentem pronunties. Dimitte, quæso, nihil mali commertum. Obseruet hanc sententiam, quibus gladius commissus est ad uindictam malefactorum: ad omnes enim iudices hæc uox pertinet. Non quòd nihil sit negotij iudicibus, cum iustorum innocentia, quam certè defendere, & honore ornare debent: sed quòd officium ultionis, non in iustorum, sed reproborum malum, nec propter iustos, sed iniustos à Domino commédatum habeant, iuxta illud Pauli, Lex non est iusto posita, sed iniustis.

r. Timoth. r.

Multa enim passa sum hodie, per uisum, propter illum.

Superioris sententiæ ætiologiam addit uxor, scilicet, cur Pilatus nihil debeat contra innocentem & bene de omnibus meritum pronuntiare. Somnia (inquit) habui & reuelationes: imò multa hac perpessa sum nocte propter istum. Certè hic est innocens. Vide igitur, mi marite, & amice, quid tibi sit expectandū, si sententiam capitalem contra hunc innocentem pronuntiaueris. Videtur hæc mulier intellexisse Sacerdotes à præside, Domino ac marito suo, cohortem militarem ad capiendum Iesum accepisse: unde uerisimile est causam fuisse datam mulieri obnoxius de innocentia Domini, & malitia Sacerdotum cogitandi, atque ita per cogitationum uehementiam delabendi in huiusmodi graui somnia. Quid perpessa sit in somniis, non liquet. Fieri potest, ut graui & molesto somnio, curis & angustiis pleno, sit adfecta. Hæc certè docent, non omnia somnia esse uana, neque semper contemnenda: uxorum item consilia & admonitiones, suam aliquando habere utilitatem. Sunt enim Abigail, Deboræ, ac heroicis uirtutibus præditæ matronæ

Somnia non omnia uana aut contemnenda.

multæ, quarum consilia atque suggestiones, si quis præfractè cõtempserit, Deum ipsum, per has operantem, non impunè cõtempserit.

Etiã mulierum sana sũt aliquãdo cõsilia.

Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Iesum uerò perderent.

O scelestum scelus, obstinatam malitiam, & profundam istorum Principum cæcitatem, qua ad exequutionem propositi sui, inconsiderantiam vulgi seducunt. Nutabant sanè vulgi mentes atque iudicia, quem sibi deligerent, quem condemnarent. Accedentes ergo Principes Sacerdotum cum Senioribus, persuaserunt populo inconstanti, magnorumque hominum autoritate facilè ad quæuis pertrahi solito, multis nimirum rationibus confectis, blandis, subdolis, amicis & sesquipedalibus uerbis, ut deligerent sibi Barabbam, Christum uerò perderent, & crucifigi postularent. Mirifica interim arte, miro dolo, præfidi, quem in hac causa fringere, & segniter ad capitalem sententiam ferendam procedere uidebant, plebem, ceu allectores, & ipsi etiam iudices, coniungunt, quò certius & citius extorqueant capitalem & sibi exoptatissimam mortis sententiam. Rogabit aliquis, quibus uerbis conflata fuit hæc persuasio qua vulgus peteret Barabbam liberari, & Christum crucifigi? Primùm occinuerunt illis Seniores auctoritatem Principum, Scribarum, & Phariseorum. Item concilij præmissi, in quo fuit Iesus blasphemiae condemnatus. Deinde & illud, venient Romani, &c. His laqueis irretita est misera plebs, ut peteret iustum occidi, & latronem dimitti. Hi Principes quærebant res suas, non autem populi: quærebant occiso Iesu regnum suum stabilire. Obserua hinc naturam pauperis plebeculæ, quæ pendet solùm ab iis, quos suspicit, & illorū, quòd uertant, sequuntur iudicium. Vide, quanta labore cæcitate. Eum uolunt occidi, à quo erant saluandi: & persuaderi sibi sinunt à tyrannis suis, ut liberatorem suum perdi petant. Perinde ac si miseræ ouiculæ persuaderi sibi sinerent, ut pastorem à quo debebant aliac defendi, à lupis occidi peterent.

Mobilis mutatur semper cum Principe vulgus.

Hypotyposis vulgi, petentis Barabbam dimitti.

Plebs ut seruituti, ita affectioni nata.

Simile.

Respondens autem præses, ait illis, Quem uultis uobis de duobus dimitti?

Præses, uolente sic Domino, quò magis elucesceret Christi uirtus, patientia, & innocentia, urget plebem, interrogans, quem sibi deligat è duobus, Barabbam homicidam & seditiosum, an Iesum innocentem, in quo nihil noxæ inueniebat.

At illi dixerunt, Barabbam.

O stupidum & bardum miseræ plebis ingenium! dolis, artibus & sycophantiis Principum Sacerdotum & Seniorum instructa, imò elusa, deligit sibi latronem, cui uitam donet, & autorem Deumque uitæ dimittit, imò accurat crucifigendum.

Dixit illis Pilatus.

Pilatus sine dubio certus de innocentia Christi, ualde concussus est responso plebis. Non enim arbitratur tam peruerso, imò (ut apertius dicam) euerso corde ullos usquam fore, ut manifestarium homicidam homini innocenti præferrent. Vnde illis rursus obiicit;

Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus?

Audita optione Barabbæ, Pilatus ait, Quare non potius Iesum hunc postulatis, qui Messias uester à plerisque hominibus sanioris iudicij existimatur, & dicitur? Præstaret illum uiuum seruare, cuius tanta est apud plurimos ex uobis existimatio. Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Sperabat præses fore, ut mitiore quapiam pœna forent contenti.

Dicunt omnes, crucifigatur.

Tam efficax fuit suadela Principum & Seniorum erga populum, ut nullo discre

Crux abominata Iudæis.



Vulgus mari simile.

Gravis ignorantia Christi, non ei folium conferri, sed &amp; praefere si trisulciferum latronis.

Christus mortem, quam commiserimus, pro nobis sustulit.

Christus quam sibi nos obstruxerit suam passionem.

Populi Ierosolymitani inconstantia.

pante, omnes acclamauerint, Crucifigatur. Erat hoc supplicij genus, ut atrox, ita cum primis infame. Obserua multitudinis ac plebis naturam. Haec hominum turba, quae antea in die palmarum Christo, aduenienti in aello, acclamauerat, Benedictus, qui uenit in nomine Domini, &c. Nunc clamat, Crucifige, crucifige: Nam quemadmodum mare se habet, ut uenti & aurae uent, ita multitudo omnis ad praesentem fortunae afflatum mouetur. Nihil ergo magis insanum est, quam, aut ad uenandum multitudinis fauorem, impie agere, aut fauore multitudinis confidere. Deinde ea, quae hoc loco accidunt Christo, ut sunt iniquissima, ita inferunt etiam Christo maximos dolores. Christus enim non solum confertur a Pilato cum Barabba sceleratissimo latrone (id quod honesto uiro longè omnium molestissimum est) uerum etiam publico omnium odio obruitur, & iam non amplius confertur, sed longè postponitur. De hac tanta impiorum iniquitate conqueritur Dominus, psal. 21. Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, & factum est cor meum, tanquam cera liquefcens in medio uentris mei. Isaias quoque 53. cap. commemorat hoc de Christo futurum, tanquam longè omnium indignissimum. Cum sceleratis (inquit) reputatus est. Sed & Petrus Act. 3. hanc iniquissimam contumeliam ciuibus Ierosolymitanis exprorsans, Deus (inquit) glorificauit filium suum Iesum, quem uos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis, autorem uerò uitae interfecistis. Christus Dominus noster tam innocens fuit, ut minimè omnium mereretur odio haberi, & postponi latroni. Sed nos homines peccatores, ipsi sumus, qui propter impietatem nostram hoc supplicio & dolore affici meremur. Cum igitur in peccatis concipiamur, in peccatis nascamur, & sumus sine gratia Spiritus sancti, quis liberabit nos è tantorum criminum lerna? Gratias agamus Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, qui innocentissimus, suscepit hoc grauissimum peccati supplicium, & passus est obedientissimè se publico omnium odio exponi, & sceleratissimis latronibus postponi, non quidem ut suum aliquod peccatum, sed ut nostra peccata expiaret. Et ut, qui antè meriti eramus publicum omnium creaturarum odium atque execrationem, nunc amore Dei patris coelestis digni per ipsum efficeremur. Suscepit etiam hunc grauissimum dolorem ex odio & acclamatione omnium, clamantium, crucifige, &c. ut iis, qui similiter tentantur, & in ipsum credunt, succurrat & afferat consolationem. Obserua exemplum inconstantiae in populo, qui nunc morti adiudicat Christum, quem in die palmarum summa cum reuerentia, ut regem, excepit & salutauit.

Ait illis praeses.

Praeses indignissimè ferens hanc Iudaeorum duram ceruicem, & obstinatissimam & maximè irrationabilem pertinaciam, cum indignatione illos alloquitur.

Quid enim mali fecit?

Quasi dicat, Quo iure, quo uultu, quo denique praetextu crucifigam innoxium? Quid commisit? Vestrum fuerat claris argumētis euincere, illum meruisse crucis supplicium atrox. Apud Lucam Pilatus addit, Nullam causam mortis inuenio in eo. Quasi dicat, An hoc exigitis à me, qui sum minister iustitiae, ut uestro seruiam affectui: ut sine causa hominem innocentem, pro uestro tantum uoto, in crucem adigam, praecipue uirum talem & tantum, cuius fama in uniuersam terram Iudaeae & omnia in circuitu loca cum honore peruenit? Sanè magnum est argumentum innocentiae Christi, quod hac sua quaestione Pilatus, ut ciuili iudex, in uniuersum iustificat Christum, innocentem atque iustum proclamat.

At illi

At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur.

His æquissimis Pilati (quem pro uirili uidebant conari, ut Christum liberaret) uerbis, nihilo mitiores facti, inueteratam occinunt cantilenam, conclamantes atrociter, Crucifigatur. Nullas alias causas proferunt, nullas rationes ostendunt, nulla testimonia statuunt, nulla signa probabilia indicant: tantum conclamant, Iesum esse crucifigendum. Vnde liquidè intelligimus, non tam ethnicum iudicem, quam Iudaeorum populum, capitalem contra Christum pronuntiasse sententiam. Cum enim Barabbam absoluunt, & Iesum, quem seruare potuissent, ad supplicium crucis postulant, profectò Christum, ceu lata è tribunali sententia, damnant. Obserua obstinatissimos Iudaeos loco causae clamores augere.

Populus Iudaeorum damnauit Christum, quem liberare poterat. Clamor Iudaico populo pro causa &amp; ratione.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret.

His uerbis manifestissimè ostenditur, iudicem, non causae euidencia, nec iure & æquitate compulsus, pronuntiasse contra Christum, sed uictum accusatorum improbitate malitiosa, imò belluina feritate atque metu tumultus. Vnde nullas omnino nisi inhonestas condemnationis Christi rationes constat eum habuisse.

1. Primò enim, cum uideret se, liberando Christum tumultum & seditionem in populo mouere, quid faceret? iudicabat fatius esse, unum innocentem perdere, quam per seditionem multis homicidiis occasionem dare: in seditionibus enim passim trucidari solent non tam seditiosi, quam etiam innocentes. Deinde censebat maiorem esse habendam rationem Caesaris, quam unius abiectionis & omnibus odiosi hominis. Adhuc reputabat sibi multò consultius esse, ut is contemptus uir periret, quam ut ipse propter liberationem eius periculis exponatur. proximus (inquit) egomet sum mihi. Postremò fingebat sibi etiam innocentiam, quod & inuitus sententiam condemnationis ferret: & Iudaei omnem culpam in se & filios suos susciperent. Sed alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Pilatus habet quidem, quod coram hominibus praetextat: sed non potest ita conscientiam abluere coram Deo, sicut abluit manus coram hominibus. Oritur seditio, & fit tumultus, quem uult sedare, condemnatione innocentis. Sed, ut ait Paulus Rom. 2. cap. non sunt facièda mala, ut eueniant bona. Magna ratio Caesaris habenda est, fateor, non tamen ita, ut aduersus Deum pecces. Non hoc Caesar uult, ut innocens damnetur. Et si uellet, magis tamen Deo, quam hominibus obediendum est. Nolite (inquit supra. 10. cap.) timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Christus uidetur abiectionis homo, & omnibus odiosus: video, & audio. Sed quem homines extremo odio prosequuntur: eum Dominus Deus noster tanto amore complectitur, ut propter ipsum saluet omnes in eum credentes. Non requisit Pilatus legem Moysi: at habebat secum legem naturae, ex qua erudiri potuit, abiectionem hominem, sed innocentem, tantò magis defendendum esse, quantò magis à potentioribus opprimeretur.

Pilato nulla causa damnandi Christum

Caesarum, quibus adductus Pilatus Christum damnauit, repulso.

Accepta aqua lauit manus suas coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius.

O inauditam & nouam formulam seu sententiam damnandi! huic uix reperias in omnibus historiis omnium seculorum parem. Prius enim absoluit, quam damnaret. Praeterea non apertè damnat, sed, ceu damnatum, illorum libidini permittit. Palam enim pronuntiat Iesum innocentem ac iustum, qui nulla re commouerit mortem. Interim permittit ipsum accusatorum arbitrio: unde nimirum iustum iniuste & contra animi sui sententiam deserendo, damnabat, què omnino dimitendum defendendumque sciebat. Attamen uires resumere uisus est, dum se è tri-

Pilatus absoluit, nec damnat Christum, sed ceu damnatum ad crucem mittit.



bunali erigens, ac confirmans, omnem culpam reiecit in Iudæos, his uindictam minitans & significans, quæ de effuso illo sanguine innoxio esset sumenda. Et ut rem amplius testificaretur, minúsq; in obliuionem quod agebat, ueniret apud homines, prius absoluit eum, quàm damnaret. Siquidem præfente populo ita bet palàm proferri aquam, & in edito conspicuòque loco, qui dicitur Litoftrotos, id est lapidibus constratus, Hebraicè autem Gabatha, id est, locus excelsus aut eleuatus, sedens, abluuit manus: & his uerbis, quibus huius lotionis symbolum & factum suum explicaret, est usus, Innocens (inquit) ego sum à sanguine iusti huius. Vos uideritis. Perinde ac si dicat, Hoc signo abluionis manuum mearum palàm ego testor, hominis huius, quem uos ad mortem deposcitis, innocentiam: & hoc apertè profiteor, non ex animo meo, neque secundum rectè iustitiæ leges hunc me posse ad mortem damnare, quem ego iustum & innocentem esse sicut comperi ita palàm prædico & pronuntio. Videtur hoc symbolum præfens mutuatus esse à legibus & consuetudine Iudæorum, de qua legitur Deut. 21. Si in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi possidendam, interfectus inuentus fuerit, iacens in campo, & nescitur quis occiderit eum, egredientur Senatores ac iudices tui, &c. mox sequitur, Et uenient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus suas super uitulam, quæ in ualle percussa est, & dicent, Manus nostræ nõ effuderunt sanguinem hunc, nec oculi uiderunt. Propitius esto populo tuo Israël, què redemisti Domine, & ne des sanguinem innocentem in medio populi tui Israël, sed expientur à sanguine. Ex eo ritu uulgo inualuit loquutio, ut lauare manus, pro innoxium esse, usurpârint, & per abluionem, innocentiam intellexerint omnes. Vnde Asaph. psal. 72. Ergo sine causa (inquit) iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Sed & aqua uel Gentilibus symbolum fuit abluionis ac expurgationis, quemadmodum manus symbolum est operis.

Ablutio manuum, innocentiz symbolum.

Manus abluendi mos, unde

Aqua lotionem, Manus opus significat.

### Vos uideritis.

Perinde ac si dicat: Nolo huius condemnationis culpam in me suscipere, quana reuera in uos totam reicio, qui uestra improbitate me cogitis ad proferendú, contra iustitiam & conscientiam, iniquum iudicium. Ego, quod ad me attinebat, feci, ut de manibus uestris innocentem eriperem. Vos, posteaquam me cogistis ad iudicium tam iniquum, culpam & talionem omnem meritò portare debebitis. Vestrum agitur negotium. Vos, quid agatis, uideritis. Vult Pilatus his uerbis declarare se innoxium, quod, quæ faciat, à Iudæis coactus, faciat. Sed quid? Putas te esse innocentem, d. Pilate, quod inuitum te peccare affirmas? Quomodo inuitum peccas, qui libera uoluntate peccas? Propositæ sunt tibi duæ uia: altera absoluendi, altera condemnandi Christi innocentis. Cur illa relicta, hanc sectaris? Quis te cogit? Iudæi, inquis, sua importunitate. At potest quidem corpus externa uolentia aliò rapi, cæterum animus ab externa uolentia liber est. Quare nisi uoluntate tua elegisses uiam condemnandi innocentis, nunquam potuissent te Iudæi cogere, ut innocentem condénares. Cur nõ potius, ut fortis Iudex, elegisti è principatu eiici, aut etiã à Iudæis discerpi, quàm ut innocentem condénares? Sed metuisti cuti tuæ, metuisti dignitati tuæ. Peccasti igitur non coactus, seu, ut ita dicam, non necessitatus, sed uoluntarius. Et non potes coram Deo culpam peccati in alios transferre. Sed quid? quod Iudæi sponte sua recipiunt hanc culpam in se & filios suos, non hoc tanti momenti est, ut excuset Pilatum à peccato? Minime omnium. Scriptura enim dicit, Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Peccauit igitur Pilatus, & nulla est eius excusatio. De illo certè testantur historiæ, sumptum esse diuinitus supplicium, quod factum non esset, si omnem culpam lustrali hac aqua abluisset. Interitus Pilati meminit Paulus Orosius lib. hist. 7. ca. 5. & ante hunc Euseb. Eccles. hist. lib. 2. cap. 8. dicens: Sed & Pilatus, qui in Saluatorem iniqui iudicis functus est officio,

Apostrophe ad Pilatum, excusantem improbitatē Iudæorum.

Pilatus sibi necem intulit.

isdem temporibus Caij, tantis ac talibus malorum cladibus cruciatus est, ut propria se manu transfuerberans, nefariam uitam ui abiecisse referatur. Nec enim poterat tanti piaculi minister impunitus euadere: sicut in historiis Græcorum reperimus. Hæc Eusebius.

### Et respondens uniuersus populus, dixit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Videamus stupendam cæcitate, & rabiem quandam ferinam indurati & perditissimi populi Iudaici, nihil territi tanta obtestatione, & tam claro testimonio iudicis ethnici. Tanto odio feruntur in Christum, ut existiment se, crucifigendo ipsum, præstare cultum Deo. Itaque cum tam horribiliter conclamant, Sanguis (id est ultio & uindicta sanguinis seu mortis eius) super nos & super filios nostros, existimant se precari, tam sibi, quàm liberis suis omnem terrestrem & cœlestem benedictionem. Quasi dicant, Tam certò nouimus, hunc hominem commeruisse mortem, ut secura conscientia omnem in nos uindictam transferamus. Totum hoc negotium ultrò & liberè in nos suscipimus, omnem culpam (si qua est) in nos transferimus, nobis totum uolumus imputari. Nos, quicquid egeris, factum rectè præstabis, nos fide nostra esse iubemus. Atque etiam, si quam fortè ultionem existimas propter eius necem in te ac domum tuam, uel à Dei iudicio, uel à Cæsaris ira posse uenire, nos te securum facimus, totumque pondus illud, iam nunc in nos transferimus, atque in filios & minores nostros, ut pœnas demus nos & filij nostri pro nece eius, si qua uel à Deo uel à Cæsare exigetur ultio. Hæc sunt, quæ supra ca. 15. prophetauit Christus, Vt ueniat super uos omnis sanguis. Item, Vos implete mensuram patrum uestrorum. Item, Hic est haeres, uenite occidamus eum. Sic impij sic blandiuntur quidem sibi hac opinione, Deus autem longè aliter iudicat. Nam Iudæi hac uoce coniecerunt, tam se quàm liberos suos, in tantam calamitatem & interneccionem, ut uerbis non satis dignè explicari queat. Non enim solum eieci sunt è sua regione & occisi, uerum etiam, quod est longè omnium miserrimum, exharedati sunt, & omnibus priuati bonis. Nolite (inquit Dominus ad crucem abiens) flere super me, sed super uos, & super filios uestros. Quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & uentres, qui non genuerunt: & ubera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, &c. Grandis fuit hæc comminatio, & grauis ultio. Interea tamen elucescit hinc quoque ingens Dei misericordia, id quod Chrysostomus explicans, ait, Clemētissimus tamen Iesus, quanuis ipsi maximè & aduersus se, & aduersus filios suos insanirēt, nõ tamen ex sententia ipsorum ipsos condemnauit, sed tam ex ipsis, quàm ex eorum filiis eos suscepit, qui pœnitentiam egerunt, millèque bonis honorauit: Nam & Paulus ex ipsis erat: & multa eorum millia, qui Ierosolymis in Christum crediderunt. Hactenus ille. Istorum multa millia adepti sunt gratiam Christi, ut uidere est Act. 2. 4. & 21. cap. Hic locus Euāgelistæ demonstrat nihil non audere cæcam temeritatem & insatiabilem cupiditatem, implacabilem item inuidiam: quæ ne liberis quidem parcat: imò si quando efferbuerit, diuina & humana conculcat. Cæterum & si hæc uox, Sanguis eius, &c. horribilis & immanis sit, cuius uotum adhuc hodie Iudæi experiuntur & sentiunt, attamen à nobis usurpanda est: non ut contra Deum ea sententia utamur, qua usi sunt Iudæi, sed ea, quam scriptura docet, de merito sanguinis Christi. Optandum enim, & sine intermissione clamandum est, ut sanguis, hoc est, meritum sanguinis Christi, super nos & filios nostros ueniat. Hoc enim beneficio nihil posset nobis maius contingere. Sanguis enim Christi affert secum remissionem peccatorum, affert emundationem ab omnibus peccatis, affert iustitiam & salutem.

Tunc dimisit illis Barabbam.

CCC ij

Populi Iudæi cæcitas & obstinatio f. domita.

Iudæi sese Pilati omnem culpam præstaturus pollicentur.

Iudæi ad interneccionem delati.

Misericordia Domini Iudæos clementius, quàm ex ipsorum uotis, tractatis.

Inuidia nulli, nedum nõ suis, parcat.

Vox Iudæorum, Sanguis eius super nos, uox nostra sit.

Sanguis Christi nobis unquam de quaue salutaris.



Pilatus cautione hac à Iudæis accepta bene securum se existimans, petitioni eorum satisfecit, Barabbam, homicidam & seditiosum hominem, pro consuetudine diei festi liberum dimisit.

Iesum uerò flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

Mos apud Rom. eadem di flagris damnatos morte.

Vt antea Christus, nullius criminis conuictus, à concilio Pontificum, & Sacerdotum damnatus est morte: & damnatus, sputis, colaphis, & huiusmodi cæsus & illusus est: ita nunc quoque, toties innocens pronuntiatus, dampnatur morte crucis à civili magistratu, qui tradiderat Iesum (antequam diffinitiuam damnaretur sententia) flagellis cadendum pro more Romanorum, qui damnatos ante ultimum supplicium uirgis cædebant. Putabat quidem Pilatus, Christum non esse dignum morte, sed flagellandum tradidit, ut Iudæos à clamore reuocaret, & Christum hī dimitterent liberum, cum uiderent illum cæsum, & correptum, quod se Regem fecisset. Multa ex ordine gesta tacet Matthæus. Sed hic significat Iesum ante diffinitionem fuisse flagellis cæsum.

Tunc milites præsidis suscipiētes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortē: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.

Pro more habebant Romani facinorosos occidere opera militum. Tunc, id est ante pronuntiatam diffinitiuam sententiam (redit enim Euangelista ad res prius gestas) congregata fuit militum cohors, quam habebat ex diuersis nationibus Pilatus Ierofolymis ad compescēdos motus tumultuātis populi Iudaici. Inter hos milites erant audacissimi uel potius temerarij nonnulli, quibus mors ut somnus est, & obolo uenalis anima, uilissima utique omnis impietatis mancipia. Hi pro ingenio suo crudelissimo plus ausi, quam iussi fuerant, nefandam ex innocētissimi ludibrii cœperunt uoluptatem. In primis exuunt Dominum suis uestibus, & ad flagella nudant: Nudatum nimirum uinciunt, uincto flagris totum corpus scēdissimè crudelissimèq; discindunt: strident certatim incussa (horribile dictu) uerbera, defluit in pauimentum innocens sanguis: atque ita tādē prorsus laceratur ac uiolatur. Vulneribus sēnis, uibicibus, tuberibus, oppletur corpus sacratissimum, sic ut impletum sit Isaiæ uaticinium. 53. cap. Et nos putauimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Soluunt dehinc rursus uinacula. Et quoniā audierunt, quod se faceret regem Iudæorum, uelut exprobraturi homini, tam uili & contempto, superbiam affectati regni, induunt eum chlamydem coccineam, pallium uidelicet non militare, sed regale, in contumeliam certè & ludibriū, tanquam à Tyberio Cæsare & S. P. Q. R. munera honoraria & regia fuissent ei transmissa, adēd ut se gerere possit ueluti nouum regem populi Iudaici. Ad hanc rem magis explicandam imponunt capiti coronam, non quidem auream, sed spineā, non gemmis fulgentem, sed aculeis asperam: sceptrum item, non eburneum, sed arundineū, ceu portendens languidum esse Christi imperium, & non diu duraturum. Volebant ante omnia pro animo suo (quem habebant erga Cæsarem) illudere affectatæ regie maiestatis accusato & damnato. Ad hoc itaque congregant uniuersam cohortem, ut quod acturi erant, non esset paucorum tantum, sed totius ordinis militaris institutum. Volebant enim hoc pacto & omnium militum uoluntatem erga Cæsarem declarari, & communi opprobrio damnatum affici.

Militaria ludibria Christi.

Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Aue rex Iudæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

Acerbissimis flagellis, & reliquis ludibriis addunt salutationem honorificam, ac planè regiam, sed cum maxima ironia: nam omnia fiebant per despectum, contumeliam atque ludibrium. Per amarissimum itaque sarcasum ironicè flectūt genua, dicentes, Aue rex Iudæorum, quem socium sibi atque amicum asciscit atque salutat. S. P. Q. R. Mos fuit populo Romano, regibus amicis ac sociis huiusmodi munera mittere, ac ita salutare. Testis est Tacitus, qui Annalium suorum lib. 4. ait, Cognitis dehinc Ptolemæi (Iubæ inquam filij) per id bellum studiis, repetitus ex uetusto more, missusque è senatoribus, qui scipionem eburneum, togam piætā, antiqua patrum munera, daret, regemque & socium atque amicum appellaret. Cæterum his non contenti milites, expuerunt in eum, & arundine, quā sceptri uice dederant, percusserunt spinis coronatum caput eius, nimirum ut aculei fingerentur altius, grauiusque deprimeretur in caput sacrosanctum. Iudæi in atrio pontificis irriserunt in Christo diuinam gloriam, & dignitatem propheticam: Gētiles illudū iam in prætorio Cæsaris maiestati regia. Hęc infanda Christus passus est, & omnis generis ludibriis indignissimè diuexatus est, ut affectati regni culpā in nobis expiaret. Obserua. Si Dominus Iesus Christus per crucem & contumelias nos præcessit ad cœlestia, quomodo tanto studio deliciarum absorpti, somniamus nos in itinere Christi esse, & ad cœlestia regna peruenturos? Deinde obseruemus, quā longo interuallo ab itinere Christi absumus, dum tam cupidè & tanta ulciscendi libidine illatas iniurias persequimur. Quis nostrum patienter tolerat, uel uerbulum aliquod, acerbius in aures nostras dictum, nedum sputa in faciem ei aculata: Obserua. Marcus & Ioannes aiunt, Christum à militibus purpura indutū fuisse. Noster Euangelista ait, Circundederunt ei chlamydem coccineā. Nihil hīc purpurae, etiam coccum, intellexerunt. Iuuenus uidetur sentire Dominum fuisse tam toga indutum purpurea, quā chlamyde rubra uel coccinea. Sic enim ait,

*Traditus est trucibus iustus sceleratisque ministris*

*Militibus, scelerata opprobria corpore perfert,*

*Purpureamque illi tunicam chlamydemque rubentem*

*Inducunt, spinisque caput cinxere cruentis.*

Quemadmodum autem apud Macedonas chlamys regium fuit ornamentum, sic toga purpurea, apud Romanos triumphantium regnantiumque fuit cultus, ut auctor est Lilius in. 10. li. secundi belli Punici. Certè quocunq; genere uestis induerint Dominum, in contumeliam & ludibrium induerunt.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum uestimentis eius.

Sunt qui hoc loco recitare solent, Christum, rursus fuisse à militibus illusum, consputum, ridiculè adoratum, & lapidibus percussum, cum induerent eum uestimentis eius, & antequam educeret eum ad supplicium. Ac uerissimè quidem est, Christum post pronuntiatam condemnationis sententiam contumeliosissimè tractatum esse. Postquam igitur milites omni ludibriorum genere animos suos satiarunt, & oculos oblectarunt, flagrisque præparatum esset sacratissimum Christi corpus ad extremū supplicium, detracta (prò dolor, quā horribilis carnificina, & vulnere refricatio!) chlamyde coccinea, in qua illusus erat, induerunt eum uestimentis propriis. Quod duabus de causis factum uidetur. Priore, ut Iesus in propriis uestibus cuncto populo notior idèoque odiosior & abominabilior redderetur. Hic enim erat cohortis scopus, ut doctus ille Euangelicus à suis cultoribus magis cognosceretur, atque hī deterrerentur magis ab eius doctrina atque confortio, quem iam uiderent, ceu hæreticum atque seditiosum, rapi ad extremum capitū supplicium. Posteriore, Dominus Deus noster, qui omnia administrat, & sine

Mos apud Romanos in honorandis sociis.

Christus, ut Deus, ut propheta, ut rex, illusus.

Si Christus non nisi per crucem adit cœlum, quomodo nos adibimus?

In persequētis impotentis iniurias suas.

Iuuenus.

Christus, nō dum crucifixus, ludibria & iniurias militum bis passus.

Christus in suis uestibus ductus ad crucem, quare.



cuius uoluntate, non cadit capillus de capite, aliò respiciebat. Nam psal. 21. extat uaticinium de uestimentis Christi, Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Quare, ut hoc uaticinium manifestè impleretur: & hac etiam impletione perspicuum fieret, hunc Iesum, esse uerum illum Christum, de quo propheta uaticinati sunt, occulta Dei ordinatione factum est, ut Christus in suis propriis uestibus ad locum supplicij educeretur. Quo exemplo obseruandum est, quòd quemadmodum ea, quæ Christo ignominiosè inferebantur, impletio fuerunt prophetorum uaticiniorum, & diuinæ uoluntatis, ac testimonia maiestatis Christi: ita quæcunque nobis, in Christum credentibus, còtumeliosè ab impiis accidunt, ea accidunt nobis bona Dei uoluntate, ut maiorem apud ipsum gloriam consequamur.

Nihil nobis accidit citra Dei uoluntatem aut naturam.

Et eduxerunt eum, ut crucifigerent.

Paratis omnibus, & iam effusa ad spectaculum tota urbe, milites imponunt Christo crucem magnam ligneam, baiulandam. Et, hac dorso imposta, educitur è prætorio, circumseptus armis, atque laqueo innexus Iesus, uerberibus & uexationibus infandis abundè fatigatus debilitatusque maximè. An non nouum erat crudelitatis genus in Christum. Crudelitatis genus, trucidando iam, & uiribus exhausto alioqui, ac propemodum ad singulos passus per debilitatem concidenti, uastam atque onerosam crucis trabem iniicere, non ad passus aliquot, sed ad locum usque capitalem baiulandam? Educitur publicè, non solum baiulans crucem, cui affigendus erat, & quæ tam abominabilis erat, ut alius, quispiam uel etiam summis digitis attingere eam horreret. Sed etiam educitur duobus comitatus latronibus, quibus ipse longè scelestior putabatur. Ergo uidetur Christus portare suum ipsius opprobrium & ignominiam, ac proficisci ad præsentem sui interuentionem. Sed hoc spectaculum longè aliter nobis considerandum est, quàm extrinsecus apparet. Portat crucem, sed in cruce imposta erant peccata nostra. Hic est principatus eius, super humerum eius. Hac erat debellaturus mortem, Satanam & potestatem inferorum. Huius figuram in se prætulit Isaac Genes. 22. cum esset à patre immolari iussus. Proficiscitur ad locum supplicij, sed hæc est uia ad summam gloriam & maiestatem. Hæc oportuit (inquit ipse) pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Obserua in hoc quoque spectaculo cum seueritatem, tum clementiam Dei. Seueritatis diuinæ est, quòd Deus intantum irascitur peccatis, ut ea ne filio quidem unigenito suo (qui culpam alienorum peccatorum in se susceperat) in expiata remittat, sed uelit, ut & morte condemnatur, & ad mortem educatur, & suam ipsius crucem portet. Clementiæ autem est, quòd maluerit, ut filius suus extrema quæque pateretur, quàm ut nos in peccatis periremus. Quanta fuerit nostrorum peccatorum grauitas, uiderere est, cum nolit pater ea remittere, neque pro illis satisfactionem accipere, nisi filius suus: unigenitus suscipiat ipsa, & portet ea in cruce sua. Quis, obsecro, potest grauitatem eorum explicare? Enim uero peccata quidè nostra tam graua sunt, ut si nobis solis imposta fuerint, non solum deprimant nos in mortem & inferos, uerùm etiam nos in morte & inferis perpetuò detineant. In Christum autem imposta, & si depresserint eum in dolores mortis, tamen quia ipse innocentissimus est, non potuit in his doloribus detineri. Quare qui uoluerit iudicium peccatorum suorum ita ferre, ut non perpetuò pereat, necesse habebit in Christo per fidem uiam consistere, & per Christum seruari.

Peccata nostra necesse fuit à Christo portari.

Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem. Hunc angariauerunt, ut tolleret crucem Iesu.

Dum in itinere Dominus, graui crucis pondere oppressus, atque continua militum diuexatione exhaustus, subinde magis ac magis deficeret, neque uideretur iam crucem ad locum supplicij baiulare posse, adiungunt illi socium, Cyrenensem

quendam Simonem, quem renitentem quidem strenuè, opprimunt tandem, & militari ferocia compellunt baiulare crucem Iesu, quòd Iesus iam esset debilior, quàm ut ligni molem portare posset. Rogabis: Num quia Simoni Cyrenæo imposta est crux Christi, imposta sunt etiam peccata nostra? Minimè omnium. Christus enim suscepit crucem uolens, Simon autè coactus. Christus suscepit crucem, prorsus & ex omni parte innocens: Simon autem suscepit eam, suis ipsius multis peccatis grauatus. Quare etsi Simon portet crucem Christi, non tamen expiat uel sua peccata: quandoquidem non Simon, sed Christus ei cruci, quam Simon à tergo Christi gestabat, pro nobis adfigitur: nec Simon hic erat heros ille & athleta, qui mortem, peccatum, & infernum debellaret, & moriendo uinceret. Sed hic Iesus eam habebat uirtutem, ut pugnam istam depugnare posset. Simon erat clientulus uel cacula, arma bellica post herum portans, ut in loco certaminis illa deponat, & hero pugnaturus cum hoste, tradat. Hac cruce nemo, nisi unus Christus, pugnare potuit. Nos, quorum in se Simon habuit imaginem, nostras quidè cruces post Dominum ferre debemus, ut uirtute crucis Christi uincamus, & Christi uestigiis ingredientes, ad cælestia tendamus, ad quæ dux noster prior nos præcessit, & morte sua portas cæli aperuit. Rogabis: an sic angariauerint, id est, coegerint siue compulerint hunc Simonem, ut solus crucem portandam acceperit, & exonerauerit Christum? Diuus Hieronymus in hunc locum ita scribit, Nec quis putet huic loco Ioannis Euangelistæ historiam contrariam esse. Ille enim dixit, exeuntem Dominum de prætorio portasse crucem suam: Matthæus autem refert, quòd inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, quem angariantes, imposuerunt ei crucem Iesu. Sed hoc intelligendum est, quòd egrediens de prætorio Iesus, ipse portaret crucem suam, postea obuium habuerit Simonem, cui portandam crucem militis imposuerint. Verisimile est tamen crucem non fuisse depositam ex humeris Iesu ad locum usque supplicij: Simonem additum esse, qui commune pondus sustineret. Nam Lucas ait, imposuerunt illi, id est Simoni, crucem portare post Iesum. Vbi Lucas scribens, utitur hoc aduerbio loci ὀπίσθεν, quod significat, ponè, post, retro. Simon enim ponè, id est, à tergo proximè insequens, & còmune onus crucis sustinens, præcederet iuuuic Dominum. Quis fuerit hic Simon, solum habetur, quòd sciam, ex Euangelista. Marcus paulò significantius cæteris explicat, quum ait, Angariauerunt Simonem Cyrenæum, uenientem de uilla, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius. Videtur fuisse Iudæus uir bonus & simplex, rei fortassis rusticæ intentus, & illustribus filiis clarus. Hieronymus in Marcum putat hos duos Christi fuisse discipulos. Migrat fortè pater è Cyrene Ierosolymam. Nam in Libyam usque & Cyrenen dispersos fuisse Iudæos testantur Acta Apostolorum. Significatum est autem illo facinore militari, nunquàm in mundo defuturos nebulones, qui pauperes, simplices atque probos homines deprædentur, atque ad crucem uel nolentes compellant. Non caret etiam significatione, quòd sit, qui post Christum crucem portet. Erat enim certè futurum, ut qui Christum sequenturi erant, crucem suam & ipsi tollerent, & post Christum portarēt. Crux Christi erat multis paritura cruces: & hic princeps crucigerulus habiturus erat multos sequaces crucigerulos. De his ipse Matt. 16. ait, Qui uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Rogabis. Quid adūbrat hoc, quòd Simon, non sua sponte, sed coactus, post Christum crucem portat? Certè imaginem carnis nostræ portat, quæ nunquam sponte cruci Christi se subdit, sed perpetuò reluctatur. Qui Christi sunt, ad Galatas quinto capite, carnem suam crucifixerunt cum uitiis & concupiscentiis. Quod tamen non sit carne non repugnante. Spiritus enim aduersus carnem concupiscit, & caro aduersus spiritum. Spiritus quidem proinptus est, & ad cælestia properat, ac ueluti præcedit, cuius imaginem Christus hic habet, Simonem præcedens. At caro illa nostra corrupta amat mollius uiuere, amat uanam gloriam, delicias, & quietem: nun-

Simon Cyr. tulit quidem crucem Christi, at nò peccata nostra.

Simon Cyr. armiger christi.

Nobis post Christum cruces nostræ ferendæ.

Conciliatio Euangelistarum.

Simon Cyrenæus, quis.

Nunquàm defuturi, qui simplices exagitant. Crucem qui post Christum ferant erunt semper

Simon, grauatè portans crucem, caro nostra est.

Christus, crucem ferens, spiritus est.



quam non horret crucem. Rogabis: An imponunt crucem Simoni, quod misereantur Christi, & cupiant eum recreare? Hoc quidem agunt, ut recreetur, non autem ad uoluptatem ipsius, sed ut sufferendis maioribus suppliciis referuetur. En hanc rationem habent beneficia, quæ mundus in nos confert. Si enim liberamur in hoc seculo ab aliqua afflictione, non istuc fit hac ratione, ut habeamus in hoc seculo perpetuam liberationem, sed ut hac liberatione referuemur ad perferenda maiora, & grauiora mala. Itaque liberatio è priori cruce non est nisi parascue ad posteriorem, eamque grauiorem identidem ferendam, donec ex hoc seculo migrauerimus. Quare cum contigerit nobis liberatio, non est post eam securè stertendum, sed animus ex illa priori liberatione confirmadus est, ut agnoscamus clementiam Dei: qui ut in prioribus malis nos patienter seruauit, ita etiam in posterioribus seruabit nos admirabiliter. Obserua. Angariare (ut Suidas ait) uox est Persica, quod apud illos regij nuntij ἀγγαροι dicerentur. Vnde & qui literas inuicem tradunt perferendas, angari dicuntur. Hic accipitur, angariare, pro compellere siue adigere.

Et uenerunt in locū, qui dicitur Golgotha, hoc est Caluarie locus.

Isa. 53. Euangelistæ studiosè, quæ ad contemptum Christi pertinebat, deseruere. Nihil ab Euangelistis prætermittitur, quod quidem faciat ad contemptum & despectum Christi. Oportebat impleri, quæ cecinit Isaias: Despectus fuit, & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus. Ad eodè consputus & contemptus abiens ad crucem, ut auerterentur omnium uultus ab eo. Vide & confydera, quanta ignominia afficiatur Dominus, cum iam multa anxietate & maximo labore fessus, ascenderet ad infamem illum locum, in quo supplicium sumebatur de nocentibus. In primis Christus non simpliciter damnatur ad crucem, prius, quam collatus est cum Barabba, seditioso uiro & homicida, qui & damnato Christo tãquam sceleratiore, liberatur. Deinde non solus ducitur ad locum supplicij, sed cum duobus latronibus, ut hoc spectaculo significent, Christum pro principe latronum habendum. Præterea ducitur morte efficiendus, non ad forum, aut alium honestum locum, sed ad Caluariam omnibus abominabilem, ut & ipso loco supplicij significent, se ducere eum indigniorem, quàm quem honestus terræ locus ferat. Sub hæc datur illi, loco uini, acetum cū felle potū. Postremò inter duos latrones cruci subigitur. Quid hoc est, si non est, despectum esse & nouissimū omnium uirorum? Putasne uerò Christum habuisse saxeam cor, ut ex tanto contemptu & despectu nullum dolorem animi senserit? Speraui, fateor, sibi hac omnia cessura esse in summam gloriam & honorem, sed interim factus est per omnia similis fratribus (excepit semper peccato in ipso) & tentatus est his doloribus, non aliter quàm miserissimi quique, & abiectissimi homines affici solent. Nam quanto tum dolore affectus sit, non dissimulat ipse. In psal. enim .68. qui est de passione Christi, per Dauidè sic ait, Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aque usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans, rauca factæ sunt fauces meæ. Et paulò post, Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Improperium expectauit cor meum, & miseriam. Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me acetum. Venit igitur in locum, qui dicitur Golgotha. Golgotha Syris idem significat, quod Græcis, quemadmodum scribit Ioannes in Euangelio, κρανίου τόπος, Latine Cranij siue Caluarie locus, quem Vlpianus iureconsultus appellat capitale locum. Nam Caluaria cranium significat, nimirum nomen habens à rotunditate siue figura spherica. Locus fuit in Aelio monte ad Septentrionalem partem montis Sion, in quo decutiebantur capita damnatorum, in quo item crania damnato-

Militum, partem onus Iesu in Simonem, beneficium quale. In mundo se per alia ex aliis cruce, & leuiorem excipit grauior.

Angariare, quid.

Isa. 53.

Euangelistæ studiosè, quæ ad contemptum Christi pertinebat, deseruere.

Christus undique despectus, & aspersus opprobriis.

Mors christi ex loci uilitate & abominacione, redidit abominabilis.

Christus summis doloribus tectatus in passione.

Psal. 68. de passione christi.

Golgotha, quid.

rum hominum albicabant. Diuus Hieronymus in hunc locum scribens, Extra urbem (inquit) & portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluarie, id est, decollatorum sumptere nomen. Non caret autem mysterio, quod in loco infami, & extra portam passus est Dominus noster: haud dubiè ut figura, quæ habemus Numer. 19. de uacca rufa, pro peccatis populi extra portam immolata, adimpleretur, ostendereturque Christum esse hostiam illam, cuius sanguine sanctificandus esset populus Dei. Ea immolatio habebatur ita impura, ut ministri illius aliquandiu immundi haberentur, atque ideo non in templo, sed extra portam absoluebatur. De hac re scribit Paulus ad Hebr. ultimo. Quorum (inquit) animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Colligamus ex his, in primis, adimpletam esse uaccæ figuram, qua delinquitur Christi sanguine sanctificandū esse populum. Deinde mortem Christi cum tantis opprobriis coniunctam fuisse, ut extra portam, tanquam abiectum & consortio hominum indignum occiderint. Quare nos, nostram crucem à tergo Christi ferentes, tanquam eieci ex hoc mundo, seu facti peripsema mundi, ad abiectum Christum, & extra portam ignominiosè passum, fiduciam in ipsum habentes, egrediamur, & probri illius participes efficiamur. Huc pertinet Aeriologia à Paulo appensa, quæ nos mouere debet. Non enim (inquit) habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Hoc probè intelligens Paulus, mundi portam egressus est, dicens, Galat. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et. 1. Corint. 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque ad huc. His addit Hieronymus, Propterea ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat arca damnatorum, ibi erigerentur uexilla martyrij.

Et dederunt ei uinum bibere, cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere.

Ne qua pars esset corporis à cruciatu libera, & ne quid omitteretur ludibrij, & hic in cruce, paulò ante expirationem, propinarunt Domino uinum, felle & aceto temperatum. Nimirum ut impleretur, quod scriptum est in psal. 68. Et in siti mea potauerunt me aceto. Vide obstinatissimam pertinaciam cum pari malitia coniunctam. Aliis malefactoribus, cum ad supplicia ducuntur, solet dari optimus potus: ac uerisimile est, Iudæos hoc aliàs non diligenter tantum, uerumetiam superstitionosè obseruasse in malefactoribus ad mortem damnatis, iuxta admonitionem, quæ extat Prouerb. 31. Date siceram mœrentibus, & uinum iis, qui amaro sunt animo. Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ. Propinantes Christo acetum, iudicarent ipsum tam abominabilem, ut planè indignus esset, in quem ea humanitatis officia conferrentur, quæ in alios quantumuis sceleratos malefactores conferri solent. Et cum gustasset Iesus noluit bibere, ut homo uerus, qui abhorrebat à potu uitiatò & amarissimo, hac re significans, quod gustauerit quidem pro nobis mortis amaritudinem: sed tertia die resurrexit. Vel ideo noluit bibere, ait Hilarius, quod æternæ gloria incorruptioni peccatorum non esset amaritudo miscenda. Porro hac propinatione declaratum est, quid Domino suo germinarit uinea Israël, à qua expectabatur, ut faceret uuas, & reddita sunt labruscæ. Isa. 5. cap. & Ier. 2. Videamus nos hodie, quem potum Christo demus salutem nostram sitiētī. Si impij & alieni à domo dent potum sic amarum filio familiars, impium est: sed si domestici propinent filio uinum felle mixtum, duplo est grauius: non secus quàm peccata filiorum in parentes, uxorū in maritos, cognatorum in cognatos, multò iniquius feruntur, quàm extraneorum & alienorum. Obserua. Marcus scribit, Et

Christus extra portam quare passus

Mors Christi nullis nobis ignominii nobilis.

Egrediendū nobis ad Christum.

Damnatis ad supplicia potus datur, quæ querunt.

Christus uinum uitiatū quare noluit bibere.

Israël, uinea Domino inuitis.



Vinum myrrhatum. dabant ei bibere myrrhatum uinum, & non accepit. Dicitur autem myrrhatum siue myrrhinum uinum myrrha conditum. Laudatissima priscis fuisse huius fa-  
 Myrrha. poris uina, sicuti uidere est apud Plautum & Fabium, qui & myrrhinum appel-  
 Conciliatio Euangelista- rum. lant. Nascitur myrrha in Arabia, arbuscula, quæ sponte sua desudat staten odoris suauissimi. Quid ergo dicendum est ad hunc locum Matthæi, Dederunt ei uinum bibere felle mixtum? Puto, quod unus Euangelista tacet, hoc ab altero exprimi. Oblatum est myrrhatum, sed cui additum esset acetum cum felle. Aut fortassis præter illud acetosum & amarum, quidam pro suo palato habentes in utribus aut lagenis myrrhatum, Christo, ceu illudentes, obtulerunt myrrhatum. Quasi dicat, En ultima tua potio Rex Iudæorum. Solebant enim iis, quos ad extremum supplicium trahebant carnifices, potiones propinari nobilissimæ. Magis mihi placet, ut dicamus Matthæum explicare uoluisse, cuius generis fuerit illa potio, quam amarissimam uidentur propinasse, tanquam rabioso atque mordaci seu bilioso prædicatori.

Postquam autem crucifixerunt eum.

Crucis tormentum infrendi mos, apud Iudæos atque Romanos diuersus.

Post propinatum uitiatum uinum, quod Christus bibere noluit, mox exutum suis uestibus, nudum, brachiis per patibulum expansis, toto corpore lacerum, sanguinolentum, & præ dolorum acerbitate tremulum, clauis ferreis per manus atque pedes transfodatis, arctissimè crudelissimèque ad trabem crucis affigunt. Deinde lanceis, hastis, palis, & aliis instrumentis in altum erigunt, ac confirmata roboribus crucis, basi, ueluti in aërem suspendunt, quemadmodum nostra ætate solent rotæ, quibus latronum implicantur contrafacta membra, in altum erigi. Quod ad morem ethnicum, non autem Iudaicum fiebat. Iudæi enim lapidatos in prominentem stipitis medium temonem, colligatis manibus suspendebant, ad uesperam depositum cadauer sepeliebant. At Romani pro suo more, uiuos affigebant clauis cruci, expansis siue explicatis per plenum, siue totum, temonem brachiis: erectisque atrocissimo genere mortis in sublimi sua sponte interire sinebant. Huc pertinere uidetur, quod in Euangelio Ioannis Pilato dicenti, Accipite eum uos & secundum legem uestram iudicate eum, Iudæi respondent, & dicunt, Nobis nō licet interficere quenquā, quibus Iōanes subiungit, Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus. Dixerat autem Iesus, se fore exaltandum & crucifigendum. Quod prædictum erat psal. 21. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi uerò consyderauerunt & inspexerunt me. En tibi iam completam figuram Serpentis ænei, conto olim appensū in deserto, quem à serpentibus morfi aspicientes, mox sanitati restituebantur. Iam dirigamus oculos nostros non in illum æneum serpentem qui non sanabat, sed fide in eum, quem figurabat: & aspiciamus uiua fiducia in Christum, cruci affixum & exaltatum, qui non solum per serpentem illum æneum adūbratus est, uerum etiā contriuit caput illius serpentis, à quo Adam & nos omnes in Adamo letaliter percussus sumus. Aspiciamus inquam eum, qui solus est uera nostra salus, & summa felicitas. Ioan. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Ad quid? Num, ut extrinsecus conspectus, afferat tantum externam quandā & euandam sanitatem? Certè salutē omnibus, qui opem eius ex fide uiua inuocarunt, attulit. Sed maximè omnium exaltatus est, ut omnis, omnis, inquam, qui credit in eum, (sic enim aspiciendus est in cruce Christus) non pereat, sed habeat uitam æternam. Multa sacrificia iam inde ab initio orbis terrarum à patriarchis peracta sunt. In lege quoque instituti erant Sacerdotes, qui & quotidie & singulis festis diebus sua offerrent sacrificia. Et hæc multiplicata sunt super numerum: Sed non potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Nunc au-

tem, en aduenit, & cruci affixus est uerus ille Sacerdos, cuius omnes alij Sacerdotes, umbra tantum fuerunt: & peragit uerum & uiuum illud sacrificium, in quod omnia alia sacrificia respexerunt. Et hic Sacerdos pro altari habet crucem, cui affixus est, pro hostia offert suum ipsius corpus, pro sanguine hircorum & uitulorum effundit suum ipsius sanguinem. Quid ergo fit? Sanguis quondam taurorum & hircorum, & cinis iunicis aspersus sanctificabat inquinatos ad carnis purificationem. Quid uerò sanctificat sanguis Christi? Videtur quidem hic sanguis in terram defluere, & pedibus conculcari. At hic nobis diligenter consyderandum est, quid unà cum Christo affixum sit, ut & cognoscamus, quid per sanguinem Christi purgatum & sanctificatum sit. De hac re Paulus ad Colossens. 2. cap. scribens, ita ait, Vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo. Donans uobis omnia delicta: delens, quod aduersus nos erat, chirographū decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Quod autem est illud Chirographum? Certè nostra est conscientia, qua per legem excitata, & expergesceta, testamur intra nos ipsos, quod simus peccatores, in peccatis concepti & nati, ab Adamo primo parente peccatore orti, ad malum procliuēs, & perpetua damnatione dignissimi. Hoc est Chirographū conscientie nostræ, quo plusquam mille testibus conuincimur nos esse captiuos Sata-næ, & reos æternæ mortis. Hoc Chirographum non est scriptum atramento, ab hominibus factum, aut sanguine humano, sed lege diuina: nec est chartaceū, sed ferreum, & plusquam adamantinum, quod neque hircorū neque puri hominis sanguis delere potuit. Qui enim fieri possit, ut impuritas impuritatem deleat? re uera potius impuritatem adderet. Sanguis uerò Iesu Christi tantæ fuit uirtutis, ut potuerit hoc Chirographum delere. Hic enim purus, sanctus & ab omni uitio alienus fuit. Quare Christus iuxta suū promissum, Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, cum in crucem sublatus est, sustulit secum & affixit cruci Chirographum conscientie nostræ: quod & superductu innocentissimi sanguinis sui ita deleuit & purgauit, ut ne litura quidem extet. Quid, quæso, potuit nobis utilius ac magis saluterferū contingere hoc beneficio? Si cor nostrū nos condēnat, maior est Deus corde nostro. Huius filius deleuit sanguine suo Chirographum conscientie nostræ: ut si cōsēij nobis simus maximorū peccatorū, & sentiamus nos reos peractos perpetuæ condēnationis, tamen sanguine Christi, per fidem in ipsum, ita purgati sumus ut iudicemur iustitia eius præditi, & in ipso ac per ipsum iusti. Lex ait, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, pēdet & nunc Christus in ligno. Quid autem factū est? Redemit (inquit Paulus ad Gal. 3.) nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Et. 2. Corint. 5. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Proinde Christus non est tantum conspiciendus iuxta externi corporis sui speciem, sed & iuxta ueritatem spiritalis sui corporis, quod exaltatus ad se traxit. In hoc spiritali corpore, Christus ipse caput est, Ecclesia corpus, & unusquisque in ipsum credens, membrum. A scēdit autem Christus in crucem toto corpore suo, & unà cum ipso crucifixus est tota Ecclesia, non quidem in oculis mundi, sed Dei. Et hæc totius Ecclesie crucifixio eam habet coram Deo rationem, ut qui non unà cum Christo in cruce pepēderint, hi etiam non sient participes gloriosæ resurrectionis eius in perpetuam felicitatē. Nō percipimus quidem hoc tempore hanc crucifixionem externo sensu, sed fide & uiua fiducia in Christū. Et non prius sentimus eam, quàm participes salutis eius efficiamur. Id autem fiet quoniam doctore Paulo, Roma. 6. conscripti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia

Christus, summus, uerus & perpetuus Sacerdos.

Cum christo quid affixum cruci.

Chirographum conscientie nostræ, quid.

Conscientia nostra chirographum est ut loquacissimum, ita cui dentissimū.

Solus sanguis Christi deleuit notat peccatorum nostrorum.

1. Ioan. 2.

Deuter. 21.

Christus pro nobis factus maledictum & peccatum Christus cū corpore ac membris omnibus suis crucifixus.



uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato. Hac haud dubie fiunt cum agnoscimus nos peccatores, & in peccato esse, propter quod nos deberemus ad istum modum in cruce p̄dere. Dein de cum credimus, quod Christus suscepit hanc crucis maledictionem propter peccata nostra, ut nos consequeremur in ipso benedictionem, iustitiam & salutem. Postremò cum fiducia in ipsum & ex charitate, hoc beneficij ab ipso petimus, & nos totos ipsi consecramus, patienter tolerantes propter Christum, & in Christo omnia aduersa, quæ à Deo nobis immittuntur. Vnde & nostræ passiones tales, dicuntur passiones Christi. 2. Corint. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Iterum ad Colo. 1. Qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea, quæ defunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Cui igitur Christus una oblatione consummaverit sanctificatos, quos erexit secum in crucem, & attraxit: unde ut cruce expiavit peccata nostra, ita & sanctificauit nostras cruces & afflictiones, in organa salutis nostræ: Agite dilectissimi, absit ut gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuit Deus laudandus in secula.

In cruce Christi unica gloria Christiani.

Diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes, ut impleretur, quod dictum est per prophetam, dicentem, Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem.

Hunc locum copiosè in Ioannem expendimus. Præter illic adnotata, obserua, Quod milites in Christo partitione uestimentorum eius inchoarunt, hoc impij semper in Ecclesia Christi suo modo facere solent. Milites crucifigunt Christum, & interim partiuntur uestimenta eius, ac mittunt sortem super tunicam eius. Hoc idem hæretici & Tyranni facere solent. Tunica Christi sacra scriptura est. Quid igitur faciunt hæretici? Id nimirum, quod milites fecerunt. Crucifigunt Christum, resistunt Christo, euertunt ueram doctrinam Christi, persequuntur Euangelium. Sed interim fortiuntur de sacra scriptura. Vnusquisque trahit scripturam in suam sententiam, & interpretando facit eam suæ libidini aptam. Arrius defendit è scriptura suam impietatem, Nestorius suam, Eutyches item suam. Trahit & hæreticorum fæx hodierna ad se, ut tueatur ac asserat unum tantum & alterum esse in Ecclesia Sacramentum. Cum tamen uerè & catholicè confitendum sit, esse septem: de quibus alibi scripsimus. Possunt etiam facultates, quæ Ecclesiæ à pijs, ad conseruanda ministeria ecclesiastica, & ad alendos pauperes, collatæ sunt, tunica Christi uocari. Sed quid factum est à Neochristianis & huius temporis hæreticis? Illi euertunt templa, & ades sacras, sustulerunt sacrificiorum ritus: interim partientes inter se, & ad proprios suos usus conuertentes bona Ecclesiæ.

Hæretici idem de tunica Christi, quod omnes milites, faciunt.

Tunica Christi Ecclesia.

Et sedentes, seruabant eum.

Asidebant cruci non solum crucifixores, sed etiam tota cohors seruabat Dominum armata ui, prohibentes uidelicet Romano more, ne fortè uel discipuli ad huc uiuum de cruce deponerent, uel ipse per miraculum descenderet. Hoc nomine, scilicet, ne quis eum tolleret, additus ipsis erat à præside Centurio: fiebat enim tunc quoque, quod hodie fit à plerisque, qui apparitoribus & satellitibus mandant, ne à scelerato discedant, donec latæ sententiæ factum sit satis, hoc est damnatus expirarit. Ideo legitur apud S. Marcum, Pilatum accersito ad se Centurione interrogasse, an mortuus esset Dominus, quem cum mortuum esse audisset, concessisset eius corpus Iosepho ad sepulturam. Quod custodes crucifixum custodiunt, donec expirarit, causæ, quæ agebatur, seruit. Nam hac in re seruiunt, ut testes sint mortis Christi. Sicut & hi nobis ad testimonium fidei seruiunt, qui illum sepelierunt, & qui sepulchrum custodierunt. Obserua. Qui partiti erant uestimenta,

seruabant

seruabant Iesum in cruce pendentem: Ita (quod præcedente scholio dicebamus) direptores bonorum Ecclesiæ uolunt uideri defensores Ecclesiæ, hoc solo nomine, quod adsistant Ecclesiæ, & nomine tenus sint defensores, cum uerè sint decoctores bonorum Ecclesiæ & patrimonij crucifixi. At conuiet quidem Christus, & disimulat aliquandiu tantam impietatem, ut bonitate sua inuitet eos, qui peccant, ad pœnitentiam. Sed nisi resipuerint, & per pœnitentiam ad gremium Ecclesiæ redierint, tantò grauius affligentur, quantò tardius supplicium reuelabitur. Loquetur (ait psalmus. 2.) ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

De pastore Ecclesiæ, quos pastores uidei uolunt.

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam,  
Hic est Iesus, Rex Iudæorum.

Ex more Romano affixus est titulus. Solebant Romani cuique facinoroso suum titulum affigere, qui & personam & crimè indicaret. Quod autè Matthæus *αἰτίαν*, id est, causam dixit, Ioannes titulū nominauit. Lucas autè *ἰσχυροῦς*, inscriptionem. Marcus omnium dixit apertissimè, Et erat titulus causæ eius inscriptus, Rex Iudæorum. Proinde intellexit Matthæus per causam, accusationem, maleficium, culpam siue crimen. Ob hoc enim damnatus fuerat, quod uideretur affe-  
ctasse regnum. Vnde Iuuenius doctè cecinit,

*Et scriptum causæ titulum, meritisque locarunt,  
Quod Rex Iudææ Gentis plebisque fuisset.*

Non poterat certè alius à Pilato poni, quàm iste: non qui causam exprimeret, cur esset crucifixus, sed qui doceret, quis iste crucifixus esset, nempe Rex Iudæorum: & simul exprimeret malitiam populi Iudaici, qui hæredem uinea, Dominum suum Regem occidisset. Hoc scilicet intelligebant Pontifices Iudæorum: atque ideo petebant à Pilato, ut titulum mutaret, nec scriberet Rex Iudæorum, sed quod dixisset se esse Regem Iudæorum. Pilatus uerò diuino quodam instinctu respondit, Quod scripsi, scripsi. Quasi dicat, Nō muto titulum: uoluistis, ut Regem uestrum crucifigerem, crucifixi. Vestra ipsorum erit posthac ignominia, qui hoc à me extorseritis. Proinde titulum non muto. Hoc petebant Pontifices, ut ignominiam crucis non sibi, sed Christo impingerent, & probrum hoc diluerent, quod Regem suum crucifixerant: Christoque hanc regni gloriam adimerent, ne haberetur pro uerò Messia, sed pro impostore, qui se falsò dixisset esse Iudæorum Messiam. At hoc ut falsum erat & probrosum cœlesti Regi, ita ad consilium Dei, non pertinebat. Vel hic uidemus Pilatum reuera diuino instinctu, licet per contemptum Iudæorum, quod ipsi petebant, facere noluisse. Obserua hoc loco tam innocenti-  
tiam, quàm etiam maiestatem Christi. Ut enim antea in ferenda condemnationis sententia nullum inueniunt crimen in Christo, ita nunc in reuelanda & vulganda sententia, non habent quicquam, quod ei obiiciant. Nam quod repetunt, dixisse eum, se esse Regem Iudæorum, iam antea satis erat & explicatū & defensum. Itaque hoc magis erat innocentia testimonium, quàm criminatio. Sed, amabo te, uide mihi, quàm pulchrè humana deludantur consilia, imò & per seipsa subuertantur. Agnosce item & maiestatem Christi, qui pendens in cruce, tametsi non tantum abominabilis est coram hominibus, sed etiam derelictus, ut uidebatur, à Deo, attamen etiam manibus affixus cruci, tanta est potestate, ut manum & calamum Pilati regat, adeò ut eo ipso summam maiestatis ipsius gloriam publicè concionetur, quo uoluit crimen ipsius vulgare. Cum enim Pilatus titulum hunc, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, cruci, cœu crimem atque accusationem Christi, affigendum daret, idem excusabat non accusabat Dominum: non crimen indicabat, sed encomium canebat pendentis Christi. Pijs enim declarabat, hic titulus, quis ille sit, qui inter latrones medijs pendebat. Rex uidelicet Regum, non talis, qualem uideri uolebat Pilatus, aut qualem metuere potuisset Tyberius: sed Rex populi

Titulum crucis Christi non oportuit immutari.

Maiestas & innocentia Christi.

Humana cōsilia sese ipsa ludificant.

Christi, etiā affixi cruci potestas ingens.

Titulus crucis quid designabat.



Dei, uerus Messias, Dominus rerum omnium, Rex & Sacerdos sanctorum, qui hostia corporis sui semel oblata, ac morte sua innocenti, peccati, mortis, Satanæq; tyrannidem atque uires, piis suis cultoribus oppressit, confregit, attriuit & penitus, ne cui noceant, abolendo abstulit. Ideo enim rex dicitur, quia uindex est atque assertor, redemptor ac liberator. Iudæorum autem Rex, non circuncisorum modò, sed omnium pariter confitentium nomen Christi. Nam Iudæus interpretatur laudans siue confitens. Iudæus erit igitur omnis confitens. Nam licet hic titulus habeat, hunc Iesum esse Regem Iudæorum, non tamen id ita intelligendum est, quòd regnum eius Iudæos tantùm complectatur, & non etiam Gentes. Propterea scriptus est titulus, etiam Græcis & Latinis literis, quæ certè Gentium sunt literæ, ad ostendendù, hunc regem, non Iudæis tantùm, sed & Gentibus imperaturum. Psal. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: & ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Isa. 49. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Ideo & Apostoli missi sunt in uniuersum orbem. Et nouum testamentum Græcè propè totum scriptum est, quod certè non propter Iudæos, sed Gentium gratia factù est. Nam Græca tum legebantur apud omnes ferè Gentes, teste Cicero in Oratione pro Archia. Sicut igitur Alexander Macedo rex Macedonù dictus est, etiam cum ferè toti orbi imperaret, eò quòd regni eius prima sedes & initium in Macedonia esset: Sic Christus rex Iudæorum dictus est, licet totius orbis potestatem, etià cælorum, habeat: propterea quòd Iudæis specialiter promissus fuerat. Ex eis etiam natus, & in Sion regni sui primordia habebat. Sic Isa. 2. cap. scribit, De Sion exhibit lex, & uerbum Domini de Ierusalem. Præfigitur & nomen personæ, Iesus Nazareus, ne ullus hic committatur error, aut alium nobis Christum siue Messiam con fingamus, aliù uero pro hoc recipiamus. Nā Christus ille Iesus, in Nazareth conceptus de Spiritu sancto, natus in Bethlehem ex intemerata uirgine Maria, uerus Deus & homo, Dei & Mariæ filius, sub Pontio Pilato cruci affixus, hic inquam & non alius, hic inquam totus & solus uerus Deus & homo, est Rex noster, Dominus noster & saluator noster, uita, gloria, salus, atque iustitia nostra. Ita intelligis tum demum clarissimè regnum & gloriam Christi emergere, cum homo maximè putat oppressum atque extinctum. Intelligis crucem, non tam crucè, hoc est, supplicium esse damnati ac morientis, quàm trophæum regnantis atque uincens Christi. Nam & Paulus ad Coloss. 2. Et uos, inquit, cum mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo, donàs uobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expoliens principatus & potestates, &c. Proinde uehementer hoc pertinet ad maiestatem Christi, quòd tametsi & Pilatus & Pontifices essent illi aduersarij, & extinctum nomen ipsius uellent, tamen inter omnes aduersarios promouetur gloria nominis Christi. Et audiunt Iudæi, Quod scripsi, scripsi. Hoc certè illud est, quod in psalmo. 109. de Christo dicitur, Dominare in medio inimicorum tuorum. Regnum enim Christi in hac terra sic constitutum est, ut etsi multos & magnos habeat aduersarios, dominetur tamen in medio eorum: & efficiat, ut inuitis etiam inferorum portis maiestas gloriæ ipsius conseruetur.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.

Ne quid superesset ignominie, opera & suggestione Pontificū & Seniorum fit ut nō simpliciter crucifigatur Christus, sed unā cū Christo insignes latrones duos crucifigant, & medium constituent Iesum inter illos, ut hoc spectaculo omnibus

habeatur uanus & impostor, humanæ societatis & publicæ tranquillitatis hostis, tanquam talium improborum caput, & latronum antesignanus ac princeps, & ut hoc pacto nomini illius perpetuam ignominiam inurerent. Interea satisfiebat uaticinio prophetico, Isa. 53. Et cum iniquis reputatus est: licet nihil tale cogitarent. Certè non puduit Christum mori inter peccatores, qui semetipsum offerebat pro peccatoribus. Medius inter eos pendeat, tanquam utrumque brachiis suis complexurus. Vnum seruauit: & nisi alterius impietas & incredulitas obstitisset, & ipsum saluasset. Plus itaque consolationis habet, & causæ, quæ agebatur, conformius est, ut is, qui non propter iustos, sed peccatores uenerat, & crucem subierat, non medius inter iustos penderet, sed inter peccatores: ut ipsa crucifixionis forma nos gratia huius admoneret: nempe ad hanc crucem redemptionis, tanquam ad thronum gratiæ, accessum esse miseris peccatoribus. Obserua: fuit olim supplicium crucis in primis infame, probrosum, atrox, & crudele. Idque propterea quòd suspensum esset, quod apud omnes gentes semper fuit immane ac pudendù. Paulus Galat. 3. ex lege Deuter. 21. Maledictus (ait) omnis, qui pendet in ligno. Idèq; Moses principes fornicariorum suspendit. Num. 25. Sed & Iosue quinque reges Amorrhæorum sustulit in crucem. Iosue. 7. Apud Aegyptios maxima scelera expiabantur suspensio, quemadmodum uidere licet Genes. 39. cap. Ita apud Medos atque Persas pro maximo & probrosissimo supplicio habebatur suspensio. Testatur hoc historia Esther cap. 5. & Esdra. 7. Plura de cruce congescit ex uariis scriptoribus Ludouicus Cælius in lectionibus antiq. lib. 10. cap. 5. & 8.

Prætereuntes autem blasphemabant eum.

Ad omnium iniuriarum cumulum iam hoc quoque accedit, quòd acerbissimè crucifixo insultant, blasphemantes eum, id est, blasphematorem pronuntiantes. Satan nunc solutus, ut liberrimè ita contumeliosissimè grassatur in Christum, & excitat aduersus ipsum omnia hominum genera. Illuserat prius Christo priuatim in atrio Pontificis Iudæi: illuserant ei priuatim gentes in prætorio præsidis: Nunc autem uiribus coniunctis morienti, & atrocissima tormenta patienti, absque ulla commiseratione insultat omnes ordines. Debaechatur in Christum vulgus, deinde Magistratus, postea Principes Sacerdotum, Scribæ & Senatores: adhuc milites quoque: imò irridet & insignis latro: adeò nemo condoleat Christo. Vident eum crucifixum, ideo putant eum etiam à Deo maledictum esse: quia scriptum est, Maledictus à Deo, omnis qui pendet in ligno. Quare quem existimant à Deo abiectum, eum sentiunt licere sibi non solum extremo supplicio afficere uerum etiam omni conuictorum & ludibriorum genere scædare. Porrò non vulgariter dolet homini, si in summo discrimine non modò nemo cõdoleat, sed omnes potius illi insultent. Oportuit certè passionem Christi omnia superare omnium hominum tormenta, ut omnia omnium antiquaret peccata. Patitur hic in cruce tormenta in corpore acerbissima, & animo quoque exagitur, pungitur, & affligitur conuictis asperimis atque indignissimis. Et in hoc completa est propheta psal. 21. Omnes uidentes me, deriserunt me.

Mouentes capita sua.

Nunc ad species & modos illusionum & calumniarum descendit Euangelista. Prætereuntes iuxta crucem plerique de populo Iudæorum, capita sua, more irridendum & subfannantium, super eum mouent, inclinant se, adorant, genu flectunt, & toto corporis habitu nihil omittunt, quod ad consummationem perfectissimæ contumeliæ pertinet. Nemo certè, etiam si centum linguis loqueretur, dignis ac satis appositis uerbis explicare posset blasphemiarum exquisitissimarum malitiam & immanitatem amarissimæ coniunctam ironiæ. Haud dubiè hæc erat hora Satanæ & potestas tenebrarum.

DDD ij

Christus in medio deterrimorū crucifixus, & quare.

Crux Christi, thronus misericordie.

Suspensum, pena pudenda & ignobilissima.

Homines omne genus illudunt Christo.

Christus animo & corpore torquetur.



Et dicentes, vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas.

Simile.

Miseris condolendum.

Miseris in primis succurrit Deus.

Quid, quaeso, his illusionibus & hac amarulentia potest commemorari uirulentius? Obsecro, fingamus quempiam nefarium, cruce dignum, pependisse in ligno: quid? Num licuisset ipsis tanta conuiciorum mole miserum afflictere? Certè natura ipsa docet, cum miseris, quantumuis meritis, dolendum esse. Quare qui miseris & afflictis insultant, hi naturam humanam exuunt & in hominis figura, feritatem atque immanitatem bellæ gestant. Ac Deus hanc immanitatem in tantum odit, ut iubeat deleri memoriam A malecitarum qui Israëlitas, antè factis miserè in deserto afflictos, nouis calamitatibus affligebant. Et in psalmo. 108. de persecutore miseri hominis dicitur, In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius nõ deleatur. Fiant contra Dominum semper, & dispareat de terra memoria eorum, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Illudentes itaque aiunt, Tu ne ille es, qui destruebas templum illud augustissimum, & in triduo ædificabas?

Salua temetipsum.

Perinde ac si dicat, Tandè apparet, quæ splendide sis meritis. Nunc enim teipsum saluare non potes, afflictissimum & nocentissimum corpus, uerberibus discissum atque lacerum restituere nequis, tantum abest, ut dirutum templum instaurare quiueris. Pollicebaris aliis salutem. Cum ergo tu tibi sis propinquior, & ita comparatum sit genus mortalium, ut seipsum amet, nec facile ferat suam ipsius perditionem, salua temetipsum.

Si filius Dei es, descende de cruce.

Iactasti diuinam potentiam, vsurpasti tibi æterni Dei honores, dixisti te esse benedictum omnipotentis Dei filium. Si talis es, descende de cruce. Indignum enim est, ut cruci affixus inter latrones intereat Dei filius. Quando uerò nec descendis, nec descendere potes, appareret te uanum esse, ac nihil iactasse præter mendacia atque blasphemias. Hic iã insultat crucifixo, tanquã blasphemiae cõuicito, alioqui haudquaquã passuro tanta probra. Obserua. Vox ista, Si filius Dei es, magnæ tétationis est, & planè Satânica, si expèdas quãdo & quomodo sit obiecta affecto, uidelicet in extremis agèti, & alioqui queritanti se derelictum à Deo, cum diceret, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Iterum, Ego sum uermis, & nõ homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes uidentes me, deriserunt me: loquuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Domino eripiat eum, saluum faciat eum, si uult eum. Ac mox, Factum est cor meum, tanquã cera liquefces in medio uertis mei, aruit tanquã testa uirtus mea: & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me. Et 68. psal. Quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem uulnorum meorum addiderunt. Ex his querelis uidere licet, has blasphemias, Christo non tam fuisse faciles, quàm facile à nobis recitantur. Sed quid in tantis doloribus fecit Christus? Quid insultantibus respondit? Profectò bonum pro malo reddit, dicens, Pater ignosce illis, &c. ut mox dicemus. Cæterum hac uoce, Si filius Dei es, &c. Satan in deserto Christum, inter bestias constitutum, & iam famis molestiam sentientem, tentauit, dicens, Si filius Dei es, dic, ut lapides isti, &c. At enim ad declarandum, quod esset filius Dei, non erat destinatum, ut de cruce descenderet uiuus, quod parum habuisset momenti: sed ut moreretur, sepeliretur, & tertia die resurgeret. Oportebat per resurrectionem ex mortuis declarari filium Dei, dicente Paulo ad Roma. 1. cap. Qui prædestinatus, id est, declaratus est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini no-

Passiones Christi facilius à nobis narrantur, quæ tulerit illas Christus.

Quomodo Christus declarare debuit se esse filium Dei.

fri. Iam antè Iudæi signum quaesierant, uerum, hoc quod descenderet de cruce, nõ erat dandum, sed signum Ionæ prophetæ erat adimplendum, supra. 12. cap. Ita & nos sumus quidem filij Dei, sed, ut. 1. Ioann. 13. dicitur, nondum apparet in oculis mundi huius, quod tales sumus. Mundus iudicat filios Dei, non ex infirmitate, sed ex potètia & felicitate. At Deus filios suos cruci subiectos exhibet, & morti destinatos in hac uita, ut postea maiore cum gloria è mortuis excitatos, in sempiternum beatos reddat. Itaque uox ista, si filius Dei es, descende de cruce, etiam hodie uox est filiorum huius seculi, qua afflictis piis cæci insultant. Sed pij uincunt patientia cum Christo, cui totos sese tradunt & committunt.

Filij Dei fideles omnes, sed non iudicio aut in oculis mundi.

Similiter & Principes Sacerdotum, illudentes cum Scribis & Senioribus.

Accedunt Principes Sacerdotum, Scribae & Senatores, fremunt, insaniunt, & debacchantur aduersus Christum. Et miracula eius, facta uirtute diuina, & quæ docebant ipsum esse filium Dei, infamare, & ceu iam securi, triumphare cupiunt. Ita solent impij, ubi ueritas in speciem, periclitari uidetur. Interea tamen paratur Christo sempiterna per crucem gloria. Istis uerò perpetua confusio. Sed pro sua cæcitate putant rebus suis & gloriae suæ iam amplius nihil superesse periculi, quod uidet clauis affixum cruci Christi corpus. Miseri homines perinde triumphabunt, quasi ipsa Christi ueritas, cruci esset affixa & extincta. Sed, ut Paulus scribit. 2. Timoth. 2. Verbum Dei non est alligatum. Ad hæc, licet ad tempus ueritatis radius obnubiletur, amota tamen nubecula, solito tandem clarior apparet. Ita factum est post Christi resurrectionem, ut corrente & passim succrescente doctrina Euangelij, gloria Christi multò quàm fuerat antè, clarior effulserit. Ita Philippensibus Paulus scribit. 1. cap. ut sua uincula auctiorem Euangelij doctrinam fecerint. Scire uos uolo (inquit) fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum uenerunt Euangelij: ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæteris omnibus, ut plures è fratribus in Domino, confidentes in uinculis meis, abundantius auderent sine timore uerbum Dei loqui.

In rebus accis iuxta mundum robustior emicat uis & fides Christi.

Dicebant, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.

Quasi dicant, Tandem apparet, qualia fuerint tua magnifica illa beneficia, collata, cæcis, claudis & oppressis morborum uariis generibus: conficta nimirum, & mendacia. Si enim uera fuissent & iusta, posses haud dubiè & te nunc saluare. Id cum non possis, apertissimè liquet, qualis sit tua potentia. Vide, beneficia, quæ cum laude excipienda & commendanda erant, exprobrant. Quanta hæc est iniquitas, mihi non solum malefacere, uerum etiam beneficentiam eius contumeliosè illi obiectare. Sed & hoc fingamus, quod non potuerit seipsum seruare, ut obiiciunt, non erat tamen hoc nomine ridendus, sed magis miserandus.

Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei.

Regiam dignitatem opprobriant & obiiciunt, quam arbitrabantur Dominum falsò & contra fas & ius sibi usurpasse. Si rex es ille, (aiunt) promissus Israël, uires & potentiam tuam exere. Regis est liberare & asserere suos. Regis est regnare & uincere, non uinci & interire in cruce. Nobis certè promissus est rex gloriosus, immortalis, inuictus, omnium rerum Dominus, cuius regni nullus sit futurus finis. Si is es, sicut uideri cupis, descende de cruce, exere potentiam tuam, uince hostes tuos, triumphas ac regna, & credemus te esse diuinitus nobis missum Messiam. Quod tibi hæcenus non credidimus, nec te pro rege Israël suscepimus, licet miracula facientem, iam apparet, quod non præter rationem hoc fecerimus. Quàm stulti sunt, qui te regem Israël pridem salutarunt! Nos uerò nolimus temerè assentiri, nisi certi reddamur, ne seducamur. Quin iam si rex Israël es, descende de



Resurrexisset plus fuit christo, quam si de cruce descendisset.

cruce, & statim credemus tibi, ut uideas nos culpa carere. Ista habent securam incredulitatis excusationem. Sed (ait Hieronymus) utrum maius est, de cruce descendere adhuc uiuentem, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit, & non crederetis. Ergo si iam de cruce descenderet, (id quod sua potentia potest) similiter non crederetis. Multo ergo illustriore ratione seipsum seruauit, nimirum resurrectione, quam si descendisset de cruce, & uiuēs adhuc corpus cruci affixū liberasset.

Confidit in Deo, liberet nunc eum, si uult: Dixit enim, quia filius Dei sum.

Iudaei blasphemant in Deum.

Hæc illusio maximam continet blasphemiam. Non est, quæ illi comparetur: Negat enim pios esse Deo curæ, psal. 3. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius. Vide: frustratam spem obiiciunt. Quod certè non est tantum misero homini iusultare, uerum etiam blasphemos esse in Deum: etiam si homo, aduersus quem hæc dicerentur, sceleratissimus esset omnium: ut nihil nunc dicam de Christo, uero Dei filio & omnium innocentissimo. Deus enim in Scriptura iubet miseros homines confidere, & nomen suum inuocare: ac promittit eis auxilium: atque adedò quod quis inferior est, tantò magis à Deo respicitur. Iudæi autem non solum non iubent Christum confidere, uerum etiam exprobrant ei, quod confidat in Deo. Et uide, quàm perspicuè negent, ullam ipsi spem & salutē in Deo reliquam esse. Liberet nunc eum (inquiunt) si uult eum. Non dicunt, si potest: sed, si uult eum, id est, si amat eum. Docuit perpetuò fidem in Deum, docuit omnia possibilia esse credenti, docuit neminem confundi, qui firma in Deum fiducia sit: id ita si habet, liberet ipsum Dominus, cui nimirum credidit. Quia uerò non liberat, consecraneum est falsam esse doctrinam, quam in imperitum vulgus sparsit. Et Deus manifestis argumentis testatur, quod abiecerit ipsum, nec ullam habeat ipsius rationem. Si enim uera docuisset, si esset Christus filius Dei, non promouisset Deus consilia nostra aduersus ipsum, non potuissimus eum cruci affigere. Et quanquam Deus hæcenus conuiuere uoluisset, tamen uel nunc liberaret eum, si ab eo staret. At in tantum non liberat eum, ut nihil certius sit, quàm ipsum in cruce perituum esse: quare necesse est ipsum à Deo abiectum esse, & damnatū. Quid hac blasphemiam immanius: His uerbis negant Deum respicere miseros & afflictos, negant in eum confidēdū esse in aduersis. Proinde, quas blasphemias Satan efflauit hoc loco per Iudæos, organa sua, aduersus Christum Dominū nostrum, eas profert etiam aduersus membra eius, qui sunt, credentes in Christum. Hoc unum notes ac dies agit, ut, quod Iudæi uno ore Christo cruci affixo dixerunt, hoc in conscientiam nostram, in afflictionibus uirulentissimè inspiret. Quid (inquit Satan) audes à Deo salutem sperare? An non uides perspicuis argumentis, quod Deus prosequatur te odio, & abiecerit te? Immisit tibi tantas afflictiones, è quibus (te ipso iudice) liberari non potes. Inuocasti toties Deum, sed is semper hæcenus obtinuit, nec quicquam tibi responderet. Quod si Deus tibi faueret, & te in hæredem regni sui elegisset, quomodo posset in animum inducere, ut te in tantis afflictionibus derelinqueret? Dereliquit autem te, ut re ipsa uides, ut manibus etiamnum palpas. Quare spes tua uanissima est. Hæc sunt ignita iacula Satanæ. Sed ut possint extingui, Christus impetrauit: & quomodo debeant extingui, exemplo Christi discendum est, ac sequenda Petri admonitio: Cui, supple Satanæ (ait) resistite, fortes in fide. Fiducia in Christum, inexpugnabile est propugnaculum aduersus omnes Euangelij aduersarios. Quamobrè cum sui semper simillimus Satan sit, quod in Christum euomuit per pseudosacerdotes & milites sanguinarios, infamamque plebis faciem, id ipsum expuet in eundem per omnes Christi hostes ad finem usque seculi. Quisquis ergo posthac audierit, Iudæos, Turcas, hæreticos, peruersos &

Hodie quoque Satanas renouat ueteres suas in Christū blasphemias.

Desperatio nis suggestio potissimū Satanæ telum.

Fiducia in Christū, propugnaculum inimicis omnibus inexpugnabile.

Impij impurique omnes, Iudæorū filij, Christum blasphemantium.

impios homines, contra Christum uiuum & uerum, ueri & uiui Dei filium expuere uoces blasphemias, cogitet filios implere mensuram patrum suorum. Nec offendatur blasphemias, sed consoletur se, atque confirmetur hoc potius Euangelij loco, in quo ideo nobis tot ac tantæ describuntur blasphemias, ut norimus omnes, quo illi loquantur spiritu, qui sic blasphemant: & quantum fidei iis debeamus, qui Christi suggillant diuinam naturam & doctrinam. Obsecro uos, o Iudæi, hostem Dei dicitis Iesum, quod derelictum à Deo putatis, & interim clamatis, Confidit in Deo. Si hostis Dei est (ut dicitis) quomodo confidit in Deo? Quis adedò insanus & demens est, ut spem ponat in hostem suum? Blasphemauit, dicitis. Quomodo potest blasphemare Deum, qui spem omnē in illum collocauit? Sed hæc est cæcitas uestra, & Pharisaica malitia. Obserua, quid hi ter miseri agāt, & agnosce hæc irrationē habere magnā tentationē. Primò enim homini in extremis cōstituto, cui nihil aliud superest, quàm ut à Deo pendeat, omnē spem labefactare, imo tollere contendunt. Deinde insultant, & probro dant, quod Christus in Deum sperarit. Tertio etiam odium Dei intentare conantur. Hæc sunt graua, si ingerantur auribus ac menti hominis tentati ac derelicti, & iam nihil aliud, quàm iram Dei sentiētis.

Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei.

Viderem admirabilē, & in hac imagine obstinationē & peruersitatem impiorū. Christus ad tāta conuitia & blasphemias corā hominibus prorsum obmutescit, nō obmutescit autem alter ex latronibus. Christus grauissimā fert cōtumeliam ab isto facinoroso damnato. Quis innocens ferat, ut ab homine nequissimo, latrone, damnato, extremæ deploratæque fortunæ, contemnatur ac suggilletur. Tamen hanc diram maledicentiam tanta patientia Christus sustinuit, ut rogarit pro conuictoribus. Mirabile auditu, & uisu horribile, quod hunc nō puduerit insultare in Christum. Cruci erat affixus, & morti iam iam concessurus, neque sic tamē ad se redit, ut peccata sua agnoscat, & ad Deum conuertatur. Ad hæc licet & ipse in cruce pendeat, commisereri tamen nequit ei, quem uidet similiter cruci adfixum, & eadem calamitate adfectum: sed, quod omnium erat inhumanissimum, irridet etiam & conuictis insectatur. Sanctus Augustinus Loqu. Trop. Exod. lib. 3. putat hinc Enallagen esse, ac numerum multitudinis positum pro numero singulari, propterea quod apud alios Euangelistas alter duntaxat dixit conuictia in Christum. Diuus Hierony. hinc per tropum, qui appellatur σύλληψις, syllepsis, pro uno latrone utrūque dicit inductum blasphemasse. Lucas uerò asserit, quod altero blasphemante alter confessus sit, & contra increpauerit blasphemantem. Non quod discerent Euangelia, sed quod primū uterque blasphemauerit (ait Hieronymus) dehinc tenebris factis super terram, terra commota, saxiisque disruptis, unus crediderit in Iesum, & priorem negationem sequenti confessione emendauerit. Lucas enim in hæc uerba scribit cap. 23. Unus autem de iis, qui pendeabant, latronibus, blasphemabat eum, dicens, Si tu es Christus, saluū fac teipsum & nos. Respondēs autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè: nā digna factis recipimus. Hic uerò nihil mali gefit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Porrò hæc historia declarat, Abelem habiturum semper suum Cainum. Et futuros perpetuò homines, qui irrideant atque contemnant crucem Christi, sed suo detrimento maximè. Sunt iterum atque erunt, qui dolebunt tot ac tantis conuictis conspucari sacrosanctam Euangelij prædicationem. Hi pro uirili cum latrone altero tuebuntur ueritatem, & gloriam Euangelicam ac crucis Christi. Certè huius latronis poenitentia diligentissimè obseruanda est. Vulgus, magistratus, Pontifices, Scribæ, Senato-

Latrones numero multitudinis, pro altero latrone, per Tropum.

D. Hieronymi opinio de latronibus blasphemis.

Latro dexter, piè admonēs sinistra, quid significet.



res, milites, & latro, omnes uno ore debacchantur in Christum quantis contuitis possunt, & blasphemis. Nullus inter ipsos inuenitur, qui tam insanam & effrenatam licentiam increpatione sua cohibeat, & innocentiam Christi testetur. Solus pius latro, publica uoce sua, in medium procedit, ac designat memorabile stratagemata. Cum enim, per spiritum Dei intus in corde doctus, ac à Deo raptus, inque sui & Christi cognitionem inductus esset, reprehendit impietatem alterius latronis, fert testimonium innocentiae Christi, credit Christum uerum esse saluatorem, confitetur Christum publice, & inuocat nomen eius, ut per ipsam salutem consequatur, dicens, Domine, memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Didicerat ex reuelatione, nimirum Spiritus sancti, regnum Christi non esse ex hoc mundo, neque terrenum, sed caeleste & perpetuum, cuius participes fiant, qui ex hoc mundo excedunt, si ad Deum toto corde conuersi, fiduciam suam figant in eum. Hic post agnitionem peccati, quae est prior pars poenitentiae, Nos iuste (inquit) plectimur, digna factis recipientes: credit in Christum, & hunc innocentem testatur. Hic nihil (inquit) mali fecit. Agnoscit Dominum, quem omnes alij à Deo abiectum & damnatum clamabant: & agnoscit eo tempore, quo Christus in cruce, mi ferrimus omnium hominum, omnium hominum opinione, pendeat. Agnoscit eum regem, quem omnes alij ne aspectu quidem dignum iudicabant. Huius regis & saluatoris opem implorans, audit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Q. d. ne dubites: omnium certissimum ac uerissimum est, quod polliceor: non in longum tempus differam: sed hodie, id est, simul atque expiraueris, mecum eris in paradiso: hoc est, meus es: ubicunque ero, mecum eris. Volo pater (ait Christus in alio Euangelista) ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Hæc est uirtus Sacerdotij Christi, & gloria crucis Iesu, quod per Christum Sacerdotem nostrum absolui mur, id est, quod propter Christum remittuntur nobis peccata, & conceditur uita æterna. Quod quod certius esset, confirmatur ab ipso Domino iureiurando. Nam dicit, Amen, &c. Quod autem huic latroni dicit, omnibus peccatoribus dicit. Neque enim cupit Deus mortem peccatoris, Ezechiel. 18. sed magis, ut conuertatur, & uiuat. Vocatur item hic pius latro in articulo mortis & hora extrema, ne quis desperet ullo tempore, aut putet poenitentiam, quæ fit in articulo mortis, nimis esse seram. Videmus enim hoc exemplo gratiam Dei in extremis mirabiliter adesse morituris. Sed non est hinc sumenda occasio negligentiae. Vnus latro legitur hoc modo saluatus. Legitur, ne desperent, morti propter flagitia adiudicati: legitur, ne desperent, qui resipiscunt usque ad extremum uitæ distulerunt. Non legitur, ut flagitia securius committantur: non legitur, ut poenitentia malæ uitæ ad mortem usque differatur. Exemplum philanthropiae Christi & humanitatis erga nos, quando uidemus & latronibus, si resipuerint, cælum per Christum apertum esse. Et paradysum antea peccato clausum, & ab eo exulem factum hominem, nunc passione Christi reserari. Malus latro, sicut & mundus, desperat de moriente: pius latro sperat in commorientem. Obserua: huius pij latronis exemplo discamus, quicquid patiemur, agnoscere peccata nostra, & dignos nos esse fateri, qui ista patiamur, ut & ipsi iustitiam Dei cohonestemus & iustificemur. Rursus imitare ueram huius latronis resipiscuntiam, qui agnito peccato, fiduciam in Christum est amplexatus. Ad peccati uerò cognitionem præcipue obseruandum est, ut sciatur, in quem peccetur: deinde unde peccetur. Hoc non obseruabat alter latro, putans se in purum hominem insultare. Deinde non intelligebat peccati huius causam & radicem esse *desiderium*, defectum uidelicet timoris Dei, quam impietatem uocamus. Ideo commodissime dicit, Neque tu times Deum. Hæc diligenter commendemus fratribus moribundis. Hæc uoluamus animo & mente fidei. In his enim sunt maxima fidei & religionis nostræ momenta: quæ ideo non oportet oscitanter transire.

Christo nunquam deiecit latro, neque dexter neque sinister.

Dextri latronis respicientia & confessio.

Ioan. 17. Christus Sacerdos pro uirtute sua crucis nos absoluit.

Aduersus tã desperabundos, quam resipiscuntiam proferebant.

Benignitas Christi.

Agnoscentia sua cuique peccata.

Peccatorum remissioni necessaria duo.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam.

Iam deinceps pergit Euangelista commemorare, quæ circa mortem Christi partim diuinitus, partim à crucifixoribus facta, partim ab ipso Christo dicta sint. Primo loco commemorans Matthæus tam stupendas tenebras, subindicat & tempus, quo passus est Dominus, & spatium temporis, quod scilicet durarit sacrosanctum immolati corporis Iesu in cruce pendens sacrificium. Ab hora tertia causam coram Pilato egerunt, quod crucifigeretur, sic ut omne tempus actionis comprehensum sit, illud maximè, in quo post reductum ab Herode Dominum ardentissime urserunt Præsides, clamantes, Crucifige, crucifige eum. Ita tres horæ præierunt crucem, in quibus acerrimè digladiatum est à patribus, & tres horæ impensa sunt sacrificio. Tribus horis clauis affixum corpus lacerum, & pondus graue sic se exhaustit, undique defluente sanguine, ut meritò clamauerit diuinus vates, Non erat ei species neque decor. Sol ipse sensit innoxij supplicium, & huius facinoris tam impij non sustinuit esse spectator. Obduxit atra nube faciem suam, & totam terram caligo quædam obtexit, ab hora sexta (quæ duodecimæ meridianæ nostræ responder) usque ad horam nonam, id est, usque ad nostram tertiam pomeridianam. Hæc tenebræ tantò horribiliores fuerunt, quantò magis præter expectationem & rationes physicas acciderunt. Defectiones enim solis, quæ naturaliter accidere solent, non accidunt tempore plenilunij, quo & festum Paschæ iuxta legem celebratum est, & Christus passus est, sed tempore nouilunij, cum luna interiectu corporis sui, inter terram & solem, excipit radios solares: & impedit, ne ad nos in terram perueniant. Quare cum Christus passus sit tempore plenilunij, quo non solis, sed lunæ tantum eclipses contingere solent (si quando contingunt) fieri non potuit, ut hæc lucis obscuratio facta sit naturaliter. Putauit Origenes tenebras illas non occupasse totum terrarum orbem, sed Iudæam duntaxat, aut terram Ierosolymitanam. At uidetur historiographis diuersum, diffusas uidelicet tenebras illas per uniuersum terrarum orbem. Eusebius in Chronicis recensens signa, quæ sub ipsam Domini passionem facta sunt, ait: Scripsit super his & Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, in 14. li. ita dicens, Quarto autè anno. 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies, hora sexta, ita in tenebrosam noctem est uersus, ut stellæ in cælo uisæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas ædes subuerterit. Hæc ille. Congruunt his Eusebij uerbis & illa, quæ traduntur à Paulo Orosio, celebri historico libro septimo, capite 4. dicente, Anno Tyberij. 17. cum Dominus Iesus Christus uoluntariè quidem se tradidit passioni, sed impiè à Iudæis comprehensus & patibulo suffixus est, maximo terræ motu per orbem facto, saxa in montibus scissa sunt, maximarumque urbium plurimæ partes maiore solito concussione ceciderunt. Eadem quoque die ad horam diei sextam sol in totum obscuratus, tetræque nox subito obducta terris est, &, sicut dictum est, *Impia perpetuam timerunt secula noctem.* Usque ad eam autem neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, ut 14. luna eo die tota cæli regione interiecta longissime eam à conspectu solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, uel potius in illa horrenda nocte, toto cælo fulsisse, referatur. Quod non solum sanctorum Euangeliorum, sed etiam aliquot Græcorum libri attestantur. Hæc Orosius. Cæterum tam horrendæ tenebræ non caruerunt significatione iræ Dei, & futuræ cladis Iudaicæ gentis, quemadmodum & tenebræ Aegyptiacæ iram Dei & futuram ultionem Aegyptiorum portendebant, & mundi interitum solis & lunæ obscuratio præcedet, supra 24. cap.

Supputatio temporis, per quod accusatus, damnatus, & crucifixus est Christus.

Solis defectio in obitu Christi, præter & contra naturam.

Tenebræ in passione Domini totum orbem occupauerunt.

Tenebræ in passione Domini: quid portendebat.



Et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna, dicens, Eli, Eli, lamma sabacthani: hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Cum instaret hora nona (quæ nobis tertia est à meridie) & iam omnino subcunda esset Christo mors, post admirabilem & prolixam omnium patientiam, post toleratas & sacerdotalis concilij, & Romani magistratus sententias, post flagellationem, coronationem ex spinis, post sputa & colaphos, post crucis baiulationem, post crucifixionem, post uestimentorum diuisionem, post uini cum felle & aceto propinationem, cum iam dolor crucis supremas haberet, & in momēta magis ac magis glisceret, ipsaque mors fores pulsaret, tandem ad Deum patrem conuersus, in hacce querelas erumpit, & clamat. Idque facit duplici nomine. Primo, ut doceret se ueris distringi doloribus, ac nō simulatē pati, sed uerē animo affligi & corpore. Id quod nequissimis Valentinianis os obstruit firmissimē. Præterea clamauit, ut se suamque salutem patri commēdaret, nobisque relinqueret exēplum, ac præscriberet, quid facere debeamus, doloribus circumuenti. Clamauit, huius clamoris modus fuit uehemens & ualidus ad exprimendam doloris uehementiam. Clamauit (inquit) uoce magna. De qua Paulus mentionem facit. Hebræo. 5. cap. Qui in diebus carnis suæ (inquit) preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et hoc ad consolationem adflictorum facit, quod non solum questus est Christus, sed & cum magno clamore questus. Rogabis. Quid queritur? Queritur se derelictum esse à Deo suo. Vbi aduerte, uerbum, derelinquere seu deserere, hoc loco accipi pro permittere: ut sit sensus, Quare ita finis me excruciaci? Quare hæc hostibus meis permittis? Quando tandem liberabis. Ita legimus & psal. 12. Vtque quo obliuisceris me in finem? usque quo auertis faciem tuā à me? Quando ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem? Vtque quo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus. Nam ad eundem modum uidetur hic quoque tale quidpiam precari Christus, Deus meus, &c. quasi dicat, quousque tandem finis me excruciaci doloribus infandis? Sis quæso placatus, placata sit anima tua generi humano, propter quod tantis malis diuexor: & eripe me his tormentis grauissimis. Rogabis. Quomodo Deum habet Christus, cum sit ipse uerus Deus, benedictus in secula? Respondeo: In huiusmodi querelis relucet certissima uerē humanitatis argumenta, & consolantur nos quàm plurimum. Christus in cruce pendens secundum carnem, id est, humanam naturam, uerus homo existens patitur, dolores ac sensum mortis habet, infirmitate circumdatus, opus habens Deo, à quo conseruetur. Atque hætenus Deum habet Patrem, à cuius potentia pender, in cuius etiam manus, spiritum suum moriturus commendat. Secundum humanam itaque naturam qua natus est ex Maria uirgine, qua fleuit, esuriuit, contristatus fuit, dormiuit, comedit, lassatus fuit, passus est ac mortuus, qua resurrexit & ad cælos ascendit, Patrem suum Deum suum uocat: sicut & post resurrectionem dixit, Ascendo ad Patrem meum, & patrem uestrum: Deum meum, & Deum uestrum. Secundum uerò diuinā naturam uerus Deus est, æqualis & consubstantialis patri. Rogabis. Quomodo ait Christus, Vt quid dereliquisti me, cum Ioan. 8. cap. dicat, Qui me misit, mecum est, & non dereliquit me solum? Respondeo: Hæc uox, est animi adflicti, & ueluti desperationis tentatione impulsæ. Non tamen desperabat, nec sic à Deo derelictus erat, ut prorsus ab eo abiectus & separatus esset, sed derelictus erat, quod permisum erat aduersariis, in ipsum duriter & acerbissimè animaduertente, ut per omnia tentatus pro similitudine absque peccato, tentatis succurreret. Et tentationem in se uincens, doceret nos illū sua uirtute uincere. Sunt igitur hæc uerba, Deus Deus

Christus in cruce quare se derelictū clamauit.

Consolatio ad flictorum.

Derelinquo pro pernitito

Christus deo Deū quomodo habet.

Christus quomodo derelictus, à Patre.

meus, &c. non desperantis, sed in magna angustia constituti, maximòque cū desiderio optantis tandem finem imponi diu perpessis malis.

Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant, Eliam uocat.

Noster Euangelista retinuit uerba Syriaca, quæ Christus mutuatus est ex psal. 21. Ex hoc milites accipiunt ludendi occasionem in nomine Eli. Et iudicant Christum à Deo ita abiectum, ut necesse habeat ambire & inuocare nomen & auxiliū Eliæ. Ecce, inquit, (ut alius scribit Euangelista) Eliam uocat iste. Ex uerbis Christi non intellectis aut non rectè perceptis orta est opinio spectatorum de inuocatione Eliæ. Sic & aliàs ignorantia grammatices & phraseos linguarum multis sæpè parit absurdas in sacris literis opiniones & hæreses.

Ignoratio literarū & linguarum, multis occasio lapsus.

Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

Dum hostes Domini sic inter sese iocarētur, & disteriis amaris Domini prouocarent patientiam, Dominus Iesus, quod ostenderet ueram esse mortem, quam pro omnibus oppetebat, clamauit, sitio, sicut narrat Ioānes. Solet enim sitis vulnera & sanguinis profusionem comitari, quæ nonnunquam est supplicium morte atrocius. Accurrit hic quidam militum, spongiam imbutam aceto, impositamque summa arundini, admouit ori Christi pendentis. Vide. Christus in summa & extrema sua miseria, postulat tantum aliquot frigidæ aquæ guttulas. Num consequitur eas? Nihil certè minus, sed potatur aceto. Enim uerò hæc Iudæorum crudelitas, tantum dolorem attulit animo Christi, ut conquestus sit de ipsis psal. 77. dicens, Sustinui, qui simul contristaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel: Et in siti mea potauerunt me aceto. Quid autem calamitosius, quàm ne in extrema quidem afflictione posse id consequi, quod alioqui sceleratissimis quibusque plena manu offerri solet? Quid indignius, quàm ut ei, qui creauit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, negetur in summo suo dolore guttula aquæ? Sed hi sunt mores, hæc est ingratitude, hæc est crudelitas & impietas hominum huius seculi, ut ipsi fruantur omnibus delitiis, & benefaciant sui similibus, hoc est, pessimis quibusque & ingratis nebulonibus. Christum autem benefactorem & saluatorem cruci affigant. Hoc idem accidere solet in hoc mundo membris Christi: Nam si me persequuti sunt (dicebat Christus) & uos persequentur. Si mundus me odit, scitote, quia me priorem uobis odio habuit. Cæterum quod miles aceto potauit Dominum, haud dubiè fecit ex solita militari clementia: quanquam uideri poterat desiderasse, Christum ab illis extremis necessitatibus, ac mortis doloribus uelocius liberatum iri. Plutarchus enim in uita M. Antonij testis est, uinum uulneratis porrectum, maturare mortem. Siquidem similis est penetrandi uis uino & aceto.

Sitis post uulnera & sanguinem exhaustum.

Christo in cruce sitiens paululum aquæ negatū.

Vinum mortem accelerat.

Cæteri uerò dicebant: Sine, uideamus an ueniat Elias, liberans eū.

Nimirum uidentur isti inhumaniores fuisse eo, qui arundini impositam spongiam, aceto madidam, obrulit ori pendentis. Credebant enim, si acetum potaret Dominus, ipsum tardius moriturum, ideo clamant, & impedire conantur, ne potum ille daret Christo, cupientes eum tardius mori. Aiunt enim, sine, id est, ne propinaueris acetum, ne protinus ille moriatur. Expectemus potius, atque faciamus periculum, an Elias illum sit à cruce depositurus, quod post mortem fieri non posse arbitramur. Ex his collige diuersa fuisse militum uota. Qui acetum porrexit, cupiebat Christo mortem accelerare, nihil moratus, quæ alij de Elia dicebant. Reliqui cupiebant eum diutius in cruce uiuere, curiositatis gratia, ut uiderent, num Elias ueniret, liberaturus eum de cruce. Obserua, pie lector, & conice, quanta nostra gratia unigenitus Dei filius passus sit, & quātam, ut nos seruaret, exhibuit patientiam.

Militaris licentia & inclementia.



Iesus autem iterum clamans, emisit spiritum.

Paucis perstringit uerbis Matthæus obdormitionem Christi in cruce. Plenius exprimit Lucas, quid Iesus exclamauerit: Et clamans (inquit) uoce magna Iesus, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. Hæc uerba sunt ex psalmo 30. quem uerisimile est Christum recitasse in cruce usque ad præsentia uerba, atque illic intendisse uocem ad hunc modum, In te Domine speraui, &c. Hoc dicto usque ad uerbum, In manus, &c. & pronuntiato etiam hoc,

Quid sibi uoluit Christus, dicens, Consummatum est.

In horâ mortis Christi ab omnibus respiciendum.

Christus omnium suorum spiritus patri commisit in manus.

Mors Christi longè alia atque nostra.

Mors christi mortis naturam fregit & immutauit.

Mors, ianua ad uitam & felicitatem.

Mors christi, mors peccati & mortis.

Christus in mortem secum adduxit omnem credentem in ipsum

Consummatum est, emisit spiritum, id est, animam. Qua uoce, Consummatum est, significauit, se hunc esse, in quem scriptura respiciat, & de quo scriptura uaticinetur, & cuius passioni scriptura tribuat maiestatem expiationis peccatorum, & reconciliationis cum Deo patre. Breuiter, quem scriptura ostendit uerum esse Messiam, in quo omnia sunt impleta, quæ nobis de cælesti hæreditate diuinitus promissa fuerunt. Ad hanc uocem & horam respexerunt fide sancti Patriarchæ & Prophetæ. Ad hanc horam respexerunt omnia ueterum sacrificia iam inde ab initio orbis terrarum. In hanc igitur horam respiciendum est omnibus iis, qui ueram & perpetuam salutem desiderant. Iam autem cum Christus commendat suum spiritum patri, quem mox emittit, certè reponit eo ipso omnium piorum spiritus in manum Dei, ut & interea temporis, dum adueniat nouissimus dies, apud Deum cum Christo feliciter uiuant, & in nouissimo die una cum corpore ad perpetuam uitam transferamur. Qui enim proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem nobis omnia donet? Quare si Deus pater assumit & conseruat in morte spiritum Christi filij sui: profecto assumet & conseruabit etiam propter Christum, omnium, credentium in ipsum, spiritus, donec iterum à mortuis excitentur, hoc est corpora resumant, & cum Christo feliciter uiuant beati apud patrem. Proinde hæc mors Iesu Christi longè aliter consideranda est, quam alioqui natura mortis appareat. Mors enim natura sua est stipendium peccati. Et quia peccatum affert secum perpetuum interitum, idcirco mors natura sua, uia est ad extremam internecionem. At in Christo natura mortis plane subuersa est, & potentia eius profors sublatam. Nam Christus non solum est homo, longè omnium innocentissimus, & absque omni peccato: sed etiam est unigenitus filius Dei: Mors nihil omnino iuris in ipsum habuit, & tamen incurrit in eum, & uoluit in ipso tyrannidem suam exercere. Quare ita per Christum deuersa est, ut necesse habeat, contra naturam suam, ianua fieri, non Christo tantum ipsi, uerum etiam omnibus in Christum credentibus, ad perpetuam gloriam & felicitatem. Atque adeo mors Christi, quia nullum unquam ipse peccatum fecit, facta est, primum mors peccati, deinde mors mortis: postremò mors etiam (ut ita dicam) Satanæ & inferni. Roma. 8. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, id est, per hostiam pro peccato, quæ est Christus, seu per mortem Christi sublatum est in hominibus ius peccati. Et hoc factum est, ut impleretur iustificatio legis in nobis, hoc est, ut iudicaremur propter ipsum satisfecisse legi. Et. 1. Corinth. 15. absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, uirtus uerò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Hebræo. 2. cap. Et ipse similiter participauit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolus: & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxierant seruituti. Nam quemadmodum Christus non solum cruci affixus est, sed sustulit secum (ut dixit ipse Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me) in cruce omnes, in ipsum credentes, ut lauaret peccata ipsorum sanguine suo: Ita non solum profectus est in mortem, ut uinceret sibi seu pro se tantum mortem, & per mortem ingrederetur in gloriam patris sui: sed adducit secum in mortem omnes

omnes credentes in ipsum, ut per mortem consequerentur in ipso æternam felicitatem. Neque enim sentiendum est, quod Christus ita aboleuerit mortem, ut mors omnino non sit amplius in hoc seculo. Necesse enim habent adhuc omnes homines mori, & tunc primum abolebitur in totum mors, nouissimus hostis: & perfectè implebitur sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoria, cum in extremo aduentu Christi corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Nunc autem mors ita per Christum abolita est, ut tumultuetur quidem, non tamen possit iis, qui in Christo sunt per uiuam fidem, incommodum afferre. Nam quemadmodum apes, cui ademptus est aculeus, bombo quidem suo adhuc stridet, non autem pungit: ita mors adhuc quidem fremit, sed quia ablatum est ei, morrem Christi, aculeus, qui est peccatum & damnatio æterna, non potest quicquam inferre mali, iis, qui mortis Christi participes sunt. Nihil ergo (ait Paulus) damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui carnem suam crucifixerunt cum uitii & concupiscentiis, qui se totos Christo contradiderunt, ut cum ipso uiuât. Huc pertinet quod Sedulius Presbyter, in opere suo Paschali, lib. 5. non in seipso, morti insultans, & uictoriâ celebrans suspensum in cruce Christi, canit:

*Dic ubi nunc tristis uictoria, dic ubi nunc sit  
Mors stimulus male grata tuus, quæ semper opimis  
Instaurata malis, cunctas inuadere gentes  
Pœnali ditio ne soles: en, pœsima, non tu  
Persequeris Christum, sed Christus persequitur te,  
Cui licuit sine morte mori, qui que omnia gignens  
Omnia constituens, te, non formauit, ut esses.  
Semine uispeuo culpa genitrice crearis, Et uenia regnante peris.*

Obserua: cum dicitur, Et iterum clamans, hic clamor Christi exaggerat grauitatem oneris peccatorum, quod sanè grauissimum fuit, nimirum continens peccata totius mundi, 1. Ioan. 2. Obserua, pie lector, quid tibi ex superioribus scriptis meditandum ueniat in passione Christi, in qua in primis cernere potes peccata tua, quorum conspectu exterraris, & conscientia tua, si solum illa conspexerit, ceu in desperationem labitur. Sed unde hic tatus metus & terror? Certè quod in hac Christi passione uideatur uehemens Dei ira, & constans Dei in peccatores seueritas, qui noluit in gratiam unigeniti sui filij, impunitos peccatores ac liberos dimittere, nisi eos sua morte redimeret filius. Quod Isaias quoque confirmat cap. 53. dicens, Propter scelus populi mei percussus sum. Iam hoc unum te rogo, pie lector, quid de nobis fiet, nisi Magdalenam imitati, à tergo Christi, & ad pedes eius procumbentes, tantæ iræ & seueritati opponamus ceu mediatorem, unigenitum Dei filium, qui plagas vulnera & mortem ipsam nostri gratia ferat? Alioqui tãto peccatorum fasce pressi & exterriti, desperabundi in barathrum & pœnas perpetuas præcipites æternum labemur. Deinde cum meditaris Christi passionem, tuo hoc animo infinge & inculpe, nec quidquam dubita, quin tu quoque ex illorum sis numero, qui Christum ita excarnificant, illudunt, conspuunt, & cruci suffigunt. Cur ita? Quia peccata tua coniecerunt Christum in illos cruciatus. Id quod confirmat S. Petrus, Act. 2. Iudæos, ceu tonitru quodam perterrefaciens, cum inquit ad omnes, qui aderant, Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Tria igitur millia hominum ea uoce conterriti & compuncti corde, dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, Quid faciemus uiri fratres? Petrus autem ad illos, Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum. Ergo quum clauos infixos manibus Christi cernis, cogita, illos clauos esse tua opera. Cum coronam spineam uides, cogita eam esse impositam & infixam à malis & impiis tuis cogitationibus. Propterea que ubi Christum una

Mors quomodo abolita morte christi.

Simile.

Rom. 8.

In passione Christi quid meditandum Christiano.

Terror magnus peccatori ex passione Christi.

Meditatio 16. ge saluberrima sup passione Christi.



spina pungi uides, hoc animo tuo insculpe, te meritum, ut milles gratius & sapius pungereris. Vbi clavis perfossas manus ac pedes cernis, meditare te longè maiores meritum cruciatus. Et sanè qui Christi passionem negligunt, illi omnes illos grauissimos cruciatus indefinenter patientur. Neque enim hoc exemplum iræ diuinæ, in Christo propositum, nos fallat: ista omnia atque his etiam grauiora, impij experientur. Putauerim facilè, magnum illum diuum Bernardum talem tum terrorem ex Christi passione accepisse, quum diceret: Securus incedebam, nihil sciens de iudicio Dei horrendo, quod contra me in cælo latum erat. Et ecce mittitur filius virginis, filius Dei altissimi, & iubetur occidi, ut vulneribus meis, pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur. Agnosce homo, quàm grauias sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Ad hunc modum Christus monebat Luc. 23. mulieres, dicens: Nolite flere super me, sed super uosmetipsas: & addebat rationem, Quia si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quasi diceret, Discite ex hac mea passione, quos cruciatus uos sitis meriti, & quæ uos maneat, ni credideritis, pœna. Porro hominibus danda est diligentissima opera ut exerceatur in hac parte, ex qua pendet uerus usus passionis Christi, ut seipsum cognoscat, & sui conspectu terreatur, ac conteratur, & pœnitentiam agat. Nam nisi eò deueniat homo, nullam planè utilitatē ex Christi passione capiet. Hoc enim uerum & germanum opus est, quòd passio Christi in cordibus piorum efficit, nempe, ut conformes imagini illius reddantur: ut quemadmodum Christus tum corpore tum etiam animo grauius propter peccata nostra est discruciat, ita grauius doleamus de peccatis nostris, & nobis illa displiceant uehementer propter Christum, cui condolere debemus, quòd tam acerbè propter nos vulneratus & mortuus est. Profectò in germana & uera pœnitentia sentienda est peccati magnitudo, quam ex magnitudine dolorum, & acerbæ passionis Christi, si fideles & pij fuerimus, sentiemus. Ex hac meditatione passionis Christi, uel per unum diem aut spatium unius horæ facta, audet Albertus homini polliceri, quòd illud tempus melius collocarit, quàm si per annum singulis diebus ieiunet, aut psalmorum librum euoluat. Nam hæc meditatio totum immutat hominem, & quodam modo regenerat, mortificans ueterem hominem, & fiduciam ac spem in creaturas, eiiciens. Cauendum est autem ne habito peccatorum terrore, in eo conscientia hæreat: nam inde in desperationem animi cum Caino & Iuda laboreris. Sed statim resumendæ sunt uires, & reuerenda illa tua peccata in Christum, cui te totum consecrabis, qui uictor à morte surrexit, & uolens ac lubès conscientiam tuam exonerabit. Rogabis. Quomodo reiicienda sunt peccata in Christum? Si constanter credas, quòd vulnera & crux ipsius tua sint peccata, id est, opus tuorum peccatorum. Quæ cum in se receperit Christus, pro eis quoque satisfecit, Isa. 53. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. 1. Pet. 2. Ipse in suo corpore nostra peccata pertulit in ligno crucis. 2. Corinth. 5. Eum, qui nò nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Quanto igitur magis te tua conscientia exercitauerit, tantò tu firmiter ac constanter his atque aliis similibus sententiis innitèris, & constanter credes. Cum enim conscientia uiderit omnia omnium coniecta in Christum peccata, & per mortem & resurrectionem crediderit ea uicta, cum se morti & resurrectioni Christi committens, sentiet, quàm nulla in peccato uis sit. Nimirum sentiet Christum morti traditum propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostri: id est, liberare nos à morte, stipendio peccati, & donare nobis uitam. Et quemadmodum dolor uulnerum absorptus est in corpore Christi resurgenti, sic & pœnitentis peccata ceu fumus euauerunt. Ezech. 18. Non amplius recordabor iniquitatum eius. Porro non est silentio prætereundum, quòd posse meditari passionem Christi,

D. Bern. homil. de natiuitate Domini.

Fructus homini ex passione Christi præcipuus, ut notat seipsum.

Meditatio passionis Christi, quàm salubris.

Quatenus in terrore propter peccata hærendum.

Peccata reiicienda in christum.

Rom. 5.

sti, non est nostrarum uirium sine diuina gratia: Dei est opus & donum. Quòd si adeò duri & saxei fuerimus, ut nihil moueamur ex passione Christi, neque terreamur ex peccatorum nostrarum (quæ sunt Christi vulnera) cognitione, orabit u-nusquisque Deum, ut cor suum induratum emolliat, ut possit cum fructu aliquo passionem Christi diligentius animo meditari. Proderit uerò plurimùm, si oculis fidei Christum suffixum cruci prospexeris, & animum ipsius plenum humanitatis consideraueris, qui adeò te amat, ut conscientiam tuam & omnia tua peccata in se receperit. Capiet sanè & delectabit hæc cogitatio animum tuum, & ita confirmabitur fiducia tua in Christum. Postea hoc quoque facies, ut in illo Christi erga te animo uideas, quanam erga te sit Dei patris uoluntas. Tum enim apparebit, Christum non potuisse tantum in te beneficium conferre, si non antea à Patre sic fuisset decretum. Nam illi Christus paruit, cum pro te est passus. Atque hoc modo cernes plenum humanitate Dei animum, & per Christum sic traheris ad patrem, ut intelligere illud Christi possis, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et hoc est uerè & fructuosè Deum cognoscere, quando per filium eius bonitatem & amorem ipsius apprehendimus, in quibus consistere potest fiducia, qua homo planè in Deo regeneratur. Cum igitur sic confirmatus fuerit tuus animus in Christo, tunc reuera iam odisti peccatum, non metu pœnæ, sed amore erga Deum. Hoc tamen interim restabit, ut totius tuæ uitæ gerendæ exemplum, in Christi passione tibi propositum, sentias. Idquæ erit continua carnis mortificatio & uictoria aduersus carnem. Ad hunc ergo modum meditemur, dum hic uiuimus, & uocationem nostram, crucem nostram ferentes, sequamur. Cùm dolore aut morbo aliquo laboras, cogita, quàm leuis sit hic cruciatus, si cum Christi spina corona & clauis comparetur. Tentaris superbia? Vide, quàm indignis modis illudatur Christus, & ut cum latronibus reputetur. Tentaris libidine & concupiscentia carnis? cogita, quàm crudeliter tenera Christi caro flagris cæsa, confossa, & lacerata sit. Tentaris odio & inuidia, aut uindicta? cogita, Christum magno clamore, & eiulatu, pro te aliisque inimicis suis orasse, de quibus iustè potuisset pœnam sumere. Tentaris afflictionibus aliis, qualescunque tandem sint, siue internæ siue externæ? confirmatum cor, & sic dicito, Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior Domino suo. Magna ea esset ingratitude, si paruam hanc afflictionem patienter ferre nollem, cum Christus, Dominus ac redemptor meus, in horto præ angoribus sanguineum emiserit sudorem. Quid enim esset turpius, quàm seruum in lecto molliter se curare, tum, cum Dominus ipse pro illius uita dimicaret? Hoc modo te confirmare & consolari in Christi meditata passione poteris contra omnia uirtia & peccata. Qui Christi sunt (ait Paulus) carnem suam cum uitiis & concupiscentiis unà cum Christo crucifixerunt, Hebr. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis uestris deficientes. 1. Pet. 4. Christo passo in carne & uos eadem cogitatione armemini.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.

Non oscitanter prætereundum est hoc miraculum, statim à morte Christi uisum: uidelicet mortuo Christo uelum templi scissum est in duas partes, à summo usque ad imum. Quo in primis significatur uiam sanctorum, apertam fuisse per mortem Christi, de qua retam apertè scribit Paulus ad Heb. 9. & 10. cap. ut uice commentarij huius loci habeatur. Deinde hæc scissura significabat euangelturum, & abrogandum una cum templo & sacerdotium & sacrificium Leuiticum, post confirmatum Christi Sacerdotium & Sacrificium, coruscantemque Euange-

Meditari passionem Christi, sicuti dignum est, uirum non est humanarum.

Oculis fidei Christus in cruce fixus prospiciendus

Humanitas & benignitas Dei ex cruce Christi quæta apparet. Ioan. 3.

Christi crucem aduersus habet aduersus omnes morbos spirituales.

Si tanta Dominus & insons, quid non seruus & nocens?

Velum templi scissum quid significabat.



Hostiæ, in tē-  
plo à passio-  
ne Christi  
immolatae,  
frustraneæ.

Velum tem-  
pli, inter san-  
ctuarium &  
sanctum san-  
ctorum.

lij lucem. Nam Daniel in 9. cap. prædixit, in medio hebdomadis auferendam è medio oblationem & sacrificium, supple, Leuiticum. Quæ enim à morte Christi immolarunt, non legitimè immolarunt in templo Iudæi. Vmbra enim illæ ac typica omnia cęremoniarum instituta, non nisi ad tempus correctionis, sicut Paulus Hebr. 9. cap. appellauit, durare debuerant. Id cum neque intelligeret, neque crederet, aut reciperet populus Iudaicus, non multis ab ascensione Domini annis unà cum templo excisus, & per orbem est dispersus, dissipatis prorsus atque conculcatis eorum Sacerdotio & hostiis. Rursus autem confirmata est in orbe, semel in cruce oblata, hostia Christi, qui manet Sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech. Colligamus ex superioribus, quod constanter fatendum est: Scisso uelulo templi per mortem Christi, sacra, hæcenus abscondita, reuelantur, patefacta est uia sanctorum, aperta est ianua regni cęlorū, & nihil reliquum est, quod nos ab ingressu in regnum cęlorum excludere queat. Quare si non ingredimur (ingredimur autem per uiuam fidem in Christum) nostra non aliena culpa perimus. Obserua: inter Sanctuarium & Sanctum Sanctorum in templo erat uelum quod scissum est.

Et terra mota est, & petra scissæ sunt.

Horribilis fuit hic terræ motus. Commouetur aded terra, ut & petra uehementer disiliant, & rumpantur indignitate rei, & horrore quodam aduersus tam horrendum facinus, à Iudæis commissum, quibus hac commotione exprobrat inuincibilem, & faxis ipsis duriorē, cordis asperitatem, animorum stupiditatem, & immensam cęcitatē. Præterea significant, quid in mundo futurum sit, concurrendum uidelicet esse totum mundum, Euangelij prædicatione. Rursus, multo faxis duriora corda, prædicatione crucis & emollienda & confringenda.

Et monumenta aperta sunt. Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Hoc miraculo exhibita est species futuræ resurrectionis, & declarata ueritas uerbi Christi dicentis, Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Item hæc monumentorum apertura iam tum à recenti morte Christi, declarauit, quod per illam esset uictum mortis & inferorum regnum, & ad resurrectionem aperta illius claustra. Vnde Scriptura de morte Christi sic loquitur, O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inferne. Et Hebr. 2. Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolus. Non solum autem monumenta cum terræ motu & scissione petrarum, aperta sunt, sed & corpora multa sanctorum, olim uita defunctorum, atque in monumentis cõditorum, surrexerunt de monumentis. Deque sepulchris iam tum apertis in Christi morte, post modum resurgentes die tertia post ipsam Christi resurrectionem, uenerunt in resumptis corporibus ad ciuitatem sanctam Ierusalem, seque in testimonium ueræ resurrectionis, multis ostenderunt uisendos: ut dubium esse non debeat ullum, quin ad uitam surrexerint. Hi autem surrexerunt, non, ut Lazarus, qui iterum mortuus est, sed immortales ex eo futuri. Quod suadetur argumento à differentia uitæ. Nam Lazarus suscitatus est ad officia ac cõuersionem uitæ præsentis cum aliis hominibus: ideo surrexit iterum moriturus: sicut filius uiduæ restitutus matri suæ. Hi autem non ad officia & familiarem conuersationem præsentis uitæ suscitati sunt. Quod Matthæus significantius explicare uolens, ait, Apparuerunt multis. Sicut in Actis de Christo suscitato dicitur, Et apparuit eis. Et non dixit, cõuersati sunt cum multis. Quibus uerbis significatur, quod surrexerunt ad officia

Rediuiui cõ-  
Christo, ter-  
tio die resur-  
gente, mortē  
postea nescie-  
runt.

& conuersationem alterius uitæ, & ad multos uenerunt per modum apparitionis, præcones ac socij resurrectionis Iesu. Huc pertinet quod in hunc locū scribit Glosa, quam uocant ordinariam. Hi (inquit) credendi sunt cum Domino ascendente simul ascendisse cum corpore. Verum si quis hac de re plura scire cupit, legat Epistolam. S. Augustini. 99. ad Euodium. Et lib. 3. de mirabilibus scripturæ cap. 13. in ea Epistola August. putat per anticipationem dictum quod corpora surrexerint, quæ paulò post surrexerunt. Non enim surrexerunt ante Christum, qui est primitiæ resurgentiū & primogenitus ex mortuis. Sentiūt Origenes & Chrysostomus, hos ad Christi morietis uocē excitatos in monumentis qui postea resurgente Christo pariter exierunt. Sed si excitati fuerunt ad uocē Christi morientis proculdubid uerè surrexerant, licet è monumentis nō exierint, cum uitæ restituti sint, resumpto corpore. Accedo ego ad sententiã. S. Augustini & scripturæ, Primitiæ resurgentiū Christus, & primogenitus ex mortuis. Præit caput, sequuntur mēbra caput. Obserua: Sanctã ciuitatē uocat Ierusalē, cum tamen tam corrupta & peruersa esset, ut dici posset ciuitas sanguinum, de qua supra 24. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos: & ciuitas iræ Dei, & horribilissimæ ultioni ac uastationi obnoxia. Certè hoc nomine dicta est, ad commendationem diuinæ gratiæ, qua fit, ut Deus miseros peccatores sibi sanctificet, quibus beneficiat, quos pro suis agnoscat, in quibus gloriam nominis sui illustret. Ita Ierusalem ista certè ex se nihil habebat iustitiæ, cuius causa sancta dici potuisset, præsertim eo tempore, quo Christum crucifixerat. Habebat tamen hoc, quod esset locus à Deo designatus, in quo templum Dei esset ædificatum, & cultus iuxta legem fierent. Quodque esset ciuitas, à Deo assumpta, in qua multa & magna diuinæ gratiæ & potentiæ testimonia, ad illustrationem nominis Dei facta fuerant, unde & ciuitas Dei dicta est. Sic Dauid sanctum se uocat, dicens, Conserua me Domine, quoniam sanctus sum, hoc est, tibi assignatus sum, quoniam gratiæ tuæ consecratus sum, &c. Sic populus Israël, sanctus dicebatur.

Ante christū  
nullus surre-  
xit, immorta-  
lis futurus.

Ierusalem, ci-  
uitas sancta  
quare dicta.

Ierusalem, ci-  
uitas Dei.  
Homines fan-  
cti & loca iū-  
cta, quare.

Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terræ motu, & iis quæ fiebant, timuerunt ualde.

Tam efficax fuit mors Christi, ut non solum scinderetur terra saxea, sed & corda faxis duriora. Ac in primis uide, quàm potenter Deus tuetur eorum innocentiam, qui non seiplos priuata temeritate ulciscuntur: sed tradunt uindictam ei, qui iustè iudicat. Christus enim hæcenus grauissima & contumeliosissima passus est. Et cum tantis afficeretur malis, non tamen minabatur. 1. Pet. 2. Cum malediceretur, non maledicebat: cum pareretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè, & obediebat uoluntati patris sui. Quare quemadmodum Deus ante mortem excitauit alios atque alios testes innocentia Christi, ita nunc post mortem excitat multos qui non solum testificentur de innocentia eius, uerum etiã agnoscant & confiteantur gloriam maiestatis eius. Centurio hic Romanus erat, à præside Pilato missus, & Christo damnato additus, ne quid oriretur tumultus, ut paulò antè diximus. Hic audito clamore Christi expirantis, uiso item terræ motu, & aliis stupendis miraculis, ipse & sua cohors uehementer compuncti sunt corde, metuentes sibi, quod se contra Christum peccasse agnoscerent, & indolentes haud dubidè propter peccata sua, magna erga Christum affecti sunt reuerentia, & innocenti, tam crudelia passo, compatientes, dixerunt, uerè filius Dei erat iste. Ex illis miraculis collegerunt innocentia Christi, & ultionem ac minas Dei aduersus obstinatos & pertinaces: vim item factã à Iudæis huic uiro, quem iustum, innocentem, ac Deo charum agnouerunt. Et licet Ethnici essent Centurio & socij, crediderunt tamen Deum irasci & exacerbari, si innocentes occidantur. Vbi uide, quod hi nullam habent rationem sententiæ à Pilato dictæ, qua prætexant sui mali excu-

Deus, simpli-  
cium & inno-  
cetiū uindex

Christus & ui-  
uens & mor-  
tuus multos  
innocentiæ  
suæ testes  
habuit.



fationem. Nihil responfant, Quid poterit hic esse periculi, etiam si sit innocens, & immeritò crucifixus? Nos executi sumus sententiam à præfide dictâ. Viderit ipse præfes. Imò ipsæ turbæ adstantes è populo Iudaico, quæ, uisis his portentis, percutiebant pectora sua, & testificabantur de Christi innocentia, non apud se cogitant, Viderint Seniores nostri, Pontifices, Scribæ & Sacerdotes, quorum sententia damnatus iste, Pilato ad crucifigendum traditus est. Nos extra culpam sumus: ipsi dabunt pœnas. Nihil horum cogitant, sed percutiunt pectora, & reuertuntur. Interim Pontifices, Seniores, Scribæ, & Pharisei perdurât (ut obstinati solent) in sua

*Simplices ac rudés ex populo & gentibus Christi agnoscerunt, Senioribus omnia contentibus.*

*Gentes ad participandam mysteriorum Dei cognitionem electæ.*

cœcitate, pertinacia, incredulitate & impietate: nullòque eorum omnium mirabiliù, quæ hic aguntur, sensu tacti, omnium stupidissimi manent. Obserua: Iam tunc delinēbatur, quæ Genibus danda erat gratia uidendi & audiendi testimonia, cum uerbi, tum miraculorum, quæ ad fidei in Christum confirmationem, ex uirtute & operatione Spiritus sancti in toto terrarum orbe futura erant. Iudæos uerò cæcos fore, ac surdos, ut quibus nec oculi uidendi essent, nec aures audiendi, nec cor intelligendi, sicut diuino uaticinio prædictum est, ut supra. 13. cap. uisum est. Sed ita se gerere solent, quorum condemnatio in uicino est, quorum malitia ad summum usque, iam iam punienda, excreuit. Rursus aduerte & uide, pie lector: uelo templi ad imum scisso incipiunt Gentes uidere, & lucem Euangelij excipere, & medio pariete fracto, id est, lege antiquata, in Ecclesiam Christi congregari.

Dicentes, Verè filius Dei erat iste.

Non vulgaris est Centurionis & sodaliù eius confessio. Nâ multa cum grauitate & certitudine confitentur (ex signis uidelicet certis certa colligentes) hunc Iesum, non esse mortis reum, sed iustum omnino & innocentem, imò necesse esse hunc esse filium Dei, quem Deus tam potentibus atque patentibus signis in passione clarificat: qui que sic, etiam in ultimo uitæ articulo, patrem Deum tam fidenter inuocauit, suumque illi spiritum tanta fiducia commendauit. O rem admirandâ, & præter spem commutatam! Ante mortem, & crucem, milites illuserunt Domino: à cruce prædicant eius gloriam. Viuum adhuc Christum, paucissimi agnoscunt & confitentur: mortuum nunc tam milites, quam turba hominum, commendant. Certè hæc pertinent ad gloriam & gratiam Christi illustrandam, qui post latronem, proximè milites uocat in Ecclesiam suam, ne quis dubitet se peccatorum ueniam (si resipuerit) consequuturum, ac populo Dei inserendum. Hoc certè illud est, quod Christus Ioan. 12. dicit, Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Cum igitur nunc exaltatus sit in cruce & mortuus, incipit ad se quolibet homines trahere, & multum afferre fructum. Hic ergo uides describi initium Ecclesiæ Christi post mortem eius, tam ex Gētibus, quam ex Iudæis collectæ. Turba hominum, qui percutiunt pectora, præcipuè ex Iudæis erat. Centurio & milites erant ex Gentibus. Et hi sunt primi, qui post passionem Christi in Ecclesiam ipsius congregantur. Quare cum Ecclesia Christi cœperit colligi ex ordine latronum, Centurionum, militum, ethnicorum & vulgi, in primis obseruandum erit, quòd Christus uenerit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret: deinde quòd Christus non pertineat tantum ad Iudæos, uerum etiam ad Gentes. Ad hæc pertinet, quod Paulus Orosius lib. hist. 7. cap. 4. in hæc retulit uerba: Postquam passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus præfes Palæsthinæ prouinciæ, ad Tyberium Imperatorem atque Senatam retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque uirtutibus, quæ uel per ipsum palam factæ fuerât, uel per discipulos illius in nomine eius fiebant: & quòd certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tyberius omnia hæc audiens, cum suffragio magni fauoris retulit ad Senatam, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morē

*Christi uinum qui preuerunt mortuum agnoscunt.*

*Latrones & milites recipiunt Christum.*

*A morte Christi Ecclesia statim cœgit.*

*Senatus Romanus Christum Deum noluit habere.*

delatum esset, ut de suscipiendo ipsius cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit. Eadem prorsus retulit Euseb. Eccles. hist. lib. 2. cap. 2. sed appendit hoc quoque dicens, Porro autem pro uero hoc erat, quod agebatur, ne diuina uirtus humanis putaretur assertionibus indigere. Adiungit insuper: Cum autem renuisset Senatus, Tyberius tamen tenuit sententiam suam, ut ne quid aduersum doctrinam Christi contrarium moliretur.

*Tyberius christum ueritum est.*

Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ sequutæ erant Iesum à Galilæa, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.

Ne quid deesse uideretur passionis acerbitati, Matthæus, ut fidelis historicus, describit, quos Christus suæ mortis spectatores habuit, non tantum ignotos ac hostes, sed etiam familiares suos, ac amicos intimos. Nam his quoque coniungit Ioannes Mariam Domini matrem. Auget profectò grauitatem passionis Christi, quòd tam turpi morte affectus sit coram notis & amicis suis. Tolerabile est, si inter ignotos afficiaris contumelia: at si idem fiat coram notis & amicis, hoc demum grauissimum est. Itaque suscepit Christus passionem, quantam fieri potuit grauisimam & acerbissimam, ut peccata nostra perfectè expiaret. Obserua euentum speciem carnalis. Hæ mulieres crebescente fama inter notos & amicos, audierant Christum à Galilæa ascensurum Ierosolymam, ubi acciperet regnum suum per prophetas promissum. Vnde existimabant fore, ut confestim regnum Dei manifestaretur. Quod significasse uidetur mater filiorum Zebedæi, cum peteret, ut Christus collocaret alterum ex filiis ad dexteram, alterum ad sinistram, in regno suo. Ac rectè quidem sentiebant, quòd Christus accepturus esset eo tempore regnum suum in Ierusalem: sed non rectè intelligebant rationem huius regni. Existimabant enim regnum Christi futurum esse in hoc seculo externum & corporale. Quare proficiscuntur unâ cum Christo, magna animi promptitudine & alacritate in urbem Ierusalem, sperantes fore, ut unusquisque per Christum amicum suum consequuturus esset summam in hoc seculo maiestatem & felicitatem. Sed uide, quid fiat. Sperarunt noti illi & amici in Christo regnum, sed ecce extremum supplicium. Sperauerunt gloriam, sed ecce summam ignominiam. Sperarunt salutem & uitam, sed ecce turpissimam crucem & mortem. Sic pudefunt, qui in Christo, non nisi carnalia quærent. Rogabis: cur igitur Christus, cum cognouerit, quid de se Ierosolymis futurum esset, adduxit eos secum ad huius supplicij spectaculum? Quod supplicium non ipsi tantum, uerum etiam notis & amicis eius dolorem uehementem pariebat. Obseruandum est hoc loco consilium Christi. Non obiecit notos & amicos suos publicæ infamiæ, ut in infamia perirent: sed potius, ut sicut ipse per turpissimam mortem ingressus erat in clarissimum regnum suum, ita duceret notos & amicos suos per infamiam ad summam & cœlestem gloriam. Adduxit enim eos secum, ut discerent re ipsa, regnum suum non esse corporale: & ut quem uiderent ignominiosissimè crucifigi & mori, eum uiderent etiam gloriosissimè à mortuis resurrexisse, & in regno patris sui uiuere. Vnde postquam resurrexit à mortuis, primum omnium apparuit Mariæ Magdalene, deinde & aliis mulieribus, quæ hoc loco spectatrices crucifixionis fuere. Obseruatione dignum, & discendum diligenter, quòd & si propter Christi nomen ducamur & coniciamur in afflictiones, hæc tamen non sunt, nisi organa salutis, atque ad eò in quacunque aduersa, quocunque etiam nomine, ducit nos Deus, nõ ducit nos ad nostrum exitium, sed potius ad nostram salutem, si in Iesum Christum filium eius uiua fide crediderimus. Porro non præter rationem omnes Euangelistæ harum mulierum mentionem faciunt: Etenim dignæ erant quarum memoria in sempiternum uigeret in Christi Ecclesia, quem tanta fide & amore pro-

*Christi passio quæta durissima ac diuissima fieri potuit.*

*Mulieres christo comitum, carnalis spes.*

*Tandem pudescunt, qui in christo nõ nisi carnalia quærent.*

*Christus notos & amicos quare uoluit sui supplicij testes esse & spectatores.*

*Afflictiones propter christum susceptæ, instrumenta sunt salutis.*

*Mulieres nõ abs re ab euangelistis commemoratæ.*



sequuta sunt (ut uerbum, ministrantes ei, indicat, & significantius explicat Lucas 8. cap.) ut non in Galilæa solum illi adhaerint, & de suis facultatibus ministrauerint, sed & Ierosolymam usque, profectioe uidelicet omnino periculosa, ut res ipsa declarat, prosequuta illum sint. Ibi eam beneficentiam, qua illi ministrabant, uincebat illa amoris constantia, qua fiebat, ut ne damnatum quidem deserendum putarent, sed ad crucem usque sequerentur. Nihil tamen contra decorum in eo officio faciunt. Stabant enim seorsum extra hominum turbas, spectantes è longinquo quæ gerebantur. Fœminæ enim (quam nihil magis decet, quàm pudor, nihilque ornat magis, quàm uerecundia) vitio datur, si prima sit in spectaculis, & uirorum sese immisceat consortio, si hic procax sit & curiosa. Nam fugiunt discipuli, sequuntur Dominum mulierculæ ad crucem usque, quæ propriis nominibus exprimuntur, ne laude debita fraudentur. Discamus igitur, istarum mulierum exemplo, non statim abiici infirmos ac meticulosos, quasi nihil illis in sit dilectionis erga Dominum. Videmus enim hoc loco, & certè in Apostolis fugientibus adhuc amplius, plerumque syncerè Christi dilectioni adiunctam esse carnis imbecillitatem, quæ faciat, ut non liberè ueritati Christi, quam diligunt pij, adhæreant, sed metu impediti, è longinquo illam sequantur. Obserua uerbum, ministrantes ei, & discce exemplum, ut ij quibus spiritalia seminantur, parati sint ad communicandum terrenam suam facultatem suis doctoribus.

Cum serò autem factum esset.

Post ignominiosissimam & acerbissimam crucem, noster Euangelista narrat sepulturam Christi summa diligentia, nimirum potissimis exculsis circumstantiis, quando uidelicet sepultus sit, à quo, & quomodo. Postquam ergo Dominus in cruce pendens, excessit è uiuis, sepultus est ad uesperam diei parasceues post nonam, uidelicet quæ nobis tertia est pomeridiana, usque ad sextâ. Diuidebant Iudæi diem in quatuor horas, quarum quælibet tres nostras continebat. Conducit adnotare hoc tempus, ut cognoscatur supputatio tridui illius, cuius nō semel hætenus meminuit Christus, dicens, se tertia die resurrecturum.

Venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu.

Pollinctorem, seu eum, qui Christum sepelierat, nominatim describit: Quidâ, inquit, homo Arimathæus, nomine Ioseph. Hic suis coloribus ab Euangelistis depingitur. Matthæus ait, Fuit hic homo diues. Et hoc nomine multum autoritatis habuit apud Pilatum, à quo petiit corpus Iesu sepeliendum obtinuit. Apud enim huius seculi præsides multa est diuitem prerogatiua. Fuit & discipulus Iesu, ait Matthæus. Marcus illi adscribit, quòd nobilis fuerit decurio, siue Senator: addit etiam, Qui & ipse erat expectans regnū Dei: & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Lucas quoque his adiungit, quòd uir bonus & iustus fuerit, qui non consenserat consilio ac factio hostium Christi. Ioannes quoque dicit, quòd hic Ioseph fuerit discipulus Iesu, sed addit, quòd occultus discipulus fuerit, propter metum Iudæorum. Hæc mirum in modum commendant Iosephum Senatorem & ciuem optimum, in quo floruerunt officia boni ciuis, & honesti Senatoris: uidelicet, ut quòd ad priuatam uitam attinet, coleret iustitiam ciuilem, tribueret unicuique, quod suum est, nemini inferret iniuriam, seruaret pacta & conuenta: quòd autem attinet ad Senatoriam & Consulare functionem, consuleret iusta & æqua, & non concederet nec approbaret iniusta & iniqua. Hæc autē officia honestissima quidem sunt, & factu necessaria, attamen nondum iustificanc factorem coram Deo. Alia & longè maior iustitia necessaria est, qua in iudicio Dei cōstes. Et hac commendatur Iosephus, cum dicitur, Erat & ipse expectans regnum Dei:

& erat discipulus Iesu. Nam esse discipulum Christi, & expectare regnum Dei, est audire Euangelium Christi, & ipsum fidenti animo excipere, in Christum credere, & totum te illi credere, ac firmiter apud te statuere, quòd propter Christum consequaris remissionem peccatorum, & uitam æternam. Colligamus ex his, Iosephum, duplici iustitia ornatum fuisse. Altera coram Deo per fidem charitati coniuuctam, seu fidem uiuam in Christum. Altera coram hominibus per honestatem uitæ suæ. Hoc exemplo sese forment Senatores, si pij esse uolunt, & sequantur Iosephum, qui (licet à toto concilio Pōtificum & Seniorum esset Christus damnatus) noluit consentire factio eorum: sed sibi cauit, ne contra conscientiam in facinus tam iniustum, præsertim ubi innoxio sanguini insidiæ tenderentur, cōsentiret. Si prohibere, quod malum est, non possunt, quibus id competit, tamen possunt, ut sententia iniusta non astipulentur. Obserua: Arimathæa, & Arimathaim, & Ramatha uocitata scriptotibus ciuitas quondam fuit Leuitis separata, Samuele propheta illustris, quem illa nobis dedit. Dubium Christi temporibus ciuitas, an uiculus fuerit. Sita tamē erat in Tamnitica regione montis Ephraim iuxta Lyddam, quæ postea Diopolis dicta fuit. Interpretatur lux mortis Domini.

Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.

Magna uirtus animique constantia, magna item gloria mortui Christi, in hoc Iosepho relucet. Nam uiuente adhuc Domino, & signis ac miraculis atque doctrina coruscante, & necdum damnato, Ioseph sibi metuit, nec audet palam & liberè confiteri Dominum. Nunc cum uidebatur Dominus contumeliis & iniuriis adobrutus, adde & extinctus, & ab hostibus suis oppressus atque superatus, cum denique ingens uideretur subire periculum, quisquis ulla habuisset suspensio corporis Iesu rationem, prodit hic Ioseph intrepidè, & prodit quidem palam, adiens Pilatum in prætorio, ac postulans corpus damnati & crucifigi Domini. Timebat fortassis, ne etiam in mortuum corpus sauirent, ipsumque ludibrio haberent hostes Iesu. Ideò petit à Pilato, non audens illud propria autoritate deponere. Nam corpora eorum, qui à magistratu plectuntur, etiam post mortem in potestate magistratus sunt. Nec uerò abs re fit, quòd corpora reorum potestati magistratus relinquatur post mortem. Nam tanta est hominum malitia, ut etiam in cadauera mortuorum sauire non dubitent, qui ab illis, cum uiuerent, læsi sunt. Quòd certè facturos Pontifices, & Seniores credibile est, nisi potestate præsidis prohibiti fuissent. Obserua in Iosepho egregium fortitudinis & constantiæ, adde, & pietatis exemplum, dum spretis omnibus periculis iusta persoluit debita innocentissimo Dei filio. Sepelire enim mortuos est opus pietatis & humanitatis insigne. Nemo ergo damnauerit moderatas sanctorum sepulturas, quas etiam probat scriptura, si legitimè & citra luxum fiant. Rursus aduerte: decurio siue Senator erat honestus & diues hic Iosephus, pollinctoris tamen officium & curam Domino præstitit. Neminem ergo pudeat humanitatis officium præstare indigenti ac misero, etiam si diues sit ac Senator.

Tunc Pilatus iussit reddi corpus.

Pilatus admiratus, si iam Iesus esset mortuus, uir florenti ætate, & cui crura nō fuissent fracta, simul atque ex Centurione, certò cognouit esse mortuum, ipsum benignè Iosepho concedit, ita uolente ac cicutate ferox barbari pectus potente Domino. Nam Marcus ait, Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset. Et accersito Centurione, interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, dedit corpus Ioseph. Obserua & hic exemplum fidei & humanitatis in Iosepho. Sicuti erat non offendi cruce Christi: humanitatis, sepelire mortuum. Humanum sepeluit Pilatus Iosepho, qui non negauit ipsi Corpus Christi, nec sepeliri prohibuit.

Discipulum esse Christi, & expectare regnum Dei, quid. Iosephus Arimathæus, deo & hominibus gratus.

Si prohibere non potes, quod iniustum est, tamen ne astipulare.

Arimathæa ciuitas, quondam illustris

Magnitudo animi in Iosepho Arimathæo.

Corpora damnatorum, etiam mortuorum, penes magistratum sunt.

Sepelire mortuos, opus pietatis. Sepultura, etiam paulò accuratior, non improbanda.

Iosephi Arimathæi fides & humanitas.



Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda.

Judei sepul-  
turarum cu-  
riosi. Præter ea, quæ in locum illum Ioannis, Post hæc rogauit Pilatum, &c. annota-  
uimus, hæc addemus, quòd Ioseph & Nicodemus Christum pro more Iudæorum  
sepelierunt, qui quoniam resurrectionem corporum credebant, mortuos suos cum  
honore sepeliebant, præsertim eos, quos Deo charos esse credebant. Ita & isti duo,  
Ioseph & Nicodemus, honorificæ Christi sepulturæ studebant, nihil morantes  
iudicium concilij Sacerdotis de illo latum, nec mortem illam probrosam, quòd mi-  
nus honestè sentirent de mortuo. Obserua. Sindonem media correpta uocant La-  
Sindon. tini uelum subtilissimum, alij linum Aegyptiacum, quanuis à Sydone urbe Sin-  
don dicatur, quòd in ea primitus fieri cœperit. Aromatibus condire mortuorum  
Cadauera a-  
romatib. cõ-  
dita, resurre-  
ctionem ostē-  
dunt. cadauera mos fuit Iudæis, idque ad significandam corporum resurrectionem. Va-  
rij fuerunt ueteribus sepeliendi ritus, de quibus Cœlius Antiq. lib. 17. De Myrtha  
scribit Plin. lib. 12. cap. 16. & 17. Dioscorides item lib. 1. cap. 69. Idem de Aloe.  
lib. 3. cap. 23.

Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in  
petra: & aduoluit saxum magnum ad ostium monu-  
menti, & abiit.

Christi cor-  
pus quare in  
monumento  
nouo condi-  
tum. Ioseph & Nicodemus, uiri illustres, corpus Domini de cruce deponentes, de-  
positumque, & linteo inuolutum mundissimo, vnà cum aromatibus, pro more  
Iudæis recepto, sepelierunt in monumento nouo, in quo (ut Ioannes ait) nondum  
quisquam positus fuerat. Id quod ideò factum arbitratur Hieronymus, ne quis  
alius, qui in illud sepulchrum prius fuisset positus, pro Christo resurrexisse uide-  
retur. Aduoluerunt præterea ostio monumenti saxum ingens, ne quis uel in mor-  
tuum cadauer sæuiret, uel illud suffuraretur. Ita enim diuina prouidentia omni-  
bus suspitionibus uanis uoluit mederi, ac gloriosæ Christi resurrectioni uiam ster-  
nere. Prædixerant sancti Prophetæ gloriosam fore Domini sepulturam. Isaias enim  
11. cap. quod huc pertinet, sic prædixit, In die illa radix Iesse, qui stat in signum po-  
pulorum: ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Cate-  
rùm multiplicem nobis hæc Domini sepultura ob oculos considerationem simul  
& fructum ponit. Nam ut uerè mortuus, ita uerè sepultus est, admonens omnes  
nos mortis certissimæ, ad quam se quisque parat, cogitans se è luto factum, & in lu-  
tum denudè conuertendum. Secundò discamus ex ea humilitatem, & huius seculi  
contemptum. Meminerimus item nos sepeliri, non ad perpetuum interitum, sed  
ad resurrectionem, quemadmodum granum seminatur, non ad corruptionem,  
sed ad fructificationem. Id quod uehementer sepulturam ornat, & extollit. Disca-  
mus & hoc loco disciplinam Christianam, ut ne Gentilium & quorundam, plus  
quàm Ethnicorum, ritu abiiciamus cadauera Christianorum, sed honestè atque  
sanctè tumulemus. Fuerunt enim illi templa sancti spiritus, ut Paulus docet. Ha-  
bent item promissionem futuræ resurrectionis. Estque ultimus honor, qui impen-  
ditur corpori nostro, iusta & honesta sepultura. Obserua: Ita sepelitur Dominus,  
ut totum sabbathum agat in sepulchro, ut postquam opus à patre iniunctum per-  
fecerat, die septimo, exemplo patris, quiescat. Ad hæc, quia electorum (quorum  
caput Christus) sepultura, quies est, & uita labor, ita ut sex diebus circumscrip-  
ta, sit illorum uita: septimo nanque quies est & sepultura, & octauo resurrectio ad fu-  
turam felicitatem: Christus, posteaquam genus humanum, dispensatione sua,  
quam in cruce iam absoluerat, redemit, peractis laboribus, mox in fine sexti diei è  
cruce depositus, instante initio sabbathi sepelitur, ut sabbathum in sepulchro agat,  
& octauo die ad futuram gloriam & felicitatem resurgat. Hæc nos admonent no-  
stri officij Christiani. De quo Paulus copiosè ad Roma. 6. cap. scribit, Consepul-  
ti enim sumus cum Christo, &c.

Christus, exē-  
plo patris,  
quiescit die  
septimo.

Sex diebus  
circumscrip-  
ta hominis uita

Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria,  
sedentes contra sepulchrum.

Digressis Iosepho & aliis uiris, perseverant illic duæ Maria, Magdalene, & al-  
tera quædam, sedentes è regione sepulchri: & annotantes locum, ubi reconderent  
corpus, quò suo tempore præstarent officium unktionis. Harum uigilantem sedu-  
litate in hoc excitârat Dominus, ut certior esset resurrectionis fides. Cæterum  
ex his, & paulò antè dictis, uideamus, quàm longè differant cõsilia diuina ab hu-  
manis. Ioseph & Nicodemus sepeliunt Christum in nouo sepulchro, ut quem im-  
pij ignominiosè tractârunt, eum ipsi honorificè sepelirent, & innocentia eius testi-  
monium ferrēt. Dominus autem Deus noster utitur hoc facto ad certius compro-  
bandam resurrectionem filij sui. Mulieres subsequuntur ad monumentum, & pos-  
teà reuersæ, parant aromata, ut corpus Iesu ungant & affectum suum erga ipsum  
declarent. Sed harum opera Deus utitur ad reuelandam testificandamque Christi  
resurrectionem, de qua nihil fortè tale cogitârunt. Quiescunt & silēt sabbatho hoc  
consilio, ne uolent legem de sabbato, sed consilio & administratione Dei quie-  
scunt, propterea quòd nondum aduenerat tertius dies, quo Christus resurrecturus  
erat. Quàm ergo magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti,  
impleta est terra possessione tua. Quid ergo timeamus, ne opus Domini non pro-  
moueat. Faciamus nostrum officium, Deus certè suum faciet, etiam præter om-  
nem expectationem. Cogitant de sepultura Iosephus & Nicodemus. Officiū enim  
honestorum hominum est, ut quem amant, eum mortuum honore sepulturæ affi-  
ciant. Deus autem cogitat resurrectionem Christi, quam non Christus ipse tan-  
tùm, uerùm etiam prophetæ ante Christum prædixerant. Mulieres cogitant un-  
ktionem, qua declarent officium suum erga præceptorem mortuum. Sed Deus co-  
gitat interim resuscitationem à mortuis, quam antea Christo filio suo promiserat.  
Itaque uides Deum nostrum operibus sua cõficere opera. Exhibeamus igitur nos ip-  
sos, organa Dei: & sectemur uocationem eius, ut per nos efficiat quæcunque uo-  
luerit. Sed longè admirabilius est, quòd Deus efficiat suam uoluntatem, non tan-  
tùm per eos, qui se præbent obsequentes uocationi suæ, uerùm etiam per illos, qui  
sunt ipsi aduersarij, & uoluntati ipsius resistunt. Itaque facit resurrectionem Chri-  
sti illustriorem, non per pios solùm, sed etiam per impios: ut mox uidebimus, per  
custodes sepulchri.

Consilia diuina  
longè alia  
quàm huma-  
na.

Nihil obfunt  
in operibus  
nostris consi-  
lia nostra cõ-  
silia Dei, qui  
per opera no-  
stra sua perficit  
consilia.  
Deus nonnū  
quæ p aduer-  
santes propo-  
sitis suis, ipsa  
sua propõsita  
implet.

Altera autem die, quæ est post parasceuen.

Id est, posttridie eius diei, qua mortuus est Dominus Iesus in die sabbathi, quæ  
proxima est feriæ sextæ, & sequitur parasceue, in qua parabatur necessaria sabbato.

Conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisei ad Pilatum.

Principes & Pharisei, sperantes se habituros Pilatum propitium, & suorū con-  
siliorum studiosum, quem tam facilem repererat Ioseph Arimathæus, consiliū in-  
eunt de seruando corpore Christi, ne fortè furto accipiatur. Itaque cum nihil iu-  
ris in mortuum haberent, adeunt Pilatum. Hæc tamen malitioso principum &  
Phariseorum, prudenti tamen Dei consilio facta sunt, ad maiorem certitudinem  
resurrectionis Christi procurandam. Obserua: dies erat festus, nimirum Sabba-  
thum magnum. Ergo Principes Sacerdotum neglecta sabbathi religione & reue-  
rentia, res suas agunt, quòd malitiæ suæ contra Christum inserviant. Atqui hypo-  
critæ manifesti Christum reprehendere soliti fuerant, quòd uerbo curasset ægro-  
tos die sabbathi. Ita ubique hypocrisim sapiunt.

Pharisei sab-  
batho stau-  
des nent &  
textunt.

Domine.

Audaçter adeunt Pilatum, quem salutant, eius beneuolentiam captantes à uer-  
bo potentia. Vox enim est potentia, Domine.



Recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc uiuens, post tres dies resurgam.

Salutato Pilato mox cœpit putida illa sœx probrosissimo conuitio Christũ aspergere, ac sic nominare, ut suspecta potuerint reddere omnia (siquidem Deus uoluit) illius miracula, & incertam doctrinam. Nam hic erat primarius illorum scopus. Et quia mortuus iam erat & sepultus, securè illum uituperat, quasi morte declaratum impostorem. Hoc certè habet impudens impietas, quòd retorquet in innoxios, quòd illi ipsi tenacissimè adhæret. Alloquuntur ergo Pilatum, & alloquētes, stultè explicant, quàm parum fidant rebus suis. Domine (inquiunt) recordati sumus, quòd ille tenebrio, erro, ueterator, seductor ac impostor, dum adhuc uiuere, dixerit se post triduum resurrecturũ. Quis non abhorreat ab his blasphemis, in Christum iactis ab iis, qui impostorum sunt maximi? Sed uide. Et si hi Pontifices nihil minus cogitant, tamen serunt publicum testimonium de Euangelio Christi. Recordati (inquiunt) sumus, quòd dixerit, post tres dies resurgam. Hoc est Euangelium Christi, quòd etiam Pontifices, quanuis aliud agentes, confitentur. Et quanquam hæc pontificum confessio cesserit ipsis in perpetuam perniciè, propterea quòd suo ipsorum testimonio conuincuntur, se audiuisse Euangelium Christi, non autem adhibuisse ei fidem, nobis tamen affert magnam Euangelij Christi confirmationem, quòd quò magis impij cognouerint & repulerint, eò feliciora euentum habuerit. Obseruat hic Origenes, quomodo seiplos prodant Sacerdotes ac Pharisei, quòd data opera, suprã in ipsorum concilio uerba Christi, ut testimonio falso illum grauarent, ad falsum sensum detorserint. Suprà enim de templo cum lapideo, hic uerò de resurrectione corporis sui loquutum esse dicunt. Quòd si de resurrectione corporis sui loquutus est, quomodo ibi dixerunt, Hic dixit, possum destruere templum Dei, &c. Et in cruce pendenti coram multitudine, Vah qui destruis templum Dei. Si uerò de templo lapideo dixit, quomodo iam de resurrectione corporis sui loquutum esse affirmant? Quis non uidet, quàm scienter illic uerba Christi inuertent? Ita solent impij omnia pro libidine animi sui inuertere: & unum hoc spectare, ut semper habeant, quòd prætexant, siue id uerè, siue falsò faciant.

Iube ergo custodiri sepulchrum usque in tertium diem: ne fortè ueniant discipuli eius, & furentur eum, & dicat plebi, surrexit à mortuis.

Vide horum impostorum astutiam, & quàm irrequietas conscientias cum magna anxietate habeant. Affingunt ueritati, pro more suo, mendacia: ac subdola sua consilia, suspitiones item uanas & metum dissimulare non possunt, quin desperabundi dicant, Præcipe itaque Centurioni alicui, ut accepta militum manu uigili custodia sepulchrum cingat, atque obseruet. Ne fortè, quia ille se resurrecturum prædixit, ueniant discipuli eius, & suffurentur corpus eius, plebique persuadeant, eum surrexisse. Obserua astutiam, qua periculum præueniunt, & suspitionem adornant, per quã discipulos & causam Christi, si surrexerit, prægraunt. Sed, obsecro, pie lector, Cur hanc perfidiam, discipulis tribuunt? Quid commodi cederet discipulis ex illo mendacio? Piorum non est, uti imposturis. Tantum animi non habebant discipuli, homines profectò simplices, profus deiecti, ac meticulosi, ut ad monumentũ accederent. Deinde & qui illum sepelierant, & ipsi Christi discipuli, sepulchrum studiosè, ingenti saxo aduoluto, communierant. Ad hæc tam aberat, ut sepultum furarentur, surrexissetque fingerent, ut ægerrimè post resurrectionem excitatum esse crediderint, & ne iis quidem, quæ ab angelis dicta & audita erant, facilè fidem adhibuerint, ita ut postea duriciam cordis eorum hoc nomine

nomine arguerit Christus. Sed quales erant isti impostores, tales alios esse fingunt. Rursus aduerte: hi hypocritæ simulant se curam plebis, tanquam simplicis & incautæ, gerere: cum nihil magis agant, quàm ut regno suo consulant, plebem in corde ridentes & contemnentes. Quasi dicat, Timemus plebi, ne illa seducatur: propterea quòd ad credendum quæuis prona est, adeoque seduci facilis. Sed uideamus. Non solum dixit Christus resurrecturum se tertia die: sed etiam prædixit, quòd esset crucifigendus à Sacerdotibus, Principibus, Scribis & Phariseis. Hoc iã erat completum. Meritò iam timent ne & quòd de resurrectione dixerat, completetur. Quo facto ita inualitram intelligunt fidem Christi, ut nihil amplius aduersus illam profecturi sint.

Et erit nouissimus error, peior priore.

Conscientiæ malæ, sibi cõsciæ, nomine ueritatis, semper uerentur, ne adueniente ueritate, fugentur. Vnde superioribus nebulones isti adiciunt, quòd prætextu tranquillitatis publicæ, & conseruandæ plebis, magis possit prædis animũ cõmouere. Nisi hoc feceris, ô Præses (aiunt) longè periculiosior erit posterior, qui inde sequetur, error, ac perturbatio, quæ fuerit prior. Vocant errorè, sed falsò, siue perturbationem, ueritatem Euangelicam, siue regnum Dei: & aiunt seductam plebem, quòd hunc Iesum, iam crucifixum & mortuum, Messiam esse credidit. Addunt, cauendum, ne locus detur impostoribus discipulis, quo pristinum errorem ita renouent opinione resurrectionis, ut priore peior sit. Sed hoc uerè dicunt, quòd post resurrectionem id ipsum, quòd isti damnarant, ceu errorem, latius propagatum est, quàm fuerat prius. Quòdque latior fortiorque fuit fides Christi post resurrectionem, quàm ante, ut res ipsa declarauit, & testantur Acta Apostolica, ubi tot credentium millia, ex Iudæis primùm, deinde per totum orbem Christo accessisse leguntur. Ita scilicet uerum est, ueritatem per crucem fieri augustiorem, & illustriorem, & (ut Sapiens ait) super impios uenire quòd timent.

Ait illis Pilatus, Habetis custodiam: Ite custodite, sicut scitis.

Prudens Magistratus non quidlibet concedit quibuslibet, sed cum ratione, decoro, iudiciòque dispensare debet omnia. Poterat illis & acriter succensere, & negare, quòd petebant. Verùm diuino consilio factum est, ut instituta eorum & conatus non impedirentur. Faciebant enim ad illustrationem dominicæ resurrectionis. Pilatus ergo non grauatis illorum assentiens, Habetis (inquit) custodiam: Ite, custodite, sicut nostis. Quasi dicat, Concedo uobis pro uoto uestro cohortem: abite modò, ac summa fide ac diligentia, quòd instituitis, facite. Ex quibus colligimus duo. Prius, in Pilato, non tam facilitatem extitisse humanam, quàm uanissimam leuitatem. Alterum, translationem quandam culpæ, quam Pilatus hoc suo responso molitur transferre in Iudæos.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Iudæi accepta militum cohorte constituerunt ad sepulchrum ualidissimam custodiam. Munierunt illud, etiam lapide, qui clauderat cauernam sepulchri, obfignato, ne quid fraudis esse possit, uel in custodibus. Vide obstinatos & cæcos homines, quibus non satis est sepultum esse Dominum in petra, monumento, aduoluto ingenti saxo, esse oclusum: nisi custodes etiam adhibeant: nec id quoque satis est, sigillo lapidem muniunt, ne quid perfidiæ per ipsos custodes designetur: omnia cum summa diligentia ad hoc accurant, ut retineatur Christus in sepulchro. Sed opus rationis humanæ stultum est contra potentiã Christi, quam ignorat, & impedire nequit: quæque quantò resurgentis gloriam obscurare, & opprimere conatur tantò prouicit & illustrat magis. Propterea hæc omnia, quæ hi mo-

FFF



liti sunt & fecerunt, fortissimè cuincunt Dominum uerè resurrexisse: ac dissol- uunt omnes calumnias, præsertim astum illum, quo uideri uolebant Domini cor- pus sublatum fuisse furto, non resurrexisse. Atque interim etiam declarant hæc, quàm trepidant impij, quàmque nihil securitatis habeant ipsorum inania gaudia.

CAPITIS VIGESIMI OCTAVI

Epitome.

Christus resurgens, custodes perterruit, suam resurrectionem, per Angelos, mulieribus, & per mulieres, discipulis patefecit: Iudæi uerò data custodibus pecunia, illam celare non potuerunt.

CAPVT XXVIII.

Mulieres ui- sitant sepul- chrum. Marc. 16. b. Ioan. 20. c. Angelus.



ESPERE autem sabbathi, <sup>a</sup> quæ lucefcit in prima <sup>b</sup> sabbathi, uenit Maria Magdalene & altera Maria, uidere sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidè, & sedebat super eum. Erat autem <sup>c</sup> aspectus eius, sicut fulgur: & uestimentum eius, sicut nix. Præ timore autè eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere uos. Scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hîc surrexit enim, sicut dixit. Venite, & uidete locum, ubi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce <sup>d</sup> præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis. Ecce prædixi uobis. Et exierunt citò de monumèto, cum timore & gaudio magno, currètes nuntiare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicès: Auete. Ille autè accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodi- bus uenerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt principibus Sacerdotum, omnia, quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum, nobis dormi- entibus. Et si hoc auditum fuerit <sup>e</sup> à Præsidente, nos <sup>f</sup> suadebimus ei, & <sup>g</sup> se- curos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edo- cti. Et diuulgatum est uerbum istud apud Iudæos, usque in hodie- num diem. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in mon- tem, ubi constituerat illis Iesus. Et uidentes eum, adorauerunt: qui- dam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus

<sup>a</sup> quæ Iqui  
<sup>b</sup> Sabba-  
thi] sabb-  
thorum, &  
initia.

<sup>c</sup> Aspectus  
species, for-  
ma.

<sup>d</sup> Præce-  
der] præce-  
dit.

<sup>e</sup> A præsi-  
de] subpre-  
sente, id est,  
si res apud  
illum iudi-  
cem agi-  
tur.

<sup>f</sup> Suadebi-  
mus ei] su-  
adebi-  
mus ei, ut  
placabitur  
eum.

<sup>g</sup> Securos  
uos facie-  
mus] uos  
berabimur  
uos omni-  
sollicitudo-  
ne.

Surrexit chri- stus.

Christus con- spicitur à mu- lieribus.

Fratres.

Resurrexisse Christum Iu- dæi non cre- dunt.

Christus in Galilæa ado- ratur ab Apo- stolis.

Mittit Apo- stolos ad præ- dicandum. Marc. 16. d.

sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandauit uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

Vespere autem sabbathi, quæ lucefcit in prima sabbathi.

**D**escripturus Domini Resurrectionem Matthæus, in primis designat tempus quo resurrexit Dominus, principium uidelicet diei tertie. Marc. cap. 16. paulò apertius scribit, dicens, Et cum transisset sabbathum: mox sequitur, Et ualdè mane una sabbathorum. Primo loco, Matthæus sabbathum intelligit diem Paschæ sanctum: Primam uerò sabbathi siue primum sabbathorum, nominat primum diem in hebdomada. Et Marcus, dicens, una sabbathorum, unam posuit pro primam. Et sabbathum aliquando u- surpari pro hebdomada. Potest autem rectè hic explicari locus ad hunc modum: Postquam uerò sabbathi dies transisset, & adesset uespera sabbathi prio- ris, cuius finem excipiebat diluculum diei sequentis, qui primus erat hebdomadæ successuræ, hoc est diei, qui nobis Dominicus dicitur, summo mane surrexit Do- minus. Et hac eadem hora uenerunt mulieres.

Vna dies sab- bathorum pro prima die hebdomadis

Sabbathum p- hebdomadæ.

Venit Maria Magdalene, & altera Maria, uidere sepulchrum.

Sanctus Marcus paulò copiosus & apertius explicat causam aduentus mulie- rum ad sepulchrum: uidelicet, quòd uenerint uncturæ Christum. Quæ unctio arguit incredulitatem ipsarum, quæ credere debebant, iuxta Christi (quem prædi- cantem audierant) promissa, ipsum resurrexisse. Tamen autem hæc, & quas su- periore capite legimus, nondum plenè & rectè sentiant de regno & maiestate Chri- sti: tamen quia audiuerunt Euangelium eius, & agnouerunt in eo mysterium perpetuæ salutis, tam honesto tamque ardenti amore complexæ sunt ipsum, ut non solum, uiuentem adhuc, facultatibus suis adiuuerint & comitatæ sint, ut scri- bitor Luc. 8. cap. uerum etiam sublato iam ipso in crucem, cruci adfiterint, ac nullo etiam uim impendio parserint, quo & aromata emerent, & mortuum quoquo honore possent, prosequerentur, ac amorem suum (quem erga ipsum habuerunt) restarentur. Ad has eximias charitatis & liberalitatis uirtutes, accedit etiam fortitudo animi, qua contemnunt præsentia omnia pericula, quæ ipsis peregrinis: uel à custodibus sepulchri, uel ab alijs Iudæis impendebant. Et quanquam stultæ uideân- tur, quòd conentur corpus Christi ungeri, cum sciant sepulchrum tam custodia, quàm grandi saxo munitum esse, amor tamen (quem hic conatus prodit) ut mini- mè stultus, ita maximè fortis esse iudicandus est. Sic accensæ dilectionis affectus infractus & inflexibilis esse solet. Conatur enim ea, quæ uidentur alioqui impossi- bilia: nec ullum periculum tam grande est, quod studio & amore dilecti non susci- piat, aut à quo uel precibus uel minis deterreatur. Quare ut magna est fortitudo a- nimi harum mulierum, ita nobis exemplo earum capeffendus est affectus dilectio- nis erga Christum, ut, cum agnoscamus beneficia Christi, sincero ipsum amore sectemur. Sed enim uidentur hæc mulieres ignorasse, diligentiam Iosephi & Ni- codemi circa corpus Domini, quod condierant aromatibus myrrhæ & aloes: & ob eam rationem comparant sibi aromata, quibus, si antea unctus non esset, sepul- tum ungerent, iuxta consuetudinem Iudæorum, qui honestorum uirorum corpo- ra ungebant huiusmodi aromatibus. Certè aut nondum unctum, aut non satis pu- tabant, aut officium officio cumulare uolebāt. Obserua: ipsas repetit mulieres quas federe contra sepulchrum dixerat, scilicet Magdalenam & alteram Mariam. Hæc uenerunt summo mane, ut sepulchrum uiferent, & si quo modo ad corpus possent accedere mortui, præparatis ungentis ipsum ungerent.

Mariarum cha- ritas, liberali- tas & fortitudo.

Charitas ni- hil non au- det.

Supr. 27. cap.



Et ecce terræmotus factus est magnus.

Terræmotus in passione & resurrectione Christi quid designabat.

Resurrectionis opus quod admirabile.

Si angelus tantum potest, quantum Deus posse putandus?

Christus in resurrectione, angelorum ministerio quare uti uoluit.

Testimonio de celo & terra uti uoluit Christus, quod resurrexisset.

Quemadmodum terra in morte Christi contremuit & mota est: ita contremisit etiam & mouetur in resurrectione eius. Et hoc, ceu quodam prognostico significatur, prædicatione mortis & resurrectionis Domini: omnia regna mundi olim concussum iri, ita Aggeus. 2. cap. prædixit: deinde omnes uires huius seculi conuellendas, & cessuras potentia Christi. Profectò ingens est hoc miraculum: quo primùm Deus ipse testatus est: se hoc tempore, quo terra mouebatur, noua, admiranda, adeoque stupenda agere. Hic item terræmotus typus est futuri terræmotus, quo tellus, ubi reddenda erunt mortuorum corpora, concutietur. Vocula (ecce) ostendit, hæc ab Euangelista scribi cum admiratione. Resurgit enim sua uirtute Iesus Christus: quo opere uix est unquam ullum aliud aut maius, aut præstantius, in toto orbe terrarum factum. Quasi dicat, ecce dum appeteret resurgendi illud sacrosanctum, & omnibus seculis expectatum tempus, terræmotus ingens tellurem concussit, potentia nimirum Dei per angelum operante, & ueluti telluri impulsæ præcipiente, ut corpus Domini sibi creditum redderet. Et ecce, supple, tum cum mulieres pergerent ad sepulchrum, unctura Dominum, ad ostensionem terribilis potentia & maiestatis Christi, qua mortis uictor, iam tum de corde terræ uel surgebat, uel resurrexerat, factus est subitus & uehemens terræmotus. Quid, quæso te, expectandum est in descensu Christi, si tantum potest descensus angeli?

Angelus enim Domini descendit de celo. Et accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Cum mulieres in uia consultarent inter se, quomodo possent amoliri lapidem ab ore monumenti (erat enim maior, quam ut fœminicis uiribus posset amoueri) Ecce Angelus Domini descendit de celo, amouitque saxum ab ostio monumenti, ac deinde insedit illi. Quid ad hæc dicendum est? An Christus, qui resurrexit, qui uicit mortem, non potuit lapidem ab ostio monumenti amouere? Certè potuit. Quid enim Christo potentius est? Voluit autem non propter se, sed propter nos, manifesto angelorum ministerio uti, partim ut significaret nobis, se iam per resurrectionem in tantam maiestatem peruenisse, ut etiam Angeli necesse habeant ipsi seruire: partim ut haberet cœlesti testimonium, quod uerè à mortuis resurrexisset. Non enim fuit contentus Christus seipsum uiuum ac manifestum discipulis conspiciendum ac palpandum exhibere, sed uoluit ante sui reuelationem testimonio & prædicatione angelorum, quasi per gradationem, uti, quod discipulos præpararet, ut maiori animi cupiditate ipsum uiuentem susciperent. Nam quemadmodum præmissus est Ioannes Baptista, quem & ipsum scriptura Angelum uocat, cum Christus in terra inchoaturus esset prædicationem Euangelij sui: non quod indigeret Christus humano testimonio: sed ut homines, testimonio Ioannis in fide confirmarentur: Ego, inquit, testimonium non accipio ab homine, sed hæc dico, ut uos salui sitis: Ita quum Christus iam intrasset resurrectione sua in gloriam patris sui, & reuelaturus esset discipulis suis, se iam accepisse regnum cœlesti, præmittit etiã Angelos (qui sunt ciues cœlestes) ut horum testimonio, fides resurrectionis Christi, inter homines confirmaretur.

Erat autem aspectus eius, sicut fulgur: & uestimentum eius, sicut nix.

Hypotyposis est Angeli ab aspectu & uestibus. Erat species Angeli, similis fulguri: ac uestimenta eius niueo lucentia colore. Quæ nobis adumbrant Euangelium à potentia sua & officio. Resurrexit gloriosus & triumphator. Christus, per totum orbem prædicatione Apostolica resplendens: & uisibili aspectu uisus est Angelus, significas, Iesum corpore uisibili resurrexisse. Angeli (quod ad ipsorum naturam attingit) non sunt corporei: itaque hominibus per se inuisibiles sunt: sunt enim spiritus.

Sed ut uideri, & ab hominibus percipi queant, assumunt sibi pro præsentis rei aut negotij commoditate externos habitus. Et assumunt eos non ut perpetuò gestent, sed ad tempus, donec ministerium in hoc mundo, ad quod mittuntur, confecerint. Sic apparent Abraham & Lotho Angeli habitu uirorum peregrinorum. Sic apparet Israëlitis Angelus in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Sic apparet Iosue Angelus habitu uiri armati, & tenentis gladium euaginatam. Et, ut uno uerbo absoluam, Ecclesia Christi receptissimum habet, & palam decantat, Angelos, natura quidem sua spiritus esse, in hoc autem mundo pro humano captu assumpta corporea quadam figura, apparere.

Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt, uelut mortui.

Concussione telluris, & aspectu Angeli expauescunt custodes, aded sunt examinati, ut mortuis similes, stupefacti iacerent, tandem & aufugerent. Sed quid audio? Resurrectio Christi uita nostra est: sed ecce, cum reuelatur, custodes facti sunt, uelut mortui. Varia est resurrectionis efficacia. Alii est perpetua uita & fœlicitas: Alii est perpetua mors & damnatio. Sed quomodo uita ipsa, potest esse mors? Dic ergo tu uicissim: Quomodo lux possit esse excæcatio? An non excellens solis splendor obtenebrat oculos hominis: Hoc autem non fit splendoris, sed imbecillium oculorum uitio. Sic & resurrectio Christi mors est & damnatio impiorum: non quidem resurrectionis Christi, sed impietatis humana uitio. Cum enim impij contemnant Christum & persequantur ipsum, fieri non potest, quin maiestas Christi afferat impijs præsens exitium. Necessè igitur habent, in maiestatis eius reuelatione trepidare. Sed quantum resurrectio Christi impijs formidabilior est, tantò accipior iucundiorque est uerè pijs, qui in ipsum credunt. His enim resurrectione Christi, affertur iustitia, uita, & perfecta fœlicitas. Quare hoc nobis maxime omnium agendum est, ut Christo nos committamus, & ipsum uiua fide complectamur. Obserua. Quanquam historia de custodibus, hic intermittitur, resumitur autem postea, testans custodes abiisse in urbem: euincunt tamen circumstantiæ omnes, & reliquorum Euangelistarum contextus, quod aduenientibus mulieribus nullus adfuit custodum.

Respondens autem Angelus, dixit mulieribus, Nolite timere.

Redit noster Euangelista ad absoluendam eam historiam, quam paulò ante ceperat contexere, de mulieribus, ad sepulchrum uenientibus. Hæc transacto sabbato magno seu festo Paschæ, cum iam nox esset, & principium sequentis diei, emigrant aromata, quæ per noctem (quam haud dubiè pertraxerant insomnem) parauerant. Summo autem diluculo diei (qui nobis est Dominicus) ueniebant ad monumentum, ut ungerent Iesum. Et inuicem anxie erant, quem haberent, à quo adiutarentur ad tollendum lapidem ab ore sepulchri. Sed non sustinet Domini corpus, mortuorum more inungi: quia immortale factum, terrenis atque corruptibilibus rebus non indigebat. In cœna Bethaniensi passus est Christus se inungi, ac tunc substituit in locum suum pauperes. Quisquis ergo Christo erat quidpiam impensurus, impendat aut diuino cultui necessariis, aut pauperibus. Cum uerò uiderent mulieres reuolutum lapidem, & omnia esse tuta, ingressæ in monumentum, uident Angelum Domini, ad cuius aspectum & ipsæ terrentur. Ante expauerunt custodes, nunc etiam expauescunt mulieres. Sed aliter illi, aliter hæc. Illi expauerunt in perpetuum ipsorum interitum, quia non solum non crediderunt, sed etiam accepta pecunia, quemadmodum postea sequitur: mentiti sunt de sublato corpore Christi, aduersus suam ipsorum consciëntiam. Vnde moeror & terror infidelium & impiorum perpetuus esse debet, quemadmodum pietatis perpetui sunt

Angeli incorporei hominibus corporeis quomodo uidentur & apparent.

Varia resurrectionis efficacia.

Vita mors quomodo esse queat, & contra.

Impiis formidabilis, pijs uerò iucunda resurrectio.

Christo iam immortali nihil est opus unguento, pauperes pro se substituenti.

Aliter terrentur pijs, aliter impijs.



hostes. Terror uerò piorum consolationem meretur. Sunt enim amici Dei, & in illius gratia constituti. Vnde, quia hæc mulieres piæ & officiosæ erant erga Christum, expauescunt quidem: sed hic pavor & mæror est ad salutem, & merentur consolationem, quam (ut uidemus) mox audiunt. Angelus enim confirmat atque consolatur pia ipsarum corda. Ne timueritis (inquit) uos: quæ uidelicet ex fide & dilectione Christum queritis. Voculam (uos) notanter adicit. Quasi dicat, Nolite timere uos, nimirum quæ bono animo estis erga Christum. Ad hoc enim ordinati sunt Angeli, non ut timidos reddant stupidos, sed ut erigant, & consolentur. Astus Satanæ est, ut quem inuenerit meticulosum, eum terroribus adigat ad desperationem. Quem autem inuenerit confidentem, eum præfactum reddat, impudentem, temerarium, præsumptorem: ad eum ut siue metuas, siue confidas, nihil aliud mediteris, quàm perditionem. Certè increduli iustas causas habent, cur expauescant: non item credentes.

Studia Angelorum Dei & Satanæ, pro: sus contraria

Scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, queritis.

Aetiologiam, cur expauescere non debeant, addit. Scio (inquit) uos esse de amicis & credentibus in Iesum. Scio, quia amatis Iesum, uos hic esse. Proinde, non est, quod uobis à me quicquam timeatis. Adsum enim non contra uos, sed pro uobis. Hic locus ostendit, quod Angeli reuelante Deo, sint cogitationum & conatum nostrorum conscij. Hoc eum intelligamus, summa nobis dauda est opera, ut non solum nihil turpe aut fædum externo opere faciamus, sed etiam ne cogitemus quidem: ut ne turpitudine cogitationum nostrarum, propulsemus à nobis Angelorum defensionem, & reddamus nos Angelorum ministerio indignos.

Angeli, cogitationum nostrarum conscij.

Non est hic: surrexit enim.

Omnium iucundissimum est hoc nuntium, Surrexit. Quo quid potuit nobis lætius, acceptius, & magis salutiferum contingere? Nam si Christus resurrexit, nostra est remissio peccatorum, nostra iustitia, nostra uita, & perpetua felicitas propter Christum. Quasi dicat Angelus: Christus resurrexit, & ideo nolite timere. Corpus enim Christi antea crucifixum & sepultum, non erat iam in sepulchro, sed rediuiuum surrexerat è sepulchro & ex mortuis. Obserua: in uoce crucifixus, ostendit Christum, ut ut mundus contemptam & abiectam personam cum duxerit, tamen potenter & reuera resurrexisse. Non est hic, inquit: hoc est, iam reliquit sepulchrum. Hæc est prima concio de resurrectione Christi, qua concione Angelus non solum tollit errorem de sublato corpore Christi, quemadmodum Maria Magdalena suspicabatur, sed etiam affert cœlesti testimonium, quod Iesus resurrexit à mortuis.

Ex resurrectione Christi quantum piis fructus.

Sicut dixit.

Propter ueritatem Christi adstruendam, reuocat Angelus mulieres in memoriam uerborum Christi. Et ne quis fortasse existimaret, ipsum hoc nuntium magis sua, quàm Christi autoritate afferre, ait, Sicut dixit. Ac si dicat, Nihil à me ipso excogito, sed hoc affero nuntium de Christo, quod ipse antea prædixit. Luc. 9. ca. Oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & Principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. Idem habent Marc. 1. & Matth. supra. 17. Vehemens admodum & proximum est hoc probationis argumentum, sicut dixit. Christus ueritas est: ueritas mentiri nescit. Dixit autem se sicut moriturum, ita & resurrecturum: & sicuti prædixit, mortuus est: ergo uerè resurrexit. Obserua hoc loco ueras & præcipuas partes boni concionatoris, ab exemplo Angeli, qui nihil diuersum contrariumue à uerbo Christi aut Euangelio eius concionatur.

Venite, & uidete locum, ubi positus erat Dominus.

Probationis argumento Angelus adiungit experientiam ac demonstrationem

ocularem. Venite, & uidete locum: qui corpore uacuum, corporis adhuc habet uestrigium: habet & corporis exuias, lintea, quibus fuit inuolutus. Hæc uobis fidem facient, si mihi parum creditis. Veniunt, uident, & reperiunt loculum uacuum, & sunt oculatæ & irrefutabiles testes. Qui cœlum & terram replet, non erat illic, qualem eum quærebant mulieres. Quærebant enim ipsum, mortuum, quærebant ungendum, quærebant putredini obnoxium. At talis minimè illic erat. Sed præsto aderat uiuus, licet adhuc inuisibilis. Aderat ipse, uncturus discipulos Spiritu sancto. Aderat uictor mortis. Aderat dominator in cœlo & in terra. Hæc est gloria & maiestas Christi: in quam per resurrectionem suam intrauit, & uenit ad patrem gloriosus. Obserua, hic Angelum uocare Christum, Dominum: nec dicere Dominum, meum, aut uestrum: sed simpliciter, Dominum: nimirum, Dominum uniuersorum.

Christus, simpliciter Dominus.

Et citò euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit.

Discipulos sciebat in magno mærore esse, ideo non uult illas in tanto gaudio esse otiosas. Sed confirmato nuntio suo, tam ex ipsis Christi uaticiniis, quàm ex loci ostensione, amandat illas, & facit Apostolorum apostolas. Propere abite (inquit) & annuntiate hæc, quæ uidistis, reliquis discipulis, morte Domini sui mæstis: in primis quod resurrexerit Christus. Quid? An non tu ipse, ô Angele, hæc discipulis annuntiare potes? An non alijerant Angeli, qui hoc indicarent discipulis? Certè sunt innumerabiles Angeli: sed mulieres fiunt nuntia Apostolorum. Sic enim uisum est Deo, qui deligit imbecillia in mundo, ut fortia confundat, & robusta pudefaciat.

Mulieres, Apostolorum Apostolæ.

Et ecce, præcedet uos in Galilæam.

Argumento à signo, magis confirmat Angelus nuntium suum de resurrectione Christi: refricans utique uerba Domini, quæ in cœna ultima dixerat: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Quasi dicat. Erit uobis & hoc certissimum resurrectionis eius signum, quod præcedet uos (ut est pollicitus) in Galilæam.

Ibi eum uidebitis.

Confirmaturus magis suum nuntium Angelus, promittit, quod mulieres cum discipulis uidebunt in Galilæa Dominum. Illic (inquit) uidebitis eum ut non solum ex meo nuntio, uerum etiam & suo ipsius conspectu, cognoscatis eum resurrexisse à mortuis. Illic enim uidebitis, hominem nimirum uerum, sed à corruptione interim liberum. Non tamen spiritum, sed corpus uerum. Licebit tum eum aspiciere uiuum: quem luxistis mortuum. Quod tamen non est confestim à resurrectione factum. Nam, ut in Ioâne uidere est, Nimirum ad octauum usque diem: Ierosolymis restiterunt discipuli. Postremo deinde capite legitur, quod illis Dominus, ad mare Tyberiadis piscantibus, uisus sit. Nec putandū est, quod primum & tantum in Galilæa uisus esset Dominum, cum per octiduum uisus sit illis Ierosolymis: & circum eam urbem. Sed quod in Galilæa sæpius & exactius illum esset uisuri. Aut loquuntur tam Christus, quàm Angelus de magna illa & publica apparitione: qua Christus reuelauit se in Galilæa omnibus discipulis, in monte (ut putant) Thabor, de qua & Paulus, 1. Corinth. 15. Deinde uisus est plus quàm quingentis fratribus simul. Nam prius quàm hæc publica facta est apparitio, reuelauit se Christus sæpenuerò priuatim suis, nunc mulieribus, nunc uni aut alteri discipulorum, nunc undecim Apostolis quemadmodum postea explicabimus.

In Galilæa uisus Christi rediuiuus.

Ecce prædixi uobis.

Admonet certò futurum, quod dictum est. Quasi dicat: non est, quod addubitetis: Ita experiemini, quemadmodum iam dixi uobis. Ego, quod uerum scio, uobis manifestaui: Angelus sum, testis ueritatis, qui ueritatem uobis proposui in-



dubitata. Quod ad me attinet feci, & meo functus sum officio. Reliquum est, ut credatis: & experiemini me uera uobis prädixisse. Habemus iam resurrectionis Domini uerè solidum Angeli testimonium. Cui nemo, nisi qui sit impiissimus, diffidit.

Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius.

Inspecto monumento, & audita concione Angeli, celeriter festinant ad urbem, partim pauidæ & timentes ob magnitudinem miraculi, & Angelum uisum, uel quòd pro ingenio humano nonnihil adhuc fluctuârunt in re, quam sic omnino habere cupiebant ex animo: partim ingenti gaudio correptæ ob Euangelium auditû, & ob spem & desyderium uidentis Dominum rediuium. Curruntque, seu uelociter ambulant. Velox enim ambulatio in muliere graui, cursus esse censetur. Què admodum legitur, quòd discipuli præ gaudio, id est, nimio desiderio Domini, & miraculi insolentia, uix credere eum resurrexisse poterant. Ita luctabantur in animis mulierum, hinc gaudium de annuntiata resurrectione per Angelum, illinc metus, propter miraculi insolentiam, donec ipso conspecto Domino in itinere, planè de ipsius resurrectione certæ reddebantur. Et ipsi Apostoli non statim crediderunt nuntiantibus resurrexisse Dominum, nisi prius ipso conspecto Domino. Tale quid accidit & Iacob Genes. 45. ubi posteaquam annos iam aliquot filium suum Ioseph amissum insolabiliter luxerat, audit à reliquis filiis, ex Aegypto reuersis, illum adhuc uiuere, & dominari in tota Aegypto. Præ nimio tamen desyderio filij, quem omnino credebat extinctum, quæ de uita & dominio illius nuntiabatur, credere non poterat: seu, difficillimum fuit illi hoc persuadere. Obserua: uerbum, currere, testatur fidem, timorem, & gaudium magnum mulierum: quæ cū abeât, nuntiatuæ Euangelium discipulis, ostendunt charitatem non esse otiosam: quæ cupiat dispartiri aliis, quod ipsa cognouit.

Et ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete.

Quòd certiora possent nuntiare mulieres, inter eundem Dominus sit obuius illis: sicuti nuspam suos deserit, ac piis sese semper benignè impartit. Salutauit autem atque consolatus est illas. Agedum, philâthropiam Christi specta in hac saluatione. Non obuiat mutus, sed prior loquitur, & uocem profert resurrectioni suæ conuenientissimam. Dicit enim, χαίρετε, id est, gaudete, seu auete. Quæ uox non est nobis oscitanter negligenda: sed, ut cœleste oraculum, excipienda. Christus enim apportat eam è regno patris sui, in quod sua resurrectione intrauerat: ut per eam statim significaret, quis esset fructus quòdque commodum resurrectionis suæ. χαίρετε enim (quod nos dicimus, auete) usurpatur in salutationibus: propriè uerò significat gaudere, aut læto animo esse. Nihil autem est in tota rerum conditione, quod nobis iucundio rem animi lætitiâ attulerit, quàm resurrectio Christi. Per hanc enim translati sumus in Christo, è peccato in iustitiam, è morte in uitâ, adeò que è terra & inferno in ipsum cœlum & perpetuam maiestatem. Ephes. 2. Cū effectus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & cõsidere fecit in cœlestibus, in Christo Iesu. Quare, quod Christus dixit, auete, sic accipiendum est, ut sentiamus hac una uoce, non tã fructum resurrectionis explicari, quàm ceu epitomen totius Euangelij contineri. Commendatur etiam hîc nobis salutandi officium. Commune quidem, quod ad uerba attinet, piis & impiis: re ipsa tamen, piis proprium. Non est enim uerus amicus, qui non uerè & in Deo diligit. Ideo exigitur à nobis, ut non uerbis tantum, sed & ipso opere diligamus. Obserua, Christum propria & solita uoce salutasse has mulieres. Illæ autem acceperunt, & tenuerunt pedes eius: & adorauerunt eum. Mulieres sumpto animo, & uiso agnitòque Domino, continuò acceperunt pro-

Luc. 24.  
Quod enim  
euenire cupi-  
mus, uix cre-  
dimus eueni-  
re potuisse.

Charitas non  
otiosa.

Comitas  
Christi.

Nihil lætius  
piis resurre-  
ctione Chri-  
sti.

Verbo Chri-  
sti rediui,  
Auete, sum-  
ma toti Euā-  
gelij compre-  
hensa.

Auete, uox  
Christo fami-  
liaris.

pius, & adorabundæ in genua procumbentes, pedes eius, quantis potuerunt uiribus, fortissimè complexæ sunt, tale quippiam disturæ, Tenemus te iam, ô animo nostro charissime: tenemus te dulcissime magister. Et adorauerunt eum. Præterea contrectauerunt ipsius rediuium corpus. Quod ipse benignè concessit, quòd certior esset cognitio resurrectionis & solidior. Obserua. Hic accessus ad Christum, spectat ad uiuam fidem: Cuius opera & gestus sunt, tenere pedes Christi, & cum adorare. Certè Christus à nobis tenendus tractandusque est manu spiritali quæ est, fides charitati coniuncta: quam si extenderis, iam re uera Christum tenes. Cõmitte te ipsum Christo, credens in eum, & quòd ipse sit Christus: quòd expiauerit morte sua peccatum tuum, cuius pœnitentia teneris: quòd impetrauerit tibi resurrectione sua, ut propter ipsum habearis iustus coram Deo, si fueris ei obsequutus, & habeas uitam æternam. Hoc si feceris, Christus ita captus erit, ut quicquid peccatis propter ipsum, consequaris. Sic ceperat quondam ipsum nondum humana carne indutum, Moses, & ita fortiter tenebat, ut Dominus ipse diceret ad Mosè, Dimitte me, ut irascatur furor meus contra populum, & deleam eos, Exod. 32. Sic tenebat eum, iam hominem factum, mulier Cananæ: quæ ne canis quidem cognomine moueri potuit, ut dimitteret ipsum. Vnde & audiuit, ô mulier magna est fides tua: fiat tibi, sicut uis. Sic comprehenderat ipsum, iam in cœlo regnantem Paulus, cùm diceret, Roma. 8. cap. Certus sum, quia neque mors, neque uita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Extendamus igitur manus fidei uiuæ: & sic apprehendamus Christum, ut & nos ab ipso apprehendamus, & semper cum illo maneamus.

Tunc ait illis Iesus, nolite timere.

Vbi plenè sic edoctæ, nil iam dubitarent amplius de resurrectione uera Domini, ut rectius quoque discipulis plenum Euangelium nuntiare possent: Nolite, inquit, timere. Quasi dicat, excutite corde metum. Quandoquidem uici mortem, peccatum, diabolum, mundum, atque infernum. Hæc incutiebant timorem: hæc ego uici, cõfidite in me, & iam gaudete. Vide: non ait, nolite gaudere, sed nolite timere: timorem illis adimit, non gaudium. Ita scilicet Christus ferre non potest, ut suo nomine quisquam in timore fluctuet. Resurrectio Domini non adfert materiam timoris credentibus, sed ueri ac perpetui gaudij. Obserua: Repetit Christus planè eandem concionem, quam supra habuerunt angeli, & iisdem propè uerbis, ut confirmet autoritatem, Angelici testimonij: & significet nobis, non hoc agendum esse, ut subinde aliud atque aliud Euangelium audiamus: sed ut idem, & uetus Euangelium percipiamus. Nec quouis uetò doctrinæ feramur, sed persistamus in fide Euangelij Iesu Christi, & in eo conseruemur cum sponsa Christi, matre nostra, Ecclesia catholica. Hic igitur uides in omnibus consensum & Domini & ministri Angeli, uidelicet in ueritate resurrectionis.

Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt.

Quòd rectius perciperent, quæ essent dicenda, ademerat illis omnem pauorem. Quo adempto, idè illis mandat, quod Angelus. Ite (inquit) ad discipulos meos, & nuntiate illis fratribus meis, quæ uidistis: uidelicet, quòd resurrexerim. Et iubete eos proficisci in Galilæam: ibi me uidebunt. Notandum est hîc, quòd Dominus discipulos, suos fratres uocat. Angelus non dixit, Ite, nuntiate fratribus eius: sed discipulis eius. Nec discipulorum quisquam uocauit Christum, fratrem suum, sed Dominum ac Deum. Discamus igitur philanthropiâ Christi erga discipulos, quos loco fratrum habet. Rursus, quo loco discipuli habeant Christum, nempe loco Domini ac Dei sui. Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Certè discipulos suos Dominus fratres hîc uocat, ut discipuli, qui ab ipso paulò antè defecerant,

Fide charita-  
ti coniuncta  
tangendus  
Christus.

Christus à no-  
bis uina fide  
captus, nihil  
negare po-  
test.  
Tenuerunt  
Christum Mo-  
ses,  
Mulier Can-  
anæ,

D. Paulus.

Christus hic  
cit omnia,  
quæ homini  
incutiebant  
timorem.

Vnum & i-  
dem Euange-  
lium semper  
audiendum.

Christus di-  
scipulos suos  
quare fratres  
uocat.



confirmarentur in fide: utque nos, qui per discipulorum eius uerbum credimus. In Christum, agnosceremus cognationem nostram, quam habemus in Christo per fidem uiuam: uidelicet, quod, cum fratres Christi simus, pertineat etiam ad nos ius cœlestis hereditatis: ut simus, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Hęc uidentur esse leuia, quia sunt in doctrina Christi uulgaria & protracta. At si quis cogitatione sua excutiat, quanta sit maiestas Christi, quanta ite magnitudo cœlestium bonorum: is certe aliquo modo etiam intelliget, quanta, quaque inestimabilis & incredibilis sit dignitas, fratrem & cohæredem Christi esse. Gloriantur homines, quod genus suum ducant à ueteri & regia aut principali prosapia: Et tamen si homines diligentius perscrutentur originem generis sui, deprehendent nos omnes à peccatoribus peccatores, à mortalibus mortales, & à perditis perditos descendere. Hęc est nobilitas nostra, quam omnes ex uno parente Adamo consequimur. Quanta ergo gloria est, filium Dei esse, fratrem Christi esse, & propter Christum, iustum, immortalem, ac perpetuo saluum fieri: Hac nobilitate nihil potest nec dignius nec excellentius excogitari.

Nobilitas nostra, quæ & quanta.

Quæ cum abiissent, ecce, quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem: Et nuntiauerunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.

Redit Euangelista ad milites. De quibus narrationem, superius cœptam, abruptit, interea docens aduentum mulierum ad sepulchrum, ipsasque ablegatas ab Angelo, & à Domino, resurrectionem ueram docente. Vox, Ecce, attentionis est particula, qua utitur Euangelista, ut ostendat se dicturum de re magna & horribili. Sensus uerborum hic est, Interea, dum Angelus, ac ipse Dominus cum mulieribus loqueretur, peruenerant in urbem Ierusalem milites: ibique aperte de resurgenti gloria coram principibus Sacerdotum disseruerunt: nempe quod Angelus de cœlo descendit, & incusso terræ motu, lapidem ab ostio monumenti, clausi & obfignati, amouit: ipsis interim militibus, Angeli metu, propemodum exanimatis. Non humano autem, sed diuino haud dubie consilio factum est, ut & principibus Sacerdotum, qui mortis Christi causa fuerat, & sepulchrum custodibus ac sigillo munierant, maiestas dominicæ resurrectionis nuntiaretur: idque nec à mulieribus nec à discipulis: sed ab ipsis custodibus, quos sepulchro addiderant. Licet enim ista cognitione dominicæ resurrectionis nec fuerint exhilarati, nec bene usi, oportuit tamen eos, postquam deploratè impij erant, etiam hanc ueritatē de excitato Christo (quam suis mendacijs oppugnaturi erant) antea cognoscere, ut contra suas ipsorum conscientias ueritatem reprobantes, proprio iudicio condemnarentur.

Principibus Sacerdotum in primis resurrectionis Christi nuntiat.

Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.

Cum hæc audissent à custodibus Sacerdotes & impij scyphanta, initorum consilio cum Senioribus, cum res manifestior esset, quam ut de ea posset dubitari, mendacium ab illis pecunia redimunt. Custodes (inquit sanctus Hieronymus) miraculum confitentur, ad urbem conciti redeunt, nuntiant principibus Sacerdotum, quæ uiderint, quæ facta conspexerint. Illi, qui debuerant conuertere ad poenitentiam, & Iesum querere resurgentem, perseuerant in malitia: & pecuniam (quæ ad usus templi data fuerat) uertunt in redemptionem mendacij, sicut antea triginta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur, qui stipe templi, & iis, quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur ad alias res, quibus suam expleant uoluntatem, similes sunt Scribarum & Sacerdotum, mercantium menda-

Sacram pecuniam prodigunt Sacerdotes, & expendunt ad maleficia.

cium, & Saluatoris sanguinem. Hactenus. S. Hieronymus.

Et si hoc auditum fuerit à præfide, nos suadebimus ei, & securos uos faciemus.

Pontifices & Seniores securitatem custodibus pollicentur, qua erant apud præfidem autoritate. Si auditum fuerit, &c. aiunt, Nondum sumptuum & laborum finis erat. Quia necesse habuerunt, etiam coram præfide hoc mendacium defendere: & quod beneuolentiorē habeant iudicem, muneribus eum corrumpere. Si hoc (inquiunt) auditum fuerit à præfide, nos persuadebimus ei, & securos uos faciemus. Perinde ac si dicerent: Quod si hæc causa atque oscitantia siue negligentia inertiaque uestra in accusationem apud præfidem deuenit, nos placabimus eum, & liberabimus uos omni sollicitudine. Vide, quanta cura, quanto labore & sumptu his hierodulis constet, ut impietatem & mendacium defendant, & opus Dei impediant! Tam uidelicet profusi sunt in ueritate opprimenda: qui tenacissimi haud dubie fuerunt in iuuandis pauperibus, rebisque Ecclesiasticis conseruandis. Obserua: Magna emphasis inest pronomini, Nos. Securè præscribunt mentiendi formulam, ita tamen compositam, ut hic quoque uerum esse appareat, quod propheta psal. 26. dixit, Mentita est iniquitas sibi. Nam malè memores illius pro- uerbij, Oportet mendacem esse memorem: dicite, inquiunt, quod discipuli nocte furati sunt corpus. Si enim dormiebant custodes, quomodo cognouerunt discipulos furatos fuisse corpus?

Magno impijs sua constat impietas.

Mendax idè & memor.

At illi, accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edocti. Et diuulgatum est uerbum istud apud Iudæos.

Quid sit? Pecuniæ (aiunt) obediunt omnia. Hi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti: & vulgauerunt inter Iudæos, corpus Christi, à discipulis sublatum esse. Hi custodes typum gerunt eorum, qui questus gratia prædicant mendacia contra Euangelium: & ueritatem agnitam mendacijs operire contendunt, imò confictis mendacijs oppugnant. Nam cum Sacerdotum consilium de adhibitis custodibus nihil promouisse cognoscerent, & intelligerent exterritis custodibus Christum magna cum maiestate resurrexisse: excogitant impij aliam uiam, qua elabantur. Et iam nõ tantum ingenium exercent suum, uerum etiam magnos pecuniæ sumptus faciunt: & mendacia pudenda comminiscuntur, ut opera Dei, si non omnino impediant, non nihil tamen obscurent. Sed uide tu mihi uicissim admirandam Domini nostri Dei industriam. Quod enim prudentia mundi ab hominibus excogitarum erat ad confutandam resurrectionem Christi, hoc ipsum fit diuina dispensatione illustrissimum resurrectionis Christi testimonium. Nam quod custodes dicunt, discipulos, sese dormientibus, furatos esse corpus Christi, manifestum adeoque (ut loquuntur) palpabile mendacium est. Quomodo enim potuerunt, aut mulierculæ, aut pauci discipuli, armatos custodes fallere? tam grandem lapidem ab ostio monumenti sine tumultu amouere? securè linteamina & sudaria corpori derrahe, ut nudum corpus auferrent? Quæ humana ratio tam stupida est, ut manifestam mendacij huius impudentiam non intelligat? Sed interim hoc mendacium confitentur hanc ueritatē, quod corpus Christi non sit amplius in sepulchro. Quare cum sit luculentum adeo mendacium, quod discipuli abstulerint corpus Christi, & custodes ingenuè fateantur, corpus Christi non esse amplius in sepulchro, manifesta ueritas est testimonio etiam custodum comprobata, quod Christus resurrexit à mortuis. Hęc est Dei industria, qua efficit, ut impij & scelerati homines, eò consilia & opera Dei adiuuent, quod maximè resistunt. Non est sapientia (inquit Salomon Proverbiorum. 21.) non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et Paulus, 1. Corinth. 3. ex Iob. 5. ca. Comprehendam (ait) sapien-

Eccles. 10. Pecunia, rerum regina. Veritatis agnitæ oppugnatores, similes custodibus sepulchri.

Non est prudentia neque consilium contra Dominum.

Mendacium custodum sepulchri euincitur.

Christus, etiã aduersariorū testimonio, resurrexit ex mortuis. Impij consilia Dei, dum impugnant, adiuuant.



tes in astutia eorum. An non filij Iacob, cum fratrem suum Iosephum alienigenis ducerent, adiuuerunt consilium Dei, quo decretum erat, Iosephum dominaturum fratribus suis? Impie quidem egerunt filij Iacob crudelitate sua, sed tam industrius fuit Deus, ut hac crudelitate ad perficienda sua opera bene usus sit. An non Pharaos sic adiuuit opus Dei, cum opprimeret Israelitas in Aegypto? Quamto enim plus opprimebatur, tanto magis multiplicabantur. Sed quid de his loquor, cum pontifices ipsi & Pharisaei, de quibus nunc loquimur, praeberint nobis, occidendo Christum, exemplum, quo manifeste cognoscamus, diuinam sapientiam tantam esse, ut pessimis impiorum consiliis & conatibus, ad perficienda sua consilia & decreta, optime utatur. Pontifices enim uoluerunt Christum per mortem omni gloria & maiestate spoliare. At hoc ipso conatu Christus intrauit in suam gloriam & maiestatem. An igitur uiuemus impie, & resistemus consiliis Dei, ut habeat materiam exercenda suae industriae, & ut nostra impietate adiuuemus opera Dei? Minimè omnium. Non enim sunt facienda mala (inquit Paulus) ut eueniant bona. Haec namque industriae diuinae exempla proponuntur nobis, non ut otiosè tantum ipsa cogitemus, aut ad impietatis occasionem & licentiam usurpemus: sed ut ad legitimè usum transferamus. Legitimus autem usus eorum est, ut impij discant ex ipsis timorè Dei, & resipiscant. Nam quod conantur aduersus Deum, aut uerbū eius, intantum non habet felicem pro consiliis ipsorum successum, ut ipsi etiam in ipsis suis consiliis pereant, Deus autè & uerbū eius illustrentur. Quin & conatus eorum nihil aliud est, nisi calcitratio aduersus stimulos. Bestiae, quae contra stimulum calcitrant, non stimulos sed seipsas laedunt: & tanto magis laedunt, quanto magis recalcitrant. Sic & impij non laedunt Deum, sed furore suo seipsos tanto magis laedunt, quanto magis Deum & uerbum eius persequuntur. Non loquor autem tantum de publicis uerbi Dei persecutoribus, sed etiam de priuata hominum impietate. Pauper quispiam & auarus quaerit opes nugis & imposturis: hoc nimirum est opes quaerere & parare aduersus Deum, dicentem, Non fureris. Sed quanto magis hoc conatur, tanto pauperior redditur. Etsi enim consequatur magnas opes imposturis, non tamen consequitur opum benedictionem, sed potius maledictionem, quae non paupertate tantum, sed ipsa quoque morte grauior est. Deinde discant & pij ex his exemplis fiduciam ad Deum, & sibi confirmant eam in omnibus aduersis. Et si enim uideantur omnia de Deo, de uerbo Dei, & de sua ipsorum salute, propter impietatem & crudelitatem impiorum hominum, proclamata esse: agnoscant tamen omnipotentem Dei industriam: qui cum uocet ea, quae non sunt, ut sint, nouit etiam efficere, ut afflictio sit organum salutis, & mors ipsa instrumentum uitae. Quare doctrina & exempla industriae Dei ita nobis consideranda proponuntur, non ut sumamus, ex ipsis occasione perpetranda impietatis, sed potius sectanda pietatis, ut & resipiscamus, & in uocatione Dei perseueremus. Sed redeamus ad milites custodes, qui acceperunt pecuniam ad stabiliendum mendacium. Quid hoc scelere magis impij? Maledictus (inquit lex Deuter. 27.) qui accipit munera, ut percuciat animam sanguinis innocentis. Tamen hi, pecunia corrupti, impudenter mentiuntur, inuulgantes, contra suam ipsorum conscientiam. Christum non uiuere, sed corpus eius a discipulis ablatum esse. Hi non solum iterum, quantum in ipsis est, innocentem occidunt, sed etiam falsum dant testimonium: hoc est, uno facto, duo capitalia crimina designant: & non contenti interfecisse Dominum, moliuntur perdere discipulos, quos furti accusant apud praesidem. Tantum pecunia apud ipsos ualuit. Certè discipuli magis uisum, non mortuum sustulerunt.

Vsq̄ue in hodiernum diem.

Aiunt, Matthaeum hoc Euangelium suum scripsisse nono ab ascensione Domini

mini anno, unde ait, Diuulgatum est uerbum istud. Quo genere loquutionis, in hodiernum, siue praesentem diem, scriptura uti solet, quando significat rei alicuius durabilem constantiam. Et proprie de his rebus dicitur, quae non ita constitutae sunt, ut postea mutarentur ab eis, qui constituerint. Sensus horum uerborum, Diuulgatum est uerbum istud, &c. est, Fecerunt custodes, quemadmodum fuerunt edocti: & inuenit commentum, tam friuolum, in populo fidem. Nam rumor hic in hodiernum usque diem diuulgatus est apud Iudaeos incredulos. Mirè interim suggillat Euangelista, Iudaicam caecitatem atque ineptiam, quae fulcris, usque adeo languidis atque pudendis, res suas superstrinxit. Confirmat item Ecclesiam, ne Iudaicis fabulis, certè ineptissimis pariter ac uanissimis, contra Dominum Iesum contextis, uel tantillum obturbetur, sed firma potius maneat in indubitatae fidei confessione.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem, ubi constituerat illis Dominus.

Explicat Matthaeus magnam illam apparitionem, qua Christus uoluit in monte Galilaeae, coram maxima discipulorum multitudine resurrectionem suam certissimis argumentis comprobare: omnis compluribus aliis, quas alij Euangelistae narrant. Fortassis, quia credidit hanc, ut manifestissimam, ita & euidentissimam esse, & quae sola fidei resurrectionis faciendae sufficiat, & de qua Dominus potissimum loquutus sit, dicens, In Galilaea me uidebitis. Vndecim, & cum his non pauci discipuli abierunt ab Ierusalem in Galilaeam. Quando hic abcessus factus fuerit, nescitur, nisi quod intra octauum diem Paschae non illuc abierint in montem. Huius montis nomen incertum est, qui tamen à multis sanctis uiris putatur fuisse Thabor. Thabor uerò, mons est in medio ferè Galilaeae campo, mira rotunditate sublimis, Nam eius altitudo (ut Egeffippus libro quarto testatur) triginta stadiorum est: vertex autem ipse campestris ad uiginti tria stadia patet. Certissimum autem est, quod undecim in montem quandam Galilaeae, iuxta Domini mandatum, sese receperint, cum multis discipulis, quibus Dominus sese conspiciendum praebuit. Ut si uni mulieri, de resurrectione testificanti, non credimus, credamus Petro. Si uni Petro non credimus, credamus duobus discipulis, & undecim Apostolis. Si ne his credimus, credamus illis, pluribus quam quingentis fratribus, quibus Christus in monte Thabor apparuit: ex quibus multos Paulus testatur superstites fuisse, cum priorem ad Corinthios epistolam scriberet. Tradidi enim uobis (inquit. 1. Corinth. 15. cap.) in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas: & quia uisus est Cephae, & post hoc undecim: deinde uisus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, &c. qui & suo ipsorum testimonio resurrectionem Christi affirmare non desierunt.

Et uidentes eum, adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.

Congregatis undecim Apostolis, & multis discipulis, in eo monte peculiariter designato, Dominus Iesus sese conspiciendum praebuit. Viderunt, & agnouerunt eundem Dominum suum, & adorauerunt, ueluti iam sublimem ac caelestem. Ut Deum adorant, quem antea confessi erant filium Dei uiui: ergo Deum, cuius maiestatem uident & adorant. Nonnulli tamen adhuc dubitabant de ueritate resurrectionis, donec plurimis & certissimis argumentis, & illis fides facta est: quanquam & illorum dubitatio profecit ad fidei nostrae certitudinem. At neque hos tamen

GGG

Deus pessimis impiorum conatibus ad perficienda opera sua a-buitur.

Mali nihil unquam faciendum praeretur a: spe boni.

Ne aduersus stimulum calcet, impij, uoluntati Dei oppedentes.

Ira Dei, inopia quantalibet grauior.

Consolatio piorum in rebus acerbis.

Milites uenale hominum genus.

Discipuli Christum quomodo sustulerunt.

Iudaeorum q̄ languida, aduersus Christi Ecclesiam, fundamenta.

Mōs Thabor

Christus quare tam multis à resurrectione uidentem se praebuit.

Christus rediuius, pro Deo agnitus à suis.



Fide nostrā, licet imbecillam, non reicit Dominus, totus philanthropus, reicit, propter fidei imbecillitatem: vnde nimirum & Paulus Roma. 14. dixit, Infirmum in fide assume, non in disceptationibus cogitationum. Certè propter hos Dominus accedit propius.

Et accedens Iesus, loquutus est eis, dicens.

Dominus propius accessit, ac non solum cominus se conspiciendum & tractandum præbuit, uerum etiam uoce nota & consueta usus est: loquens cum ipsis, & docens perquam familiariter conditionem regni Dei, rationem item officij quod erant ipsius nomine in toto terrarum orbe administraturi. Sic Ioan. 20. in ipso resurrectionis die disseruit illis de peccatorum remissione & retentione: & Ioan. 21. ad Petrum, de pastu ouium, cum esset ad mare Tyberiadis in piscatione: &, ut in Luca est, in die resurrectionis aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Vnde colligere potes, quod non tantum his uerbis, nec duntaxat semel, hac de re illis præceperit. Certè conditionem regni Dei exposuit illis per quadraginta dies.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Literis aureis digna concio, & sententia: breuissima quidem, sed quæ immensam celsitudinem & amplitudinem Christi continet. Quoniam mittendi erant discipuli in totum orbem terrarum, necessarium erat eum, qui legabat, habere auctoritatem & potestatem supra uniuersum orbem: ideo ait, Data est mihi, &c. quasi dixisset, Ego constitutus sum à Deo, Dominus cæli & terræ. Suprà. 11. Omnia sunt tradita mihi à patre meo. Sic de hac potentia exaltati Christi, & qui resurrexerunt à mortuis, legitur psal. 8. Roma. 8. Ephe. 1. Philipp. 2. Coloss. 1. Hebr. 2. Hoc autem non de coæterna patris diuinitate, sed de assumpta dicit humanitate, in qua, gloria & honore coronatus est, & omnibus superpositus. Sed qualis est hæc potestas? Primò plena, quæ uocula (omnis) explicatur. Omnium uocat se potentissimum, qui omnes saluare possit. Ideoque amandat suos in orbem uniuersum, ut omnes gètes ad illū adducant. Non ergo data est illi aliqua particularis potestas, sed omnis. Secundò dicit datam, hoc est, iustam & legitimam, non autem raptam. A quo autem data est? à Patre. Suprà. 11. cap. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Qui prius, quatenus homo, potestatem habebam super omnia ex dono diuino, modo etiam ex merito passionis & mortis meæ, adeptus sum potestatem super cælestia & terrestria. Tertio nō solum terrena, sed etiam cælestia. Post dictionem (omnis) non appenditur cibus, aut similis dictio. Non enim dicit, omniscibus, omnis pecunia, aut medicina: sed, omnis potestas: quo uerbo omnia simul cōplectitur, nec in cælo tantum, nec in terra tantum, sed in cælo & in terra. Cælestia bona sunt, quantum quidem ad præsens institutum sufficit, Spiritus sanctus, iustitia, uita, & felicitas æterna. Super quæ bona Christus dominatur. Quare, qui horum desiderio tenetur necesse habet ea, à Christo petere. Terrestria bona sunt, quantum quidem ad hoc sermonis argumentum satis est, Sanitas, diuitiæ, honor, liberatio præsentibus periculis, & id genus alia. In his etiam Christus dominatur. Constituit eum (inquit psalmus) super omnia opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersas, insuper & pecora capi: volucres cæli, & pisces maris. Quare, qui his bonis indiget, non potest ea cōmodius aliunde consequi, quàm à Iesu Christo. Ratio tamen regni Christi (ut ut sit Dominus temporalium) non est pro carnali prudentia consideranda: sed iuxta fidem & spiritum. Collige ex superioribus, datam esse omnem potestatem Christo, in cælo, & in terra. Hoc est, potestatem eiusmodi, quæ non in terris tantum ualeat, sed quæ

uires suas in ipsis cælis habeat: non quæ præsentem tantum, sed & futuram uitam respiciat. Sic est rex ille, qui & in terris & in cælis potest iustam & solidam constituere pacem, ut qui cæli & terræ sit Dominus. Vnde intellexerunt Apostoli ex hoc uerbo, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, postquam amandati sunt ad Euangelij prædicationem, in cælis quoque rata fore, quæ iuxta præscriptum legationis suæ, in terris acturi erant. Sic suprà. 18. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

Euntes ergo.

Iubet eos proficisci, & ut Marcus habet, in mundum uniuersum, quod intelligitur, post receptam Spiritus sancti plenitudinem & manifestationem. Virtute uerbi factū est: ut legatio Apostolica penetrarit totum orbem, præualeritque omnibus tyrannis. Tanta est enim uerbi Dei potentia, ut semel dictum uires suas exerat contra uniuersas Satanæ & mundi insidias. Semel dictum est Soli, I, & circui orbem: quod mandatum ad finem usque mundi durat. Similiter & terra mandatum est. Ita Christus uirtute uerbi sui, semel in hunc mundum Euangelium suum misit, tanta potentia communitum, ut nullis potuerit uel Satanæ, uel mundi, uiribus opprimi. Alioqui quomodo possibile fuisset, nouam, & antea inauditam doctrinam in uniuersum orbem ab idiotis, simplicibus piscatoribus, & nullius potestatis hominibus, induci: & totius mundi impietatem (repugnante Satana & mundo) reuelari & condemnari, nisi uirtus eius (cuius est omnis potestas) isti legationi adfuisset? Hoc igitur uerbo, euntes, seu, ite, dat suis Apostolis & discipulis uim cundi, & perueniendi in uniuersas mundi partes.

Docete.

Instituo uos orbis uniuersi doctores. Ergo ex mandato Christi, docendi munus uenit in Ecclesiam. Propterea non est putandum, quod ij, qui pro suggestu, delinquentes acriter increpant & arguunt, & contradicentium ora obstruunt, id præter Christi mandatum faciant. Nam docendi munus simul hoc includit, ut contradicentes arguantur, delinquentes reprehendantur, & pigri excitentur. Hoc & Christus fecit, & Apostolus facere iussit. 2. Timot. 4. & Tit. 1. Noster Euangelista uerbo græcanico *μαθητεύσατε* usus est, quod perinde est, ac si tu dicas, discipulate (gratia docendi liceat hoc uti uerbo) siue facite aut adducite mihi discipulos. Nam *μαθητής* discipulus est. Quasi dicat Christus, Nō iubeo uos, externo gladio inuadere regna huius mundi, & deiicere reges à sede maiestatis suæ. Regnum enim meum non est de hoc mundo. Sed iubeo uos prædicare & docere. Hoc meum est regnum in hac terra. Hæc mea est maiestas, donec aduenerit nouissimus dies: uidelicet, ut prædicetur, & doceatur: ut instruantur omnes. Ideo dicitur scriptura sacra. 2. Timoth. 3. diuinitus inspirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum, in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Omnes gentes.

Hactenus detinui uos tantum in Galilæa & Iudæa: ac præcepi uobis, ut in uiam Gentium nō abiretis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrederemini. Nūc postquam intraui in regnum patris mei, Iubeo uos, post missionē Spiritus sancti proficisci in uniuersum orbem terræ, ad omnes gentes, quæ sub cælo sunt. Pertinent ergo ad regnum Christi omnes gentes, quas à Patre in suam potestatem accepit. Postula à me (inquit Pater psal. 2.) & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ergo omnibus mortalibus offerenda est doctrina salutis, & gratia regni Christi, idque ex hoc Christi mandato. Pater enim ita disposuit, & ob eam causam, filium suum in hunc mundum misit, illique omnem

GGG ij



potestatem dedit, ut mundus per ipsum saluetur. Sic Isa. 49. ad illum pater dixit, Parum est, ut sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & facies Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: vt quisquis in eum credit, non pereat, sed habeat uitam æternam. Commendatur ergo nobis hoc loco uniuersalis illa gratia Christi qua doctrinam salutis omnibus gentibus proponere iubet: ostendens se uenisse non Israelitarum tantum, sed & omnium gentium saluatorem. Huic consonat, quod ait Paulus Roma. 3. An Iudæorum Deus tantum? nõnne & Gentium? imo & Gentium. Obserua: Si omnes Gentes docendæ sunt, hoc est, omnis generis homines hac luce Euangelica illuminandi sunt, ergo omnes in tenebris erant. Certè Iudæi habebant uelamen cordibus suis impositum, & legem, quæ non iustificabat. Gentes habebant suos philosophos, gloriabantur plurimum de lumine naturæ. Verum omnis illorum scientia & sapientia, inanis ad hoc fuit, ut salutis scientiam inueniret. Nam quia ( inquit Paulus 1. Corinth. 1. ) in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus. Est itaque absque luce Euangelij totus mundus in tenebris, & tenebrarum operibus, atque ita sub regno Satanæ, qui princeps est tenebrarum. Sic Christus uocauit Apostolos suos lucem mundi, Matth. 5. uos estis lux mundi, nimirum, tanquam ministri lucis Euangelicæ. Ephes. 4. ut iam non ambuletis, sicut Gentes ambulant, in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à uita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitate cordis ipsorum. Ad Colloss. item primo idem Paulus uocat regnũ Satanæ, potestatem tenebrarum. Ex superioribus colligimus, quòd absque doctrina & luce Euangelij, omnia passim replentur erroribus, propter tenebras ignorantie Dei. Obserua: oblata est uniuersalis hæc doctrina, omnibus gētibus: sed quòd non omnes saluentur, nec omnes doctrinam salutis apprehendunt, uerum incredulitate pereunt plurimi, debemus nos, non gratiæ Christi, sed illorum uitio adscribere.

### Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Alterum modum, quo discipulare (ut ita loquar) hoc est, discipulos instituire & adducere possint, indicat, dicens, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quasi diceret, Duobus modis cõparabitur & adducetis mihi discipulos, uidelicet, docentes, & baptizantes: huic posteriori modo explanationem adducit dicēs, in nomine, &c. A tenim non hic instituit baptismum, quoniam scribitur Ioannis, 4. discipulos Christi iam antea baptizasse: sed ideo meminit hic baptismi, ut scirent Apostoli, quid agendum esset cum illis, ad quos mittebantur, & qui Euangelio credidissent: scilicet, ut baptismum siue mersione in aquam, & uerbo, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, initiarent omnes in fidem, & cultum Euangelicum: conferrētque illis fructum mortis & resurrectionis suæ, cuius fructus participes facit, quotquot in nomine patris, &c. baptizantur. Confepulti enim sumus (ait Paulus) per baptismum in mortem ipsius, ut quo modo Christus surrexit à mortuis, ita & nos ambulemus in nouitate uitæ, Roma. 6. Mersio in aquam cum uerbo sit iussu & mandato Christi Dei nostri. Propterea opus est uerbo credito in Christum mandantem, & suo spiritu operantem. Et tum fit sacramentum in nomine patris & filij & spiritus sancti, unde hoc sacramēto Pater recipit nos in gratiam, & remittit nobis peccata, adoptans nos in filios propter filium suum: & sanctificat nos Spiritu sancto, in nouam & æternam uitam. Itaque Christus uoluit, ut Apostoli non tantum prædicarent & docerent Euangelium, uerum etiam ut baptizarent: ut, quod in Euangelio uerbis promittitur, in bapti-

Christus uenit, omnium Gentium saluator.

Tenebræ dēsis, in cordibus hominũ ante publicatum Euangelium.

Apostoli, lux mundi, quia ministri lucis.

Quid sit, q̄ plurimi, etiã tempore gratiæ, pereunt.

Baptismus ad quid, & quãdo instituitur à Christo.

Baptismi uires quæ.

smo reciperetur, & confirmaretur: hoc est, qui baptizarentur, acciperent remissionem peccati, adoptarentur, & fierent noua creatura in Christo. Rogabis: quid prædicatur in Euangelio?

In Euangelio prædicatur quòd propter Christum Deus

Remittat nobis peccata.  
Efficiat nos iustos.  
Velit nos exaudire in afflictionibus, & seruare.  
Adoptet nos in filios, & hæredes regni cœlorum.  
Det nobis Spiritum sanctum.

In baptismo recipitur, quod in Euangelio promittitur.

In Euangelio quid prædicatur.

Mysterium sanctæ Trinitatis, in baptismo reuelatum.

In Anabaptistas, negantes paruulis baptismum.

Regula ac forma baptismi.

Baptizatos quare iussit Christus.  
Mira energia baptismi

Cum igitur baptismus sit sacramentum, & sacramentorum ianua, & aditus in Ecclesiam Christi: & quæ annumerauimus in Euangelio prædicari, sint summa Euangelij, Deus paciscitur, & ueluti certa quadam stipulatione fidem dat per baptismum, quòd quæ in Euangelio prædicantur, ea uelit illi, qui baptismum accipit, uerè præstare. Obserua: dixit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ut nobis aperiretur mysterium sacræ triadis, à seculo absconditum, quod Christianæ fidei esset fundamentum: ut sciamus adorandam nobis esse trinitatis illius diuinam maiestatem, in qua baptizati sumus: Agnoscendumque & colendum esse in diuinitate Patrem, qui miseratus nostri, filium pro nobis dedit, ut in illum credentes, saluemur. Filium, qui Patri obediens factus, mortem pro nobis subiit, ut nos à peccato & morte redimeret, quique ad hoc omnem à Patre potestatem accepit, ut esset Dominus & redemptor noster. Spiritum sanctum, qui corda nostra sua uirtute adflat, regenerat, illuminat, & in omnem ueritatem ducit: omnia nostra moderatur, & gubernat: Spirituque nostro attestatur, quòd sumus filij Dei, Rom. 8. Obserua, non esse hic mentem siue sensum Christi, sicut nec Marci ultimo, ut Apostolis præscriberet, quem baptizare debeant, & quem non: Sicut falsò docet Anabaptistæ, quasi infantibus (ut dicunt) non sit porrigendus baptismus, quòd doctrinæ promittendæ non sint capaces. Sed tantum, ut in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizarent. Obserua: dicitur in nomine, non in nominibus, ad ostendendam unitatem Dei. Collige item ex superioribus, te hic habere regularem formam baptismi, Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Iubet autem & instituit Christus, omnes baptizari: ut effectus passionis, mortis, & resurrectionis suæ, mediante sacramento baptismi applicetur singulis saluandis, merito suo, hoc est, Christi. Conferunt enim per baptismum, interior ablutio animæ: ita ut nulla immunditia, nulla macula, nullus reatus, ad poenam aliquam in anima baptizati remaneat, nisi ponat obicem ipsemet. Quare si è uiuis à baptismo suscepto excederet, mox merito Christi in beatitudinem æternam admitteretur.

### Docentes eos, seruare omnia, quæcunque mandauit uobis.

Hæc Christianæ doctrinæ pars non debet à priore scitigi, estque explanatio illius præcedentis, Docete omnes Gentes, & euntes in mundum uniuersum, prædicare Euangelium omni creaturæ: Et docete omnes gentes, docentes eos, seruare omnia, quæcunque præcepi uobis. Quemadmodum autem ægroti necessarium est, non solum, ut medico credat, pollicenti sanitatem, sed etiam, ut iussis obediat: ita & in Christianismo, in primis credendum est Euangelio: deinde necessarium est, ut credentes, iussis illius obediamus: & quæ seruari præcipiuntur, seruemus. Atque hoc est, quod hic præcipit Dominus, Docentes eos, seruare omnia, quæcunque mandauit uobis. Operæpretium est igitur, ut credamus, & credentes cum fiducia in præcipientem Dominum, opere, quod iubet, compleamus. Obserua: non dicit, docentes eos scire aut intelligere, sed seruare. Nõ sufficit uiro Christiano ut quæ bona & recta sint sciat, sed ut seruet etiam ac præstet: alioqui plagis uapulabit multis. Obserua: non dicit, docete seruare quædam, sed omnia: uidelicet uniuersam suam doctrinam: perinde ac si diceret, docete eos, ut meo se subdant magister.

Simile.

Credere primum mox facere oportet.

Omnia, quæ mandantur, non quædam tantum, faciēda.



EVANGELIUM SECUNDUM MATTH.

rio, ut me agnoscat Dominum ac preceptorum. Ego prescripsi vobis, quid servare debeatis. Habetis normam verae pietatis, & rectae vitae, a me acceptam. Hanc credentibus in me servandam tradite. Remittitur igitur non ad unum & alterum Christi mandatum, sed ad universam illius doctrinam, quam ab Evangelistis & Apostolis prescriptam habemus. Operae pretium est ergo in primis fide credere: deinde per charitatem, credita servare, & factis complere. Itaque veri discipuli Christi sunt, qui doctrinae Evangelicae credunt, ei sese totos consecrant, & sacramentis a Deo institutis participant. Aduerte: non dicit, quaecunque scripsi, sed quaecunque mandavi vobis: ut ipsi discipuli sint simul doctores, & testes mandatorum Iesu Christi.

Discipuli Christi germani, qui.

Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

Occupatio est. Fortassis enim obiicere poterant: Difficilem nobis imponis provinciam: iubes exire in orbem terrarum, ac omnes homines in tua placita, & in tuam religionem adducere: interim tibi perspicuum est, quam praeus ac uersutus sit hic mundus, & quam simplices nos, quibus tantum committis negotium. Huic occupationi tacite respondens, Ecce ego (ait) vobiscum sum, usque ad consummationem seculi. Id quod non tantum pollicitus est Apostolis, sed omnibus, qui per doctrinam Apostolorum credunt in illum. Nam Ioan. 17. testatur, se non tantum pro Apostolis orare, sed pro omnibus iis, qui per doctrinam ipsorum credunt in ipsum. Non dicit, ero, sed, sum, ut exprimat, se uerum Deum esse, qui semper est, & ut intelligamus, nobis promitti per hoc, non praesentiam Iesu corporalem & familiarem, perinde atque cum hic uoluntatem patris manifestaret, & Euangelium doceret, sed diuinam. Omnibus diebus, non uno tantum, sed omnibus diebus: nec ad duos aut tres usque annos, sed usque ad consummationem seculi. Quid hac promissione maius? Quid uberius? Si peccata nos conturbant, & exitium minantur, praesto adest Christus, qui ea expiauit. Si paupertas, si morbus, si infamia, si exilium impetum in nos faciunt, praesto adest Christus, qui reconciliauit nobis Deum, quique effecit, ut Deus sit pater noster, & agnoscat nos filios suos. Itaque si inuocauerimus eum, num pro pisce dabit serpentem, aut pro ouo scorpionem? Si mors in nos incurrit, praesto adest Christus, omnium uita. Qui ut morte sua mortem uicit, ita & resurrectione sua, parauit nobis uitam, ut credentes in ipsum, habeamus perpetuam felicitatem. Non est ergo timendum, ne intereat aut extinguatur fides Christiana: quandoquidem, semper erit in aliquibus piis, & Iesu discipulis, usque ad consummationem seculi. Non quod post consummationem mundi abfuturus sit Christus. Tunc enim clarius aderit. Nam ubi donec, uel usque in scriptura inuenitur, non adimit, quod posterius est. Obserua: his uerbis suauissimam consolationem affert. Nimirum hortatur, iubetque, ne dubitent pij seu discipuli sui, se Deo curae esse, quandiu in suo officio strenue ambulant, hoc autem loco Christus loquitur toti Ecclesiae, & omnibus fidelibus, sicut uni corpori, cuius ipse est caput. Manet iam Christus cum electis, eos protegendo: qui post finem, cum ipsis manet eos remunerando. Qui ascendit ad caelos, non deserit adoptatos: & ipse hic communit (ut ait Leo Papa) ad patientiam, qui sursum inuitat ad gloriam. Ad quam sua benignitate nos euehat ipse Iesus Christus, Qui est Rex gloriae, benedictus in secula. Amen.

Christus pollicitus est Ecclesiae suae, se semper illi adfuturum.

Christus, uerus Deus.

Consolatio Piorum.

Fides in Christum, nullo unquam tempore peritura.

Donec & usque, in sacris, non tollunt, quod post futurum est.

Christus nunquam non manet cum suis.

COMMENTARIORVM CLAVDII GVILLIAVDI in Euangelium D. Matthaei Finis.

RERVM ET VERBORVM IN HOC OPERE

MEMORABILIVM INDEX, IN QVO

numerus folium, a. primam eius paginam, b. secundam designat.

A.

<b>A</b> ron primus summus Pontifex 529.b	abusus magistratum in moribus castigandis 494.a	aduentus Christi in Aegyptum vocatio est gentium 31.a
Abel semper suum habet Cainum 25.b	abusus nominis Dei 553.a	aduentus Christi Iudeorum primoribus formidolosus 553.a
Abia 14. uxores habuit 7.a	abyssus pro inferis 215.b	aduentus filij hominis alius seuernus, alius letus & felix 276.b
Abathar quis 312.b	accessus ad Deum qui fiat 247.a	aduentus Messiae tempus Iacob praedixit 20.a
abiectione iuxta seculum praecipue Deo cure sunt 304.a	Achaz, qui & Eliezer, impius 7.b	aduentus secundus Christi totus gloriosus 401.b
abiicere plus, quam relinquere 227.b	achimelech exemplum prudentis ac fidelis dispensatoris 312.b	aduentum Christi in nos quoniam impediunt 295.a
Abimelech nothus Rex Israelis 64.a	Adam quare sic dictus 260.a	adultera poena 11.a
abire cum proximo duo miliaria, quid 110.b	adax uxor curuocata Eua 260.a	adulteria inulta hominibus, uel scitur Deus 101.a
ablutio Domini a uinea 467.a	adami generatio 3.a	aedificari super petram, quid 394.b
ablutio a peccato quomodo fit 139.a	adhortatio ad beneficentiam 526.a	egritudo aut insania a Satana immissa hominem non damnant 213.a
ablutio manuum innocentiae symbolum 564.b	adhortatio ad preparationem in aduentum Christi 519.a	agrorum mos hodie penitendus 223.a
abnegare quae iubemur 398.b	aditus ad aeterni regis nuptias quibus pateat 474.b	egyptius Christus 508.b
abnegare seipsum quid 399.a	adiutor, epithetum Dei 159.b	anigmata 350.a
abnegatio sui, & crux 386.b	admiratio hominum in miraculis Christi, quid significat 210.b	aquitas quid 98.a
abnegationes a Petro factas quare narrat Euangelista 555.a	admonitio ad candorem animi, & morum beneficentiamque studium 117.a	aquitas & iustitia regni euangelici quanta 451.a
abominatio desolationis 505.a	admonitio ad penitentiam 333.b	araria licet habere in usus publicos 149.b
Abram cur Abraham dictus 15.a	admonitionis & correctionis fraternae finis & fructus 425.b	arugo, tineae, & fures, thesaurorum custodes 148.b
Abraham quare sic dictus 260.a	adolescens, capto Domino, nudus effugiens, quis 550.b	aruginis nomine quid intelligatur 148.b
Abraham germani filij qui 47.b	adoptato a Deo quid faciendum 56.b	aruginis, tineae & furum nomine quid intelligendum 149.a
absolutionis sacerdotalis uerbum in poenitentia magni pendendum 221.a	adorare in sacris literis quid significet 29.a. 67.b	arumna piorum in hoc seculo, felicitates sunt incomparabiles 218.a
abstinentia praecipuum aduersus uenerem antidotum 101.a	adorare Deum quid 24.b. 68.b	as mutuo datum repetere licet 140.b
abstinentia summum genus, uita proba 147.b	adorare Deum ex animo quid 67.b	as portare 265.b
abusus circa dies festos 334.a	adoratio pro cultu praecipuo, & tenore integritate, & religione Dei 192.a	as in zona gestare, castrensis loquutio 266.a
abusus dierum festorum hodie quare 365.b	adoratio pro gratiarum actione cum geniculatione & gestu corporis decoro ibidem	aeternitas Christi 38.b
abusus horum temporum in potestatibus & praefecturis conferendis 258.b	adoratio uiris summis exhibita, ib.	GGG iij



I N D E X.

Affectus animi thesaurum facit 151.b  
 affectus unus hominem uel beat, uel perdit 514.a  
 affectus Dei omnes humanos affectus longe superat 172.b  
 affectus carnalis quam late hodie dominetur 418.b  
 affectus carnis quantus tyrannus 283.b  
 affectus cupiditatis tollendus 151.b  
 affectus misericordiae, & beneficentiae sitis in Christo, mirabilis 249.a  
 affectus piorum erga Deum & fratres 303.a  
 affectus erga liberos Deo gratus 238.b  
 affectum erga liberos quare Deus indidit parentibus 238.a  
 affectum non possessionem rerum temporalium, damnat Christus 265.b  
 affectus animi qui amputandi 103.a  
 affectus significantur per pedes 421.a  
 affectus humani mirè in Petro representati 397.a  
 Afflictio una multas exigit misericordias 232.a  
 afflictio plurimum prodest homini ad salutem 237.b  
 afflictio piorum, signum irae Dei breui se proditura 332.b  
 afflictiones salutis parentes 511.a  
 afflictiones nostrae per Christum sanctificatae 511.b  
 afflictiones quare deprecamur & fugimus ibid.  
 afflictiones priores sequuntur posteriores gloriae 523.b  
 afflictiones pusillas summis felicitatibus Deus remetitur 218.a  
 agni immolandi tempus 532.a  
 agri seminis, satoris & armorum rusticorum sensus mysticus 340.a  
 agricolae principes & sacerdotes 467.a  
 Ahafias idem qui Ochofias 18.b

Ahiscarim fratres: Mathitiam, donati 18.b  
 alabastrum quid 530.b  
 alabastrites lapis 531.a  
 alacritas Matthaei sequentis Christum 227.b  
 Alma siue aalma quid 16.a.b  
 alitudo terrena confunditur, cum coelestis predicatur 25.a  
 Alphæus pater Iacobi minoris 261.b  
 altaria 315.b  
 Amarias ex uictoria superbior 7.b  
 ambitio quantam cladem hodieque inferat mundo 490.a  
 ambitio & inuidia in discipulis 449.a  
 ambitionis pestis quanta 449.b  
 ambitionis uitio laborans nescit quid petat 448.a  
 Amen quid Hebraeis 95.b  
 amen uox iuristurandi, confirmationis, siue testimonij 401.b  
 amen, orationis Dominice signaculum 142.b  
 amen magna cum religione effendum 143.a  
 amicitia conciliatur & retinetur beneficiis 191.a  
 amicitia pro consensu 116.a  
 amico simulato nihil periculosius, 179.b  
 amicis quousque fauendum 552.b  
 amictus sui quibus praecipue habenda ratio 489.b  
 Aminadab quis 5.b  
 Amon rex impius à seruis suis occisus 8.a  
 amor 254.a  
 amorem amore retaliare coram Deo nihil est 116.b  
 Anabaptistarum error, omnem rerum statum & ordinem perturbans 110.b. 137.a  
 anabaptistarum falsa sententia de iureiurando 105.a  
 in Anabaptistas negantes paruulius baptismum 590.a  
 Ananias quare correptus à Petro 137.a

ἀνάπνοια quid 306.b  
 anathema quis 252.b  
 Andreas Apostolus 260.a  
 angariare quid 110.b. 567.b  
 angari apud Persas regij nuntij dicebantur 110.b. 567.b  
 Angelus Domini 30.b  
 angelus Iosepho legatus 13.a  
 angelus cur non aperte Iosepho uisus ac locutus 13.b  
 angelus praedicat puerum quaerendum, non perdendum 31.b  
 angeli unius potentia quanta, 523.b  
 angeli etiam huc demissi, semper uident Deum 422.b  
 angeli ministrant hominibus 49.a  
 angeli & legati Dei 294.b  
 angeli quam multi 523.b  
 angeli quibus hominibus adsint auxiliares 65.a  
 angeli quomodo uidentur & apparent 584.a  
 angeli quomodo aliquando adfuisse Christo ministri scribuntur 69.b  
 angeli uirtutis Dei uenturi cum Christo ad iudicium 524.a  
 angelorum Dei & Satanæ studia prorsus contraria 584.b  
 angelorum laus ab obedientia 135.b  
 angelorum ministerio quare uti noluit Christus in resurrectione 583.b  
 angelorum officium 422.b  
 angelus aliud Deus, aliud hominibus mandauit 65.a  
 angelis quare ex Deo uires 401.b  
 Anima uerbo Dei morigerata spòsa Dei est 338.a  
 anima in scripturis quid significet 400.b  
 anima pro affectu 319.a. pro uita 154.b. 483.a  
 anima immortalis 279.a  
 animæ quoque hominis suus est formus, & sua uigilia 514.a  
 animæ duplex potentia 23.a  
 animam suam inuenire aut perdere quid 285.b. 400.a  
 animam à bono angelo assumptam non falli 30.b

animas esse immortales 245.b  
 animantia etiam bruta unius membri damno uitæ suæ consulunt 102.b  
 animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei 147.b  
 animus quomodo uera religione imbuendus 237.a  
 animus qui promptior redditur ad agenda 438.b  
 animus ritè Deo dedicatus dignè Christo conuiuium 228.a  
 animus, & uoluntas nostra docent nos officia proximo præstanda 173.a  
 animus malus malum membrum infert 102.a  
 animus impurus omnia externa reddit ingrata 232.b  
 animi commoti concisa est oratio 495.b  
 animi ægri medicamentum oratio 222.a  
 animi erummis fatigati preces improbae & argumentorum plena 208.b  
 animi morbus frequenter causa morbi corporis 221.b  
 animi morbo in primis occurrendum ibidem  
 animo membra insunt sua 103.a  
 animum languentem quid potissimum erigat 222.a  
 animum salutis propriae cupidum Christi doctrina exigit 187.b  
 animorum scrutator Deus 376.a  
 animorum consensus & umbra quadam dilectionis etiam inter malos 116.b  
 animis ante omnia medetur Christus 221.a  
 Annas pontificatum habuit ueluti hereditarium 550.b  
 anni à reditu è captiuitate usque ad Christum 490.b  
 anni mundi quum Christus predicare cepit 39.b  
 ἀνταρδιος 100.a  
 ante in sacris quid 304.b  
 Antichristi tempore Satanæ aliquantisper soluetur 324.b

I N D E X.

Antidotus aduersus teporem auditorum 346.a  
 antidotus aduersus terrores conscientiae 360.a  
 antidotus aduersus stolidam hominum confidentiam 65.b  
 antidotum triplex nobis à Christo exhibitum aduersus Satanam 58.a  
 Antiochia duplex 20.a  
 Antipater Herodis Ascalonitæ pater 20.b  
 Antithesis Christi & Mundi, quod ad utriusque amicos attinet 89.b  
 antithesis Christi et Satanæ 324.b  
 antithesis Legis atque Euangelij 119.b  
 apathia Stoica 501.b  
 ἀπαρξια quid 146.b  
 Apollinaris haereticus 35.b  
 apollinaristæ 541.a  
 apologus Aesopicus 476.a  
 apoplectici 77.b  
 Apostolus qualem episcopum exigit 74.b  
 apostoli nomen unde, & quid significet 259.b  
 apostoli qui 253.b  
 apostoli actorum Christi testes oculati & auriti 1.b  
 apostoli beati 338.b  
 apostoli bini à Matthæo nominati 259.b  
 apostoli binomines & trinomines 226.a  
 apostoli quæ reliquerunt quantipendenda 75.a  
 apostoli quomodo reliquerint omnia 75.b  
 apostoli à Christo uocati, num artem uocationis pristinae prorsus abiecerint 227.b  
 apostoli fermentum ueri Israelis 257.b  
 apostoli mittuntur ad predicandum Euangelium 253.b  
 apostoli quibus artibus mundum uniuersum traxerunt ad fidem in Christum 73.b  
 apostoli quomodo philosophes &

sapientes seculi uicerunt 73.b  
 apostoli per Christum & poterant & præstabant 259.a  
 apostoli quid pollicebantur in hoc mundo 74.a  
 apostoli primum edocti, postmodum emissi ibidem.  
 apostoli quare ex nominibus noti 259.a  
 apostoli expectarunt premium, 441.a  
 apostoli pro illiteratis & idiotis, tamè admirationi habitii 74.a  
 apostoli scandalizati 528.a  
 apostoli scandalum passi in cruce Christi 538.b  
 apostoli uoce patris confirmati 407.b  
 apostoli quod manus non lauent reprehenduntur 372.a  
 apostoli quid de Christo initio sentiebant 396.b  
 apostoli temporalia messuerunt, & quare 227.b  
 apostoli afflictionibus omne genus expositi 502.b  
 apostoli quid sibi promittebant de Christo 397.b  
 apostoli credere & obedire iussi, 407.b  
 apostoli fatentur Iesum esse Christum promissum 386.a  
 apostoli sibi uisa & comperta prædicarunt 408.b  
 apostoli Christo assessores futuri 442.a  
 apostoli lucerna accensa 93.b  
 apostoli lucerna & oculi totius orbis 152.b  
 apostoli legati Domini cū regum terrenorum legatis comparantur 264.a  
 apostoli, orbis doctores 92.b  
 apostoli & Euangelistæ quomodo sal terre 90.b. 91.a  
 apostoli saluatores dicti 15.b  
 apostolorum prima legatio plena pacis & quietis 270.b  
 apostolorum confessio qualis 391.b  
 apostolorum diligentia quanta 474.a  
 apostolorum mœstitia ob proditio-



nem Domini 533.b  
apostolorum mos in scripturis citandis 34.b  
apostolorum pusilla fides 367.a  
apostolorum precipue partes quæ 264.a  
apostolorum opinio de Messia 415.a  
apostolorum & sanctorum martyrum mortem cõtemnentium apophthegmata 79.a  
apostolorum doctrinæ autem Spiritus sanctus, ipsi tantum organa 274.a  
apostolis prima legatio sine persecutione cessit 268.b  
apostolis datur gratia sanitarum 253.b  
apostolis non restitutos aduersarios, quomodo accipiendum 272.b  
apostolis quare datum nosse mysteria regni Dei 341.b  
apostolis curæ non fuit ex scripturis citare ipsissima uerba 39.a  
apostolis Christus prædicat mortem suam 386.a  
apostolis mundus uniuersus à Christo subiectus 92.b  
apostrophe ad Herodem 25.b  
apostrophe ad Pilatum excusantem improbitatem Iudeorum 564.b  
apostrophe ad Iudeos excusantes innocentiam suam de cæde Christi 558.b  
apostrophe ad iustitiosos Pharisæos 97.b  
apparitiones in cælo insolite quid portendant 23.b  
appellationes indite à Spiritu sancto 15.a  
ἀποσπασθησθαι quid 117.a  
Aqua lotionem, manus opus significat 564.b  
aque benedictæ mysterium 315.a  
Arabia fœlix sola thus & myrram profert 29.b  
Aram dux tribus Iudæ in exitu de Aegypto 5.b  
araneos fel quod api mel 223.a

I N D E X.

arbor bona seu euangelica 180.b  
arbor bona aut mala 310.a  
arbor mala penitentiam mutat in bonam 182.a  
arboris male fructus 329.a  
Archelaus Herodis filius 530.a  
archelaus amandatus Viennam 36.a  
archelaus heres regni & seuitie Herodis patris 36.a  
arena quid 187.b  
arida perterritat Satanas 335.a  
Arimatea ciuitas quondam illustris 580.a  
Arioli & diuini 21.a  
Aristobulus & Alexander inuicentes ab Herode patre occisi 32.b  
arma Christi spiritualia 259.a  
arma aduersus impressiones Satanae 414.b  
arma quibus Christiani cælum rapiunt, quæ 297.b  
Arius & Manichæus 29.b  
arrogantia & superbia in rebus spiritualibus summopere uitanda 166.b  
ars piscandi Apostolorum, omen sequuntur & fœlicioris piscationis 73.a  
ars ualidissima ad impetrandam Dei misericordiam 383.a  
arundo quassata 319.b  
arundo pro inconstante 293.a  
arundini qui similes 319.b  
aruspicum collegia 25.b  
Asa sextus Rex Iudæ, iustus 7.a  
Asa Rex quamobrem culpatus 223.a. 239.b  
ἀσθενεια quid 573.b  
asina insidens Christus Ierusalem ingreditur 454.b  
asphaltites lacus 78.a  
assessores iudicis à lege & ueritate stare debent, non à iudice 554.b  
assumere quid 63.b  
ἀσπασθαι 535.a  
ἀσπασθαι 116.b  
astrologi & pij affectus expertes notantur 238.b

astrologi ac falsi prophete 21.a  
astrologis incognita Magorum stellula 23.b  
astronomia abusus 23.a  
astrorum duplex observatio 22.b  
astrorum usus legitimus 23.a  
astutorum ingenium 27.b  
Athanasius de libris ueterum amissis 37.a  
attentus in oratione quis 127.a  
Auaritia idolorum seruitus 159.b  
auaritia ad omnem miseriam sui cupidum detrudat 468.a  
auaritia & cupiditas plane hodie triumphat 153.a  
auaritia, fastus, & luxuriam damnantur 265.a.b  
auaritia ex infidelitate & diffidentia 60.b  
auaritia pastorum uenenum Ecclesie 153.a  
auaritia pietate pretextata incurabile malum 461.b  
auaritia & dominandi libidinis fructus 34.a  
auaritia genus immedicabile 460.a  
auaritia uenenum quibus imprimis formidandum 148.a  
auaritiam in primis Christus prohibet 265.b  
ex auaritia quanta malorum Iudas 148.a  
auarus idololatra, & demoni obnoxius 149.a. 216.b  
auarus alius congerit, non sibi 149.b  
auarus quid faciat non cernit 531.b  
auaro nihil scelus, nihil inhonestum 532.a  
auari & tenaces non recte orant orationem Dominicam 138.a  
auari opes suas ærugini credunt, fratribus negant 148.b  
auari ferè imparati & nec cogitantes hinc abeunt 149.b  
auarorum Deus æruginosus, 149.a  
auaros quomodo punit Deus, 149.b

audire pro credere 299.a  
auditores probi & sinceri 347.a  
auditores temporarij 346.a  
auditores uoluptarij 346.b  
auditores Ioannis, predicatione eius moti sunt ad penitentiam 45.a  
auditorum uarium de ecclesiasticis concionibus iudicium 250.b  
auctores christi familiaris 585.b  
Augustus tribus filijs Herodis regnum paternum diuidit 36.a  
augusti Casaris iocus in Herodem 33.b  
auicularum ingenium pulchre describitur 156.a  
auicularum etiam suis labor est ibid.  
auicularum, etiam caucolis inclusus, nulla cura est unde uiuât ibid.  
aule principum neustquam damanda 551.a  
aule & auletrides 243.a  
auletris tardius cognoscitur Christus 22.b  
aureola seruo amputatur 528.b  
aures audiendi quæ 340.b  
aures ad audiendum 352.b  
aures cordis ac ueræ uiuæque fidei exigit Christus 299.a  
aurum Deo quado offerimus, 29.b  
aurum & argentum 253.b  
Auster pro Aethiopia aut Aegyptio 333.b  
auiditatem omnem concionatori adimit uita impura 188.b  
auxiliator epithetò Christi 210.a  
auxilium à Christo petendum in tẽpestatibus omne gen<sup>9</sup> 207.b  
auxilium Dei nulla uis aduersa remorari potest 368.b  
auxilium dei grano simile 412.b  
Azaria siue Ozia quis 7.b

B

Baculus siue uirga, & Sandalia, gestamina pauperum 288.a  
baulorum paralytici fides 221.a  
Balaa propheta de Christo 22.b  
baptismus ad quid & quando institutus à Christo 589.b

I N D E X.

baptismus Christi quam proficit 44.b  
baptismus Ioannis 455.a  
baptismus Ioannis ad quid utilis 44.b  
baptismus Ioannis argumentum penitentiae 45.a  
baptismus Ioannis quare in penitentia 49.b  
baptismi energia mira 560.a  
baptismi fructus 436.b  
baptismi mysterium ac ministerium quam religiosum esse uoluerit Christus 53.a  
baptismi uires quæ 589.b  
in Baptismo quantum gratiarum Dei accipimus 54.b  
in Baptismo recipitur quod in Euangelijs promittitur 590.a  
baptismi uarij in lege 44.b  
Baptistæ cur nomen Ioannes inditum 15.a  
baptizare spiritu sancto 50.a  
baptizare igni, quid ibid.  
baptizari nos quare iussit Christus 590.a  
baptizatorum officium 57.a  
baptizatis illabitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus 54.b  
Barabbas scelestiss. latro iniquissimè Christo præfertur 563.b  
barabbam petunt Iudæi sibi dimitti 556.b  
Barachias & Ioiadas pro eodem 496.b  
barba euulso inter summas contumelias habita 554.b  
Bartholomæus 260.b  
battologia unde 127.a  
beatitudo absque abnegatione sui non obinetur 85.b  
beatitudo hic obscura, sed per uerbum certa 393.a  
beatitudo & uera fœlicitas quibusnam in rebus sita 80.b  
beatitudo nostra, nostri est iustificatio 393.a  
beatitudo pro agnitione rerum cœlestium 343.b  
beatitudo uera in quo sita sit 81.b  
beatus quis 515.b

beatus esse non potest, qui sympathiam & sensum alienarum calamitatum non habeat 86.a  
beati ac Deo dilecti quinam uulgo putantur 80.b  
beati nō qui uiderunt, sed qui crediderunt 344.a  
beati quomodo similes angelis, 480.a  
beatorum alius alio clarius Deum intratur 446.a  
Beelzebub muscarum Deus 277.a  
beelzebub quare demoniorum princeps 321.b  
bellum quando & quomodo suscipiendum 87.b  
bellum quibus uictum licitum uidebitur ibidem.  
Benadab rex Damascenorum 7.a  
benedictio Abrahæ impleta 15.a  
benefactis qui aucupatur gloriam apud homines pessimè in se confulit 122.b  
beneficentia beneuolentiam complectitur 114.a  
beneficentia in quos primum ac potissimum effundenda 122.b  
beneficentia inexhaustus fons in Christo 249.a  
beneficentia cumlatiore opus est aduersus ferocios odium 114.b  
beneficium acceptum celare charitas non potest 248.b  
beneficia Christi admiranda quæ 222.a  
beneficia iustificatis Christi 210.a  
beneficiorum Dei obliuio fidei obest 389.b  
beneficium conciliatur & retinetur amicitia 191.a  
beneuolentia Dei erga famulos suos 515.a  
benignitas Christi etiam in ingratos 218.a  
benignitas Christi omnibus parata 239.a  
benignitas Christi quanta 203.a  
benignitas et lenitas christi 447.b  
benigni, Dei filij 114.b  
bestias immanes pueris aliquando pepercisse 34.a



I N D E X.

Bethania, domus obedientie 462.a  
 Bethlehem Galilee 20.a  
 bethlehem metropolis tribus Iudae  
 ibidem.  
 bethlehem metropolis Iudae 26.a  
 bethlehem parua unde magna 26.b  
 bethlehem interpretatio 27.a  
 bethlehem oppidi laus 38.a  
 Bethphage domus maxillarum  
 455.b  
 Bethula Hebraeus quid 16.a  
 bimatus quid 34.a  
 blanditiae impostorum, gladius  
 melle litus 476.a  
 blasphemia quid 223.b.325.b  
 blasphemia peccatum non simplex  
 325.b  
 blasphemia in Deum 325.b  
 blasphemia in Deum, peccatum  
 ad mortem 327.a  
 blasphemia in Christum 556.b  
 blasphemus quis 223.b  
 Boanerges 260.b  
 bonitas Christi expositio & ul-  
 tronea 211.a  
 bonitas Christi erga nos 217.a  
 bonitas Dei, diues mensa 382.b  
 bonitas quomodo adiunctam ha-  
 beat prudentiam 384.b  
 bonitatis diuina usus 10.b  
 bonitatem Dei omnia nobis, uel  
 minutula, predicant 116.a  
 bonum pro melius 421.b  
 bona Christi, quorum filij haeredes  
 sunt, quae 241.b  
 bona coelestia quae 588.b  
 bona Dei uera quae 480.a  
 bona externa sub conditione perē-  
 da 193.a  
 bona externa Christiano, si res po-  
 stulauerit, abiicienda 205.b  
 bona quamlibet redundantia, sine  
 Dei fauore nihil possunt 138.a  
 bonorum genera duo 354.b  
 bonus temporalibus & corporali-  
 bus necessitatibus quomodo u-  
 tendum 81.a  
 boni, oues: mali, haedi 524.b  
 bonorum, & malorum ingenium  
 329.a  
 bonorum exemplo ad bene agendum

incitari debemus 466.a  
 Booz cur licuerit alienigenae nu-  
 bere 6.a  
 booz in Bethlehem natus ibidem.  
 booz tres ibidem.  
 C  
 Cadauera aromatibus condita,  
 quid ostendunt 580.b  
 cadere in foueam quid 377.b  
 cadere in terram 280.b  
 cadere super lapidem angularem  
 quid 470.a  
 caecitas horribilis ubi non est Dei  
 sapientia 493.a  
 caecitas in lumine uerbi, instantis  
 pernicii praesagium 343.b  
 caecus caeco dux 377.b  
 caeci, a uero alieni 291.a  
 caeci uerē et infeliciter qui 246.a  
 caeci duo sanantur 443.b  
 caeci duo fide in Christum sanan-  
 tur 220.a  
 caeci quibus uenit Christus 246.a  
 caeci caecorum 377.b  
 caecorum clamorem quare Dominus  
 in itinere non audiuerit 247.a  
 caecis mente ad Christum acceden-  
 dum ut illuminentur 452.b  
 caedes ut homini toti prohibetur  
 97.b  
 caedes omnibus corporis membris edi-  
 tur, ab uno animo imperatur  
 97.b  
 caedis sanctorum quae ab ineunte  
 mundo cause 496.b  
 caeremoniae, Ecclesiae neuiquam  
 contemnendae 315.a.b  
 caeremoniae & externa charitati  
 cedere debent 313.a  
 caeremoniae quorsum institutae in  
 lege 95.b  
 caeremoniae in lege quid innuebāt  
 118.b  
 caeremoniae Iudaicae relictae 315.a  
 caeremoniae Moisaicae & forenses  
 leges num obligent nos 118.a  
 caeremoniae praescae quid 119.a  
 in caeremoniis manēt signata, ex-  
 oleuerunt signa 118.b

Cesarea urbes duae 389.b  
 Cain à Satana impulsus ad cedē  
 fratris 67.b  
 Caiphas hypocrita 552.b  
 Caiphas ambitione potifex 552.b  
 calamitas huius temporis quid exi-  
 gat 180.a  
 calamitas longē maxima quae 303.b  
 calamitati Iudaeorum Pontifices  
 initium posuisse 45.b  
 calamitates per tenebras in scriptu-  
 ris significari 509.b  
 calamitates quibus pulsatur Chri-  
 stus 32.a  
 calamitatum quare nullus finis  
 502.a  
 calceamenta & uirgam quare ge-  
 stari à suis praecipit Christus  
 288.a  
 calicis natura 20.b  
 calix Christi, baptisma, passio,  
 crux, mors, pro eodem 448.a  
 calicis nomine quid 543.a  
 calicē Domini bibere quid 448.b  
 calūniā Iudaeorum de uirgine 16.b  
 calumniari, calumniam intende-  
 re 114.b  
 calumniatores arbori mala com-  
 parati 327.b  
 calumniatoribus & conuicatori-  
 bus quādo respondendū 224.a  
 Camelus ingens animal, & rudēs  
 nauticus 440.a.b  
 Cana oppidum duplex 379.a  
 Cana & Cananaeus 261.b  
 Cananae mulier respiciētium ty-  
 pus 379.a  
 cananae mulier. confessio absoluta  
 379.b  
 cananae mulieris fides. 382  
 modestia 382.b  
 cananae mulieris uirtutes 379.a  
 cananae filia sanatur 372.a  
 cananae exemplo persistēdum in  
 oratione 381.b  
 cananae mulierem, sese abiiciē-  
 tem, quare contemnere uideri  
 noluit Christus 380.b  
 cananai qui 379.a  
 Candace nomen reginis Aethio-  
 pum commune 333.b

Caneretur, Prouerb. 123.a  
 canis animal cōtempnissimū, quid  
 designet 168.b  
 canum natura & ingenium,  
 ibidem.  
 canonicorum collegia quo sine in-  
 stituta 257.a  
 cantus in templis quales esse oportet  
 127.a  
 cantus sepulchrales à Gentibus ad  
 Iudaeos defluxisse 243.a  
 capere pro capacem esse 434.a  
 Capharnaum urbs metropolis  
 Galilee 415.b  
 capharnaum ciuitas Christi,  
 302.a  
 capharnaum quare dicta ciuitas  
 Christi 220.b  
 capharnaum lubens Christus de-  
 moratus est 70.a  
 capharnaum celebris hospitio,  
 predicatione & miraculis  
 Christi 70.b  
 capilli 254.a  
 captiuitas Iudaeorum in Babylone  
 septuaginta annis 8.b  
 captiuitas mortalium quomodo na-  
 ria 451.b  
 caput anguli & fundamentum  
 pro eodem 469.b  
 caput nostrum, res sacra 106.b  
 caput uere religionis & pietatis,  
 mens recta 488.b  
 caput Satanae quid 550.a  
 caput Satanae quomodo à Christo  
 contritum ibid.  
 capitula accusationis aduersus Chri-  
 stum 561.a  
 carnales carnis pugnam non sen-  
 tiunt 544.b  
 caro quid 544.a. cuiusmodi,  
 544.b  
 caro & sanguis pro homine,  
 393.b  
 caro & ratio humana in rebus fi-  
 dei cecutiunt 246.b  
 caro hostis domesticus 170.a  
 caro ignorat quae sunt fidei 246.b  
 caro nescit mortem pro Christo,  
 esse uitam 34.a  
 caro minimū generosa magis pae-

I N D E X.

nanz horret, quam amet gratiam,  
 217.b  
 caro qualis nobis hostis 140.b  
 caro quā sit imbecilla 550.a  
 caro quātos strepitus ciet uel mo-  
 dicum oblesā 154.a  
 caro sibi ipsi somnia fingit, ne a-  
 gnoscat Christum 292.a  
 caro Christi è carne uirginis,  
 12.a  
 carnis contumacia 415.b  
 carnis indoles 363.a  
 carnis infirmitas cuique agnoscen-  
 da 544.b  
 carnis sententia de beatitudine,  
 80.b  
 carnis in bonis operibus nō habē-  
 da ratio 124.b  
 carni ansam omnem gloriandi  
 Christus uoluit detractā 304.b  
 carnem in multos, spiritū in pau-  
 cibus, imperium habere 77.a  
 castratio quid subindiceret 434.b  
 casus Satanae, mūdo ineunte, pra-  
 ludium fuit sequenturae postmo-  
 dum ruinae 213.b  
 catalogus eorū quos è summa mi-  
 seria in summos honores Domi-  
 nus enexit 218.a  
 catamidiare quid 14.a  
 καταραξάει, deuouere, diris &  
 maledictis insectari 113.b  
 catechesis quid 169.a  
 Cato an rectē fecerit, uxorem suā  
 dans Hortensio utendam 110.b  
 causa fugae Christi in Aegyptum,  
 31.b  
 causa praeccepti non minus spe-  
 ctanda quā praecceptum,  
 273.b  
 causa quae turbabant Herodem  
 24.b  
 causa uariae propter quas exaudi-  
 tio precum differtur 189.b  
 causarum, quibus adductus Pila-  
 tus Christum damnavit, depul-  
 sio 564.a  
 cenodoxia tentatio, difficilis re-  
 pulsio 124.a  
 census sine professio Iudaeorum  
 415.b

Cetero genus morbi declarat me-  
 dico clementissimo 196.b  
 centurio nihil commune habet  
 cum militibus huius temporis  
 197.a  
 centurio omnipotentiam Christo  
 tribuit 198.a  
 centurionis fides in Christi uerbo  
 190.a  
 centurionis fides longē stabilior fi-  
 de paralytici 196.b  
 Cerdonis ac Manichaei error,  
 12.a  
 cessatorum desidia excitari nos  
 oportere 412.a  
 Chantas quid 504.a  
 charitas quid Diuo Augustino,  
 482.a  
 charitis nexus est quo unimur  
 Christo III.b  
 charitas acceptum beneficium ce-  
 lare non potest 248.b  
 charitas Christiana omnia tentat  
 agitque ut fratrem habeat pa-  
 catum 99.b  
 charitas Dei erga nos 318.b  
 charitas Dei erga nos in sudore  
 Christi sanguineo 545.a  
 charitas & necessitas uim legibus  
 adferunt 315.b  
 charitas ortum habet ex nobis  
 112.a  
 charitas pluris faciendā, quā  
 quoduis malum externum  
 109.a  
 charitas suos gradus habet ut etiā  
 odium 114.b  
 charitas, ut ignis, afficit omnes ad-  
 sistentes 111.b  
 charitas uia regia 117.b  
 charitas Diui Pauli quantitas  
 112.a  
 charitas omnia condit & lemit,  
 307.b  
 charitatis sanctae natura 504.a  
 charitatis uera imago 380.a  
 charitatis seruor in Paulo 139.b  
 charitatis & obedientiae semper  
 debitores sumus 139.a  
 charitatis ingenium 371.a  
 charitatis proprium 111.b  
 HHH



INDEX.

charitati debetur iuramentum 105. b  
 charitatem & ignoscantiam mutua quam emixit a nobis Deus exigit 144. a  
 charitatem ueram caro non nouit 112. a  
 charitatem operibus qui exercet, Christum habet coniuu. 228. a  
 Chirographum confixum cruci, quid 569. a  
 Chriaturitur Christus, usi & prophetæ 418. b  
 Christianæ professioni num obstat, quod quidam dicuntur Augustiniani, &c. 260. a  
 Christianissimus quare amplectendus 209. b  
 christianismus quibus principibus, temporibus, locis, initium habuit 40. a  
 christianus quid debeat assidue meditari 329. b  
 christianus imprimis se probat Deo 147. a  
 christianus non uni sibi, sed omnibus quoque sua delicta ignoscit precatur 139. b  
 christianus delinquentem cur corrigat 164. b  
 christianus auarus ethnico deterror 159. a  
 christiani hominis uita grauis & ardua 175. b  
 christiani non est, incertum unquam esse, quod se uertat 307. a  
 christiani amictus qualis esse debet 42. b. 43. a  
 christiano quid meditandum in passione Christi 576. a  
 christiano, ut uiro forti, omne solum patria est 220. b  
 christiano quæ cognitio Dei necessaria 305. b  
 christiano prohibetur iudicium carnis & secundum faciem 189. a  
 christiano magis, dum uiuit, laudandum quam gaudendum 83. a  
 christiano quotidie multa ferenda 83. b  
 christiano quid de Maria matre Christi sentiendum 336. b  
 christiano nihil cum bonis fortuitis 113. a  
 christi. num quæ faciunt 187. b. 188. a  
 christianum quemque & fidelem quid deceat 394. a  
 christi. num non facit titulus, sed uita 183. a  
 christi. num quomodo moerere & lugere oporteat 83. b  
 christianum nihil minus decet, quam ambire quæ sunt huius seculi 219. a  
 christiani unde dicti 260. a  
 christiani quare Galilei 36. b  
 christiani ueri pauci 340. b  
 christiani ab Ethnicis habiti pro hostibus & peste humani generis 275. a  
 christiani olim catharmata & hostiæ piaculares 275. a  
 christiani patientia uincunt 276. a  
 christiani soli non falluntur quod ad remissionem peccatorum attinet 222. b  
 christiani grauiam passi ab Ethnicis propter uerbum Domini 109. b  
 christianorum est, ex uoce agnoscere Christum 369. b  
 christianorum negligentia inexcusabilis 306. a  
 christianorum consolatio in afflictionibus quæ 275. b  
 christianorum mors, non mors, sed dormitio 244. a  
 christianorum finis 150. b  
 christianis crastini cura ponenda 138. a  
 christianis non anxie cogitandum de uictu, & quare 159. a  
 christianis quomodo unus pater, magister & Dominus 491. a  
 christianis crux quotidie atque a deo perpetua 399. b  
 christianus nulla posse iniuria fieri Iulianus Imperator dicebat, 109. b  
 christianos non debere terreri scandalis ortis cū Euangelio 283. a  
 christianos quibus armis munitur Paulus 141. a  
 in Christianos & uerbi predicatorum quare seuiatur 270. b  
 Christus nomen regium 3. b  
 christus cur Dauidis & Abrahæ, non autem aliorum, naturæ filius ibidem.  
 christus quomodo unctus ibid.  
 christus regie tribui promissus, non Leuiticæ 4. a  
 christus rex & pater multarum gentium 4. b  
 christus etiam ad Gentes peruenit 5. a  
 christus promissus & expectatus à patribus ibid.  
 christus de Maria 9. b  
 christus unctus ibid.  
 christus cur de desponsa uirgine uoluit nasci 11. a  
 christus de Spiritu sancto conceptus 11. b  
 christus quis sit, & quid collaturus uenit 15. b  
 christus quomodo nos saluat ibid.  
 christus uerè Emmanuel 16. b  
 christus cur in nostram carnem uenit 17. a  
 christus uerè primogenitus & unigenitus 18. b  
 christus nobis natus & datus 19. b  
 christus omnibus promissus 20. b  
 christus quibus innotescit 22. b  
 christus natus quomodo nobis recipiendus 24. a  
 christus ante omnia præferendus ibidem.  
 christus Rex & Sacerdos 27. a  
 christus quomodo inuenitur 29. a  
 christus quæ a nostra causa infans & adultus tulit 32. a  
 christus quare Galileus dictus 36. b  
 christus omnibus & natus & datus ibid.  
 christus quare Nazareus 37. a  
 christus, sanctus in scripturis, ibidem.  
 christus qualis Dominus 38. a

INDEX.

christus uerbum, Ioannes uox uerbi 94. b  
 christus nouacula & securis 42. a  
 48. b  
 christus quare baptizatus 51. b. 53. a  
 christus agnitus Deus 54. b  
 christus post seruos Dei à patre tandem missus 55. a  
 christus quæ egit, & quæ circa ipsum acta sunt, propter electos omnia ibid.  
 christus quamobrem uenit in mundum 56. b. 76. b  
 christus quare tentari uoluit 57. a  
 christus quare quadragesima dies ieiunauit 59. a  
 christus solum extrinsecus tentatus 59. b  
 christus nobis aduersus tentationes omnes portus tutissimus 69. a  
 christus semper Satana uictor ibidem.  
 christus, lux 71. a  
 christus aliquandiu docuit, magis quam predicauit 72. a  
 christus cur inopes & idiotas acciuit in discipulos 73. b  
 christus qualis ab Apostolis propositus ac predicatus 74. a  
 christus quam sollicitus pro nostra salute 75. b  
 christus quam ambitiosa & superba pompa aduersus mundum procedat 75. b  
 christus ubi & quid docebat 76. a  
 christus Rex ibid.  
 christus afflictus propter se promittit mercedem 78. b  
 christus ore, opere & gestu docebat 80. a  
 christus ut homo loquebatur, afficiebat ut Deus ibid.  
 christus lux Gentium 93. a  
 christus ad omnes misit suos, 93. b  
 christus quæ sua sunt nostra esse & dicit & facit 94. a  
 christus quid contulit legi ibid.  
 christus unde uidebatur legem solueri 94. b  
 christus legem cum abrogare uideatur, implet 95. a  
 christus nihil docuit contrarium legi ibid.  
 christus quomodo legem impleuit ibidem.  
 christus legem perfecit, non destruxit 95. b  
 christus quomodo iurat & quare ibidem.  
 christus auxilio est ad implendum quæ præcepit 96. a  
 christus primum fecit, postea docuit 96. b  
 christus auocat ab ira & amaritudine affectibus 99. a  
 christus alteram malam seruo percipienti non obtulit 109. a  
 christus exemplum dilectionis expressissimum 112. a  
 christus quorsum nobis donatus 115. a  
 christus nos ter Lytotes 119. a  
 christus exoluit quod debebamus legi ibid.  
 christus quomodo legem impleuit ibidem.  
 christus pauorem legis nobis excussit 120. a  
 christus quam iracundiam uetat ibidem.  
 christus patrem placatum nobis præstat 120. a  
 christus nonnunquam in iram concessit 120. b  
 christus quare traducit hypocritam Iudeorum 125. a  
 christus & alij prolixè orauerunt 126. b  
 christus & Paulus priuatim orauerunt 129. b  
 christus nobis quam necessarius 138. b  
 christus unus nobis salus, 139. a  
 christus in mundo absconditus 147. b  
 christus cum medico comparatur 148. a  
 Christianis non precipitur esse mendicis 149. b  
 christus quid in summa doceat 168. b  
 christus quare summam omnium legum in una sententia conclusit 173. a  
 christus ipsemet, uel doctrina de Christo prodita, firma petra est 187. b  
 christus quomodo predicandi officio functus 188. a  
 christus quare contactu & mediis inter sanandum usus sit 193. b  
 christus alienus ab aurainanis glorie 194. b  
 christus politicæ, legis Moysæ, disciplinæ obseruantissimus, 195. a  
 christus ut homo admiratur fidem Centurionis 199. a  
 christus ad infirmos quare diuertat 202. a  
 christus sanando nihil molestiæ & ignauiæ relinquit 203. a  
 christus tactu suæ mundissima carnis purgat immundum 203. b  
 christus quare tristis & egenus factus 204. a  
 christus nobiscum in eadem nauis 207. a  
 christus cur nos tentari sinit, 207. a  
 christus docet primum, deinde tentationem adhibet ibid.  
 christus quare permiserit suos de uita periclitari ibid.  
 christus quare obdormit in nauis 207. b  
 christus sese uerum hominem esse confirmat ibid.  
 christus uerè depulsor malorum & alexicacus 208. a  
 christus quando propè conclamatum est, tunc ferr opem ibid.  
 christus ubique saluat 209. a  
 christus Ionas noster sedat omnes fluctus, & pericula dispellit 210. b  
 christus nobis uicit demones 211. a  
 HHH ij



I N D E X.

christus quomodo Dæmonibus  
innouit 214.a  
christus quare à dæmonibus se  
predicari noluerit 214.b  
christus Dæmonibus ante tempus  
uenit, idque quomodo 215.a  
christus multa fecit dixitque quo-  
rum rationem tacent Euange-  
liographi 216.a  
christus uicarium substituit aliis  
lucrificandis 218.b  
christus ad quid uenit 219.a  
christus externam rerum cõditio-  
nem non uenit mutaturus, sed  
mentis ibid.  
christus non in hunc mundum ue-  
nit regnaturus, sed ministraturus  
ibid.  
christus cum peccatoribus man-  
ducat 219.b  
christus quare tantoperè pauper  
esse uoluit ibid.  
christus etiam mutas orationes  
audit 221.a  
christus quorsum uenit 222.b  
christus ut Deus remittit peccata,  
homo ut minister 223.b  
christus Deum se probat ibid.  
christus aliter remittit peccata,  
aliter eius ministri 224.b  
christus homo non inuidit suam  
potestatem hominibus 225.b  
christus quare uenit 226.a  
christus peccatorum patronus  
230.a  
christus medicus, sed longè alius  
atque ceteri medici 230.a  
christus cibus, lux, uita 230.b  
christus quantus medicus ibid.  
christus uenit peccatoribus  
232.b  
christus quos iustos non uenit uo-  
care 233.a  
christus medicus aliis longè tum  
humanior, tum facilior ibid.  
christus indulgens erga suos,  
235.a  
christus à Ioanne Baptista sponsus  
dictus 235.b  
christus se ipse sponsum uocat, &  
quare ibid.

christus rotus semper in Ecclesia  
236.a  
christus beneficus erga omnes  
239.a  
christus quomodo suorum uirtu-  
tem prodat 241.b  
christus quare in nobis agit dicit no-  
stra esse 242.a  
christus sua dona auferre potest  
ibidem.  
christus Dominus mortis 242.b  
christus tres ex discipulis suis qua-  
re confcios fecerit secretiorum  
suorum operum 243.a  
christus unicum post omnia affli-  
ctum suffugium 243.b  
christus unus audiendus per quem  
spes resurrectionis 244.a  
christus scandalum, & stulticia  
carni, & cur 244.b  
christus humilibus uocibus usus  
245.a  
christus uetuit sua miracula enul-  
gari, & quare 245.b  
christus quare à sanandis fidem  
exegerit 247.a  
christus bonum opus suum cur di-  
uulgari uetuerit 248.a  
christus pietissimo cuique patri  
simillimus 249.a  
christus suo spiritu contraria dia-  
boli opera dissoluit 250.a  
christus plurima eiusdem generis  
miracula edidit ibid.  
christus quàm gnauiter munus  
à patre demandatum obiit  
251.a  
christus quàm sit contrarius de-  
moni ibid.  
christus & Apostoli palam do-  
cuerunt 251.b  
christus quare Spiritu sancto un-  
ctus 252.b  
christus noui Testamenti media-  
tor 258.a  
christus suos emissurus, illos prius  
munit & armat ibid.  
christus cur potestatem suis dede-  
rit 258.b  
christus fundamentum Ecclesiæ  
259.b

christus inuentus à non quæren-  
tibus 262.a  
christus quomodo suos instruit  
commoatu 262.b  
christus suos misit primum ad In-  
dæos, & quare 263.a  
christus promissorum seruantissi-  
mus 263.b  
christus iubet suos periculum fa-  
cere, num quid deesse possit  
strenuè obuentibus munus suum  
266.a  
christus bonus pastor 269.a  
christus nihil ueritus est titulos  
aut autoritatem hypocrita-  
rum 269.b  
christus in suis quomodo patitur  
271.b  
christus quod sibi uoluit, idem  
& suis uult accidere,  
272.a  
christus aufert suis Apostolis  
confidentiam in seipsos,  
272.b  
christus ubique adest & prospicit  
suis ibid.  
christus non prohibet laborem, sed  
anxium studium 273.a  
christus & Satan ex diametro op-  
positi 274.b  
christus suo exemplo urget necessi-  
tatem crucis 277.a  
christus quomodo abnegatur,  
282.a  
christus quàm non uulgarem sui  
amorem exigit 284.a  
christus unde uelit agnosci 291.a  
christus leprosum genus humanum  
suo sanguine purgauit 291.b  
christus humilis haud facile à mū-  
do cognosci potuit 292.a  
christus agnoscendus in scripturis  
292.b  
christus Iudæis quare factus scan-  
dalum 292.b. quare Genti-  
bus stulticia ibid.  
christus quare desideratus patri-  
bus 295.a  
christus in regno cælorum quo-  
modo minimus 296.a  
christus quàm se deiecit 296.b

I N D E X.

christus in aduersis orat, in prosperis  
gratias agit 303.a  
christus abiectis iuxta mundum  
quare credidit sua mysteria, &  
tradidit dispensanda 304.a  
christus quantus 304.b  
christus imago & exemplar pa-  
tris 306.a  
christus quod precipit, iuuat ut ex-  
hibeatur ibid.  
christus corporis & animæ medi-  
cus 307.a  
christus medicus bonus & incom-  
parabilis ibid.  
christus an gaudeat, Euangelium  
abscondi prudentibus seculi  
308.b  
christus & legis fecit & satis-  
factionem suam cum omnibus  
communicat 309.a  
christus filium hominis quare se  
uocat 313.a  
christus quare prohibuerit seipsum  
manifestari 318.a  
christus dilectus patri 318.b  
christus Dei & filius & seruus  
ibidem.  
christus electus, & nos electi  
ibidem.  
christus homo accepit spiritum  
319.a  
christus doctor primum, post in-  
dex 320.a  
christus magis saluti populi, quàm  
sua gloriæ prospexit 321.b  
christus & Satan ex diametro  
dissidentes 322.a  
christus minis agit, ubi nihil beni-  
gnitate proficit 325.b  
christus satisfecit pro omnibus  
omnium hominum peccatis  
326.a  
christus Iudæorum concionator  
331.b  
christus quomodo tribus diebus  
& tribus noctibus in sepul-  
chro 332.b  
christus matrem & fratres mini-  
mè negauit 337.a  
christus cælestia per humana ex-  
empla docet 340.a

christus quare parabolis usus  
340.a, 341.a  
christus non lumine naturali, sed  
spiritus Dei uidetur 344.a  
christus, seminator egressus  
344.b  
christus & Paulus hortatores ad  
crucem 346.a  
christus quare locutus in parabolis  
350.a  
christus quomodo quotidie semi-  
nat 350.b  
christus ubinam reperiatur,  
353.b  
christus homo humanis ordinatio-  
nibus paruit 356.b  
christus apud suos quare pauca si-  
gna edidit 357.b  
christus quare in desertum secessit  
365.a  
christus idem nobis semper, qui  
olim 365.b  
christus ubi est, nihil deest  
367.a  
christus aspiciens in cælum quid  
significabat 367.b  
christus nos erudit ut agnoscamus  
eum 368.a  
christus quare noluit in mundo  
fieri Rex ibid.  
christus quid orabat ibid.  
christus cur solus orauit ibid.  
christus quibus spectrum tantum  
est 369.b  
christus pacis omnimodæ dator  
370.b  
christus propter quos missus  
372.b  
christus sedens in monte sanat in-  
firmos ibid.  
christus unus imitandus 377.b  
christus quadrupliciter apprehen-  
dendus 379.b  
christus quibus prodest 380.b  
christus Iudæorum Apostolus  
381.b  
christus propensissimus ad bene-  
faciendum Iudæis 383.b  
christus medicus potentissimus  
ibidem.  
christus, filius Dei 386.a

christus semper humanus ac mitis  
389.a  
christus quid primum à suis exigit  
391.a  
christus Rex & sacerdos ibid.  
christus Davidis & filius & Do-  
minus 392.a  
christus filius Dei uiui, quare,  
ibidem.  
christus unigenitus Dei filius, cæ-  
teri propter eum adoptati  
ibidem.  
christus potentia Dei 393.a  
christus non sine cruce predicandus  
396.b  
christus per quos passus 397.a  
christus dilectus audiendus  
402.b  
christus quare se transformauit  
403.a  
christus quid uoluerit, docuerit,  
fecerit 407.b  
christus quando tangat suos  
408.b  
christus unus audiendus ibid.  
christus uerbo omnia potest & fi-  
cit 411.b  
christus quare suos interdum finit  
diuexari 412.b  
christus indignatur malefico spiri-  
tui 413.a  
christus etiam ethnicis magistra-  
tibus uenerabilis 415.b  
christus Rex & Regis filius  
416.a  
christus omnium præsciens, & idè  
omnipotens 416.b  
christus pauper 417.a  
christus quare à patre missus in  
mundum 422.b  
christus omnes sine delectu ad se  
uocat 435.a  
christus quid in principibus im-  
probet 450.b  
christus interrogatur de potestate  
sua 455.a  
christus cur in sedèdo a sinæ uolue-  
rit ingredi Ierosolymam 457.a  
christus quare uenit 457.b  
christus lapis offendiculi increduli-  
lis 470.b



christus quomodo Davidis filius 484.b. & Dominus 485.a  
 christus ex uerbo qualis est concipiendus 497.b  
 christus suos uult paratos esse ad migrandum hinc 509.a  
 christus omnibus conspicuus futurus in die nouissimo 510.a  
 christus in iudicio & sponsus & iudex 518.a  
 christus Dominus & index omnium 520.b  
 christus solis fidelibus rex 523.a  
 christus in iudicio uerus homo apparebit ibid.  
 christus & diabolus duo capita 527.a  
 christus redimendus quare comedit & bibit 537.b  
 christus uolens & sciens mortem adit 538.a  
 christus concionatur longe aliter atque mundus 538.b  
 christus omnino nobis similis absque peccato 541.a  
 christus quare sic attonitus a facie mortis 541.b  
 christus quomodo suscepit in se nonstra peccata ibid.  
 christus sacerdos omnibus accessibilis 542.a  
 christus mortem quare est deprecatus 543.a  
 christus quare capi uoluit 548.a  
 christus etiam captus potentissimus 549.b  
 christus captus quare ad Caiphama ductus 550.b  
 christus omnium iudex quare iudicari uoluit 551.b  
 christus ab omnibus innocens inuentus 552.a  
 christus innocens passus ut noxus omnes auferret ibid.  
 christus in maiestate ueniet 553.b  
 christus pro ueritate occubuit 554.a  
 christus implet scripturas 554.b  
 christus damnatus & illusus, spectaculum horrendum ibid.  
 christus quare uelari uoluit 555.a

christus spinis coronatus illuditur & conspuitur 556.b  
 christus quam sibi nos obstrinxerit sua passione 563.b  
 christus quare in suis uelibus ductus ad crucem 566.a  
 christus ut Deus, ut propheta, ut rex illusus ibid.  
 christus summis doloribus tentatus in passione 567.b  
 christus undique despectus & aspersus opprobriis ibid.  
 christus extra portam quare passus 568.a  
 christus quare in crucem sublatum 568.b  
 christus summus, uerus & perpetuus sacerdos 569.a  
 christus pro nobis factus maledictum ibid.  
 christus Rex tantum Iudeorum quare inscriptus 570.b  
 christus Rex & Dominus omnium, etiam Gentium ibid.  
 christus nobis omnia ibid.  
 christus animo & corpore torqueatur 571.a  
 christus quare in medio latronum crucifixus ibid.  
 christus quomodo declarare debuit se esse filium Dei ibid.  
 christus sacerdos per uirtutem suae crucis nos absoluit 573.b  
 christus notos & amicos quare uoluit sui supplicij testes esse 579.a  
 christus in cruce quare se derelictum clamauit 574.b  
 christus quomodo derelictus a patre ibid.  
 christus Messias a Prophetis promissus 560.b  
 christus dicens, Consummatum est, quid sibi uoluit 575.b  
 christus uicit omnia quae homini incutiebant timorem 586.a  
 christus a nobis uina fide captus nihil negare potest ibid.  
 christus & uiuus & mortuus multos innocentiae suae testes habuit 578.a

christus cultores suos seruat ibid.  
 christus conspuitur a mulieribus 582.b  
 christus quare tam multis a resurrectione uidendum se prebuit 588.a  
 christus discipulos suos quare fratres uocat 586.a  
 christus quam potestatem a Deo acceperit 588.b  
 christus Rex caeli & terre 589.a  
 christus redimendus pro Deo agnitus a suis 588.a  
 christus uerus Deus 590.b  
 christus in Galilea uisus redimendus 585.a  
 christus in Galilea adoratur ab Apostolis 582.b  
 christi officia 1.b  
 christi generatio secundum carnem 2.b  
 christi philanthropia 5.b  
 christi caro ex carne uirginis 9.b  
 christi munus 10.a  
 christi conceptio & uirginis oblatio propria Spiritui sancto 12.a  
 christi natiuitas manifesta 19.b  
 christi nascentis bonitas etiam Gentibus oblata 20.b  
 christi regnum ad uniuersos pertinere 24.b  
 christi gloria a piis & impiis illustrata 25.a  
 christi munus occultum usque ad Ioannem 26.b  
 christi duplex natiuitas 38.a  
 christi aternitas 38.b  
 christi, Ioannis, Pauli, & c. seueritas in docendo predicatoribus quomodo imitanda 46.a  
 christi charitas erga nos 76.a  
 christi diuinitas 76.b  
 christi & mundi antithesis 89.b  
 christi christianique nomine nihil olim mundo inuisus 89.b  
 christi mens & scopus 94.b  
 christi ira & conuicta quae 99.a  
 christi uerba quomodo intelligenda 110.a  
 christi doctrina Christiano sequenda

da 114.a  
 christi beneficia explicata in Euangelio 519.b  
 christi non est qui sine operibus est 163.b  
 christi paupertas 190.a  
 christi benignitas etiam in ingratos 218.a  
 christi mansuetudo 220.b. 239.a  
 christi potestas omnia comprehendit 224.b  
 christi clementia non auersantis peccatores 226.a  
 christi bonitas ultra ad se nos uocantis 229.a  
 christi officium 234.a. 319.a. 461.a  
 christi sponsi abito, quae 236.a  
 christi uirtus nullis finibus circumscripta 239.b  
 christi benignitas erga nos 242.b  
 christi potentia qua in re agnoscitur ibidem.  
 christi contactus felix 247.b  
 christi & Satanae studia ex diametro pugnantia 251.a  
 christi ministri Christum imitari debent ibidem.  
 christi potentia diuina 259.a  
 christi charitas erga genus humanum 262.a  
 christi modestia 270.b  
 christi nomen quam inuisum mundo 275.a  
 christi mores ab omni fastu alienissimi 308.a  
 christi bonitas omnibus accessibilis 318.a  
 christi clementia & potentia 320.b  
 christi studium erga suos 370.b  
 christi ipsissimum munus, consolari & metum discutere 408.b  
 christi desiderium ab incredulis Iudeis secedendi in cruce 412.a  
 christi ministratio 451.a.b  
 christi uirtutem describere Euangelistae diligenter curauerunt 452.a  
 christi uictoria mundo ignota 485.b

christi frater quis 526.b  
 christi fortitudo mortem praemediantis 542.b  
 christi innocentia quomodo nostra 552.a  
 christi tum humilitas imitanda tum maiestas adoranda 553.b  
 christi ignominia incomparabilis, 555.a  
 christi humilitas 560.b  
 christi corpus quare in monumento nouo conditum 580.b  
 Christo omnia in manu 77.a  
 christo quomodo parendum 148.b  
 christo morbi omnes cedunt 239.b  
 christo omnia uiuunt 243.b  
 christo nota & experta misericordiae nostrae 248.a  
 christo omnia tradita a patre, 304.b  
 christo potestas datae propter nos 306.b  
 christo quantum studium promouendi Euangelium 311.a  
 christo non credunt sui Nazareni 339.b  
 christo & apostolis nulli infestiores, quam Ierosolymite 372.b  
 christo relicto nihil saluum 401.a  
 christo debitores quando simus, 428.b  
 christo seruendum 451.b  
 christo omnia nuda & aperta 456.b  
 christo duplices inimici 485.b  
 christo pedes unguentur a muliere 527.b  
 christo in cruce sitiens paululum aqua negatum 575.a  
 Christum esse quid 10.a  
 christum cur oportuit non de uiro concipi 11.a  
 christum quarentibus Deus non defuturus 28.b  
 christum se tentationibus obiecisse 57.b  
 christum tentaturus Satanas num hominis formam induerit 59.b  
 christum quomodo Apostoli nihil contacti sequuti sunt 75.a  
 christum sequi, & uire post Christum,

quid 206.a  
 christum per aduersa omnia sequi necesse est 209.b  
 christum non agnoscit, qui illum deserit 219.a  
 christum conuiuio accipere cupienti quid agendum 228.a  
 christum pascentem multi, patientem pauci sequuntur 239.a  
 christum coeteri suos quid 281.b  
 christum uere agnoscere non potest nisi qui respuerit 289.a  
 christum adire omnibus licet 308.a  
 christum uult mater alloqui 310.a  
 christum & doctrina & uirtus admirabilem reddebat 356.b  
 christum suos deserere non posse 369.a  
 christum infirmitatibus nostris co pati 384.b  
 christum quomodo apprehedimus & cognoscimus 392.b  
 christum dare Ecclesiae clauis regni caelorum, quid 395.b  
 christum qui habet omnium facile obliuiscitur 405.b  
 christum tradi quid 414.b  
 christum in caput anguli factum multis modis exponitur 469.a  
 christum quare multi deseruerint & deserant 503.b  
 christum postremo suo aduentu ignorari non posse 508.b  
 christum quinam inuenturi sint 509.a  
 christum iam iam passurum quid ita tristem effecerit 541.a  
 christum quare ipsi Iudei non occiderunt 557.b  
 christum oderant Iudei, & illi inuidebant, quare 562.a  
 christum resurrexisse Iudei non credunt 582.b  
 christum uiuum qui spreuerunt mortuum agnoscunt 578.b  
 ante Christum nullus surrexit immortalis futurus 578.a  
 de Christo quae tenenda & credenda 390.b. 392.b  
 χαλός quid 383.b  
 κρηύται quid 252.b



Cibus conuiuij primarius quis 472.b  
 Cibus Ecclesiasticus suus debetur 266.b.  
 cibus quo implētur iusti, quis 85.b  
 Ciceronis cæsi lingua Fulvia Antonij acupugit 364.b  
 cilicium, cinis & saccus, argumenta pœnitentiæ 301.b  
 cilicium induere 302.a  
 ciuis à ciue & quilibet à uicino iniuriam propulsare debet 109.b  
 ciues regni Christi 324.a  
 ciuitas Davidis 20.a  
 ciuitates sancte quæ 106.b  
 clamor in oratione uisæ fidei argumentum 370.a. 379.b  
 clamorem nostrum Christus dissimulat, ut fidem nostram accendat 453.b  
 claritas regni Christi duplex, 404.a  
 classicum angelicum 524.a  
 claudere ostium in oratione quid 126.a  
 claudi qui 291.b  
 claudi & cæci in templum Dei non ingrediebantur 461.a  
 clauis uoce quid designatur 395.b  
 clauis multiplex 395.b  
 clauis scripturæ 202.b. 211.b. 353.b  
 clauis in manu Christi 395.b  
 clauis regni cœlorum & scientiæ quid 492.a  
 clauibus quomodo utēdum 396.a  
 Cœli & terra pro uniuerso 303.a  
 cœlum & terra quomodo perire aut trāsire dicantur 96.a. 512.a  
 cœlum, sedes Dei 106.a  
 cœli nobis patria, nō terra 148.b  
 cœlum aliud spirituale, aliud corporale 135.b  
 cœlum pro loco felicitatis 150.b  
 cœli quibus parati 115.a  
 cœli allegoricè, angeli & piorum corda 132.a  
 cœlorum aspectus quid commodet Christiano 106.a  
 cœlos aperiri quid 53.b  
 cœmeterium Christianum quare sacrosanctum 244.a  
 cœmeteria Christianorum 365.a  
 cogitationes impiæ quomodo abigendæ 522.a  
 cogitationum notitia Christi deitam arguit. 321.b  
 cognatio diuina quanto potior ac fortior humana 337.a  
 cognatio carnis, etiam cum beatissimis, neminem reddit beatum 337.b  
 cognatio duplex 338.a  
 cognatorum & carnis ratio nulla habenda in docendo uerbum 337.a  
 cognitio Dei duplex 305.b  
 cognitio Dei cum pietate ibid.  
 cognitio patris ex sola reuelatione 305.b  
 cognitio rei cuiuspiam quid exigat 479.a  
 cognitio pro charitate 186.a  
 cognitio rerum naturalium ac cœlestium magis pendēda 387.b  
 colaphum infringere neglectum habet 109.a  
 collatio culture agrī spiritualis & terreni 255.b  
 collatio Ionæ & Christi 332.a  
 color albus gratissimus 404.b  
 columba uertici Christi insidēs testabatur ipsum Ioanne esse matrem 53.b  
 columba ingenium 54.a  
 columbæ simplicitas 270.a  
 columbam an uiderit Ioannes bis super Christum 51.b  
 cometa, stella caudata 23.b  
 cometa gladij specie 502.a  
 comitas Christi 585.b  
 commoditates Ecclesiastice non repudiandæ 339.b  
 commodis nostris exultat Christus 393.a  
 commune pro prophano 373.b  
 communicatio rerum qualis in uentri Ecclesia 137.b  
 Cōpostēla alias Ianasum 260.b  
 conceptio ad spiritum sanctum referenda 18.a  
 conceptio de Spiritu sancto 14.b  
 conceptio miraculosa 14.b  
 conceptionis Christi usus 15.a  
 conceptionem uirginis aperit Angelus Iosepho 13.a  
 conciliatio Euangelistarū 390.a  
 403.a. 418.a. 567.a. 568.b  
 concilium Herodis autoritate actum 25.b  
 concilium pro cōfessu iudicij 9.a  
 in Concilio tria obseruanda 551.a  
 Concio Christi omnium seuerissimā Scribas & Phariseos 487.a  
 conciones arcane, suspectæ 79.b  
 conciones publicæ quid præstent 274.a  
 conciones sacræ nemini contemnendæ, & quamobrem 175.a  
 conciones sacræ audituris quid agendum 345.b  
 concionator & iustus bono esse animo docentur 85.a  
 concionator zelo Dei armatus esse debet 114.a  
 concionatoris officium quod 331.b  
 concionatori auditorum habendæ ratio 189.a  
 concionatori autoritatē omnē adimit uita impura 188.b  
 concionatores Euangelij cœlo precibus impetrandi 256.a  
 concionatores optimi qua admonitione uti soleant finita concione 178.b  
 cōcionatores quomodo amicitia decet 43.a  
 concordia nullum uinculum firmitus 322.b  
 cōcordiæ & mutua charitatis præmia magna 427.b  
 condemnatio probrosa est, & contemptu plena 166.b  
 confessio peccati quibus fieri debet 558.b  
 confessio sacramentalis diuinitus inspirata 396.a  
 confessionis fidei Christianæ formula 391.a  
 confessio nominis Christi 391.a  
 confessio ex corde, & ore quādoque necessariò faciendā 395.a  
 confessio Petri & Apostolorum 281.a  
 confessionis ueræ de Christo quæ ampla sint præmia 281.b  
 confessores Christi in primis decet modestia 281.a  
 confiteri Christum quid 254.a 281.a  
 confiteri pro gratias agere 303.a  
 congregare seu colligere cum Christo quid 324.b. 427.b  
 coniugium à Deo institutum 433.b  
 coniugium inter homines solum 432.a  
 coniugium quo ad uinculum inseparabile esse 433.b  
 coniugij molestiæ quomodo æquo animo ferantur 434.a  
 coniugia impiorum 7.a  
 conscientia nostra, chirographum 569.a  
 conscientia remorsus etiam in impijs 27.b  
 conscientia trepidæ & aduersus perturbata expostulatio cum Deo 208.b  
 conscientia tempestatibus ac terribus uerbo Domini occurrendum 210.b  
 conscientia plus satis securæ 241.b  
 consensus Euangelistarum 211.b. 287.b. 316.a. 370.b. 417.b  
 consensus aduersariorum in Christum 478.b  
 consideratio spectaculi Christi, crucem sibi baiulantis 566.b  
 consilium aduersus superbas cogitationes 64.a  
 consilium aduersus Deum omnianum 27.b  
 consiliū Dei fuit ut pateretur Christus 534.b  
 consilium fidei & spei 246.b  
 consilium Sacerdotum cōtra Christum 527.b  
 consilia diuina longè alia, quā humana 581.a  
 consilia humana sese ipsa ludificant 570.a  
 consilia & iudicia Dei non esse anxie disquirenda 304.b  
 consolatio quid 83.b  
 consolatio duplex 83.b  
 consolatio à spiritu sancto 84.a  
 à remissionis peccatis ibidem.  
 consolatio accessuri ad uenerabile Eucharistia sacramentum 53.a  
 consolatio aduersus cōtationes, & questus uentris 59.b  
 consolatio aduersus iudicia sapientum mundi 322.a  
 consolatio certantis propter iustitiam 88.b  
 cōsolatio Christianorū quæ 275.b  
 cōsolatio infirmarum & afflictarum conscientiarum 230.a  
 consolatio ingens pijs, quod nihil nisi uolente Deo patiantur 280.a  
 consolatio in afflictionibus 526.a  
 in egestate ibidem.  
 consolatio in afflictione precantiū 543.b  
 consolatio per uerbum 84.a. in futura uita ibidem.  
 consolatio piorum in afflictionibus 84.a  
 consolatio piorum in morte & aduersis 537.b. 539.a  
 consolatio piorum dum necantur 365.a  
 consolatio piorum etiam media in morte 370.a  
 consortes peccati qui 101.b  
 consputatio ludibrium non uulgare 555.a  
 constantia in cruce oratione obtinenda 540.b  
 consuetudo durissimum telum, 237.a  
 consuetudo iurandi unde 107.a  
 consultores qui 21.a  
 contemptorum uerbi Dei & pœnitentiæ grauis dānatio 268.b  
 contemptum intolerabilem putant qui uideri uolunt uiri 109.a  
 contemptum suorum Deus nō fert inultum 357.b  
 contendere iudicio cum proximo periculosum 110.a  
 contentio pia ac modestissima inter Christum & Ioannē 52.a  
 contingentia rerum non ex fato 23.a  
 continentia merum Dei donum 434.b  
 continentie donum petenti tribui 434.b  
 contractibus ciuilibus quibus cum & quomodo uti liceat III.a  
 contractibus legitimis uti licere sacra litera docēt, sed qui illi sint non explicant. III.a  
 contrahere licet atque componere de reb⁹ necessarijs corpori III.a  
 contumaces & rebelles Ecclesiæ excommunicandi 424.a  
 contumeliam qui dixerit, audiet 166.b  
 conuenire uerbi significatio II.b  
 conuentus ad Ioannem tam cōseruus quid præsignabat 44.a  
 cōuiuij, letitiæ symbolum 228.a  
 cōuiuij spiritualis fercula 472.b  
 conuiuio Matthæi Christus libens interfuit 228.a  
 conuiuio Christum accipere quis possit ibidem.  
 conuiuia luxuriosa 362.b  
 conuiuia quæ damnanda ibid.  
 cor primum excitandum ad audiendum uerbum Dei 343.a  
 cor in oratione primas partes habet 128.b  
 cor non polluit nisi quod in corde nascitur 378.a  
 cor Iudæis etiamnum uelatum, & Moses obscurus 343.b  
 cor humiliatum quod 81.a  
 cor mundum quod 86.b  
 cor pro affectu 151.a  
 cor, affectuū sedes 328.b. 482.b  
 cor, fons cogitationum & officina uoluntatum 151.a  
 cor, fons omnium tam uirtutum, quā uitiorum 378.a  
 cor nostrum regia Dei 134.a  
 cor, thesaurus boni & mali 328.b  
 cor terra & cor maris 332.b  
 cordis humani prauitas 388.a  
 corda impiorum arida 335.a  
 Corban & Corbana quid 560.a  
 Corozaim & Bethsaida 301.a  
 corpus animale quid paulo 480.a

23.a  
 continentia merum Dei donum 434.b  
 continentie donum petenti tribui 434.b  
 contractibus ciuilibus quibus cum & quomodo uti liceat III.a  
 contractibus legitimis uti licere sacra litera docēt, sed qui illi sint non explicant. III.a  
 contrahere licet atque componere de reb⁹ necessarijs corpori III.a  
 contumaces & rebelles Ecclesiæ excommunicandi 424.a  
 contumeliam qui dixerit, audiet 166.b  
 conuenire uerbi significatio II.b  
 conuentus ad Ioannem tam cōseruus quid præsignabat 44.a  
 cōuiuij, letitiæ symbolum 228.a  
 cōuiuij spiritualis fercula 472.b  
 conuiuio Matthæi Christus libens interfuit 228.a  
 conuiuio Christum accipere quis possit ibidem.  
 conuiuia luxuriosa 362.b  
 conuiuia quæ damnanda ibid.  
 cor primum excitandum ad audiendum uerbum Dei 343.a  
 cor in oratione primas partes habet 128.b  
 cor non polluit nisi quod in corde nascitur 378.a  
 cor Iudæis etiamnum uelatum, & Moses obscurus 343.b  
 cor humiliatum quod 81.a  
 cor mundum quod 86.b  
 cor pro affectu 151.a  
 cor, affectuū sedes 328.b. 482.b  
 cor, fons cogitationum & officina uoluntatum 151.a  
 cor, fons omnium tam uirtutum, quā uitiorum 378.a  
 cor nostrum regia Dei 134.a  
 cor, thesaurus boni & mali 328.b  
 cor terra & cor maris 332.b  
 cordis humani prauitas 388.a  
 corda impiorum arida 335.a  
 Corban & Corbana quid 560.a  
 Corozaim & Bethsaida 301.a  
 corpus animale quid paulo 480.a



I N D E X.

corpus spirituale 480.a  
 corpus nostrum, ueluti a finis igna  
 uisimus, socordia torpescit  
 456.b  
 corpus suum atque adeo omnia fi-  
 delis homo posthabet dilectio-  
 ni 113.a  
 corpus uiriatum lepra contingere  
 lege prohibitum 194.a  
 corpus hominis damnati poena sen-  
 sibili & corporea punietur  
 201.a  
 corpus pro uita 151.b  
 corpus idem in gloria, quod prius  
 in miseria 404.a  
 corporis Christi membra caelestem  
 uitam uiuere debent 136.a  
 corporis morbi unde plerumque na-  
 scantur 223.a  
 corporis prostratio & genuflexio,  
 genus quoddam adorationis  
 237.b  
 corporis medicina quare diligen-  
 ter quaesita, animorum à multis  
 etiam contempta 77.a  
 corpori obesse posse minimum est  
 278.b  
 corpora caelestia omnia parèt Deo  
 115.b  
 corporum caelestium usus 23.a  
 corporibus Satan nocere potest, no-  
 bis inuitis animabus non item  
 217.a  
 correctio acrior deteriorem facit  
 delinquentem 166.a  
 correctionis Christianae finis est e-  
 mendatio uitae turpiter actae  
 166.a  
 correctionis fraternae praecipuum  
 quando obseruandum 424.a  
 correctionis finis 351.b  
 correptionem detrectans quantum  
 peccat 361.b  
 coruos pascit Dominus 155.b  
 crastinus dies quam afflictionem  
 aduehit 162.a  
 creaturarum contemplatio quid  
 nobis confert 156.a  
 credere quid 463.a  
 credere primum, mox facere oportet  
 590.a

crucifixi cum Christo quando su-  
 mus 569.b  
 crux quid 399.a  
 crux quid prodest 399.b  
 crux abominata Iudaeis 563.a  
 crux nūquam abest à uerbo 339.b  
 crux Christi antidotū habet ad-  
 uersus omnes morbos spiritua-  
 les 577.a  
 crux Christi scandalum est mun-  
 do 538.b  
 crux Christi, thronus misericordiae  
 571.a  
 crux Christi imperuasibilis ratio-  
 ni humanae 415.a  
 crux cuiusque sua 284.b  
 crux cuique tollenda, eaque sua  
 399.a  
 crux, iugum, non filiis Dei, sed  
 seculi 308.a  
 crux magis trophaeum uincens,  
 quam supplicium patiens 570.b  
 crucis acerbitas temperatur exem-  
 plo Christi 307.b  
 crucis partes duae 207.a. 415.a  
 crucis tormentum inferendi mos  
 apud Iudaeos atque Rom. diuer-  
 sus 568.b  
 crucem aut supplicium aliquod pro-  
 pter peccatum toleraturus, quid  
 faciat 89.a  
 crucem qui post Christum ferant,  
 erunt semper 567.a  
 crucem suam accipere quid 284.b  
 crucem quo minus feramus quid  
 obstat 398.b  
 cruce aut in cruce terri, quid  
 279.b  
 cruce gloria Deo sua uindicatur,  
 & nobis quaeritur 398.b  
 cruce itur ad gloriam 446.b  
 crudelitatis nouum genus in Chri-  
 stum 566.b  
 culpas auitas & paternas quinam  
 portare debeant 328.b  
 cultores Dei ubertim donis perfun-  
 duntur 28.a  
 cultus Dei capita quatuor 315.b  
 cultus Dei apud Phariseos qualis  
 375.b  
 cultus dei multa cōplectitur 68.b

cultus Dei uerus quis, & in quo  
 consistit 313.a  
 cultum Dei uoluntia repurganda  
 460.a  
 cum particula usus 12.b  
 cupiditas Phariseorum execrabi-  
 lis 493.a  
 cupiditas quantum aduehat mali  
 531.b  
 cupiditas regnandi, Lerna malo-  
 rum 34.a  
 cupiditatem anxiam siue sollicitu-  
 dinem rerum damnat Christus  
 265.b  
 cura & sollicitudo uictus, pecca-  
 tum non leue 154.a  
 cura uictus & amictus in patrem  
 caelestem reuicienda 157.a  
 cura uitae, tentatio 154.b  
 curam domesticam abiciere, &  
 otuari, non oportere 63.a  
 curam nostri negare Deo sacrile-  
 gij genus est 159.b  
 curas rerum fluxarum preferre  
 uerbo Dei, ingens peccatum  
 473.a  
 curare Christi, est saluare 316.a  
 custodia angelica quibus promissa  
 65.a  
 xυλός, debilis 383.b  
 cyrenius primus praefes Iudae  
 530.a

D

Demon quid 211.b  
 demō à Christo uictus & uinctus  
 324.a  
 demon an corpus hominis inhabi-  
 tet 213.b  
 demon ore à se obsessorum quomo-  
 do loquitur 214.a  
 demō hospes porcorum, hoc est uo-  
 luptuariorum 216.a  
 demon quando ac quomodo obsi-  
 deat hominem 213.b  
 demon quid possit in cogitationes  
 nostras 214.a  
 demonis ars ad infamandum opus  
 Dei 77.b  
 demonis ad nos perdēdos obstina-  
 tum studium 215.b

I N D E X.

demonis potestas quanta 212.a  
 demonis studium in hoc omne ut  
 nos perdat 212.b  
 demones inuiti uenerantur Chri-  
 stum 211.a  
 demones uel nouerunt, uel suspi-  
 cati sunt, Christum esse filium  
 Dei 214.a  
 demones quare in porcos abire per-  
 missi 216.a  
 demones scuituri usque ad finem  
 mundi 215.a  
 demones ubique incommodant  
 335.a  
 demones quare Christum fatentur  
 214.b  
 demones quam torturam metuāt  
 215.a  
 demones suam sibi praedam cripi-  
 ferunt agrè ibidem.  
 demones ipsissimi Antichristi  
 214.b  
 demonum comparatio cum muscis  
 277.b  
 demonum miserima cōditio 215.a  
 demonum potestas magna 259.a  
 demonum potestatem alligatam à  
 Deo esse 216.b  
 demonum è caelo deturbatorum  
 sedes ac fraudes uariae 211.b  
 demonibus sua insunt nomina  
 215.b  
 demonibus nihil cum Christo com-  
 mune 214.b  
 demonibus unicus scopus, ut no-  
 ceant hominibus 216.a  
 demonibus poena multo maxima  
 quae 215.b  
 demones esse negantes reprehē-  
 duntur 217.b  
 demoniacus sanatur 309.b  
 demoniaci 211.b  
 demoniaci sanantur 190.b  
 demoniaci & lunatici 77.b  
 demoniacos an blasphemiae in Deū  
 suae condemnent 213.a  
 damnatio quid 516.a  
 damnatorum poena duplex 182.b.  
 475.a  
 damnatorum poenae 352.a  
 dānatis ad supplicia potus datur,

quem quaerunt 568.a  
 Daniel aulicus 551.a  
 Dauid primus rex in genealogia  
 Christi 6.b  
 dauid quando Psalmos composuit  
 ibidem.  
 dauid, lucerna dictus 93.a  
 dauid cur Abrahamo praepositus  
 à Mattheo 4.a  
 dauid superauit Philistaeos 6.b  
 dauid aulicus 551.a  
 dauid probus negotiator 354.a  
 dauidis sedes Bethlehem 20.a  
 dauidis stipe decrescente Christo  
 ueniendum erat 10.b  
 De & Ex praepositiones. 9.b  
 debitum multiplex in scripturis  
 138.b  
 debitum exigere, & reposcere ab-  
 latum, lege ciuili licere 467.b  
 debita templis & Sacerdotibus  
 persoluenda 478.a  
 Decapolis 78.a  
 decimare mentam 486.b  
 decimae debita Leuitis 494.a  
 declaratio parabolae de xaxaniis  
 339.a  
 deierare contingit multis de causis  
 107.a  
 deieratores irrisorum Christi ha-  
 redes 555.a  
 deitas quomodo creaturis tribuitur  
 153.b  
 deitate sibi Christus adserit 222.a  
 delicta parua qui negligit, in maio-  
 ra paulatim incidit 329.b  
 delinquens à quo iudicari debeat  
 167.b  
 delicta multorum sanguine parte  
 560.b  
 Denarius diurnus quid 444.b  
 denarius & drachma eiusdem a-  
 stimationis 429.b  
 denarius numerus pro perfecto uel  
 uniuerso 517.b  
 depastores Ecclesiae qui pastores  
 uideri uolunt 570.a  
 deploratio morum Scribarum &  
 Phariseorum 486.b  
 deprecari quid significet 129.b  
 derelinquere pro permittere 574.b

desertus locus tentationi commo-  
 dus 57.a  
 desides & inoratos iure optimo bo-  
 nis omnibus excui 342.a  
 desidia humanae hypotyposis,  
 544.b  
 desolationis Iudaicae finis nullus fu-  
 turus 506.a  
 desperatio ex auaritia 60.b  
 desperatio peccatoris unde 559.a  
 desperationis suggestio potissimum  
 Satanae telum 572.b  
 desponsata & Virgo 11.a  
 desponsata Virgo ante aduentum  
 Angeli ibidem.  
 desponsatorum mos ibidem.  
 Deus quomodo factus homo 12.a  
 deus nobiscum est uariis modis  
 17.a.b  
 deus signo & uerbis nos pellicit  
 24.a  
 deus non tentandus 30.a  
 56.a  
 deus etiam tyrannis ad suam glo-  
 riam utitur 34.a  
 deus ubique adest suis 35.a  
 deus quam bonus, quātūscue ama-  
 tor nostri 49.b  
 deus pater quantum nos diligit in  
 filio 55.a  
 deus quomodo tentauit Abraham  
 58.a  
 deus uictus per omnia praefendus  
 63.a  
 deus longè aliter extollit atque Sa-  
 tanas 64.a  
 deo quomodo regnare dicitur, quo-  
 modo item Satanas dominari  
 67.a  
 deus scopus & finis omnium quae  
 rectè facimus 69.a  
 deus & uita aeterna idem 81.b  
 deus quam bene tum uelit, tum fa-  
 ciat suis 87.b  
 deus suos semper passus est à mun-  
 do affligi 90.a  
 deus quomodo adest suis creatu-  
 ris 106.a  
 deus suos uult similes sibi 111.b  
 deus illis ignoscat, uerbum piorum  
 de inimicis infestis 113.b



I N D E X.

deus quid nobis contulit per filium 115.a  
 deus malis negare Solem, & bonis impartiri queat, siquidem uelit 115.b  
 deus per Solem suum quid confert nobis ibidem.  
 deus lubens atque hilariter nobis proficit ibidem.  
 deus quantum nostra causa fecit quum Solem dedit ibidem.  
 deus ex nostris moribus non metetur nos 126.b  
 deus cur rogari uelit 128.a  
 deus a nobis orantibus uult & uocari & credi pater ibid.  
 deus omnia quidem, sed potissimum que suorum sunt, nouit 128.b  
 deus misericors cum promittit, uerax cum promissis stat 129.a  
 deus consilio aut doctrina nostra non indiget ibidem.  
 deus pater est, ergo opitulari uult filiis 131.a  
 deus quare nobis pater ibidem.  
 deus noster omnium pater est, ideo ut fratres debemus nos inuicem amare 131.b  
 deus quos caelos inhabitet ibidem  
 deus in caelo esse quare dicatur 132.a  
 deus probè agnitus sinitur regnare 133.a  
 deus per Christum & Prophetas quid nobis significauit 134.b  
 deus non semper medicinae opesannat 239.b  
 deus an inducat in tentationem 141.b  
 deus tentari sinit tam perfectos quam imperfectos ibidem.  
 deus quomodo nos tentat ibidem.  
 deus id homini est, quod amat unice 151.a  
 deus unus omnium Dominus sine additamento 153.b  
 deus se querentibus nihil deesse sinuit 161.a  
 deus ex promissione debitor 161.b  
 deus suas diuitias segris & officiantibus non dat 170.a  
 deus paratissimus ad dandum 171.a  
 deus quare continuo nos non exaudit 172.a  
 deus quid precipiat aut prohibeat obseruandum, non quid multi faciant 177.b  
 deus quomodo non nouit reprobos 186.a  
 deus cur preces aut non exaudiat, aut exauditione differat 189.b  
 deus solus adoratur adoratione significante cultum precipuum 192.a  
 deus cur aliquando differt auxilium suum 193.b  
 deus simplicium & innocentium uindex 578.a  
 deus accedentes ad illum, & illi fi dentes, uarie exercet 209.b  
 deus quomodo excitandus 210.a  
 deus potentior ad seruandū, quam Satanas ad perdendum 213.b  
 deus unus ac solus menti humanae illabitur 214.a  
 deus pusillas afflictiones summis felicitatibus remetitur 218.a  
 deus non deserit nisi desertus 219.a  
 deus quomodo colendus 232.a  
 deus pater nos per Christum agnoscit & audit 238.a  
 deus per infirmam mundi fortissima queque enervat 239.a  
 deus quando maxime potentiam suam exerat 241.a  
 deus in nobis sua dona coronat 247.b  
 deus & potest & alius dat posse 259.a  
 deus afflictionibus afficitur suorum 285.a  
 deus pauciloquus, sed magnificus 292.b  
 deus quantopere uoluerit filium suum agnoscere & recipi 295.a  
 deus quam propitius nobis factus per Christum 319.a  
 deus non nisi desertus deserit 343.a  
 deus semper exercet suos 367.b  
 deus Israel, nomen olim Dei notissimum 384.a  
 deus uiuens, uiuus, uita & fons uitæ 392.a  
 deus nobis loquitur per ministros 408.a  
 deus deiicit & erigit, terret & solatur 408.b  
 deus quomodo uidetur & agnoscitur 423.a  
 deus cum uelit omnes saluos fieri, quare non omnes salui fiunt 424.a  
 deus quando ignoscit 430.a  
 deus solus natura bonus 437.b  
 deus sua patientia & longanimitate peccatores expectat ad penitentiam 467.b. & seq.  
 deus sine defectu omnes uocat ad Euangelium 473.b  
 deus natura & nomine uita est 480.b  
 Deus quibus Deus ibidem.  
 deus per rerum causas & naturas nobis cognoscendus 497.b  
 deus etiam sceleratis parcat propter electos 507.b  
 deus grauius punit suos, quam alienos ibidem.  
 deus nobis talis, qualem imaginamur 522.a. 523.a  
 deus noster se nobis præstat accessibilem 525.a  
 deus in suis uel colitur, uel negatur 527.a  
 Dei benedictione crescunt & augentur quæ ad uictum faciunt 385.b  
 dei cultus spiritualis, quis 118.b  
 dei dicere est facere 198.a  
 dei erga nos charitas ineffabilis 407.a  
 dei magnitudo & nostri abiectio ab orando nos retrahit 171.a  
 dei maxime proprium est inuare 144.a  
 dei nomine uirtus Dei intelligitur 184.a  
 dei prouidentia aduersus thesaurarios 148.b  
 dei prouidentia & charitas erga nos 411.a  
 dei solennis consuetudo in seruandis & liberandis afflictis 412.b  
 dei

I N D E X.

dei unius est prescire futura, 512.b  
 dei uoluntas quomodo et unde agnoscitur 232.a  
 dei & mammonæ affectus contrarij 153.b  
 Deo nihil gratius boni communis studio 520.b  
 deo nihil necesse esse tollere aduersitates suorum, ut illos confortetur 369.a  
 deo, non cibo, pasci omnia, 63.a  
 deo nullum peccatum inueniibile 326.a  
 deo obtemperandum 53.a  
 deo parent etiam inanimata, 135.b  
 deo patri nihil placet, nisi per Christum 407.b  
 deo qui placere uelit, animo sit sincero erga proximum 100.b  
 deo & diuitiis non possumus seruire 121.a  
 deo nostra omnia numerata & cure 280.b  
 deo nuda omnia 31.b  
 deo omnia uiuunt 480.b  
 deo peculiariter cure sunt pij, 280.b  
 deo prescribendum non est quid aut quomodo donet 127.b  
 deo quanta cura suorum 36.a  
 deo qui seruiunt ydem liberi sunt 153.b  
 deo quanta nostre salutis cura 423.a  
 deo solenne est & promittere & dare spiritum suum iis, quorum opera est usus 273.a  
 deo solenne est pudescere suos, ut eos glorificet 241.a  
 Deum ardenter rogare effectus est uiuæ fidei 192.a  
 deum esse propensissimum ad bene faciendum 172.b  
 deum esse Deū alicui, quid 480.b  
 deum Israel quare Romani non cum reliquis Dijs coluerint, 384.a  
 deum nihil habere opus externis presidij 73.b  
 deum omnibus promiscue sua donare 116.a  
 deum qui amant tentant 65.b  
 deum qui ore tantum profertur, super arenam edificat 187.b  
 deum qui unice amat, & eius precepta obseruat, nullis periculis potest concuti 187.a  
 deum qui possumus uidere 86.b  
 deum quid mouit, ut alios diuites alios egenos esse uoluerit 22.a  
 deum suis non posse deesse, 63.a  
 deum ubique coli & ubique eius sacra 532.b  
 deum unum qui sibi scopum proponit in orando, is orat in absconso 126.a  
 à Deo quid petendum 130.b  
 Dij factij antiquorum, dij iam olim mortui 392.b  
 dextera Dei quid 485.a  
 dextera & sinistra quid in scripturis designant 524.b  
 Diabolus hypocritarum Deus, 126.b  
 diabolus hostis omnium fortissimus 170.b  
 diabolus interdum simulat se seruire, uerum ut perdat 214.b  
 diabolus nunquam solus, vulgi paucitia 215.b  
 diabolus passionum nostrarum & affectionum obseruator maximus 59.b  
 diabolus quare tentator simpliciter dictus ibidem.  
 diabolus quibus precipue infestus 57.a  
 diabolus quomodo & cur tentat 141.b  
 diabolus quomodo peccatores trahat 411.a  
 diabolus semper piorum conatus ac uotis obstat 88.a  
 diabolus torquetur cum hominem ledere non potest 215.a  
 diabolus uariis tentationibus hominem adoritur, ut eum ab oratione auocet 170.b  
 diaboli incarnati 34.a  
 Dico nobis, species quedam irramenti 158.a  
 dictiones uniuersales in sacris literis prudenter intelligendæ 105.a  
 didrachma nominatiuus plural. 415.b  
 dies Domini in ianuis 509.b  
 dies Domini magnus, Euangelij tempus 298.b  
 dies Domini furi cur comparatur 514.b  
 dies Dominicus ab Apostolis institutus 315.a  
 dies iudicij Iudæorum 268.a  
 dies iudicij multo ante nobis preuidenda 302.a  
 dies quilibet afflictionem habet suam 162.a  
 diei Domini maiestas legis sancta 315.b  
 diei & horarum ratio apud Iudeos 179.b  
 diem nouissimum non procul abesse quibus rationibus credendum 513.b  
 diem supremum quare nobis ignotum Deus uoluit esse 514.a  
 dies festi in Ecclesia religiose obseruandi 315.a  
 dies quare mali dicti 154.a  
 differentia auditorum uerbi Dei 341.a  
 differentia inter Christum & patriarchum 225.b  
 diffidentia nostra quanta sit, 155.a  
 diffidentiam nostram interrogacione uehementi suggillat Christus 157.b  
 digitus Dei, Spiritus sanctus, 323.b  
 dignitas Gentibus à Deo quantata tributa 474.a  
 dignitas proborum Christianorum magna 337.b  
 dignus Euangelio quis 266.b  
 dignum esse Christo, quid 284.b  
 dignum pro æquo & conuenienti 266.a



I N D E X.

dilectio duplex	482.a	discipuli Christum quomodo suffu-	diuitie palatij in quo natus Chri-
dilectio Dei & proximi	471.b	rati sint	stus
483.b		discipulorum Christi obedientia	diuitie seculi falsae & fallaces,
dilectio & charitas Dei erga nos	458.a	458.a	346.b
55.a		discipulorum imbecillitas & gra-	diuitiae temporales an auferant pau-
dilectio morbos omnes sanat,	482.a	uitas multa	peritatem in spiritu
482.a		discipulorum tarditas ad credendum	diuitiarum amor prohibetur, non
dilectio quando augetur	114.b	resurrectionem Christi	ipse diuitiae
dilectio inimici, benignitas siue bo-	120.a	discipulis tentatis in mari, & inuo-	diuitiarum cupiditas caueda
nitias	120.a	catibus, adest Christus	diuitis qui abundat, in pretio sunt
dilectione mutua unum inuicem		discrutores dierum	ibidem.
& cum Christo efficiuntur,	111.b	discrimen inter Christum & Sata-	diuisio certum ruinae signum
dilectione cognitio crescit	482.a	nam quantum	diuortium ecquandoliticum Chri-
dilemmatibus ferè utitur Christus	316.b	dispensationis mysteriorum Chri-	stianis
diligentia pastoribus necessaria,	351.b	stis habenda ratio	diuortium quare Iudaeis permiffum
diligere uel amare quid	111.b	dispensatoris prudētis ac fidelis mu-	ibidem
dimittere pro remittere	139.a	nus	diuortium quare in lege cōcessum
dimittere & pallium, quid,	110.a	dispergi quid	432.a
dimittere uxorem quid	13.a	disidium felix quod	diuortium quomodo prater natu-
discendum prius quam docendum	409.a	disidium ob Euangelium à qui-	ram
discipulus	254.a	bus oriatur	diuortij medium genus
discipulus Christi qualis esse de-	114.a	disidia	docere nobilius, quam imperare
beat	114.a	disidia & contentiones quomodo	251.b
discipulus prioris posterior dies	350.b	sedare oporteat	doctor bonus non postrema pars
discipulum esse Christi, & expe-		disidiorum causa Satan & mun-	felicitatis populi
ctare regnum Dei, quid	580.a	dus	doctoris grauior culpa quam audi-
discipuli esurientes spicas in sabba-	309.b	diuersitatis uocationum Christi ra-	toris
tho uellunt	309.b	tio	doctores & Ecclesiastae praecur-
discipuli patientes inedia	311.a	dines pro affectante diuitis,	sores Christi
discipuli an Pharisaicas constitu-	373.b	440.a	doctores Indorum quomodo po-
tiones contempserint	373.b	dines, aut iniquus, aut iniqui ha-	pulo uiam ad caelum impedi-
discipuli Christi dicti omnes cre-	257.b	res	bant
dentes	257.b	dines quomodo saluabitur	doctores legis suo se iudicio dam-
discipuli Christi quinam esse non	231.b	440.b	nant
possunt	231.b	dines sine Christo pauperrimus,	465.b
discipuli Christi & scripturae ue-	150.a	122.b	doctores pastoribus comparantur,
ri qui	150.a	dines spiritu	doctrina pabulo
discipuli soli cum Christo ascen-	79.b	diuites alij, atque alij	doctores uerbi, patres & magistri
dunt in montem	79.b	diuites egeni omnium cum emigrant	490.b
discipuli ter seorsum assumpti à	540.b	149.b	doctores & discipuli ubi infatuati
Christo qui	540.b	diuites in Deo qui	sunt, quanta malorum Ilius
discipuli diuersi ad Christum,	26.a	diuites in pretio apud omnes	92.a
26.a		diuites praeposteri & infelices qui	doctores clancularij ferè falsi,
discipuli dormientes	528.a	150.a	251.b
discipuli Christi ueri qui	590.b	diuites quare asperi esurientibus	doctorem apud Iudaeos iniquitas
590.b		312.a	in plebem
		diuitum spes quam ludificatoria	doctrina praecedere debet pastum
		150.a	366.a
		diuitibus quid praecipiat Paulus	doctrina bona in corruptis homini-
		ibidem	bus perit
		diuitiae hominem non perdunt, ni-	doctrina mala fermentum
		si accedat abusus	388.b.
		440.a	389.b
			doctrina christi quid exigit

I N D E X.

doctrina Christi omnis unica sen-	275.b	hustibet	214.b
rentia concluditur	172.b	dominus quam perseuerantiam re-	276.a
doctrina Christi quam paradoxa	80.b	quirat	262.a
fuerit mundo	376.a	dominus quando & quomodo nos	218.b
doctrina Evangelica cuiusmodi	71.a	querit	257.a
animos exigit	223.a	dominus quos sibi ministros uelit	256.b
doctrina Evangelica antiquissi-	70.a	257.a	dominus seruos otiosos respuit
ma	70.a	256.b	dominus & seruus relatiua
doctrina Evangelica plena offen-	348.a	domini nomenclatura propria u-	482.b
sionibus	236.a	nius Dei	312.b
doctrina Evangelica quare mul-	488.a	dominū suis nunquam deesse,	454.b
tis contemptui sit	357.b	domus orationis	492.a
doctrina Evangelica quare mun-	27.a	domus pro opibus	205.b
do deat	372.a	domos possidere Christus nō pro-	18.a
doctrina Evangelica imbuendi	300.a	hibet	276.b
qui	114.a	donec particulae acceptio	100.b.
doctrina doctorum nostra est, non	366.b	donec ueniat filius hominis, quo-	485.b
uita	94.a	modo intelligendum	358.a
doctrina ex seipsa, non ex perso-	169.b	donec pro nunquam perpetuo, sem-	358.a
nis estimanda	262.a	per	358.a
doctrina hominum	266.b	dona Dei ne profint nobis uitio no-	358.a
doctrina non è uita estimanda,	161.a	stro facimus	358.a
sed ex uerbo Dei	338.b	dona sua dat Deus dispensanda,	519.b
doctrina noua nouis auribus au-	130.b	519.b	donis diuinitus acceptis quomodo
dienda	262.a	utendum	203.a
doctrina regni Dei	266.b	dormire quando dicatur Christus	207.b
doctrina sana & uera quae,	161.a	dormite iam, ironice dictum,	545.b
94.a	266.b	545.b	dormitio Christi mors eius
doctrina sancta homini deplora-	161.a	209.a	6.a
tae malitiae communicata dete-	338.b	dotes animi Ruth	415.b
riorem eum reddit	130.b	dragma, donarium	ibidem
doctrinae Christi commendatio	262.a	drama, representatio	228.b
252.a	266.b	duabus de rebus quis audit male,	228.b
doctrinae Christianae duo praecipua	161.a	dubitare noluit nos Christus quin-	131.b
capita	266.b	sumus filij Dei	129.a
doctrinae Apostolorum autor Spi-	161.a	dubitans de uoluntate Dei frustra	192.b
ritus sanctus, ipsi tantum orga-	338.b	orat	192.b
na	130.b	dubitatio impetradi contraria est	8.b
doctrinae Evangelicae propter quid	258.a	efficaciae orationis	58.a
assentimur	237.a	duces & Sacerdotes praefecti Isra-	58.a
doctrinae Evangelicae uinum no-	236.b	eli post captiuitatem	241.a
uum quod	521.b	duci in desertum quid	241.a
doctrinae nouae noua conuenit in-	114.a	duodecim Apostoli, testes Christi	241.a
stitutio	349.b	III ij	
doctrinam Christi & uerbum	237.a		
crucis caro neque assequitur ne-	236.b		
que recipit	114.a		
doctrinam Evangelicam siue a-	130.b		
core esse non debere	349.b		
doctrinam Evangelicam multi	241.a		
amplectuntur, pauci in ea per-	241.a		



I N D E X.

testatoris 258.a  
 duodenarius numerus sacer, 257.b  
 εὐαγγέλιος & εὐαγγέλιον diuersi significatus 224.b

E

Eccc, uocula attentionis 16.a.  
 20.b. 237.b  
 Ecclesia quid 76.a  
 ecclesia columna ueritatis 26.a  
 ecclesia in speciem contempta, 26. b  
 ecclesia, sicut, nec Christus, nulli laqueum necit 58.b  
 ecclesia an infelicio quod iam signa non habet 76.b  
 ecclesia uox & os Christi 80.a  
 ecclesia habet Euangelium, ibidem.  
 ecclesia utraque hymnos & laudem Dei perpetuat 127.a  
 ecclesia sanguine Christi generata 236.a  
 ecclesia quoddam nosodochium, 253.a  
 ecclesia homines omne genus complectitur 262.a  
 ecclesia Dei doctrina uerbi diuini edificatur 469.a  
 ecclesia militans omne genus hominum sibi coaceruat 473.b  
 ecclesia statim à morte Christi congregari cepit 578.b  
 ecclesie fundamentum Christus, 259.b. 394.b  
 ecclesie rex Christus 410.a  
 ecclesie decreta & consuetudines quanti faciendæ 373.a  
 ecclesie quid maximè ex usu sit 257.a  
 ecclesie an liceat leges ponere, 373.a  
 ecclesie prefectis magna à Christo collata potestas 427.a  
 ecclesie regendæ presciciuntur indocti, & malis moribus imbuti 182.b  
 ecclesie sue Christus pollicitus est, sese semper illi adfuturum,

590.b  
 ecclesiam super Petrum fundatam quomodo intelligis 259.b  
 in ecclesia, uaria semper de Christo iudicia 390.b  
 in ecclesia ueteri quomodo omnia communi. 137.a  
 ecclesie quare cathedrales dictæ, 79.b  
 ecclesiastes quilibet uox tantum, preterea nihil 42.a  
 ecclesiastes ne sibi placeat de frequentanti auditorio 44.b  
 ecclesiastes aduersariorum calumniis respondere debet 230.a  
 ecclesiasta uita cum uerbo consentire debet 410.a  
 ecclesiaste cum euangelium à se predicatum non illic recipitur, quid agendum 218.b  
 ecclesiaste quales esse debent, 293.b  
 ecclesiaste contempti quo, se solentur 357.b  
 ecclesiaste tum formandi tum implorandi 256.a  
 ecclesiastarum prima cura, quæ 237.a  
 ecclesiastarum arcani insidiatores 311.a  
 ecclesiastis in primis Satanas exhibet negotium 154.a  
 ecclesiastis sinceris quod premium à mundo rependitur 362.a  
 ecclesiasti subinde utitur Christus, 374.b  
 effectus unius multe aliquando cause 365.a  
 ego cum emphasi 98.a  
 ego sum, cuius uox 369.b  
 εἰρηνοποιοί qui 87.b  
 electi qui 446.b. 507.b  
 electi etiam nunc faciles 81.b  
 electi è Iudæa fugere iussi imminente excidio 506.b  
 electorum perseverantia 475.a  
 electis, quod paulò minus perfecti sint, an obsit 117.b  
 Eleemosyna quid 122.a  
 eleemosyna quid complectatur, ibidem.

eleemosyna dantem magis inuat quam accipientem 122.a  
 eleemosyna quomodo rectè fiat, ibidem.  
 eleemosyna in sinu abscondenda 124.b  
 eleemosyna quomodo fit in occulto 124.a  
 eleemosyna in occulto facta, remunerabitur in propatulo, 124.b  
 eleemosyna sincera, rarum opus 125.b  
 eleemosynam accipere cogèdi etiã egeni 122.a  
 ad Eleemosynam quæ incitant, ibidem.  
 elementa obediunt creature & peccatori, quanto magis Deo? 209.a  
 elephas 421.b  
 Elias multos dies absque cibo perstitit incolumis 62.a  
 elias passus à Domino in summa fame per angelos 69.b  
 elias fide in uerbum rursus uincit famem 62.b  
 elias Ioannis Baptistæ typus, 295.b  
 elias quis, quomodo & quando processurus Christum 409.b  
 eliam Thesbitem uocationi Dei parentem mulier pascit 62.a  
 Elizabeth ex filiabus Aaron, 9.b  
 elogia de Christo tria præcipua, 407.a  
 eloquia Dei à quibus suis sincerè accipienda 358.a  
 Emmanuel quare dictus Christus 16.a.b  
 emmanuel Hebræis quid ibidem. energia uocis & vultus Christi mirabilis 227.b  
 energumeni 211.b  
 Ephesij magices studiosi 325.a  
 ephesij libros de magia combusserunt ibidem.  
 Ephraim filius Rachelis 34.b  
 ephraim nomine intelliguntur decem tribus ibidem.

I N D E X.

Epiphania Christi Hierosolymis facta 24.b  
 epiphania nati Christi Herodi per-spiciua 27.b  
 epiphonema 277.b  
 epiphonemata familiaria Christo 298.b  
 Episcopo ministroque uerbi partes suas deserente nihil insulsius 92.a  
 episcopi quam sedulo inserruire debeant suæ functioni 206.b  
 episcopus qui docti sint Apostolus exigit 74.b  
 Epistola Apostolica, & Acta Apostolorum, an Euangelia 1.b  
 Ergo particula 100.a  
 ericæum mel 43.b  
 errantes & insciji docendi, maligni arguendi 479.a  
 error Origenicus 327.a  
 error pauperum de Lugduno, 439.a  
 eruditio & artificium, optimum uaticum 61.b  
 Esaias à Manasse serra lignea sectus 5.b  
 Esaiæ & Psal. locorum intelligentia 22.a  
 Esau à Satana instigatus ad perimendum fratrem 67.b  
 esse cum Christo quid 324.b  
 esse ex Deo quid 337.b  
 esse in ianuis siue foribus quid 511.a  
 Esseni siue Essæi, et eorum mores & decreta 45.b  
 essenorum error de principatu terreno ibidem.  
 essentiam Dei nullum nomen satis exprimit 132.b  
 esto uox consentientis 242.a  
 esus, uita uel subsistentis uel reddita indicium 245.b  
 Et, pro ergo uel igitur 374.b  
 Ethnici qui 117.a  
 ethnici Iudæis despecti 127.a  
 ethnicorum argumenta contra resurrectionem qualia 478.b  
 ethnicorum exemplis Christus utitur

tur 333.b  
 Euangelium Græcis quid 1.a  
 euangelium quid Christianis 1.b. 119.b. 241.b  
 euangelium nouum uocabulum, sicut Apostolus 2.a  
 euangelium primum scripsit Matthæus 2.a  
 euangelium quare scripto mandatum 1.b  
 euangelium & promissa Dei ad omnes pertinere 42.a. 306.a  
 euangelium Galilæis predicat Iesus 56.b  
 euangelium quid boni habet 71.b  
 euangelium regni, quid 76.a  
 euangelium ut commune est, ita palam predicandum 79.b  
 euangelium sincere docentibus duo pericula instant 148.a  
 euangelium non recipit simulatores 153.a  
 euangelium quare promulgatum per uniuersum orbem 177.b  
 euangelium quid est, quod multi audire detrectant 217.b  
 euangelium predicat Iesus, & sanatur infirmos 220.a  
 euangelium Christi, quid 227.a  
 euangelium Iudæis scandalum, Gentibus stultitia 229.a  
 euangelium quid doceat 234.a  
 euangelium nuntium uitæ 243.b  
 euangelium quid, & qui effectus eius præcipui ibidem.  
 euangelium non nisi credentibus salutare 245.a  
 euangelium regni & regni Dei 252.a  
 euangelium quid contulit mundo ibidem.  
 euangelium paulatim despersandum mundo 263.a  
 euangelium quousque Iudæis fuerit predicandum ibidem.  
 euangelium quare regnum celorum 264.a  
 euangelium Euangelistarum morte illustrius & certius redditum 272.a  
 euangelium non amat latebras

278.a  
 euangelium omnibus missum, nulli celandum 278.b  
 euangelium doctrina omnibus communis 281.b  
 euangelium paruulis cognitum, 289.a  
 euangelium tot afflictionibus curpatet 292.b  
 euangelium leta res & placida 299.b  
 euangelium quorum sit 306.b  
 euangelium iugum Christi 309.a  
 euangelium toto orbe receptum, 348.b  
 euangelium quomodo granum sinapis ibidem.  
 euangelium margaritum est preciosissimum 353.b  
 euangelium mundo spectrum, 369.a  
 euangelium nubes, sed lucida, 406.b  
 euangelium ad quos spectet, 444.b  
 euangelium regni 504.b  
 euangelium quare omnibus indiscriminatim predicatum, 505.a  
 euangelium unum & idem semper audiendum 586.a  
 euangelij nomina in sacris literis 1.b  
 euangelij autor Spiritus sanctus 2.a  
 euangelij Matthæi autoritas, ibidem.  
 euangelij predicatio à neophy-  
 to & rudi non aggredienda 57.a  
 euangelij maiestas 76.b  
 euangelij de Iesu Christo compendium 175.a  
 euangelij & Christianismi summa 222.b  
 euangelij pars est timere 225.a  
 euangelij studium & odium, 283.a  
 euangelij ueritas ex atrocitate afflictionum inlarescit 292.b  
 euangelij præcipuus effectus,



INDEX.

306.b  
euangelij summa, remissio omnium peccatorum 326.b  
euangelij seduli auditores angelis curae sunt 345.b  
euangelij predicatio 428.b  
euangelij predicatio uniuersum mundum peruasit 504.b  
euangelij predicatio misericordie Dei indicium ibidem. 426.b  
euangelio inferuire uictima longè gratissima Deo 313.a  
euangelio audito quare pauci respiscunt 342.b  
in Euangelio duo potissimum spectanda 448.b  
in Euangelio quid predicatur, 590.a  
euangelica negotiatio quaestuosissima 265.a  
euangelista in mundo, omnis interpositus 269.a  
euangelistam sincerum prestare, res haud leuis negotij 256.a  
euangelista prophetarum mentem non uerba plerumque citant, 375.a  
euangelista quam studiosè descripserint quae ad contemptum Christi pertinebant 567.b  
euangelistarum propositum quod, 190.b  
Eucharistia noui testamenti munus 100.a  
eucharistia ipsissimum nobis corpus & sanguinem Christi exhibet 536.a  
eucharistia negotium caeleste & spirituale esse ibidem.  
διδυα Græcis quid 304.a  
euerfio ciuitatis sanctæ à Daniele prædicta 506.a  
διδυα, benedictis aliquem prosequi 113.b  
ex desperatione spes 242.b  
ex se non mala, boni consulenda 224.a  
exaltare se quinam dicatur 491.b  
excessus Christi, supplicia & mors ipsius 405.a  
excidium Ierosolymitanum ob e-

normia Iudæorum peccata, 466.b  
excidium Ierosolymitani causa, 500.a  
excipere, uox Enangelica 366.a  
excommunicatio iusta formidabilis 427.a  
excommunicationis confirmatio, 426.b  
excussio pulueris de pedibus, 253.b  
excutere puluerem è pedibus 267.b. 268.a  
execrationes & deuotiones in sacris literis & à uiris piis, 113.b  
Exemplum tolerantie Christus 32.a  
exemplum uitæ à plebe nonnumquam melius, quam à primatibus 250.b  
exemplo quisque plus mouet quam uerbo 399.b  
exemplo Christi, non omni interroganti respondendum 464.a  
exempla magis afficiunt, quam uerba 125.a  
exempla inconstantie ueterum, 141.a  
exempla potentie uerbi Dei, 512.b  
exempla priorum posteros obligant 496.b  
exempla pusille elemosynæ magna mercede honorate 287.a  
exempla uiuidiora per similia, 34.b  
exempla urbium & imperiorum per intestinas discordias conuulforum 322.a  
exempla utilitatis fidei alienæ, 221.a  
exemplorum rationes consideranda magis quam ipsa exempla 127.b  
exemplis ueterum probatur, non solo pane ali hominem, 61.b. 62.a  
exercitium hominis misericordis 86.a  
exordiis duris & seueris quando

& quare usi uiri Dei 46.b  
ἐσπεύειν quid 553.a  
expectare quid 290.b  
explicatio uerborum Malachia de aduentu Christi 295.a  
expostulatio cum Deo trepida & aduersis perturbata conscientia 208.b  
expostulatio & intentata calumnia Phariseorum 234.a.b  
exprobare quid 300.b  
exprobrationes in pastores haud frugi & ignauos 92.a  
exquirere quid 34.a  
extermio uerbum 146.a  
externa cum pietate coniuncta obseruanda sunt 196.a  
externa declarant qui sit homo, non faciunt hominè esse quod est 376.a  
externa nihil moratur Deus, nisi accedat pietas 118.b  
Ezechias. 16. Rex Iuda, pius 7.b

F

Facere & docere, perfectorum 96.a  
facere uoluntatem patris, quid 337.b  
facies pro presentia 295.a  
facta quæ ignorantur quo animo fiant, in meliorem partem accipienda 164.a  
Facultas omnis ex Deo 519.b  
facultas bene operandi damnat bis adempta 474.b  
facultates huius mundi per se corruptioni obnoxie 148.b  
Fama respectus nullus uero Christiano 113.a  
fame inconstantia 359.a  
Fames & sitis iustitiæ 85.a.b  
fames, pestilentia & cetera clades unde 63.a  
fames horrenda Ierosolymis, 502.a  
fames incredibilis in urbe Ierosolymis tempore obsidionis, 507.a

INDEX.

fames maxima atate Booz 6.a  
fames publica mulieri Sareptanæ nihil obfuit 62.a  
fame perire miserimum 384.b  
fatue, qui dicit, quid intelligat 98.b  
fatu in scripturis qui 517.b  
fatum quid 23.a  
fermentum 349.a  
fermentum & mel quare sacrificiis non addebantur 388.b  
fermentum pro doctrina 386.a 388.b  
fermentum Phariseorum quod, ibidem.  
feruor cognoscendi uerbi unde, 22.b  
festinandum lentè, cum de morte agitur 12.b  
festularum indices quare suam trabem non uideant 167.b  
Fiat, uocula Dei propria 383.b  
Fiber ponticus 421.b  
ficus arefacta 455.a  
fidelis homo dilectioni posthabet omnia 113.a  
fidelis cum infideli nihil habere debet commune 214.b  
fidelis cur sequitur Christum 209.b  
fidelibus omnia in Christo reposita 235.a  
Fides à Deo 386.a  
fides ac spes in Deum quæ commoda nobis adfert 62.b  
fides aduersus naturæ imbecillitatem pugnat 240.b  
fides clamorem parit 246.a  
fides contraria carni persuadet 227.a  
fides, crux, confessio dona Dei, 281.b  
fides, Dei donum est 175.b  
fides & charitas per Christum reposita 231.a  
fides & confessio nostra qualis esse debet 391.b  
fides erga Deum quid 494.a  
fides etiam in sceleratis reperitur 532.a  
fides Euangelica quæ saluat 241.b  
fides ex auditu 452.b

fides historica 414.a  
fides in Christum candidos, morigeros, & benignos reddit homines 274.b  
fides in Christum & iustitia fructus uinæ Domini 470.a  
fides in Christum nullo unquam tempore peritura 590.b  
fides in oratione 455.a  
fides miraculorum 414.a  
fides multorum de Christo pusilla 238.a  
fides nostra non ex uirtute humana, sed diuina 268.b  
fides per charitatem operans præcepta exhibet facilia & suauia 227.a  
fides per uerbum 353.a  
fides plerumque in sacra scriptura comprehendit opera 183.b  
fides qualis esse debet 370.b  
fides quando in primis necessaria 367.a  
fides quando robustior 572.a  
fides quomodo operatur miracula 357.b  
fides reuerentiam habet & uerecundiam 380.a  
fides sanctissima Trinitatis 392.b  
fides uera non potest non confiteri Christum 238.a  
fides uiua, amuletum potentissimum 208.a  
fides uiua caput nostrum 270.a  
fides uiua ferè blanda 410.b  
fides uiua haudquaquam diu est deliberabunda 227.b  
fides uiua nihil non impetrat, 158.b  
fides uiua quantum possit 239.a  
fides uiua requiritur in auxilio impetrando à Deo 192.b  
fides uiua siue iustificans 414.a  
fides ut pusilla, dum modo uiua, saluat hominem 208.b  
Fidei etiam alienæ uis & uirtus 221.a  
fidei impedimenta quæ 244.a  
fidei opera 392.b  
fidei potissima pars & uirtus 27.b

fidei uinæ energia 75.a  
fidei uinæ magna uis 450.a. 463.a  
fidei uinæ uirtus semper erigit hominem 369.b  
fidei uirtus 402.b  
fidei uinæ omnia possibilia, diffidentie nihil 410.b  
Fidem auctus suos habere 396.b  
fidem & charitatem nemini potest inuito Satan auferre 213.a  
fidem in cruce retinere ingens donum Dei 538.b  
fidem nostram, licet imbecillam, non reicit Dominus 588.b  
fidem quare aliquando Christus exigebat, aliquando non 77.b  
fidem uincere omnia 297.b  
fidem uiuam habenti quomodo nihil impossibile 414.a  
Fide acquiescendum Deo. 177.b  
fide ad Deum uenitur 306.a  
fide aliena tantum nemo adultus saluatur 221.a  
fide Apostolorum nutante, desertus est Christus ab eis 539.a  
fide charitati coniuncta tangendus Christus 586.a  
fide constanti tenenda & credenda de Christo, quæ 390.b  
fide & charitate absente, mortua omnia 26.a  
fide & officio apprehendendus Christus 209.a  
fide & piis precibus pulsandus Deus quoties nostri oblitus esse uidetur 210.a  
fide opus esse ad intelligentiam 355.b  
fide standum in aduersis 504.a  
fide uacuos uirtus Christi non faciat 242.a  
fide uiua nos Christum induere 474.b  
fiducia Christi ad suos 532.b  
fiducia in Christum quid efficiat 55.a. 276.a. 382.b  
Fiducia in Christum, propugnaculum inimicis omnibus inexpugnabile 572.b  
fiducia in Deum duplex 280.b  
fiducia in operibus quando dam-



I N D E X.

natur 121.b  
 fiducia in Christum natura 453.a  
 figure duodenarij Apostolorum  
 numeri 257.b  
 figure personarū genealogia Chri-  
 sti 10.b  
 filia Sion pro ecclesia Ierosolymi-  
 tana 457.b  
 filius Dei caro factus 3.a  
 filius Dei homo factus maiestatem  
 patris nobis reddidit & accessi-  
 bilem & exorabilem 130.a  
 filius cognitus per patrem 55.b  
 filius gehennæ 492.b  
 filius hominis Hebrais homo est  
 313.a  
 filius hominis, nomen contemptus  
 313.b  
 filius, index uoluntatis patris  
 337.b  
 filius legalis & naturalis 18.b  
 filius non odio patris in mortalium  
 ærumnas abiectus 55.b  
 filium cognoscere quid 305.a.b  
 filij alij legales, alij naturales 9.a  
 filij Dei qui 572.a  
 filij ferè parentes moribus referunt  
 114.b  
 filij in quomodo filij Dei fiant  
 341.b  
 filij regni qui 200.b. 351.a  
 filij seculi qui 479.b  
 filij si sumus esse que uolumus Dei,  
 patrem imitari debemus 87.b  
 filij sponsi Hebraismus 235.a  
 filius petendum à patre quæ filios  
 decent 131.a  
 filios Dei à filiis Satanæ quid dif-  
 cernat 324.a  
 filios Dei, etiam suos, filij seculi  
 persequuntur 275.a  
 fimbria tactu sanata mulier, quæ  
 sanguinis fluxum patiebatur  
 240.b  
 fimbria in pallis ex præcepto legis  
 489.b  
 Flaminius dux Rom. ob crudelem  
 libidinem senatu amotus 364.b  
 fletus piorum benedictus & bea-  
 tus 84.a  
 florum pulchritudini repente pe-  
 reunt humanæ gloriæ splendör  
 confertur 157.b  
 felicitas quæ obsequentibus Sa-  
 tanae 218.a  
 felicitas temporis Christi 344.a  
 felicitatem perfectam expectan-  
 tibus, perfecte quoque imple-  
 da lex est 96.a  
 felicitatem quomodo consequamur  
 437.a  
 felicitate peccantium nihil infæ-  
 licius 557.b  
 felicitate quam dat mundus nihil  
 infelicius 400.b  
 fœmina promiscue nubebant uiris  
 aliarum tribuum 9.b  
 Forma & figura Christi in trās  
 figuracione cuiusmodi 403.b  
 formidines filiorum huius seculi  
 præpostere 217.b  
 formula libelli repudij 433.a  
 fortitudo quid 550.a  
 Frater quis censetur 424.b  
 frater occultè peccans, occultè re-  
 prehendi debet 205.b  
 frater quando arguendus 425.b  
 fratris nomen cur sæpius repetat  
 Christus 167.b  
 fratris nomen, pacis omen 100.a  
 fratri condonandum, 121.a. &  
 quoties 428.a  
 fratri respicienti semper parcen-  
 dum 417.b  
 fratres nos omnes 490.b  
 fratres sunt Iudæis, qui quomodo-  
 libet cognati sunt 117.a  
 fratres in scriptura quatuor modis  
 dicuntur 336.b  
 fructus bonus obseruatio manda-  
 torum Dei 183.a  
 fructus bonus nullo non tempore  
 ferendus 49.b  
 fructus bonæ arboris 329.a  
 fructus ex uerbo Dei predicato  
 maximus 456.b  
 fructus regni Satanæ, impietas  
 470.a  
 fructus homini ex passione Chri-  
 sti præcipuus quis 576.b  
 fructus infirmitatis Christi 541.a  
 fructus uinæ Domini 467.a  
 470.a  
 fructus euangelicæ arboris, qui,  
 180.b  
 fructus omni tempore producendi  
 467.a  
 fructus Spiritus, qui, 180.b  
 frumentum euangelicum quod,  
 255.b  
 Fuga 253.b  
 fuga Christianorum spiritualis  
 506.b  
 fuga electorum alicunde futuram  
 calamitatem præfagit ibid.  
 fuga frequens piorum tempore in-  
 euntis Ecclesiæ 365.b  
 fuga honesta 31.a  
 fuga periculorum etiam piis in-  
 terdum necessaria 506.a  
 fugæ ab ira Dei duplex genus  
 47.a  
 fugæ ingenium 31.a  
 fugæ uitæ consulit Christus 31.a  
 fugere quando liceat, quando non,  
 difficile præscribere 276.a  
 fures nusquam non sunt 149.a  
 fures publici 149.a  
 furor principum Sacerdotum in  
 Iesum 549.b

G

Gadara, Gerasa, & Gergesa, ea-  
 dem 211.a  
 gadareni affliguntur 190.b  
 gadareni ob impietatem in Chri-  
 stum multati 216.a  
 gadarenorum stupida ingratitude  
 217.b  
 Galilæa duplex 36.a. 70.b  
 galilæa quare Gentium 36.b  
 galilæa gentium descriptio 70.a  
 gallinæ natura & ingenium,  
 497.a  
 gaudium in celo quantum 521.a  
 gazophylacion quid 560.a  
 gehenna quid, & unde 98.b  
 gehenna quare metuenda 279.b  
 gehennam inferni homo sibi quo-  
 modo thesaurizat 176.a  
 gemitus in tentatione fortis & uo-  
 calis in auribus Dei 207.b

I N D E X.

genealogia Christi cur ab Abra-  
 hamo incepta 4.b  
 genealogia Christi partitio ibid.  
 generatio filij Dei duplex 3.a  
 generatio in hoc seculo necessaria  
 480.a  
 generatio pro ætate hominum,  
 512.a  
 generationis Christi usus quis 3.b  
 generationes quid Hebrais ibid.  
 Genesareth lacus descriptio 72.b  
 gentes dictio usitatissima in sacris  
 263.b  
 gentes, hæretici & impij, canes  
 382.a  
 gentes siue Ethnici qui 159.b  
 gentium nomine qui 507.b  
 gentium diuitia 5.a  
 gentium dominium ferè per totum  
 orbem 450.a  
 gentium spes Christus 309.b  
 gentium tyrannis 449.b  
 gentium uocatio 190.a. 200.a.  
 320.a. 471.a. 473.b  
 gentes etiam ad Christum perti-  
 nere 381.b  
 gentiles qui Latinis 117.a  
 gentiles olim à Deo explosi, me-  
 liores tandem Iudæis 379.a  
 gentiles quando uocati 445.a  
 gentiles quare in Iudæorum lo-  
 cum subrogati 465.a  
 gentiliu uocatio ad colendam  
 Ecclesiæ uinam 468.b  
 gestus piorum inter orandū 542.b  
 gestus ecclesiasticos decentes 79.a  
 Gethsemani quid 540.b  
 Giezi & Simon cauponantes o-  
 pera Dei 265.a  
 Gladius 254.a  
 gladius & separatio pro eodem,  
 282.b  
 gladius & securis grauem iram  
 Dei nobis significant 49.a  
 gladij uerbi efficacia 283.b  
 gladio se tueri quomodo licet,  
 549.a  
 gladio percussus, gladio peribit,  
 quomodo uerum 548.b  
 gladio perituri 528.b  
 gladio suo ingulatur Iudæi 468.b  
 Gloria, quid 143.b  
 gloria Dei predicanda etiam cum  
 nostro probro 261.a  
 gloria Dei operationum nostrarū  
 finis esse debet 122.b  
 gloria Christi quæ, & quanta,  
 523.b  
 gloria Christi fons gloriæ omnium  
 electorum 404.a  
 gloria corpori Christi internè ad-  
 uenit, cæteris non item 404.a  
 gloria, honor, &c. hominibus ex-  
 hibetur propter Deum, quem  
 referunt 143.b  
 gloria inanis uitanda 248.a  
 gloria uana quantum incommo-  
 det 122.b  
 gloriæ appetentia non semper ca-  
 pitale crimen 123.a  
 gloriæ Dei studiosos Spiritus docet  
 omnia 122.b  
 gloriam apud homines quærere,  
 veteris Adami uestigium,  
 489.b  
 glorificatio Christiani in cruce Chri-  
 sti 569.b  
 glorificatio Christi Apostolis qua-  
 re prædicta 447.a  
 glutire camelum & excollare cu-  
 licem 494.b  
 Godolias ab Ismaele interceptus 8.b  
 golgortha, quid 567.b  
 gradus in beneficentia 111.b  
 gradus in iudicio capitis multi,  
 98.b  
 gradus secundus & tertius corri-  
 piendi delinquentem 426.a.b  
 gradus quidam inter demones  
 321.b  
 gradus consanguinitatis non solui  
 per libertatem euangelicam  
 361.b  
 Greci in nouo testamento pro Gæ-  
 tibus 379.a  
 gratia Dei humilibus tantum ex-  
 posita 292.a  
 gratia & charitas Dei erga nos,  
 529.a  
 gratia inuitis nõ confertur 220.b  
 gratia Iudæis debita à Gætibus in-  
 tercepta 239.a  
 gratiam Dei euoluendis sacris li-  
 teris non parum foueri 273.b  
 gratiam Christi qui sentit, faciliè  
 cætera alia contemnit 366.a  
 gratiæ agenda ante cibum & à  
 cibo 538.a  
 gratiarum actio 129.b  
 gratiarum actio quid comprehen-  
 dat 130.a  
 gratiarum actio fidei uiuæ opus  
 219.a  
 gratiarum actionis mos apud Iu-  
 dæos 538.a  
 gratias agendi mos apud Iudæos,  
 535.b  
 gratis, quid in sacris 222.a  
 gratis dare, quomodo accipiendū  
 265.a  
 gratitudo & ingratitude 116.b  
 gratitudo opus & fructus chari-  
 tatis 225.a  
 gregis pastore destituti miseria du-  
 plex 255.a  
 Gregorius abhorret à nomine fatū  
 23.a  
 gustare mortem quid 402.a

H

Habere in utero, quid 12.a. 16.b  
 habenti dabitur, quid 341.b  
 hæmorrhoidis fides 240.a  
 hæres cuique suis, incertus &  
 ignotus 149.a  
 hæreses apud Iudæos tres 45.b  
 Hæreticus cur spina uocetur 181.a  
 hæreticus lupus est ouilla pelle re-  
 ctus 179.b  
 hæretici & seductores quot irre-  
 psere in Ecclesiam 503.b  
 hæretici efficiunt ut uiri iusti ex-  
 citentur ad lectionem sacra-  
 rum literarum. 179.a  
 hæretici offores monasticæ uitæ,  
 179.b  
 hæreticorum consortia fugienda,  
 168.b  
 hæreticorum doctrinam qui susci-  
 pit, insanit 179.b  
 hæreticorū huius tēporis dignoscen-  
 dorum signa & nota ibid.



I N D E X.

hereticorum liber scriptura sacra 180. a  
 hereticis & obstinatis non sunt prodenda celestis sapientie mysteria 168. b  
 harmonie uarij modi antiquis, 299. a  
 Hebræi nomine hominis pro gente utuntur 20. a  
 hebræorum malitia detecta 14. b  
 hebræorum mos in inchoandis libris 3. a  
 Hegeſippus uicinus Apostolorum temporibus 261. a  
 Heliachin siue Ioakim combuſit librum Hieremie 8. a  
 helcheſaitæ heretici 281. a  
 heluidij error 11. b  
 heluidiani heretici 18. a  
 heluidianorum error 336. b  
 herbe & emplastra quibus Christus malè affectos curat, quæ, 203. b  
 Herodes unde oriundus 20. a  
 herodes à Christo vulpes dicta, 25. a. 362. a  
 herodes præsumit impedire uerbum Dei 26. b  
 herodes metuuit regno suo 27. a  
 herodes biennio distulit infanticidium 33. b  
 herodes ne filio quidem proprio pepercit ibid.  
 herodes quo metu percitus ibid.  
 herodes nomine homo, factus bestia 34. a  
 herodes quo morbo periit 34. a  
 herodes non simplici morbo periit 35. a  
 herodes iunior in nomen & crudelitatem successit patri 36. a  
 herodes Ascalonita & Antipas, 359. a  
 herodes quomodo dicebat Ioannem resurrexisse in Christo 360. b  
 herodes cum Herodiade nuptiarum fœdus pangit 361. a  
 herodes impiè uanus ac prodigus 363. b  
 herodes hypocrita uaferrimus, 364. a  
 herodes amandatur in exilium, 365. a  
 herodes quomodo regnum à Romanis accepit 530. a  
 herodis infanticidæ morbus & mors 20. b  
 herodis infanticidæ filij tyrannis, ibidem.  
 herodis aſtucia & hypocrisis 25. a  
 herodis cum Magis colloquium clancularium 27. b  
 herodis obstinatus animus, ibidem.  
 herodis temeritas 27. b. timor, 24. b  
 herodis impia cogitatio 28. a  
 herodis conatus aduersus consiliū Dei 31. b  
 herodis mens ab angelo interpretata ibid.  
 herodis mors & tyrannis 32. b  
 herodis carnifices 33. b  
 herodis iudicium de Christo 358. a  
 herodis Antipæ res gesta 360. b  
 herodi triginta annis repugnatum à Iudæis 20. a  
 herodem Ioannes increpat 361. a  
 herodiani qui 475. b  
 Herodias Herode truculentior 363. b  
 Heſter historia sub Cambyse 8. b  
 Hieremie prophetæ liber combustus 8. a  
 Hieremie locus explicatus 273. b  
 Hieroboam primus Israelitarum rex 7. a  
 Hierosolyma ex integro restituta sub Nehemia 9. a  
 hierosolymæ urbis partitio 22. a  
 hierosolyma, orum, nomen urbis, cuius populus Hierosolymy, 21. b  
 hierosolymorum ſocordia erga Christum natum 22. a  
 hierosolymorum clades à Romanis 25. a  
 historia quid 1. b  
 historia de Christo quare dicta Euangelium 1. a. b  
 historia paralytici curati, ex tribus Euangelistis 220. b  
 historia Christi sacramenta quædam esse 193. b  
 hodie, omne uite tempus significat 138. b  
 homicidium uetitum & licitum 105. a  
 homo an possit esse beatus inter huius mundi ludicra et nugæ 83. a  
 homo felix custodia angelorum, 423. b  
 homo comparatus & similis factus brutis animalibus 156. b  
 homo, ouis 423. a  
 homo homini lupus 57. b  
 homo inuitatus ad conuiuium filij Dei 472. b  
 homo in sudore constitutus 30. a  
 homo infructuosus maledictus 451. b  
 homo loquitur, Deus suggerit 286. a  
 homo peregrè proficiscens seruis tælentat tradit 516. b  
 homo Proteus quidam & Vertumnus 270. b  
 homo quandiu uiuit de uita æterna sollicitus esse debet 438. b  
 homo quamlibet impius, ceteris animalibus præſtātor 155. b  
 homo quætonobilitate ceteris, creaturis, & quanto charior Deo 157. a  
 homo quod unice amat, hoc ipsi Deus & idolum est 151. a  
 homo quomodo in utero uirginis formatus 14. b  
 homo quomodo se salubriter humiliet 491. b  
 homo summo iure agit cum debitore suo, Deus uerò leniter, amice & beneuolè 429. b  
 homo uitandus 270. b  
 homo ut simpliciter se gerere debeat 65. b  
 hominis generatio num sub fato 23. b  
 hominis misericordia nubi & rorimatutino similis 231. b  
 hominis pretium à corde 378. a  
 hominis uita sex diebus circūscripta 580. b

I N D E X.

honestas morum & corporis gratia Deo 494. b  
 honestatis publicæ quàm diuinæ legis cura maior 494. a  
 honoris cupido nihil difficile, 448. b  
 hora prandij, quid 472. b  
 Hofanna quid 458. b  
 hospes ministris uerbi non temerè mutandus 267. a  
 hostia in templo à passione Christi immolata frustranea, 577. b  
 hostes Christi præcipui tres 463. b  
 hostes occulti multo apertis nocentiores 532. a  
 hostium Christi duo genera 548. a  
 humanitas & benignitas Dei ex cruce Christi quanta apparet 577. a  
 humiles & abiecti Deo curæ, 453. a  
 humilibus tantum gratia Dei exposita 292. a  
 humilitas omnibus necessaria, 419. b  
 humilitas & demissio Christi, 451. b  
 humilitas promissionem habens quæ 491. b  
 humilitas quæ exaltrat quid 419. b  
 humilitatem ueram mundus nescit 491. b  
 humilitate generis Christi offensus Nazareus 357. a  
 humilitate itur ad cælum 469. b  
 hymnus quid 127. a. 538. a  
 hymnos emodulandi atque psallendi mos à Christo & Apostolis ad nos defluxit 127. a  
 hyperbole figura 123. b  
 hypocrisis quid ibid.  
 hypocrisis & hypocrita quid in sacris ibid.  
 hypocrisis crimen horredum 311. a  
 hypocrisis ferè seipsam traducit 560. b  
 hypocrisis fermentum 490. b  
 hypocrisis uerbi autoritate sese obducit 478. b  
 hypocrisis uitium quantum 126. b  
 ab hypocrisis & cenodoxia cauendum 121. b  
 hypocrite qui 123. b  
 hypocrite falsò oderunt uitia, & ferè uirtutes 229. a  
 hypocrite graphicè depicti 229. a  
 hypocrite iam olim mundum occupant 375. a  
 hypocrite negotiatores 123. a  
 hypocrite serui uentris ac nominis sui 152. a  
 hypocritarum fumi traducendi, 477. a  
 hypocritarum ingenium morosum 234. b  
 hypocritarum merces inanis gloria 146. b  
 hypocritarum natura 373. b  
 hypocritarum spes uana 355. b  
 hypocritas non facile discerni, 474. a  
 Hyrcanus ab Herode occisus, 26. b  
 I  
 Iacob primogenitus 4. b  
 iacob magia usus 21. a  
 iacob dictus Israel 260. a  
 iacob & Heli fratres uterini 9. a  
 Iacobus maior quis 75. b. 260. b  
 iacobus frater Domini 261. a  
 iacobus Alphæi qui & minor, 261. a  
 iacobus episcopus Hierosolymorum 261. a  
 iacobus iustus & sanctus ibid.  
 iacobi Epistola ibid.  
 iacobi mors ibid.  
 Iairus suo exemplo quid doceat, 237. b  
 iairi affectus paternus 238. a  
 iairi fides non exigua ibid.  
 idololatre condemnabunt impios Christianos 333. b  
 Iebus ciuitas metropolis Iudæorum 21. b  
 iebusei Hierosolymitani ibid.  
 ieiunium Christi, Moysi, & Elie miraculosum 58. b  
 ieiunium Christiano perpetuum quod esse debeat ibid.



I N D E X.

ieiunium multiplex 58.b  
 ieiunium preceptum ibid.  
 ieiunium spontaneum ibid.  
 ieiunium, armatura aduersus tentationes ualentissima 59.a  
 ieiunium quid requirat 145.a  
 ieiunium Christus probat, recipit atque adeo imperat ibid.  
 ieiunium Christianis omni die preceptum, quod 145.b  
 ieiunium spiritale ibid.  
 ieiunium uerum quod ibid.  
 ieiunium cum oratione 146.a  
 ieiunium à Christo institutum, ibidem.  
 ieiunium preceptum quomodo fieri debeat 146.a  
 ieiunium ad poenitentiam pertinet 234.a  
 ieiunium quorsum orationi committitur etiam à Christianis 235.a  
 ieiunium Pharisaeum, luctus, 235.b  
 ieiunium Christianum quando coepit 236.a  
 ieiunium & preces opera sunt & fructus spiritus ibid.  
 ieiunij celebrandi ratio 145.a  
 ieiunij exempla ex sacris 146.a  
 ieiunij solennis ritus 59.a  
 ieiunij tempus et modum prescripsit Ecclesia 58.b  
 ieiunij uirtus in quo consistat, 145.a  
 ieiunij Christiani finis ac usus, 57.a. 145.b. 235.a  
 ieiunio quando opus sit 235.a  
 in ieiunio sui cuiuslibet habenda ratio 145.b  
 in ieiunio licet uilibus indui, 147.a  
 ieiunia & afflictiones 220.a  
 ieiunia indictitia 145.b  
 Ierusalem quare ciuitas sancta, 63.b  
 ierusalem locus passionis & mortis Christi 446.b  
 ierusalem quando diruta 473.a  
 ierusalemorum euersio cur tam diu dilata 504.b  
 ierusalemis etiã pauperes pro pe-

reginis habiti 560.a  
 Ierusalem quare ciuitas Dei, 106.b  
 ierusalem uiculus quidam nuncupatur 456.a  
 ierusalem Aelia dicta 505.b  
 Iesse qui & Isai dictus 6.b  
 Iesus summus sacerdos presertim Israeli 8.b  
 IESVS ab Angelo interpretatur Saluator 3.b. 15.a  
 iesus natura Deus 15.b  
 iesus quare ex Aegypto relatus in Iudaeam 35.b  
 iesus quare baptizatus confestim ascendit ex aqua 53.a  
 iesus quare à Galilæa predicare coepit 71.b  
 iesus, Christus vulgo Iudæorum creditus 246.b  
 iesus quare sic dictus 260.a  
 iesus, nomen multis olim commune 275.a. 503.a  
 iesus, Messias promissus à prophetis 293.a  
 iesus subduxit se periculo mortis & furori Pharisæorum, 317.b  
 iesus quare per parabolas locutus 339.a  
 iesus Christus filius Dei dilectus, 407.a  
 iesus fatetur se esse Christum, 528.b  
 iesus disertè profitetur se esse Messiam 553.a  
 iesus accusatus, tacet 561.b  
 Iesu nomine donati multi 9.b  
 iesu natura & officium 15.b  
 iesum fatentem se Christum esse & filium Dei, logè abfuisse à blasphemia 554.a  
 Iesus filius Naue 3.b  
 igniculus gratiae nobis à Deo initio praestitae quam iuuet, 342.a  
 ignis & frigus damnatorum poenae, 352.a  
 ignorantia sui ingentes tenebrae 152.b  
 ignoratio Christi quatenus excu-

sabilis 326.a  
 ignoratio literarum & linguarum, multis occasio lapsus 575.a  
 ignoscencia & obliuio iniuriarum precepta 100.b  
 ἄλιξις, statura & etas 157.a  
 illabi quid 213.b  
 imago mortis & inferni 541.a  
 imagines gentilitiae nobilium rapacibus bestis insignes 262.b  
 imbecillitas fidei curam & sollicitudinem parit 158.b  
 imbecillitas hominum quantae, 369.a  
 imitator Christi qui fieri possis, 451.b  
 immolatio Christi quibus rebus adumbrata 472.b  
 imperare uel stultus queat, docere non item 251.b  
 Imperator quidam Rom. quare Dominus uocari noluerit, 153.b  
 impietas nescit, uel uicta, silere, 386.b  
 impietatis est in insontes torquere quod ipse admiseris 181.b  
 impietatis natura 410.a  
 impius Deum non timet 464.b  
 impius admonitione fit deterior, 470.b  
 impius omnia in peiorem partem rapit 431.b  
 impius etiam uictus non quiescit, 463.b  
 impio quod timet tandem contingit 216.a  
 impium prophetare & miracula facere in aliorum utilitatem Deus sinit 184.b  
 impij nato Christo turbati, non autem pij 25.a  
 impij quare ringuntur aduersus pios 283.b  
 impij iuxta mundum felices, 209.a  
 impij nonnunquam faciunt quod uolunt, nunquam tamen sine permissu Dei 409.b  
 impij sunt astorgi 197.a  
 impij pulueri similes 268.a

I N D E X.

impj singunt sibi terrores uanos ne muneri suo respondeant 521.b  
 impij miracula operantes reiciuntur 163.b  
 impij merito abiecti à Deo 527.a  
 impiorum animi in diuersa rapti, 26.a  
 impiorum blasphemia uoces & cogitationes aduersus Deum 521.b  
 impiorum conatus impediri à Deo 471.a  
 impiorum conceptus 31.b  
 impiorum furor contra pios uanus ibidem  
 impiorum opera utitur Deus ad probandos suos 545.b  
 impiorum poena perpetua 51.a  
 impiorum tandem desperantium, descriptio 559.b  
 impius cruciatus maximus est ex conscientia peccatorum suorum 178.a  
 impius metes quare excæcat Deus 530.b  
 impoententia peccatum omnium grauissimum 302.b  
 impositio nominum à parentibus 15.a  
 impossibile pro difficile 327.a  
 impotètia apud Deum nulla 32.a  
 improbitas maiorum quibus debeat obuii 328.b  
 improbi & scelerati etiam simulta patiantur, non tamen beati 88.a  
 impudentia hypocritica 167.b  
 impugnatio ueritatis quantum scelus 327.a  
 Incantatores qui 21.a  
 incredulitas & diffidentia 411.b  
 incredulitas hominem beneficis diuinis priuat 248.a  
 incredulitas Iudæorum expulit eos à regno Dei 470.a  
 incredulitas non orat, sed strepit tantum 208.b  
 incredulitas pro infirmitate fidei 413.a  
 incrementa scelerum nouis calamitatibus Deus prosequitur 502.b  
 index animi oratio 328.b

Indorum inhumane leges 111.a  
 industria utendum ne Deum tenemus 32.a  
 inedia post undecimum diem letalis 58.b  
 inedia quadragesima miraculum ibidem.  
 infamia metum prohibet Christus discipulis 276.b  
 infantes facti martyres, & baptizati 34.a  
 infantium predicatione confunduntur principes sacerdotum 462.a  
 infanticida Herodes & Pharao, 24.b  
 infideles & obstinati relinquendi 462.a  
 infidelitas discipulorum reprehenditur 402.b  
 infirmitas fidei quantum incommodet 413.a  
 infirmitatem nostram Deus adiunat & promouet 208.a  
 infirmitate peccans, quam praesumptione excusator 540.b  
 infirmi quomodo ferendi 385.a  
 infelicitas temporum quibus uenit Christus 254.a  
 infelicitas neglectim accipientium uerbum Dei 345.b  
 ingenium induratorum hominum 470.b  
 ingratitude seniorum Israelitici populi 467.b  
 ingratitude Iudæorum poena 31.a  
 ingressus Christi in Ierusalem à Zacharia predictus 457.a  
 inimicus proximus est 112.b  
 inimici odium nihil moratur qui Dei filius est 113.a  
 inimico obstinato occasionem diligendi dare satis est 114.a  
 inimicum odio habebis, commentum Pharisaeum 111.b  
 inimici nobis patientiae administri 114.b  
 inimici diligendi & quare 79.a  
 inimici qui diligendi 112.b  
 inimici quomodo diligendi 112.b  
 inimicis, quantum molestis, non faciendum malè 113.a

inimicis plus praestandum officij quam amicis similitudine insigni docetur 113.a  
 inimicos suos quomodo iusti sunt Israelitae tractare 112.b  
 inimicos diligere caro non nouit, 113.a  
 inimicos qui diligunt, filij Dei sunt 112.b  
 inimicos diligentibus ingens praemium paratum 140.a  
 iniquitas quid 504.a  
 iniquitas semper imbecillis, etiam in fastu regio 360.a  
 iniquorum condènnatio conficio & intuentem toto mundo fiet 124.b  
 iniuria ferenda 79.a  
 iniuria omnis Deo remittenda, 108.a  
 iniuria cum contemptu 109.a  
 iniuria quomodo propulsanda, 108.a  
 iniuriam fortiter pati quam utile, ibidem.  
 iniuriam suis illatam Deus ulciscitur 473.a  
 iniuria quatenus ferenda 550.a  
 iniuriarum acceptarum obliuio praecipua 100.b  
 iniuriis & uiolentis respondere licet, & quare 109.a  
 iniusti & iustorum persecutores perpetuo esurient 85.b  
 iniustus delinquantibus affligitur iniustus 364.a  
 innocenti suspitione mali laboranti quid agendum 13.b  
 innocentes etiam ab aliis traduci ac iudicari 166.b  
 innocenti a hominis Deo ualde cure 562.b  
 innocentiæ Christi testes etiam inimici eius 551.b  
 innocentiæ studium non caret fructu 13.a  
 innocentiæ ueræ uis ingens 558.b  
 innocentiæ uires quantae 360.a  
 inobedienciæ clausus paradysus, 136.a  
 insidiae iustis paratae in caput impiorum redundant 465.a



I N D E X.

significatio Christi quibus suos muniuit 262.b  
intercedere quid 130.a  
internecio gregis quando 255.a  
interpellare quid 130.a  
interpellatio quid 129.b  
intrare in tētationem quid 544.a  
inuidia nemini parcat 565.a  
inuidia & odium grande sibi ipsi tormentum 140.a  
inuidia nihil profunt neque miracula neque uirtutes 317.b  
inuidia mos 140.a  
inuitationes prophetarum similes exordio Christi 72.a  
inuitati ad nuptias 471.a  
inuitum qui seruatur, operam ludit, 233.a  
inuocatio & gratiarum actio duæ orationis partes 129.b  
Ioachim filius Iosie 8.a  
Ioachim trimomus 140.a  
Ioachim à populo cognominatus Ner, & quare 8.b  
Ioannes à gratia 15.a  
Ioannes Baptista non se ingessit, sed missus est 40.b  
ioannes non sibi ex se sumpsit predicandi munus 41.b  
ioannes Baptista primus præco euangelicus 42.b  
ioannes Bapt. expressum exemplar respicere uolentium 43.b  
ioannes Bapt. quare locustis usus in cibo 140.a  
ioannes quare baptizare cepit in Iordane 44.b  
ioannes quare asperrima oratione Iudæos aggressus 46.a  
ioannes an Christum cognouit, 51.b  
ioannes quare tam serò Christum cognouit 140.a  
ioannes & Petrus agnoscunt se Christo minores 140.a  
ioannes an à Christo baptizatus 52.a  
ioannes Euangelista altius suum Euangelium repetiit, quam ceteri 69.b  
ioannes Euangelista 75.b  
ioannes Baptista docuit suos ieiunare 235.a  
ioannes Bapt. cur discipulis suis doctrinam Euangelicam non tradiderit 236.b  
ioannes quare sic dictus 260.a  
ioannes Zebedæi 260.b  
ioannes an ignorauit Iesum esse Christum 289.b  
ioannes quare misit discipulos suos ad Christum 140.a  
ioannes Baptista à Christo laudatus 293.a  
ioannes Baptista in aula non aulicus 293.b  
ioannes quam fuerit ab omni assentatione alienus 140.a  
ioannes Bapt. iustus & missus uenit 294.b  
ioannes Bapt. dignior ceteris prophetis 294.b. 295.b  
ioannes primus Christianismi præco 295.b  
ioannes à mundo prælatus Christo 296.a  
ioannes Bapt. limes utriusque testamenti 298.a  
ioannes Bapt. loco legis & prophetarum audiendus 298.b  
ioannes Bapt. quomodo Elias 140.a  
ioannes quare unctus 358.a  
ioannes Bapt. minime omnium se ditiosus, contra quam comminiscabatur Herodes 361.b  
ioannes Bapt. quomodo & quando occisus 364.b  
ioannes Bapt. tolerantia & uirtutis exemplar 140.a  
ioannes Bapt. aulicus 551.a  
ioannis Bapt. officium 40.b. 71.b  
ioannis Baptista potus 43.b  
ioannis Baptista discipuli duplices 234.a  
ioannis doctrina preparatoria tantum 290.a  
ioannis Baptista lenitas erga suos, 140.a  
ioannis Bapt. temperantia 293.b  
ioannis Bapt. sapientia & prudentia 294.a  
ioannis unctus & uestitus 300.a  
ioanni ad uiam respicientiæ hortanti quinam crediderunt, 466.a  
ioannem Baptistam tria commendabant Iudæis 44.a  
ioannem Christo quare Iudæi præferebant 289.b  
ioannem præclaros uiros, tam Iudæos, quam Ethnicos, longè præcellere 295.b  
Ioas absconditus sex annis 7.a  
ioas annos natus septem ungitur Rex undecimus Iudæ 7.b  
ioas Zachariam lapidari iussit 140.a  
ioas à seruis suis interfectus 140.a  
ioas Abasia filius legalis 18.b  
ioas, ut regnaret, furto sublati, 140.a  
Ioatham rex Iudæ, bonus 7.b  
Iocus Augusti Cæsaris in Herodem 33.b  
iocus solennis in Sat. nam 212.a  
Jonas, signum Niniuitis & Iudæis 332.a  
ionæ & Christi collatio 140.a  
Iones & Sybaritæ molles 362.b  
Ionica saltatio 140.a  
Ioram octauus Rex Iudæ, impius 7.a  
Iordanis fluuius Iudæe 45.a  
Iosabab furata Iosas 7.a  
Iosaphat septimus Rex Iudæ, iustus 140.a  
Iosedech sacerdos dictus Iesus 15.b  
Ioseph vir Mariæ 9.a  
Ioseph admiratur uirginem grauidam 11.b  
Ioseph testis Christum esse de Spiritu sancto conceptum 12.b  
Ioseph æterno consilio destinatus 140.a  
Ioseph filius Davidis 13.b  
Ioseph an dimiserat Mariam antequam Angelus eum moneret 14.a  
Ioseph pater Christi, & custos uirginis 15.a  
Ioseph quo argumento confirmatur inditum Iacob 16.a  
Ioseph nutritius & custos pueri nati 31.a  
Ioseph fugiens non tētatur Deum 32.a

I N D E X.

Ioseph quare in Galilæam missus 36.a  
Iosephi admirantis grauidam uirginem cogitationes 12.b  
Iosephi prompta obedientia 17.b  
Iosephi fides & sedula obedientia 35.b  
Iosepho dubio animi cōsultur 13.a  
Ioseph accusauit fratres, & quare 109.b  
Ioseph sepelitur Christum 557.a  
Iosephus qui sepelitur Christum, quis 579.b  
Iosephus Arimathæus Deo & hominibus gratus 580.a  
Iosephi Arimathæi fides & humanitas 140.a  
Iosephus Caiphas quid hominis fuit 530.a  
Iosephum non uerè de Herodis tyrannide scripsisse 361.b  
Iosias à Pharaone læsus occidit, 8.a  
Iosias Rex iustus & religiosus 8.a  
Iosue dictus Iesus 15.b  
Iota Græcis, Iod Hebræis 95.b  
Iouianista heretici 302.a  
Ira quid 98.b  
ira fraterna & paterna 99.a  
ira quæ prohibita 99.a  
ira fit magna incendio zeli regni 33.b  
ira Dei in Iudæos à Christo prædicta 497.a  
ira uentura in Iudæos quid 47.a  
ire & odij tenaces, & iniuriarum acceptarum memores, nomine tantum Christiani 140.a  
iracundiam Christus uetat 120.a  
irascendum quomodo suadet David 120.a  
Isaac primogenitus 4.b  
Isachar Hebræis quid 261.b  
Ismael quare sic dictus 260.a  
Israel, hereditas Dei 263.b  
Israel nomen quando & quare inditum Iacob 381.b  
israelem quantum præposuit Deus Gentibus 263.b  
israelitas non perisse fame 62.a  
Ita pro certè 304.a  
Iubilator quis 354.a  
Iudæus, omnis confitens 570.b  
Iudæus, apella & recutitus 20.a  
Iudæi cur etiam natum Christum cognoscentes, nihil sentiunt, 26.a  
Iudæi metiuntur Messiam à pompa 26.b  
Iudæi seui in suos prophetas 44.a  
Iudæi quare arboribus infrugiferis similes 49.a  
Iudæi suis fabulis & commentis legem corruerunt 96.a  
Iudæi & Saul sibi ipsis iusti 97.b  
Iudæi in calumniis propensi, 223.b  
Iudæi Romanorum iugum iniquissimo animo ferebant 229.b  
Iudæi, oues perditæ 263.b  
Iudæi iustitiarum 264.a  
Iudæi inexcusabiles 272.a. 299.a  
Iudæi & Gentes suapte culpa peccant 272.a  
Iudæi quodnam ius habebant in regno Dei 297.a  
Iudæi in meridie cæci 299.a  
Iudæi prudentes, sed carnaliter, 303.b  
Iudæi laceffentes Christum nobis profuerunt 311.a  
Iudæi naturam impij & mali 328.a  
Iudæi uafri & dolosi 330.a  
Iudæi signa petentes quid peccabāt 330.b  
Iudæi quare nothi & spurij 331.a  
Iudæi quibus similes 331.b  
Iudæi auribus decurtati, & oculis orbati 343.a  
Iudæi quomodo suapte culpa peccant 343.b  
Iudæi, oues, & filij 381.b. 382.a  
Iudæi non credunt Messiam suum Deum esse 382.a  
Iudæi incerti sedibus uagantur, 452.b  
Iudæi reiecti & assumptæ Gentes 455.b  
Iudæi quare à Deo reiecti 465.b  
Iudæi cognouerunt Christum esse heredem 468.a  
Iudæi exhereditati bonis cælestibus 468.b  
Iudæi omnium hominum hodie miserimi 473.b  
Iudæi sua culpa tributarij Romanis 477.b  
Iudæi patrifantes & pessimorum parentum peiores filij 495.a.b  
Iudæi à Deo deserti 498.a  
Iudæi quare à Romanis casti 501.a  
Iudæi diuino auxilio destituti, 530.a  
Iudæi quando uiderunt Christum sedere à dextris Dei 553.b  
Iudæi ad internecionem delati, 565.a  
Iudæi sese Pilati omnem culpam præstaturos pollicentur 565.a  
Iudæi blasphemii in Deum 572.b  
Iudæi sepulturarum curiosi 580.b  
Iudæorum error 4.a  
Iudæorum mos in sponsalibus 4.a  
Iudæorum dedecus 19.b. 22.a  
Iudæorum ingratitude 31.a  
Iudæorum peccatum quod fuerit, quo imitatus Deus, tam grauius illos ultus est 49.a  
Iudæorum hypocrisis & superstitionio 86.b  
Iudæorum abiectio ex eorum incredulitate 190.a. 200.b  
Iudæorum prærogatiua 200.b  
Iudæorum de placido Deo opinio 224.a  
Iudæorum impenitentia arguitur 296.b  
Iudæorum iudicium inuersum, 300.b  
Iudæorum excusatio 338.b  
Iudæorum zelus qualis 375.b  
Iudæorum natio nunquam non prædura & infida Deo 411.b  
Iudæorum cæca malitia 478.a  
Iudæorum inuicta malitia 486.a  
Iudæorum scinitia & ingratitude horribilis 497.a  
Iudæorum strages quantæ 505.b  
Iudæorum filij hodie qui 573.a  
Iudæis ignoratæ prophetiæ de officio futuri Messie 223.b



I N D E X.

iudæis non erat ius mortis inferende 271.b  
 iudæis obstinatis nulla signa profuisse 331.b  
 iudæis quadraginta anni à Christi passione concessi ad penitentiam 332.a  
 iudæis similes qui 335.b  
 iudæis facile fuisse cognoscere, Messiam aduenisse 387.b  
 iudæis sacerdotij gloria erepta, 554.a  
 iudæos quid impediēbat ne se agnoscerent & Christum 47.b  
 iudæos condemnabit Regina Austri 334.a  
 iudæos nihil habere quod querantur 95.b  
 iudæos suis ipsorum armis conficit Christus 373.b  
 iudæici populi distinctio 26.b  
 Iudas Simonis trinomius 261.b  
 iudæ Epistola ibid.  
 Iudas Iscariotes ibid.  
 iudas prænitus à prophetis ibid.  
 iudas quare proditor ibid.  
 iudas, fur ibid.  
 iudas hypocrita ibidem.  
 iudas uendit Christum 527.b  
 iudas osculo Christi prodit 528.b  
 iudas calumniatorum antesignanus 531.a  
 iudas murmurationis Apostolica autor ibid.  
 iudas & socij Iudæ, qui 548.a  
 iudas derisus à Pontificibus 559.a  
 iudæ proditoris typum qui gerunt, 261.b  
 iudæ præfracta impudentia 535.a  
 iudam sua tantum malitia perdidit 534.b  
 iudex reopotius quàm accusatori fauere debet 552.b  
 iudicis est malos ulcisci, tueri iustos 562.b  
 iudices saluatores dicti 15.b  
 iudices Christi cuiusmodi 551.b  
 iudicij munia ex ueteri lege 551.a  
 iudicium liber, opus multorum prophetarum 37.b  
 iudicare, pro damnare 165.b  
 iudicare de proximo temerariè, quàm detestabile ibid.  
 iudicare pro testificari 442.a  
 iudicium priuatum summopere ueritum 165.b  
 iudicium temerarium inuidetiam habet comitem ibid.  
 iudicij quod concedatur & quod prohibeatur Christiano 189.a  
 iudicium spiritus an in te sit quomodo cognoscas ibid.  
 iudicium Dei terrificum in ingratos 302.b  
 iudicium pro Euangelio seu ueritate 319.b  
 iudicium pro agnitione peccati, 320.a  
 iudicium ultimum Elias Thesb. precedet 410.a  
 iudicium extremum quale 516.b  
 iudicij pontificij forma aduersus Christum 551.a  
 iudicij aduersus Christum conflati iniquitas 551.b  
 iudicio contendere cum proximo periculosa res 110.a  
 iudiciorum alea incerta 100.a  
 iugum Christi 289.a  
 iugum Christi tollere quid 307.b  
 iugum principum huius seculi, 308.b  
 iugum non iugum, onus non onus 309.a  
 Iulianus apostata & persecutor 109.b  
 iulianus creatus Imperator defecit à Christianismo 109.b  
 iuliani apostatæ error 33.a  
 iuliani Cæsaris conatus in excitantanda Ierusalem 505.b  
 Iulio Cæsari malè uertit, quod uxoris consilium spreuerit 562.b  
 iuramentum impium aliud ab ini quo 364.a  
 iuramenta que obseruanda ibidem  
 iuramenta in Deum referenda nõ in creaturas 104.b  
 iurare quid 104.b  
 iurare non malum, nunquam iurare optimum 120.b  
 iurare per cælum, templum & donaria templi 486.b. 493.b  
 iurans per creaturam, iurat & per creatorem 105.b  
 ius & potestas aliquid faciendi nunquam apud Deum dissumpta 258.a  
 ius peccatorum 383.a  
 ius summi sacerdotij tempore Christi conuulsum 529.b  
 iure agendum aduersum noxios, 140.b  
 iusiurandum uinculum graue, 104.b  
 iusiurandum quod, quomodo, & ubi commendatum, iussum, permissum 105.a  
 iusiurandum quomodo probatur, 107.a  
 iusiurandũ Herodis quale 363.b  
 in iuriurando quæ obseruanda, 363.b  
 iuste qui uiuunt coram hominibus quid capent fugiant ue 121.b  
 iustificare pro iustum censere, 300.b  
 iustificari pro uincere iudicio, ibidem.  
 iustificatio duplex 286.b  
 iustificationis forma 380.a  
 iustitia nostra omnis quàm manca absque Christo 47.b  
 iustitia legis quid 52.a  
 iustitia p̄i hominis uera, quæ 52.b  
 iustitia Christiana quid 84.b. & 97.a  
 iustitia civilis 84.b  
 iustitia est uerbum Dei, & uirtutum omnium congeries, 88.b  
 iustitia Phariseorum cuiusmodi erat 97.a  
 iustitia regni Dei quid 160.b  
 iustitia, uita Christiana ibid.  
 iustitia Dei, iustificatio à Deo, 161.a  
 iustitia humana hypocritis est ibi.  
 iustitia hypocritarũ tristis 235.b  
 iustitia duplex 255.b  
 iustitia quid exigit 493.b  
 iustitiæ fames quæ bona pariat, 85.a. b

I N D E X.

iustitia nomine quid intelligat Christus 97.a  
 iustitiæ nomine quid intelligendũ 122.b  
 iustitiæ Christianæ est, fratri ex animo remittere 139.b  
 iustitiam omnem in baptismo conferri 52.b  
 iustitiam omnem Christum impluisse ibid.  
 iustus quis 61.b  
 iusto lex non posita, quomodo, 119.b  
 iusti qui 423.b  
 iusti in sacris sunt poenitentes, 232.b  
 iustus & iustitiæ esurientibus, bene tum esse, tum fore, commonstratur exemplis 84.b  
 Iuuenus 566.a  
 L  
 Labor imperatur, sollicitudo prohibetur 162.b  
 labor Ecclesiasticus necessarius, 255.b  
 labori legitimo suus fructus respõdet 412.a  
 laborem Christus non prohibet, sed curam anxiam, 158.a. 273.a  
 labore Deus omnia uendit, 160.a  
 Lacedæmoniorũ mos ad detestandam ebrietatem 125.a  
 lapis angularis Christus solus, 394.b. 455.b  
 lapis angularis reprobatus Christus 469.a  
 lapidem angularem cadere super impios quid 470.a  
 lapides ex quibus potest Deus suscitare filios Abraham, qui 48.a  
 largitionum principalium abusus, 363.a  
 latria solus Deus adoratur 29.b  
 Latro dexter, piè admonens simistrum, quid significet 573.a  
 latronis dextri resipiscentia & confessio 573.b  
 latrones crucifixi cum Iesu 556.b  
 latrones pro altero latronũ 573.a  
 latrones & milites recipit Christus 578.b  
 legationis Gabrielis capita 16.a  
 legationis Apostolicæ capita, 262.b  
 legati munus 258.b  
 legati Christi qui 286.a  
 legati Christi omnium longè splendidissimi ac potentissimi, 264.a  
 legio Romana quot militibus constiterit 215.b  
 legionum Romanarum ratio, 549.b  
 lenocinium turpe esse uel communis hominum sensus pronuntiat 110.b  
 Leonidæ Spartani apophthegma, 538.a  
 lepra falsam doctrinam designat 194.a  
 lepræ indices apud Iudæos erant sacerdotes 191.a  
 leprosus Christi potentiam confessus sanatur 190.a  
 leprosus nobis designat genus humanum spirituali lepra infectũ, 191.a  
 leprosi oratio cur nobis proponatur 192.b  
 leprosi mundandi ritus 195.a  
 leprosum cur miserit Christus ad sacerdotem 194.b. 195.a  
 Leuiticum sacerdotium non æternum 4.a. 5.a  
 Lex quibus nominibus uocatur à Dauide 117.b  
 lex proprie quid 175.a  
 lex quomodo perfecte impletur, 483.a  
 lex Euangelio non aduersatur, 95.a  
 lex quod uelabat, Euangelium reuelat 93.a  
 lex non est iugum Christi 309.a  
 lex Deum iratum exhibet 119.b  
 lex quorũ nos comones facit 120.a  
 lex prohibens dispari cultu copulari interpretata 6.a  
 lex de panibus propositionis 312.a  
 lex de matrimonio unica filia heredis 9.a  
 lex de adulteriis 14.a  
 lex in adulteram 12.b  
 lex multiplex 118.a  
 lex Dei, quid 117.b. 118.a  
 lex Euangelica carnalibus prædura 309.a  
 lex moralis quomodo abrogata, 119.a  
 lex Mosis, quomodo abrogata, 117.b  
 lex naturæ quid doceat 173.a  
 lex naturalis, postea scripta, in tribus sita est 118.a  
 lex spiritualis, & quare 95.a  
 lex successione 18.b  
 lex exoricum in regem non recipiebat 20.a  
 lex & propheta spirant unum Christum 26.a  
 lex & propheta implendi 78.b  
 lex et propheta, quid 118.a. 288.b  
 lex & mos Romanorum nemine indemnatum cedere 561.a  
 Legis uerba à Phariseis corrupta 98.a  
 legis uerba expensa 112.b  
 legis diuinæ usus quis 119.b  
 legis tres partes 494.a  
 legis & prophetarum summa, 118.b  
 legis & prophetarũ nomine quid intelligatur 175.a  
 legi uel obsequium uel supplicium debetur 119.a  
 legem implere necessariũ ibid.  
 legem quomodo Christus impleuit & quotidie implet, ibidem.  
 legem facere uolenti mens legislatoris potissimum spectanda, 488.b  
 lege Mosaicæ præceptum, ut inimicus etiam fieret benè 114.a  
 sub lege quomodo nõ sumus 119.b  
 leges discipulis à Christo præscriptæ 284.b  
 leges & præcepta in matrimonio 101.a  
 leges naturales diuinæ dicuntur  
 K K K iij



INDEX.

tur, & quare 175.a  
 leges omnes hominis causa cōdita 313.b  
 legum diuisio 175.a  
 legum bonarum scopus 375.b  
 legum disciplina quare apprehendenda 119.b  
 legum & potestatum humanarum praesidio D. Paulus usus est 110.a  
 legum Mosaicarum manifestus abusus apud Iudaeos 103.b  
 legum posituarum ordo duplex, 373.a  
 libellus repudij quid continebat, 103.b. 430.b  
 liber Indicum, opus multorum prophetarum 37.b  
 libri multi ueterum prophetarum amissi 37.a  
 Liberi nunquam queunt facere satis parentibus 238.b  
 liberorum erga parentes pietas ranae ibid.  
 liberorum mortem parentum optatum, abominabile & uoces 238.b  
 liberum arbitrium hominis 473.a  
 liberi arbitrij confirmatio 497.b  
 libertas arbitrij 520.a  
 libertatis uerae scopus 294.a  
 libido dominandi & tyrannis uitio datur, nō potestas ad castigandum improbos 66.a. 450.a  
 libidinis species 101.b  
 librarij in sacris 25.b  
 ligare quid 396.a  
 ligare & soluere 417.b  
 lignilegus in sabbatho quare puniuntur 317.b  
 lingua usus quorū nobis concessus 250.a  
 lingua usum Christus restituit multis propter duo 250.a  
 linor non potest aequis oculis res ut sunt uidere accensere 250.b  
 locus nati Christi ab Herode desideratus 25.b  
 locus ex Hieremia explicatus, 273.b  
 locusta uolucris 43.b  
 locustae tripedales ibid.

locustae in cibo olim apud multos habitae 43.b  
 lolium pro doctrina corrupta & falsa 347.b  
 lolio uictitare ibid.  
 lorio uestimentorum leprosi quid designabat 195.b  
 Lucianus sophista mordacissimus 294.a  
 Lucianus Samosatenus Atheos, 321.a.b  
 lucrari Deo proximum quid 425.b  
 lucrum & commodū a morte quantum pijs 279.a  
 luctus quis sanctus, & qui pie lucterunt 83.b  
 luctus ob desiderium uitae aeternae 83.b. ob offensionem Dei, ibid.  
 luctus concionatorum ibid.  
 luctus quatenus Christianis permixtus 243.a  
 luctus in sacris laudi ductus, ibidem.  
 luctus in pompa funebri Christianis interdictus ibid.  
 lugentium uocem in caelo audiri, 35.a  
 lunae accessum uel recessum corpora humana uarie afficere 411.a  
 lunaticus sanatur 402.b  
 lunaticus quis 411.a  
 lupi natura & ingenium 180.a  
 lupi, falsi predicatorum 269.a  
 luporum huius temporis genera multa ibid.  
 luscus quis 422.a  
 lux & tenebrae quid Hebraei, 71.a  
 lux, Spiritus Christi 92.b  
 lux Christi in hac uita 404.a. in futura ibidem.  
 lucis nomine quid in scripturis significetur 152.a  
 luxus ubique uitandus 385.b

M  
 Magdalenae opus bonum esse Christus asseuerat 331.b  
 Magedan ciuitas 385.b  
 Magi qui

magi qui & Sophi 21.b  
 magi tres ab Oriente ibid.  
 magi Reges e Perside ibid.  
 magi Reges cur Hierosolymam diuertunt ibid.  
 magi cur prius Hierosolymam quam Bethlehem uenerunt ibid.  
 magi Iudaeos docent 22.a  
 magi stella bene usi 23.b  
 magi non accipiant personam 24.a  
 magi moniti ex uaticinio Balaam ibidem.  
 magi Christi humilitate non offensi 29.a  
 magi uerbum non rationem humanam sequuti ibid.  
 magi facti Apostoli 30.a  
 magi supersticiosi 23.b  
 magi demonum opera utentes 21.a  
 magi cedunt nostris 325.a  
 magorum nomen unde infame 21.a  
 magorum uaria nomina ibid.  
 magorum autoritas apud Persas, ibidem.  
 magorum typi 22.a  
 magorum aduentus argumentum 22.b  
 magorum notitia de rege Iudaeorum ibid.  
 magorum constantia 22.b. fides ibidem.  
 magorum simplicitas 28.a  
 magorum tentatio 28.b  
 magorum fides donis expressa, 29.b  
 magorum impia religio 277.b  
 magos tres fuisse numerus donorum indicat 29.b  
 magos iure non rediisse ad Herodem 30.b  
 magia quid 20.b  
 magia ars liberalis & honesta, 21.a  
 magia conspurcatores ibid.  
 magiae modi octo quibus utuntur impij ibid.  
 Magister 254.a  
 magister, uox subdola Iudaeorum 330.a  
 magistri & discipuli collatio, 277.a

Magistratus Christianus qualis esse debeat 450.b  
 magistratus summa habenda ratio 416.b  
 magistratum offendit qui quempiam laedit 87.b  
 magistratu exigente iurandum est 105.b  
 magistratus obseruandis & custodiendis legibus instituti 119.b  
 magistratus cum secularibus spirituales possunt de publicis uicinijs iudicare 164.b  
 magistratus quibus in primis auxiliari debent 306.b  
 magistratus admonentur sui officij 420.a  
 magistratibus non illudendum, 33.a  
 magistratibus publicis uindictae ius commissum 107.a  
 magistratibus uidentur ut populus in lege Dei erudiat 251.b  
 Magnatibus Christus uel seruo, uel parum feliciter innotescit, 359.b  
 magnitudo animi in Iosepho Arimathaeo 580.a  
 magnitudo praemij animum addit ad perferendos quoslibet labores 177.a  
 magnus in regno caelorum quis, 96.b  
 maiestas Dei etiam in minutulis rebus emicat 106.b  
 maiestas & diuinitas Christi, 532.b  
 maiestas & innocentia Christi 570.a  
 Malachia, Zacharia & Aggaei tempus 8.b  
 male partu, male dilabitur 149.a  
 maledicti 517.a  
 maledictio, execratio seu deuotio prohibita & licita 105.a  
 malefici qui 21.a  
 maleuolorum est murmurare. 375.b  
 malitia pro afflictione 162.a  
 malitia & iniquitas horum nostrorum temporum quanta 513.a  
 malitia ministrorum non minuit

INDEX.

ualorem sacramentorum 185.a  
 malitia mundi lentis incrementis ad summum euadit 513.a  
 malitia praefracta Phariseorum, 316.b. & seq.  
 malitiam impij parturiunt, quam non pariunt 31.b  
 malum quare quicquam 127.b  
 malum duplex uitandum 270.a  
 malum relinquere non satis 47.b  
 malum inultum relinquere magistratus non debet 108.b  
 malum malo non retaliendum 549.a  
 mali nihil unquam faciendum praetextu aut spe boni 587.b  
 malo temporali quare non resistendum 107.b  
 malorum quanta colluuijs a prauijs pastoribus 152.b  
 malis Deus bene utitur, nos interdum nec bonis bene 420.b  
 malus diabolus 345.a  
 Mammon Deus huius seculi cuiusmodi 149.a  
 mammon cur Deus uocetur 153.b  
 mammon quare iniustus siue iniquus dicitur 154.a  
 mammon procul abigendus cum tota stirpe ibidem.  
 mammon Punica uox ibidem.  
 mammona seruire quid 154.b  
 Manasses 17. rex Iuda, impius 7.b  
 manasses quomodo Domini misericordiam extorsit 383.a  
 manasses impietas 5.b. tyrannis 7.b. respicientia 8.a  
 Mandatum primum & secundum 483.a  
 mandatum maximum 471.b  
 mandata minima quae & quare 96.b  
 mandata seruanda 430.b  
 mandata Dei complenda 78.b  
 mandata Dei non omnia unius generis 52.b  
 mandata hominum 372.a  
 mandata legis grauiora 488.b  
 mansuetorum ingenium 82.a  
 mansuetudo & tolerantia Christi 321.b. 548.a

Manus arida sanatur in sabbatho 309.b  
 manus pro potestate 415.a  
 manus Christi continenter requirenda, qua nos erigat 413.b  
 manus abscissio 78.b  
 manus nomine quid intelligatur 421.a  
 manuum impositio cum oratione 430.b.  
 manus ablucendi mos unde 564.b  
 manus inferre nulli licet neque sibi neque alij 157.a  
 Marcus uerba Domini edentis miracula libens retulit 245.a  
 Mare Hebraeis quid 72.b  
 mare, mundus 354.b  
 Margarita una omni cura comparanda 354.a  
 margaritae unius amore uendere omnia sua, quid ibidem.  
 margaritae omnium rerum preciosissima 353.b  
 margariti nomine quid intelligatur 168.b. 169.a  
 Maria unica haeres Ioachimi & Annae 9.a  
 Maria cognata Elizabeth. 9.b  
 maria quomodo mater Iesu simpliciter dicitur 11.b. 336.b  
 maria exemplum integritatis & innocentiae 13.b  
 maria secreti custos ibid.  
 maria uotum uirginitatis 14.a  
 maria matris Domini defessio aduersus Marcionistas 336.b  
 mariam & Ioseph in uirginitate permansisse 14.a  
 Maria Cleophae 261.a. 337.a  
 mariarum charitas & fortitudo 183.a  
 marito quando non licet dimittere uxorem, etiam adulterij reuictam 104.a  
 Mater Christi quae et fratres qui, 310.a. 336.b  
 matrem sequitur sua proles 364.a  
 Mathan patruus Ioakim 8.a  
 mathan dictus Sedechias, rex Iuda ultimus & tributarius 8.b  
 mathan & Mathat fratres 9.a



INDEX.

μαθητῶν & μαθητῆς 589.a  
 matrimonium Ioseph et Mariæ 11.a  
 matrimonij benedictiones 434.a  
 matrimonij dignitas 104.a  
 matrimonij integritas 11.a  
 matrimonij uinculum multiplex 104.a  
 matrimonium quid faciat 14.a  
 matrimonium una mors dirimit 104.a  
 matrimonia clādestina iniuste cōtrahuntur 174.a  
 Mattheus gestorum Christi testis 2.a  
 mattheus organum & calamus Spiritus sancti 2.a  
 mattheus primus scripsit Euangeliū 261.a  
 mattheus Hebraicè scripsit Euangeliū, idque quamobrè ibid. mattheus num suo merito uocatus 225.b  
 mattheus magni peccatoris typus 226.b  
 mattheus ab initio suæ uocationis ministerio uerbi incubuit 228.a  
 mattheus unde sic dictus 260.b  
 mattheus publicanum se nominat 261.a  
 matthei cognomen & officium 2.a  
 matthei Euangeliū quando scriptum ibidem.  
 matthei Euangeliū Hebraicè Pantæus Alexandriam tulit ibidem.  
 matthei scopus in generatione Christi describenda 10.b  
 matthei uocatio 219.b  
 matthei & Pauli candor & ingenua professio 226.a  
 matthei sequentis Christum alacritas 227.b  
 matthei conuiuio Christus libens interfuit 228.a  
 maximus in regno cœlorum quis 417.a  
 Mecænas & Charmides ex oratione cogniti 328.b  
 media à Deo oblata non contemnenda 30.a. 245.a. 385.a

mediatore opus nobis 408.a  
 medicinæ ars nequaquam damnanda 239.b  
 medicinæ ars commendata in sacris literis 108.a. 239.b  
 medicinæ ofores reprehēsi 240.a  
 medicos corporum qui fit ut quærant omnes, animorū uerò perpauci 77.a  
 meditatio lōgè saluberrima super passione Christi 576.a.b  
 mel syluestre 43.b  
 memoria auorū in nominibus nepotum excitata 260.a  
 mendacium custodum sepulchri euincitur 587.a  
 mendicantes ualidi uictum sibi parare cogendi 111.a  
 mendicitas publica Dei ordinatione uetita 452.a  
 mendicorum quorundam improbitas 454.a  
 mens sibi malè cōscia, semper menticulosa & inquieta 360.a  
 mentis impie cruciatus quanti 541.b  
 mens pro intellectu 483.a  
 mentis alienatio aut consternatio in morte piis nihil obest 249.b  
 mensa communis amicitia index 531.a  
 mensa societas apud antiquos sacra 534.b  
 mensuræ uerbo quid significet Christus 166.b  
 mensuræ nomine iudicium significatur 167.a  
 merces, quid 266.a  
 mercedē prophetæ accipere 286.b  
 merces an liceat tāti uendere, quāti alijs emere cogitur 174.a  
 merces fallaces & fucosus uenditor emptori detegere debet, 174.a  
 mēsuræ non leue peccatū 154.a  
 meritum & premium nostrū omne à Christo 404.a  
 meriti nomen receptum in sacris literis 90.a  
 merita singulorum & demerita in morte Deus expendit 474.a

meritis diuersis inæqualia respōdere præmia 446.b  
 Mevoe urbs & insula 333.b  
 Messias expectatus uariè à prophetis nominatus 290.b  
 messias à prophetis declaratus filius Dei 405.a  
 messias promissus graphicè describitur 457.b  
 messias à prophetis prædicitur ad orientes 485.a  
 messias descriptio ex Isaiā 319.b  
 messias maiestatem sibi uendicat Christus 222.a  
 messias munus quod ibidem. messias officium, saluum facere 459.b  
 messias tempore pax summa expendi Etata 282.a  
 messias aduentus duo 264.a  
 messias natiuitas quomodo Magis innotuit 23.a  
 messias esse ex Abrahamo & Dauidē Iudæis receptissimū 4.a  
 messias falsi apud Iudæos 501.a  
 messias 220.a  
 messias est Domini, in quos dici possit 256.a  
 messores, prædicatores ibidem.  
 metæ trium tessaradecadum quæ 10.a  
 methodus salutis per Christū colata 15.b  
 metus tyrannorum præposterus, 362.b  
 metus mortis Christianis indecorus 279.a  
 Michaëas pseudopropheta & respōdit, ut ueritatem tueretur 109.a  
 michææ autoritas 25.b  
 miles ut plurimum omnis humanitatis expers 197.a  
 milites olim lictores erant & carnisces 364.b  
 milites impiū ac uenale hominum genus 565.b  
 militum ludibria in Christum, ibidem.  
 militiæ seruire an sit impium 199.b  
 minimus pro nullus 96.b

INDEX.

minimi qui putantur quanti faciendi 526.b  
 minister fidelis quis 515.a  
 minister noster Christus 443.b  
 minister Christi nemo, nisi uocatus 519.b  
 ministri uerbi finis & scopus, 94.a  
 ministri uerbi telum in persecutionibus 277.a  
 ministerium uigilantem quæ faciunt 514.b  
 ministri ueri non ueniunt, sed mittuntur 496.a  
 ministri uerbi idonei qui 252.b  
 ministri uerbi quæ apologia uti debeant 274.a  
 ministri Dei & pauperes quomodo tractandi 287.a  
 ministri otiosi & gratia Dei abutentes arguuntur 93.b  
 ministri regij aureis tum suas, tum regias occludunt ueritati 359.b  
 ministrorum maiore hodie rationem haberi quàm uerbi 357.a  
 ministrorum uerbi prima cura, 44.b  
 ministrorum malitia ualorem sacramentorum utrum minuat, 185.a  
 ministrorum uerbi sinceris nihil perit, utcumque se habeant auditores 267.b  
 ministris Christi prudenter tum uiuendum, tum docendū 270.a  
 ministris Christi prædicantibus idē continget quod & ipsi Christo 251.a  
 ministros Dei excipere hospitio, donum Dei 267.a  
 ministros uerbi quid maxime deceat ibidem.  
 ministrosetiam malos conferre sacramenta 261.b  
 ministerium Christi, ministerium uitæ 233.a  
 ministerio uerbi quinquam destinandi 74.b  
 miracula tria super Christum ad Iordanem 54.a  
 miracula tria in uno homine fa-

nato 320.b  
 miracula quatuor in uno homine à Christo facta 248.b  
 miracula noui Testamenti qualia 264.b  
 miracula quorsum edita à Christo & Apostolis 330.b  
 miracula, sigilla doctrinæ Christi 190.b. 291.a. 384.a  
 miracula Dei non annua solum, sed etiam quotidiana 367.b  
 miracula solita nouis minus afficiunt 245.b  
 miraculorum editio initio nascentis Ecclesiæ necessaria 185.b  
 miraculorum Christi effectus, 210.b. catena 248.b  
 miraculorum Christi scopus 320.b. uerus usus 291.a  
 miraculorum Christi corollæ quæ 225.a  
 miraculorum omnium maximum 459.b  
 miraculis innotuit Christus 225.a  
 miraculis suum tempus esse 76.b  
 miraculis nō amplius opus 292.b  
 miracula Christus quorsum edidit 290.b. & seq.  
 miracula apud Gentes quonā modo Christus edidit 378.b  
 miracula sua Christus quare euulgari uetuit 245.b  
 miracula tempore alieno neque edi neque postulari debere 66.a  
 miracula sua Christus in morte perfecit 291.b  
 miseris condolendum 571.b  
 miseris in primis succurrit Deus, ibidem.  
 miseratio amicorum lenatur dolor 542.b  
 misereri, Christi officium 380.a  
 miseria & damnatio nostra à tentione 56.b  
 misericordia quid 219.b. 232.a  
 misericordia, uirtus animi 366.a  
 misericordia quid exigit 493.b  
 misericordia & iustitia in eodem esse possunt 232.a  
 misericordia Dei nostrarū precum fundamentum 452.b

miseriordia Domini in Iudæos 565.a  
 misericordia hominis cui rei similis 231.b  
 misericordia diuida & efficax quæ 246.a  
 misericordiæ usus & officia 232.a  
 misericordiam exercere omnibus præcipitur ibidem  
 ad misericordiam exercendā plus mouet uisa quàm audita 232.b  
 misericordiæ & beneficētia Deus colitur 232.a  
 misericors quantum boni crucifaciat 86.a  
 missionis Apostolorum finis & effectus 456.a  
 mitis & humilis quid 308.a  
 mites qui fuere 82.a  
 mitibus bona etiam tēporalia promittuntur 82.b. 83.a  
 modus diligendi 112.a  
 modus imperandi pro indicatio, Hebraismus 495.b  
 modus parturiendi nouus in Maria 10.b  
 modus quo Christianus se erga amicos & inimicos rectè gerat, quis 114.a  
 mola appensa collo, supplicium, 420.a  
 molestia exemplo Christi æquo animo toleranda 58.a  
 moloch idolum 98.b  
 momorum & reprehensorum plena omnia 165.a  
 moneta arca primū, deinde argentea 266.a  
 monomachia Christi cum diabolo nobis meditanda 60.b  
 monomachia quæ hoc temporis conceduntur, suggestu Satanae fiunt 64.b  
 montes transferre quid 414.a  
 morales leges perpetuæ 118.b  
 moralia multa & ceremonialia ciuitate Euāgelica donata sunt ibidem.  
 moralia legis semper obseruari necesse 494.a  
 morbus quid 76.b



I N D E X.

morbis & liquor spiritualis 76.b  
 morbus nullus Christo incurabilis, 233.a  
 morbus à languore quid distet, 252.b  
 morbi corporis & animi 77.a  
 morbi corporis plerumque ex morbis & peccatis animi 223.a  
 morbi corporum Deum à nobis offensum vlciscuntur 77.b  
 Mors cuique sua, iudicium est, 215.a  
 mors in sacris somnis 243.b  
 mors Christianis, non mors, sed dormitio 244.a  
 mors Christianorum nō mors, sed similitudo tantū mortis 244.b  
 mors piorum quies ibidem. transitus 534.b  
 mors, ultima crux 274.b  
 mors corporis, & animæ 279.a  
 mors civilis, exilium ibidem.  
 mors dulcis quæ 397.a  
 mors Christi 527.b  
 mors & resurrectio Christi satis seniorum dederunt, quod uerbum Dei uerum est 330.b  
 mors Christi omnium notissima, 397.a  
 mors Christi sufficiens pro saluandis omnibus 451.a  
 mors turpissima Christo inscripta eius gloriā non oppressit 469.b  
 mors quomodo abolita morte Christi 576.a  
 mors ianua ad uitam & felicitatem 575.b  
 mors Christi longè alia atque nostra ibidem.  
 mors Christi mortis naturam frengit & immutauit 575.b  
 mortis sensu & metu omnes afficiuntur 243.b  
 mortis metus indecorus Christianis 279.a  
 mortis meminisse in primis expedit Christiano 514.b  
 mortis memoria frequenti oratione excolenda 540.b  
 mortem sibi aut aliis consciscere non licet 157.a

mortem timere, humanum 542.a  
 mortem quā commeruimus Christus pro nobis sustinuit 563.b  
 mortificatio hostia est 100.a  
 mortuus mūdo, uiuere incipit Christo. 285.a  
 mortui nomine intelligitur infidelis 206.b. 291.b  
 mortuo non relinquitur locus merendi 184.a  
 mortui qui Christo 206.b  
 mortuos sepelire, opus pietatis 180.a  
 Mos apud Romanos in honorandis sociis 566.a  
 mos apud Romanos cædendi flagris damnatos morte 565.b  
 mos cingendi se apud patres frequentus 43.a  
 mos salutandi cum primis pius, 490.a  
 mos prophetarum ex presentibus prenuntiare futura 71.a  
 mos scripturæ de genealogiis 9.a  
 mos scripturarum in collationibus faciendis 404.b  
 morem fuisse in Iudæa tuba cogendi plebē ad eleemosynam 123.a  
 mores primum aurei, abierunt in ferreos 266.a  
 Moschel Hebræis quid 38.a  
 mos quandoque absque cibo incolumis & sanus perstitit 62.a  
 mores & propheta mendaces, nisi Christus uenisset 95.b  
 mores à Domino sepultus 404.b  
 mores & Elias transformati cum Christo, typus nostræ resurrectionis ibidem.  
 mos charitas 114.b  
 mos & Eliæ ieiunium 58.b  
 mos liber repertus 8.a  
 mosem Christus excusat 433.a  
 motus & affectiones quomodo in Christo 542.b  
 motus sensualitatis non esse in potestate nostra 103.a  
 Mulier Christo & caput & pedes unxit 531.a  
 mulieri Sareptana nihil obfuit factus publicus 62.a

muliere sena nihil senius 363.b  
 mulieres non exclusæ à gratia Dei 239.a  
 mulieres quæ Christo ministrauerunt 557.a  
 mulieres uisitant sepulchrum 582.b  
 mulieres in primis decet pudor, 579.b  
 mulieres, Apostolorum Apostolæ 585.a  
 mulieres non abs re ab Euangelistis commendatæ 579.a  
 mulierum consilia aliquando sana & audienda 563.a  
 mulierum, Christo comitum, carnalis spes 579.a  
 mulierum Christū etiam mortuū non deserentium, laus 579.b  
 muliercularum quarūdam superstitio 489.b. factus, ibid.  
 multiloquium quod in oratione arguit Christus 126.b  
 multiloquio opus ad excitanda simulacra gentium 127.b  
 multiplicatio panum diuinitatem Christi in primis arguit 366.b  
 multitudinem non esse sequendam 176.b  
 munditia cordis quid 86.b  
 munditia uel immunditia hominis unde 378.a  
 Mundus quid 420.a  
 mundus bis conditus 315.a  
 mundus, desertum 57.a  
 mundus lerna omnium malorum, 66.b  
 mundus qualis nobis hostis 140.b  
 mundus oderit an faueat, nihil laborandum 147.a  
 mundus nihil nisi tenebræ 147.b  
 mundus iustitiam Dei ignorat, si nouit odit et persequitur 161.a  
 mundus non uult pro rectè factis mala perferre ibidem.  
 mundus hostis generis humani, 170.a  
 mundus odit qui illum arguunt, 275.a  
 mundus erga suum cōditorem ingratus 317.a  
 mundus, Christi est 351.a

mundus quæ miratur 359.a  
 mundus scandalis plenus 420.a  
 mundus quos coniunctos habet, mors & iudicium Domini separabit 514.a  
 mundi numina quæ 60.a  
 mundi omnis gloria uni seculo postponenda 158.a  
 mundi prosperitatem & malitiam p̄ uidentes, egrè ferunt 176.b  
 mundo & carni uerba Christi pro stultis habita 109.b  
 mundo quā inuisum Christi nomen 275.a  
 mundus pro mundanis, hoc est in mundo uiuentibus 92.b  
 mundus corde quomodo quis fiat 86.b  
 munificencia sua Christus superat petitiones nostras 473.b  
 munus Deo acceptum quod 559.b  
 munus docendi in Ecclesia à Christo demandatum 589.a  
 munus iudicandi de mundatione lepræ principii sacerdotum delegatum 194.b  
 munus preconis uerbi diuini quodnam sit 164.b  
 munus publicum cum uerbo Dei, uiros Dei uehementiores reddit 113.b  
 munus Apostolici & lucis fructus 94.a  
 mustela natura 20.b  
 mutuum quid 111.a  
 mutuum quomodo & quibus datum ibidem.  
 mutuum dare, sub secundo precepto comprehendit 110.b  
 Myrrha quid 568.b  
 myrrham Christo offerre 30.a  
 mysterium quid 341.a  
 mysteriū sanctæ Trinitatis in baptismo reuelatum 590.a  
 mysteria Dei quæ 341.a  
 mysteria diuina qui infidelibus & obstinatis communicat, illorum peccatis communicat 169.a  
 mysteria regni quā religiose administrari debeant 288.b  
 mysteria regni Dei quibus uideantur obscura 342.b  
 mysteria regni caelorum aulicis nō admodum curæ 359.a

I N D E X.

Nabuzardan templum Domini succendit 8.b  
 Næ affirmandi particula 304.a  
 Natales quorundam prodigiis infames 362.b  
 natiuitas Christi ad uirginem referenda 18.a  
 natiuitas Christi quomodo nota facta 19.b  
 natiuitas Christi duplex 27.a. 38.a  
 natiuitas Christi ne obscura esset uiri fecerunt non obscuri 24.b  
 natiuitatis Messie tempus 20.a  
 natiuitatis aperta reuelatio facta Magis, quid portendit 22.a  
 Natura ubiuis superat artem, sicut gratia naturam 158.a  
 natura do cet quenquam suum occulere & celare peccatum, 164.a  
 natura humana ope dei destituta, quā misera 555.a  
 natura assumpta à filio Dei, humana & diuina 391.b  
 natus pro conceptus 14.b  
 Nazareis & Sacerdotibus indicta sanctimoniam 37.a  
 Nazareth uiculus Galilææ 36.b  
 nazareth, ciuitas nutritia Christi 356.a  
 necessitas ipsa nostra compellat Deum 128.b  
 necessitatem peccandi Deus nemini imponit 533.b  
 neglectus uerbi Dei & penitentia quantum mali adferat, 301.a  
 negotiator optimus quis 354.a  
 nemo in iudicio presidii alienis saluandus 518.b  
 nemini non magna & multa donata sunt 520.b  
 nemini licet sine uerbo Dei in periculum sese conicere 65.a  
 nescio uos, uox horribilis 519.a

Niniuite in Ionæ submersione, & Iudæi in Christi morte Dei propositum ignorasse 332.b  
 niniuite quomodo condemnabunt Iudæos 333.a  
 niniuitarum cum Iudæis comparatio ibidem.  
 nobiles ignobiles sibi indecorum putant concionibus adesse, 334.b  
 nobilium insignia & imagines, 262.b  
 nobilibus uel exiguum uerbum iras mouet 109.a  
 nobilitas uera quæ 6.b  
 nobilitas nostra quæ & quanta, 586.b  
 Noe prædicauit penitentiam 504.b  
 nomen Dei pollui, quid 104.b  
 nomen Domini sanctificatur dupliciter 133.a  
 nomē Domini inuocari super nos quid ibidem.  
 nomen patris nihil non fiducia addit filius 160.a  
 nomen Christi quid 275.b. 503.a  
 nomen Christi quā inuisum mundo 275.a  
 nomen Iesu, ipse Iesus & officium eius ibidem.  
 nomen salutis sub cælo 15.b  
 nomen pro laude 132.b  
 nominis Dei abusus 553.a  
 nomini Dei nihil non deferendum 553.a  
 nomine Dei quid intelligatur, 184.a  
 nomine filij David quid intelligatur 453.b  
 nomina ab operibus imposita 17.a  
 nomina diuersa quare hominibus imponantur 259.b  
 nomina sanctorum imponi & diebus festis & infantibus laudabile 259.b  
 nomina principis Apostolorum quæ ibidem.  
 nomina gloriosorum militum apud Comicos 149.a  
 nominibus oculus, pes, manus, uariè utitur Christus 102.a



I N D E X.

notae quibus seipfos produnt falsi prophetae 179.a  
 noui pro dilexi 186.a  
 nouissimi qui sunt primi 446.a.b  
 nox in quatuor uigiliis diuisa, 368.b  
 nubes lucida quid 406.b  
 in nube uenire Deo propriū ibid.  
 numerus finitus pro infinito, 549.b  
 numerus multiplicatus ad excellentiam facit 310.b  
 numerus septenarius, numerus perfectionis 428.a  
 numeri quadrigenarij mysterium 59.a  
 nuptiae nostrae cum Christo, quid significant 236.a  
 nuptiarum nomine quid intelligatur 472.a

O

Obedientia neruus Christianismi 399.a  
 obedientia cum humilitate, sanae doctrinae fundamentū 419.a  
 obedientia pharmacum efficacissimum 482.a  
 obedientia uera in abdicatione propria uoluntatis 543.b  
 obedientia Christi quantum placuerit Deo, & profuerit nobis 545.a  
 obedientiam nostram non esse perfectam 135.b  
 obiectum felicitatis nostrae Deus 445.b  
 obliuio beneficiorū Dei hodie quāta 389.b  
 obscuritas non uerbo Dei sed ignauiāe malitiaeque nostrae tribuenda 341.b  
 obsecrare quid 129.b  
 obsecratio quid significet ibidem.  
 obstinatio & incredulitas propria Iudaeorum 331.a  
 obumbrare Dei, diuinae protectionis indicium 406.b  
 Occasio nulla proficiendi ad pietatem negligenda 354.a

ocasio de nobis conquerendi nulli danda 416.b  
 occasionibus uariis uocat Deus uarias personas ad excolendam uicem suam 444.a  
 occidere quid Pharisaeis 97.a  
 occulte peccantem quomodo admonere oportet 166.a  
 oculus duplex luscus & tenebrosus 152.a  
 oculus simplex quis ibidem.  
 oculus simplex & lucidus quid ibidem.  
 oculus simplex quando homini, ibidem.  
 oculus quare lucerna 151.b  
 oculus affectuum animi index, 446.a  
 oculus magis mouet quā auris 254.b  
 oculus bonus pro animo beneuolo, & contra 152.a  
 oculus pro mente 151.b. 152.a  
 oculus nequam 152.a  
 oculus noxius quomodo erudendus 102.a. 422.a  
 oculi erutio 78.b  
 oculi Apostolorum beati 343.b  
 oculorum petulantiam cohibendā esse 101.b  
 oculis Dei omnia etiam penitissimam patere 277.b  
 oculis fidei Christus in cruce fixus prospiciendus 577.a  
 odisse licet iniquos in quantum iniqui sunt 120.a  
 odisse parentes, uitam &c. quid 284.b  
 odium quando augetur 114.b  
 odium perfectum quod, apud psal. 120.a  
 odium ueri & boni impios coniungit 481.b  
 odium in Christum quantam immanitatem in impijs excitarit, 275.a  
 odium & liuor Iudaeorum aduersus Iesum 557.b  
 odij nomine quid comprehensum 274.b  
 odij sancti exempla 284.b

oconomus fidelis, mundo contrauius 515.b  
 offendiculo ne cui sinus quā studiosē cauendum 416.b  
 offensa in filium hominis 326.a  
 officium coniugum 104.b  
 officium probi cuius quod 109.b  
 officium optimi Senatoris & ciuius 152.a  
 officium propter improbos non intermittendum 85.a  
 officium Christi iuuare 371.a  
 officia Christi, regalia 10. a. sacerdotalia, ibidem.  
 oleum pro affectu & spiritu caelesti 157.b  
 omnia quaecūque uultis, &c. quomodo intelligendum 173.b  
 omnia quaecūque uultis, &c. posterioris tabulae compendium est 174.b  
 omnipotentia Dei 67.a  
 onus Christi leue facit ipsius auxiliū 308.b  
 onera grauiā 486.a  
 onera omnia Christus deicit, 307.a  
 oneribus animi nihil grauius ibid.  
 operarius malus quis 186.b  
 operarij 220.a  
 operarij probi qui 256.a  
 operarij conducuntur in uineam 443.a  
 operationum nostrarum finis quis esse debeat 122.b  
 opes quorsum cogenda 150.a  
 opes bene uolentibus perpetuae fiunt ibidem.  
 opes magnae plurimū magna fraude parantur 149.a  
 opes qui diligit similis est hydroopico 440.a  
 opificio uacandum 159.b  
 opinio impia antiquorum de animabus 211.b  
 opinio mali quantum possit 369.a  
 opinio D. Hieronymi de latronibus blasphemis 573.a  
 opinio populi de Christo 386.a  
 opiniones de Christo quā nauae inter Iudaeos 390.b  
 opiniones

opinionēs falsae de anima explosae 279.b  
 Opportunitas diuinitate donata ab antiquis 515.a  
 opus nostrum unde dignitatem accipiat 393.b  
 opus bonum propter Christum fieri debere 526.a  
 opere & sermone impletur uoluntas Dei legislatoris 183.b  
 opera non literae primū spectanda in homine 73.b  
 opera bona quae 94.a  
 opera bona propter Deum faciendā 120.b  
 opera bona faciendā etiam in proptulo, & quamobrem 121.b  
 opera bona nostra quomodo Dominus uideri & non uideri uelit 162.a  
 opera bona cuique necessaria ad salutem 241.b  
 opera bona & sancta ne uicquam silentio premenda 531.b  
 opera carnis, quae 180.b  
 opera Dei duplicia 387.b  
 opera externa quomodo bona & laudabilia 97.a  
 opera meritoria quae 437.b  
 opera misericordiae 517.a. 525.b  
 operibus & laboribus nostris meremur, idque quomodo 90.a  
 operibus bonis premia reddi 286.b  
 ex operibus cognoscitur fidelis, 163.b  
 ex operibus omnes iudicādi 525.b  
 Oraculo diuino parendum 32.a  
 orare publice non in totum illicitum 125.a  
 orare sicut oportet difficillimum, 128.b  
 orare Deus simul iussit, & promissit exaudire 129.a  
 orare recte sine Spiritu sancto nemo potest 172.b  
 orando quomodo affecti simus, 130.a  
 orandum pro persecutibus 79.a  
 orandum spiritu & ueritate 129.a  
 orandum quid, & pro quibus, 130.a

I N D E X.

orans qua fide esse debeat 247.a  
 oraturus quibus carere debeat, 128.b  
 orandus & inuocandus quis, 130.a  
 Oratio quid 129.b  
 oratio ad quid ualet 170.a  
 oratio ad quā multa utilis, 520.b  
 oratio Deo accepta quae 427.b  
 oratio, opus ardentis animi & spirituale 124.b  
 oratio totum requirit hominem, 128.b  
 oratio effusionem cordis in Deum habere debet 129.b  
 oratio orantē ueluti rapit & transformat in Deum 403.b  
 oratio ex animo estimatur 130.a  
 oratio gladius in aduersis 108.a  
 oratio praecipua Christianorum artematura 128.a  
 oratio ubiuis ualet 162.b  
 oratio ferē feruentior in loco sacro ibidem.  
 oratio Christianis quā necessaria 170.a  
 oratio plurimum ualet ad impetrandum quod postulamus a Deo 170.b  
 oratio medium praedeterminatum a Deo ad obtinendam uitā aeternam 172.a  
 oratio non aduersatur praedestinationi ibidem.  
 oratio pro impetrandis bonis externis & abiiciendis periculis ad Dei uoluntatem referenda est, 193.a  
 oratio pro inimicis ingentis cuiuspiam dilectionis argumentum est 114.b  
 oratio arcana magni momenti, 126.a  
 oratio ardēs secessum amat 542.b  
 oratio arx tutissima Christianis, 128.a  
 oratio assidua aduersus quotidiana pericula necessaria 124.b  
 oratio Christi 528.a  
 oratio Christi in cruce 557.a

oratio continua 163.b  
 oratio cordis sit assidua 126.a  
 oratio Dominica omnium ceterarum epitome est 130.b  
 oratio humilis quā efficax 192.a  
 oratio iusti pro alio efficax 202.b  
 oratio nostra quo nitatur 129.a  
 oratio pia quantum comoder 128.b  
 oratio priuata secessum amat, 368.a  
 oratio prolixa quando necessaria 492.b  
 oratio pura, rarum opus 125.b  
 oratio & ieiunium 403.a  
 oratio & ieiunium artes Satanā elidunt 414.b  
 oratio & uigilia coniungenda, 544.a  
 orationis efficaciae contraria est dubitatio impetrandi 192.b  
 orationis nomina ex Paulo, & quid differant 129.b  
 orationis assiduitas Deo grata, 270.a  
 orationis indefesse & perseverantis exemplum 130.b  
 orationis scopus praecipuus quis, 126.a. 129.a  
 orationis uariae species 129.b  
 orationi externa uacandum, cum est opus 126.a  
 orationi instādum pro ratione necessitatis 171.a  
 orationem uiri sancti uitae suae antetulerunt 128.a  
 orationem gratam Deo quā faciānt 129.a  
 orationem Dominicam orās cum omni Ecclesia orat 143.a  
 orationem iusti Deus plurimi facit 201.b  
 orationē prolixiā non reuicit Christus 126.b  
 oratione Deus nobis innotescit, atque adeo nostri notitiam nanciscimur 128.a  
 oratione fideli excitādus Christus 210.b  
 oratione & ieiunio carnis insultus reprimi 434.b  
 oratione nos uti ad depellenda ad-



INDEX.

uersa Deus iussit 511.b  
 orationes, etiam mutas, Christus audit 221.a  
 orationibus vult nos Deus exerceri, & parari ad excipiendam necessarium 118.a  
 ordinationes ritè factæ, non profanae, sed diuinæ 356.b  
 ordinationes ciuiles obseruanda, 195.b  
 ordo seruati Christi nati confirmat fidem 32.a  
 ordo & dignitas Pharisæicæ sectæ quanti apud Iudæos fiebat 97.a  
 ordo seruandus in dilectione & correctione fraternæ 425.a  
 ordo in dispensandis beneficiis, 70.a  
 ordine præpostero omnia hodie agi 334.a  
 Orientales astrorum studiosi 22.b  
 Origenes hæresim de mortalitate animæ profligauit 245.b  
 ornatu uiri boni modestus 294.a  
 ortus & incrementum peccati, 101.b  
 Os, pro scripturis sanctis 80.a  
 oscitantia & otium fenestram aperiuunt diabolo 351.a  
 oscitantia nostra & negligentia uerbum & amor Dei pereunt in nobis 335.b  
 ostium claudere in oratione, quid 126.a  
 otiosi reprehensi 163.a  
 otium duplex 329.b  
 otium ubique in sacris literis damnatum 162.b  
 Ouis naturâ placidum animal, 269.a  
 ovis non est, cui lupus non insidiat 338.b  
 oues Christi 263.b  
 ouium & caprarum ingenium, 254.b  
 ouium & Ecclesie tempore Christi status quis 269.a  
 Ozius lepra percussus 7.b

pabulum nobis commune cum beatis, argumentum ingens miseriam nostram 137.a  
 pacificus quam pacem inquirat, 87.a  
 pacifici, qui ibidem.  
 pacificorum & filiorum Dei factus 87.b  
 palatium Christi nati 29.a  
 palingenesia siue regeneratio, 359.b  
 palingenesia credita Iudæis 390.b  
 pallium dimittere, quid 110.a  
 Palma uictoriæ symbolum 459.a  
 palma natura ibidem.  
 Panis uoce quid intelligendum, 61.a  
 panis quid in sacris literis 136.a  
 panis quare noster 137.a  
 panis, intellectus uerbi diuini, ibidem  
 panis, meditatio in diuinis præceptis ibidem.  
 panis anagogicè quid 138.b  
 panis, corpus Christi 136.b  
 panis pro necessariis ad salutem, 382.a  
 panis & sal in mēsa appositi, quid admonent 534.b  
 panem suum dat Deus, sed exigit laborem nostrum 138.a  
 pane uno mille uiros Christus satiavit 367.b  
 panem frangere moris fuit Christo 535.b  
 panes propositionis unde sic dicti 312.a  
 panes propositionis quid significant ibidem.  
 Parabola quid 340.a  
 parabola quatuor seminum, 338.b  
 parabola grani sinapis 339.a  
 parabola thesauri in agro absconditi 339.a  
 parabola margaritarum, ibidem.  
 parabola saganæ, ibidem.  
 parabola de fermento 339.a  
 parabola de zizanias superfeminatis bono semini ibidem.  
 parabola seminum declaratio, 419.a

338.b  
 parabola nihil fortius persuadet, nihil clarius explicat 514.a  
 parabolarum usus familiaris propheticus 340.a  
 parabola quare utatur Christus 342.b  
 parabola uti antiquum 350.a  
 in parabolis non omnia ad mysticum sensum detorquenda, 517.b  
 παραδειγματιται, quid 14.a  
 paradoxum Christianum 400.a  
 Paralysis quid 221.b  
 paralyticus stabili & firma fide deprecatur sanitatem 191.b  
 paralyticus sanatur à corporis infirmitate, & à peccatis 219.b  
 paralyticus propter peccata sua afflictus 223.a  
 paralytici curati historia ex tribus Euangelistis 220.b  
 paralytici qui 77.b  
 Parentes ecquando & quomodo relinquendi propter Christum 75.a  
 parentes non cum asperitate, aut contemptu deserendi 284.a  
 parentes in filios quales esse debent 238.b  
 parentes naturaliter amant filios, à quibus non redamantur 435.b  
 parentes honorandi ac iuuantis, lex naturæ & diuinissima, 374.a  
 parentum contemptum quatenus permittit Christus 284.a  
 parentum imitatores parentum præmia participant 496.b  
 parentum inuersa cura, tantum de cogendis opibus sollicitorum 238.b  
 Partus uirginis inauditus quid ad umbrat 15.a  
 partus uirginis qualis 18.a  
 paruulus quis 419.b  
 paruuli quibus mysteria regni reuelantur, qui 303.b  
 paruuli quomodo iubemur esse, 419.a

P

INDEX.

Pascha uetus Ierosolymis & nusquam alibi celebrandū 532.b  
 paschæ solennitas à Iudæis quare celebrata 529.a  
 passeres duo 254.a  
 passio Christi nobis in exemplum, 529.b  
 passio Christi, & omnia ad eam pertinentia, quam diligenter prædicta 561.a  
 passionem suam Christus prædicat 409.b  
 passione Christi ut affici ac moueri debeamus 529.b  
 passiones Christi facilius à nobis narrantur, quam ipse illas tulerrit 571.b  
 pastores boni pauci, laruari multi, 256.a  
 pastores cæci & prauis quantum mundo incommodent 152.b  
 pastores cæci quantum detrimenti adferant 153.a  
 pastores dominabundi reprehenduntur 258.b  
 pastorum auaritia uenenus Ecclesiæ 153.a  
 pastorum socordia & negligentia reprehensa 255.a  
 Pater in Euangelio ter testatus Christum esse Deum, & suum filium 406.b  
 pater quantum dedit mundo quum donauit Christum 407.a  
 pater & filius unum 485.a  
 pater celestis quare paterfamilias dicitur 444.a  
 pater celestis reddit singulis suam mercedem 444.b  
 pater celestis quantum differat à carnali 132.a  
 pater carnalis præ celesti contemptibilis ibidem.  
 pater familiars quos uocet ad excolendam uincem suam 444.b  
 patermi, quare in oratione Dominica non dicitur 131.b  
 patris nomen in Deo resuscitentia nos admonet & imitationis, 123.a  
 patris nomen nihil non fiduciam ad- dit filiis 160.a  
 patris uox super Christum nostra causa audita 54.a  
 patris est fortuna filiorum affici, 410.b  
 patris & filij idē spiritus 274.a  
 patris & filij eadem uoluntas & idem affectus 305.a  
 patris celestis filij celestia quare debent 125.b  
 patrem uocare Deum iam nobis Christianis & licet & necesse est 131.a  
 patrem à filio & c. quomodo separatur Christus 283.a  
 Patres nati in terra promissionis, 5.b  
 patres ab origine mundi hystrosin per Christum persoluendam intellexerunt 119.a  
 patrum sententia de Dominatore Israelitico 27.a  
 patrum sancita obseruanda 373.a  
 patientia nunquam deserenda, 347.a  
 patientiæ Christianæ confirmatio, 543.b  
 patientiæ exemplū in Christo 550.a  
 patrie quisq; optimus bene et uult & facit sua 70.a  
 Patriarchæ & Reges Iudaici, pauperes spiritu 81.b  
 pauci saluabuntur in comparatione peritiorum 176.b  
 Paulus, quod è uiperæ morsu non perit, Deus creditus 46.b  
 paulus pacem Dei in primis hortatur, & precatur 87.b  
 paulus legum & potestatum humanarum præsidio usus 110.a  
 paulus quare Christi gaudet prædicari à quibusuis 214.b  
 paulus quare occæcatus 246.b  
 paulus cur mōnet in primis orandum pro iis qui magistratu funguntur 271.b  
 paulus quomodo omnibus placere studuerit 489.a  
 paulus negotiator nobilis 354.a  
 paulus bonus paterfamilias 356.a  
 paulus, probus Dei seruus 520.a

pauli charitas quanta 112.a  
 pauli amor erga suos etiam hostili animo percitos 114.b  
 pauper spiritu 81.a  
 pauper ob Christum ditissimus, contra diues sine Christo pauperimus 122.b  
 pauperis qui miseretur, foeneratur Deo 86.b  
 pauperi cui, quid, & quomodo dandum 122.a  
 pauperi non petenti qui dat publice, calamitatem illi exprobrat 123.a  
 pauperes spiritu 78.a  
 pauperes & inualidi qui sint obseruandum, & qui non 111.a  
 pauperes sumus, Deus diues, 136.a  
 pauperes, quibus promittitur regnum Dei, qui 291.b  
 pauperes acceptis beneficiis quid se gerant 526.a  
 pauperum discrimen non anxie habendum 110.b  
 pauperum maxime habenda ratio in exequiis Christianis, 243.b  
 pauperum foelicium affectus uerè diues 292.a  
 pauperum egestati leuandæ oblata in templo dicabantur 560.a  
 pauperibus communicantur cæli opes etiam in hoc seculo 82.a  
 pauperibus hilariter dandum, 287.a  
 pauperibus annuntiari & offerri Euangelium quid 291.b  
 Pax quid 87.a. 254.a  
 pax est bellum, paradoxū 283.a  
 pax omni pretio superior & melior 100.a  
 pax salutis comes 242.a  
 pax uera animi tranquillitas ibid.  
 pax uestra, pro, pax similis uestræ 267.b  
 pax cum Deo & conscientia, fructus primus fidei 308.a  
 pax Christi que 282.b  
 pax Christi mundo odiosa ibidem.  
 pax mundi ibidem



INDEX.

pacis mundanae turbator Christus 282.b  
 peccare in te quis dicitur 424.b  
 peccator duobus modis dicitur, 221.b  
 peccator, egrotus: peccatum, mor-  
 bus 230.b  
 peccator quod grauius, hoc securius  
 peccat 359.b  
 peccator seruus Satanae 216.b  
 peccator sua culpa perit 233.a  
 peccator leniter corripiendus, 474.b  
 peccator qui ueniam consequatur  
 429.a  
 peccator qui iustificatur 241.b  
 peccator quomodo filius Dei, 221.b  
 peccatore cum aliis se confiteri  
 viro Christiano an satis sit, 139.a  
 peccatorem respicientem quanto  
 gaudio excipiat Christus 423.b  
 peccatores 220.a  
 peccatores Iudaeis qui 229.b  
 peccatores à Christo non abiici,  
 6.b  
 peccatores vocati à Christo qui,  
 233.a  
 peccatores à Dauide qui vocati,  
 229.b  
 peccatores conuertuntur cum eos  
 respicit Iesus 555.b  
 peccatores & indignos se quare  
 deligat Christus 226.b  
 peccatores qui in Euangelio 229.b  
 peccatores & publicani in caelo  
 regnant 226.b  
 peccatores daemonicis infelicio-  
 res 217.b  
 peccatrices cur in Christi genealo-  
 gia memorantur 5.b  
 peccatum quid 325.b. 376.a  
 peccatum mors 71.a  
 peccatum quam odiosum Deo,  
 541.b  
 peccatum quantum horroris pa-  
 riat 541.a  
 peccatum quomodo debitum 139.a  
 peccatum quomodo dissolutum 15.b  
 peccatum quomodo quis uitare pos-  
 sit 329.b  
 peccatum Israelitarum petentium  
 regem quod erat 27.a  
 peccatum suum agnoscat, qui sibi  
 vult ignosci 144.a  
 peccatum celare suum natura inu-  
 quenque docet 164.a  
 peccatum ueniale non aufert gra-  
 tiam Dei 182.a  
 peccatum in filium hominis 326.a  
 peccatum in spiritum sanctum quid  
 321.a. 326.a  
 peccatum in spiritum sanctum  
 quam atrox 327.b  
 peccatum in spiritum sanctum quo-  
 modo irremissibile 326.a  
 peccati uenenum amissum 15.b  
 peccati uis ibidem.  
 peccato ueniali non exciditur à gra-  
 tia 518.a  
 peccata quae et quomodo uere Chri-  
 stiano obseruanda 139.a  
 peccata non nisi morte Christi re-  
 mittuntur ibidem.  
 peccata quomodo gratis nobis re-  
 mittuntur 222.b  
 peccata hominem non perdunt,  
 sed contemptus poenitentiae,  
 233.a  
 peccata probe agnita quid faciunt  
 240.a  
 peccata aliorum, nostra non excu-  
 sant 412.a  
 peccata an paria & paribus poenis  
 luenda 268.b. 302.a  
 peccata quam ingrata Deo 542.a  
 peccata poenitudine dimissa ob in-  
 gratitudinem puniuntur 430.a  
 peccata nostra cum remitti nobis  
 postulamus, poenitentiam pro-  
 fitemur 138.b  
 peccata nostra quam sint grauiora  
 crux Christi ostendit 566.b  
 peccata remittere, praecipuum Chri-  
 sti officium 222.b  
 peccatorum memoria non desisten-  
 dum ab oratione 131.a  
 peccatis similibus similia supplicia  
 debentur 496.b  
 peculium commune non insumen-  
 dum in usus priuatos 417.a  
 pecunia cuique aut imperat aut ser-  
 uat 153.b  
 pecuniam sacram prodigunt sacer-  
 dotes, & expendunt ad male-  
 ficia  
 peierare quid 105.a  
 peieratio duobus praecipis prohi-  
 bita 104.b  
 Pella urbs refugium electis in affli-  
 ctione Iudaica 506.b  
 pensio census Iudaeis ingratisima  
 476.b  
 penuria rerum necessariorum dia-  
 bolo illex ad tentandum 59.a  
 penuriam rerum iniquitate non ex-  
 pelli 60.b  
 per uocabulo Christus quid probi-  
 buerit 266.a  
 perdere animam 254.a  
 perdere plus quam occidere,  
 280.a  
 perditio quae tandem uera 263.b  
 peregrinationis Magorum scopus  
 24.a  
 peregrini nobis peregrinis ut imi-  
 tandi 81.a  
 perfectio nostra in praecipio, & cu-  
 iusmodi 117.b  
 perfectionis studium commenda-  
 tur 52.b  
 perfidorum corpora diffecandi mos  
 apud antiquos 516.a  
 Periculis apophthegma 552.b  
 pericula nostra unde 370.b  
 pericula quatenus ministro Chri-  
 sti aduenda 271.a  
 pericula fugere & uitare prudenti-  
 tis est 365.b  
 periculis frangi, pusilla fidei argu-  
 mentum 208.a  
 periculis suorum Christus addit  
 promissiones 268.b  
 periuros etiam uiuos non effugere  
 supplicium 105.a  
 perniciosa omnis uel à peccato uel à  
 Satana 264.b  
 Persecucioni felici Arabiae 29.b  
 persecutio necessaria piis 88.a  
 persecutio propter quid sustinenda  
 ibidem.  
 persecutio aduersus regnum coe-  
 lorum, & huius heredes, 394.a  
 297.  
 persecucione probatur Christianus  
 88.b  
 persecuciones nullum debent alie-  
 nare ab amore & doctrina san-  
 ctorum 365.a  
 persecuciones maximae in Eccle-  
 sia 503.a  
 persecucioribus ut cedendum,  
 276.a  
 persequi pro insectari & uisceri,  
 114.b  
 perseuerantia, cuiusque boni operis  
 coronis & absolutio 275.b  
 perseuerantia nulla sine patientia  
 504.a  
 perseuerantiam animi Dominus  
 requirit potius, quam corporis  
 276.a  
 perseuerantia opus est in oratione  
 130.b  
 perseuerare 253.b  
 Personae eadem in genealogiis apud  
 Mattheum & Lucam 18.b  
 persona à lege coniugij exclusae,  
 432.a  
 pernicaces & praefracti mundo  
 beati 82.b  
 pestes quando omnium sauisimae  
 502.a  
 petere uictum non indignum ora-  
 tione Dominica 136.b  
 petere, quae uere, pulsare, uerba, ex-  
 crescentiam habere 171.a  
 petitio qualis esse debeat 448.a  
 petitiones quid 129.b  
 petra pro fide & confessione de  
 Christo, qui petra est 395.a  
 petrae scissae 557.a  
 Petrus iam morti destinatus, ab  
 angelo saluatus 69.b  
 petrus quibus nominibus uocatus  
 & cognominatus 259.b  
 petrus ubi praedicauerit 259.b  
 petrus Bar-Iona, & Bar-Ioan-  
 na 293.a  
 petrus os discipulorum 377.b  
 petrus Apostolorum coryphaeus,  
 391.a  
 petrus maior fide quam sanguine  
 394.a  
 petrus seuerè increpatur à Christo  
 397.b  
 petrus iubetur à Christo post abi-  
 re, siue sequi 398.a  
 petrus crucem, cuius pretium non  
 nouerat, horrebat 406.a  
 petrus in monte, rerum omnium  
 oblitus, locum beatorum exprime-  
 bat ibidem.  
 petrus caput & princeps Aposto-  
 lorum, sed sub Christo 417.a  
 petrus negat Christum 528.b  
 petrus imbecillum & sibi ignoto-  
 rum hominum exemplum 539.b  
 petrus quo impulsu ferit Mal-  
 chum 548.b  
 petrus illegitime gladio usus,  
 549.a  
 petrus quomodo sequitur Christum  
 captum 550.b  
 petrus in aulam admissus Christum  
 abnegat 551.a  
 petrus mortem timens, uitam nega-  
 uit 555.b  
 petrus secundo conatur fugere,  
 ibidem.  
 petrus quam grauius peccauerit  
 abiurans Christum ibidem.  
 petri & Andreae, Iacobi & Ioan-  
 nis uocatio 56.b  
 petri erga Christum dilectio,  
 369.b  
 petri fides 369.b. & seq.  
 petri zelus 397.a  
 petri negatio 528.a  
 petro quid lachrymas excussit,  
 556.a  
 petrum esse primum & princi-  
 pem inter ministros Ecclesiae,  
 394.b  
 petrum maiora uiribus promitten-  
 tem Christus negationis futurae  
 admonet 540.a  
 phantasma quid 368.b  
 Pharisaei ab Herode deliti 32.b  
 pharisaei uani legis interpretes,  
 104.b  
 pharisaei Satanae discipuli 228.b  
 pharisaei cum discipulis Ioannis co-  
 iurati aduersus Christum,  
 234.a  
 pharisaei regni Dei contemptores,  
 atque adeo offores 297.a  
 pharisaei alienae uitae speculatores,  
 311.a  
 pharisaei perniciem Christo inten-  
 rant 317.b  
 pharisaei maligni interpretes, 321.  
 a. Sycophantae, ibidem.  
 pharisaei calumniam struunt,  
 316.a  
 pharisaei quam saepe Christo mole-  
 sti 386.b  
 pharisaei temerarij & impij,  
 387.a  
 pharisaei ingrati, inhumani, crude-  
 les, & sanguinarij 473.a  
 pharisaei captatores 475.b  
 pharisaei laruati 488.b  
 pharisaei & Sadducei Ioannem  
 captant 46.a  
 pharisaei & Sadducei quare cum  
 uiperis collati 46.b  
 pharisaei & Scribe hypocrita,  
 125.a  
 pharisaei & Scribe sepulchra inal-  
 bata 495.a  
 phariseorum auaritia 374.b  
 phariseorum inuicta cecitas,  
 476.a  
 phariseorum ieiunia priuata,  
 146.b  
 phariseorum inuidia in Christum,  
 228.b  
 phariseorum liuor 250.b  
 phariseorum malitia, caecitas &  
 pertinacia 481.a  
 phariseorum nefaria religio,  
 378.b  
 phariseorum prapostera religio,  
 314.b  
 phariseorum scita quae 45.b  
 phariseorum secta potior habi-  
 ta apud Iudaeos ibidem.  
 phariseorum inuersa studia,  
 494.a  
 phariseorum supercilium 94.b  
 phariseorum nuguentulorum su-  
 perstitio 489.a. impostura,  
 489.b  
 phariseorum & scribarum ver-  
 LLL iij

INDEX.

lorum, & huius heredes, 394.a  
 297.  
 persecucione probatur Christianus  
 88.b  
 persecuciones nullum debent alie-  
 nare ab amore & doctrina san-  
 ctorum 365.a  
 persecuciones maximae in Eccle-  
 sia 503.a  
 persecucioribus ut cedendum,  
 276.a  
 persequi pro insectari & uisceri,  
 114.b  
 perseuerantia, cuiusque boni operis  
 coronis & absolutio 275.b  
 perseuerantia nulla sine patientia  
 504.a  
 perseuerantiam animi Dominus  
 requirit potius, quam corporis  
 276.a  
 perseuerantia opus est in oratione  
 130.b  
 perseuerare 253.b  
 Personae eadem in genealogiis apud  
 Mattheum & Lucam 18.b  
 persona à lege coniugij exclusae,  
 432.a  
 pernicaces & praefracti mundo  
 beati 82.b  
 pestes quando omnium sauisimae  
 502.a  
 petere uictum non indignum ora-  
 tione Dominica 136.b  
 petere, quae uere, pulsare, uerba, ex-  
 crescentiam habere 171.a  
 petitio qualis esse debeat 448.a  
 petitiones quid 129.b  
 petra pro fide & confessione de  
 Christo, qui petra est 395.a  
 petrae scissae 557.a  
 Petrus iam morti destinatus, ab  
 angelo saluatus 69.b  
 petrus quibus nominibus uocatus  
 & cognominatus 259.b  
 petrus ubi praedicauerit 259.b  
 petrus Bar-Iona, & Bar-Ioan-  
 na 293.a  
 petrus os discipulorum 377.b  
 petrus Apostolorum coryphaeus,  
 391.a  
 petrus maior fide quam sanguine  
 394.a  
 petrus seuerè increpatur à Christo  
 397.b  
 petrus iubetur à Christo post abi-  
 re, siue sequi 398.a  
 petrus crucem, cuius pretium non  
 nouerat, horrebat 406.a  
 petrus in monte, rerum omnium  
 oblitus, locum beatorum exprime-  
 bat ibidem.  
 petrus caput & princeps Aposto-  
 lorum, sed sub Christo 417.a  
 petrus negat Christum 528.b  
 petrus imbecillum & sibi ignoto-  
 rum hominum exemplum 539.b  
 petrus quo impulsu ferit Mal-  
 chum 548.b  
 petrus illegitime gladio usus,  
 549.a  
 petrus quomodo sequitur Christum  
 captum 550.b  
 petrus in aulam admissus Christum  
 abnegat 551.a  
 petrus mortem timens, uitam nega-  
 uit 555.b  
 petrus secundo conatur fugere,  
 ibidem.  
 petrus quam grauius peccauerit  
 abiurans Christum ibidem.  
 petri & Andreae, Iacobi & Ioan-  
 nis uocatio 56.b  
 petri erga Christum dilectio,  
 369.b  
 petri fides 369.b. & seq.  
 petri zelus 397.a  
 petri negatio 528.a  
 petro quid lachrymas excussit,  
 556.a  
 petrum esse primum & princi-  
 pem inter ministros Ecclesiae,  
 394.b  
 petrum maiora uiribus promitten-  
 tem Christus negationis futurae  
 admonet 540.a  
 phantasma quid 368.b  
 Pharisaei ab Herode deliti 32.b  
 pharisaei uani legis interpretes,  
 104.b  
 pharisaei Satanae discipuli 228.b  
 pharisaei cum discipulis Ioannis co-  
 iurati aduersus Christum,  
 234.a  
 pharisaei regni Dei contemptores,  
 atque adeo offores 297.a  
 pharisaei alienae uitae speculatores,  
 311.a  
 pharisaei perniciem Christo inten-  
 rant 317.b  
 pharisaei maligni interpretes, 321.  
 a. Sycophantae, ibidem.  
 pharisaei calumniam struunt,  
 316.a  
 pharisaei quam saepe Christo mole-  
 sti 386.b  
 pharisaei temerarij & impij,  
 387.a  
 pharisaei ingrati, inhumani, crude-  
 les, & sanguinarij 473.a  
 pharisaei captatores 475.b  
 pharisaei laruati 488.b  
 pharisaei & Sadducei Ioannem  
 captant 46.a  
 pharisaei & Sadducei quare cum  
 uiperis collati 46.b  
 pharisaei & Scribe hypocrita,  
 125.a  
 pharisaei & Scribe sepulchra inal-  
 bata 495.a  
 phariseorum auaritia 374.b  
 phariseorum inuicta cecitas,  
 476.a  
 phariseorum ieiunia priuata,  
 146.b  
 phariseorum inuidia in Christum,  
 228.b  
 phariseorum liuor 250.b  
 phariseorum malitia, caecitas &  
 pertinacia 481.a  
 phariseorum nefaria religio,  
 378.b  
 phariseorum prapostera religio,  
 314.b  
 phariseorum scita quae 45.b  
 phariseorum secta potior habi-  
 ta apud Iudaeos ibidem.  
 phariseorum inuersa studia,  
 494.a  
 phariseorum supercilium 94.b  
 phariseorum nuguentulorum su-  
 perstitio 489.a. impostura,  
 489.b  
 phariseorum & scribarum ver-



I N D E X.

*sipelle conuiuium* 373.a  
*phariseorum & Scrib. impia de Deo opinio* 495.a  
*phariseis non nihil debent Christiani* 230.a  
*phariseis blasphemantibus os obturatur* 330.a  
*phariseos tanta auctoritate ac sanctitate uiros reprehendi nouum & ingratum mundo* 121.b  
*phariseos hypocritarum nomine Christus quare compelleret* 123.a  
*phariseos interrogat Iesus de Messia* 471.b  
*Philargyria Phariseorum* 374.b  
*philantia Paulo quid* 164.b  
*philantia quid mali adferat* 165.a  
*Philippus Apostolus* 260.b  
*Philippus diaconus* ibidem.  
*Philippus frater Herodis secundi* 361.a  
*Philo Iudaeus de lege successione* 18.b  
*philodoxia hodie quanta* 489.b  
*philosophia Christiana sectator talione uti non debet* 167.a  
*philosophorum sententia de vera beatitudine quot, & quam uariantes* 80.b  
*philosophis quid obfuerit quo minus inuenire potuerint quae sit uera beatitudo* ibidem.  
*phthiriasi languescens Herodes seipsum gladio transfodit* 34.a  
*phyllaeterion quid* 489.a  
*physices studium commendatur* 156.a  
*Pie affectus pie iudicat* 250.a  
*Pietas in Deum pietatem in parentes praecedit* 338.a  
*pietas in templo exercenda, non impius questus* 460.a  
*pietas summa in negotio Euangelij quae sit* 207.a  
*pietas suspicione uacua* 27.b  
*pietatis affectum pie petentibus Deus non negat* 140.a  
*pietatis officia duo, is qui praesunt in primis obseruanda,*

239.a  
*pietati fugata paratur locus* 31.b  
*Pilatus lauatur manus tanquam innocens* 556.b  
*pilatus quis, ex Iosepho* 558.a  
*pilatus quo animo in Christum,* 561.b  
*pilatus iniquus index* ibidem.  
*pilatus inexcusabilis* 562.a  
*pilatus nouerat Iudaeos odio & liuore prosequi Christum* ibid.  
*pilatus Christum non damnat, sed ceu damnatum ad crucem mittit* 564.a  
*pilatus sibi necem intulit* 564.b  
*pilatus leuis & inconstans* 582.a  
*pilato Christus uinctus traditur* 556.a  
*pilato fatetur se regem Christum* 556.b  
*pilato nulla causa dammandi Christum* 564.a  
*pinnaculum quid* 63.b  
*piscatores cuiusmodi Apostolos suos Christus esse iusserit,* 74.b  
*piscatores, praedicatores* 354.b  
*pisces, homines* ibidem.  
*Pius conscientia bene acta uita laetatur* 178.a  
*pius nihil frustra petit a Deo,* 248.a  
*pio agro corpore quid agendum,* 239.b  
*pij Deo sunt cure* 30.a  
*pij nemini illudunt* 33.a  
*pij quare cum impiis habeant consuetudinem* 230.a  
*pij etiam specie optimi iuris damnantur* 271.a  
*pij, uolucres caeli* 349.a  
*pij nunquam non saturantur, impij nunquam* 367.b  
*pij submergi incipiunt, sed non submerguntur* 370.a  
*pij afflictionibus continentur in officio* 503.a  
*pij quare benedicti patris* 525.a  
*pij propter impios non contemnedi* 531.b  
*pij aliter terrentur, aliter impij,*

584.a  
*piorum in Deum cogitatio quantata* 13.a  
*piorum uita periculis plena,* 30.b  
*piorum & impiorum mors diuersa* 31.a  
*piorum curam angelis suis demandauit Deus* 64.b  
*piorum natura quae* 197.a  
*piorum unicuique studium, & quod* 280.b  
*piorum salus exigit, ut malitiae impiorum obsistatur,* 322.b  
*piorum consolatio* 549.a  
*pius discruciatu mature Deus occurrit* 13.a  
*pius facilis ad fidem ingressus,* 36.b  
*pius nihil obest in morte alienatio aut consternatio mentis,* 249.b  
*pius etiam metuendum a Satana* 335.a  
*pius grauisimum est, in oratione sibi Deum sentire iratum,* 380.b  
*pius & electus etiam caute in pietate ambulandum* 508.b  
*pius & iustos impij a creatione mundi persecuti sunt* 178.b  
*pius & impios inueniet finis mundi* 347.b  
*pius erudit primum Deus, mox impios ferit* 503.a  
*placatus & contritio poenitentiae pars* 299.b  
*plantare in sacris quid* 377.a  
*plantatio patris caelestis quae,* 376.b  
*plantatio quae eradicatur* 372.a  
*plateae proprie quid* 123.b  
*plebs ut seruituti, ita assentioni nata* 563.a  
*pleonasmus quid* 80.a  
*Plinij nepotis testimonium de cationibus Christianorum* 127.a  
*pluuia quam necessaria* 116.a  
*pluuia in sacris quid significet*

116.a  
*pluuiae & serenitatis signa* 387.a  
*Poenae damnatorum duplex, una damni, altera sensus* 182.b  
*poenae a demonibus in hoc seculo formidata, quae* 215.a  
*poenae impiorum non semper accelleranda uel uigenda* 351.b  
*poenae a Iudaeis datae* 336.a  
*poenas dari pro modo scelerum,* 302.b  
*Poenitentia quam necessaria* 41.a  
*poenitentia quid complectatur, ibidem.*  
*poenitentia & crux, uia ad regnum caelorum* 41.b  
*poenitentia ut salutaris sit quid necessarium* 72.b  
*poenitentia pharmacum aduersus peccatum* 233.b  
*poenitentia qualis esse debeat* 301.a  
*poenitentia impiorum quae* 558.a  
*poenitentia Iudae in qua manca & imperfecta* 558.b  
*poenitentia sine fide & fiducia magna carnificina* 559.b  
*poenitentiae fructus legitimi qui,* 48.a  
*poenitentiae genus triplex* 40.b  
*poenitentiae partes* 72.b  
*poenitentiae symbola saccus & cinis* 301.b  
*poenitentiam agere quid* 40.b  
*poenitentiam non esse ueram, nisi restituatur ablatum* 558.a  
*ad Poenitentiam ueram quae necessaria* 48.a  
*poenitentia placatur Deus* 233.b  
*poenitentia omnia peccata deleri,* 278.a  
*poenitentia Iudae, Saulis & Esau, similes* 558.a  
*ποικιλων quid* 27.a  
*Politica quando optima* 135.a  
*polylogiam orando ethnicam damnat Christus* 126.b  
*Pontifices religionis antistites,* 25.b  
*Pontius Pilatus* 530.a  
*populus Dei* 15.b  
*populus Christi saluandus ibidem.*

I N D E X.

*populus Israel ad Ieroboam usque concors & unus* 45.a  
*populus Iudaeorum praecunctis aliis rebellis Spiritui sancto,* 263.b  
*populus Iudaeorum damnauit Christum, quem liberare poterat,* 564.a  
*populi studia semper incerta & mutabilia* 44.a  
*populi Ierosolymitani inconstantia* 563.b  
*populi Iudaici caecitas & obstinatio indomita* 565.a  
*porcus nobis refert hominem suis cupiditatibus seruientem* 169.a  
*porcus pro infideli* ibid.  
*Porphyrus & Iulianus desertores & hostes iuratis. nostrae religionis,* 321.b  
*porta angusta quosnam recipiat,* 177.a  
*portae inferorum quid* 187.a  
*portae inferorum potestas Satanae,* 395.a  
*portae pro auctoritate praesidium,* 395.a  
*possessio rerum in adolescente Ecclesia qualis* 137.b  
*possessionem rerum temporalium Christus non damnat, sed affertum* 265.b  
*possessionibus quando renuntiantur* 439.b  
*possidere, uerbum cordis* 265.b  
*possidere animas suas in patientia, quid* 504.b  
*Potentia Dei dupliciter consideranda* 358.a  
*potentia humana sine praesidio diuino, umbrae est somnium* 360.a  
*potentiam patris & filij unam esse* 305.b  
*potentia Domini terremur, clementia saluamur* 209.a  
*Potestas omnis a Deo* 67.b  
*potestas omnis a Deo, abusus uero potestatis ab impio* 185.a  
*potestas nobis a Deo aduersus Satanam quanta* 213.b  
*potestas nulla non a Deo* 279.b

*potestas quae a Deo est, Deum in suis persequitur* 271.b  
*potestas capiti tradita, num & membris* 225.b  
*potestas remittendi peccata ad sololum Christum quomodo pertinet* 222.b  
*potestas duplex* 258.b  
*potestas Apostolis data, certis limitibus cohibita* 258.b  
*potestas Apostolis demandata in demonas* 259.a  
*potestas Christi quae & quanta,* 305.a  
*potestas & dignatio Christi nobis assidue perpendenda* 224.b  
*potestas data Petro, spiritalis,* 395.b  
*potestas & gloria mundi multis fuit exitio* 400.b. & seq.  
*potestas dispensandi mysteria Dei quibus non datur* 456.a  
*potestatis legitima est arguere arguendos* 487.a  
*potestati aduersariae quare nonnuquam succumbimus* 370.a  
*potestatem suis ad quid Christus dederit* 258.b  
*Præbe illi & alteram, quomodo intelligendum* 109.a  
*Præceptum, Non occides, quid iubet inhibere* 98.a  
*præceptum de adulterio quomodo interpretabantur Pharisei,* 101.a  
*præceptum Christi de inuocando Deum ad quid ualet* 139.b  
*præceptum Christi de fuga persecutionum, non temporale* 276.a  
*præcepta quaedam Christi pro tempore tantum facta* 266.a. & 288.a  
*præcepta Dei omnia pacem spirare* 45.a  
*præcepta Dei in omni aetate obseruanda* 446.a  
*præcepta Dei nos docent, Deo curam esse nostri* 481.b  
*præcepta prioris tabulae obseruata difficiliora* 98.a  
*præcipuorum præcipua cura ha-*



I N D E X.

benda 206.b  
 præconis uerbi diuini munus est, palam reprehendere uitia, 164.b  
 prædicare quid 252.b  
 prædicare regnum cælorum uel Dei quid 264.a  
 prædicare super recta 278.b  
 prædicationis Euangelicæ quis sit finis 301.a  
 prædicationem ueritatis odia acerbiſſe, ciere 364.a  
 prædicationem intempeſtiua prohibet Chriſtus 409.a  
 prædicatione uerbi diuini omnes uocantur ad uitam æternam, 446.b  
 prædicator qualis eſſe debeat 91.a 270.a  
 prædicator quando uehemens eſſe poſſit 91.a  
 prædicator idoneus quis 252.b  
 prædicatoris & eccleſiaſticæ officium 114.a  
 prædicatoris neglecti doctrina manca 258.a  
 prædicatori nihil ex affectu carnis agendum 46.a  
 prædicatorem & doctorem agere, quam ſit arduum 90.b  
 prædicatores quorſum inſtituit Chriſtus 80.a  
 prædicatores quomodo piſcatores, 354.b  
 prædicatores Euangelij Domino in primis curæ 505.a  
 prædicatorum officia quæ 456.b  
 prædicatorum ſalem horret mundus 90.b  
 prædicatoribus piis unde tam rarum auditorium 44.b  
 prædicatoribus uerbi omni fide & diligentia hominum ſalus quaerenda 169.b  
 prædictiones & ſermones Dei habere ludibrio deploratiſſimum eſt 555.a  
 prælati Eccleſiæ ſerui inferiorum 451.a  
 premium Deo obſequentium, 337.b  
 premium fidelis ſerui immenſum, 515.b  
 premia in alio ſeculo diuerſiſſima 352.a  
 præparatio animi in ſuſtinendis iniuriis neceſſaria 109.a  
 præſidiis humanis Deum non egere 36.b  
 præcari & poſcere neceſſaria quare iubemur 159.b  
 præcatio tempore calamitatis, 208.b  
 præces multorum charitate coniunctorum nunquam caſſæ, 126.a  
 præces ritè factæ nunquam uanæ aut caſſæ 545.a  
 præces cur aut non exaudiat Deus, aut exauditionem aliquandiu differat 189.b  
 præces Chriſti 403.b  
 præces Eccleſiæ per Dominum Ieſum 130.a  
 præces priuatae liberrimæ ibid.  
 præces publicæ inſtitutæ in eccleſiâ à maioribus 129.b. & ſeq.  
 præcibus ieiunij & opinionem ſanctimoniam Phariſæi captabant, 234.a  
 pretium ſanguinis & ſcorti abominatur Deus 559.b  
 primogenitus quid 18.a  
 primores 12. tribuum ex Iacob 5.a  
 principatus quidam inter demonas 251.a  
 principis filia mortua ſuſcitatur, 220.a  
 principem ſynagogæ credere Chriſto, magnum quidpiam & nouum 237.b  
 principes Sacerdotum 25.b  
 principes qua in re magnificos & lautos eſſe oporteat 294.a  
 principes & magiſtratus Chriſtiani neceſſarij 450.b  
 principum Iudeorum furor in Ieſum 549.b  
 principibus Sacerdotum in primis reſurrectio Chriſti nuntiatur, 586.b  
 primum, uox dignitatis, non ordi-

nis 160.b  
 Priſcillianiſte 23.a  
 priuatis aliter loquendum, aliter publico munere fungentibus, 46.a  
 probatio à ſimili, quod totus Chriſtus ſub ſpecie panis ſit 536.b  
 probis & iuſtis ferè omnia aduerſa in hoc mundo 84.b  
 probitas ſemper ſimplex & timida, 534.a  
 proceſſiones ſue ſupplicationes ad quid inſtitutæ 315.a  
 Proclus epiſcopus 18.a  
 procum adhuc agens ſponſus & uir dicitur 9.a  
 procuratoris nomine quis intelligatur 445.a  
 prodigia 508.b  
 profundum maris pro certo exitio 420.a  
 prognosæ, & prognosici libelli, 387.b  
 prognosæ & prædicatores ultimi iudicij errare 512.b  
 prognositorum abusus 23.a  
 promiſſa Dei longè nunc alia quam olim 41.a  
 promiſſio Adamo facta 1.a  
 promiſſio Adæ de Meſſia 4.a  
 Dauidi ibid.  
 promiſſio facta Abraham 1.a  
 Dauidi ibid.  
 promiſſio facta alentibus pauperes 452.b  
 promiſſionis Abraham factæ uerbum 5.a  
 promiſſiones euangelicæ 227.a  
 promiſſionibus Dei fidendum, 445.a  
 promiſſiones de uictu & amictu exhibendo Chriſtus conſignauit 161.b  
 Procemium prædicationis Chriſti 72.a  
 Prophetæ officij nomen 294.a  
 prophetæ bonus inſtar eſt arboris bonæ, malus malæ 181.b  
 prophetæ pro doctore & interprete ſacrarum literarum 184.b  
 prophetæ officium ibidem.

I N D E X.

prophetæ & Euangelistæ conciliatio 37.b  
 prophetæ pij & uitis comparatio pulchra 181.a  
 prophetæ unius nomen pro altero in Euangelij ſuppoſitum 560.b  
 prophetam recipere ut prophetam, quid 286.b  
 prophetæ miſi ad recipiendum fructum uinæ 467.a  
 prophetæ Iudeorum pluriſ habiti apud Gentes quam apud Iudeos 357.b  
 prophetarum cædes per Iudeos, 286.b  
 prophetis ſapientia laus potiſſimum data ſimul & prudentiæ 294.a  
 prophetas ſuos uariis modis inceſſerunt Iudei 90.a  
 prophetas & uita & afflictione referre Chriſtianorum eſt ibid.  
 prophetas & iuſtos ſuos etiam Ethnicum habuit 344.b  
 prophetare quid 184.a  
 prophetare & miracula facere etiâ impij poſſunt, et quare ibid.  
 Prophetia quid 16.a  
 prophetia triplex ibid.  
 prophetia an reddat hominem meliorem & Deo gratiore 184.b  
 prophetia, & edendi miracula poſteſtas, ſunt gratiæ gratis datæ, 185.a  
 prophetia Iſaiæ in obſtinatos & ingratos frequenter in nouo teſtamento citata 342.b  
 prophetiæ de Chriſto ſenſus 27.a  
 prophetiæ certitudo 34.a  
 propria Dei 326.b  
 proprietates rerum ac uſus à Chriſto non prohibentur 439.a  
 Proſelytus quid 492.b  
 proſelyti Iudeorum quales ibid.  
 Proſopopœia 156.a  
 proſpicientia Dei mira cum pari comuncta poteſtate 63.a  
 prouerbia uulgaria à Chriſto libenter uſurpata 325.a  
 prouidentia Dei generalis in omnes creaturas, ſingularis erga hominem 156.a  
 prouidentia Dei aduerſus theſaurarios 148.b  
 prouidentia Dei quanta erga omnia etiam minutiffima 280.a  
 prouidentia & bonitas Dei in erogandis donis ſuis 520.a  
 prouidentia Patris ſuper filij indigniſſi, iniuriis 554.b  
 prouidentia Chriſti 217.a  
 prouidentia Dei argumeta 155.a  
 prouidentia Dei erga nos non fide, facinus pudendum, 156.a  
 proximus quis 111.b  
 proximo qui non ignoſcit an rectè oret orationem Dominicam, 140.a  
 proximus quiſque quomodo trahit 165.a  
 proximum quomodo diligamus nos omnes noſſe uoluit Dominus 112.a  
 prudens quiſit cõcionator & qui uis Chriſtianus 269.a  
 prudentes & ſimplices 253.b  
 prudentia à ſerpentibus diſcenda, 269.b  
 prudentia humanæ ſapientiæ ſtultitia 303.b  
 prudentia ſpiritus etiam iactura corporis anima ſalutem retinet 421.b  
 prudentia & conſilio quali & quando opus eſt in negotio euangelico 246.b  
 Pſalmorum autor ſpiritus ſanctus 484.b  
 Pſeudochriſti & Antichriſti, 500.  
 Pſeudochriſti ſimij Chriſti 508.a  
 Pſeudochriſtiani nihil aliud quam ſeditioſi 87.a  
 Pſeudopropheta quales 180.b  
 Pſeudopropheta qui 508.a  
 Pſeudopropheta quomodo ſpinis et tribulis ſimiles 181.a  
 Pſeudopropheta ſeipſos ingerunt ad prædicandum uerbum 179.a  
 Pſeudoprophetarum natura & ingenium 179.a  
 Pſeudopropheta cur permittit

Deus populum decipere 179.a  
 Pſeudopropheta & falſos paſtores quomodo cognoſcere poſſis, 181.b  
 Pſeudopropheta quibus nominibus ornat Paulus 503.b  
 Pſeudopropheta quid 63.b  
 Publicani qui 229.b  
 publicani in ſacris qui 116.b  
 publicani quare Iudeis & hodie uulgo miſi 229.b  
 publicani & peccatores non iidem ibidem.  
 publicani & meretrices 455.a  
 publicanorum ordo iandudum honeſtiſſimus 116.b  
 puer quibus uirtutibus donatur in baptiſmo 436.a  
 pueri à baptiſmo non reiiciendi, ibidem.  
 pueri proſpera Chriſto opætes 455.a  
 puerorum mores & ſtudia 419.a  
 pueris Chriſtus delectatus eſt, ibidem.  
 pueri luſitare & cantillare ubique ſolenne 299.b  
 Purgatorio & locum eſſe & tempus in alio ſeculo 327.a  
 Pythones qui 21.a  
 Pyttaci ſapientis cõſilium 299.b

2

Quadrageſimæ ieiunium 57.a  
 quadragenarij numeri myſterium 59.a  
 quadrans quid 100.b  
 quadrans nouiſſi, pœna æterna, ibidem.  
 querere animam alicuius 35.b  
 querere quid manducemus, quomodo uetitum 159.a  
 querere, uerbum ſtudij 160.a  
 querere regnum Dei, reſpondere uocationi ibidem.  
 querere pro proficere & ad perfectionem feſtinare 160.b  
 querit, petit, et pulſat, qui aſſidue, & in fide Deum orat 171.a  
 quæſtiuncula & curæ inanes ac ridicula Phariſæorum 484.a



I N D E X.

quæstuarij beneficia Dei auctio-  
nantur & uendunt 265.a  
quatuor genera sanatorij à Chri-  
sto 249.a  
quatuor in cruce Christi nobis imi-  
tanda 399.b  
quies conscientia quomodo pa-  
randa 307.a.b  
quies nonnulla & cessatio neces-  
saria pijs 365.b  
quomodo semper orandum 130.b  
quotidianum quid Græcis 137.b

R

Rabbi quid 490.b  
Racha quid 98.b  
Rachel uia Ephraim 34.b  
rachel filij abducti ibid.  
rachelis nomine quid intelligitur,  
ibid.  
radicem non habere quid 346.a  
Rahab cur nominatim genealo-  
giae Christi inscribitur 6.a  
rahab unde dicta meretrix ibid.  
rahab Cananæa ibid.  
Rama Hebreis quid 34.b  
ratio & spiritus hominē à bestiis  
secernunt 544.a  
ratio cogendorum conciliorum,  
551.a  
ratio humana cum prædicatione  
penitentia pugnant 242.b  
ratio humana quàm cacutiatur in  
rebus diuinis 385.a  
ratio humana in negotio euange-  
lico caeca 244.b  
ratio humana & fiducia in Chri-  
stum ex diametro contraria,  
366.b  
ratio humana & fides opposita,  
244.b  
rationis humanae temeritas 21.a  
rationis humanae argumenta se-  
cundum Deum utilia 242.a  
rationis humanae & carnis inge-  
nium 453.a  
rationis usum sibi sub mortem ad-  
emptum iri metuentibus expē-  
denda 249.b  
rationem fidei poscentibus quando

respondendum 552.b  
rationes uariae propter quas Deus  
non exaudit clamantem 189.b  
rationes prædicandi diuersæ,  
301.a  
recipere quid 286.a  
recipere Euangelistam 254.a  
reconciliatio 78.b.252.a  
reconciliationis fraternæ ordo,  
99.b  
reconciliationis nostræ erga Deum  
explicatio 319.a  
recreare et reficere præcipuus Euā-  
gelij effectus 306.b  
redemptionis nostræ uia, non alia  
quàm crux 397.a  
reficere quid 306.b  
regeneratio duplex 441.b  
Regina Saba quæ, & unde 333.b  
regioni cuique uernaculus mos &  
sonus in uoce edenda 555.b  
regnare, Dei proprium 143.a  
Regnum Dei, quid 264.a.483.b.  
511.a  
regnum Dei quod cupimus adue-  
nire quodnam sit 133.a  
regnum Dei, fides & Euange-  
lium 133.b  
regni Dei querere quid 160.a.b  
regnum Dei querendum, & ip-  
sius iustitia 121.a  
regnum Dei ingens thesaurus,  
160.a  
regnum Dei scopus & finis om-  
nium nostrarum actionum,  
160.b  
regnum Dei est, cum regnat Deus  
161.a  
regnum Dei annunciare omnium  
non est 206.b  
regnum Dei prædicare, quid,  
252.a  
regnum Dei etiam quæ uidentur  
impugnare adiuuant 264.b  
regnum Dei pijs quando reuela-  
bitur 264.b  
regnum Dei pro negotio euange-  
lico 296.a  
regnum Dei uenisse quid 324.a  
regnum Dei pro transfiguratione  
402.a

regnum Christi non huius seculi,  
219.a  
regnum Christi cælestis & spiri-  
tuale 252.a  
regnum Christi duobus modis ma-  
nifestum 264.b  
regnum Christi quidnam est,  
324.a  
regnum Christi quinam putent  
esse mundi huius 418.b  
regnum Christi fore mundanum  
& temporarium Apostoli exci-  
stimarunt 447.a  
regnum Christi diuersum à regno  
mundi 449.b  
regnum Christi etiam in medio ini-  
micorum floret 570.b  
regnum Christi in terra, uerbi præ-  
dicatio 589.a  
regnum cælorum 353.b.355.b  
regnum cælorum quid 41.a  
regnum cælorum multa significat  
in sacris literis ibid.  
regnum cælorum pro scriptura sa-  
cra, seu pro uerbo Dei, &c.  
41.b  
regnum cælorum quomodo paupe-  
rum spiritus sit 82.a  
regnum cælorum uiolenti possi-  
dent 297.a  
regnum cælorum uim pati, quid  
297.a.b  
regnum cælorum non emit, qui nõ  
nouit 353.a  
regnum cælorum pro toto negotio  
euangelico 347.b.348.a  
regnum cælorum ex paruis mitis  
mirabiliter creuit 348.a  
regnum cælorum comparari the-  
sauro, iucundissimum 352.b  
regnum cælorum uerè thesaurus,  
ibid.  
regnum cælorum pro futuro se-  
culo 418.a  
regnum cælorum quibus promissum  
436.a  
regnum cælorum pro Ecclesia,  
444.a  
regnum cælorum quibus datur,  
448.b. & seq.  
regnum cælorum quomodo para-

tum electis 525.b  
regnum diuisum 309.b  
regnum glorie 133.b  
regnum gratia 133.a  
regnum Herodis in quatuor tetra-  
chis diuisum 40.a  
regnum Messia internum & spi-  
rituale 269.a  
regnum mundi quid 66.b  
regni Dei aduentum quare postu-  
lamus 134.a  
regni Christi maiestas 51.a  
regni Christi scopus præcipuus quis  
164.a  
regno Dei quid significetur in ora-  
tione Dominica 133.b  
regno cælorum quid intelligatur,  
183.b  
regno cælorum quos donabit Chri-  
stus 184.a  
regnorum mundi & omnium re-  
rum mutatio quanta 390.a  
regula ueri Christiani 88.a  
regula theologica de particulis ex-  
clusiuis in diuinis personis,  
305.a  
regula ac forma baptismi 590.a  
regula ab Ioanne & Paulo tradi-  
ta 180.b  
Reipublicæ prospiciendi qui 257.a  
Religio uera in quo consistat 375.b  
religio Christiana quare ab infi-  
delibus contemnitur 169.b  
religionis Christiana contemptus  
unde ibid.  
religionem Dei sub lege quinam  
euerterunt 45.a  
religionem corruptam quæ sequan-  
tur ibidem  
religione Christiana nulla amplior  
aut latior 348.b  
relinquere omnia & Christum se-  
qui 431.a  
relinquere aliquid propter Christum,  
quid 442.b  
remedia aduersus peccatum 329.b  
remissio alienæ noxæ Deo nos si-  
miles facit 144.b  
remissio peccatorum 528.a  
remissio peccatorum per Christum  
219.b

I N D E X.

remissio peccatorum facticitus Chri-  
stiani 222.b  
remissio peccatorum & salus ani-  
mæ sine conditione petenda sunt  
192.b  
remissio peccatorum nulla post  
hanc uitam 224.b  
ad remissionem peccatorum neces-  
saria 558.b  
remittere, uerbum, quid indicet,  
223.b  
remora ab obseruatione mandati  
Dei 32.b  
reprehensio quid à condemnatione  
differat 166.b  
reprobos & malignantium na-  
tura 357.a  
reprobis inuisa ueritas 327.a  
reprobos Deus non nouit, quorum  
opera non approbat 186.a  
res non pro locis, sed loca pro rebus  
metienda 29.a  
res spirituales è caelo esse 464.b  
res quæpiam quomodo nostræ,  
220.b  
res uti merentur appellatæ 389.a  
rerum naturalium scientia quan-  
tum inuenit 270.a  
rerum exterarum cõtemptum suis  
præcipue imperat Christus,  
288.a  
rebus humanis collabentibus ad  
cælestes preparamur 40.a  
resipiscencia quando uera 47.b  
resipiscencia non differenda 510.a  
respondere, in Euangelio, quid  
303.a  
resurgentes cum Christo, tertio die,  
immortales ex eo facti 577.b  
resurrectio 471.b.557.a  
resurrectio impijs formidabilis,  
pijs uerò iucunda 584.a  
resurrectio Christi omnium signo-  
rum maximum 332.a  
resurrectio Christi, regnum Dei,  
537.b  
resurrectio corporum futura,  
480.b  
resurrectio corporum ex multis scri-  
ptura locis probabilis 481.a  
resurrectio mortuorum unde di-

scenda 480.a  
resurrectio mortuorum angelorum  
ministerio perficienda 510.b  
Resurrectionis Christi fructus,  
584.b  
resurrectionis opus quàm admi-  
rabile 583.b  
resurrectionis signum Ionas 310.a  
resurrectionis uaria efficacia,  
584.a  
resurrectionem mortuorum ratio  
humana non potest credere,  
244.b  
resurrectione Christi nihil latius  
pijs 585.b  
resurrexisset plus fuit Christo,  
quàm si de cruce descendisset,  
572.b  
retaliatio mali quid 107.b  
rete pro ui & energia Euange-  
lij 74.b  
retractatio Augustini de petra  
expositione 394.b  
reuelatio natiuitatis Christi 20.a  
reuelatio per uerbum 305.b  
reuelatio filiorum Dei 355.a  
reuerentia præcepto debita 17.b  
Rex Ecclesie Christus 410.a  
rex & Regis filius Christus 416.a  
regis nati nomen Herodi odiosum  
27.b  
regis munia, quæ & obiit Chri-  
stus 391.b  
regis impij & ministri impij,  
363.a  
rege impio regnante quid expe-  
ctandum 8.a  
reges à Matthæo omisi in Christi  
genealogia quot & qui 7.a  
reges nati & creati 22.b  
ritus Indæorum & Romanorum  
in nuptiis 517.b  
rixa & inimicitia unde 109.a  
Roboam Iudæ Rex, malus 7.a  
robur Ecclesie inexpugnabile,  
395.a  
rogari cur uelit Deus 128.a  
Romani securis fuere Indæis 49.a  
Romanis uectigales provincie,  
477.a  
Ruina & morbi in nos ab Ada-



I N D E X.

mo, 3.a  
 Ruth ethnica ecclesiam ex Gen-  
 tibus adumbrat 6.a  
 Ruth ethnica cui uxor Booz 6.a

S

Sabbatum quid 310.b. 314.a  
 sabbathū bona religionis Iudaica  
 pars 310.b  
 sabbatum secundo-primū, &  
 primo-secundum ibid.  
 sabbatum quā religioſum Iu-  
 daeis 311.b  
 sabbatum propter hominem insti-  
 tutum 313.b  
 sabbatum sanctificare quid,  
 314.a  
 sabbatum duplex 314.b  
 sabbatum iuge & euangelicum  
 à Christo introductum 315.a  
 sabbatum audiendo uerbo Dei  
 præcipue consecratum 315.b  
 sabbathi obseruandi ratio 145.a  
 sabbathi instituti ratio 313.b  
 sabbathi religione quatuor com-  
 prehensa 314.b  
 sabbathi dies mutatus Dominico  
 315.a  
 sabbatho fraudes texunt Pharisei  
 581.a  
 Sadducei qui, & quid sentiebant,  
 478.a  
 sadducei Phariseis aduersi 45.b  
 sadduceorum placita ibid.  
 sacerdos, angelus 294.b  
 sacerdotis partes, quas & Chri-  
 stus impleuit 391.b  
 sacerdotes debet laicis antequam uir-  
 tute 466.a  
 sacerdotum detestanda hypocrisis,  
 559.b  
 sacerdotū præpostera religio 560.a  
 sacerdotum uersuta interrogatio,  
 463.b  
 sacerdotum auaritiā quomodo  
 Christus detexit 460.b  
 sacerdotium legis naturæ mutatum  
 in Iacob 5.a  
 sacra scriptura hæretici abutum-  
 tur in sui & auditorum perni-  
 ciem, 180.a  
 sacris literis permittitur uti inſtis  
 tum pharmacis tum pactis,  
 III.a  
 sacras literas esse uerbum Dei,  
 408.a  
 sacra Eleusina 169.a  
 sacramentum sumpturo quid opus  
 535.b  
 sacramentum adultis tantum por-  
 rigendum ibid.  
 sacramenti uirtus num ex digni-  
 tate ministri pendeat 261.b  
 in sacramento uerum esse Christi  
 & corpus & sanguinem 536.a  
 sacramenta nostra maximi nobis  
 pendenda 52.b  
 sacramenta Ecclesiæ et secretissi-  
 ma fidei arcana nomine marga-  
 riti intelliguntur 168.b  
 sacramentorum usus non contem-  
 nendus 139.b  
 sacramentorum ualorem ministro-  
 rum malicia non minuit 185.a  
 in sacramentorum susceptione offi-  
 cium spectandum est, non per-  
 sona 185.b  
 sacrificium sale conditum quid si-  
 gnificet 91.a  
 sacrificium, uox multifaria sum-  
 pta in scripturis sacris 232.b  
 sacrificium crucis ibid.  
 sacrificium iustitiæ ibid.  
 sacrificium laudis 232.b. 248.b  
 sacrificia cur Deus uel exigat uel  
 reiciat 253.a  
 Sage & incantatrices, organa  
 Diaboli 214.b  
 sarena quid 354.b  
 sarena pro Ecclesia & uerbo Dei  
 354.b  
 sarena euangelica contrahit homi-  
 nes omne genus 355.a  
 sal sterilitatem adfert 91.a  
 sal in doctoribus quomodo fit fa-  
 tuus aut uanus ibid.  
 salis fatui instar habent, qui uoca-  
 tionem sui deferunt 91.b  
 sale fatuo facto mirum in modum  
 mundus oblectatur ibid.  
 Salathiel filij in exilio geniti 8.b

Salmon qui & Salma 5.b  
 Salomon ex Bethsaba legitimus,  
 6. b  
 Salomon magiæ gnarus 21.a  
 Salomonis peccatum ultimum 7.a  
 salomonis proles quando defecit,  
 18. b  
 saltationes spurca & lasciuæ,  
 362. b  
 saluari est potestatis diuinæ,  
 431.a  
 saluatorem Iudæi qualem expe-  
 ctabant 508.a  
 saluatores externi 484.a  
 salubritas corporis non ilico totæ  
 redit 413.b  
 salus quid 15.b  
 salus non carnalis, sed à peccatis  
 spiritualis ibid.  
 salus uera Dei solius est 16.b  
 salutis per Christum collatæ me-  
 rhodus 15.b  
 salutis suæ obliui ad Christum addu-  
 cendi 249.b  
 saluatio pacis & beneuolentiæ  
 symbolum 117.a  
 saluatio Euangelist. quæ 267.b  
 saluatio proximi uox cœlestis,  
 490. b  
 saluum esse, quid 275.b  
 Samson Nazareus in multis ty-  
 pus Christi 37. a  
 sanabilis quis 44.a  
 sanatorum à Christo genera qua-  
 tuor 249.a  
 sanctificari uerbo quid continea-  
 tur in oratione Dominica,  
 132.b  
 sanctum quid 168.b  
 sanctum & margarita pro eodem  
 169. a  
 sanctum in rebus inanibus quid,  
 493. a  
 sancti plerique inimicos suos deno-  
 uerunt & execrati sunt, &  
 quomodo 113.b  
 sancti iram aliquando passi 120.b  
 sancti, qui in cœlis sunt, an orent  
 pro nobis 381.a  
 sancti quo animo signa à Deo pe-  
 tierint, quo impij 386.b  
 sanctorum

I N D E X.

sanctorum intercessio 130.a  
 sanctorum nomina indi & diebus  
 festis & infantibus laudabile  
 259. b  
 sanctorum fors in hoc seculo,  
 351. b  
 sanctorum modestia & timor,  
 518. b  
 sanctos qui ueneratur & orat, an  
 Deum colat 68.b  
 sandalia siue calceamenta mysticè  
 quid 287.b  
 Sanguis Christi, sigillum noui te-  
 stamenti 537.a  
 sanguis Christi quā salutaris no-  
 bis 565.a  
 sanguis Iesu Christi quante uirtu-  
 tis 569.a  
 sanguinem uenire super aliquem,  
 quid ibid.  
 sanguine Christi constat omnis  
 redemptio ac remissio 537.a  
 sani & male habentes, qui 231.a  
 sapere quæ Dei sunt, & quæ ho-  
 minum, quid 398.a  
 sapientis est tacere pro tempore,  
 553. a  
 sapientia Deo fieri quomodo pos-  
 simus 246.b  
 sapientes & potentes seculi quan-  
 do Euangelij, consortes fiunt,  
 304. b  
 sapientibus mundi nihil cum Euā-  
 gelio 303. b  
 sapientia mundi est, malum malo  
 repellere 107. b  
 sapientia uera quæ 187. a. 303. b  
 sapientia duplex 303. b. & seq.  
 sapientia filij, credentes 300. b  
 sapientia humana stolidum iudi-  
 cium 357. a  
 Sara quare sic dicta 260. a  
 sarcasmos quid 61. a  
 Satan extollit ut præcipitet,  
 64. a  
 Satan permittente Deo, contra nos  
 potentissimus 67. b  
 Satan inter filios Dei non uidit  
 Deum 120. b  
 Satan omnia rapit in occasione  
 tentandi 140. a

Satan & uenter quomodo Dij,  
 154. a  
 Satan quod non potest in Christū,  
 in Christianos molitur & ex-  
 ercet 274. b  
 Satan angelum lucis mentitur,  
 476. a  
 Satanus dissidiorum, Deus concor-  
 dia autor 45. a  
 Satanus qui potest aut audet Deum  
 tentare 57. b  
 Satanus quomodo tentat 58. a  
 Satanus nunquam fessus tentando  
 63. a  
 Satanus neminem cogit sese perdere  
 64. a  
 Satanus Christum tentat sceleribus  
 omne genus 66. a  
 Satanus in omnia se uertit, ut tan-  
 dem uincat 66. b  
 Satanus quomodo princeps et Deus  
 huius seculi 67. a  
 Satanus quibus faueat ibid.  
 Satanus princeps mundi 67. a  
 Satanus hominis uicti potestatem  
 occupauit ibid.  
 Satanus Satanæque serui Deo sub-  
 diti 67. b  
 Satanus quid 68. a  
 Satanus qua arte pellendus ibid.  
 Satanus qualis nobis hostis 140. b  
 334. b  
 Satanus cur cæcitate mundo im-  
 mittat 271. b  
 Satanus primò captat magistratus  
 & potentatus ibid.  
 Satanus, malignus interpret,  
 229. a  
 Satanus maximè omnium uerita-  
 tem odit 271. b  
 Satanus potens, at non omnipotens  
 212. b  
 Satanus num metendus 215. a  
 Satanus perſentiscit Christi domi-  
 nationi subditum se esse,  
 217. a  
 Satanus nihil potest præter nutum  
 Dei 212. b  
 Satanus suos continenter in seruos  
 Christi impellit 270. b  
 Satanus uexare potest, perdere non  
 potest nisi uolentes 213. a  
 Satanus hostis quantus 334. b  
 Satanus fortis forti animo repellen-  
 dus 335. b  
 Satanus quare spiritus immundus,  
 334. b  
 Satanus nostro torpore & tepore  
 fortis est 324. a  
 Satanus semper inſomnis 334. b  
 Satanus quid operetur in supinis  
 auditoribus uerbi Dei 345. a  
 Satanus nihil potest inuito uictore  
 Christo 324. a  
 Satanus quomodo euicitur 334. b  
 Satanus fortis tyrannus 324. a  
 Satanus non uincitur neque expel-  
 litur alia, quā diuina uirtute  
 323. b  
 Satanus iam iam superandus, mirè  
 furit 412. b  
 Satanus hodie quoque renouat ue-  
 teres suas in Christum blasphemias  
 572. b  
 Satanæ astutia 229. a. 351. a  
 Satanæ uasrum commentum ad-  
 uersus Christum 60. a  
 Satanæ fines ad tentandum circū-  
 scripti 212. b  
 Satanæ in concinnandis fraudibus  
 industria 274. a  
 Satanæ fraudibus & astu quinam  
 pereunt 213. a  
 Satanæ quotidiani in nos impetus  
 69. a  
 Satanæ infirmitas quanta 215. a  
 Satanæ ingenium & molimen ad-  
 uersum nos 28. a. 249. a  
 Satanæ misanthropia 320. a  
 Satanæ odium in regnum Christi  
 quantum 274. b  
 Satanæ mirum odium in Christum  
 532. a  
 Satanæ pollicitationes magnifica  
 66. b  
 Satanæ præstigiæ ac doli graphice  
 depicti 212. a  
 Satanæ regnum, magnum & forte  
 323. b  
 Satanæ insanum studium ad per-  
 dendum 412. b  
 Satanæ malignum erga homi-  
 nium



INDEX.

sinistra & dextra pro bono malo-  
que scopo 124.a  
sitis post vulnera & sanguinem  
exhaustum 575.a  
sobrietas ieiunium quoddam est,  
145.b  
sobrietas Christi rara 462.b  
societas aut amicitia nusquam sin-  
cera 531.b  
Socratis demonium 300.a  
socrus Petri sanatur 190.a  
Sodomitæ quibus peccatis merue-  
rint tantum excidium 302.b  
sodomitarum peccata 268.a. eo-  
rum internecio ibid.  
sodomitis peiores Capharnaïtæ,  
302. b  
Sol Dei proprius est, noster autem  
commodato 115.b  
Sol & Luna quomodo occidente  
mundo obscurabuntur 509.a  
solis usus 23.a.b  
solis fulgori gloria cælorum similis  
352. b  
solis defectio in obitu Christi præ-  
ter & contra naturam 574.a  
sole & pluvia quid iuuamur &  
admonemur 115.a  
sole & pluvia contineri quatuor  
qualitates 116.a  
Soli natalis amornatura insitus u-  
nicuique 356.a  
solidum nihil aut stabile, nisi à  
Deo 377.a  
solicitude de uictu & uestitu tol-  
lenda 121.a  
solicitude de uictu prohibetur, non  
labor 136.b  
solicitude affectus index 154.b  
solicitude charitatis fœtus 154.b  
solicitude quadam necessaria,  
154. b  
solicitude habendi & congerendi  
incredulos arguit 155.a  
solicitude & nimia cura uictus  
futuri, quare iniuisa nobis esse  
debet 159.a  
solicitude uocationi necessaria à  
Sapiente commendatur 163. a  
solicitude prohibita, quæ ibid.  
solicitude seculi & diuitiæ suffo-

cant uerbum 338.b  
solicitudinem rerum damnat Chri-  
stus, non res ipsas 265.b  
solicitudine nostra nihil efficitur  
159.b  
solicutum esse, & laborare, diuer-  
sa: alterum uetutum, alterum  
preceptum, 154.b  
soluere quid 95.a. 396.a  
somnia physica 13.a. supernatura-  
lia 13. b  
somnia examinanda ibid.  
somnia non omnia uana aut con-  
temnenda 562. b  
somnia quinque genera 30. b  
somnia scopus obseruandus,  
13. b  
somnia interpretet an certi,  
ibid.  
somnia, augurii & portētis anti-  
qui deditissimi 562.a  
somnia & supinitas humana  
543. b  
somnia Christi quid 207. b  
somnia & uigilia unde ac quo-  
modo fiant 514.a  
somnia plectendi 140. b  
somnia nostra atque adeo tenacitas  
notantur 115. b  
somnia nocturna 368. b  
somnia hypocritæ quasi aura enanida  
123. b  
somnia ex desperatione 242. b  
somnia carnalis euentus 579. a  
somnia aut pretextu boni nihil unquam  
mali faciendum 587. b  
somnia spiculator 364. b  
somnia, sollicitudo seculi 346. b  
somnia spiritualis Dei cultus quis 118. b  
somnia spiritualia quæ uentis, corporalia,  
ueluti corolla, adduntur 161. b  
somnia spiritus sanctus in uterum Virgi-  
nis illapsus 12. a  
somnia spiritus sanctus ignis est 50. b  
somnia spiritus & ignis, uocule, spiritua-  
liter intelligi debent ibid.  
somnia spiritus sanctus quare in forma co-  
lumbæ 53. b  
somnia spiritus sanctus quomodo duplici-  
ter missus dicitur 54. a  
somnia spiritus sanctus arcanus piorum

consolator 84. a  
spiritus sanctus implorandus,  
90. b  
spiritus sanctus per concionatores  
arguit mundum 113. b  
spiritus sanctus nequit, quin liberè  
arguat 121. b  
spiritus sanctus non sinit hospites  
suos, desides esse 273. a  
spiritus sanctus unus modestiam  
docet 294. a  
spiritus sanctus indicat mundum,  
300. b  
spiritus sanctus aduersus omnes  
calamitates præsto est 307. b  
spiritus sanctus autor psalmorum,  
484. b  
spiritus Hebræis pro motu & in-  
clinatione animi 81. a  
spiritus alacritatis 544. a  
spiritus promptioris cum pueri in-  
genio comparatio 544. b  
spiritus sancti appellationes diuer-  
se 50. b  
spiritus sancti consuetudo 31. a  
spiritus sancti energia in nobis,  
50. b  
spiritus sancti nomen etiam tribus  
personis conuenit 326. b  
spiritus sancti officium quod 272.  
b. 326. b  
spiritus sancti auxilio quisque in-  
diget, alius aliter 175. a  
spiritum sanctum non esse patrem  
Christi 14. b  
spiritum sanctum negligit qui sa-  
cras literas non colit 273. a  
spiritum sanctum bonam spem in  
nobis fouere 273. b  
spiritu ducimur ad Christum, ut  
magi stella 24. a  
spiritu quem dedit & misit Chri-  
stus indigebat lex, ut implere-  
tur 95. b  
spiritu Dei præditi rectè soli de  
Euangelio sentiunt 320. b  
spiritu ad plenum imbuti Apo-  
stoli, omnia sua abiecerunt,  
227. b  
spiritus mali quare ultrò compel-  
labant Christum 214. a

INDEX.

spiritus quare immundi 259. a  
spiritus suorum Christus patri com-  
misit in manus 575. b  
sponsus Ecclesiæ Christus 472. a  
sponsus Christus nunquam à spon-  
sa Ecclesia abest 236. a  
stater & siclus eiusdem ualoris,  
415. b  
statua Christo ab hæmorrhœusa  
posita 242. a  
status atque habitus corporis in o-  
rando quis 130. b  
statum futuri seculi ab mortali ca-  
pi non posse 480. a  
stella dux Magorum 22. b  
stella Magorum qualis ibid.  
stella Magorum quidnam fuerit,  
24. a  
stella Magorum Christo famulata  
23. b. 24. a  
stella Magorum quomodo à cœ-  
lestibus dispar 24. a  
stella Magorum cur Hierosoly-  
mis disparuit 28. b  
stella biennio uisa ante Magorum  
aduentum 33. b  
stella Magorum differentia ab  
aliis 28. b  
stellarum obseruatio 22. b  
Stroica apathia 243. a. b  
strabus quis 422. a  
strages Iudæorum multe 501. b  
strages Iudæorum quantæ 505. b  
studium populi erga Christum,  
366. a  
studium iustitiæ quàm preciosum,  
508. a  
studio sacrarum literarum erudi-  
untur pij ad resistendum aduer-  
sarius 273. b  
studia Christi & Satanae ex dia-  
metro pugnantia 251. a  
studia quarundam gentium pro-  
pria 362. b  
studia huius mundi ed excreuisse,  
ut immutari ea necesse sit,  
513. a  
stultitia uera quæ 187. b  
stupor hominum post miracula  
Christi 245. b  
subiectos parere prelati, Dei ma-

datum 477. a  
subannationes & contumeliæ in-  
ter poenas peccatorum 554. b  
subsidia externa non expectanda  
audienti uerbum 36. b  
successus Euangelij similis arborum  
ramis 349. a  
suggestum eccui liceat ascendere,  
79. a  
summa eorum quæ Christus Apo-  
stolis mandauit 263. a  
summa Euangelij, remissio omnium  
peccatorum 326. b. 353. a  
summa totius Euangelij uerbo  
Christi rediuiui, Aucte, com-  
prehensa 585. b  
summa legis & prophetarum 118. b  
summa scripture sacræ 163. b  
superiorum nimia indulgentia per-  
niciosa subditis 487. b  
superstitio hodie quanta 494. a  
superstitiosuli, grauius fortiter con-  
temnentes, leuium curiosissimi  
sunt 206. a  
supplicatio cum ieiunio 146. a  
supplicationes quando indicantur  
130. a  
supplicium patienter ferentes qui  
fiant beati 89. a  
supputatio temporis quo accusa-  
tus, damnatus & crucifixus  
est Christus 574. a  
surdus Deo qui 291. b  
sus animal spurciss. & quoad ui-  
uit nullius usus 216. a  
Susanna timor ingenuus 279. b  
suscipere in sacris quid 419. b  
suspendium poena pudenda &  
ignobilissima 571. a  
suspicio Iosephi excutitur 14. b  
Sybaritarum conuiuium 472. b  
Synagoga quid 76. a  
Synagoga ficulnea sterili figurata  
maledicatur 462. b  
Synagoga pro conciliabulis 271. a  
Synagoga in qualibet ciuitate Iu-  
deæ 76. a  
Synagogarum ædificatio unde orta  
76. a  
Synagoga quid 99. a  
Syria quadripartita 359. a

Syria cõpendiosa descriptio 77. a  
Syrophœnicii 378. b

T

Tabula Moysi, tabula fœderis di-  
ctæ 374. a  
tabula utriusque compendium,  
175. a  
tacendum quando 169. a  
tactu in restituendis ægrotis quare  
usus Christus 247. a. 454. a  
talentorum nõ idem ualor 428. b  
talentorum nomine quid 519. b  
talionis equitas 166. b  
Talhitha siue Taliatha 245. a  
technæ mundi 489. b  
tecta ædium plana in Palestina,  
220. b  
tecta domorum olim plana 278. b  
tedarum in nuptiis incendendarum  
apud antiquos mos 517. b  
τελῶναι 116. b  
telones 226. a  
telonium ibid.  
temeritate qua proximum ledis  
eadem punieris 166. b  
tempestas in mari, tentatio Sa-  
tanæ 368. a  
Templum mercimonis prophana-  
tum 459. b  
templum Ierosolymitanum ab He-  
rode extructum 499. b. quare  
dirui oportuit 500. a  
templum una cum ciuitate dirutum,  
505. b  
templi secundi quando iacta fun-  
damenta 8. b  
templi instauratio à Cambyse pro-  
hibita ibid.  
templi re.ædificandi facultas à Da-  
rio 9. a  
templa ad quid instituta 460. b  
Tempus ad uiuendum suum cuique  
à Deo statutum 157. a  
tempus omnia reuelare, probatur  
exemplis 278. a  
temporis huius non est paria reci-  
pere 401. b  
tempore etiam gratiæ qui fit quod  
multi pereunt 589. b



INDEX.

temporum articuli nobis incogniti 32. a  
 tenebrae in passione Domini quid portendebant 574. a  
 tenebrae in passione Domini totum orbem occuparunt ibid.  
 tenebrae densiss. in cordibus hominum ante publicatum Euangelium 589. b  
 tenebrae exteriores quid 201. a  
 tenebrae exteriores cur dictae, 522. b  
 tentare uerbum quid significet, 58. a. 141. b  
 tentare Deum, quid 141. b  
 tentare Deum in oratione, quid 128. b  
 tentari nobis aliquando prodest, 142. a  
 tentatio perfectorum 60. a  
 tentatio de rebus necessariis uictui 60. b  
 tentatio contra bona opera, 64. b  
 tentatio Satanae de fide, praedestinatione, & bonis operibus, ibidem.  
 tentatio Satanae ex scripturis ibid.  
 tentatio blasphemiae & contemptus Dei 68. a  
 tentatio quid Hebraeis 141. b  
 tentatio parit coronam 142. a  
 tentationis periculum omnibus formidabile 141. a  
 tentationis à Deo immissa aut permissa forma 207. b  
 tentationi uerbum Dei opponendum 61. a  
 tentatione nos probat & exercet Deus 69. a  
 tentationes quibus agitatus est Christus à Satana, non omnes scriptae ibidem.  
 tentationum Satanae ordo 60. a  
 tentationum alia nos probat, alia superat 162. b  
 tentationibus sine spiritu non resisti 346. a  
 terra scabellum pedum Dei, quare 106. a  
 terra, pro incolis terrae 90. b  
 terramotus in passione Christi quid designabat 577. b  
 terramotus ingentes post ascensionem Christi 502. a  
 terrena subministranda offerentibus spiritualia 579. b  
 terror magnus peccatori ex passione Christi 576. a  
 terrencius quid 100. b  
 Testaradecus, quaterdena 10. a  
 Testamentum uetus typus noui, 332. b  
 testamentum utrumque unum & idē docet ac promittit 356. a  
 testamentum uetus & nouum, 536. b  
 testamentum quid ibid.  
 testamentum duo 258. a  
 testes quales esse oporteat 552. a  
 testes plures uno cur exigat lex, 552. b  
 testes plures duobus uel tribus nunquam necessarij 257. b  
 testes falsi contra Christum producti 552. a  
 testimonium Christi de Ioanne, 288. b  
 testimonium populi de Ioanne & Christo 289. a  
 testimonium à factis ualidius quam à uerbis 290. b  
 testimonium falsum dicere quam graue peccatum 552. a  
 testimonium pro lege & uerbo Dei 505. a  
 testimonio è caelo & terra uti uoluit Christus quod resurrexisset 583. b  
 Tetrarcha et Tetrarchia nomina à Graecis petita 359. a  
 Tetrarcha iidem qui & Toparchae, ibid.  
 Thabor sine Thabyrius mos 403. b. 588. a  
 Thadamaur ciuitas maxima, Graecis Palmira 6. b  
 Thamaris & Iudae congressus illicitus 5. b  
 thamaris partus geminus 5. a  
 thamarem quid mouit cum Iudae congregati ibid.  
 thesaurizare, quomodo usurpetur in scripturis 150. a  
 thesaurizant in caelo, qui 151. a  
 thesaurus quid 150. a. unde dicitur ibid.  
 thesaurus Euangelij quibus contingat 297. b  
 thesaurus bonorum, Spiritus sanctus: malorum, caro 329. a  
 thesaurus uerbi absconditus, 353. a  
 thesaurus ubi repertus exhilarat, ibidem.  
 thesaurus caelestis omni precio maior 353. b  
 thesauri reconditi custodes tres, 148. b  
 thesauri nomine quid intelligatur 151. a  
 thesaurum cordis sui quomodo unusquisque deprehendat, 151. a  
 thesauri an parandi 149. b  
 thesauri non congregandi 121. a  
 thesauri gnesu & solidi qui, 150. b  
 thesauri quomodo in caelo recondendi ibid.  
 thesauros in terra recondunt qui, ibid.  
 thesauros recondi in terra quare Dominus uetuerit 151. a  
 Theudas magus, seductor Iudeorum 501. a  
 Thomas quare Didymus dictus, 260. b  
 Thronus maiestatis quid 106. a  
 thronus Christi similis flammæ ignis 524. a  
 thus quid adumbrat 29. b  
 thuris suffumigatio 315. b  
 Tibius etiam in luctu usi Iudae, 299. b  
 tibicines 220. a  
 timor Domini nunquam non reuendendus 241. b  
 timor uerus, pius & salutaris, quis 279. b  
 timor modicae fidei argumentum, 242. b. 278. b  
 timor perpetuus magistratui sibi conscio 24. b

INDEX.

timor ab infidelitate & diffidentia 25. a  
 timor & diffidentia in aduersis unde 370. a  
 timor & zelus Dei non secundum scientiam 280. a  
 tinea quid significet 148. b  
 τινεωπος unde dicitur 150. a  
 titulus crucis quid designabat, 570. a  
 titulum crucis Christi non oportuisse immutari ibidem  
 titulum splendorum cupidi & fatores notantur 259. b  
 tollere crucem & ferre quid, 399. a  
 Toparcha locorum praesides 359. a  
 Tophet quid 98. b  
 torcular in sacris quid significet, 467. a  
 tortura demonibus formidata quae 215. a  
 traditiones Seniorum 45. b  
 traditiones Pharisaeicae de Sabbatho 314. a  
 traditiones non magni aestimandae quae 373. a  
 traditionum siue legum differentia ibidem.  
 Traiani Imperatoris commendatio 458. b  
 tranquillitas perinde atque tempestas à Deo 210. a  
 transfiguratio Christi 402. b  
 transfiguratio Christi spiritualis per fidem 403. b  
 transfiguratio Christi exemplum futurae resurrectionis 405. b  
 transgressio aequalis in aequali lege 312. b  
 tribuere in simplicitate, quid, 124. a  
 tributum pendere Caesari an liceat 471. b  
 tributum soluit Christus 403. a  
 Trinitatis expressio 29. b  
 trinitatis opera indiuisa 12. a  
 trinitatem seu personas cognoscere solius Dei esse 305. a  
 tristitia piorum momentanea, 235. b  
 tristitia cuiusmodi in Christo, 542. a  
 triticum coctionis difficultatem qui deponat 351. b  
 τριφῶν quid 266. a  
 tuba conuocare pauperes Iudae in more fuit 123. a  
 tumultus uarij ac multi apud Iudaeos 501. a  
 tunc particula quid plerumque significet 558. a  
 tunica Christi, Ecclesia 569. b  
 tunicae duae pro amictu superfluae 266. a  
 turba simplex & fraudi opportuna 254. b  
 turba auocantium nos ab oratione, & iacula Satanae 453. b  
 turba promiscuae fides ac fiducia in Christum 384. a  
 turba Christum agnoscunt 578. b  
 turcae omnium sceleratissimi quid de se sibi persuadeant 81. a  
 Turcarum princeps antichristi praebulo 255. a  
 turci tyrannus, grauisima nobis securis Dei 49. b  
 turris uinea Domini quos uigiles & propugnatores habeat, 467. a  
 tutela aduersus omnem tentationem ex scripturis petenda 68. b  
 Tyberius Christum ueritus est, 579. a  
 Tyberij et Alexad. magni apophthegmata 416. b  
 typhi Iesu saluatoris 15. b  
 tyranni malunt timeri, quam amari 24. b  
 tyranni pereunt pijs permanentibus 35. b  
 tyranni patienter ferendi 477. b  
 tyrannorum ingenium 24. b  
 tyrannorum astus 361. a  
 tyrannus etiam ad suam gloriam utitur Deus 34. a  
 tyrannus & libido nihil non audet 361. a  
 tyrannus quandoque gloriae Dei seruit 32. a  
 tyrannus Satanae quanta in homine sub iugum remisso 335. b  
 Tyrus & Sidon urbes maritimae, 301. b

V

Vade simpliciter dictum Satanae: uade post me, Petro 68. a  
 uade, quomodo interdum usurpetur 201. a  
 uae interiectio frequens in sacris literis 491. b  
 uagationes & discursiones ministris uerbi uitandae 267. a  
 Valentini error 9. a. 14. b  
 uanitas nostra ac superbia, quanta 52. a  
 uanitas in rebus humanis quanta, 329. b  
 uasa pro quouis instrumento 324. a  
 uates Aegyptij uulgo & Bohemi 21. a  
 uaticinij Isaiae de illuminatione Gentium, ratio 71. a  
 ubi locorum orandum 130. a  
 ubique & boni & mali 250. b  
 uelleitas, imperfecta uoluntas 519. a  
 uelum templi 557. a  
 uelum templi scissum quid significabat 577. a  
 uelum templi inter sanctuarium & sanctum sanctorum 577. b  
 uendere omnia propter uerbum, 353. a  
 uendere possessiones 430. b  
 uendentes è templo eiekti 454. b  
 uendentes oleum qui dicantur, 518. b  
 uenia peccatorum facilis impetrata, & quare 139. b  
 uenire post Christum, siue sequi Christum, quid 74. a  
 uenire siue abire post Christum, quid 398. b  
 ueni, pro, missus sum 232. b  
 uenter importunus exactor 161. a  
 uerbum duplex, cordis & uocis, 12. a  
 uerbum consolationis plenissimum 58. a  
 uerbum externum necessarium, MMM iij



I N D E X.

contra Anabaptistas 226.a  
 uerbum otiosum, quod 329.a.b  
 uerbum nunquam deficit 367.b  
 uerbum cum fiducia suscipiens iuxta illud operatur 164.a  
 uerbum abscondi non debere 520.b  
 uerbum inuenire quid 353.a  
 uerbum fermentum 349.b  
 uerbum, granum 348.a  
 uerbum, panis 367.b  
 uerbum, sal & lux 92.b  
 uerbum quare sal dictum 90.b  
 uerbum, uirtus Dei 359.a  
 uerbum Christi primum annuntiatum in claris & populosis uiribus 70.b  
 uerbum Christi solis pauperibus spiritu uile 292.a  
 uerbum Dei nos alens quod 61.a  
 uerbum Dei ubique sacrosanctum habendum 114.a  
 uerbum Dei humana uoce ad nos delatum 408.a  
 uerbum Dei semper efficax, quocunque perueniat 345.a  
 uerbum Dei uerax 499.a  
 uerbum Dei immutabile 512.b  
 uerbum Dei de regno suo 160.b  
 uerbum Dei, uerbum regni 345.a  
 uerbum Dei, uerbum crucis 347.a  
 uerbum Dei gladius, & plusquam gladius 282.b  
 uerbum Dei etiam Apostolis parabola est, nisi Christus aperiat, 350.b  
 uerbum Dei, semen 344.b  
 uerbum Dei quaedam ueluti ipsius syngrapha 161.a  
 uerbum Dei, thesaurus 352.b  
 uerbum Dei una ad uitam uia, 377.a  
 uerbum Dei uirga Moysi est 210.b  
 uerbum Dei non esse alligatum, neque unquam praecone cavere 360.b  
 uerbum Dei non predicandum contemptoribus 163.b  
 uerbum Dei non despicendum propter impuram ministri uitam 488.a  
 uerbum Dei sequentes perire non posse 384.b  
 uerbum Dei sequentibus nihil deficit 417.a  
 uerbi Dei neglectum quid confequatur 70.a  
 uerbi Dei & poenitentia contemptorum grauis damnatio 268.b  
 uerbi Dei contemptoribus quid expectandum 276.b  
 uerbi Dei quantus hodie contemptus 334.a  
 uerbi effectus in conscientia 330.b  
 uerbi Dei intelligentia unde, 341.a  
 uerbi Dei natura 344.b  
 uerbi partes duae per synapim significatae 348.a  
 uerbi Dei uis & potestas 589.a  
 uerbi Dei uirtus 113.b, 248.a, 249.b  
 uerbi est, iudicare 300.b  
 uerbi docendi prouincia cui tradita est, is tacere non debet, 113.b  
 uerbi ministris carnales affectus ante omnia amputandi 336.a  
 uerbo predicando qui se obtrudat 256.b  
 uerbo quae salienda 90.b  
 uerbo Dei omnes astus conscientiae nostrae leniendi 210.a  
 uerbo Dei pertinacissime nitendum, 381.a  
 uerbo & uoluntati Dei omnia cedere oportet 336.a  
 uerbo Dei omnia cedunt 512.b  
 uerbo Christi rediuiui, Aucte, summa totius Euangelij comprehensa 585.b  
 uerba restantur de homine 310.a  
 uerba Dei pluris faciendae quam totius mundi tonitrua 89.b  
 uerba legis odium & uindictae libidinem prohibent 112.b  
 uerba Christi quomodo consideranda & excipienda 110.a  
 uerba Christi, Hoc est corpus meum, quomodo intelligenda 536.a  
 uerbis Christi non nostro iudicio standum 382.b  
 uerecundia in puella profligata, nihil saluum 363.a  
 ueritas agitata illustratur 230.a  
 ueritas impugnatione aduersariorum magis emergit 234.a  
 ueritas quomodo odium parit, 334.a  
 ueritas nunquam sine hostibus, 386.b  
 ueritas non tacenda 376.b  
 ueritas quando intrepidè confitenda 553.b  
 ueritas tandem uictrix 562.b  
 ueritas Euangelica Pharisaeorum 582.a  
 ueritas praedicata parum nonnumquam prodest uitio praedicatorum 356.a  
 ueritatis est, lucere & fugere tenebras 93.a  
 ueritatis hostibus quando liceat relictari 322.a  
 ueritatis cognoscendae studium requirit Christus 376.a  
 ueritatis confessio causa damnationis Christi 554.b  
 ueritatis agnitio oppugnatores quibus similes 587.a  
 ueritati reuelandae sum esse tempus 396.b  
 ueritatem ad tempus occultari non esse impium 11.a  
 ueritatem poscenti ueritas non neganda 189.b  
 ueritatem tacent mancipia Sathanae 320.b  
 uerba apud Euangelistas quid, 368.a  
 uestimenta ouium, quid 179.b  
 uestimenta scindere ac lacerare sicut Iudaeorum mos 554.a  
 uestis nuptialis 471.a  
 ueste nuptiali quid designatur, 474.a  
 uestium luxus reprehensus 42.b  
 uestium mollities a Christo damnata 294.a  
 uestibus discipulorum quid intelligatur 458.a  
 uestitus paulo longior decorus publicis reipub. Christianae ministris 489.a

I N D E X.

ueterem hominem exuere & induere nouum, quid 40.b  
 uia ad caelum certa quae 150.b  
 uia qua itur ad caelum quibus suauis, & quibus aspera 175.b  
 uia ad regnum Dei 160.b, & seq.  
 uia certissima & compendiosissima emergendi è malis 170.b  
 uia quare spaciosa dicitur 176.a  
 uia angusta pijs omnibus calcanda 178.a  
 uia arctae difficultas quomodo tollatur 176.a  
 uia nomine quid intelligatur ibidem arctam & strictam quid faciat ibidem.  
 uia & semita Domini quae 42.a  
 uia duae Christianis propositae, 88.a  
 uia multae ad impetrandam remissionem peccatorum 144.b  
 uici in quos diuiditur urbs 123.b  
 uictoriam Christi nostram esse, 57.a  
 uictus, & necessaria quomodo parantur 161.a  
 uictum petere non indignum praecatione Domini 136.b  
 uidere pro cognoscere 221.a, pro intelligere 94.a  
 uidere Christum uenientem in regno suo, quid 402.a  
 uiduae pro inopibus 492.a  
 uiduae expilatae a Pharisaeis 486.b  
 uiduas quomodo Pharisaei deuorabant 492.a  
 uim caelo qui fecerint 297.b  
 uinacula Christi religiose obseruanda 550.b  
 uindicta Dei propria 98.a  
 uindictae affectum eximit Christus Christianis 107.b  
 uinea patris caelestis quid 444.a  
 uinea, Iudaei qui Christum occiderunt 455.a  
 uinea Domini populus Iudaicus, 466.b  
 uinea infructuosa non est succidenda, sed cultores pigri puniendi 468.b  
 uinea Domini sepes 466.b  
 uinea Domini turris 467.a  
 uinum nouum 220.a  
 uinum nouum plenitudo Spiritus sancti 237.a  
 uinum nouum pro caelesti gloria, 537.b  
 uinum uitiatum Christus quare noluit bibere 568.a  
 uinum myrrhatum 568.b  
 uinum mortem accelerare 575.a  
 uiperæ indoles 46.b  
 uiperæ sanies praesentissimam affert mortem ibidem.  
 uir & maritus uoces affinitatis, 9.a  
 uir bonus, ut bonus est, non potest fieri deterior 182.a  
 uir & uxor quomodo una caro, 432.b  
 uiri sancti quomodo deprehenduntur 410.a  
 uiris pijs & solitarijs quare Deum praecipue infestus 57.a  
 uiris eadem lex quae & uxoribus 104.a  
 uiros sanctos nonnumquam finit Deus rerum exterarum penuria uia premi 163.a  
 uires hominis quae 483.a  
 uirga Moysi, uerbum Dei 210.b  
 uirga siue baculus pro potestate, 287.b  
 uirga & baculi nomine quid intelligatur 266.a  
 uirginitas suadetur & praefertur, non praecipitur 435.a  
 uirgo gestu, incessu & uerbo perfectata 12.b  
 uirgo quare negotium conceptionis uiro non aperuit 13.b  
 uirgo cooperata conceptioni 14.b  
 uirgo cum Iosepho, 7. annis moratur in Aegypto 32.b  
 uirginis partus diabolo ignotus, 11.a  
 uirginis encomium quod sit mater Iesu 11.b  
 uirginis & Iosephi obedientia 32.b  
 uirginis appellationem quae donat, 517.a  
 uirgines expectantes sponsum, 516.a  
 uirgines prudentes & fatuae, quae 517.b  
 uirtus & potestas diuersi significatae 224.b  
 uirtus, autoritas, & dignitas in concionatore quid efficiant 188.b  
 uirtus Christi quos non sanat, 242.a  
 uirtus uerbi Christi 249.b  
 uirtus Dei quid 479.b  
 uirtus pro maiestate & dicendi libertate 184.b  
 uirtus pro fortitudine & potentia 509.b  
 uirtus cuiuslibet rei sua à caelorum motu, ibidem.  
 uirtutis & beatitudinis sanctorum testimonium à Christo 281.b  
 uirtutis Dei cognitio quomodo querenda 479.b  
 uirtute decet non sanguine uiti, 48.a  
 uirtute Christi maxima quaeque parantur 209.a  
 uirtutes quid 509.b  
 uirtutes caelorum 509.a  
 uirtutes pro miraculis 301.a  
 uisionem Dei cui rei debemus 87.a  
 uisus omnium sensuum ut uelocissimus, ita perniciosissimus, 101.b  
 uita filio dilecto à patre ordinata miseris plena 31.a  
 uita, uestis & praedicatio Ioannis Bapt. nihil inter se dissimiles, 42.b  
 uita & doctrina Ioannis pares, 300.a  
 uita & doctrina Pharisaeorum populo nauseam mouebant 44.a  
 uita doctrinae respondere debet, 175.b  
 uita quomodo erga Deum institueda 108.b  
 uita qua hic uiuitur, somnus, miseria & militia est 177.b  
 uita impura omnem adimit autoritatem concionatori 188.b  
 uita omnis à Christo 392.a  
 uita aeterna quid 81.b



I N D E X.

uita aeterna effectus legis obserua-  
re 438.a  
uita aeterna quibus parata 449.a  
uita Christi tota necessitatibus no-  
stris releuandis impensa 246.a  
uita Christi uitae nostrae institutio,  
386.b  
uita Christiana quid 57.a  
uita hominis militia 177.b.  
544.a  
uita corporalis sine spiritali, mors  
138.b  
uita mors quomodo esse queat, &  
contra 584.a  
uita nostra, quasi sementis quaedam,  
401.b  
uita nostra à quo pendeat 155.a  
uitae integritate auctoritatem sibi  
conciliat praeco uerbi diuini,  
188.b  
uita aeterna possessio 430.b  
uita aeterna promissione Christus  
consolatur afflictos 441.a  
uitam in media morte promittere,  
Christi potentiam ostendit,  
242.b  
uitam mundus iis artibus amittit,  
quibus retinere nititur 285.a  
uitam nostram quomodo perpetuo  
retineamus 285.b  
uitam aeternam quomodo consequa-  
mur 437.a  
ad uitam aeternam habendam ne-  
cessaria quae 182.b  
ad uitam aeternam assequendam  
una cum fide opus est integritate  
uitae 183.a  
uita aeterna nihil, eorum quae homo  
habet ex se, dignum 401.a  
uitatio mali & boni operis exhi-  
bitio necessaria ad uitam aeter-  
nam habendam 182.b  
uitium precationis, battologia,  
126.b  
uitia refecturus Christus à radice  
exorditur 148.a  
uitia in aliis facilius quam in no-  
bis obseruamus 124.b  
uitia Phariseorum quae Christus  
traduxerit 229.a  
uitianationibus quibusdam pecu-

liaria 331.a  
uitia atrocita diuque consueti gra-  
uibus remediis profliganda,  
414.b  
uitia quibus scateret mundus 420.a  
uitia cur reprehenduntur 470.b  
ultionis cupidi quomodo possessio-  
nibus suis excidunt 82.b  
ultionis diuinae officium commis-  
sum angelis 352.a  
ultionem qui sibi usurpant quam  
peccent 108.a  
ultionem in Deum remittere quam  
profit 108.a  
umbræ quando desinere coeperunt  
298.a  
unctio symbolum & collatio di-  
gnitatis 3.b  
unctio, latitiae argumentum,  
146.b  
unctio ac lotio spiritalis 147.a  
unctionis usus apud ueteres 146.b  
unguento nihil opus Christo iam im-  
mortali, pauperes pro se substi-  
tuenti 584.a  
unio naturarum in Christo quanta  
392.a  
uocari pro esse 9.b  
uocari pro demonstrari 17.a  
uocari in aulam quid 551.a  
uocatio Dei ubicunque gentium  
alit 61.b  
uocatio filiorum Zebedaei 73.a  
uocatio generalis & personalis,  
206.a  
uocatio personalis preferenda ge-  
nerali 206.a  
uocatio externa Christi, indicium  
interna 226.a  
uocatio Christi & Phariseorum  
diuersa 233.b  
uocatio duplex 256.b  
uocatio Gentium post Iudaeos, u-  
num secretorum iudicij Dei,  
263.a  
uocationis nostrae praecipua minu-  
toribus praepoenda 206.b  
uocationi Dei ea etiam sunt, quae  
nulla sunt 480.b  
uocationem nullam tam ieiunam  
esse, in qua fideliter uersanti no-

suppetant necessaria 62.b  
uocationes Simonis & Andreae,  
72.b  
uocationum Apostolorum ordo 73.a  
uocatus ad praedicandum aliud cu-  
rare non debet 190.b  
uocula Amen usus duplex 142.b  
uolo, quid, quum Dei est 231.b  
uolucres nobis cordatiores & pro-  
spicientiores 155.b  
uolucres, studia hominum inania  
345.b  
uoluntas Dei quae 67.a. 134.b.  
232.a  
uoluntas Dei duplex 134.b. 248.  
b. 497.b  
uoluntas Dei reuelata 134.b  
uoluntas Dei omnipotens ibidem.  
uoluntas Dei agnoscenda simul  
& facienda 135.b  
uoluntas Dei per Christum agno-  
scitur 232.a  
uoluntas Dei discenda ut illi gra-  
tificemur 231.b  
uoluntas Dei cui consentire debe-  
mus quae 248.b  
uoluntas Dei quae inquirenda &  
quae non 135.b  
uoluntas Dei ut fiat duonecessaria  
134.b  
uoluntas Dei legislatoris quomodo  
impletur 183.b  
uoluntas Dei possibilitatem rebus  
adfert 543.a  
uoluntas patris quae sit 135.b  
uoluntas quanti momenti ad salu-  
tem 48.b  
uoluntas hominis inanis nisi diuini  
tus adiuta 540.a  
uoluntas beneplaciti 134.b  
uoluntas signi ibid.  
uoluntati non praest fatum 23.b  
uoluntatem Dei facere 338.a  
uoluntatem Dei facientes qui 455.a  
uoluntatem Dei fieri quomodo pe-  
timus 134.a  
uoluntatem Dei perficere non pos-  
sumus, nisi adiutore spiritu san-  
cto 135.a  
uoluntatem Dei Christus & fecit  
& docuit 134.b

I N D E X.

uoluntates in Christo duae, sed con-  
cordes 543.b  
uoluptas inimica uirtuti multos ad  
se pellicit 176.a  
uoluptas corporis proemium doloris  
& poenitentiae 401.a  
uoluptatis studium etiam euange-  
licos transuersos rapit 346.b  
uoluptatem temporariam sequitur  
dolor perpetuus 176.a  
uox Dei ad nos longè mitioriam,  
quam olim sub Mose 54.b  
uox Dei carni horribilis 408.a  
uox patris super Christum cur au-  
dita 54.a  
uocis & uultus Christi energia mi-  
rabilis 227.b  
uoces exclusivae quid excludant,  
222.a  
uoces mundi uocationem Christi  
molientis impedire 226.b

urbibus interuentionem quodnam  
peccatum adferat 301.a  
Urias dolo occisus 6.b  
usura quando committitur III.b  
ut particula quid denotet 122.b  
utilitas ex ueteri testamento quae,  
405.a  
utilitatis fidei alienae exempla,  
221.a  
uulgus simplex candidè indicat,  
250.a  
uulgus caecum 377.a  
uulgus semper mobile 563.a  
uulgus mari simile 563.b  
uulgi inconstantia erga Christum  
357.a  
uulgi hypotyposis petentis Barab-  
bam dimitti 563.a  
uxor Zebedaei pro filiis ambit,  
443.b  
uxor Pilati 556.b

Z  
Zacharias propheta occisus 496.b  
Zarach Aethiopiae rex ab Asa ui-  
ctus 7.a  
Zebedaei filij qui excusantur quod  
reliquerunt patrem 75.b  
Zizania pro quolibet adulterino  
& noxio semine 347.b  
Zizania Satanae quae 351.a  
Zizania quomodo celerius tritico  
excrescunt ibidem.  
zona abstinentiae ac sobrietatis  
symbolum 43.a  
zona symbolum pudicitiae ibid.  
zonam soluere quid ibidem.  
zonam perdere, prouerbum,  
266.a  
zona apud ueteres preciosa in u-  
su 43.a  
Zorobabel primus Iudaeorum Dux  
ex stirpe Davidis .b

FINIS INDICIS.

SERIES CHARTARVM.

- 1 ¶ a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z.
- 2 A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
- 3 Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.
- 4 AAa BBb CCc DDd EEe FFF GGg HHh Ii KKk LLl MMm NNn OOo PPp QQq RRr SSs TTt VVv XXx YYy ZZz.
- 5 AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM. Omnes Terniones, praeter ¶ Quaternionem.

Excudebat Ioanni de Roigny Federicus Morellus,  
Anno salutis humanae M.D. LXII.  
Mense Martio.

